Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVII
G
27
NAPOLI

XLVII
G
27

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
HISTORIÆ SACRÆ
VETERIS TESTAMENTI,

BIBLIOTHECA
HISTORIÆ SACRÆ VETERIS TESTAMENTI,

SEU

EXERCITATIONES HISTORICÆ

IN

SACRAM SCRIPTURAM ET JOSEPHUM

Per modum commentarii in Hiſtoriam Sacram

SULPICII SEVERI.

DISTRIBUTÆ DUOBUS TOMIS:

Quorum Prior Ab Adam *ad* Moſen, *complectitur quinque tractatus*:

I. DE PRINCIPIO RERUM, SEU INTROITUS.
II. DE PRIMA MUNDI ÆTATE,
III. DE SECUNDA MUNDI ÆTATE,
IV. AB ABRAHAM USQUE AD INGRESSUM ISRAELITARUM IN ÆGYPTUM,
V. DE PEREGRINATIONE ISRAELITARUM IN ÆGYPTO, UBI ET HISTORIA JOBI.

Alter tomus procedit à Moſe ad Chriſtum adventantem, id eſt everſam ab Herode Haſſamonæorum dominationem.

AUTORE,

CHRISTIANO SCHOTANO.
Sacrarum literarum Doctore.



FRANEQUERÆ,

Ex Officina JOHANNIS WELLENS, Illuſtrium Friſiæ Ordinum & eorundem Academiæ Typogr. Ordinarii. ANNO 1662.

Ampliſſimis, Nobiliſſimis; conſultiſſimis

NOVEM-VIRIS,

Ordinum Friſiæ inter Flevum & Lavicam Deputatis, patriæ patribus:

D. DOMINICO ab AYLVA,
Prætori in Leeuwerderadeel.

D. AULO ab HAARSMA,
Prætori in Smallinger-land.

D. ONIÆ à GROVESTINS,
Prætori in Hennaardera-deel.

D. ELICONI GLINSTRA.

D. DANIELI BLOCQ
de Scheltinga, J.V.D.
Prætori in Schoterland.

D. JACOBO BOURITIO,
J.U.D. Prætori in Aengwirden.

D. FREDERICO ab INTHIEMA,

D. ONIÆ GELDORP,

D. CORNELIO HAUBOIS,
Conſuli Snecano.

ITEM

D. ASSUERO VIERSSEN,
eorundem Deputatorum Secretario.

N E C N O N

Nobiliſſimis, Ampliſſimis, Prudentiſſimis, Doctiſſimis Viris,

In ſuprema Curia eorundem Friſiorum Conſiliaris

D. ALARDO PETRO JONGESTAL, conſil. primo:
D. THEODORO SAKEMA,
D. PETRO ab HARINXMA in Sloten,
D. HERONI ab OCKINGA,
D. JOHANNI GLINSTRA,
D. HARTESIO JEPEMA,
D. SIXTO à GROUSTINS,
D. JETSONI SMINIA,
D. THEODORO SCHELTINGA,
D. WILHELMO VIERSEN,
D. JOHANNI BOURITIO,
D. HORATIO KNYF.

ITEM

D. ANTONIO KAN, J.U.D. Procuratori Generali,
D. SVFFRIDO BOELENS, J.U.D. Curiæ Graphiario.

Am-

SI quod vobis ullo tempore inſcriptum opus eſt, aut inſcribi poteſt, tantis nominibus dignum, id ipſum, quod paro, ſeſe exſerit & commendat. Nam primordia rerum ab ipſa mundi origine & Adami conditu, unde ortum eſt humanum genus, uſque vocatum Abrahamum, inque eo reſtauratam Eccleſiæ faciem: Rurſum ab Abrahamo infantiam reſtauratæ Eccleſiæ, uſque ad Moſen ejus pædagogum diſcutio. Accipite benignis & faventibue oculis: Hæc autem rerum ſumma eſt: Poſt orbem conditum inſtructumque Adamus ingrato & perfido eſu paradiſi & cœli aſpernator, Dei rebellis, Satanæ ſubditus, ærumnabilis in ſe & omni ſua poſteritate, non ante dimiſſus & ejectus eſt è loco primæ fœlicitatis conſcio, quam promiſſionem & fidem Deus redonaſſet. Promiſſum fuit de victoria adverſus ſerpentem, qui Adamum ejuſque ſobolem proſtraverat, per Semen mulieris. Hæc origo exſtitit, hinc porta aperta eſt, qua prodiit & introiit diviſio humanæ poſteritatis: quæ in ævum erupit cum ab uno pari hominum duo fratres nati adoleviſſent. Cain enim impius, Abel Dei reverens erat. Cæterum ad eandem Eccleſiam, eandem aram Diaboli filius cum ſemine fidelis Hevæ conveniebant, donec occulta animi improbi emicuerunt. Cito autem à veritate divortium fecit

 men-

mendacium, à nequitia improbitas. Parricidio orbos fecit parentes primogenitus Satanæ, qui utrunque amiſerunt filium: cum alterum ſcelus è vita exturbaſſet, alterum in exilium. Pulſus abiit in aliam orbis regionem, in qua civitatem malignantiam condidit. Jam duæ in mundo civitates erant, una Dei, altera Diaboli. In illa Dei cultus viguit, præſentia familiaris, alloquia & oracula, quibus cœli majeſtas diſciplinam tuebatur. In hac cura rerum mundi, quibus immerſi tenebantur animi. Hinc pro ſe quiſque rei familiari tuendæ augendæque incubuit, & Dei benedictione nimium ſe proferente ad immerentes, quorum pars in hoc ſeculo erat, nobiliſſimæ artes & humanis rebus utiliſſimæ inter Cainitas inventæ ſunt. Quarum laude & auctorum præcellentibus ingeniis beatus haberi poterat Cain, niſi fratris occiſi furiæ animum inquietaſſent. Quibus agitatus & nulli homini, nulli loco confiſus, grande ævum, miſerrimus erro tranſiit. In gente & civitate illius injuriæ mutuæ & cædes, commune univerſorum odium & perſecutio adverſus benedictam civitatem: ut boni ſemper malis formidini & odio ſunt. Nullam apud eos falſorum numinum fuiſſe venerationem pleriſque interpretibus placuit, idque in tanta Dei aſpernatione, verum flagitiis atque facinoribus coopertos, quibus ſpes opeſque in manibus ſitæ erant,

cum nihil penſi haberent, ferocia extulerat; qua abjectum atque humile viſum eſt ullum numen agnoſcere. Cum temporum lapſu malitia increvit. Hebeſcere virtus, ſi qua fuerat, aut eſſe viſa eſt, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci cœpit. Prorſus denique peſtiferam gentem compoſitam, eſſe videres, turpitudine atque violentia. Hinc impudicus, adulter, ganeo, ventre & alea bona patria lacerabat. Illic quos manus atque lingua perjurio aut civili ſanguine alebat. Igitur juventutem ex divitiis, quas parentum ſedulitas paraverat, luxuria atque avaritia cum ſuperbia invaſere; rapere, conſumere, ſua parvi pendere, pudorem, amicitiam, pudicitiam proculcare: nihil moderati habere. Per ſummum ſcelus alii alios circumvenire, jugulare. quia ſuo largius abuſos aliena invadere inopia adigebat, aut uti eſſet, quod per luxum profunderent: in multis etiam animus gratuito malus atque, crudelis erat. Profectò corrupti mores nationem Caini inundaverant, in qua, cum hactenus inter unum unamque conjugium conſtitiſſet, primus Lamech, à Cain ſeptimus, polygamiam auſus eſt inſtituere, & coſtam hucuſque ſimplicem duplicare. Mirum dictu, quam facile mos peſſimus invaluerit. Nam orbe toto, in utraque gente invenit creberrimam imitationem, quæ poſt cataclyſmum propagata & paſ-

ſim

ſim iterata, finem non habuit, antequam Jeſus Chriſtus conjugii ſanctitatem ad ſua principia revocaret. Aliud fuit de ſororum matrimoniis, quæ Deus principio rerum induxit, cum ex uno ſanguine humanum genus voluerit proſeminari. Ita Adamo de latere ſuo conjugem fingit, Cain atque Abel iis creatos ſororibus neceſſitas commiſcuit. At aucto humano genere parcius ea conjugia inita ſunt, donec lex Moſis veſtigia abolevit. Polygamia reperta fuit cum jam civitas Cainæa vitiorum incremento peſſum iſſet, eòque facilius Dei filiis adhæſit, quia prolabi jam Eccleſia & pacem colere cœperat cum Satanæ ſubjectis. Dicam ex vero, nihil ad infectionem validius eſt quam malorum facinorum & improbitatis contagio. Omnium enim pectoribus fomes inſidet, huic igni rapiendo familiaris. Cœterum in hoc caſu nihil femina nocentius, quæ mala & prognata malis, mores noxios affert domo, quos in maritum & ſobolem penitiſſime conſerat. Erant Cainæis filiæ, quarum præter formam nihil unquam bonus laudaverat: at ſpecies eximia inerat: doctæ pſallere & ſaltare elegantius, quam neceſſe eſt probis. Lamechi filius artem muſicam invenerat. Multa illis alia erant quæ inſtrumenta luxuriæ ſunt; ſed illis ſemper cariora, quam decus atque pudicitia fuere. Igitur filii Dei, quibus Eccleſia mater erant, ſpecioſarum

rum forma virginum capti illicitas cupiditates appetierunt: ac originis ſuæ degeneres, ſpretis Eccleſiæ filiabus, cujus populares erant, matrimoniis ſe externis polluêre. Hi paulatim labem conſerentes bonorum corrupere progeniem. Ex quorum coitu gigantes editi eſſe dicuntur, id eſt, genus hominum dirum atque noxium, rapinis atque latrociniis infame; cum diverſæ inter ſe gentis permixtio monſtra gigneret. Nam confuſa ſoboles, à patribus divini fœderis rebellis, à matribus hæreditaria improbitate, divina atque humana promiſcua habebat. Ferox & torva confidentia animis inerat, nota rebellionis parentum, qui Deum & Eccleſiam deſeruerant. Ipſam quoque Eccleſiam & ejus adyta contagio pervaſit. Fanum Dei in ſpeluncam latronum & lupanar converſum erat. Dividiæ atque diſcordiæ ſæpe diſſipant Eccleſiam, at ea tempeſtate perperi homines ductabilitate ſuâ periêre. Dilapſa eſt Eccleſia, Dei cultus deſertus jacuit & in ſolitudinem vertit. Titanum ſoboles, ſocia ſanguinis patrum, quos Dei reverentia continuit, eorumque perſecutrix, orbem hunc ſuperum, quem ſol flammeo vapore coquit fovetque, in atri Ditis ſedem commutaverat. Nondum Adamus cum ſua Heva in fata conceſſerant, limen Eccleſiæ intrante aut vaſtante profanitate extrare ilico cœpit probitas pietasque, è tribunalibus evolare juſtitiæ ſacrum

præ-

præſidium, è commerciis & ſocietate humana verum fideſque. Enoch autem filium Jared, ſeptimum ab Adam, tollit Deus & ſine morte cœlo collocat. Si ſenſus ullus amorque recti bonique fuiſſet, is fuiſſet

dictus ollis popularibus olim
Qui tum vivebant homines atque ævum agitabant,
Flos delibatus populi Suadæque medulla.

Inſignem verò Prophetam, incomparabilem oratorem, qui reſtituere collapſam rem exemplo, ore, manu nitebatur pro virili. At indignus illo mundus erat, ideò Deus cælo ſublimat, typum aſcenſionis Dominicæ; illius & noſtræ glorioſæ habitationis in ſede ſupera. Cum Enoch raperetur, nondum mille anni ab exordio mundi elapſi erant. Inde poſt annos ſeptuaginta Noë natus eſt alter juſtitiæ præco: quatuordecim fermè annis poſt deceſſum Sethi. At octoginta quatuor annos exegerat, cum Enos morti concederet. Hinc igitur docere cœpit, maximè cum Cainan, Malaleel, Jared humanis rebus exempti eſſent. Jam quatuordecim ſecula exierant. Tum illi Deus aperit imminere finem rebus & humano generi, quod aquis delere parabat. Ineffabilem vero patientiam & longanimitatem Dei, quæ ſeculo parcit, donec ad unam familiam redacta eſſet Dei civitas. Quamdiu enim in mundo

cives cœli, Dei filii ſupereſſe poterant, moles hæc inconcuſſa ſtabat: nec rabiem elementorum graſſantium aquæ ignisque orbis perſentiſcere potuit, poteritque antequam in tuto collocati ſint, quos brachiorum arctis complexibus conſtringit Divinus amor. Cum patientiam Dei ſperneret perdita progenies, eſſetque infeſta monitori, qui ſe illoſque noctu & interdiu clamoribus aſſiduis, rogando increpandoque fatigaverat, cælo defluere, abyſſo effluere agmina aquarum quæ centum & quinquaginta diebus graſſatæ, quidquid in ſicco ſpirat, exanimatum hauriunt. Omnia cum ultricibus aquis obruta jacerent, interim in fœdere gratiæ Noë tutum habuit refugium navis aſſeribus compaginatis & ligno cavato defenſus. Hoc illi ſacramentum eſt inumbrationis & imbrium è Chriſti promiſſi creditique ſanguine: qui gratiæ omnis origo & pabulum eſt. Sic prima orbis ætas finem habuit, novæ ætati ſiccato cælo ſoloque principium fuit. Molem ligneam ſudore Noë & fide, è cæduis ſylvis ſtructam, quam obturaverat, returat. Aperitur ingens clauſtrum: ſepulcro mórtui exeunt: cum animantibus omne genus, quæ ſponte in caveam conceſſerant, eodem monitu liberi luminis & aëris oras petiêre. Solum patuit gignentium ferax. Nam vim herbificam ſub undis conſervaverat Deus & ipſas ſtirpium comas à tabe protexerat.

Cujus ſignificationem hærenti in arca hominum reparatori fecerat ramus oleæ, decerptus ab exploratoria columba. Exerebat enim caput (uti conjicio) è ſalo frondoſa arbor cum obrutæ terræ paſtum & conſiſtentiam avi denegarent. Egreſſus Noë & liber Soteria Deo immolat. Benedicit Deus iterata terrarum animaliumque in uſum & eſum largitione. Inſuper pollicetur ſe ob hominum peccata non iterum univerſale exitium & defectum annique illaturum orbi, quod firmatum arcus cœleſtis ſacramento. Igitur terra cœlumque ſe homini præbent. Ver erat, quum in orbem vacuum immitterentur. Annus ſinum excuſſit.

Cœlum niteſcere, arbores frondeſcere,
Vites lætificæ pampinis pubeſcere,
Rami baccarum ubertate incurveſcere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes ſcatere, herbis prata conveſtirier.

Rura cantu avicularum perſtrepunt: prata ovium boumque fœtura luxuriant. Lætæ domus numeroſo partu, quaſi ab alto contenderet Deus humanum genus redintegrare. In montanis Armeniæ navigium quod ſeminium orbis vexerat, Deo moderante conſederat. Erumpente numero, brevi alio migrandum fuit. Verum enim verò priuſquam deducerentur ab cohabitatione unius viculi, quæ tria

qua-

quatuorve tentoria, nondum ædes, conſtitue-bat, ſemen divortii in duas civitates ex una quæ Dei erat, de novo ſparſum eſt. Decumbebat verus Deucalion, ut ſopor ipſum è vino oppreſſerat. Cum enim vineam conſerere cœpiſſet; largo potu madens, detectis genitalibus jacuit. Hic Canaan avum riſit, quem reverenter Sem & Japhet, injecta humeris veſte & averſis vultibus operuêre. Cham nihil feciſſe legitur: ſed officio defuit. Noë igitur maledictum in Canaan ſtringit, Sem & Japhet benedictione decoravit, Chami præteritionem præteritione puniit. Trium filiorum fata uno verſu aperuit: omnium gentium omniumque temporum hiſtoriam (quod ſuperat admirationem) complexus. Nam priſcis illis primisque mundi temporibus patriarcharum Deo afflata mens filiis, ex merito, poſterorum fortunam præcinebat. Cham igitur & Canaan cum ſobole Deum cito deſeruerunt: nec in Japhet longo tempore numinis reverentia ſubſtitit. Huic tamen reductio ad Deum & tentoria Semi promiſſa fuit. Dici non poteſt, ſecundante Deo, quam brevi ſpatio humanum genus in univerſum orbem creverit. Vix ſeculum à diluvio actum erat, cum ſe hominum filii (hic civitas Satanæ erat) ſeparant à Semæis. Diſpergenda igitur per occidentem, meridiem, ſeptentrionem multitudo, ſtatuit ingenti ali-

quo opere memoriam ſuæ conjunctionis poſteris relinquere. Urbem turrimque facere aggrediuntur, qui cœlo accederet. Lateres coquunt certatim, bitumen aggerunt, molem ſternunt, quæ aſſurgit in Babyloniis campis ad ripam Eufratis. Cœlo videntur minari. At inſanam ſubſtructionem ridet Deus & mirifico eventu diſſipat. Qui primis hominibus ſermonem (quem Hebræum dicimus) inſinuaverat, unum hucuſque in humano genere & ſolum, inſeruit operarum mentibus diverſos, abolitis formis, quæ antehac inhærebant. Id ſubitò, ſive dum operi incumbunt, ſive in quiete noctis factum, conturbat opus. Nam iiſdem vocibus alius aliud intelligit, ut ſtipites inter ſe inutili ſermone colliduntur aut ſtupent. Confuſi igitur territique diſcedunt alius alio, tanquam alienigenæ. Per familias ſtirpeſque eos ſermonibus junxerat aut diviſerat Deus, eoque modo ſe per orbem ſpargere cœperunt. Nullum commercium habentibus tanquam peregrinis habitatione ſeparari facile fuit. Obliti veteris linguæ & originis ſuæ immemores, in barbariem morum & belluinam feritatem conceſſere, quibus de patrum & Eccleſiæ rebus nil adhæſit. Illic tantum cultus & politi mores, ubi commercium cum lingua & hominibus Eccleſiæ. Hic quoque & in ipſis patriarchiarum familiis inceſſit Dei oblivio. Nam

ubi

ubi in alienis Japeti & Hammonis proſapiis primò ad cultum ſtellarum & elementorum degeneratum eſt, cum quibus carorum veneratio poſtquam fato functi eſſent, conjuncta fuit: à poſtremo incepere defectionem patriarcharum familiæ. Filii parentesque & principes poſt fata ſtatuis & imaginibus honorati, dein cultum accepêre. Proſerpit vitium inſtar gangrænæ & grandeſcit, donec animam exturbet. Primi illi leguntur (de Hebræum ſermonem tenentibus loquor) cum Dei ſupremi notitia falſorum numinum cultum permiſcuiſſe. Hos inter Abram erat, filius Thare, imitatus patrem avumque, cum orbis pene univerſus idololatriam imbibiſſet. Vocabat Dei manum univerſalis corruptio, qui pro ſua benignitate, vocare maluit & potenti inſpiramine ſuſcitare ſobolem civitatis ſuæ, quam in defectores fulminibus plagarum deſævire. Nemo plagis ad Deum revocatur, niſi quem intus numen commovet. Paulò poſt diſſipationem à linguarum diverſitate Nemrod Babylone imperium capeſſit. Id hactenus ignotum in terris erat cum ſuis progenitoribus ſubeſſent. Quod deficiente in brevitatem ævo minus commodum, in tot familias diſſipata hominum progenie & invalida poteſtate. Ad firmitudinem plures familias conſociavit, homo animo & viribus ferox. Urbes condere,

bellum gerere, immorigeros ſubigere, jus dicere & armis tueri. Nova igitur facies orbi inducta eſt, quæ deinceps tenuit. Deus igitur novæ Eccleſiæ firmius fundamentum ſibi proſpiciens, in una gente promiſſa ſtabilivit: è qua ſemen oriturum cæteris populis benedictionem affert. Abrahamum vocatum è mediis flammis idololatriæ traducit in Cananæam cœli figuram. Paret fide quam illi Deus inſeverat: ne glorientur carnales poſteri. Ipſe & Iſaac & Jacob Cananæam promiſſam nunquam nec veſtigii proprietate tenuêre. Multi anni lapſi ſunt, antequam fœdus circumciſione firmaretus: quam inſecuta eſt nativitas ejus, in quo ſtabat promiſſio. Iſmaelem eodem prognatum parente abdicat Deus, uti Eſavum quem cum Jacobo Iſaac eodem utero genuerat. Tandem in Jacobo ſeparatio ſtetit, ejusque duodecim filiis diſpertita hæreditas. Circumducti, exerciti malis patriarchæ: in Ægypto Joſephus venditione fratrum præmiſſus diverſorium præparat. Jacob fato conceſſurus fata filiorum diſtribuit. Stetitque poſteritati felix peregrinatio, donec annis labentibus memoria beneficiorum Joſephi exſoleſceret & immenſa fecunditate propagata natio terrorem fecit hoſpitibus. Cum igitur preſſi ſervitute & laboribus ad Deum gemerent, ſub malo crevêre & Deus tandem, cum adventaret terminus ab

ipſo

ipſa præfinitus, exitum diſpicere cœpit in Moſe, quem ſævitia appetens conficere nequibat. Hæc ego iisque cohærentia, Viri ampliſſimi, fuſe perſecutus, ſtatum infantiamque novæ Eccleſiæ, modum Reip. ritus moresque explano: dubia diſſero, difficilia ſolvo: veritatem Sacræ Hiſtoriæ adverſus luxum & petulantiam ingeniorum, pugnas adverſantium tueor. Sententias Judæorum & Chriſtianorum interpretum exhibeo & confero: Latinorum Græcorumque veterum & recentium, ut ex colliſu ignem lucemque veritatis excutiam. Sic lucem fœneror Hiſtoriæ, dogmata in aliud genus diſcrimino. Veſter, precor, jure animet & ſuſtentet, quantum poſſum, pro viribus laborantem, ut ſacra illa doctrina, quam vulgò Theologiam appellamus, & cæleſtis ejus theſaurus codex veteris novique Teſtamenti poſſit ornari & illuſtrari. Servet vos Deus, bono Patriæ & Eccleſiæ.

Veſter, ut me decet

CHRISTIANUS SCHOTANUS.

Ad
L E C T O R E M.

GNera profeſſionum ſuarum (candide lector) melius noviſſe Græcos quam Latinos teſtis eſt Quintilianus. Hoc nemo mirabitur. Græcia enim mater fuit artium & ſapientiæ. Ea autem artes diſtribuit in ἐλευθερίους *&* βαναύσους. Ἐλευθέριοι *(Latine liberales dici poſſunt) habebantur ejus dignationis, ut ab libero homine exercerentur. Conſtabant autem literis, animum excolebant & hominem informabant rebus gerendis, domi in familia & rep. foris in bello* Βάναυσοι *in profeſſione & exercitio ſervorum erant, quas qui exerceret, eleganti voce dicebatur* χειρῶναξ, *quaſi tu regem manuarium appellares. Ideo habebantur ſordidæ, quia manuali opera conſtabant, in uſum corporis, non acuentes hominem ad res gerendas. Artes illæ liberorum hominum pallio veſtiebantur (Tertulliano teſte) & erant* ἐγκύκλιοι, *non omnes* ἴδιαι. *Sed ante* ἐγκυκλίους *erant communes literæ, quas diſcebant omnes, qui non eſſent* ἀγράμματοι, *etſi ad* παιδείαν *non aſcenderent.* Τὰ κοινὰ γράμματα *continebant literionum & calculonum profeſſionem. Illi docebant* γραμματιστικὴν *id eſt literationem, ſcientiam legendi & ſcribendi: hi principia Arithmeticæ. Ejuſmodi magiſtros vulgò pedaneos appellamus, at cum literatione & rudimentis Arithmeticæ in Chriſtianiſmo conjungimus Catecheſin religionis Chriſtianæ. Artes* ἐγκύκλιοι *id eſt quas communiter percipiebant homines elegantes & muſici* (ἐγκύκλιον μουσικὴν *appellat Philo) ſeptem numero erant:* γραμματικὴ, γραφικὴ (pictura) γυμναστικὴ, μουσικὴ, ἀριθμητικὴ, γεωμετρία, ἀστρονομικὴ. *Hæc erat* ἐγκυκλοπαιδεία. *Vulgò erratur & hoc errore ſe non expedit Cl. Wouweren de Polymathia, quia eruditiorum communis eſt, ut pluribus*

bus poſſet doceri. *Erratur vulgò quia putant* ἐγκυκλοπαιδείαν *ſignificare orbem omnium diſciplinarum, quo nomine volumina operoſa conſcripta ſunt.* *At puerile eſt non diſtinguere inter* ἐγκυκλοπαιδείαν *(quæ eſt* ἐγκύκλιος παιδεία, *communis eraditio) &* κυκλοπαιδείαν *id eſt* κύκλον τῆς παιδείας. Τό ἐλκύκλιον *ſignificat* vulgare, quod in orbe vulgato verſatur. *Hodie artium communium (quas liberales appellamus, quia communiter à liberis hominibus debent diſci,* **de vrye konſten**) *facimus duas partes, Trivium & Quadrivium. Trivii ſunt, Grammatica, Dialectica, Rhetorica: Quadrivii, Arithmetica, Geometria, Muſica, Aſtronomia. Priores illæ in ſcholis inferioribus docentur, quæ inde nomen* trivialium *habent: quadrivium univerſitatibus ex potiſſima parte reſervatur. Ita hodie, ejectis Pictura & Gymnaſtica inmigrarunt in Encyclopædiam Dialectica & Rhetorica, ſecus quam fuit apud veteres Græcos. Præter* ἐγκυκλίους *liberis hominibus* ἰδία παιδεία *fuit artium in profeſſione ſeparata, ut Rhetoricæ, Pcëſios, Dialecticæ, Phyſicæ, Philoſophiæ & Theologiæ. Phyſica enim & Dialectica ſeparatæ artes & profeſſiones fuerunt, quamvis eædem Philoſophiæ membra conſtituerent. Hic notandum obiter (quod & vulgo inobſervatum) Dialecticam, qua ars non erat ſed philoſophiæ artis pars, Logicen appellari. Logica igitur artis nomen non erat ſed Dialectica, quamvis utriuſque eſſet* γένος ἓν καὶ τρόπος προαιρέσεως εἷς. *Non enim veteres, ut nunc Ramodialectici jubent, diſciplinas* γένει, *(id eſt materialiter) ſed* τρόπῳ, *(id eſt formaliter) diſtinguebant. Medicinam veteres Græci inter artes* ἐλευθερίας παιδείας *conſtituere non voluerunt, quia hominem non expolit: cumque fecit, quod ſuum eſt, Græcum non diſtinguit à barbaro. Ob neceſſitatem tamen caput ex ſeruit ſuo merito, in honore habita & à liberis hominibus exercitata. Quia ſine illius ope & auxilio, tanquam manus divinæ, vita omnis omniſque diſciplina jacet. Quis tam nobilem artem digniorem non habeat, quam ut à lapide empti eam exerceant? Ad perfectam & ſeparatam* παιδείαν *pertinet ars, quam nos Dei voluntate & munere profitemur, vulgò appellatam* θεολογικήν. *Ut ejus modum ob oculos*

ponam

ponam & doceam, quo ſit referendum opus hoc, quod eſt in manibus, ſic accipe: Id quod olim pollicebantur apud Perſas Magi, apud Indos Gymnoſophiſtæ, apud Babylonios Chaldæi, apud Ægyptios Hierophantæ, apud Gallos Druidæ, apud Græcos Philoſophi, id pollicetur & præſtat doctrina ſacrarum literarum, quam Deus è cœlo revelavit, nos autem à Judæis accepimus. Philoſophia enim nihil aliud eſt quam Theologia Græcorum gentilium, ut Theologia noſtra eſt Philoſophia Chriſtiana. Definierunt eam vivendi Magiſtram, κάθαρσιν καὶ θεραπείαν τῆς ψυχῆς; ut quæ vitia expellat, imaginem & ſimilitudinem Dei animæ induat. Theologia perfectè docet Medicinam animæ, cujus ne quidem morbos Philoſophi agnoverunt. Non audet Theologia polliceri ſanationem animæ per cognitionem ſui & vires humanæ mentis recipientis medelam propoſitam, profitetur Deum ſolum Spiritu ſuo animam ſanare, eique ſuam inſculpere imaginem, ut admittat formam Doctrinæ. Theologia hæc Philoſophia vera, imò ipſa ſophia eſt. Nos eam dividimus in in ἐξηγητικὴν, δογματικὴν, ἱστορικήν. Ἐξηγητικὴ ſacras literas enarrat ad ſenſum grammaticum, quem vocant, id eſt, ut vocum & orationum ſenſus & cohærentiæ, κατ᾽ ἀναλύσεις καὶ διαιρέσεις reſolvantur. Hic μεταφράσεις, παραφράσεις & partitiones locum habent. Quo in genere excellentiſſimi Viri patrum avorumque memoria laborarunt. Δογματικὴ è codicis ſacri libris, qui hiſtoriarum & dramatum forma concepti, enarratis elicit & aſſumit dogmata theologica. Diviſa autem eſt in artem & ſcholas. Ars, τεχνὴ θεολογικὴ, conficit Σωματοποίησιν theorematum theologicorum methodicè diſpoſitorum, in Catecheſibus & artibus perfectis. Scholæ ſunt διδακτικαὶ, quæ artem & theoremata explicant: aut πολεμικαὶ, quæ pugnant pro veritate & contra errores ac hæreſes. Pugnatur autem adverſus externos & internos adverſarios. Externos, ut Gentiles, Judæos, Mahumedanos: internos, ut qui hæretici dicuntur, & Pontificios. ἱστορικὴ, pars tertia, interpretatur res geſtas & eventa Eccleſiæ, per locorum & temporum differentias. Quomodo Deus Eccleſiam gubernaverit, quibus momentis effloruerit & decreverit; Quæ intra Eccleſiam pacis tempora vexationesque

nesque

neſque extiterint: quid ab hoſtibus paſſa ſit Eccleſia, quoque rurſum modo in pacem evaſerit. Pugnas cum hæreticis, ſemina errorum, initia, incrementa, exitus: ritus, moreſque ad conſervandam Eccleſiæ πολιτείαν, nitorem veritatis & obſcurationem, aliaque hujuſmodi, quæ temporis & rerum humanarum viciſſitudo pellunt aguntque. Hæc pars, vaſtiſſimo complexu, prudentiæ mater, & inſigne robur fidei, lumen clariſſimum in prophetarum oraculis, in iis quæ κατὰ μέρος & diviſim accidunt & obveniunt. Duo illius membra ſunt, Hiſtoria ſacra & Eccleſiaſtica. Sacram dicimus, quæ ipſis ſacris voluminibus comprehenſa eſt, & ulteriore rerum explicatione elucidanda venit ab interprete. Eccleſiaſticam appellamus, quæ conſecutas ætates deſcribit. Partem hic damus ſacræ hiſtoriæ, non indiligenter verſati, in expoſitione temporis ab Adam *ad* Abraham : *atque inde ad* Moſen. *Utrumque quia parcius narratum eſt à ſanctiſſimo ſcriptore & primordia Eccleſiæ continet, majori & fuſiori diſputationum molimine opus habuit. Primò, quia audacia interpretum, in abſtruſioribus amat exſpatiari, quæ convincenda vanitatis, aut confirmanda ob affinitatem cum veritate; Deinde, quia primorum notitia, fundamenta continentium, lucem ſequentibus, quæ ſuperſtructa ſunt, fœnerat. Nam πολυποίκιλος σοφία Θεοῦ deliberato & ſapiente conſilio, quia ex ſe non ex actis agendiſque ſapit, priora ſubſtruit poſterioribus, mirifica coagmentatione. Accipe oraculum: Sola Eccleſia mundi & ſua primordia novit referre & deducere ad veritatem originis. A qua origine degener & detruſa in præceps, cæca gentilitas, Deum amiſit & omnem veritatis primordiorumque memoriam. Quo conſtat & demonſtro, eruditiſſimos omnium ætatum viros in errore verſari, qui antiqua illa primæ ætatis, creationem rerum, Adami & Hevæ conditum, res Caini, Sethi, Enochi cæterorumque, conſervari putant ſub involucris fabularum poëticarum & gentilium nugarum aut myſteriorum, quibus Diabolo initiati autores ſuæ gentis poſtremos, peſſimos mortalium, conſecrant. Doleo & indignor componi lucem cum tenebris, veritatem cum mendaciis, eo pene modo, quaſi vix aliquid eorum ignoraſſent ſtul-*

ſtultiſſimæ gentium ſuperſtitiones, quæ Moſes ſolus deſcribere potuit. Hæc via non eſt demonſtrandæ veritatis Chriſtianæ, quæ caput cœlo inſerit; ut quam longiſſime ſeparata ſit à caligine deluſæ gentilitatis. Quàm vanum & ſtolidum eſt Natalis Comitis ſimiliumque nugaciſſimorum hominum inſiſtere veſtigiis, quibus ſi credere velimus & aures adhibere, in fabulis poetarum veterum, ipſa Sacræ Hiſtoriæ veritas incluſa continebitur. Ita manum porrigimus illis qui aut ſupra Moſis primordia gentiles hiſtorias patere volunt, aut Hebræam Moſis veritatem emendandam eſſe ex externorum ſcriptorum monumentis: cum tamen nulla gens nec de antiquioribus illis ἀρχηγέτας ſuos noſſe potuerit, quos ſcimus nos quia ſumus à Moſe edocti. Ipſo Sole clarius oſtendimus Græcas hiſtorias ſuos conditores primosque Deos tam procul removere à diluvio, ut longius ab exodo diluvium diſtare non potuerit, quam Hebræus calculus patitur. Scopum igitur mihi propoſitum habui antiquitates primas illuſtrare, ſuoque ſplendori aſſerere, quas Iudæi aliique vani homines fabularum commentis obſcurant, gentiles ſcire nequibant. Ante Exodum Hebræorum memoria rerum Græcarum vix aſſurgit. Obſcuriſſima diluvii manſit recordatio in vicinæ Aſiæ gentibus, apud Græcos nulla. Adami & lapſus & omnium rerum quæ ante diluvium fuere nihil ſuperfuit, nec ſupereſſe uſquam potuit. Nam diſſipati ab illa nefandi operis molitione incultique ferarum in morem, in latrociniis & raptu, vitam tranſegere. Ita agebant Iapetionidæ omnes & Hammoniorum à Semitarum terminis remotiores: Ipſi poſt Abrahamum & ante eum Semitæ in eam immanitatem degenerarunt. Ab hac barbarie Græciæ culti mores originem traxere. Ergo Deus gentes ſivit ambulare viis ſuis, in quibus evanuere. Quicquid enim cultura Græciæ aut alteri nationi, poſt lapſum temporum, addidit, omne quoad religionem & Dei notitiam, Diaboli fœtura eſt, quam naturæ lumen coarguebat: Cui nemo fidem adhibuit, oppedens lumini nullius emendationem procuraturo. Vale & nos ama.

BIBLIO-

BIBLIOTHECÆ Hiſtoriæ Sacræ INTROITUS

SEU

DE PRINCIPIO RERUM

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBER PRIMUS.

Ad libri inſcriptionem iſta Druſius annotat:

SULPICII SEVERI HISTORIA SACRA.] Ita libri omnes, quos vidi. Eſt tamen qui appellet Sulpicii Severi Chronicam. Gennadius quoque hanc Hiſtoriam ſignificat, cum ait, *Compoſuit & Chronica*, id eſt τὰ χρονικά. Foxius de Hiſtoriæ inſtitutione, *Chronica à Græco verbo χρόνος id eſt tempus, ita appellata, dicuntur narrationes per temporum ordinem diſtincta, cujus generis ſunt illa, quæ per ætates ſingulas omnia deſcribunt, ut quid ante diluvium quid poſtea, quid unoquoque demum tempore geſtum ſit.* Niſi legendum, *compoſuit & Chronicam.* Nam ea ætas inflectebat Chronica Chronicæ, ut Biblia Bibliæ, paſcua paſcuæ. Quod poſtremum invenies in verſione Hieronymi. Pſal. 46. 2. *oves paſcua tua.* Iſidorus. *Chronica Græce dicitur, quæ Latinè temporum ſeries appellatur.* Autor is, qui Diſp. Athanaſii cum Arrio in Latinum convertit: *Sed ſi illud recolat, quod in Chronica*

 ſua

ſua b. m. Sulpicius Severus poſuit, dicens duo Arrii tanquam duo ſerpentes ex uno ore ſibilabant &c. Porro autem præcedentium nominum prius prænomen videtur & poſterius nomen proprium. Sic enim certe dicitur Sulpicius Severus, ut Septimius Tertullianus, Aurelius Prudentius, Decimus Auſonius, Sulpicius Pius, Aurelius Auguſtinus. Quanquam in Gennadio, *Severus cognomento Sulpicius.*

C. SCHOTANUS.

AN hoc opus notatum fuerit Chronicæ vocabulo ab Autore illo, qui diſputationes Athanaſii latine convertit dubitaverit aliquis. Nam ea verba non leguntur, nec ſenſus eorum habetur in Sulpicii hac Hiſtoria. Exiſtimaris aliud eſſe opus ab eo editum, quod Chronica dictum fuerit. Gennadio nomen erat Severus, cognomentum Sulpicius. Unde & Gregorius Turonenſis, Severus Sulpicius dicit. Promiſcuè nomen aut cognomen ſolebat præponi. Jam tantum habebantur nomen & cognomen ex more aliarum gentium apud Romanos, vetere more Romano diu abolito niſi per κακοζηλίαν.

PRÆFATIO.

RES à mundi exordio ſacris literis editas breviter conſtringere, & cum diſtinctione temporum uſque ad noſtram memoriam carptim dicere aggreſſus ſum: multis id à me ſtudioſe efflagitantibus, qui divina compendioſa lectione cognoſcere properabant. Quorum ego voluntatem ſecutus, non peperci labori meo, quin ea, quæ permultis voluminibus perſcripta continebantur, duobus libellis concluderem: ita brevitati ſtudens, ut pene nihil geſtis ſubduxerim. Viſum autem mihi eſt non abſurdum, cum uſque ad Chriſti crucem, Apoſtolorumque actus per ſacram hiſtoriam cucurriſſem, etiam poſt geſta convertere: excidium Hieroſolymæ, vexationeſque populi Chriſtiani, & mox pacis tempora, ac rurſum Eccleſiarum inteſtinis periculis turbata omnia locuturus. Ceterum illud non pigebit fateri, me, ſicubi ratio exegit, ad diſtinguenda tempora, continuandamque ſeriem, uſum eſſe hiſtoricis ethnicis, atque ex his, quæ ad ſupplementum cognitionis deerant, uſurpaſſe, ut, & imperitos docerem, & literatos convincerem. Veruntamen ea, quæ de ſacris voluminibus breviata digeſſimus, non ita legentibus auctor acceſſerim, ut prætermiſſis illis, unde hæc derivata ſunt, appetantur: niſi cum illa quis familiariter noverit, hic recognoſcat, quæ ibi legerit. Etenim univerſa divinarum rerum myſteria non niſi ex ipſis fontibus hauriri queunt. Nunc initium narrandi faciam.

A MUNDI EXORDIO] A mundi origine. Moſes principium appellat, cum ait, *In Principio creavit Deus cœlum ac terram.* Senſus eſt, in principio temporis vel certè creationis. Nam tempus eſt ſpatium quod menſuratur motu cœli ſoliſque ſecundum Phyſicos. Sol autem tunc nondum erat, ergò nec tempus. Nos, qui Moſen ſequimur ſcimus tempus ante Solem fuiſſe, imò ſimul cum ipſo mundo cœpiſſe. Quod ſic probatur. In principio, quum Deus crearet mundum, hoc eſt cœlum & terram, tenebræ erant in ſuperficie abyſſi.

abyſſi. Has tenebras Deus noctem appellavit. Idem lucem, quæ primò exſtitit, diem nominavit. Nox & dies ſunt partes temporis, Tempus ergò ante ſolem. Nam Sol quarto demum die fuit. Proinde non peccaret meo judicio, ſi quis *à mundi exordio*, exponeret, ab eo tempore, quo Deus creavit cœlum ac terram.

SACRIS LITERIS] Tam Apocryphis quam Canonicis. Apocryphos voco, qui antiquitus & Eccleſiaſtici dicebantur; quos Eccleſia recepit non ad dogmatum veritatem, ſed ad morum inſtitutionem hiſtoriæque fidem. Siquidem abſque primo Machabæorum, qui liber Haſamonæorum dicitur, geſta regum templi ſecundi magna ex parte hodie ignorarentur.

EDITAS] Edere id eſt foras dare. Quod Græci dicunt ἐκδοῦναι. Id non ſolum autor ſcriptorve facit ſed etiam interpres. Infra lib. 2. *Apoſtolorum actus Lucas edidit uſque in illud tempus, quo Paulus Romam deductus eſt.* Nepos Jeſu Syrach, qui avum Græcè convertit, πρὸς τὸ ἐπὶ πέρας ἄγοντα τὸ βιβλίον ἐκδίδοσθαι, ut ad finem perductus liber ederetur. Hinc ἔκδοσις *editio.*

BREVITER CONSTRINGERE] Infra: *Nos eam breviter perſtringimus.* Id uno verbo dicunt *breviare.* Quintilianus de Paraphraſi: *qua & breviare quadam & exornare, ſalvo modo Poëtæ ſenſu permittitur.* Noſter poſt paulo, Quæ de ſacris voluminibus *breviata digeſſimus.* Atque hinc ſane *Breviarium, Epitomam* alii vocant.

CUM DISTINCTIONE TEMPORUM] rectè. Siquidem Hiſtoriæ lumen eſt diſtinctio ſeu diſpoſitio Temporum.

AD NOSTRAM MEMORIAM] Ad annum Chriſti CCCC. quo Fl. Stillico, & Fl. Aurelianus Conſules erant. In hunc ſanè annum perduxit hiſtoriam ſuam Severus. Infra lib. 2. *omne tempus in Stiliconem Conſulem direxi.*

CARPTIM] Hinc inde carpendo, ut videbitur. Saluſtius in Catilin. *Statui res geſtas* P.R. *carptim, ut quaque memoria digna videbuntur, perſcribere.* Adverbium eſt à carpo. Cicero, *In multorum peccatis carpi paucos ad ſupplicium non oportet.*

EFFLAGITANTIBUS] Infra *miſericordiamque divinam efflagitans.* In uno edito invenio, *flagitantibus.*

PERMULTIS VOLUMINIBUS] Libris hiſtoricis V. T. Qui ſunt ex lege, Geneſis, Exodus, Numeri, Deuteronomium: è Prophetis Joſue, Judices, duo Samuelis & totidem Regum: ex Hagiographis, duo Paralip. Daniel. Eſdras, Nehemias, Eſther: Ex Apocryphis, Judith, duo Machabæorum cum hiſtoria Suſannæ Belique.

USQUE AD CHRISTI CRUCEM] lib. 2. *A quo tempore ad Chriſti crucem*, id eſt, *Fuſium Geminum & Rubellium conſules.* Alii dicerent ad Chriſtum crucifixum ſive ad Chriſtum paſſum.

APOSTOLORUMQUE ACTUS] τὰς τῶν ἀποστόλων πράξεις. Sic lib. 2 *Apoſtolorum actus Lucas* edidit. Alii malunt *acta*: & ita eſt in editione vulgata. Sed in libris veteribus habetur, *actus Apoſtolorum.* Uſi ſunt hoc vocabulo Suetonius, Plinius & Lucanus. Budæus utrumque recte dici tradit. Noſter infrà, *quarum quidem actus, quibus potiſſimum regibus connectam, non facile perſpexerim.* Intelligit acta Judith & Eſtheræ.

POST GESTA] Non diſplicet conjectura Victoris Giſelini, qui Sulpicium ſcripſiſſe putat connectere: quo verbo uſus eſt non ſemel ut lib. 1. *connexum rerum ordinem.* lib. 2. *quibus potiſſimum* regibus *connectam*: & Dial. 2. Segm. 6. Licet diverſis in palatio temporibus geſta *connectam.* Proclivis ſanè lapſus de connectere in convertere. Minus placet quod alii reponunt, *ad poſt geſta convertere.*

Historicis Ethnicis] Ethnicos, gentiles & paganos olim vocabant omnes, qui neque Judæi neque Chriſtiani erant.

Imperitos] Temporum.

Literatos] Peritos quidem, ſed aliter tempora digerentes.

Universa Divinarum Rerum Mysteria] Qualia ſunt de reſurrectione, de vita æterna, de lapſu hominis, de redemptione generis humani & alia.

Ex Ipsis Fontibus] Ex ſacris literis, unde hæc derivata ſunt tanquam è fonte. Sic (poſteà) *fontem ipſum adeat*, id eſt ſacros codices. Lactantius lib. 7. cap. 25. *Qui autem* hæc diligentius voluerit ſcire, *ex ipſo fonte hauriat.* Alibi fontes appellantur eædem literæ lingua originali conſcriptæ; quarum comparatione verſiones omnes rivuli ſunt & lacunæ, è quibus parum feliciter hauriunt, qui fontes linguarum ignorant.

C. Schotanus.

A Mundi Exordio] Quia Moſes à mundi origine contexuit Hiſtoriam Eccleſiæ & patrum Chriſti, inde arceſſitur initium hiſtoriæ ſacræ. Scilicet Eccleſia ſola poteſt conſecrare origines ſuas & ad Deum referre autorem. Moſes orditur à voce בראשית/ quid ea ſignificet, in commentariis Biblicis eſt diſcutiendum.

Res Sacris Literis Editas] Materia hujus operis duplex, res ſacris literis comprehenſæ & quæ poſteà geſtæ ſunt, uſque ad Stiliconis conſulatum. Forma eſt brevis conſtrictio ſed ita ut pene nihil ſubductum geſtis ſit. Carptim ſe dicere teſtatur. Gloſſæ, *Carptim* ἐξ ἐπιτομῆς. quod ſane quadrat: alias *carpit* ἐξανθίζει; quod non convenit. Non enim Florilegium memorabilium habet excerptorum ſed contractam rerum geſtarum ſeriem exhibet.

Multis Id à Me Studiose] Hæc cauſa impulſiva, προκαταρκτική. *Hi divina compendioſa lectione cognoſcere properabant.*

Non Peperci Labori Meo] Cic. ep. fam. 13. 28. *Non parcam operæ.*

Duobus Libellis] Opponit libros voluminibus. Volumina majora libris. Volumina à volvendo dicuntur, quia tabulæ longiſſimæ ſic convolvuntur & revolvuntur. Libri ſeu cortices non habent ut reſpondere voluminibus poſſint quamvis & junctæ eſſent tabulæ in dorſo aliquo numero paginarum. Unde facile intelligimus volumina molis majoris eſſe quam libros. Manſit apud poſteros, ut è tabulis cujuſvis materiæ una parte conglutinatis corpuſcula & libri dicti fuerint, quia ſic olim libri jungebantur. Librum Eſaiæ Prophetæ ἀναπτύξας Dominus legiſſe narratur Luc. 4. Ἀναπτύσσειν ſane aliud eſt quam ἀνελίσσειν. Ideo & hoc βιβλίον erat non εἴλημα Hæ duæ hujus operis ſectiones libelli dicuntur, quod docet ea tempeſtate permultis librum juſtæ magnitudinis conſtitiſſe. Paginæ dictæ παρὰ τὸ πηγνύναι à compingendo. Quamvis autem libri confici poſſent, qui plus continerent & capaciores eſſent voluminibus quibuſdam, manſit tamen conſuetudo loquendi, ut volumina dicerentur opera majora quam libri. Sane quæ hic volumina dicuntur, poſtea libri appellantur. Sic liber regnorum, liber Samuelis, Eſaiæ &c. Quinque מגלות apud Hebræos longe minores libro Eſaiæ.

Excidium Hierosolymæ] Quæ connexuit autor à fine actuum Apoſtolorum quatuor continentur capitibus ut ſunt: 1. Excidium Hieroſolymæ. 2. Vexationes populi Chriſtiani. 3. Pacis tempora. 4. Inteſtinæ turbæ. Vexationum vocabulo intelligit perſecutiones, quæ aliquando interquieverunt,

runt, ſed compreſſæ penitus non ſunt uſque ad Conſtantinum & annum Chriſti 306. Initium habuerunt ab ipſo excidio Heroſolymorum imo & prius ſub Nerone. Vexationes qopuli Chriſtiani primò à Judæis exercitæ fuerunt, deinde gentilibus principe Nerone. Pacis tempora citò turbavit hæreſis & diſſenſio epiſcoporum.

Usum Esse Historicis Ethnicis]. Paganos ſcriptores conſuluit ob finem duplicem in ea parte operis quæ è ſacro codice deſumpta eſt, ut tempora diſtingueret & continuaret ſeriem ad ſupplementum cognitionis. Ex qua quidem re ſperabat fructum geminum. Voluit enim literatos convincere diligenti annotatione temporum & imperitos docere ſupplemento rerum. Qui accuratè diſtinguit tempora eaque cum ſacris confert, id boni præſtat, literatos de veritate & certitudine rerum convincit. Sacra hiſtoria eget ſubſidio paganicorum ſcriptorum, non ab internum defectum, ſed quia collatio externarum rerum illuſtrat notitiam legentium, qui externis in rebus verſati ſunt: & quia ſacra hiſtoria continuis partibus non cohæret poſt captivitatem Babylonicam. Hiſtoria quidem continuo proceſſu cohærens ſcripta eſt uſque ad captivitatis initium & ulterius: ſed deinceps conſecuta tempora ſub regibus Perſarum perpetuam hiſtoriam non habent. Definit autem hiſtoria V. Teſtam. omninò in Perſicis temporibus metam ſibi figens Alexandri & Græcorum exortum imperii, quod Daniel non ut hiſtoricus ſed ut vates ad Epiphanem delinear. Hiſtoriæ etiam Machabæorum (quas ſacris voluminibus adnumeravit Sulpicius) Romana tempora & Chriſti natalem non attingunt, à quo N. Teſt. hiſtoria incipit. Quæ & ipſa in ſolis carnis Chriſti annis perpetuam temporum ſeriem oſtendit, in actis autem per annos non annotat. Plane quaſi Spiritus Sanctus manu nos duceret ad Græcorum ſcripta, non arbitratus oportere ſcribi ea, quæ aliunde nota eſſent. Magnum autem hic adjumentum affert Joſephus, qui Græcorum regum tempora & Romana uſque ad exeidium Hieroſolymæ explicavit. Sulpicio igitur animus perpetuum compendium hiſtoriæ externa habere ſubſidium ante Captivitatis Babylonicæ tempora, quia ubi deſinit perpetuam expoſitionem ſacra, inde profana hiſtoria verior incipit. Ante Olympiadum initium non adeò exacta eſt Hiſtoria Græca, ſed Cyri regnum ſatis certum, quamvis & de eo Herodotus pater hiſtoriæ dicat: *Ὡς ὦν περσέων μετεξέτεροι λέγουσι, οἱ μὴ βουλόμενοι σεμνοῦν τὰ περὶ κῦρον, ἀλλὰ τὸν ἐόντα λέγειν λόγον, κατὰ ταῦτα γράψω, ἐπιστάμενος, περὶ κύρου καὶ τριφασίας ἄλλας λόγων ὁδοὺς φῆναι.*

Non Ita Legentibus Autor Accesserim] Quo ſcopo partem eam, quæ è ſacris literis deſumpta nſt, conveniat legere, oſtendit: non enim ſe probare lectorem, qui prætermiſſis ſacris literis, hæc appetat, ſed eum, qui illis familiariter cognitis, hic recognoſcere velit, quæ inibi legerit. *Autor accedo ita legenti*, id eſt, ita legentem approbo. *Niſi* adverſativæ habet vim. Sic & *ἐὰν μὴ* pro *ἀλλὰ* frequenter in N. Teſt. Lucæ IV. 26. 27. Gal. II. 16. Apoc. XXI. 27. &c. Ita etiam accipio quod Joh. v. 19. *οὐ δύναται ὁ υἱὸς ποιεῖν ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδὲν, ἐὰν μή τι βλέπῃ. Non poteſt filius facere à ſe ipſo quicquam niſi quod videat*: pro *ſed quod*. Cic. ep. fam. 13. 1. *Nec cur ille tantopere contendat video, nec cur tu repugnes: niſi tamen multo minus &c. 73. De re nihil poßum judicare niſi illud mihi perſuadeo* &c. Frequens eſt apud Latinos ſcriptores *niſi* pro *ſed quod* paſſim obſervabis.

Universa Divinarum Rerum Mysteria] Quæcunque arcana ſive ſacramenta continentur in ſacris voluminibus non poſſunt hauriri, id eſt, planè ac certè percipi niſi ex fontibus. Non intelligit hic tantum eas

partes doctrinæ ſacræ, quas ignorat penitus natura; quæque ſola revelatione conſtant, ut eſt doctrina Trinitatis & Euangelium de Chriſto ſed & quicquid propoſitum & expoſitum eſt in ſacris literis.

Ex Ipsis Fontibus] Fontes vocat ipſas ſacras literas ſeu ſacrum codicem, non ut originario ſermone eſt editus ſed in Græcum aut Latinum converſus. Hebræam enim veritatem adire non poterat nec adeò curabat. Sacra Scriptura fontium nomen implet etiam converſa in peregrinum ſermonem, quia & in eo authentia conſtat ſic, quatenus eſſentia divinæ veritatis non in verbis conſiſtit ſed in rebus. Cum igitur expreſſa eſt res, fontium eſſentialis ratio habetur, licet accidentalis abſit. Sed & illud notandum eſt univerſam fontium rationem contineri in Hebræis Græciſque libris, eſſentialem ſolam in verſionibus. Deinde ut fontium authoritatem habeant verſiones effici ex collatione & convenientia cum originariis. Adeo fontes duorum generum ſunt primi & derivati. Primi in originariis ſermonibus ſemper fontes & abſolute, derivati fontes ſunt quoad eſſentiam veritatis & dogmata inde hauſta, rivi quoad verſionem ex primis fontibus.

Cap. I.

Mundus à Domino conſtitutus eſt abhinc annos jam pene ſex millia ſicut proceſſu voluminis iſtius digeremus: quanquam inter ſe parum conſentiant, qui rationem temporum inveſtigatam ediderunt. Quod cum vel Dei nutu, vel vitio vetuſtatis eveniat, calumnia carere debeb't. Mundo autem conditio, homo factus eſt: viro Adam, mulieri Eva nomen fuit. Sed conſtituti in paradiſo, cum interdictam ſibi arborem deguſtaſſent, in noſtram, velut exſules, terram ejecti ſunt.

Drusius.

Mundus à Domino Constitutus] Cœlum & quicquid complexu ejus continetur, hoc eſt totum iſtud univerſum, quod mundum vocitamus, Deus abſolvit ſex dierum ſpatio. Primo die creavit cœlum & terram, quæ initio rudis erat indigeſtaque moles: quam tenebræ veſtiebant, è quibus lucem eduxit. Secundo voluit vel potius juſſit ut eſſet expanſum, quod firmamentum vocant, in medio duarum aquarum: quarum aliæ ſuperiores, aliæ dicuntur inferiores. Sunt autem ſuperiores aquæ pluviæ, quæ in media regione aëris. Tertio produxit terra herbas & arbores omnis generis. Quarto exſtiterunt duo luminaria & ſtellæ. Quinto piſces & aves. Sexto terreſtres animantes. Quibus omnibus perfectis,

Sanctius his animal mentiſque capacius altæ
Deerat adhuc & quod dominari in cætera poſſet,
Natus homo eſt.

A Domino] Hic Severum minus proprie locutum annotat Sigonius. Nam cum de creatione agatur dicendum fuiſſet *à Deo conſtitutus*. Deus enim creationem reſpicit, Dominus imperium in res creatas & legem. Cum bona venia tanti viri, à Domino id eſt מיהוה. Quod non minus creationem reſpicit, quam

quam illud à Deo. Eſai. 45. 18. *Sic dicit Dominus creans cœlum, ipſe Deus eſt faciens terram.*

Constitutus] Conditus, creatus, factus. Creandi verbo uſus eſt Moſes. Id ſignificat, ex eo, quod non eſt, facere aliquid ut ſit, ſive ut Scholaſtici loquuntur, ex non Ente facere ens. Nec refert ex nihilo id fiat an ex materia. Sane quidem ex humo creatus fuit homo & ex aqua piſces, quos Thanninim Ebræi vocant.

Adhinc Annos Pene Sex Millia] Fuerunt ſua cuique ſæculo, ut verba ſua ita vitia orationis. Cujus generis eſt, *anni ſex millia* pro annorum. Oroſius lib. 1. *anni tria millia*: &, *colliguntur anni duo millia.* Idem lib. 2. cap. 10. *Onerarias tria millia.* Vetus interpres 4. Reg. 29. 33. *decem millia coros tritici.* Nos diceremus decem millia cororum: vel cŏros decies mille.

Pene] Deerant anni 171. Nam ex ſupputatione ipſius colliguntur uſque ad conſulatum primum Stiliconis, hoc eſt uſque ad annum Chriſti quadringenteſimum 5819.

Digeremus] Sic Livius dixit, *digerere tempora:* & *digerere acta.* Cicero quoque *digerere rempubl.* dixit, pro diſponere & ordinare. Supra, *quæ de ſacris voluminibus breviata digeſſimus.*

Quanquam Inter Se Parum Consentiant] Maxima diſſenſio eſt inter Græcos & Ebræos. Nam uti alia omittam, ab exordio Mundi adusque diluvium Græci annos computant bis mille ducentos quadraginta duos: Ebræi vero mille ſexcentos quinquaginta ſex tantum. Hæc eſt prima ætas. In ſecunda Græci ponunt annos 942. Ebræi 292. Hos fere ſequuntur Hieronymus, Beda & Chronologi hujus ævi; illos Euſebius Pamphili, Nicephorus, Cedrenus, Zonaras, Nicetas, Iſidorus, autor faſciculi temporum & alii. Qui etiam inter ſe parum conſentiunt.

Quod ex hac tabula V. Giſelini perſpicuum fiet. A mundo condito ad Chriſti natalem numerant annos:

R. Nahaſon in libro de cyclo Paſchatis	3740
Rabbini recentiores	3760. m. 4
Thalmudici	3784
Biblia Regia.	3919
Hieron in quæſtionibus Ebraicis	3941
Johan. Carion in Chron.	3944
Beda cap. 22. de rat. temporum.	3952
Johannes Picus Mirandulæ Comes,	3958
Philo Judæus.	3960
Abbas Urſpergenſis. Funccius, Ger. Mercator & plerique Germani.	3962
Moſes Gerundenſis.	4058. m. 5
Gilb. Genebrardus.	4121
Joſephus.	4192. m. 6
Odiaton ſine Eduicon Aſtrolog.	4320
Caſſiodorus.	4697
Methrodorus,	5000
Epiphanius contra Manichæos.	5029
Paulus oroſius.	5049
Euſebius.	5190
Iſidorus in quint. Etymolog.	5210

Albu-

Albumaſar & alii Aſtronomi.	5328
Auguſtinus.	5311
Sulpicius Severus.	5414
Theophilus Antiochenus.	5476
Suidas ſine Sudas.	5600
Philaſtrius de hæreſibus.	5801
Alphonſus rex.	5984
Onufrius Panuinius in Chron. Eccleſ.	6309

NUTU DEI] Omnia fiunt Dei nutu, ſi nutum accipias pro voluntate ſimpliciter. Sed eſt voluntas quædam cum approbatione. Hoc ſenſu quæ prava ſunt, Deus non velle dicitur. Quo pertinent numeri qui in libris Græcis & Latinis. Nam dicere nutu Dei eos corruptos eſſe inſanè impium eſt. Potius igitur ut dicamus id accidiſſe vitio vetuſtatis, aut errore Chronologorum. *Quanquam*, Auguſtinus ait, *errores iſti, ſi errores ſunt, quandam videntur habere conſtantiam: nec caſum redolere ſed induſtriam.* Forſan per hanc varietatem exercere voluit ingenia hominum Deus, quemadmodum vir quidam doctus & pius de iis, quæ obſcura exſtant in ſacris literis, ait ipſum poſuiſſe cruces Theologis, quo ad ſobrietatem ſapere diſcerent.

MUNDO AUTEM CONDITO] Homo fuit ultimus conditorum, in quo mundi fabrica expleta. Improprie igitur loquitur. Aut mundum dicit cœlum ac terram. Sic Lactantius lib. 2. cap. 9. *Sed ne perſpiceret homo Dei opera, noluit eum inducere in mundum, niſi perfectis omnibus: ſed ne induci quidem poterat. Quomodo enim ſubſiſteret cum fabricaretur* deſuper cœlum, terra ſubter fundaretur &c.

Homo factus eſt, Gen. 1. 26. *Faciamus hominem* & 2. 7. formavit Deus hominem. Rurſum 1. 27. Creavit Deus hominem. Quæ labefactant diſcrimen illud, quod interpretes ponunt inter hæc verba: Saltem oſtendunt non eſſe perpetuum.

HOMO] Hominis appellatione tam feminam quam maſculum contineri ait Cajus lib. 10. Hieronymus quoque, *Hominis nomen*, inquit, *tam viro quam feminæ convenit.* Manahem Ricinenſis fol. 12. col. 2. *Homo denotat utrumque ſexum. Nam eſt nomen amborum.* Id firmabis autoritate ſacrarum literarum. Vide *Gen. 1. 27. & 5. 2.* Hinc eſt quod dicant in tractatu *Iebamoth*, omnis homo, qui *non habet uxorem, non eſt homo.* Subint. perfectus & conſummatus. Nam eſt tantum dimidiatus. Interdum de primo homine dicitur etiam cum articulo. Qua de re ſcripſi ad Baudartium, quæ de libro Belgico huc tranſlata, cum auctario ſupplementoque nunc iterum divulgo.

I. Druſius Guilielmo Baudartio ſuo.

Fœminam non eſſe hominem probare quidam conantur ex verſione noſtra Sanctiſque Pagini & aliorum, qui *Geneſis 2. 25.* legunt *homo & uxor ejus.* Quæris an recte? Et ſciendum in antiqua Hieronymi eſſe, Adam & uxor ejus. Quomodo ſanè vertendum ego putarem, niſi obſtaret articulus, qui propriis nominibus, in hac lingua præponi non ſolet. Quum enim in fonte ſit Haadam, ut ſi Græce dicas ὁ ἄνθρωπος, videtur potius appellative ſumendum vertendumque, *Homo & uxor ejus.* Hic notabis non eandem eſſe per omnia rationem linguæ ſanctæ & aliarum. In lingua ſancta, quæ & lingua Moſis. Adam & commune omnium hominum eſt & proprium primi parentis, qui ſexu mas erat.

erat. Omitto alias linguas. In latina homo eſt nomen commune & Adam proprium duntaxat. Id credo movit Hieronymum ut verteret *Adam & uxor ejus*. Quam verſionem non ſolicito. Nam licet *Haadam* conſtructione appellativum ſit, ſenſu tamen proprium eſt, cum uſurpetur de uno individuo, ut ſi quis dicat ὁ ποιητὴς de Homero, aut Hannabi ὁ προφήτης de Moſe, aut Apoſtolus de Paulo. Quæ Grammatici per excellentiam ita dici tradunt. Per excellentiam, id eſt κατ' ἐξοχὴν. Jam vero ut demus veram interpretationem eſſe *Homo & uxor ejus*, non tamen inde ſequitur, quod illi volunt. Siquidem vocabulum hominis, quod in lata ſignificatione utrumque ſexum comprehendit. *Gen. 1. 27. & 5. 2.* quando ſtricte & anguſte ſumitur, uſurpatur de viro ſæpius, interdum de fœmina tantum ut *Eſ. 44. 13. ſecundum decus hominis*, id eſt feminæ aut mulieris, ut recte Jonathan ἀνδροφορίζει. Quem locum adducens autor libri, qui Peſictha Zutartha vocatur fol. 62. col. 4. *Vir*, inquit, *eſt mas & homo femina.* Quorſum hæc? Nempe ut robur adimam argumento: Solus vir aliquando vocatur homo, ergo femina non eſt homo: cum ſimiliter argumentari liceat fœmina ſola vocatur homo, ergo vir non eſt homo. Ceterum homo de ſolis feminis uſurpatur etiam *Num. 31. 35.* Ubi vetus interpres, *Animæ hominum ſexus fœminei*, quæ non cognoverant viros. De viro tantum ſumitur cum alibi paſſim, tum Matth. 19. 10. *Si talis cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Contra vir hominem denotat utriuſque ſexus. Autor More, *ſæpe vocat genus humanum vir.* Interdum Adam ſignificat virum ſapientem ac bonum. Quo ſenſu olim Diogenes accenſa lucerna hominem quæſiviſſe perhibetur. Cohel. 7. 29. *Hominem unum de mille inveni & mulierem in his omnibus non inveni.* Ubi etiam mulier pro muliere bona vel ſtrenua, qualem deſcribit Salomon Proverb. 31. *Mulierem ſtrenuam quis inveniat?* ac ſi diceret; difficulter inveniri poteſt. Revera difficilis inventu & corvo rarior albo. Unde μισόγυνος *Poëta:*

Fœmina nulla bona eſt: vel ſi bona contigit ulla,
Neſcio quo fato res mala facta bona eſt.

Cui aſſenſum præbet philoſophus ille, qui feminam dixit eſſe ἀναγκαῖον κακὸν, hoc eſt malum neceſſarium. Non laudo. Nam ſi nulla bona, quorſum illud ſapientis noſtri, *Mulier prudens à Domino*: Et, *Qui invenit uxorem, invenit bonum & elicuit favorem à Domino.* Ubi bonam uxorem abſolute vocat uxorem, ac ſi mala quæ ſit, uxor dici non mereatur. Ex his liquet, quid reſpondendum ſit quærenti an femina ſit homo? Nam homo vocatur.

1. Adam id primus homo κατ' ἐξοχὴν.
2. Vir tantum.
3. Mulier tantum.
4. Tam vir quam mulier.

Ergò, *Fœmina eſt homo*, falſum in prima & ſecunda acceptione, at in tertia & quarta verum.

VIRO ADAM] Dictus Adam à terra unde formatus fuit, quam Adama vocant. Sic homo ab humo. Nam licet omnium animalium eadem origo, homo peculiariter appellatus fuit ab humo: unde ei nomen. Adama proprie humus, quæ colitur, à colore ſic appellata, quem exhibet, teſte Joſepho origin. Judaic. lib. 1. cap. 2. ἡ παρθένος καὶ ἀληθινὴ γῆ. Eſt enim rufa id eſt πυῤῥά, cum alia ſit pulla vel cinericea &c. In Procopio Eſai. 15. habetur παρθενικὴ γῆ. unde forſitan Heſychius, Ἀδαμά, παρθενικὴ γῆ. Terra virgo id eſt incorrupta & rufus id eſt *Adam.* Quæritur fueritne Adam creatus in Paradiſo an

extra Paradiſum? Quidem illud, alii hos cenſent. Pro his facit locus, qui habetur Gen. 2. 25. *Et collocavit eum (*Deus*) in horto Eden*, nempe tranſlatum ex eo loco, in quo conditus fuerat, hoc eſt, ut quidem traditio habet, ex monte Moria. Jonathan diſerte, *Et traduxit Dominus Deus hominem è monte cultus, loco ubi creatus fuerat, & collocavit eum in monte Eden.* Salmanticenſis Judæus in libro Johaſin, *Ibi homo primus obtulit oblationem & inde creatus fuit.* Loquitur de illo monte, in quo Davidis ævo fuit area Ornan Jebuſæi. Idem ait traditionem eſſe, quæ in omnium manu verſetur.

MULIERI EVA NOMEN FUIT] Scribendum Heva cum adſpiratione. Adhibui Sicilicum ex Iſidoro. Is indicat literam cui ſuperimponitur, geminandam eſſe, cujus loco eſt Dages in ſcriptura Ebraica. Critici Ebræorum elegerunt Heva. Forte quia Heva in ſermone Syrorum ſerpens femina. Euſebius in libris προπαρασκευῆς. pag. 40. Εὔα δασυνομένη ὄφις θήλεια: *Heva aſpiratum eſt ſerpens femina.* Conjecturæ huic firmandæ eſt Epiphanius lib. 3. contra hæreſes, tom. 2. *Eva citra adſpirationem Ebrais mulierem, cum aſpiratione ſerpentem ſignificat.* Miſeret me patrum quando talia lego. Heva, id eſt, חִוְיָא id adhuc quæro, חִוִּי & חִוְיָא mihi lecta obſervataque apud Targumiſtas. In Clementis quoque protreptrico habetur Hevia pag. 8. edit. lat. Verba ſunt, *Si accurate ſpectetur vox Ebraica, nomen Hevia adſpiratum exponitur ſerpens femina.* חִוְיָא *Hevia* priſcum eſt, ut הֵלֵּל *Hellel.* Nunc eſſet *Hivia.* Ab hac origine in lingua Arabica, חויה ſerpens & in Hiſpaniola regione Indiæ ſerpentes ſunt, qui *Hyvana* vocantur, Quod etymon attinet eſt in *Heva* ſignificatio vitæ. Nam חוה *Hava* vivo: unde *Have* id eſt vive: & in Plauti Pænulo *Havo donni*, Salve domine, quod perperam in libris *Havo.* Hinc intelliges quid ſit in editione Græca, τὸ ὄνομα τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Ζωή. Quæ pleniora & auctiora leguntur in Chryſoſtomo, Τὸ ὄνομα τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Εὔα, ὅπερ ἐστὶ ζωή. Puto interpretes ita edidiſſe. Liber nominum Ebraicorum *Eva, vita.* Nam mater erat omnium viventium, ubi hominum ſubintelligitur: aut *viventium*, id eſt hominum; qui ſic à vita vocantur peculiariter, ut à morte mortales dicuntur. Id Ebraïce ſonat חַיִּים cum Scheva ſub Mem. In Ebræo eſt ad verbum, *omnis viventis. Gen. 3. 20.* Sic creaturæ nomen generale ad ſolos homines reſtringitur. Idem dicendum de carnis vocabulo. Joſephus Ant. hiſt. 2. *Nomen ejus Eva erat, quod ſignificat omnium viventium matrem.* Barcepha Syrus pag. 163. De Paradiſo. *Sciendum eſt vi quadam fatidica atque divino inſtinctu, Adamum appellaſſe uxorem ſuam Evam: & ea verba quæ ſubjiciuntur, eo quod ipſa eſſet mater omnis viventis, non Adami ſed Moſis eſſe, Evæ vocabulum ea interpretatione explicantis. Et* ante: *Viventium vocabulo hic ſoli homines, non etiam bruta animalia ſignificantur: ſicut illic quoque, Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, de hominibus ſolis non de pecudibus loquitur Scriptura.* Vide ſequentia. Nam ibi diſputat cur dicta ſit Mater viventium potius quam Adam pater viventium: ſubtilius tamen quam verius.

MULIERI] Ubi quædam editiones habent, *Vocabitur mulier, quia de viro ſumpta eſt*: malim, *vocabitur vira, quia de viro ſumpta eſt.* Quod olim notavi ante annos 24. plus minus. Nam virago, quod in antiqua Hieronymi aliud eſt. Vox Ebræa etiam uxorem denotat. Sic γυνὴ apud Græcos tam uxor quam mulier. In Geneſi magna lectum: *Qui caret uxore, caret bono, auxilio, gaudio, benedictione, expiatione. R. Ioſua nomine. R. Levi addit etiam vita. R. Hija filius Gamri dicit, non eſt homo perfectus. In capitulis R. Ioſe eſt abſque muro, abſque gloria, divitiis, corona, favore.* Quæ firmata invenies teſtimoniis divinarum literarum in Manahemo, comment. ſuper Moſen fol. 20. col. 2.

SED

Sed Constituti In Paradiso] A Deo collocati fuerunt in Paradiſo, tranſlati eò è terra, unde formati fuerant. Quod probo his locis Gen. 2. 8. *Et plantaverat Dominus Deus hortum in oriente & poſuerat ibi hominem quem formaverat* & verſ. 15. *Et accepit ſive tulit Dominus Deus hominem & collocavit eum in horto Eden ad colendum eum & ad cuſtodiendum eum* 3. verſ. 23. *Et emiſit eum Dominus Deus ex horto Eden ad colendum humum unde ſumptus fuerat.* De hac humo traditio eſt apud Ebræos, cujus ſuprà meminimus, quam roborat Jonathan Uzielides verba Moſis, *pulverem è terra*, interpretans, *pulverem è domo ſanctuarii.* Meminit & autor Johaſin fol. 9. ubi de Iſaaco.

In Paradiso] terreſtri, qui in noſtra terra. Erat alius cœleſtis, de quo Chriſtus, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Hunc Ebræorum ſapientes ajunt receptaculum animarum eſſe poſt hanc vitam. Unde dictitant, *Quies ejus Eden*, id eſt Paradiſus. Nam breviter dictum pro hortus Eden. Qua de re alias. Porrò terreſtrem Adami Paradiſum fuiſſe, cum fluvii, qui ex eo manant, atteſtantur, tum illud inprimis quod legatur plantatus in Eden ad orientem. Eden locus erat in Babylonia, quæ ad orientem Judææ. Scio Sulpicium aliter ſenſiſſe, ſed ego nunc verum non Severum ſequor.

Cum Interdictam Sibi Arborem Degustassent] Præceptum homini erat ne veſceretur de arbore ſcientiæ boni & mali, quæ in medio Paradiſi, idque ſub hac pœna, quocunque die Comederis ex ea morte morieris. *Gen. 2. 17.* Id explicant, mortalis eris. Sed extendi debet. Nam in omnia genera mortium, hoc facto incurrit. Harum prima & graviſſima eſt mors animæ, quæ & mors ſecunda dicitur, Proxima eſt mors peccatorum. Peccatores enim pro mortuis habentur & ſic etiam vocantur, ut ibi, *Sine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos.* Tertia eſt mors corporis ſive naturalis: & quarta mors calamitatum, quæ ærumnis plena. Sane miſera vita mors eſt non vita.

Interdictam] Arborem dixit, cum ejus fructum ſignificaret. Hanc arborem vulgus malum fuiſſe putat; ſed vulgus & ideò errat. Nam neque ratio eſt, quæ hoc doceat neque autoritas ulla. Unde igitur nata illa opinio? Si conjecturæ locus exiſtimo ex pomi vocabulo, quo uſi ſunt plerique omnes veteres natam eſſe. Pomum aliud Gallice ſonat, aliud Latinè, Gallicè dicunt *un pomme* & pro malo uſurpant, quod Belgis eſt **een Appel.** Sed in Latio pomi vox latius patet. Nam etiam ficum comprehendit. Ficum autem fuiſſe hanc arborem multi patrum opinantur. Pomum ergò vetitum erat ficus ſi credendum Theologis veteribus. Teſtantur idem ex Ebræis R. Salomo & alii nonnulli. Sunt tamen qui citrum plures vitem, aliqui frumentum fuiſſe autumant. Nec obſtat arboris nomen, quum vox Ebraica etiam de culmo dicatur. Sed operæ pretium eſt audire rationes, quas adferunt, qui de ficu ſuſpicantur. Hugo de Sancto Victore, *Conſuerunt folia ficus & fecerunt ſibi perizomata. Per hoc quidam exiſtimant ficum fuiſſe lignum ſcientiæ boni & mali & quia Dominus dixit ad Nathanaelem, priusquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, novi te.* Theodoretus ſive Theodoritus, *Arborem ficus puto fuiſſe ex qua præceptum fuerit Adam ne comederet, cujusque ex foliis conſutis tegumenta ſibi pudendorum confecerint.* Idem ſcribit Gennadius. Quin traditio hac de re apud majores erat, cujus meminit Iſidorus Peluſiota per hæc verba: *Quædam ſecreta ratio hanc quoque rem comitatur quæ à ſenioribus atque majoribus noſtris nobis tradita eſt arborem ſcilicet transgreſſionis Adam ficum fuiſſe, ex cujus etiam foliis ſe texerit.* Moſes Barcepha Syrus de Parad. parte prima cap. 19. *Cenſent quidam frumentum fuiſſe hanc arborem, atque ideo Chriſtum ſuum corpus in pane dediſſe, ut qua re contractum eſſet debitum, eadem & exſolveretur. Rurſus alii vitem fuiſſe*

contendunt & iccirco ſanguinem ſuum dediſſe Chriſtum in vino pro expianda primorum parentum noxa. Sed nos hac vera non eſſe putamus. Frumentum enim ſeges non arbor dicitur, ut neque vitis. Igitur Philoxenus Maburgenſis oratione de arbore vita & multi alii exiſtimant ficum fuiſſe eam arborem, qua cum Adamo eſſet interdictum, non abſtinuit. Huic ſententia nos quoque ut veriſimiliori ſubſcribimus. Credibile enim eſt, ſimul atque de ea arbore ediſſent, pudore correptos ex eo quod proxime ad manum erat ſubligacula ſibi comparaviſſe, quibus ſua obvelarent pudenda. Ea vero ex ficulneis fuiſſe foliis facta teſtatur ipſa Scriptura. Neque enim ſimile veri poteſt exiſtimari, ipſos pratermiſſa ea arbore, qua proxima erat ad aliam longiuſcule diſſitam feſtinaſſe, ex cujus foliis concinnatis ſubligaculis ſuam contegerent nuditatem. Erat ergo ficus arbor illa ſcientia boni & mali qua non veſci cum eſſent juſſi, non paruerunt edicto. Hæc homo Syrus. Quid Ebræi? Jam diximus. Manahem Ricinenſis in Moſen: *Quanam erat illa arbor, de qua comedit homo primus?* R. Juda filius R. Elai dicit uvas *fuiſſe.* Et mox: *dixerunt arborem illam, de qua comedit primus noſter parens, vitem fuiſſe.* Et aliquanto poſt: *R. Merait arbor illa de qua comedit primus homo vitis erat. Quanquam partim doctorum dicunt, frumentum fuiſſe, ut R. Abba citrum.* Hucuſque Menahem ille. Pirke R. Eliezer, *invenit Noë vitem,* quæ ejecta fuerat è Paradiſo. Vide Menahemum 24. 4. & 40. 4. In tractatu Sanhedrin cap. 8. *R. Meir ait, arbor illa, de qua comedit homo primus, vitis erat: Nulla enim res adducit hominem ad ejulatum prater vinum. R. Iuda dicit: Frumentum erat, quia puer non poteſt vocare patrem aut matrem niſi guſtato frumento. R. Nehemia dicit, Ficus erat. Nam qua re corrupti, eadem correcti ſunt, ſicut dicitur, Et conſuerunt ſibi folia ficus.* Cæterum in ficum plures conſentiunt: Unde vulgò ficus appellant בנות שוח *filias fovea*, eo quod ruinæ cauſam dederint primis parentibus. Gerundenſis tamen ad citrum magis inclinat, quem Ebraice *Hadar* dici ſcribit & Syriace *Ethrog* à deſiderio ſive cupiditate, quod eſt *Ragag.* Cui firmando quod in Breſith Rabba dicit R. Abba: *Citrus erat. Hoc eſt quod habetur* Gen. 3. 6. *Et vidit mulier bonam eſſe arborem. Dicit Rabba: Exi & vide num arbor ſit, cujus lignum edatur, ſicut fructus ejus & non invenies niſi citrum.* Vide ſis dictum Manahemum fol. 24. col. 4. Videatur quoque Nicetas in Gregorium pag. 446. ubi ſcribit quoſdam in ea eſſe ſententia ut putent arborem ſcientiæ boni & mali ficum fuiſſe. Temporarius ficum Indicam fuiſſe probat ex eo, quod habetur apud Moſen Gen. 3. 8. *Abſcondit ſe homo & uxor ejus, à facie Domini Dei, in medio arboris horti.* Nam id ſub ficu Indica commodè fieri certum eſt. Quaſi vero non poſſit exponi, *in medio arborum horti.* Mihi nullum dubium, quin hæc expoſitio melior ſit. Nicolaus de Lyra *Gen. 37.* ad locum *conſuerunt folia ficus.* Ebræorum opinionem de ficu adſtruit his verbis, *ex hoc dicunt Ebrai, quod ficus erat arbor de cujus fructu comederunt.*

In Nostram Velut Exsules Terram Ejecti Sunt] Sentit cum iis, qui Paradiſum extra noſtrum orbem conſtituunt: de quo in hunc modum B. Auguſtinus ad Oroſium: *Paradiſus in oriente ſitus eſt, interjecto oceano & à noſtro orbe longè remotus, in altiſſimo loco conſtitutus, pertingens uſque ad lunarem circulum.* Et Venerabilis Beda: *Quod dicimus à principio, antiqua tranſlatio dicit ad orientem. Unde volunt in orientali parte eſſe Paradiſum longo interjacente ſpatio vel maris vel terra, à regionibus, quas incolunt homines, ſecretum: unde nec aqua diluvii illuc pervenerunt.* Et Strabus: *Quidam codices habent Eden in ortu: ex quo poſſumus conjicere paradiſum in oriente ſitum. Ubicunque autem ſit ſcimus eum terrenum eſſe & interjecto oceano montibuſque oppoſitis remotiſſimum à noſtro orbe, in alto ſitum pertinegentem ad lunarem circulum.* Barcepha

Syrus

Syrus pag. 35. *Quidam ultra mare Paradiſum conſtituunt & mare illud innavigabile eſſe ajunt. Alii intra mare poſitum tradunt verum ob montes invios neminem illuc acceſſiſſe.* Sic fere omnes alii Patres, Quos falli ac decipi tam certum mihi quam certum orientem Paradiſi Moſaici Judææ orientem non ſolis dici. Nec obſtat, quod ex hac falſa opinione veterum orta ſit conſuetudo precandi orientem verſus apud omnes Chriſtianos uſitata: qui etiam templa ſua ſic exſtruunt, ut ea pars, in qua ſacerdotes verſantur, quem Chorum indigitant, ſemper orientem reſpiciat, quaſi hoc modo declaremus nos expetere & deſiderare locum, unde parentes noſtri ſua culpa ejecti fuerunt. Nihil verius. Cæterum ejecti ſunt ne veſcerentur de arbore vitæ: cujus fructum ſi ſemel deguſtaſſent, vixiſſent in ſempiternum, cum pœna guſtatæ arboris interdictæ eſſet mors. Nam ſi non peccaſſent, immortales fuiſſent. Manahemus in Moſen fol. 20. col. 1. *Dicunt ſapientes noſtri, niſi homo peccaſſet, non fuiſſet unquam moriturus. Nam anima quaipſi adflata divinitus, dediſſet ei vitam in æternum.*

Velut Exsules] ut loquitur circumſpectè: non dicit *exſules* ſed *velut exſules.* Nam exul eſt propriè, qui è ſolo patrio exſulat. Iſti tantum exulabant è paradiſo, traducti eò de terra noſtra, de qua ſumpti erant. Quæ illis terra patria non Paradiſus. In Baſilii tamen anaphora quam ex Syrorum lingua tranſtulit Andreas Maſius Bruxellenſis, legimus: *Tu vero in exilium quidem miſiſti æquiſſimis judiciis tuis extra hortum deliciarum in hunc mundum, atque ad eam ipſam terram denuò redire coëgiſti eum, ex qua deſumptus fuerat.*

C. Schotanus.

Mundus] Hæc voce veteres fere cœlum ſtellatum intellexere, ut Græci ſuo κόσμ☉: Poſtea traducta eſt ad univerſi ſignificationem & frequentata. Hebræi pro ea notione τοῦ παντὸς utuntur voce עולם, quæ & ſeculum notat. Græci interpretes & Helleniſtæ univerſum vocabulo pluralis numeri αἰῶνες notant, Ita Hebr. 1. 2. δι᾽ οὗ ϗ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν. *Per quem & mundum condidit.* Hinc αἰώνι☉ aliquando æternus, aliquando mundialis exponi debet. In poſteriori notione, 2. Tim. 1. 9. πρὸ χρόνων αἰωνίων, *ante tempora mundialia.* Et ἀπ᾽ αἰῶν☉, vel ἐκ τοῦ αἰῶν☉ מעולם aliquando *à mundo condito* ſignificat, aliquando *ab æterno.* Vide Joh. 9. 32. Act. 15. 18. Mundi vox ſeparatim ab homine à Sulpicio accipitur cum dicit: Mundo condito homo factus eſt: niſi ita accipiendum: Cum conditus eſſet reliquus mundus præter hominem.

Creationem peractam eſſe ſex diebus teſtatur & deſcribit Moſes. Cujus Hexemeri expoſitionem hiſtoriæ convenientem tradituri ponimus primo loco duas diatribas, quas ante complures annos in juventute conſcripſimus. Prima de mundo Moſaico eſt ſeu διακοσμήσει & ordine, in hiſtoria conditus, eluceſcente. Altera de Chao ſeu materia rudi, quam plerique arbitrantur in principio exſtitiſſe.

Diatriba I.

De Moſaico mundo.

In rebus exoticis omninò fateor omnes ſcriptores ſacros, adeoque & Moſem humanæ ϖεϱιεϱγίας fibulam de induſtria impoſuiſſe, eaſque nec latè nec accuratè voluiſſe perſequi. Sacris docendis unicè intentus ſine affectatione & omiſſis ambagibus eſt. At mihi nemo illud dicat, captaviſſe obſcuritatem in eis, quæ elocutus eſt, aut aliter inſtituiſſe ſermonem ſuum, quam communis uſus loquendi & ſimplex atque ingenuus candor præſcribebant. Certè tenebrio

brio aut lucifuga non erat, ut intelligi nollet. Nunquam etiam adducar ut credam, ideo inuſitato dicendi genere uſum fuiſſe, quod prævideret naſcituros olim eſſe vates, qui de commentis ſuis eum explicarent. Itaque e κοσμικῶς ejus, ubi Phyſicum maximè negotium agebatur, non potuit, quin Phyſiologiam traderet ſimpliciter & ſignificanter, ut omnibus probè ſubductis & examinatis, hanc mundi partium connexionem & ſeriem deprehendam: Cœlum, quod Empyreum vocant, omnia ſuo concludit & coërcet ambitu, ſenſibile in ſe & corporeum. Inter convexam ejus partem & globum aquarum terræque, aër, ejus ubique ſubſtantiæ, qua eſt ille, in qua ſpiritum nos ducimus, interfuſus eſt, imam regionem nubibus cæteriſque meteoris, ſummam occupantibus ſtellis. Platonis & Ariſtotelis longè alia ordinatio eſt. Plato in Timæo: ὅθεν ἐκ πυρὸς καὶ γῆς τὸ τοῦ παντὸς ἀρχόμενος συνιστάναι σῶμα ὁ Θεὸς ἐποίει. δύο δὲ μόνω ξυνίστασθαι τρίτου χωρὶς οὐ δυνατόν. δεσμὸν γὰρ ἐν μέσῳ δεῖ τινὰ ἀμφοῖν ξυναγωγὸν γίγνεσθαι. Paulo poſt: Εἰ μὲν οὖν, ἐπίπεδον μὲν βάθος δὲ μηδὲν ἔχον, ἔδει γίγνεσθαι τὸ τοῦ παντὸς σῶμα, μία μεσότης ἂν ἐξήρκει μεθ' αὑτῆς καὶ ἑαυτήν. νῦν δὲ στερεὸν γὰρ αὐτὸ προσῆκεν εἶναι. Τὰ δὲ στερεὰ μία μὲν οὐδέποτε, δύο δὲ ἀεὶ μεσότητες συναρμόττουσιν. οὕτω δὲ πυρός τε καὶ γῆς ὕδωρ ἀέρα τε ὁ Θεὸς ἐν μέσῳ θεὶς καὶ πρὸς ἄλληλα καθ' ὅσον ἦν δυνατὸν ἀνὰ τὸν αὐτὸν λόγον ἀπεργασάμενος, ὅτι πῦρ πρὸς ἀέρα, τοῦτο ἀέρα πρὸς ὕδωρ. καὶ ὅτι ἀὴρ πρὸς ὕδωρ, τοῦτο δὲ ὕδωρ πρὸς γῆν ξυνέδησε, καὶ συνεστήσατο ὁρατὸν καὶ ἁπτόν. Id eſt, interprete Romano Platone: *Quamobrem mundum efficere moliens Deus, terram primum ignemque jungebat.* Omnia autem duo ad cohærendum tertium aliquod requirunt & quaſi nodum vinculumque, deſiderant. Paulò poſt: *Quod ſi univerſitatis corpus planum & aquabile explicaretur, neque in ea quicquam eſſet requiſitum: unum interjectum medium & ſeipſum & ea, quibus eſſet interpoſitum, colligaret. Sed cum ſoliditas mundo quæreretur ſolida autem omnia uno medio nunquam, duobus autem ſemper copulentur: ita contigit ut inter ignem & terram aquam Deus animamque poneret, eaque inter ſe compararet & proportione conjungeret: ut quemadmodum ignis anima ſic anima aqua: quodque anima aqua, id aqua terra proportione redderet, qua ex conjunctione cælum ita aptum eſt, ut ſub aſpectum & tactum cadat.* Itaque ignis ſuprema regione, (Æthera quam vocant) collocatus eſt ſed in octo ſphæras, unam τῶν ἀπλανῶν, ſeptem τῶν πλανητῶν diſtributus. Alcinous in doctrina Platonis: Ἑπτὰ γοῦν σφαιρῶν οὐσῶν, ἐν τῇ πλανωμένῃ σφαίρᾳ ἑπτὰ σώματα ὁ Θεὸς δημιουργήσας ὁρατὰ ἐκ τῆς πλείστης οὐσίας πυρώδους ἐφήρμοσε ταῖς σφαίραις ὑπαρχούσαις ἐκ τοῦ θατέρου κύκλου καὶ πλανωμένου. Σελήνην μὲν δὴ τῷ μετ' αὐτὴν ἐπέθηκε κύκλῳ τῷ πρώτῳ. Ἥλιον δὲ εἰς τὸν δεύτερον ἔταξε. Φωσφόρον δὲ καὶ τὸν ἱερὸν τοῦ Ἑρμοῦ λεγόμενον ἀστέρα εἰς τὸν ἰσοταχῆ μὲν ἡλίῳ κύκλον ἰόντα, τούτου δὲ ἀφεστῶτα. ὕπερθεν δὲ τοὺς ἄλλους κατὰ σφαῖραν οἰκείαν, τὸν μὲν βραδύτατον αὐτῶν ὑπὸ τῇ τῶν ἀπλανῶν κείμενον σφαίρᾳ, ὃν Κρόνου τινὲς ἐπονομάζουσιν ἀστέρα. τὸν δὲ βραδύτητι δεύτερον μετὰ τοῦτον Διὸς ἐπώνυμον. ὑφ' ὃν τὸν Ἄρεως. Ὀγδόη δὲ πᾶσιν ἡ ἄνωθεν δύναμις περιβέβληται. Cicero cætera cum Platone conſentiens, in eo diſſentit, quod ſolem in quarta, id eſt intermedia ſphæra collocaverit. Elegantiſſima apud eum deſcriptio uuiverſi in Somnio Scipionis, digna eſt, quæ huc adducatur: *Novem tibi*, inquit, *orbibus vel potius globis connexa ſunt, quorum unus eſt cæleſtis extimus, qui reliquos omnes complectitur, ſummus ipſe Deus arcens & continens cæteros, in quo ſunt infixi illi, qui volvuntur, ſtellarum curſus ſempiterni. Cui ſubjecti ſeptem, qui verſantur retrò contrario motu atque cælum. E quibus unum globum poſſidet illa, quam in terris Saturniam nominant. Deinde eſt hominum generi proſper & ſalutaris ille fulgor, qui dicitur Iovis. Tum rutilus horribiliſque terris, quem Martium dicitis. Deinde ſubter mediam ferè regionem Sol obtinet dux & princeps & moderator luminum reliquorum, mens mundi & temperatio,*

tio, tanta magnitudine, ut cuncta luce ſua luſtret & impleat. Hunc, ut comites, conſequuntur Veneris alter, alter Mercurii curſus. Infimoque orbe Luna radiis ſolis accenſa convertitur. Infra autem eam nihil eſt niſi mortale & caducum, præter animos, munere deorum, hominum generi datos: ſupra Lunam ſunt æterna omnia. Nam ea, quæ media eſt, & nona tellus, neque movetur & infima eſt & in eam feruntur omnia nutu ſuo pondera. Hactenus Tullius, qui ideò Solem medium collocavit, quod, teſte Macrobio, Archimedes & Chaldæorum natio ita ſentirent, quorum placitum recedens à Platone admiſit, quia medium locum Soli convenientiſſimum eſſe æſtimaret. Plato autem Hermetis Triſmegiſti doctrinam ſecutus eſt. Ariſtoteles magiſtri ſui doctrinam in planetarum ordine approbavit, ſed in mundi conſtitutione per omnia non ſentit idem. Ovidius dicit, quid cum antiquis Hermeticis ſenſerit Plato.

Ignea convexi vis & ſine pondere cæli
Emicuit ſummaque locum ſibi legit in arce.
Proximus eſt aër illi levitate locoque:
Denſior his tellus, elementaque grandia traxit
Et preſſa eſt gravitate ſui: circumfluus humor
Ultima poſſedit ſolidumque coërcuit orbem.

Nam Plato cum univerſa vetuſtate & Theologorum & Phyſicorum τὸ πᾶν ἐ quatuor elementis compegerunt: verum Ariſtoteles quintum addit è quo cœlum ſit & ſtellæ. Sententiam ejus autor de Mundo recitat: Πέντε δὴ στοιχεῖα ταῦτα ἐν πέντε χώραις σφαιρικῶς ἐγκείμενα περιεχομένης ἀεὶ τῆς ἐλάττονος τῇ μείζονι (λέγω δὲ γῆς μὲν ἐν ὕδατι, ὕδατος ἐν ἀέρι, ἀέρος ἐν πυρὶ, πυρὸς δὲ ἐν αἰθέρι) τὸν κόσμον ὅλον συνεστήσαντο. Id eſt. Vertente Budæo: *Quinque igitur hæc elementa in regionibus totidem globoſe incubantia mundum ipſum ita totum coagmentarunt, minor ut deinceps atque minor regio à majore cohibeatur: terra (verbi gratia) ut ab aqua globo, aqua ab aëris, hic ab ignis, ab ætheris denique globo ignis coerceatur.* Aſtrologi Hermeticis Phyſiciſque præſtabant veritate doctrinæ cœleſtis. Hermes Phyſicorum pater & Græciæ Philoſophorum per poſteros ſeu diſcipulos ſuos magiſter ſolidis orbibus & ſphæris circumduci & volvi ſidera docuit. Ita Plato, ita Ariſtoteles docuerunt & adverſum Aſtronomos diſputarunt. Nam Aſtrologi ex obſervationibus & teſtimonio oculorum nullum in cœlo ſolidum orbem eſſe ſed libero & inani aëre circumferri per ſe ſtellas credebant. Cum Aſtrologis Plinius ſenſit, qui lib. II. cap. V. ita loquitur: *Nec de elementis video dubitari, quatuor ea eſſe. Ignium ſummum: inde tot ſtellarum collucentium globos. Proximum Spiritus, quem Græci noſtrique eodem vocabulo aëra appellant. Vitalem hunc & per cuncta rerum meabilem: totoque conſertum: hujus vi ſuſpenſam, cum quarto aquarum elemento, librari medio ſpatio tellurem.* Cap. VI. *Inter hanc* (tellurem) *cælumque eodem Spiritu pendent, certis diſcreta ſpatiis, ſeptem ſidera quæ ab inceſſu vocamus errantia, quum errent nulla minus illis: eorum medius Sol fertur* &c. Cap. XXIII. Geometriam mundi deſcribens Solem non tantum ordine ſed & ſpatio medium facit. *Auſique divinare Solis ad terram ſpatia, eadem ad cælum agunt, quoniam ſit medius Sol, ut protinus mundi quoque menſura veniat ad digitos.* Eandem ſententiam Ægyptiis Aſtrologis attribuit, qui ſane ſimul cum Chaldæis libertatem motibus aſtricis & medium locum Soli dabant. Eodem capite: *Ægyptia ratio, quam Petoſiris & Necepſos oſtendere, ſingulas partes in lunari circulo, ut dictum eſt, minimo triginta tribus ſtadiis paulò amplius patere colligit: in Saturni ampliſſimo duplum: in Solis, quem medium eſſe diximus, utriuſ-*

utriuſque menſura dimidium. Itaque Plinii & Aſtrologorum ſententia evidenter oſtenſa eſt. Cœlum Plinio appellatur, quòd nos vulgò Firmamentum appellamus, id eſt ἡ σφαῖρα τῶν ἀπλανῶν. Inter id & tellurem Spiritu, id eſt aëre ferri planetas dicit: itaque ſecundum ipſum aër implet quicquid ſpatii à nobis ad fixarum orbem extenſum. Ita Elementum ignis & ſolidamenta ſphærarum rejicit. Itaque ſtationis & receſſionis errantium cauſam reddit, quod vapore Solis agantur, inhibeantur, reprimantur, deprimantur, tollantur. Libri laudati cap. XVI. *Cujus rei ratio privatim reddenda eſt. Percuſſa, in qua diximus parte & triangulo radio inhibentur rectum agere curſum & ignea vi levantur in ſublime. Hoc non protinus intelligi poteſt viſu noſtro, ideoque exiſtimantur ſtare, unde & nomen accepit ſtatio. Progreditur deinde ejuſdem radii violentia & retroire cogit vapor repercuſſus.* Deinde colorum mutationem aſcribit aëri mutato, quia Planetæ alium & alium aërem ſubeant. Cap. XVIII. *Colores ratio altitudinum temperat: ſiquidem earum ſimilitudinem trahunt, in quarum aëra venere ſubeundo, tingitque appropinquantes utralibet alieni meatus circulus.* Docet etiam eorum motum ita temperatum eſſe, ut aëris non fiat torpor, quia pulſus meatuſque ſiderum mundo obnitentium eum digerant. Cap. VIII. *Et quamvis* (errantia) *aſſidua converſione immenſæ celeritatis attollantur ab eo* (mundo) *rapianturque in occaſum, adverſo tamen ire motu per ſuos quaque paſſus: ita fieri ne convolutus eandem in partem, æterna vertigine, ignavo globo torpeat, ſed findatur adverſo ſiderum verbere diſcretus & digeſtus.* Nimium immorati ſumus rei manifeſtæ, ſed è Theologis & Philoſophis & vulgo recentium Aſtrogorum orbium illa conſtructio tam pertinaciter firmato & velut canonizato errore per conſenſum ſæculorum imbibita eſt, ut ſcholæ contrariam veritatem difficulter admiſſuræ videantur, nec enim paſſuri quidam ſint, ut illi opinioni contradicère Plinius aſſeratur. Ipſius mundi ſeu cœli corpus nullum eſſe Plinius credidit, in quo fixæ ſtellæ interrantes ſint, ſed mundum ipſum voluit eſſe contextum & concretum è ſtellis, ita ut aër cavitates impleat illas, quas cedens ſibi rotunditas ſtellarum relinquit. Capite poſtremum adducto: *Cæterum æterna eſt cæleſtibus natura, intexentibus mundum. intextuque concretis.* Itaque Plinius cum Aſtrologis ſentiens Philoſophos reprobavit. Epicuri ſchola, quæ rerum Phyſicarum ſummam cognitionem ſibi vendicabat, quin cœlum errantium fluidum ſit non dubitavit: dubitavit autem mundus ſtaret ne an volveretur. Lucretius ejus dubitationem & ſententiam proponit V. de natuaa.

Motibus aſtrorum nunc, quæ ſit cauſa, canamus:
Principiò magnus cœli ſi vertitur orbis:
Ex utraque polum parti premere aëra nobis,
Dicendum eſt & utraque tenere & claudere utrinque:
Inde alium ſupra fluere atque intendere eodem
Quo volvenda micant æterni ſidera mundi:
Aſt alium ſubter contra, qui ſubvehat orbem,
Ut fluvios verſare rotas, atque hauſtra videmus.
Eſt etiam quoque uti poſſit cœlum omne manere
In ſtatione tamen cum lucida ſigna ferantur.
Sive quod incluſi rapidi ſint ætheris æſtus;
Quærenteſque viam circumvertantur & ignes

Paſſim

Paſſim per cœli volvunt ſe inania templa
Sive aliunde fluens &c.

Itaque Hermes Moſi contradicit & cum Hermete Plato & Ariſtoteles, viri magni, ſed qui aliter ſentire non poterant quam à priſcis ſuis Theologis acceperant. Hermes ille Toth ſive Taautus Phœnicum & Ægyptiorum eſt, cujus Theologiam è Sanchuniathone Philo Byblius tranſtulit. Antiquiſſimis temporibus vixit & ante Exodum Hebræorum. Tantum abeſt, ut illi cum Moſe convenerit, ut Paganicæ ſuperſtitionis conditor & Idololatriæ magiſter extiterit. Itaque errant, qui homini profano tantum deferunt. Dicam audacter & verè; Moſes ſcriba fuit & interpres legum divinarum, primus fons omnis doctrinæ ſacræ, at Hermes ſive Taautus ille ſcriba Saturni & interpres legum Diabolicarum fuit, fons Idololatriæ. Ab illo Phœnices & Ægyptii in cultu extraneo inſtituti ſunt, qui ab eis ad Græcos à Cadmo Agenoris filio & Cecrope aliiſque delatus eſt. Vita ejus, quantum è Sanchuniathone cognoſcitur, hæc fuit: Natus eſt Miſore, Scriba Saturni fuit Cœlo geniti & quia artibus magicis præſtabat, earum ope juvit Saturnum cum patre belligerantem. Nam Hermes ille artibus magicis Saturnios milites inſtruxit, ut commiſſo prælio victoriam reportaverint, fugatoque Urano id eſt Cœlo Saturno vacuam poſſeſſionem regni fecerint. Is regno ſuſcepto Byblum condidit, & triginta duobus annis cum Urano exule bella geſſit, tum parentem per inſidias cepit, eique virilia exſecuit in ultionem ejus rei, quod Terræ matris Saturni conjugio dehoneſtato è multis pellicibus genuiſſet. Durante bello Saturnus Atlantem fratrem in foveam ingentem demiſſum terra injecta vivum obruit. In quo facinore Taauti hujus conſilio uſus eſſe dicitur. Hæc in Phœnice geſta ſunt, quæ deinde gentilium Theologi & Poëtæ ænigmatis involverunt. Hæc ſunt Saturni ſæcula, de quibus Poëta: *Aurea (ſic perhibent) illo ſub rege fuerunt Sæcula.* Divina in illum vindicta ſæviit cum Jupiter Belus hunc Saturnum parentem ſuum regno expulit. Nequiſſimi tyranni ſervus impiiſſimus Hermes ille Triſmegiſtus erat, unde meritò inſcitiam aut incogitantiam detegimus eorum, qui ipſum divinum hominem fuiſſe & Moſi prope parem ſcribunt. Sit ſane peritus Phyſiologiæ, fuerit homo verſutiſſimus, fuerit ingenio magno & multiplicis ſapientiæ: at magus, Satanæ mancipium, Apoſtaſiæ præceptor, ſcelerum denique officina fuit. Concedam eum Diabolicæ Aſtrologices, quæ ſignis & characteribus virtutes ſiderum evocare & in idola illigare profitetur, inſignem fuiſſe artificem, ſed hanc à Satana magiſtro hauſit. Verum eſt à patribus illi multa adſignari, quæ omnem admirationem ſuperant. Ea ferè ſunt ſuppoſititia. Nam ſuperfuêre quidem illis temporibus, cum dæmonum cultui ſeſe homines tradiderant, inſignes reliquiæ Patriarchicæ doctrinæ (in Phœnicia) quia prima idololatria non mera ſed junctim cum Summi Dei cultu ab illis ſuſcepta erat. At nemo credat Hermetem illum ſimilem fuiſſe Balaami, qui quamvis prophetiæ donum haberet, tamen idolis & dæmoniis ſimul cum Deo vero ſervivit. Nihil enim ſani in profano homine ſuperfuiſſe Sanchuniatho abunde teſtis eſt. Quia itaque talis fuit Hermes ille, flagitium non erit illi contradicere, nec mirabitur, lector, quod Moſi ipſe contraria locutus fuerit. Tam evidentibus verbis Moſes cœli fabricam deſcribit & tam clarè orbium figmentum & ignem concavæ Lunæ ſubjectum difflat ut meritò Chriſtianæ Scholæ Hermetis & Ariſtotelis hæc dogmata eliminare debuerint. Age, audiamus & attendamus

verba divini ſcriptoris. Geneſeos primi commate primo: בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ id eſt, *Initiò condit Deus cælum & terram:* aut Græcè ſignificantius; Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. Varia interpretatio in hunc locum allata eſt. Quidam totius creationis periochen contineri exiſtimant, & exponunt: *Initio. quum Deus cælum terramque id eſt omnia conderet, primo fecit terram.* Hæc Vatabli viri doctiſſimi expoſitio eſt. Sed quantum à vero recedit & veriſimili, tantum à ſequacibus nuda nunc eſt & ab omnibus ferè rejicitur. Hanc multis Judæorum probatam interpretationem Baſilius magnus olim rejecit: Εἴρηται μὲν οὖν ποτὲ τῶν πρὸ ἡμῶν, μὴ δευτέρου οὐρανοῦ γένεσιν εἶναι ταύτην ἀλλ' ἐπεξήγησιν τῆς προτέρας τὸ ἐκεῖ μὲν κεφαλαίῳ παραδεδόσθαι οὐρανοῦ καὶ γῆς ποίησιν, ἐνταῦθα δὲ ἐπεξεργαστικώτερον τὸν τρόπον, καθ' ὃν ἕκαστον γέγονε τὴν γραφὴν ἡμῖν παραδιδόναι. ἡμεῖς δὲ φαμὲν ὅτι ἐπειδὴ ὄνομα ἕτερον καὶ χρεία ἰδιάζουσα τοῦ δευτέρου οὐρανοῦ παραδίδοται. Philo Judæus Πλατωνίζων ſuo more, hujus verſus cœlum & terram de ideali & incorporeo mundo, qui in divino verbo ſitus ſit, interpretatur. Alii iique plurimi nomine cœli & terræ accipiunt chaos id eſt rudem & confuſam molem, qualem Hermes ille de quo diximus, orbi obtruſit, è qua in ſuum ordinem ſeparata mundus melior extiterit. Huic ſententiæ favet Auguſtinus, maſcule autem Tertullianus adverſus Hermogenem contradicit. Nos ejus non tantum falſitatem, ſed & ineptam vanitatem inferius cum Deo detegemus. Quarta ſententia eſt Franciſci Junii, qui cœli nomine intelligit & Empyréum & ſidereum, ſub terræ vocabulo non paganicum illud ſed Scholaſticum Chaos. Ita receptiſſimam ſententiam cum Baſilii opinione coagmentavit, qui hoc cœlum de ætheris ſeu ſiderum regione accipit. Hæc apud Judæos vulgatiſſima opinio eſt, qua cœleſtem regionem univerſam voce cœli in hoc commate deſignari exiſtimant. Communis ſententia, quæ ſexta hujus loci expoſitio à me lecta eſt, ſub *terra* voce chaos illud capit, *ſed cælum* verè & benè explicat de Empyreo cum Angelis. Hanc ipſe etiam Origenes, qui alioquin allegoriarum alis in Epicuri intermundia ſubvehi ſolet ex parte amplectitur, quoniam (ut & R. Moſe Ægyptius facit) de ſolis Angelis explicat: *Cum enim*, inquit, *ea. quæ facturus erat Deus, è Spiritu conſtarent & corpore, iſta de cauſa in principio & ante omnia cælum dicitur factum, id eſt omnis ſpiritualis ſubſtantia ſuper quam velut in throno quodam & ſeae Deus requieſcit.* Hanc ſuam opinionem probabilem reddere conantur ex Job. xv. 15. וְשָׁמַיִם לֹא זַכּוּ בְעֵינָיו, id eſt Angeli ut Thargum vult, in quo redditum eſt וְאִנְגְּלַיָּא, quodque Junius ſequitur reddendo *& cælites.* Sed nihil evincunt, quam vocem hanc *cælum* benè exponi de Empyreo & Angelis ſimul, id quod nos volumus. Optimè autem hanc ſententiam Petrus Lombardus lib. II. diſtinct. 2. è Beda & Strabo propoſuit: *Teſtimoniis quarundam autoritatum evidenter monſtratur angelos ante caſum fuiſſe in cælo & inde corruiſſe quoſdam propter ſuperbiam, alios verò, qui non peccaverunt, illic perſtitiſſe, unde Dominus in Euangelio ait, Videbam Satanam tanquam fulgur de cælo: nec appellatur hoc cælum firmamentum, quod ſecunda die factum eſt: ſed cælum ſplendidum, quod dicitur Empyreum, id eſt igneum à ſplendore, non à calore: quod ſtatim factum, angelis eſt repletum, quod eſt ſuprà firmamentum: & illud Empyreum quidam expoſitorum ſacræ ſcripturæ nomine cæli, intelligi volunt: ubi ſcriptura dicit:* In principio creavit Deus cœlum & terram. *Cælum, inquit Strabus non viſibile firmamentum heic appellat, ſed Empyreum, id eſt, igneum vel intellectuale, quod non ab ardore ſed à ſplendore dicitur: quod ſtatim factum repletum eſt angelis. Unde Iob, ubi eras, cum me laudarent aſtra matutina &c. De hoc quoque Beda ita ait, Hoc ſuperius cælum, quod à volubilitate mundi ſecretum eſt, mox ut creatum eſt, ſanctis angelis repletum eſt, quos in principio*

cipio

cipio cum cælo & terra conditos teſtatur Dominus dicens, ubi eras cum me laudarent aſtra matutina &c. Aſtra matutina & filios Dei eoſdem angelos Dei vocat. Cælum enim in quo poſita ſunt luminaria, non in principio, ſed ſecunda die factum eſt. Argumenta duo Beda habuit, quibus ſententiam hanc, quam communiter Scholæ acceptaverunt, primus uti videtur, protulit. Primum eſt, ſidereum cœlum ſecundo die factum fuiſſe, atque ideò in primi diei operibus non potuiſſe recenſeri. Alterum, quod Angeli, quos non eſt veriſimile ante propriam ſuam manſionem eſſe factos, jam in ipſius terræ fundatione, ipſo primo die labente, Deum laudaviſſe narrentur Job. XXXVIII. 6. 7. His addo duas alias probationes, quarum prima eſt: Si ſub hujus cœli nomine Empyreum non debeat capi, jam nuſquam creatio inviſibilium commemorabitur, atque ita Moſes ſuſpicionem non levem daret exiſtimandi, quod τὰ ἀόρατα ab æterno fuiſſent, aut ante viſibilem mundum creata. Quæ repugnant Analogiæ fidei & ſcripturæ totius & errorem Judaicum ſtabiliunt. Nihil eſt, quod magis inculcat Scriptura, quam ſupremum cœlum, ejuſque manſiones nobis in Chriſto fundatas; nihil notius eſt primis fidei Catechumenis, quomodo igitur Moſes de rei celebratiſſimæ conditu tacuiſſet? Tacuit autem ſi ſub hoc vocabulo non expreſſit. Alteram rationem habeo, quod ſermo Hebræus extimum illum ambitum, ſedem illam & thronum divinæ majeſtatis proprio vocabulo שָׁמַיִם *cælum* appellet. Nulla natura vel ſubſtantia eſt, cui in notione propria competat vocabulum, præter Empyreum. Verum quidem eſt regionem ſiderum & imi aëris ſic in communi ſermone appellari, verum hoc fit extenſione uſus & hæc regio univerſa peculiare nomen habet רָקִיעַ. Loca τῶν χαφῶν plurima ſunt, in quibus hoc nomine abſolute & ſine aliqua adjunctione potiro ſupremum illud accipi debet, quæque hac ratione oſtendunt, quo ſenſu Moſes debeat explicari & quod ejus vocabuli vis propriè & peculiariter ad ſupremum illud alligata ſit. Propriè autem nullibi magis vocem hanc poni poſtulat ratio, quam ubi de hac re propriè agitur. Solomo cœlum illud quod fano ſuo repræſentabatur, plerumque ſine adjecto cœlum vocat. 1. Reg. VIII. 30, 34, 36, 43, 45, 49. Iſaias cap. LXVI. 1. *Cælum eſt mihi thronus.* David Pſal. 2. 4. *Habitans in cælo ridet.* Pſal. XIV. 2. *Dominus è cælo reſpicit.* Pſal. XXXIII. 13. *E cælo intuetur Dominus* Pſal. CXV. 3. *Deus noſter in cælo eſt.* Sic in N. Teſt. oratione Dominica, Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς [Pluralis numerus Helleniſtis reſpondet hoc loco terminationi שָׁמַיִם] Hebr. IX. v. 24. Εἰσῆλθεν ὁ χριστὸς εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανόν. Sic in Symbolo: *Aſcendit in cælum.* Ex his, puto, ſatis liquet, quid Hebraiſmus velit ſignificari quando abſolute cœlum dicit. Fateor ipſum quoque רָקִיעַ abſolute cœlum ſæpe appellari, ſed adjuncta & connexa oſtendunt de quo cœlo ſermo habeatur. Quemadmodum Moſes in conditu τοῦ רָקִיעַ; id quidem cœlum dictum eſſe fatetur, ſed ita ut proprium ejus vocabulum ſit רָקִיעַ. Etymologia verbi hujus oſtendit, ſummo cœlo id propriiſſime convenire. Plerique omnes in ejus inquiſitione aberrant: Quidam deducunt ab שָׁם & מַיִם, alii ab אֵשׁ & מַיִם, alii à שְׁאוּר & מַיִם Et hæc ſunt vetuſta Judæorum deliria, ſeu potius καββαλισμοὶ aut alluſiones, quæ à recentioribus nimis avidè admiſſa ſunt. Dn. Piſcator, qui in his rebus ὀξυδερκὴς eſt, videbat compoſitionem analogiæ vocabuli alienam eſſe. Debuiſſet enim ex eorum prima notatione eſſe שָׁמַיִם vel שְׁמָמִים; è ſecunda אֶשְׁמַיִם, è tertia שְׁמַיִם quidem ſed in caſu conſtructo ſeu regiminis שְׁמֵי manente (ר), quia in eo א deliteſceret. Ipſe refert ad radicem שָׁמַם *obſtupeſcere.* Sed hoc non convenit, quia ם, ut οἱ τεχνικοὶ docent, non eſt hoc loco radicale ſed ſervile, quemadmodum inflexio docet, quæ eam ejicit. Quod ſi ם illud finale conce-

cederet è radice non eſſe, ut non eſt, debuiſſet eſſe שְׁמִים. Sed ipſe vult, ut ſit illud ם radicalis litera, atque ita monſtroſam vocem gignit. Non favet illi nomen יְרוּשָׁלַיִם, quia ipſo docente, illegitimè & pravè punctatum eſt à magiſtris Judæorum, quamvis ea rès myſterio non careat. Rectè rem intuenti & examinanti apparebit, θέμα ſtatuendum eſſe שָׁמֶה. Id inuſitatum eſt, attamen è derivatis שֵׁם *nomen* & שָׁם *illic* quodammodo divinandum reliquit, quam vim habuerit. Voces illæ derivativæ demonſtrant ſignificatum *demonſtrandi, comprehendendi* ac *coërcendi* radici inhæſiſſe. Ita nomen שָׁמַיִם optimè cœlo quadrat ſupremo, quia complexu ſuo omnia corporalia coërcet & continet, adeoque finis & terminus eſt, omnis שָׁם *illic.* Nam extra id naturale jam nihil eſt & terminis corporalibus circumſcriptum. Simplicius forte fuerit, ſi dicamus Hebræam vocem שָׁמֶה habuiſſe ſignificationem altitudinis, ſicut in Arabico سما comm. gen. *cælum & quicquid ſuperne tegit*, deducitur à سمو *altus fuit elevavit.* Quod in conjugatione gravi سمى & Levi (reſpondente τῷ Hiphil Hebræorum) notat *Nominavit, nomen impoſuit.* Unde apparet, quam vicinæ inter ſe ſint duæ iſtæ linguæ. Vocabulum שָׁמַיִם eſt declinationis maſculinorum ultimæ ut קָצֶה, quod haberet in duali קָצַיִם. Itaque ſingulare foret שָׁמֶה, quod uſus repudiavit, aſſumpſitque dualem formam ob auguſtam cœli amplitudinem, ad dextram & ſiniſtram, ante & retro diffuſam & extenſam, quamobrem Hebræa hæc vox accommodatiſſima eſt; cujus proprietatem nec Græcus nec Latinus ſermo aſſequitur. Græcum οὐρανὸς eſt (ut quidam volunt) ab אור, (quamvis nos illud non admittamus) Romanum vocabulum ab cavitate. Abſolviſſemus, niſi manum injiceret diligentiſſimus ſacrarum literarum interpres Dn. Piſcator, quem jam ante laudavimus. Iſte vocabulis cœli & terræ materiam utriuſque capiens quinque argumentis ſententiam, quam ſequimur nos, & rectam eſſe nihil ambigimus, infirmare molitur. Verba ejus ſunt: *Quidam nomine cæli hîc intelligunt cælum beatorum & ſentiunt illud creatum ex nihilo & unà cum illo angelos. Sed illa expoſitio videtur repugnare ordini naturæ, atque adeo 1. Ordini, quem apparet obſervaſſe Deum in creando. Progreſſus enim eſt ſubinde ad perfectiora. Non igitur incepit à perfectiſſimo. 2. Deinde intercesſiſſet vacuum inter illud cælum & chaos. 3. Tum verò circumferentia fuiſſet prior centro ſaltem ordine, ſi non tempore. 4. Adhac in generatione corpora creſcunt à centro verſus circumferentiam. 5. Prætereà contortum videtur, ſi in primo verſu vocabulum quidem cæli exponatur propriè de cælo quodam ſtatim perfecto: vocabulum autem terræ impropriè, videlicet per metonymiam effecti de materia ex qua poſteà demum condita fuit terra. Planum autem & conveniens eſt, ut utrumque vocabulum accipiatur hîc eodem modo, videl. per meton. eff. 6. Poſtremò expoſitio iſta repugnat mori ſcripturæ, quæ per cælum & terram intelligit mundum univerſum.* Obj. *Iob. 38. v. 4.* Cum Deus fundaret terram, laudes ei cecinerunt Angeli. Reſp. *At non ante chaos, ſed ante fundationem terræ, factam die tertio: Angeli autem creati die ſecunda una cum cælo. Alia Obj.* Math. 25.24. *Regnum cæleſte paratum electis* ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. *Igitur & cælum beatorum. Ergò creatum una cum chao. Nam creatio illius molis confuſa fuit fundatio mundi. Reſp. At non dicit* ἅμα τῇ καταβολῇ, ſed ἀπὸ τῆς καταβολῆς. *Id eſt poſt fundationem nempe mox die ſecundo: quum illa fundatio facta eſſet die primo.* Hactenus ſunt Piſcatoris verba, quæ primo intuitu aperiunt, perpenſam benè rem illi non fuiſſe. Ordine ejus rationes examinemus. Primò ordinem creationis alium à Deo obſervatum fuiſſe ipſi videtur ſcilicet ab imperfectioribus ad perfectiora. Fateor me neſcire, quid hac ratiocinatione velit. Nam quis unquam erit, qui dixerit cœlum beatorum inanimum & inſenſibile corpus perfectius

eſſe

eſſe plantis & animalibus, ſi quidem perfectio, de gradibus ſuccedentibus rerum, eſſe, vivere, ſentire, ratiocinari accipiatur, quod ſi autem perfectionem reſtringat ad ſimplicia corpora (quod feciſſe apparet) jam dico obſervationem inanem eſſe & Deum ſecutum eſſe ordinem, quem judicaret ſapientiæ ſuæ & potentiæ convenientiſſimum. Quin ipſe Piſcator, ſi animum applicet, videbit à ſe contrarium obſervari. Nam ignem Deus primo die condidit, aërem ſecundo. Jam autem, non negabit, opinor, ignèm perfectiorem eſſe aëre. Secunda ratio de vacuo, inanis eſt & vacua, ablegandaque ad Scholam μωροσόφων καὶ κενοδόξων Philoſophorum. Quid, doctiſſime interpres, tune inane metuis, qui cœli & terræ materiam in inani ſuſpenderas? Tertio, inquit, ambitus centro prior fuiſſet. At quis fabricam illam immenſi operis legibus noſtris alligabit? Quarto in generatione animalium, creſcere corpora à centro verſus circumferentiam. Scilicet hæc vulgata opinio eſt eorum, qui cor primum formari ajunt & partes principes. Sed Hippocrates in Phyſiologicis longè erunditiſſimus aliter ſtatuit & cum veritate loquitur ita: Ἐμοὶ δοκέει ἀρχὴ μὲν οὐδεμία εἶναι τοῦ σώματος, ἀλλὰ πάντα μὲν ὁμοίως ἀρχὴ καὶ πάντα τελευτή, κύκλε γὰρ γραφέντος ἀρχὴ οὐχ εὑρέθη. Eodem modo libro de Diæta: Διακρίνεται δὲ τὰ μέλεα ἅμα πάντα καὶ αὔξεται καὶ οὔτε πρότερον οὐδὲν ἕτερον ἑτέρου, οὔθ' ὕστερον τὰ δὲ μείζω φύσει, πρότερα φαίνεται τῶν ἐλασσόνων, οὐδὲν πρότερα γινόμενα. Sed quanta ſtupiditas fuerit mundum ita creatum dicere, ut animalia gignuntur. Hæc non Moſaicum conditum, ſed Hermeticam ex æterna materia generationem ſapiunt. Cum quinto argumento paria dicimus quando utramque vocem cœli & terræ propriè & pariformiter accipimus. Nam Terra non eſt chaos, ſed propriè appellata. Ultimo conſuetudine ſcripturarum cœli & terræ nominibus omnia univerſi ſignificari ſolere aſſerit, & proinde hic quoque in eum ſenſum accipi. Primo perpetuum hoc non eſt: ſed univerſitatem rerum ſcriptura περιφράζων pleno ſermone dicere ſolet: *Cœlum, terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt* ut in quarta lege decalogi. Nehem. 1x. 6. & alibi. Itaque ellipticus ſermo eſt & Synecdochicus, cum cœli & terræ ſolis vocibus omnia denotantur, quæ mundus univerſus complectitur. Ellipticus autem iſte ſermo in hoc loco, ubi proprie de hac re agitur, locum non adeo aptum inveniat. Deinde, ſumme vir; quid eſt ita loqui? Mos ſcripturæ poſtulat cœli & terræ conjunctis vocibus mundum ſcilicet perfectum intelligi, ergo, hoc loco materia cœli & terræ iſtis vocabulis intelligi debent? Non cohærent illa. Reſponſio ad locum Jobi cadit, quando figmentum τῶ χάυς ſublatum fuerit de quo alibi dicetur. Locus Matthæi laxior videtur eſſe, quam ut adſtringi poſſit ad aliquam determinationem primi aut ſecundi diei quia æternitatem divini conſilii tantummodo reſpicit. Jam ſatis explanavimus, quid cœlum ſit primi diei. Cœli vox ambigua eſt, aliud corpus creatum etiam ſignificat; Illud nempe quod vicinum eſt, cælo propriè dicto & altitudinem habet reſpectu noſtri noſtraque complectentem, quo ſuperius & verius cælum gentilitas poëtarum & philoſophorum non agnovit, quod proprie appellatur in Hebraiſmo vocabulo רקיע. Id ſecundo die figuratum eſt, de quo ita Moſes: *Eſto* רקיע *inter aquas ut ſit diſtinguens inter aquas & aquas.* Varia hujus loci interpretatio eſt, quid enim hoc eſt vocabuli *Firmamentum,* ut redditum vulgò fuit? Inter quas aquas dividit? Juniores poſt Linguarum exortum nihil moratur interpretatio Firmamenti, quia ſciunt in Hebraïca veritare contineri vocem. quæ propriè Expanſionem notet. Itaque accipiunt de aëre & aquis nubium, quæ μετεωρίζονται in aëre. Ipſi etiam pontificii, niſi qui nimis vulgatæ verſioni addicti ſunt, ſic interpretantur. Sed horum tamen diverſa in-

terpretatio eſt: de aëre & ſidereo cælo omnes ferè explicant: Piſcator autem de tribus cælis τῶν γραφῶν hoc eſt, de Empyreo etiam exponit. Ratio cur non ſolum aëra intelligant eſt, quod commate 17. in expanſo iſto ſtellæ collocentur. Non memini alium aliquem interpretem, qui hîc cum Piſcatore ſentiat, tam parum veriſimilitudinis ea explicatio habet. Priſci interpretes eorumque ſequaces plurimum laborant de aquis Firmamenti. Sunt, qui ad allegoriam confugiant, & plurimi iique maximi viri, quoniam de literali ſenſu ſeſe expedire non valent. Baſilius Homil. 3. in ἑξαήμερον: Ἡμῖν δὲ καὶ πρὸς τοὺς ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ἐστί τις λόγος περὶ τῶν διαχωριζόντων ὑδάτων, οἳ προφάσει ἀναγωγῆς καὶ νοημάτων ὑψηλοτέρων εἰς ἀλληγορίας κατέφυγον, δυνάμεις λέγοντες πνευματικὰς καὶ ἀσωμάτους τροπικῶς ἐκ τῶν ὑδάτων σημαίνεσθαι· καὶ ἄνω μὲν γὰρ τοῦ στερεώματος μεμενηκέναι τὰς κρείττονας, κάτω δὲ τὰς περιγείους καὶ ὑλικοῖς τόποις προσκαταμεμενηκέναι τὰς πονηράς. Διὰ τοῦτο &c. Refutat hanc opinionem, quæ fuit Origenis. Alii Firmamento aërem intelligunt ſuperiorem ut Baſilius, qui vocem στερέωμα non ſignificare ait τὴν ἀντίτυπον καὶ στερέμνιον φύσιν τὴν ἔχουσαν βάρος καὶ ἀντέρεισιν. Verum quia natura τῶν ἐπικειμένων tenuis ſit & rara, nulloque ſenſu comprehenſibilis, ideò στερέωμα dictum eſſe comparatione τῶν λεπτοτέρων. In Summa, νόει μοι, inquit, τοιοῦτον τινὰ διαχωριστικὸν τοῦ ὑγροῦ. Ita ſenſit ille quem ob diligentiam laudat Auguſtinus ſed non audet ſequi; quia omnibus fruſtrà tentatis nullum effugium invenit, quam ut firmamentum ſit cœlum ſiderum imò ſphæra octava. Id poſteri arripuerunt, adeò ut Firmamentum apud Philoſophos & Aſtronomos nihil aliud ſignificet. Itaque quia Firmamentum ſphæra τῶν ἀπλανῶν eſt, difficultas ingens exoritur quænam ipſi aquæ ſuperincumbant. Hic diſputationes fervidæ & ancipites: uſum enim non potuerunt aſſignare iſtarum aquarum, nec definire quo ibi modo conſiſtant. Lombardus poſt longam diſputationem lib. 2. diſt. 14. *Sed quoquomodo ibi ſint, ibi eſſe aquas, non dubitamus.* Auguſtinus pariliter: *Major eſt hujus textus autoritas, quam omnis humani ingenii capacitas.* Multi per aquas ſuperiores primum mobile intellexêre quod ita dictum propter διαφάνειαν αὐτοῦ. Inter hos Lyra, Burgenſis, & alii. Plerique cœlum quoddam aqueum ſeu cryſtallinum accipiunt, cui aſſignant uſum humectandi & refrigerandi orbes ſubjectos ne æſtu nimio conflagrent. Lutherus huc quidem inclinat, verum nihil audet ſtatuere. Auguſtinus rationes adducit duas quibus fieri potuerit, ut aquæ illic pendeant. Prima eſt, quia attenuari poſſunt in vapores, ut in ſupremum aëra aſcendant, poſſe ita porrò rarefieri, ut ipſum uſque ſupremum cœlum emanent. Altera eſt, quod modo cryſtalli glaciali ſoliditate ſuper cœlos poſſint pendere. Id Phyſico argumento veriſimile reddi putant illi, quorum mentem Auguſtinus interpretatur, quoniam ſtella, quæ cœlo proxima eſt, Saturni, frigus, quod ipſi à Phyſicis attribuitur, non aliunde poſſit haurire, quam ab illa aquarum ſuper cælum conſtitutarum vicinitate. Glacialis illa ſoliditas cunctis Scholarum doctoribus ita arriſit, ut penè fidei articulus factus fuerit. Beda certæ aſſertionis primus autor: *Illius cæli,* inquit, *hic deſcribitur creatio, in quo fixa ſunt ſidera: cui ſuppoſita ſunt aquæ in aëre & in terra & ſuperpoſita aliæ, de quibus dicitur,* Qui tegis ſuperiora ejus *In medio ergo Firmamentum eſt, id eſt ſidereum cælum quod de aquis factum eſſe credi poteſt. Cryſtallinus enim lapis, cui magna eſt firmitas & perſpicuitas de aquis factus eſt. Si quem verò movet, quomodo aquæ natura fluidæ & in ima labiles ſuper cælum poſſint conſiſtere, de Deo ſcriptum eſſe meminerit, qui ligat aquas in nubibus ſuis. Qui enim infra cælum ligat aquas ad tempus vaporibus nubium retentas, poteſt etiam ſuper cæli ſphæram non vaporali tenuitate ſed glaciali ſoliditate, aquas ſuſpendere ne labantur. Quales autem & ad quid condita ſint, ipſe novit, qui condidit.*

didit. Ex hoc Bedæ loco orbis nonus Cryſtallinus in cælo ſolidatus eſt, poſt Lombardum & Joannem de Sacrobuſto, qui tantum novem ſphæras cæli enumerat. Nonam recenſet primi mobilis, cujus dehinc decima facta eſt. Firmamenti vox has turbas non dedit, ſed quod legerent in firmamento collocata eſſe ſidera, ſuprà firmamentum aquas. Alioquin firmitudinem illam cum Baſilio expoſuiſſent κτ̀ σύγκριον, aut cum Iſidoro *Cælum ideò in ſcripturis ſanctis vocari firmamentum quod ſit curſu & ratis fixiſque legibus firmatum* aut cum Joſepho de ſoliditate ipſarum nubium. Ejus expoſitio hæc eſt, τὸν οὐρανὸν. inquit, τῶ ὅλοις ἐπιπήγνυσι καὶ αὐτὸν ἀπὸ τ̃ ἄλλων διακρίνας καθ' αὑτὸν ἠξίωσε ταχθῆναι, κρύσταλλόν τε περιπήξας αὐτῷ καὶ νότιον αὐτὸν καὶ ὑετώδη πρὸς τὴν ὠφέλειαν ἁρμονίως τῇ γῇ μηχανησάμενος. Cæterum cauſa nulla erat, quare aquas ſupra univerſum cælum collocarent, ideo quia ſupra firmamentum aquæ dicantur ſtatutæ. Nam accipi debet non de toto ſed de parte. Quod ſi ita loquutus fuero: Eufrates eſt flumen id, quod Syros à Capadocia diſterminat. An ex eo ſtatui debet, extra iſta loca Eufratem non inveniri. Ita licet Firmamentum dividat aquas nubium & terrarum, tamen ſupra nubes quoque extenſum eſt. Et Moſes commate decimo ſeptimo non vult id, ut ſupra ſtellas aquam collocemus, ſed ut ſciamus Firmamenti amplitudinem eò quoque porrectam eſſe. Cœli tamen firmitudinem & ſoliditatem ex hac voce Firmamenti tueri poſteritas voluit, & ea viſa eſt conſentire cum orbibus illis, quos ab Ariſtotele & Platone acceperant. Septuaginta illi cum verterent רקיע per Στερέωμα Hermeticam & Platonicam vanitatem, cui Alexandria dedita erat, ſequi dicantur. Hieronymus præfat. in tradit. Hebraic. in Geneſin: *Neque verò, inquit, 70. interpretum errores arguimus, neque noſtrum laborem illorum reprehenſionem putamus, cum illi Ptolemæo regi myſtica quæque in ſcripturis prodere noluerint & maximè ea, quæ Chriſti adventum pollicebantur, ne viderentur Iudæi & alterum Deum colere, quos ille Platonis ſectator magni idcirco faciebat, quod unum Deum colere dicerentur.* Dederint autem & hoc regis auribus, quod cœlum στερέωμα dixerunt. Servierunt illi Hypotheſi ſuæ cum vocem רקע, quandocunque de cœlo & elementis enunciatur verbo στερεῶ traduxerunt. Iſ. XL 22. XLIV. 24. Pſ. CXXXVI. 6. de terra. Sic Job. XXXVII. 18. De cœlo תַּרְקִיעַ עִמּוֹ לִשְׁחָקִים חֲזָקִים כִּרְאִי מוּצָק LXX. Στερεώσεις μετ' αὐτῦ εἰς παλαιώματα ἰσχυραὶ ὡς ὅρασις ἐπιχύσεως. Hic locus depravatus eſt, quia imperiti vocem στερεώσεις nomen pluralis numeri eſſe exiſtimaverunt & ideò ἰσχυρὰ commutaverunt in ἰσχυραί. Latinus hic loci רקע reddidit per fabricari: *Tu forſitan cum eo fabricatus es cælos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt.* Cum de aliis rebus ſermo eſt, aliter expreſſerunt. 2. Sam. XVII. 43. אֲרַקְּעֵם καὶ ἐλέπτυνα αὐτὸς Jerem. X. 9 כֶּסֶף מְרֻקָּע מִתַּרְשִׁישׁ יוּבָא LXX. Ἀργύριον τορευτόν ἐστι, ὃ περιδέονται: Ἀργύριον περίβλητόν ἐστιν ἀπὸ Θάρσις ἥξει. Hæc verſio interpolata eſt, gloſſa è margine in textum tranſlata. Latina vetus habet: *Argentum involutum de Tharſis affertur.* Nota obiter vocem Tharſis hic non eſſe proprium nomen (quamvis ita veteres & recentiores velint) ſed quia de navigatione & commerciis ſermo eſt, *mare* indefinitè (ut ſolet) notari. Tarſus enim Ciliciæ non dabat argentum tale, quale hic deſcribitur. Itaque reddi debuiſſet hic locus Ἀργύριον τορευτὸν ἐκ θαλάσσης προσκομισθήσεται ſive ἥξει *Argentum tornatum de mari adferetur.* Adeo iſti tamen adhæſerant imbibitæ & conceptæ ſemel opinioni, ut vocem עֹשֶׂה quia de cœlo adhibetur ἐστερεώθησαν reddiderint. Pſ. XXXIII. 6 Ita Alexandrina interpretatio in cauſa eſt quod apud Chriſtianos de cœli firmitudine & ſoliditate ſententia invaluerit. Sed acceſſerunt huc aliæ rationes. Ut quod locus Jobi XXXVIII. 18. verſus ſit: *Tu forſitan cum eo fabricatus es cælos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt.* Quamvis

Hiero-

Hieronymus hoc in loco cœlos de Angelis interpretetur. Verum recta verſio fuerit: *An extenderes cum eo nubes ſolidas ſeu firmas inſtar ſpeculi fuſi* שְׁחָקִים enim ſunt nubes, quæ τοῖς ό mira interpretatione & voce παλαιώματα appellantur. Deinde ſoliditatem cœli è veteri illa derivatione vocabuli שָׁמַיִם ſtabiliunt. Illa certè Julium Cæſarem Scaligerum decepit Exercit. LXI. *Alia ſunt in cœlo prætereà difficultates, propter utriuſque naturæ diverſitatem. Longinqua enim illius conſtitutio à noſtrarum rerum conſtitutione atque aliena. Hic per terræ ſoliditatem corpora, ibi terra nulla, ratio alia. Hic per aquam terræ partes aptæ ſunt atque continua, ibi aqua nihil. An verò aliquid analogia in utriſque agnoſcendum eſt? Nam ſicuti Chaldæorum ſapientes interpretati ſunt, atque poſteris tanquam per manus tradidere, prima cœli nomenclatura fuit ejuſmodi, quæ ex aqua & igni compoſitum ſignificaretur: quam etiamnum retinent Hebræi. Itaque de iis aquis tot tantaque dicuntur in ſacris ommentariis: nam & ad cœlos & ad ſupercæleſtia referuntur.* Verum enimvero quicquid dicatur, רָקִיעַ aër eſt & ita verti debet neque in ſe quicquam firmitudinis aut ſoliditatis id vocis complectitur. Flexa eſt à radice רָקַע, quæ extendere, expandere ſignificat. Cui affine eſt noſtrum verbum, Recken. Nam in traduce noſtri ſermonis multæ reliquiæ linguæ radicalis apparent. Sic ergo autore Moſe Deus duos tantum cœlos loco & materia diſtinctos creavit, ut nullum aliud cœlum ſit præter שָׁמַיִם id eſt, Empyreum & רָקִיעַ id eſt, aëra vel Spiritum à globo terræ ad cœli ſupremi concavitatem diffuſum. Valeant itaque ſphæræ & orbes cœli; valeat ignis elementaris à Peripateticis Lunæ adjunctus: valeat diſcrimen quod gentilitas ponit Ariſtotelica inter naturam cœli & regionis elementaris. Ne vereamur cum Ariſtotele, ne cœlum ruat, ſi id elementatis naturæ eſſe ponamus. Stabilitas enim aëri non minor eſt quam cœlo. Quomodo igitur Paulus (inquiat aliquis) tres cœlos conſtituit, qui in ipſum uſque cœlum tertium ſe raptum fuiſſe teſtatur. 2. Corinth. XII. 2. cui tertio cœlo nomen Paradiſi attribuit? Facile ea objectio ſolvitur: Cœlum hoc, quod intra Lunæ orbem eſt in quo nubes & meteora reliqua pendent, aves volitant, animalia vivunt, diſtinctum eſt à ſiderum puro illo aëre, non diverſitate naturæ, ſed halituum vaporumque commiſtione, ut meritò aliud dicatur, licet ſubſtantia idem ſit. Et Moſes illud ſuum רָקִיעַ duabus regionibus diſcriminavit, quando inferam aquis ſuperioribus & inferioribus interjectam eſſe dicit. Vulgatus ſermo hominum, quando dicit nubes & aves cœli, quod in ſacris libris ſæpe occurrit, tertium cœlum hoc ab æthere & Paradiſo diſtinguit. Ariſtoteles etiam notavit communiter cœli vocabulum apud Græcos triplici notione ſumi, quæ notionum diverſitas nihil in reipſa variat. De cœlo. l. 1. 96 Ἕνα μὲν οὖν τρόπον οὐρανὸν λέγομεν τὴν οὐσίαν τὴν τῆς ἐσχάτης τοῦ παντὸς περιφορᾶς, ἢ σῶμα φυσικὸν τὸ ἐν τῇ ἐσχάτῃ περιφορᾷ τοῦ παντός. εἰώθαμεν γὰρ τὸ ἔσχατον καὶ ἄνω μάλιστα καλεῖν οὐρανόν, ἐν ᾧ τὸ θεῖον πᾶν ἱδρῦσθαι φαμέν. Ἄλλον δ᾽ αὖ τρόπον, τὸ συνεχὲς σῶμα τῇ ἐσχάτῃ περιφορᾷ τοῦ παντός, ἐν ᾧ Σελήνη καὶ ἥλιος καὶ ἔνια τῶν ἄστρων. καὶ γὰρ ταῦτα ἐν τῷ οὐρανῷ εἶναί φαμεν. Ἔτι δὲ ἄλλως λέγομεν οὐρανὸν τὸ περιεχόμενον σῶμα ὑπὸ τῆς ἐσχάτης περιφορᾶς. Τὸ γὰρ ὅλον καὶ τὸ πᾶν εἰώθαμεν λέγειν οὐρανόν. Itaque apud conſuetudinem loquendi cœlum τοῦ רָקִיעַ id eſt aëris duplex eſt, idque judicio viſus qui conſpicit partem aëris vaporibus miſceri, partem à ſideribus teneri. Aër eſt alterum vocabulum tam vaſti elementi, quod Hebræis poſſis debere, flexum ab אור & cum articulo הָאֵיר ἀήρ. Nam & hinc ſit אִיר Ἶρις nomen arcus pluvii. Utrumque ab illuminatione verbum ortum eſt. Sed hoc eſt ludere cum Cl. Heinſio. Nos deducemus ab ἄημι ſpiro: ut Latini animam & Spiritum pro aëre dicunt.

Diatriba II.

An Moſes Chaos agnoſcat.

Dici non poteſt quantus ſapientium conſenſus convenerit in opinionem, meo judicio, futilem & rectæ rationi inconvenientem imò repugnantem, qua univerſi pulchritudinem & commodiſſimum ordinem, quem nunc cernimus, è conſuſa & indigeſta mole materiæ ſecretum & diſtinctum fuiſſe ab opifice Deo ſtatuitur. In id conſenſere pagani, Judæi, plerique Chriſtiani (poſt Lombardum ex Auguſtino) id eſt, orbis totus. Vocabulum & primam originem τοῦ χάους poſſumus debere Taauto quem Græci Ἑρμῆν, Latini Mercurium appellant, homini præſtantiſſimi ingenii & judicii, ſed impurorum geniorum miniſtro, qui verè fuerit Moſes gentiliſmi. Cananæus ſeu Phænix ille erat & ſua lingua חָהוּ *Chaho* dixerit primo privationem & abſentiam luminis necdum conditi. Sic Moſes *Tenebræ erant ſuper Abyſſum.* חשך Syrus reddidit חשוכא. Intellexerit eo vocabulo tenebroſum inane, in quo ſuo tempore Deus naturam rerum condidit. Vox Erebus videri etiam poſſit à nocte dicta eſſe עֶרֶב ἑσπέρα, νύξ. Sanè vocabulo χάος intelligi aëra vel inane illud vaſtum teſtis eſt Suidas, idque probat ex Ariſtophane & Ibyco. Sed hoc ex Ariſtophanis Scholiaſte ipſe didicerat. Lexicon Cyrilli χάος diſertim exponit *tenebræ*. Et hæc hactenus à Môſe non abeunt. Verum poſteriores voce χάος materiam primam rerum, quam deſcribit Ovidius, capiunt:

Ante mare & terras & quod tenet omnia cælum
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixère Chaos, rudis indigeſtaque moles
Nec quicquam niſi pondus iners congeſtaque eodem
Non benè junctarum diſcordia ſemina rerum.
Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan:
Nec nova creſcendo reparabat cornua Phœbe.
Nec circumfuſo pendebat in aëre tellus
Ponderibus librata ſuis: nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.
Quaque erat & tellus, illic & pontus & aër:
Sic erat inſtabilis tellus, innabilis unda,
Lucis egens aër, nulli ſua forma manebat.
Obſtabatque aliis aliud: quia corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere, habentia pondus.

Id χάος intellexit Ariſtophanes, cui dicit Amorem ex ovo, quod nox in latis ſinubus Erebi pepererat, natum ſeſe commiſcuiſſe in Tartaro atque itaque mundum meliorem produxiſſe. Mercurium Triſmegiſtum, cui gentilitas inventionem literarum & artium multarum adtribuit, primum inventorem materiæ fuiſſe Tertullianus indicat in libro adverſus Valentinianos: *Age nunc diſcant Pythagorici, agnoſcant Stoici, Plato ipſe, unde* materia, *quam innatam volunt, & originem & ſubſtantiam traxerit, in omnem hanc ſtrucm mundi, quod nec*

Mercurius ille Triſmegiſtus magiſter omnium Phyſicorum recogitavit. Simul hac oratione docet Pythagoram, Platonem & Stoicos à Mercurio didiciſſe. In Timæo Plato ait ideò opificem univerſi diſpoſuiſſe mundum, quia bonus ipſe ſit. Boni eſt inquit, nulli invidere, atque ita velle ut omnia ſibi ὅτι μάλιστα παραπλήσια fiant. Itaque cum vellet Deus omnia bona eſſe, pravum autem nihil κατὰ δύναμιν, in quantum pote, οὕτω δὴ πᾶν ὅσον ἦν ὁρατὸν παραλαβὼν, οὐχ ἡσυχίαν ἄγον ἀλλὰ κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως εἰς τάξιν αὐτὸ ἤγαγεν ἐκ τῆς ἀταξίας ἡγησάμενος ἐκεῖνο τούτου πάντως ἄμεινον. Id eſt, interprete Tullio. *Quicquid erat, quod in cernendi ſenſum cadebat id ſibi adſumpſit, non tranquillum & quietum, ſed immoderate agitatum & fluctuans, idque ex inordinato in ordinem adduxit: hoc enim judicabat eſſe praſtantius.* Itaque hæc opinio, Platonis & Hermeticorum erat, qua duo Principia rerum poſuerunt Deum & viſibilem materiam. Materia mali & inordinationis, Deus boni & ordinis cauſa eſt. Materia corporum adſpectabilium ſenſibilium origo, Deus animorum, quos ex ſe genuit. Hæc principia æterna ſunt, ita ut mundus ſecundum ipſos ab æterno fuerit ſed in confuſione, quam Deus opifex in tempore expediverit. Quod ſi autem quæras, quare æterna illa confuſio rerum non ante ab opifice Deo ſeparata & diſtincta fuerit? Reſpondebunt non tam recentem eſſe creationem aut diſtinctionem potius (nam quicquid noſtri in laudem Platonis & Hermetis garriant propriè creatum eſſe mundum illi non agnoſcebant) ut videtur nobis, aut hiſtoriarum memoria ſuadere judicatur, quoniam πολλαὶ καὶ κατὰ πολλὰ γεγόνασιν ἀνθρώπων φθοραὶ καὶ ἔσονται πυρὶ μὲν καὶ ὕδατι μέγισται, μυρίοις δὲ ἄλλοις ἕτεραι βραχύτεραι, ut apud Platonem loquitur Sacerdos Saïta. Macrobius in Somnium Scipionis lib. 2. *Sed mundum quidem fuiſſe ſemper Philoſophia autor eſt, conditore quidem Deo ſed non ex tempore. Siquidem tempus ante mundum eſſe non potuit: cum nihil aliud tempora, niſi ſolis curſus efficiat. Res verò humana ex parte maxima ſæpè occidunt manente mundo & rurſus oriuntur vel eluvione viciſſim vel exuſtione redeunte. Cujus viciſſitudinis cauſa vel neceſſitas talis eſt: Ignem æthereum Phyſici tradiderunt humore nutriri.* &c. Deinde: *Cum ergò calor nutriatur humore, hæc viciſſitudo contingit, ut modò calor, modò humor exuberet. Evenit enim ut ignis uſque ad maximum enutritus augmentum hauſtum vincat humorem & ſic aëris temperies mutata licentiam præſtet incendio & terra penitus flagrantia immiſſi ignis uratur. Sed mox impetu caloris abſumpto paulatim vires revertuntur humori: cum magna pars ignis incendiis erogata minus jam de renaſcente humore conſumat.* Hæc mentem Platonis interpretantur, qui etiam, id quod in Macrobio ſequitur, Ægypto nunquam nimietatem humoris vel caloris nocuiſſe dicit. Scilicet Ægyptii aquarum vim in montibus, ignis ope Nili exundantis evaſerunt. Unde & infinita annorum millia (ſi diis placet) in ſolis Ægyptiorum monumentis librîſque releguntur. Hæc Ægypto data prærogativa ſignificat ab homine Ægyptio, id eſt Hermete Triſmegiſto qui in Phœnice & Ægypto ætatem egit, fabulam hanc emanaviſſe. Huic Pythagoricorum & Stoicorum doctrinæ affinis Epicurus, qui atomos incerto lapſu fluctuaſſe ita vult, ut primum rudem & indigeſtam molem effecerint, quæ inquieta volutatione agitata fuerit, donec in apta & convenienti aggregatione atomi quieſcerent. Lucretium audiamus è lib. v.

Sed quibus ille modis conjectus materiaï
Fundarit cœlum ac terram, pontique profunda,
Solis, Lunai curſus, ex ordine ponam.
Nam certe neque conſilio primordia rerum

Ordine

Ordine ſe quæque atque ſagaci mente locarunt:
Nec quos quæque darent motus pepigere profectò:
Sed quia multa modis multis primordia rerum
Ex infinito jam tempore percita plagis,
Ponderibuſque ſuis conſuerunt concita ferri,
Omnimodiſque coïre atque omnia pertentare,
Quæcunque inter ſe poſſent congreſſa creare;
Propterea fit, ut magnum vulgata per ævum
Omnigenos cœtus & motus experiundo,
Tandem conveniant ea, quæ conjuncta repente
Magnarum rerum fiant exordia ſæpe,
Terrai, maris, & cœli generiſque animantum.
Hic neque tum Solis rota cerni lumine largo
Altivolans poterat nec magni ſidera mundi,
Nec mare, nec cœlum, nec denique terra neque aër,
Nec ſimilis noſtris rebus res ulla videri.
Sed nova tempeſtas quædam moleſque coorta
Diffugere inde loci partes cœpere, pareſque
Cum paribus jungi res & diſcludere mundum,
Membraque dividere & magnas diſponere partes
Omnigenis è principiis.

Terræ elementa ob gravitatem primum in medio univerſi coïere & quantò arctius cogebantur, tantò magis expreſſerunt corpora levia.

Sic igitur tum ſe levis ac diffuſilis æther
Corpore concreto circumdatus undique ſepſit,
Et late diffuſus in omnes undique partis
Omnia ſic avido complexu cætera ſepſit.

Pro gravitatis ac levitatis ratione omnia locum ceperunt, Sol & Luna cæterique planetæ proximè mundum: mare autem terræ adhæſit, ipſique centro ſe conjungeret, niſi à terræ ponderoſiore gravitate repelleretur. Nunc autem quà terra cedit ſeſe ingerit & vacuâ omnia occupat. Diſpoſitis naturæ locis,

Principiò genus herbarum, viridemque nitorem
Terra dedit circum collis campoſque per omnis
Florida fulſerunt viridanti prata colore
Arboribuſque datum eſt variis exinde per auras
Creſcendi magnum immiſſis certamen habenis.

Deinde.

— Inde loci mortalia ſecla creavit.
Multa modis miris varia ratione coorta.
Nam neque de cœlo cecidiſſe animalia poſſunt

Nec terreſtria de ſalſis exiſſe lacunis.
Linquitur ut meritò maternum nomen adepta
Terra ſit, è terra quoniam ſunt cuncta creata.
Principiò genus alituum variæque volucres
Ova relinquebant excluſæ tempore verno
Folliculos ut nunc teretes æſtate cicadæ
Linquunt ſponte ſua victum vitamque petentes.
Tum tibi terrà dedit primum mortalia ſecla.
Multus enim calor atque humor ſuperabat in arvis
Hinc ubi quæque loci regio opportuna dabatur
Creſcebant uteri terræ radicibus apti,
Quos ubi tempore maturo pateſecerat ætas
Infantum fugiens humorem, auraſque petiſſens
Convertebat ibi natura foramina terræ
Et ſuccum venis cogebat fundere apertis
Conſimilem lactis; ſicut nunc fœminà quæque
Cum peperit dulci repletur lacte &c.

Platonicorum ſive Stoïcorum cum Epicureis de natura & diſcretione τ͂ χάυς eadem opinio eſt, differens in eo quod Stoici & Platonici Chaos illud ſive Hylen ἀγένητον fuiſſe contenderent, Epicurei illud ex atomorum concurſu coiiſſe dicerent. Præterea Epicurus fortuitum concurſum atomorum varia agitatione tandem in hanc faciem rerum ſeſe compegiſſe ſentit: Plato & Hermes Deum illius indigeſtæ molis diſpoſitionem effeciſſe dicunt. Sic Ovidius eorum mente, *Hanc Deus & melior litem natura diremit.* Chriſtiani Judæique non tantum ordinationem materiæ primæ ſed & ipſam originem Deo creatori attribuunt, uti omnes noverunt: itaque in totum Hermeti non aſſentiuntur ſed ex parte, quòd cum illo materiam fuiſſe aliquam mundi, è qua conſtrueretur, partim ſtatuant partim concedant aut negare non audeant. Judæi delirium הויל, id eſt, ὕλης non à parentibus ſuis, non è ſchola prophetarum, nec è Synedrio (quamdiu Spiritus Dei in eo præſedit) acceperunt, quoniam vetuſta omnis eorum ſapientia tot calamitatibus primum dejecta eſt, deinde à ſuperſtitioſis & vanis hominibus penitus relicta & in tenebras demerſa. Sed Ægyptus vanitatum omnium mater & Alexandria paganicæ eruditionis Academia, ubi frequentes Judæi degebant, veneno ſuo animos leves de facili infecit. Ægyptiorum vanitas in priſca hiſtoria celebratiſſima eſt; ſed ſuffecerit hoc loco Hadriani imperatoris è Vopiſci Saturnino audire Epiſtolam: *Ægyptum, quam mihi laudabas, Serviane chariſſime, totam didici, levem, pendulam & ad omnia famæ momenta volitantem, illi, qui Serapin colunt, Chriſtiani ſunt: & devoti ſunt Serapi, qui ſe Chriſti epiſcopos dicunt. Nemo illic archiſynagogus Iudæorum, nemo Samarites, nemo Chriſtianorum presbyter: non mathematicus, non aruſpex, non aliptes. Ille ipſe patriarcha quum Ægyptum venerit ab aliis Serapidem adorare; ab aliis cogitur Chriſtum.* Vides, quales Judæi illi fuerint, qui Ægyptum incolebant? At nuſquam gentium tanta multitudo Judæorum quanta in Ægypto. Ea paganicam cum ſermone Græco opinionem facile admiſit & popularibus ſuis communicavit. Decretum fecerunt

quidam

quidem in Synedrio: אָרוּר מִי שֶׁיְּלַמֵּד לִבְנוֹ חָכְמָה יְוָנִית latenter tamen Platonicæ vanitates irrepſere. Et decretum illud non tam cavendæ vanitati fuit, quam penitus omni bonæ ſcientiæ prohibendæ, ab invidia magis quam prudentia editum. Quam mirabiliter Moſen torquent, & quæ clariſſima verba ſunt, in neſcio quem obſcurum loquendi modum transformant. Primò, quod Moſes dixit Cœlum & terram initio fuiſſe condita, ipſis interpretibus ſic accipiendum eſt, ut de maſſa quadam intelligatur confuſa, indiſtinctaque, è qua poſtea cœlum & terra extiterint. Atqui, inquam ego, facundiſſimus ſcriptor, tenebrionum aut Chemicorum Rethoricam nunquam didicerat, cur aliter loqui voluerit, quam ſentire? Omninò Scapham Scapham dixit, cœlum cœlum, terram terram. Quod cœlum intellexerit priore diatriba excuſſimus, ſcilicet, quod quia initio conditum eſt, jam poſteà conditum aut condendum non fuit. Itaque cœlum propriè Hebræis dictum שָׁמַיִם, non illud רָקִיעַ ſecundæ diei. Itaque fruſtrà Auguſtinus eſt cum hac interpretatione in libris de Geneſi ad literam. Secundum argumentum & longè (ut quidem ipſis placet) validius deducunt è ſecundo commate, ubi ita habetur: *Et terra erat* תֹהוּ וָבֹהוּ *Sic Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Hinc nemo ferè dubitavit argumentum invictum dari pro Chao. Primò duo nomina terræ & aquarum legunt, inde concludunt non ſolam terram, non ſolas aquas fuiſſe quod veriſſimum eſt. Nam tot diſtincta elementa ſunt, quot Moſes narrat. Sed quod inde porro conjiciunt, ſi duo fuerint aqua & terra, etiam omnia confuſa fuiſſe eò, aut quia Moſes duo dicit plura intelligi velle, ſine conſequentia argumentantur. Moſes primò dixit cœlum & terram condita eſſe, jam de aquis meminit quas creatas eſſe hactenus non oſtenderat. Figura eſt hæc Hebraici ſermonis, qua inſufficiens enumeratio primo loco ſtatuitur, inde in deductione, id quod omiſſum eſt, adducitur. Plurima loca τῶν γραφῶν talia ſunt. Ejuſmodi ſchema occurrit. Gen. IX. de facto impio Canaanis in avum. Primò narrantur ea, quæ ſopito Noë contigerunt à Cham, à Japhet & Sem. Deinde de excitato Noë dicitur, quod compererit ſibi factum aliquid eſſe à nepote (בְּנוֹ הַקָּטָן) ob quod in illum maledictum ſtrinxerit, ejuſmodi tamen facinus nepotis nullum narratum erat. Primum comma, ſenſu tale erit: *Initio condit Deus cœlum & terram* (& aquas.) Aliquantò ſecurius arguunt è vocibus תֹהוּ וָבֹהוּ. Dicunt in materia illa privationem στέρησιν, tertium Ariſtotelis principium ſignificari: abſentiam formæ ſuæ & aptitudinem ad eam. Hæc Chriſtianorum & Judæorum communis fataliſque deliratio eſt. Scriptura Scripturam explicet. Luculentius non poteſt, quam apud Jeremiam capite IV. comm. 23. *Reſpicio terram* וְהִנֵּה תֹהוּ וָבֹהוּ. Mens loci eſt perdendam fore Judæam ob delicta, ita ut terra ab omni cultu & ornatu nudanda ſit. Ornant terram opera Dei primò, quæ ſunt ſtirpes & animalia deinde opera hominum ædificia & cultura, unde ædes, horti, vici, urbes exiſtunt. Ea omnia terræ deficiebant primo & ſecundo die creationis. Ita illud תֹהוּ וָבֹהוּ explicatur conſequentibus: *Reſpicio montes, tremebant; & omnes colles, concutiebantur. Reſpicio & non erat homo & omnia volatilia receſſerant. Reſpicio & Carmelus erat ſolitudo & omnes ejus urbes deſtructa erant à facie Domini à facie iræ naſi ejus. Nam ſic ait Dominus deſolata erit tota terra: ſed conſummationem non faciam.* Eum in modum deſolata, informis, inanis & vacua tellus univerſa erat antequam tertius dies orbi illuceſceret. Habuit tellus foſſilia omne genus, mineralia, metalla, ſuccos (ne quis quærat quando hæc extiterint) verum nuda erat gignentium, animalium, operum humanorum. Senes Ægyptii interpretati ſunt in Geneſi; ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος. Videntur illi Hylen Platonicam in animo habuiſſe.

Baſilius tamen Magnus in interpretatione loci hujus ſenſum Spiritus S. non malè penetravit. Sic enim loquitur: Λειπόμενον τοίνυν ἐστὶ νοεῖν ἡμᾶς, ὕδωρ ἐπιπολάζειν τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς γῆς, οὔπω πρὸς τὴν οἰκείαν λῆξιν τῆς ὑγρᾶς οὐσίας ἀποκριθείσης. ἐκ δὲ τούτου οὐ μόνον ἀόρατος ἡ γῆ ἀλλὰ καὶ ἀκατασκεύαστος. ἡ γὰρ τοῦ ὑγροῦ πλεονεξία, ἔτι καὶ νῦν ἐμπόδιόν ἐστι πρὸς καρπογονίαν τῇ γῇ. ἡ οὖν αὐτὴ αἰτία καὶ τοῦ μὴ ὁρᾶσθαι καὶ τοῦ ἀκατασκεύαστον εἶναι. εἴπερ κατασκευὴ γῆς, ὁ οἰκεῖος αὐτῇ καὶ κατὰ φύσιν κόσμος λήϊα μὲν ταῖς κοιλότησιν ἐγκυμαινόμενα. λειμῶνες χλοάζοντες καὶ ποικίλοις ἄνθεσι βρύοντες, νάπαι εὐθαλεῖς, καὶ ὀρῶν κορυφαὶ ταῖς ὕλαις κατάσκιοι ὧν οὐδὲν εἶχεν οὐδέπω ὠδίνουσα μὲν τὴν πάντων γένεσιν διὰ τὴν ἐναποτεθεῖσαν αὐτῇ παρὰ τοῦ δημιουργοῦ δύναμιν, ἀναμένουσα δὲ τοὺς καθήκοντας χρόνους, ἵνα τῷ θείῳ κελεύσματι προαγάγῃ ἑαυτῆς εἰς φανερὸν τὰ κυήματα. Id eſt, *Reliquum igitur eſt, ut intelligamus, aquam ſummæ telluri incubuiſſe, quum humori fines proprii poſiti necdum eſſent. Hinc non tantum terra inviſibilis ſed & incompoſita fuit. Nam nimius humor etiam nunc fructificationi terræ impedimentum dat. Igitur eadem cauſa fuit quare non videretur & quare incompoſita eſſet. Quoniam diſpoſitio terræ eſt ejus proprius & naturalis ornatus. Segetes in depreſſis locis gravidæ, prata virentia & variis floribus pullulantia; fecundi ſaltus & vertices moutium ſylvis opaci. Quorum nihil tum habebat, parturiens quidem omnium ortum ob inditam ipſi ab opifice facultatem, verum convenientia operiens tempora, ut divino juſſu fœtus ſuos ederet.* Hactenus Baſilius, qui ante invectus erat εἰς τοὺς παραχαράκτας τῆς ἀληθείας τοὺς οὐχὶ τῇ γραφῇ τὸν ἑαυτῶν νοῦν ἀκολουθεῖν ἐκδιδάσκοντας ἀλλὰ πρὸς τὸ οἰκεῖον βούλημα τὴν διάνοιαν τῶν γραφῶν διαστρέφοντας. Intelligit Valentinianos & ſimilis farinæ hæreticos. Aliud argumentum pro chao diſputatores eruerunt è dicto Eccleſiaſtici Ben Sirach cap. XVIII. Ὁ ζῶν εἰς τὸν αἰῶνα ἔκτισε τὰ πάντα κοινῇ, quod vulgatus reddidit, *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul.* Κοινῇ eſt יַחַד pariter, id eſt nullo excepto, at illi *ſimul* de tempore intellexerunt. Lombardus: *Quatuor enim modis, ut ait Alcuinus ſuper Geneſin operatur Deus. Primò in verbo, omnia diſponendo: Secundo in materia informi quatuor elementorum, de nihilo eam creando. Vnde: Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul. Omnia ſcilicet elementa: vel omnia corpora materialiter ſimul creavit. Tertiò per opera ſex dierum varias diſtinxit creaturas. Quartò ex primordialibus ſeminibus non incognitæ oriuntur naturæ ſed notæ ſæpius reformantur, ne pereant.* Palmarium videri poſſet, quod Sap. XI. 18. *Manus tua creavit orbem terrarum* ἐξ ὕλης ἀμόρφου. Hic notandum 1. terras non cœlum ex materia iſta dici conditas. Cur igitur tam avide eum locum illi arripiunt, qui cœlum Dei & beatorum terræ miſcent? 2. Quod Junilius epiſcopus Afric. informitatem exponat de deformitate & obtectione prima, cum aquæ & terræ tenebris tecta & terra ſub aquis demerſa eſſet ſine hoc ornatu, quem Deus & humanum genus addiderunt. 3. Scriptorem eſſe apocryphum, Judæum ex Ægypto, Platonicis imbutum opinionibus. Unde non ὕλην ἄμορφον eum dixiſſe arbitror, mente ea, qua noſtri hodie accipiunt, ſed ut gentiles Philoſophi, æternam, non conditam, alterum rerum principium. Viderint, qui iſtum librum Canoni ſacro adjiciunt. Hæc interpretum argumenta ſunt pro rerum informitate initiò condita. Placet ipſis *in forma confuſionis prius omnia corporalia materialiter ſimul & ſemel eſſe creata, poſtmodum autem in forma diſpoſitionis ſex diebus eſſe ordinata:* quæ iterum Petri Lombardi verbi verba ſunt. De informi illa materia quæſtionem deinde Lombardus proponit, ubi ſcilicet ſubſtiterit & quantum in altitudinem porrecta fuerit. *Ad quod* (ait) *nihil temerè aſſerentes dicimus; quod illa prima rerum omnium moles, quando creata eſt, ibidem ad eſſe videtur prodiiſſe ubi nunc formata ſubſiſtit. Eratque terreum hoc elementum in uno loco,*

codem-

eodemque medio ſubſiſtens, cæteris tribus in una confuſione permixtis: eiſdemque circumquaque in modo cujuſdam nebulæ oppanſis ita obvolutum erat, ut apparere non poſſet quod fuit. Illa verò tria in una permiſtione confuſa, circumquaque ſuſpenſa, eouſque in altum porrigebantur, quouſque nunc ſummitas corporeæ naturæ pertingit. Et ſicut quibuſdam videtur ultrà locum firmamenti extendebatur illa moles, quæ in inferiori parte ſpiſſior erat: in ſuperiori rarior, levior atque ſubtilior exiſtebat: de qua rariori ſubſtantia putant quidam fuiſſe aquas, quæ ſuper firmamentum eſſe dicuntur. Talis fuit mundi facies in principio, priuſquam reciperet formam vel diſpoſitionem. Hactenus ille. Mirum autem ubi iſti latuerint, inquo Latio, cum terræ baſes ponerentur & cœlum conderetur: nam præſentes ſe fuiſſe fatentur, quando ita particulatim omnia notaverunt. Sed eorum rationes evertimus, nunc Philoſophic s argumentis futilitatem ejus opinionis aperiamus. Iſtorum rationes ſunt ovum eſſe ante pullum, qui de ovo generatur. Lucretius ſupra dixit

Creſcebant uteri terræ radicibus apti.

Ideò de informi materia tanquam ovo diſpoſitionem exiiſſe maturitate temporis ratiocinantur. Scilicet res quælibet prius imperfecta eſt, antequam formam perfectionis accipiat. Ita fabri moliuntur domum & ab fundamentis paulatim excitant, poſtquam materiam polivêre. Ratiocinatio inepta eſt, quia nulla parilitas eſt inter ortum primi individui & ſecundorum, qui de primo propagantur, nec ulla convenientia eſt opificii divini & humani. Propagatio ſpecierum qua individuum divina benedictione exit ab individuo, medio ſeminii, coagulati formati peragitur, ſed conditus primi individui fuit in perfectione, quia omne primum & omne initium motionis eſt ab ſtatu perfecto. Ariſtoteles optimè Theologos & Phyſicos cumque iis Pythagoricos rejecit, quod primum imperfectum eſſe opinati ſint. Metaphyſic. lib XII. cap 7. Ὅσοι δὲ ὑπολαμβάνουσιν, ὥσπερ οἱ Πυθαγόρειοι καὶ Σπεύσιππος, τὸ ἄριστον, μὴ κάλλιστον, μὴ ἐν ἀρχῇ εἶναι διὰ τὸ καὶ τῶν φυτῶν καὶ τῶν ζώων τὰς ἀρχὰς αἴτια μὲν εἶναι τὸ δὲ καλὸν καὶ τὸ τέλειον ἐν τοῖς ἐκ τούτων, οὐκ ὀρθῶς οἴονται. τὸ γὰρ σπέρμα ἐξ ἑτέρων ἐστὶ προτέρων τελείων, καὶ τὸ πρῶτον οὐ σπέρμα ἐστὶν, ἀλλὰ τὸ τέλειον οἷον πρότερον ἄνθρωπον ἂν φαίη τις εἶναι τοῦ σπέρματος, οὐ τὸν ἐκ τούτου γενόμενον ἀλλ' ἕτερον, ἐξ οὗ τὸ σπέρμα. Id eſt: *Quotquot autem opinantur, ut Pythagorei & Speuſippus, optimum non pulcherrimum. non in principio eſſe, quia plantarum & animalium principia cauſa quidem ſint, at pulchritudo & perfectio in illis inveniantur, quæ ex iſtis prodierunt, non rectè arbitrantur. Nam ſemen eſt ex aliis prius perfectis, & primum non ſemen eſt, ſed id quod perfectum eſt. Ut quis dicere poſſit hominem priorem eſſe ſemine, non illum, qui ex hoc ſemine generatus eſt, ſed alium ex quo ſemen eſt.* Hæc acutiſſima ſententia eſt ab ipſa veritate comprobata. Hiſtoria creationis oſtendit, quicquid conditum eſt, in ſtatu perfecto conditum eſſe. Plantæ, animalia, homo creata ſunt in grado perfectionis, unde generatio incipit. Animalibus Dominus dixit: *Fœtificate* & *augeſcite.* De ſtirpibus dictum eſt, *Herbeſcat terra herbulas, herbas ſementantes ſemen, arbores fructiferas edentes fructum in ſpecies ſuas, in quibus ſuum ſemen ſuper terram.* Id ita factum eſt. Et teſtatur divinus ſcriptor pependiſſe in arboribus mala, è quibus homo vetitum ſumens ſe & poſteritatem damnavit. Ita quidem Autumnus in anno erat, fuit & autumnus in animalibus jam ad generationem, item in homine, cui conjux data ad ſobolem. Si hæc in perfectione non in ſemine creata fuerint, quidni & elementa primo ortu ſummam perfectionem habuerint, quà apta fuerint fotui & generatui rerum corporearum. Profectò verbo creationis

nis omnipotenti ea inſuit vis, ut *ἐν μιᾷ καιροῦ ῥοπῇ μιᾷ τῇ ὁρμῇ καὶ κινήσει* plena & perfecta creare omnia potuerit, nec habuerit neceſſum *ἐκ διαδοχῆς* ad perfectionem pervenire. Egit in productione ſingulorum modo perfectiſſimo, quamvis ad *τὸ πᾶν* conſtituendum *τῆς ἑξημέρου διαδοχαῖς* fuerit progreſſus, ut ſinguli dies ſeptimanæ ſuis beneficiis diſtinguerentur. Baſilius oſtendit quamvis ex profeſſo hanc rem non tractaverit; ſibi diſplicere etiam poinionem eorum, qui materiam talem à Deo creatam fuiſſe opinantur. Materiam æternam ſtatuere impium eſt, creatam informem opinari eſt contra literas ſacras & bonam rationem. Baſilius cœli voce cœlum, terræ terram, aquæ aquam accipi vult à nobis, nec à cerebro, quod non habetur in ea, ſcripturæ adfingi. Tertullianum in Hermogenim audiamus: *An autem de aliqua ſubjacenti materia facta ſint omnia nuſquam adhuc legi. Scriptum eſſe doceat Hermogenis officina. Si non eſt ſcriptum, timeat va illud adjicientibus aut detrahentibus deſtinatum. Sed ex ſequentibus argumentatur, quia ſcriptum ſit,* Terra autem erat Inviſibilis & incompoſita. *Nam &* terræ *nomen redigit in materiam, quia terra ſit, quæ facta eſt ex illa. Et* erat *in hoc dirigit, quaſi quæ ſemper retrò fuerit innata & infecta.* Inviſibilis *autem* & rudis *quia informem & confuſam & inconditam vult fuiſſe materiam.* Deinde: *Et primo de nominibus expoſtulabo. Horum enim alterum legimus, quod eſt* terræ, *alterum non invenimus, quod eſt* materiæ. *Quæro ergò cum materia nominatio non extet in ſcriptura, quomodò ei etiam terra appellatio accommodetur in alio jam genere ſubſtantiæ nota? Quo magis materia quoque nominatio extitiſſe debuerat, conſecuta etiam terra appellationem, ut ſcirem terram commune cum materia eſſe nomen, ne illud ei ſoli ſubſtantia vindicarem, cujus eſt proprium, in qua magis notum eſt, vel ne illud in quamcunque aliam ſpeciem, nec utique omni materia communicare poſſem ſi vellem.* Hæc in Hermogenem dicta à Tertulliano, valebunt in Materiarios Semi-Hermogenianos, qui vocabula Moſaica, ut ille, à proprio ſenſu ad materiam ſignificandam abduci volunt. His ita expoſitis finem diatribæ imponamus, quandoquidem ſatis *τὸ* Chaos diſcuſſimus, poſita prius ob oculos tabellâ, quæ Moſaicam geneſin rerum exhibeat:

Ἑπταήμερον In Octobri Periodi Iulianæ DCCLXIV. *Cyclo Lunæ* IV, *Solis* VIII.

XIX. E, Cœlum ſedes divinæ majeſtatis cum Angelis: Tellus circumfuſa aquis: Ignis lucis & dierum effector.

XX. *f*, Aër ſive anima interjecta aquis & convexo Empytei, רקיע.

XXI. *g*, Aquæ nudato ſicco in alveos marium & amnium collectæ: Siccum ſtirpibus veſtitum.

XXII. *a*, Sol, Luna & reliqua ſidera. Æquin.

XXIII. *b*, Animalia, quæ in aquis degunt, cum volatilibus.

XXIV. *c*, Animalia, quæ in ſicco terræ agunt. Homo mas & ex ejus coſta mulier prima Eva, in Paradiſo Edenenſi collocati, lapſi, maledicti, ejecti.

XXV. *d*, Sabbathum & quies maximi opificis.

Obſervabit Lector, præcedentes duas diatribas à nobis ſcriptas eſſe, antequam vidiſſemus editionem ſecundam commentariorum Piſcatoris. In ea enim ſententiam illam de materia prima & rudi. ſub cœli & terræ nominibus intellecta explodit, ſicuti & facit in ſuis theſibus. Diſce & ama germanum

nam φιλαλήθειαν. Nam inconſultè factum ab illis eſt, qui ſecundæ editioni, in folio quæ eſt, præpoſuerunt præfationem primæ editionis, ubi diſputat pro ſententia priore quam in commentariis ipſis rejicit.

Diatribe III.

De tempore anni, quo mundus conditus eſt.

Diximus de hoc aliquid in ſecunda Diatriba, nunc fuſius perſequamur ex aliis. Conditum mundi omnes referunt ad aliquem cardinem anni, qui eſt ſolſtitium vel æquinoctium. Solſtitium hyemale brumam vocant, ad quam nemo conditi mundi principium retuliſſe auditus eſt. Ad Solſtitium æſtivum ſolus Mercator ſubſtitit. Quem quia ſectatores non obtinuit, non reſpicimus. De æquinoctiis igitur eſt contentio, aliis vernum aliis autumnale eligentibus.

Pro autumnali pugnat temporum doctrinæ magiſter ſummus, Joſephus Scaliger, qui & ſe & Patrem Julium Cæſarem reliquit. Verba ejus de emendat. temp. l. 5. cap. de cond. mundi: *Nemo enim dubitat duplicem fuiſſe veterum Hebræorum de mundi conditu ſententiam. Alii enim in libra conditum volunt, argumento, quod antiquitus etiam ante Exodum Tekupha fuerit proximè æquinoctium. Ejus ſententiæ adhuc veſtigia ſuperſunt in Synagogis Iudæorum & quidem vetuſtiſſimi inſtituti. Nam in Sabbato, quod poſtremum eſt in menſe Tiſri, incipit Lectionarium Iudaicum, cujus caput primum, quod* בְּרֵאשִׁית *vocant, eſt initium libri Geneſeos. Recentior eorum, qui mundi conditum in Æquinoctium vernum conferunt: runt: quia inquiunt, tunc omnia germinant, quæ contra in Autumno marceſcunt. Alioquin, quorſum ajunt, terra germinare juſſa, ut ſtatim primis Autumni frigoribus exſoleſceret? Sed futile eſt argumentum, quamvis ea etiam fuerit olim opinio noſtra. Nam ſi hoc verum eſt, cum Deus jubeat arbores fructum producere, oporteret uvas & reliquos fructus, qui non niſi Autumno matureſcunt, jam in ipſo verno æquinoctio fuiſſe. Quod eſt abſurdiſſimum. Deinde, quæ temeritas eſt initium rerum inſtituere, diverſum ab initio Hebræorum priſco? Primus menſis in hiſtoria diluvii incipit ab Autumno, Tekupha anni dierum eſt in Autumno, Lectionarium vetuſtiſſima conſuetudine incipit ab autumno. Quare igitur nobis commentum noſtrum placet & aliud initium inſtituimus adverſus verbum divinum & veteris anni uſum? Igitur mundi primordia fuerunt in æquinoctio autumnali. Accedit priſcorum Ægyptiorum ſententia, quæ mundi initium ſtatuit in ultimis partibus libræ. Quas poſteriores partes libræ & quomodo accipere debeamus, paulo poſt exponetur. Non utique advocamus fidem Ægyptiorum ad fulciendam verbi divini veritatem. Satis enim per ſe ipſa firma eſt. Sed oſtendimus in hoc miram Dei ſummi providentiam, qui in tanta re etiam Ethnicorum conſenſum cum ſacris rationibus paria facere voluerit* &c.

Hæc latius deducit Sethus Calviſius in Iſagoge Chronologiæ ſuæ, ubi rationes proponit multas. Quas non ex conjecturis ſed è ſacræ ſcripturæ ſententia hauſerit.

I. Annus tempore Patriarchico non potuit ab alio cardine initium habuiſſe, quam in quo orbis eſt conditus. Atqui iniit ab Autumno. 1. Alexander Polyhiſtor apud Joſephum teſtatur Abrahamum attuliſſe in Ægyptum eam anni rationem, quam ab Enocho accepiſſet. 2. *Exod.* 23. 16. Jubetur feſtum tabernaculorum celebrari in exitu anni; Et *Exod.* 34. *verſ.* 22. בִּתְקוּפַת הַשָּׁנָה in cardine æquinoctiali ſeu converſione anni, in ſeptimo menſe, qui abſque omni dubio eſt autumnalis. 3. Paraphraſtes Chaldæus lib. 1, Reg. cap. 8. v. 2.

ſic ait: *In menſe Ethanim, qui antiquitus ante Exodum dicebatur primus, nunc autem ſeptimus*: 4. Joſephus lib. 1. cap. 4. *Contigit vaſtitas diluvii menſe ſecundo, qui Dius à Macedonibus vocatur*, Hebræis Marcheſuan. Sic enim Ægyptii diſtinxerant annum. Moſes autem poſteà menſem Niſan, qui eſt Xanthicus, primum menſem in faſtis ſuis ordinavit &c.

II. Idem demonſtrant anni Sabbatici, qui ab æquinoctio autumnali ex mandato Dei inchoabantur. Quorum initium idem eſſe Deus voluit cum initio mundi, ne ſemeſtre ſpatium ſupereſſet quod ad annos Sabbaticos non pertineret. Quemadmodum enim Deus feriam ſeptimam voluit eſſe Sabbatum, quæ inchoaret à veſperâ *Levitici*. 23. 32. ut creationis initium, quo momenta integre numerarentur: ita & in annis Sabbata, annique eorum adnexa fuere mundi primordiis, quo ſine intervallo & hiatu computarentur. Dependent enim à die Sabbati primo.

III. Veſtigia in Synagogis, ut prima lectio in lectionario.

IV. Firmicus mundum eſſe conditum dicit in libra, quia ejus tempore 26. Octobris fuit in ultimis libræ partibus. Antiquæ igitur ſententiæ memoria fuit de iſto die.

V. Diluvii tempus id elegiſſe Deus videtur, quod in hyemem ibat. Id enim inundationibus idoneum.

VI. Quemadmodum diei partes principales ſunt nox & dies, ita anni hyems & æſtas. Ut igitur nox in civili die, ita hyems in anno præceſſerit.

Duo illa ultima argumenta parum ſoliditatis videntur habere. Novimus ex aliis argumentis ab autumno iniiſſe diluvium, non ex hoc. Si enim ab autumno diluvium iniit & in eodem deſiit. Ut immittendo diluvio autumnus fuit idoneus, ita reſiccandis terris ineptus erat.

Sufficiant illa quatuor prima, huic ſententiæ de autumnali initio firmandæ.

Firmicus dixit (interprete Scaligero) ultimis libræ partibus mundum conditum eſſe. Verba Firmici, quæ adducit Scaliger, habentur in lib. 8. cap. 3. Male in editione operis de emendatione legitur lib. 7. pro 8. Hæc verba ſunt: *In renibus tres ſequentes* XXVII *&* XXVIII *uſque ad extremos porriguntur pedes. Cætera enim numeros ad* XXX. *collocantur. In iſtis enim poſterioribus partibus, terra dicitur eſſe compoſita, ut Barbarica ratio confirmat.* Barbaricam rationem (ait Scaliger) Ægyptiacam vocat. Biſſextum non omnino neglectum fuiſſe docet. Tenebant enim hunc modum: Notabant in ſecunda die menſis quarto quoque anno exacto, quod in prima antea notatum fuerat & nono anno in tertia, quod antea in ſecunda. Hoc modo eos conſervaſſe memoriam rerum. Diem igitur conditus in anno vago à multis ſeculis ſignatam habuiſſe Ægyptios, eoque factum, ut accepto parapegmate Philadelphi Dionyſiano, ea inciderit in ultimum diem Zygonos. Sic igitur, & ex anno Exodi, qui eſt poſt M. C. 2453. in conditi orbis anno, prima dies poſt ἐπαγόμενον fuerit (feria I. XXVI. Octob. (in anno ſc. P. Jul. 764.) νεομηνία ζυγῶνος. Tekupha XXV. Octobris & primum Sabbatum. Barbarica ratio è mente Salmaſii fuit ratio Sphæræ τῶν ἀπλανῶν, ſine definitione ad Ægyptios. Quamvis Ægyptii præcipui fuerint inter exteros, qui aliam rationem edidere figurarum in octavo orbe, quam Græci. Deinde compoſitam eſſe terram non intelligam de origine mundi per creationem à Deo, ſed de materiæ digeſtione ſeu poſt ἐκπύρωσιν vel κατακλυσμὸν inſtauratione. Non capio igitur, quam Scaliger narrat, miram Dei providentiam oſtendentis in tanta re conſenſum ethnicorum cum ſacris rationibus. Suffecerint mihi illæ rationes ſacræ. Rationes Alſtedii pro æquinoctio verno.

I. Initium

I. Initium anni Eccleſiaſtici magis conſentaneum erit naturæ & præſtantius initio civilis anni. Creationi igitur congruet. R. Initium & tota anni eccleſiaſtici ratio non eſt accommodata naturæ & primæ creationi, ſed præſignificationi & umbris. Chriſti mors novum annum gratiæ inchoatura erat, ideo hic menſis primus anni factus eſt & in memoriam non creationis ſed liberationis ex Ægypto. Hanc rationem ipſe Deus aſſignat. Exod. XII. 2.

II. Chaldæi & Perſæ, qui ſuam ſapientiam ab Hebræis mutuati ſunt, principium anni in verno Æquinoctio ſtatuerunt. R. Falſo & ineptè. Quod cum ejus venia dixerim.

III. Hiſtoria creationis non obſcurè innuit fuiſſe ver. Terræ enim germinare juſſæ. R. Vide reſponſionem Scaligeri in antecedentibus.

IV. Hiſtoria Diluvii oſtendit. R. In quæſtione eſt.

V. Ingreſſus Solis in Arietem convenit perfectioni vernanti qualis deſcribitur Gen. I. R. Eadem ratio cum tertia.

VI. Autoritas Cæſaris Scaligeri & Calvini. R. Filius Scaliger coactus eſt vitationum, & ſe & Patrem deſerere: Calvinus non ita hanc rem expenderat nec præſcripſit adverſæ opinioni.

Constitutus Ante Annos Jam Pene Sex Millia] Victor Giſelinus temporum rationem hiſtoriæ ſacræ Sulpicii Severi accommodatam in tabella digeſſit. Tabula ejus iſta eſt:

I.	*Ab orbe condito uſque ad eluvionem & Noë ex arca egreſſum ſunt anni*	*2242*
II.	*Ab eo tempore ad Abrahami ortum anni ſunt*	*1070*
III.	*Idem admonitus à Deo relicta patria, venit in terram Chananæorum ætatis anno*	*75*
IV.	*Ab ea Abrahami migratione in illud tempus quo Hebræi ex Ægypto ſunt egreſſi anni*	*430*
V.	*Ab eo Hebræorum egreſſu, ad Ioſuæ mortem anni*	*67*
VI.	*A Ioſuæ morte ad mortem Samſonis anni*	*419*
VII.	*A Samſone ad quartum Salomonis annum, quo templi fundamenta jacta ſunt, anni*	*102*
VIII.	*A quarto Salomonis anno ad captivitatem Babylonicam ſub Ieconia Rege cœptam, anni*	*424*
IX.	*A primo ejus captivitatis die ad reſtaurationem templi perfectam & Hieroſolymorum, anni*	*260*
X.	*Ab eadem templi reſtitutione ad Chriſti crucem duobus Geminis coſſ. anni*	*398*
	vel potius	*348*
XI.	*Ab iiſdem coſſ. ad Stiliconem conſulem, anni*	*382*

Summa omnium 5869. ſeu potius 5819.

Ex hac tabella cuivis intelligere eſt, quam vere Severus initio ſacræ hiſtoriæ dixerit, Mundum ſua ætate ſex pene annorum millibus fuiſſe conditum. Quam vero parum conſentiant qui rationem temporum inveſtigatam ediderunt, mox oſtendam, ſi prius ſingulorum capitum rationem paucis reddidero.

Primum igitur auctoris eſt. Secundum nos ex ſacra Bibliorum hiſtoria accerſivimus, quod reliqua ei ita videantur inniti, ut alioquin nullo modo conſtent. Inter ſecundum & tertium aliud medium Sulpicius inſerit lib. 1. cap. 26. eo tamen omiſſo,

 idem

idem reliquas annorum ſummas ab Abrahamo in terram Chananaam commigrante orditur: quare & nos ſatis habuimus idem caſtigare, non etiam in hunc indicem advocare.

Tertium ſumma caput cum duobus ſequentibus ipſi auctori ſeſe debent: optimeque ea inter ſe convenire, indicio ſunt numeri minores iiſdem ſubſervientes.

Sexti verò, ut ab auctore ſubductum eſt, ea demum eſt ratio, ut Heli annis 20. Samuelis & Saulis 38. Davidis ac Salomonis 44. id eſt, annus 102. utraque proxime ſuperior ſumma adjiciatur: ſic enim efficientur 588.

In ſeptimo colligendo auctoris verba ſecuti ſumus, nulla habita ratione, diſſentaneæ ea ſint aliorum ſcriptis, an minus: neque enim hoc agimus. Omnium itaque Regum Iuda anni ad ſummam revocati, redeunt ad ann. 423. & menſes 6. quorum menſium ea re non facimus mentionem, quod in proximo item ſequenti capite aliquot deſiderentur.

Octavi capitis Severus eſt auctor: neque numeri, quibus Babylonicam ſervitutem, & Perſarum regna deſcribit, eidem diſconveniunt: ſoli enim tres menſes deſiderantur, ut ex ſeptem menſibus magorum, qui Cambyſem trucidarunt, & duobus Xerxis ſecundi, integer annus redeat. Minimè vero hoc loco prætereundum, à Severo lib. 2. cap. 10. aliam longe ſupputandi viam monſtrari; qua & propius multo itur & minor eſt erratio. Scribit enim Darii, qui Hyſtaſpis filius fuit, regnantis annum 32. eundem eſſe, qui ab Vrbe condita eſt 260. A quo deinde anno, ſi, inquit, inveſtigatio Romanorum conſulum non fallit, anni reliqui ſunt ad Stiliconem conſulem 881. cui ſumma ſi annos 70. captivitatis Babylonicæ 31. Darii, 9. Camb. 7. m. Magor. & 32. Darii ſecundi adjeceris (ſunt autem 102. & medius) ſumma naſcetur annorum à die captivitatis Babylonicæ ad conſulem Stiliconem. 990. Illud ſcitum, quod quibus Severus maxime viſus eſt diffidere, iidem minime omnium fefellerunt, conſules dico Rom. quorum faſtos cæteris omnibus chronographiis certiores eſſe, ſolus hic locus fidem faciet. Quot enim annos tum Severus à T. Geganio Macerino & P. Minutio Augurino coſſ. ad Stiliconem conſ. numerabat, totidem fere etiam hodie recenſent omnes, qui eoſdem faſtos magno ſtudio & ſumtibus reſtituere atque illuſtrare eniſi ſunt, nominatim Hubertus Golzius noſter, omnium longe princeps, qui duobus duntaxat annis Severum noſtrum ſuperat numerans annos 890. cujus varietatis, quæ etiam lib. 2. cap. 13. occurrit, alio loco & tempore rationem volente Deo, ſuum redditurus.

Reliqua duo numerorum capita Auctori ſua ſunt: atque ut è variis auctoribus concinnata, ita quoque à faſtis conſularibus multum evariant: annis enim 50. eos excedunt, qui exceſſus quoniam immodicus eſt, & ſevero Sulpicii calculo indignus: prope abeſt, ut levi mutatione illum auſim corrigere, & ad annorum numerum cum ſuperiori æqualem reducere, quod facile fiet, ſi lib. 2. c. 13. pro CCCXCVIII. *reſtituamus* CCCXLIII. *tum enim in utriuſque ſumma reductione neque plures erunt neque pauciores ann.* *990*

Sicut Processu Voluminis Istius Digeremus] Tam ingens diſſenſio Sulpitii Severi à noſtratium Chronologia & computatione (qui ad Chriſtum cum Dionyſio exiguo numerant annos 3949. quibus ſi addantur 400. ad Stiliconem Coſ. erunt 4349) debetur primario verſioni, quæ dicitur ſeptuaginta interpretum. Sulpicius autem diligens eſt in notandis temporibus. Ut quæ fuerit pars ſcopi in procemio propoſiti. Uti annotavit Giſelinus.

Quanquam Inter Se Parum Consentiant] Diſſenſus ingens & varius eſt, uti & annotavit Giſelinus & in tabulam digeſſit, quam habes in notis Druſii. Ejus diſſenſionis & varietatis rationes ſic diſcutit idem Giſe-

Giſelinus: *Hujus tam variæ & portentoſæ diverſitatis rationes quoque variæ ſunt. Vna eaque præcipua, ſeptuaginta Interpretum exemplaria, ſive interpretatio prava & corrupta, ut pro me locuples teſtis erit Cl. vir* Andreas Mazius *in ſuis ad Ioſua hiſtoriam doctiſſ. diſertiſſimiſque Annotationibus: falſi enim ſunt ut hoc dicis cauſa adjiciam, cap. 5. Geneſ. quo loco ducentos pro centum ſemper habent. Hieronymus in Quæſtionibus Hebraicis. Sic in recenſendis Sem, qui filius Noë fuit, poſteris Cainan cuidam, quem Hebræi ignorant, Græci 130. annos adſcribunt. & in reliquis ad Abrahami ortum numerandis, ſuperat Epiphanius Hebræos annis 790. quæ varietas cui non videri poſſit monſtri ſimilis? Altera, quod quidam Veterum annos Hebræorum ſupputarunt quaſi lunares. Euſebius lib. 8. de demonſtrat. Hieronym. in 9. cap. Danielis. Auguſt. epiſt. 78. &c. Tertia, quod Iudæi odio Chriſtianorum plus ſatis indulſerint, ut ex Danielis hebdomad. liquet, quas ad everſionem templi ultimam & ad Agrippam, Herodianorum poſtremum, extrahere violente atque extendere conati ſunt. Quarta ipſa ſcripturæ loca ſatis obſcura, & niſi quis probe multoque uſu inſtructus ad eam acceſſerit, in interpretationum varietatem prona ac lubrica: ut cap. 12. Exodi, quo dicuntur Iacobæi in Ægypto manſiſſe annis 430. quem locum, ut plurimos alios, aliter multi atque aliter accipiunt. Quinctam afferre poſſim chronica à diverſis olim Iudæis, ſive exteris, modo negligentius modo cum præjudicio conſcripta; item alias multas, uti Synecdochas ſæpe confinia duorum Regnorum confundentes, hyſterologias, mutationes terminis regnorum, varietates nominum; ut cum plures ſunt cognomines aut unus plura habet nomina; ac denique, quod primo dicendum erat, librorum menda, quæ in notis, quibus temporis quantitas deſignatur, facillime fiunt, & nuſquam non ſunt obvia. Hæc inquam omnia poſſim adferre, ſed malo eadem à Gilb. Genebrardo, aliiſque hæc ex profeſſo copiosè explicantibus peti. Simul ea, quæ in hoc genere reliqua ſunt jam dudum me vocant.*

His quinque rationibus Giſelini, quas Genebrardo debet, adjicere poſſumus & illam quod artificialem Periodum habuerint pro epocha naturalis cardinis. Talis eſt Epocha Conſtantinopolitana, talis Periodus Juliana, quam ſummus vir Joſephus Scaliger invenit, accommodiſſimam ratiociniis temporum. Præjudiciis etiam adnumero Alfonſinam æram quæ non hiſtoriæ temporum, ſed ſiderum curſibus accommodata eſt. Deus mundum condidit, quando voluit. Quando autem voluerit; non poteſt è priori ſed inveſtigandum eſt è poſteriori, ut hiſtoria & eventus decretum divinæ voluntatis revelent. Negligentiæ imputandum (& ignorantiæ) quod ſine characteribus & certiſſimis notis computationis Oceanum dimetiri ſint aggreſſi. Hanc autem methodum ſi non invenit primus Scaliger, ſaltem excoluit, imò latentem produxit in medium. Immortalis ideo in hoc etiam literarum genere illi debetur laus. Cæterum, quia Giſelinus, quem in rationes advocavit Johannes Druſius, ſecutus eſt veſtigia Gilberti Genebrardi, Eum potius exhibeamus, ut inter eos ſit, qui huic operi ſymbolam contulere. In libro ſecundo Chronologiæ ſuæ de Chronologorum ſcrupulis iſta commentatus eſt:

De Chronologorum profanorum ſcrupulis.

QVia in annotandis annis ab urbe condita non ſatis congruunt rationes Hebræorum, Græcorum, Romanorum, quando inter ſe conferuntur, ne mireris ſi in eis perſequendis, non omnia ad omnium animos & ſcripta accommodate ſcripſerimus. Nam ne ipſe quidem mihi ſatisfeci. Florus narrat in 2. epitome ab V. C. ad 20. Auguſti, tempus eſſe prope ſeptingentorum annorum. Nondum igitur exacti erant anni 700. etiamſi aliis longè aliter. Atque hæc ſupputatio mire cum Gellio & noſtra Chro-

nologia, &, ut reor, cum ipſa veritate congruit. Ordo enim hiſtoriarum Hebraicarum & Monarchiarum, non poteſt appoſitè cum Romanis rebus comparari, ſi ſeptingentorum annorum numerus uſque ad Auguſtum atque adeo Auguſti vigeſimum excedatur. Et tamen alii ſentiunt anno urbis 710. Iulium Cæſarem fuiſſe interfectum, alii multo poſterius, & ita de cæteris. Quæ commemorare volui adverſus eos, qui putant Vniverſale Chronicon rectè ab annis Vrbis C. & Coſſ. deduci. Nam illa ratio eſt incertiſſima, nondumque inter doctos conſtituta. Sed nec urbis hiſtoria repeti certo poteſt ex ſcriptoribus Livio ducentis annis antiquioribus, ne quis nos illorum præjudicio urgeat, uti Cicero & Vellejus lib. 1. indicant. Quin & inter Latinos ipſos de anno urbis cond. tanta eſt quæſtio, ut cum definiri non poſſit, oportuerit Onuphrium in faſtis ex omnibus ſententiis duas probabiliores colligere, & utramque ſuis faſtis adjungere, ut quam quiſque vellet, ſequeretur. Adde non facile conciliari numerationem ab urbe cond. cum Græcanicis rationibus, ſive Olympiadum, ſive regum, etiam ſi illa liquido conſtaret. Siquidem non bene conveniunt anni integri, quales ferè ſunt Coſſ. poſt exactos reges, cum fractis, quales ſint Græci, aut anni Emergentes, ut vocant, cum uſualibus. Itemque in utraque numerandi ratione maxima exiſtit extremorum diverſitas, minimè in principiis & finibus conſentiens. Quæ omnia, ut initio habeant exiguam, at progreſſu maximam valdeque notabilem differentiam efficiunt. Hæc qui minus obſervant, iterum dico, fruſtro ſe in Chronologia torquent, & perperam exactam omnium rationum ſubductionem, conciliationem, comparationem pollicentur. In his enim ſatis eſt, ſi probabiliſſimus veroque proximus calculus teneatur. Sunt alii apud iſtos nodi, ſive ut vocant, ſcrupuli, è ſerie 4. Monarchiarum exorientes, deinde ex Olympiadibus, denique ex æra Nabonaſſaris Ptolemaani. Itaque ne ex ipſorum quidem ullo confici rectè poteſt Chronicon. Nam de iis incertum adhuc judicium eſt, & fere ſunt fracti, incompleti & mutili. Etiam illi Olympiadum, quos tamen putant eſſe certiores. Olympicum enim certamen in menſem Iunium incidebat, & medium ferè annum diſpeſcebat, atque ex uno anno duos quodammodo faciebat, quorum alter ad præcedentia, alter ad ſequentia Olympia pertineret. Quare etſi vulgo quatuor annis definirentur, quinquaginta tamen lunares menſes incluſiſſe ex Lycophronis interprete apparet, qui numerus quatuor annos ſolares viginti ferme diebus ſuperat. Deinde, ut urbs quingentis annis ſcriptoribus caruit, uſque ad Catonem majorem, qui rerum totius illius ſpatii memoriam colerent, & literis mandarent: ita Monarchia & Olympiades uſque ad octogeſimam & Hecatæi Herodotique ſæculum, certis hiſtoricis carentes, e denſis tenebris non poſſunt explicari. Præterea, quod omnibus commune eſt, tanta difficultate inter ſe anni ex iſtis æris deducti coëunt, ut ſex regulas à Funccio & aliquot aliis confingi neceſſe fuerit, & ne ſic quidem coëunt. De quibus nihil aliud dicam, quam quod tanta facilitate rejiciuntur, quanta iſtis in inanem phantaſiam venerunt. Cujuſlibet ergo Chronici regula & menſura debet eſſe ſcriptura, quæ tamen ut in ſe certa ſit, non caret difficultatibus & nodis, de quibus nunc dicendum eſt breviter, ut cauſa, cur Hebræi, Græci, Latini, in annorum ennumeratione inter ſe diſſideant, planius percipiantur.

De ſacrorum ſcriptorum ſcrupulis.

A Hebræi: Baal ſeder olam à mundi creatione ad everſionem templi ſub Veſpaſiano tantum numerat ann. 3888. id eſt, ad Chriſtum natum 3757. & paſſum 3990. Talmudici ab orbe condito ad Chriſtum paſſum ann. 3784. Rabbini recentiores ad natum 3760. menſes 4. Unde quartus mundi millenarius ab eis in an. Domini 240. confertur. Qnintus in anno 1240. & ita deinceps. Quod hodie vulgò Judæi ſequuntur. Hic ergo annus 1580. illis

illis eſt mundi 5340. ad proximum uſque Septembrem. Rabbi Naaſon in libro de cyclo Paſchali 3740. R. Levi 3786. in 12. Danielis. R. Moſes Gerundenſis 4058, menſes 5. Joſ. 4192. menſes dies 10. Arabes 5185.

A *Hebræi ſuis nimium addicti traditionibus aliter (quam nos) numerum annorum notant, nonnihil etiam indulgent odio, quo Chriſtianos habdomadas Danielis ad Ieſum Chriſtum pertinere demonſtrantes inſequuntur. Illarum enim ſeptuageſimam in diem, quo à Tito everſum eſt templum cadere aſſeverant & Chriſtum, quem Daniel prædicabat poſt 69. hebdomadas occidendum Agrippam Herodianorum poſtremum interpretantur. Quare ut hoc doceant, plurimos annos (quos ex aliis hiſtoricis reſtituimus) ab imperiis Perſarum, Græcorum & Machabæorum nobis aſtutè ſurripiunt.*

B Græci: Metrodorus 5000. Euſebius 5190. Theophilus Antiochenus ad Autolycum 5476. Græci vulgo 5508. ut in 6. Oecumenica Synodo c. 3. in Horologio & cyclo Paſchali, Niceph lib. 1. hiſt. c. 10. 5505. Cedrenus addit unum 5506. alter tribus, alter duobus ab hac communi diſcedit, Latini: Hieronym. in quæſt. Hebr. 3941. Auguſt. 5351. Iſidorus 5. Etymolog, 5210. Oroſius Euſebium ſequitur. Beda cap. 22. lib. de rat. temp. 3952. Aſtronomi 5328. Alfonſus 5984.

B *Sic Græci & Latini veteres ob corrupta ſeptuaginta interpretum exemplaria. Excipio Hieronymum & Bedam. qui ob veritatis Hebraicæ peritiam, parum abſunt à vero calculo. Recentiores minime differunt cujus rei ratio mox explicabitur. Falſi autem ſunt, quod Septuag. Interp 5. & 15. c. Gen. pro centum, ducentos ſemper habent, atque ita redundent mille ducentis 49. annis. Hieron. in quæſtion. Hebr. Nam cap. 5. addunt de ſuo 500. annos integros & cap. 11. Octingentos. Miror autem Ioſephum Græcum hic quoque eſſe corruptum. Alioqui enim locis aliis ſe corrigit, & uſque ad Chriſtum non multò plus numerat, quam Hebræi: Ita nihil neceſſe eſt aliud reſpondere A. Contio, qui vulgatam totius Eccleſiæ Græcæ numerationem laudat, tanquam ei congruentem, quæ in Græcorum Horologio, & Cyclo paſchali ibidem deſcripto notatur. & quam Cedrenus. Zonaras, Nicetas, Sexta Synodus in Trullo, Nicephorus ipſe Chronographus, quem luculentis notis illuminavit, & uno verbo Græci omnes hodie ita ſequuntur, ut frequentius per hos mundi, quam per Chriſti annos tempora conſignent. Nam eam examinat ad corruptiſſima Septuaginta interpretum exemplaria. Plurimum tribuo Septuaginta interpretibus, ſed incorruptos eos nobis exhibeant. Corruptos enim negare non poſſunt, ſive quia res ipſa cum Hebraico comparata loquitur, ſive quia Eccleſia editionem D. Hieronymi, ut ipſemet Contius fatetur, præfert, in his & aliis ab hac Græca edtione mirabiliter diſcrepantem. Præterea veteres labuntur, quia annos Hebræorum ſupputarunt quaſi lunares, ut Iulius Africanus lib. 5. de ratione temporum. Hippolytus martyr in temporum canonibus. Euſeb. lib. 8. de demonſt. Hieronymus in 9. cap. Dan. Aug. epiſt. 78. Beda in comment. 2. lib. Ezr. cap. 16. Noſter calculus qui eſt an. 4121. menſium 6. dierum. 16. ſuperat uno centenario & paucis aliquot, quoniam (uti antea dictum eſt) ſimpliciter accipimus locum Exod. cap. 12. quo dicitur Iacobæos in Ægypto manſiſſe 430. an.*

C Recentiores aliqui, 3974. menſ. 6. dies 19. alii, 3954. Nonnulli, 3960. Quidam 3969. Nos ad Chriſtum natum 5099. paſſim 4122.

C *Rurſus cauſa controverſiæ, quæ inter Hebræos, Nos & recentiores latinos cernitur, pendet ex 70. annis captivitatis Babylonicæ & Hebdomadis 69. Danielis; dum alii aliunde illas incipere coguntur, quod ſecuti vitioſas diſcrepanteſque Græcorum & Latinorum Hiſtorias 200. & amplius annos falsò, ut ſupra docuimus, imperio Perſarum tribuant. Hoc enim conſtituto compelluntur multò poſt Cyrum Hebdomadas auſpicari, ut illæ præfinitè cadant in necem Chriſti. R. Iacob poſteriore tomo ſui Tal-*

mud

mud p. 10. col. 4. has & alias ſupputationis Hebraicæ cauſas aperit, ubi & quartum mundi millenarium in annum templi everſi 152. qui eſt nati Dom. 215. confert. Quod congruit calculo Seder Olam. Ob eas igitur cauſſas tot ferè invenies de annis mundi ſententias; quot ſunt ſcriptores. Sed comparanti loca ſcripturarum, quæ annotavimus, ſpero noſtram habitum iri omnium ſimpliciſſimam, & maximè ſemotam ἀπὸ τῶν ἐρίδων καὶ μαχῶν νομικῶν. Vbi mihi non diſplicet Philaſtrius, qui in hæreticis numerat eos, qui tempus annorum mundi ab orbe condito certo conſtare pronunciant, perinde ac iſtos, qui aſſerunt illorum numerum penitus eſſe incertum. Nam quod parum diſtat, diſtare non videtur. De qua re Diodorus Cyzicenus tempore Iuliani & Valentis Impp. librum ſcripſerat, εἰς τοὺς προφήτας Χρονικὸν διορθούμενον τὸ σφάλμα Εὐσεβίου τοῦ Παμφίλου περὶ τῶν Χρόνων. Suidas in Diodoro. Quod ſic planius mecum inductione per ſingulas 6. ætates diſcurrens concipies. In prima ætate, quæ eſt mundi originarii, nullus eſt nodus propriè. Nam quod ei ſuperaddunt Græci annos 700. plus minus, corrupta illorum exemplaria nihil debent veritati Hebraicæ decerpere. In ſecunda Diluvii ſcrupus etiam nullus hæret, niſi juxta eoſdem ſeptuaginta, qui pro annis 292. habent corruptè 1170. Sed is error apertè corrigitur, per certa & diſtincta Patriarcharum tempora. Geneſ. 5 7. 11. & 12. Circa tertiam Patriarcharum unica verſatur quæſtio, de tempore habitationis Iſraelitarum in Ægypto, quæ continet differentiam annornm ducentorum. Nam vulgo ajunt, Iſraelitas duntaxat manſiſſe in Ægypto ann. 230. Alii, quos ſequor, 430. ut verba ſcripturæ Exod. 12. penitus retineantur, & tempus habitationis à deſcenſu Iacob in Ægyptum numeretur, non à prima Abrahæ migratione è Charan. Quarta Iudicum nullam quæſtionem recipit, quia diſertè 480. annis 3. Reg. 6. concluditur, niſi in ſubductione membratim demonſtranda. Quinta Regum nullam etiam, vel perexiguam admittit, quoniam certiſſima ſerie deducitur per Regum tempora libris Regum, & Paralip. definita. Quare indoctè Shubertus quidam Spirenſis miniſter nodum in ſcirpo quærens, ſeriem annorum ab ædificatione templi ad deſtructionem ejuſdem reponit inter Chronologorum ſcrupulos. Apertè enim Scriptura docet, quandiu quiſque regum regnaverit uſque ad undecimum Sedechiæ, quo æquatum ſolo tradit templum, nempe anno 430. menſe 6. poſtquam fuiſſet conſtructum. Philo quidem numerat 440. Euſebius 442, Ioſephus 470. aliqui 427. ſed differentia non eſt tanta, ut propterea deductus è ſcriptura Calculus dubitationem debeat giguere. Deinde potuerunt labi ſubducendo, potuerunt & eorum libri corrumpi, ut in numeris ſolet facilè accidere. In ſexta captivitatis duplex ineſt ſcrupulus. Prior ubi ſeptuaginta anni captivitatis debeant incipere, an à Iechonia, ut ego contendo, fretus ſimplici Ieremiæ & Matthæi authoritate, an ab undecimo Sedechiæ, ut plerique, quod tamen diſcrimen eſt duntaxat annorum undecim. Poſterior ubi & ipſæ Hebdomades Danielis debeant initium figere. Eſt quidem ſimplicius & Danielis loco propinquius, ut à primo Cyri anno incipiant, ilico poſt ſeptuageſimum illum captivitatis annum; eodem fere tempore, quo Angelus Danieli apparuit, & tam ſuave ſacramentum revelavit. At non deſunt, qui intervallum conſtituant inter finem captivitatis Babilonicæ, & promulgationem edicti de urbis reædificatione, atque initium earum ſumant à 20. anno Artaxerexis Longimani. Eo enim etiam exiit ſermo, ut reædificaretnr urbs. 2. Ezr. 2. Alii à ſecundo ejuſdem Longimani, alii à ſeptimo eandem ob cauſam. Alii à quarto Sedechiæ, omnium quidem alieniſſimè: ſed tamen etiam ſuperiores potius confuſam & ſuppoſititiam ſeriem regum Perſicorum & opinionem è profanis hiſtoricis anticipatam ſequuntur, quam veritatem. Qui ſcrupulum movent de menſibus, inſcitè faciunt. Etſi enim menſes ſcripturæ Lunares ſunt, ejuſmodi tamen anni in Solaribus haberi debent. Nam etiamnum hodie Hebræi, tertio quoque anno, & interdum ſecundo, quando uſus expoſcit, ut ratio Lunæ motui Solis reſpondeat, unam Lunam ſive Lunarem menſem, intercalant,

illumque

illumque annum menſium tredecim, extremo (quem Adar nominant & in noſtrum Februarium ferè incurrit) cum Vau copula, Veadar, repetito, faciunt. Quanquam etiam primus poteſt repeti, ut menſis intercalaris ſit Veniſan, qui & Martius. Ita enim ſolebant veteres dicere ut Talmudiſtæ narrant. Sic Arabes apud Ioh. Leonem in deſcriptione Africa pag. 42. Nam ſex menſes habent triginta dierum, ſex 29. qui reddunt dies 354. Qui numerus à noſtro ſolari anno ſuperatur diebus undecim. Vbi enim traditum eſt Noë integrum annum egiſſe in arca, menſibus duodecim Lunaribus, adduntur reliqui dies, qui vocantur ἐπακτοί. Ingreſſus eſt (inquit) *Noë in arcam menſe ſecundo, die decimo ſeptimo. Deinde ubi nominatim facta eſſet mentio ſeptimi menſis & poſtea decimi, & poſt hunc dierum quadraginta & amplius, ac denique primi menſis: Egreditur (ait) ex arca rurſus menſe ſecundo, die vigeſimo ſeptimo. Interea igitur exacti ſunt menſes duodecim & accedunt dies decem, qui ter ſumpti menſem integrum, id eſt, decimum tertium anno tertio reddunt. Quemadmodum nos ſolemus quarto cuique anno inſerere unum diem ad ſextum calendas Martii, quem ob id biſſextum appellamus. Sed hac de re ſcribentem in Geneſ. primum caput Iunilium Epiſcopum Africanum audi. Luna cum duodecies ſpatia ſui curſus peregerit, annum facit communem dierum 354. & ut anno Solari poſſit concordare circuitus, tertio cuique vel ſecundo anno, tertium decimum addit menſem, quem Emboliſmum vocant noſtri calculatores, & fit dierum trecentorum octoginta & quatuor. Atque hac quidem ille præclare. Etenim niſi hæc fieret intercalatio, cum per legem debeant 14. die menſis Niſan feſtum paſcha celebrare, neceſſe eſſet ut ſequenti anno diebus undecim, atque ita retrorſum verſus, quouſque in Auguſto vel Septembri celebrarent. Falſi igitur ſunt Iulius Africanus, Euſebius Cæſarienſis, Auguſt. epiſtola 78. & plerique veterum, qui ex eo quod menſes Hebræorum Lunares erant, exiſtimaverunt ipſorum quoque annos eſſe Lunares, qui ſolaribus undecim diebus contractiores ſunt.*

Hæret Genebrardus in connectendis annis ſacræ hiſtoriæ, & ſummorum orientis imperiorum cum annis urbis conditæ & Olympiadum. Quod expedivit Scaliger ex epocha Nabonaſſari: quam Cenſorinus & Ptolemæus cum annis Romanis & Olympiadicis contulêre. Illa oſtendit quomodo hiſtoria ſacra connectenda ſit cum rebus Babylonicis & ſic deinde cum Perſicis, Græcis, Romanis. Nulla diſſenſio Chronologorum veritatem Hebraïcam ſequentium eſt, niſi in quibuſdam præjudiciis, à mundo condito uſque ad Zedeciam regem Judææ. Quomodo Zedecias componendus ſit cum Babylonicis temporibus, caſus Jechoniæ regis indicat. Eum conſtat deportatum eſſe Babylonæ & locum feciſſe Zedeciæ regum ultimo in Judæa 37. annis ante initium Evilmerodachi adeoque mortem Nabuchodonoſori, ex *Ierem.* LII. 31. Ita habemus & novimus ex Ptolemæo & Cenſorino, quomodo cohæreant tempora ſacræ hiſtoriæ & profanæ, Inde jam ad ætatem uſque noſtram facilis eſt tranſitus. Cum hanc non videret connexionem Genebrardus, homo aliàs emunctæ naris, deſperavit de eruenda veritate. Joſephus Scaliger docuit characteres cœleſtes & civiles, ut ad eos examinari poſſet ſcrupuloſe annus, qui in quæſtione eſt, cum aliàs computatio ex multis articulis cumulata accurationem non ferat, quia non accurate & ad minutias expenſe loquantur ſemper ſcriptores rerum. Ita annos mundi in ſacra hiſtoria deductos per ſua capita (ut loquitur Giſelinus) examinat ad annos Sabbaticos in regno Zedeciæ, & ab initio γενέσεως: ad quam quadrant Sabbata annorum ab initio uſque mundi & deinceps. Proinde annus mundi verus per 7. diviſus ſemper oſtendit annorum Sabbata & currentis ſeptimanæ annum. Sic characteribus ſignatur annus paſſionis Chriſti & Exodi ex Ægypto. Nunc univerſam annorum M. complexionem

ſub conſpectum demus. Celebre eſt dictum Eliæ de ſex millibus annorum, quo Mundus ſtabit. De eo judicium Genebrardi aſpernandum non eſt.

Mundum, inquit, *ſex mille annis duraturum, non eſt Eliæ prophetæ vaticinatio ſed cujuſdam Eliæ Rabbini Iudæorum Cabbaliei commentum in Talmud,* tractatu Sanhedrin, cap. Helec & in tractatu de idololatria C. Libne. & in tractatu de Sabbato. *Cujus conjecturas affert R. Iſaac in primum caput Geneſeos. Præcipuæ ſunt hæ: Primus verſus Geneſeos: qui continet ſummam operum Domini, ſexies literam* א *exprimit: Aleph autem mille ſignificat. Deinde diebus ſex abſolvit mundum, ſeptimo quievit ac Sabbatum conſecravit. Iam mille anni ſunt apud Deum, ſicut dies heſterna* (Pſ. xc. 4.) *quæ præteriit. Poſtremò ſex primi parentes, Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared mortui ſunt, ſeptimus Enoch vivus in cælum tranſlatus eſt. Poſt igitur millenarios ſex, quibus labor & mors viguerit, ſeptimus initium erit quietæ & immortalis vitæ. Haccine, quæ conjecturis frigidis nituntur, poſſunt videri prophetica? Quæ annotare libuit contra inſulſam & ſuperſtitioſam eorum opinionem, qui, quaſi in numerato habeant ſeculorum fines, occinentes dictum Eliæ, nobis brevi definitoque annò extremum diem minitantur, cum ne angelis quidem ille pateat. Vnde clariſſima Chriſti verba* Marc. 13. *quæ ut non ſimpliciter inficiantur, aliqua poſſe eſſe argumenta quibus impendens ruina declaretur (Nam nonnulla ſcripturæ protulerunt) ita docent non eſſe ſtudioſius inquirendum in dies, horas & momenta, quæ Deus poſuit in ſuâ poteſtate. Definitam ergo & minutam annorum circumſcriptionem rejicimus. Pronuntiatum autem Rabbini Eliæ univerſe verum intelligamus. Nam non carebit ſuo eventu in genere. præſertim cum apud nos idem tradiderint* Lactant lib. 7. Hilarius cap. 17. in Matthæum. Hieronym. in epiſtolari expoſit. *Pſal.* 89. ad Cyprian. Auguſtin. lib 20. Civit. cap. 7. & ut addamus Græcos, Iren. lib. 5. cap. Theoria. *ad hunc numerum quingentis annis adjectis poſt Hippolytum, Cyrill. & Chryſoſt. Et apud Ethnicos Hyſtaſpes, Triſmegiſtus, Sibylla, auctore Lectantio. Orpheus citante Platone, & ſi alio ſenſu,* Ἕκτῃ ἐν γενεῇ καταπαύσατε κόσμον ἀοιδῆς.

Digeſtio Hiſtoriæ Sacræ.

Ævum mundi ante Chriſtum & ſub Chriſto. Prius ævum prima ſui parte eſt πρὸ τῆς μοναρχιῶν: poſteriore ἐμμόναρχον. Monarchiam autem h c τεχνικῶς appellamus, ſummum aliquod & eminens, inter cætera orbis imperia, imperium, quod & Eccleſiæ Dei externum obtinet dominatum. Et hoc prius ævum univerſum è *Matth.* 1. & *Luc.* 3. (ubi recenſentur Chriſti majores) quinque ætatibus patres diſtinguunt.

Quatuor ætates Monarchiis Danielis notatis fuere priores.

Prima ætas ab ipſa origine Mundi ad diluvium annos habuit 1656.

Altera inde à diluvio ad Abrahami evocationem è Chaldæa duravit ann. 367.

Tertia ætas ab Abrahamo ad regem David duravit an. 866.

Quarta hinc ad captivitatem Babylonicam complectitur ann. 461.

Cœpit igitur prima ætas anno Mundi primo. Secunda anno M. 1657. Tertia anno M. 2023. Quarta anno M. 2889. Deſiit quarta in anno M. 3350.

Hinc jam incipiunt Monarchiæ in & cum quinta ætate.

Prima Monarchia Chaldæa ſeu Babyloniorum, incepit ab anno 3350. deſiit 3420. complectitur annos 70. qui fuerunt Babylonicæ captivitatis.

Secunda Monarchia Perſarum deſinit in clade Darii Codomanni ad Arbela, duravit annos 200. principium ab ann. M. 3421. finis in anno Mundi 3621.

Tertia

Tertia Monarchia fuit Macedonum ſive Græcorum, quæ iniit anno M. 2621. deſiit anno M. 3921. in Actiaca Auguſti victoria, duravit ann. 300.

Quarta Monarchia, quæ eſt Romanorum, uſque ab Chriſti natalem vulgatæ epochæ annos habuit 28. at uſque ad excidium templi annos 98. Sic deſiit in anno M. 4019.

Ævum poſt Chriſtum ſive excidium templi (inter Chriſti aſcenſionem & templi caſum fuit Chriſtianiſmi tanquam infantia) poteſt diſcriminari notandis caſibus.

Primum uſque ad Concilium Nicenum, quod fuit anno Chriſti vulgaris computi 326. incepit autem in anno ejuſdem epochæ 70. complexum igitur fuit annos 255.

Secundum ab Concilio Niceno ad Concilium Chalcedonenſe, quod fuit Oecumenicum quartum, in anno C. 451. habuit annos 126.

Tertium à Concilio Chalcedonenſi ad primatum Bonifacii III. Pontificis Romani anno C. 606. Complectitur ann. 151.

Quartum à primatu illo & anno C. 606. uſque ad Johannem octavum ſeu Benedictum tertium Pontifices Romanos anno C. 857. Comprehendit annos 251.

Quintum inde ad Gregorium ſeptimum, qui temporalem Papæ poteſtatem in ſummo faſtigio ſtabilivit, anno C. 1073. continet annos 216.

Sextum ab initio Gregorii ſeptimi uſque ad Bonifacium VIII. qui primus Jubilæum Pontificium inſtituit. Hic iniit anno C. 1294. Proinde hoc intervallum habet annos 221.

Septimum ab initio Bonifacii octavi uſque ad Concilium Baſilienſe, quod fuit anno 1431. Unde continet annos 147.

Octavum à Concilio Baſilienſi uſque ad prædicationem Lutheri in ann. C. 1517. Quod habuit annos 86.

Nonum nunc intervallum fluit, quod eſt lucis reſtitutæ. Hinc Euangelium floret & laborat confligendo cum Antichriſti perſecutionibus & hæreſeon perfidia.

Ita in univerſum erunt hucuſque ſeptendecim intervalla temporum inde ab origine mundi ad noſtram uſque ætatem. Octo ante Chriſtum ſive Judaicæ reipubl. caſum, novem inde ad nos. Hæc intervalla ſeu temporum ſegmenta nunc ſub conſpectum demus tyronibus hiſtoriæ ſacræ ſtudioſis.

Conſpectus primi ſegmenti ſeu primæ ætatis in decem Patriarchis.

A.M.C.

1 Adam naſcitur, genuit Seth annos natus 130.
131 Seth naſcitur, genuit Enos annos natus 105.
236 Enos naſcitur, genuit Cainan anno ætatis 90.
326 Cainan naſcitur, genuit Malaleel an. ætat. 70.
326 Malaleel naſcitur, genuit Jared an. ætat. 65.
461 Jared naſcitur, genuit Enoch ann. ætat. 162.
622 Enoch naſcitur, genuit Mathuſale ann. ætat. 65. Hic Septimus ab Adam tranſlatus, (quia vivebat cum Deo) anno M. 988.
688 Mathuſale naſcitur, genuit Lamech ann. ætat. 187.
875 Lamech naſcitur, genuit Noë ann. ætat. 182.
1057 Noë naſcitur genuit Sem anno ætat. 500.
1557 Sem naſcitur. Ejus anno centeſimo finiit ætas prima.

1656 Diluvium durat annum integrum & 10. dies.
Ita decem generationibus ætas prima conſtabat.

Conſpectus ſegmenti ſecundi ſeu ætatis ſecundæ, in decem etiam Patriarchis.

A.M.C.
1658 Arfaxad filius Sem naſcitur, genuit Sale ann. ætat. 35.
1993 Sale naſcitur, genuit Eber ann. ætat. 34.
1723 Eber naſcitur, genuit Phaleg ann. ætat. 30.
1757 Phaleg naſcitur, genuit Ragau ſeu Reü ann. ætat. 30.
1787 Reü naſcitur, genuit Sarug ann. ætat. 32.
1819 Sarug naſcitur, genuit Nachor ann. ætat. 30.
1849 Nachor naſcitur, genuit Thare ann. ætat. 29.
1878 Thare naſcitur, genuit Abram ann, ætat. 70.
1948 Abram naſcitur.
2023 Vocatur è Meſopotamia & tranſit in Canaan.

Et in hac ætate generationes decem. Generationes ſeu Patres primæ ætatis hoc verſiculo continentur:

Adam, *Seth*, *Enos*, tum *Cainan*, *Malaleelque*
Iared, *Enoch*, vivax *Mathuſla*, *Lamechque Noëque.*

Generationes ſeu Patres ſecundæ ætatis ſunt in hoc verſiculo:

Semus & *Arfaxad*, *Sale*, *Eber* deinde *Phalegque*
Ragau, poſt *Sarug*, *Nachor*, *Tharchas* & *Abramus.*

Conſpectus tertii Segmenti, ſeu ætatis tertiæ. Hoc intervallum exodo mediante dirimitur in duo membra.

A.M.C.
2049 Iſaac naſcitur, anno 25. vocationis Abrami: ætatis ejus anno 100.
2108 Jacob filius Iſaac naſcitur.
2195 Levi filius Jacob naſcitur, ſequenti anno Judas natus eſt frater ejus.
2255 Caath naſcitur è Levi.
2295 Amram naſcitur è Caath.
2370 Aaron naſcitur.
2373 Moſes naſcitur frater Aaronis.
2413 Moſes profugus ex Ægypto in Madian abit.
2453 Exodus Hebræorum ductu Moſis. Exitus ex Ægypto evenit annis abſolutis 430. poſt vocationem Abrahami. Præcedit regnum Davidis annis 435. Ita medium obtinet hujus ætatis.
2453 Jeſus filius Nave ducatum ſuſcipit ab obitu Moſis.
2500 Iſraëlitæ terram Canaan occupatam diviſamque colere cœperunt. Hinc numerantur Sabbata annorum & anni Jobel. Hic igitur primus Jobel incipit.
2549 Secundus Jobel. Othonielis Suffetiſmus.
2598 Tertius Jobel. Ahod Suffes, qui regem Moabitarum occidit.
2647 Quartus Jobel. Debora & Barac.
2696 Quintus Jobel. Gedeon.

2745 Sextus Jobel. Jair. Trojæ haloſis ann. M. 2767.
2794 Septimus Jobel. Samſon.
2843 Octavus Jobel. Samuel & Saul. ille ultimus Judicum, hic primus regum.
2860 David naſcitur. Annos natus 30. regnum iniit.

Annos Jobel in ſubſidium ſumpſimus, quia Judicum anni & computationes controverſæ & certò ad annum aliquem epochæ mundi adligari nequeunt.

Conſpectus Quartæ ætatis ſive quarti ſegmenti.

2889 David incipit regnare.
2929 Salomon filius Davidis. Davidis poſteri regnum tenuere uſque ad Quintæ ætatis initium. Anno quarto regni ſui Salomon templum cœpit condere anno Exodi 480.
2969 Roboam Rex primus Judæorum ſolorum, ſegregatis Iſraelitis reliquis ſub Jeroboam.
2986 Abia, κακὸς πόρακ@ κακὸν ὠόν.
2988 Aſa, pius, felix, pacificus.
3024 Joſephat, vir laudatiſſimæ pietatis.
3054 Joram, degener.
3062 Ochozia, patri adſimilis.
3063 Athalia, femina, quæ regnum tyrannicè invaſit, molita extinguere ſtirpem Davidis, è qua unus puer ſuperfuit, tyrannidi ejus ſubreptus.
3069 Joas, pius, donec ſuperſtes fuit Jojada.
3109 Amaſia, mediocribus annumerandus.
3138 Ozias, qui & Azarias pius ſuperſtite Zacharia, moderatore morum ejus.
3190 Jotham, pius & clemens.
3206 Achaz, impius.
3222 Ezecias, rex pietate eminentiſſimus.
3251 Manaſſes, profanus, donec caſtigatione Divina ad ſanam mentē rediret.
3306 Amon, parentis primis annis adſimiliter ſe geſſit.
3308 Joſias rex pius inter paucos, à cujus obitu res Judaicæ collapſæ ſunt.
3339 Joachaz, à populo impoſitus ſolio, à rege Ægypti deturbatur.
3339 Jojacim, inter Babylonium & Ægyptium fluctuat.
3350 Jechonias, Babylona abductus à Nabuchodonoſor rege Chaldæorum. Hinc Monarchia Babylonica init.

Conſpectus ſegmenti quinti, quod eſt quintæ ætatis primum. Monarchia Babyloniorum, ſub 70. annis captivitatis Babylonicæ.

3350 Nabopollaſſar & Nabuchodonoſor ſimul regnabant ab anno M. C. 3342. qui erat Nabopollaſſari patris 17. Nabuchodonoſori filii in Syria regnantis primus. Itaque anno octauo Nabuchadneſſari ſeu Nabuchodonoſori, 25. Nabopollaſſari iniit Babyloniorum Monarchia, Jechonia Judææ rege in captiuitatem abducto.
3354 Moritur Nabopollaſſar, Nabuchodonoſor ſolus tenuit imperium.
3360 Templum Hieroſolymitanum, quod Salomo ſtruxerat, cum ipſa urbe evertitur.
3387 Evilmerodach filius Nabuchadneſſari, patre defuncto regnum init.

Jechoniam regem Judææ è carcere eductum liberaliter habet.

3389 Nerigliſſar, gener Nabuchodonoſori, ſororis Evilmerodachi maritus, regnat nomine tutorio pro filio ſuo Balſaſar.

3390 Cyrus imperium init in Perſide, Aſtyagen, avum, regem Medorum everrit.

3393 Balſaſar regnat ſolus, ſolutus poteſtate tutoris menſ. 9. Daniel ipſi annos attribuit plus tribus (nam tertium exprimit) quia tutoris annos illi dat. Occiditur per conjurationem à Dario Medo.

3394 Darius Medus, Nabonidus ſeu Nabonidachus alio nomine, occiſo per inſidias Balſaſaro regnum occupat. Regnat ann. 17.

3412 Cyrus perſa victo Nabonido, potitur Babylone.

3419 Cyrus Aſiæ Dominus & Monarcha, ſolvit captivitatem Babylonicam, permiſſa Judæis redeundi & templi reædificandi facultate.

Conſpectus ſegmenti ſexti, quod eſt quintæ ætatis ſecundum. Monarchia Perſarum.

3419 Cyrus Aſiæ dominatum ultra biennium tenuit.

3420 Cambyſes, patri in Maſſagetis interfecto ſucceſſit, regnat ann. 8.

3428 Magi.

3429 Darius Hyſtaſpis filius, aſtu ſolium obtinet.

3464 Xerxes Magnus Darii filius, qui infeliciter in Græciam bellum geſſit. Maritus Eſther.

3484 Artabanus, menſ. 27. regnat.

3485 Artaxerxes longimanus Xerxis filius.

3519 Hoc regnante bellum Peloponnenſe incipit in Græcia, Græcis ab externo bello in ſua viſcera converſis.

3525 Xerxes ſecundus ſive minor. M. 2.

2525 Sogdianus M. 7.

3526 Darius Nothus, ſub quo templum ſecundum Hieroſolymis ædificatum eſt.

3545 Artaxerxes Memor. Adverſus quem frater Cyrus bellum paravit, in quo interiit.

3588 Artaxerxes Ochus, occiſus eſt à Bagoa eunucho.

3593 Alexander Magnus naſcitur.

3611 Arſes ſive Darius Arſames.

3614 Darius Codomannus, ultimus hujus Monarchiæ, victus ab Alexand. M.

Conſpectus ſeptimi ſegmenti, quod quintæ ætatis ſecundum membrum eſt & complectitur Monarchiam Græcorum ſive Macedonum.

3619 Nobilis ad Arbela Alex. M. victoria peperit ei imperium Aſiæ, quod obtinuit annis. 6.

3625 Philippus Aridæus frater Alex. M. regnat. m. 7.

3631 Olympias occiſo Aridæo regni Macedoniæ potita nec ipſa ob crudelitatem diu regnavit. Nam cum principum paſſim cædes feciſſet, favorem ſibi in odium vertit. Itaque audito Caſſandri adventu, diffiſa Macedonibus cum nuru Roxane & nepote Hercule in Pydnam urbem concedit. Quam cum Caſſander obſediſſet; longæ obſi-

obſidionis tædio, pacta ſalute, victori tradidit. Tum decreto Macedonum, ſine reſpectu priſtinæ majeſtatis, à Caſſandri ſatellitibus interfecta eſt. Hac tempeſtate Perdicca jam & fratre ejus, Eumene ac Polyperchonte ceteriſque ducibus adverſæ partis (nam duces poſt obitum Alexandri diviſis inter ſe provinciis, in duas partes feceſſerant) occiſis finitum certamen inter Alexandri ſucceſſores videbatur, cum repente inter victores nata diſcordia eſt: Antigonus communi quidem ſociorum nomine, bellum in Eumenem geſſerat, ſed in ejus pericula deſcenderat ſolus, ideo præmia belli, pecuniam in præda captam, provinciasque in diviſionem cedere noluit. Et ut honeſtum adverſus ſocios bellum ſuſcipere videretur divulgat ſe Olympiadis mortem ulciſci velle & Alexandri ſui regis filium cum matre obſidione Amphipolitana liberare. Ptolemæus igitur & Caſſander, inita cum Lyſimacho & Seleuco ſocietate bellum terra marique inſtruunt. Demetrius Antigoni filius à Ptolemæo apud Galamam vincitur. Dum hæc aguntur, Caſſander, ne Hercules Alexandri filius, qui ferè annos quatuordecim exceſſerat, favore paterni nominis in regnum Macedoniæ vocaretur, occidi eum cum matre Barſine jubet: & quaſi parum facinoris admiſiſſet, alterum quoque filium cum matre Roxane pari ſcelere interficit. Scilicet quaſi regnum Macedoniæ, quod affectabat, aliter conſequi, quam parricidio non poſſet. Intereà Ptolemæus cum Demetrio, navali prælio, iteratò congreditur, & amiſſa claſſe hoſtique conceſſa victoria, in Ægyptum refugit.

3644 Hac victoria elatus Antigonus, primus regem ſe cum Demetrio filio adpellari à populo jubet. Ptolemæus quoque, ne minoris apud ſuos auctoritatis haberetur, rex ab exercitu cognominatur. Quibus auditis Caſſander & Lyſimachus & ipſi regiam ſibi majeſtatem vindicaverunt. Hujus honoris ornamentis tamdiu omnes abſtinuerunt, quandiu filii regis ſui ſupereſſe potuerunt. Tanta in illis verecundia fuit, ut cum regias opes haberent, regum tamen nominibus æquo animo caruerint, quoad Alexandro juſtus heres fuit. Thraciam & regiones Pontici maris tenebat Lyſimachus, Aſiam minorem & partes orientis occupaverat Antigonus, Ptolemæo obvenerat Ægyptus cum Africæ parte majore & Cypro & Phœnice. Caſſandro parebat Macedonia cum Græcia. Ita ex Danielis vaticinio Alexandri imperium in quatuor cœli plagas diviſum erat. In Macedoniæ, Syriæ & Ægypti regnis vis imperii reſedit.

Macedoniæ regnum.

3644 Caſſander poſt victum & cæſum in Aſia Antigonum & ipſe deceſſit.
3653 Filius Philippus ſuccedit & moritur.
3754 Antipater & Alexander filii Caſſandri.
3659 Demetrius Poliorcetes filius Antigoni, rex in Aſiæ parte, Alexandrum, à quo in auxilium evocatus erat, interimit & regno Macedoniæ potitur. Cum Aſiam occupare ſtatuiſſet à ſociis regibus primò Macedonia pellitur, deinde & in Aſia à Seleuco genero victus capitur. 3665

3665 Pyrrhus ejecto Demetrio Macedoniæ regnum tenuit diebus 120.
3666 Lyſimachus Pyrrhum expellit è Macedonia. Occubuit in ultimo certamine ducum Alexandri id eſt bello adverſus Seleucum, qui poſtremus remanſit de cohorte Alexandri.
3669 Seleucus cæſo Lyſimacho Macedoniam tenuit. Hic poſt menſes admodum ſeptem à Ptolemæo Cerauno, cujus ſororem Lyſimachus in matrimonio habuerat, per inſidias circumventus occiditur, regnumque Macedoniæ, quod Lyſimacho eripuerat, cum vita pariter amittit.
3669 Ptolemæus Ceraunus, à Gallis irrumpentibus trucidatus regnum tenuit menſibus ferè novem.
3670 Meleager in iſta fluctuatione habuit regnum Mecedoniæ diebus 60.
3670 Antipater tenuit diebus 45.
3670 Soſthenes annum unum regnat.
3671 Antigonus Gonatas Demetrii filius, Dux Græciæ, mortuo Soſthene regnum Macedoniæ occupat.
3696 Pyrrhus Antigonum Macedonia ejicit.
3677 Antigonus poſt cædem Pyrrhi regnum recuperat.
3689 Denuo regnum amittit à Pyrrhi filio Alexandro, ſed filius ejus Demetrius copiis reparatis Alexandrum deturbat non tantum è Macedonia ſed & Epiro. Hinc ſtabilem regni poſſeſſionem tenuit uſque ad finem vitæ. Varia ſortuna regnavit ann. 40.
3711 Demetrius filius Antigoni regnum tenuit ann. 10.
3721 Mortuo Demetrio, filio ejus parvulo Philippo tutor datus eſt Antigonus II. qui ducta in uxorem vidua Demetrii regem ſe appellari voluit.
3729 Philippus Demetrii filius adoleſcens 17. annorum regnum accepit quod tenuit ann. 42. Romana arma primus Macedoniæ regum infeliciter provocavit.
3778 Perſeus ultimus Macedoniæ regum victus captusque à conſule Æmilio finem huic regno dedit, quod in provinciam redactum eſt. ann. M. C. 3782.

Regnum Syriæ & Aſiæ.

PErdicca & fratre ejus, Eumene ac Polyperchonte, ceteriſque, ducibus adverſæ partis ſublatis, finitum bellum inter Alexandri ſucceſſores erat: cum repente inter ipſos victores nata nova lis eſt. Antigonus enim pecuniam in præda captam & provincias in diviſionem concedere renuebat. Scilicet negavit ſe in præmia ejus belli ſocios admiſſurum in cujus periculum ſolus deſcenderat. Et ut honeſtum adverſus ſocios bellum ſuſcipere videretur jactat ſe Olympiadis mortem à Caſſandro interfectæ ulciſci velle & Alexandri regis ſui filium cum matre obſidione Amphipolitana liberare. Ptolemæus & Caſſander inita cum Seleuco & Lyſimacho ſocietate bellum terra marique adornant. Prima belli congreſſione Demetrius Antigoni filius à Ptolemæo victus eſt. Navali prælio iterato Demetrius ſuperior fuit adverſus Ptolemæum. Hac victoria elatus regem ſe appellari jubet cum filio Demetrio Aſiæ & partium orientis, quas tenebat. Quod exemplum Caſſander Ptolemæus & Lyſimachus ſequuntur.

Seleucus deinde novus hoſtis Antigono acceſſit à Syriæ partibus & Aſia majo-

majore. Adunatis viribus bellum geritur, in quo periit Antigonus, anno M. C. 3649.

Poſteà Seleucus Demetrio Ptolemæus Lyſimacho junguntur. Nam ſocii cum de præda non convenirent iterum in duas partes dividuntur. Demetrius idem Macedoniæ viribus inſtructus cum Aſiam recuperare ſtatuiſſet, Ptolemæus, Seleucus & Lyſimachus rurſus ſocietatem cocunt. Hi bellum in Europam transferunt. Demetrius circumventus dedit ſe genero Seleuco. Ultimum certamen commilitonum Alexandri fuit inter Lyſimachum & Seleucum utrunque ſeptuagenario majorem. In quo Lyſimachus occubuit, anno M. C. 3669.

Eo etiam anno interiit ipſe Seleucus. Regnaverat annis 32. nempe ab anno M. 3637. ſed regium nomen nôn aſſumpſit ante annum 3644.

3669 Antiochus Soter ſuccedit Patri, regnavit ann. 19.

3689 Antiochus Θεὸς. Regnat ann. 15. Arſaces Parthorum imperium fundat.

3704 Seleucus Callinicus Antiochi Θεοῦ filius. Hic hortatu matris novercam Berenicen, Ptolemæi Euergetis ſororem, cum parvulis liberis occidit & hoc ſcelere ſe Ptolomæi bello implicuit. Bello gravi cum fratre certavit, propter Aſiam minorem, quam Attalus illis contendentibus pro maxima parte occupat.

3725 Seleucus Ceraunus; in bello contra Attalum per inſidias à Gallis occiditur.

3729 Antiochus Magnus Callinici filius, Cerauni frater, multa bella geſſit. Romani eum Tauro monte includunt. Concurſu hominum (ut quidem narrant) in templo Didymæi Jovis, quod ſpoliaturus advenerat, occiditur.

3764 Seleucus Philopator.

3775 Antiochus Epiphanes frater Seleuci Philopatoris, notiſſimus in ſacra hiſtoria, Antichriſti typus apud Danielem. Judæos graviſſime afflixit, præſidium monti Sion impoſuit, conatus eſt gentem ad paganiſmum traducere. Ægypti regno inhiavit. Aſſamonæi ſe Antiocho opponunt & fortiter rem gerunt: libertatem repetunt. Intereà Antiochus Babylone moritur.

3786 Antiochus Eupator patri ſuccedit.

3789 Demetrius Soter Seleuci filius Antiochum regno & vita privat.

3798 Alexander Vales Demetrium vita & regno deturbat.

3804 Demetrius à Ptolemæo Ægypti rege regno Syriæ imponitur. Ex eo prælio uterque & Ptolemæus & Alexander occubuere. Huic Demetrio cognomen Nicanoris fuit.

3807 In hunc Tryphon inſurgit, imponitque ſolio Antiochum Entheum Alexandri filium parvulum. Hic cum Tryphone prorege regnat biennio. Qua tempeſtate Simon Judæorum dux capta arce Sionis jugum Syriæ omne exuit.

3809 Tryphon, occiſo Entheo, regnat ſolus triennio.

3812 Antiochus Sidetes Demetrii frater cæſo Tryphone fratris & matrimonium & regnum invaſit.

3824 Alexander Zebina, ejecto Demetrio. Ipſi ſe oppoſuit Antiochus Crypus.

3826 Antiochus Grypùs, adjutus à Ptolomæo rege Ægypti Alexandrum evertit. Cum abhinc ad annum octavum quietus regnum tenuiſſet, æmulus frater Antiochus Cyzicenus eum oppugnat. Hi fratres

mutuis ſe cladibus atterentes Judæis occaſionem dant fines ſuos prolatandi.

3854 Grypo cæſo Seleucus filius ſuccedit & bellum continuat cum Cyziceno. Quem cepit & interemit anno ſequenti. Cyziceni autem filius Antiochus Euſebes à patre cæptam diſcordiam ſuſcipit & Seleucum ejicit. Et Antiochus Seleuci frater, eadem infelicitate fratrem ulturus occubuit. Tum frater tertius Philippus aſſumpto diademate in parte Syriæ regnum obtinuit & mox Demetrius frater quartus apud Damaſcum à Ptolemæo Lathuro rex conſtitutus, junctis cum fratre Philippo viribus Cyziceni filium oppugnat, dein in fratrem vertitur: captus autem eſt à Parthis. Tum Quintus frater Antiochus Dionyſius, invito Philippo regnum invadit. Antiochus hic in Arabia ab Areta rege victus obiit anno 3864.

3863 At mutuis fratrum odiis & mox filiis inimicitiis parentibus ſuccedentibus, cum inexpiabili bello & reges & regnum Syriæ conſumptum eſſet, ad externa populus auxilia concurrit peregrinoſque ſibi reges circumſpicere cæpit. Quia Mithridates Ponticus implicitus bello Romano erat, Ptolemæus quoque ſemper hoſtis fuiſſet Syriæ, omnes in Tygranem Armeniæ regem conſenſere. Igitur accitus in regnum Syriæ per 18. annos tranquilliſſimo regno potitus eſt.

3181 Tigrane victo Antiochus Cyziceni filius à Lucullo rex appellatur. Sed quod Lucullus dederat, poſteà ademit Pompejus, qui Syriam in provinciæ formam redigit ann. M. C. 3885. Sic oriens paulatim Romanorum, diſcordia conſanguineorum regum, factus eſt.

Regnum Ægypti.

3628 Ptolemæus in diſtributione Ægyptum accepit. Regium nomen aſſumpſit anno M. 3644. regnat uſque ad ann. 3665. Dictus fuit Lagi ſeu Soter.

3665 Ptolemæus Philadelphus parenti ſuccedit literarum amans & Mecœnas literatorum, fratrem habuit Ptolemæum Ceraunum, qui regnum Macedoniæ tenuit. Sacra Biblia ejus auſpiciis in Græcum ſermonem converſa ſunt à LXX. (ut vulgo traditur) interpretibus, anno M. C. 3681.

3703 Ptolemæus Euergetes Philadelphi filius.

3729 Ptolemæus Philopator, ab obitu parentis regnum auſpicatur à cæde matris & fratris. De hoc narrat tertius liber Machabæorum. Illo regnante Annibal Romanis copias internecione delet in pugna Cannenſi, anno M. C. 3734.

3746 Ptolemæus Epiphanes. Scipio in Africam trajicit, Hannibalem revocant Carthaginenſes ex Italia, finem imponit ſecundo bello Punico. Bacchanalia Romam ingreſſa abrogantur.

3770 Ptolemæus Philometor. Ob contentionem fratrum Ptolemæorum Antiochus Epiphanes Ægypto inhiat. Poſtea metuendus fuit Syriæ.

3804 Ptolemæus Philometoris frater qui Cyrenis regnabat, fratri defuncto ſuccedit, homo impurus & crudelis, qui ſe voluit Euergeten appellari

pellari quamvis & Phyſcon cognominetur. Sororem Cleopatram uxorem duxit, ejus filiam ſtupravit, filium ex ſorore genitum occidit. Fugit populi ſeditione in Cyprum, donec reconciliatus uxori reverteretur in regnum. Sorores ducere in Ægypto regibus familiare erat.

3834 Ptolemæus Lathurus ſuperioris Ptolemæi & Cleopatræ filius regnat cum matre, ex voluntate populi, cum mater in fratrem potius inclinaret. Igitur populum in eum incitat & Cypri exulare cogit, arceſſito minore filio Alexandro & rege in locum fratris conſtituto. Sed & filium exulantem bello perſequitur. Et pulſo, interficit ducem exercitus ſui, quod vivum eum è manibus dimiſiſſet. Igitur Alexander territus hac matris crudelitate & ipſe eam reliquit, periculoſo regno ſecuram ac tutam vitam anteponens. Cui cum occultis inſidiis exitium machinaretur, occupata ab eodem interficitur. Digna prorſus hac mortis infamia (inquit Juſtinus) quæ etiam matrem thoro expulit & duas filias viduas alterno fratrum matrimonio fecit & filio alteri in exilium acto bellum intulit, alteri erepto regno exitium per inſidias machinata eſt. Sed nec Alexandro cædes tam nefanda inulta fuit. Nam concurſu populi in exilium agitur revocatoque Ptolemæo regnum redditur, qui neque cum matre bellum gerere voluiſſet, nec à fratre armis repetere regnum quod prior poſſediſſet. Hujus frater Ptolemæus Apion Cyrenarum populum Romanum teſtamento hæredem reliquit. Ita ea pars Libyæ provincia Romana facta eſt.

3870 Ptolemæus Auletes (ſive Dionyſus) à ſuis regno pellitur (anno 3893) reſtituitur à Gabinio (anno 3895.)

3899 Ptolemæus cum ſorore Cleopatra, quam & in matrimonium duxit. Pugna Pharſalica victus eſt Pompejus (anno 3902) Anno ſequenti interiit puer Ptolemæus, regnum Cæſar Cleopatræ dedit. Poſteà Antonius Triumvir Cleopatram ſibi jugavit, ejus blanditiis delibutus. Uterque autem ab Auguſto finem habuit & impoſuit Monarchiæ Græcorum.

Conſpectus ſegmenti octavi, ultimi membri Quintæ ætatis, In quo eſt principium Monarchiæ Romanæ.

3920 Auguſtus victo Antonio & Cleopatra Monarchiæ Dominus. Jeſus Chriſtus naſcitur (anno 3947.) Æra Chriſtiana vulgaris init anno M.C. 3950.

3963 Tiberius imperat annos 22. menſ. 6. d. 26. Chriſtus patitur (anno 3982.)

3986 Caligula Germanici filius, imperat ann. 3. m. 10. d. 9. Paulus & Barnabas gentibus prædicant.

3990 Claudius 24. Januarii iniit imperium. Paulus occupatur in Euangeliſmo gentium.

4003 Nero Claudius Druſus menſe Octobri imperium adeptus eſt. Hic primus perſequi cæpit Chriſtianos. Paulus & Petrus martyrio vitam finiunt. Bellum Judaicum incipit. Imperavit Nero ann. 13. m. 7. d. 26.

4017 Galba ſuccedit.

4018 Vitellius inſurgit adverſus Galbam. Othonem qui & imperium ſumpſerat, vincit ad Bebriacum, quod factum menſe Aprili. Sequenti menſe Julio Veſpaſianus in Judæa ſalutatur imperator. Vitellius menſe Decembri Romæ trucidatur. Ita poſt rebellionem trium principum Veſpaſiano imperium evenit.

4019 Hieroſolyma cum templo à Tito Veſpaſiani filio deſtructa, finiſque Judaicæ reipub. impoſitus eſt, completo vaticinio Jacobi & Danielis. Hinc finem habuerunt legis cerimoniæ & libertas Eccleſiæ in regno Meſſiæ deinceps fuit.

Conſpectus ſegmenti noni. A quo incipit ævum ſub Chriſto.

A. C.

Judaicæ gentis ſæviſſimum excidium dedit initium novo ævo Chriſtianæ libertatis.

76 Titus Veſpaſianus filius incipit imperare menſe Junio. Dictus eſt delitium generis humani. Imperavit ann. 2. m. 2. d. 20.

81 Domitianus ſævus ingenio, fratri diſpar, ſecundam perſecutionem in Chriſtianos excitavit. Primus agon Capitolinus anno M.C.4035. C. 87. Regnavit ann. 15. d. 5.

96 Nerva. Johannes Apoſtolus à Patmo Epheſum redit; ſcribit Euangelium.

98 Ulpius Trajanus, ſtrenuus & juſtus. Tertia tamen ſub eo perſecutio fuit. Sed cum tormentis & quæſtionibus nihil in Chriſtianis morte aut pœna dignum reperiſſet, ſæviri in eos ultra vetuit. Bellum maximum geſſit cum Dacis, & Parthos ſubegit.

117 Hadrianus. Hoc tempore portentoſæ hæreſes Eccleſiam affligere cœperunt. Judæos rebellantes duce Bar-coziba contrivit. Quarta perſecutio.

138 Antoninus Pius cœpit menſe Junio.

161 M. Aurelius Antoninus Philoſophus, in conſortium imperii aſſumpſit L. Ælium Verum. Hæreſis Montani. Imperator precibus Chriſtianorum in bello adverſus Quados & Marcomannos impetrat pluviam & fulmina, inſigni victoria potitur anno C. 174. Quinta perſecutio inhibita poſt illam victoriam, uti videtur. Tum primum in Galliis martyria viſa. Sulp.

180 Commodus Aurelii Antonini filius, menſe Martio.

193 P. Helvius Pertinax, cum ipſo anni initio, imperavit diebus 87. Didius Julianus d. 66. Peſcennius Niger à populo Rom. Septimius Severus ab exercitu appellatur Imperator. Niger anno ſequenti victus & trucidatus eſt. Albinus inde vincitur ab eodem Severo apud Lugdunum in Galliis. Sexta ſub Severo Chriſtianorum perſecutio fuit. Leonidas Origenis pater ſacrum in martyrio ſanguinem fudit.

211 Antoninus Caracalla & Septimius Geta patri Severo ſuccedunt. Caracalla occidit fratrem.

217 M. Opilius Macrinus.

218 Avitus Heliogabalus. Impuriſſimus principum quos Roma vidit.

222 M. Aurelius Severus Alexander. Origenes edidit Hexapla & Octapla.

235 Maximinus Thrax in Galba, Gordianus in Africa, Romæ Balbinus & Pupienus Imperatores fiunt. Deinde Gordianus (anno C. 238.) imperium tenuit.

244 Philippus Arabs occiſo Gordiano imperium invaſit cum filio.

250 Decius Lucium Priſcum & Valentem oppreſſit. Septima perſecutio graviſſima, in qua multi in ſolitudines conceſſere. Sacrificati & libellatici dicebantur, qui Chriſtum abnegaverant.

251 Vibius Trebonianus cum filio Voluſiano. Sæviſſima peſtis.

253 Æmilianus. Novatiani. Valerianus occiſo Æmiliano. Origenes moritur. De eo uſitate dictum fuit. *In ea parte, quâ probatur neminem ſibi poſt Apoſtolos habuit aqualem, in ea vero, qua reprehenditur, nemo deformius aberravit.* Octava perſecutio.

259 Valeriano à Perſis capto Gallienus imperat & finem imponit perſecutioni. Hæreſis Sabellii. Porphyrius hoſtis Chriſtianorum. Odenatus & Zenobia in oriente. Paulus Samoſatenſis innoteſcit.

268 Claudius imperator.

270 Quintillus infeliciter conatus ſuccedere fratri & cæſus Aureliano ceſſit imperium. Aurelianus perſequitur Chriſtianos renovatis edictis. Bello felix fuit.

275 Claudius Tacitus.

276 Aurelius Valerius Probus: armis acer.

278 M. Aurelius Carus.

284 Diocletianus ſucceſſit poſt ſegetem tyrannorum, Maximianum Cæſarem & Collegam fecit. Hi omnium maximam perſecutionem excitarunt, quæ decem annis populum Dei depopulata eſt. Anno 291. Valerius Conſtantius Chlorus & Valerius Galerius Maximianus, cognomento armentarius, Cæſares creantur. Diocletianus victoriarum ſecundo curſu elatus, primus adorari ſe juſſit. Arnobius conſtantia martyrum permotus ad religionem Chriſtianam acceſſit.

304 Galerius & Conſtantius creantur Auguſti ab imperatoribus purpuram deponentib. Galerius Maximinum & Aurelium Cæſares appellat.

306 Conſtantio ſuccedit Conſtantinus. Maxentius imperium invadit. Anno 309. Maximianus reſumere purpuram molitus perit. Licinianus Licinius & Maximinus Auguſtalem dignitatem capiunt. Galerius obit. Anno 311. Eodem anno Maxentius vincitur. Maximino victo & occiſo diſſidere cœperunt Licinius & Conſtantinus, nec pace diſſidium bene conſopitum eſt. Licinius enim Chriſtianos perſequi denuò cœpit, ſubactuſque eſt anno C. 324. Sequenti autem cum rurſum inſurgeret, obtruncatur. Igitur Conſtantinus pacem Eccleſiæ reſtituit, in qua Ariana hæreſis inteſtino motu quietem conturbare cœpit. Hinc Concilium Nicenum primum actum eſt anno 325.

Pontifices Romani in hoc intervallo temporum. Eos autem ex Chronico Onufrii Panuinii poſuimus.

44 Simon Petrus ſedit ann. 24. m. 5. d. 12. Sed in his annis ſimul cum eo Linus ad menſem Junium anni 68. qui deinde poſt eum menſe Septembri anni ejuſdem finiit Martyrio.

68 Clemens ſedit ann. 9. m. 4. d. 16.

77 Cletus, quartus in ordine epiſcoporum, ſecundus à Petro Papa. Vacavit ab ejus obitu Romana ſedes d. 7. Ea prima vacatio fuit. At obſcura primotum epiſcopotum ſucceſſio eſt.

84 Anacletus.

96 Euariſtus.

109 Alexander.

117 Xyſtus.

127 Teleſphorus.

138 Hyginus.

142 Pius.

153 Anicetus.

163 Soter.

171 Eleutherus.

186 Victor. De Paſcha celebratione certavit cum Aſiaticis.

198 Zephyrinus.

218 Calliſtus.

223 Urbanus.

232 Pontianus.

236 Anterus.

237 Fabianus. Ab ejus obitu ſedes propter temporum difficultatem vacaſſe traditut m. 5. d. 21.

237 Cornelius. Novatianus in ſchiſmate adverſus Cornelium creatus anno 252. ſedit ann. 6. Hoc primum ſchiſma.

253 Lucius.

255 Julius.

257 Xyſtus II. ſedes Romana eo occiſo vacat m. 11. d. 15. Ferventiſſima perſecutione Valeriani Novatianus vitam clauſit & ſchiſma.

260 Dionyſius.

271 Felix.

274 Eutychianus:

283 Cajus.

296 Marcellinu.

304 Marcellus.

310 Euſebius.

311 Miltiades.

314 Silveſter. Sub eo Nicena Synodus.

Conſpectus ſegmenti decimi.

337 Conſtantino defuncto, qui inſignibus victoriis & pietate fulgebat & Chriſtianiſmum publice defendendum primus ſuſcepit, filii tres Auguſtali dignitate ſucceſſerunt, Conſtantinus, Conſtantius & Conſtans. Conſtantinus à fratre Conſtante victus occiditur ann. 340. Conſtans à Magnentio, trucidatur an. 350. qui & Nepotianum evertit. Ipſe autem interiit an. 353.

361 Julianus apoſtata: nubecula ſuper Eccleſia, quæ cito tranſiit.

363 Jovianus imperat m. 7.

Valentinianus & Valens fratres. Valens in oriente Arianiſmi fautor, Valentinianus (qui Gratianum collegam aſſumpſit) in occidente. Valens à Gothis occiſus anno 378.

378 Gratianus Conſortem imperii facit Theodoſium. Hic filium Arcadium Auguſtum appellat ann. 383. Biennio ante concilium. 1. Conſtantinopolitanum celebratum. Juſtina mater Valentiniani ſævit in Orthodoxos & Ambroſio infeſta eſt. Valentinianum interimit Arbogaſtes ann. 392.

393 Arcadius filium Honorium Auguſtum facit.

395 Mortuo Theodoſio imperant Honorius in occidente, Arcadius in oriente. Tutorem ipſis præfecit Stiliconem. In vertendis Bibliis occupatur Hieronymus. Anno C. 400. Coſſ. Stilicone & Aureliano hiſtoriam ſacram ſcribit Sulpicius Severus. Chryſoſtomus floret. Arcadius moritur ann. 408. Sequenti Alaricus Gothorum rex occupat Romam. Theodoſius Junior in oriente patri ſuccedit, dato tutore Iſdigerde rege Perſarum. Occidens bello conflagrat diuturno à tyrannis & barbaris gentibus, quæ ab hoc tempore Imperii occidentalis corpus lacerare & pleraſque ejus provincias obtinere cœperunt.

423 Honorio defuncto imperium rapit Johannes ſed Theodoſius Valentiniano Juniori dat Auguſtalem dignitatem & conciliat imperium. Concilium Epheſium damnat Neſtorium, anno. 431. Decennio poſt habetur in Galliis Synodus Arauſicana. Hunni graves Imperio utrique. Attila in occidente tot barbaris gentibus cumulus accedit.

450 Theodoſio Juniori in oriente ſuccedit Martianus. Concilium Chalcedonenſe.

Romani Pontifices ex Onufrio.

336 Marcus ſedit m. 8. d. 22.

336 Jnlius ſedit annos 16. m. 5. d. 16.

353 Liberius. Adverſus eum in ſchiſmate, quod ſecundum eſt, ſedit Felix ann. 10. Solus Felix pulſo Liberio biennium tenuit, at rediit Liberius, cum Liberio annos præterea 8. præſedit.

366 Damaſus & Urſicinus ſchiſma tertium faciunt. Urſicinus poſt annum ſe ſponte abdicat & fit epiſcopus Neapolitanus. Onufrius obſervat circa ſequentes Pontifices: Quod præcedentium pontificum idem fuerit dies creationis & conſecrationis, id quod ſequenti tempore obſervatum non ſit. Synodus Oecumenica Conſtantinopolitata prima adverſus Macedonium Flavio Annio Eucherio & Poſtumo Syagrio Coſſ.

386 Syricius, ſedit ann. 13. creatus & conſecratus Kal. Januar.

398 Anaſtaſius.

401 Innocentius.

416 Zoſimus.

419 Bonifacius. Schiſma quartum inter Bonifacium & Eulalium. Eulalius ſedit menſibus tribus, diebus ſeptem, coactus ſe abdicare (anno 400.) & factus in Campania epiſcopus.

423 Cœleſtinus. Synodus Epheſina adverſus Neſtorium Theodoſio Juniore XIII. & Placidio Valentinieno III. Augg. Coſſ.

432 Xyſtus III.

440 Leo Magnus. Synodus Chalcedonenſis adverſus Dioſcorum patriarcham

cham Alexandrinum & Eutychen Abbatem Conſtantinopolitanum.

Conſpectus ſegmenti XI.

Occidentis imperium poſt Valentinianum III. tyrannos potius quam juſtos imperatores habuit. Nam imperarunt

455 Maximus Anicius occiſo Valentiniano menſ. 3.

457 Avitus menſ. 10.

457 Majoranus ann. 4.

361 Severus ann. 5.

466 Anthemius ann. 6.

472 Olibrius menſ. 7.

473 Glycerius. Poſt eum Julius Nepos.

475 Auguſtulus m. 10. Hic ab Odoacro rege Herulorum coactus eſt ſe abdicare. Ita occidentis imperium cæpetat in Auguſto. deſiit in Auguſtulo. Deinceps igitur orientis imperatores fuerunt, qui regiam habuerunt Conſtantinopoli.

Imperrtoris Orientis.

356 Leo Thrax ſive Primus. Symeon Stylita clarus habetur.

447 Leo infans ſive Secundus. Ab avo Leone primo conſors imperii factus, cum valetudinarius eſſet, eodem anno rebus humanis exceſſit. Hinc Zeno, pater ejus, qui à patria cognominatur Iſauricus, numeratur poſt Leonem I. Ejectus à Baſilio in Iſauriam fugit, neminique cognitus vitam cum conjuge interdum herbis & radicibus toleravit. Deinde imperium recuperat. Vandalica perſecutio. Neſtorianiſmus in oriente propagatur.

491 Anaſtaſius molitus eſt concilii Chalcedonenſis memoriam abolere ad ſtabiliendam concordiam. Feſtum Michaelis Archangeli inſtituitur.

518 Juſtinus Thrax. Huic data erat ingens pecuniæ ſumma, ut imperium mercaretur Theocrito, at prætoriani milites, rejecto Theocrito, ipſum Juſtinum fecerunt Imperatorem. Imperavit ann. 9. Cognatorum Anaſtaſii plurimas evaſit inſidias. Orthodoxos ab Anaſtaſio ejectos revocavit. Synodus Conſtantinopoli fuit adverſus Eutychianos. Brigitta virgo in Scotia. Manichæi à Perſarum rege & Imperatore Romano patiuntur. Symmachus & Boethius à Theodorico rege præcipiti ſententia tolluntur.

527 Juſtinianus celeberrimus ob collectum in unum corpus, jus Romanum. Dionyſius exiguus inſtituit epocham à nato Chriſto. Juſtinianus feliciſſime bellum gerit cum Barbaris. Conſulatus Romanus deſinit in anno 541.

565 Juſtinus Curopalates. Longinus primus Exarchus Ravennæ.

578 Tiberius adverſus Perſas feliciter bellum geſſit.

582 Mauricius. Et hic felix bello fuit contra Perſas. Chaganus Hungarorum rex ingentem cladem intulerat copiis Mauritii. Offert autem captivos Imperatori redimendos. Quod cum ille renueret, eos omnes occidit. Mauritius deinde pœnitens facti quod ſic homicidii

micidii reus eſſet, Somnia habuit, ſe coram Deo ab iſtis accuſari. Ideo ſcribit ad omnes Eccleſias, culpam deprecans & jubet pro ſe apud Deum intercedi. Phocas paulò poſt liberos maſculos cum ipſo Patre Imperatore obtruncat. Imperator patientiſſimè tulit, ingeminans ſæpe: *Iuſtus es Domine & juſtum judicium tuum.*

602 Factum id anno Domini 692.

Romani Pontifices ſub hoc temporum complexu ex Onufrio.

461 Hilarius Leoni M. ſucceſſit.

467 Simplicius. Hujus tempore fuerunt imperatores, Leo Senior, Leo Junior, Zenon, Anthemius, Olybrius, Glycerius, Julius Nepos, Auguſtulus.

483 Felix ſecundus, dictus tertius.

492 Gelaſius.

496 Anaſtaſius II.

498 Symmachus & Laurentius in Schiſmate quinto. Laurentius ſequenti anno ſe abdicat.

514 Hormiſda.

523 Johannes.

526 Felix III. dictus IV.

530 Bonifacius II. & Dioſcorus ſchiſma ſextum faciunt. At Dioſcorus breviè vita exceſſit.

532 Johannes II.

534 Agapetus.

535 Silverius. Hic ſchiſma VII. fuit. Nam eo vivente & in inſulam Pontiam relegato Vigilius electus eſt ann. 537. Quo mox defuncto ſedem ſine contradictione tenuit. Oecumenica Synodus V. Conſtantinopoli habetur adverſus Origeniſtas poſt conſulatum Flavii, Baſilii Junioris anno 553.

556 Pelagius.

561 Johannes III.

575 Benedictus.

579 Pelagius II.

500 Gregorius Magnus. Miſſis in Angliam monachis magnam gentis partem à paganiſmo ad fidem Chriſti convertit. Unde Anglorum Apoſtolus appellatur.

604 Sabinianus ſedit m. 5. dieb. 19.

605 Bonifacius III. Phocas hoc Papa rogante, ſtatuit ſedem Romanæ Eccleſiæ, ut caput eſſet omnium Eccleſiarum: quia Eccleſia Conſtantinopolitana primam ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat. Paul. Diaconus. Sedit iſte pontifex m. 8. d. 23.

Conſpectus ſegmenti Duodecimi Imperatores orientis.

602 Phocas parricida, tyrannus crudeliſſimus, pronus in ſedem Romanam.

610 Heraclius victo & exciſo Phoca. Perſæ provincias orientis percurſant. Capiunt Hieroſolymam (anno 619.) Zachariam patriarcham cum Chriſti cruce captivum abducunt in Perſiam. Deinde Ægyptum & Libyam uſque ad fines Æthiopiæ pepopulantur, Carthaginem

ginem obſident. Inflati Perſæ pacem concedere noluerunt. Nam Coſroes hanc conditionem ponebat, ſi Heraclius cum omnibus ſubditis relicto Deo in crucem acto ſecum ſolem adorare vellet. Inde Imperator facta pace cum Avaribus & Hunnis in Perſas feliciter movet & bellum gerit. Turcos in Aſiam admiſit. Siroes patre occiſo cum Heraclio pacem fecit. Mahomedes Pſeudopropheta. Hæreſis Monothelitarum. Saraceni invaleſcunt. Æra Jeſdegirdica incipit ab anno 632. Quadriennio poſt Saraceni Hieroſolymam ceperunt, quam obtinuerunt uſque ad Godefridum Bovillionenſem & annum 1099.

641 Conſtantinus Heraclii filius regnat. m. 4.

641 Heracleonas menſ. 6.

642 Conſtans Conſtantini filius. Sed hæc aliter à Paulo Diacono narranqui Heraclio dicit ſucceſſiſſe Heraclionam, Heraclionæ Conſtantium, Conſtantio filium hujus Conſtantinum. At eſſe perturbationem certum eſt. Maujas Saracenus rebus geſtis & victoriis clarus.

668 Mizzius, Conſtante interempto, ab exercitu electus evertitur à Conſtantino Pogonato. Saraceni omnes pene Romani imperii provincias affligunt terra marique.

685 Juſtinianus Pogonati filius à Leontio Cherſonam Ponti relegatur.

694 Leontius.

697 Tiberius Abſimarus everſo Leontio regnat.

703 Juſtinianus ex exilio imperium recuperat. Cognomen ei ῥινότμητος fuit.

711 Philippicus.

713 Artemius, qui & Anaſtaſius. Theodoſius Syrus adverſus eum ab exercitu electus eſt ſed Leoni Iſauro ceſſit.

716 Leo Iſaurus. Saraceni penetrant in Galliam.

741 Conſtantinus Copronymus. Artavaſdim tyrannum ſubegit. Saraceni inteſtinis diſſenſionibus laborant.

775 Leo IV.

781 Irene Leonis conjux cum filio Conſtantino. Mater filio oculos eruit, tanta crudelitate, ut intra paucos dies mors conſecuta eum abſtulerit. Eadem Leonis Iſauri genus exſtinguit.

802 Nicephorus Irene in cœnobium detruſa occupat imperium.

811 Nicephorus trucidatur, filius ejus Stauracius non admittitur, eligitur autem Michael Curopalates ſeu Rangabas.

813 Leo Armenius imperium accipit, Michaële ſponte ſua in monaſterium concedente.

820 Michael Balbus è carcere in ſolium regni evectus.

829 Theophilus, hoſtis imaginum ut plerique ſuperiorum imperatorum, juſtitiæ etiam perſtudioſus, organa admiranda fecit opera & induſtria Leonis Philoſophi.

842 Theodora Theophili conjux cum filio Michaele, patris diſſimili, æmulo Neronis; unde & temulenti cognomen invenit.

Imperatores occidentes.

800 Carolus M. ſalutatus imperator à Papa Leone, in natalitiis Chriſti.

Ita

Ita imperium occidentis ad Francos tranſlatum eſt.

814 Ludovicus Pius Caroli M. filius. ann. 26.

841 Lotharius Ludovici filius.

136 Ludovicus II. ſeu Junior.

Pontifices Romani ex Onufrio.

606 Bonifacius IV. Hoc petente juſſit Phocas in veteri fano, quod Pantheon vocabatur, ablatis idololatriæ ſordibus, eccleſiam beatæ Mariæ & omnium ſanctorum martyrum fieri. Paul. Diac. lib. 18.

613 Deus dedit.

617 Bonifacius V.

622 Honorius.

637 Severinus, non confirmatur ab imperatore, quod Ecthefin improbaret.

636 Johannes IV.

640 Theodorus.

647 Martinus. In horum pontificum annis definiendis diſſident Baronius & Onufrius, inde ab obitu Bonifacii V.

654 Eugenius, mortuo in exilio apud Cherſonam Ponti Martino.

657 Vitalianus, Hic quidam biennium tollunt.

672 Adeodatus. In principio hujus & fine antecedentis non convenit Onufrio cum Anaſtaſio.

676 Domnio, alias Domnus vel Domus. Baronius dat huic annos quatuor, diſſentit Onufrius.

679 Agatho. Concilium Oecumenicum VI. adverſus Monothelitas.

682 Leo II.

684 Benedictus II. Hic annotat Onufrius ex Anaſtaſio, quod Pontifices, qui deinde fuerunt facti ſint ſine Imperatoris Conſtantinopolitani juſſione.

685 Johannes V.

686 Cono. Cum in electione Pontificis non convenientes clerus alium, alium Exarchus elegiſſet, ita ſchiſma VIII. fuit. Sed his pulſis Cono ſeu Cuno potifex factus eſt.

687 Schiſma IX. Nam Theodorus & Paſchalis electi erant, quibus pulſis ſedem obtinuit Sergius.

701 Johannes VI.

705 Johannes VII.

707 Siſinnius. Sedit. d. 20.

707 Conſtantinus.

716 Gregorius II. Biennio hic anticipat Anaſtaſius.

731 Gregorius III. Beda moritur. Italia deficit ab Imperatore, autore Gregorio III.

741 Zacharias.

752 Stephanus II. diem unum ſedit.

752 Stephanus III. dictus II.

757 Paulus. In ſchiſmate X adverſus hunc electus erat Theophylactus, qui coactus eſt ſe abdicare.

767 Conſtantinus Nepeſinus, eodem die, quò Paulus obiit, electus à laicis, ſedit annum unum. Adverſus eum electus à quibuſdam Clericis fuit Philippus. Sed uterque ſe abdicare coactus finem fecit Schiſ-

mati XI. & locum Stephano IV. qui dictus eſt III.
772 Hadrianus. Nicenum II. Concilium Oecumenicum, in quo imaginum cultus ſtabilitur.
696 Leo III.
816 Stephanus V. qui appellatur III.
817 Paſchalis.
824 Eugenius II. Contrà eum in ſchiſmate XII. electus fuerat Zinzinus.
827 Valentinus ſedit tribus diebus.
828 Gregorius IV.
844 Sergius II.
847 Leo IV.
855 Benedictus III. In ſchiſmate XIII. adverſus eum electus mox ſe abdicavit Anaſtaſius III. Inter hunc & Leonem ejus prædeceſſorem multi locant Johannem VIII. fœminam quæ ſedem tenuerit biennio.

Conſpectus ſegmenti XIII. Imperatores orientis.

867 Michael temulentus cum matre imperavit ann. 14. ſolus 13. Everſus eſt à Baſilio Macedone hoc anno.
886 Leo VI. cognomento philoſophus ob eruditionem.
911 Alexander frater Leonis Philoſophi.
911 Conſtantinus VIII. porphyrogenetus, cum matre Romano & ſolus regnavit ann. 50. Conſtantinum Ducam & Leonem Phocam feliciter oppreſſit, at Romanus ſocer generum ſubjectum ſibi diu tenuit poteſtate omni in ſe tranſlata, donec gener jugum excuteret.
959 Romanus.
963 Nicephorus Phocas.
969 Johannes Zimiſces in ſolium evectus per cædem Nicephori. Nicephorum conjux propria prodidit & evertit.
875 Baſilius Romani filius, porphyrogenetus, imperavit ann. 50.
1025 Conſtantinus Romani filius, frater Baſilii ſuperioris imperatoris: ſed ingenio diſſimilis & degener. Hic de ſucceſſore ſolicitus, Romano Argyropulo offert conditionem, ut aut uxore dimiſſa Zoen filiam ſuam duceret, aut oculos ſibi erui pateretur, ad metum rebellionis præveniendum. Uxor igitur ejus, ne conjugi crearet periculum in monaſterium ſe contulit. Ita Romanus Cæſar appellatus eſt.
1028 Romanus Argyropulus, vir religioni & literis deditus, eoque uxori pro ſua cupidine non intentus, aſtu ejus interimitur.
1034 Michael Paphlago furtivæ cum Zoë conſuetudinis & parricidii præmium tulit imperium, ſed id infeliciter imperio ceſſit. Nam cum morbo caduco teneretur à fratribus impiis & ſtolidis hominibus imperii gubernamen tenebatur.
1041 Michael Calaphates imperat m. 4.
1042 Conſtantinus Monomachus, tertius maritus Zoës, liberalis & munificus mirum in modum. Conſtantinus Manaſſes φιλοδωρίας θάλασσαν vocat. Maniacen & Tornicium tyrannos oppreſſit.
1054 Theodora ſoror Zoës.
1056 Michael Stratioticus ſenex & moroſus. Hic hiſtoriam ſuam claudit Cedrenus.

1057

1057 Iſacius Comnenus fulminis afflatu territus, depoſita purpura in cœnobium ſe contulit ſtulitarum, in quo omni obedientia perfunctus eſt.
1059 Couſtantinus Ducas.
1067 Eudocia conjux Conſtantini Ducæ nupſit Romano Diogeni. Hic imperavit quadriennio. Captus apud Turcos & bene habitus, cum ad ſuos rediiſſet, à privigno Andronico effoſſione oculorum interimitur.
1971 Michael Ducas regnat ann. 7.

Imperatores occidentis.

875 Carolus Calvus.
877 Ludovicus Balbus.
880 Carolus Craſſus.
888 Arnulfus eligitur deſerto Carolo Craſſo.
900 Ludovicus IV.
912 Conradus dux Franconiæ.
920 Henricus Auceps.
937 Otto Magnus.
973 Otto II.
384 Otto puer & mirabilia Mundi appellatus. Interr. m. 4.
1002 Henricus Claudus & Sanctus.
1024 Conradus Salicus.
1039 Henricus III.
1056 Henricus IV. Imperium turbatum pleniſſimum.

Pontifices Romani, ex Onufrio. Hi monſtra potius quam homines inter ſe etiam acerrime conflixerunt.

858 Nicolaus Magnus.
867 Hadrianus II. Synodus Oecumenica octava, Conſtantinopolitana quarta. Poſterior pars Synodi Conſtantinopolitanæ ann. 877. Conſtantinopolitani hoc tempore primum campanas à Venetis accepere.
872 Johannes VIII.
882 Marius.
884 Hadrianus III. quem alii Agapetum vocant.
885 Stephanus VI. dictus V. quem alii Baſilium vocant.
891 Formoſus, Portuenſis epiſc. Hic primus ex epiſcopo factus eſt Papa. Adverſus eum in ſchiſmate XIV. Sergius III. electus eſt.
895 Bonifacius VI.
896 Stephanus VII. dictus VI.
897 Romanus.
897 Theodorus II.
897 Johannes IX. Sergius tertius ſecundo, in ſchiſmate contra eum electus eſt.
899 Benedictus IV.
903 Leo V. Coactus abdicavit ideo ſedes non vacavit.
903 Chriſtophorus. Schiſma XV. inter Leonem V. Chriſtophorum & Sergium III.

903 Sergius III. Vide tempora perturbatiſſima ſedis Romanæ.
911 AnaſtaſiusIII.
913 Lando.
914 Johannes X. occiſus, ſuffocatus cervicali in os injecto.
928 Leo VI.
928 Stephanus VIII. dictus VII.
930 Johannes XI. Sergii III. Papæ filius nothus.
935 Leo VII.
939 Stephanus IX. dictus VIII.
942 Marinus II.
946 Agapetus III.
956 Johannes XII. Pontificatus ei abrogatus eſt à concilio Romano VIII. eid. Decembris anno 963. Eum fugato Leone VIII. recepit XVI. Kal. Februar. ann. 964. tenuitque menſ. 3. d. 28.
963 Leo VIII. creatur abrogato Johanne XII.
965 Benedictus V. poſt Johannem XII. durante ſchiſmate XVI. contra hunc Leonem ſedit uno menſe. Inde pulſus in exilium obiit in Saxonia Hamburgi.
965 Johannes XIII.
972 Donus II. ſedit m. 3.
972 Benedictus V. dictus VI. Juſſu Bonifacii VII. ſucceſſoris ſui ſtrangulatus eſt.
974 Bonifacius VII. abdicare ſe coactus & urbe pulſus.
975 Benedictus VI. dictus VII. Inter hunc & Bonifacium VII. fuit ſchiſma XVII.
984 Johannes XIV. pontificatu exactus eſt à Bonifacio VI. in urbem reverſo. Obiit in carcere.
985 Bonifacius VI. factione quorundam nobilium in urbem reverſus Johannem in carcerem compegit.
985 Johannes XV.
995 Johannes XVI.
995 Gregorius V. Adverſus hunc in ſchiſmate XVIII. creatus fuit Johannes XVII. qui coactus ab Ottone III. ſe abdicavit & effoſſis oculis relegatus eſt in Germaniam.
998 Silveſter II. philoſophus eximius, uti dicit Onufrius, alii magum vocant.
1003 Johannes XVII. menſ. 4. d. 25.
1003 Johannes XVIII.
1009 Sergius IV.
1012 Benedictus VII. dictus VIII. Adverſus illum in ſchiſmate XIX. alius electus fuit, cujus nomen ſe non potuiſſe invenire dicit Onufrius. Sepulcri Sergii inſcriptio & monumenta alia non conveniunt de initio Benedicti aut fine Sergii, ut apud Baronium videre licet.
1024 Johannes XIX.
1032 Benedictus VIII. dictus IX. Adverſus hunc Benedictum IX. Silveſter III. electus fuit in ſchiſmate XX. qui ſedit unum menſem & dies 19. Nam pulſo Benedicto ſedit ille Silveſter, illo autem ejecto rurſum menſe uno ſedit Benedictus, qui ſe abdicavit, locum faciens ſucceſſori.

1045 Gregorius VI. Hic ab Imperatore Henrico III. congregato concilio Sutrii coactus eſt ſe alldicare.
1047 Clemens II. obiit menſe Octobri.
1047 Benedictns IX. iterum Papatum tenuit uſque in Auguſtum anni ſequentis.
1648 Damaſus II. cedentis Benedicti tenuit ſedem. Obiit menſe Auguſto.
1048 Benedictus IX. tertiò pontificium adminiſtrat tempore interregni.
1049 Leo III.
1055 Victor II.
1057 Stephanus X. dictus IX. Benedictus IX. dictus X. à Leone IX. Papa factus ſedit menſ. 9.
1058 Nicolaus II. in locum Benedicti IX. factus eſt ponifex. Schiſma eſt XXI.
1061 Alexander II. Honorius II. in ſchiſmate XXII. contra Alexandrum II. ab imperatore & epiſcopis Longobardis creatus ſedit quinquennio.

Conſpectus ſegmenti XIV. Imperatores orientis.

1078 Nicephorus Botoniates, ſenio inutilis regno, otio & libidinibus ſe tradit. Cum hoc deſinit Conſtantinus Manaſſes.
1081 Alexius Comnenus. Hoc imperante occidentales bellum ſacrum inſtituunt, Hieroſolymam capiunt eique regem imponunt.
1118 Calojohannes Comnenus. Ab hoc incipit hiſtoriam Nicetas Choniates.
1143 Manuel Comnenus.
1180 Alexius II. Comneeus puer. Andronici rebellione interit.
1183 Andronicus Comnenus tyrannus.
1185 Iſacius Angelus Comnenns tyrannum trucidat. Hoc tempore Saladinus Hieroſolymam Chriſtianis eripit. A fratre Alexio Comneno oculis & imperio privatur.
1195 Alexius Angelus Comnenus. Latini Conſtantinopolim capiunt, Iſacium reſtituunt: At in magnas calamitates urbs incidit. Ducas Murzuflus rapit imperium fugatur urbe à Latinis.
1204 Balduinus Flander Conſtantinopoli imperat, urbe ſecundò expugnata. Verſus hi ſunt:

Bis ſexcentenus erat annus bis quoque binus,
Quo Conſtantini dominantur in urbe Latini.

1205 Principes Græci, qui in Aſiam effugerant ut Theodorus Laſcares, David Comnenus & Emmannel occupant quædam loca ſeq; reges appellant. Varii reges in partibus regni Græci fuere. Theodorus Laſcares obtinebat potiſſimam partem, vicit & occidit Alexium Ducam Murzuflum.
1206 Henricus Frater Balduini. Hic deſinit ſcribere Nicetas.
1216 Petrus Antiſſiodorsnſis. Hic Romam profectus à Pontifice imperii Conſtantinopolitani inſignia accipit & coronatur. Revertens in itinere, contra fidem datam à Theodoro Laſcare captus bennio tenetur in vinculis & tandem obtruncatur.
1221 Robertus Petri Filius. Johannes ducas Laſcari ſuccedit ann. 1223.

1229

1229 Balduinus impuber cum ſocero Johanne Brennio. Græca Eccleſia & vicinæ ab obedientia Romani Pontificis omninò deficiunt. Johannes Ducas Balduinum coarctat. Johannes Ducas obiit ann. 1255. Cui ſucceſſit filius Theodorus Laſcares. Huic ſucceſſit Michael Palæologus ann. 1259.

1262 Michael Palæologus Conſtantinopolim recuperat, pulſo Balduino & Latinis, qui urbem tenuerant annis 58. m. 3. uti annotat ex annal. Suevicis, appendice Pariſienſis & Nicephoro Gregora Sethus Calviſius. At his alii non conſentiunt.

1248 Andronicus Palæologus.

Imperatores in occidente.

1106 Henricus V.

1125 Lotharius Saxo. Feliciter imperat ann. 12.

1137 Conradus dux Sueviæ, nominis ejus III. Mortuali morbo decumbens, principibus præterito filio, nepotem ex fratre commendat ad ſucceſſionem.

1152 Fridericus Barbaroſſa. In Aſia vitæ finem habuit, in flumine ſuffocatus.

1190 Henricus VI. parenti diſſimilis, crudelis & arrogans.

1197 Philippus æmulum Ottonem in ordinem redegit.

1208 Otto.

1212 Fridericus adverſus Ottonem impulſus à Pontifice inſurgit, Aquiſgrani coronatur. Civile bellum inter Fridericum & Ottonem, quo Otto fuit inferior, qui mortuus eſt anno 1218. Poſtea & diſſenſio inter Fridericum & Pontificem orta eſt. Fridericus duxit Jolantem Filiam Johannis Brennii regis Hieroſolymorum, & in dotem cum illa omnia jura regni Hieroſolymitani. Ab eo tempore reges Siciliæ & Apuliæ titulum ejus regni habuerunt. Henricus ſocius & collega patri in imperio fuit. Imperator Hieroſolymis captis ibi coronatus eſt, cum ſocer perfidus à Pontifice inductus Siciliam & Apuliam infeſtat, quod Imperator egregiè ultus eſt. Felix & bellator fuit cui plurimas moleſtias crearunt Romani Pontifices. In Italia qui Pontificis partes tutabantur Guelfi, qui Imperatoris Gibellini dicebantur.

1250 Interregnum, viginti duorum fermè annorum. In quo Vilelmus comes Hollandiorum & Richardus frater regis Angliæ electi ſunt Imperatores. Alfonſus ſapiens in Hiſpania regnat. Sorbona Lutetiæ Pariſiorum inſtituta. Conradinus heres regnorum Siciliæ, Apuliæ & Calabriæ à Carolo Andegavenſi captus ex ſententia Pontificis Romani Clementis IV. carnificis manu decollatur. At mors ejus crudeliſſimè vindicata eſt in Veſperis Siculis poſt annos 14. anno 1283.

1273 Rodulfus Comes Habſpurgenſis.

1292 Adolfus Naſſavienſis.

Ponti-

Pontifices Romani ex Onufrio. Hi cum imperatoribus & regibus Occidentis contenderunt de temporali poteſtate, & ſuperiores fuerunt.

1073 Gregorius VII. cum privatus eſſet Hildebrandus vocabatur. Schiſma XXIII. cœpit, in quo Clemens III. ſedit adverſus Gregorium VII. Victorem III. Urbanum II. & Paſchalem II.

1486 Victor III.

1088 Urbanus II. Ordo Carthuſianorum.

1099 Paſchalis II. Albertus Atellanus in ſchiſmate poſt Clem. III. adverſus Paſchalem II. creatus ſedit m. 4. Coactus ſe abdicare perpetuo carceri mancipatur. Poſt eum in eodem ſchiſmate Theodoricus Romanus ſedit per m. 3. d. 15. Captus à Paſchalis præſidiis in monaſterium truditur: Silveſter III. poſt eum opponitur Paſchali II. Sedit menſibus aliquot, mox fugatus animi dolore exſpiravit, anno 1202. Ita finiit ſchiſma XXII. ſolo ſedente Paſchali. Anſelmus & Bernardus florent.

1138 Gelaſius II. Adverſus hunc ejuſque ſucceſſorem Calliſtum à parte Imperatoris ſedit triennio Gregorius VIII. Hoc ſchiſma fuit XXIV. Origo templariorum, juxta quoſdam.

1119 Callixtus II. Cluniaci in Gallia electus, ſed non prius pontificium habitum ſumere voluit quam intelligeret ſe ab his quoque cardinalibus, qui Romæ remanſerant & in Italia, eſſe electum.

1124 Honorius II. Hugo de S. Victore floret. Arnulfus clericorum inſidiis necatur, quod eorum mores longe corruptiſſimos, avaritiam & pompam reprehenderet. *Barthol. Caranza.* Cœleſtinus II. Antipapa in ſchiſmate XXV. die uno ſedit.

1130 Innocentius II. Antipapa Anacletus in ſchiſmate XXVI. ſedit m. 5. coactus eſt ſe abdicare.

1143 Cœleſtinus II.

1144 Lucius II. Abailardus damnatur, Caranza Biliardum vocat.

1145 Eugenius III. Ad hunc Bernardus libros de conſideratione ſcripſit.

1153 Anaſtaſius IV. Richardus de S. Victore floret.

1154 Hadrianus IV.

1159 Alexander III. Adverſus hunc in ſchiſmate XXVII. ſederunt conſequenter Victor IV. Paſchalis III. Calliſtus III. Innocentius III. Schiſma maximum fuit, quod duravit annos 20. & Antipaparum ſeditionibus Eccleſia Romana penè ſubverſa eſt. *Caranza.* Thomas Cantuarienſis martyr.

1181 Lucius III. Petrus Comeſtor in pretio habetur.

1185 Urbanus III.

1187 Gregorius VIII. obiit Pontificatus ſui die qninquageſimo ſeptimo.

1188 Clemens III.

1191 Cœleſtinus III. Nihil prætermiſit quo terra ſancta recuperaretur.

1198 Innocentius III. *Hujus tempore* (verba Caranzæ) *oborta apud Tholoſam hæreſis eſt quam eodem procurante Dominico, à quo ordo prædicatorum fuit inſtitutus, mira celeritate compeſcuit.* Valdenſes & Albigenſes intelligit, adverſus quos cruciatam emiſit iſte

I Papa.

Papa. Sub eo fuit Concilium Lateranenſe ad reformationem morum. In hoc doctrina P. Lombardi de S. Trinitate abſoluta eſt adverſus Abbatem Joachim. Tranſſubſtantiatio confirmata. Habitum id concilium anno 1215. In hoc Papa finit annales ſuos Baronius.

1216 Honorius III. Ordines Dominicanorum & Monachorum Scholarium, item Franciſcanorum ſive minorum confirmavit. Albigenſes perſecutione è finibus Galliæ & Hiſpaniæ ejecti in fines Bulgarorum, Croatarum & Dalmatiæ ſecum doctrinam ſuam propagant. Fingunt Franciſco (anno 1225.) apparentem Chriſtum vulnerum ſuorum ſtigmata impreſſiſſe.

1227 Gregorius IX. Stedingi opprimuntur à cruciferorum militum copiis. Hugo Cardinalis ſacram ſcripturam commentariis illuſtrat & concordantiarum Biblicarum opus primus inſtituit. Ejus diligentiam imitati poſtea ſunt Græci & Latini. Florent præterea Bernardus Dorna, Accurſius, Alexander Alenſis, Bonaventura, Vincentius Burgundus, qui ſpeculum quadripartitum conſcripſit, Naturale, Doctrinale, morale & Hiſtoriale. Hoc deſinit in anno 1244.

1241 Cæleſtinus IV. ſedet biduo. Interregnum anni unius & octo menſium.

Innocentius IV. Synodus Lugdunenſis generalis adverſus Fridericum II. Imperatorem. Beginæ mulieres continentiam profeſſæ ex voto privato, paucis ante annis cœptæ mirum in modum multiplicantur.

1254 Alexander IV. Monachorum ſaccatorum novus ordo in Anglia. Flagellantium ſecta.

1261 Urbanus IV. Feſtum corporis Chriſti inſtituitur celebrandum feria 5. poſt Trinitatis. Interregnum quinque menſium.

1265 Clemens IV. Hic uxorem habuerat, è qua defuncta duabus filiabus ſuperſtitibus modica ſubminiſtravit, bonis Eccleſiæ moderate uſus. *Quem utinam omnes Pontifices imitati eſſent.* Hoc votum eſt Caranzæ. Sedes vacant biennio.

1271 Gregorius X. Concilium generale Lugduni definit quod Sp. S. æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis ſed tanquam ex uno principio, non duabus inſpirationibus ſed unica inſpiratione procedat. Adfuere illic & legati Imperatoris Græci, promittentes obedientiam Pontificis, modo non ſubminiſtrentur auxilia Balduino profugo.

1276 Innocentius V. m. 6.

1276 Adrianus V. dieb. 40.

1276 Johannes XX. dictus XXI. Vir literatus at in rebus gerendis parum prudens. Sub hoc facta eſt definitio adv. eos, qui dicebant Chriſtum & ejus diſcipulos nihil habuiſſe, nec in eis jus ullum, quæ habuerunt. Damnati etiam errores Johannis de Poliaco.

1277 Nicolaus III. ſedit ann. 2. m. 9. Sedes vacat m. 9.

1281 Martinus II. dictus IV. ordo ſervorum Mariæ incipit. Hic Pontifex oderat Germanos ita, ut optaverit ſæpius ſe lucium vel ciconiam, Germanos autem ranas eſſe, ut in eos graſſari poſſet.

1285 Honorius IV. Poſt ejus obitum ſedes vacat m. 10.

1288 Nicolaus IV. Jacobus de Voragine floret, autor aureæ legendæ. Hoc pontifice defunćto ſedes Pontifice vacat ultra biennium.

1294. Cœleſtinus V. Sponte ſua ſe abdicavit. Erat enim homo ſimplex, ideoque ſe perſuaderi paſſus eſt à Benedićto Cajetano, ut Pontificatu cederet. Vulpes autem illa ita intravit ut merito ſuo primus habeatur in ſequenti temporum ſegmento.

Conſpectus ſegmenti XV. Imperatores orientis.

1328 Andronicus Junior nepos ſuperioris avo ejećto regnat ann. 13. Orchanes Turca Nicæam capit & Nicomediam.

1341 Johannes Palæologus primo ſub Tutela Johannis Cantacuzeni poſtea ſolus regnat longo tempore. Hujus anno 14. Calojohannes gener Cantacuzeni ſimul regnat annis 30. Hinc jam admodum perturbata eſt Chronologia Imperatorum in Græcia. Nam Nicephorus Gregoras deſinit in principio regni hujus Palæologi, Chalcocondylas qui ſequentia tempora compoſuit, in annis notandis minus eſt accuratus. Alii huic Johanni annos 41. Calviſius annos 50. attribuit.

Andronicus IV.

1392 Emanuel filius Johannis Palæologi olim Imperatoris, cum Patre ex carcere Andronici elapſi ad Bajazeten Turcam perveniunt. Emanuel diu imperium tenuit ſed preſſus & afflićtus à Bajazete. Germani Conſtantinopoli obſeſſæ venere ſuppetias ſed cum clade repelluntur. Secundo obſeſſum Emanuelem liberat Tymur Scytha, qui ingenti clade vićtum Bajazetem cepit, anno 1399. Ita fraćtæ vires & inteſtina bella Turcarum Græco imperio reſpirationem & quietem ad tempus dedere. Si prudentes forteſque viros naćtum fuiſſet imperium orientis emergere potuiſſet.

Johannes VII. Andronici filius.

Imperatores occidentis.

1298 Albertus Auſtrius primus. Rumor ſparſus de Judæis, quod hoſtiam conſecratam in mortario contudiſſent, unde ubertim ſanguis effluxerat, illis perſecutionem creavit. Raimundus Lullius floret. Alanus de Inſulis doćtor univerſalis. Johannes Scotus.

1308 Henricus VII. Lutzelburgius. Interregnum anni unius.

1314 Ludovicus V. Bavarus. Bellum inteſtinum inter ipſum & Fridericum Anti-Cæſarem. Wilelmus Occam.

1347 Carolus IV. Suaſu ſive juſſu Papæ elećtus erat vivente Ludovico. Autor eſt aureæ bullæ. Academia Pragenſis inſtituitur. Taulerus monachus floret. Franciſcus Petrarcha literas in lucem revocat.

1378 Wenceſlaus Ignavus, vini quam imperii curioſior. Curyſoloras literas Græcas importat in Italiam.

1400 Wenceſlao amoto & Friderico Brunovicenſi per inſidias inrerfećto, ſuccedit Rupertus Palatinus. Cracovienſis Academia conditur.

1410 Jodocus Marchio Moraviæ, ineptus rebus gerendis, ut Æn. Sylvius. Præfuit ſolis quinque menſibus.

1411 Sigiſmundus Caroli Filius.

Pontifices Romani, qui temporalem poteſtatem extortam principibus ſive uſurpatam impotenter exercuerunt. Hoc ſeculum eſt extrema caliginis & ſub eo fundamenta jacta literarum & Euangelii lucis.

1294 Bonifacius VIII. intravit ut vulpes, regnavit ut Leo, mortuus eſt ut canis. Petenti Alberto Imperatori imperii confirmationem denegavit, ipſe autem die palmarum coronatus & accinctus in publicum ſe dedit, pronuntians ſe eſſe Cæſarem & Papam. Sequenti anno 1300. hic primus Jubilæum inſtituit. In quo proclamari juſſit ante ſe indutum habitu imperatorio & prælato gladio, *Ecce duo gladii hic.* Caranza: *Ab hoc ferunt deceptum Cæleſtinum voce tanquam cælitus miſſa, per eannum ad hominem ſimplicem, ut defereret Pontificatum & Bonifacium inſtitueret. Ingentia bella concitavit in Italia &c.*

1303 Benedictus XI. Vacavit eo ſublato ſedes m. 11. Onufrius IX. eſſe jubet.

1305 Clemens V. *Iam inde* (inquit Caranza) *tranſlata eſt Pontificia ſedes ab urbe Româ Avinium Galliæ urbem, ubi ab ſeptuaginta & quatuor annos remanſit cum magno Chriſtianorum incommodo.* Apud Novarienſes Dulcinus & Margarita hæreſin docuiſſe dicuntur. Synodus univerſalis Viennenſis, in qua Clementinæ ſunt editæ. Templarii oppreſſi.

1316 Johannes XXI. dictus XXII. Adverſus eum Nicolaus V. Reatinus, in ſchiſmate XXVIII. ſedit. 3. annis & tribus menſibus. Electus ann. 1328.

2334 Benedictus XII. bellum cum Ludovico Cæſare continuat, jubetque ſententiam excommunicationis eſſe ratam. Quia autem Imperator excommunicatus ſit & depoſitus, nec alius in ejus locum electus ſe Vicarium imperii eſſe contendit. Ideo vicarios mittit in urbes imperii per Italiam, teſte Platina. Epitaphium illi aliquis compoſuit:

Hic ſitus eſt Nero, Laicis mors, vipera clero,
Devius à vero, cupa repleta mero.

1342 Clemens VI. Hic emit (ut fertur) Avinium Franciæ, atque ita urbs hæc juris Pontificii facta eſt. Sævit etiam in Ludovicum. Jubilæum celebrat anno 1350.

1353 Innocentius VI.

1362 Urbanus V. Jeſuatorum ordo. Johannes Witchlef multa ſcribit. Ex illius libris diſcit veritatem Huſſus.

1370 Gregorius XI. Hic Romam ex Gallia iterum tranſtulit Pontificiam ſedem motus maxime reſponſo Epiſcopi, quem leniter increpabat, quod tanto tempore abeſſet ab Eccleſia ſua.

1378 Hinc cœptum ſchiſma (quod Onufrius vocat XXIX.) Itali Pontificem Italum Urbanum VI. dictum crearunt, qui Romæ manſit: Galli Clementem VII. qui Avenionem ſe recepit. Ita Pontifices duo erant, qui in ſe mutuò dirarum fulminibus ſævierunt. Id dura-

duravit uſque ad concilium Conſtantienſe annis 40. Itali, Germani & Angli Urbanum ſecuti ſunt: Galli & Scoti Clementem prætulerunt: Hiſpani neutrum probarunt.

Clementi ſucceſſit (anno 1394.) Benedictus XII. Cui ſchiſmati (inquit Bellarminus) concilium Piſanum volens remedium adhibere, illud auxit, depoſitis duobus Pontificibus & creato Alexandro V. Inde enim tres ſimul Pontifices fuere Gregorius XII. Benedictus XIII. & Alexander V. Pauloque poſt Johannes XXIII.

1389 Romæ Urbano VI. ſucceſſit Bonifacius IX. Hic Annatarum onus primus beneficiis Eccleſiaſticis dicitur impoſuiſſe. Nempe ut qui beneficium conſequeretur dimidium annui proventus fiſco Apoſtolico perſolveret. *Eam conſuetudinem omnes admiſere* (Caranzæ verba ſunt) *præter Anglos, qui id de ſolis epiſcopalibus conceſſere: de cæteris beneficiis non adeo.* Bis Jubilæum celebravit. Huſſi doctrina latè ſpargi cæpit. Albatorum ſecta.

1404 Innocentius VII.

1406 Gregorius XII. Is promiſit ceſſurum ſe Pontificatu, ſi Benedictus itidem non recuſaret. Cæterum fugiente Benedicto in Catalaunos relicta Avenione, revocavit promiſſum. Proinde in concilio Piſano uterque depoſitus eſt, uti diximus, inque eorum locum ſuffectus tertius Papa Alexander V. Gregorius profugit Ariminum, ubi ſe continuit uſque ad concilii Conſtantienſis tempora.

1409 Succeſſit igitur Alexander V. qui egit Bononiæ.

1410 Johannes XXII. Hic ſedit Bononiæ, at Gregorius Arimini & Benedictus in Hiſpania ſuperſtites erant. Sunt autem hi tres pariter in Conſtantienſi Concilio Papatu dejecti. In eo concilio doctrina Witclefi & Huſſi damnatur. Hus comburitur & Hieronymus Pragenſis.

Conſpectus ſegmenti XVI. Imperatores orientis.

1420. Johannes VIII. Emanuelis Filius.

Conſtantinus IX. Emanuelis filius. Quidam eum iniiſſe volunt ab anno 1444. alii ſerius. Conſtantinopolis capta eſt à Mahomete Turca ann. 1452.

1452 Mahumetes II. Conſtantinopoli captâ Imperii orientis dominus eſt. Trapezuntiorum imperium in Davide Comneno finem habet ab eodem Mahomete. Huniades, Scanderbejus, Caſtriotus tria fulmina belli oppoſita Amurathi Mahometi & Bajazethi fuerunt, ut ejus victoriarum curſum ab occidente averterent.

1481 Bajazetes II. Conſtantinopoli terribilis terræ motus quadraginta diebus urbem concuſſit. 13000. hominum periêre.

1512 Selimus parentem veneno opera medici ſuſtulit, medico loco præmii caput præcidi jubet.

Imperatores occidentis Auſtriaci.

1438 Albertus Auſtriacus II. Friderici ex fratre Alberto abnepos.

1440 Fridericus III. regnat ann. 53. Ars typographica invenitur. Clades Varnenſis anno 1444. Carolus audax Burgundus, ad Nancejum cadit,

cadit, victus à Renato Lotharingiæ duce anno 1477. Pulveris tormentarii & bombardarum inventum. Veneti Cyprum occupant, dum Rhodum obſidet Mahometes, anno 1480.

1493 Maximilianus I. Friderici filius. Americus Veſputius novis terris in occidente nomen dat. Academia Vitebergenſis conditur anno 1503. Veneti afflicti bello anno 1509. Finitum eſt hoc bellum anno 1516.

Pontifices Romani, inclinata poteſtate.

1417 Martinus V. Conſtantiæ electus & coronatus. Bellum Huſſitarum, quod diu duravit & victoriis nobiliſſimis inſigne fuit adverſus Sigiſmundum.

1431 Engenius IV. Mox inſtituit concilium Baſilienſe, quod 15. annis continuatum eſt. Flavius Blondus, Georgius Trapezuntius, Johannes Regiomontanus clari ſunt Pragmatica ſanctio publicatur Lutetiæ anno 1438. Patres Baſilienſes urgent Eccleſiæ reformationem, deponunt Eugenium, Felicem V. Pontificem faciunt (anno 1439.) Hoc ſchiſma eſt ultimum, quod Onufrius vocat XXX. Pontifex Eugenius Ferrariæ Concilium inſtituit (quod Florentiæ finitum eſt) pro erroribus Græcorum. In eo agnoſcunt Imperator & alii Conſtantinopolitani primatum Papæ & in aliis articulis conſentiunt. At legati domum reverſi à Græcis reliquis male accepti, acta reſciſſa. Dimiſſo concilio Florentino Eugenius Lateranenſe convocat ad infringendam autoritatem concilii Baſilienſis.

1447 Nicolaus V. fautor literarum, mecœnas eruditorum. Matthæus Palmerius hiſtoricus, qui malè ſentiebat de angelis exuſtus eſt Cornæ anno 1448. Nicolaus de Cuſa Cardinalis floret. Felix V. cedit pontificatu, ſuaſu Imperatoris Friderici & finem imponit ſchiſmati.

1455 Calixtus III. inſtituit feſtum transfigurationis Chriſti in memoriam victoriæ adverſus Mahometem anno 1456.

1458 Pius II. Hic privatus appellatus eſt Æneas Sylvius, ſcriba fuerat in concilio Baſilienſi idque publicè editis ſcriptis defenderat. Hinc factus eſt Secretarius Imperatoris, Epiſcopus, Cardinalis atque Pontificium nactus. Cum Papa eſſet id concilium improbavit. Baſilienſis & Friburgenſis Academiæ inſtituuntur.

1464 Paulus II. Valla Laurentius floret. Statuit iſte Pontifex ut Jubilæus deinceps ſingulis vicenis quinis annis celebraretur. Sacerdotium illaudabiliter procuravit.

1471 Sixtus IV. Petri Oxonienſis in Synodo Complutenſi damnantur errores. Pomponius Lætus floret.

1485 Innocentius VII. Antonius Sabellicus, Marſilius Ficinus, Hermolaus Barbarus, Johannes Picus Mirandulanus aliique eruditi in Italia florent.

1492 Alexander VI. ambitu & largitionibus ſedem obtinuit. Homo, ut ait Onufrius, ad exitium Italiæ natus. Verſus de eo facti:

Vendit Alexander Sacramenta, altaria, Chriſtum,
Emerat illa prius, vendere jure poſt.

Sextus

Sextus Tarquinius, Sextus Nero, Sextus & iſte:
Semper ſub Sextis perdita Roma fuit.

Morbus Gallicus ſive Lues Venerea exorta eſt. Reuchlinus celebrari incipit. Synodus Moguntienſis pronuntiat Mariam conceptam eſſe ſine peccato originali. Pontifex iſte è familia Borgiarum fuit filiam habuit Lucretiam nomine, mulierem impudiciſſimam, quæ patri & fratri miſcebatur, juxta epitaphium:

Hoc jacet in tumulo Lucretia nomine ſed re
Thais Alexandri filia, ſponſa, nurus.

Periit homo impuriſſimus veneno, quod mixtum aliis, imprudentia & errore miniſtri hauſerat.

1503 Julius II. bellica gloria clarus, ut ait Caranza. Nam totum terrarum orbem involuit bello uti & Patrimonium S. Petri auxit abſolutione caſuum reſervatorum. Convocavit concilium Lateranenſe. At Cardinales quatuor Gallicarum partium convocant concilium Piſis, quod deinde Mediolanum eſt tranſlatum. In eo Papam Julium indignum Pontificia ſede pronuntiarunt. Hi Cardinales reconciliati ſunt cum Julii ſucceſſore.

1513 Leo X. In regno Hungariæ homines, militaturi in Turcam, ipſam Hungariam fœdè vaſtarunt. Biblia Complutenſia edita anno 1515.

Conſpectus ſegmenti XVII. Imperatores in Oriente.

1520 Solimannus Selimi filius Rhodum cepit. Alis Begi ditiones, Cappadociam Galatiam & Armeniam ſibi ſubjicit.

1566 Selimus II. infeliciter adverſus Moſcovitas bellat. Famaguſtam in Cypro occupat.

1574 Amurates III. Sebaſtianus Portugalliæ rex (anno 1578.) perit in Africa.

1595 Mahometes III. Hic cum exſequiis Patris ſimul ſepelit fratres octodecim ex concubinis natos & ſtrangulatos. Ob luxum & ignaviam ſeditionem maximam Janitzarorum ſenſit anno 1603.

1604 Achmet Baſſa Alepienſis rebellat. Infeliciter Achmet bellum gerit cum Perſis.

1620 Muſtafa ſuccedit: ſed mox abdicatur.

1621 Oſman ſeu Othomannus ſurrogatur. At bello Polonico infeliciter geſto ſtrangulatur à Janitzaris, & purpuratis, imperium datur Muſtafæ.

1623 Muſtafæ imperium deponenti ſuccedit Amurates IV. frater Oſmani.

1640 Ibraim I. ſuccedit fratri.

1648 Achmet II.

Imperatores occidentis.

1519 Carolus V. Maximiliani I. ex filio Philippo nepos. Biennio ante ejus initium Lutherus docere cœperat, magno applauſu, qui traxit magnam partem Septentrionis & Italiam ac Hiſpaniam ipſam attigit. Ingens

Ingens hac tempeſtate lux literarum in Germania erat, ſeculum viris in omni ſcientiarum genere florentiſſimum & Euangelii præconibus ſummis ac doctiſſimis. Europa exinde bello religionis flagrat.

1558 Ferdinandus Frater Caroli V.
1564 Maximilianus II. Ferdinandi Filius.
1576 Rodulfus II. Maximiliani Filius.
1612 Matthias Rodulfi frater.
1619 Ferdinandus II. Ferdinandi I. ex filia & Maximiliani II. ex fratre Carolo nepos. Germania bello ardere cœpit cum ejus initio, quod continuatum in annos 30.
1658 Ferdinandus III. ſuperioris filius. Obiit ann. 1657. Eo imperante, anno 1649. rex Britanniæ Carolus I. à ſubditis bello civili victus, raptus & ſecuri manu carnificis (ſtupente mundo) percuſſus eſt. Libertatis nomen prætexebat factio rebellium Cromvelliana, regis regnique interfectrix, at ſub nomine Protectoris Olivarius Cromvellus vim regni invaſit.
1658 Leopoldus Ignatius. Britanni excuſſa tyrannorum dominatione, regnum legitimo hæredi Carolo II. exuli anno 1660. reſtituunt.

Pontifices Romani poſt reformationem à Luthero.

Sub Leone X. Lutherus adverſus indulgentias prædicare incipit, fine anni 1517. Anabaptiſtæ initium lucis infeſtant. Leonis encomium tale fuit,

Raptorem forſan ſi tu mirare Leonem,
Ignoras uncis unguibus eſſe feram.

1522 Adrianus VI. ſedit ann. 1. m. 8. d. 6.
1523 Clemens VII. Sub hoc Roma diripitur à militibus Caroli V. Epitaphium illi tale eſt factum:

Conditus hoc tumulo eſt Clemens, qui jura fidemque
Perdidit & miſeras orbis & urbis opes.

1534 Paulus III. Concilium generale indixit. Primo Mantuam aſſignavit deinde Vicentiam, tertiò Tridentum. Nec tunc quicquam factum eſt: Quartò rurſus Tridentum aſſignavit 1545. Atque ita inchoatum eſt.
1550 Julius III.
1555 Marcellus II. dieb. 22.
1555 Paulus IV.
1560 Pius IV. Sub hoc finis fit concilio Tridentino.
1566 Pius V. Motus Belgici incipiunt.
1572 Gregorius XIII. Hic promulgat novum calendarium. Principio ejus fuit laniena Pariſienſis.
1585 Sixtus V.
1590 Urbanus VII. ſedit tantum diebus 12.
1590 Gregorius XIV. m. 10. d. 12.

1591 Innocentius IX. menſ. 2.
1592 Clemens 8. πολιτικώτατος.
1605 Leo XI. dieb. 26.
1605 Paulus V. Fulminat in Venetos.
1621 Gregorius XV. ann, 2. m. 7.
1623 Urbanus VIII. Gallis magis deditus, quam gratum ſuit Hiſpanis.
1644 Innocentius X. ſedes vacat 90. diebus.
1655 Alexander VII. Valdenſes in Alpibus crudeliſſimè laniantur.

De Paradiſi ſitu, ſecundum reformatos Doctores.

SED CONSTITUTI IN PARADISO] Paradiſum Moſes deſcribit, ut horum amœniſſimum, figuram cœli, regiam hominis primi, in qua tanquam arce & capitolio degens, omni deliciarum genere affluentiſſimus, univerſo orbi dominaretur. Situm ejus ſanctiſſimus ſcriptor depingit *μάλα γεωγραφικῶς*. Poſitum fuiſſe in Eden, quod regionis nomen eſt, ex libris codicis ſacri notiſſimum. Ex Edene prodire flumen, quo irrigatur hortus, quod ubi hortum præterlapſum ſit, in quatuor aquarum divergia diſpeſcatur. Et hæc divergia ſuis deſignantur nominibus, quæ ſunt; Phiſon, Geon, Tigris & Eufrates. Deinde & unumquodque indicatur regione ſeu terra quam alluit aut interfluit. Prolixe admodum Franciſcus Junius de Paradiſi topographia diſſeruit; cujus diſſertationis hæc ſumma eſt: Primò annotat aliorum in diverſa abeuntes opiniones. Omittendos eſſe, qui Edenem & hortum extra hunc mundum eſſe ſtatuerunt, quia ipſorum ſententia *diſertis Moſis verbis hiſtoriaque fide & Methodii ſcripto contra Origeniſtas, apud Epiphanium* refellatur. Secundam interpretationem eorum dicit eſſe, *qui non Edenem ſolum, ſed hortum quoque ipſum latiſſime per Aſiam ferme totam & Africam aut (qui farte anguſtius) per Syriam, Arabiam & Meſopotamiam* diffundunt. Iſtos, quum hæc *latifundia Adamo cuſtodienda colendaque* attribuant, non videre ſe *& naturam rerum & communis parentis noſtri commodum convellere*: cujus exemplo docuerit nos Deus naturam parvo contentam eſſe & bene Maronem monuiſſe: *Laudata ingentia rura, exiguum colito.* Tertiam eſſe eorum, qui *Edenem putent fuiſſe regionem Damaſci, & hortum in ea, ubi oppidum fuit Paradiſus*, ab omnibus priſcis ſcriptoribus appellatum. Hanc interpretationem *non poſſe conciliari cum verbis Moſis & Edenis ſitu, qui in ſcripturis* alibi exponitur. Quartam eorum, qui *Edenem includant Meſopotamia & quidem ea parte, qua Babylonia ſeu Chaldæa dicitur*, ſed *mutatam Edenis regionem, dimotos fluvios, totamque rerum natura vel univerſitatis faciem diverſam ex diluvio* factam fuiſſe. Hæc opinio ſi accipiatur, *magis incertam Edenis ſedem, quam fluviorum fore, quæ duo tamen hoc loco Spiritus S. voluerit circumſcribere*: Cum etiam Moſes diſertè *erupiſſe fontes & occluſos ſuis obicibus eſſe* narret, atque ita *iſti opinioni januam præcludat*. Quintam opinionem proxime accedere ad veritatem, nempe eorum, qui viderunt *Edenem regionem eſſe ſitam in Babylonia & nobiliſſimos fluvios Euphratem & Tigrim hic notari*, quam ſententiam & ipſe olim ſit ſequutus. In eo autem aberraſſe à Moſe atque à veritate quod hæc *fluenta quatuor, quæ tam religioſe* definit Moſes, *duobus ſolum alveis* tribuerit. Suam igitur meliorem ſententiam, ſuo judicio, poſiturus, dicit, Tria ordine enarranda eſſe, *Edenem regionem, fluenta quatuor, & Edenenſis horti ſitum.* Edenem dictam eſſe à deliciis & amœnitate. Eſſe regionem Meſopotamiæ ſeu Babyloniæ demonſtrari *è natura loci, circumſcriptione Moſis, & plurium ſcripturæ locorum comparatione.* De natura loci convenire in-

ter omnes ſcriptores, feraciſſimum & amœniſſimum non ſolum totius orientis agrum ſed terrarum orbis eſſe Babylonicum, qua ab Eufrate & Tigri irrigatur. Allegat loca Curtii, Plinii, Theophraſti. Scripturæ loca celebrant, Edenis amœnitatem *Eſaia* LI. 3. *Ezech.* XXVIII. 13. XXXI. 16. aut negotiationis commoditatem potentiamque, ut *Ezech.* XXVII. 23. Ubi inter Meſopotamienſes numeretur Eden. Quin verba legationis ad Ezekiam miſſæ vel ſola rem explanent luculentiſſimè, Quum Edenitas, qui erant in Thalaſſer potuiſſe negat Aſſyriorum copiis obſiſtere. 2. *Reg.* XIX. 12. *Eſai.* XXXVII. 12. Sic enim Edenitas Meſopotamiæ [illegible] dici à legatis ne quis forte de Edene Syriæ Cœles acciperet, cujus mentio *Amos* 1. 5. Certiſſimam autem eſſe illam deſcriptionem Moſis, quaſi in rem præſentem iviſſet, ut ſitum horti & fluentorum habitum deſcriberet. *Eden* non eſſe totam Babyloniam ſed partem ejus. Tres juxta Ptolemæum Babyloniæ partes eſſe, ſummam Auranitida ad Eufratem fluvium conterminam Meſopotamiæ: medianam, Chaldæam junctam deſertæ Arabiæ; tertiam & infimam Amordaciam (Fr. Junius emendat Merodaciam) quæ supernè Strophis, inferne ſinu Perſico terminatur. Harum poſteriores duas nihil ad Edenem pertinere, cum neque adeò ſint fertiles neque ad fines pertingant Aſſyriæ, ut faciat Eden (*Gen.* 11. 14.) Edenem igitur eſſe Auranitin, quam putat mendoſe ſic dici pro Audanitis. Tantum in eo diſcrimen eſſe, quod Seleuciam totamque inſulam, quam circumlambit Eufrates, Græci & Latini Geographi non Chaldææ ſeu Babyloniæ, ut Scriptura, ſed Meſopotamiæ attribuerint. De fluentis ſic diſſerit: Quæcunque probati auctores de Eufratis & Tigris poſitione tradiderint, ea cum hac deſcriptione Moſis optimè convenire. Id fundamentum ponit. Deinceps ejus ponamus verba, ut conſideremus: *Primum enim*, ait, *qui procedit ex Edene fluvius eſt unicus* verſ. 10. *qui Eufrates in ſcriptura dicitur ut* Gen. XV. 18. Deuteron. I. 7. *& alibi paſſim, Deinde huic fluvio non duo aut tres ſolum ſed quatuor alvei tribuuntur ab eis, qui diligentius rem expoſuerunt. Nam Mela quidem, Plinius, Solinus, alii negligentius videntur perſcripſiſſe duos ſolùm Eufratis alveos, propterea, quod alios aqua ductus magis, quam naturales alveos eſſe putaverunt, aut diſperire illos per Chaldææ ſolitudines. Ex Curtio autem, Herodoto, Diodoro Siculo & Dione conſtat, Eufratis partem ſuo oſtio in ſinum Perſicum influere: Ex Ptolemæo vero & Ammiano Marcellino tres ſeorſim exſtare Eufratis alveos: quartum denique probat Hiſtoricorum omnium veterum recentiumque confeſſio. Quamobrem alveorum iſtorum ordinem, quo Eufrates per eos labitur, percurremus. Primus alveus eſt Nahar-ſares, id eſt deductum flumen, ſive, ut Ptolemæus vocat, Baar-ſares id eſt alveus foſſatumve deductum aquæ diſtractum: qui Straboni corrupte dicitur Mahar-ſares, Ammiano corruptius Marſias, Abydeno apud Euſebium lib. 9. præparat. Euangelica,* Ακρέκανος, *quia in paludes abit abundantes ranis, quas* Akrukan *Chaldæi vocant; Plinio denique Narragaz, pro eo quod Nahar-ragaz, id eſt, dimotus & derivatus fluvius. Atque hoc flumen propterea diductum ſive divulſum appellatur (id enim ſonat* Sares *Chaldæorum lingua) quod in paludes Chaldaicas univerſum ducitur derivatumque huc illuc in eis diſperit atque conſumitur. Secundus alveus eſt* Perath, *quemadmodum ab Hebræis atque incolis appellatur vulgo Eufrates, Babylonem & Otrin permeans, ſuoque oſtio in ſinum Perſicum influens, donec eum præcluſere Orcheni & accolæ rigantes agros, adeo ut jam non niſi per Tigrim feratur in mare, ut ait Plinius* (lib. 6. nat. hiſt. cap. 27.) *& Dio Nicæus in Trajano: quam in ſententiam illud Ammiani* (lib. 13. *oportet accipi, ad Teredona poſt jacturas multiplices, pelago miſceri Eufratem, id eſt poſt derivationes innumeras, quibus eum accolæ minuunt quam plurimum, aut in univerſum perdunt. Tertius alveus eſt Nahar-malca,*

id eſt

id eſt flumen regium, quem Ptolemæus nominat Βασίλειον, *Abydenus* Ἀρμακάλην, *per metatheſin (regium flumen exponit Ammianus) quod alveum hunc ſtudio operaque regum fuiſſe ductum putaret vulgus. Quam in ſententiam Plinius* (lib. 6. nat. hiſt. cap. 16.) *Sunt, qui tradunt,* inquit, *Eufratem Gobaris præfecti opera deductum, ubi eum diximus findi (nempe ad vicum Maſſicen) ne præcipiti curſu Babyloniam infeſtaret: ab Aſſyriis vero univerſis appellatum Armalchar (legendum ex Ammiano Nahar-malca) quod ſignificat regium flumen. De hoc autem opere Ammianus* lib. 23. & & 24. *copioſiſſime. Quartus alveus deputatur Tigri, videlicet is, qui ſupra Seleuciam in Tigrim delabitur: cujus alvei conſtitutionem exprimunt commodiſſime hæc Ammiani verba: Animatus hujuſcemodi primitiis miles, ad vicum Macepracta pervenit (me autore legendum Majapracta id eſt aquarum diviſio, Plinius Maſſicen id eſt protractionem vocat) in quo ſemiruta muri veſtigia videbantur: qui priſcis temporibus in ſpatia longa protentus munire ab externis incurſibus Aſſyriam dicebatur. Hinc pars fluminis ſcinditur, largis aquarum agminibus ducens ad tractus Babylonios interiores, uſui agris futura & civitatibus interjectis; alia Nabarmalca nomine (quod fluvius regum interpretatur) Creſiphonta prætermeat. Et eodem libro, Ventum eſt hinc ad foſſile flumen Nabarmalca nomine (quod amnis regum interpretatur) tunc aridum. Id ante hæc Trajanus poſteaque Severus, egeſto ſolo fodiri in modum canalis ampliſſimi ſtudio curaverat ſummo, ut aquis illuc ab Eufrate transfuſis naves ad Tigrim commearent: tutiſſimumque ad omnia viſum eſt, eadem loca purgari, quæ quondam ſimilia Perſæ timentes mole ſaxorum obruere multorum, hacque purgata avulſis cataractis undarum multitudine ſtadiis xxx. repulſa claſſis ſecura in alveum rejecta eſt Tigridis &c. Nec obſcure hunc Ptolemæus vocat flumen per Seleuciam profluens, in deſcriptione Meſopotamiæ his verbis,* ἡ δὲ Εὐφράτου θέσις, καθ' ἣν σχίζεται εἰς τό τε διὰ Βαβυλῶνος ῥεῦμα, καὶ τὸ διὰ Σελευκείας, ὧν μεταξὺ καλεῖται Βασίλειος ποταμὸς *&c. Ex quibus locis omnibus id aperte conſtat, à probatiſſimis quibuſque autoribus Eufrati alveos duos, tres, quatuor liberè tributos eſſe. Duos, quum præcipua illius fluenta ſpectarent Babylonium & Baſilium ſive regium, quod poſteà duobus oſtiis Tigrim petit ad Seleuciam & ad Meſenem ſive Apameam. Tres quum Nabarſarem duobus iſtis adjungerent, & regium flumen, quamvis duobus alveis diſtinctum pro uno, aut etiam Meſopotamiæ non Babyloniæ eſſe judicarent. Quatuor denique cum fluminis illius regii alveos diſtinguerant. In hunc modum tres recenſet Ptolemæus in deſcriptione Babyloniæ, dicens,* Διαῤῥέουσι δὲ τὴν χώραν ὅτε Βασίλειος ποταμὸς καὶ ὁ διὰ τῆς Βαβυλῶνος ῥέων, καὶ ὁ καλούμενος Βααρσάρης ὃς τῷ παρ' Εὐφράτῃ *&c. Et Ammianus,* lib. 23. *Perfluunt autem, inquit, has eaſdem terras, potiores ante alios omnes, ii, quos prædiximus & Marſias (tu meo periculo lege Nabarſares) & flumen regium & Eufrates aliis excellens: qui tripartitus navigabilis per omnes eſt rivos, inſulaſque circumfluens & arva cultorum induſtria diligentius rigans, vomeri & arbuſtis gignendis habilia facit. Quibus verbis oſtendit evidentiſſimè cur mediano rivo nomen Eufratis ſemper fuerit attributum, aliis vero nomina ſingularia. Iam vero agedum hæc quo pacto, cum narratione Moſis conveniant, expendamus. Phiſon, (nam ab orientali termino facit initium Moſes de Geographorum conſuetudine) eſt Nabarmalca* Βασίλειος, *vel flumen regium, quæ ſub Apameam in Tigrim delabitur, eique nomen ſuum adimit, in ſinum uſque Perſicum delatus cum Tigri. Eſt autem à maxima feracitate ſoli, quam affert nominatus, & inde oppidum Piſenia, de quo Zoſimus* lib. 3. *huic Phiſoni impoſitum. Gihon Edenis ab occidente terminus ex eo dictus eſt, quod exundat facile atque huc illuc deducitur. Eſt autem in ſcriptura duplex: Unus in Iudæa alluens Ieruſalem* 1. Reg. 1. 33. 2. Chronic. 32. 30. & 33. 14. *qui ad nominis ſui explicationem torrens quoque inundans appellatur* 2. Chronic. 32. 4. *alter Edenem irrigans, de quo hic agitur, nempe Nabarſares ſive*

Baarſares primus Eufratis alveus Edenem à Chaldææ reliqua diſterminans occidentem verſus & in Chaldaica palude diſperiens. Hiddekel Edenis à Septentrione terminus, propriè quidem ſignificat Tigrin; hic autem Synecdochice denotat ſuperiorem Naharmalca, vel Baſilii alveum, qui ſupra Seleuciam influit in Tigrin & nomen ejus mutuatur: quem alveum priſci Geographi manufactũ fuiſſe rati non retulerunt inter Eufratis alveos; ſed potius inſulam, quam Eufrates cum Tigri efficit, à Seleucia Apameam uſque Meſopotamiæ ac non Babyloniæ tribuerunt, ut ante diximus. Quartus mediam Edenem diſſecans, qui Babylonem urbem influebat ſecabatque mediam ex communi ſacræ ſcripturæ uſu & conſtantiſſimo auctorum omnium teſtimonio κατ' ἐξοχὴν Eufratis nomen obtinet: quod nomen (ut ſuperiora Eufratis duo) propter ubertatem agri fuit impoſitum, quemadmodum non obſcure innuit autor Eccleſiaſtici 24. 28. & ſeqq. *Atque hic quidem Edenis ſitus, qui mea ſententia tam manifeſtus eſt & documentis certis confirmatus, ut à nemine in dubium vocari poſſit. Hæc fluenta Edenem circumſtantia: de horto vero quid dicturi ſumus? Hoc enim poſtremum reſtat nobis explicandum. Equidem cum Edenem regionem eſſe demonſtraverimus, non extra terrarum orbem non in ampliſſima aliqua illius parte, ac ne in tota quidem Meſopotamia ſitam; ſed in aliqua certa Babyloniæ parte, quam circumſcripſit Moſes ſtudioſiſſima: non poſſumus horti illius ſedem aut terreſtris Paradiſi uſquam in terris, niſi in Edene agnoſcere: cumque hortus non Eden ſed in Edene ſit (nam ita loquitur Moſes) omnino hortum in aliqua Edenis parte conſtitui neceſſe eſt, ut ita ſtatuamus faciunt ipſa Moſis verba: qui non ſolum hortum in Edene appellat & quidem ab oriente Edenis locat* verſu 8. *verum etiam fluvium illum narrat ex Edene procedere ad irrigandum hortum* verſ. 10 *Quæcunque autem hiſtorica aut chorographica poſteà ſubnectuntur ea non hortum ſed Edenem totam videntur definire. Fuit igitur Edenis hortus non in ea parte Edenis, quæ cis Babylonem eſt, ſed in orientali parte trans Babylonem ſitus, ſecundum Baſilium & Tigrim fluvium, ubi fertiliſſimus eſt totius orientis ager. Quod autem ſpatium horti, quæ ſedes illius, cum Moſes amplius non definiverit; hoc certè nos divinare nec volumus nec poſſumus: ſed in terminis (ut loquuntur) ſcripturæ ultrò religioſeque ſubſiſtimus.* Hæc eſt Edenenſis regionis & horti topographia apud Franciſcum Junium, clariſſimum ſacrarum literarum inter reformatps interpretem, quem plurimi ſequuntur. Piſcator, qui interpretationis diligentiſſimum cenſorem egit, hiſtorica & geographica non ita ut textus ſacri verſionem examinavit. Ut Franciſcus Junius diligentiſſimè in ſitum Paradiſi & magis Edenenſis regionis inquiſivit, ita & ante eum fecerat Johannes Calvinus, atque hi duo inter doctores reformatos palmam hujus diligentiæ videntur ut & judicii atque eruditionis cæteris omnibus præripuiſſe. Adjungamus igitur & exhibeamus etiam inter hæc ἀνθολογήματα ſententiam & diſſertationem Calvini ſuis verbis plenam & integram. Sic autem ille ad cap. 11. Gen. verſ. 10. *Dicit Moſes fluvium unum ad hortum irrigandum fluxiſſe, qui deinde in quatuor capita ſe divideret. Duo ex capitibus eſſe Eufratem & Tigrim ſatis inter omnes convenit: nemo enim litem movet, quin* חדקל *ſit Tigris: de aliis duobus magna eſt controverſia. Multi Piſon & Gihon, Gangem & Nilum fuiſſe putant: quorum tamen error abunde ex locorum diſtantia refellitur: Neque deſunt, qui uſque ad Danubium transvolant. Quaſi vero unius hominis habitatio ab ultima Aſia ad finem Europæ ſe protendat. Sed cum plerique alii fluvii celebres illam regionem præterfluant, probabilior eſt eorum opinio, qui duos eorum licet obſoletis jam nominibus, notari divinant. Quanquam nondum ſoluta eſt difficultas. Moſes enim fluvium unum quo hortus alluebatur, in quatuor capita dividit. Conſtat autem procul diſſitos eſſe Eufratis & Tigridis fontes. Ex hoc nodo ſe quidam ita expediunt, quod diluvii vaſtatione mutata fuerit orbis facies: ideo fieri potuiſſe divinant ut turbati*


ſint

ſint ac converſi fluminum curſus & ſcaturigines alio tranſlatæ, quod mihi nullo modo recipiendum uidetur. Nam etſi fateor terram ex nativa pulchritudine in miſerum ſqualorem & quaſi luctuoſum habitum redactam eſſe ex quo maledicta fuit, & poſtea in diluvio multis locis vaſtatam eſſe, dico tamen eandem fuiſſe terram, quæ initio creata fuerat. Adde, quod topographiam ſuam Moſes (meo quidem judicio) ad ſuæ ætatis captum accommodavit. Nihil tamen actum eſt, niſi locum illum reperiamus, ubi ex fluvio uno exeant Tigris & Eufrates. Obſerva primò nullam fieri ſcaturiginis vel fontis mentionem, ſed tantum dici fluvium unum. Quatuor verò capita intelligo, tam principia ex quibus naſcuntur fluvii quam oſtia quibus ſe in mare exonerant. Iam ita confluenter Tigridi conjunctus fuit Eufrates olim, ut flumen unum meritò dici potuerit in quatuor capita ſecari: præſertim ſi mihi conceditur, quod omnibus palam eſt, Moſen non acutè, neque Philoſophico more, ſed populariter loqui, ut rudiſſimus quiſque intelligat. Ita primo capite duo præcipua luminaria vocavit Solem & Lunam: non quod Luna magnitudine ſuperet alios planetas, ſed quia vulgo ex aſpectu major cenſetur. Adde, quod ſcrupulum omnem tollere videtur, ubi dicit fluvio quatuor fuiſſe capita, quia ex eo loco dividebatur. Quid hoc ſibi vult, niſi ex uno confluxu vel ſupra vel infra Paradiſum diviſos fuiſſe alveos. Nunc figuram oculis ſubjiciam, ut intelligant lectores, ubi Paradiſum locari ſentiam à Moſe. Tradit quidem Plinius præcluſum fuiſſe Eufratem ab Orchenis, ut non niſi per Tigrim influeret in mare. Pomponius autem Mela lib. 3. *certo exitu, ut reliquos amnes, effluere negat ſed deficere. Verum Nearchus, quem Alexander claſſi ſuæ præfecerat, quæ ejus auſpiciis per omnes illos tractus navigavit, ab oſtio Eufratis Babylonem uſque ter mille & trecenta ſtadia numerat. Tigris autem oſtia in Suſiorum ora locat: quaparte ex longa illa & memorabili navigatione rediens, regi ſuo cum claſſe occurrit, quemadmodum refert Arrianus libro de geſtis Alex. 8. Quam ſententiam & Strabo ſuo ſuffragio confirmat* lib. 15. *Quocunque tamen ſe vel immergat Eufrates vel infundat, certum eſt ipſum & Tigrim infra confluentem dividi. Quanquam Arrianus* lib. 7. *ſcribat, non unum modo alveum Eufratis in Tigrim decurrere ſed plures fluvios ac foſſas: quia ex altiore loco in humilem ac depreſſum aquæ facile decurrant. Quantum ad confluentem, quem notavi in figura, quorundam opinio fuit, Cobaris opere fuiſſe deductum, ne totus Eufrates præcipiti curſu Babylonem infeſtaret. Sed loquitur quaſi de re dubia: magis credibile eſt naturæ ductum homines arte & induſtria ſequutos eſſe, ut foſſas cavarent, quum alicubi Eufratem ex ſuperiore terra ſponte in Tigrim excurrere viderent. Quin etiam, ſi Pomponio Melæ habetur fides, Semiramis Tigrim & Eufratem ſicca alioqui Meſopotamiæ immiſit; quod nullo modo credibile eſt. Verius eſt, quod tradit Strabo diligens & attentus ſcriptor, apud Babylonios coire duo hæc flumina: deinde ſeorſim ſuo quemque alveo deferri in mare Rubrum* lib. 11. *Coitum vero illum fieri intelligit ſupra Babylonem, non procul oppido Maſſica, ut legitur apud Plinium lib. 5. Deinde alter Babilonem interfluit, alter vero prope Seleuciam labitur, duas urbes celeberrimas & valde opulentas. Si admittimus natura & à principio fuiſſe confluxum illum, quo miſcetur Eufrates Tigridi, ſublata eſt omnis abſurditas. Si quæ eſt ſub cœlo regio pulchritudine, fructuum omnium copia, fecunditate, deliciis & aliis dotibus excellens, eam maximè celebrant ſcriptores. Quare in eam competunt elogia, quibus Paradiſum commendat Moſes. Et regionem Eden in illis partibus fuiſſe ſitam veriſimile eſt ex* Eſai. 37. 13. & Ezech. 27. 23. *Cæterum quod flumen egreſſum fuiſſe narrat Moſes, de fluxu aquæ interpretor ac ſi diceret, Adam habitaſſe in ripa fluminis, vel in ea terra quæ utrinque alluebatur, ſi Paradiſum accipere libeat pro utraque ripa. Quanquam non magni intereſt, ſive infra confluentem habitaverit Adam, Babyloniam & Seleuciam verſus, ſive in ſuperiori parte: ſatis eſt, quod agrum irriguum tenuerit. Quomodo*

K 3 *autem*

autem fluvius in quatuor fuerit diviſus capita non obſcurum eſt. Duo enim ſunt amnes, qui in unum caëunt, deinde abeunt in diverſas partes. Ita flumen unum eſt in canfluente: Duo autem in ſuperioribus alveis ſunt capita & duo verſus mare, poſtquam rurſus longius dividi incipiunt. Supereſt quæſtio de nominibus Piſon & Gihon. Neque enim rationi videtur conſentaneum, ut ſingulis fluviis tribuamus duplex nomen. Sed minime novum eſt ut nomina amnes mutant, præſertim ubi aliqua inſignis eſt diſcretionis nota. Tigris ipſe (authore Plinio) circa fontem ſuum Diglito vacatur, paſtquam vero plures fecit alveos & rurſus coaleſcit, Paſitigris eſt. Nihil ergo abſurdi eſt ſi dicamus à confluxu diverſa habuiſſe nomina. Adde quod inter Paſim & Piſon aliqua eſt affinitas: ut non abſimile vera ſit Paſitigris namen antiqua appellationis eſſe veſtigium. Et libro quinta Q. Curtii de rebus geſtis Alexandri, ubi Paſitigris ſit mentio, quidam codices habent, vacari ab accolis Paſin. Nec malè conveniunt reliqua circumſtantia quibus tres ex fluviis iſtis Maſes deſignat. Piſon circuit terram Havila, ubi aurum naſcitur. Tigri circuitus rectè tribuitur propter flexuoſum tractum infra Meſopotamiam. Terra vero Havila, hic pro regione Perſidi vicina, mea judicio ſumitur. Nam infra cap. 25. *narrabit Moſes Iſraelitas habitaſſe ab Havila uſque ad Sur, quæ contigua eſt Ægypto, qua itur in Aſſyriam. Opponitur terminus Havila Termina Sur, quam Maſes Ægypto propinquam facit & quidem Aſſyriam verſus. Unde ſequitur Havila tendere ad Suſianam & Perſidem. Neceſſe enim eſt, ut ſit inferior Aſſyria verſus mare Perſicum: deinde procul diſſita ab Ægypto, quia multos populos recenſet Moſes, qui inter illos terminas habitarunt. Deinde Nabatæas, quarum illic fit mentio, Perſis vicinas fuiſſe conſtat. Optimè nunc convenit, quod de auro & lapidibus pretioſis affirmat Maſes. Supereſt Gihon, quem Moſes tradit alluere terram Chus, Æthiopiam vertunt omnes interpretes: ſed regio Madianitarum & regio Arabiæ contermina, eadem etiam namine cenſetur apud Moſen. Qua ratione uxor ejus alibi vocatur Æthiopiſſa. Porrò, quum ad partem illam vergat tractus inferior Eufratis, non video cur pro abſurdo ducatur, nomine Gihon deſignari. Atque ita ſimplex Maſis ſententia eſt, irriguum fuiſſe hortum, cujus poſſeſſor erat Adam fluminis alvea illac tranſeunte, qui poſtea in quatuor capita dividebatur.* Hactenus Calvinus. Hanc Calvini ſententiam probat Joſephus Scaliger lib. v. de emendat. Temp. capite de conditu Mundi. *Loci autem fines*, inquit, *ubi hominem primum ſtatuit Deus, digito deſignat Moſes, à duobus fluminibus ingentibus, Eufrate & Tigri ad ſinum Perſicum. Deſcribit enim Moſes fluvium exeuntem hoc eſt emanantem ex Eden, diviſum in quatuar capita. Phiſan, Gehon, Tigrim, Euphratem. Sciunt enim omnes Tigrim & Eufratem commiſceri & ingenti alveo, in mare Perſicum exonerari, ſed antequam excipiantur ſinu Perſico, iterum in duo ingentia fluenta ſcindi inſtar Padi & Rhodani. Ipſa autem fluenta multas paludes efficiunt, ut non ſolum ſcribit Arrianus, ſed etiam mercatores, qui ante decem annos ea loca adierunt, idem teſtantur. Fluentum igitur orientale Moſes vocat* פישון *hoc eſt* πλημμύραν, *propter paludes ingentes, quas efficit, cujuſmodi eſt Padusa, quam Padus fluvius facit, alterum, quod occidentem ſpectat, vocat* גיחון *id eſt, emiſſarium. Eſt enim porrectius altero, & propterea dictum emiſſarium, quod illud magnus ille alveus ex ſe emittat, ut Mincium lacus Benacus, Adduam Larius, Ticinum Verbanus, Rhodanum Lemanus. Quare ab eadem cauſa rivus, quem piſcina Hieroſolymitana emittebat, dicebatur* גיחון *Hebraice, quod idiotiſmo Hieroſolymitano erat* שילוחא *id eſt emiſſarium. Nihil eſt aptius hac expoſitione. Quæ etiam fuit ſententia ſummi noſtri temporis ſacrarum literarum interpretis: Quo nihil poteſt verius, nihil doctius dici: quanquam rationem nominum Piſon & Gihon non reddidit. Extitit quidam vir apprime doctus & pius, cujus Chronicon ante undecim annos editum fuit. Is mire æſtuat, ut lumen ſoli fœneret. Itaque mirum non eſt,*

eſt, ſi monſtrum interpretationis adduxit. Et poſtquam ridicule interpretatus eſt verba Moſis tandem novam Geographiam proponit, ut quæ nunquam fuerunt in rerum natura, ea ipſe creaverit. Nihil eſt inutilius eo libro, imò, ſi verum dicere fas, nihil quod pluris interſit Chronologiæ, nunquam legi aut ignorari, ſi duo aut tria excipias. Quod ſi aliorum errores inſectandi majus nobis ſtudium eſſet, quam nudam veritatem eruendi, immane volumen naſci poſſet ex confutatione illius libri. Mirum eſt divinam doctiſſimi viri de illis quatuor fluminibus ſententiam illius famelicum judicium non explevisse, ut opus fuerit inanibus, futilibus & ineptis conjecturis novam Chorographiam comminiſci. In epiſtola ad Johannem de Laet ſcripta Non. Nov. Jul. anno 1605. idem fervidè tuetur. Nam verba ejus ſunt: *De Paradiſo quod quæris, abunde* lib. v. *de Emend. Temporum diximus. Idem ſitus plane hodie eſt, qui à Moſe diſcribitur, ſine ulla mutatione. Primus, qui feliciter τέτω ἰσ-χύων, id eſt, Iohannes Calvinus. Primus, qui vas ſincerum incruſtare auſus eſt, Matthæus Beroaldus, multos hoc ævo, qui ejus deliria ſequerentur habuit, in quibus quidam Anglus, Lydiado meo ſimillimus, inſulſam & ridiculam apud Raphelengium Paradiſi deſignationem excudi curavit. Nos quid* גן עדן *quid* פישון *ſit, expoſuimus. Et ſane qui mediocriter aliqua Coſmographia aura afflatus fuerit, in verbis Moſis, nunquam hæſitabit, ſi modo aliquod adhibuerit judicium. Plane, ut dixi, is eſt hodie eorum fluminum ſitus, qui à Moſe deſcribitur. Auſam tam ſtupidæ dubitationis modus loquendi apud Moſen dedit, Et flumen exibat.* B *eſt fons Eufratis.* C *Tigris caput.* D *Phiſon cadens in Perſicum ſinum.*



E *Gihon eodem ſinu exceptus.* A *eſt flexura fluvii Eufratis, poſtquam excepit Tigrim. Illa flexura à Ptolemæo dicitur καμπὴ πλευρῶ, quæ pluſquam unius diei itinere in occidentem recedit adeo, ut qui intra punctum* A *fuerit, principium unius fluvii eſſe putet, qui in quatuor capita dividatur* B, C, D, E. Vide omnino, quæ in v. lib. *noſtri operis notamus.* Inquiramus in mentem & ſenſum utriuſque ſententiæ penitius: Sane communia quædam habent Junius & Calvinus, quædam diverſa. Communia ſunt hæc. I. Paradiſum & Edenenſem regionem fuiſſe partem Babyloniæ ſeu Meſopotamiæ. II. Confluere & conjungi utrumque flumen. III. Moſen non agere de fontibus ſeu prima ſcaturigine fluminum ex Paradiſo, ſed de egreſſu alvei ſive ſecundo ſive adverſo flumine. IV. Ideo nec Gangem nec Nilum nec alium fluvium præter Eufratem & Tigrim eorumque divertigia ſeu ramos ſignificari à Moſe. V. Quatuor capita, quæ dicuntur eſſe partim ſupra partim infra hortum illum. Ut quæ diverſa ſunt, intelligamus, ſententiam Junii revocemus compendioque proponamus. Ptolemæum ſibi ſequendum præcipue duxit, è quo regionem Babyloniæ dividit in partes tres, Auranitin, Chaldæam, Amordaciam. Auranitis dicitur ejus ſententia pro Audanitis quaſi Edenitis. Si hoc ipſi concederetur, jam Edenem regionem haberemus, nec adeò eſſet contendendum de ſitu Paradiſi. At Auchanitis alias legitur, nec poteſt ſimplex vocalis non affinis literæ ע in ſyllabam Au tranſire. Deinde ſic fluvios ordinat, ut Edenenſem regionem ambiant & ſuis terminus circum-

circumſcribant: quod Moſi propoſitum fuiſſe non apparet. Phiſon ipſi eſt Naharmalca, qua defertur Eufrates in Tigrim ſub Apameam. Quem vult Tigri inde à confluente auferre nomen, eumque deferre in mare. Gihon Baarſares, qui in Chaldaicas paludes diſperit. Hiddekel hic eſſe ſuperiorem Naarmalcæ alveum, qui ſupra Seleuciam influit in Tigrin, & nomen ejus mutuatur. Naarmalcæ duos eſſe alveos notat, inferiorem, qui ad Apameam, ſuperiorem qui ad Seleuciam delabitur in Tigrim. Quartus mediam. Edenem diſſecans eſt ipſi Eufrates, nempe alveus ille, qui Babylona interfluebat. Hortum fuiſſe ſitum ſecundum Baſilium & Tigrim fluvium. Baſilium cape duobus oſtiis Tigri ſeſe jungentem, quæ ſint Phiſon & Hiddekel. Accipe & Eufratem Babylona ſecantem & Baarſarem à tergo. Adeò, ſi illum capimus, ad Regium flumen ſitus Paradiſus, habuitque duo flumina verſus orientem & duo ad occaſum. Igitur Calvinus in inferiori verſus mare regione Babyloniæ ſitum fuiſſe hortum exiſtimat, Junius in ſuperiore. Nunc inquiramus in illa divergia Eufratis, quæ ſunt Junianæ ſententiæ fundamentum & baſes. Eufraten & Tigrim conjunctionem habuiſſe ab ipſa creationis origine adeoque natura non ab opera humana eam accepiſſe ſuadet ipſe Moſes, quia ſunt inter iſta quatuor capita, in quæ dividitur alveus egreſſus ex horto illo Adameo. Videntur hoc dicere autores plerique quod Eufratis conjunctio cum Tigri non ſit à natura ſed opere hominum. Plinius *lib. 6. cap. 26.* dicit Narmalcam opere Gobaris præfecti deductum & eodem capite repetit idem his verbis: *Cæterò in ſolitudinem rediit exhauſta vicinitate Seleucia, ob id condita à Nicatore intra nonageſimum lapidem in confluente Eufratis foſſa perducti atque Tigris.* Ammianus lib. 24. *foſſile flumen* vocat. Calvinus non arctatur in eas anguſtias, in quas ſe conjicit Junius, cui hic alveus præcipuus fundus eſt, (ſufficit enim conjungi Tigrim cum Eufrate, ſive hoc ſive alio loco: unde non adeo hoc urget. Putat, quod omnino veroſimile ductum tenuis alvei naturalis ſecutos eſſe foſſores non novum planè alveum dediſſe. Βασίλειος igitur naturalem alveum non habuerit, aquæ Babylona præcipitantius & abundantius delatæ ſiccum eum aut ejus partem aliquando deſtituerint. Id fieri potuit iſtis foſſionibus, quibus agros ſuos in Babylonia irrigabant agricolæ. Dicamus igitur Βασίλειον ποταμὸν non habuiſſe alveum naturalem. At nec Junii ſententia poſſe admitti videtur, ob alias etiam rationes, I. quod Fluminis regii partem ſuperiorem Tigri deputet, contra veterum conſenſum, qui Eufrati utrunque ejus ramum omnes attribuunt. II. quod alterum ejus ramum & ipſum Tigrim univerſum Phiſonis nomini cogatur deputare. Nam qui fieri poteſt, ut profundior latiorque alveus minoris & brevioris nomini cedat? Omnes Tigrim ſui nominis faciunt remanere recepto alveo utroque Baſilii ſeu Naharmalcæ. III. ut ſolus ille alveus, qui Babylona defertur, dicatur Eufratis nomine, ubi ingentium fluviorum univerſas regiones circumeuntium enumeratio eſt, vix concedat illi aliquis. Coacta hæc ſunt nec ſimplicitati conſona, quam populatis ſtylus Moſis requirit. Sed videamus cum cura curſus ductusque alveorum, in quos Eufrates diviſus fuit. Supra Babylonem ſcinditur Eufrates, altero alveo Babylonem, altero Seleuciam petit. Uterque ramus ad utramque urbem eſt ejuſdem fere longitudinis teſte Plinio, qui à Philiſco ad Eufratem poſito Seleuciam decem dierum navigationem eſſe dicit, totidemque fere Babylonem. Sciſſura Eufratis eſt ad vicum Maſſicen Plinio, Macepracta Ammiano. *Et Parte læva* (dicit Plinius) *in Meſopotamiam vadit* (id eſt regionem Eufrati & Tigri interjacentem) *per ipſam Seleuciam, circa eam præfluenti infuſus Tigri.* Hæc Seleucia Babylonia cognominabatur.

Erat

Erat libera, ætate Plinii, ac ſui Juris, Macedonumque moris. Cui ferebant ineſſe Urbanæ plebis D C M. ſitum vero aquilæ pandentis alas: agrum totius orientis fertiliſſimum. Vicinitate Cteſiphontis exhauſtam eſſe voluerunt Parthi. Nam & hæc ad eundem Baſilium ſeu Eufraten eſt condita, qua jungitur Tigri. Tripartitum facit Eufraten Ammianus, præter duos alveos & Marſiam nominat, quem Naharſaren Ptolemæi & Narragan Plinii eſſe Junius putat & fortaſſe rectè. Nam Marſias, qui ad Samoſata in Eufratem influit, hujus loci non eſt. Abydenus à Nabuchodonoſoro duos fluvios Armacalen & Acracanum eductos eſſe dicit. Armacales abſque omni dubio eſt Narmalcha, Acracanus fuerit Narragas aut Naar-ſares. Verba ejus ſunt: Λέγεται δὲ ἐξ ἀρχῆς ὕδωρ εἶναι θάλασσαν καλεομένην Βῆλον ἢ σφεα παῦσαι χώρην ἑκάστῳ ἀπονείμαντα καὶ Βαβυλῶνα τείχει περιβαλεῖν. τῷ χρόνῳ δὲ τῷ ἱκνευμένῳ ἀφανισθῆναι. τειχίσαι δὲ αὖθις Ναβουχοδονόσορον τὸ μέχρι τῆς Μακεδονίων ἀρχῆς διαμεῖναι ἐὸν χαλκόπυλον, *Dicitur autem omnia à principio fuiſſe aquam, dictum mare: Belum autem finem impoſuiſſe, eum ſingulis regionem diſtribuiſſet & Babylona muro circumdediſſe, poſtero tempore ereptum eſſe rebus humanis. Nabuchodonoſorum autem poſtea communiiſſe, quod permanſit uſque ad Macedonum dominationem, habens areas portas.* Id ſignificare puto, regionem Babylonicam, ſeu campum illum, in quo Babylon ſita eſt, fuiſſe irriguum & ſæpe intectum aquis, eo tempore cum Eufrates exæſtuat, Belum autem aſſignata ſingulis portione, quam foſſis & incilibus tuerentur, averſis deductiſque aquis effeciſſe ut poſſet habitari & obtineret faciem terræ. Subjungit deinde: Ναβουχοδονόσορος δὲ διαδεξάμενος τὴν ἀρχὴν Βαβυλῶνα μὲν ἐτείχισε τριπλῷ περιβόλῳ, ἐν πεντεκαίδεκα ἡμέρῃσι τόντε Ἀρμακάλην ποταμὸν ἐξήγαγε ἐόντα κέρας Εὐφρήτεω τόντε Ἀκράκανον. Nabuchodonoſorum muniiſſe Babylona triplici muro, Narmalcam & Acracanum reduxiſſe, ut præcipitem Eufratis lapſum à Babylone averteret. Sic & Lacum effodiſſe ſupra urbem Sippara, cujus ambitus quadraginta paraſangas haberet, altitudo ulnas viginti. Illi πύλας ſive clauſtra impoſuiſſe, quibus apertis irrigarent agrum. Maris quoque rubri eluvionem obicibus repreſſiſſe. Eo quoque in loco condidiſſe Teredona urbem adverſus irruptiones Arabum. Si igitur Abydeno fides Narmalca foſſilis eſt ut & Acracanus. Concidit igitur Junii ſententia collocantis hortum Adami ad Narmalcham. Nam non fuit in rerum natura Narmalcha ante Nabuchodonoſorum. Fuit tamen quædam συναφὴ Tigridis & Eufratis, quia cohæſerunt cum illo alveo, qui de Paradiſo egrediebatur. Exiſtimo illum alveum Eufratis, quo ſe Tigridi conjungebat, fuiſſe inferiorem, quia regium flumen ideò effoſum eſt, ne Eufrates præcipiti curſu Babyloniam infeſtaret. In eo fortè Junius deceptus eſt, quod Apameam inferiorem putaverit eſſe Seleucia, quum ſuperior ſit. Exiſtimavit enim Phiſonem eſſe illum alveum, qui ab Eufrate derivatus in Tigrim, ipſum ſecum defert in mare. Alterum regii fluminis ramum deputat Tigri. At ſic Plinius de Tigri: *Luſtratis montibus Gordyæorum circa Apameam Meſenes oppidum, citra Seleuciam Babyloniam* CXXV. M. *paſſ. diviſus in alveos duos, altero Meridiem ac Seleuciam petit, Meſenen perfundens: altero ad Septentrionem flexus ejuſdem gentis tergo Campos Cauchas ſecat.* Apamea enim fuit in Meſene, citra Seleuciam. Seleuciæ adhærebat Cteſiphon, primò vicus, ſed qui poſtea Seleuciam exhauſit, cum magnis cladibus à Romanis afflicta eſſet. CXXV. M. paſſuum Plinius ponit, (alii CCXVV. M. legunt) inter Seleuciam hanc & Apameam, quæ erit diſtantia duorum ramorum Baſilii fluminis. Superior ramus ſæpius aruit & dedita opera Parthi ſive Perſæ eum obſtruere ſoliti, ne aditus in Tigrim Romanis claſſibus pateret, niſi præter Cteſiphontem. At inci-

dit aliud. Si bene Ammianum percipio Narmalcha erit ille ramus, qui Apameam petebat, ut reliquus alveus & ramus alter Eufratis etiam nomine venerit. Sic enim loquitur lib. 24. *Ventum eſt hinc ad foſſile flumen. Naarmalcha nomine, quod amnis regum interpretatur, tunc aridum. Id ante hac Trajanus poſtea Severus egeſto ſolo fodiri in modum canalis ampliſſimi ſtudio curaverat ſummo, ut aquis illuc ab Eufrate transfuſis naves ad Tigridem commigrarent: tutiſſimumque ad omnia viſum eſt eadem loca purgari, qua quondam ſimilia Perſæ timentes mole Saxorum obruere multorum. Hacque valle purgata, avulſis cataractis undarum multitudine claſſis ſecura ſtadiis triginta repulſa, in alveum ejecta eſt Tigridis: & contextis illico pontibus tranſgreſſus exercitus, iter Cochen verſus promovit.* Ammianus tunc ventum fuiſſe dicit ad Narmalcha, cum jam ante pervenerint ad ſciſſuram Eufratis lib. 23. *Animatus hujuſcemodi primitiis miles ad vicum Macepracta pervenit, in quo ſemiruta murorum veſtigia videbantur: qui priſcis temporibus in ſpatia longa protentus munire ab externis incurſibus Aſſyriam dicebatur. Hinc pars fluminis ſcinditur, largis aquarum agminibus ducens ad tractus Babylonios interiores, uſui agris futura & civitatibus circumjectis: alia Nabarmalcha nomine, quod fluvius regum interpretatur, Cteſiphonta prætermeat: cujus in exordio turris in modum phari celſior ſurgit* &c. Cum ante ad ſciſſuram pervenerint quam illum alveum obſtructum, conſtabit alveum illum ad ſciſſuram pertinere. Deinde alveus à ſciſſura procedens Cteſiphonta prætermeabat, & alter Narmalcha erat aridus. Et purgatus iſte alveus deducebat in Tigrim, ſupra Cochen (quæ Seleucia eſt) & Cteſiphontem. Narrat equites cum jumentis armatos clementiores gurgites fluminis obliquati tranſnataſſe. Non igitur Narmalcha iſte ſiccus erat. ut huic accubabat oppidum Pyriſabora. Locum deinde adierunt, ubi pars major Eufratis (ita alveum illum vocat quam aliàs Baſilium ſive Narmalca falſo ut opinor) in riuos multiplices diffindebatur, porrò ad urbem magnam, Majozamalcham, haud *procul diſſitam Cteſiphonte.* Ea amnibus in duas partes diviſa erat: inde Cochen ſive Seleuciam Julianus ingreſſus eſt Cteſiphonti propinquam. Arbitramur igitur ſciſſuram Eufratis eſſe naturalem, ſed ramum illum ex ſciſſi Eufratis ſiniſtro alveo Nabuchodonoſori opera defoſſum fuiſſe verſus Apameam ut inferiora Babylonis, ab aquis minus infeſtarentur. Alveus enim naturalis Cteſiphontem & Seleuciam alluens per loca depreſſiora, facilè aquis turgentibus repletus vicina inundabat. Deinde voluerunt, Babylonis reges ab ſuis terris, intra quas Cteſiphontis ſolum erat, averſas aquas in aliena. Supra autem Apameam Tigris in duos alveos diviſus erat, quo Eufraten ſimul derivare animus ipſis fuit. Hic Eufratis lævus alveus Moſi in topographia Paradiſi appellatur ſuo nomine Euphrates, ſive פְּרָת Nam hic conjungitur cum Tigri. Hæc ſunt duo capita fluminis Paradiſi at qui inveniamus duo alia Phiſonem & Geonem? Euſrates naturali alueo in mare Perſicum defertur per Babylonem, quæ mari diſtabat III. milibus ſtadiorum, & CCC. Tigris Moſi id flumen eſt, quod in conſpectu Aſſyriæ, in qua erat Ninus, labebatur. De hoc, quid referat Plinius notemus: *Citra Seleuciam,* inquit *Babyloniam CXXV. M. poſſ. diviſus in alveos duos, altero meridiem ac Seleuciam petit, altero ad Septentrionem flexus, ejuſdem gentis tergo Campos Cauchas ſecat, ubi remeavere aquæ; Poſtea recipit ex Media Choaſpen atque uti diximus inter Seleuciam & Cteſiphontem vectus in lacus Chaldaicos ſe fundit, eoſque LXX. M. poſſ. amplitudine implet: mox vaſto alveo profuſus, dextra Characis oppidi infertur mari Perſico decumo ore. Inter oſtia Eufratis & Tigridis, alii tradidere XXV. M. paſſuum, alii VII.* Regio inter duos annes Meſene vocabatur Græco vocabulo, quia Græci ſive Macedones linguam ſuam toti Aſiæ per dominationem Alexandri communicavere.


Et ſic

Et ſic etiam Paſitigris vocabulum fluvio ab illis datum eſt, ubi unitis aquis totus fluit. Brachium illud Tigris, quod Apameam à dextris alluebat, dicebatur Δίλας, ut habet Stephanus de urbibus, quod Salmaſius ὁ πάνυ emendat Σίλλας. Tigrim circa oſtia appellatum eſſe Paſitigrim docet & Strabo, Ejus verba hæc ſunt: Φησὶ δὲ Πολύκλειτος εἰς λίμνην τινὰ συμβάλλειν τόντε χοάσπην καὶ τὸν Εὔλαιον καὶ ἔτι τὸν τίγριν, εἶτ' ἐκεῖθεν εἰς τὴν θάλατταν ἐκδιδόναι &c. Ἄλλοι δέ φασι τοὺς διὰ Σούσων ποταμοὺς εἰς ἓν ῥεῦμα τὸ τοῦ τίγριος συμπίπτειν καὶ τὰς μεταξὺ διώρυχας τοῦ Εὐφράτου· διὰ δὲ τοῦτο κατὰ τὰς ἐκβολὰς ὀνομάζεσθαι Πασίτιγριν. Νέαρχος δὲ τὸν παράπλουν τῆς Σουσίδος τεναγώδη φήσας πέρας αὐτοῦ λέγει τὸν Εὐφράτην ποταμόν. πρὸς δὲ τῷ στόματι κώμην οἰκεῖσθαι τὴν ὑποδεχομένην τὰ ἐκ τῆς Ἀραβίας φορτία. Συνάπτειν γὰρ ἐφεξῆς τὴν τῶν Ἀράβων παραλίαν τῷ στόματι τοῦ Ευφράτου καὶ τοῦ Πασιτίγριδος. Τὸ δὲ μεταξὺ πᾶν ἐπέχειν λίμνην τὴν ὑποδεχομένην τὸν τίγριν &c. Διὰ δὲ τῆς λίμνης ἐπὶ τὸ στόμα, τοῦ τίγριος τὸν ἀνάπλουν εἶναι σταδίων ἑξακοσίων &c. Ὀνησίκριτος δὲ πάντας φησὶν ἐκβάλλειν εἰς τὴν λίμνην τόντε Εὐφράτην καὶ τὸν τίγριν, ἐκπεσόντα δὲ πάλιν τὸν Εὐφράτην ἐκ τῆς λίμνης ἰδίῳ στόματι πρὸς τὴν θάλατταν συνάπτειν. Ab hoc Paſitigri differt ille, qui ex Uxiis fluit inter Suſianen & Perſin, ſi non potius Tigris debeat dici alius. Sane Paſitigris nomen non videtur quadrare, niſi poſt conjunctionem alveorum. Choaſpem & Eulæum anne & quomodo diſtinguere oporteat, diſce ab eodem Salmaſio. Lacum eſſe ingentem, quæ dicuntur Chaldaicæ paludes, ponunt omnes. Polyclitus & Nearchus docent Tigrin è lacu illo exeuntem verſus mare Paſitigrim appellari. Plinius putavit inde à finibus Meſenes, ubi remeavere aquæ, id nomen obtinere. Plinius falli videtur, aut confuſe expreſſiſſe Polyclitum & Nearchum. Nam Choaſpes non influit in alveum Tigris, ſed in lacum eundem, quem intrat ipſe Tigris. Per lacus iſtos inde ab Arabia merces deferebantur Suſa, intrantibus navibus per os Eufratis, deinde per lacus in Choaſpen Ita Eufratis & Tigris ἐκβολὰς diſtinctim cognovimus nec videmus unius & continui aliquando fluminis, poſt Eufratis & Tigris conjunctionem, alveum, qui inferius in duos amnes Phiſonem & Geonem dirimatur, quod voluêre Calvinus & Scaliger. Conjecerat Calvinus duo flumina Tigrin & Eufratem coire apud Babylonios deinde ſeorſim ſuo quemque alveo deferri in mare Rubrum. Falſus omnino eſt vir ſummus at Theologiæ quam geographiæ peritior. Ex Arriano, quod putat, minimè probatur. Arrianus & omnes omnino ſcriptores non dicunt Eufratem cum Tigri coire ſupra Babylona, ſed Eufratis alveum ſcindi, uno ramo in Tigrim, altero per Babylona labentem. Non eſt totius Eufratis cum Tigri συναφὴ, at unus ab Eufrate ramus exit in Tigrim, remanetque Eufrates alter ſuus & ſeparatus exitque inde in lacus & mare. Curſum Tigris, poſtquam recepit ramum quendam Eufratis, fatemur habere illum flexum in quo collocat Scaliger Paradiſum & Edenem, ſed non videmus unius fluminis è duobus totis coaliti diviſionem in duo ingentia fluenta. Si ad Tigrim locandus eſt hortus Adami, quæro adhuc Phiſonem & Geonem. Anne hi ſint iſtæ ἐκβολαὶ πασιτίγριος & Eufratis? Non puto. Nam ἐκβολαὶ ſunt Tigris & Eufratis ſeorſim non unius fluminis duo cornua. Et cur non in numerum venit Choaſpes & alvei Eufratis pars, quæ eſt à Babylone uſque ad lacus? *Sciunt omnes*, dicit ſummus Scaliger, *Tigrim & Eufratem commiſceri & ingenti alveo in mare Perſicum exonerari ſed antequam excipiantur ſinu Perſico, iterum in duo ingentia fluenta ſcindi. Ipſa autem fluenta multas paludes efficiunt.* Arrianus vocatur in partes & mercatores noſtrorum temporum. Arrianus diſtinguit Paſitigris & Eufratis oſtia. Cum Nearcho nuntiatum eſſet, conſiſtenti ad oſtium Eufratis, quod Alexander cum exercitu Suſa peteret, aliquantum

L 2 retro

retro navigavit Paſitigrim verſus. In animo habuerat navigare Babylonas non per alveum Tigridis, ſed ſeparatum in univerſum à Tigri alveum Eufratis. Non igitur ſatis expedire me poſſum ex utraque ſententia. Habet enim utraque ſuas difficultates. Quærenda eſt Eden, in qua Paradiſus fuit. Hanc fuiſſe in Meſopotamia videtur liquere ex Ezechielis 27. Jungitur n. cum Haran, Canne, Scheba, Aſſur, Cumad. Haran autem in Meſopotamia fuit. Non eſt Eden pro parte Chaldææ habenda, à qua evidenter diſtinguitur. Ur fuit in Chaldæa, ſecundum Moſen *Gen. xi. 31.* Ex eo loco evocatus conceſſit in Haran, ſeu potius Haranem tranſiit, profecturus in Cananæam. Eden non fuiſſe partem Babyloniæ & inde liquet, quod à rege Chaldææ in expeditione extra ſuum regnum fuerit domita *2. Reg. xix. 12.* Jungitur cum Scheba & Canne, & ponitur inter utramque regionem. Scheba eſt Arabia Nomadum ſeu Scenitarum, quam Eufrates alluit juxta Uram ſeu flexum illum, quo ſe à meridie vertit in orientem. Edenenſem regionem fuiſſe in Meſopotamia ad Eufratem & Tigrim non dubitaverim, cum diſtincta fuerit à Chaldæa ſeu campo Sennaar. Ita vicina Aſſyriæ, in qua fuit Nineve, vicina Arabiæ & Haran, quibus jungitur & componitur. Fuit in ea regione flumen, quod Paradiſum irrigans inde in Eufratem exiit, Locus ille, in quo Eufrates ſcinditur fuerit in regione Edenenſi. Item urbs inſignis Agranis, quam teſte Plinio, Perſæ evertere. Quia Moſes dixit expreſſe fluvium ex Eden egredi ad rigandum hortum & inde egreſſum dividi, quærendum flumen, quod illabitur ex Eden in Eufratem. Deinde ſciendum partes Eufratis & Tigris, inferiores, mutaſſe nomina, ut Tigris infrà Seleuciam ſeu confluentem dictus fuerit Phiſon, ramus autem Eufratis, qui Babylona ſecat, Gehon. Ante illam ſciſſionem Eufratem è Meſopotamia rivulos & flumina accipere non adeò celebrata, veroſimile eſt. Ammianus commemorat varia loca, quæ adiit Juliani exercitus & cepit, antequam ad diviſionem Eufratis eſſet perventum, fluentis Eufratenſibus pleraque circumdata. Objici poſſit Meſopotamiam fuiſſe ſterilem & arenoſam, quod non poſſit conciliari cum prædicata fertilitate Edenis. Sterilis fuit, ſed non in vicinia Eufratis & propinquis ad ejus fluenta locis. Circa illam ſciſſuram fertilis & amœna ad Eufratem regio fuit. Nam & illic Eufrates ſæpe extra margines evagatur & cataractis tenetur ad diffundendas reprimendasque aquas. Edenenſi regioni attribuuntur celſiſſimæ arbores *Ezech.* xxx r. & ejuſmodi, quæ in montibus & locis editioribus creſcunt, ut cedri, abietes, caſtaneæ, quales non in Chaldæa, quam lignorum copia deſtitui ſcriptores teſtantur, licet arborum frugiferarum varietate & uberi proventu luxuriet. Igitur è Meſopotamia fluvius aliquis, juxta ſciſſuram Eufratis in Eufratem influebat. Hic ex Eden ortus hortum irrigabat, inde lapſus in Eufratem quatuor faciebat capita. Inferiores illi alvei per quos Tigris & Euſtates in mare provolvuntur, aliis dicti fuêre nominibus. Ubi Tigris Eufraten excipit, nomen mutat ob alvei amplitudinem majorem, vocaturque Phiſon, quo & alludit nomen Paſitigris apud Plinium. Paſitigris Curtii quem allegat Calvinus, huc non pertinet. Alter qui Babylonem interfluebat, nomen habuit Geon id eſt emiſſarium, quia profundus & latus alveus non ſolum erat, ſed & campos inundabat in modum maris, quod induſtria Beli (teſte Abydeno) commodum habitationi effectum eſt, effoſſionibus & cataractis. Recte igitur non jam Eufratis, ſed Geonis nomen tenet. Omnia conveniunt, niſi quod non invenimus flumen Edenenſis horti, aut monſtrare non poſſimus, memoratum ſcriptoribus. Si hoc movet, dicamus Eufratis ſummam flexuram, qua ante ſciſſuram ad Maſſicen maxime in ſeptentrionem ſe verrit & Meſopotamiam coarctat,

coarctat, intelligendam eſſe. Sane hinc & horto inibi poſito irrigato progreſſus Eufrates in quatuor diſpeſcitur capita: quæ ſunt Phiſon, Geon, Tigris & Eufratis ille alveus, qui à Babylonio diviſus Cteſiphonta alluebat. Poſſet etiam dici Chaboram (qui eſt Ezech. כבר) eſſe Edenenſis regionis fluvium. Hic ad Cercuſium à Diocletiano communitum miſcebatur Eufrati, & ab Ezechiele adjudicatur Chaldææ. Sed plura addere non lubet. Vide poſitum & flexum fluminum Paradiſi id eſt capitum è fluvio Paradiſi.



Hic A eſt illa flexura Eufratis ad quam Adami hortus ſitus fuit. B Phiſon. C Gihon. D Tigris. E Eufrates. Judicent alii. Reformatorum igitur ſobria & attenta ἑρμηνεία communiter agnoſcit Paradiſum & Edenem fuiſſe in Meſopotamia ſive Babylonia inter Eufratem & Tigrin.

De Paradiſo ſecundum Patres.

FUerunt olim, qui narrationem Moſis de Paradiſo in allegoriam vertere conati ſunt: quaſi nullus ejuſmodi in rerum natura exſtitiſſet hortus, in quo primi homines à Deo eſſent poſiti. Sic Philo in libro I. allegoriarum legis: Μὴ γὰρ τοσαύτη κατάσχοι τὸν ἡμέτερον λογισμὸν ἀσέβεια ὡς ὑπολαβεῖν ὅτι θεὸς γεωπονεῖ καὶ φυτεύει παραδείσους. ἐπεὶ καὶ τίνος ἕνεκα εὐθὺς διαπορήσομεν. οὐ γὰρ ὅπως ἀναπαύλας καὶ διαγωγὰς καὶ ἡδονὰς ἑαυτῷ πορίζῃ. Μηδὲ εἰς νοῦν ἔλθοι ποτὲ τὸν ἡμέτερον ἡ τοιαύτη μυθοποιΐα. θεοῦ γὰρ οὐδὲ ὁ σύμπας κόσμος ἄξιον ἂν εἴη χωρίον καὶ αὐτὸς ἑαυτοῦ πλήρης καὶ ἱκανὸς ὁ θεός. τὰ μὲν ἄλλα ἐπιδεᾶ καὶ ἔρημα καὶ κενὰ ὄντα πληρῶν καὶ περιέχων, αὐτὸς δὲ ὑπ' οὐδενὸς ἄλλου περιεχόμενος ἅτε εἷς καὶ τὸ πᾶν αὐτὸς ὤν. *Ne tanta occupet noſtram mentem impietas, ut putemus, Deum colere & plantare paradiſum: quoniam & mox diſquiremus cujus gratia. Non enim ut intermiſſiones oblectabiles & voluptates ſibi pararet. Neque in animum noſtrum veniat unquam ejuſmodi fabuloſitas. Dei enim neque univerſus mundus digna ſedes & commoratio. Nam ipſe ſibi locus & ipſe ſui plenus & ſufficiens Deus, alia quidem indigentia & ſola & vacua implens & continens, ipſe autem à nullo alio comprehenſus tanquam unus & totum ipſe.* Tribus ſe rationibus, ὁ ἀλληγορικὸς, putat evincere literalem hujus ſcripturæ ſenſum nullum eſſe. I. Quia Deus nec loco continetur. II. Nec voluptates & amœnas quærit habitationes ad recreationem. Ubi pueriliter falſum hoc præſupponit, quaſi Deus ſibi conſeverit non homini viridarium. Nec in voluptates ſolas ſed & vitæ commodum conſitum à Deo. III. Nec Deum plantare & ſerere. Quis autem hic Deum plantantem ſerentemque aliter proponit, quam magnifica illa & incomprehenſa ratione, qua mundum condidit, nempe ſolo voluntatis ſuæ nutu & arbitrio? Origenem ita traducit Epiphanius in epiſtola ad Johannem Hieroſolymitanum: *Aut quis audiat in tertio cælo donantem nobis Originem paradiſum: & illum quem Scriptura commemorat, de terra ad cæleſtia transferentem, & omnes arbores quæ ſcribuntur, in Geneſi, ſic allegorice intelligentem, quod ſcilicet arbores angelicæ*

λοιπὰ ζῶα ἠξίωσεν, οὕτω καὶ τὸ ἐνδιαίτημα τοῦ ἀνθρώπου ταῖς ἰδίαις αὐτοῦ χειρὸς ἔργον ἐποίησε. Si è communibus lignis eſſet paradiſus, utique in prima illa origine contineretur, nec hæ arbores, quæ hic commemorantur à Deo in paradiſo plantata, opus habuiſſent exempta Dei plantatione. Iam quidem tanquam diverſa à tum exiſtentibus plantarum generibus, illa, quæ in Paradiſo ab ipſo Deo affabrè facta genera arborum, à ſermone oſtenduntur. Quemadmodum enim hominem eximia formatione ſupra reliqua animalia dignatus eſt, etiam manſionem hominis propria ſua manus opus fecit. Qualem igitur Paradiſum fecit? Pergit Baſilius: *τόπον ὑπερφέροντα τῆς κτίσεως, θαυμαστὸν τῷ κάλλει, ἐν περιόπτῳ κείμενον, ἀνεπισκότητον διὰ ὕψος, πάσαις ταῖς τῶν ἄστρων ἀνατολαῖς καταλαμπόμενον, πεφωτισμένον πάντοθεν, τὴν ἐκ τῶν ὡρῶν εὐκρασίαν ἡδίστην ἔχοντα, ἀέρι διαυγεστάτῳ περιλαμπόμενον. Locum præcellentem creaturæ, admirabilem pulchritudine, in conſpicuo ſitum, tenebris non obumbrabilem ob altitudinem, omnibus ſiderum ortibus colluſtratum, illuminatum undique, horarum ſuaviſſimam temperiem habentem, aëre limpidiſſimo circumfulgentem.* Quis loci habitus ſit, conſequenter depingit: *Ἐκεῖ οὖν ἐφύτευσεν ὁ θεός, ὅπου οὐκ ἀνέμων βία, οὐχ ὡρῶν ἀμετρία, οὐ χάλαζα, οὐ πρηστῆρες, οὐ λαίλαπες, οὐ σκηπτοί, οὐ χειμερινὴ πῆξις, οὐχ ὑγρότης ἠρός, οὐ θερινὴ πύρωσις, οὐ φθινοπωρινὴ ξηρότης, ἀλλ' εὔκρατος καὶ εἰρηνικὴ συμφωνία τῶν ὡρῶν πρὸς ἀλλήλας, ἑκάστης αὐτῶν ἰδίῳ κάλλει κεκοσμημένης καὶ μὴ ἐπιβουλευομένης παρὰ τῆς γείτονος. οὔτε τοῖς ἠρινοῖς κάλλεσι τοῦ θέρους λυμαινομένου, οὔτε τῶν θερινῶν ἢ τῶν μετοπωρινῶν καρπῶν καταῤῥυομένων ὑπὸ τοῦ γήρως· ἄλλως γὰρ τὸν τόπον ἐκεῖνον αἱ ὧραι περιεχόρευον, ἀλλ' ὁμοῦ καὶ τοῖς παρ' ἑαυτῆς ἐξαιρέτοις δορυφοροῦσι, συνέτρεχον τοῦ ἀέρος τὰ τερπνά, τοῦ θέρους τὰ τρόφιμα, ἡ μετοπωρινὴ εὐφροσύνη, ἡ χειμερινὴ ἀνάπαυσις. ἡ γῆ πίων, μαλακή, ὄντως ῥέουσα γάλα καὶ μέλι, πρὸς καρπογονίαν ἐπιτηδεία, κατάῤῥυτος πᾶσιν ὕδασι γονιμωτάτοις, τῷ ὄντι κάλλος ἀμήχανον παρεχομένοις. Λεπτὰ γὰρ καὶ διαφανῆ τὰ ὕδατα, πολὺ μὲν τῇ ὄψει τὸ τερπνὸν ἔχοντα, πλεῖον δὲ τοῦ τερπνοῦ τὸ ὠφέλιμον παρεχόμενα. Illic igitur plantavit Deus, ubi non ventorum vehementia, non tempeſtatum intemperies, non grando, non preſteres, non procella, non fulmina, non hyberna congelatio, non veris humiditas, non æſtiva inflammatio, non autumnalis ſiccitas ſed temperatus & pacatus tempeſtatum ad invicem conſenſus, unaqualibet earum propria pulchritudine ornata neque inſidias patiente à vicina. Neque vernis amænitatibus æſtate nocente, neque æſtivis aut autumnalibus fructibus defluentibus præ ſenio. Iunctim enim locum hunc viciſſitudines circumobibant, ſed ſimul etiam, ſuis eximiis ſtipantibus. Concurrebant enim veris* (legendum *ἠρὸς* non *ἀέρος*) *delectabilia, æſtatis alibilia, autumnalis lætitia, hyberna requies. Terra pinguis, mollis, vere fluens facte & melle, ad fructuum generationem idonea, irrigua tota aquis fœcundis, vere pulchritudinem incredibilem exhibentibus. Tenues enim & pellucida aqua, multam oculis delectationem habentes at majorem delectabilitate utilitatem præbentes.* Locum igitur primum à Deo conſtructum eſſe, dignum qui divina ſuſciperet plantamina, inde conſitum eſſe omnigenis pulchritudinibus arborum, quæ ederent *δι' αὐτῶν ὄψιν τε χαριεστάτην καὶ ἀπόλαυσιν ἡδίστην.* Flores & fructus noſtris abſimiles prædicat. *Ἐκεῖ, μέντοι τὸ ἄνθος οὐ πρὸς βραχὺ διαλάμπον, ἀλλὰ διαρκὲς τὸ τερπνόν, χαρίεσσαν τὴν ὄψιν, ἄπληστον τὴν ἀπόλαυσιν, τὴν εὐωδίαν ἀκόρεστον, καὶ τὴν εὔχροιαν ἐξαστράπτουσαν, οὐ βίαι ἀνέμων παραλύουσιν, οὐ ἠρεμίαι ἀπομαραίνουσιν, οὐ πάγετος ἀποπήγνυσιν, οὐχ ἡλίου φλόγωσις καταφρύσσει, ἀλλὰ πνεῦμα μέτριον λεπτὴν καὶ ἡδεῖαν ἀναπνοὴν παρεχόμενον κούφως αὐτοῖς καὶ προσηνῶς ἐπιπνέον ἀδάμαστον χρόνῳ τὴν χάριν αὐτῶν διασώζει. Illic ſcilicet flos non ad breve tempus fulgens, ſed ſufficiens habens oblectabile. Gratum conſpectum, continuatam fruitionem, fragrantiam inſatiabilem: & ſpeciem fulgentem non violentia ventorum diſſolvunt, non ſilentia ventorum flaccefaciunt, non gelu conglaciat, non Solis vapor adurit, ſed ventus moderatus tenuem & ſuavem auram præbens,*

prabens, leviter ipſis & ſuaviter adſpirans indomitam gratiam eorum conſervat. Ita de floribus, deinde de ſtirpidus: Τὰ δὲ τῶν φυτῶν κάλλη ἄξια καὶ αὐτὰ δημιουργίας τοῦ κτίσαντος, ὅσα φρυγανικὰ καὶ ὅσα ἔνθεμνα, τὰ μονοστέλεχα καὶ πολύκλαδα, τὰ ὑψίκομα, τὰ ἀμφιθαλῆ, τὰ φυλλοβόλα, τὰ ἀείφυλλα, τὰ γυμνούμενα, τὰ ἀειθαλῆ, τὰ κάρπιμα, τὰ ἄκαρπα, τὰ μὲν τὰς χρείας ὁρώμενα τὰ δὲ πρὸς ἀπόλαυσιν συμβαλλόμενα, πάντα μεγέθει καὶ κάλλει διαφέροντα. Κατάσκια τοῖς κλάδοις, ἀμφιθαλῆ ταῖς κόμαις, βρύοντα τοῖς καρποῖς, ἄλλην ὁμοῦ καὶ ἄλλην χρείαν καὶ τέρψιν παρέχουσιν. Ἑκάστου γὰρ τῶν καρπῶν πολὺ μὲν τὸ χαρίεν, πλέον δὲ πάλιν τοῦ τερπνοῦ τὸ χρειῶδες. *Stirpium autem pulchritudines digna & ipſa opificio & plantatione creatoru. Quæ eremia & quæ fruticoſa, unius trunci, multifida ramis, alticoma, circumgerminantia, foliis manentibus & deciduis, nudata & ſemper germinantia frugifera & infrugifera & alia quidem uſui deſtinata, alia ad oblectamentum conferentia, omnia magnitudine & pulchritudine eximia: umbroſa ramis, circumflorentia comis, fæcunda fructibus alium ſimul & alium uſum & delectationem prabent. Vniuscujuſque fructuum multa quidem gratia, ſed major oblectamine utilitas.* Deinde noſtris arboribus in immenſum eas præfert, quæ illic divina manu conſitæ ſunt: Πῶς σοι παραστήσω τῆς ἡδονῆς ἐκείνης τὸ ὑπερβάλλον; ἐὰν συγκρίνω τοῖς ὧδε, καθυβρίζω τῇ παραθέσει. ἢ τινά σοι ἐνέργειαν ἐκ τοῦ εἰκότος παρίστημι. πάντα τέλεια, πάντα ὥριμα, οὐ κατὰ μικρὸν αὐξηθέντα. οὐ γὰρ ἀπὸ ἄνθους ἐπὶ τὴν ἀκμὴν αὔξεται ἀλλ' ἀπὸ τῆς οἰκείας ἀκμῆς ἐκφύντα φύσεως ἀποτελέσματα, οὐκ ἀνθρωπίνης ἐπιτεχνήσεως. *Quomodo exhibebo tibi illius voluptatis ſupereminentiam? Si comparem cum iis, quæ hic ſunt, dedecoro potius compoſitione quam ut aliquam efficaciam è ſimilitudine ſiſtam: omnia perfecta, omnia matura, non paulatim aucta. Non enim à flore ad maturitatem creſcunt ſed à proprio vigore enata natura effecta non humana induſtria.* Addit etiam animalium à noſtris diverſorum aviumque miracula: Ἐκεῖ καὶ ὀρνίθων παντοδαπῶν γένη τοῦ πτεροῦ ἄνθει καὶ τῇ ἐκ φύσεως μουσικῇ ἀπόλαυσίν τινα θαυμαστὴν δι' ἑαυτῶν προσετίθει τοῖς ὁρωμένοις. Ὥς τι διὰ πασῶν τῶν αἰσθήσεων ἐντρυφεῖν τὸν ἄνθρωπον, τὰ μὲν ὁρῶντα, τὰ δὲ ἀκούοντα. ἄλλων ἁπτομένων, ἄλλων ὀσφραινομένων, ἑτέρων ἀπογευομένων. Καὶ ζώων ποικίλων θεάματα, πάντων ἡμέρων, ὁμιλούντων ἀλλήλοις καὶ ἀκουόντων, φθεγγομένων εὐσύνετα &c. *Illic & avium variarum genera flore alarum & naturali Muſica oblectamentum quoddam admirabile per ſe addebant viſis. Adeo ut per omnes ſenſus deliciaretur homo, hæc videns, alia audiens: aliis tactis, aliis olfactu, aliis guſtu perceptis.* Et animalium variorum ſpectamina, quæ omnia erant manſueta; familiaria invicem & loquebantur *intelligibilia.* Tandem ad allegorias evadens externum nullum Paradiſum agnoſcit. Deum enim de voluptatibus corporis non proſpexiſſe homini, quæ ſenſus offuſcant & inferioribus addicunt rebus. Ideo hominem duplicem facit, τὸν κατ' εἰκόνα, ὃν ἐποίησεν ὁ θεός: alium ſecundum imaginem, quem fecit Deus; alium quem formavit. πλάσμα eſſe corpus, animam vero ποίημα θεοῦ. Animam hominis ſublimia ſpectaſſe, illi Deum propoſuiſſe figuram ut ad cœleſtia mente aſſurgeret. Unde ſubjecit: Ὡς γὰρ ἐπὶ τοῦ νόμου ἦν μὲν καὶ τὸ αἰσθητὸν ἀλλὰ τύπον ἐποίει τοῦ νοητοῦ. Οὕτω καὶ τὸν παράδεισον νοοῦμεν μὲν σωματικῶς, ἀλληγοροῦμεν δὲ πνευματικῶς. *Vt enim ſub lege erat quidem & ſenſibile ſed figuram faciebat intellectualium, ita etiam paradiſum intelligimus quidem corporaliter, at allegorizamus ſpiritualiter.* Cujus dicti hic eſt Senſus, quod ex corporalibus rebus ſpiritualium conceptus figuremus. Deum autem hoc voluiſſe inde etiam patere, quia arborum nomina ſeu ſtirpium non ſint expreſſa. Locum quidem eſſe, at voce Ἐδὲν (ipſe ſonat Ἐδὲμ) τρυφὴν delitias notari & voluptatem. Τρυφὴν veró accipiendam eſſe non illam, quæ corpus pinguefaciat & Spiritum mergat animamque faciat εὐκατάφορον πρὸς τὴν ἁμαρτίαν: at τρυφὴν ἀξίαν θεοῦ, ἁγίοις ἁρμόττουσαν, ἵνα καὶ τὴν φυτείαν πρέπουσαν τῇ γεωργίᾳ τοῦ θεοῦ διδαχθῶμεν, *ut & plantatio-*

tationem convenientem agricultura Dei diſcamus. τὰς ἀναπλὰς notare fulgorem, quo quælibet ſplendet ſtirps ἐν ἰδίῳ φωτὶ κεκαλλωπισμένη. Deus plantavit, quia infinita pulchritudo virtutis à multiplici ſapientia principium habet. In horto Dei plantantur juſti κἂν χωρίον τι νοῆς δεκτικὸν τῶν ἁγίων, ἐν ᾧ πάντες οἱ ἐπὶ γῆς διαλάμψαντες ἐν ἔργοις ἀγαθοῖς ἀπολαύοντες τῆς τοῦ θεοῦ χάριτος καὶ τῆς ἀληθινῆς καὶ νοητῆς τερπνότητος διαιτῶνται οὐκ ἀποπίπτεις τῆς πρεπούσης περὶ αὐτοῦ εἰκασίας. *Et ſi regionem aliquam mente concipias, ſuſceptivam ſanctorum, in qua omnes qui in terra fulſerunt bonis operibus, fruentes Dei gratia & vera ac intelligibili delectatione agunt, non aberrabis conveniente de eo aſſimilatione.* Illic poteſtates eſſe quibus novus homo ſit traditus egens multa coercitatione ad πλείονα. Addit, Ἐν ᾧ τὸ σύστημα τῶν ἁγίων ἐν ᾧ αἱ ἀναλαμπαὶ τοῦ φωτὸς, ἐν ᾧ ἡ τρυφὴ τῆς ψυχῆς. Illic hominem à Deo collocatum eſſe. Hæc ſententia Baſilii diſtat ab opinione Origenis ut poſteà ex Methodio oſtendemus. Evidenter Baſilius Paradiſum terreſtrem nullum eſſe diſputat. Bellarminus igitur eum malè pro communi ſententia de Paradiſo terreſtri adduxit. Eadem fuit audacia, quod & Ambroſium eò facere affirmet. Ambroſius enim ſic Paradiſum interpretatur: *Ipſe ergò plantavit Paradiſum, de quo dicit Sapientia,* Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus, eradicabitur. *Bona angelorum plantatio, bona ſanctorum. Sancti enim ſub ficu & vite ducuntur in illo pacis futura tempore, in quibus typus eſt angelorum. Ergò paradiſus eſt plurima ligna habens, ſed ligna fructifera, ligna plena ſucci atque virtutis, de quibus dictum eſt:* Exultabunt omnia ligna ſylvarum: *digna ſemper florentia viriditate meritorum, ſicut illud lignum,* quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, cujus folium non defluet; *Quia totus in eo fructus exuberat. Hic ergò Paradiſus eſt: Locus autem ejus, in quo eſt plantatus, voluptas dicitur. Vnde & ſanctus David ait:* Ex torrente voluptatis tuæ potabis eos. *Legiſti enim:* Quia fons procedit ex Eden, qui rigat Paradiſum: *Hac igitur ſanctorum flumina, qua plantata ſunt in Paradiſo, quaſi profluo quodam torrentis Spiritus irrigantur, de quo alibi ait:* Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. *Eſt autem civitas illa, qua ſurſum eſt, Hieruſalem libera, in qua diverſa ſanctorum merita pullularunt. In hoc ergò Paradiſo hominem Deus poſuit, quem plaſmavit. Intellige etiam, quod non eum hominem, qui ſecundum imaginem Dei eſt, ſed eum, qui ſecundum corpus. Incorporalis enim in loco non eſt. Poſuit autem eum in Paradiſo, ſicut ſolem in cœlo, exſpectantem regnum cœlorum, quemadmodum creatura exſpectat revelationem filiorum Dei. Ergò ſi Paradiſus eſt, in quo erant exorta virgulta, videtur Paradiſus anima eſſe, qua multiplicat ſemen acceptum, in qua virtus unaquaque plantatur. In qua erat etiam lignum vita, hoc eſt ſapientia, ſicut dixit Salomon:* quia Sapientia non de terra exorta eſt ſed de Patre. *Eſt enim Splendor lucis aterna & manatio omnipotentis gloria.* Hæc in capite primo. Deinde in capite tertio ſic loquitur: *Sit ergò Paradiſus terra quadam fertilis hoc eſt anima fecunda, in Eden plantata, hoc eſt in voluptate quadam vel exercitata terra, in qua anima ſit delectatio. Eſt etiam* Νοῦς *tanquam Adam, eſt ſenſus tanquam Eva.* Fontem, quo Paradiſus irrigabatur, fuiſſe animæ ſubſidium ad toleranda pericula: nempe Dominum Jeſum Chriſtum fontem vitæ æternæ. Quatuor flumina ſeu initia, quibus ſe fons ſapientiæ dividit eſſe unum prudentiæ, aliud temperantiæ, tertium fortitudinis, quartum juſtitiæ. *Qua etiam* (inquit) *ſapientes iſtius mundi ex noſtris aſſumpta in ſuorum ſcripta librorum tranſtulerunt.* Phiſonem eſſe prudentiam, Geonem temperantiam, Tigrim fortitudinem, Eufraten verò juſtitiam. Latiſſimè vero ſe diffundit allegoriis. Poſitionem hominis in Paradiſum nihil fuiſſe aliud, quam inſpirationem virtutis. *Erat autem*, inquit, *in terra plaſmationis ſua,* Apprehendit ergò eum virtus Dei inſpitans proceſſus

& incrementa virtutis. Denique in Paradiſo eum collocavit, ut ſcias apprehenſum, quaſi afflatum divina eſſe virtute. Sic etiam arbores illas ſacramentales Paradiſi evacuat allegoricis commentis. Non video, qui Bellarminus oſtendere poſſit, quod corporalem in terra Paradiſum Ambroſius ſtatuerit? Nazianzenus ſimili errat errore. Nam in oratione *εἰς θεοφάνια* ſic loquitur: *τοῦτον ἔθετο μὲν ἐν τῷ παραδείσῳ, ὅστις ποτὲ ἦν ὁ παράδεισος οὗτος, τῷ αὐτεξουσίῳ τιμήσας, ἵν' ᾖ τοῦ ἑλομένου τὸ ἀγαθὸν οὐχ ἧττον ἢ τοῦ παρασχόντος τὰ σπέρματα φυτῶν ἀθανάτων γεωργὸν, θείων ἐννοιῶν ἴσως τῶν τε ἁπλουστέρων καὶ τῶν τελεωτέρων* &c. Id Nicetas Scholiaſtes vidit: *At Gregorius*, inquit Nicetas, *hiſtoriam ad allegoriam traducit atque per intellectualem quidem paradiſum cœleſtem vitam intelligis vel animæ puritatem & claritatem* &c. Gregorius Nyſſenus ſimiliter allegoriis indulget, tantique facit Baſilium, ut ei contradicere nefas habuerit. Sic enim proteſtatur in ingreſſu ſui *ἑξημέρου*. *Τοῦτο δέ μοι πρὸ τῆς ἐγχειρήσεως διαμεμαρτυρήσθω, τὸ μηδὲν ἡμᾶς ἀντιδογματίζειν τῷ ἁγίῳ Βασιλείῳ, περὶ τῶν κατὰ τὴν κοσμογονίαν αὐτῷ φιλοσοφηθέντων, μηδ' ἂν πρὸς ἑτέραν ἐξήγησιν ἔκ τινος ἀκολουθίας ὁ λόγος ἔλθῃ. ἀλλ' ἐκεῖνα μὲν κεκρατήσθω καὶ μόνης τῆς θεοπνεύστου διαθήκης τὰ δευτερεῖα φερέσθω.* *Hoc mihi teſtificatum ante aggreſſionem eſto nihil antidogmatizare nos ſancto Baſilio, quoad illa, quæ philoſophatus eſt de ortu mundi, neque ſi in diverſam expoſitionem ex quadam conſequentia ſermo devenerit: at illa quidem obtineant, & ſecundas ferant poſt ſolum à Deo inſpiratum Teſtamentum.* Hæc igitur fuit veterum Patrum ſententia, Paradiſum allegoricè eſſe accipiendum ſive pro cœleſti habitatione, ſive pro virtute. Quomodo & accepiſſe Macarius videtur Homilia triceſima. Græcæ Eccleſiæ doctores illi, qui adverſus Origenem ſcripſerunt, *σοφίᾳ καὶ σωφροσύνῃ* cæteros videntur. Hieronymus autem, qui Origenem reprehendit, in eodem luto videtur hæſiſſe. Quæſtionibus in Geneſin. *Porrò* עֵדֶן deliciæ *interpretantur: Pro quo Symmachus tranſtulit* Paradiſum florentem. *Nec non quod ſequitur*, contrà orientem, *in Hebræo mikkedem* מִקֶּדֶם, *quod Aquila poſuit ἀπὸ ἀρχῆς: & nos* ab exordio *poſſumus dicere. Symmachus verò ἐκ πρώτης, Theodotio ἐν πρώτοις, quod & ipſum non* orientem *ſed* principium *ſignificat. Ex quo manifeſtiſſimè comprobatur, quod priuſquam cælum & terram Deus faceret, Paradiſum* ante *condiderat, ſicut & legitur in Hebræo:* Plantaverat autem Deus Paradiſum in Eden à principio. Poſtea: *Et ſumpſit* Deus hominem & poſuit eum in Paradiſum voluptatis. *Pro* voluptate *in Hebræo habetur* עֵדֶן *Eden. Ipſi igitur ſeptuaginta Eden interpretati ſunt voluptatem. Symmachus vero, qui* Paradiſum *paulò ante* florentem *tranſtulerat, hic poſuit ἐν τῷ παραδείσῳ τῆς ἀκμῆς, quod & ipſum* amœnitatem & delitias *ſonat.* Nomina propria regionum & locorum ideo transferuntur in appellativa, ut liberior locus ſit evagandi in allegorias. Franciſcum Georgium miratur Bellarminus, quod olim damnatam à Patribus ſententiam revocaverit in lucem ac propagare ſit conatus ejuſque argumenta convellit & rectè. Nam hiſtoriæ veritatem & ſancti ſcriptoris narrationem exinaniri per interpretationem allegoricam, ferendum non eſt. Sic in nihilum recidit & *nihil* dictum erit per univerſa ejus narrationis membra. Sic & arbores, ſic lapſus, quæ fundamenta ſunt notitiæ miſeriarum ſeu Chriſtianæ *θεολογίας*, obſcurabuntur & in inanes convertentur ſermones. Cæterum fruſtra eſt, qui Ambroſium conatur ab hoc delirio abſolvere. Ambroſius ſuam mentem aperuit & poſtea Sabino *epiſt.* 42. Poſtquam enim narravit alios alias ſententias habere, addit: *Omnes tamen congruunt in Paradiſo & lignum vitæ radicatum & lignum ſcientiæ, quæ diſcernat bonum & malum, cætera quoque ligna plena vigoris, plena vivificationis, ſpirantia & rationabilia. Ex quibus colligitur paradiſum ipſum non terrenum videri*

poſſe

poſſe non in ſolo aliquo, ſed in noſtro principali, quod animatur & vivificatur anima virtutibus & infuſione Spiritus Dei. Deinde: *Ergò Paradiſus in principali noſtro eſt, ſylveſcens plurimarum opinionum plantariis, in quo principaliter lignum vitæ conſtituit Deus, id eſt, pietatis radicem,* Bellarminus dicit, non negaſſe Paradiſum, in quo fuit Adam, corporalem fuiſſe, ſed eo poſito, totum fuiſſe in explicandis Paradiſi myſticis ſignificationibus. Sed quis non videt, ut Baſilium, ſic Ambroſium ſenſibilitatem tollere eoque literalem ſeu proprium ſenſum. Nempe abſurda putabant inde conſequi. Hoc in epiſtola ad Sabinum urgetur, quod primum hominem totius mundi (eo non unius horti) civem & habitatorem Deus fecerit. *Primum igitur mundum creavit, deinde habitatorem mundi, cui totus mundus patria foret. Nam ſi hodie quocunque acceſſerit ſapiens, ubique civis eſt, ubique ſua omnia intelligit, nuſquam ſe peregrinum, nuſquam hoſpitem judicat, quanto magis ille primus homo totius mundi erat incola &, ut Græci dicunt, κοσμοπολίτης, opus Dei recens, confabulator aſſiduus, civis ſanctorum, complantatus virtutibus, præpoſitus omnibus terrenis animantibus, marinis, volatilibus, totum mundum, ſuam poſſeſſionem putabat &c.* Cum dicit *totius mundi incolam* fuiſſe, tollit παράδεισον αἰσθητόν: cum dicit, *civem* fuiſſe *ſanctorum & complantatum virtutibus*, ponit evidenter τὸν νοητόν. Deinde Joſephi ſententiam de ſenſibili paradiſo ut variantem & à ſua diverſam removet, quamvis non acriter contendat. Et hoc notandum, quod qui myſticum ſenſum conjungunt cum literali, eoque literalem & admittunt, ſolent hunc præmittere, ut fundamentum, cum Ambroſius literalem ſenſum in ſua expoſitione non habeat. Etiam ratiunculis quibuſdam contendit, quod Paradiſum in terris agnoverit Ambroſius.

I. In lib. de Paradiſo cap. 1. habet hæc verba. *In hoc ergo paradiſo* &c. ut ſupra habentur. *Hæc verba* (inquit Bellarminus) *ſatis aperte indicant Paradiſum ex Ambroſii ſententia fuiſſe corporalem, cum in eo poſitus fuerit Adam, quà corpore, non quà Spiritu præditus erat.* Atqui in præcedentibus continuò dixit, in illo pacis futuræ tempore civitatem Dei Hieruſalem, eſſe illum Paradiſum, in quo Deus hominem poſuerit. Ita in terris nuſquam Paradiſum agnoſcit, niſi animam virtutibus fecundatam. Ibi tamen exſpectaſſe regnum cœlorum: ut ἀσυνέτως loquitur.

II. Fatetur flumina Eufratis, Tigris, Gangis, Nili egredi de Paradiſo. Nempe allegorica non corporalia. Cognoſce & agnoſce verba ſupra producta.

III. *Quia in eodem lib. c. 7. proponit quæſtionem, Vnde mors Adæ acciderit, utrum à natura ligni, an à Deo; reſpondet mortem neque à Deo neque à natura ligni accidiſſe ſed ab inobedientia Adami. In qua quæſtione & quæſtionis ſolutione pro comperto accipit illud lignum fuiſſe corporale.* R. Ex capite ſecundo apparet, nullum lignum eum putare tale ſed ipſam ſcientiam boni & mali hanc poſitam fuiſſe in anima ut in corpore fel. *Nam ſicut fel in parte eſt corporis & tamen ad totius utilitatem corporis prodeſt, ita utilitati omnium profuturam ſciens Deus ſcientiam boni & mali, in parte conſtituit, ut in commune prodeſſet.* Intempeſtiva ſcientiæ ſeu aſtutiæ affectatione lapſus fuit. Vide & epiſtolam. 42. quæ eſt ad Sabinum. Fatetur Ambroſium ut in Hexaëmero ita & in opuſculo, de Paradiſo ſequi Baſilium. Conſtat autem ſatis ex iis, quæ ſupra adduximus, Baſilium corporalem in terris Paradiſum non agnoſcere.

De ſitu & habitu Paradiſi juxta poſteriores doctores & Scholaſticos.

ORigenis ſententiam de Paradiſo rejicit Epiphanius hoc argumento, quod hiſtoriam ſcribat, non ἀλληγορῇ non vaticinetur. Methodius adverſus Origenem fuſe diſputavit, quæ ab Epiphanio allegantur hæreſi 64. Voluit Origenes animas omnes creatas fuiſſe ſimul in principio, in corpora autem detrudi tanquam vincula & laqueos, quia in tertio cœlo Dei præceptum transgreſſæ ſint. Labi animas cœlo & per uterum maternum tranſire in mundum. Quod dicitur (*Pſ. 63. 18.* Διήλθομεν διὰ πυρὸς καὶ ὕδατος καὶ ἐξήγαγες ἡμᾶς εἰς ἀναψυχὴν) id ſi capiatur de tranſitu per uterum, non malè fieri, quia ἐν φλογὶ τοιαύτῃ καὶ ὑγρασίᾳ κατεγγίζεται: accipi etiam poſſe καταπίπτουσιν ἀπὸ τῶν οὐρανῶν ἐπὶ τὸν βίον, διερχομένην τὰς πηγὰς τοῦ πυρός, καὶ τὰ ὑπὲρ τὰ νῶτα τοῦ στερεώματος ὕδατα. Origenes enim in cœlo eſſe putavit ſupra firmamentum aquas & fontes ignis. Adverſus ejus ſententiam ita diſputat Methodius: Πρῶτον γὰρ ὁ Παράδεισος, ὅθεν καὶ ἐξεβλήθημεν ἐν τῷ πρωτοπλάστῳ, ἐκ ταύτης ἐστὶ τῆς γῆς προδήλως τόπος ἐξαίρετος πρὸς ἄλυπον ἀνάπαυσιν καὶ διαγωγὴν τοῖς ἁγίοις ἀφωρισμένος κρείττονα. ἀπ᾽ αὐτοῦ καὶ τὸν τίγριν καὶ τὸν Εὐφράτην καὶ τοὺς λοιποὺς ποταμοὺς τοὺς ἐκεῖθεν προχεομένους, ἐντεῦθεν φαίνεσθαι τῶν ῥευμάτων τὰς διεκβολὰς εἰς τὴν καθ᾽ ἡμᾶς ἤπειρον ἐπικλύζοντας. Οὐ γὰρ ἀπὸ τῶν οὐρανῶν ἄνωθεν καταῤῥάσσονται χεόμενοι ἐπεὶ οὐδὲ ὑπίσῃ ἡ γῆ ὄγκον τοσοῦτον ἀθρόως ἐξ ὕψους καταφερόμενον ὑποδέξασθαι ὕδατος. *Primum enim Paradiſus, unde & ejecti ſumus in protoplaſto, evidenter eſt hujus terra locus eximius ad jucundam requiem ſanctis ſeparatus & meliorem habitationem. Ex eo enim & Tigrin & Eufratem & cateros fluvios inde pro fuſos illic apparere, decurſuum exitus in noſtram continentem exundantes. Non enim è cœlis deſuper precipitantur fuſi. Quia nec terra tantam molem aquarum ſuſtineat ex alto confertim delabentem.* Locum aliquem in terra Paradiſum eſſe ſed à noſtro orbe diverſum arbitratur, ut Sulpicius. Eufratis & Tigris διεκβολὰς non fontes in noſtro eſſe orbe. Non eſſe in cœlo, quia fieri non poſſit, ut pondus aquarum, à cœlo delapſum, terra ferat & ſuſtineat. Oppugnat enim Origenis ſententiam: qui in cœlo tertio paradiſum collocabat, ut animarum, nondum in corpora demerſarum habitaculum. Origenes ſuæ ſententiæ & hanc rationem dabat, quod Paulus in tertio cœlo Paradiſum conſtituat. *2. Cor. 12.* Methodius autem: Ἀλλ᾽ οὐδὲ ὁ Ἀπόστολος ὑποτίθεται τὸν Παράδεισον εἶναι ἐν τρίτῳ οὐρανῷ τοῖς λεπτῶν ἀκροᾶσθαι λόγων ἐπισταμένοις. Quomodo autem: Δύο ἀποκαλύψεις μεγάλας ἑωρακέναι μηνύει. δὶς ἀναληφθεὶς ἐναργῶς, ἅπαξ μὲν ἕως τρίτου, ἅπαξ δὲ εἰς τὸν παράδεισον. Quia Apoſtolus bis de illa revelatione & aſſumptione locutus eſt. Primo *v. 2.* repetitò *v. 3. 4.* Ideo duplicem aſſumptionem ei eveniſſe, putat, unam in cœlum tertium, alteram in Paradiſum. Apoſtolus autem eandem deſcribit duabus ſui partibus. Prima pars aſſumptio fuit in cœlum tertium, altera aſſumptio ſeu tranſlatio in Paradiſum, qui eſt in cœlo tertio. Theophylactus: Κατὰ μὲν οὖν τὸ ῥητὸν ἕτερος τόπος ὁ τρίτος οὐρανὸς, καὶ ἕτερος ὁ παράδεισος κατὰ δὲ τὴν ἀναγωγὴν τάχα μὲν ὁ αὐτὸς τάχα δὲ οὐχ ὁ αὐτός. Secundum literalem ſenſum diſtingui cœlum tertium à Paradiſo, ut locus idem non ſit, juxta anagogen poſſe eſſe eundem. Ἀναγωγικοὶ vagantur & ἀεροβατοῦσιν libero motu. Tres cœlos literaliter benè diſtinxit Theophylactus, primum, in quo volucres, ſecundum firmamentum, tertium τὸν ἐν ἀρχῇ δημιουργηθέντα μετὰ τῆς γῆς. At in Anagoge primum & unum cœlum illi eſt τὸ πέρας καὶ ὅρος τῆς ἠθικῆς ὅταν τις τὰ ἑαυτοῦ ῥυθμίσῃ: alterum ἡ φυσικὴ, contemplatio naturæ, ὡς ἔφαμεν: tertium ἡ θεολογικὴ, contemplatio rerum divinarum. Quia autem Καὶ ἐν τοῖς τῆς θεολογίας τόποις ἀναβάσεις εἰσὶν, διὰ τοῦτο ἁρπάζεται αὖθις

τοῖς

τοῖς μυστικωτέροις τῆς θεότητος ἐνδιατρίβων. Theophanes Cerameus Epiſcopus Tauromenitanus qui fuit tempore Concilii Oecumenici octavi, quod vocant, in homilia 27. agnoſcit à Patribus duplicem doceri Paradiſum, alterum αἰσθητὸν, alterum νοητόν. Se putare latronis animam aſcendiſſe non in Eden ſeu ſenſualem Paradiſum, ubi primi vixere parentes, ſed in intelligibilem. Quomodo & vates cecinerit Chriſtianus: Τὸν ἐν τῷ σταυρῷ λῃστὴν ἐπιγνόντα σε θεὸν, κληρονόμον εἰργάσω νοητοῦ παραδείσου. At Methodius unum ſolum Paradiſum novit, eumque in terris loco ſublimi & alterius continentis. Eam Methodii ſententiam non tuentur Scholaſtici, ſed Paradiſum terreſtrem diſtinguunt à cœleſti, quamvis terreſtrem ab Enoch & Elia velint incoli. Objiciunt ſibi primo argumenta, quibus videtur effici, quod locus Moſis non ſit literaliter ſed ſpiritualiter ſeu allegorice accipiendus. I. Arg. Prævidit Deus genus humanum eo loco fore indignum, ejiciendum in hanc miſeriarum regionem, eoque incaſſum talem locum conſtituiſſet. Si dicatur primos parentes incoluiſſe olim, hodie Enoch & Eliam, propter tam paucos non debuiſſe conſtitui locum, capacem univerſi humani generis, ſi caſu ſuo ſe non ejeciſſet. II. Ex verbis Bedæ & Strabi fertur in literali expoſitione, Paradiſum ad orbem ſeu globum Lunarem pertingere. Quod impoſſibile videtur, quia ita penetraret ignem elementarem, inque regionis igneæ medio conſiſteret, inconveniens habitationi humanæ, præſertim quoniam, (ut in hiſtoriis ait Magiſter) in cacumen montis Olympi nequiverint aſcendere philoſophi ob aëris ſubtilitatem niſi ſpongiis humidis ad nares admotis, per quas craſſiorem aërem traherent. Cum tamen ille mons non pertranſeat mediam aëris regionem. III. Homo in primo conditu, mente fuit præditus ſpirituali, ornatus ſcientia & immortalis eoque non eguit arboribus illis duabus, ſcientiæ ſcilicet & vitæ. Imò nec ei comedere conveniebat, cum de corpore ejus nihil deperderetur. Nullæ igitus arbores illæ, de quibus in litera. IV. Damaſcenus lib. 2. vult fontem illum eſſe Oceanum. Oceanus autem univerſam ambit terram, unde paradiſi voce ſit intelligendus univerſus orbis terræ non certa regio. V. Flumina quatuor, quæ narrantur de Paradiſo oriri, alibi habere originem inveniuntur experientia & teſtimonio hiſtoricorum. Unde videri aut falſam aut allegoricam eſſe Moſis narrationem. Sed Scripturæ autoritatem huic ſententiæ opponi. Albertus in ſcripto: *Tres ſunt de Paradiſo poſitiones. Vna exponentium totum corporaliter, quod de Paradiſo triplici ſit mentio, in ſcripturis, videlicet de Paradiſo deliciarum, beatorum ſpirituum, juxta illud Apoſtoli:* Scio hominem in Chriſto, quoniam, raptus eſt, in Paradiſum Dei. *Item de Paradiſo terreſtri corporalium perſonarum, juxta illud Geneſ.* Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio, in quo poſui hominem. *Eſt item Paradiſus hominum glorificatorum, qui non ponitur in numerum cum primo Paradiſo.* Et *quamvis paradiſus terreſtris altior eſſe credatur monte Olympo, propter quod aqua diluvii non devenerunt ad eum, nihilominus aptiſſimus fuit & eſt habitationi humanæ: quoniam fontem habet rigantem univerſam ſuperficiem Paradiſi congruis locis ac modis, ex cujus humore & frigiditate temperatur illico aër, ut aptus ſit reſpirationi humanæ. Hinc quod Paradiſus pertingere perhibetur uſque ad ſphæram Lunæ, videtur intelligendum non de corporali extenſione & elevatione ſed imitativa participatione, ita quod proprietates Lunæ ac ſui orbis participet per hoc quod eſt locus quietis, immortalitatis & incorruptionis. Non enim ſunt ibi tempeſtates & peregrinæ impreſſiones. Hoc tamen dico ſine præjudicio ſententiæ melioris, quoniam in quibusdam libris antiquiſſimis invenitur, quod glorioſus Thomas Apoſtolus fuit illius ſententiæ autor, quæ Bedæ ac Strabo adſcribitur, quod ſcilicet Paradiſus ſua altitudine*

tendat uſque ad ſpharam Luna. Altitudinem igitur Paradiſi aſſurgentem uſque ad orbem Lunæ, intelligendam eſſe vel propriè vel per participationem. Et proprio ſenſu ut intelligatur, facere ſententiam Bedæ ac Srrabi, quam primus docuerit Apoſtolus Thomas. Id ſe non audere negare nec aſſerere. Petrus urget Paradiſi altitudinem contra Thomæ ſententiam. *Cum ſola tria elementa*, inquit, *terra, aqua, aër ſecundum ſuperficies ſuas jungantur, paradiſus terreſtris non tranſcendebat ſpatium aëris. Cumque interſtitium aëris triplex ſit, ſcilicet infimum, in quo volitant aves: medium, in quo fiunt ſuperiores impreſſiones & ſupremum ſerenum, in quo non ſunt venti nec pluvia, nec vapores, locus ille tranſcendebat interſtitium primum ac medium perveniens uſque ad ſupremum aerem puriſſimum, in quo ex triplici cauſa fuit temperamentum maximum. Habebat quippe calorem ex vicinitate ſphara ignis & oppoſitione directa ſolis ac duplici tranſitu ejus in anno ſuper Zenith capitis eorum, id eſt per punctum in cælo ſuprapoſitum capitibus eorum. Sed hunc calorem triplex cauſa concurrens temperabat. Vno, Subtilitas aëris, ob quam effectus radiorum Solis minus poterat ei incorporari, ſicut ignis in panno minus fortiter agit quam in ligno. Altera, impermixta puritas ejus: quia uſque ad locum illum radii à terra non reflectebantur. Quamvis itaque Paradiſus ſit ſub torrido Zona & circulo aquinoctiali, non tamen habet immoderatum calorem: quia intemperantia illa caloris eſt in parte aëris inferiori non in ſuperiari. Quod verò Paradiſus dicitur pertingere uſque ad globum Luna per hyperbolen dictum eſt ad denotandum inconſuetam altitudinem ejus, ſicut de navigantibus in mari ſeu de fluctibus moris fertur in pſalmo: Aſcendunt uſque od cælos, deſcendunt uſque ab abyſſos. Poſtremò quamvis aqua Diluvii non pervenit uſque ad Parodiſum tamen ignis conflagrationis pertinget ibi. Etſi inſtetur. Quia ſecunda Petri ſecundo aſſeris gloſſa,* Aſcendet ignis ille, quantum aquæ Diluvii deſcenderunt, *dicendum, quod ignis ille duplicem hobebit effectum, videlicet purgationis & innovationis. Et quantum od effectum purgationis, aſcendet quantum aqua Diluvii: ſed quoad innovationis effectum non aſcendet.* Altitudinem igitur Petrus effert ultra medium ſpatium aëris, quod (ut Dionyſius Carthuſianus obſervat) multis Scholaſticorum incertum videtur. *Imo* (ut addit Dionyſius) *dicunt quàm plures quod non pertingat uſque od mediam aëris regionem.* Thomas urget in media ſupremaque regione aërem non ita eſſe contemperatum complexioni humanæ quam inferioris regionis aër eſt. Sane illam regionem terræ vicinam homini habitandam dedit Deus ab ipſo rerum conditu. Richardus tamen Petro conſentit, Paradiſi altitudinem tranſcendere medium aëris ſpatium & penetrare ſummum. Et uti Petrus ſic & ipſe ad Lunarem eam orbem non ſublimat. Carthuſianus putat in iſto certitudinem ſine revelatione haberi aut non aut vix poſſe. Altitudinem tamen ejus ſummam eſſe, longeque cætera tellure eminentiorem communis eſt Scholaſticorum ſententia. Id de ejus elevatione ad orbem Lunæ Strabo & Bedæ ut ejus opinionis autoribus adſcribitur. Bellarminus tamen negat in Bedæ operibus à ſe reperiri potuiſſe. *Exſtat autem* (dicit) *in quadam gloſſa Brideferti Rameſienſis ad caput 41. Beda de ratione temporum & eam refert nec refellit Petrus Lombardus in 2. lib. ſententiarum diſt. 17.* Excuſat ab hyperbole juxta Thomam, refutat tribus argumentis per hæc verba: *At profecto incredibile eſt eum eſſe ſitum Paradiſi (1) tum quod ea regio inſaluberrima ſit, atque adeò inhabitabilis, propter nimiam aëris ſubtilitatem & perpetuam agitationem (2.) tum quia ſi tanta eſſet ejus loci ſublimitas ab aliqua regione Paradiſus conſpiceretur & vel nobis vel antipodibus noſtris aliquando ſolis & Luna conſpectum eriperet, præſertim cum eodem illa opinio ad orientem Paradiſum conſtituat, ut perſpicuum eſt ex gloſſa Brideferti ſupra citata (3.) tum denique, quia ſi ulla eſſet proportio altitudinis*

tudinis Paradiſi ad latitudinem, non ſufficeret totius terræ amplitudo ad baſim ejus capiendam, ſi quidem Mathematici demonſtrant à ſuperficie terræ uſque ad globum Lunæ intercedere ſpatium ſupra centum millium milliariorum. Hyperbole igitur excuſat id dictum de altitudine tali uti & verba Baſilii, quod ob ſitus altitudinem nullas admittat tenebras. Sic etiam Damaſceni ſcribentis terra noſtra eſſe altiorem. Nam terra noſtra altiorem eſſe Paradiſum negat Bellarminus. Sic & Ruperti illud lib. 1. in Geneſ. cap. 37. *Paradiſum eſſe locum cælo proximum.* Sic & quod cecinit Alcimus Avitus:

Ergò ubi tranſmiſſis, mundi caput incipit, Indis,
Quo perhibent terram confinia jungere cælo,
Lucus inacceſſa cunctis mortalibus arce
Permanet.

Quomodo & Cl. Marius Victor:

Eoos aperit felix qua terra receſſus,
Editiore globo nemoris Paradiſus amœni
Panditur & teretis diſtinguitur ordine ſylva.

Editiſſimum locum fuiſſe omnes veteres, qui terreſtrem Paradiſum putabant extare, ſenſerunt, nec dubitarunt ab orbe noſtro eſſe remotum Oceano interfluo ultraque Indos. Cæterum an ſub Zona torrida aut temperata quæſitum. Sub temperata eſſe ſtatuit Scotus, non abnuit Thomas. Cæteri ſub Zona eſſe torrida & æquinoctiali contendunt. Scotus ita loquitur: *Quantum ad latitudinem dicunt ipſum eſſe ſub æquinoctiali & quod locus Æquinoctialis eſt maxime habitabilis quoniam ſol velociſſimè ibi pertranſit, ideo pauciores ibi facit reflexiones. Verum ſi ratio attendatur, videtur concludere magis oppoſitum: quia cum motus cauſet calorem, major & fortior motus, majorem ac fortiorem calorem cauſat.* Hæc ejus verba ſunt, quibus addit nec tam altè pervenire paradiſum, ut ad medium aëris ſpacium penetret, quia ſic accidentaliter eſſe temperatum eum locum oporteret, ut loca ſub arctico polo ſecundum Martianum in viridi deſcriptione & Plinium ſeptimo naturalium. Accidentaliter temperari docuit Petrus in iis, quæ adducta ſupra ſunt. Deinde ſequitur in Scoto: *Quod autem dicunt ſub æqui noctiali eſſe regionem temperatam, non videtur verum; quia dum hyems eſt frigidiſſima nobis non removetur ſol à nobis niſi per gradus triginta & tunc eſt eis propinquior, quam nobis in maxima æſtate, in qua diſtat à nobis per gradus viginti quinque. Ergo plus habent de calore in fortiſſima hyeme, quam nos in fortiſſima æſtate. Dico ergò quod Paradiſus non eſt in tanta altitudine nec ſub æquinoctiali ſed ſub regione temperata. Nec neceſſarium eſt quod ſit ad orientem & ſi ibi eſt, tamen eſt æque temperata.* At Scoti illam rationem de majoris motus majori calore ſolvit Dionyſius Carthuſianus. Hoc enim concedendum eſſe cæteris paribus. *Experientia verò pandit, ait, quod motus quantumcunque fortis & magnus, tanto minus calefacit quantò celerius: & tantò plus incaleſcit, quanto diutius immoratur.* Thomas parte 1. quæſt. 102. Paradiſum orienti deputat & in aëre temperatiſſimo, tenuiſſimo atque puriſſimo. *Vnde*, ait, *qui dicunt Paradiſum eſſe ſub circulo æquinoctiali, opinantur ſub circulo illo eſſe temperatiſſimum locum, propter æqualitatem dierum & noctium, & quia ſol nunquam elongatur ab eis, non eſt ibi ſuperabundantia caloris aut frigoris: quoniam etſi ſol ſupra illorum capita tranſeat, non tamen diu in hac diſpoſitione ibi moratur. Veruntamen*

Ariſto-

Ariſtoteles in libro meteororum ait expreſſe, quod regio illa eſt inhabitabilis propter æſtum, quod probabilius eſſe videtur, quoniam terræ, per quaſcumque pertranſit in directum capitis, intemperatæ ſunt in Calore, propter ſolam ſolis vicinitatem. Cæterum vulgata fuerunt illa de Paradiſo, altiſſimum eſſe, in Oceano orientali, ſub æquinoctiali aut ultrà. Inde enim Nilus fluit & ibi temperata regio. Audiamus diſſertationes: Albertus in libro de homine circa finem ita: *Paradiſus terreſtris eſt (prout Beda teſtatur) à noſtra habitatione diſtans & ſecretus longo maris ac terræ tractu. Et ſine præjudicio credo quod ſit in oriente ultrà æquinoctialem verſus meridiem. Et ſicut in Almageſti loquitur Ptolemæus de habitantibus ultra æquinoctialem, an aliqui ibi ſint, æſtimationem habere poſſumus, non ſcientiam, quia ex noſtris regionibus nemo ibi pervenit. Quidam vero Philoſophi dicunt, quod ſub circulo æquinoctiali ſit quoddam mare ſalſiſſimum ob ſolis corroſionem, nec commemorabile à nobis. Denique ſecundus fluvius de Paradiſo egrediens, qui Geneſis 2. dicitur Geon & à ſanctis Nilus, in Ægypto percurrens, determinato tempore terram illam ſine pluviis inundat ſole exiſtente in Cancro, dum apud nos eſt ſolſtitium æſtivale, illoque tempore ſol eſt remotiſſimus à partibus meridianis ultra æquinoctialem exiſtentibus. Cumque remotio Solis inducat hyemem, in qua multi elevantur humores nec conſumuntur, ex illo tempore ultra æquinoctialem tempus multum eſt pluvioſum, à quibus pluviis ultra æquinoctialem veniens, accipit inundationem aquarum in Ægypto, nec alia cauſa inundationis Nili, cum tunc magis deberet imminui, poteſt rationabiliter aſſignari. Et quoniam Nilus eſt fluvius Paradiſi, oportet Paradiſum eſſe in loco eodem. Si vero objiciatur, quod tunc ſimiliter alia flumina Paradiſi, utpote Tigris & Eufrates, deberent illo tempore inundare, dicendum ſecundum ſanctos, quod flumina illa non fluunt continuo fluxu, ut Nilus, ſed interdum dividuntur in partes & abſorbentur ſub terra ac denuò quorundam montium mole expreſſi, partim ſive totaliter in illorum montium radicibus oriuntur. Nilus autem continuo fluit fluxu de ultra æquinoctialem fluens per Æthiopiam, veniensque in Ægyptum. Notiſſimum demum eſt & per nigredinem Æthiopum probantur ipſi Æthiopes habitare verſus Æquinoctialem juxta torridam Zonam, quæ ſola prohibet tranſitum habitantium in noſtro habitabili ultra æquinoctialem.* Alexander ita diſſerit: *Ex probabili poſitione aliorum expoſitorum ſcripturæ, oritur dubium ubi ſit Paradiſus. Æſtimant namque quod ſit in ſectione. id eſt loco diviſionis orientali duorum marium, puta Oceani & mediterranei. Ait quippe Iſidorus duodecimo libro Etymologiarum: Oceanum Græci & Latini dicunt circulum ambientem orbem terræ. Mare vero magnum eſt, quod ab occaſu ex Oceano fluit & in meridiem vergit & deinde tendit ad ſeptentrionem: quoniam cætera maria in comparatione illius minora ſunt. Illud etiam eſt mare mediterraneum quia per mediam terram uſque ad orientem diffunditur. Dicunt ergo quod Paradiſus ſit in ſectione marium illorum, puta in angulo orientali quartæ habitabilis. Ex quo ſitu ponunt, quod Paradiſus ſit in circulo æquinoctiali, quod ita perſuadetur: Circulus Æquinoctialis dividit Sphæram cæleſtem in duo æqualia, qui ſecundum quamlibet ſui partem æqualiter diſtat à polo utroque. Hinc circulus iſte dividit Sphæram in duo æqualia ſuper ejus centrum. Si ergo mare Mediterraneum tranſit in orientem per mediam terram tranſit ſub circulo æquinoctiali in illa parte in qua vergit in orientem. Nam teſte Iſidoro, quamvis mare magnum, quod vocatur mediterraneum, fluens ab Oceano à parte occaſus, aliquando tranſeat per meridiem in Septentrionem, nihilominus ſecando terram per medium tranſit in orientem, Vnde dicit Iſidorus: In parte orientali, ſecando terram in medio terræ tranſit in Oceanum. Medium autem terræ eſt ſub circulo æquinoctiali. Sicque patet, quod angulus orientalis juxta ſectionem prætactam eſt ſub circulo antedicto, quare & Paradiſus,* Mare mediterraneum ab occaſu influere terras, Africam

urgere

urgere vergendo in meridiem, ſecare terras, per mediam terram uſque ad orientem perſundi, Europam & Africam, Aſiamque diſterminans, ut ſcribit Iſidorus, verum eſt. At nuſquam invenio, quod exeat in Oceanum ſub oriente. Iſidori verba homo imperitus & barbarus parum intellexit. Iſidorus non voluit mediam terram ſub Æquinoctiali intelligi, quaſi ea parte mundi funderetur Mare mediterraneum. Mediam terram vocat, qua Africa & Europa diſterminantur. Nuſquam dixit Iſidorus uſque ad orientem extremum diffundi Mare mediterraneum, & illa in Oceanum exire. Oriens illi eſt Syriæ littus, unde Aſia incipit: eo uſque enim mare hoc patet. Quanta imperitia eſt, neſcire, quod mare mediterraneum non ſit ſub Æquinoctiali; non tranſeat ad Indos, dividendo terras Syriæ & Perſidos? Durandus ſic docet: *Quæritur, ubi ſit Paradiſus terreſtris? Dicendum quod ſub Æquinoctiali, ſed in monte elevato ſupra communem altitudinem montium, ubi nec aquæ diluvii attigerunt. Eſt autem locus ille temperatus, non ex natura climatis, ſed ex ſitu & altitudine loci. Reflexio enim radiorum ſolis in locis planis illius climatis cum ſit ad angulos rectos quandoque, puta in puncto Libræ atque Arietis, quæ tangunt æquinoctialem, quandoque ad angulos quaſi rectos, videlicet omnibus temporibus aliis, cauſat ardorem nimium & forte inflammat aërem: qui inflammatus & motus forſan in Geneſi vocatus eſt gladius flammeus & verſatilis. Sed reflexio illa non pertingit uſque ad altitudinem Paradiſi terreſtris. Verum illud quibuſdam non placet. Imo dicunt impoſſibile eſſe, quod ſupra medium aëris interſtitium, in quo eſt locus perpetuæ frigiditatis ſit habitabilis locus, cum ſecundum Hiſtoriographos aër ſuper montem Olympum, ob ſuam raritatem ineptus ſit reſpirationi humanæ, quanto magis in Paradiſo, ſi altior eſſet Olympo? Hinc dicunt, quod locus temperatus pro habitatione humana ſolum eſt ſuper terram ſub interſtitio aëris medio, & ipſe Paradiſus non ſub Æquinoctiali. Quod vero aqua non aſcenderit ſuper Paradiſum, factum id miraculoſe &c. Sed illud non videtur rationabiliter dictum: quoniam* non eſt ad miraculum recurrendum, ubi veritas poteſt ſalvari naturali ratione & curſu rerum. *Nunc autem rationabiliter eſt oſtenſum, qualiter ſuper medium interſtitium aëris valeat eſſe habitabilis locus, præſertim cum* contraria non collocentur immediate. *Cum ergo medium illud interſtitium ſit frigiditatis, non eſt probabile, quod interſtitium ſuperius, proximum ſibi, ſit exceſſiva caliditatis.* Guilielmus Pariſienſis primo libro de Univerſo: *Sunt quoque de eo narrationes hiſtoriographorum ac teſtimonia experimentatorum, qui eum ſe vidiſſe teſtati ſunt & poſteris tradiderunt. Teſtantur hoc idem quatuor nobiliſſima flumina ex ipſo manantia, per hoc quod ortus origo eorum nec ex maribus neque ex fontibus totius noſtræ habitationis invenitur conſiſtere & laboratum eſt à regibus antiquis Ægypti & orientalibus in inveſtigatione originis Nili, quæ necdum eſt inventa, ſed hoc ſolum inventum eſt, quod ab extremis orientis finibus fluat. Hinc conſtat ortum eorum non innotuiſſe hominibus, niſi aut per primos parentes, qui ibi fuerunt, aut per Spiritum prophetiæ, quo Moſi creditur revelatum &c. Quidam verò dixerunt Paradiſum eſſe regionem, à tota terra, quæ in medio cæli eſt, longo tractu terræ, maris aërisque diſtantem & uſque ad lunarem circulum elevatum. Quod nec ratio patitur nec natura, quoniam tantam molem ſuſtinere aër non poſſet & regio iſta in igne eſſet elementari, induceretque interdum eclipſin Lunæ & Solis, præſertim in partibus orientalibus Armeniæ majoris ac Indiæ & videretur à proximioribus terris. Manifeſtum eſt ergo Paradiſum terreſtrem eſſe magnam partem totius corporis terræ & eſſe in extremis finibus orientis eſtque veriſimile, quod ſit extremitas terræ à parte orientis.* Hæc Guilielmus qui loquitur vulgo credita de magnitudine, altitudine, ſepoſito ſitu in oriente. Quod autem probationem afferat exſtantis Paradiſi à teſtimonio experimenta-

N

mentorum, ut loquitur, id refutat ipſe, cum dicit, non innotuiſſe hominibus niſi per primos parentes aut Spiritum propheticum.

De Paridiſi ſitu & habitu juxta ſententiam Pontificiorum, Iuniorum.

DIſputarunt Patres & Scholaſtici varie de Paradiſo, ut ex antecedentibus intellectum eſt. At vulgata invaluit opinio de Paradiſo, I. Fuiſſe in oriente II. Hodie exſtare, III. Amœniſſimum eſſe & omni deliciarum genere affluere, IV. Altitudine ſua aduſque Lunæ orbem pertingere. V. In extremo poſitum eſſe oriente. VI. Diſterminatum ab orbe noſtro, interfluo mari. VII. Inaceſſibilem. VIII. Capacem pro humano genere, quod inibi omne incoluiſſet, ſi ſtetiſſet Adamus. IX. Incoli ab Enoch & Elia. X. Quidam illic interire deque ſeipſa regenerari avem Phænicem arbitrati ſunt. Ut de ignotis & peregrinis regionibus in fingendi licentiam effuſa eſt vanitas hominum. Bellarminus fruſtra ea partim excuſare hyperbolis, partim tegere molitur & defendere. Ne in anguſtias cogatur, ignorari ab hominibus dicit, ubi ſit Paradiſus. Quaſi non in oriente omnis antiquitas poſuiſſet. Hoc ſi dixerunt omnes & credidit Eccleſia ſequitur errore fuiſſe aliquo imbutam. Communiter errabat mundus & hujus erroris detectionem reformationis ſeculis debemus. Cur non cum quibuſdam Pontificiæ communionis rotunde, veritatem fatetur, ut neget Paradiſum exſtare, ſive diluvio ſive alio caſu deletum: fuiſſe autem hortum ſolis primis parentibus deſtinatum? Obſtare potiſſimum videtur, quod Eliam & Enoch in Paradiſo cummorari arbitrentur, inde exituros circa finem ſeculi adverſus Antichriſtum. De quo commento ſuo loco, Deo dante, loquemur. Hortum eum vaſtæ capacitatis fuiſſe pro multitudine poſterorum qui Adamo, ſi non peccaſſet, fuiſſent nati, opinantur. At ego hortum fuiſſe puto, quem colere & cuſtodire poterat unius hominis induſtria, ad uſus ſuos & familiæ. Cur autem Deus pro uno homine unave familia tam nobilem & amænum ſua manu conſevit hortum? Anne ea amoenitate iiſque delitiis fuiſſent carituri poſteri? Nonne omnibus debuit eſſe aditus ad arborem vitæ? Sane arbor ſcientiæ boni & mali nullum habuiſſet uſum, poſtquam tentamini eſſet ſatisfactum. Potuit exſtare Paradiſus, in cœli figuram, licet non incoleretur. Suffeciſſet ab arbore vitæ, quam in Paradiſo Deus plantaverat, ſobolem propagaſſe cum coloniis ſuis Adami poſteros in omnes utriuſque orbis terrarum regiones: ut ejus medicina uterentur. Nullus igitur uſus Paradiſi fuit, patrato lapſu: ut nec eorum ſymbolorum, quæ in paradiſo fuerunt. Superfuiſſe tamen longo tempore ut monumentum rerum prius geſtarum, conditus feliciſſimi, lapſuſque fœdiſſimi credibile eſt. Ideò Cherubini & flammæ aditum pulſis prohibuerunt hominibus. Exſtare hodie Paradiſum inde potiſſimum probant Pontificii, quod Enoch & Elias in eo teneantur. Sed & ex ſententiæ antiquitate. Fruſtra excuſant manifeſtas fabulas per allegoriam & hyperbolen. Hiſtoricæ enim ſunt narrationes & ſententiarum declarationes propriæ. In oriente & occidente credita ea ſunt, ut vera & ſic ſe habentia. Refutavit ea ante ſeſquiſeculum navigatio. Geographus Nubienſis, qui opus ſuum ſcripſit, regnante Rogerio primo, utriuſque Siciliæ rege id eſt ante annum Dom. 1151. quo iſte Rogerius in fata conceſſit, fabulam Paradiſi ſciebat ut Mahumedanus potius quam Chriſtianus. Decima parte climatis ſecundi ex authore mirabilium nugamenta de eo narrat. Nam in flumine Sinarum Chamdan eſſe *arborem ingentem, ſublimem, quæ ferro conſtare dicitur, vocatam lingua Indica, Bacſciul, fabricatamque in profundo fluminis, elevatam ab*

tam ab

tam ab aqua decem ferè cubitis & plus cubito latam, tres habentem in ſummatite ramos craſſos, acuminatos & quaſi ignem acutos. Propè ipſam (ſic narrat) *ſedet homo quidam legens librum ac fluvium his verbis compellans, O plene benedictionum & ſemita Paradiſi: tu emanas è fontibus Paradiſi, quem & hominibus oſtendis. Beatus, qui hanc arborem conſcenderit, ſeque ſuper columnam iſtam dederit præcipitem. Hiſce ſermonibus aliquis vel aliquot ex adſtantibus commoti conſcendunt arborem, ſeque ſuper columnam projicientes incidunt in flumen & necantur: & qui circumſtant homines, precantur ipſis beatitudinem, aſſecutionem paradiſi & gaudia æterna.* Illud flumen Chamdan dicit eſſe maximum fluviorum Sinenſium. Hoc à Gange aliud eſt. Paradiſum terreſtrem confundere cum Cæleſti Mahumedanum eſt, ſed Pontificii Enoch & Eliam in Paradiſo terreſtri degere putant. In regione temperatiſſima ſitum eſſe Paradiſum omnes tenent, quærunt autem an inter tropicos poſſit eſſe temperies aëris. Bellarminus videns ſe nullum aſſignare poſſe convenientem locum, ignorare ſe profitetur. Nempe orientem omnem exploratum & cognitum eſſe ſciebat hodie, aliam plagam ſub alio cardine dicere non poterat, quia ſic damnabat Patres, quos tueri propoſitum ſibi habebat. Lactantius etiam Paradiſum in terris ſupereſſe arbitratur, & in eundem tamen poſt judicium extremum juſtos eſſe revocandos. *Ipſumque Paradiſum*, inquit, *igni circumvallavit: ne homo poſſet accedere; donec ſummum judicium faciat in terra & juſtos viros cultores ſuos in eundem locum revocet morte ſublata, ſicut ſacræ literæ docent & Sibylla Erythræa cum dicit :*

> Οἱ δὲ Θεὸν τιμῶντες ἀληθινὸν, ἀέναόν γε,
> Ζωὴν κληρονομοῦσι τὸν αἰῶνος χρόνον αὐτοὶ
> Οἰκοῦντες παραδείσου ὁμῶς ἐριθηλέα κῆπον.

Sibylla illa locuta eſt ore ſeu calamo imperitiorum Chriſtianæ eruditionis imbutorum autem Platonicis & philoſophicis nugamentis. Eulogius apud Photium in excerptis idem cum Lactantio dicit. Multi tamen Pontificii non audent confidenter aſſerere, quod ſuperſit Paradiſus, probabile tamen eſſe exiſtimant. Unde Tyrius: *Quo verò præciſe orientis loco fuerit vel ſit Paradiſus (nam probabile eſt etiamnum exſtare) voluit Deus hominem latere in pœnam peccati.* Probabile dicit eſſe quia videt eſſe falſum. Aſſerere non fuit auſus, negare noluit. Si exſtet, intactus manſit ab aquis Diluvii. Hoc ut volunt ita anxii modum inquirunt. Duo fluminum, Phiſonem & Geonem de Gange & Nilo; antiqui unanimi conſenſu aſtruunt. Eos fluvios omnes è fonte Paradiſi oriri ſed tres per occultos terræ meatus in noſtro orbe erumpere, ſolum Nilum videri labi è Paradiſo. At quia hodie novimus ſontes Nili, coguntur Pontificii & eum in hoc æquare cæteris. Notabit tyro diſtinctas eſſe quæſtiones. I. Exſtare Paradiſum II. Eſſe vel fuiſſe in Meſopotamia. Primam negant Proteſtantes & cordatiores Pontificii, alteram Pontificii rigidiores, qui erroribus inveteratis nimium addicti ſunt. Quod non exſtet cum Proteſtantibus ſentit Vatablus, Ianſenius, Pererius. Auguſtinus Eugubinus, Hieronymus ab Oleaſtro fuiſſe eum cum Proteſtantibus volunt in Meſopotamia. Bellarminus contendit exſtare. I. quia hæc communis eſt ſententia. II. Quia ibi Enoch & Elias degunt. His duobus fere argumentis ut diximus id conantur adſtruere. Ad primum Peterius reſpondet. 1. In quæſtionibus ad fidem Catholicam non pertinentibus, argumentum à multorum autorum conſenſione deſumptum quod ſit firmum non eſſe. 2. Illos de Paradiſo eá docere, quæ partim ſint incerta, partim ab Eccleſia jam antè damnata, partim ſacris literis contraria. 3. Scholaſticos nihil certi videri ſtatuiſſe. Quod ultimum tamen Pe-

rerio non darem. Scholaſtici enim dubitare non potuerunt de Paradiſi remanentia. Argumenta oppoſitæ ſententiæ ſunt. I. Paradiſum terreſtrem adhuc exiſtere qui dixerunt, nulla probabili vel Scripturæ authoritate vel Hiſtoria vel experientia aut conjectura confirmarunt. II. Si exſiſtat ibi ſit oportet, ubi Tigris & Eufrates fluunt. At non exſtat iniis locis, ut periti locorum teſtantur. III. Aquis Diluvii univerſi ſub cœlo montes cooperti fuere adeoque & Paradiſus. IV. Si manſit incolumis teneute orbem cataclyſmo, illie Noë & familia conſervari potuere, ut opus non fuerit arcam conſtrui & tantis rerum molitionibus. Quid ad ea muginentur, ſuperius viſum eſt. Licet non exſtet, exſtare tamen poteſt aliquod veſtigium iræ cœleſtis in loco illo. Id non affirmo, at Junius eo refert quod Plinius narrat, *Campum Babylonia jugeri magnitudine ardere.*

De quatuor Paradiſi fluminibus.

QUia antiquiſſima ſententia eſt quæ Geonem eſſe Nilum, Phiſonem verò Gangem ſciſcit quaque non admiſſa eſſe in Meſopotamia Paradiſum evincitur, hanc etiam excutiamus. Antiquam eam eſſe opinionem quis negat, cum & Joſephus eam habeat, quem nec ejus eſſe authorem exiſtimandum ſit? Joſephus de Paradiſi fluminibus ita: Ἄρδεται δὲ οὗτος ὁ κῆπος ὑπὸ ἑνὸς ποταμοῦ, πᾶσαν ἐν κύκλῳ τὴν γῆν περιῤῥέοντος, ὃς εἰς τέσσαρα μέρη σχίζεται. Καὶ ὁ μὲν Φεισὼν ὀνομαζόμενος, σημαίνει δὲ πληθὺν τὸ ὄνομα, ἐπὶ τὴν Ἰνδικὴν φερόμενος ἐκδίδωσιν εἰς τὸ πέλαγος, ὑφ᾽ Ἑλλήνων Γάγγης λεγόμενος. Εὐφράτης δὲ καὶ Τίγρις ἐπὶ τὴν ἐρυθρὰν ἄπεισι θάλασσαν. Καλεῖται δὲ ὁ μὲν Εὐφράτης Φορὰ (leg. Φορὰθ) σημαίνει δὲ ἤτοι σκεδασμὸν ἢ ἄνθος. Τίγρις δὲ Διγλὰθ, ἐξ οὗ φράζεται, τὸ μετὰ στενότητος ὀξύ. Γεὼν δὲ δι᾽ αὐτῆς Αἰγύπτου ῥέει· δηλοῖ δὲ ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς ἀναδιδόμενον ἡμῖν, ὃν δὴ Νεῖλον Ἕλληνες προσαγορεύουσιν. *Irrigatur autem hic hortus uno à flumine, omnem in circuitu terram circumfluente, quod in quatuor partes ſcinditur. Et qui Phiſon vocatur, notat multitudinem vox, verſus Indiam delatus, exit in mare, à Græcis dictus Ganges. Eufrates autem & Tigris verſus rubrum eunt mare. Vocatur autem Eufrates* Phora, *notat autem diſperſionem vel florem. Tigris autem* Diglat, *ex quo dicitur cum anguſtia velox. Geon autem per ipſam Ægyptum fluit: notat autem ab oriente editum nobis, quem Nilum Græci vocant*, Etiam Joſepho antiquior Jeſus Syrach cap. 23. Eccleſiaſtici videtur hanc ſententiam ſtabilire: Ἐμπιπλῶν ὡς Φεισὼν πάντα τῆς σοφίας αὐτοῦ καὶ ὡς Τίγρις ἐν ἡμέραις νέων: Ὁ ἀναπληρῶν ὡς Εὐφράτης σύνεσιν καὶ ὡς Ἰορδάνης ἐν ἡμέραις θερισμοῦ. Ἐκφαίνων ὡς φῶς παιδείαν γνώσεως καὶ ὡς Γηὼν ἐν ἡμέραις τρυγητοῦ. Tigrin dicit exundare in diebus novarum frugum id eſt menſe Abib: Jordanem diebus meſſis, Geonem diebus vindemiæ. Quis non exiſtimet, Tigrim & Eufratis ramum Babylona interfluentem eodem tempore attolli? E diſcrimine temporis videtur Geonem ſic diſcriminare à Tigri, ut Geonem pro Nilo accipere oporteat. Conſtat è Strabone Eufratis incrementa cum veris exortu initium habere, augeſcere deinceps & ſumma eſſe circa ſolſtitium: Nili autem incrementa poſt ſolſtitium à Luna nova, quæ poſt id prima eſt, inchoari. Nilum ſane & Eufratem variare incrementorum ratione res certa eſt & Nilum eſſe poſteriorem: at ut tempore vindemiæ in ſummo auctu ſit, quomodo accipi poteſt, cum ex teſtimonio Plinii vindemia poſt æquinoctium autumnale incipiat Nilo jam intra ripas meante. *Nilus ibi* (inquit Plinius) *coloni vice fungens evagari incipit, ut diximus, à ſolſtitio aut luna nova: at primò lentè, deinde vehementius, quandiu in leone ſol eſt. Mox pigreſcit in virginem tranſgreſſo, atque in libra reſidet. Ante vindemiam*

demiam igitur intra habitum ſolitum reducitur. Dicendum forte vindemiam Ægypti ſive adſidentium locorum anticipare Italiam. Quicquid ſit Geonem ab Eufrate ſic diſcriminat filius Syrach, ut cum eo potius jungere voluerit Jordanem. Diverſitas incrementorum & ἀναβάσεως diſiuncta locis eſſe flumina evincit. Quatuor flumina Paradiſi conjungit Syracides cum Jordane, putatque Geonem eſſe Nilum in Ægypto. Vetuſtiſſima igitur eſt ea opinio, quam & editio Græca vetus, quam κοινὴν vocant, ſecuta fuit *Ierem. 2. 18.* ubi aliæ habebant Γηὼν. Dicemusne illos, qui primi verterunt ſacrum codicem ex Hebræo in Græcum, opinatos fuiſſe, quod גיחון Paradiſi ſit Nilus in Ægypto? Si concedamus, non tamen inde evinci poterit ab Eſdra & prophetis, quos Dei Spiritus docuerat, id eſſe edoctos. Nam illa Græca verſio eſt ab ἑλληνισταῖς Judæis, qui parum diligebantur à Judæis Hebraiſſantibus & peculiares fovebant opiniones, nimiumque ſibi indulſere in ſacris voluminibus interpretandis. Illis Græciſſantibus Philonem non Joſephum video adhærere. Alexandrini erant, certe inde ortum habuit verſio Græca, ejuſque uſus in Synagogis. Cum Hieroſolymis eſſent Judæi utriuſque generis, Hebræi & Græciſſantes. Ex illo veteri rancore facilè diſſidium inceſſit ex iniqua, uti videbatur, diſtributione Hebræorum Diaconorum. *Act. VI.* Non miror Græcos patres qui Hebræos adire fontes non poterant, eam interpretationem ſecutos eſſe. Sic igitur Epiphanius ſenſit in ancorato adverſus Originem diſputans: *οὗτος ἀφορίζει εἰς τέσσαρας ἀρχὰς, ὄνομα τῷ ἑνὶ Φεισὼν, καὶ ἑρμηνεύεται Φεισὼν ἐπ' ὄψεσιν ἡμῶν. Καὶ Φεισὼν μὲν ἐστιν ὁ Γάγγης παρὰ τοῖς ἰνδοῖς καλούμενος καὶ Αἰθίοψιν, Ἕλληνες δὲ τοῦτον καλοῦσιν ἰνδὸν ποταμόν. Πᾶσαν γὰρ τὴν Εὐιλὰτ περικυκλοῖ τὴν μικρὰν καὶ τὴν μεγάλην, τὰ μέρη τῶν Ἐλυμαίων. διαπερᾷ δὲ τὴν μεγάλην Αἰθιοπίαν, καὶ πίπτει εἰς τὸν νότον καὶ δύνει ἔσωθεν Γαδείρων εἰς τὸν μέγαν ὠκεανόν.* Quanti lapſus Geographici in iis verbis! Gangen & Indum confundit. Partes Elymæorum circuiri dicit ab hoc amne. Inde eum tranſire magnam Æthiopiam, in Notum ſe convertere & delabi intra Gades in Oceanum. Hoc eſt exitum non videre & angi. Laborare de manifeſta & evidenti abſurditate, aut nihil penſi habere quid dicas. Phiſonem non audet removere ab Elymæorum finibus. Id eſt quod dicimus nos. Quis unquam audivit Indum per Æthiopiam majorem labi aut exire in Oceanum occidentalem? De Geone ſic: *Δεύτερος ποταμὸς Γηών. Καὶ αἰσθητὸν ὁρῶμεν τὸν ποταμὸν καὶ οὐκ ἀλληγορούμενον. οὗτος γὰρ ὁ κατὰ τὴν Αἰθιοπίαν κατερχόμενος καὶ διαπερῶν τὴν μικρὰν Αἰθιοπίαν, Αὐξουμιτῶν τε καὶ Ἀξωμιτῶν καὶ ἐπικλύζων τὰ μέρη Θηβαΐδος καὶ Αἰγύπτου καὶ εἰς τὴν θάλασσαν ταύτην ἐκπίπτων. Εἰ δέ τις ἀπιστεῖ, ἀκουέτω τοῦ Ἱερεμίου λέγοντος. ἵνα τί ὑμῖν καὶ τῇ γῇ Αἰγύπτου τοῦ πιεῖν ὕδωρ Γηὼν τὸ τεθολωμένον.* Vides eum falſum eſſe communi illa editione Græca. In lectione tamen ejus adjicitur τεθολωμένον, quod abeſt communiter. Conjicio LXX. illos, qui dicuntur, ſeu quiſquis in Græcum vertit primus, vertiſſe illud, מי שחור, ὕδωρ τεθολωμένον, id eſt *aquam turbidam*, uti habet Editio Latina Vulgata. Deinde librarium ſciolum adjeciſſe vocem Γηὼν ſive Γεὼν: quia hac voce Nilum notari ſciebat communi interpretatione Moſaicæ deſcriptionis Paradiſi. Ita ad eos interpretes non poteſt referri ea opinio de Paradiſi ſitu, quem talis interpretatio infert. Cenſura Dionyſii Petavii in locum adductum Epiphanii ut libera eſt & φιλαλήθειαν habet, digna eſt, quam repræſentemus: *Mirifica*, inquit *iſthic Geographia eſt. Phiſon idem*, inquit, *eſt cum Gange, qui Indus à Græcis appellatur. Is majorem Æthiopiam permeans & ad auſtrum converſus in Gaditanum Oceanum erumpit. Quod Phiſon ſit Ganges, omnium propè veterum opinio fuit: qua eſt ipſa tamen minimè probabilis. Nam Phiſon eſt Paſitigris alveus. Indum verò cùm Gange permiſcere & eundem in Gaditanum Oceanum*

circumducere nimis eſt abſurdum. Deinde. *Secundus fluvius eſt* גיחון *LXX.* Τιν'. *Quem Nilum eſſe plerique Patres exiſtimarunt, interque cæteros Epiphanius cum hie tum in epiſtola ad Iohannem Hieroſalymitanum. Sed immerito, uti Pererius noſter aliique demonſtrant, quarum ſunt accuratiſſimi ea de re commentarii.* Subjicit: *Theophylus lib. 11. ad Autolycum à Geone propagari Nilum aſſerit.* Amo φιλαλήθειαν Petavii, qui non eſt veritus diſcedere à Bellarmino, dogmatiſta gregis illius & Pontificiæ ſectæ univerſæ. Audet etiam contradicere Eccleſiaſtici libro, qui evidenter Geonem de Nilo accipit. Eum autem Concilium Tridentinum inter canonicas habet ſcripturas. Diſcedere audet à graviſſimis ſcriptoribus iiſque multis imo doctorum omnium concordi pene conſenſu. Hieronymus hic & Auguſtinus cum Ambroſio, Iſidorus, Damaſcenus, Rabanus, Eucherius, Rupertus, Gloſſa interlinearis & quis non? Omnes Geonem de Nilo, Phiſonem de Gange accipiunt. Iſidorus Scholaſticorum Pater & conſarcinator communis Patrum Doctrinæ, Paradiſum ſic deſcribit, *Paradiſus eſt locus in orientis Partibus conſtitutus: cujus vocabulum ex Græco in Latinum vertitur* hortus. *Porrò Hebraice Eden dicitur, quod in noſtra lingua,* delitiæ *interpretatur: quod utrumque junctum facit hortum dilitiarum. Eſt enim omni genere ligni & pomiferarum arborum conſitus, habens etiam lignum vitæ. Non ibi frigus, non æſtas, ſed perpetua aëris temperies. E cujus medio fons prorumpens totum nemus irrigat: dividiturque in quatuor naſcentia flumina. Cujus loci poſt peccatum haminis aditus interclaſus eſt. Septus eſt undique rhomphæa flammea, id eſt, muro igneo accinctus, ita ut ejus cum cælo penè jungatur incendium. Cherubim quoque id eſt angelorum præſidium arcendis ſpiritibus malis ſuper rhamphææ flagrantia ordinatum eſt: ut homines flamma, angelas vero malos angeli boni ſubmaveant: ne cui carni vel ſpiritui transgreſſionis aditus Paradiſi pateat.* Flumina Geon & Phiſon ita deſcribit: *Geon fluvius Paradiſo exiens atque univerſam Æthiopiam cingens vocatur hoc nomine, quod incrementa ſua inundationis terram Ægypti irriget.* γῆ *enim Græcè, Latinè* terram *ſignificat. Hic apud Ægyptios Nilus vocatur, propter limum, quem trahit qui efficit fecunditatem. Unde & Nilus dictus eſt quaſi* νέα ἰλύς. *Nam anteà Nilus Latine* Melo *dicebatur. Apparet autem in Nilide lacu. De quo in meridiem verſus excipitur Ægypto. Ubi aquilonis flatibus repercuſſus aquis retro luctantibus intumeſcit & inundationem Ægypti facit.* Qui hoc convenit, quod Nilum latine *Melonem* fuiſſe vocatum aſſerat? Eſt ne Melo vox Latina? Μέλαν ſane Græca dictio eſt reſpondens Hebrææ שיחור. Vult in Nilide lacu emergere Nilum, cum ſit ejus prima effuſio & reſtagnatio. At ibi emergere exiſtimant, quia primam originem deputant Paradiſo. De Gange ſic loquitur; *Ganges fluvius, quem Phiſon ſancta ſcriptura caguominat, exiens de Paradiſa exit ad Indiæ regiones. Dictus autem Phiſon id eſt* caterva, *quia decem fluminibus magnis ſibi adjunctis impletur & efficitur unus, Ganges autem vocatur à rege Gangario Indiæ. Fertur autem Nili modo exaltari & ſuper orientis terras erumpere.* Deinde Eufratem & Tigrim Paradiſo adſcribit, ut ex eo orientes. Si Nilus è Paradiſo oriatur, facilis erit ſolutio ad quæſtionem de Nili fontibus, quam Veteres valde agitarunt. Id Cæſarem cupiiſſe magnopere Lucanus dicit, ut ſciret Nili originem.

Sed cum tanta meo Vivat ſub pectore Virtus,
Tantus amor Veri, nihil eſt, quod noſcere malim
Quam fluVii cauſas per ſecula tanta latentes,
Ignotumque caput: ſpes ſit mihi certa Videndi
Niliacos fontes; bellum civile relinquam.

Ægypti

Ægypti ſapiens gloriatur :

Et te terrarum neſcit cui debeat orbis.
Arcanum natura caput non prodidit ulli,
Nec licuit populis parvum te Nile videre,
Amovitque ſinus & gentes maluit ortus
Mirari quam noſſe tuos.

Hic facilis ſolutio, quam & adhibent Conimbricenſes doctores in Meteora Ariſtot. tractatu 9. cap. 10. *Vera ſententia eſt Nilum fontem habere in terreſtri Paradiſo.* Addunt: *Cum igitur aditus in terreſtrem Paradiſum, tam Adamo, quam ejus poſteris divino imperio intercluſus fuerit, nihil mirum, ſi hactenus extremum Nili fontem nemo invenerit, etſi eum quidam curioſe ac diligenter inveſtigarint.* Pauſanias in Corinthiacis (laudantibus illis Conimbricenſibus) teſtatus eſt non deeſſe, qui ex Eufrate terra condito ac poſteà ſupra Æthiopiam prodeunte, Nilum effici exiſtiment. Quemadmodum fluvium Paradiſi, circumeuntem terras, edere quatuor flumina Joſephus putat, ita quidam arbitrati ſunt Nilum ex Oceano Atlantico ad extremum meridiem manare. His benè reſpondet Herodotus: Ὁ δὲ περὶ τοῦ Ὠκεανοῦ λέξας. ἐς ἀφανὲς τὸν μῦθον ἀνενείκας οὐκ ἔχει ἔλεγχον. οὐ γάρ τινα ἔγωγε οἶδα ποταμὸν Ὠκεανὸν ἐόντα. Cum tam antiqua ſit ſententia interpretantium flumina Phiſon & Geon de Gange & Nilo, anne illi manus dandæ ſunt? Summus vir Grotius antiquitatem negat aut negare videtur, cùm illis, qui locum Eccleſiaſtici non intelligunt de Nilo aut Gange, ſed de illis partibus aquarum, in quas Eufrates & Tigris defluunt. Nempe libro illi, cum nimiam deferant authoritatem ne conſtricti teneantur adverſus manifeſtam veritatem, meliorem vero ſenſum attribuunt. Mirificus enim vir eſt Hugo Grorius, qui ſtercora Philonis Judæi hic propoſuit, tanquam Eccleſiæ veteris ſenſum. *Nominat*, inquit, *hic quatuor flumina Moſi in Edenis deſcriptione memorata. His addit Iordanem. Vide, quæ ad Geneſin dicta. Cujus loci ἀλληγορίας (is libri titulus) explicans Philo, ſecundum veteres Hebræos, Edenem interpretatur Dei ſapientiam: quatuor fluminis partes, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, juſtitiam. Iordanes vero flumen judicii ſignificat & refertur ad ingenii ſagacitatem.* Si poſſum perſpicere conſilium viri, in hac adnotatione in eo eſt, ut ſtabiliat nihil cæleſtis & ſpiritualis promiſſi habuiſſe primos eos parentes, nec Paradiſum fuiſſe cœli figuram, quia ſignificat ſapientiam, cui operam dare oportet hominem. Non opus eſt negare aut torquere ſenſum verborum Eccleſiaſtici, inquirendum in rationes, quia authoritatem divinam non obtinet nobis. Cur Phiſon erit Ganges? Quia circuit univerſam terram Hevila, quam Indiam eſſe putabant. India autem Gange medio dirimitur & inundatur, incipit ab Indo. Indum noluerunt intelligere per Phiſonem, quia terminat ab occaſu Indiam, eamque non magis quam occidentalem accubantem terram circuire videtur. Sed & Hevila eſt ad ripam Paſitigris. Ita per Chus intellexerunt Æthiopiam ſupra Ægyptum cum & Aſiatica ſit Arabiæ vicina & Babyloniæ. Tam futili & nihili fundamento nititur Paradiſi è Meſopotamia expulſio. At ſecundo & illud dicunt; In Meſopotamia non oriri iſta flumina, ne quidem Eufratem & Tigrin. Moſes autem non dicit ea flumina ex Paradiſo oriri, ſed egreſſum è Paradiſo fluvium aliquem in quatuor fluenta diſpeſci. Tertio, Enoch & Eliam in Paradiſo

diſo degere fabulantur. Quod dicitur ſed commento reprobando, ut probabimus ſuo loco. Conſenſus & multitudo errantium non parit errori patrocinium. Cedat etiam vetuſtas vincat ratio. Judæi multi Phiſonem non Geonem de Nilo interpretantur & hoc apud eos antiquum, ut plurimæ fabulæ. Vide Aben-Eſdræ & Salomonis Jarchii Commentaria in caput ſecundum Geneſeos. Et Breſith Rabba apud Buxtorfium in Lexico Thalmudico vocabulo פישון. De temporibus & locis hactenus fere diſſeruimus: ipſarum rerum expoſitionem dedimus in Heptaëmero, cujus iterata editio (Deo volente) plenius huic negotio ſatisfaciet.

DE PRIMA

DE PRIMA MUNDI ÆTATE.

SULPITII SEVERI Hiſtoriæ Sacræ, *LIBER PRIMUS.*

CAPUT SECUNDUM.

DEinde ex his Cain atque Abel naſcuntur. Sed Cain impius fratrem interemit. Filium Enoch habuit, à quo primum civitas condita eſt autoris nomine vocitata. Ex hoc Irad atque ex eo Maniaël naſcitur. Hic Mathuſalam filium habuit. Iſque Lamech genuit, à quo juvenis quidam occiſus traditur, nec tamen nomen refertùr occiſi. quod quidem futuro myſterio fuiſſe præmiſſum à prudentibus æſtimatur. Igitur Adam poſt necem filii minoris, Seth filium procreavit, cum jam triceſimum & duceteſimum annum ætatis impleſſet. Vixit autem annos DCCCCXXX. *Seth verò Enos, Enos Cainan, Cainan Malaleel, Malaleel Iared, Iared Enoch genuit: qui ab juſtitiam tranſlatus à Deo traditur. Hujus filius Mathuſala dictus eſt, qui Lamech genuit: ex quo Noë natus, juſtitia egregius & præ cæteris mortalibus Domino carus acceptuſque.*

DRUSIUS.

CAin] κτῶμαι τ᾽ קָנָה *poſſideo acquiro.* Etymologia hæc vera eſt, quamquam dura. Mater enim quum eum pareret dicebat, *Acquiſivi virum cum Domino.* Senſus eſt *Domini* ope atque auxilio, ſive quod idem, *Domino* auxiliante: & *virum* ſexu, hoc eſt maſculam prolem. Gaudebant enim de tali prole veteres. Quin hodieque mares feminis anteferuntur. Ridiculè quidam *Acquiſivi virum* Dominum. Quod Ebraicè diceretur את איש את יהוה repetito articulo.

Abel] Anteà monui ſcribendum eſſe Habel, cum aſpiratione: quod nunc legunt Hebel extra pauſam. Pauſam voco accentum majorem diſtinguentem. Hebel id eſt vanitas. Recepta ſcriptura impoſuit Joſepho & aliis,

qui Abel πένθος interpretantur. Id enim ſignificat Ebel ſive Abel ultima correpta. Nam Abel ultima producta id eſt lugens.

Cain impius] רשע improbus aut impius proprie. Dicebat enim teſte Jeroſolymitano, *non eſt judex neque judicium, neque pœna neque futurum ſeculum &c.*

A quo primum civitas condita] errat. Non enim à filio condita fuit ſed à patre, qui eam de filii nomine Henoch ſive Henochiam appellavit. Res nimis clara. Tamen in eundem lapidem impegit Cajetanus ita ſcribens, *Alter Henoch primus, inter malos primum locum obtinet, in terra condit civitatem: radicem ſpei ſuæ ponit in terra. Hujus urbis*, inquit Nauclerus, *hodie maxima & ingentis molis fundamenta viſuntur juxta montem Libanum & vocatur ab incolis civitas Cain, ut noſtri mercatores & peregrini referunt, qui in Damaſco & Libano ſunt aſſueti; ſecundum Ioh. Viterbienſem.* Fides horum penes Viterbienſem eſto. Is patrum memoria nobis obtruſit Beroſum & multis impoſuit. Unde apud me non eſt plane ἀξιόπιστος. Sed quare Cain urbem condidit? An ut in ea tutus eſſet? Sunt qui ſcribant eum in perpetuo metu fuiſſe, verentem ne homines, qui tunc omnes fratres aut fratrum filii erant, cædem Habeli conſanguinei ſui vindicarent. Atque hoc initium fuit, ut putatur, condendarum urbium.

Autoris nomine vocitata] Hic autor conditorem ſignificat. Nam, qui aliquod opus condidit, autor dicitur. Cicero: *Præclarus iſte autor ſuæ civitatis.*

Vocitata] pro *vocata.* Cicero, *Demetrius, qui Phalereus vocitatus eſt.* Plautus, *Pægnium vocitata eſt.* Rurſus Cicero: *Quas noſtri ſeptem ſoliti vocitare triones.* Infra. *Quem in chronicis Evilmerodach fuiſſe vocitatum reperi.* Et: *Rex Nabuchonoſor à Iudæis vocitatus eſt.* Sic *Artaxerxe rege imperitante*, pro imperante.

Irad] Miror, ſi hoc ita ſcripſit Severus, ſi non tranſſcripſit ex novella Hieronymi. Nam in libris omnibus Græcis eſt γαιδαδ (ita ſcribendum non γαϊδαδ cum diæreſi) Gen. 4. 19. ut & apud Auguſtinum de civitate Dei lib. 15. cap. 20. Gaidad. In qua ſcriptura primum Ain per γ expreſſa, ut in עזה Gaza & ſimilibus: deinde Daleth lectum pro Res, qui error frequens eſt in illis libris. Nam affinitas magna inter has literas: quæ teſte Hieronymo, tantum apice diſtinguuntur. Poſtremò chirec longum per αι expreſſum, ut Tſeri in Enrogel, Αιρωγὶλ: Engaddi, Αιγαδδὶ &c.

Maviael] in Hieron. Quem forte Severus nunc ſecutus eſt. Nam in Græcis Μαλελεὴλ, perſpicuo errore cum Maleleel alius fuerit. Unde Gen. 5. 13. Editio ad exemplar Complutenſe Μαιήλ. Fortè legi debet Μαυϊαὴλ, vel certe Μαυιὴλ, id eſt, מְוִיָּאֵל. Nunc legunt aliis apicibus מְחוּיָאֵל Mehujael vel Mahujael. In Auguſtini loco citato Mavichel (aliàs Mavihel) ut apud Euſebium Mevia & Maviael. Hoc poſterius correctum videtur ex Hieron. editione. Debet autem legi per u vocalem & j conſonam. Vulgò Meviahel, inſerta adſpiratione, quæ hic conſiſtere nequit, non magis ſane, quam in Johel & ſimilibus. Quæ ita ſcribuntur contra conſuetudinem utriuſque linguæ. Nam & Aleph eſt apud Ebræos & Græci dictiones in medio rarò aut nunquam adſpirant.

Mathuſalam] Alibi eſt Mathuſalem, ut etiam apud Euſebium. Sed in codicibus Græcis Μαθουσάλα. Nec aliter Joſephus. Quanquam in verſione antiqua, quæ Rufini eſſe creditur, Mathuſael. Scholia Græca admonent mendum librarii eſſe in Μαθουσάλα reſcribendumque Μαθουσαλὰ, cum accentu in ultima. Nam alium ex poſteris Seth Μαθουσάλα dici, accentu in penultima.

Ebræi hunc nominant מתושלח Mathuſale vel Mathuſala: illum verò, qui ex poſteris Cain, מתושאל Mathuſaël ſeu Mathuſaël.

Lamech] Λαμεχ, primus duas uxores duxiſſe legitur, quarum uni nomen Ada, & alteri Sella. Ex his tres filios genuit, videlicet ex Ada Jubal & ex Sella Thubalcain. Moſes Gerundenſis ait hunc Lamechum fuiſſe verum ſapientem, qui docuerit maximum natu artem paſtoritiam & proximum ab eo Muſicam, tertium vero artem poliendi ferrum & æs. Vide Gen. 4. 19. & deinceps. ubi in verbis illis, *Pater habitantium in tentoriis &c.* Et, *Pater canentium cithara & organo*, vocabulum *pater* ſignificat primum autorem inventoremque. Quod ſi verum profectò Lamech non invenit artes illas, ſed ipſius filii.

A quo juvenis quidam] Νεανίσκος adoleſcentulus. Sic Hieron, & Lxx. Verba ſunt: *Occidi virum & juvenem*, id eſt virum juvenem. Nam unum duntaxat occiſum fuiſſe, præter Severum noſtrum, Theodoretus & Auguſtinus prodiderunt: Alii duos occiſos volunt. Sunt etiam qui referunt *non occidi Virum.* Quidam, *occidam*, id eſt, occidere poſſem ſi vellem, tantum in me roboris. Qui vertunt (onkelos in his eſt) *non occidi Virum* &c. Verba Moſis legunt cum interrogatione, Occidi Virum? quaſi diceret minime. Multi fabulantur occiſum fuiſſe ab eo Cainum & deinde alium juvenem ductorem ejus. Hunc Thubalcain fuiſſe conjiciunt. Fabula refertur à Salomone Jario Ebræo & in faſciculo temporum & apud Rabanum Strabumque & alios. Locus autem eſt Gen. 4. 23. Quem ſic ex Ebræo non malè convertas, *Occidi virum pro vulnere meo & juvenem pro livore meo.* ילד, puer, adoleſcens, juvenis, à naſcendi conditione. Sæpius ætatis eſt. Aliquando natum denotat, ut quidem ſumitur ea vox in illo Plauti, *natus nemo in ædibus.*

Nec tamen nomen refertur occiſi] in textu ſacro. Cæterum interpretes nonnulli eum nominant Thubalcain, ut diximus. Quod non videtur mihi veriſimile, cum dicat puerum vel juvenem: vel: ſi mavis, adoleſcentulum. Dixiſſet enim certè natum meum aut filium meum. Nam unus ex filiis ipſius erat. Jam verò quod de Caino comminiſcuntur, æquè vanum videtur. Siquidem Caino nota appoſita fuit, ne, ſi quis in eum incidiſſet, occideretur. Gen. 4. 15. *poſuitque Dominus in Cain ſignum* &c. Quod quidem futuro myſterio fuiſſe præmiſſum à prudentibus æſtimatur] Myſterium hoc aperit Hyeronimus. Cujus hæc verba ſunt in gloſſ. ordin. *Ajunt ab Adam uſque ad Chriſtum generationes eſſe* LXXVII. *ſecundum Lucam. Sicut ergò ſeptima generatione peccatum Cain ſolutum eſt (non enim judicâbit Deus bis in id ipſum & qui ſemel receperit in vita ſua, non eoſdem cruciatus patietur in morte, quos paſſus eſt in vita ſua) ita & Lamech, id eſt, totius mundi peccatum Chriſti ſolvetur adventu.* Et Alcuinus ſive Albinus Caroli magni præceptor, *peccatum Lamech, qui interpretatur humiliatus, ſignificat dejectionem humani generis, quod prævaricante Adam corruit: nec per legem vel per circumciſionem, nec per ſuam juſtitiam ſurgere potuit, donec poſt ſeptuaginta ſeptem generationes, ſecundum Lucam, Chriſtus in mundum veniens effuſione ſanguinis peccatum delevit. Vnde Matthæi 18. c. 22. Non dico tibi ſepties ſed uſque ſeptuagies ſepties, hoc eſt Iudæum recipiendum eſſe poſt LXXVII. vindictas, ſi reſipuerit & Chriſti indulgentiam quæſierit.*

Seth filium procreavit] Præter hunc & alios duos, qui prætereà in ſacris memorantur, putatur genuiſſe filios triginta. Qua in ſententia fuit B. Auguſtinus, ut paret ex libris de *civit. Dei.* Sed Methodius centum filios edidiſſe tradit (mirum unde habeat) Filias quoque abſque dubio multas procreavit. Samuel Solem, in Johaſin. fol. 134. pag. 2. *Poſtquam genuiſſet Seth, genuit*

filios & filias ſecundum opinionem gentium (Chriſtianorum) *ſexaginta.* Philo in libro antiquitatum: *Initio mundi Adam genuit tres filios & unam filiam. Vixitque poſtquam genuit Seth, annos 700. & genuit filios 12. & filias 8.* Vide *Gen.* 5. 4. Hem, penè, exciderat, in Medras Ruth, *Adam primus creatorum; Cain primus occidentium; Abel primus occiſorum; Noë primus eorum, qui evaſerunt; Abram primus circumciſorum* &c.

Seth] dictus παρὰ τὸ Sath poſuit. Mater enim impoſuit ei hoc nomen dicens, *Quia poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Habel, quem occidit Cain.* Gen. 4. 25. Id pro eo habendum ac ſi dixiſſet dedit mihi ſemen aliud. Nam dare & ponere ſe mutuo explicant. Quod ita notum ut nihil magis.

Cum jam triceſimum & ducenteſimum annum ætatis impleſſet] Conſentit Joſephus. Ebræi codices habent *triceſimum & centeſimum.* Sed Paulò poſt ubi Adam dicitur vixiſſe poſt genitum Seth annos ſeptingentos, iidem referunt octingentos, ita conveniunt in numero annorum, quibus vixit Adam. vide Gen. 5. 2.

Enos] Ἐνώς. Hujus ævo cœptum eſt invocari nomen Domini Gen. 4. 26. Hoc eſt, inſtituti fuerunt certi ritus colendi Dominum, Verba Moſis alii reddunt, *pollutum fuit invocando nomen Domini.* Nam tum, inquiunt, homines cœperunt colere Deos falſos. Prior expoſitio verior meo judicio. In libro nominum *Enos, homo.* Rectè. Appellatio à dolore. Nam *Anas*, doluit. Nomen cum re convenit. Eſt enim animal ærumnis plenum. Imò ipſa ærumna & calamitas, ut eſt apud Herodotum. Minus rectè Euſebius Ἐνὼς ἀληθὴς ἄνθρωπος. Non enim magis denotat verum hominem, quam Adam. In eodem, Enos, ἐπιλήσμων, tanquam à נשה oblitus fuit. Quo accommodabis illud Davidis, *Quid mortalis, ut ejus memor ſit?* Nam Enos in fonte.

Cainan] ita reſtituit Gelaſinius, cum prius eſſet Nainan, perſpicuo errore ſcribarum. Nam in LXX. Καϊνᾶν ſive Καινάν: Sed perperam Καϊνᾶν in ed. Rom. Hieronymus quoque Cainan habet, id eſt, קֵינָן Quod nunc legunt קֵינָן. Sæpe hoc modo αι & η permutantur. Mortuus eſt, teſte Judæo Salmanticenſi, anno mundi 1235. Idem ejus mentionem uſurpari ait in hiſtoria Ebraica lib. 2. cap. 11. Verba ſunt, *Quum veni ad terram Pharſiacon dictam, quæ eſt regio India, in inſula quadam maris offendi homines non diſſimiles fœminis, qui piſcibus veſcebantur, lingua Græca utentes. Hi narrarunt ſepultum ibi eſſe regem antiquum, cui nomen Cainan, filium Enos: qui ante diluvium regnabat ſuper totum mundum.* Erat autem vir ſapiens & multarum artium callens, dominabaturque in ſpiritus & dæmones, eoſque, quos Mazikim appellant, id eſt, מזקים, propterea, quod noxam inferant hominibus. Is cognovit per ſapientiam ſuam Deum inducturum diluvium ſuper terram. Itaque ſcripſit in tabulis lapideis, id quod futurum erat, uſus ſcriptura Ebraica. Idem ſcripſit in tabulis illis tempore ſuo oceanum inundaſſe tertiam partem orbis, ut in diebus Enos filii Seth filii Adam &c.

Malaleel] malim, Maleleel. Nam in Græcis LXX. μαλελεήλ. Quanquam Hieronymo Malaleel. Codices Ebræi habent Mahalalel. Obiit anno M. 1290.

Jared] In pauſa facit Jared: Unde Ἰάρεδ in Bibliis Græcis. Jered, Jared; ut Hebel, Habel; Pheres, Phares. Deceſſit anno M. 1422.

Enoch] adſpirandum ut ſit Henoch. Quod nunc legunt Hanoch. Mentio hujus in epiſtola Judæ apoſtoli, verſ. 14. *Prophetavit autem* de his ſeptimus ab Adam Enoch, dicens, Ecce venit &c. Unde colligimus, quædam abs eo ſcripta quæ nunc non exſtant. Niſi fortè an Judas ea ſumpſit ex libro Apo-

Apocrypho, qui ſub Enoch nomine notus erat in veteri Eccleſia: cujus etiam Ebræus Manahem aliquando meminit.

Ob Juſtitiam] alius mallet, *ob pietatem*. Nam ut demus verum pium etiam juſtum eſſe, tamen aliud juſtitia & aliud pietas. Hæc Deum reſpicit propriè, illa homines. Legimus quidem certè, *Ambulavit* Henoch cum Deo. Quæ verba magis vitam innuunt piam quam juſtam. Vide Gen. 6. 9. & Mich. 6. 8. Scire licet juſtitiam dici aliquando ipſam virtutem, in qua & pietas: unde *vir juſtus*, id eſt, bonus & virtute præditus. Ambulare cum Deo eſt, quod Perſius dixit *vivere cum Deo*. Vivit cum Deo, qui ſecundum virtutem vivit, ſive ut planius loquar, qui ad Dei voluntatem vitam inſtituit.

Tranſlatus à Deo traditur] Gen. 5. 24. Tranſlatus autem fuit *ne videret mortem*. Hebræor. 11. 5. Ne malitia mutaret intellectum ejus. Sap. 4. 11. Dicit R. Ibbo, modo juſtus erat, modo improbus. Dixit Deus laudandus, dum ipſe juſtus eſt, transferam eum. Ex Breſith Rabba cap. 25.

Tranſlatus, μετετέθη uſi ſunt hoc verbo præter Apoſtolum, Jeſus Syrach. Eccleſ. 44. 18. & autor Sapientiæ loco citato: qui etiam uſurpat verbum ἡρπάγη id eſt raptus fuit, ut Sirachides Eccleſ. 49. 14. verbum ἀνελήφθη, ſublatus vel aſſumptus fuit. In Moſe habetur לקח accepit, tulit: & in Geneſi magna, אסלקנו aſcendere faciam eum, id eſt auferam ex medio vel tollam in altum. Sed quo tranſlatus fuit? in cælum an in paradiſum? Hoc ille novit, qui tranſtulit. Noſtrum non eſt in ea, quæ nos cælata voluit, anxiè inquirere. Porro tranſlatus eſt anno Mundi 987. qui erat poſt obitum Adæ 57. Vixit igitur cum eo annos 308. autor Salmanticenſis.

Mathuſala] μαθουσάλα, qui & Mathuſale; unde Mathuſalem. Critici Ebræorum legunt Mathuſala. Vixit uſque ad annum diluvii, ut Hieron. tradit. Nam quod LXX. interpretes poſt diluvium annos XIV. ei tribuunt, error eſt in numeris, cum octo tantum animæ poſt diluvium conſervatæ ſint videlicet Noë cum uxore, tribus filiis & totidem nuribus. Hieronymi ſententiam roborat Salmanticenſis per hæc verba, *Annus diluvii erat 1656. eo implevit Mathuſala juſtus annos ſuos & mortuus eſt paulò ante diluvium.* Et mox, *Deus exſpectavit adhuc ſeptem dies. quibus durabat luctus Mathuſala: poſt adduxit ſuper eos aquas diluvii.* Quæ habentur & in Breſith Rabba ſectione Noach ad locum, *Et fuit poſt ſeptem dies*, his verbis concepta: *docet hic locus Deum ſuſpendiſſe ſeptem dies luctus ipſius Mathuſale juſti, ut facerent pœnitentiam & non fecerunt.* Mortuus eſt ſeptem diebus ante diluvium. Samuel Solem in Johaſin fol. 134. pag. 2.

Lamech] ſepultus fuit an. mundi 1554. ut eſt apud Salmanticenſem. Quod aliis examinandum relinquo. Nam in eôdem, Mathuſale ſepeliit filium ſuum quinquennio antè diluvium. Quæ ſi vera, ſepultus fuit ann. Mundi 1651. Quod autem in codicibus Ebræis, *Lemech*, ſimile eſt Hebel, Habel, Jered, Jared.

Noë] Noë an Noa dicas parum refert. Illud antiquum eſt, hoc recenti conſuetudine ſcriptum. Recentem voco, quæ à temporibus Maſſoritarum inolevit, quando primum cæpta ſunt biblia legi cum adſcriptis punctis vel apicibus. Qui Noach ſcribunt perperam ex eo declinant Noachus, cum dicendum ſit Nochus; ſicut à Ruach dicimus Ruchoth, non Ruachoth. Noë decimus ab Adam, natus eſt anno mundi 1056. anno ſexcenteſſimo poſt exſtitit diluvium. Ab Adam ergò uſque ad diluvium anni ſunt ſecundum Ebræos 1656. Quod ex hac tabula planum fiet.

Adam genuit Seth ann. ætatis	130
Seth genuit Enos ann.	105

Enos genuit Cainan ann.	90
Cainan genuit Malaleel ann.	70
Malaleel genuit Jared ann.	65
Jared genuit Henoch ann.	162
Henoch genuit Mathuſale an.	65
Mathuſale genuit Lamech ann.	187
Lamech genuit Noe ann.	182
Summa annorum.	1656
Vixit Noe poſt diluvium annos.	350
Summa igitur annorum vitæ ipſius.	950

Unde & illud ſequitur, mortuum eſſe anno mundi 2006. Nomen inditum ei à patre, qui dicebat; Iſte conſolabitur nos &c. Gen. 5. 29. Quocirca R. Salomo arbitratur decurtatum eſſe ex נחם *conſolatio*. Sed in libro nominum, *Noë requies:* Et Hieron. in Quæſt. Ebraic. *dictus Noë quia* ſub illo omnia retro opera per diluvium quieverunt. Hinc ſolatium. Habetur ergò ratio ſenſus, non vocis.

Juſtitia egregius] Gen. 6. 9. *Noë vir juſtus integer erat in ætatibus ſuis.* Et præcæteris mortalibus Domino charus Ibidem *cum Deo ambulavit Noë.* Id valet, ex Dei præſcripto vixit; aut ad Dei voluntatem vitam egit. Tales, quin Deo præ cæteris chari & accepti ſint, non dubitabit, qui rerum divinarum vel mediocrem peritiam habet.

Schotanus:

Geneſ. cap. IV.

IN hoc capite Sulpicius notat tria; Primum de Cain & Abel conjunctim. Secundum de proſapia Cain. Tertium de poſteritate Seth. Priuſquam ea ſigillatim explicemus, pro ingreſſu notandum, in quò ſtatu homines iſtius ætatis egerint. Eccleſiaſticus ſtatus hic erat: Deus ipſe ad homines ſua voce loquebatur, ſine uſu ſcripturæ canonicæ. Aut ſi aliquis fuerit exiguus erat, nec ſancitus ad poſteritatem in omne ævum, ut poſt Moſen. Oracula illa Dei & quotidiana alloquia, non videntur fuiſſe ejuſmodi, ut fuerunt prophetarum poſt tempora Moſis per ἔκστασιν & ſomnia, at videntibus & vigilantibus uti evenit Moſi & in illo deſiit. Num. xii. 8. Certos conventuum dies habuiſſe videntur & hos ipſos ſeptimo die, in creationis memoriam: ubi ſæpe adfuiſſe Deus & locutus illis eſſe videtur. Erexiſſe etiam aras peculiares unumquemq; & ubi commodum erat immolaſſe. Quemadmodum exemplo Cain & Abel docemur. Sacrificii cultum docuerat Deus & animalium mundorum immundorumque diſcrimen. Dicunt Judæi ſex præcepta Adamo data eſſe. Judicia publica, benedictionem numinis, vitationem idololatriæ, non revelandæ turpitudinis, homicidii, furti. Hæc ſunt moralia, cerimonialia fuerunt illa de ſacrificiis eoque pertinentibus. Sacramentum illis nullum niſi in ſacrificiorum typis, nec ordinarium nec extra-ordinarium, ut in mundi infantia. Hominum genus per familias πατριὰς, tribus diviſum à patribus ſuis regebatur. Laxa igitur & ſine ſcriptis legibus diſciplina, agebant, Deo fere Eccleſiæ diſciplinam & ſpiritualem coercitionem exercente ipſo. Jus primogenituræ Deus quoque inſtituit, in qua Meſſias præfiguratus eſt. Caſtitas matrimoniorum valuit, quam primus Lamech videtur polluiſſe. Conjugia etiam ſororum neceſſitas in uſu eſſe voluit ipſo initio, quæ mox creſcente numero hominum in poſteritatem omiſſa fuêre. Artes invenit hominum induſtria adjuvante longa ætate annorum, qua vita ad octo & ultrà

novem

novem ſecula producebant. Ignem & linguam Deus ipſe docuiſſe videtur, ſine quibus vita hæc non conſiſtit. Sermonem Hebræum inſtillavit Adamo & Hevæ, eorumque mentibus inſevit. Illi liberos ſuos uſu docuêre. Quamvis igitur non illis artibus initio humana vita exculta & ornata eſſet, quibus eam hodie videmus neceſſaria tamen non deerant. *Paſcere enim* pecora & agrum colere ab ipſis primordiis noverant.

Prima Mundi ætas habuit decem generationes.

Adam,	annorum	130.
Seth,		105.
Enos,		90.
Cainan,		70.
Malalehel,		65.
Jared,		162.
Enoch,		65.
Mathuſale,		187.
Lamech,		182.
Noë,		500.

Generatio Prima

Adam.

CAIN] Nomen ejus deducitur ab Hebræo קנה. Eo ipſum Eva mater vernaculo ſermone appellari voluit. Vernaculus illis erat, quem in creatione inſeverat Deus. Quæſitum eſt, quis inter homines primus ſermo exſtiterit? Unde antiquitatem inquirere voluerunt. Quod ineptum eſt. Nam fuit aliquis, primus, ſed nullus naturalis. Habitu infuſo Adam & Eva Hebræum ſermonem à Deo habuerunt. Voces non ſignificant φύσει ſed συνθήκῃ. Quemadmodum in principio chriſtianiſmi linquarum loquelam variarum inſpirabat, repetitis actibus, ita Adamo & Hevæ dedit perpetuo habitu ſcire ſermonem illum. Si lingua quædam per naturam eſſet, ea ſine inſtitutione per ætatem ſe proderet, eſſetque ut voces & ſoni animalium brutorum, affectuum ſignificatrices: at nunc ſurdi, quibus lingua non eſt impedita, nullum ſermonem loquuntur. Perſuaſum vulgus eſt, ſermonem Hebræum eſſe à natura, adeò, ſi infantes vernaculum à matribus non docerentur, Hebræo locuturos. At quod à natura eſt, hærebit, etſi aſſuetudo accedat aliorum, neque enim unius linguæ notitia aliam expungere & exſtinguere poteſt, ſi valeat memoria & adhibeatur uſus. At quod à natura habemus, uſu ad ſui conſervationem non indiget. Naturalem aliquem ſermonem eſſe pleriſque eſt perſuaſum & olim perſuaſum fuit. Quia ſcire non poterant & viſum eſt miraculi habere inſtar, ſi accipiat homo, quod nec conſuetudo nec natura daret. In primis hominibus & primus ſermo, è conſuetudine eſſe non potuit, naturam igitur eum dediſſe arbitrati ſunt. Ex ea opinione Pſammetichus rex Ægypti (ſi fides Herodoto) cum non poſſet ſciſcitando ἀνευρεῖν οἳ γενοίατο πρῶτοι ἀνθρώπων, rem hujuſmodi commentus eſt. Pueros duos hominum plebejorum recens natos paſtori tradit educandos in deſerto tugurio ſolos. Quibus lactandis admitterentur capræ & cætera ſine ullo vocis uſu per ſilentium adminiſtrarentur. Nempe θέλων ἀκοῦσαι τῶν παιδίων, ἀπαλλαχθέντων τῶν ἀσήμων κνυζημάτων ἥντινα φωνὴν ῥήξουσι πρώτην. Primam vocem quam

pueri

pueri edidere, fuiſſe Beccos. Paſtori enim ingredienti accurrentes, cum jam ad bimatum perveniſſent, eam vocem ingeminarunt. Cum hoc regi nuntiatum eſſet, juſſiſſe inquiri, apud quem populum ea vox ſignificationem haberet, deprehenſumque Phrygas ita panem appellare. Hoc argumento Phryges hominum primi habiti ſunt. Hic autem gentes ad ſe redeant & ſuam illam ſententiam de αὐτομάτῳ ortu hominum è terra ut culicum & murium. Si Phrygibus ea vox naturalis an & cæteris nationibus, quæ ſuis in terris genitæ neſcio unde à Phrygibus omnes loqui didicerint. Si omnes gentes eandem linguam natura habuerunt, cur potius Phryges eam in uſu retinuerunt, quam cæteræ nationes? Diſcant igitur ſacrarum literarum veritatem, quæ uno à pari hominum, habente linguam à Deo mentibus inſitam, hominum genus conditum eſſe docet. Id ſuos poſteros eam docuiſſe linguam, eamque in orbe unam fuiſſe, donec in ſecundâ ætate aliæ itidem ſed in pœnam infunderentur. Philoſophi arbitrati ſunt coiſſe ſapientes in nationibus & fuiſſe ὁμομαθῖτας ut ita conſenſu ſermones inventi ſint. At quomodo agere potuerunt inter ſe, antequam iſti coirent & inter ſe convenirent de appellationibus omnium rerum & forma univerſæ linguæ cujuſlibet? Hebræum igitur ſermonem dono Dei Adam & Eva acceperunt. De literis, quibus mentem ſuam vocibus exaratis conciperent & exprimerent ſcripto, neſcio an idem arbitremur. Quis primus ſcripſerit & quibus literis, dicere non habemus.

Appellavit Eva prolem illam ſuam קַיִן. Cujus appellationis rationem dat, קָנִיתִי אִישׁ אֶת־יְהוָה. Id quidam ſic interpretantur, quaſi putaſſet ſe adeptum eſſe Meſſiam. Sic Lutherus. Ita etiam accepit Muſculus, qui dicit in Eva fuiſſe fidem ſeminis promiſſi, ſed in fide errorem, in eo, quod primogenitum ſuum putabat ſemen illud eſſe, quod exſpectabat; cum non ſolum non eſſet benedictum illud ſemen, ſed potius maledictus & impius. *In quo errore*, inquit, *dubio procul hærebat tantiſper, donec cerneret ex fructibus peperiſſe ſe non ſerpentis ſed fratris percuſſorem.* Sed rectius R. Salomo Jarchi τὸ את exponit per עם. Vide autem fuſe de hujus dicti ſenſu differentem, gratæ & venerabilis memoriæ virum, Sixtinum Amama in Antibarbaro Biblico. Nos ſic accipimus, quod Mater viventium ante hac pepererit filias, nunc autem marem, quem diu deſideraverat. Ita Cain primogenitus erat, at primogenituræ jure ob fratris necem excidit. Πρωτοτόκια in uſu fuerunt ab ipſa origine mundi, verum à Patre, illa enim à Matre inſtituta ab Exodo.

A b e l] Frater Caini fuit Habel. Cui an ex præſagio futuri an forte nomen de veritate inditum ſit ignoro. Cainæi & Sethiani, putidarum hæreſeon nomina, virtutes Angelicas dicebant τῇ Εὔᾳ προσπλακείσας γεγεννηκέναι καὶ τὸν Ἄβελ. Et eſſe Abel ex imbecilliore virtute, Cain è potentiore. Abel natum eſſe dicebant anno circiter centeſimo Adami. Narrat ſcriptura diſſimilibus ſtudiis & vitæ generibus fratres incubuiſſe, Cain agricolam, Abel fuiſſe opilionem. Joſephus: οἱ μὲν οὖν ἀδελφοὶ ἐχρῶντο ἐπιτηδεύμασιν. Ἄβελος μὲν γὰρ ὁ νεώτερος δικαιοσύνης ἐπεμελεῖτο, καὶ πᾶσιν τοῖς ὑπ' αὐτοῦ πραττομένοις παρεῖναι τὸν Θεὸν νομίζων ἀρετῆς προενοεῖτο. Ποιμενικὸς δ' ἦν ὁ βίος αὐτοῦ. Κάϊς δὲ τά τε ἄλλα πονηρότατος ἦν καὶ πρὸς τὸ κερδαίνειν μόνον ἀποβλέπων, γῆν τε ἀροῦν ἐπενόησε πρῶτος. Cedrenus dicit eum inveniſſe aratrum. Genebrardus: Cain juxta Hebr. traditionem anno M. 13. naſcitur, juxta noſtros, teſte Nangiaco anno 15. Abel autem juxta utroſque trigeſimo, qui poſteà ætatis centeſimo occiditur, virgo, ſacerdos & martyr. Hic obſtrepit ille, qui libro edito Adamum primum hominem eſſe negavit, ob id autem cuſtodiæ datus, quia in manibus Papiſtarum erat, ut decebat, vanitatem ejus, in Antichriſti caſtra transfugit.

git. Dicit autem: *Diviſit Adamus bona filiis ſuis adultis. Quod fieri ſolet inter homines civili jure utentes. Terras ſcilicet arandas dedit Caino Adamus, oves paſcendas Abelo Erat ergò tunc temporis Meum & Tuum. Quale fuit & eſt in ſocietate hominum à longiſſimis temporibus bene & legitime inſtituta.* Omnia communia erant & nullius antequam occuparentur. Juſtin. lib. 43. *Erant* omnia communia & indiviſa omnibus velut unum cunctis patrimonium eſſet, Uſus ejus juris proprietatem faciebat. Nam quod quis ſibi ita ſuum fecerat occupatione, id ei alter niſi per injuriam eripere non poterat. *Adam paſtorem & agricolam fuiſſe neceſſe eſt. Agricolam fuiſſe liquet è maledicto Dei Gen 111. 17. 18. 19. Paſtorem fuiſſe oportet, ut lacte, adde & carnibus paſceretur pelles lanamque haberet in uſum quamvis alii in contrarium nitantur. Mundorum pecorum ſeptem paria Deum condidiſſe conjecimus ea ut multiplicarentur, utque ex iis neceſſaria haberet. Filii patris vitam imitati diverſa ſecuti ſunt genera vivendi. Meum & Tuum diſcretum fuiſſe oportebat, cum è familia Parentis per matrimonium quiſque ſuum ſeparati eſſent. Hinc igitur privata rerum dominia cæperunt. Hinc Abelo pecora & paſcua ſua, Caino agri & ſata ſua. Inde permutationes, emptiones & venditiones. Matrimonia ſororum habuerunt fratres. Id neceſſarium fuit in prima generatione ab Adam, in Seth, Cain, Abel: non fuit neceſſarium in ſecunda generatione. Non nemo arbitratur cum quolibet iſtorum fratrum puellam genitam eſſe, quaſi Deus ſua manu uxorem deſtinaret in iſto jugo matrimonii præter ordinem. Conjugiis igitur in familias proprias diſcreti, acquirendis opibus ſtuduerunt. Hic tumultuatur rurſum Iſaacus Peyrerius. *Fuit Cain Agricola. Qui dicit aratoriam artem, multas alias ſupponit artes: & qui dicit Agricolam innumeros fere præſupponit artifices. At ſi nulli præter Cainum agricolam fuère tunc temporis artifices: maximus ſanè fuit ardelio Cainus. Ergo ſibi ſolus fodit ferrarias, fornaces excitavit ſibi, incudem & malleos fabricavit & alia ferramenta, quibus vomerem cuderet & procuderet: ſecures ſibi acuit, quibus cæſa arbores formas acciperent vel aratri vel raſtri, vel plauſtri vel catera id genus.* Subjicit: *Veniamus ad Abelum, Scriptum eſt fuiſſe paſtorem ovium. Atqui paſtor ovium, idem eſt qui cuſtos ovium. Paſcebat & cuſtodiebat Abelus oves ſuas. Sed quare cuſtodiebat illas Abelus? Quos fures timere debuerat, præter patrem, matrem & fratrem, ſi nulli prætereà fuiſſent homines in terris? Ab lupis autem & feris rapacibus, quæ gregem ſuum invaſiſſent, plus Abelo ipſi, quam ovibus ſuis timendum fuiſſet* &c. Duo objicit, artium & neceſſariorum defectum, deinde paucitatem hominum, Quod attinet artium defectum, primò tantus non erat, quantum putat Peyrerius. Nam arare & ſerere, metere & colligere ſi non potuerit eo modo, quo fit apud nos, potuit tamen ſufficienter. Cur Cainum non ea facere potuiſſe vult, quæ agricola facit? Fingit ſibi falcibus, aratro, variis ferramentorum generibus inſtructum. Agticolam fuiſſe ſacræ literæ dicunt עוֹבֵד אֲדָמָה *colens terram.* Onk. גבר פלח בארעא *Vir operans in terra.* Græci κάϊν δὲ ἦν ἐργαζόμενος τὴν γῆν. Olitores operantur in terra, quibus tamen non opus eſt aratro & vomere. Opus tamen ferramentis! Non fuit opus ferrariam ſtruere, fornaces excitare, incudem & malleos fabricare, ſecuribus arbores cædere. Fodere terram, mactare animalia poteſt Adam, antequam Cain & Abel in utero conciperentur. Potuit terram colere in Paradiſo. Putasne & illic illi opus fuiſſe commercio gentilium, qui extra Paradiſum colebant? Aut eum didiciſſe agri colendi modum antequam in Paradiſum transferretur ab iis hominibus, quibuſdam familiariter converſatus fuerat? Deum nihil eum docuiſ-

cuiſſe, nihil eum reperire potuiſſe ductu rationis & uſu? Atqui ſine ferramentis terram vertere non poterat? Quid faciunt Indi, quibus nullus uſus ferri? Terram colunt & ſatis vivunt. Veteris Germaniæ, Taciti ævo, quidam populi rarum aut nullum ferri uſum habuerunt. De Æſtyis: *Rarus ferri, frequens fuſtium uſus.* Fennis dicit *miram* fuiſſe *feritatem, ſolam in ſagittis ſpem, quas inopia ferri oſſibus aſperarent. Eundemque venatum viros pariter ac feminas alere.* Oſſium uſus & Caino eſſe potuit & Abelo ad proſcindendam terram, ad jugulanda & excorianda animalia. Sed & acuto lapide uſum ferri poterant ſupplere. Galli Cybeles ſacerdotes lapide ſibi genitalia ſecabant. Juven. lib. 2. ſat. 6. *Mollia, qui rupta ſecuit genitalia teſta.* Catullus de Atty. *Stimulatus ubi furenti rabie, vagus animi Devolvit illa acuta ſibi pondera ſilice.* Samiam teſtam illi miniſterio adhibuiſſe notant interpretes. Quod ad Abelum attinet; potuit feras abigere præuſtis ſudibus, quibus & bella geſſerunt olim & hodie gerunt barbari. Cæterum cum adeò ſolicitus ſit de Cain & Abel, quibus inſtrumentis vitæ ſuæ genera obire ſeque tutari poſſent, antequam Tubalcain ferramenta inveniret, quid de ſuis gentilibus factum putat? Qui illi tot ſeculis potuêre ſine ferramentis agere, colentes terram, venationem exercentes, paſcentes pecora? Diceſne illos habuiſſe & hoc te velle, quod Abelo & Caino ſubminiſtraverint? Sic contradicis ſacris literis, quæ Tubalcain fuiſſe patrem dicunt eorum, qui in ferro & ære operantur. Potuit igitur Adam cum filiis ea commoditate vitam ſuſtinere, qua gentiles. Sed pauci admodum homines erant: Præter parentes & fratres duos nulli. Quis tibi dixit, Peyreri, nullos alios fuiſſe homines ortos Adamo & Heva? Plures fuiſſe Moſes indicat, qui innuit ſeparatas familias, domoſque habuiſſe duos fratres. Quàs uxores duxerunt, niſi ſorores? Theodoretus, Τίνα ὁ Καῒν ἔσχε γυναῖκα; Δῆλον ὅτι τὴν ἀδελφήν. Οὐκ ἦν γὰρ τοῦτο τηνικαῦτα κατηγορία οὐδενὸς ἀπαγορεύοντος νόμου. Ἄλλως τε οὐδὲ οἷόν τε ἦν ἄλλως αὐξηθῆναι τὸ γένος. Ἠβουλήθη δὲ ὁ Θεὸς ἐξ ἑνὸς ἀνδρὸς καὶ ἐκ μιᾶς γυναικὸς ἅπαντα συστῆσαι τῶν ἀνθρώπων τὰ ἔθνη. Πρῶτον ἵνα τὸ ταὐτὸν τῆς φύσεως γινώσκωσιν, ὡς ἐξ ἑνὸς ζεύγους βεβλαστηκότες ἔπειτα καὶ εἰς ὁμόνοιαν συνάπτωνται ὡς ἐκ μιᾶς ῥίζης ἠνθηκότες. Εἰ γὰρ καὶ τούτων παρὰ τοῦ Θεοῦ τῶν ὅλων πρυτανευθέντων μυρίας τολμῶνται σφαγάς, τί οὐκ ἂν ἐτόλμησαν, εἰ ἐκ διαφόρων βεβλαστηκέναι πατέρων ᾠήθησαν; τούτου χάριν ἕνα μὲν ἐκ τῆς γῆς διέπλασεν ἄνδρα, ἐκ δὲ τούτου μίαν ἐδημιούργησε γυναῖκα. Ἐκ δὲ τούτων πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τοῦ γένους ἐπλήρωσε. Διὰ τήνδε τοίνυν τὴν αἰτίαν, συνεχώρησεν ἐν ἀρχῇ τῶν ἀδελφῶν τὴν ἐπιμιξίαν. Ἐπειδὰν δὲ αὐξήθη τὸ γένος ὡς παράνομον τοῦτον ἀπαγορεύει τὸν γάμον. Διὰ τοῦτο σὺν τῷ Νῶε καὶ τοῖς υἱέσι καὶ τὰς ἐκείνων γυναῖκας διέσωζεν ἐν τῇ κιβωτῷ, ἵνα ταῖς ἀνεψιαῖς οἱ ἐκείνων συναφθῶσι παῖδες. *Quam uxorem Cain habuit? Certum eſt ſororem duxiſſe. Hoc autem tunc non crimen, cum nulla lex interdiceret. Erat alioquin impoſſibile, aliter augeri genus humanum. Voluit autem Deus ex uno viro & una muliere excitare omnes gentes hominum. Primò ut ſcirent generis unitatem tanquam ex uno Iugo prognati. Deinde & in concordiam coirent ut qui ab una radice effloruiſſent. Si enim & his ſic ab univerſi Deo gubernatis infinitæ cædes committantur, quid non fuiſſent auſi ſi ſe diverſis ortos eſſe patribus putaſſent? Hujus rei gratia unum quidem è terra formavit virum & ex eo unam ſtruxit mulierem. Ex his autem univerſum orbem genere replevit. Ob hanc igitur cauſam conceſſit in principio fratrum ſororumque connubium. Poſtquam autem genus auctum eſt ut nefarias tales interdicit nuptias. Ideò cum Noë & filiis etiam eorum uxores conſervavit in arca, ut horum filii conſobrinis jungerentur,* In Thalmud Gemara Sanhedrim :קין נשא את אחותו. Hebræi quidam, inter quos Salomo Jarchi putant & Evam in Paradiſo fuiſſe gravidam & peperiſ-

periſſe, Nempe cum hora diei ſexti ſeptima adjuncta eſſet mulier Adamo, octava eos conſcendiſſe lectum duos & deſcendiſſe quatuor aut ſeptem. Eo ſcilicet congreſſu conceptis & genitis gemellis Cain & Abel (Cain & Abel uno partu editos eſſe & Calvinus arbitratur ſed poſt expulſionem è Paradiſo conceptos,) aut & cum Cain gemellam & cum Abel duas. Ita ſeptem homines fuiſſe, qui è Paradiſo ſint egreſſi. Ita ſcilicet unicuique & in utero aſſignatam uxorem. Nauclerus vulgatam ſententiam ævi ſui & ab aliis traditam referens ſic narrat: *Projecti autem primi parentes in exilium, recurrunt ad humanum ſolatium, virgines de Paradiſo egreſſi. Poſtquam vero cognovit Adam uxorem ſuam Evam, anno quoque vita eorum quinto decimo natus eſt Cain & ſoror ejus Calmana gemini. Cain autem agrorum cultor fuiſſe perhibetur, cupidiſſimus quidam ac invidia plenus nec non aliena felicitatis impatientiſſimus. Hic duxit ſororem ſuam Calmanam uxorem: quod propter raritatem hominum ut Auguſtinus inquit, quanto antiquius compellente neceſſitate, tantò poſtmodum factum eſt damnabilius religione prohibente. Deinde poſt alios quindecim annos, natus eſt Abel & Delbora ſoror ejus. Abel autem, quem juſtum & ſanctum ſacra commemorant Evangelia ab ineunte atate juſtitiam colere & Deum timere didicit & in omnibus ſuis operibus Dominum adeſſe ſibi putavit. Virtutibus incumbebat, cujus converſatio paſtoralis erat.* Caini ſororem קלמנה appellatam eſſe, dicit etiam R. Gedalia in catena Cabbalæ. Batricides autem Caini ſororem geminam Afrun eſſe dictam narrat, Abeli Avin. Addit obconnubium ſororum litem ortam eſſe, quam ſacrificiis cum vellent dirimere, Adami parentis ſuaſu, tum, Diaboli inſtinctu & ira ob rejectum ſacrificium impulſum eſſe Cain, ut fratrem occideret. Sic auctum citò & creviſſe humanum genus putant interpretes. Peyrerius putavit feras creviſſe, à quibus ſibi metuendum haberet Abel, non creviſſe homines. Sed & feras cum ſuis *γηγενῶν* è terra ante multa millia annorum producta fuiſſe exiſtimat. Verum manere debuit intra limites conceſſi, qui in adverſum voluit diſputare. Si feræ productæ per ſua paria, ut homo, quodvis genus præ homine non eſt multiplicatum. Ut tamen intrà ſcripturarum terminos ſubſiſtamus, dicimus & illas monſtrare numerum aliquem hominum etiam ex iis quæ exprimit. Non omnia autem exprimit. Ecce exſultabat Eva de nato Cain. Hunc illi filium primum fuiſſe concedimus. Exſultabat nato maſculo, quia fæmellas ante pepererat. Hinc parit cain & deinde Abel. Junctos eos matrimoniis ſororum, quæ erant: quæ ſteriles non debuerunt & in ſera virginitate conſumere annos. Juncti igitur illis fratres, quos certe non eſt vero ſimile ſine *τεκνογονίας* voluiſſe ætatem idoneam & maturam conſumere. Nec enim licuit, quia poſcebat mundus dominos juxta Dei benedictionem. Augeſcere ferarum numerum non hominum abhorrens à recto erat. Qui igitur Abel virginem obiiſſe volunt *ἀπαθείαν ἀλειτουργίας*, viro juſto attribuunt, quod minimè decuit. At non memoratur ejus conjugium nec ſoboles. Quid tum? Indicatur tamen, cum Cain ab illis ſibi potiſſimum metuiſſe credibile ſit. Quid enim attinebat timere à gentilibus, ad quos hæc ſtirps nihil pertinebat? Quid à parentibus? Et ſi à parentibus, ſane eos ſolos non timuit. *Qui me invenerit, occidet?* Multitudo deſignatur. Quod cum videret Præadamianus, gentiles ſomniavit. Hos nihil potuit metuere, ut ſemper generi Judaico infeſtos. Eò ſe conferre potuiſſet ut ad hoſtes, apud quos tutum inveniret exſilium, quia ipſum ſuis inviſum eſſe videbant. Satis grandis multitudo nata eſſe potuit ex Abel intra id tempus. Veroſimiliter Cain occidit Abel fratrem paulo ante Seth natum, eoque poſt annum M. 100. Poſito natum eſſe Abel anno. M. 15. citius

 potuit.

potuit. Serius cur dicam, cum non infecundam fuiſſe Matrem primam arbitrer? Genuerit anno ætatis trigeſimo, id eſt M. 45. Hinc ſobolem ſeptenam procreaverit. Qui cum Caini filiis filiabuſque potuerunt jungi junctique fuerint ante parricidium patratum. Si & Cain intra id ſpatium genuit ſeptem filios filiaſque quatuordecim nati è quatuor hominibus fuerint poſt annum dictum M. nempe 45. Proximæ γενεᾷ ad annum M. 70. unicuique pari dabo itidem ſeptem, omnes nepotes Cain & Abel quadraginta novem. Inſequenti γενεᾷ ſi quadraginta novem conjugiis ſigillatim ſeptenos liberos attribuas ad annum M. 90. exſurgent abnepotes Cain & Abel trecenti quadraginta tres. Qui omnes potuerunt adoleſcere & gignere antequam parricidium committeretur. Hos ſi cum parentibus avisque conjunxeris, id eſt cum quadraginta novem, quatuordecim deinde Cain & Abel, itemque uxoribus eorum & Adam atque Heva, numerabis homines ætatis adultæ quadringentos & duodecim. Ab his ſibi timuit Cain ut ingens numerus erat. Non erant gentiles, quos timeret, quia exſulatum ivit ex terra Eden in regionem proximam. Nempe Terra Eden colebatur à poſteris Adam, illiſque quos dixi, omnibus, voluit igitur aliò concedere, ubi homines nulli erant, quos timere poterat. Notabis etiam ſuam ſobolem metuiſſe, quia illi connubiis poſterorum Abel erant immixti & inoleverant. Ita ſanè fieri potuit, uti diximus. Et quis factum eſſe neget bonis rationibus? Plures gigni potuerunt in illa benedictione Dei primordiis mundi neceſſariâ. Non audiendi igitur Pontificii, qui Abel virginem obiiſſe contendunt eoque ſuo jam facto Proadamiano ſcrupulum potius augent quam adimunt. Si enim Abel non genuit, à quo ſibi Cain timuit? Dixeris alios filios eſſe natos Adamo & Hevæ. Non liquet, nec credibile. Nam quomodo, interfecto Abel & pulſo Cain, ſi alii liberi mares primogenitura ad Seth devolvi potuit? Cum ob hoc etiam parricidium videatur commemorari, ut ratio pateret, ob quam primogenitura ad Seth pervenerit. Moſes enim diligenter ſolet annotare, quare ab illis, quibus natura dederat jus primogenituræ receſſerit. Et hoc ſcire noſtrâ refert, quia benedicti primogeniti, ut Chriſtum figurantes, eòque ejus majores. Unum objici poſſe videtur, quod ſerò genuerint illi primæ ætatis homines, ſicut è primogenitorum apparet laterculo Gen. 5. Reſpondeam. Eſto, quod illi, cum jam aliquo numero homines eſſent, ſerò genuerint id tamen in primo parente ejuſque filiis prioribus ita non fuit. Cainum enim ſi objicias non videri genuiſſe, antequam exul eſſet poſt patratam cædem, dixerim, Henoch non fuiſſe ejus primogenitum, ſed eum primum eſſe genitum in exilio, ubi novam cœpit gentem eamque ſeparatam condere.

Cain Impius Fratrem Interemit] Explicandæ cauſæ, modus, & judicium Dei quoad parricidium, quæ commemorantur à Moſe Gen. cap. IV. à v. 3. ad 16. Cauſæ antecedentes *αἴτια προηγούμενα*, fuerunt duæ *odium & invidia.* *προκαταρκτικὰ* diſſimilitudo morum & fratris apud Deum gratia. Diſſimilitudo morum genuit odium. De ea Johannes Apoſtolus in epiſtola prima, capite tertio, commate duodecimo: *οὐ καθὼς Κάϊν ἐκ τοῦ πονηροῦ ἦν καὶ ἔσφαξεν αὐτὸν· ὅτι τὰ ἔργα αὐτοῦ πονηρὰ ἦν, τὰ δὲ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ δίκαια.* Sic Judas *ὁδὸν Κάϊν* appellat impium vivendi morem. Homo erat ingenio ſævo ac truculento, ſuperbus & audax.

Invidiam in fratrem accendit potiſſimum gratia Dei. Viderat enim ſacrificium fratris Deo acceptum eſſe ſuum rejici. At circa illam invidiam primò cauſam Moſes notat, deinde Dei objurgationem. Cauſa erat ex ſacrificio. Sed quis eos ſacrificare docuit? Parens abſque omni dubio & hic mos nunc

recens

recens non erat. Quis autem parentem? Grotius hic: *Non ullo Dei juſſu ſed dictante ratione honorem Deo etiam conſpicuum habendum, idque optime fieri poſſe datis Deo iis, quæ homini ſunt cariſſima. Vide reſponſum ad orthodoxos inter Iuſtini opera 119. & quæ nos ad librum V. de veritate religionis Chriſtianæ. In libro V.* de veritate religionis Chriſtianæ ſic: *Præcipuum* & quod maxime in oculos incurrit, ſunt ſacrificia, de quibus multi Hebræi ſentiunt prius ab hominum ingenio ea cogitata, quam à Deo juſſa. Laudat Chryſoſtomum XII. de ſtatuis de Abele locutum οὐ γὰρ παρά τινος μαθὼν οὐδὲ νόμου περὶ ἀπαρχῶν διαλεγομένου ταῦτα ἀκούσας, ἀλλ' οἴκοθεν καὶ παρὰ τοῦ συνειδότος διδαχθεὶς τὴν θυσίαν ἐκείνην ἀνήνεγκε. Alia talia apud eundem aliis locis. Melius tamen dixit Lyra, *Adam enim docuerat filios colere Deum per oblationes.* Quod explicat Nauclerus: *Creditur autem Adam, qui & prophetia dono florebat, docuiſſe decimas & primitias offerre Deo vel ſacrificia.* Pontificii ideò ex lege naturæ fluxiſſe ſacrificia docent, ut morali & perpetua obſervatione Miſſæ ſacrificium neceſſarium eſſe efficiant, cauſa autem quæ Socini ſodales impellit, ut proprio motu velint primos illos cœpiſſe immolare, alia eſt, Nempe Ne cogantur concedere, quod in Chriſtum illa reſpexerint. Si autem lex naturalis docet, quemadmodum cum ſuo Epiſcopio & aliis Sociniſmi incruſtatoribus Grotius vult, Deo honorem eſſe conſpicuum habendum, idque ex rebus, quæ nobis ſint cariſſimæ, nulla ratio efficere poteſt, ut poſt Chriſtum non ſint offerenda ſacrificia, id eſt ut non ſit habendus Deo honor conſpicuus de rebus gratiſſimis. Cur non feciſti Groti, quod recta ratio dictat? Qui non facit hoc, quod recta dictat ratio, Dei voluntati & præcepto immutabili facit contraria. Vide quomodo jus naturale definieris de jure belli & pacis lib. I. cap. I. §. 10. *Ius naturale eſt dictatum rectæ rationis* (agnoſce hic eadem verba) *actui alicui ex ejus convenientia aut diſconvenientia cum ipſa natura rationali, ineſſe moralem turpitudinem aut neceſſitatem moralem ac conſequenter ab auctore naturæ Deo talem actum aut vetari aut præcipi.* Conſequenter doces, quædam eſſe ejus juris propriè quædam reductione, quibus ſcilicet jus naturale non repugnet. Hoc de ſacrificiis erit propriè de jure naturali, quia dixiſti dictari à recta ratione. Deinde per abuſionem non appellabitur juris naturalis, tanquam melius oppoſitis quamvis in ſe indebitum. Quia dictat ratio eſſe habendum conſpicuum honorem, eòque debitum. Nec etiam dato alio conſequitur, quia dictat ratio hoc ſine introductione & ſuppoſitione rei. De jure naturali pronuntiaſti, eſſe adeò *immutabile, ut ne à Deo quidem mutari queat.* Sic & hodie ſacrificia offerri oportet. Si offerantur, poſſe Deo grata eſſe, ut fuit Abeli, neceſſum eſt. Cur igitur apud moratiores gentes omnes ſacrificari deſitum eſt? *Iuris naturalis* (ſic & tu loqueris) *eſſe colligitur id, quod apud omnes gentes moratiores tale eſſe creditur.* Judicant omnes hodiè non oportere Deo ſacrificari. Sanè dictat ratio non eſſe talibus colendum Deum nec poſſe coli. Cicero lib. 2. de natura Deorum: *Cultus autem deorum eſt optimus idemque caſtiſſimus atque ſanctiſſimus, pleniſſimuſque pietatis, ut eos ſemper pura, integra, incorrupta & mente & voce veneremur.* Et ut intelligas eam religionem eſſe ſolam ſic Seneca: *Colitur Deus non taurorum opimis corporibus contrucidatis, non auro, non argento, non in theſauros ſtipe infuſa ſed pia & recta voluntate.* Si olim id bonum & laudabile fuit, hodie conveniens non eſt, oportet à voluntate mutabili eſſe profectum, moralem neceſſitatem illi non ineſſe. A voluntate humana, quod proficiſcitur, ſine dictamine rectæ rationis, exiguis terminis contineatur. Quia aliis moribus aliud receptum eſt. Nec univerſalis effectus eſſe poteſt, niſi ab

ab univerſali cauſa. Ubique & apud omnes gentes recepta ratio ſacrificiorum indicat univerſalem cauſam, quæ non poteſt eſſe alia præter Dei voluntatem revelatam. Revelatam ſuis, quam Dæmonia imitari gentes juſſerint, aut deducta à patriarchis traditio. Præterquam, quod ἐθελοθρησκεία ſemper à Deo damnata eſt. Eſai. 29. 13. Matth. 15.9. Coloſſ. 2.23. Deut. 12. 8. profanum eſt Deo offerre, quod non poſtulat, cultum præſtare, quem non inſtituit. Legimus etiam Abel fide meliorem hoſtiam obtuliſſe. Fides aſſenſus eſt teſtimonio Dei & promiſſo adhibitus. Pontificii, qui volunt ſacrificia iſta patriarcharum fluxiſſe è naturæ dictamine, fundamentum ponunt ſacrificii & hodie faciendi & ſacerdotii. Nunquam tamen evincent naturam dictare, quod ſacrificia ſint offerenda. Hinc Suarez in 3. ſumm. Thom. qu. 83. art. 1. diſt. 71. ſect. 8. *Nullum eſt naturale præceptum, ex quo ſufficienter colligi poſſit determinationem illius ad talem modum cultus, ſcilicet per ſacrificium eſſe omninò neceſſariam ad morum honeſtatem.* Grotius dicebat dictari à recta ratione, externum cultum, quem haberi oporteat, optimè poſſe fieri datis Deo iis, quæ nobis cariſſima ſunt. Contrarium docet Sp.S. Pſalmo quinquageſimo, Deum non poſſe coli dandis iis rebus; quia non egeat talibus, & ſint ipſius. In ſequenti David etiam profitetur ſe honorem Deo gratum non poſſe præſtare ſacrificiis: ὅτι εἰ ἠθέλησας θυσίαν, ἔδωκα, ὁλοκαυτώματα οὐκ εὐδοκήσεις. Et Pſalmo quadrageſimo corpus umbrarum talium proclamaverat: θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι, ὁλοκαυτώματα καὶ περὶ ἁμαρτίας οὐκ ᾐτήσας. Sacrificia, quæ obtulerunt? Καὶ ἐγένετο μεθ' ἡμέρας ἤνεγκε Κάϊν ἀπὸ τῶν καρπῶν τῆς γῆς θυσίας τῷ κυρίῳ. Καὶ Ἄβελ ἤνεγκε καὶ αὐτὸς ἀπὸ τῶν πρωτοτόκων τῶν προβάτων αὐτοῦ καὶ ἀπὸ τῶν στεάτων αὐτῶν. Placuit Sp. S. notare tempus, מקץ ימים/ Græci μεθ' ἡμέρας vertunt. *Abeneſdra* ימים *exponit* (inquit Mercerus) *de anno. Sic ſæpe ſumitur* ימים *pluraliter, quod poſt dies certo numero revolutos recurrat initium novi anni, redeunte anno & ſole ad idem principium. Sic* מימים ימימה; *de anno in annum, id eſt quotannis & id genus. Sed malo ſimpliciter hic exponere, poſt aliquod temporis ſpatium, certum quidem tunc, ſed nunc nobis incertum, forſan, poſtquam terra culta eſſet & fructus produxiſſet.* Abeneſdra ſic diſſerit: *Quia operabatur Cain terram attulit Mincha ad locum, quem fixerat ad orationem & non placent mihi verba dicentium quod adduxerit ad patrem ſuum: & propterea quod ſcriptum eſt è primogenitis gregis ſui eſt probatio, quod non adduxit Cain de primitiis.* Reſp. וישע *juxta* משקל *formam* ויחר לקץ *Et ſenſus, ſicut* קבל והקרב אליו שעו מני: *& conſentaneum eſt quod ignis deſcenderit & accenderit mincham Habel & non mincham Cain: & ſecundum opinionem meam quod vocatur annus integer* ימים *& ſic ſcriptum* ימים תהיה גאולתו *[Levitic. XXV. 29.] propterea, quod revertantur dies in longitudine & brevitate, quemadmodum fuerunt in principio & ſic* מימים ימימה *[Exod. XIII. 10. Iudic. XI. 40. XXI. 19. Sam. l. 3. 11. 19.] Et expoſitio* שנתים ימים, *dies pleni annorum duorum: Et, ſi ſcriptum* שנתים *[ſine adjecto] conſentaneum eſt, quod non ſint pleni à die ad diem: & ſic uſque* חדש ימים *quia revertatur menſis quemadmodum fuit. Propterea dixi in expoſitione Danielis quod dies 1260, ſint dies non anni propterea quod ſint cum numero.* Si annum notet, incertum tamen, quod principium ſignificet, à quo in orbem annus redierit. Significavit enim non anni exitum ſecundum ordinarium principium, ſed plenitudinem anni interjecti inter diem anni præcedentis & ſequentis eandem. Si annus notetur notatur annus ſolaris, quemadmodum menſis dierum idem eſt quod menſis ſolaris. Exiſtimat Scaliger veterem anni modum quem patriarchæ habuerunt fuiſſe ſolarem duodecim menſium τριακονθημέρων, cum quinque ſuperfluis diebus, qui adjecti inter duos men-

menſes, veroſimiliter inter ultimum menſem anni præcedentis & primum anni ſequentis. Quadrantes dierum, qui quolibet quadriennio, diem integrum efficiebant, adjectos fuiſſe poſt annos 120. intercalato menſe integro. Et annum iſtum magnum appellari חלד. Talem igitur annum menſemque vocari שנת ימים & חדש ימים / ut qui æquabili dierum numero complerentur. Obtulerunt ſimul eodemque uti videtur loco. Nam vidit Cain fratris ſacrificium accipi, ſuum repudiari. Dicitur de utroque הביא / quod ſignificetur certum fuiſſe locum, מקום שקבע לתפלתו. Nempe quo conveniebant ad ſacrificia facienda & preces publicè concipiendas. *Vnde colligo*, inquit Mercerus, formam Eccleſiæ jam inde à primis illis parentibus fuiſſe, itaque perperam facere, qui conventus publicos, ubi externus cultus Deo exhibetur, contemnunt. Autor libri כלי יקר dicit: Videri, Abel & Cain fuiſſe contrariæ opinionis בדברים, circa hominis bonum & perfectionem: An ſeculum hoc & ejus proſperitates ſint finis perfectionis humanæ, & nulla perfectio poſt eas, An potius ſit ſeculum aliud æternum? Hinc id videri quod Cain amaverit terram, cogitans non eſſe ſenſum in inferno & nihil ſupereſſe poſt ſeculum hoc, proptereà elegiſſe ſibi in portionem ſuam omnia deſideria ſeculi ejuſque proſpera: Abelem autem reputaſſe, quod ſit ſeculum aliud æternum in quo homo adepturus ſit conſummationem poſtremam, atque ob id elegiſſe paſtorem ovium eſſe qui in ſolitudine degit. Ideo ſibi Cain bona immobilia, Abel mobilia ſumpſiſſe. Notat ſolere impios in fine dierum id eſt vitæ cum vident ſe nihil bonorum ſuorum exportare poſſe, æmulatione tangi ſociorum, qui Deum coluerunt, & ipſos facere ſeu ſacrificia ſeu eleemoſynas. Sed hæ ſpeculationes פרדשים non feriunt ſcopum. Inquirit ſimiliter, cur dicatur, *obtulit etiam Habel*; legiſſe ſe in libro צרור המור / quod quidam elevent Habelem, quod non obtulerit à ſeipſo, ſed poſt Cain, videns eum offerre, eoque ex æmulatione. Quæ omnia affis non ſunt cum iis, quæ ſubjicit de litigio.

Quidam ex Hebræis & noſtratibus putant ſacrificia adducta eſſe ad Adam, tanquam ſacerdotem. Quod relinquimus in medio. Videndum autem quid quiſque obtulerit. Cain de fructibus terræ obtulit; Abel de primogenitis pecorum. Utriuſque ſacrificium appellatur מנחה. De fructibus terræ ſolis nihil oblatum eſſe in ara lego, niſi, quod conjungeretur cum pecude & hoſtia animali. In anima & ſanguine expiatio. Neſcio an hic fuerit paulo alia ſacrificandi ratio, quam ſub lege. Doctiſſimus Grotius putat fuiſſe ſagmen, cujus antiquiſſimum apud omnes gentes uſum fuiſſe dicit in ſacris. Laudat Porphyrium in ſecundo de abſtinentia, apud quem invenio: οὐ τούτων (nempe myrrha, caſia, thure. croco) ἔθυον πρότερον ἀλλὰ χλόης. οἷον εἴ τινα τῆς γονίμου φύσεως χνοῦν ταῖς χερσὶν ἀράμενοι. Δένδρα μὲν γὰρ πρὸ ζώων ἀνέδωκεν ἡ γῆ· τῶν δένδρων δὲ πολὺ πρόσθεν τὴν ἐπέτειον γεννωμένην πόαν, ἧς δρεπόμενοι φύλλα καὶ ῥίζας καὶ τοὺς ὅλους τῆς φύσεως αὐτῶν βλαστοὺς κατέκαιον Hinc ſenſim ad alia ſacrificatarum genera rerum perveniſſe & animalium immolationem: Herbas in ſacrificium oblatas ſagmina appellabant Romani & verbenas. Plinius lib. 22. cap. 2. *Interim fortius augetur autoritas: quæ quanta debeatur etiam ſurdis id eſt ignobilibus herbis perhibebitur, Siquidem autores imperii Romani conditoreſque immenſum quiddam & hinc ſumpſere; quoniam non aliunde ſagmina in remediis publicis fuere & in ſacris legationibuſque verbena. Certe utroque nomine idem ſignificatur hoc eſt gramen ex arce cum ſua terra evulſum: ac ſemper & legati cum ad hoſtes clarigatum mitterentur, id eſt, res raptas clarè repetitum, unus utique* Verbenarius vocabatur. Rami, virgæ, frondes ſacrarum arborum: her-

bæ ex puro loco decerptæ, quibus aræ coronabantur, feſtis diebus, quæque adolebantur, dictæ verbenæ. Si cum clariſſimo Grotio ſentiamus ſagmina fuiſſe antiquiſſimi uſus in ſacris, non putabimus tamen cum Porphyrio ante animalium ſacrificationem fuiſſe in uſu. Anne, ſi & Grotio aſſentiamur de uſu terræ gignentium in ſacris antequam animalia mactarentur, eidem aſſentiri poterimus in eo, fuiſſe ante lactis & lanæ oblationem, quam putat factam eſſe ab Abel? Fuiſſe herbas ante arbores longo tempore dicemus ne cum Porphyrio, quare cum nondum poſſent arborum fructus, oblatam fuiſſe herbam minutam ex agro? Si gratiora Deo, quæ de herbis, ſi ſimpliciora ſacra, miror *περιεργίαν* in Abel, in Cain ſimplicitatem. Non obtulit Cain ſagmina id eſt folia, & ſcapos herbarum, obtulit enim מפרי הארמה. Ni fallor, diſtincta ſunt פרי & רשא ſive עשב. In cap. 1. comm. 11. 12. diſtincte פרי arboribus, & ſolum ſemen herbis adſcriptum video. Et animadverto vocem eam de animalibus ac homine, nuſquam herbis prædicari. De herbis nuſquam ſed frugibus quæ edule ſemen habent. Hebræi exiſtimantes Cain vilem obtuliſſe oblationem, dicunt ipſum obtuliſſe פִּשְׁתָּן *linum*: nemo ſomniavit de ſcapis & verbenis. Niſi inſignis prævaricator fuerit & illudere voluerit ipſi Deo, obtulit, quod offerri lex & ratio ſuadebant. Hæc jubent offerri, quod eſt homini gratiſſimum, ut tu ipſe docuiſti, eoque quod eſui & uſui erat humano. Audio etiam quæ dicis in ſequentibus: *Cum nihil Deo ſacrari ſoleat, niſi quod in uſu ſit hominum.* Cain certè prævaricatus non eſt in oblati genere, quia iniquum eſſe putabat, & rationem nullam eſſe, quare ſuum non æque ac Abeli ſacrificium à Deo reciperetur. Inſignis hypocrita fuit, quod genus hominum in externis non deficit. Quid igitur obtulit? Fructum terræ. Eum uſitatiſſime dici arbitror de frugibus. Nam fruges etiam ſub lege in ſacris.

Abel dicitur obtuliſſe מִבְּכֹרוֹת צאנו וּמֵחֶלְבֵיהֶן. Græci: *ἀπὸ τῶν πρωτοτόκων τῶν προβάτων αὐτοῦ καὶ ἀπὸ τῶν στεάτων αὐτῶν.* Hic valde ſudat Grotius, ut ne videatur Abel Deo animalem hoſtiam obtuliſſe. Ratio. *Animantibus veſci ante diluvium permiſſum* non fuiſſe, ut probabilior fert ſententia. Quid de iſta videatur nobis ſententia diximus in *ὑπομνήματι*. Si autem non obtulit animal, quid obtulit? *Dici poſſet*, inquit, oblatam lanam & lac pinguiſſimum. Videt ibi duo ſibi incumbere probanda. Primum eſt quod lac & lana ſolita offerri. II. quod id Moſis verba ferant. Quod lac & lana offerri ſint ſolita antiquitus, & eum fuiſſe antiquiſſimum morem ex multis hiſtoriis docere Porphyrium. De lacte haberi apud Virgilium, de lana apud Sophoclem & Pauſaniam. Platonem etiam & Empedoclem teſtari quod antiquiſſimi aras ſanguine animalium non madefecerint. At eruditiſſime docendum de populo Dei, non agimus de gentibus. Negabis ne tu apud populos à cognitione Dei alieniſſimos multa in ſacrorum uſum admiſſa & oblata, de quibus ſacra hiſtoria nihil novit & quæ illicita & profana? Ipſe dicis non eſſe permiſſa, quibus veſci non ſolent homines. Animalium immundorum, quod diſcrimen Noë notum & notum Adam ſi obtulit eoque ritus & legem ſacrificiorum novit, plurima, ſi non omnia obtulit vana gentilitas. Noſtine homines, qui veſcantur lana? Putaſne Abel tam fuiſſe voracem, ut lanam ederit? Quis præter te unquam dixit & arbitratus eſt Abel non obtuliſſe animal ſed Lac & lanam? Adeo igitur improbabiliter iſta dicuntur, ut nemo odorari potuerit. Quomodo autem docebis Moſis verba eam pati expoſitionem? *Primogenita* (inquit) *quæ hic dicuntur ex Hebræo* בכרות *liceat interpretari ea, quæ eximiæ erant magnitudinis ac formæ. Sic* בכר מות *morbus maxime Lethalis,* בכורים *ficus maximè fructifera,* בכרה *camelus velociſſimus.* Non inquiram in exempla, quæ adducis,

tantum

tantum, cauſam mihi dari velim cur Moſes hiſtoriam ſcribens ſtylo ſimpliciſſimo, intelligi volens טב & תמים aut בריא & יְפֵה מַרְאֶה dixerit בכור? Si loco ejus quod legimus Gen. XLI. 2. Scriptum eſſet בכרות anne id ipſum exponere noſtræ religionis eſſet ita ut nunc habetur? Sed quid facies de voce חלבהן. *Lac pinguiſſimum ſic* חָלָב *vocatur.* Prodi è latebris, תְּנוּעוֹת admitte. Quid intelligis חָלָב an חֵלֶב? חָלָב *lac* plurali caret. חֲלָבָן *lac earum* diceretur, ut חֶלְבְּהֶן *pinguedo earum.* Adducit varia loca, in quibus LXX τὸ חלב tranſtulerint per γάλα. In iis autem omnibus eſt חֵלֶב, in nullo חָלָב, de quo quæſitum. Silet, quod Deut. XXXII. 14. quem locum etiam producit diſtinctè legantur illa duo וַחֲלֵב צאן עם חֵלֶב כָּרִים Lxx: γάλα προβάτων μετὰ στέατος ἀρνῶν. Ferendumne eſt, quod illudat lectoribus & imponat? Qui à ſummo viro doceri cupimus deriſi dimittimur. Cum ſibi diffideret, conſcius fraudis, omittit iſta: *At Thalmudiſta, inquit, omnino iſtis temporibus primis, antequam carnibus homines veſcerentur holocauſta in uſu fuiſſe putant, unde nihil ad homines pervenire & per qua Deus rerum omnium vitaque ac necis Dominus agnoſceretur. Itaque & poſt legem ab alienigenis incircumciſis victimas ad* holocauſta tantum accipiebant non ad ſacra alia per legem *inſtituta.* Si holocautomata ab hominibus primis oblata de pecoribus & mundis animantibus, juxta canonem à te poſitum, animantibus veſci ante diluvium permiſſum fuit. Nihil enim Deo ſacrari ſolet, quod non ſit in uſu hominnm. Holocautomata an ſola oblata non alia fuerint ſacrificia, ante legem à Moſe datam, nunc non diſputo. Quod à gentibus ſola holocautomata admiſerint hæc ratio non fuit, quam tu putas, ac ſi reſpexerint ad prima tempora, cum res ipſa fieri aliter voluerit. Nam gentes ad conſortium menſæ admitti non poterant.

Gratiam ſuam Deus oſtendit & animadvertit eam Cain à ſe averſam, pronam in Abel. Reſpexit Deus ad Abel ejuſque munus ad Cain & ejus munus non reſpexit. מנחה vocatur generaliter, quomodo uſurpari ſolet vox קרבן. Potuit Deus acceptare hoſtiam Abel, Caini repudiare apud ſe non oſtendens palam, uti factum eſſe patet, quia animadverſum à Cain. Si Cain deprehendere potuit ſuum ſacrificium non placuiſſe, fratris placuiſſe Deo, potuit & Abel. Mercerus: *Hebræi credunt,* (Addo & Patres communiter) *quod igne cœlitus delapſo devorata ſint Habeli ſacrificia, inde intellectum quod ea accepta haberet, ſicut in holocauſtis Salomonis, in dedicatione templi poſteà eſt factum & in ſacrificiis Eliæ 1. Reg. 18. & alias deinceps ſæpe. Sed hic comminiſci miraculum, cum ſcriptura non exprimat, incommodum videtur. Adde quod ignis, ſacrificia, quæ comburebantur, utpote animalia, è cœlo devorabat, non ſacrificia cibaria, quæ non urebantur, ut erant Habeli. Quare videntur divinare & temere quidem Hebræi. Ego ex ſucceſſu rerum ſuarum id quidem putem eos cognoviſſe, quod Cain ſibi res malè cedere, fratri proſperrime videret, ſed aliquo & viſibili & præſenti ſigno, ut videmus Ethnicos, licet idolis ſacrificarent intellexiſſe cum litaſſent. Sed id ſignum ſcriptura nobis non exprimit. Certè Deum puto viſibili aliquo ſigno id tum declaraſſe, ut & poſteà legis tempore, ubi manifeſta ſigna ſui favoris & ſuæ pacationis exhibebat.* Litaſſe ſe, καλλιερῆσαι, cognoſcebant Ethnici è victimarum inſpectione & aliis ſignis, quæ ſuperſtitio finxerat, qualia non erant apud Judæos & populum Dei. Acceptam & gratam hoſtiam ſuam fuiſſe non potuit ſcire niſi ex ignis depaſtione, fumi in cœlum mirifico evolatu & recta aſcenſione. Fumum non aſcendere ſed ſpargi ſecundum terram videtur ſignum fuiſſe adſpernationis. Ad illud Virgilii --- qui fœdera fulmine ſancit, ſic Servius: *Quia cum fiunt fœdera, ſi coruſcatio fuerit, confirmantur: vel certe, quia apud majores aræ non incendebantur, ſed ignem divinum precibus elicie-*

eliciebant, qui incendebat altaria. Fulmine ſanciri fœdera aliud eſt quam igne divino aras accendi. Illa ignis cæleſtis eliciendi ratio fiebat magicis incantamentis, vel precibus quaſi καλλιερήματος indicium, quemadmodum ἐμπυρισμὸς potuit eſſe Abelo. Et magi eliciebant ignem, qui gloriabantur ſe numen cogere. Suidas: καὶ χριστιανοὶ μὲν τότε θεῷ καλλιεροῦσιν, ὅταν ἑαυτοὺς τῷ θεῷ προσαγάγωσι, πνεῦμα γεγηθημένοι συντετριμμένον καὶ καρδίαν τεταπεινωμένην. ἕλληνες δὲ τότε καλλιερεῖν νομίζουσιν ὅταν δαιμονί τινι θύσαντες αἰσίων ἐπιτύχωσι σημείων ἐν τῷ ἥπατι τοῦ ἱερείου. Καὶ τοῦτο καλοῦσι καλλιέρημα, ὅταν τῷ δαίμονι τὸ θῦμα ᾖ φίλον διὰ τῶν ἐπιφαινομένων ἀπατηλῶν σημείων. Hieronymus quæſtionibus in Geneſin: *Unde ſcire poterat Cain, quod fratris ejus munera ſuſcepiſſet Deus & ſua repudiaſſet, niſi illa interpretatio vera eſſet, quam Theodotio poſuit: Et inflammavit Dominus ſuper Abel & ſuper ſacrificium ejus, ſuper Cain vero & ſacrificium ejus non inflammavit? Ignem autem ad ſacrificium devorandum ſolitum venire de cælo & in dedicatione templi ſub Salamone legimus & quando Elias in monte Carmelo exſtruxit altare;* Quicquid ſit, verum eſt quod Apoſtolus: μαρτυροῦντος ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ τοῦ θεοῦ. Quænam cauſa Abeli ſacrificium fecit acceptum? Hic comminiſcuntur Judæi. 1. Terræ fructum ut maledictæ non ita gratum fuiſſe Deo, ideo ſe Abel ab ejus cultu ſeparaſſe. Sic Salomo Jarchius. 2. Sacrificaſſe ipſum de vilibus rebus & non primogenitis. Dicunt è granis lini: idque ridicula interpretandi ratione eliciunt ex dictione קרבן Ejus literæ ſunt קוף רֵישׁ בֵּית נון. Harum vocum extrema elementa faciunt vocem פשתן 3. Quia impius erat & profanus. Orthodoxi dictum Pauli aſſumunt. πίστει πλείονα θυσίαν Ἄβελ παρὰ Κάϊν προσήνεγκε τῷ θεῷ, δι' ἧς ἐμαρτυρήθη εἶναι δίκαιος. Notant etiam non dici ad Abeli aut Caini ſacrificium, ſed ad Abel & ejus Mincham, ad Cain & ejus Mincham. Unde colligitur ſacrificium non placuiſſe in ſe ſed ob perſonam. Perſona autem Deo placet ex fide. Fidei ſigna & fructus ſunt bona opera. Non igitur placuit Deo ob operum juſtitiam, ſed ob fidem, ut diſerte teſtatur Apoſtolus, quæ in perſona Deo placente, ſive quam Deo conciliavit conciliatque bona opera progenerat. Qui ſacrificabant in fide amplectebantur Jeſum Chriſtum hoſtiis illis repræſentatum: qui expiavit peccata noſtra, & in quo Deo placemus. Cain fide deſtitutus nec reſpiciens eum, in quo Deo accepti ſumus, quemque ſacrificia deſignant. Suidas igitur errat: ὁ γὰρ Ἄβελ τὰ πρωτότοκα τῷ θεῷ καθιερῶν, φιλόθεον μᾶλλον ἢ φίλαυτον καθίστη. ὅθεν καὶ διὰ τὴν ἀγαθὴν αὐτοῦ προαίρεσιν, ἀπεδέχθη, ὁ δὲ Κάϊν δυσσεβῶς ἑαυτῷ ἀπονέμων τὰ πρῶτα γεννήματα εἰκότως καὶ ἀπεβλήθη. Φησὶ γάρ, καὶ ἐγένετο μεθ' ἡμέρας τινάς, προσήνεγκε Κάϊν ἀπὸ τῶν καρπῶν τῆς γῆς, ὥστε διὰ τοῦτο ὁ Κάϊν ἐλεγχθεὶς ὅτι μὴ τὰ ἀκροθίνια γεννήματα προσήνεγκε τῷ θεῷ ἀλλὰ τὰ μεθ' ἡμέρας τινὰς καὶ δεύτερα. Duas cauſas innuit. Primam, quod non fuerit boni animi & propoſiti, ut Abel, in ſacrificando. Secundam, non ſumpſiſſe eum בִּכּוּרִים τὰ ἀκροθίνια γεννήματα. quæ ſibi ſervaverit, verum quæ poſt dies aliquot proveniſſent. Ita igitur τὸ מקץ ימים non ſignificavit tempus, quo Abel & Cain ſacrificarunt, verum quo provenerant, quæ ſacrificabat, genimina. Id etiam innui verbis objurgationis Divinæ; in quibus ex verſione Græca probetur fuiſſe iniquus diſtributor. Idem dicit Tertullianus libro adv. Judæos: *Conſequenter quoque ſobolem ejus Abel,* offerentem ſibi ſacrificia *incircumciſum nec ſabbatizantem laudavit accepto ferens, quæ offerebat in ſimplicitate cordis & reprobans ſacrificium fratris Cain, qui quod offerebat, non rectè dividebat.* Joſephus rem totam Καὶ κτείνει καὶ τὸν ἀδελφὸν ἐκ τοιαύτης αἰτίας. θῦσαι τῷ θεῷ δόξαν αὐτοῖς, ὁ μὲν Κάϊς ἀπὸ τῆς γεωργίας καὶ τῶν φυτῶν καρποὺς ἐπήνεγκεν. Ἄβελος δὲ γάλα καὶ τὰ πρωτότοκα τῶν βοσκημάτων. ὁ θεὸς δὲ ταύτῃ μᾶλλον ἥδεται τῇ θυσίᾳ, τοῖς αὐτομάτοις καὶ κατὰ φύσιν γεγονόσι τιμώμενος ἀλλ' οὐχὶ τοῖς

κατ'

κατ' ἐκείνους ἀνθρώπους πλεονέκτου κατὰ βίαν πεφυκόσιν. Commate ſexto & ſeptimo objurgat Deus Cainum, cui ira oborta erat, propterea quod videret fratrem ſibi prælatum. Iræ autem vehementia & animi impotentia cognoſcitur ex eo, quod vultus ejus dicatur concidiſſe. Objurgationem illam pleniſſimè diſcuſſam vide apud Cl. D. Rivetum in exercitationibus in Geneſin & Sixtinum Amama in Antibarbaro & Cenſura in vulgatam verſionem. Hugo Grotius Voce שאת vultum erectum bonæ conſcientiæ ſignum interpretatur. Peccati voce pœnam ſcilicet conſcientiæ horrorem accipit. *Culpam pœna premit comes* dicit Horatus. Græcam interpretationem & Julianum ſequi. Senſiſſe autem illos Græcos videri, oblata quidem à Caino, quæ fas erat offerri ſed non ſui generis optima aut certe minus decima, quæ ab antiquiſſimis ſeculis Dei portio ſit. Id probari infrà XIV. 20. XXVIII. 22. Veſtigia manere etiam in Græcis Latiniſque hiſtoriis paſſim. Sequentia verba, in quibus liberi arbitrii vires extolli adverſarii putant, explicat in hunc modum: *Repetendum ex eo, quod praceßit, ſi benè egeris: ut ſenſus ſit, Si benè; Abelis voluntas tuo imperio ſubjecta erit ut fratris minoris. Ita illa*, Sin autem male, ſtatim præ foribus peccatum aderit, *erunt dicta παρενθετικῶς, qualia & in his libris multa occurrunt: Vide Exod. 35. 29. & Num. 4. 7. Pſ. 99. 6. 7. Primogeniti enim per patris aut mortem aut abſentiam, quodammodo auctoritatem in fratres habebant: ſed hoc jus peccato amitti poterat, ut apparet infrà 49. 4. 1. Paralip. 5. 1. Adde 1. Reg. 1. 25. & ſequentia.* Accipimus, quæ dat Grotius, & hanc expoſitionem amplectimur: In hac explicatione Chryſoſtomum ſequitur hom. 19. in Geneſin. Hieronymus ita in hunc locum: *Et dixit* Dominus ad Cain: quare concidit vultus tuus? Nonne ſi recte offeras, non rectè autem dividas peccaſti? Quieſce, ad te converſio ejus, tu autem dominaberis ejus. *Neceßitate compellimur in ſingulis diutius immorari. Siquidem & nunc multò alius in Hebræo, quam in ſeptuaginta tranſlatoribus ſenſus eſt. Ait enim Dominus ad Cain:* Quare iraſceris & quare concidit vultis tuus? Nonne ſi benè egeris dimittetur tibi: & ſi non bene egeris, ante fores peccatum tuum ſedebit? & ad te ſocietas ejus ſed tu magis dominare ejus. *Quod autem dicit, hoc eſt:* Quare iraſceris & invidiæ in fratrem livore cruciatus vultum dimittis in terram? Nonne ſi benè feceris, dimittetur tibi omne delictum tuum: ſive ut Theodotio ait acceptabile erit: Id eſt munus tuum ſuſcipiam, ut ſuſcepi fratris tui? Quod ſi malè egeris, illico peccatum ante veſtibulum tuum ſedebit & tali janitore comitaberis. Verum quia liberi arbitrii es, moneo ut non tibi peccatum, ſed tu peccato domineris. *Quod autem in ſeptuaginta interpretibus fecit errorem illud eſt, quia peccatum id eſt* חטאת *in Hebræo generis maſculini eſt in Græco fœminini. Et qui interpretati ſunt, maſculino illud, ut erat in Hebræo, genere tranſtulerunt.* Hieronymus exiſtimat poſtrema verba ad peccatum pertinere, quæ videantur ex Græca verſione accipienda eſſe de alia re. Nos putamus illa verba debere referri ad Abel non ad peccatum, ut rectè accepit Chryſoſtomus. Archontici apud Epiphanium, ſic appellati à ſpiritibus quos cæli orbium & mundi principes conſtituebant, fabulati ſunt Serpentem Satanam cum Eva congreſſum eſſe & ex illo coitu conceptos editoſque Cain & Abel. Hos ut Satanæ filios mutuo flagraſſe odio; deinde utrumque ſororis amore exarſiſſe. Ideo Cain inſurrexiſſe in fratrem eumque interemiſſe. Hæc illi nugabantur è libris quibuſdam apocryphis, quæ pugnant cum ἀληθιναῖς γραφαῖς. Explicatis homicidii cauſis, ipſum facinus ſequitur. Primò blandis & fallacibus verbis fratrem domo in agrum, ubi ſoli eſſent, pellicit: Verba, quibus allocutus eſt Cain, ponuntur in Græco: Διέλθωμεν δὴ εἰς τὸ πεδίον. *Egrediamur foras.* Iterum Grotius;

tius; *Quod addidit & Samariticus, ut notatum & Hieronymo & Cyrillo. Addidêre & Syrus & Hieroſolymitanus & Ionathan: In Hebræo per compendium id omittitur, quia ex his, quæ ſequuntur, quid Cain dixerit, ſatis intelligi poteſt. Reticentias tales ſupplendi libertatem non inutilem ſæpe ſibi ſumunt interpretes.* Recte Samariticum codicem ex eo non vult agnoſci poſſe pro authentico, quod hic convenit cum Latina & Græca editione aut ideo Hebræa editione eſſe meliorem. Quia illa interpretatio ſit potius & indicium ſcriptionis aliquid adjicientis pro libertate ſua. Hieronymus: *Et dixit Cain ad Abel fratrem ſuum. Subauditur ea quæ locutus eſt Dominus. Superfluum* ergò eſt, quod in Samaritanorum & noſtro volumine reperitur: Tranſeamus in campum. Fabulas plurimas in commentariis ſuis habent Hebræi de colloquio & rixa inter fratres. Exiſtimant etiam colluctatos eſſe & Habelem proſtraviſſe Cainum, qui inde majore niſu inſurgens occiderit fratrem. Hebræa vox ויקם id non indicat. Simpliciſſima & convenientiſſima Hebræo textui interpretatio erit, quod Cain blandis & fallacibus verbis fratrem in agrum ſolus ſolum eduxerit, animo conceptam occultans occidendi voluntatem. Inde adortus ſit ex improviſo & inopinantem trucidaverit. Sic enim verba ſonant: *Et factum eſt cum eſſent in agro, inſurrexit Cain in Abel fratrem & interemit eum.* Cain *effectus* (verba Proſperi) *contemptor Divini mandati, ſuperbiæ caput, author invidiæ, princeps illatæ mortis, primus in hominibus parricida.* Hoc primum homicidium & fratricidium. In perſonis duorum fratrum electio & reprobatio Dei, eccleſia ſanctorum & malignantium repræſentata eſt. Eligit Deus fratrem minorem, majorem ſpernit, qui ſcelere ſuo jure πρωτοτοκίων excidit: Reprobus & impius electum & ſanctum perſequitur. Ita ſanguine ipſa Eccleſiæ primordia reſperſa ſunt. Hinc natæ deinceps duæ in mundo civitates, & vixit viguitque odium inter ſemen mulieris & ſerpentis. Quo inſtrumento fratrem è vita deturbaverit, fruſtra quæritur, cum præter ferrum, oſſa, lapides, ligna poſſit ſceleratas armare manus. Rectè Aben-eſdras: הקרוב אלי שאמר לו כל התוכחות שהוכיחו השם ושואלים נולדו ביום סריר ישאלו איך הכהו ואין חרב זאת שאלת תהו כי יהרגהו בחנק בידו ואלף עץ ואבן נמצאים *Amicus meus eſt qui dicit ipſi omnes increpationes, quibus increpuit eum Dominus & moleſti interrogatores ſunt, qui quærunt quomodo percuſſit eum, cum gladius nullus eſſet; Eſt hæc interrogatio inanis. Nam interfecerit eum manu, laqueo & mille ligna ac lapides inveniri poterant.* Sarculum dicit Prudentius in præfat. Hamartigenias.

Fratres ephebi, foſſor & paſtor duo,
Quos feminarum prima primos procreat,
Siſtunt ad aram de laborum fructibus.
Armat deinde parricidalem manum
Frater, probatæ ſanctitatis æmulus;
Germana curvo colla frangit ſarculo,
Mundum recentem cæde tinguit impia.

Tyrinus: Interfecit eum] *Non mandibula, ut fingunt pictores, ſed ruſtica furca ſeu lignea ſeu ferrea, quam manu ſecum ſine ſuſpicione de more ferre ſolebat. Interfectus eſt autem Abel veroſimillimè anno ætatis ſuæ 129. mundi 130. Nam natum anno ſecundo mundi conditi & occiſum eodem anno, quo natus & illi ſubſtitutus eſt Seth, hoc eſt 130. ex ſcripturis deducunt Cajetanus, Pererius, Torniellus & alii.*

Id primum commiſſum eſt homicidium ea prima narratur mors, quæ non evenit Adamo, mortis primæ & principali cauſæ, ſed filio ſancto & pio, in quo mortis imperium ex fide in ſemen promiſſum infractum erat. Theodoretus ad quæſtionem, Quare cum Adam peccaſſet, juſtus Abel primus mortuus eſt? ſic reſpondet Σαθρὸν ἠβουλήθη ὁ Θεὸς γενέσθαι τὸν τοῦ θανάτου θεμέλιον. Εἰ γὰρ Ἀδὰμ πρότερος ἐτελεύτησεν ἔσχεν ἂν ἐκεῖνος ἰσχυρὰν τὴν κρηπῖδα, πρῶτον νεκρὸν τὸν ἡμαρτηκότα δεξάμενος. ἐπειδὴ δὲ τὸν ἀδίκως ἀνῃρημένον ἐδέξατο πρῶτον, σφαλερὸν τὸ θεμέλιον ἔχει. Hoc videtur ſignificare, quod mors primò occurrerit homini juſto & quidem per vim illata ſit & injuriam. Qui primus à morte proſtratus eſt, eſt inſtar fundamenti, cui inſiſtit, graſſatura inde in cæteros. Hunc autem accepiſſe non ex naturæ debiti ratione, verum per injuriam. Ita precario & lubrico fundamento inſiſtens, conceſſo è liberalitate & non occupato, penituſque alieno. At hoc magni adeò momenti non eſt. Nihiloplus juris mors in Adam quam in Abel habuit. Uterque peccavit, uterque gratiam invenit. Cædes etiam & omnis violentia eſt de modis illis, quibus mors jure ſuo graſſatur. Illo tempore Deus cum homine verſabatur frequenti alloquio, eoque ipſe Eccleſiæ ſæpe diſciplinam ſæpe etiam judicia πολιτικὰ exercuit per ſe. Verſabatur præcipuè in loco ſacri conventus. Quo ſancti ſolebant coïre. Inquiſivit Deus in facinus. Occaſionem Joſephus inquirendi præbitam vult eſſe ex eo, quod Abel, multis jam diebus non comparuiſſet. Nempe non eſt à Deo judicium factum mox à patrato homicidio, ſed ſpatium datum parricidæ redeundi ad ſe & ſic etiam compellandi commoda quæſita occaſio ex eo, quod non compareret de more frequentator ille ſacri loci. Diligenter etiam abſconderat fratris cadaver ne facinus proderetur. Joſephus: Καὶ τὸν νεκρὸν αὐτοῦ ποιήσας ἀφανῆ, λήσειν ὑπελάμβανεν. Ὁ δὲ Θεὸς συνεὶς τὸ ἔργον ἦλθεν πρὸς τὸν Κάϊν, περὶ τοῦ ἀδελφοῦ πυνθανόμενος, ποῖ ποτε εἴη. Πολλῶν γὰρ ἡμερῶν οὐκ οἶδεν αὐτὸν τὸν ἄλλον χρόνον ἅπαντα μετ᾽ αὐτοῦ βλέπων αὐτὸν ἀναστρεφόμενον. Οἶδεν pro εἶδεν dixit. Et verſari cum Deo Joſepho eſt verſari in loco, ubi ſe Deus manifeſtat & colitur. Rogat Deus non ignorans, ſed ut confeſſionem facti extorqueret.

Cain reſpondet Se neſcire. Se enim cuſtodem fratris ſui non eſſe. Joſephus iterum: ὁ δὲ Κάϊς ἀπορούμενος καὶ οὐκ ἔχων ὅτι λέγοι πρὸς τὸν Θεὸν, ἀμηχανεῖν μὲν καὶ αὐτὸς ἔφασκεν τὸ πρῶτον, ἐπὶ τἀδελφῷ μὴ βλεπομένῳ παροξυνθεὶς δὲ τοῦ Θεοῦ λιπαρῶς ἐγκειμένου καὶ πολυπραγμονοῦντος, οὐκ εἶναι παιδαγωγὸς οὐδὲ φύλαξ αὐτοῦ καὶ τῶν ὑπ᾽ αὐτοῦ πραττομένων ἔλεγεν. Duplicem eſſe reſponſionem eoque interrogationem Dei iteratam exiſtimat. Illud לא ידעתי interpretatur ἀμηχανῶ. Poſteriora verba παροξυσμὸν indicant, quem Joſephus putat expreſſum urgente Deo. Tantum abeſt, ut ſcelus confiteatur; quo veniam impetret, diſſimulat non ſine impudentia & petulantia verborum. Dilutum eſt, quod habetur in כלי יקר/ exiſtimaſſe Cain, שיש לא עון בדבר ההריגה & neſciviſſe ſe, quod teneretur לשמור את ראש אחי. Nam certum & evidens ſatis, quod factum ipſum neget, non quærat de iniquitate facti & jure. At dicunt: פליאה גדולה על קין איך אמר לא ידעתי אם טעה בוא לומר לא יראה יה ולא יבין במעשה התחתונים אם כן למה הקריב מנחה לה׳. Salomo Iarchi recte, נעשה כגנב דעת העליונה׃ Sciebat quidem Deo nihil eſſe ignotum aut occultum, at animi ferocia καὶ ἀμετανοήτου καρδίᾳ proterva & ſuperba evomuit.

Cum frontem perfricaret nefarius parricida, intonuit Deus: *Quid feciſt.? Vox ſanguinum fratris tui clamantium ad me de terra.* Quibus verbis eum convicit delicti. Quid feciſti? Non eſt interrogantis ad ſciendum ſed admirantis potius & obſtupeſcentis. דמים cædes. *Ad me*, qui ſum juſtus judex & cujus eſt ſanguinem innocentem ulciſci. A me vindictam poſcit. Omnia ego

 video

video & humanum genus per juſtitiam adminiſtro. Proinde tam grande delictum inclamat me & poſcit vindictum. Clamorem auribus meis quaſi inſonantem percipio, negare non potes. Senſum expreſſit Joſephus, *καὶ θαυμάζω, φησὶν, εἰ περὶ ἀνδρὸς ἀγνοεῖς εἰπεῖν τί γέγονεν, ὃν αὐτὸς ἀπολώλεκας;* Hebræi pluralem vocem צעקים referunt ad filios Abel, quos genuiſſet ſuperſtes factus à cæde. Sic Abeneſdra. Thargum dicit, על בנין שהוו בכחו להולידם Salomo Jarchi דמו ודם זרעיותיו. *Sanguis ejus & ſanguis poſteritatis ejus.* Sed nihil hoc: Mors violentè & per injuriam illata, cædes injuſta vocatur דמים & illa cædes clamat.

Convictum damnat: Pœna cui addicitur, maledictio terræ id eſt operis in quo occupabatur Cain. Generalis enim illa maledictio, ad omnes pertinet, hic autem pœna ſpecialis. Impii in ſuis operibus & negotiis infelices ex Dei eos perſequente maledictione. Secundam pœnam conſtituebat exilium. Uti terra ſanguinem biberat Abel, ita eadem in facinoris memoriam erat negatura fructum. Locus idem & ſubjectum idem quod crimine infectum & violatum eſt, pœnæ materiam & modum dat. Cain audita Dei judicis voce illa animum feriente & pronuntiante pœnam, cujus ipſum reum peragebat ſua conſcientia, trepidat, non ita de venia peccati quam pœna ſolicitus. *Major* eſt pœna (iniquitas) מִנְּשׂא. Id quidam exponunt, quam ut remitti poſſit, alii quam ut ferre poſſim. Deſperationem ob magnitudinem culpæ prima expoſitio ſignificat, quaſi inſtar Judæ cœperit angi conſcientiæ horrore. Altera ſignificat oculos ipſius potius defixos fuiſſe in pœnam, cujus ſe animus ſuus reum fateretur. Lyranus: *Exponunt catholici doctores depreſſive & affirmative, dicentes, quod Cain deſperatus dixit: quod tantum erat peccatum ſuum quod non cadebat ſub Dei miſericordia. Unde dicit Aug. Mentiris Cain major eſt Dei miſericordia, quam omnium peccatorum miſeria. Doctores autem Hebræi exponunt prædictum verbum interrogative & negative, ac ſi diceret Cain: Eſtne peccatum meum tantum, quod non poſſum mereri veniam? Ac ſi diceret, Non. Per hoc indicans quod Deus puniebat eum ultra condignum.* Deus pronuntiat vagum fore & profugum horrentem omne hominum conſortium, metu & tremore meriti ſupplicii. Cum etiam ſit naturale abominari homicidam. Et huc ſpectare Cainum indicant ſequentia. Sic enim pœnam ſuam ipſe depingit: *Expellis me hodie à terra, abſcondar à facie tua.* Tum: *Ero vagus & profugus ſuper terrâ.* Porro, *Futurum eſt, ut omnis qui me invenit, occidat me.* Primum eſt, quod umbra Dei ab ipſo receſſerit, ut loquitur, Ramban apud Mercerum. Horrebat faciem & conſpectum Dei, omnemque ejus recordationem, quem ſibi infenſum eſſe ſciebat. Angorem igitur trepidantis conſcientiæ ipſi impoſuerat Deus, ut in pœnam ſupereſſet. Alterum, exilium & fuga, ut nuſquam ubi homines eſſent, poſſet ſecurus manſionem figere. Tertium: Quivis occurrens infeſtus futurus erat & abominaturus homicidam. Videtur ea tempeſtate lex illa *ἀγχιστείας* fuiſſe in uſu. Ita cum omnes Abel ſanguine contingerent, qui erat occiſus, ut imminerent ejus cædi, futurum erat. Aut ſimpliciter ſignificatur communis illa hominum abominatio in homicidam & quidem fratris. Aben-eſdras teſtatur communem fere eſſe interpretationem, quod Cain confeſſus fuerit peccatum & condonationem deſperaverit. Rationem hanc ejus ſententiæ dat, quod Hebræi ענש & יקראו העקב שכר appellant malum adveniens propter עון & peccatum. Scilicet aliæ non hæ voces denotant afflictionem & remunerationem. Ipſe tamen arbitratur pœnæ notionem convenire huic loco והטעם כי זה העונש גדול לא אוכל לסבלו ותורה על אמתת זה הפירוש הפסוק הבא אחריו. Faciem Domini exponit

locum,

locum, in quo יְקַבֵּל *robur & videtur potentia Dei, etſi univerſum plenum ſit gloria ejus. Omnis* qui *invenit*, exponitur à Joſepho de feris. Cum nulla ratio dictet, feras eſſe potius multiplicatas quam homines.

Ejus quiritationem & lamenta hactenus reſpexit Deus. Noluit eum occidi, idque ſigno, illi impoſito prohibuit. Jam audiamus Joſephum de tota re iſta Variat enim: addit, quæ non invenimus in textu. Τῆς μὲν οὖν ἐπὶ τῷ φόνῳ τιμωρίας αὐτὸν ἀφίησι, θυσίαν ἐπιτελέσαντα καὶ δι' αὐτῆς ἱκετεύσαντα μὴ λαβεῖν ὀργὴν ἐπ' αὐτῷ χαλεπωτέραν. ἐπάρατον δ' αὐτὸν τίθησι καὶ τοὺς ἐγγόνους αὐτοῦ τιμωρήσασθαι κατὰ τὴν ἑβδόμην ἠπείλησε γενεάν. Καὶ τῆς γῆς ἐκείνης αὐτὸν ἐκβάλλει σὺν τῇ γυναικί. Τοῦ δὲ μὴ θηρίοις ἀλώμενος περιπέσῃ δεδιότος καὶ τοῦτον ἀπολεῖται τὸν τρόπον ἐκέλευε μηδὲν ὑφορᾶσθαι σκυθρωπὸν ἀπὸ ταύτης αἰτίας. Ἀλλ' ἕνεκα τοῦ μηδὲν αὐτῷ ἐκ θηρίων γενέσθαι δεινὸν διὰ πάσης ἀδεῶς χωρεῖν γῆς. Καὶ σημεῖον ἐπιβαλὼν ὡς γνώριμος ἂν εἴη προσέταξεν ἀπιέναι. *Remittit igitur ipſi pœnam cadis, cum feciſſet ſacrificium & per hoc rogaſſet ſupplex ne in ipſum gravius quid conſuleret. Maledictum quidem conſtituit & nepotes ejus puniturum in ſeptima generatione minatus eſt. E terra iſta ipſum expellit cum uxore. Cum autem Cain metueret ne in vagationibus ſuis in feras incideret & hoc modo periret, jubet nihil triſte timere ab hac cauſa. At quia ipſi nil mali eventurum erat, per omnem terram ſecure vadere. Cumque impoſuiſſet ipſi ſignum ut noſcibilis eſſet mandavit diſcedere.* Cain ſacrificio facto & fuſis precibus ſupplicaſſe Deo non eſt in Moſe. Timuiſſe feras putavit hiſtoricus, ut in ea paucitate hominum cum præter Adam & Evam nulli alii homines eſſent è Joſephi mente. Exilium per univerſum orbem indictum eſſe Caino exiſtimat. At ſola ea terra, in qua homines erant, ei interdicitur & facies Domini. In ſeptimam generationem differri dicit pœnam parricidii. Signum appoſitum, quo arceretur impetus ferarum. Putabat Joſephus ſeptimam generationem à Cain, id èſt Lamech exſoluturum pœnas parricidii Cain. Abeneſdra & Salomo Jarchi putant Cain quidem in ſeptima generatione puniendum, id eſt eo uſque differri ſupplicium non tamen in nepote at in proprio corpore luendum. Salomo dicit verba ea לכן כל הרג קין eſſe increpationem per ἀποσιώπησιν nec ſequentia connecti. In ſequentibus enim dici, quando ultio eſſet eventura Caino. Priora verba eſſe decurtata. לא פירש מה יעשה לו ſed eſſe דבר קָצָר, Sermonem, ubi innuitur, non exprimitur, id eſt ἀποσιώπησιν. Sic & Abeneſdras והטעם כי השם האריך אפו על קין עד שבעה דורות ואל תתמה לחשוב איך חיה כל אלה השנים והנה שת אחיו חיה עם נח שנים רבות *Et ſenſus, quod Deus diſtulerit iram ſuam in Cain uſque ſeptem generationes nec mirere cogitando quomodo vixit omnes hos annos, Ecce Seth frater ejus vixit cum Noë annos multos.* Ejus igitur dicti שבעתים יקם קין varia eſt expoſitio. I. Quidam volunt pœnam à Cain tolli ſimpliciter. II. Alii tolli ab ipſo ſed in ſeptimam prolem transferri. III. Alii non tolli à Cain, ſed differri in ſeptimam ætatem. Qui pœnam à Cain ſimpliciter tolli volunt, illi illud שבעתים pœnæ in occiſorem Cain deſignationem habere volunt. Hæc igitur noſtra & ſimplex expoſitio eſt hodie. Vulgatus: *Omnis qui occiderit Cain ſeptuplum punietur. Alia* (inquit Nauclerus) *tranſlatio habet: Omnis, qui occiderit ſeptem vindictas exſolvet.* LXX. ἑπτὰ ἐκδικούμενα παραλύσει. Septuplum id eſt gravius longè & atrocius. Numerus finitus pro infinito. Ita ſeptenarius numerus frequenter ponitur in ſacris literis. Hoc ſimpliciſſimum. Nempe eſt comparatio ad ſupplicium à Cain commeritum, aut pœna homicidii ſeptuplicata. Fruſtrà eſt Chryſoſtomus, qui ſeptem peccata enumerat in Caini parricidio I. Invidit. II. Fratrem ſuum occidere deſtinat. III. Fraudes conſuit. IV. Cædem opere implet. V. Fratrem

trem germanum occidit. V I. Primus mortem operatus eſt. VII. Deo mentitus eſt. Aliter ſeptem peccata Cain enumerat Hieronymus. Fruſtrà eſt uterque, quia non peccata Caini luiturus eſt homicida Caini, ſed proprium id eſt homicidium, quo occiderat Cainum. Hieronymus ad Damaſum quæſtione prima prolixus eſt. Non patitur à Cain ſupplicium tolli. Secundum LXX & Theodotionis verſionem, ita interpretatur, *Deus, inquit, nolens eum compendio mortis finire cruciatus nec tradens pœnæ, qua ſe ipſe damnarat, ait, Non ſic, id eſt non ut exiſtimas morieris & mortem pro remedio accipies: verum vives uſque ad ſeptimam generationem & conſcientiæ tuæ igne torqueberis, ita ut quicunque te occiderit, ſecundum duplicem intelligentiam, aut in ſeptima generatione, aut ſeptimo te liberet cruciatu. Non quod ipſe, qui occiderit Cain ſeptem ultionibus ſubjiciendus ſit, ſed quod ſeptem vindictas, quæ in Cain tanto tempore concurrerunt, ſolvat interfector, occidens eum, qui vitæ fuerat derelictus ad pœnam. Vt autem quod dicimus, manifeſtius fiat, quotidianæ conſuetudinis ponamus exemplum. Loquitur inter verbera ſervus ad Dominum, quia incendi domum tuam & univerſam ſubſtantiam tuam diſſipavi, interfice me. Dominuſque reſpondet, Non ut vis morieris &c.* Hieronymus ob veterem ſententiam, quod à Lamech occiſus eſſet Cain, coactam illam interpretationem commentus eſt. Igitur multi Hieronymum ſecuti ſunt, Anſelmus, Rabanus, Strabus, Comeſtor, Liranus. Deinde Lipomanus, Cajetanus, Genebrardus, Delrio, Salianus, Pererius, Bonfrerius & alii. Coacta eſt interpretatio. Nam quomodo τὸ שבעתים exponi poteſt in ſeptima generatione? Deinde manifeſtum eſt, quod Deus Cain immunem à ſupplicio eſſe voluerit. Et quid eſt quare in ſeptima generatione ab Adam puniendus eſſet? Coacta etiam eſt illa verborum Lamech expoſitio, ut infra videbimus. Rationes, quare Deus Cainum voluerit eſſe ſuperſtitem: I. Ut exemplum ſupereſſet parricidæ miſeris conſcientiæ morſibus agitati & expulſi ab eccleſiæ communione. II. Ad mundi conſervationem. Si enim Cain fuiſſet occiſus eum occiſorem alius in vindictam Caini tollere potuiſſet, atque ita janua cædium licentiæ patefieri & miſerandis cladibus, cum nondum judicum poteſtas gladio armata à Deo eſſet. Adde (inquit Mercerus) quod hac diuturnitate voluit eum ſi quo pacto ſanabilis eſſet, ad pœnitentiam invitare. Summus vir Hugo Grotius, dicit nondum fuiſſe opus exemplo ob hominum raritatem aut paucis adhuc graſſantibus. Ideo quod naturaliter licitum videbatur, edicto repreſſiſſe Deum & contractum quidem ac commercium homicidæ defugi voluiſſe at vitam ei non eripi. Lyrani & Pauli Burgenſis adverſas ſententias de pœna ſeptupli hoc loco exhibere libet. Lyranus: *Advertendum tamen, quod iſta litera:* Sed omnis qui occiderit Cain &c. *exponitur communiter ſic intelligendo, quod occiſor ipſius Cain debeat ſeptuplum puniri quam ipſe Cain: ſicut videtur ſonare tranſlatio noſtra. Sed quomodo iſtud ſit rationabile & quomodo fuerit adimpletum non videtur, quia ille qui occidit Cain, multò minus peccavit quam ipſe Cain: & ideo non videtur rationabile quod debeat ſeptuplum puniri reſpectu illius. Modus etiam adimpletionis prout communiter aſſignatur non videtur rationabilis. Dicitur enim communiter, quod Lamech interfecit Cain: & punitio ejus ſeptupla fuit, quia in diluvio fuit ſubmerſus cum multis, qui de eo deſcenderant: ſed hac punitio non plus videtur pertinere ad Lamech, quam ad alios homines illius temporis, qui omnes fuerunt ſubmerſi, excepto Noë & filiis ſuis. Item Lamech deſcendit de Cain & ideo filii Lamech erant filii Cain: & ideò tali punitione fuiſſet punitus Cain, ſicut & Lamech. Propter quod aliter exponunt Hebræi dicentes, quod iſta punitio ſeptupla refertur ad mortem Cain: ſic exponendo literam:* Omnis, qui occiderit

ciderit Cain: *Ibi eſt punctus & finis ſententia. Et ſubintelligitur,* graviter punietur: *ſed modus punitionis non exprimitur. Et talis modus loquendi in pluribus locis eſt in ſcriptura, ſecundum literam Hebraicam, ut patet per exempla ſupradicta de verbis Cain ad Abel. Quod autem ſubditur ſecundum noſtram tranſlationem:* Septuplum punietur, *ſecundum proprietatem Hebraici ſermonis dicitur:* Septenis punietur. *Quia in fine ſeptem generationum, Cain poſt multas miſerias interfectus eſt à Lamech in ultionem ſanguinis fratris ſui. Quod autem tunc eſſent completa ſeptem generationes patet: quia ab Adam uſque ad Lamech ſunt ſex generationes: & Lamech antequam interfecit Cain, jam erat cacutiens ex ſenectute: & ſic currebat ſeptima generatio.*

Ad hæc Burgenſis addit. 5. cap. 4. Gen. *Hac expoſitio ultima, qua videtur probari à Poſtillatore eſt ipſius Rab. Sal. & eſt valde inconſona litera. Tum quia dicere, quod cum dicitur:* Omnis qui occiderit Cain: *eſt ibi finis ſententia: & quod ſubintelligitur graviter puniendus & ſubticetur modus punitionis, totum hoc in vanum fundatur: & contra literam, qua ſtatim exprimit, gravitatem punitionis illius, qui Cain occiderit. Sequitur enim immediate:* Septuplum punietur. *Tum quia veritas Hebraica in hoc loco nihil ſignificat niſi ſeptuplum: prout tranſlatio noſtra habet. Idem enim vocabulum ponitur hic & in pſalmo, ubi dicitur:* Probatum terræ purgatum ſeptuplum. *Et Eſai. 30. cap. cum dicitur,* Et lux ſolis erit ſeptempliciter: *& ſic in aliis conſimilibus. Vnde ab aliis expoſitoribus Hebraeorum & magis autenticis alio modo exponitur hac litera ab hoc loco, ubi dicitur,* Major eſt iniquitas mea &c. *Ad quod ſciendum quod ſententia Divina contra Cain à Deo lata fuit gravior quam ſententia lata contra Adam in tribus*, Hæc tria recenſet I. Deus non maledixit Adam ſed terram &c. In ſententia contra Cain expreſſe Maledictus eris &c. II. In ſententia Adæ non haberi, quod non daret fructus ſed quod fructus habiturus eſſet in labore & ſudore. Sed circa Cain dici: Non dabit fructus ſuos. III. Adæ aſſignatus fuit locus connaturalis ad habitandum, in quo formatus: Ad Cain dicitur, Eris vagus & profugus. Subjicit Burgenſis: *Qua quidem Dei ſententia à Cain audita deſperans de venia dixit:* Major eſt iniquitas mea quam ut veniam merear. *Petivit tamen quod non puniretur, ultra hoc, quod in ſententia continebatur ſc. pœna occiſionis: qua non continetur in ſententia prædicta, ut patet ex litera. Ad quod dicebat,* Ecce ejicis me è facie terræ: & à facie tua abſcondar &c. *Hoc eſt dicere, Tu non condemnaſti me occiſionis: & tamen ex tua ſententia hoc ſequitur. Quia ex hoc quod projicis me ut ſim vagus & profugus ſuper terram non potero habere refugium in loco aliquo munito: & ſic non poſſum facere aliquid ad meam tuitionem: nec etiam ero in protectione tua, eo quod me maledixiſti: & de hoc dicit,* Et à facie tua abſcondar. *Illi enim, qui à Deo proteguntur, dicuntur abſcondi à facie Dei. Iuxta illud pſal.* Abſcondes eos facie tua à conturbatione hominum &c. *Ex quibus infert, quod iſto modo incedendo vagus & profugus in terra, Omnis qui invenerit me, occidet me: & per conſequens Cain pateretur injuſtitiam: quia ultra ſententiam à Deo taxatam ut dictum. Ad quod Deus condeſcendens ſua petitioni tanquam juſta: quia ſcribitur.* Non judicabit Deus bis in idipſum, *Reſpondit, Nequaquam ita fiet: Hoc eſt dicere:* Nolo quod tu patiaris ultra pœnas à me taxatas. *Vnde ad tuitionem ipſius Cain Deus duo fecit. Primò comminatus eſt magnam pœnam, cuicunque occiſori ipſius Cain, ſc. quod puniretur in ſeptuplum, prout plane litera ſonat tam Hebraica quam Latina ut dictum eſt. Secundum etiam Deus fecit ad ſecuritatem ipſius Cain ab occiſione, quod ſequitur, ſc.* Poſuit Deus in Cain ſignum, ut eum non interficeret omnis, qui eum inveniſſet. *Quod autem fuiſſet iſtud ſignum, non exprimitur in litera. Et*

ideo diverſi diverſa dicunt: ſufficit tamen quod erat ſignum ſufficiens, ut Cain eſſet ab occiſione ſecurus. Qua quidem expoſitio ſatis videtur conſona litera & rationi, non obſtantibus rationibus poſtillatoris. Nam quod objicit dicens. Quod occidens Cain, multo minus peccaſſet quam ipſe Cain & ideo non debet ſeptuplum puniri reſpectu illius, *non videtur valere. Nam occiſioni Cain debebatur major pœna, in quantum erat contra ſpecialem ſecuritatem divinam, qua Deus eum ſecuraverat, cum appoſitione ſigni ſecuritatis, ut dictum eſt: cujus fractionis Deus taxavit majorem pœnam, quam in aliis homicidiis ratione ſecuritatis ſupra dicta. Et etiam quia majores pœna taxantur quandoque majoribus criminibus, in quibus homines ſunt proniores ad delinquendum ſicut erat in propoſito. Nam proniores eſſent homines ad occidendum Cain ex gravitate ſua malitia præterita quam alium hominem. Quod autem objicit poſtillator ſecundo contra modum adimpletionis hujuſmodi Comminationis, dicens, quod Cain fuit interfectus à Lamech &c. non videtur etiam valere. Nam ex litera non habetur, quod Cain fuiſſet interfectus à Lamech, niſi ab alio aliquo hoc ſumeretur: cui concordat Hieronymus, de quæſt. vet. & Nov. Teſt. dicens, Fruſtra putant, qui arbitrantur, quòd Lamech dixerit ad Cain* (fortaſſis leg. de Cain) *occidi virum in furore meo & Iuvenem in vulnere meo. Hoc etiam ſonat planus ſenſus litera. Cum enim Cain Deo dixiſset*, Omnis, qui invenerit me, occidet me, *Deus ſtatim reſpondit*, Nequaquam ita fiet: *Vnde non videtur rationabiliter dictum, quod aſſertio Divina fruſtraretur: & ideo ſecundum iſtam expoſitionem tenetur quod Cain nunquam fuerit interfectus: ſed ſolum fuerit punitus juxta Divinam ſententiam contra eum latam, ut dictum eſt, uſque ad diluvium. In quo quidem Diluvio ſecundum quoſdam de antiquis Hebræorum ſubverſus fuit Cain & tota poſteritas ejus. Ideo dicunt, quod Scriptura non dicit, quanto tempore vixerit Cain, nec etiam aliquis de ſuis ſucceſſoribus, ſicut de aliis ponit: eo quod omnes uno & eodem tempore vitam finierunt. Et probabiliter poteſt dici, quod Deus voluit tueri Cain ab occiſione, ut pœna ſui facinoris diuturnius ab hominibus perciperetur, quam ſi modicum tempus duraſſet ſub ea: Sicut etiam voluit eum per mundum diſcurrere vagum & profugum, ut non ſolum in uno loco ſeu regione, ſed multis & variis juſtitia Dei ergà ipſum oſtenderetur &c.* Matthias Doring tuens Liranum dicit eum expoſitionem iſtam, quam Hebræis tribuit ſumpſiſſe à Joſepho & magiſtro ſententiarum. Objicit Burgenſi, quod videre volens inniti literæ, in multis ſuppoſitionibus à litera recedat. Præcipuè carpit, quod ſupponat Cain diluvio interiiſſe. Deinde quod petitioni ejus ut juſtæ Deum dicat condeſcendiſſe. Juſtam petitionem eſſe non vult, quaſi ejus tem Cain eſſet commeritus: ſed juſtam, quia ſententiam Dei ſuo loco eſſe permitteret & videtetur petere, quod illi ſententiæ non contrariaretur. Et de Cain ejuſque poſteritatis ſubmerſione in diluvio proferat Hebræorum ſententiam non ſuam.

Quod ſignum Deus Caino poſuerit, non expreſſit Moſes. Nauclerus! *Et poſuit Deus ſignum in Cain tremorem capitis.* Sic veteres. Nempe ex eo, quod Græci Hebræum נָע וָנָד expreſſerint στένων καὶ τρέμων. Judæi multa nugantur de hoc ſigno. Cornu fuiſſe volunt aut fiduciam cordis loco pavoris. Exiſtimant verbis Dei fidem eſſe factam retrogradatione ſolis ſcilicet ut crederet ſe eo ſigno tutum fore. Alii canem ei aſſignatum in comitem viæ, unde agnoſceretur. Vile animal hominis damnationem ad vilitatem ſignificabat. Alii literam de nomine Dei in fronte, alii rotam luminis ſolaris &c. Oportet ſignum hoc fuiſſe viſibile & in ipſo Cain, ut dicit textus, unde manifeſto indicio cognoſcerent obvii quod eum Deus inviolatum eſſe vellet.

De exilio Caini ejuſque poſteritate.

CAin igitur à facie Dei, è Terra Eden pulſus in exilium conceſſit. Regio in quam profectus eſt, dicta eſt נוד / LXX dicunt Naid, Joſephus flexione Græca Nais Naïdos. Exiſtimo nomen ſortitam eſſe à Caini ſorte & calamitate. Poſita fuit ad orientem Eden. In Aſſyriæ igitur Tranſtigitana regione. Illic urbem condidit & genus propagavit.

Filium Enoch Habuit] Cain genuit filium Enoch nomine, quem ſi primogenitum fuiſſe exiſtimes, procreaverit ante exilium & parricidium. חֲנוֹך. Hebraice. Hujus de nomine in terra Nod civitatem condidit Cain. Fuit ab ortu Edenenſis regionis. Id eſt, ut Abeneſdra vult צפון מקדם à ſeptentione horti. Sed unde hoc? Salomo terram eam eſſe vult, שכל הגולים נדים שם. Et omnem plagam orientalem cujusvis ſcilicet terræ recipere homicidas, quomodo & Moſes diſpoſuerit. Aut terram Nod eſſe quamcunque adierit, quod terra ab eo tremuerit מזדעזעת / cum omnes creaturæ dicerent: recedite ab eo זהו שהרג את אחיו· *Hic eſt, qui fratrem occidit.* In eadem terra Nod exulaſſe Adam expulſum à Paradiſo, quia ad ortum cuſtoditus aditus horti. Atqui conſtat abiiſſe Cain è regione, in qua Adam erat. Vitam Caini in exilio ſic deſcribit Joſephus: Πολλὴν δὲ ἐπελθὼν τὴν γῆν, ἱδρύεται μετὰ τῆς γυναικὸς κατὰ Ναΐδα τόπον οὕτω καλούμενον. Καὶ αὐτόθι ποιεῖται τὴν κατοίκησιν, ἔνθα αὐτῷ καὶ παῖδες ἐγένοντο. Οὐκ ἐπὶ νουθεσίᾳ δὲ τὴν κόλασιν ἔλαβεν ἀλλ' ἐπ' αὐξήσει τῆς κακίας ἡδονὴν μὲν πᾶσαν ἐκπορίζων αὐτοῦ τῷ σώματι, κἂν μεθ' ὕβρεως τῶν συνόντων δέοι ταύτην ἔχειν. αὔξων δὲ τὸν οἶκον πλήθει χρημάτων ἐξ ἁρπαγῆς καὶ βίας, πρὸς ἡδονὴν καὶ λῃστείαν τοὺς ἐντυγχάνοντας παρακαλῶν, διδάσκαλος αὐτοῖς πονηρῶν ὑπῆρχεν ἐπιτηδευμάτων. Καὶ τὴν ἀπραγμοσύνην μὲν ᾗ πρότερον συνέζων οἱ ἄνθρωποι μέτρων ἐπινοίᾳ καὶ σταθμῶν μετεστήσατο, ἀκέραιον αὐτοῖς ὄντα τὸν βίον ἐκ τῆς τούτων ἀμαθίας καὶ μεγαλόψυχον εἰς πανουργίαν ἀγαγών. Grotius cum Joſepho facit, quia putat Cain in terra Nod non ante conſediſſe, quam mitigaſſet Deus pœnam. Hæc ejus verba: *Factum hoc poſtquam Deus pœnam perpetuæ fugæ in mitiorem exilii ſedentarii mutavit, ſed adſcriptis illi locis durioribus, qualis* erat Arabia deſerta: ubi latrocinari cæpiſſe primus omnium *dicitur Ioſepho.* Quod mitigatam pœnam Caino velint, ex eo eſt, quia non videntur ea conſiſtere vagum eſſe & profugum & incolere terram maximè ædificare civitatem. Sed non ſequitur. Vagus & profugus ille dicitur, qui exul è patria ſedes peregrinas quærit, ut tutus inhabitet. In Eden erant homines, quos timebat. In Nod regione hactenus ſola & inculta, quem timere poterat? Exilium ſuum voluit ipſe tolerabilius facere & patriæ amorem excutere in alieno ſolo excitata fixa ſede. Quod in Arabia dicat habitaſſe id neſcio unde habeat. Non dicit Joſephus & repugnat הַכָּתוּב textus Moſis. Arabia enim Meſopotamiæ ſive Edenenſi regioni ad ortum non eſt. Hieronymus: *Non eſt terra Naid, ut vulgus noſtrorum putat: ſed expletur ſententia Dei quod huc atque illuc vagus & profugus oberravit.* Dicit Cedrenus aratrum inventum eſſe à Cain. Et fuiſſe eum χθαμαλὸν ἀπὸ τῆς κατάρας τοῦ θεοῦ καὶ πάντας τοὺς ἐξ αὐτοῦ γενομένους id eſt, ut arbitror, conſcientiæ trepidantis & anxiæ. Alioqui audaces ut armis & bello promptos bonoſque. Terram ipſam, quam incoluerunt, crebris motibus obnoxiam fuiſſe, quaſi inde eſſet loco nomen quod & Chryſoſtomus videtur exiſtimaſſe. Affert & hæc Cedrenus è בראשית זוטא: Οὗτος ὁ Κάϊν, ὡς ἡ λεπτὴ Μωσέως γένεσις φησὶν τῆς οἰκίας πεσούσης ἐπ' αὐτὸν τέθνηκε (leg. τῆς οἰκίας πεσούσης ἐπ' αὐτὸν τελευτᾷ) λίθοις γὰρ τὸν ἀδελφὸν Ἄβελ ἀπέκτεινε καὶ λίθοις ὁμοίως καὶ αὐτὸς ἀπεκτάνθη. Quod lapide interfecerit fratrem, dicunt

etiam Jonathan paraphraſtes & R. Elieſer in פרקי cap. 21. De Abeli cadavere refert Cedrenus: Διὸ καὶ inquit, τὸ σῶμα αὐτοῦ φασὶν ἀφανὲς γεγονέναι τοῖς μετέπειτα δικαίοις ἀγαθὰς ἐλπίδας ὑποφαῖνον. Id cum ſcriptura taceat, affirmari non poteſt.

A quo primum civitas condita eſt auctoris nomine vocitata] Etiam Hebræi ut R. Levi (teſte Mercero) filium non patrem condidiſſe urbem dixerunt: cum ſatis evidenter & expreſsè Moſes dicat, quod Cain urbem condiderit. Etiam Græci: καὶ ἦν οἰκοδομῶν πόλιν· καὶ ἐπωνόμασε τὴν πόλιν ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἐνώχ. Joſephus: ὅρους τε γῆς πρῶτος ἔθετο καὶ πόλιν ἐδείματο, καὶ τείχεσιν ὠχύρωσεν εἰς ταὐτὸ συνελθεῖν τοὺς οἰκείους καταναγκάσας. καὶ τὴν πόλιν ἢ ταύτην ἀπὸ ἐκείνου τοῦ πρεσβυτάτου παιδὸς Ἐνώχαν ἐκάλεσεν. Enochum Caini filium maximum dicit fuiſſe & tamen habuiſſe Cain multos neceſſarios, quos coëgit in novam urbem. Unde patet, quod genitum fuiſſe Enoch putet ante hoc tempus, quo condita urbs à Patre eſt. Qui enim illi οἰκεῖοι niſi filii & nepotes? Dicit textus וַיְהִי בֹּנֶה עִיר ἦν οἰκοδομῶν πόλιν. Hinc quidam deducunt, quod longum tempus conſumpſerit in urbe illa condenda, dum trepidatione animi & ex Dei maledicto non audet conſiſtere in eodem loco fixus permaneuſque donec conſummatum eſſet opus. Alii volunt fallendi temporis & aliò avertendi animi ſibi labores illos & occupationes quæſiviſſe. Ego hoc ſimpliciſſimum puto, Quod totum ſe ſecularibus tradiderit curis eoque urbi iſti exſtruendæ incubuerit. Nec fuit exiguæ molis condere urbem in iſtis rudibus recentis mundi primordiis, ubi tot neceſſaria deficerent & quærenda eſſent acumine induſtriæ & ingenti molimine. Vir fuit induſtrius & acer, ſi civitatis modum & formam in conciliis familiarum junctiſque in uno loco domibus primus animo concepit. Nauclerus: *Homines enim anteà tanquam inermes & nudi erant: Nec contrà homines aut beſtias tuti, nec receptacula contra frigus ſeu æſtum habentes ſibi naturali quadam ſolertia receptacula excogitavere. Undè & tuguria quadam atque caſas ſibi fabricantes ex virgultis & arundinibus conſtruxere, quibus eorum vita tutior haberetur. Itaque in his duobus primis filiis Adæ ortum habuerunt duæ civitates, quas (ut ait Auguſtinus) fecerunt amores duo. Terrenam fecit amor ſui uſque ad contemptum Dei: Cæleſtem fecit amor Dei uſque ad contemptum ſui. Denique illa in ſeipſa, hæc in Domino gloriatur: Ad illam pertinet Cain, qui primò natus eſt & civitatem condidit: ad iſtam pertinet Abel, qui ſecundo natus eſt & tanquam peregrinus hic converſatus. Cæleſtem civitatem primus condidit & pro juſtitia martyr eſt effectus: inchoavitque eccleſiam, quia in gratia & ſcientia Dei permanſit. Si enim ab Adam inchoata fuiſſet non foret continua ſed diſcontinuata per lapſum ejus & ità à peccatore incepta.* Ab Adam, ô bone, incepit potius Eccleſia Dei, vel Eva, ut in explicatione ἐπισημάσεων diximus, quam ab Abel, Eccleſia enim fidelium ſub fœdere gratiæ à peccatore initium habuit & à peccatoribus colligitur.

Ab Eccleſia ſe ſeparavit Cain, ut Satanæ ſeu ſeminis ſerpentis civitatem conderet. Calvinus: *Quod per ludibrium rogant naſuti homines, unde architectos & opifices conduxerit Cain, ad urbem extruendam & unde cives accerſiverit, qui eam colerent: ego viciſſim ab illis quæro, quo autore credant urbem, ex quadratis lapidibus fuiſſe exſtructam & magno artificio multiſque ſumptibus & longi temporis opera ædificium hoc coſtitiſſe. Nihil enim aliud colligere licet ex verbis Moſis, quam muros ex rudi materia Cain ſibi & poſteris circumdediſſe. Quantum ad incolas attinet, inter illa humanæ fecunditatis primordia, quum ad abnepotes ventum foret, jam excreverat ejus ſoboles in tantum numerum, ut corpus urbis unius facilè efficeret.* A quo juvenis quidam occiſus] Vide de hoc notas Druſii. Lamech primus (quantum ſcitur) duas uxores habuit, cum

cum antehac ſingulis uxoribus homines contenti fuiſſent, non violato jure conjugii, quod Deus eſſe voluit, ut unus uni jungeretur. Lyranus: *Hic primus inſtituit bigamiam contra naturæ inſtitutionem, quæ fuit unius cum una.* Ita primam ætatem hoc genere peccati Lamech polluit, primus fuit bigamus ante diluvium. Conſtat Noë ejuſque filios ſingulis uxoribus fuiſſe conjunctos. Quis igitur poſt inundationem orbis πολυγαμίαν introduxerit aut uſurpare cœperit, dicere non poſſumus. Hebræi comminiſcuntur tempore diluvii morem fuiſſe duas uxores ducendi, unam ad prolem, alteram ad voluptatem. Audi Salomonem Jarchium: כך היה דרכן דור של המבול אחת לפריה ורביה ואחת לתשמיש זו שהיא לתשמיש משקה כוס של עקרים כדי שתעקר ומקשטה ומאכילה מעדנים וחברתה נזופה ואבלה כאלמנה וזהו שפירש איוב רועה עקרה לא תלד ואלמנה לא ייטיב כמו שמפורש באגדת חלק *Iſte fuit mos generationis Diluvii unam ad generationem, aliam ad concubitum: illam quæ ad concubitum potionabat poculo ſterilitatis, ut ſterileſceret, ornabat eam, tractabat delicate: at ſocia ejus rejectanea & lugens ut vidua.* &c. Nempe id haberi Jobi XXIV. 21. In quem verſum Lyranus: *Hebræi hoc reducunt ad tempus diluvii ſicut & prædicta, dicentes, quod homines tunc accipiebant duas uxores, unam ad concubitum delectationis carnalis tantum: & illi dabant ſterilitatis potum, ne per conceptum & partum puerorum, debilitaretur & deturparetur & illam benè veſtiebant & paſcebant, ut ad concubitum eſſet delectabilior: aliam autem uxorem accipiebant ad generationem prolis: & ad illam non accedebant niſi impregnationis cauſa: dimittentes eam malè paſtam & veſtitam.* Adam volunt voluptati, Sellam prolificationi eſſe ductam à Lamech. Hic eſt infirmum fundamentum fabulæ Thalmudicæ ex nominibus & loci Job aliena expoſitio. Recte, monuit Abeneſdras non eſſe accipienda verba הגאון in ratione nominum Adæ & Sellæ, quia, licet ſciremus univerſam linguam ſanctam, non poſſemus tamen ſcire omnia eventa, quæ ſæpe nominibus originem dederunt: ut poſſumus in nominibus Moſe & Iſachar. Sella, quam volunt ſumptam ad voluptatem, peperit filios, non igitur ſterilitatis poculo potionata eſt, nec medicamentis abegit partum. At ſcriptor כלי יקר dicit, Pharmacum iſtud fortaſſis nihil effeciſſe. Sed valeant iſtæ nugæ! Calvinus potius loquatur: *Habemus hîc polygamiæ originem in gente perverſa ac degenere: primum verò ejus autorem hominem ſævum & omnis humanitatis expertem. Cæterum immodico ne propagandæ domus ſuæ ſtudio, ut elati homines & ambitioſi ſolent, an libidine impulſus fuerit, parum ad rem attinet, quia utroque modo violavit ſanctam conjugii legem, quæ à Deo prodita fuerat. Statuerat Deus ut eſſent Duo in carnem unam, atque iſte perpetuus erat naturæ ordo: Lamech belluino Dei contemptu, naturæ jura corrumpit. Dominus ergo legitimi conjugii corruptelam ex domo Cain prodire & à perſona Lamech incipere voluit, ut polygamos exempli puderet.* Quanquam non notat Moſes, Lamech primum fuiſſe bigamum: tantum viganum fuiſſe dicit. Sed interpretes verba Moſis ſic fere accipiunt ac ſi primus exemplum bigamiæ mundo induxiſſet. Credibile eſt corrupto ſeculo multos ejus exemplum eſſe imitatos. Adæ filii fuerunt Jabal & Jubal: Sellæ Tubalcain & Noema ejus ſoror. Hi tres inventis artibus fuere illuſtres. Artium & aliarum rerum inventio, quæ ad communem vitæ uſum & commoditatem valent, donum eſt Dei minimè ſpernendum & virtus laude digna. Et mirere, gentem illam quæ magis ab omni integritate deſciverat, non pœnitendis dotibus præ aliis Adæ poſteris excelluiſſe. Exiſtimat Calvinus id ideo eſſe in literas relatum à Moſe, ut ſciremus non ita eſſe maledictum Cain, quin Deus eximia dona ſparſerit inter ejus poſteros. Probabile eſt aliorum ingenia interim non ceſſaſſe ſed fuiſſe in humano genere homines induſtrios & ſolertes, qui ſuam indu-

ſtriam in artibus inveniendis & excolendis exercuerint. At narrat Moſes quid in Cain poſteritate evenerit ut intelligamus, quod & omnium ſeculorum experientia confirmat, illos ſeculi homines, qui privati ſunt regenerationis ſpiritu non deſtitui benignitate Dei & haud contemnendis dotibus. Adeò quantum ad cultum præſentis vitæ, fulſiſſe ſemper in gentibus incredulis divinæ lucis radios. Ita liberales diſciplinæ à profanis hominibus nobis fluxerunt.

Dicit Joſephus (ſicuti & Hebræi quidam teſte Hieronymo) Lamech è duabus uxoribus habuiſſe liberos ſeptuaginta ſeptem. Quod non aliunde hauſtum eſſe poteſt, quam ex eo, quod ſe dixerit Lamech vindicandum ſeptuagies, Quaſi ſoboles ejus numeri univerſa ob patris facinus ultioni incubitura eſſet. Quatuor liberos nominatim Moſes recenſet. Jabal dicitur pater fuiſſe eorum, qui pecora alerent & degerent in tentoriis. Pater vocatur in ſcriptura habitantis in tentoriis & pecoris. Joſephus: *σκηνὰς ἐπήξατο καὶ προβατείαν ἠγάπησεν.* Paſtoriam Abel exercuerat, quam didicerat & acceperat à parente: ſed, quia campi patentes & valles erant, quæ nullius tenebantur dominio & herbido unius paſcui depaſto, tranſeundum ad alia erat, quum toto anno ſub cælo agerent pecudes & fœni faciendi ratio illis ignota & inuſitata, incommodum fuit loca peragrare, ubi manſiones nullæ erant, defendentes à frigore, æſtu & aliis cæli injuriis, invenit tentoria, quibus ſecum portatis, quæcunque incidebat occaſio, loca mutabant. Iis enim explicatis & fixis commoditatem domorum inveniebant. Sic in Lybia. Virgilius:

Quid tibi paſtores Libyæ, quid paſcua verſu
Proſequar & raris habitata mapalia tectis?
Sæpe Diem noctemque & totum ex ordine menſem
Paſcitur, itque pecus longa in deſerta ſine ullis
Hoſpitiis, tantum campi jacet. Omnia ſecum
Armentarius Afer agit, tectumque laremque,
Armaque Amyclæumque canem Creſſamque pharetram.

Scenitæ Arabes poſt diluvium in Meſopotamia fuerunt, quorum vita ſimilis erat. Sed illi Nomades tentoria ſua in plauſtris circumferebant quod neſcio an à Jabal factum fuerit. Raſi: *Hic primus paſcentum in deſertis armenta* (id eſt pecudes majores) & habitans tabernacula renovabat in itinere paſcuum pecoris ſui ſecundum defectum paſtus in hoc loco, ibat & figebat tentorium *in loco alio.*

Jubal inſtrumenta Muſica invenit. Nomina inſtrumentorum exprimuntur: כִּנּוֹר וְעוּגָב. Joſephus *μουσικὴν ἤσκησε καὶ ψαλτήρια καὶ κιθάρας ἐπενόησε.* Muſicam inſtrumentalem inveniſſe dicitur, quidam vocalem repertam eſſe à ſorore Tubalcain exiſtimant, & inde ei nomen Naamæ. Thubalcain acuiſſe dicitur omnem fabrum æris & ferri. Joſephus: *ἰσχύϊ πάντας ὑπερβάλλων τὰ πολεμικὰ διαπρεπῶς μετῆλθεν, ἐκ τούτων καὶ τὰ πρὸς ἡδονὴν τοῦ σώματος ἐκπορίζων. χαλκείαν τε πρῶτος ἐπενόησε.* Acuere לטוש eſt *inſtituere* in Hebræo. Artem bellicam docuiſſe non dicit textus, ſed eum, qui tractat æs & ferrum, eoque Raſi refert ad artem æris & ferri, אוּמָּנוּת נחשת וברזל, ejuſque inſtrumenta. Naamam ſororem Thubalcain dicunt nupſiſſe Noë, in Breſith Rabba.

Inde in narratione Moſis ſequitur vox ſuperba & jactabunda, quam eum ad uxores ſuas extuliſſe refert, *Audite uxores Lamech.* &c. Inquirunt interpretes in cauſam impulſivam *προκαταρκτικὴν*. Judæi hic referunt inſulſam fabulam,

lam, quam ſic narrat Raſi. Lamech cæcus erat & Thubalcain ejus dux, qui videns Cain, putabat feram eſſe: monuit igitur patrem ut arcum attraheret. Occidit igitur eum, cumque cognoviſſet eſſe Cain proavum ſuum, vola volam percuſſit, & comploſione illa comprehendit filium eumqne occidit. Hinc ab eo uxores ſemet ſepararunt, ut igitur eas placaret, dixit, Audite vocem meam לְהִשָּׁמַע לִי לְתַשְׁמִישׁ. Nunquid vir quem occidi, in plaga mea occiſus eſt? Nunquid percuſſi eum ſtudio שיהא הפצע קרוי על שמי / ut illa plaga mihi debeat imputari? Et Adoleſcens, quem occidi, ad tumorem meum occiſus eſt? Ac ſi diceret per tumorem meum, in admiratione. Annon ego errans non ſtudio agens? Non eſt iſta plaga mea & non eſt iſte tumor meus. Qui homicidium fecit ſtudio, ſuſpenſum eſt ipſi in ſeptem generationes, Ego, qui occidi errans, nonne omni ratione mihi in ſeptimas multas. In Geneſi magna dicitur, Lamech non occidiſſe Cainum aut alium quemquam, ſed ejus congreſſum mulieres ad multiplicandam ſobolem non admiſiſſe, quia fatum eſſet, poſteritatem Cain poſt ſeptimam generationem delendam eſſe, idque diluvio, quo omnia eſſent interitura. Hic reſpondiſſe Lamech. Nunquid virum occidi ad percuſſionem meam, nunquid ego occidi Habel, qui erat vir ſtatura & adoleſcens annis ut ſemen meum conſumatur in hac iniquitate? Si Cain, qui occidit dilatus eſt in ſeptem generationes, nonne ego, qui non occidi differendus ſum in multas ſeptimas? Fabulam hanc etiam refert Gedalia in catena Cabbalæ. Et in margine Pentateuchi Arabici M. ſ. Abenſinæ ſe inveniſſe ſcriptum refert Cl. Hottingerus. Abeneſdra refert ſapientes dicere, quod mulieres iſtæ viri congreſſum non admiſerint, quia timerent parere filios, qui futuri eſſent ſeptimi à Cain, tanquam cædi & morti deſtinatos, Ob id dixiſſe Lamech uxoribus ſuis: Ego in veritate ſeptimus ſum. Et ſi plagam mihi infligeret homo grandis natu, aut tumorem adoleſcens, occiderem eum. Qua ratione מלת הרגתי תמורת אחרת. Et ſi uſque ſepties vindicabitur Cain Lamech uſque ſeptuagies ſepties, quia ipſe occidit ſtudio, ego autem non occidi. Volunt ceſſaviſſe decretum ſuper Cain. In rei autem veritate filios Lamech & totum ejus ſemen diluvio periiſſe. Ut Caino non ſit relictum nomen ob ſcelus in Abel.

Hebræorum omnium conſenſu ſeptima generatione periit Cain. Cedrenus dicit interiiſſe ruina ædium anno proximo poſt mortem Adami, Hebræi fere diluvio reſervatum eſſe arbitrantur. Lamech verba à Moſe poſita nudè & ſine αἰτιολογίᾳ conantur ad hiſtoriæ redigere nexum, eorumque cauſas reddere. Quorum licentiam quum ſequutus ſit Lyranus, meritò reprehenditur à Paulo Burgenſi: *Attendendum eſt*, inquit, *quod in hoc loco & ſimilibus ubi ſcriptura prætermittit totalem narrationem facti, illa expoſitio videatur magis literalis, quæ minus præſupponit de facto in litera non expreſſo.* Utinam eam regulam Hebræi in expoſitionibns ſuis uſque quaque ſequerentur. Regulæ hujus rationem ſubjicit: *Eo quod, juxta ſententiam Hieronymi, Ea, quæ in auctoritate ſcripturæ non habentur, eadem facilitate condemnantur, qua approbantur.* Lyranus expoſitionem R. Salomonis videtnr probare, quam ab הכתוב remotius diſcedere putat Burgenſis. Præfert ſententiam Moſis Gerundenſis, qui verba Lamechi cum antecedentibus continuat. Nempe uxores Lamech videbant eum inſtruere filios ſuos artibus mechanicis. Inter quos Tubalcain erat operator in ære & ferro. Timebant ergo mulieres ne forte ex hac arte in homicidia & pugnas hominum genus rueret. Ad eas igitur conſolandum dixiſſe Lamech: Occidi virum in vulnus meum &c. q. d. *Poſſem occidere virum in vulnere vel livore ſine armis, quemadmodum fecit Cain, quia nondum erant inventa*

arma bellica. Et ideo pro inventione hujus artis, non eſt pœna rationabiliter timenda. Et ſi forte aliquis eventus occurriſſet contrarius, ſcilicet ſi contingeret quod aliquis homo fuiſſet occiſus vel vulneratus occaſione hujus artis ferrea noviter inventa, non debetis timere, quod Deus me puniret, eo quod dediſſem operam tali arti; quia ſeptuplum ultio dabitur de Cain, qui inſidioſe & ex prava intentione interfecit: de Lamech vero, qui non occidit, non intendit occidere, ſed potius artem invenire ad multa alia utilem, multò amplius ultio à Deo daretur ſcilicet ſeptuagies ſeptiei: quod ſignificat numerum ampliantem ſine terminatione, prout poſtulator dicit. Vide & Mercerum. Putant enim illi Lamech virum fuiſſe ſapientiſſimum, quemadmodum & Joſephus. At non inveniſſe eum illas artes & docuiſſe filios exiſtimo. Filii enim ſua induſtria inveniſſe videntur, quod & clare textus docet. Joſephus: ἐπεὶ δὲ τὰ θεῖα σαφῶς ἐξεπιστάμενος ἑώρα δίκην αὐτὸν ἀφέξοντα τοῦ Κάϊν ἀδελφοκτονίας, τοῦτο ταῖς ἑαυτοῦ γυναιξὶν ἐποίησε φανερόν. Hieronymus ad allegorias confugit, quaſi Lamech ſignificaverit Chriſtum, qui erat 77. ab Adam, pœnam luiturum eſſe humani generis. Arbitratur enim Cain pœnas ſui fratricidii uſque in ſeptimam generationem ſuſtinuiſſe & ſic ſatisfeciſſe. Non enim vindicabit Deus bis in id ipſum & qui mala recepit in vita non eoſdem cruciatus patietur in morte. Peccatum Lamech commune cum humano genere puniendum in Chriſto. Hæc ſatisfactionem propriam ſtabiliunt & ab Hieronymo prolata oſtendunt eum anxium de Scripturæ hujus ſenſu, quem non perſpiciebat, ne nihil dicere videretur, projeciſſe in medium, quod nec ipſe credebat. Nam adjicit Hebræi ſuggeſtionem de alia expoſitione ex libris apocryphorum; provocat etiam ad Origenem, qui de hac quæſtione duos libros dictaviſſet. A Lamech interfectum eſſe Cainum vult per errorem, ut vetus ſit illa fabula è Salomone Jarchio à nobis ſuperius producta. Videtur etiam ingenuam & ſpontaneam confeſſionem eoque reſipiſcentiam tribuere Lamecho, quod Chryſoſtomus fuſius inculcat. *Conſidera* (inquit) *ſtatim in initio, quantum illi profuerit pœna Cain irrogata. Non ſolum enim non expectat ut ab alio arguatur, ſed nullo vel accuſante vel increpante ipſe ſemetipſum manifeſtum facit & confitetur quæ facta ſunt, mulieribuſque narrat delicti magnitudinem.* Plurimum ad emendanda peccata valere dicit confeſſionem, ſicut gravat negatio, ut in illo fratricida. Feciſſe Lamech, advocatis uxoribus iiſque recens factum aperiendo, Judicium conſidere adverſis ſemetipſum. Se graviorem eſſe pœnam commeritum quam Cain, quia illius pœna non eſſet emendatior factus & duplex homicidium commiſerit. Cainum etiam peccaſſe & punitum eſſe; qui cædem commiſerat, nullo unquam anteà conſpecto, qui hoc fecerat, neque ullo viſo, qui pœnam dederat ejuſmodi facinoris: ſe vidiſſe & ante oculos habuiſſe illius facinus & immedicabilem pœnam. Confeſſionem peccatorum, & abolitionem eſſe delictorum. Non eſt opinatus Chryſoſtomus, quod Cainum occiderit, ſed duos alios homines. Tyrinus ominatum eſſe dicit Lamech non confeſſum peccata, quia ob ſimplex homicidium ita punitus ſit Cain ſe multò eſſe gravius puniendum ob duplex homicidium: & quia Cain non habuerit prohibitionem nec exemplum, ut ipſe. Chryſoſtomi ſententiam de confeſſione expreſſit Theodoretus. Τίνας ἀνεῖλεν ὁ Λάμεχ; Οὐ δύο καθά τινες ὑπειλήφασιν· οὐδὲ τὸν Κάϊν ὡς ἕτεροι μεμυθολογήκασιν· ἀλλ' ἕνα καὶ τοῦτον νέον. Ἄνδρα, γάρ φησιν, ἀπέκτεινα εἰς τραῦμα ἐμοὶ καὶ νεανίσκον, εἰς μώλωπα ἐμοὶ τουτέστιν ἀνδρωθέντα ἄγοντα τὴν ἡλικίαν. Διέφυγε μέντοι τὴν τιμωρίαν διὰ τὴν τῆς ἁμαρτίας ὁμολογίαν, καὶ καθ' ἑαυτοῦ τὴν ψῆφον ἐξενεγκὼν τὴν θείαν διαλύει ψῆφον. Calvini ſententiam adjungam:

Mihi

Mihi vera & ſimplex videtur eſſe eorum ſententia, qui verbum præteriti temporis in futurum reſolvunt & indefinite accipiunt; ac ſi jactaret ſibi ſatis eſſe roboris & violentiæ ad fortiſſimum quenque hoſtem occidendum. Ego igitur textum ita lego, occidero virum in vulnus meum & adoleſcentem in livorem meum. *Vel,* In livore & vulnere: *Notanda autem eſt illa, quam dixi habendi cum uxoribus talis* colloquii occaſio. Scimus homines ſanguinarios, ut *aliis ſunt terrori, ita paſſim omnibus eſſe exoſos. Meritò itaque terrebat uxores Lamech mariti violentia toti humano generi intolerabilis: ne facta conſpiratione omnes eum opprimerent, ut dignus erat publico odio & exſecratione. Nunc Moſes ut deſperatam barbariem exprimat quum ſævos & feroces viros mitigare ſoleant uxorum blanditiæ, dicit Lamech in uxorum ſinus evomuiſſe crudelitatis ſuæ virus. Furioſam ſuam audaciam amplificat, quum gloriatur, adoleſcentes in medio ætatis flore ſibi non fore pares ad reſiſtendum: ac ſi diceret, Prodeat validiſſimus quiſque, Nemò erit quem non conficiam. Si vertere libeat,* In vulnus & livorem, *Senſus erit, Ego in caput meum ſecure recipio ſi quid eſt periculi: meo diſpendio accidat, quicquid poterit: quia mihi in promptu eſt ratio, qua evadam &c. Si magis placeat ablativo caſu,* In vulnere & livore, *duplex ad huc erit expoſitio: prior eſt, Etiamſi eſſem vulneratus, occiderem tamen virum: quid ergò facturus ſum integer? Altera, quæ (meo judicio) ſanior eſt ac magis congruit, ſi quis me injuria laceſſat, vel conetur vim afferre, ſentiet cum viro forti & ſtrenuo ſibi eſſe negotium: neque enim impune evadet, qui me læſerit &c. Deus voluerat Cain horribile aliis fugiendi homicidii exemplum eſſe. In hunc finem eum fœdo ſtigmate notaverat. Ne quis tamen ejus ſcelus imitaretur, ſeptuplo gravius puniendum eſſe dixerat, quiſquis eum occideret. Hanc Dei ſententiam impie pervertens Lamech, illius ſeveritati illudit. Nam inde arripit majorem peccandi licentiam: ac ſi Deus homicidas ſingulari aliquo privilegio donaſſet: non quod ſerio ita ſentiat, ſed quia vacuus omni pietatis ſenſu, impunitatem ſibi promittit, ac intereà per jocum obtendit Dei nomen.* Ita conſilium. Moſis eſſe abrupta hac ſententia exprimere truculentiam hujus viri, qui non territus exemplo Cain magis occalluerit, & efferatus ſit ad Dei flagellum. Fr. Junius exiſtimat rixis uxorum motum fuiſſe Lamechum, ut minas & Thraſonicam vocem jactaverit. Oſtendit Moſes ea adhuc ætate in vivis fuiſſe Cain, cujus viventis & ob oculos poſiti exemplum adducitur à Lamech.

Plures de poſteritate Caini non referuntur in hiſtoria Moſis deſinentis in filiis Lamech, quos diluvio interiſſe vero ſimile eſt: ſi tamen generationes Cain componas cum generationibus Seth, parem non invenies generationum numerum, ut apparet in tabella:

Adam	Adam
Seth	Cain
Enos	Enoch
Cainan	Irad
Malaleel	Maviael
Jared	Mathuſael
Enoch	Lamech
Mathuſale	Jabal, Jubal, Thabalcain.
Lamech	
Noë	
Sem, Ham, Japheth.	

Quam rationem eſſe dicemus, niſi quod in eadem longævitate ſerius genuerint Cainitæ? Qui iiſdem temporibus vixere, in utraque civitate principes, qui-

quidam iiſdem nominibus appellati fuiſſe videntur. Ita duo Lamechi ſibi opponuntur. Mathuſale & Mathuſael &c.

Generatio Secunda

Seth. Incipit Geneſ. cap. V.

Seth Filium Procreavit] Moſes obiter tantum Caini poſteritatem expoſuit, in exponenda ſucceſſione Sethianorum id eſt civitatis Dei diligentiam adhibet majorem. Natus eſt Seth anno Adæ 130. abſoluto aut abſolvendo. Mater eum cum magno gaudio edidit, quia Deus ſemen dederat in quem primogenituræ jus, occiſo Abel & Caino expulſo, derivaretur, & è quo deducenda eſſet Chriſti genealogia. Quod Adam non ante 130. annum genuit Seth, id etiam occaſionem dedit fabulis apud Chriſtianos & Judæos. Has ſecutus eſt pro more ſuo Lyranus: *Dicitur* inquit *communiter, quod Adam interfecto Abel propoſuit continere de cætero, & diu continuit: ſed poſtea ex Dei revelatione admonitus cognovit uxorem ſuam, ut per illam lineam naſceretur Chriſtus & non per Cain qui erat à Domino Maledictus. Hebræi aliter exponunt, continuando hanc literam ad præcedentem, dicentes quod Lamech fecit convenire uxores ſuas coram Adam, qui erat pater & judex eorum, eo quod nolebant ſibi reddere debitum. Et cum Adam eas increpaſſet & cogere vellet ad redditionem debiti, dixerunt ei, Caſtiga prius temetipſum, quia jam à multis annis ſegregaſti te ab Eva uxore tua, quantum ad thorum. Et tunc cognovit Evam uxorem ſuam, ne exemplo ſui impediretur multiplicatio humani generis. Si autem contrà hanc expoſitionem objiciatur, Non eſt veroſimile, quod in centum triginta annis, quibus tantum vixit Adam ante generationem Seth, ſecundum Hebræos generatio deſcendens per Cain proceſſiſſet uſque ad ſeptimam generationem, cum homines tunc centum annorum & aliquanto plus incipiebant generare, ut dicetur ſequenti capite. Filii autem Lamech erant jam in ſeptima generatione ab Adam, ut ſupra dictum eſt & ideo non videtur Lamech & ejus uxores adhuc eſſe tempore generationis Seth, dicendum, quod Filii Seth erant continentes & religioſi, ideò tarde incipiebant generare: ſed filii Cain mali erant & luxurioſi, ideò feſtinabant accipere uxores. Propter quod in tanto tempore vel minori potuit eſſe ibi proceſſum uſque ad ſeptimam generationem tempore Lamech & uxorum ejus.* Hæc è Salomone Jarchio ſeu Raſi habet. Ille enim ſic narrat: בא לו למך אצל אדם הראשון וקבל על נשיו אמר להם וכי לדקדק על גזירתו של מקום אתם עשו מצותכם והוא יעשה את שלו אמרו לו קשוט עצמך תחלה והלא פרשת מאשתך זה מאה ושלשים שנה מִשֶּׁנִּקְנְסָה מִיתָה על ידך מיד וידע אדם וגו *Ad Adamum primum profectus Lamech, quarelam inſtituit adverſus uxores ſuas. Hic dicit eis, Nunquid diſceptatis adverſus inſtitutum Dei? Facite vos, quod vobis incumbat & ipſe faciet, quod ſuum eſt. Reſpondent illi; Inquire in te ipſum, Nonne ſeparaſti te ab uxore tua his centum triginta annis, ex quo mulcta punita eſt mors? Subitò cognovit Adam &c.* Rectè hic Burgenſis: *Iſta* (inquit) *Hebraica fabulationes non requiruntur ad literæ expoſitionem. Non enim ex hoc, quod non legitur Adam genuiſſe niſi cum eſſet centum triginta annorum, habetur, quod Adam propoſuiſſet continere de cætero propter mortem Abel. Manifeſtum eſt enim quod præter perſonas genitas in litera expreſſas, Adam genuit alios filios & filias, ut litera teſtatur. Et ſimiliter dicendum de Seth Enos & aliis. Scriptura tantum facit mentionem de iſtis propter honorem deſcendentium ab eis patriarcharum & prophetarum & præcipuè propter reverentiam Chriſti, qui eſt ſuper omnes: Nec eſt veroſimile, quod cum Adam eſſet in 130.*

ſua

ſua ætatis anno, Lamech, qui erat in ſeptima generatione ab Adam, eſſet jam in ætate apta ad contrahendum, prout ſequitur ex iſta fabulatione Hebræorum. Præſertim illo tempore, in quo nullus citra ætatem ſexaginta annorum legitur genuiſſe. Fabularum quas adducit Lyramus, prima eſt arrepta à Chriſtianis. Hinc Doring: *Strabus ut eum allegat magiſter hiſtoriarum, dicit Adam voviſſe continentiam ſempiternam: ſed per angelum Deo jubente admonitum votum ſolviſſe ut ex eo filius Dei naſceretur.* Centum annos luctus etiam commemorat Batricides apud Hottingerum. Alii fabulantur toto illo tempore genuiſſe dæmonas. Quia in textu cum narratione de Lamech jungitur Adæ generatio, qua procreavit filium Seth, hinc exiſtimant Hebræi, quod in ætatem Lamech inciderit illa generatio. At eſt reverſio ad Adam, qui videtur Seth genuiſſe, mox ab obitu Abel. Fabula, quæ apud Adam litigatum eſſe dicit, inter Lamech & uxores, præſupponit, Abel natum eſſe primo anno Mundi & longam ætatem inter ejus mortem & generationem Seth interveniſſe. Deinde & Lamech uxoratum fuiſſe ante 130. Adami annum. Ego quidem arbitror filium nullum Adamo genitum ante Seth, niſi Cain & Abel, quia hoc demonſtrat ſic eſſe jus primogenituræ, & indicat Evæ lætitia, quæ nacta eſſet alium filium loco Abel: ad quem primogenituræ jus devolutum eſt, at Sethi nativitatem non prorogo in ſeptimam Cainitarum generationem. Nec convenit. In Moſis narratione eſt Cainitarum conjuncta poſteritas ne ſeriem rerum in ſequentibus de Sethi poſteritate rumperet. Joſephus: Ἀβέλου μὲν ἐσφαγμένου κάϊος δὲ διὰ τὸν ἐκείνου φόνον πεφευγότος παιδοποιίας ἐφρόντιζε. Καὶ δεινῶς εἶχεν αὐτὸν γενέσεως ἔρως ἔτη τριακόντα ἤδη καὶ διακόσια ἠνυκότα τοῦ βίου πρὸς οἷς ἕτερα ζήσας ἑπτακόσια τελευτᾷ. γίνονται μὲν οὖν παῖδες αὐτῷ, ἄλλοι τε πλείονες καὶ σῆθος. Ἀλλὰ περὶ μὲν τῶν ἄλλων μακρὸν ἂν εἴη λέγειν πειράσομαι δὲ μόνα τὰ τῶν ἀπὸ σήθου διελθεῖν. τραφεὶς γὰρ οὗτος καὶ παρελθὼν εἰς ἡλικίαν, ἤδη τὰ καλὰ κρίνειν δυνάμενος ἀρετὴν ἐπετήδευσε, καὶ γενόμενος αὐτὸς ἄριστος μιμητὰς αὐτοῦ τοὺς ἀπογόνους καταλέλοιπεν. Videtur Joſephus ex traditione habuiſſe multa de aliis Adæ filiis quæ omittit recitare ne tædium creet lectori. Nauclerus præter Cain & Abel & Seth eorumque uxores, filias ſuas, Adamo attribuit ex Auguſtino triginta alios filios, ex Methodio centum. Idem ſic loquitur: *Poſt luctum centum annorum de procreatione filiorum cogitabat, ut ſcribit Ioſephus:* In quibus verbis allegatio Joſephi non pertinet ad luctum, de quo nihil ille, ſed ad cogitationem de procreatione ſobolis. Sethi nomen eſt à poſitione in locum cæſi fratris, deque ſuppletione ob primogenituræ dignitatem, non conceſſam nec concedendam fratricidæ. Etſi enim ex Abel proles ſupereſſet, ea non veniebat in domum avi, niſi adoptione, quæ naturæ defectum ſupplet. Gaudere poterat ſibi prolem natam, cui per naturam id juris competeret. Quod Abel prolem reliquerit, diſputavimus ſupra. Hanc ſententiam, ut hiſtoriæ neceſſitas confirmat, ita comprobat Abenesdra, dicens Nomen Abeli ut Caini deletum eſſe cataclyſmo. נמחה שם הבל גם קין במבול Cedrenus narrat Sethi nomen ſignificare ἐξανάστασιν: eſſe appellatum διὰ τὴν λάμψιν τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἣν εἶχεν ἐν ὅλῃ αὐτοῦ τῇ ζωῇ. Ταύτην δὲ τὴν χάριν καὶ Μωϋσῆς ἔχων τὸ κάλυμμα τιθεὶς ὡμίλει τοῖς Ἰουδαίοις. Origo hujus fabulæ eſt ex eo, qnod poſteritas ipſius dicta ſit nomine filiorum Dei. Ideo autem putat ipſum eſſe appellatum Deum. Ut rationem hujus appellationis reddant, fingunt faciem ejus ſplenduiſſe, ut Moſis, cum ad populum reverteretur è monte. Narrat etiam, ablactatum eſſe, cum eſſet annorum duodecim. Exiſtimant enim interpretes, quia tam longo tempore vixerunt primi illi, ætatum etiam diſcrimina plures annos complexa fuiſſe. Ita infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, juventutem, virilem ætatem &c. Sethum

 igitur

igitur ab uberibus matris hæſiſſe annis duodecim, ita dicunt juvenem fuiſſe Enoch, quum tolleretur è terra, agens annum 366. Conſtat ſaltem vigorem ætatis & vim generandi ad ſeculorum aliquot ætatem in ipſis perſtitiſſe: uxorem duxit ſororem ſuam germanam, quam Cedrenus vocat Ἀζουρά. Quia ſimiliter Moſi ipſius facies ſplenduerit, etiam ut Moſem (fabula fabulam gignit) quadraginta diebus fuiſſe apud Deum. Nam ab angelo raptum fuiſſe dicunt & edoctum de futura poſterorum ſuorum impietate, diluvio & adventu Chriſti. Reverſum ea parentibus indicaſſe. Factum hoc eſſe Cedrenus dicit anno Adami ducenteſimo & ſeptuageſimo: cum Seth ageret annum vitæ quadrageſimum. Ipſum & ejus poſteros fuiſſe formoſo corporis habitu, nempe ut appellationi ſuæ, qua dicebantur filii Dei, reſponderent. Incoluiſſe ſuperiorem Edenenſis regionis partem, vicinoſque paradiſo, vitam agitaſſe angelicæ ſimilem uſque ad annum M. milleſimum: Hunc inveniſſe ſcientiam ſideralem, dediſſe ſeptem errantibus ſtellis ſua nomina: Hebraicam ſcripturam reperiſſe. Duabus columnis (hoc Joſephus ejus filiis attribuit) inſcripſiſſe inventam à ſe aſtrologiam. Quod de literarum origine dicitur, quam Setho attribuit Cedrenus, neſcio quid dicam, ſi non ipſi Deo adſcribenda ſit. Exiſtimo enim antiquiſſimas literas Deum ipſum edocuiſſe Adamum. Inter maxima illius beneficia literarum uſum reputo, quo commode humana vita carere nequit. Dixerim literas illas, quibus primitus ſermo ille Adameus, quem nos Hebræum dicimus, conſcriptus eſt à Deo ipſo primis illis hominibus eſſe patefactas: Quodſi me roges, quæ literæ fuerint, reſponderim pro antiquiſſimis literis habendas illas eſſe, quibus Hebræi uſi fuerunt, ut ſuo ſermoni accommodatis, idque ab ultimâ memoria. Uſi autem ſemper iiſdem literis Hebræi ſunt, quoad numerum, nomina & poteſtatem, mutarunt formas, quibus in charta exprimerentur. Tales literæ, quæ conveniunt ex ſua origine & primariò Hebræo ſermoni, in ſacris literis expreſſo, ſunt Samaritanæ & Aſſyriæ quæ ſic vocantur. Hæ unæ ſunt poteſtate & numero & nominibus, differunt figuris. Sive hoc ſive illo genere figurarum concipias Hebræi ſermonis ſcriptum, manet eſſentialis ratio ſcripturæ eadem. Nam eaſdem habes literas numero & ordine in Alphabeto, eaſdem poteſtate & nominibus. Id evenit in uſu gentium ut characteres varient, in eodem alphabeto. Ita nos habemus, curſivos, ſtantes, quadratos, qui ſatis à ſe invicem diſcrepant. Cum adhuc eadem lingua eſſet, cum eodem alphabeto, quoad eſſentialem & internam rationem uterentur gentes ante Babylonis exſtructionem figuræ & Samaritanæ & Aſſyriæ videntur in uſu fuiſſe. Si à me quæſiveris utras antiquiores eſſe putem, hærere me fatebor. Si hoc eſſet ἀναμφισβήτητος verum, quod narrat Joſephus ſua adhuc ætate integram ſuperfuiſſe Syria de columnam, quæ contineret ſcripturam filiorum Seth, inde controverſia dirimi potuiſſet. Seth implevit vitæ annos nongentos & duodecim. Natus eſt anno M. 130. obiit anno M. 1042. Vixit cum Patre Adam annos octingentos, cum filio Enos 807. Cum nepotibus ſuis, Cainan, annis 717. Malaleel annis 647. Jared, 582. Henoch, 365. Mathuſale, 356. Lamech 168. Finem vitæ ſuæ habuit, quatuordecim annis ante natum Noë.

Vixit autem annos dcccc. xxx.] obiit anno orbis conditi & ſuo 930. Sethi 800. Enos 695. Cainan 605. Malaleel. 535. Jared. 470. Enoch 308. Mathuſale 243. Lamech. 56. Quidam cum eo ſimul, eodem tempore, Hevam ejus conjugem exſpiraſſe dicunt, ſed de eo nihil in ſacro codice traditum exſtat. Nauclerus: *Hic autem Adam cum uxore propter inobedientiæ reatum, maximam cunctis diebus vitæ ſuæ fecerunt pœnitentiam. Quamobrem non modo Dei miſericordiam*

diam conſecuti ſunt, ſed etiam prophetiæ donum accipere meruerunt. Vnde & de Chriſti eccleſiæque conjunctione deque diluvio futuro & de incendio per ignem judicii produxere multa, liberiſque ac nepotibus retulere, quibus & juſtitiæ præcepta tradiderunt. Demum infirmitate correptus, Seth filio atque aliis filiis & ſucceſſoribus ſuis interdixit, ne ejus filii cum Cain fratricidæ filiis commiſcerentur. Illum quoque pro oleo miſericordiæ impetrando ad paradiſum tranſmiſit. Tandem anno 930. in ſenectute bona deficiens, in Ebron civitate Arbeæ ſepulcro marmoreo (ut Egeſippus ſcribit) ſepelitur: in quo poſtmodum & Eva uxor ſua, Abram & Sara, Iſaac & Iacob, cum eorum conjugibus ſepulti perhibentur. Alii autem in monte Calvariæ Adam eſſe ſepultum volunt, quo in loco (ut ſcribit B. Ambroſius) Dominus poſteà crucifixus eſt. Ea ex cauſa apud pictores inolevit, caput Adæ ad crucifixi pedes depingi. Quod dicit de oleo miſericordiæ, ad quod afferendum miſſus ſit Seth, in Paradiſum, id fictum eſt, ut extrema unctio, comprobaretur. De ſepulcro Adam in Hebron, hauſtum ex mala verſione, Joſ. 14. 15. De ſepultura in monte calvariæ, fictum eſt ex nomine loci: quia κρανίου τόπος diccebatur ſive Golgotha, fabulati ſunt Adami calvariam illic eſſe inhumatam. Putidius fabulatur Cedrenus: ὅτι Ἀδὰμ τῷ ἑξακοσιοστῷ ἔτει μετανοήσας ἔγνω δι᾽ ἀποκαλύψεως τὰ περὶ τῶν ἐγρηγόρων καὶ τοῦ κατακλυσμοῦ, καὶ τὰ περὶ μετανοίας καὶ τῆς θείας σαρκώσεως· καὶ περὶ τῶν καθ᾽ ἑκάστην ὥραν ἡμερινὴν καὶ νυκτερινὴν ἀναπεμπομένων εὐχῶν τῷ Θεῷ ἀπὸ πάντων τῶν κτισμάτων, διὰ Οὐριὴλ, τοῦ ἐπὶ τῆς μετανοίας ἀρχαγγέλου. Οὕτως. ὥρα πρώτη ἡμερινὴ πρώτη εὐχὴ ἐπιτελεῖται ἐν τῷ οὐρανῷ· δευτέρα, ἀγγέλων. τρίτη, εὐχὴ πτηνῶν. Τετάρτη, εὐχὴ κτηνῶν. πέμπτη, εὐχὴ θηρίων. ἕκτη, ἀγγέλων παράστασις, καὶ διάκρισις πάσης κτίσεως. ἑβδόμη ἀγγέλων εἴσοδος πρὸς Θεόν. καὶ ἔξοδος ἀγγέλων. ὀγδόη αἴνεσις καὶ θυσίαι ἀγγέλων. ἐννάτη δέησις καὶ λατρεία ἀνθρώπου. δεκάτη ἐπισκοπαὶ ὑδάτων, καὶ δεήσεις οὐρανίων καὶ ἐπιγείων. ἑνδεκάτη, ἀνθομολόγησις καὶ ἀγαλλίασις πάντων. δωδεκάτη, ἔντευξις ἀνθρώπων εἰς εὐδοκίας. Τῷ δὲ ἐννακοσιοστῷ καὶ τριακοστῷ ἔτει, Ἀδὰμ ἐκοιμήθη κατ᾽ αὐτὴν τὴν τῆς παραβάσεως ἡμέραν, καὶ εἰς τὴν γῆν. ἐξ ἧς ἐλήφθη, ἀπῆλθε. καταλείψας ἄῤῥενας υἱοὺς λγ, καὶ θυγατέρας κζ. Οὗτος ἡγεμόνευσε τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων δι᾽ ὅλης αὐτοῦ τῆς ζωῆς. ἡ δὲ ταφὴ αὐτοῦ κατὰ τὴν τῶν Ἱεροσολύμων γέγονε γῆν, ὡς Ἰώσηπος ἱστορεῖ. Nuſquam in Joſepho invenio, quod Adam apud Hieroſolyma ſit ſepultus. Quod fabulatur de horis precum, per quas accedant ad Deum omnes creaturæ, ineptum plane eſt. Epiphanius in hæreſi Sethianorum: Ὡς δὲ ἐν τοῖς Ἰωβηλαίοις εὑρίσκεται, τῇ καὶ λεπτογενέσει καλουμένῃ καὶ τὰ ὀνόματα τῶν γυναικῶν τούτε Κάϊν καὶ τοῦ Σὴθ ἡ βίβλος περιέχει. Nempe Abel obiiſſe ætate nondum matura & cælibem. Primos illos cohabitaſſe ſuis ſororibus. Οὐ γὰρ ἦν παραγινόμενον τὸ τοιοῦτον. ἐπεὶ μηδὲν ἕτερον γένος ἦν. καὶ γὰρ καὶ αὐτὸς, ὡς ἔπος εἰπεῖν, Ἀδὰμ τῇ ἰδίᾳ θυγατρὶ σχεδὸν τῇ ἐκ τοῦ σώματος αὐτοῦ πλασθείσῃ συνήφθη, κατὰ συζυγίαν, αὐτοῦ ἐκ Θεοῦ πεπλασμένου, καὶ οὐκ ἦν παραγινόμενον. ὅτε τούτου υἱοὶ συνήφθησαν, ὁ μὲν Κάϊν τῇ ἀδελφῇ τῇ μείζονι Σαυῇ, οὕτω καλουμένῃ: ὁ δὲ Σὴθ τρίτος υἱὸς μετὰ τὸν Ἄβελ γεννηθεὶς τῇ λεγομένῃ αὐτοῦ ἀδελφῇ, Ἀζουρᾷ. γεγόνασι δὲ τῷ Ἀδὰμ καὶ ἄλλοι υἱοὶ, ὡς ἡ λεπτὴ γένεσις περιέχει ἐννέα μετὰ τοὺς τρεῖς τούτους. ὡς εἶναι αὐτῷ, δύο μὲν θυγατέρας, ἄῤῥενας δὲ δεκαδύο, ἕνα μὲν ἀποκτανθέντα, ἕνδεκα δὲ περιλειφθέντας ἐν τῷ βίῳ. Nomina ſororum vide alia apud Batricidem in hiſtoria orientali Hottingeri. Proinde nullas filias Adamo fuiſſe autor ille vult, niſi quæ duobus fratribus nupſerunt. Atqui conſtat Adamum genuiſſe filias poſt natum Seth. Gen. V. 4. Et qui poſteà Adamo nati ſunt filii, æquè ſororibus ſuis fuiſſe jugati videantur, ac Seth & Cain.

Generatio Tertia.

Enos. Anno. o. c. 235.

Seth vero Enos] Enos natus eſt anno. M. 235. Seth: 105. vixit annos 905. Vixit cum Adamo avo ſuo 695. Cum patre Seth. 807. Cum filio Cainan 815. Cum nepote Malaleel 745. Cum Jared. 680. Henoch. 365. Mathuſale 453. Lamech. 266. Noë 84. De eo dixit Moſes Gen. 4. v. 26. אָז הוּחַל לִקְרֹא בְּשֵׁם יהוה. Quod variè eſt acceptum ab interpretibus. Vide Sixtini Amama antibarbarum. Illam interpretationem nos ampleCtimur quæ putat tunc cœpiſſe illam denominationem civitatis ſanctorum ſive Eccleſiæ, qua dicti ejus myſtæ ſunt, filii Dei, Cainitæ autem filii hominum. Quam & notat Moſes cap. VI. 2. 3. Exiſtimant quidam Seth appellatum eſſe Deum, & hinc Enos ejuſque poſteros dictos eſſe filios Dei. Hoc ſignificari à Moſe. Quidam idololatriam tunc incepiſſe dicunt, quatenus nomen Dei datum eſt creaturis. Lyranus: *Ipſe enim inſtructus à patre juſto, tantum profecit in cultu Divino, quod adinvenit quædam verba devota ad deprecandum. Litera Hebraica ſic habet: Tunc incepit nomen domini invocari* (vacat) *quod exponunt Hebræi de idololatria quia ut dicunt, tunc inceperunt homines attribuere nomen Domini creaturis ut ſoli & Lunæ & idolis. Non tamen ab iſto Enos, qui juſtus fuit & devotus, ſed à filiis Cain ſibi contemporaneis. Sicut ſupra dictum eſt de Iabal & Iubal.* Dixerat ſupra: *De Iabal fratre ſuo ex patre dicunt quod fecit tentoria ad ponendum idola. Et de Iubal dicunt quod canebat inſtrumentis muſicis coram idolis ea venerando.* Burgenſis dicit iſtam Hebræorum expoſitionem eſſe inconſonam literæ, quia invocare nomen Domini ſemper ſonat in bonum, nunquam accipitur, in mali ſignificatione. Ideo quod de idololatria dicunt non convenire literæ. Deinde ſecundum Thomam in Secund. Secund. qu. 94. in prima ætate non fuiſſe idololatriam, propter recentem memoriam creationis, ex quo adhuc vigebat cognitio unius Dei in mente hominum. Dicere quod ea pertineant ad filios Cain contemporaneos, non convenire, quia ſi ſic, hæc inceptio fuiſſet eis appropriata: ut de Jubal dicitur, quod fuerit pater canentium, de Tubalcain, quod fuerit malleator & faber. Non fuiſſe hoc appropriandum ipſi Enos, qui immunis erat. In verbis Lyræ habetur dictio *vacat*, quam neſcio unde ſumpſerit: eam urget Doring. Ideo non ſonare in bonum, illud invocare nomen Domini, quia diſtrahens addatur in hoc loco, idque ſignificari voce *Vacat*. Magnorum etiam virorum ſententiam non cogere, quando patitur inſtantiam, ut hic Thomæ illa. *Nam ſi memoria recens creationis excluſit idololatriam per mille & plures annos, memoria ſevera punitionis per diluvium debuit excludere adhuc per plures annos. Certum tamen eſt, quod cito poſt diluvium defluxerunt ad idola homines. Imo beatus Auguſtinus 16. de civit. Dei dicit, quod à benedictione filiorum Noë, uſque ad Abraam de commemoratione juſtorum, qui Deum piè colerent, per annos pluſquam mille ſiletur.* Genebrardus exiſtimat Enos quoſdam ritus ſacrificandi & ſolennia cultus divini inveniſſe, cum ſimplicem modum ſacrificandi & cultus Adam & Seth tenuiſſent. Quod ideò Pontificiis placet, ut cerimoniarum ab hominibus inventarum probent admiſſionem in cultu Dei. Et Bergomas putat eum ad excitandam mortalium pigritiam, quaſdam imagines inveniſſe, ut nunc Chriſtianorum mos eſt. Atqui hic nihil tale. Ipſe Genebrardus in textu contineri oſtendit denominationem à Deo. Hinc inquit, ab Enos filii Dei, à Cain filii hominum. Ubi ſcriptura nude loquitur, ſupponi non debent rationes, quæ in Scriptura non habentur. R. Salomo

lomo & Geneſis Magna docent idololatriam dicto Moſis poni. R. Sal. את שמות האד' ואת שמות העצבים בשמו של הקב'ה לעשותן ע' ולקרותן אלוהות: *Cæptum eſt vocare, nomina hominum & nomina idolorum nomine ſancti benedicti, ut facerent idololatriam & ea vocarent deos.*

Gen. cap. V.

GENERATIO IV.

Cainan. Anno O. C. 325.

ENOS CAINAN] Cainan natus eſt anno ætatis Enos 90. Sethi 195. Vixit annos 910. Cain Adamo annis 605. Cum Seth 717. Enos 815. Cum filio Malaleel 840. cum nepotibus ſuis, Jared 775. Henoch 365. Mathuſale 548. Lamech 361. Noë 179.

GENERATIO V.

Malaleel. Anno. O. C. 395.

CAINAN MALALEEL] Malaleel natus eſt anno Cainan 70. Enos 160. Sethi 265. Vixit annos 895. Cum Adam annis 535. Seth 647. Enos 745. Cainan 840. Cum filio Jared 830. cum nepotibus ſuis, Henoch 365. Mathuſale 603. Lamech 416. Noë 234.

GENERATIO VI.

Iared. Ann. O. C. 460.

MALALEEL IARED] Jared naſcitur patri Malaleel annum agenti 65. Anno Cainan 135. Enos 225. Seth. 330. Vixit annos 962. Vixit cum Adamo ann. 470. Cum Seth. 582. Cum Enos 680. Cum Cainon 775. Cum Malaleel 830. cum filio Henoch 365. Cum nepotibus ſuis, Mathuſale ann. 735. Lamech. 548. Noë 366. Hi quatuor Enos, Cainan, Malaleel & Jared viderunt omnes Patriarchas, qui fuerunt ante diluvium, præter Semum.

GENERATIO VII.

Henoch. Ann. O. C. 622.

IARED ENOCH GENUIT] Henoch natus eſt patri agenti annum 162. Anno Malaleel 227. Cainan 292. Enos 387. Sethi 492. Vixit annos 365. Vixit cum Adam annis 308. Cum Setho & reliquis ſuis patribus 365. Cum filio Mathuſale annis 300. Cum nepote Lamech, annis 113. Omnes igitur patriarchæ ejus tranſlationem viderunt, quotquot ante diluvium fuerunt, præter Noë ejuſque filios. In ætate Nona rebus humanis exceſſerunt Adam & Enoch.

OB JUSTITIAM TRANSLATUS à DEO] Juſte vixit & piè coram Deo, quod Scriptura enuntiat, per illud, *ambulabat cum Deo.* Diſtinguenda ſunt ea duo. I. Tranſlatio Enoch. II. Ejus cauſa. Quantum ad primum attinet, in diverſa concedunt Judæi recentiores à veteribus. Con-

veniunt

veniunt in eo, quod Enoch ἄφαντος ἐγένετο. Inter homines eſſe deſierit. Sed veteres volunt cum corpore eſſe tranſlatum & viventem, recentiores morte immatura & accelerata ſublatum è viventium numero. R. Salomo : לפיכך מיהר הקיבה וסילקו והמיתו קודם זמנו וזהו ששנה הכתוב במיתתו לכתוב ואיננו בעולם למלאות שנותיו: כי לקח אותו לפני זמנו כמו הנני לוקח ממך את מחמד עיניך: Ideò feſtinavit Deus, abſtulit eum & occidit eum ante tempus ſuum. Et hoc eſt, quod mutet *ſcriptura ſermonem de morte ejus, ſcribendo* איננו *ſc. in mundo ad implendum annos ſuos.* Quia tulit eum] *Ante tempus ſanum, ſicut illud* (Ezech. 24. 16.) Ecce ego aufero deſiderium oculorum tuorum. Aben-eſdra ſimiliter illud לקח exponit per מת. Adducit etiam locum Ezechielis inter alia & plenius. Nam addi ad expoſitionem in textu Ezechelis, *Et mortua eſt uxor ejus.* Pergit : ואת הליקה על חנוך אין שם זכר מגפה ולא וימת: *Et hac raptio de Enoch; non eſt illic memoria plagæ nec dicitur mortuus eſt.* Hanc objectionem ſolvit; quia vim habuit iſta mors redemptionis ſive liberationis. David Kimchi in lib. 2. Reg. 2. 1. ודעת המומינו גם חכמינו כי הכניסו האל בגן עדן עם גופו כמו שהיה אדם הראשון קודם שחטא וכן הכניס חנוך שם ובדרש כי עשרה הם שנכנסו חיים לגן עדן Pro עשרה puto legendum eſſe ארבעה. Quemadmodum & Druſius legiſſe videtur. Senſus eſt: Secundum vulgus & Sapientes, Deum Eliam introduxiſſe in Paradiſum, cum corpore, quo ſtatu illic fuerat Adam primus, antequam peccaviſſet & ſic eo ingreſſum eſſe Enoch. Et in Dras haberi, quod quatuor illi viventes ingreſſi ſint Paradiſum. R. Levi Ben Gerſom ſolam ejus animam poſitam eſſe in Paradiſo dicit. Druſius ex Hiſcuni adducit, interpretationem in paraphraſin Onkeli: quæ vult eum ſupereſſe ſine morte in Paradiſo: Venturum autem cum Elia in tempore redemptionis. ארי לא אמית יתיה יי *Quia morti eum ſubduxit Dominus.* R. Aquiba ſimiliter ut Eliam in turbine aſcendiſſe docet, per Gematriam. Eliam autem R. Salomo in aliquo incognito loco teneri putat. *Non eſt poßibile*, inquit, *ut intelligatur quod aſcendere fecerit eum in cælum, quia illuc non aſcendunt corpora. Certe mens eſt in eo, in ſublimitate Aëris* &c. *Et ecce ſuſtulit eum Spiritus Domini in opere Domini, ad locum ignotum hactenus & ipſe vivit illic, ſicut declaravimus.* Kimchi etiam corpus Eliæ conſumptum eſſe igne ſuperiori & ipſum factum eſſe Spiritualem. Corpus eſſe reſolutum in ſua elementa. Nempe ipſum tempeſtate ſublatum uſque ad orbem ignis, cui combuſta ſint veſtimenta ejus præter togam, & conſumpta caro ejus & Spiritus redierit ad Deum, qui eum dederat. Hæc igitur ſententia Kimchii diſſidet ab illa vulgatâ, de tranſlatione corporali in Paradiſum. R. Salomo neſcio ubi cuſtodiri Eliam putat in corpore, Kimchi autem conſumpto corpore ad Deum abiiſſe: de Enoch Abeneſdra, Kimchi & Salomo ille arbitrantur, quod mortuus ſit. Vulgata apud Judæos ſententia eſt, Enoch & Eliam in Paradiſo cum corporibus degere. Si hoc intelligerent de Paradiſo cæleſti, benè ſe res haberet, ſed de terreſtri accipiunt, è quo expulſus eſt Adam. Redituros inde putant tempore liberationis ſuæ. Tranſlatum eſſe & Mahumedes dicit in Alcorano. Cum Judæis Pontificii conveniunt exiſtimantes Enoch & Eliam in paradiſo terreſtri degere mittendos in terram, ut confligant in fine mundi cum Antichriſto. Occidendos eſſe ab illo & poſt reſuſcitationem ſuam aſcenſuros in cælum. Eò trahunt, quod habetur Apoc. XI. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Nos concedimus Enoch in Paradiſum tranſlatum eſſe ſed in cæleſtem. Etiam cum corpore, ſed immutato de animali in ſpirituale, hinc in locum abiiſſe unde negant redire quenquam. Paradiſum cæleſtem accipimus pro ſtatu

in

in gaudiis cœleſtibus incompleto, quo fruuntur animæ ſeparatæ aliorum, in quo & Chriſtus ſecundum animam fuit, inter mortis horam & reſurrectionis. Nam ἀπόδεκτος אלגנהו עין, notat ſtatum illum cœli ante extremum judicium, qui eſt in exſpectatione candidæ, in gaudio & conſolatione. *Tulit eum Deus*, ſunt verba Moſis. Quæ interpretatur Apoſtolus Heb. XI. 5. Πίστει Ἐνὼχ μετετέθη τοῦ μὴ ἰδεῖν θάνατον, καὶ οὐχ εὑρίσκετο διότι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεός. Sic tranſlatum eſſe dicit, ut morti non fuerit ſubjectus. Nec inventum eſſe, quia eſſet tranſlatus. Autor Sapientiæ libri, quem attribuunt Salomoni dixit μετετέθη & ἡρπάγη. cap. 4. 10. 11. Syrach ſimpliciter dicit μετετέθη. Sic ſimpliciter dicit cap. 44. 16. At cap. 49. 14. dicit ἀνελήφθη ἀπὸ τῆς γῆς. Vulgata editio apud Sirach habet, *Tranſlatus eſt in Paradiſum*. Joſephus, ἀνεχώρησε πρὸς τὸ θεῖον ὅθεν οὐδὲ τελευτὴν αὐτοῦ ἀναγεγράφασι. E Jonathane adducitur. *Sublatus fuit & aſcendit in cælum ex mandato coram Domino*. Arabs Erpenianus: ובאלאימאן רפע אחנוך אלי אלפרדרש ולם ידק אלמות ולא וגר עלי אלארץ *Et fide tranſlatus eſt in Paradiſum Enoch & non vidit mortem & non repertus eſt in terra*. Antiqua igitur ſententia eſt & recta & textui ſacro conformis & approbata ab Apoſtolo, Enoch viventem, ſine morte tranſlatum eſſe in Paradiſum & inibi hodieque degere. Quæritur, I. Sitne idem ille Paradiſus, in quo ante lapſum Adam & Heva fuêre. II. An cum corpore non glorificato. III. An inde rediturus ad conflictum cum Antichriſto. Hæc tria nos negamus affirmant Pontificii plerique. De duobus prioribus hic loquemur, de tertio poſtea. Tyrinus: *Qui putant Paradiſum terreſtrem & in eo arborem vitæ etiamnum ſupereſſe (quod eſt probabile: cur enim nobiliſſimum arboris genus Deus perdidiſſet, aut interire permiſiſſet, qui virentem olivam & alias arborum etiam viliſſimas ſpecies à diluvio tanta cura conſervavit?) ii dicunt Enochum & Eliam uſu ejuſdem arboris & aliarum frui pro libitu atque ita vitam continuò prorogare. Alii dicunt ſine eſu aut potu, aut eorum appetentia vel indigentia, ſuſpendente Deo actionem caloris naturalis conſumptricem humidi radicalis integros incorruptoſque manere*. Hactenus Tyrinus, qui notat paradiſi terreſtris διαμονὴν teneri à Sixto Senenſe lib. 5. Biblioth. Delrio in cap. 3. Gen. Bellarm. & Adamo Contzen de Gratia primi hominis. Gregorio à Valentia, Maluenda de Paradiſo, Suarez tom. 2. part. 1. diſp. 55. ſect. 1. & ferè omnibus tum veteribus tum recentioribus Theologis, ſicuti & fateantur Pererius & Viegas, qui in alia ſententia ſunt. Cornelius à Lapide & Salianus ſine cibo degere putant. Maluenda & Bonfrerius (ſic teſtatur & loquitur Tyrinus) *dicunt probabile eſſe, paradiſum in quo eſt Enoch, tempore diluvii ab aquis imbribuſque ſervatum immunem, aquis undique ad latera ſeſe attollentibus & quaſi in murum ſolidatis: ut contigit Iſraelitis in mari rubro & in Iordane: & Ioſepho noſtro Anchieta in mari Braſilico & quibuſdam aliis ſanctis*. Non ſupereſſe Paradiſum qui è Pontificiis exiſtimant, alibi degere volunt Enoch & Eliam, ignorabili modo. Multi in ignotum ſeceſſum à Deo eſſe tranſlatos putant. Unde Fevardentius in Irenæi lib. IV. cap. 30. *Quo vero tranſlatus ſit & ubi agat quibuſve cibis alatur, ſupervacaneum requirere exiſtimat Chryſoſtomus. Inter quæſtiones eſſe quæ ad fidem non pertinet judicat Auguſtinus. Quo tranſlatus ſit novit Deus, pronuntiavit Cyprianus, ſeu quivis alius author Tractatus de montibus Sina & Sion apud eum. Potius venerandum quam inquirendum cenſet Theodoretus quæſt. 45. in Geneſ.* Irenæi ſententia eſt agere in Paradiſo illo, quo Adamus excidit, cap. 5. lib. 5. *Ubi ergò*, inquit, *primus poſitus eſt homo, ſcilicet in paradiſo, quemadmodum Scriptura dicit: Et plan-*

tavit Deus paradiſum in Eden contra orientem & poſuit ibi hominem, quem plaſmavit : & inde profectus in hunc mundum non obediens. *Quapropter dicunt presbyteri, qui ſunt Apoſtolorum diſcipuli eos, qui tranſlati ſunt, illuc eſſe tranſlatos. Iuſtis enim hominibus & ſpiritum habentibus præparatus eſt Paradiſus, in quem & Paulus Apoſtolus aſportatus* &c. *& ibi manere eos, qui tranſlati ſunt, coanſpicantes incorruptelam.* In hunc locum Fevardentius: *Diſputationem de loco, in quem Deus tranſtulerit & huc uſque viventes conſervarit, Auguſtinus judicavit ad fidem non pertinere lib. 2. de pecc. origin. cap. 23. At cum hic Irenæus doceat Apoſtolorum diſcipulos & auditores, dicere illos in Paradiſum terreſtrem, ubicunque ille ſit, tranſlatos fuiſſe &c. cui ſententiæ omnes ferè Græci & Latini Patres adſtipulantur, mihi parum tutum videtur, aliter nunc ſentire.* Irenæus dicit ſe accepiſſe à presbyteris Apoſtolorum diſcipulis, ſignificans epiſcopos presbyteris ſuperiores in illa prima διαδοχῇ poſt Apoſtolos fuiſſe nullos. Nam Apoſtoli ſolos presbyteros reliquere ſucceſſores, à quibus id haberi poterat, nullos epiſcopos. Hi tradiderant in illum eundem Paradiſum, quem Adamus incoluerat, Enoch & Eliam eſſe tranſlatos. Aut hoc malè tradiderunt, aut Irenæus rem non perceperat. Nam Paradiſus ille, in quem illi duo tranſlati ſunt, idem eſt inquem juſti omnes transferuntur, & raptus fuerat Paulus. Hic autem Paulo teſte eſt in tertio cælo. Fevardentius & ejus populares non concedunt omnes juſtos abire in Paradiſum Adami. Abit igitur diverſus à ſententia Irenæi. Corpora eorum paſci non dixit Irenæus, nec eſſe animalia. Epiphanius in hæreſi origenianorum docet Enochi corpus, ita & Eliæ eſſe ſpiritale. Ἐν σώματι γὰρ ζῶντι ὑπάρχει πνευματικῶς φερόμενος καὶ οὐχὶ ψυχικῶς διὰ τὴν μετάθεσιν. Docet igitur ſpiritale illos corpus habere & rectè: ſed neſcit quid ſit σῶμα πνευματικόν Hoc enim tenue eſſe putat & ſubtile neſcio quomodo & ſui modi cibis veſci, ἀμβροσίᾳ καὶ ἀκηράτῳ τῇ ἐδωδῇ: eoque πνευματικῇ τινι τροφῇ. Dicit Elias Cretenſis in orat. 3. Nazanzeni eſſe tranſlatos Enoch & Eliam ut reſurrectionis ſemina jacerent. Corpora igitur talia habent, qualibus ſumus reſurrecturi. At eadem (quæ Fevardentium) religio Bellarminum conſtringit, ut credat in Paradiſo terreſti Adameo degere Enoch & Eliam. Primò tenetur ſententia Patrum. 2. autoritate libri Eccleſiaſtici, 3. concilii Tridentini ſanctione ſanctiſſima, quæ juſſit Eccleſiaſtici librum eſſe canonicum, juxta vulgatam Latinam verſionem. In eo libro vulgata editio Latina habet Enoch tranſlatum eſſe in paradiſum. Id non poſſe aliter accipi, quam de Paradiſo proprie ſic appellato. At Bellarmine dic mihi, quæ neceſſitas cogit, ut non accipiamus de paradiſo cæleſti ſive ſpirituali? Nempe patrum authoritas. Sed illi ipſi Patres dicunt in paradiſum eundem abire omnes pios piè defunctos. Quod tu admittere non vis. Epiphanius & Irenæus producti ſupra ſunt. Patres alios in ἐπιλαμμένῳ produximus. Eſt enim multorum iſta ſententia eundem eſſe Adameum paradiſum cum animarum Elyſiis aut & hominum reſuſcitatorum. Sententia iſta accepta à Senioribus Eccleſiæ primitivæ, longe lateque & in multas ætates propagata eſt. Quænam autem cauſa tranſlationis? Filius Syrach dicit tranſlatum eſſe, ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς. Quod vulgatus reddidit, *ut det gentibus pœnitentiam.* Verſio illa ſatis quidem proba non eſt, attamen conciliari poteſt cum Græco. Et hic ſine dubio ſenſus eſt: A Deo generationibus poſitum eſſe reſipiſcentiæ exemplum ſeu monumentum. Quando enim boni è medio tolluntur maxime, ſubito & immaturo raptu, & quidem conſpicua in cœlum evectatione, conjicias imminere ſuperſtitibus in corrupto ſeculo, exitium. Sic etiam exponi poteſt, ut eſſet ad bene vivendum incitamentum, quemadmodum Janſenius & Pererius acceperunt. Autor libri Sapientiæ aliam cauſam aſſignat: ἡρπάγη μὴ κακία ἀλλάξῃ σύνεσιν αὐτοῦ, ἢ δόλος ἀπα-

ἀπατήσῃ ψυχὴν αὐτοῦ. Βασκανία γὰρ φαυλότητος ἀμαυροῖ τὰ καλὰ καὶ ῥεμβασμὸς ἐπιθυμίας μεταλλεύει νοῦν ἄκακον. Τελειωθεὶς ἐν ὀλίγῳ ἐπλήρωσε &c. Finem hunc eſſe dicit, ex metu ne ſeculi exemplo immutatus malos mores indueret. Nempe trecentis ſexaginta quinque annis vixiſſe, pro eo tempore, erat in juventute finiſſe. Verba illa apud Syracidem, ὑπόδειγμα μετανοίας, ſic accipio. Quemadmodum Elias perverſum populum ſtuduit revocare ad Deum ab idololatria ita ab impietate ſuam generationem Enoch atque in confirmationem veritatis & rectitudinis doctrinæ, Deus eum tranſtulit. ὑπόδειγμα & παράδειγμα differunt. Παράδειγμα enim eſt exemplar & ſpecimen, at ὑπόδειγμα documentum & ſuggeſtio. Ideo Phrynichus monuit ὑπόδειγμα pro παράδειγμα non eſſe Atticum. Quod Elias fuit prolapſo in cultum profanum decem tribuum populo, id generationi ſuæ quin generationibus Diluvium antecedentibus Enoch. Uterque inſignis Propheta, uterque fervens zelo Dei, uterque raptus in cœlum, Antiqua apud Judæos traditio eſt, venturum utrumque tempore liberationis. Eliam certum eſt fuiſſe Chriſto præcurſurum. Sic enim Malachias prædixerat & Chriſto ipſo interprete evenit. At nuſquam ſcripturarum invenimus Enoch venturum eſſe. In Apocalypſi cap. XI. duo vates longo tempore, induti ſacco prophetabunt, quos & Antichriſtus interimet, ſed revicturos. Hoc illam Judaicam traditionem, quam receperunt Patres, confimare videtur. Mercerus: *Sicut enim putantur Henoch & Elias* venturi ante judicium ad confundendum & oppugnandum Antichriſtum, ex illo etiam loco, ſi rectè *legatur & intelligatur, non poteſt colligi. Venturos quidem in ſpiritu eorum viros ſanctos & virtute inſignes non dubitarim, qui Antichriſtum oppugnent* &c. Ego hic ἐπέχω. Illud conſtat, non ſupereſſe in animali vita Enoch & Eliam, non in ſtatu medio inter comprehenſores & viatores, non in paradiſo terreſtri; non eſſe reverſuros in terram, ut ibi martyrio mortem omnibus ſemel deguſtandam, obeant & ſic fato ſuo fungantur. Quia non agunt ævum ſuperſtes, quale eſt hominum, quas Apoſtolus vocat ψυχικούς, ideo non eſt opus ipſis providere de alimento ex arbore vitæ in paradiſo aut ſi deletus ſit paradiſus, ex alio penu. Vide mihi μυθολογήματα Papiſtarum. Septimus ab Adam tranſlatus eſt in cœlum, ita ſeptimus ab Abraham, nempe Moſes, in montem ſanctum ad Deum aſcendit. Sic componunt Enoch & Moſen Judæi.

GENERATIO VIII.

Mathuſale. Ann. O. C. 687.

HUJUS FILIUS MATHUSALE] Hic fuit omnium μακροβιώτατος. Vixit enim annos 969. Natus eſt anno ætatis Henoch 65. Jared 227. Malaleel 292. Cainan 362. Enos 452. Sethi 557. Adæ 687. converſatus eſt cum Adamo 243. cum Seth 355. cum Enos 453. cum Cainan 548. cum Malaleel 603. cum Jared 735. cum Henoch 365. Lamech 777. cum Noë 600. cum Seth 100. Vitam exuit eo ipſo anno quo prima Mundi ætas cataclyſmo periit. Deus ævum partitur cuilibet pro arbitrio, quod deeſſe videbatur, patri Jared, id filio Henoch adjectum eſt. In ſeptuaginta interpretibus nata fuit difficultas ſequentibus eam quia ſequitur quatuordecim annos ſupervixiſſe diluvio. De hac difficultate vide Præceptorem noſtrum venerabilis memoriæ D. Sixtinum Amama, in Antibarbaro Biblico lib. 2. & Mercerum in Gen. v. 27. Neſcio quæ ſit ratio, quod LXX. 20. annos detraxerint ætati Mathuſale, ante genitum Lamech. Nemo ad annos Mathuſale pervenit, cui proximus fuit

Jared,

Jared, poſterior ſeptennio. Annum milleſimum dicunt eſſe numeri perfecti plenique, eoque neminem eo uſque perveniſſe.

Generatio IX.

Lamech. Ann. O. C. 874.

Qui Lamech Genuit] Lamech naſcitur anno ætatis Mathuſale 187. Henoch 257. Jared 414. Malaleel 479. Cainan 549. Enos 639. Seth 744. Adam 874. Vixit annos. 777. Converſatus eſt cum Adam annis 56. Cum Seth 168. Cum Enos 266. Cum Cainan 361. Cum Malaleel 416. Cum Jared 548. Cum Henoch 113. Cum patre Mathuſale annis 777. cum filio Noë 595. cum nepote ſem 93. Generatio hæc nona complectitur annos 182. qui inter nativitatem Lamech & Noë intervenerunt. Hoc lapſu temporum duo patriarchæ mortui ſunt, tertius in cælum ſublatus eſt. Hæ ἀναλύσεις patrum primæ evenerunt, præter illam violentam, qua vita dejectus erat Habel. Adam vita emigravit anno M. 930. Henoch anno M. 987. Seth anno. M. 1042. Gul. Eſtius annotat. in Gen. v. 27. *Quæres aliquis cur non Adam immediatè à Deo formatus diutiſſimè omnium vixerit, cum opera à Deo proxime profecta ſoleant eſſe perfectiſſima? Reſponderi poſſet vel triſtitiam vel luctum perpetuum in cauſa fuiſſe ob amiſſam paradiſi felicitatem & damnatam ejus culpa univerſam hominum propaginem, vel corpus ejus propter graviſſimum prævaricationis ejus peccatum mortalitatis miſeria plus cæteris affectum fuiſſe. Sed tamen & aliud occurrit quod reſpondeamus; nimirum Adamum revera cæteris omnibus, quos ſcriptura commemorat magis vitalem fuiſſe & quodammodo diutius vixiſſe. Non enim tempus vitæ ejus cum toto tempore vitæ aliorum conferendum eſt; neque enim Adam infans aut puer aut adoleſcens fuit, ſed plena virilitate factus eſt à Deo. Quare ſi tempus vitæ ejus, quod cæpit ab ætate virili atque perfecta, conferas cum tempore vitæ aliorum, facto ſupputationis initio ab eadem ætate, invenies profecto Adamum cæteris diutius in vivis fuiſſe. Neque vero virilem ætatem accipere debemus ab anno triceſimo aut triceſimo quinto, ut hodie accipimus, quando vita hominum vix extenditur ultrà annos 70. Sed ad annum centeſimum aut etiam ultra? Non enim multo ante generare incipiebant priſci illi ac longævi homines, ut ex hoc capite ſatis liquet.* Si ergò *annis Mathuſale centum ſubducas, qui plenam ejus ætatem anteceſſerunt, videbis quanto fuerit ipſo longævior Adamus, videlicet ſexaginta fere annis. Nec te moveat quod Adamus Seth filium genuiſſe legatur, cum eſſet centum triginta annorum, quaſi & ipſe non ſtatim ab initio creationis ſuæ vim habuerit gignendi. Nam multò ante, imo ut eſt probabile, ſtatim poſtquam Paradiſo ejectus fuit, genuit Cain & deinde Abel & alios ac ſaltem eam filiam, quæ Cain in uxorem ducta receſſit à Patre in partem orientalem.* Annc, Eſti, Deus debuit Adamo plures annos, qui liber eſt nec ulli debitor? Triſtitiam ejus mitigavit fides in Chriſtum. Corpus ejus non magis affectum à prævaricatione, quam cujuſquam de poſteris. Eſt enim omnium æqualis culpa ex imputatione.

Generatio X.

Noe. Anno. O. C. 1056.

Ex Quo Noë Natus] Noë natus eſt anno, quo pater Lamech vitæ ſuæ annum 182. explebat. Anno Mathuſale 369. Jared, 596. Malaleel 661.

661. Cainan 731. Enos 821. Anno poſt mortem Adæ, primi mortalium 126. poſt tranſlationem Enochi 70. poſt obitum Seth annis quinque. Converſatus eſt cum Enos annis 84. cum Cainan 179. cum Jared. 368. cum Mathuſale 600. cum Lamech. 595. cum filio Sem 448. cum omnibus patriarchis poſt diluvium, uſque ad annum quingeſimum octavum Abrahami. Non attulit rationem impoſitorum nominum in longa illa *γενεαλογίᾳ* capitis V. ſanctus ſcriptor, præterquam in ſolo hoc Noë. Lamech autem filio ſuo imponens nomen נֹחַ, ſubjecit rationem: *Hic nos conſolabitur ab operibus & laboribus manuum noſtrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Prædixit ſublevationem à Laboribus futuram per filium. In ejus dicti explicatione dubia quædam occurrunt. I. Quomodo נוח conciliari cum poſſit נִחַם, ut ejus radice. II. Unde ſcierit Lamech futuram rem, quam prædicit. III. Quæ dicti ſeu oraculi mens? De primo ſentit Mercerus eſſe *παρῳδίαν* potius quam *ἔτυμον* quales crebræ alluſiones & definitiones notionales Stoicorum maxime. Ad ſecundum dicimus, non affectu patrio divinaſſe, ſed prophetico ſpiritu prædixiſſe futurum. Patriarchis enim illis ſpiritum Dei frequentem inceſſiſſe, quis dubitet? Et ſi Joſepho credimus creber ſermo erat de futuro orbis diluvio. *Τραφεὶς γὰρ οὗτος καὶ παρελθὼν εἰς ἡλικίαν ἤδη τὰ καλὰ κρίνειν δυνάμενος ἀρετὴν ἐπετήδευσε. καὶ γενόμενος αὐτὸς ἄριστος μιμητὰς αὐτοῦ τοὺς ἀπογόνους κατέλιπεν. οἱ δὲ πάντες ἀγαθοὶ φύντες, γῆν τε τὴν αὐτὴν ἀστασίαστοι κατοικήσαντες, εὐδαιμόνησαν μηδενὸς αὐτοῖς ἄχρι τελευτῆς δυσκόλου προσπεσόντος· Σοφίαν τε τὴν περὶ τὰ οὐράνια καὶ τὴν τούτων διακόσμησιν ἐπενόησαν. ὑπὲρ δὲ τοῦ μὴ διαφυγεῖν τοὺς ἀνθρώπους τὰ εὑρημένα μηδὲ πρὶν εἰς γνῶσιν ἐλθεῖν φθαρῆναι, προειρηκότος ἀφανισμὸν Ἀδάμου τῶν ὅλων ἔσεσθαι, τὸν μὲν κατ' ἰσχὺν πυρὸς, τὸν ἕτερον δὲ κατὰ βίαν καὶ πλῆθος ὕδατος, στήλας δύο ποιησάμενοι, τὴν μὲν ἐκ πλίνθου, τὴν δ' ἑτέραν ἐκ λίθων, ἀμφοτέραις ἀνέγραψαν τὰ εὑρημένα· ἵνα καὶ τῆς πλινθίνης ἀφανισθείσης ὑπὸ τῆς ἐπομβρίας, ἡ λιθίνη μείνασα παράσχῃ μαθεῖν τοῖς ἀνθρώποις τὰ ἐγγεγραμμένα δηλοῦσα. καὶ πλινθίνην δ' ὑπ' αὐτῶν ἀνατεθῆναι. μένει δὲ ἄχρι τοῦ δεῦρο κατὰ τὴν Συριάδα.* *Educatus enim iſte & ætatem habens qua bona judicare poſſet, virtuti ſtuduit. Et ipſe optimus imitatores ſui nepotes reliquit. Illi autem, cum omnes boni eſſent, eandemque terram ſine ſeditione incolerent, feliciter egerunt, nullo, uſque ad obitum infortunio eis eveniente. Sapientiam autem circà cæleſtia & horum diſpoſitum, meditati ſunt. Ne autem reperta ex hominum notitia dilaberentur, interciderentque priuſquam in notitiam venirent, quia prædixerat Adamus mundi interitum fore, alterum quidem, ignis vi, alterum verò per* 3 *violentiam & multitudinem aquarum, columnis duabus excitatis, altera de latere, altera de lapidibus, utrique reperta ſua inſcripſere: ut etiam lateritia everſa per imbrium vim, lapidea ſuperſtes doceret homines, indicio inſcriptorum. Lapideam quidem ab illis poſitam eſſe certa res eſt, cum maneat uſque hodie apud Syriada.* Pro *καὶ πλινθίνην* lego *λιθίνην*. Probante conjecturam re ipſa; quia non eſt veroſimile abſumpta lapidea, remanſiſſe lateritiam. Quin & Rufinus *λιθίνην* legit. Si Adamus filiis ſuis tradiderit mundum periturum eſſe aquis & igne, Lamech id ſcire & credere potuit, at ſcire hinc non potuit, fore definite, hunc ſuum filium, qui orbis faciem reſtitueret. Judæi ſomniant, circumciſum natum eſſe, id eſt *περίτμητον*, ſine præputio quod inter eorum ineptias reponendum. Nihil tum valuit circumciſio, cum nullum adhuc eſſet mandatum Dei. Et quid ſi circumciſio inſignem fore & Deo gratum oſtendere potuiſſet, potuiſſet etiam definire, quod per ipſum Deus mundum reſtituere vellet? Non poſſumus aliud videre, unde definitum certumque aliquid hauſerit, niſi ſpiritum prophetiæ, qui ſolebat patribus, in benedicendis filiis adeſſe. Aben-eſdras: שידע על יד אורים כי נביא היה כי על ידי זה הנולד תחיה הארץ או רא

ראו זה בדרך חכמה: *Quod ſcivit ex Adamo, qui propheta fuit. Nam per hunc natum revalitura erat terra: aut viderunt hoc per viam ſapientia.* Tertium eſt de oraculi ſenſu. R. Salomo: עד שלא בא נח לא היה להם כלי מחריש' והו' הכין להם והיתה הארץ מוציאה קוצי' ודרדר כשזורעי' חטים מקללתו של אדם הראשון ובימי נח נחה וזהו ינחמנו ואם לא תפרשהו כך אין טעם הלשון נופל על השם ואתה צריך לקרות שמו מנחם *Cum nondum veniſſet Noë, non erant ipſis inſtrumenta arandi, ut ipſe eis paravit: Erat terra producens ſpinas tribuloſque, cum ſeviſſent triticum ob maledictionem primi Adam, at in diebus Noë ceſſavit, Et hoc eſt,* ſolabitur nos. *Si ita non expoſueris nullus ſenſus dicti ſuper nomen quadrat, eritque tibi neceſſe nomen facere* Menachem. Abeneſdras: וכן היה כי על ידו נתקיי העולם גם היה איש האדמה כי כן כתוב גם יתכן שנקרא שמו נח כמו ירובעל אחר שעבד האדמ' והצליח ונח הפך העצבון והטע' זה ינחמנו ונוח מעצבון ידינו גם נחמה מנוחה מעצבון הלב כי העברים ישמרו הטעמי' ולא המלות והעד ירבשת וירבעל: *Et ſic factum eſt. Nam per eum reſuſcitatus eſt mundus. Etiam ipſe fuit agricola. Nam ſic ſcriptum eſt, Etiam ſtabilitur, quod dictum eſt nomen ejus Noë: ut Jerubbaal alter, qui operabatur terram & proſperavit eam & Noë convertit dolorem. Senſus autem ejus. Hic conſolabitur nos & quieſcemus à dolore manuum noſtrarum. Eſtque conſolatio, quies à dolore cordis, quia Hebrai ſervant potius ſenſum quam voces, ut patet in Jerubbaal & Jerubboſcheth.* Quod inſtrumenta arationis ab eo inventa eſſe dicit Salomo & ſic quietem allatam terræ melius cultæ, id alii extendunt, quod docuerit animalia inſervire arationi, partemque laborum ab hominibus in illa transtulerit. Noë autem arandi novum & meliorem modum introduxiſſe, putant ſe probare poſſe ex Gen. IX. 20. Hanc expoſitionem ſequitur Lyra. Aben-eſdras mavult de reſtitutione ſeculi intelligere ſeu reparatione per novam propagationem. Mercerus generalem quendam conceptum in animo Lamechi fuiſſe putat quo viderit eum allaturum humano generi beneficium quietis per juſtitiam & pietatem ſuam: dum homines omni modo & conatu ad Dei cultum incitabat hortabaturque. Sed attendi debet, quod Lamech definitè liberationem notat illam, qua à maledictione terra abſolvenda erat immuniſque futura, ut ne tot labores invanum porro eſſent inſumendi. Proinde ego omnibus expenſis ſic puto exponendum eſſe oraculum: ob hominum impietatem, qua communiter omne genus malitia inundavit, particularis quædam maledictio præter illam Adameam generalem, terram occupavit, Dei judicio, hanc tollet ille filius meus. Sub quo familia ejus, Dei benignitate conſervata, deleto mundo impiorum, renovabitur ſeculum & redintegrabitur Dei benedictio. Deus enim benedixit terræ poſt diluvium, eamque reduxit ad Adameam à lapſu primo fecunditatem. Adamea illa maledictio, dicta illius ad omnes attinenti peccato, non tolletur niſi cum mundi & peccati fine. Perſonalis peccati & maledicti diverſa ratio eſt.

Generatio XI.

Sem. Anno O.C. 1556.

Noë anno vitæ quingenteſimo genuit Sem, Ham & Japheth. Non ita dictum Spiritus S. illud accipiendum eſt, quaſi eodem anno tres ſimul genuerit, ut tergeminos fratres. Nam id pugnat cum Geneſ. X. 21. Ubi ætatibus inter ſe diſcriminantur. At mens eſt quam conſenſus interpretum vidit, quod ab illo anno quingenteſimo ſeu exacto ſeu labente gignere cœperit.

perit. Geminam locutionem habemus Gen. XI. 26. De Thare patre Abram, Nachor & Haran. Tres illi filii Noë non genuerunt ante diluvium. Ubi judicium Merceri tale eſt: *Sic*, inquit, *ordinante & diſpenſante Dei providentia, ne gignerent diluvio perituros, utque in pauciſſimis ſervatis major Dei clementia & ſeveritas altera ex parte agnoſceretur, ut quam eſſet corruptus orbis intelligatur & rurſum ex quam paucis ſecundum mundum inſtauraverit. Hi ergò tres poſt diluvium cum genuerint non commemorantur inter patres ante diluvium, ideò infra eorum genealogia poſt diluvium ponetur.* Hæc Mercerus. Quis trium ætate præceſſerit, infrà diſcutiemus. Infrà cap. XI. 10. dicitur Sem centum annos habuiſſe, cum Arfaxad genuit, biennio poſt diluvium. Si natus anno patris 500. cujus 600. diluvium fuit, quomodo id conſtabit? Natum eſſe putes anno patris 502. Reſponſio facilis eſt. Cum Noë poſt diluvium vixerit annos 350. cap. IX. v. 28. ſequitur annum ipſum Noë ſexcenteſimum actum eſſe in arca & diluvio. Nam vixit in totum annos 950. Deinde genuit Sem exacto anno quingenteſimo, cum ingreſſus eſſet ſequentem. Genuit Sem anno vitæ 501. Sem igitur anno Patris 601. centeſimum ſuum implevit: eoque exacto, cum nondum abſolviſſet annum 601. genuit Arfaxad. Nemo patriarcharum tam ſerò genuiſſe legitur, omnes enim ante annum ducenteſimum, plerique circa centeſimum genuerunt. Nec alios filios filiaſque genuiſſe memoratur, ut de anterioribus exprimit Spiritus Sanctus. Non alios habuiſſe, cum diluvium eſſet, exinde manifeſtum, quia nulli alii in arca ſervati ſunt, in qua fœderata Noë familia ſervata eſt. An alios habuerit natos nataſque ante annum quingenteſimum expreſſe nec negatur nec affirmatur. Si habuerit, obiiſſe oportet, ante id tempus, quia aliter primogenitura non potuiſſet conſtare Semo. Non habuiſſe putem, idque ſignificari, quia dicitur, *Genuit.* quod ſignificare puto *gignere cœpit.* Judæi & Chriſtiani ad fabulas confugiunt & commenta. Judæi non negant matrimonium initum eſſe à Noë ante annum quingenteſimum, ſed dicunt vim genitivam eſſe inhibitam. Rationem hanc eſſe. Si genuiſſet, vel juſtos vel injuſtos genuiſſet. Si injuſtos, perdendi fuiſſent diluvio, id quod viro juſto grave fuiſſet. Si juſtos, multæ arcæ fuiſſent ſtruendæ ad eorum conſervationem, aut longe majoris molis & moliminis illa una paranda, quod nimium ipſum fatigaſſet. Itaque genuiſſe centum annis ante diluvium, quia puer centum annorum non erat dignus pœna. Nam ex loco Iſaiæ colligunt ante legem datam, non fuiſſe habitum dignum punitionè qui 100. annos non attigiſſet. Hæc habet Salomo Jarchi è R. Joden. Philippus Bergomas: *Noë vero prædicti Lamech filius, vir ſanè virginitatis amator, juſtusque ac miſericors, quique uſque ad quingenteſimum ætatis ſuæ annum ſine carnis illecebris incentivorumque motuum atque titillationum omnium neſcius fuit.* Quaſi ea tempeſtate virginitas in parte pietatis poſita fuerit? A Dei manu & voluntate fuit, eum non prius generare. Hoc quidem ἄλογον non erat, ſed non patet nec revelata nobis ratio eſt.

Laterculum ævi patriarcharum:

Adam vixit annos 930.
Seth vixit annos 912.
Enos vixit anno 905.
Cainan vixit annos 910.
Malaleel vixit ann. 895.
Jared vixit annos 962.
Henoch vixit ann. 365.

Mathu-

Mathuſale vixit ann. 969.
Lamech vixit annos. 777.
Noë vixit annos. 950.

De cauſis longævitatis patriarcharum.

Non fuit ea longævitas patrum, qui fuerunt poſt diluvium, quamvis & illi longius ævum habuerint poſtgenitis Gen. 47. 9. Cauſas ita inquirit & explicat Lyranus: *Ad hoc poteſt ratio multiplex aſſignari. Prima eſt ex bonitate complexionis primorum parentum. Fuerant enim à Deo immediatè formati & per conſequens optimè complexionati: & ſic ad longiorem vitam diſpoſiti. Et illa bonitas complèxionis magis venit ad homines propinquos illius temporis, quam ad remotos temporis moderni. Secunda eſt ex modo vivendi: quia temperatè vivebant: Tertia eſt ex bonitate nutrimenti quia ante diluvium terra naſcentia fuerunt meliora quam poſt. Quia inundatia diluvii fuit pro majori parte ex aquis Oceani: ſecundum quod dicitur infra 7. cap.* Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ. *Aqua autem ſalſa inducunt ſterilitatem terra: & per conſequens reddunt terra naſcentia pejora ex quibus abbreviatur hominis vita. Quarta ex ſcientia Adæ, quia formatus fuit in perfectiane ſcientia, ut ſuprà dictum eſt cap. 2. Et ideò cognovit virtutes fructuum, herbaruum & lapidum; quæ faciunt ad conſervandam ſanitatem & vitam prolongandam: Et de hoc docuit homines ad vitam prolongandam. Quinta ex bono aſpectu ſiderum ſuper illam regionem, in qua manebant, qui aſpectus multum facit ad longitudinem vitæ: ſed per motum cæli continuum mutatus eſt tempore procedente. Sexta, ex Divina diſpoſitione hoc ardinante, ut per longam vitam hominum citò multiplicaretur genus humanum. Item ut homines illius temporis per longam vitam poſſent habere experientias de curſu cæli & effectibus ſiderum & aliarum rerum: quæ experientiæ ſunt principia artis & ſcientiæ, ut habetur 1. Metaphiſic. Item videmus magnam latitudinem in quantitate molis in natura humana: quia aliqui ſunt parvi ſicut Pygmæi: qui dicuntur homines in longitudine unius cubiti tantum: alii autem ſunt valde magni ſicut Gigantes. Vnde Deuteron. 3. cap. dicitur de og rege Baſan:* Monſtratur lectus ejus ferreus qui eſt in Rabbath filiorum Ammon habens novem cubitos longitudinis & quatuor latitudinis &c. *Vnde & Auguſtinus dicit XV. de civit. Dei cap. 8. quod vidit dentem gigantis, qui ſi divideretur minutatim faceret centum dentes hominum communis ſtaturæ. Si igitur eſt tanta latitudo & exceſſus unius ad alterum in quantitate molis, non videtur irrationabile quod fuerit tantus exceſſus in quantitate durationis hominum primorum ad illos, qui nunc ſunt, ſicut ſcriptura determinat. Item in quantitate durationis videtur etiam magna latitudo: quia etiam de Pygmæis dicitur, quod* quinto anno generant & octavò anno ſeneſcunt. *Et ideo ſi homines alii tantum excedunt eos in quantitate durationis, qui vivunt communiter LXX. vel LXXX. annis, non eſt mirandum ſi homines primæ ætatis tantum excedebant modernos in quantitate durationis. Ego autem tot rationes induxi ad propoſitum oſtendendum: quia ſiuna per ſe non ſufficit plures ſimul ſumptæ videntur propoſitum ſuadere.* Has Lyrani rationes examinat Burgenſis in hunc modum. *Iſtæ rationes, quæ aſſignantur ad diuturnitatem vitæ hominum illius temporis & ſi valerent ad aliqualem longitudinem vitæ: non tamen videntur ad tantam differentiam durationis ſufficere. Bonitas enim Complexionis & etiam modus vivendi temperatus licet non in multis, in quibuſdam tamen invenitur. Ponit enim Galenus in ſua tegni.* (ſic barbare vocabant τέχνην) *poſſibilem eſſe complexionem temperatiſſimam, prout humana natura pertinet, inveniri, quam vocant euchraton (εὔκρατον) & multò magis poſſibile eſt hominem*

bonè

boni regiminis reperire. Nunquam tamen à tertia atate & citra reperitur aliquis, qui ducentos annos ferè attingat. Chriſtus enim, qui per Spiritum Sanctum conceptus eſt, optimè complexionatus fuit: & non niſi temperatè & virtuoſe in hac vita vixit & tamen in juvenili atate paſſus eſt, prout communiter tenetur, ne in eo appareret natnra humana diminutio: ut patet in 3. p. qu. 46. artic. 9. in reſponſione ad ultimum argumentum. Ex quo patet, quod atas 33. annorum in Chriſto erat juvenilis: quod non eſſet ſi Chriſtus ſecundum naturam humanam habuiſſet vivere ſicut Adam & alii antiqui. Quia ſi ſic, illa atas, in qua fuit paſſus, non eſſet juvenilis ſed infantia ſeu pueritia. Ratio autem ſumpta ex bonitate nutrimenti ante dilnvium non videtur valere. Nam inundatio dilnvii plus debuit terra naſcentia reddere pejora in tempore propinquiori ipſi diluvio, quam in magis remoto: & tamen poſt diluvium ſcilicet in ſecunda ætate leguntur homines vixiſſe ducentos annos fere: & cum magis à tempore diluvii fuerunt remoti, plus fuit diminuta diutnrnitas vita. Illa, etiam qua Adam cognovit de virtutibus fructuum & herbarnm &c. qua faciunt ad prolongandam vitam, de quibus dicitur docuiſſe homines, veriſimile eſt ut & addiſceret Noë ab antiquis ſuis, cum vita ipſius Noë fuerit prolongata ſicut vita eorum, qui fuerunt in prima atate. Qui quidem Noë cum juſtus & perfectus fuerit, veriſimile eſt ut doceret ea poſteritatem ſuam. Quod tamen non apparet per effectum. Bonus etiam aſpectus ſiderum etſi faciat ad longitudinem vita, non tamen tantam diſſimilitudinem faceret, nec aſtronomi hoc videntur tradere. Sexta autem ratio, quàm ponit, ſcilicet, quod fuit ex divina diſpoſitione hoc ordinante, concedenda eſt. Sapientia enim Divina omnia diſpoſuit ſuaviter *Sapient. 8. cap. ſed rationes quas aſſignat ad hujuſmodi diſpoſitionem divinam, ſunt minus ſufficientes. Nam nihilominus multiplicaretur genus humanum per vitam brevem ſicut modo, quam per vitam longam ſicut tunc: & forte citius ſicut modò. Nam tunc incipiebant generare poſt centum annos & modo ante viginti. Et ſic in primo centenario unius primi generantis poſſent generari multi filii & nepotes & pronepotes quorum quilibet vel major pars infra illum centenarium generaſſet & ſic magis multiplicaretur genus humanum quod manifeſte poteſt haberi in multiplicatione filiorum Iſrael in Ægypto. De quibus in Deuteron. 10. cap.* In LXX. animabus deſcenderunt Patres veſtri in Ægyptum & nunc poſuit te Deus ſicut ſtellas cæli in multitudine, *Manifeſtum eſt enim quod populus Iſraeliticus non fecit moram in Ægypto tanto tempore, quanto Adam & Seth filius ejus abſtinuernnt à generatione. Nam Adam abſtinuit per 130. annos, Seth. 105. annis, qui faciunt 235. annos. Et populus Iſraëliticus fuit in Ægypto 210. annis, ſicuti infra patebis. Alia etiam ratio, quam aſſignat ad divinam diſpoſitionem ſcilicet ut homines illius temporis poſſent habere experientias de curſu cæli & effectibus ſiderum &c. non videtur valere. Curſus enim cali & ſiderum, qui magna & difficili inveſtigatione indiguit, fuit perfectè declaratus tempore Gracorum, quando Ptolemaus perfecit librum Almageſti: in quo omnes curſus cali & ſiderum plenè traduntur: & tamen inveſtigatio ſua incepit à tempore cujuſdam pradeceſſoris; qui eum praceſſit per trecentos annos fere & non plus: ut in eodem libro habetnr. Vnde illud tempus ſufficit ad illam inveſtigationem. Similiter ad cognoſcendos effectus ſiderum, de quibus ipſe Ptolemaus largè ait in libro quadripartito & in centiloquio ſuo: cujus ſententias ſequuntur Aſtronomi, qui ei ſucceſſerunt. Vnde propter hac & ſimilia non fuit neceſſaria diuturnitas vita in antiquis. Et ideò potius tenendum eſt, cnm Auguſtino, qui in libro de civitate Dei; de hac materia tractans ſic ait:* Annorum iſta numeroſitas cujuſque hominis, qui temporibus illis fuit nullis nunc talibus documentis venire poteſt in experimentum nec tamen ideo fides hujus hiſtoriæ ſacræ deroganda eſt: cujus tanto

imprudentius narrata non credimus quanto impleri citius prænuntiata conſpicimus. *Hac ille. Et nimirum ſi Auguſtinus, qui tantus Eccleſia doctor fideliſſimus fuit, hoc aſſerit eſſe omninò ſupernaturale; quod patet ex hoc quod in pradicta autoritate continetur. ſc.* quod iſta numeroſitas nullis documentis in experimentum venire poſſet. *Cum ipſe R. Moſes Hebraus in ſuo libro de directione perplexorum iſtam diuturnitatem vita attribuit miraculo divino. Dicit etiam & forte non inconvenienter, quod diuturnitas fuit ſolum in illis qui in ſacra ſcriptura nominantur ſc. Adam, Seth & Enoch &c. non autem in aliis contemporaneis, qui ut dicit, non tam diuturnè vivebant, ſed ſicut poſt diluvium. Cujus ratio eſt ſecundum eum. Nam ut dicit, ideo Deus diſpoſuit illos tam diuturnè vivere, ut fides de creatione mundi, quam pagani pro majori parte negabant, in cordibus fidelium magis radicaretur. Quod ſic factum eſt. Nam Lamech pater ipſius Noë concurrit in vita cum ipſo Adam. Abraham etiam, qui principalis fuit in fidei pradicatione, erat 63. annorum, quando mortuus eſt Noë. Et ſic teſtimonium creationis mundi venit ſatis de propinquo ad tempus Abraa, quia de Adam ad Lamech, ad Noë, & deinde ad Abraham.* Hactenus Paulus Burgenſis. Nos omnia contrahimus, dicimuſque Deum voluiſſe ut primi illi ante diluvium tanto ævo viverent, quia ſic inſtitutioni hominum in doctrina fidei & pietatis conſultum fuit per eos, qui de propinquo initium rerum, lapſum, promiſſionemque primam teſtarentur. Diſtinguamus autem cauſam primam à ſecundis. Cauſa prima fuit Deus, cui finis erat hominum talis inſtitutio & convictio. Calvinus, ut ſolet, graviter: *In numero annorum, qui hic refertur, inprimis conſiderandum eſt, quandiu ſimul vixerint ſancti patriarcha. Nam per ſex continuas atates, quum jam familia Seth in magnum populum creviſſet, quotidie reſonare potuit vox Ada, ad renovandam creationis & lapſus & pœna memoriam, ad teſtandam ſpem ſalutis, qua poſt caſtigationem relicta fuerat & ad recitanda Dei judicia, quibus omnes erudirentur. Poterant quidem eo mortuo tradere filii nepotibus quaſi per manus quod didiciſſent: ſed longe efficacior fuit doctrina ex ejus ore, qui oculatus fuerat omnium teſtis. Mira autem adeòque monſtroſa pervicacia, quod ne ſic quidem ſanior pars generis humani in Dei obſequio & timore retineri potuit.* Quanti hoc fuit audire primum parentem de ſui inductione in mundum vacuum, in paradiſum, de creatione feminæ, & feliciſſima conditione differentem audire: gementemque referre lapſus ſui & inobedientiæ miſeriam, unde mors & mala, in mundum inrupêre. Se pulſum paradiſo, ſed cum promiſſo, cujus fide erigatur & eluctetur, quicquid electorum eſt & civitatis fidelium. Convincere igitur & vivo teſtimonio ejus, quique ipſum audierant, erudire populum Deus voluit. Hos autem ſolos non beaſſe illa longævitate ſed communem fuiſſe ſeculo docebit collatio generationum Cain, quæ non majore numero ad diluvium pervenere & dedere filias, quibus ſe polluebant nati ſtirpe Sethianorum. Serò illi genuerunt, ſero è viventibus abibant: ſero adoleviſſe ad generationis vim credas, excepto tamen Cain & Abel, de quibus aliter credi poſtulat locus Gen. 4. 14. Deus igitur vitam tam longam conceſſit ipſis, non miraculo, ſed medio naturæ. In qua poſt lapſum fixit amplioris ſpatii terminum, quem poſt diluvium contraxit. Nihil enim hic τὰ ἔξω aer & loci, ἰδίωμα, quæ gubernant ſolummodo & cuſtodiunt, non dant vivacitatem. Sicuti enim in eadem regione, ſimili victu utens alius alio longius vitam producit, ita ſeminii & naturæ ipſius potiſſima habenda eſt ratio in cauſis brevitatis aut longitudinis vitæ. In termino durationis latitudo eſt, ut in mole, ſed terminus mu-

tavit

tavit Deus à diluvio & deinceps, ut communis & juſta menſura ſit in Pſalmo xc. 10. cui ſe non adſtringit gubernator univerſi univerſim. Ingens diſtantia eſt inter annos LXXX. & IↃCCCC. Ut nunc eſt numerus LXXX. ætati humanæ fuit ante diluvium 900. Tempore Moſis Deus hominis ævum ad noſtrum modum contraxerat, quamvis Moſes & alii plurimi eum ſuperaverint. Noluit prima ætate in tam arctum compingere ſpatium, quare, nos quidem rationes dicere nequimus probabiles niſi eam, quam è Calvino protulimus & Burgenſi Paulo. Voluit & viris & feminis, ſpatioſius ævum eſſe quam poſt diluvium. Cum diluvium primam ætatem deleviſſet, arctioribus terminis vivendi ſpatium circumſcriptum fuit, per gradus uſque ad Abrahamum aut paulò inferius decreſcente contractione. Eam vivacitatem naturæ ſive ſeminis ſex res non naturales fovent aut ſuffocant. Id voluit & explicavit Hippocrates (quantum victum attinet) lib. 1. de ratione victus: ἐσέρπει δ' ἐς ἄνθρωπον ψυχὴ, πυρὸς καὶ ὕδατος ξύγκρησιν ἔχουσα· μοῖραν σώματος ἀνθρώπου. ταῦτα δὲ τὰ θήλεα καὶ ἄρσενα καὶ πολλὰ καὶ παντοῖα τρέφεται. Τρέφεται δὲ καὶ αὔξεται διαίτῃ, τῇ περὶ τὸν ἄνθρωπον. ἀνάγκη δὲ τὰ μέρεα ἔχειν πάντα τὰ εἰσιόντα. ὅτου γὰρ μὴ ἐνείη μοῖρα ἐξ ἀρχῆς, οὐκ ἂν αὐξηθείη, οὔτε πολλῆς ἐπιούσης τροφῆς οὔτε ὀλίγης. οὐ γὰρ ἔχει τὸ προσαυξόμενον. ἔχον δὲ πάντα αὔξεται ἐν χώρῃ τῇ ἑαυτοῦ ἕκαστον τροφῆς ἐπιούσης ἀπὸ ὕδατος ξηροῦ, καὶ πυρὸς ὑγροῦ. τὰ μὲν εἴσω βιαζόμενα, τὰ δὲ ἔξω ὥσπερ οἱ τέκτονες τὸ ξύλον πρίουσι. καὶ ὁ μὲν ἕλκει, ὁ δὲ ὠθέει τὸ αὐτὸ ποιέοντες· κάτω δὲ πιέζοντος τοῦ ἄνω ἕρπει· οὐ γὰρ ἂν παραδέχοιτο κάτω ἰέναι. ἢν δὲ βιάζωνται, παντὸς ἁμαρτήσονται. τοιοῦτον τροφὴ ἀνθρώπου. τὸ μὲν ἕλκει τὸ δὲ ὠθέει. εἴσω δὲ βιαζομένου ἔξω ἕρπει, ἢν δὲ βιῆται παρὰ καιρὸν, παντὸς ἀποτεύξεται. χρόνον δὲ τοσοῦτον τὴν αὐτὴν ἕκαστα ἔχει τάξιν, ἄχρι μηκέτι δέχηται ἡ χώρη μηδὲ τροφὴν ἱκανὴν ἔχῃ ἐς τὸ μήκιστον τῶν ὑδάτων, ἔπειτ' ἐναμείβει ἐς τὴν ἐξωχώρην, θήλεα καὶ ἄρσενα τὸν ἑωϋτὸν τρόπον ὑπὸ βίης καὶ ἀνάγκης διωκόμενα· ὁκότερα δ' ἂν ἐμπλήσῃ τὴν πεπρωμένην μοίρην, ταῦτα διακρίνεται πρῶτα καὶ ἅμα συμμίσγεται. *Irrepit autem in hominem anima, ignis & aqua mixturam habens: partem corporis humani. Hæc autem fœminea & maſcula, multa & varia aluntur. Aluntur autem & creſcunt victu homini conveniente. Oportet autem ut omnia, quæ ingrediuntur, inveniant partes ſui generis. Cujus enim pars non inſit ab initio, non creſcet, ſive multum ſive parvum alimentum accedat. Non habet enim, quod creſcere poſſit. Si habeat autem omnia; creſcit quod libet ſuo loco. Alimento ſubeunte ſicci ab aqua, humidi ab igne. Hæc quidem aguntur introrſum, illa foras. Vt fabri lignum ſecant; hic trahit, ille trudit: cum idem faciant: deorſum autem ſuperiorem urgens inclinat ſe: non enim aliter deorſum ire poſſet. Si autem vi impellantur, toto deerrabunt. Tale quid alimentum hominis: aliud trahit, aliud autem pellit: quod autem introrſum agitur, foras tendit: ſi autem præter conveniens tempus neceſſitentur, toto aberrabunt. Tanto autem tempore qualibet eandem habent rationem, quouſque recipit locus aut alimentum ſufficiens habent ad ſummum aquarum, poſteà reciprocant verſus exteriorem locum, maſcula & fœminea eodem modo, vi & neceſſitate impulſa. Quæcunque autem impleverint fatum diſſolvuntur prius & ſimul commiſcentur.* Semen ſenex ſapientiſſimus vocat ξύγκρησιν τοῦ πυρὸς καὶ ὕδατος, temperaturam aquæ & ignis: quibus vocabulis τὸ ξηρὸν καὶ τὸ ὑγρὸν ſiccum & humidum notat cum calore & frigore, qualitatibus activis: illa igitur prima ξύγκρησις ſemen eſt, quod ali debet ab igne & aqua deforis ingredientibus. Si forinſecus ingredientia juvenile corpus ſubeant copioſius alunt, quia ταχέη ἡ περιφορὴ καὶ κίνησις: ſi corpus ſenile minus alunt, quia illa motio tarda & corpus frigidum. περιφορὴν vocat reciprocationem illam. Illam comparationem cum fabris explicat poſtea. Nempe duo cum ſint plura faciunt, hominiſque naturam imitantur.

Πνεῦμα τὸ μὲν ἕλκει τὸ δὲ ὠθέει· τὸ δὲ αὐτὸ ποιέον ἀμφοτέρως φέρει. σῖτον, τὰ μὲν κάτω πιέζεται τὰ δὲ ἄνω ἕρπει. ἀπὸ μιῆς ψυχῆς διαιρεομένης, πλείους καὶ μείους καὶ μέζους καὶ ἐλάσσονες. οἰκοδόμοι ἐκ διαφόρων σύμφορον ἐργάζονται, τὰ μὲν ξηρὰ ὑγραίνοντες· τὰ δὲ ὑγρὰ ξηραίνοντες· τὰ μὲν ὅλα διαιρέοντες· τὰ δὲ διῃρημένα συντιθέντες. μὴ οὕτω δὲ ἐχόντων, οὐκ ἂν ἔχοι ἰδίως. Δίαιταν ἀνθρωπίνην μιμέεται. τὰ μὲν ξηρὰ ὑγραίνοντες, τὰ δὲ ὑγρὰ ξηραίνοντες, τὰ μὲν ὅλα διαιρέουσι, τὰ δὲ διῃρημένα συντιθέασι. Ταῦτα πάντα διάφορα ἐόντα ξυμφέρει τῇ φύσει. Spiritum eſſe dicit, qui trahat & pellat. Hic enim ut eandem rem faciat, in utramque fertur partem. Alimentorum quædam deorſum urgentur, alia ſurſum vergunt. Ab una anima diviſa plures dicit exiſtere, plures paucioreſque, majores minoreſque. Animæ voce intelligit, quod Spiritus S. quando dicit animam eſſe in ſanguine. Quemadmodum in opificio alii ſicca madefaciunt, alii uvida ſiccant, tota dividunt, diviſa componunt ita etiam fieri in victu humano. οὐκ ἂν ἔχοι ἰδίως verto, *Non haberent ſe modo conveniente & proprio.* Foëſii, doctiſſimi viri, verſio hoc loco non conſiſtit: *Nihil unquam privatum conſtitui poſſet.* Ex illa corporis alimentatione & diligenti ſpirituum miniſterio orbis in corpore humano conſtituitur. τοῦτο περίοδος ἐν τῷ σώματι, ὁκόθεν ἄρχεται, ἐπὶ τοῦτο τελευτᾷ. Fuſe & diligenter magnus ille naturæ interpres ea explicat. At illa prima ξύγκρησις ſuum implet fatum, ſenio conſumpta diſſoluitur, etiam afflictione ab extrinſeco. Ὁκόσα δὲ τῶν σωμάτων ξύγκρησιν λαμβάνει πυρὸς τοῦ ἰσχυροτάτου καὶ ὕδατος τοῦ πυκνοτάτου, ἰσχυρὰ μὲν καὶ ἐρρωμένα τὰ σώματα γίνεται φυλακῆς δὲ πολλῆς δέεται. Supernis: ὕδατος δὲ τὸ λεπτότατον καὶ πυρὸς τὸ ἀραιότατον σύγκρησιν λαβόντα ἐν ἀνθρώπου σώματι ὑγιεινοτάτην ἕξιν ἀποδείκνυσι. Sanitatis & morbidæ diſpoſitionis rationem intrinſecam petit à temperamento ignis & aquæ. Denſitatem & raritatem ignis, item aquæ ſubtilitatem hæc facere. Non tamen longævitatis rationem intrinſecam videtur illis diſpoſitionibus attribuere. Ariſtoteles in vivacitatis cauſas inquirens catalogum texit. Primò non pendere à mole corporum: ἵππος γὰρ ἀνθρώπου βραχυβιώτερον. Non à brevitate! ἐπέτεια γὰρ τὰ πολλὰ τῶν ἐντόμων. Non vivere, in univerſum plantas diutius animalibus: ἐπέτεια γὰρ ἔνια τῶν φυτῶν. Non ἔναιμα, quæ ſanguinem habent excedere: μέλιττα γὰρ πολυχρονιώτερον ἐνίων ἐναίμων. Non quæ ſanguine deſtituuntur: τὰ γὰρ μαλάκια, ἐπέτεια μὲν ἄναιμα δέ. Non vivunt protractius terreſtria: καὶ γὰρ φυτὰ ἐπέτειά ἐστι καὶ ζῷα πεζά. Non quæ in mari: καὶ γὰρ ἐκεῖ βραχύβια, καὶ τὰ ὀστρακηρὰ καὶ τὰ μαλάκια. In univerſum vivaciſſima eſſe inter ſtirpes, ut palmam, deinde ſanguineo genere potius animalium quàm exanguibus: in pedeſtri quam aquatili. Ὥστε καὶ συνδυασθέντων ἐν τοῖς ἐναίμοις καὶ πεζοῖς καὶ τὰ μακροβιώτατα τῶν ζῴων ἐστίν, οἷον ἄνθρωπος καὶ ἐλέφας καὶ δὴ καὶ τὰ μείζω, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ εἰπεῖν, τῶν ἐλαττόνων μακροβιώτερα. Cum animalia ſanguinea ſimul & pedeſtria, fermè ſint vivaciora, ut homo & Elephas, & plerunque majora minoribus, nempe quoad genera diverſa, inquirenda cauſa vivacitatis. Eam Ariſtoteles ponit in humido non facile inareſcente & copioſiore. Δεῖ γὰρ λαβεῖν ὅτι τὸ ζῷον ἐστὶ φύσει ὑγρὸν καὶ θερμὸν καὶ τὸ ζῆν τοιοῦτον. τὸ δὲ γῆρας ψυχρὸν καὶ ξηρὸν καὶ τὸ τεθνηκός· φαίνεται γὰρ οὕτως. ὕλη δὲ τῶν σωμάτων τοῖς οὖσι ταῦτα, τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν καὶ τὸ ξηρὸν καὶ τὸ ὑγρόν. Ἀνάγκη τοίνυν γηράσκοντας ξηραίνεσθαι. Διὸ καὶ μὴ εὐξήραντον δεῖ εἶναι τὸ ὑγρόν καὶ διὰ τοῦτο τὰ λιπαρὰ ἄσηπτα. αἴτιον δὲ ὅτι ἀέρος· ὁ δ᾽ ἀὴρ πρὸς τἆλλα, πῦρ δ᾽ οὐ γίνεται σαπρόν. οὐδ᾽ αὖ ὀλίγον δεῖ εἶναι τὸ ὑγρόν. εὐξήραντον γὰρ τὸ ὀλίγον. Id ſic reddendum: *Oportet enim id ſumere, quod animal ſit natura humidum & calidum & vita tale. Senectus autem frigida & ſicca & quod obiit. Nam ſic apparet: Materiam autem corporibus præſtant, calidum, frigidum, ſiccum & humidum. Neceſſe igitur eſt ſeneſcentes exſiccari. Ideo humidum etiam ejuſmodi eſſe oportet, ut non facile exſiccetur.*

Ob id pinguia non putreſcunt. Cauſa eſt quod aëris ſint. Aër autem ſupra alia, ignis vero non putreſcit. Rurſus humidum non paucum eſſe oportet. Facile enim exſiccatur exiguum. Ut igitur animal ſit vivax abundet, oportet humido. At illud ut conſtitutum eſſe debet? Quantitate, debet eſſe copioſum. Qualitate debet eſſe 1. calidum, ἵνα μὴ εὔπηκτον ᾖ, ne facile congelaſcat. 2. Si & pingue ſit, non facile ſicceſcit nec infrigidatur. 3. μὴ περιττωματικὸν, non abundans excrementis. ἀναιρεῖ γὰρ τὸ τοιοῦτον ἢ νόσῳ ἢ φύσει. Tale naturali conſtitutione eſſe debet, quod vivax ſit futurum juxta Hippocratem & Ariſtotelem. Cardanus ex iiſdem fundamentis de ſubtilit. lib. 12. docet humidum ejuſmodi, quod tenacius ſit magiſque conſiſtat, pingue ac denſum longioris vitæ cauſam eſſe. Deinde: *Cauſa longitudinis vitæ in homine eſt calor maximus & humidi pinguis abundantia & tenuitas ſolida: brevitatis autem multa reſolutio.* Item: *Signum tamen maximum vitæ longævæ eſt multum ac tarde creſcere: huic proximum parum & tarde, ſed ſi multum & celeriter, hoc brevis vitæ eſt indicium: parum vero augeri & celeriter breviſſimæ vitæ eſt argumentum.* Humidum radicale conſtat humore tanquam oleo, quod abſumitur, & calore, tanquam flamma, depaſcitur. Abſumpto itaque vitæ oleo exſtinguitur animal. Ex alimentis quotidie accedentibus appoſitiſque pejus reſtituitur, quam id erat, quod abſumptum eſt. Si illis patriarchis attribuas humidum radicale copioſius compactiuſque quam poſteris eorum fuit, aliquam quidem cauſam dices, ſed non ſufficientem tam prodigioſæ differentiæ, quæ inter eos & poſt-naſcituros. Tardius dicamus creviſſe & adoleviſſe ob humidi iſtius conſiſtentiam non facile extenſilem. Atqui ante annum centeſimum maturi erant ut poſſent gignere. Abel & Cain cito genuiſſe videntur. In nobis autem ætas pubeſcens, pars ad ſummum eſt ſexta totius ævi benè longi. xv. enim anni ſic ad xc. ſe habent. Illi gignere potuerunt anno ſeptuageſimo & citius, quæ ætas ſeptuplicata dabit annos 420. qui dimidium non ſunt 900. quos communiter attigerunt & ſuperarunt. Si in copia, calore, compacta denſitate naturæ ille vigor nativus poſitus fuit decies aut duodecies calidiores & compactiores corporibus fuere quam nos ſumus. Copia autem illa ſi etiam quantitatem corporum convenientem poſtulat monſtra facies gigantum. An igitur verum quod Adam ille primus fuerit maximus inter Enakim? Qui portentoſa longævitate poſt modum vitæ abbreviatum ætatem extendiſſe leguntur, mole corporum aliis non fuêre ſuperiores, quemadmodum gigantes brevioris ævi fuêre ob diffuſam humidi radicalis attenuationem. Anne res ad miraculum referenda eſt? Non arbitror. Deus enim naturales cauſas adhibuiſſe videtur quia & commune fuit per tot annorum ſecula, tam longa vitæ ſpatia implere. Dicamus in ipſo balſamo nativo, quod calidum & humidum radicale dicitur, formam agnoſci debere diſtinctam à corpore ejus, qualitatibus manifeſtis, quas diximus, inſtructo. quæ totam ſubſtantiam faciat, ut loquuntur & τὸ τί ἦν εἶναι. In hac potiſſimum durationis & fugacitatis eſſe fundamentum & radicem. Deum igitur, mox à lapſu, indicio immortalitatis habitæ ante lapſum conceſſiſſe homini, ut vigentem validamque naturam haberet, id eſt formam illam inſitam humido radicali per totum corpus diffuſo. Hanc formam Hippocrates animam videtur appellare ψυχὴν. Eam eſſe ſtirpibus & animalibus. Naſci nihil eſſe niſi prodire ἐξ ἅδου ſic interire εἰς ἅδην diſcedere. Nempe elementa commiſcentur & diſſolvuntur continua reciprocatione. Coëunt ſub anima ſive ſpiritu, qui in tenebras abit, ubi fatum hic implevit: quod impletur connexa ſerie generationum & interituum. Ἀπόλλυται μὲν οὐδὲν ἁπάντων χρημάτων οὐδὲ γίνεται, ὅτι μὴ καὶ πρόσθεν ἦν. ξυμμισγόμενα δὲ καὶ διακρινόμενα ἀλλοιοῦται· νομίζεται δὲ

παρὰ τῶν ἀνθρώπων, τὸ μὲν ἐξ ἅδου ἐς φάος αὔξηθεν γενέσθαι, τὸ δ' ἐκ τοῦ φάεος εἰς ἅδην μειωθὲν ἀπολέσθαι. In hac perpetua recurſatione & ἀμοιβῇ lex naturæ eſt. ἡμέρη καὶ εὐφρόνη ἐπὶ τὸ μήκιστον καὶ ἐλάχιστον· ὡς καὶ τῇ σελήνῃ τὸ μήκιστον καὶ τὸ ἐλάχιστον· πυρὸς ἔφοδος καὶ ὕδατος. ἥλιος ἐπὶ τὸ μακρότατον καὶ βραχύτατον. πάλιν ταῦτα καὶ οὐ ταῦτα. φάος Ζηνί, σκότος ἅδῃ, φάος ἅδῃ, σκότος Ζηνί. φοιτᾷ καὶ μετακινεῖται κεῖνα ὧδε καὶ τάδε κεῖσε πᾶσαν ὥρην διαπρησσόμενα &c. Qui locus eſt nobiliſſimns doctiſſimi & clariſſimi naturæ conſulti. Qui Spiritus commeant in hoc orbe juxta Hippocratem, fabricantur corpora & naturæ intimam differentiam conſtituunt. Nos arbitramur omnium, quæ verè generantur (quo metalla & foſſilia non pertinent) & ſtirpium & perfectorum animalium πλαστικοὺς ſpiritus ſeminibus ineſſe & transfundi ortos, ſub ipſa generatione. Sed hæc alterius loci. Spiritus igitur illi corporum in patriarchis fuerint potioris conditionis ex lege Dei pro tempore poſita in naturà: ſunt hi immediata animarum & corporum vincula, occultis qualitatibus inſtructa. Videbat Scaliger. longitudinem vitæ non poſſe peti principaliter ab qualitatibus manifeſtis, unde ſic dicit exercit. 275. *Quare hæc eſt conſtantiſſima veriſſimaque ſententia: Temperaturam, tametſi comes eſt atque inſtrumentum quaſi quoddam ad vivendum: non eſſe tamen longævitæ cauſſam ſed aſtra ipſa.* Cum nullam manifeſtam videret cauſam, ad aſtra retulit.

Ἀτὰρ γέρων οἷόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων.

Jam ignorantiam fateris, nec loqueris ad propoſitum. Quæritur enim de intrinſeca cauſa & connata. Exercit. 6. 11. *Colligitur ergò triplex generatio. Una à ſideribus, ut muris. Sic ignis ex terra & ſilice. Altera, à ſemine; perfectior hæc. Univoca enim eſt. Ut à cane canis, ab igne ignis. Tertia à Deo ut animæ noſtra.* In his verbis ſubtiliſſimi & acutiſſimi viri multa materia reprehenſionis, quod nos non agimus. Id hic notamus generationem univocam non eſſe ab aſtris. atqui de univoca dictum, cum de vitæ longitudine quæreretur. Hoc tamen nobis dat judicioſiſſimus vir, non eſſe à manifeſtis qualitatibus vitæ illam longitudinem ſed ab occultis viribus totius ſubſtantiæ, quam ſolet ab aſtris petere. Voluit igitur Deus formas illas robuſtiores, firmioreſque naſci, ut longius ævum ſuſtinerent, infirmavit communi lege poſt diluvium & magis inſequentibus deinde ſeculis poſt Abrahamum.

Quia in comparatione ad vitæ modum, quem nunc habet lex naturæ, valde enormis & portentoſa fuit tot ſeculorum vita, multi voluerunt per annos à Moſe menſes (id eſt annos Lunares) intelligi. Id nequaquam conſiſtit. Nam primo, centum menſium puer non generat. Centum enim & viginti menſes implent duodecim annos non integros. Secundò, Scriptura nunquam anni vocem de menſe accipit. Tertiò, in diluvii hiſtoria anni formam, qui fuit ſexcenteſimus vitæ Noë, deſcribit. Nauclerus: *Cum autem in hac prima ætate, tam multis vixerint homines annis, dixit Varro apud Ægyptios pro annis menſes haberi quod argumentum perſpicuè falſum eſt. Nemo enim tunc milleſimum annum transgreſſus eſt: modo, qui ad centeſimum perveniunt, quod ſæpe fit apud nos mille ac ducentis menſibus vivunt. Si ergò computarentur pro annis, ſequeretur magna abſurditas. Reprobat hoc idem B. Auguſtinus in lib. de civitate Dei, per id quod dicitur Geneſ. 7. in Secundo, ait menſe, die 17. menſis illius: ubi oſtenditur annos illorum ſimiles fuiſſe noſtris in numero dierum.* Lactantius lib. 11. de orig. Erroris: *Mors itaque ſecuta eſt hominem ſecundum Dei ſententiam* (Lapſum enim Adam expoſuerat) *quod etiam Sibylla in carmine ſuo docet;*

Ἄνθρωπον πλάσαντος θεοῦ παλάμαις ἰδ' αὐτοῖς
Ὅντε πλάνησεν ὄφις δολίως ἐπὶ μοῖραν ἀπελθεῖν

Τῷ

Τῦ θανάτυ γνῶσίν τε λαβεῖν ἀμαθῆ τε κακῦ.

Sic facta hominis vita eſt temporaria, ſed tamen longa, quæ in mille annos propagaretur, quod Divinis literis proditum & per omnium ſcientiam publicatum, cum Varro non ignoraret, argumentari nixus eſt, cur putarentur antiqui mille annos victitaſſe. Ait enim apud Ægyptios pro annis menſis haberi, ut non ſolis per duodecim ſigna circuitus faciat annum ſed luna, quæ orbem illum ſigniferum XXX. dierum ſpatio illuſtrat. Quod argumentum perſpicuè falſum eſt. Nemo enim tunc milleſimum annum tranſgreſſus. Nunc verò qui ad centeſimum perveniunt quod fit ſæpiſſime, mille certè ac ducentis menſibus vivunt. Et autores idonei tradunt ad CXX. annos perveniri ſolere. Sed quia ignorabat Varro, cur aut quando vita hominis eſſet diminuta; ipſe diminuit; cum ſciret mille & quadringentis menſibus vivere poſſe hominem. Non debet hiſtoriæ ſacræ fides derogari per comparationem ad noſtram βραχυβιότητα. Philippus Mornæus: *Et hanc iſti exceptionem, ſuo quidem judicio, non levem ſcripturis noſtris opponunt, quaſi Deo non perinde ſit, vitam noſtram ad chiliadas ac centurias annorum producere.* Deo inquam, qui & ſecula & vitam ipſam momento creavit. Defendit Joſephus narrationem hiſtoriæ ſacræ in hunc modum: Μηδεὶς δὲ πρὸς τὸν νῦν βίον, καὶ τὴν βραχύτητα τῶν ἐτῶν, ἃ ζῶμεν, συμβαλὼν τὸν τῶν παλαιῶν, ψευδῆ νομιζέτω τὰ περὶ ἐκείνων λεγόμενα, τῷ μηδὲ νῦν τοσῦτον ἐν τῷ βίῳ παρατείνειν χρόνον τεκμαιρόμενος, μηδ' ἐκείνους εἰς ἐκεῖνο τὸ μῆκος τῆς ζωῆς ἀφῖχθαι. οἱ μὲν γὰρ θεοφιλεῖς ὄντες καὶ ὑπ' αὐτῦ τοῦ θεῦ γενόμενοι καὶ διὰ τὸ τὰς τροφὰς ἐπιτηδειοτέρας πρὸς πλείονα χρόνον εἶναι, εἰκότως ἔζων πλῆθος τοσῦτον ἐτῶν. ἔπειτα καὶ δι' ἀρετὴν καὶ τὴν εὐχρηστίαν, ὧν ἐπενόουν, ἀστρονομίας καὶ γεωμετρίας πλέον ζῆν τὸν θεὸν αὐτοῖς παρασχεῖν, ἅπερ ὐκ ἦν ἀσφαλῶς αὐτοῖς προειπεῖν, μὴ ζήσασιν ἑξακοσίυς ἐνιαυλούς. Διὰ τοσούτων γὰρ ὁ μέγας ἐνιαυλὸς πληρῦται. Si Joſephus ſolum curaſſet τὸ ὅτι, ſatisfeciſſet hiſtorici officio nec ſe proſtituiſſet ſcribendo τὸ διότι. Διότι explicat per has rationes. I. Quod Deo fuerint chari. Sic igitur vel miraculo contulerit ipſis, aliis hominibus denegatum, beneficium. Quaſi non & alii Deo grati fuerint, qui brevi ævo abſumpti! Quaſi omnes, qui eis temporibus, etiam Cain aliique Deo accepti fuerint, qui ævum protraxerunt! II. Quia ab ipſo Deo facti. Atqui ſoli Adam & Eva facti ſine medio à Deo. III. Commodiore victu uſos eſſe. Id negamus. IV. Ut Aſtrologiæ & geometriæ diſciplinas eruerent. Hoc refutavit Paulus Burgenſis. Τὸ ὅτι probat Joſephus: Μαρτυρῦσι δέ μυ τῷ λόγῳ πάντες οἱ παρ' Ἕλλησι καὶ παρὰ βαρβάροις συγγραψάμενοι τὰς ἀρχαιολογίας. Καὶ γὰρ καὶ Μανέθων ὁ τὴν τῶν Αἰγυπτίων ποιησάμενος ἀναγραφὴν, καὶ Βηρωσὸς ὁ τὰ Χαλδαϊκὰ συναγαγὼν, καὶ Μῶχος τε καὶ Ἑστιαῖος, καὶ πρὸς αὐτοῖς ὁ Αἰγύπτιος Ἱερώνυμος, οἱ τὰ Φοινικικὰ συνταξάμενοι συμφωνῦσι τοῖς ὑπ' ἐμῦ λεγομένοις. Ἡσίοδός τε καὶ Ἑκαταῖος καὶ Ἑλλάνικος καὶ Ἀκυσίλαος, καὶ πρὸς τύτοις Ἔφορος καὶ Νικόλαος ἱστορῦσι τὺς ἀρχαίυς ζήσαντας ἔτη χίλια. Qui antiquas res ſcripſerunt atteſtantur de veterum Longævitate. Ita Manethon, qui res Ægypti compoſuit, Beroſus, qui Chaldaica; Mochus, Heſtiæus, Hieronymus Ægyptius, qui res Phœnicum. Deinde adducit & Heſiodum & Hellanicum & Acuſilaum, Item Ephorum & Nicolaum. At quis εὐσεβὴς æquo animo accipiat verba, quibus ſacerdos ille Hieroſolymitanus hanc ſuam diſſertationem concludit: Περὶ μὲν οὖν τύτων, ὡς ἂν ἑκάστοις ᾖ φίλον, οὕτως σκοπείτωσαν. Adeone ſacerdos Dei ſui & ſancti ſcriptoris, divini Moſis, verba deſpicit, ut ſive fidem inveniant, ſive repudientur, ipſi curæ non ſit? οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. Prudentius de hac re diſſeruit Sabellicus Ennead. 1. lib. 1. *Scio ego tam longo hominis* (Noë) *ævo, hiſtoriæ fidem abrogari, ſi quis ad hanc vitam, qua hodie vivitur, reſpexerit. Sed fide non parva opus eſt ad divina opera credenda. Quanquam non video, quid magis ineptum fieri poſſit, quam cælum & omnia, quæ cælo con-*

continentur, mira & ineffabili ratione, à Deo condita affirmare, hominem, animal nobiliſſimum, rationis cœleſtiumque rerum capax, quod ſummus ille univerſi autor è terrâ ſuſcitarit, non potuiſſe, aut ſi potuit, non debuiſſe, quam diutiſſime in vita retineri: præſertim mundo adhuc recenti, cum in tanta ſolitudine humano genere augendo inprimis opus eſſet. Et ſi ſub ipſum mundi exordium, cœlo & elementis minus noxiis longior (ut quidam ſuſpicantur) potuit homini vita contingere, quod in hac ſeneſcentis ſeculi fece evenire non poſſit. Adjiciunt, qui ſacram ſcribunt hiſtoriam, aliam adhuc cauſam, quod idcircò tam longa ſit vita hamini à principio data, ut is ſimul multos procrearet commodiuſque opera naturæ longa exploraret experientia, diligentiuſque explorata poſteris traderet quod eorum plerique feciſſe exiſtimantur. Sed utcumque res excipienda eſt, Beroſus, Hellanicus & alii vetuſtiſſimi rerum ſcriptores longiſſima hac humanæ vitæ ſpatia, pro confeſſis tradidiſſe dicuntur. Adſtipulatur huic fidei, quod in aperto hoc rerum declinia, Macrobii Æthiopes, Seres & Hyperborei centenis quadragenis annis vivere creduntur, Pandoræque gens Indica ducentis, ut Gnidius Cteſias prodidit. Argumentum ab autoritate in rebus, quæ aſſeruntur eſſe aut eveniſſe valet. Deinde non eſſe incredibiles ex eo demonſtratur, quia & ſimiles aut eò accedentes contingunt. Hugo Grotius probabilitatem prætereà adſtruit ex mole corporum in gigantibus teſtata. Si enim adeò à communi & juſta corporum quantitate quidam exorbitent, cur non credamus fieri poſſe ut & duratio ævi valde deviet, in quibuſdam? *Eorum*, inquit, *qui primos homines ſecuti ſunt, vitam ad mille annos duraſſe Beroſus in Chaldaicis, Manethos in Ægyptiacis, Hiromus in Phœnicicis* (Apud Joſephum Hieronymus legitur) *Heſtiæus, Hecatæus, Hellanicus in Græcis prodiderunt: & inter Poëtas Heſiodus. Quod eo minus incredibile quando & majora multò etiam fuiſſe hominum corpora nudatis ſepulcris compertum, plurimarum gentium hiſtoriæ prodiderunt. Ac nominatim Græcorum Pauſanias & Philoſtratus, Romanorum Plinius.* Si Grotius exiſtimet, ut videtur, quod communiter olìm majora fuerint hominum corpora, errat. Gigantum fuere nationes, fuere & alii è communis ſtaturæ parentibus nati: ſed ea deviatio fuit, non communis modus. Qui vivunt longa vitæ ſpatia aut vixerunt, longiſſimè abſunt à portentoſa patriarcharum vivacitate, probant tamen, modum excedi poſſe & credibilem faciunt narrationem ſcriptorum fidei intemeratæ. Si Deus nunc quibuſdam largiatur formam humidi radicalis duraciorem, quis neget fuiſſe tempus, quo communis ea fuerit natura? Macrobios produxit Sabellicus è Plinii libro ſeptimo cap. 2. ubi ita Plinius: *Cyrnos, Indorum genus Iſigonus annis centenis quadragenis vivere: item Æthiopas Macrobios & Seras exiſtimat & qui Athon montem incolunt: hos quidem quia viperinis carnibus alantur* &c. Iſigonus (leg. Heſigonus) igitur non ſolum tradit tanto tempore ævum agere iſtas gentes, ſed & rationes dedit, ob quas exiſtimavit eos tam longævos. In illius ratione videtur deeſſe membrum oppoſitum, quia primum ſolummodo exprimitur, in quo de Athon montem incolentibus ratiocinatur. Deinde: *Crates Pergamenus Indos, qui centenos annos excedant, Gymnetas appellat, non pauci Macrobios. Cteſias gentem ex his, quæ appellatur Pandore, in convallibus ſitam, annos ducenos vivere, in juventa candido capillo, qui in ſenectute nigreſcat. Contra alios quadragenos non excedere annos, junctos Macrobiis, quarum fœminæ ſemel pariant: idque & Agatharchides tradidit: præterea locuſtis eos ali & eſſe pernices. Mandrorum nomen iis dedit Clitarchus & Megaſthenes, trecentoſque eorum vicos annumerant. Fœminas ſeptimo ætatis anno parere, ſenectam quadrageſimo anno accidere. Artemidorus in Taprobana inſula, longiſſimam vitam ſine ullo corporis languore traduci. Duris Indorum quoſdam cum feris coïre miſtaſque & ſemiferos eſſe partus, in calingis, ejuſdem Indiæ gente quinquennes concipere feminas, octavum vitæ annum non excedere*

dere. Hæc Plinius. Si fides his narrationibus haberi poſſet, doceremur Deum etiam gentes totas depreſſiſſe infra illum contractum modum, qui communis eſt. Cæterum de Indiæ rebus Græculi licentioſe fabulantur. Unde in proverbium ferè abiit *οἱ τὰ ἰνδικὰ γράψαντες*, quo pro fabuloſa & non credenda ſcribentibus habentur. Sic Strabo lib. 1. Geogr. *Θεόπομπος δὲ ἐξομολογεῖται φήσας, ὅτι καὶ μύθους ἐν ταῖς ἱστορίαις ἐρεῖ κρεῖττον ἢ ὡς Ἡρόδοτος καὶ Κτησίας καὶ Ἑλλάνικος καὶ οἱ τὰ ἰνδικὰ γράψαντες.* Nemo licentioſius mentitur quàm Cteſias. Illi fidem non auſi adhibere prudentes. Unde Arrianus de rebus geſtis Alex. lib. 5. *εἰ δή τῳ ἱκανὸς καὶ Κτησίας ἐς τεκμηρίωσιν.* Ariſtoteles de hiſtor. animal. lib. 2. cap. 1. *ἔστι δέ τι, εἰ δεῖ πιστεῦσαι Κτησίᾳ.* lib. 8. cap. 28. *ὥς φησι Κτησίας, οὐκ ὢν ἀξιόπιστος.* Lucianus lib. 1. veræ hiſtoriæ: *Κτησίας ὁ Κτησιόχου, ὁ Κνίδιος, συνέγραψε περὶ τῆς Ἰνδῶν χώρας καὶ τῶν παρ' αὐτοῖς, ἃ μήτε αὐτὸς εἶδε, μήτε ἄλλου εἰπόντος ἤκουσεν.* Verum tamen eſt in India fuiſſe Macrobios, ut communiter veteres & moderni de Taprobana inſula teſtificantur. Ita & in Java inſula, in qua Germano-belgæ oppidum Bataviam condidere, multos diutiſſime vivere referunt. Scaliger in elencho primæ orationis chronologicæ: *Quid diceret, ſi ſciret, ante hos ſex ſeptem annos, Regulum paganum ad Iavam majorem pugnantem periiſſe annos natum C L? quem ſi belli furor non abſtuliſſet is videbatur potuiſſe adhuc ad C L X. annos ætatem extendere potuiſſe, quod alius rex & ipſe quoque paganus, paulo ante fecerat, qui major C L X. annorum obiit.* Scribebat hæc Scaliger anno 1607. Fidem magis ſuperat quod Servius de gente Arcadum aſſerit in VIII. Æneid. *Alii,* inquit, *ipſam Nicoſtratam matrem Euandri, cum eſſet, centum decem annorum, à filio peremptam tradunt. Conſtat autem Arcadas plurimum vixiſſe, ut quidam uſque ad trecentos annos vivendo pervenerint.* Hæc non poſſunt conciliari, quaſi anni trimeſtres notentur, cum ita effici non poſſit eos plurimum vixiſſe, de Arcadum tamen horum vivacitate Plinius, Phlegon & Lucianus nihil meminerunt. Ego Servium nugari puto.

De columnis Sethidarum.

Sethi poſteros duabus columnis, alteri lapideæ, alteri latcritiæ, artes mathematicas inſcripſiſſe & poſteris tradidiſſe Joſephus narrat, uti ſupra productum eſt. Hanc rem ita accepit & in ſuam hiſtoriam retulit Sabellicus: *Ab eodem* (Setho) *prognati, rerum cæleſtium rationem primi mortalium indagaſſe traduntur: duaque ab his columna, diverſa materia conſtituta, lateritia una, altera lapidea, in quibus totum de conſummatione mundi arcanum exſcripſerint: dubium literis an animalium cæterarumque rerum figuris, quas poſteà ſit Ægyptus imitata. Perſuaſum (quod ſatis conſtat) habuerunt fore aliquando, ut nunc humor, nunc ignis, omnia eſſet vi ſua conſumpturus quod myſterium ut ad poſteros maneret, diverſa eſt materia in columnis quæſita, ut alterutra fuiſſet clades ſecuta, lateritia vi ignea, lapidea aquis reſiſteret, atque utra par injuria fuiſſet, rem omnem poſteritati traderet.* Quidam adverſus id, quod Joſephus tradidit, à Cainitis columnas iſtas fuiſſe excitatas dixerunt. Nauclerus: *Voluit aliquis duas columnas lateritiam & lapideam ab his (Cainitis) factas & artes ſeu ſcientias inventas his inſculptas ut conſervarentur contra ignem in lateritia, contra aquas in marmorea. Sed Ioſephus adſcribit hoc inventum Seth & filiis ſuis, quem allegat Comeſtor & tamen de Seth tacuit.* In illo errore fuit & Bergomas, quia Tubal & Tubalcain columnas eas erexiſſe ſcribit: *Hy namque duo fratres, prævidentes futura Dei judicia, aqua videlicet & ignis, omninò eſſe: ne eorum inventum ab hominibus omnino dilaberetur, aut antequam ad ipſorum deveniret cognitionem, deperiret, duas ſibi conſtruxerunt columnas, unam ex lateribus, aliam vero ex ſilice & in ambabus, quæ inventa eis fuerant,*

rant, utique conſcripſere. Vt ſi ex lateribus conſtructa ab imbribus exterminaretur lapidea permanens præberet hominibus ſcripta cognoſcere & ſic vice verſa. Scholaſtica hiſtoria ab Cainæis ſtructas eſſe columnas refert, Ioſephus à Sethi poſteris. 2. Joſephus futurum diluvium & incendium eos cognoviſſe ab Adami prædictione., Scholaſtica hiſtoria id tacet unde 3. Scholaſtica hiſtoria dicit incertum fuiſſe diluviumne an incendium immineret: Joſephus refert ceciniſſe Adamum duos interitus mundi, unum ab igne, alterum ab aquis. Cui lapideam oppoſuere Sethi filii. Sabellicus eandem incertitudinem refert, ſed & exiſtimare videtur id dici, quod Philoſophi arbitrati ſunt: alternis temporibus mundum *tum exignescere tum exaqueſcere*, ut loquitur Cenſorinus de die natali. 4. Artes Mathematicas illis columnis fuiſſe inſcriptas Joſephus vult, Scholaſtici Muſicen & ferrariam ſimileſque ab Cainitis inventas. Sabellicus dicit incertum eſſe, an hierogryphicis figuris, an literis inſculptæ fuerint: Joſephus ſatis indicat ſe literas ſignificare. Si quis eam lapideam columnam inſpicere potuiſſet, potuiſſet cognoſcere quibus figuris literarum mundus ante diluvionem fuerit uſus. Ego nihil dubito fuiſſe antiquiſſimas eaſque quibus ſacer codex exaratus fuit: ſive Aſſyrias ſive Samaritanas libeat aſſignare. Utrumque enim Alphabetum vi & poteſtate unum eſt, Aſſyrii tamen poſteriores paulum deflexere in notandis vocalibus literis. Sed de his ſuo loco, ſi Deus voluerit. Mathematicas artes inſcriptas fuiſſe columnis illis è Joſepho creditum eſt. Creditum etiam eſt Enoch eo genere ſcientiæ polluiſſe edoctum ab Angelo. Ideò evectum in cælum ſcribam magnum factum eſſe. Ejus memoria ad Mahumedanos egreſſa eſt, qui ipſum Idris אדריש appellant, in pluribus Alcorani locis. Ejus vocabuli originem clariſſimus Hottingerus interpretatur, *diſputatorem & rerum arcanarum inventorem*, æquivalentem Hebrææ דרשן, Chaldææ ספרא, quam vocem de Enoch uſurpat Ionathan Laudat Beidavium commentatorem Alcorani, qui in Azoaram de Maria ſcribit Enoch appellatum eſſe *Idris* לכתרה דרסה *propter multiplex ejus ſtudium* Deinde, quia תעאלי *Altiſſimus demiſerit ſuper eum triginta volumina.* Tum: ואנה אול מן חט באלקלם *Et quod ipſe primus, qui ſcripſerit calamo.* Porro, תמ׳ר פי עלם אלנגום ואלסחאב *Quod conſideraverit ſcientiam ſiderum & nubium.* סחאב *nubes* Tempeſtatum aëriſque mutationum contemplatorem fuiſſe volunt. Ex Elmacino ſcriptore inedito idem vir ſummus in his literis producit, fuiſſe prophetam: ſuper eo demiſſum eſſe & denominatum ab eo צחיפה אל נאמוס volumen legis, itemque aſtrorum ſcientiam. Hæc à Judæis illi accepère & ex libro Enoch ſimilibuſque quiſquiliis, quas otioſi & vani homines condidère. Ejuſdem farinæ eſt, quod viri docti inter Chriſtianos Atlantem gentilium de Enoch interpretentur, quaſi omninò certum ſit eum Aſtrologiæ patrem eſſe: & ſi hoc certum, quod tamen ego admittendum non eſſe arbitror, inde conſequatur, eum in Atlantem eſſe transformatum. Virum pium prophetam Dei, ſtudiis pietatis & cultus divini, admonendiſque hominibus ad reverentiam numinis vitam tranſegiſſe vero eſt ſimilius. Nec illi Joſephus inventionem ſideralis ſcientiæ adſcribit ſigillatim ſed iſti proſapiæ. Keſſæus apud eundem Hottingerum, narrat ipſum à Deo ad gigantes miſſum eſſe poſteros Cain, ut רסול apoſtolum & legatum, qui ipſos ad Dei cultum vocaret. Notat etiam eundem Keſſæum verba Moſis, Gen. V. התהלך את יהוה hac periphraſi interpretatum eſſe: *Serviebat Deo noctu diuque neque à laude ejus ceſſabat:* ſignificat precationis & laudationis officium, quod extrinſeca actione perficitur. Qui igitur diu noctuque precibus & laudibus divinis ſe impendebat & occupabat totum, quomodo Aſtronomicis obſervationibus ſemper ſe

potuit

potuit dare, ut ipſe eam artem inveniret & perficeret: niſi velint infuſam illi eſſe iſtam ſcientiam & divinitus revelatam. Id ſane volunt, ſed nos naturalia non revelari, quamvis excitentur idonea ingenia & famulentur περιστάσεις.

De Ioſephi anno Magno.

Ioſephus inter cauſas vivacitatis Patriarcharum eam quoque retulit, quod ſiderum ſcientiæ ſcrutandæ incumberent; nec potuiſſe eos eam obſervare, niſi vitam produxiſſent ultra annos ſexcentos, quibus conſtat annus magnus. Annum magnum multiplici diviſione & opinione veteres acceperunt. Primò Annus eſt cujuſque planetæ periodus, qua orbem ſigniferum perambulat & redit ad eundem locum. Ita ſolaris annus in comparatione ad lunarem, qui eſt menſis, annus magnus eſt, ut docet Macrobius. Hinc Virgilius:

Interea magnum ſol circumvolvitur annum.

Secundo annum magnum dixerunt ſpatium quo intercalatur, ut ita pariet cum cælo annus civilis, ratione ſolis ſolius habita. Ita quatuor anni apud nos, ex Julii Cæſaris ordinatione annum magnum faciunt. Apud Ægyptios *annus civilis* (ſic Cenſorinus ſed falſo, erat annus potius ſapientum) *ſolis habebat dies 365. ſine ullo intercalari. Itaque quadriennium apud eos uno circiter die minus erat quam naturale quadriennium: eoque fiebat, ut anno 1461. ad idem revolveretur principium.* Hic circuitus annorum 1461. quo totum perambulat retrogrado inceſſu annum Julianum, unumque per defectum numero adjicit, dictus eſt (ut ſentit Cenſorinus) annus ἡλιακὸς & θεοῦ ἐνιαυτός. Si veteres patriarchæ intercalârunt menſem integrum, qui è quadrantibus collectus eſt, 30. dierum, poſt annos æquabiles 120, ut redeant ad anni Juliani idem principium, hic orbis annorum 120. annus eorum magnus fuerit. Tertiò comparata lunæ circuitione cum Solari: ut utriuſque ſideris rationes coæquentur, annus magnus dictus eſt, qui Lunares periodos cum ſole connectit. Hic admodum varius erat. Audiamus Cenſorinum: *Veteres in Græcia civitates, cum animadverterent, dum ſol annuo curſu orbem ſuum circuit, Lunam interdum terdecies exoriri idque ferè alternis fieri: arbitrati ſunt lunares duodecim menſes & dimidiatum ad annum naturalem* (Solis ſc.) *convenire. Itaque annos civiles ſic ſtatuerunt, ut intercalando facerent alternos XII. menſium alternos XIII. utrumque annum ſeparatim vertentem, junctos ambos annum magnum vocarunt idque tempus τριετηρίδα appellabant, quod tertio quoque anno intercalabatur, quamvis biennii circuitus & revera διετηρὶς eſſet.* Hic igitur primus in hoc genere annus magnus in Græcia fuit; Poſtea cognito errore, hoc tempus dicit duplicaſſe & appellaſſe πενταετηρίδα. Hic annus magnus ex quadriennio commodior viſus eſt, ut annus ſolis conſtaret ex diebus 365. & diei parte circiter quarta, quæ unum in quadriennio diem conficeret. Nec hic quieſcere potuerunt. Nam hoc quoque tempus, quod ad ſolis modo curſum non ad Lunæ conveniret duplicatum eſt, & ſic nata, quam vocabant ὀκταετηρίδα. Hunc circuitum valde excoluerunt Græci & vario modo intercalarunt. Cum autem nec ſic ſatis rationes congruerent, Meton ex annis undeviginti periodum conſtituit, quæ ex re vocata eſt ἐννεαδεκαετηρίς. Philolaus Pythagoricus annum magnum poſtea conſtituit ex annis 59. Item Calippus Cyzicenus ex annis 76. Democritus ex annis 82. Hipparchus poſtremò ex annis 304. Quartò, annus magnus dictus eſt orbis duodecim annorum civilium, quo putabant Genethliaci ſignificationes ſiderum redire. In qua δωδεκαετηρίδι nulla ratio habetur

curſuum ſolis & Lunæ. Quintò, omnium ſiderum reditus ad idem principium. Macrobius lib. 2. in ſomnium Scipionis: *Annus verò, qui mundanus vocatur, qui verè vertens eſt qui converſione plena univerſitatis efficitur, largiſſimis ſeculis explicatur. Cujus ratio eſt talis: ſtellæ omnes & ſidera, quæ infixa cælo videntur, quorum proprium motum nunquam viſus humanus ſentire vel deprehendere poteſt, moventur tamen & præter cæli volubilitatem, qua ſemper trahuntur, ſuo quoque acceſſu tam ſero promoventur, ut nullius hominum vita tam longa ſit, quæ obſervatione continua factam de loco permutationem, in quo eas primum viderat, deprehendat. Mundani ergò anni finis eſt cum ſtellæ omnes omniaque ſidera, quæ aplanes habet, à certo loco ad eundem locum ita remeaverint, ut ne una quidem cæli ſtella in alio loco ſit, quam in quo fuit, cum aliæ omnes ex eo loco motæ ſunt, ad quem reverſæ anno ſuo finem dederunt: ita ut lumina quoque cum erraticis quinque in iiſdem locis & partibus ſint, in quibus incipiente mundano anno fuerant. Hoc autem, ut phyſici volunt, poſt annorum quindecim millia peracta contingit.* Ex hac deſcriptione mundanus annus erit converſio & reditus ſiderum errantium & inerrantium ad idem principium. Cenſorinus annum magnum appellat, qui ſeptem errantium converſione & reditu conficitur: *Eſt præterea annus, quem Ariſtoteles maximum potius quam magnum appellat quem ſolis, lunæ, vagarumque quinque ſtellarum orbes conficiunt, cum ad idem ſignum, ubi quondam ſimul fuerunt, una referuntur. Cujus anni hyems ſumma eſt* κατακλυσμὸς, *quam noſtri diluvionem vocant: æſtas autem* ἐκπύρωσις, *quod eſt mundi incendium. Nam his alternis temporibus mundus tum exigneſcere tum exaqueſcere videtur. Hunc Ariſtarchus putavit eſſe annorum vertentium duum millium CCCCLXXXIV. Aretes Dyrrachinus quinque millium DLII. Heraclitus & Linus decem millium CC. ∞. Dion X. M. CC∞. XXCIV. Orpheus. C. M. XX. Caſſandrus tricies ſexies centum millium, alii vero infinitum eſſe, nec unquam in ſe reverti exiſtimarunt.* Mendoſa hæc ſunt & medicum requirunt. Ariſtoteles tamen non videtur magnum illum annum definiiſſe ſolis errantibus. Plato in Timæo expreſſe octò ſphæras conjungit octavæ tamen motum ignoravit. At & Firmicus in præfat ſolas errantes anno magno attribuit. *Quantis etiam converſionibus major ille, quem ferunt, perficeretur annus, qui quinque has ſtellas, lunam etiam ac Solem, locis ſuis originibusque reſtituit, qui mille quadringentorum & ſexaginta unius annorum circuitu terminatur.* Magnus ille annus Ægyptiorum erat. Hic enim annus civilis (qui & Dei) conſtabat 365. diebus & quadrante. Non intercalabant Ægyptii, ſed quadrantem ſingulis annis adjiciebant: cum quemlibet annum inchoaverint ab ortu caniculæ. Hinç talem annum appellabant κυνικὸν, *canarium.* Docuit id ſummus vir. Cl. Salmaſius. Annus magnus tot annis vertentibus conſtabat, quot minor ille dies complectitur. Continebat igitur annos 365. cum quadrante. Rurſum maximum annum tanquam τετραετηρίδα majorem, conſtituebant annis 1461. Nam anni 365¼ ducti in quatuor eum numerum efficiunt. Hoc anno magno vagas omnes ſtellas ad eundem reſtitui locum putabant. Annus igitur hujus generis magnus, quo univerſalis converſionis plenitudo ſignificatur, planetarum ſaltem ἀποκατάστασιν notat. Et ejuſmodi annum magnum Joſephus intelligere debuit: quo ſignificationes ſiderum & tempeſtatum revertantur. Conſtat annis 532. (quæ vocatur Periodus Dionyſiana) revolutionem Solis & Lunæ fieri: ſed hanc Joſephus in mente non habebat. Mamilius, referente Plinio, prodidit Phœnicem vivere annis 660. itemque cum hujus alitis vita magni anni converſionem fieri. Habuit igitur ſocium erroris, ſed neſcio quod fundamentum illius opinionis.

Diſſe-

Differentia annorum in Patriarchis ante diluvium, juxta Hebr. veritatem, Samaritas & LXX.

In longo illo catalogo Patriarcharum Geneſeos V. ubi eorum ſeries uſque ad Cataclyſmum deducitur, ſemper in ſingulis clauſula adjecta eſt וימת *& mortuus eſt.* Calvinus: *Clauſula illa, quæ de cujuſque morte apponitur, minimè ſupervacua eſt. Admonet enim non fruſtra denuntiatam fuiſſe mortem hominibus: & jam nos maledictioni, cui addictus ille fuit, eſſe obnoxios, niſi aliunde liberemur. Interim reputanda nobis eſt luctuoſa noſtra conditio quod deleta in nobis vel ſaltem obliterata Dei imagine, vix tenuem retinemus vitæ umbram, ex qua ad mortem properandum eſt. Ac utile eſt in tot ſeculorum pictura cernere uno intuitu continuum Divinæ vindictæ curſum ac tenorem: quia alioqui Deum quodammodo obliviosum fingimus: & nihil proclivius eſt quam immortalitatem in terra ſomniare, niſi mors ſubinde ante oculos nobis occurrat.* Cæterum conſiderare neceſſe ſit ad ſcopum, quem nobis propoſuimus, ſacrarum literarum hiſtoriam & explicandi & defendendi, magnam illam varietatem in annis Patriarcharum, qua ab Hebræa veritate Samaritæ & Græca verſio diſcrepant. Ea enim injicit ſimplicibus & ignaris prima fronte dubitationem, petulantibus & luxurioſis ingeniis pervertendi occaſionem.

Anni quibus Patriarchæ genuerunt, juxta Hebr. veritatem, Samarit. LXX.

Adam genuit Seth	130	130	230	
Seth genuit Enos	105	105	205	
Enos genuit Cainan	90	90	190	
Cainan genuit Malaleel	70	70	170	
Malaleel genuit Jared	65	65	165	
Jared genuit Enoch	162	62	162	
Henoch genuit Mathuſale	65	60	165	
Mathuſale genuit Lamech	187	67	167	
Lamech genuit Noë	182	53	188	
Summa	1056	702	1642	Adjice an. Noë 600.

Hinc Hebræi colligunt ad diluvium annos 1656. Samaritæ 1302. Græci 2242. At monet Joſephus Scaliger; è cujus fragmentis Euſebianis Samariticos numeros ſumpſimus, in annis Malaleel pro ξε, ex Autographo Samaritarum reponendum eſſe οε, id eſt pro 65. reſtitui debere 75. In annis Henoch pro ξ, ex eodem Autographo reponendum ξε, id eſt pro 60. ſubſtitui oportere 65. Deinde in annis Mathuſale, pro ξζ, ex illo Autographo reddendum eſſe οζ, id eſt pro 67. legendum eſſe 77. His annis 10. 5. 10. adjectis ad ſuperiorem numerum, invenies juxta Samaritas ab Adam ad diluvium annos 1327. Samaritæ igitur minus habent, quam LXX, annos 915. Minus dicunt Hebræis, annos 329. Georgius Syncellus: Μέχρι τοίνυν τοῦ κατακλυσμοῦ, καθὼς πρόκειται, διαφωνοῦσι τὰ ἑβραϊκὰ Ἀντίγραφα πρὸς τὸ Σαμαρειτῶν ἀρχαιότατον καὶ τοῖς χαρακτῆρσι διαλλάττον (ὃ καὶ ἀληθὲς εἶναι καὶ πρῶτον ἑβραῖοι καθομολογοῦσιν) ἔτεσι τμθ. πρὸς δὲ τὴν τῶν ό ἔκδοσιν, τὸ μὲν ἑβραϊκὸν ἔτεσιν φπϛ, τὸ δὲ Σαμαρειτῶν ⁂ λ. *Igitur uſque Cataclyſmum, quemadmodum propoſitum eſt diſſentiunt Hebraica exemplaria à Samaritico, antiquiſſimo & aliis Characteribus ſcripto (quod & verum eſſe & primum Hebræi fatentur) annis 349. Ab editione LXX. diſſentit Hebraicum annis 586. Samari-*

mariticum 930. Samaritæ igitur juxta Syncellum ab Adam ad diluvium numerabant annos 1312. quibus ſi adjicias 930. qui deficiebant ab editione τῶν ό, efficies annos 2242. quot LXX. à diluvio computant. Si annos 586. addideris ad 1656. habebis iterum 2242. ut ſcias diſcrimen inter Hebræos & Græcos. At ſi annos 1312. Samaritarum, demas ab Hebræorum annis 1656, non remanebunt 349. ſed 344 proinde in Syncelli verbis legendum τμδ non τμθ, facili lapſu. Id ſummus virorum Scaliger non animadvertit ſeque ipſum in Georgio Syncello cenſendo implicat. Ejus verba ſunt: *Ex hac dinumeratione uſque ad natum Noë colliguntur anni MCCCXXVII. ad Diluvium autem MDCCCCXLVII. minus CCCXV. quam LXX; plus CCLXXI, quam Iudæi. Vnde hallucinationem Georgii Syncelli animadvertere licet, qui ſeptuaginta ſeniorum exceſſum ſupra Samaritas colligit annorum 930. Samaritarum autem ſupra Iudæos 349.* Deinde: *Sed eſt hallucinatio: putat enim ab Adam uſque ad diluvium mendoſe: quum iſti anni ſint ad natum Noë, non ad diluvium uſque deducti.* Mirum ἁμάρτημα Scaligeri. Quod ipſe peccat imputat Syncello. Quin potius contrarium peccatum peccat, quam Syncello objicit. Syncellus chronographio Samaritico adjicit annos 600 Noë atque ita, cum illis in chronographio iſto annis, computat uſque ad Diluvium annos 1312. Ubi quindecim annos minus habet, quam emendatio Scaligerana ex Autographo ejus Samaritico, decem annis ſuperat editionem Euſebianam Scaligeri. Hi decem anni fortaſſis erunt in annis Mathuſale, ut quod ibi emendavit Scaliger, Syncellus etiam legerit. Scaliger computat annos 1327, ex illa tabella temporum Samaritica, adjectis annis Noë 600. Memoria autem eum decepit. Non meminerat enim ſe illos 600 annos computaſſe. Hinc dicit ab Adam ad diluvium à Samaritis numerari annos 1947. Adjice ad annos 1327. illos ſexcentos Noë, invenies annos 1927. ubi lapſus eſt 20. annorum quos in animo habebat ut exceſſum Africani ſuprà communem τῶν ό editionem, eoſque perperam adjecit collectioni annorum, quam habebat ſub manu. Verum eſt quòd iſti 1947. ab Africani numeratione deficiant annis 315. Nam 1947. & 315. componunt 2262. Iterum ſine illis viginti annis numerum 1927. conſideravit, quando eos ſupra Hebræorum collectionem (1656) dicit exſurgere annis 271. Samaritæ igitur colligebant ab Adam ad diluvium annos 1302. aut 1327. aut 1312. pro codicum varia lectione.

Reliquum vitæ poſt generationem in Samaritico. Adam poſt Seth: καὶ ἐπέζησεν ἔτη ω, ἕως σκγ τῶ. Adam ſupervixiſſe dicit poſt natum Seth annis octingentis & uſque ad ann. 223 Noë.

Seth ſupervixit poſt natum Enos ann. 807. uſque ad 335. Noë
Enos ſupervit poſt natum Cainam, ann. 815. uſque ad 433. ann. Noë.
Cainan vivit poſt editum Malaleel ann. 840. uſque ad 521. ann. Noë.
Malaleel vixit poſt Jared. ann. 830. uſque ad..- Mendoſe habetur φω ann Noë.
Henoch ſupervixit poſt natum Mathuſale ann. 300. tranſlatus eſt 180. ann. Noë
Reliqui, Jared, Mathuſalo, Lamech uſque ad diluvium vixerunt.
Jared ſupervixit poſt natum Enoch ann. 785.
Mathuſale ſupervixit poſt natum Lamech ann. 653.
Lamech ſupervixit poſt natum Noë ann. 600.

Texamus hinc chronographium Samariticum primæ ætatis;

A. M. 130 naſcitur Seth.
235 naſcitur Enos.
325 naſcitur Cainan.
395. naſcitur Malaleel.

460 Jared naſcitur. Hucuſque Samaritæ cum Hebræis conveniunt.
522 Enoch naſcitur.
582 Mathuſale naſcitur.
649 Lamech naſcitur.
702 Noë Naſcitur.

A. M. 822	A. Noë 120.	Enoch transfertur.	In tab. Samarit. 180.
930	228	Adam moritur.	In tab. Samarit. 223.
1042	340	Seth moritur.	In tab. Samarit. 335.
1140	438	Enos moritur.	In tab. Samarit. 433.
1235	533	Cainam moritur.	In tab. Samarit. 521.
1245	543	Jared moritur.	In tab. Samarit. in anno Cataclyſmi.

Eodem cum Cainan anno mortuus etiam eſſet Mathuſale quem tamen tabella una cum Lamech & Jared uſque ad diluvium vixiſſe refert.

Ex hiſce perturbatis & mendoſis me non expedio. Videamus autem annos vitæ univerſos.

Adam vixit annos 930.		Hucuſque conſentiunt cum Hebræis. Reliqui imminuti ævo & annis, quibus genuerunt.
Seth vixit annos 912.		
Enos vixit annos 905.		
Cainan vixit annos 910.		
Malaleel vixit annos. 895.		
Jared vixit annos 847.	Hebræi 962.	
Enoch vixit annos 360.	Hebræi 365.	Cod. Sam. variat.
Mathuſale v. annos 720.	Hebræi 969.	
Lamech v. annos 653.	Hebræi 777.	

Hæc eſt Samaritani codicis diſcrepantia ab Hebræo. LXX. qui vocantur, variant potiſſimum in annis, quibus genuerunt, à quibus chronologia diſturbatur. Nam centum annos adjiciunt in Adam, Seth, Enos, Cainan & Henoch. Jared autem, Mathuſale, Lamech & Noë non habent adjectas annorum centurias ad generationis ætatem. Deinde eos annos quos adjecerunt ante τεκνογονίαν, detrahunt ætati ſequenti. Ita dicunt Adam vixiſſe poſt natum Seth annos 700 pro octingentis: Seth poſt natum Enos 707. pro 807. Ita in Enos ponunt 715. pro 815. In Cainan 740. pro 840. In Malaleel 730. pro 830. In Henoch 200 pro 300. Detrahunt autem Mathuſale ante παιδογονίαν annos 20. ſcribentes eum genuiſſe Lamech anno ætatis ſuæ 167. ubi Hebræi habent 187. Eoſdem adjiciunt inſequenti ævo, facientes eum vixiſſe poſt natum Lamech annos 802. pro eo, quod Hebræi habent 782. In Mathuſale adjiciunt ante παιδογονίαν 6. annos ſed demunt illi poſt eam annos 30. Ita ſolus Lamech brevius ævum apud eos habet, quam apud Hebreos. Hebræi enim dicunt vixiſſe annos 777. illi 753. Magna eorum fuit oſcitantia, quod non viderint Mathuſale annos excurrere poſt diluvium. Ideò in quibuſdam codicibus viginti illi anni, qui adempti erant Hebrææ veritati, reſtituti ſunt, ut in procreatione filii habuerit annos 187.

Hanc variantiam Lud. Capellus tribuit codicis ſacri diverſis lectionibus. Cum eo ſentire ſe profitetur Hugo Grotius in Gen v. 18. *De multis diſcrepantiis, quæ in hoc & ſequentibus capp. circa numeros annorum in codicibus Hebrais, Samaritanis, Græcis, nihil melius, quod dicam habeo, quam quæ dixit in critico ſacro eruditiſſimus Capellus.* Georgius Syncellus extollit ſupra modum codicem Samaritanum, ut antiquiſſimum & literis antiquis conſcriptum, quem verum & primum eſſe ipſi etiam Hebræi fateantur. Anne unquam aut uſquam Hebræi, confeſſi ſunt codicem illum, quem Samaritani tenent eſſe verum & primum id eſt authentium? Si eſt, cui illi ô illi cedant, quod mini-

minime concedes. Nam Africano viginti annos tribuenti τῷ Μαθουσάλα ſupra communem lectionem editionis Græcæ obloqueris: τοῦτο οὐκ εὖ ἔχειν δοκεῖ. ἔσονται γὰρ κατὰ τοῦτον τὸν λόγον αἱ ἀνὰ πάσας ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ ἱεραὶ βίβλοι τῆς γενέσεως διεφθαρμέναι. Quid igitur? Quem Samaritani codicem habent unde acceperunt? Ab Iſraelitico ſacerdote. Quando? Tempore Ezekiæ regis, cum inſtituti ad cultum Dei populi iſti, ab Aſſyriorum rege illuc tranſlati. Illi autem inſtituti à ſacerdote λαϊκῷ & Jeroboameo Dei veri cultum miſcuere cum patria idololatria. Exinde igitur odium inter Judæos & Samaritas nec ullum commercium. Ab Ezekiæ regis obitu ad Chriſtum in cælos evectum plures quam 730. anni elapſi ſunt. Intermedio iſto omni tempore Judæorum Eccleſia fuit depoſitaria eloquiorum Dei non Samaritarum Synagoga. Anne dices, Samaritas Judæorum fuiſſe Capſarios ut de Judæis pro Eccleſia Chriſti olim verè dictum eſt? Si poſtea Judæi tam diligenter cuſtodiere ſacras literas V. T. quæ ipſis quoque traditæ fuerunt, quid eſt quominus anteeuntibus temporibus, cum nondum ab olea defracti eſſent, id præſtitiſſe eos dicamus? Id largior Samaritas ſuum codicem, (acceptum ab illo ſacerdote) poſtquam Dei cultum miſcuerant cum ſuo fœtore, è nullo Hebræo voluiſſe emendare aut in eum aliquid tranſſumere. Nam odium & pervicacia nimia erat. Itaque quicquid recti bonique in eorum codice meſt, id antiquiſſimo illi Hebræo, cum ſub Ezekia primum imbuti ſunt lege Moſis, deberi: at quicquid deviat & obliquatur, ad normam recti apud Judæos depoſitam & originariam debet examinari. Quinque primi Patres in annis τεκνογονίας & univerſæ vitæ ſimiliter Hebræis codicibus in Samaritico referuntur: hactenus Samariticus verum dicit, quia ipſi convenit cum fonte & indice veritatis. In illis, qui ſequuntur, diſcedit, errat igitur & vitium habet. Vitium non debet imputari Hebræi codicis variantiæ, id eſt normæ, ſed malefidæ gentis perfidiæ & vetuſtati inter infidos & imperitos. Cæterum primi illi Patres qui rectè poſiti ſunt, teſtimonium dant, Hebrææ veritati ea in parte ab antiquo ſibi conſtanti & laudem fidelitati Judaicæ. Oportet igitur ea parte ſaltem corruptum eſſe codicem Græcum, qui annos παιδογονίας, & reſiduos immutavit. Non ſane ad illum emendari debet codex Hebrææ veritatis, quia nullum tale exemplar Hebræum (nequidem Samariticum) unquam fuit, ſed eſt hoc ex audaci & temeraria contaminatione, quam data opera commiſiſſe Græcos patet quia diſpenſant, ut conſonent. Quod enim prioribus annis accumulaverunt, poſterioribus adimunt ut ſummam relinquerent eandem, ſecuri de chronologia, ſoliciti de integritate numerorum totius ævi: niſi quod in Lamech neſcio quare viginti quatuor annos ſummæ decerpant. Qui audaces manus non abſtinuerunt à primis illis patribus, quis præſtet eos in reliquis religioſos fuiſſe? Quin eadem quæ ipſos cauſa impulit manus ſceleratas injiciendi in primos patres, impulit in reliquos, ut vanitatis ſuæ modum implerent. Anne Hebræum codicem nanciſci potuerunt, iſti, quicunque fuerint interpretes, eo modo vitiatum, ut transformatus fuerit de induſtria, potius quam errore vitiatus, aut lapſu librariorum? Quis fuit ille impoſtor qui fecit, & quæ oſcitantia codicem in interpretando ſumere ſibi, adeò diſcrepantem à communi quæ ipſis ignota eſſe non poterat, lectione? Monſtroſa erat deformatio per impiam manum, quam ſi non agnoverunt, caudices fuerunt. Audiamus autem Ludovicum Capellum: *Porro non eſt, quod quis magis miretur hanc in numeris inter Iudæorum, Samaritanorum & LXX. interpretum codicem, diſcrepantiam, eâ quam ſuprà lib. 1. cap. 10. obſervavimus intercedere inter Eſdræ cap. 2. & Nehem. 7. nempe ut iſta ſic &*

illa

illa orta videtur (ex parte ſaltem) ex ſcribarum ſeu librariorum in deſcribendis ſacris libris, lapſu, qui præſertim in numeris (ex notarum forte numericarum ſimilitudine atque affinitate) facilis eſt atque proclivis. Primum, Capelle, ſumis tibi veteres illos notis numeros concepiſſe quod tibi probatu erit difficile, cum multa videantur ſuadere, integris vocibus numeros ab illis ſolitos fuiſſe conſcribi. Deinde quantum ad comparationem illorum capitum attinet cum hac, de qua agitur, diſſenſione LXX. & Samaritanorum codicum, ita dicimus. I. Non eſſe illic tantam quantam putas, diſcrepantiam, Non eſt enim eadem recenſio, non ſunt eædem tabulæ. Multæ rationes numerum augere aut minuere poterant, excluſis aut incluſis his illiſve. In numeri ſumma convenientia eſt. II. Diſparem eſſe rationem. Nam illic duo diverſorum librorum Capita conferuntur, hic agitur de ejuſdem loci variantia juxta diverſitatem codicum. Duo loca variare poſſunt, forte mendo aliquo agnoſcibili aut levi admiſſo, unum eundemque locum lectionibus tantum diſcrepare, ut hic id probandum. Maſſorithæ nullum Keri & Chethib annotarunt. III. Et alia ratio in numeris familiarum, quæ ad poſteros nihil pertinent, mendum irrepſiſſe aut à Divina providentia non eſſe prohibitum, aliud in chronologiam temporum deducente ad poſteritatem & originem Meſſiæ, quam ſedulo curarunt ſancti ſcriptores. Moſes valde accuratus fuit & hoc egit, ut in libro Geneſeos annorum ſeriem contexeret. In ſcopo hoc tam diligenter intento eum eſſe vitiatum non arbitramur. IV. Notant etiam quidam eruditi, nec de nihilo, legis ſive Pentateuchi ut majorem uſum, ita accuratiorem rationem à Levitis habitam fuiſſe, ut non poſſet in illum ullum incumbere vitium. V. Quomodo potuerunt libri legis & prophetarum, corrumpi qui in in ſynagogis legebantur, ut vel minima variantia per memoriam populi ingruere non poſſet. VI. Moſis Chronologiam, ſecundum Hebræam veritatem comprobat etiam ἐκλογισμὸς annorum Sabbaticorum, ad annum Exodi charactere ſuo notatum, quem luxabis, ſi ſequaris Samaritas aut LXX. Sed de hac re alias.

SULPITII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBER PRIMUS.
CAPUT TERTIUM.

Qua tempeſtate cum jam humanum genus abundaret, angeli, quibus cœlum ſedes erat, ſpecioſarum forma virginum capti, illicitas cupiditates appetierunt: ac naturæ ſuæ originiſque degeneres, relictis ſuperioribus, quorum incolæ erant, matrimoniis ſe mortalibus miſcuerunt. Hi paulatim mores noxios conſerentes, humanam corrupere progeniem. Ex quorum coitu gigantes editi eſſe dicuntur, cum diverſæ inter ſe naturæ permixtio monſtra gigneret. Quibus rebus offenſus Deus, maximeque malitia hominum, quæ ultra modum proceſſerat, delere penitus humanum genus decreverat. Sed Noë virum juſtum vita innocens deſtinatæ exemit ſententiæ. Idem admonitus à Domino, diluvium terris imminere, arcam immenſæ magnitudinis ex lignis contexuit: ac bitumine illitam, impenetra-

bilem aquis reddidit : qua ille cum uxore ac filiis tribus & totidem nuribus eſt clauſus : volucrum etiam paria itidemque diverſi generis beſtiarum, eodem clauſtro recepta : reliqua omnia diluvio abſumpta. Igitur Noë, cum jam imbrem deſtitiſſe ac quieto in ſalo arcam circumferri intelligeret, ratus id quod erat, aquas decedere, corvum primum exploranda rei gratia, eoque non revertente (ut ego conjicio, cadaveribus detento) emiſit columbam : que cum conſiſtendi locum non repetiiſſet, reverſa eſt. Rurſum emiſſa folium olivæ retulit, manifeſtum indicium nudari cacumina arborum. Tertio demum emiſſa non rediit, unde animadverſum aquas deſtitiſſe. Ita Noë arcam egreſſus eſt. Id geſtum à mundi exordio, poſt annos (ut ego comperio) IICC. duos & quadraginta.

Drusius.

Qua tempeſtate] Salluſtianum eſt. Bello Jugurthino, *Ea tempeſtate in exercitu noſtro complures fuere.* Idem ibid. *ſolertiſſimus omnium in paucis tempeſtatibus factus eſt.*

Abundaret] abundare ſive abunde copioſum eſſe inciperet Gen 6. 1.

Angeli quibus cælum ſedes erat, &c.] Hujus ſententiæ fuerunt ex Ebræis Joſephus & Philo: ex Græcis, Juſtinus, Tatianus, Proclus, Athanagoras: ex Latinis Tertullianus, Lactantius, hic noſter. Contra eam quinque argumenta proferuntur, quæ nunc ut potero, refutabo: non quod ita ſentiam, ſed ut oſtendam in talibus argumentis, ſi ritè expendantur, parum ſoliditatis eſſe.

Primum argumentum eſt Chryſoſtomi Hom. 22. in Geneſin, *Homines filii Dei dicuntur, angeli nunquam.* Hoc perſpicuè falſum eſt. Nam angeli ſic dicuntur, Job. 1. 6. Vide Miſcel. cent. 1. cap. 12.

Secundum extat apud Nicolaum de Lyra, qui ait diluvium hominum cauſſa immiſſum fuiſſe, non angelorum. Id verum eſt ſed ex eo non ſequitur quod vult Nicolaus ille. Nam angeli, cum ſe matrimoniis mortalibus miſcuiſſent, paulatim mores noxios conſerentes, ut cum Severo noſtro loquar, humanam corrupere progeniem. Ea corrupta diluvium ſecutum eſt, Deo humanum genus delente ob propriam malitiam, quæ ultra modum excreverat. Non ergo propter angelos, ſed propter homines, licet angeli hominibus peccandi occaſionem dederint.

Tertium, dæmones cum ſint ſpiritus corporis expertes venereo congreſſu uti non poſſe. Contra cenſent Ebræi, eos liberis operam dare. Auguſtinus quoque quædam hac de re lib. xv. de civit. Dei. Vide ſis etiam Bodinum adverſus Wierum, pag. 44. Quanquam ſermo non eſt hic de filiis Diaboli, ſed de filiis Dei hoc eſt angelis, qui ad hæc inferiora detruſi humanam induere naturam. Unde in Medras Ruth, *facti ſunt ſicut homines.* Nam in ſpecie humana verſati ſunt cum hominibus, corpora terrena in ſpecie geſtantes, ex quatuor elementis compoſita. Itaque legimus in eodem libro, *Inter angelos eos, qui mixti fuerunt hominibus, non fuerunt ſicut illi qui* אישים*, id eſt, viri vocantur, nec ſicut illi qui filii Dei vocantur. Nam poſtquam à Deo dejecti fuerunt involuti elementis humanis veſtierant ſe eis. Reliqui angeli cum deſcenderent parati fuerunt ad redeundum in locum ſuum aërea corpora habentes.* Hæc ferè ibi. Quæ produxi ut oſtenderem argumentum à natura dæmonum hoc loco nullius ponderis eſſe. Sane quidem Aza & Azael, qui hos angelos inter numerantur, nuſquam dæmones dicuntur, licet parentes dæmonum quidam eos fuiſſe putent. Nam relatum in libro perveteuſto Hazohar, dictos angelos, quos filios Dei autor libri vocat, con-

conſuetudine uſos Naamæ ſororis Thubalcain, ex ea genuiſſe dæmones, quos ſedim appellant, & ſpiritus malos, qui nunc in mundo.

Quartum argumentum. Matth. 22. 30. habetur. *In reſurrectione neque uxores ducunt, neque nuptum dantur: ſed erunt ut angeli in cælo.* Reſpon. Fatemur angelos non celebrare nuptias in cælo ſed hic agitur de angelis, qui vel è cælo deciderant vel certè miſſi erant ad hæc inferiora, ut humanum genus cuſtodirent. Scribunt Platonici ſubtilia dæmonum corpora, cum ad nos feruntur, craſſiora effici. Quod Auguſtinus approbare videtur. Ebræi quoque ita de hac re opinantur; Manahemus Ricinenſis commentario in Geneſin, *Ioſua filius Corcha dicit, angeli ſunt ignis flammans: ſed ea ipſa hora qua ceciderunt è loco ſanctificationis è cælo facta eſt ſubſtantia eorum ſimilis ſubſtantiæ hominum, & induerunt corpus terrenum.*

Quintum argumentum. Dæmones non vocantur uſpiam filii Dei. Sic eſt profecto, nec angeli hi, dum in terris verſarentur, dæmones erant; ſed poſtea tales effecti ſunt, cum ob peccatum in terris admiſſum à Deo excluſi eſſent, nec in ſupera illa alta redire poſſent. Quanquam ipſe quoque Satan in cælo fuiſſe legitur. Teſtis mihi autor libri Job, qui inter filios Dei, id eſt, angelos, Satanam ponit. Job. 1. Redeamus unde digreſſi ſumus. Dixi hujus ſentententiæ fuiſſe Lactantium. Vide ſodes illam lib. 2. de origine errorum. Hilarius verò ſcribens in Pſalm. 132. ait ea de re cujuſdam librum extitiſſe, in qua refertur angelos concupiſcentes filias hominum, cum de cælo primum deſcenderent, in Phæniciæ maximè celſum montem Hermon conveniſſe, montemque illum ſi quis interpretetur, anathema ſonare. Liber eſt Ebraicus qui vocatur פרקי ר׳ אליעזר quem Serarius cum פרקי אבות confundit. In eo memoria uſurpatur horum angelorum per hæc verba. *Angeli delapſi è cælo viderunt filias Cain, quæ illo tempore nudæ incedebant, oculos ſtibio pingentes, more meretricum.* In Medraſoth: R. Hanina, *Viderunt filii Dei Aza & Azael, qui duo angeli fuerunt, filias hominum. Hi dominum ſuum accuſarunt, propterea dejecti fuerunt è cælo. Quum in aërem noſtrum deſcendiſſent, facti ſunt ſimiles hominibus.* Quæ omnia fabuloſa & commentitia eſſe prudentiores cenſent, nec immeritò. Nam locus Geneſeos unde hæc hauriunt, aliter accipi poteſt; imò debet. Vide quæ ſcripſimus Miſcel. cent. 1. cap. 25.

Angeli] duo ex his memorantur & in Medras Ruth, *Aza & Azael duo angeli erant, qui dominum ſuum criminati ſunt, qui ſanctus benedictus, propterea deturbavit eos è loco ſanctitatis eorum.* Et in Habdala R. Aquibæ *Aza & Azael ſecreta domini ſui patefecerunt, qui perforatis naribus eorum ſuſpendit eos in montibus tenebricoſis, ubi ſolem non viderunt, nec ventus flavit ſuper facies eorum ullo tempore aut ulla hora.* Nominatur etiam in libro Johaſin Mahaſael ſive Machaſael ex filiis Dei, qui ſub diluvii tempus rem habuerit cum uxore Chami, unde natus ſit Sihon. Ceterum ex iis, qui deſcenderunt è cœlo, alii redierunt ad locum ſuum, alii minime, ut Aza & Azael, de quibus in monumentis doctorum, *dixit anima Moſis, Mundipotens domine, à latere tuo deſcenderunt duo angeli Aza & Azael, qui concupiverunt filias terræ, & corruperunt viam ſuam in terra, donec ſuſpendiſti eos inter terram & cælum.* Propemodum exciderat. Apud Originem libro quinto contra Celſum ex libro Henoch recenſentur angeli è cælo delapſi ſexaginta vel ſeptuaginta. Quod an recte abs eo relatum ſit neſcio. Nam filii Dei diverſi ſunt ab iis qui Nephilim vocantur. Gen. 6. 4. Hi ſexaginta fuiſſe perhibentur; Nam ſcriptum ibidem, *Hi ſunt potentes,* & alibi, *ſexaginta potentes circum eam.* Quot in terra, totidem erant in cælo. Videndus Manahem in Geneſin fol. 37. col. 1. Ne quid celem, Jonathan

is, qui legem interpretatus eſt, gigantes etiam angelos fuiſſe opinatur, qui à cadendo Nephilim dicti ſunt, quod videlicet è cælo deciderint. Verba ejus habentur Gen. 6. 4. ad locum, *& gigantes erant in terra:* quem ſic interpretatur referente Manahemo, *Samhazai & Azael* (in textu Jonathæ eſt Oziel ſive Uziel) *ceciderunt è cælis & erant in terra in diebus illis.* Idem quos Moſes filios Dei nominat, non angelos, ſed cum Oncelo *filios principum ſive magnatum,* id eſt, רברביא/ interpretatur. Quæ commemoro ut diſcas in fabulis Judaicis omnia incerta eſſe, nec autores earum inter ſe convenire.

Superioribus] comparat. pro abſoluto. Supera enim dicunt pro ipſis cælis. Quod etiam ſubſtantivè uſurpant, ut; *Supera alta tenentes.* Talia ſunt *inferior, plures, ſenior.* Quod poſtremum Linacer omiſit.

Matrimoniis ſe mortalibus miſcuerunt] duxerunt uxores, fæminas mortales. Notum ut matrimonia ponantur pro uxoribus ipſis. Sic infra *matrimonia ex victis aſſumere.* Similiter, *cum adverſum interdictum Dei ex alienigenis conjugia ſumpſiſſet*, id eſt, conjuges.

Ex quorum coitu gigantes editi eſſe dicuntur] Sic quoque Joſephus & eum ſecutus Ambroſius, cujus hæc verba ſunt: *Non poëtarum more terræ filios vult videri divina ſcriptura conditor: ſed ex angelis & mulieribus generatos aſſerit, quos hoc appellat vocabulo, volens eorum exprimere corporis magnitudinem.* Hæc opinio jam olim communi conſenſu doctorum exploſa eſt: qui melius ſentientes tradunt gigantes, quorum ibi mentio fit, procreatos fuiſſe ex generis noſtri ejuſdemque naturæ parentibus. Quod mirum non eſſe docet Auguſtinus in quæſt. ſuper Geneſin ita ſcribens, *de gigantibus id eſt, nimium grandibus, atque fortibus, puto non eſſe mirandum, quod ex hominibus naſci potuerunt, quia & poſt diluvium quidam tales fuiſſe reperiuntur, non ſolum virorum ſed etiam fœminarum.* Fidem dictis adſtruit ætas poſterior; quæ gigantes dedit etiam ex mediocris ſtaturæ hominibus. Idem Auguſtinus de civit. Dei, lib. 15. cap. 23. *Ante paucos annos cum Romæ urbis, quod à Gothis factum, appropinquaret excidium, Romæ fuit fœmina cum ſuo patre & ſua matre quæ corpore quodammodo gigantea longe ceteris præmineret. Ad quam viſendam mirabilis fiebat uſquequaque concurſus. Et hoc erat maxime admirationi, quod ambo parentes ejus nec ſaltem tam longi homines erant, quam longiſſimos videre conſuevimus.*

Gigantes] vocantur hic à Moſe Nephilim, ut alii exiſtimant à cadendo: ut ego ab irruendo. Naphal enim & irruere ſignificat, ut apud Davidem, *irruit validus ſuis in turbam attritorum.* Etymo huic firmando eſt interpretamentum Aquilæ Pontici, ἐπιπίπτοντες, irruentes quod malè Hieron. exponit, *cadentes.* Alibi gigantes vocantur Emim à terrendo, ut Gibborim, à robore; & Enacim, à torque, ut quidam volunt, quaſi torquatos dicas: item Raphaim & Zomzommim. Quod poſtremum linguæ Ammoniticæ eſt. Deut. 2. 20. *Gigantes Raphaim habitarunt in ea, quos Ammonitæ vocant Zomzommim,* aliàs *Zamzummim.* Hoc loco notabis in fontibus eſſe non, *ex his nati ſunt gigantes*: ſed, *gigantes autem erant in terra diebus illis.* Unde qui colligunt eos ex filiis Dei; id eſt, angelis, & matrimoniis mortalibus editos eſſe, meo judicio, vehementer hallucinantur. Sunt etiam qui hos gigantes angelos fuiſſe putant in queis Jonathan Uzielides, cujus ſupra mentionem fecimus. Cave ſequaris. Nugæ ſunt nugaciſſimæ. Quibus annumerabis & illud quod Simphorianus Campegius. Prax. lib. 2. cap. 5. ſcriptum reliquit, multos vid: affirmare dæmones incubi forma, virili ſemine accepto, eodemque ſub imagine incubi in ſulcos muliebres ejaculato, gigantes ipſos genuiſſe. Vide Joſephum Ant. l. 1. 4.

Porro

Porro multa quæ de gigantum proceritate & magnitudine prodita ſunt vera eſſe probat Hieronymus Magius Miſcellaneorum. l. 1. c. 4.

Monſtra gignere] Gigantes monſtra vocat ob permixtionem duarum naturarum, angelicæ ſcilicet & humanæ. Alio ſenſu Horatius cecinit. l. 3. od. 4.

Injecta monſtris terra dolet ſuis,
Mæretque partus fulmine lividum
Miſſos ad Orcum.

Quum enim ſtaturam hominis longiſſimi excedant, rectè monſtra eos appellat. Monſtrum enim autore Donato eſt omne id quod præter naturam deficit aut excedit.

Malitia] κακία, vitioſitate.

Ultra modum] ultra uſurpat pro ſupra, ut in vita B. Martini, *ultra humanum modum*. Sic hiſtor. ſacræ lib. 2. *ædem ſacratam, ultra omnia mortalia illuſtrem*.

Vita innocens deſtinatæ exemit ſententiæ] imo Deus eum exemit non innocentia. Nam innocentia nihil agit cum ſit accidens. Sed eſt genus loquendi, *vita innocens eum exemit* pro Deus eum exemit ob vitæ innocentiam. Simile, *juſtitia liberat à morte*, pro Deus liberavit hominem à morte per juſtitiam, ſive, quod idem, propter virtutem. Nam juſtitia eo in loco virtutem denotat, niſi opes juſtas intelligas. Præcedit enim, ecce, *non proſunt theſauri improbitatis*, id eſt, improbe parti. Sunt qui juſtitiæ vocabulo eleemoſynam innui putent. Ut ut ſit, eleemoſyna non liberat à morte, ſed ipſe Deus propter eleemoſynam: Geminum eſt, *integritas rectorum cuſtodit eos.* Nam Deus tales cuſtodit propriè loquendo.

Noë] Νῶε, qui & Noa, & Noach. Sed Noë antiquum eſt. Græci enim & Latini veteres aliter non ſcribunt. Judicium Auguſtini Steuchi Eugubini, de hac ſcriptura tale eſt. *Mirum cur hæc vox apud Græcos & Latinos corrupte legatur, apud Beroſum tamen legitur ut legenda eſt. Appellat itaque eum Noach, ut Ebraicè quoque profertur.* Quem locum adduxi propter juventutem noſtram. Nam hæc legens putaret, Noë corruptum eſſe. Non eſt magis corruptum, quam Thare, quam Sue, quam Jaree, aliaque ſexcenta. Noach legitur quidem in Beroſo Annii, ſed an etiam in vero Beroſo? Hoc probandum erat. Annius quo tempore vixerit non eſt obſcurum. Mirarer ſi uſpiam in antiquis Noach extaret. Neque tamen improbo. Sed ab eo non recte dicitur Noachus cum Nochus dici debeat. Siquidem a furtivum, quale in Noach, quum aliquid additur, penitus perit. Sane à ruach, quod ſpiritum & ventum denotat, pluralis eſt ruchoth, non ruachot. Intelligens intelligit quid velim.

Juſtum] probum, virtute præditum.

Arcam] תבה navigii genus abſque remis & velis, arcæ in modum conſtructum tectumque, LXX. κιβωτὸν vocant. Joſephus λάρνακα: Chaldæi תיבותא/ unde θηβωτὰ in Clemente Stromat. l. 5. Hujuſmodi navigia vel ex ligno fiebant, ut arca Noë; vel ex papyro, ut ſcirpea illa ratis, quæ Moſen infantulum vexit. Hanc LXX. interpretes θίβιν appellant, haud obſcuro veſtigio vocabuli Ebraici. Videndus Suidas. Lexicon Heſychii, θίβα, πόλις Βοιωτίας καὶ κιβώτιον. recte. proprie κιβώτιον: ab eo Thebæ dictæ ſunt. Cadmus enim Thebarum conditor à navicula, qua vectus in Europam trajecit, nomen urbi impoſuit. Ut Joſephus arcam λάρνακα, ita etiam Lucianus ap-

pellat, quam proluvii tempore Deucalion conſcendit. Gloſſæ veteres, λάρναξ, arca, riſcus. Pro θίβη Cyprii dicunt θίβωνος. De arcæ forma Albinus in Geneſin, *Vt videtur*, inquit, *habuit quatuor angulos ex imo adſurgentes, & eiſdem paulatim uſque ad ſummum in anguſtum attractis in ſpatium unius cubiti fuit collecta, &c.* Vide quæſtiones ipſius in Geneſin.

Immenſæ magnitudinis] longitudinis trecentorum cubitorum, latitudinis quinquaginta, altitudinis vero triginta. Per cubitum autem Origenes ex traditione Judæorum ait Moſen intelligere cubitum Geometricum, quem alii Mathematicum vocitant, qui ſex noſtros cubitos continet. Qua de re ſcripſimus in examine de verſione ſupra Geneſin, quæ nunc inde deſcribemus, Quum varii cubiti ſint, merito quæritur de quo cubito hic locus accipiendus ſit. Nam eſt cubitus regius major eo quo pro menſura utimur, inquit Herodotus, tribus digitis: & cubitus virilis, Deut. 3. 11. quem Oncelos eundem facit cum cubito regio. Eſt & cubitus Geometricus, & vulgaris ſive communis. Geometricus tantum valet, quantum ſex alii. De hoc loqui Moſen cenſet Origenes, cujus hac de re verba ſunt in Catena patrum. *Sed hac nos qua a prudentibus viris & Ebraicarum traditionum gnaris, atque à veteribus magiſtris didicimus, ad auditorum notitiam deferemus. Ajebant ergo Majores, quod Moſes qui (ut ſcriptura teſtatur de eo) omni ſapientia Ægyptiorum fuerat eruditus ſecundum artem Geometricam, quam præcipuè Ægyptii callent, cubitorum numerum hoc in loco poſuit. Apud Geometras enim ſecundum eam rationem, qua apud eos virtus vocatur, ex ſolido & quadrato vel in ſex cubitos unus deputatur, ſi generaliter; vel trecentos, ſi minutatim deducatur. Qua utique ratio ſi obſervetur in hujus arca menſura, invenientur & longitudinis & latitudinis tanta ſpatia, qua verè totius mundi reparanda germina, & univerſorum animantium capere rediviva ſeminaria potuerunt.* Hanc opinionem approbat Auguſtinus de civit. Dei lib. 15. cap. 27. Quam & ego probarem, niſi ſcirem Moſen ſe ubique accommodare ad captum vulgi. Quocirca non eſt credibile eum nunc locutum eſſe de cubito geometrico, cujus menſura eruditis tantum nota erat. Neque cauſa eſt cur eo confugiamus cum ſimpliciter numerus horum cubitorum, ut à Moſi poſitus eſt, ſufficiat ad omnes animantium ſpecies capiendas, & eorum in annum alimoniam, & ſpatium etiam reliquum ſuperſit, ut docte Buteo rationibus geometricis & mathematicis oſtendit. Buteo iſte ſcripſit de Fabrica arcæ, quem nondum mihi videre contigit. Mercerus, qui vidit, valde commendat. Idem cubitos intelligit vulgares, ſive communes, quales erant hominum illius ævi. A quo non longe abit Gerundenſis, qui Moſen loqui cenſet de cubito ipſius Noë. *Sed tamen*, inquit, *cum ejuſdem magnitudinis eſſent homines illius Temporis, & multa eſſent animalia, arcam capere ſine miraculo, omnia non potuiſſe.* Vide illum, ſi vacat. Noë certe præſtitit quod potuit, reliquum Deus ſupplevit. Hucuſque.

Ex lignis] ex lignis gopher, id eſt, lævigatis, ut noſtra tranſlatio habet; aut quadratis, ut LXX. quod Græce dicitur ἐκ ξύλων τετραγώνων, quæ inſolubilia ſunt. Qua ratione cavit ne arca ventorum vi aut aquarum inundatione ſolveretur, ait Albinus. Sed Gopher alii aliter interpretantur. Ebræi dicunt eſſe genus arboris. Chaldæi cedrum exponunt. Cedrum autem קדרוס appellant, quod legunt Cadros cum legi poſſit cedros, id eſt, cedrus, Græcum ſcholion eſt, ex antiquis editionibus, ut puto, deſumptum ἐκ ξύλων ἀσήπτων, ex lignis imputribilibus: ἢ κεδρίνων, aut cedrinis: ἢ πυξίνων, aut buxeis. Hieron. in quæſtio. *pro quadratis lignis, bituminatis legimus.* Confundit כפר cum גפר. Siquidem Chopher bitumen, Gopher putatur eſſe cedri ſpecies, cariem non ſentiens. Sed hæc omnia incerta ſunt. Præſtat ἐπέχειν, quam

temere

temere aliquid affirmare. Vox Ebræa non reperitur alibi. R. Levi ſcribit eſſe lignum quod longo tempore durat: *& eſt*, inquit, *ſpecies cedri, quemadmodum expoſuerunt doctores noſtri felicis memoriæ.* R. Abraham Hiſpanus, *nomen eſt ligni leviſſimi.* Eadem ſcribit R. David. Quod noto propter interpretem noſtrum, in quo *de lignis levigatis*, ut diximus. In Geneſi magna (liber eſt ejus nominis, quem Breſith rabba vocant) *ligna Gopher ſunt ligna cedrina.* In gopher ſignificatio ſulphuris, quod גפרית gophrith dicitur. Unde quidam innui putant ſulphure perdendos eſſe. Cui firmando Hiſcuni ad hunc modum ſcribens, *Gopher, unde ſulphur exit, non conſumitur in aqua. Præcepit autem ut uteretur ligno iſto ad oſtendendum, quo ſupplicio digni eſſent.*

Bitumine illitam] Gen. 6. 14. *illines eam bitumine.* Biblia Græca *ἀσφαλτώσεις αὐτὴν ἀσφάλτῳ, bituminabis eam bitumine.* Apud Ambroſium cap. 6. *illines* legitur, ut in vulgata noſtra, *bitumine linies.* Ebraice כפר limus eſt ſeu terra lenta, pici perſimilis. Eo utebantur veteres picis loco: ſed & calcis vice. Hoc genus חֵמָר illud כֹּפֶר vocant Ebræi. Eucherius in Geneſin, *Bitumen eſt ferventiſſimum & violentiſſimum gluten, cujus eſt hæc virtus ut ligna, quæ ex eo fuerint lita, nec vermibus exedi, nec ſolis ardore vel ventorum flatibus aut aquarum poſſint aſſiduitate diſſolvi.* Sic etiam Rabanus & Albinus. Plin. lib. 35. cap. 15. *Bitumen alibi limus, alibi terra, limus è Iudææ lacu emergens: terra in Syria circa Sidonem oppidum maritimum.* Abenezra: *Sunt qui dicunt* כפר *ſimile pici eſſe, & ſunt qui dicunt eſſe lutum in terra è pulvere, quod adhæret & conſiſtit, ut pix, & ſunt qui dicunt quod in lingua* Iſmaelitica ſive Arabica קפר appellatur Chaph in Coph verſa.

Totidem nuribus] nomina harum in iis quæ ſub Beroſi nomine circumferuntur, *Pandora, Noela & Noegla.* Uxor autem Noe, ibidem vocatur *Tytea*, quam & Veſtam dici ajunt. Sed Veſta eſt אשתא, id eſt ignis. Ovidius.

Nec tu aliud Veſtam quam vivam intellige flammam.

Eſtha, Veſta, ut ἐσθὴς veſtis. pandora Græcum vocabulum eſt. Quanquam in Aruch. פנדורא. Id invenies in voce ברכשתא.

In ſalo] in mari: quod ita dictum eſt vel à ſale; vel, ut alii volunt à σαλεύω.

Ratus id quod erat aquas decedere] Joſephus Originum Judaicarum. lib. 1. cap. 4. *Quum arca deſtituta eſſet in vertice cujuſdam montis in Armenia, id ſentiens Noë aperuit eam, deinde poſt aliquot dies, magis recedente aqua emiſit columbam.*

Eoque non revertente] Vide Proverbia mea ſacra in adagio *corvus nuncius:* item Miſcellan. cent. 1. cap. 3. Ubi diſputo utrum corvus à Nocho emiſſus redierit, nec ne.

Ut ego conjicio cadaveribus detento] conjectura hæc ſumpta eſt à natura animantis, quæ cadaveribus veſcitur. Intelligit autem cadavera ſubmerſorum, qui ferè ſeptimo aut nono die emergunt in ſuperficie aquæ fluitantes. Quod quare fiat, docet Levinus Lemnius de miraculis naturæ. lib. 2. cap. 6.

Ut ego conjicio] Idem alii quoque conjecerunt. Auguſtinus, *Quæritur utrum corvus mortuus fuerit, an aliquo modo vivere potuerit? Si igitur fuit terra ubi requieſceret, ſimiliter columba requiem inveniſſet; Unde conjicitur quod cadaveri potuit corvus inſidere, quod naturaliter refugit columba.* Albinus ſive Alcuinus, *Quæritur ubi corvus requieverit, ſi columba non invenit ubi requieſceret? Reſp. potuit corvus cadaveri cujuslibet animantis inſidere, quod columba naturaliter fugit.* Iſidorus, *poſt XL. dies corvus non rediit aut aquis interceptus,*

ceptus, aut cadavere natante illectus. Nicolaus de Lyra, *Secundum communem expoſitionem non eſt intelligendum, quod corvus reverſus ſit ad Noë aquis deſiccatis, ſed remanſit apud cadavera, ut communiter dicitur.*

Cum conſiſtendi locum non reperiiſſet] mirum hoc, quum jamdiu detecta eſſent cacumina montium. An terra limo erat oppleta, quem aqua recedens reliquerat? videtur. Limo.n. columbæ, ut & aliæ aves, non poſſunt conſiſtere. Nam cœnum mollius, cujuſmodi eſt limus, corpori etiam leviſſimo cedit, nec conſiſtendi locum ei præbet.

Rurſum remiſſa] rectum puto, *emiſſa*; quod placuit etiam Sigonio. Ante nos monuerat quoque de eo Victor Giſelinus.

Folium olivæ] Auguſtinus de doctrina Chriſtiana l. 2. cap. 16. *Olea ramuſculo, quem rediens ad arcam columba pertulit, ſignificatur pax perpetua. Nam novimus, & olei lenem contactum non facile alieno humore corrumpi, & arborem ipſam frondere perenniter.* Quod poſtremum ita eſſe docet nos Theophraſtus, dum oleam recenſet inter eas arbores, quæ perpetuo virent, nec unquam folia amittunt. Huc refer Prudentii tetraſtichon:

Nuntia diluvii jam decreſcentis ad arcam,
Ore columba refert ramum viridantis olivæ:
Corvus enim ingluvie per fœda cadavera captus,
Heſerat, illa datæ revehit nova gaudia pacis.

Ita Noë arcam egreſſus eſt] arca quievit in uno aliquo montium Ararath, id eſt Armeniæ. Inde igitur deſcendit Noë. Loco nomen Armeni fecerunt ἀποβατήριον, id eſt, egreſſorium. Hujus diluvii & arcæ meminerunt Beroſus Babylonius, Hieronymus Ægyptius, qui Antiquitates Phœnicum conſcripſit, Mnaſeas, Nicolaus Damaſcenus & alii plures. Autor Joſephus, Orig. Judaic. lib. 3. cap. 4. Meminit & Sybilla Cumæa, cujus verba reperies apud Lactantium de ira Dei. cap. 23.

CC. duos & quadraginta] Sigonius numerat CCC. duos & quadraginta: perſpicuo errore, quia Seth genitum ſcribit anno Adami 330. Cum natus ſit 230. Cæterum Ebræi ad diluvium annos putant 1656. Quod ex hac tabella clarum fiet.

Series annorum à mundi exordio uſque ad diluvium.

Adam genuit Seth an.	130	230
Seth Enos	105	205
Enos Cainan	90	190
Cainan Malaleel	70	170
Malaleel Jared	65	165
Jared Henoch	62	162
Henoch Mathuſalem	65	165
Mathuſalem Lamech	187	187
Lamech Noë an.	182	188

Hic anno ætatis ſexcenteſimo arcam inivit propter diluvium.

DUos & quadraginta] adde menſem unum & dies viginti ſeptem. Ceterum Noë arcam egreſſus eſt anno ætatis 601, menſe ſecundo, die menſis 27. Ingreſſus autem fuerat, ut diximus, anno 600. ejuſdem menſis die ſeptimo ſupra decimum, Gen. 7. 11. Hinc liquet ipſum in arca fuiſſe annum integrum lunarem & dies undecim. Qui efficiunt juſtum annum ſolarem. Sic dico

Sic dico quo die egreſſus eſt, anno evoluto & ad ſolis curſum putato, eodem egreſſus eſt, ut Strabus memoriæ prodidit. Quem vide, ſi placet, in gloſſa ordinaria, fol. 145. Vide quoque Nicolaum de Lyra.

SCHOTANUS.

Geneſ. cap. VI.

HUMANUM GENUS ABUNDARET] Diluvii cauſa προκαταρκτικὴ fuit humani generis malitia, quæ ultra modum proceſſerat. Hujus cauſæ progenitrices fuere. I. Abundantia hominum & augmentum. II. Connubia filiorum Dei cum filiabus hominum. III. Exemplum gigantum qui illo ſeculo fuêre. Incrementum hominum fuit ex vi & vigore Divinæ benedictionis: at benedictio in maledictionem verſa eſt. Sic eſt ut Ambroſius lib. de Arca & Noë cap. 3. *Difficilius multi legum repagulis in officio continentur, quam pauci. Sic profectò uſu venit, ut paucitatis hominum atque paupertatis comes ferè ſit induſtria & frugalitas: multitudinis verò & opulentiæ ſecordia & nequitia.* Abundantia & incrementum humani generis ſimul tempus notant, quo illa corruptio ſeculo illata eſt. Factum id eſſe ævo Henochi Joſephus ſcribit: Καὶ οὗτοι μὲν ἐπὶ ἑπτὰ γενεὰς διέμειναν θεὸν ἡγούμενοι δεσπότην εἶναι τῶν ὅλων καὶ πάντα πρὸς ἀρετὴν ἀποβλέποντες. εἶτα προϊόντος τοῦ χρόνου, μεταβάλλονται πρὸς τὸ χεῖρον ἐκ τῶν πατρῴων ἐθισμῶν, μήτε τὰς νομιζομένας τιμὰς ἔτι τῷ θεῷ παρέχοντες μήτε τοῦ πρὸς ἀνθρώπους δικαίου ποιούμενοι λόγον· ἀλλ' ἣν πρότερον εἶχον, διπλασίονα τῆς κακίας τότ' ἐπιδεικνύμενοι δι' ὧν ἔπραττον. ὅθεν αὐτοῖς τὸν θεὸν ἐξεπολέμωσαν. Quod eos dicit ſeptem generationibus manſiſſe in recto ſenſu & cultu Dei, id debet ſic accipi, quod uſque ad eum numerum generationum in pietate & juſtitiæ via ſe continuerint, inde facti devii. Moſes videtur innuere, quod malitia hominum cœpta longo tempore ante Noë, increverit ſenſim, cum incremento humani generis, primordiis ipſis mundi ſemen & primam originem complexis. Henoch ideò in cælum tranſlatus eſt, quod mundus eo dignus non eſſet. Lamech parens Nôë, pertæſus & pravitatis & maledictionis Divinæ, quam pravitas concitaverat, in filii ipſius nativitate, ad ſolatium in ipſo adſpiravit. Nauclerus è Joſepho: *Etſi Seth diebus ſuis ſeparaverit cognationem ſuam à cognatione Cain, præcepto Patris ſui Adam, tamen tempore procedente etiam ad mala progreſſi ſunt, neque legitimos honores ulterius præbentes Deo neque circa homines facientes juſtitiam ſed zelum, quem prius habuerunt pro virtute in duplam malitiam poſteà per ea, quæ gerebant, converterunt.* Bergomas ita hunc locum Joſephi univerſum convertit: *Porrò ejus filii cum in ſeptimam uſque generationem juſſa patris,* (Seth de non commiſcendo cum Cainitis) *obſervaſſent, Deum judicantes per omnia eſſe Dominum omnium & ob hoc ad virtutem ſemper aſpicientes, procedente tempore de ſolemnitatibus patrum ad infinita prope mala deſcenderunt. Quod non modo legitimos Deo ſuo cultus non præbuere ſed ne juſtitiam quidem hominibus exhibere voluerunt, ac zelum, quem prius habuerant pro virtute, in duplicatam malitiam, per ea, quæ geſſerunt mala demonſtrarunt. Ob quod Dominum, contra ſe plurimum irritaverunt.*

ANGELI, QUIBUS CÆLUM] Altera cauſa corruptionis fuit commiſtio filiorum Dei cum filiabus hominum. Hic quæritur, Quinam intelligantur per filios Dei. Nam per filios hominum intelligi homines, qui humanæ naturæ ſunt præditi & qua tales, certum eſt. Joſephus & cum eo Philo: Tum

è patribus, Juſtinus, Tatianus, Proclus, Athenagoras; è Latinis Tertullianus & Lactantius, uti Druſius annotavit. Joſephus ſic loquitur: Πολλοὶ γὰρ ἄγγελοι θεοῦ γυναιξὶ συμμιγέντες, ὑβριστὰς ἐγέννησαν παῖδας. Philo lib. de Gigantibus primo Moſis textum ita citat: Ἰδόντες δὲ οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων ὅτι καλαί εἰσιν &c. ubi vulgaris editio habet οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ. Deinde ita explicat: οὓς ἄλλοι φιλόσοφοι δαίμονας, ἀγγέλους Μωσῆς εἴωθεν ὀνομάζειν. ψυχαὶ δ' εἰσὶ κατὰ τὸν ἀέρα πετόμεναι. Καὶ μηδεὶς ὑπολάβῃ μῦθον εἶναι τὸ εἰρημένον. ἀνάγκη γὰρ ὅλον δι' ὅλων τὸν κόσμον ἐψυχῶσθαι. τῶν πρώτων καὶ στοιχειωδῶν μερῶν ἑκάστου τὰ οἰκεῖα καὶ πρόσφορα ζῶα περιέχοντος, γῆς μὲν τὰ χερσαῖα, θαλάττης δὲ καὶ ποταμῶν τὰ ἔνυδρα, πυρὸς δὲ τὰ πυρίγονα· λόγος δὲ ἔχει ταῦτα κατὰ Μακεδονίαν μάλιστα γίνεσθαι· οὐρανοῦ δὲ τοὺς ἀστέρας. Καὶ γὰρ οὗτοι ψυχαὶ ὅλαι δι' ὅλων ἀκήρατοί τε καὶ θεῖαι, παρ' ὃ καὶ κύκλῳ κινοῦνται τὴν συγγενεστάτην νῷ κίνησιν· νοῦς γὰρ ἕκαστος αὐτῶν ἀκραιφνέστατος. Ἔστιν οὖν ἀναγκαῖον καὶ τὸν ἀέρα ζώων πεπληρῶσθαι. Ταῦτα δὲ ἡμῖν ἐστιν ἀόρατα, ὅτιπερ καὶ αὐτὸς οὐχ ὁρατὸς αἰσθήσει. Probat eſſe aërea animalia ex eo quod aëre animetur & vivat omne animal, quodque ejus infectione, κακῶσι τὰ λοιμικὰ συμβαίνειν παθήματα φιλεῖ, ὡς ἂν αἰτίου τῆς ψυχώσεως ἑκάστοις. Aërem igitur animas procreare, quarum quædam in corpora deſcendant, αἱ δ' οὐδὲν τῆς γῆς μοίρης ἠξίωσαν πότε συνενεχθῆναι. Hoc genus eſſe ſacratum Dei miniſterio, πρὸς τὴν τῶν θνητῶν ἐπίστασιν ad mortalium gubernamen. Ex illis rurſum alias corporeis voluptatibus demergi, alias contra nitentes eluctari, atque ita unde miſſæ erant, remigrare. Quoſdam enim homines incertis fortunæ & corporeorum rerum motibus jactari & ſubmergi: alios ad divina animum efferre. Glanditur ψυχὰς οὖν, δαίμονας καὶ ἀγγέλους, ὀνόματα μὲν διαφέροντα, ἓν δὲ καὶ ταὐτὸν ὑποκείμενον διανοηθείς, ἄχθος βαρύτατον ἀποθήσῃ δεισιδαιμονίας. Exiſtimat autem angelos & dæmonas propriè dictos omnes eſſe bonos, atque corporum voluptates non ſectari nec caduca, à quibus ſint alieniſſimi, cæterum malos homines angelorum nomine appellari: & ſic angelos malos vocari. Οὗτοί εἰσιν οἱ πονηροὶ, οἱ τὸ ἀγγέλων ὄνομα ὑποδυόμενοι, τὰς μὲν ὀρθοῦ λόγου θυγατέρας ἐπιστήμας καὶ ἀρετὰς οὐκ εἰδότες, τὰς δὲ θνητὰς τῶν ἀνθρώπων θνητῶν ἀπογόνους ἡδονὰς μετερχόμενοι. Harum filiarum id eſt voluptatum nullam germanam eſſe pulchritudinem ac ſpeciem, quæ ſola mente exploratur. νόθον δὲ εὐμορφίαν δι' ἧς ἡ αἴσθησις ἀπατᾶται. Has alias ab aliis ambiri, cum innumeræ ſint. οἱ μὲν τὰς δι' ὄψεως, ἕτεροι δὲ τὰς δι' ἀκοῆς, τὰς δ' αὖ διὰ γεύσεως καὶ γαστρὸς ἄλλοι, τινὲς δὲ τὰς μετὰ γαστέρα, πολλοὶ δὲ καὶ τὰς πορρωτάτω διῳκισμένας ἀνελάβοντο, τὰς ποικίλας ἐν ἑαυτοῖς τείνοντες ἐπιθυμίας. Philo igitur non de angelis id eſt ſpiritibus illis corpore carentibus filios Dei interpretatus eſt ſed de hominibus, qui mali erant. Filias autem hominum interpretatur de corporis voluptatibus, ſuo more, ἀλληγορικῶς. Male igitur Cl. Druſius, aut illi, quos ſecutus eſt Druſius, ſocium Philonem illis adjungunt, qui putarunt è cœlo angelos filias hominum adamaſſe ſeque illis miſcuiſſe. Communiter autem hæc ſententia adſcripta eſt Philoni. Clemens Alexandrinus de cœli iſtis incolis Spiritibus intellexit, quod Moſes de filiis Dei dixit. Nam variis locis id ſignificat, Ut Stromat. lib. 3. ἤδη δὲ καὶ ἄγγελοί τινες, ἀκρατεῖς γενόμενοι, ἐπιθυμίᾳ ἁλόντες, οὐρανόθεν δεῦρο καταπεπτώκασιν. Juſtinus, Tertullianus, Lactantius in eadem ſententia hæsêre. Nec potuit aliter ſentire Arnobius, qui ſenſit *omnes omninò, quos eſſe opinatio ſuſpicatur, dii, angeli, dæmones, aut nomine quocunque ſunt alio, qualitatis & ipſos eſſe mediæ & in ambiguæ ſortis conditione mutabiles.* Euſebius dubitat. Sic enim de Gigantum patribus præparat. Evangel. lib. 7. cap. 8. ἤδη δὲ καὶ οἱ τῆς τούτων γενέσεως αἴτιοι, εἴτε τινὸς κρείττονος μοίρας, ἢ κατὰ θνητῶν φύσιν ὑπάρξαντες, οὐθ' ἐπαινουμένως κατεσκευασμένοι. Ambroſius planè ſic ſentit lib. de Noë & Arca cap. 4. *Non poëtarum more Gigantes*

illos

illos terra filios vult videri divina ſcriptura conditor ſed ex angelis & mulieribus generatos aſſerit, quos hoc appellat vocabulo, volens eorum exprimere corporis magnitudinem.

Anne filii Dei, quos Moſes vocat, fuerint Angeli, qui filias hominum appetiverunt?

CUm in iſta ſententia antiqui patres communiter fuerint, angelos filiabus hominum mixtos genuiſſe gigantes in prima ætate, qui humanam corrupere progeniem, recentior autem fuerit alia de fidelibus circa aut paulo ante Sulpicii ætatem nata aut publicata, non mirum eſt Sulpicium Severum ſe iſti antiquæ opinioni ſocium adjunxiſſe. Recentiorem ut hiſtoriæ filo & rei convenientem, ſequens Eccleſiæ ætas amplexa eſt. Fuerunt tamen etiam ſequentibus ſeculis quamvis oppido pauci, qui à communiter recepta recentiore ſententia, ſine ulla equidem probabili ratione ivere in diverſum. Diſcurſum Lyræ, Burgenſis & Doringii & hic adponere lubet adverſarium. Lyra ſic incipit: *Videntes filii Dei*] *Hoc exponitur multipliciter. Vno modo per hoc intelliguntur dæmones incubique dicuntur filii Dei propter naturam ſpiritualem. Vnde & Iob. 1. cap. dicitur, Sathan fuiſſe inter filios Dei. Et iſti in ſpecie humana commiſcuerunt ſe mulieribus: & inde nati ſunt gigantes, ut dicitur infra; Gigantes autem erant in terra. Sed hæc expoſitio non videtur rationabilis: quia hic exprimitur cauſa diluvii, quod inundavit in pœnam peccatorum. Diluvium autem nunquam fuit in pœnam dæmonum ſed tantum hominum. Ideo aliter exponit R. Sal. dicens quod hæc eſt litera: Filii judicum vel potentium quia nomen Hebraicum, quod ibi ponitur ſc. Eloim aliquando ponitur pro Deo: & aliquando pro diis in plurali: aliquando pro judicibus. Vnde Exodi XXII. ubi translatio noſtra habet*, Dominus domus applicabitur ad deos *id eſt judices: in Hebræo dicitur*, applicabitur ad Eloim. *Dicit iſte igitur quod filii judicum & potentum, quando videbant filias ſubditorum pulcre ornari & quando dabantur ad nuptias, quod accedebant ad ipſas cognoſcendo eas carnaliter antequam mariti eas cognoſcerent. Sed hæc expoſitio non videtur adhuc rationabilis: quia iſta cauſa diluvii fuiſſet particularis, ſcil. quantum ad potentes ſolum, ſed in eo capite dicitur contrarium.* Omnis quippe caro corruperat viam ſuam. *Nec generale diluvium induci debuiſſet propter cauſam particularem. Et ideo aliter exponitur & melius: quod filii Dei hic intelliguntur illi, qui deſcenderunt de Seth, qui à patre ſuo fuerant inſtructi in cultu Divino. Vnde & in pluribus locis veteris ac novi teſtamenti fideles vocantur filii Dei. Per filias hominum intelliguntur mulieres deſcendentes de Cain, quæ erant curioſe diſſolutæ & lubricæ. Et de illis præceperat Seth filiis ſuis de voluntate Domini, quod non contraherent matrimonia cum eis: ſicut Dominus præcepit filiis Iſrael, ut non contraherent matrimonia cum mulieribus Cananæis ſed filii Seth procedente tempore tranſgreſſi ſunt hoc præceptum &c.* Primam expoſitionem ſuam facit & propugnat Paulus Burgenſis: *Hæc expoſitio*, inquit, *quam refutat Poſtillator eſt conſonans literæ & etiam conformis ſententiæ Auguſtini nec ratio contra eam per poſtillatorem facta videtur valere. Primum patet. Nam ubi noſtra litera habet*, Gigantes erant ſuper terram, *Hebraica veritas habet* Nephilim, *quod nihil ſignificat niſi cadentes, prout etiam in gloſſa noſtra interlineari habetur: per quod propriè ſignificantur dæmones, qui de cœlo ceciderunt, de quibus Eſaias XIV. cap. Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer &c. Et Chriſtus Luc. X. cap. Videbam Satanam ſicut fulgur cadentem de cœlo &c. Iſti enim cadentes dicuntur eſſe ſuper terram in diebus illis ſc. ante diluvium: quia pro tunc*

cognoſcentes magnam diſpoſitionem ſeu pravitatem hominum ad malum frequentabant magis ſuam converſationem cum eis: in tantum, quod in corporibus aſſumptis mulieribus commiſcebantur. Secundum patet. Nam ſecundum Auguſtinum lib. 15. de civit. Dei cap. 23. hujuſmodi dæmones tales concubitus exercentes, vulgus vocat incubas. Nam dicit, Et quoniam creberrima fama eſt, multique ſe expertas vel ab iis, qui experti eſſent, de quorum fide dubitandum non eſt, audiſſe confirmant. Ex quo quidem talem commixtionem concubitumque negare, prout ipſe Auguſtinus ibidem dicit, imprudentia videtur eſſe, eo quod à multis expertis confirmatur. Homines interdum naſcuntur non per ſemen ab ipſis dæmonibus deciſum, ſed per ſemen alicujus hominis ad hoc acceptum: utpote, quod idem dæmon qui eſt ſuccubus ad virum fit incubus ad mulierem; & ſic ille qui naſcitur non eſt filius dæmonis ſed filius hominis ſcilicet illius, cujus eſt ſemen acceptum; prout etiam patet in prima parte qu. 52. art. ult. in reſponſione ad ult. argumentum. Tertium patet. Nam diluvium non erat in pœna dæmonum hoc exercentium ſed in pœna hominum ad hoc ſe diſponentium; & potius in pœna hominum, qui ex tali concubitu naſcebantur qui erant potentiſſimi & peſſimi ſicut infra declaratur in poſtilla: quia non ſolum per ſe exercebant mala ſed etiam per ſuam potentiam & malitiam ad hoc inducebant. Eo modo, quo legitur infra 10. cap. de Nemroth. Et hanc expoſitionem tenent antiqui Hebræorum ſcilicet. Quod cadentes in hoc loco intelligantur dæmones qui de cœlo ceciderunt. Si autem quæratur, quomodo tales ſc. ſic nati per dæmonum adminiſtrationum erant tam proceræ naturæ, ita quod alii homines quaſi locuſtæ videbantur in comparatione eorum, ut habetur Num. 13. cap. Cum tales non erant filii dæmonum ſed potius hominum, ut dictum eſt, & per conſequens deberent eſſe in communi hominum ſtatura. Dicendum, quod hoc fiebat Deo permittente virtute dæmonum: quia ſecundum Auguſtinum 13. de trinit. poſſunt adhibere ſemina corporalia ad aliquos effectus mirabiles producendos. Unde cum non omnis virtus naturæ creatæ eſt nobis nota poſſibile eſt, quod dæmones illi cum ſemine virili & fœmineo adhibeant quædam alia ſeminales rationes habentia: per quæ commixtio complexionalis talium prædicto modo generatorum eſſet apta ad hoc ut tales cæteros homines multum excederent in ſtatura & in aliis viribus corporalibus, ut poſſent eos compellere ad libitum ſuum. Et hoc modo magi per dæmones miracula dicuntur facere licet non ſimpliciter ſed quoad nos, prima parte qu. 119. artic. ult. in reſponſ. ad ſecundum argumentum. Quæ quidem res ſic per adminiſtrationem dæmonum producta quandoque ſunt vera res, quandoque ſecundum apparentiam tantum, ut in 1. p. qu. 114. art. ult. Et circa hoc videtur notandum quod ſicut ante diluvium quidam fuerunt excedentes cæteros homines in duratione vitæ; Et hoc diſpoſitione Divina ut Divinorum cognitio propinquius & certius deveniret ad poſteros ut dictum fuit ſupra in addit. in cap. ſupra prox. Sic quodammodo econtra per adminiſtrationem dæmoniacam permiſſione Divina fuerunt illo tempore, quidam alii cæteros excedentes in corpulentia & corporalibus viribus ut alios inducerent ad corporalia & diſtraherent à divinorum cognitione. Unde primus exceſſus laudabilis à Deo cauſatus & intentus fuit in longitudine vitæ; quæ quidem vita proprie pertinet ad animam, quæ corpus vivificat. Secundus vero exceſſus exſecrabilis fuit in quantitate & mole corporali potentias animæ ſuperiores aggravante &c. Sic Burgenſis docuit expoſitionem primam eſſe conformem literæ, deinde & ſententiæ Auguſtini. Et rationem Lyræ contrariam nihil efficere. Philoſophatur etiam de cauſa productiva & finali molis gigantum à dæmonibus productorum. Iſte Paulus de ſancta Maria, fuit epiſcopus Burgenſis, Archicancellarius Johannis regis Caſtellæ & Legionis. Habuit filium ex legitimo matrimonio genitum, nomine Alfonſum legum doctorem & decanum Compoſtellanum. Ad eum additiones ſuas in poſtillam Lyræ direxit: quas finiverat anno Domini M. CCCCXXIX. Matthias

Doring

Doring replicas defenſivas ſcripſit pro Lyræ commentariis, in quæ cenſorem liberum egit Paulus. Hoc in loco juſta defenſio Lyræ eſt, quam ita præſtitit Doring: *In capitulo ſexto: ubi poſtillator refutat eorum expoſitionem, qui per filios Dei dicunt intelligi debere dæmones incubos &c. Burg. opponens ſe dicit illam expoſitionem conſonare literæ & dictis Auguſtini. Primum declarat, quia ubi litera noſtra habet Gigantes, litera Hebraica habet Nephilim, quod nihil ſignificat niſi cadentes, quod propriè convenit dæmonibus. Ad ſecundum probandum adducit beatum Auguſtinum XV. cap. 23. de civit. Dei dicentem, quod imprudentia ſit negare, quod à multis expertis confirmatur ſicut de incubis. Sed his non obſtantibus non videtur de incubis litera præſens exponenda, nec gloſſa noſtra ordinaria ſic exponit. Argumentum autem Burgenſis de dictione Hebraica ſc. Nephilim: quam dicit ſignificare cadentes: non multum cogit: quia non ſolum dæmones ſed & quicunque peccatores dicuntur in ſcriptura cadentes, juxta illud pſalmi, Ceciderunt, qui operantur iniquitatem. Et in Apocalypſi pravorum caſus ſub nomine Babylonis geminatur, cum dicitur, Cecidit, cecidit Babylon &c. Cum enim juſtorum converſatio ſit in cælis & quidam aſcenſus: quid igitur peccatores ſunt niſi cælis id eſt cæleſti converſatione cadentes. Secundum dictum Burgenſis, quod expoſitio de incubis ſit conformis dictis beati Auguſtini, non videtur verum. Nam beatus Aug. 3. de civit. Dei cap. 4. movet quæſtionem de hac materia, ſed eam ibi non determinat. Quintodecimo autem lib. cap. 23. dicit quod non audet definire de incubis ſed imprudentia eſt negare quod tam multorum ſententiis approbatur. Ubi non negat B. Auguſtinus incubos eſſe vel fuiſſe. Sed hoc nihil eſt ad propoſitum hujus literæ ſecundum ſuam intentionem. Nam in eo cap. allegato pertractans hanc literam dicit quando ſcriptura ponit quod filii Dei ingreſſi ſunt ad filias hominum, per filios Dei intelliguntur illi de genere Seth & per filias hominum illæ de genere Cain. Unde patet primò quod poſtillator ſecutus eſt B. Aug. patet ſecundò quod Burg. Truncatum vidit textum B. Aug. patet tertiò, quod ſicut hic, ita ſæpe Burg. contra poſtillatorem fingit occaſiones. patet quartò, quod Burg. præfert expoſitionem Iudæorum infidelium ſanctis doctoribus & gloſſæ ordinariæ quod tamen apud Burgenſem eſt valde reprehenſibile ut patet in quæſtione ſua præambula.* Doring non contendit, nec Lyræ ea mens videtur fuiſſe, quod incubi aut ſuccubi non ſint aut fuerint. Quin nec illud (ut inferius ſignificat) negat quod illis viis poterant generari gigantes ſed ſolum negabat haberi ex iſta litera: prout & Auguſtinus. Nos verò negamus & pernegamus cupidine mulierum dæmonas poſſe titillari aut illis miſceri ſemen recipiendo ſive injiciendo genitale & fecundum ſive ſuum ſive ab homine acceptum. Cæterum eam materiam diſcutiendam relinquentes Phyſiologis, id ſolum agentes de hujus literæ ſenſu diſceptamus. Filios Dei non fuiſſe angelos nec dæmonas contendimus. Primò loco nobis argumenta expoſitionis affirmativæ deſtruenda ſecundo noſtra opponenda ſint. Futilis eſt affirmativa, videnda tamen, quæ pro ea dici poſſint. Hæc autem videntur eſſe.

I. Antiqua ſententia & expoſitio eſt, patrum Eccleſiæ antiquiſſimorum quæ communis videtur fuiſſe. R. Antiqua quidem & antiquiſſimorum, & doctorum communis. At illud attendendum fuerit. 1. Ejus originem eſſe è mala & improba verſione ἄγγελοι θεῦ, pro υἱοὶ θεῦ. Adeò videtur duplex fuiſſe lectio. Philo, ut ſupra adduximus, legebat ἄγγελοι θεῦ. Tertullianus *filii Dei.* Sic enim hunc textum producit in Græco: *Et factum eſt cum cœpiſſent homines plures fieri ſuper terram & filiæ natæ ſunt eis. Conſpicati autem filii Dei* filias hominum, quod pulchræ eſſent, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerunt. Plane expreſſit Græcum, quod hodie legimus: Καὶ ἐγένετο ἡνίκα ἤρξαντο οἱ ἄνθρωποι πολλοὶ γίνεσθαι ἐπὶ τῆς γῆς καὶ θυγατέρες ἐγεννήθησαν αὐτοῖς. ἰδόντες δὲ οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων, ὅτι καλαί εἰσιν, ἔλαβον γυναῖκας ἀπὸ

παιδὸς, ὧν ἐξελέξαντο. Scias Tertullianum è Græco expreſſiſſe, nullam verſionem Latinam adhibuiſſe. Subjicit enim rationem reddens, quare Græcum γυναῖκας reddiderit *uxores*. *Hic enim nomen mulierum Græcum uxores ſapit, quia de nuptiis mentio eſt*. Sed & ubique vertit & ex Stylo ſuo cognoſcitur. II. Apoſtolos & Euangeliſtas excepiſſe ævum infelicius & rudius, in quo & hæreſibus & perſecutionibus omnia turbata erant. Apoſtoli & Euangeliſtæ ſuos habuere diſcipulos, quos reliquere presbyteros, ſed cum illi presbyteri, qui prima poſt Apoſtoles & Euangeliſtas διαδοχῇ ſequebantur, obiiſſent omnes, inſecutum eſt infelix ſeculum, in quo ſcholæ nullæ Chriſtianis erant: Ideo intima illis & exculta theologiæ notitia non erat. Juſtinum enim, Clementem, Tertullianum, nemo dixerit ſubactos exercitatoſque in penetralibus theologiæ arcanis fuiſſe. Elementarii erant & rudius philoſophati ſunt. Accedit, quod à Schola Platonica multi deliria ſua domo attuderunt. III. Communem ſententiam fuiſſe quis dixerit? Scripta enim omnium non habemus. Antiquus etiam ſcriptor fuerit, quem adducit Suidas in voce μιαιγαμίας. οἱ τοῦ Σὴθ καὶ Ἐνὼχ καὶ Ἐνὼς παῖδες υἱοὶ Θεοῦ ὠνόμαζον, οὗτοι ἐλθόντες ἀκολασίᾳ πρὸς τὰς θυγατέρας Κάϊν εἰσῆλθον, ἐξ ὧν οἱ ἐκ τῆς καταλλήλου μιαιγαμίας γινόμενοι γίγαντες, διὰ μὲν τὸ δίκαιον, ἰσχυροὶ καὶ μέγιστοι, διὰ δὲ τὸ ἄδικον καὶ βέβηλον πονηροὶ καὶ κάκιστοι. Hunc eundem ſcriptorem, quiſquis fuerit, habuit in mente Cedrenus. Dicit enim filios Seth, quos vocat ἐγρηγόρους ſive ἐγρηγόρους, mente ſeductos filias Cain ſibi matrimonio conjugaſſe. Hinc natos gigantes, qui propter juſtum Seth fuerint robuſti & grandes, propter profanum Cain, φονικώτατοι καὶ ἀσεβέστατοι καὶ ἀσελγέστατοι. Proinde ipſis eveniſſe propter originem è Seth molem corporis & robur prodigio ſimilia; propter Caini ſanguinem, & robur corporis & animi impietatem crudelitatem & luxuriam.

II. Arg. Filii Dei appellantur angeli. Qui hic videntur intelligi ex oppoſito ad homines. R. 1. Filii Dei apud Jobum angeli vocantur, ut conſtat, ſed & ea voce dici homines Eccleſiæ notum eſt. 2. Hic alluſio videtur eſſe ad 4. cap. v. 26. Nempe ſegregato Caino à facie Dei & Eccleſiæ communione per ipſius Dei ſententiam, duæ ſocietates eſſe cœperunt, una profanorum hominum, qui Deum non colebant, altera Eccleſiæ. Illa cœpta eſt dici vocabulo filiorum Dei, hæc filiorum hominum. 3. origo mali & labes univerſum genus humanum occupaſſe notatur, cum ſe profanæ progeniei miſcuere homines de Eccleſia. Id ſcopo loci convenientiſſimum. 4. Non eſt inconvenientius filias externorum de Eccleſia appellari filias hominum vel Adam, quam internos ejus & myſtas dici filios Dei. 5. Filii Dei non ſunt hic alii quam homines, quia homines filiarum hominis deſiderio impelli naturale eſt, non angelos.

III. Arg. Angeli videntur fuiſſe, quia gigantes editi eſſe dicuntur. Quoniam, ut inquit Sulpicius noſter, *diverſa inter ſe naturæ commixtio monſtra genuit*. 1. Quod angeli generent inſtar animalium, portentoſum delirium eſt. Quod ſi quis dicat in aſſumptis corporibus genuiſſe, reſponſum ferat aſſumpta illa corpora naturam angelicam non conſtituiſſe. Nam aſſumpta illa corpora cum Spiritibus non conſtituerunt totum eſſentiale. Deinde ſi vera humana corpora fuerint, fuiſſe creata oportet. Eſt enim ſupra naturæ vires corpus humanum conſtituere, niſi per modum generationis humanæ, quam Deus induxit & ſanxit. Si creata ea fuerint, utique à Deo creata ſunt. Anne autem Deus miraculum fecit, ut Angelis peccandi ſubminiſtraret fundum? 2. Dato non conceſſo Angelos gignere. Anne tam vicina & conjuncta eſt hominis & angeli natura, ut conjungi & commiſceri ad generationem poſſint?

Vici-

Vicina enim illa ſunt animalia quæ commiſcentur: ut equus & aſinus, canis & lupus. Miſeret me Sulpicii Severi & eorum, qui arbitrantur eam opinionem ſi non veram, ſaltem ejuſmodi non eſſe, ut argumentis ἀποδεικτικοῖς poſſit refutari. Miſeret me, Tertulliani, qui *libidinum ardorem & evaporata momenta* angelis attribuit.

IV. Argum. Gigantes illi vocantur Nephilim, quia cælo relicto in terram cecidere, ut connubiis mulierum miſcerentur. R. 1. Novimus angelorum unum caſum, quem conſtat Adami peccatum anteiiſſe. Nam Diabolus hominem ſeduxit. De ſecundo caſu angelorum nulla mentio, nihil inauditum in monumentis Sp. S. Secundum aliquem caſum fingunt iſti, qui angelis mulierum concupiſcentiam & matrimonia adſcribunt. Nam Angeli Dei à ſtatu ſuo dejecti ſunt per hanc exorbitantiam. Portentum & illud. Nam Angeli Dei, qui in primo tentamine ſubſtiterant, inde confirmati, peccare & labi non potuerunt. 2. Nephilim non fuerunt iſti, qui ſe filiabus hominum miſcuerunt ſed orti ſunt ex illis filiis Dei, qui ita deviarunt. Unde cadendi illa vox ad lapſum è cælo non poteſt referri. Quin potius, quod & Doring animadvertit, non dicuntur eſſe geniti, ſed illo tempore in terra fuiſſe. Doring ita diſſerit: *Et ſpecialiter videndum eſt, quod non plus dicitur in litera de gigantibus, niſi quod fuerint illis diebus ſuper terram:* & ſic credendo Burg. contentionem, nihil plus ſignificaretur, juxta ſuam interpretationem niſi quod dæmones illis diebus fuiſſent ſuper terram. Non dicitur autem in litera quod gigantes id eſt dæmones, ſecundum eum, genuerint gigantes. Quia per hoc ſignificaretur, quod dæmones genuiſſent dæmonas. Sed dicitur in litera filios Dei genuiſſe & ad filias hominum ingreſſos &c. 3. Nephilim dicuntur ab irruendo, quia ὑβρισταὶ fuerunt ut ſcripturæ convenienter dicit Joſephus.

V. Arg. Urgent vaſtam illam molem corporum, ſed alio modo, quam in tertio argumento eſt propoſitum. Paulus Burgenſis enim, ut ſupra intelleximus, dicit incubos & ſuccubos dæmonas ſeminibus humanis aliunde acceptis affundere ſeminales rationes aliarum rerum naturæ, quibus fiat ut in portentoſam molem excreſcant. R. 1. Illa ſeminum transfuſio contra naturam eſt. 2. Nec extra locos muliebres ulla eſt natura aut vis virtuſque quæ ſemina fovere poſſit, nedum augere & facere copioſiora. 3. Sibi ipſi diffidit ille Burgenſis, quum & aſtrorum influentias & aſpectus ſiderum eo pertinentium requirit. 4. Poſt diluvium geniti etiam gigantes ex viro & femina. Burgenſis non veretur dicere in addit. 3. cap. 8. *quod & illi ſimiliter ex concubitu dæmonum nati ſint.* Sinamus igitur illum ſuo errori. Sed & præterea ex ſacris literis præſidium quæritur paradoxo.

VI. 1. Cor. 6. 2. affirmat Apoſtolus nos judicaturos eſſe Angelos. Id illi exiſtimant non aliam ob cauſam à Deo ſic ordinatum eſſe, quam quod angeli injurii fuerint ante diluvium in humanum genus, matrimoniis mortalibus ſe commiſcendo & corrumpendo humanam progeniem. Ita illi obliti ſunt victum eſſe Adam & proſtratum in eo humanum genus à Diabolo, bella & inimicitias perpetuis odiis geri, nullo non injuriarum & afflictionum genere pios quotidie ab Diabolo ejuſque angelis affici. Victus igitur ille damnatuſque cum ſuis angelis à Jeſu Chriſto & in Jeſu Chriſto à fidelibus extremo illo die oſtentui erit, cum intra tartarum incluſus igni æterno adjudicabitur. Tertullianus etiam eò revocat abrenuntiationem, quam baptizandi in baptiſmo faciebant.

VII. Majoris difficultatis ſpeciem habet locus, qui eſt in Epiſtola Judæ v. 7.

v. 7. Angeloſque τοὺς μὴ τηρήσαντας τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ἀλλὰ ἀπολιπόντας τὸ ἴδιον οἰκητήριον, εἰς κρίσιν μεγάλης ἡμέρας, vinculis æternis ſub caligine conſervavit. Quemadmodum Sodoma & Gomorrha καὶ αἱ περὶ αὐτὰς πόλεις τὸν ὅμοιον τούτοις τρόπον ἐκπορνεύσασαι καὶ ἀπελθοῦσαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας πρόκεινται δεῖγμα πυρὸς αἰωνίου δίκην ὑπέχουσαι. Hic non videri agi de lapſu illo primo angelorum Satanæ, quia cælo tum deturbati ſunt non ſponte lapſi ſua. Dici enim ἀπολιπεῖν τὸ ἴδιον οἰκητήριον. Quod referri ad illum, qui hoc in loco Geneſeos referatur, caſum, quo, ut inquit Sulpicius, ſuperioribus relictis, quorum incolæ erant, ſpecioſarum forma virginum capti, illicitas cupiditates appetierunt. Deinde angelorum horum (quos deſignat Judas Apoſtolus) peccatum quaſi digito demonſtrari, cum dicitur, Sodoma & Gomorrha vicinaſque urbes, ſimilem illis (ſcilicet angelis) modum ἐκπορνεύσας & iviſſe poſt carnem aliam. In Græco τούτοις eſt quod ad proximum πόλεις, ut genere diſcriminatum, referri nequit: referri autem alio non poſſe quam ad angelos, de quibus verſu præcedente dictum. Ideo & Ludovicus Capellus ad angelos id vult reſpicere. Hic reſpondemus. 1. Non alium hic angelorum lapſum notari quam quem Petrus ſignificat 2. Ep. cap. 2. v. 4. Eum ſimpliciter apoſtolus ἁμαρτίαν vocat nec innuit aliud peccatum ab illo lapſu, quem cætera Scriptura ſolum novit. Quin & angelos illos eorumque peccatum evidenter diſtinguit ab antiquo mundo ejuſque malitia. Nihil obſtat phraſis relinquendi. Nam etſi cælo contra ſuam voluntatem ſint deturbati, voluntariò tamen commiſerunt peccatum, ob quod ſuo domicilio excidere. Ita recte dicere poſſumus, Adamum ſpreviſſe hortum Dei, quia ob ſuum peccatum, quod ſua ſponte patravit, ejectus eſt. 2. Vox τούτοις non habet comparationem urbium vicinarum cum præcipuis & nominatis, uti vult clariſſimus Beza, qui putat genere maſculino ad ſenſum idoneo incolas notari. Urbes omnes conjunctim conferuntur cum illo, quod voce τούτοις comprehenditur. Nec tamen opus eſt angelos eſſe oppoſitum illud comparatum. Nam Apoſtolus notat illos impios homines, à quorum communione dehortatur ſanctos. Arguit ex ſimilitudine peccati cum Sodomitanis ſive Decapolitanis illius planitiei; eos homines idem æterni ignis judicium manere. Ipſe ita explicat illud τούτοις, commate 11. 12. 14. Si enim in illis verſibus voce οὗτοι & τούτοις ſignentur illi profani, quid prohibet, ut hic eâ voce non intelligantur? Imo neceſſe eſt eoſdem eodem vocabulo notari.

VIII. Arg. 1. Cor. 11. 10. Ideo debet mulier ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς διὰ τοὺς ἀγγέλους. Tertullianus lib. de virginibus veland. *Si mulier poteſtatem habere ſuper caput debet, vel eo juſtius virgo, ad quam pertinet, quod in cauſa eſt. Si enim propter angelos ſcilicet, quos legimus à Deo & cælo excidiſſe, ob concupiſcentiam fœminarum, quis præſumere poteſt quales angelos, maculata jam corpora & humanæ libidinis reliquias deſideraſſe, ut non ad virgines potius exarſerint, quarum flos etiam humanam libidinem excuſat?* R. omnia torquet ad hanc fabulam. Theophylactus rectè τὴν ἐξουσίαν interpretatus τὸ τοῦ ἐξουσιάζεσθαι σύμβολον τουτέστι τὸ κάλυμμα, addit, Velamen in capite, habere mulierem oportere τοὺς ἀγγέλους αἰδουμένην, ἵνα μὴ καὶ αὐτοῖς ἀναισχυντος φαίνηται. Ὥσπερ γὰρ τὸ καταβαλεῖν κάτω νεύειν παρασκευάζει καὶ ἐντρέπεσθαι καὶ τὸ τοῦ ἀρχομένου σχῆμα διατηρεῖν· οὕτω τὸ ἀνακεκαλύφθαι ἀναισχυντίαν ἐμφαίνει ἣν καὶ τοῖς πιστοῖς παρεπόμενοι ἄγγελοι, βδελύσσονται. *Quemadmodum enim operiri oculos demittere facit & verecundari & ſubditi figuram ſervare: ſic retectum eſſe impudentiam oſtendit: quam & angeli, qui fideles comitantur, abominantur.* Redarguit meritò Clementis τοῦ στρωματέως expoſitionem ut παρελκομένην, interpretantis de juſtis in Eccleſia.

cleſia. κατακαλυπτέσθω γάρ, inquit, ἵνα μὴ τούτους εἰς πορνείαν σκανδαλίσῃ. Alii per angelos, epiſcopos ſive presbyteros accipiunt.

IX. arg. Objiciunt & autoritatem libri Henoch, qui angelorum iſtorum hiſtoriam fusè perſequutus eſt. Ejus libri, quem ut apocryphum merito rejicit Eccleſia & omnes ſani, autoritatem ſic propugnat Tertullianus adverſus objecta, lib. de habitu muliebri: *Scio ſcripturam Enoch, quæ hunc ordinem angelis dedit, non recipi à quibuſdam, quia nec in armarium Iudaïcum admittitur: opinor, non putaverunt illam ante cataclyſmum editam, poſt eum caſum orbis omnium rerum abolitorem ſalvam eſſe potuiſſe. Si iſta ratio eſt, recordentur pronepotem ipſius Enoch fuiſſe ſuperſtitem cataclyſmi, Noë, qui utique domeſtico nomine & hæreditaria traditione audierat & meminerat de proavi ſui penes Deum gratia & de omnibus prædicatis ejus: cum Enoch filio ſuo Mathuſalæ nihil aliud mandaverit, quam ut notitiam eorum poſteris ſuis traderet. Igitur ſine dubio potuit Noë in prædicationis delegatione ſucceſſiſſe, vel quia & aliàs non tacuiſſet tam de Dei conſervatoris ſui diſpoſitione, quam de ipſa domus ſuæ gloria. Hoc ſi non tam expedite haberet illud quoque aſſertionem ſcripturæ illius tueretur: proinde potuit abolefactam eam violentia cataclyſmi, in ſpiritu rurſus reformare: quemadmodum & Hieroſolymis Babylonia expugnatione deletis, omne inſtrumentum Iudaicæ literaturæ per Eſdram conſtat reſtauratum. Sed cum Enoch eadem ſcriptura etiam de Domino prædicarit, à nobis quidem nihil omninò rejiciendum eſt, quod pertinet ad nos. Et legimus omnem ſcripturam ædificationi habilem, divinitus inſpirari: Iudæis poſteà jam videri propterea rejectam, ſicut & cætera fere quæ Chriſtum ſonant. Nec utique mirum hoc, ſi ſcripturas aliquas non receperunt de eo locutas, quem & ipſum coram loquentem non erant recepturi. Eo accedit quod Enoch apud Iudam apoſtolum teſtimonium poſſidet.* Hactenus Tertullianus. Objecta ſanius ſentientium contra librum Enoch erant duo 1. Non eſſe in canone Judæo, 2. Non potuiſſe ſuperſtitem eſſe diluvio. Ad primum reſpondet, rejectam eſſe illam ſcripturam â Judæis, quia de Chriſto Domino locuta eſt, ſicuti rejecerunt omnia fere quæ Chriſtum ſonant. Deinde non mirum eos non recepiſſe ſcripturam aliquam de Chriſto locutam, qui & ipſum coram loquentem non erant recepturi. Nos autem ſcimus nullam ſcripturam canonicam de Chriſto loquentem à Judæis eſſe rejectam, ſed cæcitate ſua aliter explicari omne de Chriſto dictum. Scripturas, quas habemus ex eorum armario non negaveris, Tertulliane, clarius & plenius de Chriſto ſonare quam librum Enoch. Ad ſecundum dicit, potuiſſe à Noë conſervari, partim ob ſucceſſionem in prædicatione, partim ob gloriam domus. Si ſervata non fuerit, potuiſſe ab eodem in ſpiritu reformari. Quemadmodum Eſdras ſcripturam ſacram abolefactam inſtauravit. Potuit conſervari, ſed nec conſervatam eſſe legimus & nulla mentio exſtat ejus libri in univerſa hiſtoria V. T. Reformari ſpiritu non opus fuit, quod poterat aliter, ſi opus eſſet, conſervari. Si conſervatum non eſt nec inſtauratum eſt, quia Deus quod noluit conſervari, nec voluit inſtaurari. Eſdram enim inſtrumentum omne Judaicæ literaturæ, deletum & amiſſum inſtauraſſe Judaica fabula eſt, quæ quid veri habeat vel potius cui vero innitatur, ſuo loco, Deo dante, explicabimus. Recipiendam eſſe illam ſcripturam defendit duabus rationibus. I. Quia de domino locuta eſt & ædificationi habilis: eoque & inſpirata divinitus. Quaſi quicquid libri de Domino loquitur & ædificativa, ideo θεόπνευστοι ſit. Loquimur nos divina, nec tamen inſpirati à ſpiritu Dei: ſed haurimus illa aliunde è ſuis fontibus qui à ſpiritu Dei ſunt. Nullus liber tam malus, in quo non bona quædam habeantur. 2. Quia teſtimonium Judæ Apoſtoli poſſidet.

Judas ſic v. 14. Προεφήτευσε δὲ καὶ τούτοις ἕβδομος ἀπὸ Ἀδὰμ Ἐνὼχ λέγων, Ἰδοὺ, ἦλθε κύριος ἐν μυριάσιν ἁγίαις αὐτοῦ, ποιῆσαι κρίσιν κατὰ πάντων καὶ ἐξελέγξαι πάντας τοὺς ἀσεβεῖς αὐτῶν, περὶ πάντων τῶν ἔργων ἀσεβείας αὐτῶν ὧν ἠσέβησαν καὶ περὶ πάντων τῶν σκληρῶν, ὧν ἐλάλησαν κατ' αὐτοῦ ἁμαρτωλοὶ ἀσεβεῖς. Hoc fragmentum germanum eſt prophetiæ Enoch. In quo invehitur in impios ſui ſeculi,& præcipit Judicium Dei, quod diluvium invexit. Improperat eis opera mala & dicta impia adverſus Dominum. Cæterum illud in quæſtione eſt, An ore ſolummodo Enoch vaticinatus fuerit, an & ſcripto ſuam prophetiam comprehenderit. Nam quod dixerat & protulerat ore, potuit per ſpiritum producere Apoſtolus, etſi nuſquam ſcriptum legeretur. Exiſtimes librum exſtitiſſe, qui in Canone non erat. Nam Canon Judæis traditus incipit à Moſe. Cum tamen ante Moſen divini libri fuerint. Librum exſtitiſſe arbitror, aut ſaltem dictum ejus libri notiſſimum fuiſſe inter Judæos, jam aboliti. Eum librum, quem laudat Tertullianus, ſtramentitium & ab hominibus otioſis confictum res ipſa loquitur. Alium igitur aut partem alterius fama conſervatam dixeris fuiſſe, ad quam Judas provocavit. Provocare non poterat ad hoc, quod nullibi exſtabat aut inveniri poterat. Potuit etiam, ſi forte liber talis nunquam fuiſſe, ſed vaticinium hoc traditione ad poſteros emanaſſe. Locutus ſit Enoch ſolummodo & creberrimè id repetierit dictum, notatum, relatumque ab aliis & tranſmiſſum uſque ad tempora Judæ Apoſtoli. Quia tale dictum ferebatur occaſio arrepta eſt à futilibus ingeniis & liber cuſus vanus & nihili. Argumenta, quibus oſtendimus, illos filios Dei non fuiſſe angelos, ſuffecerit breviter indicaſſe, quum & ſint innexa refutationi præmiſſæ.

1. Angeli non poſſunt feminarum deſiderio tangi. Id hominum eſt inter ſe.

2. Angeli ſancti non poſſunt labi.

3. Scribit & notat Moſes, quomodo in Eccleſiam irrepſerit corruptio. Quod ſane factum ex eo, quia homines Eccleſiæ externis Cainitarum connubiis ſe miſcuerunt, non quod angeli filias hominum appetivêre.

4. Hominum peccata non angelorum ſcribit ſanctus auctor, notans per connubia cum impiis factum eſſe,quod omnis caro corruperit viam ſuam. Calvinus: *Et certe fieri non poteſt quin temporis ſucceſſu degenerent filii Dei, cum ita eodem ſe jugo cum infidelibus implicant. Atque hæc fuit extrema vafrities Bileam: quum illi ablata eſſet maledicendi facultas, quod ſubornari juſſit mulieres à Madianitis, quæ populum Dei ad impiam defectionem pellicerent. Ita quum in patriarcharum filiis, de quibus nunc diſſerit Moſes, grave per ſe malum fuerit gratiæ ſibi divinitus collatæ oblivio, dum ſuâ libidine feruntur ad illicita conjugia: deterior fuit acceſſio, quod ſe impiis miſcendo profanarunt Dei cultum & à fide exciderunt: ſicut hæc corruptela ſemper ferè conſequi ſolet.*

5. Quemadmodum diluvium homines non angelos attigit, ſic & peccata commiſſa ſolummodo hominum non angelorum fuerunt.

6. Non poteſt Moſes alios filios Dei intelligere, quam quos in Enos deſignavit. cap. 4. 26. Qui ſane homines fuerunt, conſortes & condiſcipuli Enoſi.

7. Ideo & hæc communis ſententia re benè expenſa, facta eſt. Exploſa eſt illa altera ab omnibus ob ſuam abſurditatem. Epiphanius vehementior fuit in explodenda & rejicienda illa opinione. Quidam videntur exiſtimare, quos videtur innuere Lyra & quibus ſe adjungit Burgenſis, quod dæmones, id eſt angeli lapſi in principio, intelligantur, ſed horum ſententia diverſa eſt à priſcis illis patribus, quos ſupra diximus. Illi enim exiſtimant angelos in cælo illectos cupidine mulierum deſcendiſſe in terras. Nunquam etiam dæmones dicuntur filii Dei.

Quidam

Quidam de filiis principum ſive magnatum interpretantur, quibus calculum ſuum apponit Mercerus. Hæc etiam mens fuit Aquilæ, qui reddidit, *οἱ υἱοὶ τῶν θεῶν.* Et clarius Symmachi vertentis, *υἱοὶ τῶν δυναστευόντων.* R. Salomo Jarchi: בני השרים והשופטים / דבר אחר בני האלהים הם השרים ההולכים בשליחותו של מקום אף הם היו מתערבין בהם כל אלהים שבמקרא לשון מרות וזה יוכיח אתה תהיה לו לאלהים *Filii principum & judicum: Alia expoſitio, Filii Dei ſunt principes, qui eunt in ablegatione Dei: etiam illi ſe commiſcebant illis. Omne* אלהים *in ſcriptura habet notionem dominii, quod docetur ex illo* [Exod. IV. 16.] Tu eris ipſi in Deum. Abeneſdras: בני אלהי בני השופטים שהיו עושאים בארץ משפט אלהים ויש אומרים כי האלהים במקום הזה קדש ובנים הם הקדושים אשר בארץ כטעם בנים אתם ויש אומרים כי בני אלהים בני שת ובנות האדם בנות משפחת קין והישר בעיני להיות בני האלהים היודעים דעת עליון: *Filii Dei Filii judicum, qui in terra faciunt judicium Dei, alii dicunt, quod Deus in hoc loco Sanctitas ſit & filii ſancti, qui in terra, ſecundum rationem,* filii eſtis [Deut. 14. 1.] *Alii dicunt, quod filii Dei ſint filii Seth & filiæ hominum filiæ famili Cain: At placet mihi, quod filii Dei ſint, qui norant ſcientiam Altiſſimi.*

De fabulis in libro Enoch.

Liber ille apocryphus Enoch fabulas plurimas continet, quas ſcriptores aut totas arripuerunt aut ſuo ſcopo accommodarunt. Fragmentum ex ejus operis libro primo Joſephus Scaliger exhibet in notis ad Euſebii collectanea Græca. Id nos deſcribemus & transferemus, ut & hic compareat:

Καὶ ἐγένετο ὅτε ἐπληθύνθησαν οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων, ἐγεννήθησαν αὐτοῖς θυγατέρες ὡραῖαι. Καὶ ἐπεθύμησαν αὐτὰς οἱ ἐγρήγοροι καὶ ἀπεπλανήθησαν ὀπίσω αὐτῶν καὶ εἶπον πρὸς ἀλλήλους, Ἐκλεξώμεθα ἑαυτοῖς γυναῖκας ἀπὸ τῶν θυγατέρων τῶν ἀνθρώπων τῆς γῆς. Καὶ εἶπε Σεμιαξᾶς ὁ ἄρχων αὐτῶν πρὸς αὐτοὺς, Φοβοῦμαι μὴ οὐ θελήσητε ποιῆσαι τὸ πρᾶγμα τοῦτο, καὶ ἔσομαι ἐγὼ μόνος ὀφειλέτης ἁμαρτίας μεγάλης. Καὶ ἀπεκρίθησαν αὐτῷ πάντες καὶ εἶπον, Ὀμόσωμεν ἅπαντες ὅρκῳ καὶ ἀναθεματίσωμεν ἀλλήλους, τοῦ μὴ ἀποστρέψαι τὴν γνώμην ταύτην, μέχρις οὗ ἀποτελέσωμεν αὐτήν. Τότε πάντες ὤμοσαν ὁμοῦ καὶ ἀνεθεμάτισαν ἀλλήλους. ἦσαν δὲ οὗτοι σ' οἱ καταβάντες ἐν ταῖς ἡμέραις Ἰάρεδ εἰς κορυφὴν τοῦ Ἑρμονιεὶμ ὄρους. Καὶ ἐκάλεσαν τὸ ὄρος Ἑρμὼν, καθότι ὤμοσαν καὶ ἀνεθεμάτισαν ἀλλήλους ἐν αὐτῷ. Καὶ ταῦτα τὰ ὀνόματα τῶν ἀρχόντων αὐτῶν.

Α	Σεμιαξᾶς ὁ ἄρχων αὐτῶν.	ΙΑ.	Φαρμαρός.
Β	Ατταρκούφ,	ΙΒ.	Ἀμαριήλ.
Γ	Αραχιήλ.	ΙΓ	Αναγημᾶς.
Δ	Χαβαβιήλ.	ΙΔ	Θαυσαήλ.
Ε	Ορραμμαμή.	ΙΕ	Σαμιήλ.
Ζ	Ραμιήλ.	ΙΖ	Σαριναs.
Ζ	Σαψίχ.	ΙΣ	Ευμιήλ.
Η	Ζακιήλ.	ΙΗ	Τυριήλ.
Θ	Βαλκιήλ.	ΙΘ	Ιυμιήλ.
Ι	Ἀζαλζήλ.	Κ	Σαριήλ.

Οὗτοι καὶ οἱ λοιποὶ πάντες, ἐν τῷ αρ ἔτει τοῦ κόσμου ἔλαβον ἑαυτοῖς γυναῖκας, καὶ ἤρξαντο μιαίνεσθαι ἐν αὐταῖς, ἕως τοῦ κατακλυσμοῦ, καὶ ἔτεκον αὐτοῖς γένη τρία. Πρῶτον γίγαντας μεγάλους. Οἱ δὲ γίγαντες ἐτέκνωσαν Ναφηλείμ. Καὶ τοῖς Ναφηλεὶμ ἐγεννήθησαν Ἐλιούδ. Καὶ ἦσαν αὐξανόμενοι κατὰ τὴν μεγαλειότητα αὐτῶν Καὶ ἐδίδαξαν ἑαυτοὺς καὶ τὰς γυναῖκας ἑαυτῶν φαρμακείας καὶ ἐπαοιδίας. Πρῶτος Ἐζαὴλ ὁ δέκατος τῶν ἀρχόντων ἐδίδαξεν ποιεῖν μαχαίρας καὶ θώρακας καὶ πᾶν σκεῦος πολεμικὸν, καὶ τὰ μέταλλα τῆς γῆς

καὶ τὸ χρυσίον πῶς ἐργάσωνται, καὶ ποιήσωσιν αὐτὰ κόσμια ταῖς γυναιξὶ, καὶ τὸν ἄργυρον. ἐδίδαξεν καὶ αὐτοὺς καὶ τὸ στίλβειν καὶ τὸ καλλωπίζειν καὶ τοὺς ἐκλεκτοὺς λίθους· καὶ ἐποίησαν ἑαυτοῖς οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων καὶ ταῖς θυγατράσιν αὐτῶν. Καὶ παρέβησαν ** καὶ ἐπλανήσαν τοὺς ἁγίους. καὶ ἐγένετο ἀσέβεια πολλὴ καὶ ἠφάνισαν τὰς ὁδοὺς αὐτῶν. Ἔτι δὲ καὶ ὁ πρώταρχος αὐτῶν Σεμιαζᾶς ἐδίδαξεν εἶναι * ὀργὰς κατὰ τοῦ νοὸς καὶ ῥίζας βοτανῶν τῆς γῆς. Ὁ δὲ ια Φαρμαρος ἐδίδαξε φαρμακείας, ἐπαοιδίας, σοφίας καὶ ἐπαοιδῶν λυτήρια. Ὁ θ ἐδίδαξεν ἀστροσκοπίαν. ὁ δὲ τέταρτος ἐδίδαξεν ἀστρολογίαν. ὁ δὲ η ἐδίδαξεν ἀεροσκοπίαν. ὁ δὲ τρίτος ἐδίδαξε τὰ σημεῖα τῆς γῆς. ὁ δὲ ζ ἐδίδαξεν τὰ σημεῖα τῆς σελήνης. Πάντες οὗτοι ἤρξαντο ἀνακαλύπτειν τὰ μυστήρια ταῖς γυναιξὶν αὐτῶν καὶ τοῖς τέκνοις αὐτῶν. Μετὰ δὲ ταῦτα ἤρξαντο οἱ γίγαντες κατεσθίειν τὰς σάρκας τῶν ἀνθρώπων· Καὶ ἤρξαντο οἱ ἄνθρωποι ἐλαττοῦσθαι ἐπὶ τῆς γῆς. οἱ δὲ λοιποὶ ἐβόησαν εἰς τὸν οὐρανὸν περὶ τῆς κακώσεως αὐτῶν, λέγοντες εἰσενεχθῆναι τὸ μνημόσυνον αὐτῶν ἐνώπιον αὐτοῦ. Καὶ ἀκούσαντες οἱ δ μεγάλοι ἀρχάγγελοι Μιχαὴλ καὶ Ῥαφαὴλ καὶ Γαβριὴλ καὶ Οὐριὴλ, παρέκυψαν ἐπὶ τῆς γῆς ἐκ τῶν ἁγίων τοῦ οὐρανοῦ. Καὶ θεασάμενοι αἷμα πολὺ, ἐκκεχυμένον ἐπὶ τῆς γῆς καὶ πᾶσαν ἀσέβειαν καὶ ἀνομίαν γενομένην ἐπ' αὐτῆς, εἰσελθόντες εἶπον πρὸς ἀλλήλους, ὅτι πνεύματα καὶ αἱ ψυχαὶ τῶν ἀνθρώπων στενάζουσιν ἐντυγχάνοντα καὶ λέγοντα ὅτι εἰσαγάγετε τὴν δέησιν πρὸς τὸν ὕψιστον καὶ τὴν ἀπώλειαν ἡμῶν Καὶ προσελθόντες οἱ τέσσαρες ἀρχάγγελοι εἶπον τῷ κυρίῳ, Σὺ εἶ Θεὸς τῶν θεῶν καὶ κύριος τῶν κυρίων καὶ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, καὶ Θεὸς τῶν ἀνθρώπων, καὶ ὁ θρόνος τῆς δόξης σου εἰς πάσας τὰς γενεὰς τῶν αἰώνων, καὶ τὸ ὄνομά σου ἅγιον καὶ εὐλογημένον εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας. Σὺ γὰρ εἶ ὁ ποιήσας τὰ πάντα καὶ πάντων τὴν ἐξουσίαν ἔχων καὶ πάντα ἐνώπιόν σου φανερὰ καὶ ἀκάλυπτα, καὶ πάντα ὁρᾷς καὶ οὐκ ἔστιν ὃ κρυβῆναί σε δύναται. ὁρᾷς ὅσα ἐποίησεν Ἐξαὴλ, ὅσα εἰσήνεγκεν καὶ ὅσα ἐδίδαξεν, ἀδικίας καὶ ἁμαρτίας ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ πάντα δόλον ἐπὶ τῆς ξηρᾶς. ἐδίδαξε γὰρ τὰ μυστήρια καὶ ἀπεκάλυψε τῷ αἰῶνι τὰ ἐν οὐρανῷ. Ἐπιτηδεύουσι δὲ τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτοῦ εἰδέναι τὰ μυστήρια. οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων τῷ Σεμιαζᾷ τὴν ἐξουσίαν ἔδωκας ἔχειν τῶν σὺν αὐτῷ ἅμα ὄντων καὶ ἐπορεύθησαν πρὸς τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων τῆς γῆς, καὶ συνεκοιμήθησαν μετ' αὐτῶν καὶ ἐν θηλείαις ἐμιάνθησαν καὶ ἐδήλωσαν αὐταῖς πάσας τὰς ἁμαρτίας καὶ ἐδίδαξαν αὐτὰς μίσητρα ποιεῖν. καὶ νῦν ἰδοὺ αἱ θυγατέρες τῶν ἀνθρώπων ἔτεκον ἐξ αὐτῶν υἱοὺς γίγαντας. Κίβδηλα ἐπὶ τῆς γῆς τῶν ἀνθρώπων ἐκκέχυται καὶ ὅλη ἡ γῆ ἐπλήσθη ἀδικίας. Καὶ νῦν ἰδοὺ τὰ πνεύματα τῶν ψυχῶν τῶν ἀποθανόντων ἀνθρώπων ἐντυγχάνουσι, καὶ μέχρι τῶν πυλῶν τοῦ οὐρανοῦ ἀνέβη ὁ στεναγμὸς αὐτῶν, καὶ οὐ δύναται ἐξελθεῖν ἀπὸ προσώπου τῶν ἐπὶ τῆς γῆς γινομένων ἀδικημάτων, καὶ σὺ αὐτὰ οἶδας πρὸ τοῦ αὐτὰ γενέσθαι. καὶ ὁρᾷς αὐτοὺς καὶ ἐᾷς αὐτοὺς καὶ οὐδὲν λέγεις τί δεῖ ποιῆσαι αὐτοὺς περὶ τούτου. τότε ὁ ὕψιστος εἶπεν, καὶ ὁ ἅγιος ὁ μέγας ἐλάλησε καὶ ἔπεμψε τὸν Οὐριὴλ πρὸς τὸν υἱὸν Λάμεχ, Πορεύου πρὸς τὸν Νῶε, καὶ εἰπὸν αὐτῷ τῷ ἐμῷ ὀνόματι, κρύψον σεαυτὸν καὶ δήλωσον αὐτῷ τέλος ἐπερχόμενον, ὅτι ἡ γῆ ἀπόλλυται πᾶσα. Καὶ εἰπὸν αὐτῷ ὅτι κατακλυσμὸς μέλλει γίνεσθαι πάσης τῆς γῆς ἀπολέσων πάντα ἀπὸ προσώπου τῆς ξηρᾶς Δίδαξον τὸν δίκαιον τί ποιήσει, τὸν υἱὸν Λάμεχ. καὶ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ εἰς ζωὴν συντηρήσει, καὶ ἐκφεύξεται δι' αἰῶνος καὶ ἐξ αὐτοῦ φυτευθήσεται φύτευμα, καὶ σταθήσεται εἰς πάσας τὰς γενεὰς τοῦ αἰῶνος. Καὶ τῷ Ῥαφαὴλ εἶπεν, Πορεύου Ῥαφαὴλ καὶ δῆσον τὸν Ἐξαὴλ, χερσὶ καὶ ποσὶ συμπόδισον αὐτὸν καὶ ἔμβαλλε αὐτὸν εἰς τὸ σκότος. Καὶ ἄνοιξον τὴν ἔρημον τὴν οὖσαν ἐν τῇ ἐρήμῳ Δοδοήλ. Καὶ ἐκεῖ πορευθεὶς βάλε αὐτὸν, καὶ ὑπόθες αὐτῷ λίθους ὀξεῖς καὶ λίθους τραχεῖς καὶ ἐπικάλυψον αὐτῷ σκότος, καὶ οἰκησάτω ἐκεῖ εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ τὴν ὄψιν αὐτοῦ πώμασον, καὶ φῶς μὴ θεωρείτω καὶ ἐν ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως ἀπαχθήσεται εἰς τὸν ἐμπυρισμὸν τοῦ πυρός. Καὶ ἴασαι τὴν γῆν, ἣν ἠφάνισαν οἱ ἐγρήγοροι καὶ τὴν ἴασιν τῆς γῆς δήλωσον, ἵνα ἰάσωνται τὴν πληγὴν, καὶ μὴ ἀπόλωνται πάντες οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων, ἐν τῷ μυστηρίῳ, ὃ εἶπον οἱ ἐγρήγοροι καὶ ἐδίδαξαν τοὺς υἱοὺς αὐτῶν, καὶ ἠρημώθη πᾶσα ἡ γῆ ἐν τοῖς ἔργοις τῆς διδασκαλίας Ἐξαήλ. Καὶ ἐπ' αὐτῷ γράψον πάσας τὰς ἁμαρτίας. Καὶ πρὸς τὸν Γαβριὴλ εἶπεν, πορεύου Γαβριὴλ ἐπὶ τοὺς γίγαντας ἐπὶ τοὺς κιβδήλους, ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς πορνείας καὶ ἀπώλεσον τοὺς υἱοὺς τῶν ἐγρηγόρων, ἀπὸ τῶν υἱῶν τῶν ἀνθρώπων. Πέμψον αὐ-

τοὺς

τοὺς εἰς ἀλλήλους, ἐξ αὐτῶν εἰς αὐτοὺς ἐν πολέμῳ, ἐν ἀπωλείᾳ. Καὶ μακρότης ἡμερῶν καὶ πᾶσα ἐρώτησις οὐκ ἔστι τοῖς πατράσιν αὐτῶν, ὅτι ἐλπίζουσι ζῆσαι ζωὴν αἰώνιον καὶ ὅτι ζήσεται ἕκαστος αὐτῶν ἔτη φ΄. Καὶ πρὸς τὸν Μιχαὴλ εἶπεν, Πορεύου Μιχαὴλ, δῆσον Σεμιξᾶν, καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς σὺν αὐτῷ τοὺς συμμιγέντας ταῖς θυγατράσι τῶν ἀνθρώπων τοῦ μιανθῆναι ἐν αὐταῖς ἐν τῇ ἀκαθαρσίᾳ αὐτῶν. Καὶ ὅταν κατασφαγῶσιν οἱ υἱοὶ αὐτῶν καὶ ἴδωσι τὴν ἀπώλειαν τῶν ἀγαπητῶν αὐτῶν, δῆσον αὐτοὺς ἐπὶ ο΄ γενεὰς εἰς τὰς νάπας τῆς γῆς. μέχρι ἡμέρας τῆς κρίσεως αὐτῶν, μέχρι ἡμέρας τελειώσεως τελεσμοῦ, ἕως συντελεσθῇ κρίμα τοῦ αἰῶνος τῶν αἰώνων. Τότε ἀπενεχθήσονται εἰς τὸ χάος τοῦ πυρὸς, καὶ εἰς τὴν βάσανον καὶ εἰς τὸ δεσμωτήριον τῆς συγκλείσεως τοῦ αἰῶνος. Καὶ ὃς ἂν κατακριθῇ καὶ ἀφανισθῇ ἀπὸ τοῦ νῦν μετ᾽ αὐτῶν δεθήσεται μέχρι τελειώσεως γενεᾶς αὐτῶν.

Καὶ μεθ᾽ ἕτερα.

Καὶ νῦν οἱ γίγαντες γεννηθέντες ἀπὸ πνευμάτων καὶ σαρκὸς, πνεύματα πονηρὰ ἐπὶ τῆς γῆς καλέσουσιν αὐτούς. ὅτι ἡ κατοίκησις αὐτῶν ἔσται ἐπὶ τῆς γῆς. Πνεύματα πονηρὰ ἔσονται, τὰ ἐξεληλυθότα ἀπὸ τοῦ σώματος τῆς σαρκὸς αὐτῶν, διότι ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων ἐγένοντο καὶ ἐκ τῶν ἐγρηγόρων. ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως αὐτῶν και ἀρχὴ θεμελίου πνεύματα πονηρὰ ἐπὶ τῆς γῆς ἔσονται. Τὰ πνεύματα τῶν γιγάντων νεμόμενα, ἀδικοῦντα, ἀφανίζοντα, ἐμπίπτοντα καὶ συμπαλαίοντα, καὶ ῥιπτοῦντα ἐπὶ τῆς γῆς καὶ δρόμους ποιοῦντα καὶ μηδὲν ἐσθίοντα ἀλλὰ ἀσιτοῦντα καὶ φάσματα ποιοῦντα καὶ διψῶντα καὶ προσκόπτοντα. Καὶ ἐξαναστήσονται τὰ πνεύματα ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν γυναικῶν, ὅτι ἐξ αὐτῶν ἐξεληλύθασι. Καὶ ἀπὸ ἡμέρας καιροῦ σφαγῆς καὶ ἀπωλείας καὶ θανάτου τῶν γιγάντων, Ναφιλεὶμ, οἱ ἰσχυροὶ τῆς γῆς, οἱ μεγάλοι, ὀνόμαστοι, τὰ πνευματα, τὰ ἐκπορευόμενα ἀπὸ τῆς ψυχῆς αὐτῶν, ὡς ἐκ τῆς σαρκὸς, ἔσονται ἀφανίζοντα χωρὶς κρίσεως. Οὕτως ἀφανίσουσι μέχρις ἡμέρας τῆς τελειώσεως, ἕως τῆς κρίσεως τῆς μεγάλης. ἐν ᾗ ὁ αἰὼν ὁ μέγας ἐφάπαξ ὁμοῦ τελεσθήσεται.

Καὶ αὖθις,

Περὶ δὲ τοῦ ὄρους, ἐν ᾧ ὤμοσαν καὶ ἀνεθεμάτισαν πρὸς τὸν πλησίον αὐτῶν, ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα οὐ μὴ ἀποστῇ ἀπ᾽ αὐτοῦ ψῦχος καὶ χιὼν καὶ πάχνη, καὶ δρόσος οὐ μὴ καταβῇ εἰς αὐτὸ, εἰ μὴ εἰς κατάρας καταβήσεται ἐπ᾽ αὐτὸ μέχρις ἡμέρας κρίσεως τῆς μεγάλης· ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ κατακαυθήσεται καὶ ταπεινωθήσεται. Καὶ ἔσται κατακαιόμενον καὶ τηκόμενον ὡς κηρὸς ἀπὸ πυρὸς. Οὕτως κατακαήσεται περὶ πάντων τῶν ἔργων αὐτῶν. Καὶ νῦν ἐγὼ λέγω ὑμῖν υἱοῖς ἀνθρώπων, ὀργὴ μεγάλη καθ᾽ ὑμῶν, κατὰ τῶν υἱῶν ὑμῶν· Καὶ ἀπολοῦνται οἱ ἀγαπητοὶ ὑμῶν καὶ ἀποθανοῦνται οἱ ἔντιμοι ὑμῶν ἀπὸ πάσης τῆς γῆς· ὅτι πᾶσαι αἱ ἡμέραι τῆς ζωῆς αὐτῶν ἀπὸ τοῦ νῦν οὐ μὴ ἔσονται πλείω τῶν ρκ΄ ἐτῶν· Καὶ μὴ δόξητε ἔτι ζῆσαι ἐπὶ πλείονα ἔτη. Οὐ γάρ ἐστιν ἐπ᾽ αὐτοῖς πᾶσα ὁδὸς ἐκφεύξεως ἀπὸ τοῦ νῦν, διὰ τὴν ὀργὴν, ἣν ὠργίσθη ὑμῖν ὁ Βασιλεὺς πάντων τῶν αἰώνων. Μὴ νομίσητε ὅτι ἐκφεύξεσθε ταῦτα. id eſt.

Et factum eſt, quando multiplicati erant filii hominum, nata ſunt ipſis filiæ ſpecioſæ. Et concupiverunt eas Egregori & ſeducti ſunt poſt eas & dixerunt ad invicem, Eligamus nobis uxores è filiabus hominum terræ. Et ait Semiexas princeps eorum ad eos, Metuo, ut ne velitis facere rem hanc & ero ego ſolus debitor magni peccati. Et reſponderunt ipſi omnes & dixerunt: Iuremus omnes juramento & devoveamus invicem, non avertere mentem hanc, donec eam confecerimus. Tunc omnes juraverunt ſimul & devoverunt invicem. Erant autem hi 200. qui deſcenſum fecerunt in diebus Iared, in verticem montis Hermonim. Et vocarunt montem Hermon, quia juraverant & devoverant ſe invicem in illo. Et hæc ſunt nomina principum eorum:

ceptus, aut cadavere natante illectus. Nicolaus de Lyra, *Secundum communem expoſitionem non eſt intelligendum, quod corvus reverſus ſit ad Noë aquis deſiccatis, ſed remanſit apud cadavera, ut communiter dicitur.*

Cum conſiſtendi locum non reperiſſet] mirum hoc, quum jamdiu detecta eſſent cacumina montium. An terra limo erat oppleta, quem aqua recedens reliquerat? videtur. Limo.n. columbæ, ut & aliæ aves, non poſſunt conſiſtere. Nam cœnum mollius, cujuſmodi eſt limus, corpori etiam leviſſimo cedit, nec conſiſtendi locum ei præbet.

Rurſum remiſſa] rectum puto, *emiſſa*; quod placuit etiam Sigonio. Ante nos monuerat quoque de eo Victor Giſelinus.

Folium olivæ] Auguſtinus de doctrina Chriſtiana l. 2. cap. 16. *Olea ramuſculo, quem rediens ad arcam columba pertulit, ſignificatur pax perpetua. Nam novimus, & olei lenem contactum non facile alieno humore corrumpi, & arborem ipſam frondere perenniter.* Quod poſtremum ita eſſe docet nos Theophraſtus, dum oleam recenſet inter eas arbores, quæ perpetuo virent, nec unquam folia amittunt. Huc refer Prudentii retraſtichon:

Nuntia diluvii jam decreſcentis ad arcam,
Ore columba refert ramum viridantis olivæ:
Corvus enim ingluvie per fœda cadavera captus,
Hæſerat, illa datæ revehit nova gaudia pacis.

Ita Noë arcam egreſſus eſt] arca quievit in uno aliquo montium Ararath, id eſt Armeniæ. Inde igitur deſcendit Noë. Loco nomen Armeni fecerunt ἀποβατήριον, id eſt, egreſſorium. Hujus diluvii & arcæ meminerunt Beroſus Babylonius, Hieronymus Ægyptius, qui Antiquitates Phœnicum conſcripſit, Mnaſeas, Nicolaus Damaſcenus & alii plures. Autor Joſephi, Orig. Judaic. lib. 3. cap. 4. Meminit & Sybilla Cumæa, cujus verba reperies apud Lactantium de ira Dei. cap. 23.

CC. duos & quadraginta] Sigonius numerat CCC. duos & quadraginta: perſpicuo errore, quia Seth genitum ſcribit anno Adami 330. Cum natus ſit 230. Cæterum Ebræi ad diluvium annos putant 1656. Quod ex hac tabella clarum fiet.

Series annorum à mundi exordio uſque ad diluvium.

Adam genuit Seth an.	130	230
Seth Enos	105	205
Enos Cainan	90	190
Cainan Malaleel	70	170
Malaleel Jared	65	165
Jared Henoch	62	162
Henoch Mathuſalem	65	165
Mathuſalem Lamech	187	187
Lamech Noë an.	182	188

Hic anno ætatis ſexcenteſimo arcam inivit propter diluvium.

DUos & quadraginta] adde menſem unum & dies viginti ſeptem. Ceterum Noë arcam egreſſus eſt anno ætatis 601, menſe ſecundo, die menſis 27. Ingreſſus autem fuerat, ut diximus, anno 600. ejuſdem menſis die ſeptimo ſupra decimum, Gen. 7. 11. Hinc liquet ipſum in arca fuiſſe annum integrum lunarem & dies undecim. Qui efficiunt juſtum annum ſolarem. Sic

dico

Sic dico quo die egreſſus eſt, anno evoluto & ad ſolis curſum putato, eodem egreſſus eſt, ut Strabus memoriæ prodidit. Quem vide, ſi placet, in gloſſa ordinaria, fol. 145. Vide quoque Nicolaum de Lyra.

SCHOTANUS.

Geneſ. cap. VI.

HUMANUM GENUS ABUNDARET] Diluvii cauſa προκαταρκτικὴ fuit humani generis malitia, quæ ultra modum proceſſerat. Hujus cauſæ progenitrices fuere. I. Abundantia hominum & augmentum. II. Connubia filiorum Dei cum filiabus hominum. III. Exemplum gigantum qui illo ſeculo fuêre. Incrementum hominum fuit ex vi & vigore Divinæ benedictionis: at benedictio in maledictionem verſa eſt. Sic eſt ut Ambroſius lib. de Arca & Noë cap. 3. *Difficilius multi legum repagulis in officio continentur, quam pauci. Sic profectò uſu venit, ut paucitatis hominum atque paupertatis comes ferè ſit induſtria & frugalitas: multitudinis verò & opulentia ſecordia & nequitia.* Abundantia & incrementum humani generis ſimul tempus notant, quo illa corruptio ſeculo illata eſt. Factum id eſſe ævo Henochi Joſephus ſcribit: Καὶ οὗτοι μὲν ἑπτὰ γενεαῖς διέμειναν θεὸν ἡγούμενοι δεσπότην εἶναι τ͂ ὅλων καὶ πάντα πρὸς ἀρετὴν ἀποβλέποντες. εἶτα προϊόντος τοῦ χρόνου, μεταβάλλοντες πρὸς τὸ χεῖρον ἐκ τ͂ πατρῴων ἐθισμῶν, μήτε τὰς νενομισμένας τιμὰς ἔτι τῷ θεῷ παρέχοντες μήτε τοῦ πρὸς ἀνθρώπους δικαίου ποιούμενοι λόγον· ἀλλ' ἣν πρότερον εἶχον, διπλασίονα τ͂ κακίας τότ' ἐπιδεικνύμενοι δι' ὧν ἔπραττον. ἔνθεν αὐτοῖς τ͂ θεὸν ἐξεπολέμωσαν. Quod eos dicit ſeptem generationibus manſiſſe in recto ſenſu & cultu Dei, id debet ſic accipi, quod uſque ad eum numerum generationum in pietate & juſtitiæ via ſe continuerint, inde facti devii. Moſes videtur innuere, quod malitia hominum cœpta longo tempore, ante Noë, increverit ſenſim, cum incremento humani generis, primordiis ipſis mundi ſemen & primam originem complexis. Henoch ideò in cælum tranſlatus eſt, quod mundus eo dignus non eſſet. Lamech parens Nöë, pertæſus & pravitatis & maledictionis Divinæ, quam pravitas concitaverat, in filii ipſius nativitate, ad ſolatium in ipſo adſpiravit. Nauclerus è Joſepho: *Etſi Seth diebus ſuis ſeparaverit cognationem ſuam à cognatione Cain, præcepto Patris ſui Adam, tamen tempore procedente etiam ad mala progreſſi ſunt, neque legitimos honores ulterius præbentes Deo neque circa homines facientes juſtitiam ſed zelum, quem prius habuerunt pro virtute in duplam malitiam poſteà per ea, quæ gerebant, converterunt.* Bergomas ita hunc locum Joſephi univerſum convertit: *Porrò ejus filii cum in ſeptimam uſque generationem juſſa patris,* (Seth de non commiſcendo cum Cainitis) *obſervaſſent, Deum judicantes per omnia eſſe Dominum omnium & ob hoc ad virtutem ſemper aſpicientes, procedente tempore de ſolemnitatibus patrum ad infinita prope mala deſcenderunt. Quod non modo legitimos Deo ſuo cultus non præbuere ſed ne juſtitiam quidem hominibus exhibere voluerunt, ac zelum, quem prius habuerant pro virtute, in duplicatam malitiam, per ea, quæ geſſerunt mala demonſtrarunt. Ob quod Dominum, contra ſe plurimum irritaverunt.*

ANGELI, QUIBUS CÆLUM] Altera cauſa corruptionis fuit commiſtio filiorum Dei cum filiabus hominum. Hic quæritur, Quinam intelligantur per filios Dei. Nam per filios hominum intelligi homines, qui humanæ naturæ ſunt prædіti & qua tales, certum eſt. Joſephus & cum eo Philo: Tum

è patribus, Juſtinus, Tatianus, Proclus, Athenagoras; è Latinis Tertullianus & Lactantius, uti Druſius annotavit. Joſephus ſic loquitur: Πολλοὶ γὰρ ἄγγελοι Θεοῦ γυναιξὶ συμμιγέντες, ὑβριστὰς ἐγέννησαν παῖδας. Philo lib. de Gigantibus primo Moſis textum ita citat: ἰδόντες δὲ οἱ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων ὅτι καλαί εἰσιν &c. ubi vulgaris editio habet οἱ υἱοὶ τοῦ Θεοῦ. Deinde ita explicat: οὓς ἄλλοι φιλόσοφοι δαίμονας, ἀγγέλους Μωσῆς εἴωθεν ὀνομάζειν. ψυχαὶ δ᾽ εἰσὶ κατὰ τὸν ἀέρα πετόμεναι. Καὶ μηδεὶς ὑπολάβῃ μῦθον εἶναι τὸ εἰρημένον. ἀνάγκη γὰρ ὅλον δι᾽ ὅλων τὸν κόσμον ἐψυχῶσθαι. τῶν πρώτων καὶ στοιχειωδῶν μερῶν ἑκάστου τὰ οἰκεῖα καὶ προσφορὰ ζῷα περιέχοντος, γῆς μὲν τὰ χερσαῖα, θαλάττης δὲ καὶ ποταμῶν τὰ ἔνυδρα, πυρὸς δὲ τὰ πυρίγονα, λόγος δὲ ἔχει ταῦτα κατὰ Μακεδονίαν μάλιστα γίνεσθαι· οὐρανοῦ δὲ τοὺς ἀστέρας. Καὶ γὰρ οὗτοι ψυχαὶ ὅλαι δι᾽ ὅλων ἀκήρατοί τε καὶ θεῖαι, παρ᾽ ὃ καὶ κύκλῳ κινοῦνται τὴν συγγενεστάτην νῷ κίνησιν· νοῦς γὰρ ἕκαστος αὐτῶν ἀκραιφνέστατος. Ἔστιν οὖν ἀναγκαῖον καὶ τὸν ἀέρα ζῴων πεπληρῶσθαι. Ταῦτα δὲ ἡμῖν ἐστιν ἀόρατα ὅτιπερ καὶ αὐτὸς οὐχ ὁρατὸς αἰσθήσει. Probat eſſe aerea animalia ex eo quod aere animetur & vivat omne animal, quodque ejus infectione, κακωθεὶς τὰ λοιμικὰ συμβαίνειν παθήματα φιλεῖ, ὡς ἂν αἰτίου τῆς ψυχώσεως ἑκάστοις. Aërem igitur animas procreare, quarum quædam in corpora deſcendant, αἱ δ᾽ ἔδυσι τῆς γῆς μοῖραν ἠξίωσαν πρὸς συνενεχθῆναι. Hoc genus eſſe ſacratum Dei miniſterio, πρὸς τὴν τῶν θνητῶν ἐπίστασιν ad mortalium gubernamen. Ex illis rurſum alias corporeis voluptatibus demergi, alias contra nitentes eluctari atque ita unde miſſæ erant, remigrare. Quoſdam enim homines incertis fortunæ & corporearum rerum motibus jactari & ſubmergi: alios ad divina animum efferre. Clauditi ψυχὰς οὖν, δαίμονας καὶ ἀγγέλους, ὀνόματα μὲν διαφέροντα ἓν δὲ καὶ ταυτὸν ὑποκείμενον διανοηθεὶς, ἄχθος βαρύτατον ἀποθήσῃ δεισιδαιμονίας. Exiſtimat autem angelos & dæmonas propriè dictos omnes eſſe bonos, atque corporum voluptates non ſectari nec caduca, à quibus ſint a'ieniſſimi, cæterum malos homines angelorum nomine appellari: & ſic angelos malos vocati. οὗτοί εἰσιν οἱ πονηροί· οἱ τὸ ἀγγέλων ὄνομα ὑποδυόμενοι, τὰς μὲν ὀρθοῦ λόγου θυγατέρας ἐπιστήμας καὶ ἀρετὰς οὐκ εἰδότες, τὰς δὲ θνητὰς τῶν ἀνθρώπων θνητῶν ἀπογόνους ἡδονὰς μετερχόμενοι. Harum filiarum id eſt voluptatum nullam germanam eſſe pulchritudinem ac ſpeciem, quæ ſola mente exploratur. νόθον δὲ εὐμορφίαν δι᾽ ἧς ἡ αἴσθησις ἀπατᾶται. Has alias ab aliis ambiri, cum innumeræ ſint. οἱ μὲν τὰς διὰ ὄψεως, ἕτεροι δὲ τὰς δι᾽ ἀκοῆς, τὰς δ᾽ αὖ διὰ γεύσεως καὶ γαστρὸς ἄλλοι, τινὲς δὲ τὰς μετὰ γαστέρα, πολλοὶ δὲ καὶ τὰς πορρωτάτω διωκισμένας ἀνελάβοντο, τὰς ποικίλας ἐν ἑαυτοῖς τείνοντες ἐπιθυμίας. Philo igitur non de angelis id eſt ſpiritibus illis corpore carentibus filios Dei interpretatus eſt ſed de hominibus, qui mali erant. Filias autem hominum interpretatur de corporis voluptatibus, ſuo more, ἀλληγορικῶς. Male igitur Cl. Druſius, aut illi, quos ſecutus eſt Druſius, ſocium Philonem illis adjungunt, qui putarunt è cœlo angelos filias hominum adamaſſe ſeque illis miſcuiſſe. Communiter autem hæc ſententia adſcripta eſt Philoni. Clemens Alexandrinus de cœli iſtis incolis Spiritibus intellexit, quod Moſes de filiis Dei dixit. Nam variis locis id ſignificat, Ut Stromat. lib. 3. ἤδη δὲ καὶ ἄγγελοί τινες, ἀκρατεῖς γενόμενοι, ἐπιθυμίᾳ ἁλόντες, οὐρανόθεν δεῦρο καταπεπτώκασιν. Juſtinus, Tertullianus, Lactantius in eadem ſententia hæſère. Nec potuit aliter ſentire Arnobius, qui ſenſit *omnes omninò, quos eſſe opinatio ſuſpicatur, dii, angeli, dæmones, aut nomine quocunque ſunt alio, qualitatis & ipſos eſſe mediæ & in ambiguæ ſortis conditione mutabiles.* Euſebius dubitat. Sic enim de Gigantum patribus præparat. Evangel. lib. 7. cap. 8. ἤδη δὲ καὶ οἱ τῆς τούτων γενέσεως αἴτιοι, εἴτε τινὸς κρείττονος μοίρας, ἢ κατὰ θνητῶν φύσιν ὑπάρξαντες, οὐθ᾽ ὑπωσοῦν κατεσκευασμένοι. Ambroſius planè ſic ſentit lib. de Noë & Arca cap. 4. *Non poetarum more Gigantes*

illos

illos terræ filios vult videri divina ſcriptura conditor ſed ex angelis & mulieribus generatos aſſerit, quos hoc appellat vocabulo, volens eorum exprimere corporis magnitudinem.

Anne filii Dei, quos Moſes vocat, fuerint Angeli, qui filias hominum appetiverunt?

CUm in iſta ſententia antiqui patres communiter fuerint, angelos filiabus hominum mixtos genuiſſe gigantes in prima ætate, qui humanam corrupere progeniem, recentior autem fuerit alia de fidelibus circa aut paulo ante Sulpicii ætatem nata aut publicata, non mirum eſt Sulpicium Severum ſe iſti antiquæ opinioni ſocium adjunxiſſe. Recentiorem ut hiſtoriæ filo & rei convenientem, ſequens Eccleſiæ ætas amplexa eſt. Fuerunt tamen etiam ſequentibus ſeculis quamvis oppido pauci, qui à communiter recepta recentiore ſententia, ſine ulla equidem probabili ratione ivere in diverſum. Diſcurſum Lyræ, Burgenſis & Doringii & hic adponere lubet adverſarium. Lyra ſic incipit: *Videntes filii Dei*] *Hoc exponitur multipliciter. Vno modo per hoc intelliguntur dæmones incubique dicuntur filii Dei propter naturam ſpiritualem. Vnde & Iob. 1. cap. dicitur, Sathan fuiſſe inter filios Dei. Et iſti in ſpecie humana commiſcuerunt ſe mulieribus: & inde nati ſunt gigantes, ut dicitur infra; Gigantes autem erant in terra. Sed hæc expoſitio non videtur rationabilis: quia hic exprimitur cauſa diluvii, quod inundavit in pœnam peccatorum. Diluvium autem nunquam fuit in pœnam dæmonum ſed tantum hominum. Ideo aliter exponit R. Sal. dicens quod hæc eſt litera: Filii judicum vel potentium quia nomen Hebraicum, quod ibi ponitur ſc. Eloim aliquando ponitur pro Deo: & aliquando pro diis in plurali: aliquando pro judicibus. Vnde Exodi XXII. ubi tranſlatio noſtra habet*, Dominus domus applicabitur ad deos *id eſt judices: in Hebræo dicitur*, applicabitur ad Eloim. *Dicit iſte igitur quod filii judicum & potentum, quando videbant filias ſubditorum pulcre ornari & quando dabantur ad nuptias, quod accedebant ad ipſas cognoſcendo eas carnaliter antequam mariti eas cognoſcerent. Sed hæc expoſitio non videtur adhuc rationabilis: quia iſta cauſa diluvii fuiſſet particularis, ſcil. quantum ad potentes ſolum, ſed in eo capite dicitur contrarium.* Omnis quippe caro corruperat viam ſuam. *Nec generale diluvium induci debuiſſet propter cauſam particularem. Et ideo aliter exponitur & melius: quod filii Dei hic intelliguntur illi, qui deſcenderunt de Seth, qui à patre ſuo fuerant inſtructi in cultu Divino. Vnde & in pluribus locis veteris ac novi teſtamenti fideles vocantur filii Dei. Per filias hominum intelliguntur mulieres deſcendentes de Cain, quæ erant curioſe diſſolutæ & lubricæ. Et de illis præceperat Seth filiis ſuis de voluntate Domini, quod non contraherent matrimonia cum eis: ſicut Dominus præcepit filiis Iſrael, ut non contraherent matrimonia cum mulieribus Cananæis ſed filii Seth procedente tempore tranſgreſſi ſunt hoc præceptum &c.* Primam expoſitionem ſuam facit & propugnat Paulus Burgenſis: *Hæc expoſitio*, inquit, *quam refutat Poſtillator eſt conſonans literæ & etiam conformis ſententiæ Auguſtini nec ratio contra eam per poſtillatorem facta videtur valere. Primum patet. Nam ubi noſtra litera habet*, Gigantes erant ſuper terram, *Hebraica veritas habet* Nephilim, *quod nihil ſignificat niſi cadentes, prout etiam in gloſſa noſtra interlineari habetur: per quod propriè ſignificantur dæmones, qui de cælo ceciderunt, de quibus Eſaias XIV. cap. Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer &c. Et Chriſtus Luc. X. cap. Videbam Satanam ſicut fulgur cadentem de cælo &c. Iſti enim cadentes dicuntur eſſe ſuper terram in diebus illis ſc. ante diluvium: quia pro tunc*

 cogno-

cognoſcentes magnam diſpoſitionem ſeu provitatem hominum ad malum frequentabant magis ſuam converſationem cum eis in tantum, quod in corporibus aſſumptis mulieribus commiſcebantur. Secundum patet. Nam ſecundum Auguſtinum lib. 15. de civit. Dei cap. 23. hujuſmodi dæmones tales concubitus exercentes, vulgus vocat incubos. Nam dicit, Et quoniam creberrima fama eſt, multique ſe expertos vel ab iis, qui experti eſſent, de quorum fide dubitandum non eſt, audiſſe confirmant. Ex quo quidem talem commixtionem concubitumque negare, prout ipſe Auguſtinus ibidem dicit, imprudentia videtur eſſe, eo quod à multis expertis confirmatur. Homines interdum naſcuntur non per ſemen ab ipſis dæmonibus deciſum, ſed per ſemen alicujus hominis ad hoc acceptum: utpote, quod idem dæmon qui eſt ſuccubus ad virum ſit incubus ad mulierem; & ſic ille qui naſcitur non eſt filius dæmonis ſed filius hominis ſcilicet illius, cujus eſt ſemen acceptum; prout etiam patet in prima parte. qu. 52. art. ult. in reſponſione ad ult. argumentum. Tertium patet. Nam diluvium non erat in pœna dæmonum hoc exercentium ſed in pœna hominum ad hoc ſe diſponentium; & potius in pœna hominum, qui ex tali concubitu naſcebantur qui erant potentiſſimi & peſſimi ſicut infra declaratur in poſtilla: quia non ſolum per ſe exercebant mala ſed etiam per ſuam potentiam & malitiam ad hoc inducebant. Eo modo, quo legitur infra 10. cap. de Nemroth. Et hanc expoſitionem tenent antiqui Hebræorum ſcilicet. Quod cadentes in hoc loco intelligantur dæmones qui de cœlo ceciderunt. Si autem quæratur, quomodo tales ſc. ſic nati per dæmonum adminiſtrationum erant tam proceræ naturæ, ita quod alii homines quaſi locuſtæ videbantur in comparatione eorum, ut habetur Num. 13. cap. Cum tales non erant filii dæmonum ſed potius hominum, ut dictum eſt, & per conſequens deberent eſſe in communi hominum ſtatura. Dicendum, quod hoc fiebat Deo permittente virtute dæmonum: quia ſecundum Auguſtinum 13. de trinit. poſſunt adhibere ſemina corporalia ad aliquos effectus mirabiles prodncendôs. Vnde cum non omnis virtus naturæ creata eſt nobis nota poſſibile eſt, quod dæmones illi cum ſemine virili & fœmineo adhibeant quædam alia ſeminalei rationes habentia, per quæ commixtio complexionalis talium prædicto modo generatorum eſſet apta ad hoc ut tales cæteros homines multum excederent in ſtatura & in aliis viribus corporalibus, ut poſſent eos compellere ad libitum ſuum. Et hoc modo magi per dæmones miracula dicuntur facere licet non ſimpliciter ſed quoad nos, prima parte qu. 110. artic. ult. in reſponſ. ad ſecundum argumentum. Quæ quidem res ſic per adminiſtrationem dæmonum producta quandoque ſunt vera res, quandoque ſecundum apparentiam tantum, ut in 1. p. qu. 114. art. ult. Et circa hoc videtur notandum quod ſicut ante diluvium quidam fuerunt excedentes cæteros homines in duratione vitæ; Et hoc diſpoſitione Divina ut Divinorum cognitio propinquius & certius deveniret ad poſteros ut dictum fuit ſupra in addit. in cap. ſupra prox. Sic quodammodo econtra per adminiſtrationem dæmoniacam permiſſione Divina fuerunt illo tempore, quidam alii cæteros excedentes in corpulentia & corporalibus viribus ut alios inducerent ad corporalia & diſtraherent à divinorum cognitione. Vnde primus exceſſus laudabilis à Deo cauſatus & intentus fuit in longitudine vitæ; quæ quidem vita proprie pertinet ad animam, quæ corpus vivificat. Secundus vero exceſſus exſecrabilis fuit in quantitate & mole corporali potentias animæ ſuperiores aggravante &c. Sic Burgenſis docuit expoſitionem primam eſſe conformem literæ, deinde & ſententiæ Auguſtini. Et rationem Lyræ contrariam nihil efficere. Philoſophatur etiam de cauſa productiva & finali molis gigantum à dæmonibus productorum. Iſte Paulus de ſancta Maria, fuit epiſcopus Burgenſis, Archicancellarius Johannis regis Caſtellæ & Legionis. Habuit filium ex legitimo matrimonio genitum, nomine Alfonſum legum doctorem & decanum Compoſtellanum. Ad eum additiones ſuas in poſtillam Lyræ direxit: quas finiverat anno Domini M. CCCCXXIX. Matthias

Doring

Doring replicas defenſivas ſcripſit pro Lyræ commentariis, in quæ cenſorem liberum egit Paulus. Hoc in loco juſta defenſio Lyræ eſt, quam ita præſtitit Doring: *In capitulo ſexto, ubi poſtillator refutat eorum expoſitionem, qui per filios Dei dicunt intelligi debere dæmones incubos &c. Burg. opponens ſe dicit illam expoſitionem conſonare literæ & dictis Auguſtini. Primum declarat, quia ubi litera noſtra habet Gigantes, litera Hebraica habet Nephilim, quod nihil ſignificat niſi cadentes, quod propriè convenit dæmonibus. Ad ſecundum probandum adducit beatum Auguſtinum XV. cap. 23. de civit. Dei dicentem, quod imprudentia ſit negare, quod à multis expertis confirmatur ſicut de incubis. Sed his non obſtantibus non videtur de incubis litera præſens exponenda, nec gloſſa noſtra ordinaria ſic exponit. Argumentum autem Burgenſis de dictione Hebraica ſc. Nephilim: quam dicit ſignificare cadentes: non multum cogit: quia non ſolum dæmones ſed & quicunque peccatores dicuntur in ſcriptura cadentes, juxta illud pſalmi, Ceciderunt, qui operantur iniquitatem. Et in Apocalypſi pravorum caſus ſub nomine Babylonis geminatur, cum dicitur, Cecidit, cecidit Babylon &c. Cum enim juſtorum converſatio ſit in cælis & quidam aſcenſus: quid igitur peccatores ſunt niſi cælis id eſt cæleſti converſatione cadentes. Secundum dictum Burgenſis, quod expoſitio de incubis ſit conformis dictis beati Auguſtini, non videtur verum. Nam beatus Aug. 3. de civit. Dei cap. 4. movet quæſtionem de hac materia, ſed eam ibi non determinat. Quintodecimo autem lib. cap. 23. dicit quod non audet definire de incubis ſed imprudentia eſt negare quod tam multorum ſententiis approbatur. Ubi non negat B. Auguſtinus incubos eſſe vel fuiſſe. Sed hoc nihil eſt ad propoſitum hujus literæ ſecundum ſuam intentionem. Nam in eo cap. allegato pertractans hanc literam dicit quando ſcriptura ponit quod filii Dei ingreſſi ſunt ad filias hominum, per filios Dei intelliguntur illi de genere Seth & per filias hominum illæ de genere Cain. Unde patet primò quod poſtillator ſecutus eſt B. Aug. patet ſecundò quod Burg. Truncatum vidit textum B. Aug. patet tertiò, quod ſicut hic, ita ſæpe Burg. contra poſtillatorem fingit occaſiones. patet quarto, quod Burg. præfert expoſitionem Iudæorum infidelium ſanctis doctoribus & gloſſæ ordinariæ quod tamen apud Burgenſem eſt valde reprehenſibile ut patet in quæſtione ſua præambula.* Doring non contendit, nec Lyræ ea mens videtur fuiſſe, quod incubi aut ſuccubi non ſint aut fuerint. Quin nec illud (ut inferiùs ſignificat) negat quod illis viis poterant generari gigantes ſed ſolum negabat haberi ex iſta litera: prout & Auguſtinus. Nos verò negamus & pernegamus cupidine mulierum dæmonas poſſe titillari aut illis miſceri ſemen recipiendo ſive injiciendo genitale & fecundum ſive ſuum ſive ab homine acceptum. Cæterum eam materiam diſcutiendam relinquentes Phyſiologis, id ſolum agentes de hujus literæ ſenſu diſceptamus. Filios Dei non fuiſſe angelos nec dæmonas contendimus. Primò loco nobis argumenta expoſitionis affirmativæ deſtruenda ſecundo noſtra opponenda ſint. Futilis eſt affirmativa, videnda tamen, quæ pro ea dici poſſint. Hæc autem videntur eſſe.

I. Antiqua ſententia & expoſitio eſt, patrum Eccleſiæ antiquiſſimorum quæ communis videtur fuiſſe. R. Antiqua quidem & antiquiſſimorum, & doctorum communis. At illud attendendum fuerit. 1. Ejus originem eſſe è mala & improba verſione ἄγγελοι Θεοῦ, pro υἱοὶ Θεοῦ. Adeò videtur duplex fuiſſe lectio. Philo, ut ſuprà adduximus, legebat ἄγγελοι Θεοῦ. *Tertullianus filii Dei.* Sic enim hunc textum producit in Græco: *Et factum eſt cum cœpiſſent homines plures fieri ſuper terram & filiæ natæ ſunt eis. Conſpicati autem filii Dei* filias hominum, quod pulchræ eſſent, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerunt. Plane expreſſit Græcum, quod hodie legimus: *Καὶ ἐγένετο ἡνίκα ἤρξαντο οἱ ἄνθρωποι πολλοὶ γίνεσθαι ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ θυγατέρες ἐγεννήθησαν αὐτοῖς. ἰδόντες δὲ οἱ υἱοὶ τοῦ Θεοῦ τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων, ὅτι καλαί εἰσιν, ἔλαβον γυναῖκας ἀπὸ*

Vicina enim illa ſunt animalia quæ commiſcentur: ut equus & aſinus, canis & lupus. Miſeret me Sulpicii Severi & eorum, qui arbitrantur eam opinionem ſi non veram, ſaltem ejuſmodi non eſſe, ut argumentis ἀποδεικτικοῖς poſſit refutari. Miſeret me, Tertulliani, qui *libidinum ardorem & evaporata momenta* angelis attribuit.

IV. Argum. Gigantes illi vocantur Nephilim, quia cælo relicto in terram cecidere, ut connubiis mulierum miſcerentur. R. 1. Novimus angelorum unum caſum, quem conſtat Adami peccatum anteiiſſe. Nam Diabolus hominem ſeduxit. De ſecundo caſu angelorum nulla mentio, nihil inauditum in monumentis Sp. S. Secundum aliquem caſum fingunt iſti, qui angelis mulierum concupiſcentiam & matrimonia adſcribunt. Nam Angeli Dei à ſtatu ſuo dejecti ſunt per hanc exorbitantiam. Portentum & illud. Nam Angeli Dei, qui in primo tentamine ſubſtiterant, inde confirmati, peccare & labi non potuerunt. 2. Nephilim non fuerunt iſti, qui ſe filiabus hominum miſcuerunt ſed orti ſunt ex illis filiis Dei, qui ita deviarunt. Unde cadendi illa vox ad lapſum è cælo non poteſt referri. Quin potius, quod & Doring animadvertit, non dicuntur eſſe geniti, ſed illo tempore in terra fuiſſe. Doring ita diſſerit: *Et ſpecialiter videndum eſt, quod non plus dicitur in litera de gigantibus, niſi quod fuerint illis diebus ſuper terram:* & ſic credendo Burg. contentionem, nihil plus ſignificaretur, juxta ſuam interpretationem niſi quod dæmones illis diebus fuiſſent ſuper terram. Non dicitur autem in litera quod gigantes id eſt dæmones, ſecundum eum, genuerint gigantes. Quia per hoc ſignificaretur, quod dæmones genuiſſent dæmonas. Sed dicitur in litera filios Dei genuiſſe & ad filias hominum ingreſſos &c. 3. Nephilim dicuntur ab irruendo, quia ὑβρισαὶ fuerunt ut ſcripturæ convenienter dicit Joſephus.

V. Arg. Urgent vaſtam illam molem corporum, ſed alio modo, quam in tertio argumento eſt propoſitum. Paulus Burgenſis enim, ut ſupra intelleximus, dicit incubos & ſuccubos dæmonas ſeminibus humanis aliunde acceptis affundere ſeminales rationes aliarum rerum naturæ, quibus fiat ut in portentoſam molem excreſcant. R. 1. Illa ſeminum transfuſio contra naturam eſt. 2. Nec extra locos muliebres ulla eſt natura aut vis virtuſque quæ ſemina fovere poſſit, nedum augere & facere copioſiora. 3. Sibi ipſi diffidit ille Burgenſis, quum & aſtrorum influentias & aſpectus ſiderum eo pertinentium requirit. 4. Poſt diluvium geniti etiam gigantes ex viro & femina. Burgenſis non veretur dicere in addit. 3. cap. 8. *quod & illi ſimiliter ex concubitu dæmonum nati ſint.* Sinamus igitur illum ſuo errori. Sed & præterea ex ſacris literis præſidium quæritur paradoxo.

VI. 1. Cor. 6. 2. affirmat Apoſtolus nos judicaturos eſſe Angelos. Id illi exiſtimant non aliam ob cauſam à Deo ſic ordinatum eſſe, quam quod angeli injurii fuerint ante diluvium in humanum genus, matrimoniis mortalibus ſe commiſcendo & corrumpendo humanam progeniem. Ita illi obliti ſunt victum eſſe Adam & proſtratum in eo humanum genus à Diabolo, bella & inimicitias perpetuis odiis geri, nullo non injuriarum & afflictionum genere pios quotidie ab Diabolo ejuſque angelis affici. Victus igitur ille damnatuſque cum ſuis angelis à Jeſu Chriſto & in Jeſu Chriſto à fidelibus extremo illo die oſtentui erit, cum intra tartarum incluſus igni æterno adjudicabitur. Tertullianus etiam eò revocat abrenuntiationem, quam baptizandi in baptiſmo faciebant.

VII. Majoris difficultatis ſpeciem habet locus, qui eſt in Epiſtola Judæ

v. 7.

v. 7. Angeloſque τοὺς μὴ τηρήσαντας τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ἀλλὰ ἀπολιπόντας τὸ ἴδιον οἰκητήριον, εἰς κρίσιν μεγάλης ἡμέρας, vinculis æternis ſub caligine conſervavit. Quemadmodum Sodoma & Gomorrha καὶ αἱ περὶ αὐτὰς πόλεις τὸν ὅμοιον τούτοις τρόπον ἐκπορνεύσασαι καὶ ἀπελθοῦσαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας πρόκεινται δεῖγμα πυρὸς αἰωνίου δίκην ὑπέχουσαι. Hic non videri agi de lapſu illo primo angelorum Satanæ, quia cælo tum deturbati ſunt non ſponte lapſi ſua. Dici enim ἀπολιπεῖν τὸ ἴδιον οἰκητήριον. Quod referri ad illum, qui hoc in loco Geneſeos referatur, caſum, quo, ut inquit Sulpicius, ſuperioribus relictis, quorum incolæ erant, ſpecioſarum forma virginum capti, illicitas cupiditates appetierunt. Deinde angelorum horum (quos deſignat Judas Apoſtolus) peccatum quaſi digito demonſtrari, cum dicitur, Sodoma & Gomorrha vicinaſque urbes, ſimilem illis (ſcilicet angelis) modum ἐκπορνεύσαι & iviſſe poſt carnem aliam. In Græco τούτοις eſt quod ad proximum πόλεις, ut genere diſcriminatum, referri nequit: referri autem alio non poſſe quam ad angelos, de quibus verſu præcedente dictum. Ideo & Ludovicus Capellus ad angelos id vult reſpicere. Hic reſpondemus. 1. Non alium hic angelorum lapſum notari quam quem Petrus ſignificat 2. Ep. cap. 2. v. 4. Eum ſimpliciter apoſtolus ἁμαρτίαν vocat nec innuit aliud peccatum ab illo lapſu, quem cætera Scriptura ſolum novit. Quin & angelos illos eorumque peccatum evidenter diſtinguit ab antiquo mundo ejuſque malitia. Nihil obſtat phraſis relinquendi. Nam etſi cælo contra ſuam voluntatem ſint deturbati, voluntariò tamen commiſerunt peccatum, ob quod ſuo domicilio excidere. Ita recte dicere poſſumus, Adamum ſpreviſſe hortum Dei, quia ob ſuum peccatum, quod ſua ſponte patravit, ejectus eſt. 2. Vox τούτοις non habet comparationem urbium vicinarum cum præcipuis & nominatis, uti vult clariſſimus Beza, qui putat genere maſculino ad ſenſum idoneo incolas notari. Urbes omnes conjunctim conferuntur cum illo, quod voce τούτοις comprehenditur. Nec tamen opus eſt angelos eſſe oppoſitum illud comparatum. Nam Apoſtolus notat illos impios homines, à quorum communione dehortatur ſanctos. Arguit ex ſimilitudine peccati cum Sodomitanis ſive Decapolitanis illius planitiei; eos homines idem æterni ignis judicium manere. Ipſe ita explicat illud τούτοις, commate 11. 12. 14. Si enim in illis verſibus voce οὗτοι & τούτοις ſignentur illi profani, quid prohibet, ut hic ea voce non intelligantur? Imo neceſſe eſt eoſdem eodem vocabulo notari.

VIII. Arg. 1. Cor. 11. 10. Ideo debet mulier ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς διὰ τοὺς ἀγγέλους. Tertullianus lib. de virginibus veland. *Si mulier poteſtatem habere ſuper caput debet, vel eo juſtius virgo, ad quam pertinet, quod in cauſa eſt. Si enim propter angelos ſcilicet, quos legimus à Deo & cælo excidiſſe, ob concupiſcentiam fœminarum, quis præſumere poteſt quales angelos, maculata jam corpora & humanæ libidinis reliquias deſideraſſe, ut non ad virgines potius exarſerint, quarum flos etiam humanam libidinem excuſat?* R. omnia torquet ad hanc fabulam. Theophylactus recte τὴν ἐξουσίαν interpretatus τὸ τοῦ ἐξουσιάζεσθαι σύμβολον τουτέστι τὸ κάλυμμα, addit, Velamen in capite, habere mulierem oportere τοὺς ἀγγέλους αἰδουμένην, ἵνα μὴ καὶ αὐτοῖς ἀναισχυντος φαίνηται. Ὥσπερ γὰρ τὸ κατακαλύπτεσθαι κάτω νεύειν παρασκευάζει καὶ ἐντρέπεσθαι καὶ τὸ τοῦ ἀρχομένου σχῆμα διατηρεῖν· οὕτω τὸ ἀνακεκαλύφθαι ἀναισχυντίαν ἐμφαίνει ἣν καὶ τοῖς πιστοῖς παρεπόμενοι ἄγγελοι, βδελύσσονται. *Quemadmodum enim operiri oculos demittere facit & verecundari & ſubditi figuram ſervare: ſic retectum eſſe impudentiam oſtendit: quam & angeli, qui fideles comitantur, abominantur.* Redarguit meritò Clementis τῶν στρωματέων expoſitionem ut περιεργοτέραν, interpretantis de juſtis in Eccleſia.

cleſia. *κατακαλυπτέσθω γὰρ*, inquit, *ἵνα μὴ τούτους εἰς πορνείαν σκανδαλίσῃ*. Alii per angelos, epiſcopos ſive presbyteros accipiunt.

IX. arg. Objiciunt & autoritatem libri Henoch, qui angelorum iſtorum hiſtoriam fusè perſequutus eſt. Ejus libri, quem ut apocryphum merito rejicit Eccleſia & omnes ſani, autoritatem ſic propugnat Tertullianus adverſus objecta, lib. de habitu muliebri: *Scio ſcripturam Enoch, quæ hunc ordinem angelis dedit, non recipi à quibuſdam, quia nec in armarium Iudaïcum admittitur. Opinor, non putaverunt illam ante cataclyſmum editam, poſt eum caſum orbis omnium rerum abolitorem ſalvam eſſe potuiſſe. Si iſta ratio eſt, recordentur pronepotem ipſius Enoch fuiſſe ſuperſtitem cataclyſmi, Noë, qui utique domeſtico nomine & hæreditaria traditione audierat & meminerat de proavi ſui penes Deum gratia & de omnibus prædicatis ejus: cum Enoch filio ſuo Mathuſalæ nihil aliud mandaverit, quam ut notitiam eorum poſteris ſuis traderet. Igitur ſine dubio potuit Noë in prædicationis delegatione ſucceſſiſſe, vel quia & alias non tacuiſſet tam de Dei conſervatoris ſui diſpoſitione, quam de ipſa domus ſuæ gloria. Hoc ſi non tam expedite haberet illud quoque aſſertionem ſcripturæ illius tueretur: proinde potuit abolefactam eam violentia cataclyſmi, in ſpiritu rurſus reformare: quemadmodum & Hierosolymis Babylonia expugnatione deletis, omne inſtrumentum Iudaicæ literaturæ per Eſdram conſtat reſtauratum. Sed cum Enoch eadem ſcriptura etiam de Domino prædicarit, à nobis quidem nihil omninò rejiciendum eſt, quod pertinet ad nos. Et legimus omnem ſcripturam ædificationi habilem, divinitus inſpirari: Iudæis poſteà jam videri propterea rejectam, ſicut & cætera fere quæ Chriſtum ſonant. Nec utique mirum hoc, ſi ſcripturas aliquas non receperunt de eo locutas, quem & ipſum coram loquentem non erant recepturi. Eo accedit quod Enoch apud Iudam apoſtolum teſtimonium poſſidet.* Hactenus Tertullianus. Objecta ſanius ſentientium contra librum Enoch erant duo 1. Non eſſe in canone Judæo. 2. Non potuiſſe ſuperſtitem eſſe diluvio. Ad primum reſpondet, rejectam eſſe illam ſcripturam â Judæis, quia de Chriſto Domino locuta eſt, ſicuti rejecerunt omnia fere quæ Chriſtum ſonant. Deinde non mirum eos non recepiſſe ſcripturam aliquam de Chriſto locutam, qui & ipſum coram loquentem non erant recepturi. Nos autem ſcimus nullam ſcripturam canonicam de Chriſto loquentem à Judæis eſſe rejectam, ſed cæcitate ſua aliter explicari omne de Chriſto dictum. Scripturas, quas habemus ex eorum armario non negaveris, Tertulliane, clarius & plenius de Chriſto ſonare quam librum Enoch. Ad ſecundum dicit, potuiſſe à Noë conſervari, partim ob ſucceſſionem in prædicatione, partim ob gloriam domus. Si ſervata non fuerit, potuiſſe ab eodem in ſpiritu reformari. Quemadmodum Eſdras ſcripturam ſacram abolefactam inſtauravit. Potuit conſervari, ſed nec conſervatam eſſe legimus & nulla mentio exſtat ejus libri in univerſa hiſtoria V. T. Reformari ſpiritu non opus fuit, quod poterat aliter, ſi opus eſſet, conſervari. Si conſervatum non eſt nec inſtauratum eſt, quia Deus quod noluit conſervari, nec voluit inſtaurari. Eſdram enim inſtrumentum omne Judaicæ literaturæ, deletum & amiſſum inſtauraſſe Judaica fabula eſt, quæ quid veri habeat vel potius cui vero innitatur, ſuo loco, Deo dante, explicabimus. Recipiendam eſſe illam ſcripturam defendit duabus rationibus. I. Quia de domino locuta eſt & ædificationi habilis: eoque & inſpirata divinitus. Quaſi quicquid libri de Domino loquitur & ædificativa, ideo θεόπνευστοι ſit. Loquimur nos divina, nec tamen inſpirati à ſpiritu Dei: ſed haurimus illa aliunde è ſuis fontibus qui à ſpiritu Dei ſunt. Nullus liber tam malus, in quo non bona quædam habeantur. 2. Quia teſtimonium Judæ Apoſtoli poſſidet.

Judas ſic v. 14. Προεφήτευσε δὲ καὶ τούτοις ἕβδομος ἀπὸ Ἀδὰμ Ἐνὼχ λέγων, Ἰδοὺ, ἦλθε κύριος ἐν μυριάσιν ἁγίαις αὐτοῦ, ποιῆσαι κρίσιν κατὰ πάντων καὶ ἐξελέγξαι πάντας τοὺς ἀσεβεῖς αὐτῶν, περὶ πάντων τῶν ἔργων ἀσεβείας αὐτῶν ὧν ἠσέβησαν καὶ περὶ πάντων τῶν σκληρῶν, ὧν ἐλάλησαν κατ᾽ αὐτοῦ ἁμαρτωλοὶ ἀσεβεῖς. Hoc fragmentum germanum eſt prophetiæ Enoch. In quo invehitur in impios ſui ſeculi, & præcinit Judicium Dei, quod diluvium invexit. Improperat eis opera mala & dicta impia adverſus Dominum. Cæterum illud in quæſtione eſt, An ore ſolummodo Enoch vaticinatus fuerit, an & ſcripto ſuam prophetiam comprehenderit. Nam quod dixerat & protulerat ore, potuit per ſpiritum producere Apoſtolus, etiſi nuſquam ſcriptum legeretur. Exiſtimes librum exſtitiſſe, qui in Canone non erat. Nam Canon Judæis traditus incipit à Moſe. Cum tamen ante Moſen divini libri fuerint. Librum exſtitiſſe arbitror, aut ſaltem dictum ejus libri notiſſimum fuiſſe inter Judæos, jam aboliti. Eum librum, quem laudat Tertullianus, ſtramentitium & ab hominibus otioſis confictum res ipſa loquitur. Alium igitur aut partem alterius fama conſervatam dixeris fuiſſe, ad quam Judas provocavit. Provocare non poterat ad hoc, quod nullibi exſtabat aut inveniri poterat. Potuit etiam, ſi forte liber talis nunquam fuiſſe, ſed vaticinium hoc traditione ad poſteros emanaſſe. Locutus ſit Enoch ſolummodo & creberrimè id repetierit dictum, notatum, relatumque ab aliis & tranſmiſſum uſque ad tempora Judæ Apoſtoli. Quia tale dictum ferebatur occaſio arrepta eſt à futilibus ingeniis & liber cuſus vanus & nihili. Argumenta, quibus oſtendimus, illos filios Dei non fuiſſe angelos, ſuffecerit breviter indicaſſe, quum & ſint innexa refutationi præmiſſæ.

1. Angeli non poſſunt feminarum deſiderio tangi. Id hominum eſt inter ſe.
2. Angeli ſancti non poſſunt labi.
3. Scribit & notat Moſes, quomodo in Eccleſiam irrepſerit corruptio. Quod ſane factum ex eo, quia homines Eccleſiæ externis Cainitarum connubiis ſe miſcuerunt, non quod angeli filias hominum appetivêre.
4. Hominum peccata non angelorum ſcribit ſanctus auctor, notans per connubia cum impiis factum eſſe, quod omnis caro corruperit viam ſuam. Calvinus: *Et certe fieri non poteſt quin temporis ſucceſſu degenerent filii Dei, cum ita eodem ſe jugo cum infidelibus implicant. Atque hæc fuit extrema vafrities Bileam: quum illi ablata eſſet maledicendi facultas, quod ſubornari juſſit mulieres à Madianitis, qua populum Dei ad impiam defectionem pellucerent. Ita quum in patriarcharum filiis, de quibus nunc diſſerit Moſes, grave per ſe malum fuerit gratiæ ſibi divinitus collatæ oblivio, dum ſuâ libidine feruntur ad illicita conjugia: deterior fuit acceſſio, quod ſe impiis miſcendo profanarunt Dei cultum & à fide exciderunt: ſicut hac corruptela ſemper ferè conſequi ſolet.*
5. Quemadmodum diluvium homines non angelos attigit, ſic & peccata commiſſa ſolummodo hominum non angelorum fuerunt.
6. Non poteſt Moſes alios filios Dei intelligere, quam quos in Enos deſignavit. cap. 4. 26. Qui ſane homines fuerunt, conſortes & condiſcipuli Enoſi.
7. Ideo & hæc communis ſententia re benè expenſa, facta eſt. Exploſa eſt illa altera ab omnibus ob ſuam abſurditatem. Epiphanius vehementior fuit in explodenda & rejicienda illa opinione. Quidam videntur exiſtimare, quos videtur innuere Lyra & quibus ſe adjungit Burgenſis, quod dæmones, id eſt angeli lapſi in principio, intelligantur, ſed horum ſententia diverſa eſt à priſcis illis patribus, quos ſupra diximus. Illi enim exiſtimant angelos in cælo illectos cupidine mulierum deſcendiſſe in terras. Nunquam etiam dæmones dicuntur filii Dei.

Quidam

Quidam de filiis principum ſive magnatum interpretantur, quibus calculum ſuum apponit Mercerus. Hæc etiam mens fuit Aquilæ, qui reddidit, *οἱ υἱοὶ τῶν θεῶν*. Et clarius Symmachi vertentis, *υἱοὶ τῶν δυναςευόντων*. R. Salomo Jarchi : בני השרים והשופטים / דבר אחר בני האלהים הם השרים ההולכים בשליחותו של מקום אף הם היו מתערבין בהם כל אלהים שבמקרא לשון מרות וזה יוכיח אתה תהיה לו לאלהים *Filii principum & judicum : Alia expoſitio, Filii Dei ſunt principes, qui eunt in ablegatione Dei : etiam illi ſe commiſcebant illis. Omne* אלהים *in ſcriptura habet notionem dominii, quod docetur ex illo* [Exod. IV. 16.] Tu eris ipſi in Deum. Abeneſdras : בני אלהי' בני השופטים שהיו עושאים בארץ משפט אלהים ויש אומרים כי האלהים במקום הזה קדש ובנים הם הקדושים אשר בארץ כטעם בנים אתם ויש אומרים כי בני אלהים בני שת ובנות האדם בנות משפחת קין והישר בעיני להיות בני האלהים היודעים דעת עליון: *Filii Dei Filii judicum, qui in terra faciunt judicium Dei, alii dicunt, quod Deus in hoc loco Sanctitas ſit & filii ſancti, qui in terra, ſecundum rationem,* filii eſtis [Deut. 14. 1.] *Alii dicunt, quod filii Dei ſint filii Seth & filiæ hominum filiæ famili Cain : At placet mihi, quod filii Dei ſint, qui norunt ſcientiam Altiſſimi.*

De fabulis in libro Enoch.

Liber ille apocryphus Enoch fabulas plurimas continet, quas ſcriptores aut totas arripuerunt aut ſuo ſcopo accommodarunt. Fragmentum ex ejus operis libro primo Joſephus Scaliger exhibet in notis ad Euſebii collectanea Græca. Id nos deſcribemus & transferemus, ut & hic compareat:

Καὶ ἐγένετο ὅτε ἐπληθύνθησαν οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων, ἐγεννήθησαν αὐτοῖς θυγατέρες ὡραῖαι. Καὶ ἐπεθύμησαν αὐτὰς οἱ ἐγρήγοροι καὶ ἀπεπλανήθησαν ὀπίσω αὐτῶν καὶ εἶπον πρὸς ἀλλήλους, Ἐκλεξώμεθα ἑαυτοῖς γυναῖκας ἀπὸ τῶν θυγατέρων τῶν ἀνθρώπων τῆς γῆς. Καὶ εἶπεν Σεμιξᾶς ὁ ἄρχων αὐτῶν πρὸς αὐτοὺς, Φοβοῦμαι μὴ οὐ θελήσητε ποιῆσαι τὸ πρᾶγμα τοῦτο, καὶ ἔσομαι ἐγὼ μόνος ὀφειλέτης ἁμαρτίας μεγάλης. Καὶ ἀπεκρίθησαν αὐτῷ πάντες καὶ εἶπον, Ὀμόσωμεν ἅπαντες ὅρκῳ καὶ ἀναθεματίσωμεν ἀλλήλους, τοῦ μὴ ἀποστρέψαι τὴν γνώμην ταύτην, μέχρις οὗ ἀποτελέσωμεν αὐτήν. Τότε πάντες ὤμοσαν ὁμοῦ καὶ ἀνεθεμάτισαν ἀλλήλους. ἦσαν δὲ οὗτοι σ' οἱ καταβάντες ἐν ταῖς ἡμέραις Ἰάρεδ εἰς κορυφὴν τοῦ Ἑρμονιεὶμ ὄρους. Καὶ ἐκάλεσαν τὸ ὄρος Ἑρμὼν, καθότι ὤμοσαν καὶ ἀνεθεμάτισαν ἀλλήλους ἐν αὐτῷ. Καὶ ταῦτα τὰ ὀνόματα τῶν ἀρχόντων αὐτῶν.

Α Σεμιξᾶς ὁ ἄρχων αὐτῶν.	ΙΑ. Φαρμαρός.
Β Ατααρκούφ,	ΙΒ. Ἀμαριήλ.
Γ Αραχιήλ.	ΙΓ Αναγημάς.
Δ Χαβαβιήλ.	ΙΔ Θαυσαήλ.
Ε Ορραμμαμή:	ΙΕ Σαμιήλ.
Ζ Ραμιήλ.	ΙΖ Σαρινάς.
Ζ Σαψίχ.	ΙΣ Ευμιήλ.
Η Σακιήλ.	ΙΗ Τυριήλ.
Θ Βαλκιήλ.	ΙΘ Ιουμιήλ.
Ι Ἀζαλζήλ.	Κ Σαριήλ.

Οὗτοι καὶ οἱ λοιποὶ πάντες, ἐν τῷ αρι' ἔτει τοῦ κόσμου ἔλαβον ἑαυτοῖς γυναῖκας, καὶ ἤρξαντο μιαίνεσθαι ἐν αὐταῖς, ἕως τοῦ κατακλυσμοῦ, καὶ ἔτεκον αὐτοῖς γένη τρία. Πρῶτον γίγαντας μεγάλους. Οἱ δὲ γίγαντες ἐτέκνωσαν Ναφηλείμ. Καὶ τοῖς Ναφηλεὶμ ἐγεννήθησαν Ἐλιούδ. Καὶ ἦσαν αὐξανόμενοι κατὰ τὴν μεγαλειότητα αὐτῶν Καὶ ἐδίδαξαν ἑαυτοὺς καὶ τὰς γυναῖκας ἑαυτῶν φαρμακείας καὶ ἐπαοιδίας. Πρῶτος Ἐξαὴλ ὁ δέκατος τῶν ἀρχόντων ἐδίδαξε ποιεῖν μαχαίρας καὶ θώρακας καὶ πᾶν σκεῦος πολεμικὸν, καὶ τὰ μέταλλα τῆς γῆς

καὶ τὸ χρυσίον πῶς ἐργάσωνται καὶ ποιήσωσιν αὐτὰ κόσμια ταῖς γυναιξὶ καὶ τὸν ἄργυρον. ἐδίδαξεν καὶ αὐτοὺς καὶ τὸ στίλβειν καὶ τὸ καλλωπίζειν καὶ τοὺς ἐκλεκτοὺς λίθους καὶ ἐποίησαν ἑαυτοῖς οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων καὶ ταῖς θυγατράσιν αὐτῶν. Καὶ παρέβησαν ** καὶ ἐπλανήσαντο τοὺς ἁγίους. καὶ ἐγένετο ἀσέβεια πολλὴ καὶ ἠφάνισαν τὰς ὁδοὺς αὐτῶν. Ἔτι δὲ καὶ ὁ πρώταρχος αὐτῶν Σεμιαζᾶς ἐδίδαξεν εἶναι * ὀργὰς κατὰ τοῦ νοὸς καὶ ῥίζας βοτανῶν τῆς γῆς. Ὁ δὲ ια Φαρμαρὸς ἐδίδαξε φαρμακείας, ἐπαοιδίας, σοφίας καὶ ἐπαοιδῶν λυτήρια. Ὁ θ ἐδίδαξεν ἀστροσκοπίαν. ὁ δὲ τέταρτος ἐδίδαξεν ἀστρολογίαν. ὁ δὲ η ἐδίδαξεν ἀεροσκοπίαν. ὁ δὲ τρίτος ἐδίδαξε τὰ σημεῖα τῆς γῆς. ὁ δὲ ζ ἐδίδαξεν τὰ σημεῖα τῆς σελήνης. Πάντες οὗτοι ἤρξαντο ἀνακαλύπτειν τὰ μυστήρια ταῖς γυναιξὶν αὐτῶν καὶ τοῖς τέκνοις αὐτῶν. Μετὰ δὲ ταῦτα ἤρξαντο οἱ γίγαντες κατεσθίειν τὰς σάρκας τῶν ἀνθρώπων. Καὶ ἤρξαντο οἱ ἄνθρωποι ἐλαττοῦσθαι ἐπὶ τῆς γῆς. οἱ δὲ λοιποὶ ἐβόησαν εἰς τὸν οὐρανὸν περὶ τῆς κακώσεως αὐτῶν, λέγοντες εἰσενεχθῆναι τὸ μνημόσυνον αὐτῶν ἐνώπιον αὐτοῦ. Καὶ ἀκούσαντες οἱ δ μεγάλοι ἀρχάγγελοι μιχαὴλ καὶ ῥαφαὴλ καὶ γαβριὴλ καὶ οὐριὴλ, παρέκυψαν ἐπὶ τῆς γῆς ἐκ τῶν ἁγίων τοῦ οὐρανοῦ. Καὶ θεασάμενοι αἷμα πολὺ, ἐκκεχυμένον ἐπὶ τῆς γῆς καὶ πᾶσαν ἀσέβειαν καὶ ἀνομίαν γενομένην ἐπ' αὐτῆς, εἰσελθόντες εἶπον πρὸς ἀλλήλους, ὅτι πνεύματα καὶ αἱ ψυχαὶ τῶν ἀνθρώπων στενάζουσιν ἐντυγχάνοντα καὶ λέγοντα ὅτι εἰσαγάγετε τὴν δέησιν πρὸς τὸν ὕψιστον καὶ τὴν ἀπώλειαν ἡμῶν. Καὶ προσελθόντες οἱ τέσσαρες ἀρχάγγελοι εἶπον τῷ κυρίῳ, Σὺ εἶ θεὸς τῶν θεῶν καὶ κύριος τῶν κυρίων καὶ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, καὶ θεὸς τῶν ἀνθρώπων, καὶ ὁ θρόνος τῆς δόξης σου εἰς πάσας τὰς γενεὰς τῶν αἰώνων, καὶ τὸ ὄνομά σου ἅγιον καὶ εὐλογημένον εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας. Σὺ γὰρ εἶ ὁ ποιήσας τὰ πάντα καὶ πάντων τὴν ἐξουσίαν ἔχων καὶ πάντα ἐνώπιόν σου φανερὰ καὶ ἀκάλυπτα, καὶ πάντα ὁρᾷς καὶ οὐκ ἔστιν ὃ κρυβῆναί σε δύναται. ὁρᾷς ὅσα ἐποίησεν ἐξαὴλ, ὅσα εἰσήνεγκεν καὶ ὅσα ἐδίδαξεν, ἀδικίας καὶ ἁμαρτίας ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ πάντα δόλον ἐπὶ τῆς ξηρᾶς. ἐδίδαξε γὰρ τὰ μυστήρια καὶ ἀπεκάλυψε τῷ αἰῶνι τὰ ἐν οὐρανῷ. Ἐπιτηδεύουσι δὲ τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτοῦ εἰδέναι τὰ μυστήρια. οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων τῷ Σεμιαζᾷ τὴν ἐξουσίαν ἔδωκας ἔχειν τῶν σὺν αὐτῷ ἅμα ὄντων καὶ ἐπορεύθησαν πρὸς τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων τῆς γῆς, καὶ συνεκοιμήθησαν μετ' αὐτῶν καὶ ἐν θηλείαις ἐμιάνθησαν καὶ ἐδήλωσαν αὐταῖς πάσας τὰς ἁμαρτίας καὶ ἐδίδαξαν αὐτὰς μίσητρα ποιεῖν. καὶ νῦν ἰδοὺ αἱ θυγατέρες τῶν ἀνθρώπων ἔτεκον ἐξ αὐτῶν υἱοὺς γίγαντας. Κίβδηλα ἐπὶ τῆς γῆς τῶν ἀνθρώπων ἐκκέχυται καὶ ὅλη ἡ γῆ ἐπλήσθη ἀδικίας. Καὶ νῦν ἰδοὺ τὰ πνεύματα τῶν ψυχῶν τῶν ἀποθανόντων ἀνθρώπων ἐντυγχάνουσι, καὶ μέχρι τῶν πυλῶν τοῦ οὐρανοῦ ἀνέβη ὁ στεναγμὸς αὐτῶν, καὶ οὐ δύναται ἐξελθεῖν ἀπὸ προσώπου τῶν ἐπὶ τῆς γῆς γενομένων ἀδικημάτων, καὶ σὺ αὐτὰ οἶδας πρὸ τοῦ αὐτὰ γενέσθαι. καὶ ὁρᾷς αὐτοὺς καὶ ἐᾷς αὐτοὺς καὶ οὐδὲν λέγεις τί δεῖ ποιῆσαι αὐτοὺς περὶ τούτου. τότε ὁ ὕψιστος εἶπεν, καὶ ὁ ἅγιος ὁ μέγας ἐλάλησε καὶ ἔπεμψε τὸν οὐριὴλ πρὸς τὸν υἱὸν λάμεχ, Πορεύου πρὸς τὸν Νῶε, καὶ εἰπὸν αὐτῷ τῷ ἐμῷ ὀνόματι, κρύψον σεαυτὸν καὶ δήλωσον αὐτῷ τέλος ἐπερχόμενον, ὅτι ἡ γῆ ἀπόλλυται πᾶσα. Καὶ εἰπὸν αὐτῷ ὅτι κατακλυσμὸς μέλλει γίνεσθαι πάσης τῆς γῆς ἀπολέσαι πάντα ἀπὸ προσώπου τῆς ξηρᾶς. Δίδαξον τὸν δίκαιον τί ποιήσει, τὸν υἱὸν λάμεχ. καὶ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ εἰς ζωὴν συντηρήσει, καὶ ἐκφεύξεται δι' αἰῶνος καὶ ἐξ αὐτοῦ φυτευθήσεται φύτευμα, καὶ σταθήσεται εἰς πάσας τὰς γενεὰς τοῦ αἰῶνος. Καὶ τῷ ῥαφαὴλ εἶπεν, Πορεύου ῥαφαὴλ καὶ δῆσον τὸν ἐξαὴλ, χερσὶ καὶ ποσὶ συμπόδισον αὐτὸν καὶ ἔμβαλε αὐτὸν εἰς τὸ σκότος. Καὶ ἄνοιξον τὴν ἔρημον τὴν οὖσαν ἐν τῇ ἐρήμῳ Δουδαὴλ. Καὶ ἐκεῖ πορευθεὶς βάλε αὐτὸν, καὶ ὑπόθες αὐτῷ λίθους ὀξεῖς καὶ λίθους τραχεῖς καὶ ἐπικάλυψον αὐτῷ σκότος, καὶ οἰκησάτω ἐκεῖ εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ τὴν ὄψιν αὐτοῦ πώμασον, καὶ φῶς μὴ θεωρείτω καὶ ἐν ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως ἀπαχθήσεται εἰς τὸν ἐμπυρισμὸν τοῦ πυρός. Καὶ ἴασαι τὴν γῆν, ἣν ἠφάνισαν οἱ ἐγρήγοροι καὶ τὴν ἴασιν τῆς γῆς δήλωσον, ἵνα ἰάσωνται τὴν πληγὴν, καὶ μὴ ἀπόλωνται πάντες οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων, ἐν τῷ μυστηρίῳ, ὃ εἶπον οἱ ἐγρήγοροι καὶ ἐδίδαξαν τοὺς υἱοὺς αὐτῶν, καὶ ἠρημώθη πᾶσα ἡ γῆ ἐν τοῖς ἔργοις τῆς διδασκαλίας ἐξαὴλ. Καὶ ἐπ' αὐτῇ γράψον πάσας τὰς ἁμαρτίας. Καὶ πρὸς τὸν Γαβριὴλ εἶπεν, πορεύου Γαβριὴλ ἐπὶ τοὺς γίγαντας ἐπὶ τοὺς κιβδήλους, ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς πορνείας καὶ ἀπόλεσον τοὺς υἱοὺς τῶν ἐγρηγόρων, ἀπὸ τῶν υἱῶν τῶν ἀνθρώπων. Πέμψον αὐτοὺς

τοὺς εἰς ἀλλήλους, ἐξ αὐτῶν εἰς αὐτοὺς ἐν πολέμῳ, ἐν ἀπωλείᾳ. Καὶ μακρότης ἡμερῶν καὶ πᾶσα ἐρώτησις οὐκ ἔστι τοῖς πατράσιν αὐτῶν, ὅτι ἐλπίζουσι ζῆσαι ζωὴν αἰώνιον καὶ ὅτι ζήσεται ἕκαστος αὐτῶν ἔτη φ΄. Καὶ πρὸς τὸν Μιχαὴλ εἶπεν, Πορεύου Μιχαὴλ, δῆσον Σεμιξᾶν, καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς σὺν αὐτῷ τοὺς συμμιγέντας ταῖς θυγατράσι τῶν ἀνθρώπων τοῦ μιανθῆναι ἐν αὐταῖς ἐν τῇ ἀκαθαρσίᾳ αὐτῶν. Καὶ ὅταν κατασφαγῶσιν οἱ υἱοὶ αὐτῶν καὶ ἴδωσι τὴν ἀπώλειαν τῶν ἀγαπητῶν αὐτῶν, δῆσον αὐτοὺς ἐπὶ ο γενεὰς εἰς τὰς νάπας τῆς γῆς. μέχρι ἡμέρας τῆς κρίσεως αὐτῶν, μέχρι ἡμέρας τελειώσεως τελεσμοῦ, ἕως συντελεσθῇ κρίμα τοῦ αἰῶνος τῶν αἰώνων. Τότε ἀπενεχθήσονται εἰς τὸ χάος τοῦ πυρὸς, καὶ εἰς τὴν βάσανον καὶ εἰς τὸ δεσμωτήριον τῆς συγκλείσεως τοῦ αἰῶνος. Καὶ ὃς ἂν κατακριθῇ καὶ ἀφανισθῇ ἀπὸ τοῦ νῦν μετ' αὐτῶν δεθήσονται μέχρι τελειώσεως γενεᾶς αὐτῶν.

Καὶ μεθ' ἕτερα.

Καὶ νῦν οἱ γίγαντες γεννηθέντες ἀπὸ πνευμάτων καὶ σαρκὸς, πνεύματα πονηρὰ ἐπὶ τῆς γῆς καλέσουσιν αὐτούς. ὅτι ἡ κατοίκησις αὐτῶν ἔστιν ἐπὶ τῆς γῆς. Πνεύματα πονηρὰ ἔσονται, τὰ ἐξεληλυθότα ἀπὸ τοῦ σώματος τῆς σαρκὸς αὐτῶν, διότι ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων ἐγένοντο καὶ ἐκ τῶν ἐγρηγόρων. ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως αὐτῶν καὶ ἀρχὴ θεμελίου πνεύματα πονηρὰ ἐπὶ τῆς γῆς ἔσονται. Τὰ πνεύματα τῶν γιγάντων νεμόμενα, ἀδικοῦντα, ἀφανίζοντα, ἐμπίπτοντα καὶ συμπαλαίοντα, καὶ ῥιπτοῦντα ἐπὶ τῆς γῆς καὶ δρόμους ποιοῦντα καὶ μηδὲν ἐσθίοντα ἀλλὰ ἀσιτοῦντα καὶ φάσματα ποιοῦντα καὶ διψῶντα καὶ προσκόπτοντα. Καὶ ἐξαναστήσονται τὰ πνεύματα ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν γυναικῶν, ὅτι ἐξ αὐτῶν ἐξεληλύθασι. Καὶ ἀπὸ ἡμέρας καιροῦ σφαγῆς καὶ ἀπωλείας καὶ θανάτου τῶν γιγάντων, Ναφιλεὶμ, οἱ ἰσχυροὶ τῆς γῆς, οἱ μεγάλοι, ὀνομαστοὶ, τὰ πνεύματα, τὰ ἐκπορευόμενα ἀπὸ τῆς ψυχῆς αὐτῶν, ὡς ἐκ τῆς σαρκὸς, ἔσονται ἀφανίζοντα χωρὶς κρίσεως. Οὕτως ἀφανίσουσι μέχρις ἡμέρας τῆς τελειώσεως, ἕως τῆς κρίσεως τῆς μεγάλης. ἐν ᾗ ὁ αἰὼν ὁ μέγας ἐφάπαξ ὁμοῦ τελεσθήσονται.

Καὶ αὖθις,

Περὶ δὲ τοῦ ὄρους, ἐν ᾧ ὤμοσαν καὶ ἀνεθεμάτισαν πρὸς τὸν πλησίον αὐτῶν, ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα οὐ μὴ ἀποστῇ ἀπ' αὐτοῦ ψῦχος καὶ χιὼν καὶ πάχνη, καὶ δρόσος οὐ μὴ καταβῇ εἰς αὐτὸ, εἰ μὴ εἰς κατάρας καταβήσεται ἐπ' αὐτὸ μέχρις ἡμέρας κρίσεως τῆς μεγάλης· ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ κατακαυθήσεται καὶ ταπεινωθήσεται. Καὶ ἔσται καταιζόμενον καὶ τηκόμενον ὡς κηρὸς ἀπὸ πυρός. Οὕτως κατακαήσεται περὶ πάντων τῶν ἔργων αὐτῶν. Καὶ νῦν ἐγὼ λέγω ὑμῖν υἱοῖς ἀνθρώπων, ὀργὴ μεγάλη καθ' ὑμῶν, κατὰ τῶν υἱῶν ὑμῶν· Καὶ ἀπολοῦνται οἱ ἀγαπητοὶ ὑμῶν καὶ ἀποθανοῦνται οἱ ἔντιμοι ὑμῶν ἀπὸ πάσης τῆς γῆς· ὅτι πᾶσαι αἱ ἡμέραι τῆς ζωῆς αὐτῶν ἀπὸ τοῦ νῦν οὐ μὴ ἔσονται πλείω τῶν ρκ ἐτῶν· Καὶ μὴ δόξητε ἔτι ζῆσαι ἐπὶ πλείονα ἔτη. Οὐ γάρ ἐστιν ἐπ' αὐτοῖς πᾶσα ὁδὸς ἐκφεύξεως ἀπὸ τοῦ νῦν, διὰ τὴν ὀργὴν, ἣν ὠργίσθη ὑμῖν ὁ βασιλεὺς πάντων τῶν αἰώνων. Μὴ νομίσητε ὅτι ἐκφεύξεσθε ταῦτα. id eſt.

Et factum eſt, quando multiplicati erant filii hominum, nata ſunt ipſis filiæ ſpecioſæ. Et concupiverunt eas Egregori & ſeducti ſunt poſt eas & dixerunt ad invicem, Eligamus nobis uxores è filiabus hominum terræ. Et ait Semiexas princeps eorum ad eos, Metuo, ut ne velitis facere rem hanc & ero ego ſolus debitor magni peccati. Et reſponderunt ipſi omnes & dixerunt: Iuremus omnes juramento & devoveamus invicem, non avertere mentem hanc, donec eam confecerimus. Tunc omnes jurarunt ſimul & devoverunt invicem. Erant autem hi 200. qui deſcenſum fecerunt in diebus Iared, in verticem montis Hermonim. Et vocarunt montem Hermon, quia juraverant & devoverant ſe invicem in illo. Et hæc ſunt nomina principum eorum:

I.	Semixas princeps eorum	XI.	Pharmarus.
II.	Atarcuph.	XII.	Amariel.
III.	Araciel.	XIII.	Anagemas.
IV.	Chababiel.	XIV.	Thauſael.
V.	Orammame.	XV.	Samiel.
VI.	Ramiel.	XVI.	Sarinas.
VII.	Sapſich.	XVII.	Eumiel.
VIII.	Baciel.	XVIII.	Tyriel.
IX.	Balciel.	XIX.	Jamiel.
X.	Azalzel.	XX.	Sariel.

*Hi & reliqui omnes, in anno MCLXX. mundi acceperunt ſibi uxores & cœperunt pollui in illis, uſque ad inundationem, & pepererunt ipſis tria genera. Primum Gigantas magnos. gigantes autem genuerunt Naphilim & Naphilim editi ſunt Eliud. Et augebantur ſecundum magnitudinem ſuam. Et docuerunt ſe invicem & uxores ſuas, veneficia & incantationes. Primus Exael, decimus principum docuit facere macharas & thoracas & omne inſtrumentum bellicum: & metalla terra, & aurum quomodo operaturi eſſent & facerent ornamenta uxoribus & argentum. Docuit etiam eos & ſplendidare & decorare & electas gemmas, & fecerunt ſibi filii hominum & filiabus ſuis. Et tranſgreſſi ſunt, ** & ſeduxerunt ſanctos. Et facta eſt multa impietas ſuper terra & exterminarunt vias ſuas. Porro etiam primus princeps eorum Semiaxas docuit eſſe ** iras in mente & radices herbarum terra. Vndecimus autem Pharmarus docuit veneficia, carmina, ſapientiam & carminum ſolutiva. Nonus docuit aſtriſpicium. Quartus autim docuit aſtrologiam. Octavus docuit aeriſpicium. Tertius docuit ſigna interra. Septimus docuit ſigna Luna. Omnes hi cœperunt retegere myſteria mulieribus & liberis eorum. Poſt hac cœperunt gigantes devorare carnes hominum & cœperunt homines minui in terra. Reliqui clamarunt ad cœlum ob afflictionem eorum, dicentes, ut introduceretur memoria eorum coram ipſo. Audito autem, quatuor magni archangeli, Michael & Rhaphael & Gabriel & Vriel deſpexerunt in terram è ſanctuario cœli. Viſoque ſanguinem multum effuſum ſuper terra & omnem impietatem & iniquitatem factam ſuper ipſa, ingreſſi dixerunt ad invicem, Spiritus & animæ hominum ſuſpirant interpellantia & dicentia, introducite petitionem noſtram ad altiſſimum & exitium noſtrum. Et accedentes quatuor archangeli dixerunt Domino: Tu es Deus deorum & dominus dominorum & rex regnantium & Deus hominum, & thronus gloria tua in omnes generationes ſeculorum & nomen tuum ſanctum & benedictum in omnia ſecula. Tu enim feciſti omnia & omnium poteſtatem habes & omnia manifeſta coram te & retecta & omnia vides, & nemo te latere poteſt. Vides qua fecit Exael, qua introduxit & qua docuit, injuſtitias & peccata ſuper terra & omnem dolum ſuper arida. Docuit enim myſteria & retexit mundo, qua in cœlo. Affectant autem ſtudia ejus ſcire, illa myſteria. Filii hominum Semixa dederunt poteſtatem habere eorum qui ſimul cum ipſo erant & profecti ſunt ad filias hominum terra & dormiverunt cum ipſis & fœminis polluti ſunt & manifeſtarunt ipſis omnia peccata & docuerunt eas ſcelerata* (lego μωρητεὰ non μισητεὰ) *facere. Et nunc ecce filia hominum pepererunt ex ipſis filios Gigantas. Vitioſa ſuper terra hominum effuſa ſunt & tota terra repleta eſt injuſtitia. Et nunc ecce ſpiritus animarum hominum defunctorum interpellant & uſque ad portas cœli aſcendit ſuſpirium eorum & non poteſt exire à facie iniquitatum, qua ſuper terra ſiunt & tu ea noveras antequam fierent. Et vides ipſos & ſinis ipſos & non dicis quid oporteat ipſos facere de hoc. Tunc Altiſſimus dixit & ſanctus magnus locutus eſt & miſit Vriel ad filium Lamech, dicens, Vade ad Noë & dic ipſi meo nomine, —— & indica ipſi finem ſuperventurum, quod tota terra interitura ſit: Et dic ipſi inun-*

innundationem fere univerſa terræ, perdituram omnia à facie aridæ. Doce juſtum, quod ipſum oporteat facere, filium Lamech. Et animam ſuam in vita conſervabit & effugiet in ſeculum & ex ipſo complantabitur germen & ſtabilietur in omnes generationes mundi. Et Rhaphaeli dixit, Vade Rhaphael & vinci Exaelem, manibus & pedibus compedi ipſum & injice ipſum in tenebras. Et aperi eremum, qua eſt in eremo Dodoël & illuc profectus conjice ipſum & ſubde lapides acutos & lapides aſperos & cooperi ipſi tenebras, & commoretur illic in ſeculum & obtutum ipſius obtege & lucem non videat & in die judicii abducetur in incendium ignis. Et ſana terram, quam exterminarunt Egregori & ſanationem terra indica, ut ſanent plagam & non intereant omnes filii hominum myſterio, quod dixerunt Egregori & docuerunt filios eorum & deſolata eſt omnis terra in operibus doctrinæ Exaelis. Et ſuper ipſa ſcribe omnia peccata. Et ad Gabrielem dixit, Vade Gabriel ad Gigantas, ad vitioſos, ad filios fornicationis & perde filios Egregororum è filiis hominum. Mitte eos invicem ex ipſis in ipſos in bello, in exitio, Et longitudo dierum & omnis interrogatio non erit patribus eorum, quod ſperant vitam vivere æternam & quod unuſquiſque eorum victurus ſit annis 500. Et ad Michaëlem dixit, Vade Michael, vinci Semixam & alios cum illo, mixtos filiabus hominum ut polluerentur in ipſis in impuritate ſua. Et ubi perempti fuerint filii eorum & viderint interitum dilectorum ſuorum, vinci eos in ſeptuaginta generationes in convallibus terra uſque diem judicii eorum, uſque diem conſummationis finis, donec completum fuerit judicium ſeculi ſeculorum. Tunc abducentur in voraginem ignis & in cruciatum, & in carcerem concluſionis ſeculi. Et quicunque condemnatus & exterminatus fuerit, à modo cum ipſis conjicietur uſque conſummationem generationis eorum.

Et poſt alia.

E*T nunc Gigantes nati è Spiritibus & carne, ſpiritus malos ſuper terra vocabunt ipſos. Quoniam habitatio eorum eſt ſuper terra. Spiritus mali erunt, Spiritus egreſſi è corpore carnis eorum, propterea quod ex hominibus orti ſint & Egregoris. Principium conditus eorum & principium fundamenti Spiritus mali in terra erunt. Spiritus gigantum paſcentes, cadentes, exterminantes, & colluctantes & jactantes ſuper terra & curricula facientes & nihil edentes ſed famentes & phaſmata facientes & ſitientes & offendentes. Et inſurgent Spiritus in filios hominum & mulierum, quia ex ipſis egreſſi ſunt. Et à die temporis peremptionis & exilii & mortis gigantum, Naphilim, validi terra & magni, celebres, ſpiritus egredientes ex anima eorum, ut è carne, erunt exterminantes ſine judicio. Ita exterminabunt uſque diem conſummationis, uſque judicium magnum. In quo ævum magnum ſemel conſummabitur.*

Et rurſum.

Q*Vantum vero montem attinet, in quo jurarunt & anathematizarunt inter ſe, in ſeculum non diſcedat ab eo frigus, & nix & pruina & ros non deſcendat in ipſum, ſi non in maledictionem deſcendet in ipſum, uſque diem judicii magni, in tempore illorum comburetur & humiliabitur & erit commotus & liqueſcens ut cera ab igni. Sic comburetur propter omnia opera ipſorum. Et nunc ego dico vobis filiis hominum, ira magna adverſum vos & filios veſtros: & peribunt dilecti veſtri & morientur honorati veſtri ab omni terra, quia omnes dies vitæ ipſorum à modo non erunt plures CXX. annis. Et ne putetis vos eſſe victuros ad plures annos. Non enim eſt apud ipſos via effugii à modo ob iram, qua iratus eſt vobis rex omnium ſeculorum. Ne arbitremini, quod iſta ſitis evaſuri.*

Hoc

Hoc fragmentum eſt è putidiſſimo libro, quem ſub Enochi nomine impoſtores edidere, quique patrum ætate vulgò in manibus erat, ut & Hilarius teſtatur (Pſ. 132.) referens partem hujus fragmenti. Commenta & fabulas cudere proprium magis eſt Judæis, quam veteribus Græcis, præcipue illis, qui in oriente ſcripſerunt in ſcholis terræ Iſrael & Babyloniæ. Nam ſobrii præ illis ſunt, qui in occidente, poſtquam eo Judæorum literæ translatæ ſunt, libros compoſuerunt. Hi enim ad expoſitiones textus ſcripturæ ſacræ calamum converterunt, illi veteres in Palæſtina & Meſopotamia ritibus & moribus priſcis & antiquitatis fabuloſis nugamentis explicandis occupati fuerunt. Horum hominum & temporum fœtus eſt liber Henoch, quem conſtat ante Tertullianum & Clementem Alexandrinum fuiſſe in rerum natura: Angelos principes quatuor conſtituit, eorumque primum Michaëlem. Inter eos viginti δεκαδάρχας, qui inter ducentos angelos præfuêre, primum ponit שמחזאי decimum עזאל / qui vitioſe ſcribitur Ἀζαλζὴλ. In Jonathane videtur dici עזיאל. Hic maxime dicitur eſſe graſſatus in docendis vanitatibus & illicitis. Poteſtne aliquis hoc opus ſanctiſſimo viro Enoch imputare? Poteſtne aliquis arbitrari ex hoc libro primo vaticinium Enoch in epiſtola Judæ deſumptum eſſe? Liber Enoch, quicunque fuit, fuit prophetia ad homines ſui ſeculi, hic eſt hiſtoria ſeu potius fabula, quæ narrat ea, quæ ætas Enoch non attigit. Nam miſſum eſſe Urielem ad Noë, qui indicaret diluvium, imminens poſt annos 120. Conſtat Enoch è vivis abiiſſe anno M. C. 987. Noë natum eſſe anno M. C. 1056. id eſt annis 69 poſt obitum Enoch. Rurſum indicium factum eſt Noë futuræ inundationis & arcæ conſtruendæ anno M. C. 1936. id eſt annis 549. poſtquam Enoch eſſe in vivis deſiiſſet. Anne ſcripſit librum cum in cœlum eſſet tranſlatus, tranſmiſitque ad fabulatores? Hic liber ſequitur ratiocinia LXX. interpretum, dicens in diebus Jared, anno M. C. 1170. conjuraſſe deſectores angelos. Id enim aliter capi nequit, quàm ante Enoch ortum id factum eſſe. Si enim poſt Enoch genitum eveniſſe velit, cur eum excluſit? Exiſtimat tamen Joſephus Scaliger locum Judæ de angelis prævaricatoribus (v. 6.) ex hoc fragmento excerptum eſſe. *Rurſus illa* (inquit) Πορίνς Μιχαὴλ, δῆσον Σεμιαζὰν &c. *omninò pertinent ad comma VI. Epiſtola Iuda*, Ἀγγέλυς τὲς μὴ τηρήσαντας &c. Atqui oſtendimus non pertinere. Ex eo libro multa Tertullianus, qui magni facit, ut intelleximus. Libro de habitu mulierum: *Nam & illi*, inquit, *qui ea conſtituerunt, damnati in pœnam mortis deputantur: illi ſcilicet angeli, qui ad filias hominum de cælo ruerunt, ut hac quoque ignominia femina accedat. Nam cum & materias quaſdam benè occultas & artes pleraſque non bene revelatas ſeculo multò magis imperito prodidiſſent (ſi quidem & metallorum opera nudaverant & herbarum ingenia traduxerant & incantationum vires provulgaverant & omnem curioſitatem uſque ad ſtellarum interpretationem deſignaverant) propriè & quaſi peculiariter feminis inſtrumentum illud muliebris gloria contulerunt: lumina lapillorum, quibus monilia variantur: & circulos ex auro, quibus brachia artantur: & medicamenta ex fuco, quibus lana colorantur: & illum ipſum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur.* Item de cultu feminarum: *Per angelos autem peccatores demonſtrata ſunt, qui & ipſas materias prodiderunt & operoſitas cum raritate commiſſa pretioſitate ex ea libidine poſſidenda pretioſitatis feminarum. Quod iidem angeli, qui & materias hujuſmodi illecebras detexerunt, aurum dico & argentum illuſtrium & opera eorum tradiderunt etiam calliblepharum vellerumque tincturas inter cætera docuerunt, damnati à Deo ſunt, ut refert Enoch.* In lib. de Idololat. *Anteceſſerat enim hoc prædicens, omnia elementa, omnem* mundi ſenſum, quæ cælo, quæ mari, quæ terra continentur in idololatriam verſuros dæmonas

nas & Spiritus deſertorum angelorum, ut pro Deo adverſus Dominum conſecrarentur. Iterum: *Denique idem Enoch ſimul & cultores idoli & fabricatores in comminatione prædamnat: Et rurſus: juro vobis peccatores, quod in diem ſanguinis perditionis pœnitentia parata eſt. Qui ſervitis lapidibus & qui imagines facitis aureas & argenteas ligneas & lapideas & fictiles & ſervitis phantaſmatibus & dæmoniis & ſpiritibus* infamis & omnibus erroribus non ſecundum ſcientiam, nullum ab eis invenietis *auxilium*. Infra: *Hæc igitur* ab initio prævidens Spiritus S. etiam oſtia in ſuperſtitionem ventura præcecinit per antiquiſſimum propheten Enoch. Hæc Tertullianus. Pauca ex eo libro notavit Clemens in Eclogis ἐκ τῶν προφητικῶν Theodoti; ὁμοδοξῶν τῷ ἐνώχ, τῷ εἰρηκότι, καὶ εἶδον τὰς ὕλας πάσας. Item: ἤδη δὲ καὶ ἐνὼχ φησὶν τοὺς παραβάντας ἀγγέλους διδάξαι τοὺς ἀνθρώπους ἀστρονομίαν καὶ μαντικὴν καὶ τὰς ἄλλας τέχνας. Veteres Chriſtiani angelos appellabant ἐγρηγόρους. Clemens idem lib. 2. pædagogi cap. 9. Μακάριοι γὰρ οἱ ἐγρηγορότες εἰς αὐτόν, σφᾶς αὐτοὺς ἀπεικάζοντες ἀγγέλοις, οὓς ἐγρηγόρους καλοῦμεν. Angeli apud Danielem cap. IV. vocantur עִירִין & קַדִּישִׁין. Rabbi Saadia Gaon in cap. IV. Dan. v. 13. והנה בת קול מתעוררת מן הקדש מן האויר וירדת לקצץ האילן: פ״א עיר וקדוש מלאך אכזר וקדוש עיר מחריב וכן ערו *Ecce filia vocis excitans ſe de ſanctuario, & aere ad exſcindendum arborem. Exp. A. Vigil & ſanctus, angelus atrox & ſanctus, vigil vaſtator, & ſic vigilant.* Aben-Eſdras: מלאך ורבי משה אמר שאיננו גוף והוא ער תמיד ולא ישן *Et R. Moſe dicit, quod non ſit corpus; ipſe vigilat ſemper & non dormit.* Uterque notat eorum decretum eſſe ex præcepto & ore Dei. Saadias. ככה גזרו שהם משרתי השם כאשר צום, *Sic decernunt, quia ſunt miniſtri Dei, quemadmodum præcepit ipſis.* Eſdras: מלאכי אף וחימה הקדושי שגוזרין מפי הקבה *Angeli faciei & iræ ſancti, qui decernunt ex ore benedicti.* Ipſorum decretum eſt, quia ipſius Dei, quia approbant & promptiſſime exſequuntur. Illud עִיר apud Danielem LXX. ἄγγελος verterant, at Theodotio (cujus verſionem in Græcis Bibliis legimus) ipſum chaldaicum verbum εἲρ poſuit. Aquila & Symmachus reddiderunt ἐγρήγορος. De illo Εἲρ, quod apud Theodotionem habemus ita Scholion: τὸ εἲρ οὐδὲν ἕτερον ἢ ἐγρηγορὰς καὶ ἄγρυπνος ἑρμηνεύεται. Hinc igitur Angeli cuſtodes & præfecti rebus humanis ἐγρήγοροι vocati ſunt. Eoſque cecidiſſe opinio fuit antiquis illis Patribus. Juſtinus Apolog. I. Ὁ θεὸς τὸν πάντα κόσμον ποιήσας καὶ τὰ ἐπίγεια ἀνθρώποις ὑποτάξας καὶ τὰ οὐράνια στοιχεῖα εἰς αὔξησιν καρπῶν καὶ ὡρῶν μεταβολαῖς κοσμήσας καὶ θεῖον τοῦτον νόμον τάξας, ἃ καὶ αὐτὰ δι᾽ ἀνθρώπους φαίνεται πεποιηκὼς τὴν μὲν τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν πρόνοιαν ἀγγέλοις, οὓς ἐπὶ τούτοις ἔταξε, παρέδωκεν. οἱ δ᾽ ἄγγελοι παραβάντες τήνδε τὴν τάξιν, γυναικῶν μίξεσιν ἡττήθησαν καὶ παῖδας ἐτέκνωσαν, οἵ εἰσιν οἱ λεγόμενοι δαίμονες. καὶ προσέτι λοιπὸν τὸ ἀνθρώπειον γένος ἑαυτοῖς ἐδούλωσαν, τὰ μὲν διὰ μαγικῶν γραφῶν, τὰ δὲ διὰ φόβων καὶ τιμωριῶν ἐπέφερον, τὰ δὲ διὰ διδαχῆς θυμάτων καὶ θυμιαμάτων καὶ σπονδῶν, ὧν ἐνδεεῖς γεγόνασι μετὰ τὸ πάθεσιν ἐπιθυμιῶν δουλωθῆναι. καὶ εἰς ἀνθρώπους φόνους πολέμους μοιχείας, ἀκολασίας καὶ πᾶσαν κακίαν ἔσπειραν. Lactantius his ſimilia tradit, quibuſdam adjectis lib. 2. de origine erroris: *Cum ergo numerus hominum cœpiſſet increſcere, providens Deus, ne fraudibus ſuis Diabolus, cui ab initio terræ dederat poteſtatem, vel corrumperet vel diſpergeret homines, quos in exordio rerum fecerat, miſit angelos ad tutelam cultumque generis humani, quibus quia liberum arbitrium erat datum, præcepit ante omnia, ne terræ contagione maculati, ſubſtantiæ cæleſtis amitterent dignitatem. ſcilicet id eos facere prohibuit, quod ſciebat eſſe facturos, ut veniam ſperare non poſſent. Itaque illos cum hominibus commorantes dominator ille terræ fallaciſſimus conſuetudine ipſa paulatim ad vitia pellexit & mulierum congreſſibus inquinavit. Tum in cælum ob peccata, quibus ſe immerſerant, non recepti, ceciderunt in terram. ſic eos Diabolus, ex angelis Dei ſuos fecit ſatellites ac miniſtros,*

ſtros. Qui autem ſunt ex his procreati; quia neque homines fuerunt, ſed mediam quandam naturam gerentes, non ſunt ad inferos recepti, ſicut in cælum parentes eorum. Ita duo genera dæmonum facta ſunt, unum cæleſte, alterum terrenum. Hi ſunt immundi ſpiritus malorum, quæ geruntur, authores, quorum idem Diabolus eſt princeps. Vnde Triſmegiſtus illum Δαιμονιάρχην vocat. Ab hoc utroque genere dæmonum cultum idolorum profectum eſſe ambo aſſerunt. Cedrenus non eſt abreptus in eam ſententiam Patrum antiquorum, filios Dei de angelis accipientium, ſed ex oppoſito, ut miſceret fabulas libri Enoch cum veritate Moſis, egregoros interpretatur de filiis Seth. Eos dicit ita appellatos διὰ τὴν λαμψιν τοῦ προσώπου τοῦ Σὴθ Eos autem ἀγγελικῶς id eſt vitam angelorum ſimilem agitaſſe in ſublimioribus terræ Eden partibus. Sethum ipſum eoſque qui ab ipſo prognati ſunt, fuiſſe ἰνειδεῖς καὶ ἰνδιαπλάστους σφόδρα. Angelorum revelata plurima refert. Sethum quinquageſimo anno ætatis ſuæ raptum ab angelo, edoctumque de poſterorum ſuorum defectione, diluvio & adventu Servatoris. In hoc raptu quadraginta diebus ipſum egiſſe ἄφαντον. Cum autem rediiſſet, parentibus narraſſe, quæ didiciſſet. De Enocho dicit: οὗτος πρῶτος γράμματα μανθάνει καὶ διδάσκει καὶ θείων μυστηρίων ἀποκαλύψεως ἀξιοῦται. Adamum, reſipiſcentia finita, anno vitæ ſexcenteſimo, revelationem habuiſſe de Egregoris, diluvio, pœnitentia, incarnatione Dei & precibus ſingularum horarum, quas Uriel ad Deum deferat. De Enoch etiam ita refert: περιέχεται δὲ ἐν τῇ βίβλῳ τῶν ἀποκρύφων Ἐνὼχ, ὅτι Οὐριὴλ ὁ ἄγγελος ἐμήνυσε τῷ Ἐνὼχ, τί ἐστι μὴν καὶ τροπὴ καὶ ἐνιαυτὸς καὶ τὸν ἐνιαυτὸν ἔχειν νβ ἑβδομάδας. Fabulam Egregonorum ex libro Enoch interpolavit. Egregoros de filiabus Cain ſic genuiſſe Gigantas vaſtæ molis & truculentiſſimum hominum genus. De his ſic narrat: Οὓς καὶ δρακοντόποδάς τινες προσηγόρευσαν, ἢ ὡς τεθηριωμένους ταῖς γνώμαις καὶ μηδὲν ἀγαθὸν λογιζομένους ἢ ὥς τινες ἱστοροῦσιν ὅτι πόλεμον ἔχοντες μετά τινων οἰκούντων ἐν ὑψηλοῖς, εἶτα χερσὶ καὶ ποσὶ καὶ κοιλίαις ὡς δράκοντες ἀνέρποντες κατ' αὐτῶν, ὑφ' ὧν καὶ πολλοὶ πολλάκις ἀνωθοῦντο βαλλόμενοι δρακοντόποδες ἐκέκληντο. Τούτων οὐκ ὀλίγους μὲν σφαίραις πυρὸς ἤτοι κεραυνοῖς οὐρανόθεν ὁ ὕψιστος ἐξανάλωσε βαλὼν ἀνεπαισθήτους δὲ τοὺς περιλοίπους καὶ ἀδιορθώτους ἐπιμένοντας κατακλυσμῷ μετὰ ταῦτα τοὺς πάντας ἐξανάλωσεν ὁ θεός. Οὗτοι ὤμοσαν ἐν τῷ ὄρει τῷ Ἑρμονιεὶμ ἐκλέξασθαι γυναῖκας ἀπὸ τῶν υἱῶν τῶν ἀνθρώπων ἤγουν τῆς τοῦ Κάϊν γενεᾶς. Καὶ ἐκάλεσαν τὸ ὄρος Ἑρμὼν, καθότι ὤμοσαν καὶ ἀνεθεμάτισαν ἀλλήλους ἐν αὐτῷ. οὗτοι διδάσκουσι τὰς γυναῖκας αὐτῶν φαρμακείας καὶ ἐπαοιδίας. Καὶ πρῶτος, Ἀζαὴλ ὁ δέκατος ἄρχων αὐτῶν (καὶ γὰρ οἱ ἄρχοντες τῶν κατελθόντων διακόσιοι ἦσαν) ἐδίδαξεν αὐτοὺς ποιεῖν μαχαίρας καὶ θώρακας καὶ πᾶν σκεῦος πολεμικὸν καὶ τὰ ἐκ τῶν μετάλλων τῆς γῆς οἷον χρυσίον, ἀργύριον καὶ τὰ λοιπά. Καὶ ἕκαστος ὁμοίως, ὁ μὲν καλλωπισμὸν σώματος ὁ δὲ ἐκλεκτοὺς λίθους καὶ τὰ βαφικά ὁ δὲ ῥίζας βοτανῶν, ὁ δὲ σοφίας καὶ ἐπαοιδιῶν λυτήρια, ὁ δὲ ἀστρονομίαν καὶ ἀστροσκοπίαν, ἄλλος ἀστρολογίαν, ὁ δὲ ἀεροσκοπίαν, ὁ δὲ σημεῖα γῆς, ἄλλος ἡλίου καὶ σελήνης. Epiphanius etiam digitum intendit ad Enochi librum apocryphum, cum lib. 1. adv. hæreſes ſic loquitur: Ὡς δὲ ἡ παράδοσις ἡ εἰς ἡμᾶς ἐλθοῦσα, ἐντεῦθεν ἤρξατο ἡ κακομηχανία ἐν κόσμῳ γίνεσθαι, καὶ ἀπ' ἀρχῆς μὲν διὰ τῆς τοῦ Ἀδὰμ παρακοῆς. ἔπειτα δὲ διὰ τῆς τοῦ Κάϊν ἀδελφοκτονίας· νυνὶ δὲ ἐν χρόνοις τοῦ Ἰάρεδ καὶ ἐπέκεινα φαρμακεία καὶ μαγεία, ἀσέλγεια, μοιχεία τε καὶ ἀδικία. οὐ γνώμης ἑτέρας οὐ δόξα μεταλλαγμένη, ἀλλὰ μία γλῶσσα καὶ γένος ἐν ἐπὶ γῆς κατ' ἐκεῖνο καιροῦ ἐσπαρμένον. Impietatem & magiam invaluiſſe, non cultus idololatricos aut hæreſes dicit.

Speciosarum Forma Virginum Capti] Filii Dei, ſic appellati, quod eſſent de Eccleſia. Non tribuitur *illis honor*, inquit Calvinus, *ſed Dei gratiæ, quæ adhuc in illis domibus fulgebat. Nam quum de Filiis Dei loquitur ſcriptura aliquando ad externam vocationem ſecundum quam multi intus*

lupi

lapi ſunt: & quum reipſa ſint alieni, filiorum tamen obtinent nomen, donec abdicet eas Dominus. Imò tam honorifico titulo ingratitudinem illis exprobrat Moſes, quod relicto Patre cœleſti, tanquam transfugæ, ſe proſtituerint. Eccleſiæ myſtæ, οἱ μεμυημένοι, intra Dei fœdus nati, reſpexere formam filiarum Cain. Calvinus iterum: *Non damnat præciſe Moſes, ſpectatam fuiſſe formam in deligendis uxoribus, ſed quod mera libido regnaverit. Eſt autem res ſanctior conjugium, quam ut oculis ferri homines debeant ad voluptatem coitus. Et clarius exprimit Moſes, quam violentus fuerit libidinis impetus, quum dicit ſumpſiſſe ex omnibus, quæ placuerant: quo ſignificat non habitum fuiſſe delectum ex neceſſariis dotibus, ſed promiſcuè vagatos eſſe filios ſanctorum, quum pro ſua cupiditate ruerent. Docemur autem his verbis colendam eſſe temperantiam in ſancto conjugio: & ejus profanationem non leve crimen eſſe coram Deo. Neque enim hic reprehenditur ſcortatio in filiis ſanctorum ſed quod ſibi in uxoribus nimium indulſerint licentiæ. Et certè fieri non poteſt, quin temporis ſucceſſu degenerent filii Dei, quum ita eodem ſe jugo cum infidelibus implicant.*

GIGANTES] Scriptura non aſſerit Gigantes (Nephilim) editos eſſe è connubiis filiorum Dei & filiarum hominum: ſed aſſerit (Gen. 6. 4.) eà tempeſtate, qua filii Dei ſe cum mulieribus externi generis commiſcuere fuiſſe Gigantes in terra, & poſteà. Originem horum gigantum tacet, quin evidenter ſignificat non omnes ſaltem gigantes è filiorum Dei ſemine ortos fuiſſe. Si enim tum, cum primum Eccleſiæ homines thalamos iniêre cainitidum, Gigantes graſſabantur in terris & notiſſimi erant nominis, Gigantes ſane illis ortum non debent. Vocabulum Gigantium, non notat præciſe immanem molem corporum, נפילים/ ſed vim & ὕβριν. Judæi tamen ſic ferè exponunt ut & alii interpretes. Raſi: על שם שנפלו והפילו את העולם ובלשון עברית לשון ענקים הוא: *Nephilim dicti quod caderent & cadere facerent mundum: & in lingua Ebræa ſignificationem Gigantum vox habet.* Aben-Eſdras: *Expoſitio Nephilim:* ופי' נפילים שיפול לב הרואה אותם שיתמה מגובה קומתם *Quod concideret cor videntis eos, qui admirabatur præ altitudine ſtaturæ eorum.* Quod Gigantes dicantur fuiſſe *in diebus illis* id (*Abeneſd. & Raſi*) exponunt de tempore, quo jam filii Dei congreſſi erant cum filiabus Cain. Quod autem ſequitur, וגם אחרי כן id interpretantur de tempore poſt diluvium. Addit Abeneſdras: והנה בני ענק בתחלה היו ממשפחת בני האלהים. Filios Enak fuiſſe arbitratur è familia filiorum Dei. Nempe illa familia dæmonum ab aquis diluvii ſuperſtes manſit: Raſi primam temporis deſignationem explicat de generatione Enos & Cain. Alteram אף על פי שראו באבדן של דור אנוש שעלה ים אוקינוס והציף שליש העולם לא נכנע דור המבול ללמוד מהם: *Etiam quia viderunt perditionem generationis Enos, quod aſcenderit mare Oceanum & inundavit tertiam partem mundi, non humiliata eſt ætas diluvii ut diſceret ab eis.* Jelammedenu: מלמד שהיו רואין חמה ולבנה ועושין כשפים עליהם הוא שאמ' המה היו במורדי אור. המה היו הגבורים שהיו קשין ומורדין ומכשפים ואמרו לאל סור ממנו וגו' *Docens quod fuerint intuentes ſolem & Lunam & facientes incantamina ſuper illis Q. D. (Iob. 24, 13.) illi fuerunt in rebellibus lucis. Illi potentes qui fuerunt duri & rebelles & præſtigiatores & dixerunt Deo Recede à nobis &c.* Aquila οἱ ἐπιπίπτοντες. Symmachus οἱ βίαιοι. Joſephus rectè videtur interpretari ὑβριστὰς καὶ παντὸς ὑπερόπτας καλοῦ, διὰ τὴν ἐπὶ τῇ δυνάμει πεποίθησιν. Ὅμοια τοῖς ὑπὸ γιγάντων τετολμῆσθαι λεγομένοις ὑφ' Ἑλλήνων καὶ οὗτοι δράσαι παραδίδονται. Hos gigantas Moſes commemorat fuiſſe, הגבורים אשר מעולם / אנשי השם ἐκεῖνοι ἦσαν οἱ γίγαντες οἱ ἀπ' αἰῶνος, οἱ ἄνθρωποι οἱ ὀνομαστοί. Viri celebres nominis fama ab antiquo tempore, quod nomen ſibi comparaverint vi & armis. Exiſtimant quidam eruditi, horum famam, quæ & ad poſteros poſt diluvium pro-

pagata eſt (uti hic videtur Moſes innuere) *Θεογονίας* Græcorum inſertam etiam eſſe, in quibus quidem rerum memoria, non autem temporum ſit conſervata. Id ego in medio relinquo. Rejicio ſententiam Raſi qui omnes hos gigantes de gente Cainitarum prodiiſſe videtur arbitrari, quando dicit eos hic ſignificari, in quorum nominibus ſignificatio interitus futuri incluſa continetur, ut ſunt מחויאל Maujael; מתושאל Mathuſael. אותם שנקבו בשמות עירד מחויאל מתושאל שנקבו על שם אבדן שנמחו והותשו *illi, qui deſignantur in nominibus, Crad, Mahujael, qui deſignantur de nomine perditionis, qui deleti ſunt & avulſi.* Nomen Mahujael deducit à מחה, nomen Mathuſael à נתש. Unde autem nomen Irad?

Malitia Hominum, Quæ Ultra Modum] Scriptura graphicè depingit malitiam hominum primæ ætatis, quam cauſæ ſupra memoratæ educaverant. Scribit enim univerſam carnem (id eſt omne genus omniſque conditionis homines) corrupiſſe viam ſuam. Univerſam carnem comprehendit malitia? Nempe cum Eccleſiæ homines laxatis habenis libidinum ſuarum alienis matrimoniis ſemen ſuum commiſcuiſſent, impietas externa Eccleſiam inquinavit. Hinc univerſalis corruptio mundum involvit. Viam ſuam omnes deflexere in pravum. Malitia hominum multa erat in terra: machinamenta eorum omnia nil niſi malum ſapiebant. Terra plena erat חמס. Id plus eſt quam ὕβρις. Thargumiſtæ exprimunt per אנוס & חטוף. Significat oppreſſiones rapinaſque per vim & injuriam. Lucianus de dea Syria inter homines primæ ætatis ſeu τοῦ ἀρχαίου κόσμου & hujus mundi novit diſcernere, deſcribitque primos homines à ſua impietate, ob quam interierunt. Ἥδε ἡ γενεὴ, οἱ νῦν ἄνθρωποι, οὐ πρῶτοι ἐγένοντο, ἀλλ' ἐκείνη μὲν ἡ γενεὴ, πάντες ὤλοντο. οὗτοι δὲ γένεος τοῦ δευτέρου εἰσὶ, τὸ αὖτις ἐκ Δευκαλίωνος ἐς πληθὺν ἀπίκετο. Ἐκείνων δὲ πέρι τῶν ἀνθρώπων τάδε μυθέονται. ὑβρισταὶ κάρτα ἐόντες, ἀθέμιστα ἔργα ἔπρησσον. οὔτε γὰρ ὅρκια ἐφύλασσον, οὔτε ξείνους ἐδέκοντο, οὔτε ἱκετέων ἠνείχοντο, ἀντ' ὧν σφίσιν ἡ μεγάλη συμφορὴ ἀπίκετο.

Ferream ſuam ætatem deſcribunt ſic poëtæ, ut figuram & iconem huc accommodabilem exprimant.

Protinus irrupit venæ pejoris in ævum
Omne nefas: fugere pudor verumque fideſque.
In quorum ſubiere locum fraudeſque dolique.
Inſidiæque & vis & amor ſceleratus habendi.

Deinde: *Iamque nocens ferrum ferroque nocentius aurum*
Prodierat, prodit bellum quod pugnat utroque,
Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.
Vivitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus,
Nec ſocer à genero, fratrum quoque gratia rara eſt.
Imminet exitio vir conjugis illa mariti.
Lurida terribiles miſcent aconita novercæ.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa jacet pietas & virgo cæde madentes
Vltima cæleſtum terras Aſtræa reliquit.

Expreſſit illa Ovidius magnam partem ex Heſiodo, qui in primo operum & dierum quintam ætatem, quam ipſe viderat, ferream vocat.

Οὐδὲ πατὴρ παίδεσσιν ὁμοίϊος, οὐδέ τι παῖδες
Οὐδὲ ξεῖνος ξεινοδόκῳ καὶ ἑταῖρος ἑταίρῳ,
Οὐδὲ κασίγνητος φίλος ἔσσεται, ὡς τὸ πάρος περ.
Αἶψα δὲ γηράσκοντας ἀτιμήσουσι τοκῆας·
Μέμψονται δ' ἄρα τοὺς χαλεποῖς βάζοντ' ἐπέεσσι
Σχέτλιοι, οὐδὲ θεῶν ὄπιν εἰδότες οὐδὲ μὲν οἵγε
Γηράντεσσι τοκεῦσιν ἀπὸ θρεπτήρια δοῖεν
Χειροδίκαι.

ὁμοίϊος recte à ſcholiaſtis redditur, ὁμονοητικός, σύμφωνος. Inter extremas impietates connumerat, parentes non venerari, eos aſperis dictis dehoneſtare, nec illis ἀποδοῦναι θρεπτήρια, quod Apoſtolus dicit ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις 1. Tim. 5. 4. χειροδίκαι id eſt τῇ βίᾳ τῶν χειρῶν τὸ δίκαιον ὁρίζοντες. Nempe δίκη δ' ἐν χερσὶ καὶ αἰδὼς οὐκ ἔσται. Nulla erit gratia εὐόρκου, juramentum reverentis neque juſti bonique.

Οὐδέ τις εὐόρκου χάρις ἔσσεται οὔτε δικαίου,
Οὔτ' ἀγαθοῦ, μᾶλλον δὲ κακῶν ῥεκτῆρα καὶ ὕβριν
Ἀνέρα τιμήσουσι ——————
Βλάψει δ' ὁ κακὸς τὸν ἀρείονα φῶτα
Μύθοισι σκολιοῖς ἐνέπων, ἐπὶ δ' ὅρκον ὀμεῖται.

Αἰδῶ & Νέμεσιν quod attinet, ἀθανάτων μετὰ φῦλον ἴτον προλιπόντ' ἀνθρώπους. Non invenio illis hominibus idolorum cultum exprobrari. Anne autem toto hujus ætatis tempore & in tot ſeculorum lapſu ab hoc vitio liberi & immunes exſtiterint impii & profani qui in omne genus peccati præcipites ſe dabant, quis affirmet? Hoc tamen videtur ἀθεϊσμὸν potius quam ſuperſtitionem & δεισιδαιμονίαν graſſatum eſſe. Nempe ὑβρισταί, prædones, oppreſſores erant, qui nullum numen agnovere:

Dextra mihi Deus & telum quod miſſile libro.

Dominus Jeſus ſeculi iſtius typum viſum iri affirmat in temporibus adventus illius ſecundo approximantibus. Luc. 17. 26. 27. Καὶ καθὼς ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ Νῶε, οὕτως ἔσται καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ἤσθιον, ἔπινον, ἐγάμουν, ἐξεγαμίζοντο, ἄχρι ἧς ἡμέρας εἰσῆλθε Νῶε εἰς τὴν κιβωτόν. Καὶ ἦλθεν ὁ κατακλυσμὸς καὶ ἀπώλεσεν ἅπαντας. Dominus in illis hominibus tria notat. I. Curas rerum βιωτικῶν & mentes cæleſtium inanes. II. Securitatem divini judicii. III. Improviſum interitum, qui ſecuros oppreſſit.

De annis pænitentiæ & prædicatione Noë.

ADMONITUS à DOMINO DILUVIUM TERRIS IMMINERE] Moſes μάλα ἐμφατικῶς exprimit iram & dolorem quaſi omnipotentis, ſecum decernentis interitum humani generis. Ubi loquitur more hominis. Vide Geneſ. cap. VI. v. 3. 6. Ipſum etiam Deum narrat Noë loquentem ſeu כבת קול ſeu per viſionem eadem ἀνθρωποπαθείᾳ quaſi affectum ſuum ad denotandum effectum expreſſiſſe. Hic mos legis eſt, דברה תורה בלשון בני אדם. Decreti ſui ſententia Deus hominibus dat ſpatium centum viginti annorum. Sic enim cap. hujus ſexti Geneſeos v. 7. *Dies ejus erunt centum & viginti*

viginti anni. Hoc Spatium alii datum eſſe volunt reſipiſcentiæ, quam Noë præco juſtitiæ ex Dei longanimitate prædicabat, alii intra eos limites vitæ humanæ modum determinari deinceps volunt. Joſephus: ἐπιλεγόμενος αὐτῶν τὸν βίον καὶ ποιήσας ἐτῶν οὐκ ὅσα πρότερον ἔζων, ἀλλ' ἑκατὸν εἴκοσιν εἰς θάλασσαν τὴν ἤπειρον μετέβαλε. Abeneſdras in hunc verſum: יש אומרים שזה יקצב כל האדם ואם מצאנו יותר כן מצאנו מעט רק על הרוב ידבר ואיך זה אמת כי הנה שם חיה שש מאות וכל הדורות אחריו חיו שנים רבות וכימי פלג חסרו השנים ומימות דוד עד היום שבעים או שמונים והאמת מה שאמר המתרגם ארמי שנתן קץ לאדם כטעם עוד ארבעים יום ואם ישובו ימלטו ואם לא ישובו וימותו ואל תשים לבך אל מספר ויהי נח בן חמש מאות שנה כי אין מוקדם ומאוחר בתורה הנה כתוב וימת תרח בחרן ואחריו ויאמר ה' אל אברם לך לך מארצך ואנחנו נדע כי לא מת תרח עד שהיה יצחק בן חמש ושלשים שנה ורבים כמוהו: *Sunt qui dicunt, quod terminus hic ſit omnium hominum & ſi inveniamus ultra hunc, quod inveniamus exiguum tantum, cum de eo quod plerumque ſit loquatur. At qui id verum eſſe poteſt, cum Sem vixerit annos ſexcentos & omnes generationes poſt eum vixerint annos multos, & in diebus Phaleg imminuti ſint anni & è diebus illius generationis uſque hodie ſint ſeptuaginta aut octoginta? At verum eſt, quod dicit interpres Syrus, quod poſuerit terminum homini, juxta ſenſum illius* (Jon. III. 4.) *& ſi convertantur, eripientur, ſi non reſipiſcant, morientur. Non autem adverte ad numerum* (cap. v. v. 32.) *Et erat Noë filius quingentorum annorum, quia in lege non eſt prius & poſterius. Et ecce ſcriptum eſt, Mortuus eſt Thare in Haran* (cap. XI. v. 32.) *& poſt id, & locutus eſt Dominus ad Abram, Vade è terra tua, nos autem ſcimus, quod Thare mortuus non ſit ante annum Iſaac 35. Et ſimilia multa.* Sic commentatur Abeneſdras in locum illum de annis centum viginti. Spatium reſipiſcentiæ dari exiſtimat. Eadem eſt ſententia, R. Salomonis Jarchii in eundem locum commentantis: עד ק"כ שנה אאריך להם אפי ואם לא ישובו אביא עליהם מבול ואם תאמר משנולד יפת עד המבול אינו אלא ק' שנה אין מוקדם ומאוחר בתורה כבר היתה הגזירה גזורה עשרים שנה קודם שהוליד נח תולדות וכן מצינו בסדר עולם: *Ad centum viginti annos differam eis iram meam, & ſi non reſipiſcant inducam diluvium ſuper illos; quod ſi dixeris, à nato Iapheth uſque diluvium non ſunt tot anni ſed centum ſoli, ſcito, in lege non eſſe prius & poſterius: jam fuerat decretum factum viginti annis priusquam Noë gigneret generationes & ſic in Chronico invenimus.* Notat Cl. Mercerus Cabbaliſtas ex voce בְּשַׁגָּם *eo quod etiam*, colligere quod in intuitu ad Moſen & ob ipſum tanto tempore Deus diſtulerit exitium hujus ætatis, eiſque pepercerit dando tantum Spatium reſipiſcentiæ. Etiam Noë parſum eſſe ob Moſen. Hoc inde eliciunt, quia in voce dicta idem numerus contineatur, qui in nomine מֹשֶׁה. Sane in utraque voce habentur literæ ש & מ, deinde ג & ב æquivalent literæ ה. Id etiam notant quod Moſes vixerit annos 120. qui idem terminus patientiæ Divinæ hominibus diluvii conceditur. Quod Spatium reſipiſcentiæ in illis centum viginti annis ſignificetur, communis ferè interpretum conſenſus eſt. Lyra: *Non enim poteſt dici quod hic determinetur tempus vitæ humanæ poſt diluvium: quia multi diutius ſatis vixerunt poſt diluvium, ut patet in cap. XI. ſed determinatur tempus à prolatione ſententiæ divinæ uſque ad exſecutionem, in quo poterant pœnitere. Et hoc idem dicit Hieronymus lib. de Hebr. quæſt. Item patet quod hæc ſententia fuit data viginti annis antequam Noë generaret: quia inter primam ejus generationem & inundationem diluvii fuerunt tantum centum anni; quia quingentorum annorum erat quando cœpit generare, ut dictum eſt & ſexcentorum annorum tantum quando diluvium inundavit.* Interpretatio tamen illa de termino ætatis humanæ ut vetus fuit, ita etiam emanavit ad externos. Trebellius Pollio in Claudio: *Doctiſſimi mathematicorum centum & viginti*

ginti annos homini ad vivendum datos judicant, neque amplius eniquam jactitant eſſe conceſſum: etiam illud addentes, Moſen ſolum, Dei (ut Iudaorum libri loquuntur) familiarem CXXV. annos vixiſſe: qui quum quereretur, quod juvenis interiret) reſponſum ei ab incerto ferunt numine, neminem plus eſſe victurum. Fama hujus interpretationis fabulam iſtam genuit, ut patet: *Incertum numen, ὁ ἄγνωστος θεός.* Sic vocabant Deum Judæorum, quem ſuorum numinum nemini, nec homini ulli (ut dii eorum erant) poterant comparare. Lucanus: *& dedita ſacris incerti Iudaa Dei.* Cedrenus dicit ὅτι ἐπὶ ἑκατὸν χρόνοις ἐσκευάζετο ἡ κιβωτὸς, ἐπληρώθη τῷ ΦϞΘ ἔτει τῆς ζωῆς τοῦ Νῶε, μηνὶ τινὶ μαΐῳ κϛ ἡμέρᾳ πρώτῃ. *Centum annis ſtruebatur arca, conſummata eſt autem 599. anno vita Noë, menſe Majo, die 25. feria .i.* Cur demit viginti annos? Nempe connectunt hujus verſus, Chronologiam cum ultimo verſu capitis quinti. Et fingunt ob duritiem hominum annos viginti eſſe præciſos. Hieronymus: *Sed erunt dies eorum centum viginti anni. Hoc eſt habebunt centum viginti annos ad agendam pœnitentiam. Non igitur humana vita, ut multi errant, in centum viginti annos contracta eſt ſed generationi illi centum viginti anni ad pœnitentiam dati ſunt. Siquidem invenimus, quod poſt diluvium Abraham vixerit annos centum ſeptuaginta quinque & cateri amplius ducentis & trecentis annis: Quia verò pœnitentiam agere contempſerunt, noluit Deus tempus exſpectare decretum: ſed viginti annorum ſpatiis amputatis, induxit diluvium anno centeſimo agenda pœnitentia deſtinato.* Non poteſt effugium haberi, quaſi illi ſolummodo, qui in ſacris litetis nominatim recenſentur, ſpatium centum viginti annorum exceſſerint, quia patriarchæ decem poſt diluvium omnes ſecula pluta vixerunt. Unde colligimus communem vitæ modum circa eum annorum numerum ſtetiſſe. Paulatim tamen decrevit & imminutus eſt. Lactantius de modo vitæ humanæ, locum intellexiſſe videtur, at exiſtimat non mox à diluvio verum ſenſim ad id ſpatium contractam eſſe; *Deinde orbe ſiccato, exſecratus injuſtitiam prioris ſeculi Deus, ne rurſus longitudo vita cauſa eſſet excogitandorum malorum, paulatim per ſingulas progenies diminuit hominis atatem, atque in centum & viginei annis metam collocavit, quam transgredi non liceret.* Calvinus: *Nimis craſſe hallucinati ſunt quidam antiqui ſcriptores, ut Lactantius & alii, curſum vita humana finiri putantes hoc temporis ſpatio: quum perſpicuum ſit non de privata cujuſque vita hic haberi ſermonem ſed toti mundo concedi pœnitentia tempus. Porrò hic quoque relucet mira Dei benignitas, quod hominum malitia fatigatus adhuc tamen ſuprema vindicta exſequutionem ultra ſeculum differt. Verum hic emergit ſpecies repugnantia. Noë enim completis nongentis quinquaginta annis è vita deceſſit. Dicitur autem vixiſſe à diluvio annot trecentos & quinquaginta. Ergò ſexcentorum erat annorum quo die arcam ingreſſus eſt. Vbi nunc reperientur viginti anni? Reſpondent Iudai creſcente hominum malitia fuiſſe reſciſſos. Caterum iſto effugio nihil opus eſt: quando ſcriptura ubi de quingenteſimo atatis illius anno loquitur, non affirmat eouſque jam tunc pertigiſſe. Atque hic modus loquendi pluſquam tritus eſt, tam initium temporis, quam finem in numeris notari. Quia ergo major pars quinti centenarii tranſacta erat, ut quingentis annis propinquus foret, dicitur ejus fuiſſe atatis.* Hæc Calviniana ſolutio minime admittenda eſt, nec à quoquam hactenus admiſſa. Nam non advertit vir ſummus, ita luxari ſacram chronologiam, quam Moſes ſolicite proponit. Igitur conſtat centum viginti annos in teſipiſcentiæ ſpatium conceſſos eſſe ſed quæri poteſt ratio. Non quæro rationem, quare diuturnum & longiſſimum conceſſerit Deus ſpatium, ſed cur præciſe annos CXX. Hoc etiam ratione aliqua, tum temporis evidente & manifeſta, niti, nemo ambigat. Joſephus Scaliger eam rationem acutè inveſtigavit. Exiſtimat annum

ma-

magnum patriarchicum tot annis conſtitiſſe, eoque id ſpatium propoſuiſſe Deum. Vide eum libro 2. de emendatione temporum, capite de anno priſcorum Hebræorum Abrahameo. Eum annum explicabimus in ephemeridibus diluvii. Illo toto tempore, quod Dei longanimitas reſipiſcentiæ concedebat, Noe ſe impendit admonitioni. Vir erat inſigniter probus & religioſus. Joſephus: ὁ Νῶχος δὲ τοῖς ὑπ' αὐτῶν πραττομένοις δυσχεραίνων καὶ ἀλγηδῶς ἔχων ἔπειθεν ἐπὶ τὸ κρεῖττον τὴν διάνοιαν καὶ τὰς πράξεις μεταφέρειν. ὁρῶν δ' οὐκ ἐνδιδόντας ἀλλ' ἰσχυρῶς ὑπὸ τῆς ἡδονῆς κεκρατημένους δείσας καὶ μὴ φονεύσωσιν αὐτὸν, μετὰ γυναικῶν καὶ τέκνων καὶ τῶν τούτοις συνοικούντων ἐξεχώρησε τῆς γῆς. An Noë coactus ſit ſolum vertere ob metum impiorum & contumacium, dicere non habeo ex literis ſacris, quod autem legatus Dei fuerit & munere ſuo ſedulò perfunctus, Sp. Dei ipſi teſtimonium attribuit. Præconem Juſtitiæ appellat Petrus 2. ep. 2. 5. Καὶ τοῦ ἀρχαίου κόσμου οὐκ ἐφείσατο ἀλλ' ὄγδοον Νῶε δικαιοσύνης κήρυκα ἐφύλαξε, κατακλυσμὸν κόσμῳ ἀσεβῶν ἐπάξας. In Spiritu Chriſti prophetavit & prædicavit. Unde Petrus in prima Epiſtola cap. 3. v. 19. dicit Chriſtum in Spiritu ſeu Deitate profectum contumacibus prædicaſſe. Nemo unquam minorem fructum ſuæ prædicationis & longiſſimi ac operoſiſſimi laboris ſenſit. Nam nec unum convertere potuit, qui cum eo ejuſque familia vellet arca includi per fidem ut ſervaretur. Siqui annis antecedentibus fidem ejus verbis habuere, ante diluvii adventum obiêre, jam univerſus mundus hominum, viventium, cum aquæ imminebant, contumacia & incredulitate exitium ſibi accerſivit.

De Fabrica arcæ.

ARCAM IMMENSÆ MAGNITUDINIS] Noë ſolus ſervatus eſt, cæteris inundatione aquarum deletis. Placuit Deo πᾶν ὅσον ἦν ἀνθρώπινον διαφθεῖραι καὶ ποιῆσαι γένος ἕτερον. At falſum eſt, quod Joſephus addit, πονηρίας καθαρόν. Genus illud ortum ſuum habuit ex Adamo per Noë, naturæ vitio ejuſdem ad peccata inclinationis, quamvis non ejuſdem maturitatis actuum peccaminoſorum. Sacerdos ille ignorabat peccatum originale, quamvis eandem in natura malitiam ex ore ipſius Dei de ſeminio humano poſt diluvium potuiſſet diſcere, ex cap. VIII. v. 21. cum VI. 5. At ipſe, uti poſteà videbimus ea præteriit & alienam Deo orationem affinxit. Servatus eſt Noë ὑποθεμένου μηχανὴν αὐτῷ καὶ πόρον πρὸς σωτηρίαν τοῦ Θεοῦ. Structuram quandam fabricatus eſt, quam Scriptura תיבה/ Græci ſcriptores λάρνακα & κιβωτὸν appellant. Aben-eſdras: ושם תיבה ולא ספינה כי איננה על צורת אניה ואין לו משוטי Nomen ejus תבה non ספינה/ *quia non habuit formam navis, nec remos:* θίβη Heſychio eſt πλεκτόν τι κιβωτοειδὲς ὡς γλωσσοκομεῖον. Suidas θίβης (niſi legendum θίβη) κιβώτιον ἐκ βύβλου λεπτὸν ὡς κοφινῶδες. Sumptum ex Exodi II. 3. Græca vox abſque dubio originem habet è Syria. Nam Græci etiam θῖβα dicunt. Heſychius: θῖβα πόλις Βοιωτίας καὶ κιβώτιον. Hinc tamen non ſequitur Thebas Bœotias dictas eſſe à navi, qua in eas partes advectus fuit Cadmus. Nam navem veteam Phœnices non vocabant תיבה. Cadmi navis non potuit formam arcæ habere, nec eſſe quadrata, ut illa iners moles, quam ex voluntate Dei fabricatus eſt Noë. Nam Noë agitare & gubernare curſum ſuæ navis non debuit, ſed eam committere providentiæ Dei. Non potuiſſet Cadmus ejuſmodi genere navigii quod habuit Noe, navigare in Græciam. Varro ſcribit Æoles Bœotios *Tebas* vocare colles, quam vocem Sabini quoque à Pelaſgis accepere. Tebæ igitur ſeu Thebæ Bœotiæ à poſitu & loco nomen habuerunt. Grotio placet navis genus fuiſſe uſitatum. *Id* (inquit) *antiquiſſimum navium conſtratarum nomen ex ſimilitudine* (arcæ) *ad quam facta erant.* At naves nunquam

quam apud Hebræos hoc vocabulo dictæ ſunt. Græci etiam inter λάρνακα & ναῦν ſive πλοῖον diſtinguunt. Simonides quidem de Danae navigante: λάρνακι ἐν δαιδαλέᾳ. At eſt poëtica ὑπερβολή, ad quam exigi non debet diſtincta rerum veritas. Materia arcæ illius erat è lignis Gopher, גֹּפֶר, Aben-eſdras: שם עץ קל הוא על פני מים ואין רע לו במקר *Nomen eſt ligni levis ſuper aquas, nec alibi occurrit in ſcripturâ.* Salomo Jarchius: כך שמו. ולמה ממין זה על שם גפרית שנגזר עליהם למחות בו *Sic nomen ejus & quare de ſpecie illa? Propter nomen* גפרית *| quia decretum ſuper ipſis, ut delerentur ſulphure.* Id vanum eſt, nuſquam enim lectum eos ſulphure perdendos aut perditos eſſe, ut de Sodomitanis. Abeneſdræ deſcriptionem aſſumpſit Kimchi. Ligni ſpeciem non dubitem eſſe licet non inveniam, quæ ſpeciès fuerit. Ideo puto eos falli qui vocem גפר volunt eſſe adjecti. Hieronymus expoſuit per כפר. *Pro quadratis lignis, bituminatis legimus in Hebræo.* LXX. expreſſerunt ἐκ ξύλων τετραγώνων ἢ πυξίνων. Nempe qui ligna ἄσηπτα verterunt, vocem illam etiam pro adjecto habent. Onkelos & Jonathan reddunt קְדְרוֹס. *cedrus.* Sic & Hieroſolymitanus דאעץ דקדרינן *de lignis cedrinis.* Cedrum non eſſe patet, quia alia voce ut diſtincta ſpecies notatur. Thalmudiſtæ quidem cedri quatuor ſpecies eſſe annotant ſed nullam earum hac nomine niſi עץ שמן eſſe velis ex vocabuli alluſione. Verum ea alluſio ad ſignificatum non ad ſonum levis & contorta exiguam vim argumenti habet. Buxum non fuiſſe ipſa res docet, ut quæ inter frutices potius quam arbores numeranda veniat. Ubi & quomodo è Buxo tantæ molis ædificium haberi potuiſſet? Buxus pyxidibus & topiario operi non ædificiis & ratibus adhiberi idonea eſt. Lignum buxinum in aquis ſubſidit, unde minimè aptum huic fini. Judæi quamvis non poſſint eruere, quod genus ligni fuerit Gopher, id tamen ſciunt ex uſu, cui monſtratum & adhiberi juſſum eſt à Deo, fuiſſe leve & aquis innataſſe. Mercerus annotationibus in Theſaurum Pagnini refert alios exiſtimare, quod *pinus* ſit, non alludente nomine Germanico *Kyfer* vel *Kufer*, quod putant eſſe idem cum Hebræo גֹּפֶר uti primus obſervavit Avenarius. Arabs uterque Erpenianus & meus expreſſerunt אלשמשאר Qua voce non intelligunt cedrum, quæ ipſis appellatur ארן Caſtalio: *Terebinthum tradunt materie eſſe lenta & fideli ad vetuſtatem, in Syria proceram, apud Damaſcum inſignem: qua materies ſola ungi velit meliorque oleo fiat, ejus baccas eſſe ſulfuroſas: id quod ad nominis rationem pertinet: Nam hac arbor gopher, ſulfur autem gophrith dicitur. His rebus adductus terebinthum verti. Nam pinus (hanc enim putant eſſe quidam) aliud nomen habet neque tamen de terebintho prorſus affirmo, ſed certius nihil habeo.* Sebaſtianus Munſterus vertit, *Ex lignis pineis.* Annotat autem: *Eſt* גפר *una ex quatuor ſpeciebus abietis, quam Rabbini cedrum eſſe putant, lignum ſcilicet leve & ad fluitandum ſuper aquam aptiſſimum.* Rabbini enumerant quatuor cedri ſpecies uti ſupra diximus. Junius cedrelaten intelligi vult id eſt genus arboris inter cedrum & abietum mediæ. Cedrus enim minor eſt & major. Minoris duæ ſpecies, Lycia quæ dicitur & Phœnicia. Majoris etiam duo genera; *quæ floret* (inquit Plinius) *fructum non fert, frugifera non floret & in ea antecedentem fructum occupat novus. ſemen ejus cupreſſo ſimile: quidam cedrelaten vocant.* Hæc quidem ob materiæ æternitatem apta fuit ſtruendæ arcæ. Sed duo obſtant. 1. Quod corpora viventia corrumpat cum defuncta incorrupta ævis ſervet, teſte eodem Plinio lib. 24. cap. 5. Atqui Noë non eſt ingreſſus nec condidit ſepulcrum ſed habitationem. 2. Cedrelate cedrus eſt, quæ Hebræis alio nomine non גפר dicitur. Fullerus & Bochartus putant גֹּפֶר eſſe cupreſſum. Idque ideo 1. Quia nomen valde convenit. Κυπάρισσος, *cypreſſus;* גֹּפֶר, *gopher, copher, coper.* 2. Quia conſtat lignum eſſe durabile præ omni genere materiæ, διὰ τὸ ἄσηπτον.

Arcæ autem ligna etiam Epiphanii ætate ſuperfuiſſe dicuntur, quin & aliquot poſteà ſeculis, ſi fides ſcriptoribus tutò haberi poſſit. 3. Quia in illis partibus Babyloni vicinis nulla alia materia ſtruendis navibus inveniebatur, Arriano & Strabone teſtibus. Unde & annotat Bochartus cupreſſetum fuiſſe haud procul Seleucia. Unde copia iſtius materiæ ſuppetere potuit, ad tantam molem navigii ſive ædificii. Ad materiam quoque pertinet, quod pice illinere eam intus & foris juſſus fuerit. In Hebræo eſt כֹּפֶר, ἄσφαλτ☉, *bitumen*. Formam Moſes latius deſcripſit. Juſſit enim Deus ut daret ei formam, quam dicunt rectanguli parallelepipedi. Longam fieri voluit trecentos cubitos, latam quinquaginta, altam triginta. Longitudo latitudinem ſexies continebat. Fuit autem latior quam altior. Nam latus uterus fuit (tota navis uterus erat) quo facilius fluctus toleraret & plana carina, ut ſine noxa ſideret. Altitudo ſeu profunditas minor tutam præſtabat à jactatione. Ejuſmodi igitur forma quietam navigationem tutamque fecit, plus anno integro ſolariinclusis. Timere non poterant alliſionem ad vada & ſcopulos in tanta aquarum profunditate. Nec opus cura moderaminis erat, quia ſub Dei numine vehebantur, qui appulſurus erat, & curſum directurus, ut ipſi viſum foret. Forma non fuit navis, quia gubernationi inepta, quamvis Mercerus putet vocem תבה notare cymbam, quia extra aquarum uſum nempe hic & Exod. 3. non inveniatur. Certum eſt non aliam eſſe illius notionem quam κιβωτȣ̃ & λαρνακ☉ apud Græcos. Τρίστεγον juſſit conſtrui, ita tertia pars decem cubitorum altitudinem habuit. Conſterni juſſit & tegi fornicato καταστρώματι, curvato ſeu priſmatis figura in unius cubiti altitudinem, in quam arca conſummanda erat ſuperne. Tribus μυχοῖς ſive ſinubus diviſa erat conſurgebatque univerſa moles, תַּחְתִּיִּם שְׁנִיִּם וּשְׁלִשִׁים תעשה. Id LXX. expreſſerunt κατάγαια καὶ διώροφα καὶ τριώροφα ποιήσεις αὐτήν. Cum textus ſonet inferiores, ſecundas & tertias (ſubintel.) קנים manſiones, νοσσιὰς) *facies ipſam*. Ordinalem numerum vertendo in cardinalem ſecundo tertioque ſinui ſeu manſioni nomen dederunt talis ædificii totius. Domus enim διώροφ☉ appellatur, quæ duabus manſionibus conſtat & tabulatis, & τριώροφ☉ quæ tribus. Arabs Erpenianus habet: טבקאת ספלאניין תאנין ותאלתה תעמלהא Eodem ſenſu meus. Cæterum id notandum, quod δίστεγον & τρίστεγον accipiantur etiam pro ſecunda & tertia contignatione: ut Act. xx. 9. ἔπεσεν ἀπὸ τȣ̃ τριστέγȣ κάτω. decidit à tertia contignatione. Vulg. *decidit de tertio cænaculo deorſum.* Cænaculum propriè eſt ὑπερῷον. Sic in hoc loco vulgatus: *deorſum, cænacula & triſtega facies in ea.* Philo lib. 2. de vita Moſis ſimiliter locutus eſt ξύλινον δημιȣργήσας ἔργον μέγιστον εἰς πήχεις τριακοσίȣς μῆκ☉, καὶ πεντήκοντα εὖρ☉ καὶ τριάκοντα ὕψ☉ καὶ συνεχῆ κατασκευασάμεν☉ ἔνδον οἰκήματα, ἐπίπεδα καὶ ὑπερῷα, τριώροφα καὶ τετρώροφα. Plane ut LXX. τριώροφον dixit pro tertio tabulato ſeu parte ædium. Putavit Philo arcam Noë fuiſſe τετρώροφον id eſt quatuor tabulatorum, cum Moſis ſuperiores קִנִּים id eſt οἰκήματα cellas, appellat שְׁלִשִׁים id eſt tertias νοσσίας, τριωρόφȣς. In eo erravit cum Joſepho, qui dicit λάρνακα τετράστεγον. Fortaſſis exiſtimarunt tertium tabulatum fuiſſe diſtinctum à cataſtromate, quod ſuperne curvabatur in cubiti altitudinem ſupra triginta illos cubitos, quos laterum altitudo continebat. Univerſus arcæ uterus eadem latitudine quinquaginta cubitorum patebat ab una parte in aliam, ſine anguſtatione in proram aut puppim. Sic ferebatur moles ſine remigio ſine gubernaculo, quo ferebat manus Dei provida & fœderis divini conſtantia. Navis igitur ſimulitudinem non habuit, ſed arcæ, quamvis tribus ordinibus manſionum conſurrexerit, ut triremes veterum. Intus & foris pice ſeu bitumine illita erat, ut ne ligna ſeu aſſeres ab aquis putre-


tredinem conciperet, utque à carie conſervarentur. De illo כפר ita Raſi id eſt Salomo Jarchius: זפת בלשון ארמי מצינו בתלמוד כופרה בתיבתו של משה על ידי שהיו המים תשים ריח בחומר מבפנים וזפת מבחוץ ועוד כדי שלא יריח אותו צדיק ריח רע של זפת אבל כאן מפני חוזק המים זפתה כבית ומחוץ: זפת *In lingua Aramæa, invenimus in Thalmud, Picavit arcam Moſis, quod eſſent aquæ debiles, bitumine intus & pice extus, atque ut ne juſtus malum ſentiret odorem picis: ſed hic propter vim aquarum, picavit intus & extus.* Abeneſdra τὸ כפר nihil ſignificare niſi tegere & eſſe conjugatum vocis כפר. Scilicet unguine aliquo tectam eſſe arcam: quoſdam dicere, quod illud כפר habuerit ſimilitudinem picis: alios, quod fuerit lutum è pulvere מרביק ועומד כזפת tenax & conſiſtens inſtar picis: & quoſdam affirmare, quod in lingua Iſmaëlitarum appellatur per mutationem literæ caf in kof. Lingua Iſmaëlitarum, ita Judæis dicitur Arabica. In illa ſanè קפר meus Arabs, Judæus è Marocco, expreſſit pro כפר. Erpenianus habet בלופת id eſt בזפת. Jarchius igitur exiſtimavit eſſe vocem Syram, Aben-eſdras ad Arabiſmum refert. Videtur eſſe vox generalis ad omne genus unguinis duri & conſiſtentis, quod aptum eſt, ut eo navigia illinantur, ſive pix ſive bitumen fuerit. Nam hæc inter ſe affinia ſunt. Notat Abeneſdras altitudinem laterum fuiſſe decimam longitudini: שתהיה צפה על פני המים ולא יהפכנה רוח *ut eſſet firma ſuper faciem aquarum & ventus eam non everteret.* Id eſt, ut Tacitus loquitur, quo facilius fluctus toleraret. Simul & humilitas laterum & latitudo uteri immobilitatem & firmitatem efficiunt. Abeneſdras de arcæ צהר ita: מקום שיכנס ממנו האור והוא כצורת צהרים והוא נעשה למעלה כמשפט ואחר שהיה למעלה אמה אחת בארך היה ברחב ששית אמה והנה התיבה כדמות משלש וראש חד וכן מקצועותיו על כן לא תתהפך והפתח בצד האחד והיה עולה אליו בסלם וידענו כי התיבה גדולה מאוד גם יתכן להיות קומת נח גדולה מקומתנו כי האמה היא כמדתו ויתכן היותה כאשר היא נחלקת על שלש טבות התחתיים עשר אמות ויש אומרים כי רבים היו והכתוב אחז קצרה: צהר *eſt locus, in quo intrat lux & eſt conjugatum vocis* צהרים, *& factus erat ſuperne, ut moris eſt & altus, qui fuit supernè cubiti jus in longitudine, fuit in latitudine ſexta partis cubiti unius Et ecce arca in ſimilitudinem fuit trianguli & caput acuminatum & ſic anguli ejus. Propterea non potuit everti. Et oſtium in latere uno & fuit aſcendens in ipſum ſcalis. Et novimus quod arca fuerit magna valde; etiam convenit ſtaturam Noë magnam fuiſſe præ ſtatura noſtra, quia hic cubitus fuit ſecundum ejus menſuram: & convenit fuiſſe, quemadmodum erat, diviſum juxta tertiationem altitudinis, infimos decem cubitorum & ſunt qui dicant, quod fuerint multi & ſcripturam compendio locutam eſſe.* Si capio Aben-eſdram, feneſtras ad ingreſſum luminis duas fuiſſe arbitratur, unam cujus magnitudinem Sp. S. non definiat, alteram, cujus longitudinem deſcribat in cubitum unum, unde detur ex totius arcæ modo intelligi, quod ſextam partem cubiti lata fuerit. Arcam fuiſſe figura triangulari & capite acuminato. Hinc non potuiſſe ſubverti. Origenes etiam ab imo in acuminatum ſurrexiſſe putat. Oſtium (pergit Abeneſdras) in latere fuiſſe, in quod aſcenderetur ſcalis. Magnam fuiſſe inſigniter. Nempe cubitum Noë intelligi eumque fuiſſe giganteæ ſtaturæ. Pro modo igitur ſuo diviſam fuiſſe in tres ordines manſionum ex altitudine. Infimas fuiſſe decem cubitorum taleſque fuiſſe multas, at ſcripturam conciſe loqui. Raſchi de צהר ita, ויש אומרים חלון ויש אומרים אבן טובה המאירה להם *Quidam interpretantur feneſtram, alii de lapide pretioſo lumen illis præbente.* Illa ſententia de lapide pretioſo ſeu lucida gemma commentum eſt inane. Quod ſequitur in illo verſu 16. de conſummatione in cubitum ſic explicat: כסוה משופע ועולה עד שהוא קצר מלמעלה ועומד על אמה שיזובו המים לכמה מכאן ומכאן:

ומכסאן *operculum ejus inclinans & aſcendens uſque dum deſinat ſupernè & conſiſtat in cubito, ut defluant aquæ ab omni parte.* Putant Hebræi operculum arcæ ab omni parte ſe inflexiſſe donec in acuminatum faſtigium deſineret cubiti Latitudine. Ego potius arbitror rotundatum fuiſſe cataſtroma per longitudinem, quæ in utrumque extremum deſinebat, in cubiti unius eminentiam: à cataſtromate autem diſtinguo operculum de quo cap. 8. v. 13. Quæ interpretatio, uti exiſtimo, ſimplicior eſt. Moſes itaque deſcribit, arcam à materia ſua & forma, Formam in eo, quod tantæ longitudinis, latitudinis, altitudinis. Quod quadrata ſeu cubica fuerit & longitudinis ad latitudinem ſecuplæ ad altit. decuplæ. Quod lumen aliqua parte, abſque dubio, ſupremi cænaculi ſeu triſtegi admiſſum fuerit. Fuiſſe & feneſtram (cap. 8. v. 6.) quam aliam eſſe puto ab ſpecularibus, quibus lumen admiſſum eſt. Et in latere fuiſſe oſtium. Hoc quidam in infima parte ſeu *κατωγάιοις*, alii in triſtego collocant. Qui in infimo ſinu fuiſſe volunt, id pro argumento habent, quod animalia commodè ingredi non potuerint, ſi fuerit in alto. Nam quadrupedum pleræque per ſcalas non aſcendunt nec deſcendunt. Qui putant fuiſſe in ſummo, aquarum per rimas influxum metuunt. Quid ſi in diſtego fuiſſe arbitremur? Operculum aliquod fuit in cataſtromate, quod removeri poterat. Ipſum cataſtroma fixum clavis & picatum ad firmitudinem & ne perflueret. Oſtium in latere fuit potius quam in cataſtromate: שלא יפלו הגשמים בה *Ne pluvia illaberentur*, ut inquit Raſi. Singulæ partes ſeu ordines multis manſionibus diſtinguebantur. קנים vocat Moſes; LXX. *νοσσιάς. φατνώματα* erant variis uſibus. Operculum apud Moſen appellatur מכסה/ LXX. reddiderunt *στέγην*. quod non puto rectum eſſe.

De capacitate & ordinatione arcæ.

ORigenes homilia ſecunda in Geneſim: *Veruntamen quantum ad neceſſitatem pluviarum & diluvii ſpectat, nulla potuit tam conveniens & congrua arcæ ſpecies dari, quam ut ſummo velut è tecto quodam in anguſtum culmine ducto diffunderet imbrium ruinas & una in aquis quadrata ſtabilitate conſiſtens, nec impulſu ventorum, nec impetu fluctuum nec inquietudine animalium, quæ intrinſecus erant aut inclinari poſſet aut mergi. Sed his omnibus tanta arte compoſitis objiciunt quidam quæſtiones & præcipuè Apelles, qui fuit diſcipulus quidem Marcionis ſed alterius hæreſios magis quam ejus quam à Magiſtro ſuſcepit, inventor. Is ergo dum aſſignare cupit ſcripta Moiſi nihil in ſe divinæ ſapientiæ nihil operis ſancti Spiritus continere, exaggerat hujuſmodi dicta & dicit nullo modo fieri potuiſſe, ut tam breve ſpatium tot animalium genera eorumque cibos, qui per totum annum ſufficerent capere potuiſſet Et poſteaquam per ſingulas ſpecies hoc modo refragatur, addit ſuper omnia his verbis. Conſtat ergò fictam eſſe fabulam. Quod ſi eſt conſtat non eſſe à Deo hanc ſcripturam, Sed ad hæc nos, quæ à prudentibus viris & Hebraicarum traditionum gnaris atque à veteribus magiſtris didicimus, ad auditorum notitiam deferemus. Ajebant ergò majores, quod Moſes, qui (ut de eo ſcriptura teſtatur) omni ſapientia Ægyptiorum fuerat eruditus, ſecundum artem geometricam, quam præcipuè Ægyptii callent, cubitorum numerum in hoc loco poſuit. Apud geometras enim ſecundum eam rationem, quæ apud eos virtus vocatur, ex ſolido & quadrato vel in ſex cubitos unus deputatur, ſi generaliter vel trecentos, ſi minutatim deducatur. Quæ utique ratio ſi obſervetur, in hujus arcæ menſura invenientur & longitudinis & latitudinis tanta ſpatia quæ vere totius mundi reparanda germina & univerſorum animantium capere rediviva ſeminaria potuerint.* Geometricum cubitum ſenis communibus æqui pollere Origenes dicit. Si in ſenos quilibet cubitus extendatur, pro longitudine

dine mille octingenti cubiti efficientur; pro latitudine trecenti; pro altitudine centum octoginta. Quæ vaſta moles fuerit & (ut Origenes loquitur) idonea capiendis univerſorum animantium redivivis ſeminariis; Rambam apud Mercerum, vix decem arcas ſatis fore capiendis omnibus animalibus & cibis eorum in annum ſcribit. Avium enim immundarum in oriente ſolo ſpecies eſſe 122. mundarum infinitum numerum & animantium terreſtrium. Proinde ſine miraculo arcæ capacitate omnia includi non potuiſſe. Atqui ad miraculum confugere, ubi Sp. S. docet rationem mediorum naturalium non convenit. Cum igitur difficultatem & ἄπορον inſolubile ſibi imaginarentur interpretes ad cubiti amplificationem cum Origene iverunt. *Sed* (uti bene Mercerus) *non eſt credibile Moſen, qui ad captum vulgi loquebatur, ita ſubtiliter hic locutum*, ut Geometricam rationem ſecutus fuerit. Cubitus vulgaris continet ſeſquipedem: ſed multi (ut capacitatem arcæ amplificarent) duorum alii etiam novem pedum eſſe voluerunt. Sed non eſt opus à ſenſu verborum populari diſcedere. Accipiamus ejuſdem rationis cubitos, quos Moſes intellexit, ubique, ut in tabernaculi ejuſque vaſorum dimenſione. Sacrum vulgari duplo majorem eſſe volunt. Quod etiam ſignificari videtur in ara thymiamatum quæ cubiti unius habuit longitudinem & latitudinem Exod. 37. 25. Buteo, inſignis mathematicus à Mercero & Mornæo laudatur, qui ingenioſa demonſtratione oſtenderit, adverſus ſacrarum literarum indoctos & imperitos Zoïlos, arcam potuiſſe capere ſeminium inſtaurandi mundi, cum cibo in annum, idque ex cubiti vulgaris menſura. Quam vis in nonnullis fuerit curioſior, egregiam tamen ejus diligentiam valde extollunt. Mercerus: *Videmus hodie pede Pariſienſi menſuras fere regi qui pes regius dicitur, cum alibi ſit diverſus. Trecenti cubiti longitudinis facient pedes 450. latitudinis quinquaginta cubiti conſtituent pedes 75. altitudinis cubiti triginta pedes 45. præter cubitale faſtigium. Atque ut videas quam abunde capax fuerit arca ecce ductus & multiplicatus 300. cubitis longitudinis in quinquaginta latitudinis fient cubiti quadrati ſeu cubici 15000. quæ ſumma multiplicata in altitudinem triginta cubitorum facit cubitos ſolidos 450000. uſque ad ſuggrundas. Reſiduum ad tectum, juxta Buteonem, quod eſt priſma, continet 7500. cubitos. Fiunt in univerſum 457050. cubiti. Ob impedimenta autem navis, ut columnas, trabes, aſſamenta, manſiunculas & alia tigna & ligna, aliaque quæ ex materia, locum navis occupare poterunt, poſſunt detrahi illi 7500. cubiti. Reſidua erunt 460000 cubitorum. Quæ magnitudo ad omnium animalium ſervanda ſemina abunde ſufficit, ut evidenter demonſtrat Buteo, etiam comprehenſis cibariis.*
Figuram arcæ vide:




Τοιήνε illa moles pro ſingulis tabulatis continens cubitos 15000. id eſt pedes 22500. ita tria tabulata dabunt illam capacitatem triplicatam (ſic etiam Mercerus, dicere voluit) 45000. cubitorum, quæ continent pedes 67500. Tyrinus in Gen. 7. 2. ex Aria Montano: *Nota ſecundò, terreſtrium animalium ſpecies ab Aria Geſnero & Vlyſſe Aldrovando enumerari 150. exceptis ſerpentibus & reptilibus, quorum Pererius numerat ſpecies 25. Ergò univerſim fuiſſent in arca 175. ſpecies terreſtrium: inter quæ tantum ſint ſex ſpecies majores equo,*

pauca æquales, multæ minores ove ut facilè potuerint omnia in uno arcæ tabulato ſtabulare. Amphibia & quæ ex putrefactione & hybridæ id eſt quæ ex diverſarum Specierum commixtione gignuntur, non fuerunt in arca. Buteo exiſtimabat ex una ſpecie ligni non potuiſſe totam arcam confieri. Nam non idem ligni genus eſſe trabibus, tignis, aſſeribus ſive aſſamentis, contignationibus & aſſerum coagmentationi & priſmati aptum. Eſto, præcipua tamen materia fuit ex ligno Gopher. Exiſtimant vix unam regionem ſufficere potuiſſe materiam ad tantam molem, & annos 120. non fuiſſe ſatis pro ſtructuræ tempore. Quaſi neceſſe eſſet unum hominem ſine adjumento & operis ſociis aliorum univerſum hoc ædificium confeciſſe. Longum tempus & Annorum 120. impendi potuit. Salomo Jarchius: הרבה ריוח והצלה לפניו ולמה הטריחו בבנין כדי שיראוהו אנשי דור המבול עסוק בה מאה ועשרים שנה ושואלין אותו מה זאת לך והוא אומר להם עתיד הקב״ה להביא מבול לעולם אולי ישובו *Longum ſpatium & ratio pro eo & quorſum laborarunt in ædificio, ut cum viderent eum viri ætatis diluvii operam locare in ea centum viginti annis & quærerent ab eo, Quid facis & ipſe diceret eis, Futurum eſt ut Deus inducat mundo diluvium, fortaſſis converterentur.* Quod aliò conceſſerit ob hominum impietatem non dicunt ſacræ literæ, & ubique eandem impietatem inventurus erat. Ubi ex arca deſcendit, circa ea loca veroſimile eſt eam conſcendiſſe. Nec in angulo moles ea ædificari debuit, ut de Noë fide omnibus pateret, eaque redarguerentur. Heb. XI. 8. Πίστει χρηματισθεὶς Νῶε περὶ τῶν μηδέπω βλεπομένων, εὐλαβηθεὶς, κατεσκεύασε κιβωτὸν εἰς σωτηρίαν τοῦ οἴκου αὐτοῦ, δι᾽ ἧς κατέκρινε κόσμον, καὶ τῆς κατὰ πίστιν δικαιοσύνης ἐγένετο κληρονόμος. De Noë & arca philoſophatur etiam liber Apocryphus, qui inſcribitur ſapientia Salomonis. Primò in cap. X 4. Δι᾽ ὃν κατακλυζομένην γῆν πάλιν διέσωσε σοφία, δι᾽ εὐτελοῦς ξύλου τὸν δίκαιον κυβερνήσασα, Propter Cain inundatam eſſe terram dicit, eamque ſanatam & reſtitutam per Sapientiam. Deinde in cap. XIV. v. 6. Καὶ ἀρχῆς γὰρ ἀπολλυμένων ὑπερηφάνων γιγάντων, ἡ ἐλπὶς τοῦ κόσμου ἐπὶ σχεδίας καταφυγοῦσα, ἀπέλιπεν αἰῶνι σπέρμα γενέσεως τῇ σῇ κυβερνηθεῖσα χειρί. *Et antiquitus enim pereuntibus ſuperbis gigantibus ſpes mundi ad ratem confugiens reliquit ſeculo ſemen generationis tuæ* (o ſapientia) *gubernata manu.* Sapientia Syracidæ in cap. XLIV. v. 17. 18. ſic diſſerit de Noë & arca: Νῶε εὑρέθη τέλειος δίκαιος, ἐν καιρῷ ὀργῆς ἐγένετο ἀντάλλαγμα. διὰ τοῦτο ἐγενήθη κατάλειμμα τῇ γῇ, διὰ τοῦτο ἐγένετο κατακλυσμός. Διαθῆκαι αἰῶνος ἐτέθησαν πρὸς αὐτὸν, ἵνα μὴ ἐξαλειφθῇ κατακλυσμῷ πᾶσα σάρξ. Hæc ita exprimit vulgatus: *Noë inventus eſt perfectus juſtus & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. Ideò dimiſſum eſt reliquum terræ, cum factum eſt diluvium. Teſtamenta ſeculi poſita ſunt apud illum, ne deleri poſſit diluvio omnis caro.* Ἀντάλλαγμα vertitur non benè *reconciliatio.* Significat enim permutationem. Senſus eſt eum pro toto orbe commutatum eſſe, ut relinqueretur in ſemen reſtituendi ejus. Cæteris ſublatis & deletis orbis vicem implevit Noë & ab illo orbis eſt refectus. Poſterius διὰ τοῦτο expreſſit per *eum* temporis notatione. Niſi pro eo legerit ὅτι aut διότι. Ἵνα μὴ ἐξαλειφθῇ melius vertitur *ne deleretur,* quam, *ne deleri poſſit.* Teſtamenta ſeu fœdera ſeculi apud eum depoſita fuiſſe eleganter dixit, quia fœdus Dei cum mundo in ipſo ſtetit. Fœdus Dei ſtetit in ipſo, quatenus in hoc navigio quod deſcripſimus cum ſeminio omnis in ſicco degentis animæ conſervatus fuit. Molem autem illam loculamentis trinarum contabulationum providè diſtinctam uſui ſuo animaliumque toto anno incoluit. Cibaria in arcam longo tempore congeſſit, quantum ſibi & animantibus Deus ſufficere judicavit. In omni enim ordinatione arcæ & commeatu in eam congerendo Dei conſilio uſus eſt & monitu, quamvis omnia à Moſe minutatim non ſint perſcripta. Anne autem tres iſti ordines per alti-


altitudinem triginta cubitorum æqualiter diviſi fuerint inter alia ſilet Moſes. Audiamus Mercerum: *De his tribus contignationibus arca variè ſentitur, Sunt qui tres fuiſſe putant propter ſentinam. Ego ſentinam cum ima connumerare malim. Rurſum certatur de media & ima quanam in illis repoſita fuerint. Hebræi imam tantum fuiſſe volunt ſentinam & cloacam ſordium & ſtercorum receptaculum. Unde poſt eos quidam noſtrorum ſtercorariam appellant. In media vero collocant animalia, quadrupedes ſcilicet & pabula. Sed laborabunt in inveniendo utriſque ſpatio in medio illo tabulato. Itaque malo cum Buteone infimam aſſignare tum ſentina ſeu cloaca, tum ſingularum ſpecierum animantibus & reptilibus: medianam vero alimentis. Ubi etiam varia & complures eſſent manſiones ad eorum cibaria reponenda & condenda pro diverſitate animalium. Hic de feris controverſum eſt, an carnibus an fructibus in arca veſcerentur & unde tot beſtias, unde feræ alerentur, potuerit aggregare Noë? Auguſtinus vult fæno & herbis eos victitaſſe, quod famis tempore cibus alioquin non conſuetus ſit ſuavis. Buteo verò carnivoris animantibus etiam carnes aſſervatas putat in ſecunda illa manſione ut vivas oves & alia animantia illis in cibum neceſſaria, quid ſi mortua? Et ſane etſi initio eſſet ferè repleta arca, indies ſubminiſtrato ſingulis beſtiis alimento exonerabatur. Hac pulchrè æſtimat Buteo, quem videbis. Supremam omnes ut æquum eſt hominibus & avibus aſſignant. Nam falſum eſt, quod quidam nidos avium & manſiones amphibiorum extra arcam poſuerint cum in terra magis verſentur & intra arcam non ſit dubium ex ſuperioribus omnes illas manſiunculas fuiſſe. Canes & feles & hujuſmodi animalia domeſtica cum homine fuerunt. Nunc an unaquaque contignatio decem cubitos habuerit ut cum eſſent 30. cubiti totius altitudinis arca, loco maximè alto, ejus imum tabulatum patuerit ad medium uſque decem cubitis, & medium ad ſupremum uſque decem & ſupremum uſque ad tectum item 10. An, inquam, æquales ita fuerint contignationes, non auſim ſtatuere, cum non exprimat ſcriptura. Oportuit ſane ſpatioſiorem eſſe ſupremam, ubi tantum homines & aves eſſent, in quam forſan Noë utenſilia neceſſaria, in annum, quo illic erat futurus, & alia neceſſaria comportarat per otium, ut pulchrè & doctè conjectat Buteo, qui ſupremam videtur minus ſpatioſam facere, ut alia ſint ſpatioſiores omnium ſpecierum animantium & ciborum eorum. Fuit & in ea culina & latrina, ut ille conjectat, & gynaceum & andreon, cum viri, ut volunt etiam Hebræi, in arca à feminis ſecubarint...... Iam non eſt dubium quin ſcalis è tabulato in tabulatum tranſiretur, quo animantibus commodius alimenta præberentur. Potuerunt & in media ſtatione eſſe velut foramina, per quæ animantibus, quæ erant in tertia manſione ſeu ima, demitterentur cibaria, ut conjectat Buteo.* Hactenus Mercerus. Ita ſanè ex ingenio ſubtiliter ordinant viri doctiſſimi & hactenus illa grata, quatenus oſtenditur fieri ſic potuiſſe, ut os obturetur obſtrigillatoribus ſacrarum Divinæ veritatis tabularum. Et ut ſine miraculo iſta fieri potuiſſe pateat. Nihil enim certi ſtatuere licet, ubi ſilet harum rerum idoneus autor unicus. Sic Judæos cum ſuis nugis rejicimus, qui & Breſith Rabba inquirunt quot cellæ ſeu φατνώματα in arca fuerint & multa putide nugantur. Judæi, ut annotat Mercérus, imam עליה ſtercoribus, mediam animantibus & pabulis, ſupremam homini aſſignant. R. Sal. Jarchi: שלש עליות זו על גב זו עליונים לאדם אמצעים למדור תחתיים לזבל. Tyrinum rurſus audi (qui communem ſententiam ordinationis ſequitur) *Erant enim in arca tres contignationes ſeu tabulata, quæ diſcriminabant quaterna ſpatia. Primum & infimum ſpatium erat ſub infimo tabulato, ſcilicet locus ſaburra ad librandam arcam in aquis & ſentina ad ſordes undique excipiendas, quæ poſteà per antlias vel ſportas & funes in altum reducta per feneſtram ſuperiorem ejiciebantur. Secundum ſpatium erat ſupra infimum tabulatum, ſeu in prima contignatione: ubi locus erat omnium animalium, in cellas utrinque diſtinctus. Tertium erat ſupra medium tabulatum*

latum, ſeu in ſecunda contignatione, ubi diſtincta erant apothera, quibus includebatur omne genus annona pro hominibus & animalibus, etiam dolia aqua dulcis ad potum & ad lotionem. Quartum ſpatium erat in ſummo tabulato ſub tecto, ubi ex una parte locus erat hominum cum ſua culina, foro, furno, mola, lignili & penu: ex altera erant cavea & nidi ſingularum avium cum ſuo pabulo. Nota. In ſingulis contignationibus erant ambulacra media & in his ſcala, quibus ex una in aliam aſcendebant & deſcendebant. In pavimentis erant foramina & tubi, quibus & pabulum & ſordes & quacunque vellent, ad inferiora demittebant. In latere arca à medio circiter uſque ad verticem erant paſſim forica ſeu foramina, tum ad reſpirationem, tum ad lumen hauriendum, tum ad ſordes egerendas neceſſaria. Fusè hac Iohannes Buteo lib. de arca: & ex eo Pererius & alii. En hominis confidentiam! Quæ alii diſpoſuerunt, ut oſtendant quod ſic commode fieri potuerit ipſe affirmat ſic fuiſſe, quaſi in arca apud Noë toto anno diluvii præſens fuiſſet. Affirmat contra Moſen, quod fuerint quatuor ordines manſionum per altitudinem. Moſes enim diſerte dicit קנים inferiores, ſecundas, tertias. Saburram putat fuiſſe neceſſariam in illa mole, quaſi velis acta fuerit & obliquato aliquando curſu, jam hoc jam illo latere elevato. Dolia aquæ dulcis collocat in arca; ubi pluvia de cælo per tot menſes excipi potuit: & quis dicat eam aquam quæ ita aſſurrexerat & potiſſimum è pluviis, ſalſam fuiſſe? Edulcata eſt, uti minus noxia eſſet plantis & herbis. Verſio Græca in errorem dedit interpretes. Nam διώροφα interpretati ſunt bicamerata, τριώροφα tricamerata. Quemadmodum Lyranus etiam eos ſecutus Hebræum שנים & שלשים accepit pro bina ſeu duplicia & terna ſeu triplicata. Sic enim ille: *Hebraicus textus habet infima, ſecunda & tertia vel terna. Ex hoc patet, quod ſi deorſum conjungitur cum litera ſequenti. Secundum enim iſtam literam videtur, quod in arca erant tres manſiones, aſcendendo, una ſuper alteram. Ita quod infima vocabatur ſentina vel ſtercoraria, quia ibi feces defluebant. Et iſta dicitur fuiſſe ſimplex abſque interclusione. Media autem vocabatur apotheca, quia ibi repoſita erant victualia. Et dicitur fuiſſe bicamerata, quod alia animalia vivunt herbis & alia fructibus. Et ideo in una diſtinctione erant fructus in alia herba. Superior autem manſio, quia major erat, erat diſtincta duabus interclusionibus. Et ſic erant ibi tria ſpatia. Medium erat pro hominibus & avibus: duo autem lateralia pro animalibus mitibus & immitibus: ut patet in figura prima. Aliqui dicunt quod iſta quinque manſiones erant abſque diſtincta media una ſuper aliam ſecundum longitudinem & latitudinem arca: ut patet in figura ſecunda. Sciendum tamen quod quadratum hujus arca non poteſt benè figurari in plano: ſed figuratur unum latus ſecundum longitudinem & alia tria latera ſupponenda per imaginationem ſuſpicientis. Sed prima expoſitio magis conſonat litera in Hebraico & Latino.*

Prima figura



Secunda figura



De fide & Obſequio fidei Noë.

Qua ille cum uxore ác filiis tribus &c.] Nobilis illa Noë fides quam Apoſtolus prædicat in eo paret, quod paruit mandato Dei de fabricatione Arcæ, importatione neceſſariorum & ingreſſu in eam. Elogium ejus apud I. Calvinum tali ὑποτυπώσει depingitur. Et fecit Noë]

Noë] In hæc verba Moſis VI. 21. ſic Calvinus: *Brevibus quidem verbis ſed plusquam magnificè hic Moſes commendat fidem Noë. Mirantur imperiti quod Apoſtolus ad Hebr. 11. 7. illum juſtitiæ, quæ ſecundum fidem eſt, faciat hæredem. Quaſi vero non prodierit ex hoc fonte quicquid virtutum & quicquid laude dignum in ſancto viro fuit. Venire enim in mentem debet quibus tentationum machinis aſſiduè concuſſum fuerit ejus pectus. Primum ipſa moles arcæ potuit obruere omnes ejus ſenſus, ut ne digitum quidem ad opus inchoandum tolleret. Quanta arborum congeries cædenda fuerit, ſibi proponant lectores: quantus fuerit vecturæ labor, quanta difficultas coagmentandi. Iam res in longum tempus differebatur. Sanctum enim virum ultra annos centum in labore moleſtiſſimo occupari oportuit. Nec vero putandum eſt tam ſtupidum fuiſſe, quin venerint illi in mentem ejuſmodi obſtacula. Adde quod vix ſperandum fuit paſſuros eſſe ejus ſeculi homines, ut cum eorum ignominia ſibi privatim ſalutem promitteret. Prius de immani eorum truculentia dictum fuit. Minime ergò dubium eſt, quin homines modeſtos & ſimplices ſine cauſa quotidie laceſſerent. Hac vero plauſibilis inſultandi occaſio fuit, quod Noë paſſim arbores cædendo terram nudaret ac illos fraudaret variis commodis. Vulgare proverbium eſt de umbra aſini protervos homines & jurgioſos litigare. Quid igitur pro tot arborum umbris facturos putaſſet Noë ſævos illos Cyclopes, qui ad omnem violentiam exercitati, ferociendi anſam undique captabant? Sed hoc ad inflammandam eorum rabiem præcipuum fuit, quod ſibi aſylum fabricans, omnes exitio addiceret. Certe niſi cohibiti fuiſſent robuſta Dei manu, centies lapidaſſent ſanctum virum: probabile tamen eſt non uſque eò repreſſam fuiſſe intemperiem, quin ſcommatibus & ludibriis ſubinde eum inceſſerent, adeoque lacerarent multis probris & atrocibus minis impeterent. Imò non arbitror abſtinuiſſe manus ab opere turbando. Ergò quamvis alacriter mandatum ſibi opus aggreſſus foret, potuit tamen quotannis plus millies labaſcere ejus conſtantia, niſi valde firmas egiſſet radices. Adhac cum res eſſet per ſe impoſſibilis, unde unius anni annona? unde tot animalibus pabulum? Reponere jubetur quod toti familiæ, pecoribus & feris beſtiis, avibus denique in victum decem menſium ſufficiat. Hoc vero ridiculum poſtquam ab agricultura traductus erat ad arcæ fabricam, illi mandari ut duplicem proventum colligeret: ſed in pabulo animalium plus erat negotii. Ergo ſuſpicari poterat Deum ſibi illudere. Poſtremum erat ut animalia omne genus congregaret. Quaſi vero ad manum haberet ſylveſtres belluas, vel cicurare poſſet: ut in ergaſtulo lupi cum agnis, tigres cum leporibus, leones cum bobus, tanquam oves in ſuo ſtabulo habitarent. Sed tentatio omnium graviſſima fuit, quod vitæ petendæ cauſa jubetur in ſepulchrum deſcendere & ſe ultrò privare aere & ſpiritu vitali: ſolus enim ſtercorum fœtor, obſtructus ut erat in loco referto, ſtatim poſt triduum enecare poterat, quicquid illic animantium fuit. Veniant nobis in mentem tam grandes & multiplices & diuturni ſancti viri conflictus, ut ſciamus quam heroica fuerit virtus ad extremum proſequi, quod Deus mandaverat. Dicit quidem uno verbo Moſes ipſum feciſſe: ſed cogitandum eſt quanto iſtud facere ſuperius humana virtute fuerit: ut præſtaret centies mori quam ſuſcipere tam laborioſum opus, niſi aliquid altius præſenti vita ſpectaſſet. Singulare ergo obedientiæ exemplum nobis hic deſcribitur: quia Noë totum ſe Deo permittens debitum illi honorem reddidit. Scimus in hac natura pravitate quam prompti ſint homines ad quærenda effugia & ingenioſi ad comminiſcendos prætextus, ne Deo pareant.* Deinde ad v. 1. cap. VII. *Mihi non dubium eſt, quem repetitis oraculis ſæpius confirmatus fuerit Noë, ut certe neceſſe erat. Iam maximos totis centum annis & tempeſtuoſos inſultus ſuſtinuerat & invictus athleta retulerat memorabiles victorias: ſed hoc fuit acerrimum certamen valedicere mundo & communi vitæ renuntiare, ut ſe in arcam abderet. Integra erat tunc terræ facies: & Moſes anni tempus deſignat, quo herba virere & arbores florere incipiunt. Tranſacta*

erat hyems, quæ cœli & terræ lætitiam aſpero & ſqualido rigore contrahit. Articulum perdendi mundi elegit Dominus in ipſa veris temperie. Initium enim diluvii Moſes fuiſſe tradit menſe ſecundo: quanquam ſcio de hac re diverſas eſſe ſententias. Sunt enim qui annum inchoant ab æquinoctio autumnali: ſed ratio illa anni ordinandi magis recepta eſt, ut à menſe Martio incipiat. Utcumque res habeat non levis fuit tentatio, vitam cui aſſueverat Noë per ſexcentos annos ſponte relinquere & novum vivendi modum quærere in abyſſo mortis. Iubetur migrare è mundo, ut in ſepulchro vivat, quod ſibi laborioſe fodit per annos plus centum. Cur iſtud? Quia paulo poſt aquarum illuvie mergenda ſit terra. Atqui nihil tale apparet: indulgent omnes conviviis, nuptias celebrant, ſumptuoſas extruunt domos: denique paſſim lautitiæ & luxuriæ: quemadmodum teſtatur Chriſtus ſeculum illud in voluptatibus ſuis ebrium fuiſſe. Quare non abs re factum eſt, quod Dominus ſervi ſui animum, nova promiſſione rurſus de integro erexit & armavit ne ſuccumberet: quaſi diceret: Hactenus fortiter laboraſti inter tot ſcandala: ſed nunc res maxime poſtulat, ut animum colligas, ut fructum percipias laboris tui: neque exſpecta dum apertis terræ venis aquæ undique ebulliant & apertis cœli cataractis oppoſito impetu concurrant ſuperiores aquæ, ſed rebus adhuc tranquillis arcam ingreſſus, illic ad ſeptem dies quietus mane: tunc ſubito diluvium emerget. Dei alloquium ad Noë ſic refertur à Moſe (cap. VI. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.) quaſi unicum fuiſſet. Credibile tamen eſt, repetitis oraculis inſtruxiſſe & animaſſe Noë. Eorum omnium hic ſumma narratur. Quæ Deus dixerat, illa primò complectuntur, Dei decretum de mundo aquis delendo, ob impietatem & exorbitantem hominum malitiam, deinde conſilium ſervandi Noë per arcam. Cujus ſtructuram ſummatim perſtringit Moſes, quum certum ſit Deum eum ſigillatim edocuiſſe, ut primarium arcæ ſabrum. Tertiò Deum cum Noë ejuſque familia fœdus pangere, quo in arca ſit conſervandus. Eum igitur ingreſſurum eſſe in arcam cum uxore, tribus filiis, uxoribuſque. Ad ſe aſſumpturum ſemen de animalibus, marem fœminamque de omni animalium genere, quod degit in ſicco. Alimenta pro ſe & animantibus una includendis jubet in arcam reponere. Inde omnibus à Noë perfectis, cum tempus pœnitentiæ datum effluxiſſet, mandatum accipit de conſcendenda arca, ſecumque aſſumendis animalibus in ſeminium reparationis, Cap. VII. 1. 2. 3. 4. Huic mandato paret atque ita ſeptiduum conſumptum. v. 5. 6. 7. 8. 9.

Genes. Cap. VII.

De ingreſſu in arcam: quæque in ea conſervata ſint.

Cum hactenus Noë occupatus fuiſſet in laborioſa & moleſta arcæ conſtructione, ubi tot tædia tot moleſtias devoraverat fide ſuſtentatus, nunc jubetur luce relicta in tenebras ingratiſſimi carceris ſe abdere. Nihil ejus apparebat, nemo credere potuiſſet, ſi carnem conſuluiſſet, quod minabatur Deus. Promptiſſimè paret eadem fide ſubigente & animante. Septiduum totum in paratu ingreſſionis abſumptum eſt. Nam & animalia nutu Dei ex agris ſylviſque acceſſere ad Noë ſua ſponte, ſedemque in arca, in quam Noë concedere volebant occuparunt. Volatilia etiam advolarunt, quibus à Noë locus ſuus aſſignatus eſt. Calvinus ad cap. VII. v. 8. *Nunc exprimit Moſes, quod dubium adhuc erat, quomodo ſcilicet collecta fuerint animalia in arcam, dicit autem ſponte veniſſe. Hoc ſi cui videtur abſurdum, memoria repetat, quod prius dictum fuit, initio omne genus animalis ſe obtuliſſe Adæ, ut illis nomina imponeret. Nec ſane alia de cauſa horremus fera-*

ferarum aſpectum, niſi quia excuſſo Dei jugo imperium illud perdidimus, quo præditus erat Adam. Fuit autem illa quædam naturæ prioris reſtitutio quum Deus ad Noë adduxit, quæ ejus opera & miniſterio ſervari volebat. Neque enim ſecùs indomitas belluas in ſua arca continuit Noë, quam in corte aluntur gallinæ & anſeres. Nec vero ſupervacuum eſt, quod additur, veniſſe ipſa animalia ſicut Deus ipſi Noë præceperat: ſignificat enim Deum benedixiſſe obſequio Noë, ne irritus eſſes ejus labor. Impoſſibile erat ſecundum hominem ut momento uno talis fieret omnium animalium concurſus: ſed quia Noë ſimpliciter Deo eventum commendans, quod ſibi injunctum eſt, exſequitur, viciſſim Deus virtutem addit præcepto ſuo, ne effectu careat. Imò propriè loquendo, hæc erat promiſſio Dei mandatis annexa. Ideò ſtatuendum eſt fidem Noë plus valuiſſe omnibus plagis & retibus ad capturam animalium: eandem quoque januam fuiſſe, qua leones & lupi & tigres cum bobus & agnis placidè ſe in arcam receperint. Notat Aben-eſdras injunctum eſſe Noë ut introduceret animalia, voce תביא שלא יעזבם רק יביאם עמו להחיות זרע כל מין: *Ne relinqueret ea, tantum ſecum introduceret ad conſervandum ſemen omnium ſpecierum.* Rurſum vocem יבואו docere, שהם יבאו מעצמם ולא יגע לבקש אותם באיים ולצוד כל מיני העוף *quod ipſa per ſe ingreſſa ſint aut venerint, nec opus fuerit ut ſe fatigaret inquirendo per inſulas & venando avium omne genus.* Quia dicitur diſtinctim, *Tu & filii tui & uxores filiorum tuorum*, hinc putant Judæi ſe efficere poſſe quod ſeparatim ſua cubilia viri & feminæ in arca habuerint. Salomo Jarchius: האנשים לבד והנשים לבד מכאן שנאסרו בתשמיש המטה: *Viri ſeparatim & mulieres ſeparatim, quia prohibiti fuerunt in uſu lecti maritali.* Etiam ſic colligunt, de brutis animantibus ex eodem argumento. Hos ſeptem dies Judæi putant extra terminum pœnitentiæ datum, annorum ſcilicet 120. quaſi cum fine eorum præciſe inierint. Hæc eſt περιεργία Deinde fingunt eos adjectos fuiſſe propter luctum funeris Mathuſale. Idem Salomo: אלו שבעת ימי אבלו של מתושלח הצדיק שחס הק״בה על כבודו ועכב את הפורענות צא וחשוב שנותיו של מתושלח ותמצא שהם כלים בשנת ת״ר שנה לחיי נח: *Hi ſunt ſeptem dies, luctus Mathuſale juſti, quibus pepercit Deus in honorem ejus & diſtulit pœnam: I & computa annos Mathuſale, invenies quod terminentur in anno 600. vitæ Noë.* Hoc ſeptiduo finito, cum viventia omnia, quæ conſervanda erant in ſemen, intra arcam eſſent, eo ipſo die pluviæ de cælo cadere cœperunt. Deus occluſit januam, qua (poſita ſane in ima parte, non ut vulgo putant inter apothecam ſeu mediam & ſupremam partem) ingreſſa animalia cum hominibus erant & importatus commeatus. Calvinus: *Neque hoc temerè additum eſt nec leviter præteriri debet. Oportuit amplam eſſe januam, quæ elephantum caperet. Nec ſane ulla tam firma & tam tenax picatio, nulla etiam tam ſolida compactio eſſe potuit, ut non ſaltem multis rimis immenſa vis aquæ penetraret: præſertim in tam violenta irruptione & jactatione tam ſæva. Ergo Moſes ut anſam præcidat vanis ſpeculationibus, quas nobis curioſitas noſtra ſuggerit, uno verbo pronuntiat, non humano artificio ſed divino miraculo factum eſſe ut immunis fuerit arca à diluvio. Dubium quidem non eſt quin tunc novo ingenio & perſpicacia donatus fuerit Noë, nequid deeſſet ad ſtructuram arcæ: ſed ne ſucceſſu careret hæc ipſa gratia, neceſſe fuit accedere aliquid majus. Quare ne ſenſus noſtri captu metiamur modum ſervandæ arcæ docet Moſes non pice vel bitumine tantum ſed magis arcana Dei virtute & oppoſita ejus manu cohibitas fuiſſe aquas ne irrumperent.* Incluſi igitur in illo clauſtro fuerunt octo homines, quorum numerum numerantem (uti vocant) Petrus 2. ep. 3. 20. annotat, numeratum oſtendit Moſes Fuerunt paria hominum quatuor. Animalium in ſicco degentium ſemel eodem clauſtro recipi Deus voluit, ut repararentur genera poſt cataclyſmum, & decreto Dei ordini in creatione prima ſancito ævum ſuum, quanto mun-

 dus

dus erat duraturus, conſtaret. Animalia in ſicco vitam agitantia in arcam aſſumpta fuerunt, non piſces aut in aquis degentia, quia illis internecio eventura non erat. Piſces interiiſſe exiſtimat Aben-eſdra: וכן חית המים שגם הדג יקרא בשר והעד שאמר משה ואתה אמרת בשר אתן להם הצאן ובקר וג׳ אם את כל דגי הים וג׳ *Et ſic animantes aquarum, quia etiam piſcis vocatur caro & teſtatur quod dicit Moſes.* [Num. XI. 21. 22.] *Et tu dicis, carnem dabo ipſis, An oves & boves &c. Si omnes piſces maris* &c. Ex eo quod dicitur delendam eſſe omnem carnem, Gen. VI. 13. *Finis omnis carnis coram me venit*, argumentatur, etiam piſces diluvio interiſſe & ſeminium in arca ſervatum eſſe. Sed non interiſſe piſces, docemus his rationibus. I. Aquis deleri non potuerunt, quæ in aquis degunt & ſiccitatem non patiuntur. Eorum regnum Deus ampliavit. Cum Deus uult piſces interimere facit id ſiccitate & penuria aquarum. Eſai. 50. 2. II. Ipſe Moſes ita illam generalem locutionem determinat, ut interiſſe & exitio deſtinatum eſſe dicat. quod in ſicco degit. Ita v. 17. cap. VI. *Diluvium induco terræ, ut omnem carnem, in qua eſt Spiritus vitæ, perdam ſub cælo.* Hoc generale eſt, ſed determinatur limitatione adjectâ. In cap. VII. v. 21. 22. 23. *Omnis caro, quæ ſe movet in terra, exſpirabat. Quicquid halitum ſpiritus vitæ in naribus habebat, de omni quod in ſicco erat, mortuum eſt.* כל יקום*, quod in terra erat, exſtinctum eſt.* III. Etiam ſigillatim recenſentur ſpecies interemptorum, aves, pecudes, feræ, repentia terræ, d. l. bis ſine ulla mentione piſcium. IV. Etiam ſigillatim recenſentur illa animalium genera; quæ arcam intrarunt, ſcilicet illa eadem quæ exitio ſubjecta fuerunt: nec inter ea piſces habentur. V. Etiam fœdus Dei de non reducendo diluvio, animalia terræ & ſicci complectitur, piſcium non habita ratione, cap. IX: 10. 16. Et ita fœdus hoc dicitur eſſe inter Deum & terram, non lædendam ſcilicet vaſtandamque, non inter Deum & aquas ibid. v. 13. Si quæſiveris à me, Cur piſces eadem Dei ira non involverit? Reſpondebo, Animalium in ſicco degentium vicinior eſt cum homine conjunctio, quaſi in ejuſdem elementi domicilio & communi victu. Nulla ſacrificia, quibus Deum coluere mortales à piſcibus, quia remotiores ſunt ab hominum uſu. Interitus non ob animalia bruta, ſed ob hominem mundo & animalibus brutis evenit & inductus eſt. Animalia in ſicco conjunctius degunt cum homine. Ita Gen. IX. 10. *Pango fœdus tecum & cum omni anima vivente quæ tecum eſt.* Cum homine eſſe dicuntur, quia in eodem vivunt elemento & proximiore victus ratione. Amphibia in arcam eſſe admiſſa quis dubitet, cum in aquis quidem cibum quærant, ſed in ſicco ſtabulentur. Aben-eſdra monet in arcam eſſe collecta animalia, quæ collecta ſunt, קטן וגדול שהוא נולד מזכר ונקבה genera minora & majora, quæcunque ex coitu ſolum maris & fœminæ enaſcuntur. Non igitur illa quæ ex putredine. Hæc enim ex ſuis ſeminibus, quæ in formarum latent ἀδη reparari potuerunt. At cum animalia ratione deſtituta peccare non poſſint, quia natura non conſilio aguntur, quomodo animalia innoxia exitio ob peccatum involuta ſunt? Animantem, quæ peccato hominis inſtrumenti loco inſerviit, cum homine in ſupplicii ejuſdem conſortium rapi, docet res & ratio. Nam id æquum eſt duobus modis, quia eſt in hominis peculio & quia miniſtravit ad patrandum capital. Cujus deteſtationem ita teſtatam eſſe & Deus in lege ſua voluit. Hic ſaltem valet hoc, quod pecudes & jumenta ſint in hominis, qui deliquit & punitur, poſſeſſione & proprietate. Quantum ad cætera, feras ſerpenteſque attinet, quibus nullum cum homine conſortium quotidianum eſt ad vitæ hujus uſum, communem homini aërem hauriunt & terram calcant, quæ elementa ob generalem malitiam omnium & ſingulorum hominum

per

per univerſi orbis inſulas & regiones diſſeminatorum contaminata erant. Nam ſeculâ ſedecim in magna fecunditate & longævitate orbem totum implere potuerunt. Quicquid igitur & quacunque orbis parte locorum eſt, vitiis hominum fœdatum fœtenſque purgari debuit univerſali inundatione, quæ in ſicco, quod colunt homiues, omne animal exſtingueret. Ineptit R. Salomo, qui etiam שדים dæmonia ſuffocata eſſe putat: nempe quoque comprehendi eo quod dicitur v. 19. מכל חי. Quaſi non Moſes illa uiventia per ſua genera ſigillatim enumeraverit in illis, quæ ſubjecta ſunt. Animalium ſeminium Deus conſtituit in ſeptenis mundorum & binis immundorum. Cap. VI. 19. 29. 7. jubet Deus ut bina de ſingulis generibus, marem & feminam ad ſe colligat in arcam: cap. VII. 2. jubet ſumi ſeptem & ſeptem de mundis animalibus, marem feminamque: ſed duo de immundis marem feminamque. Hic dubium eſt de ſeptenis an ſeptena paria ſint intelligenda, id eſt ſeptem mares & ſeptem feminæ. Sic intelligunt Judæi & nonnulli Chriſtianorum interpretum. At ſeptem tantum in totum de mundis numerum fuiſſe magis recepta ſententia eſt. Terna nempe ut paria fuerint mundorum, quemadmodum ſingula immundorum. Si de mundis ſeptena paria introducta in arcam fuiſſe placeat, videtur nimium augeri numerus pro arcæ capacitate, itemque proportione ad numerum immundorum. Vocum Hebræarum proprietas utramque fert expoſitionem. Si de ſeptenis paribus accipiamus, arcam tamen minus capacem fore non arbitror. quod ſi una illa animalium communis manſio ea accipere non potuerit in aliarum ſpatia ſuperantia induci potuerunt. At quo ſpatium liberius ſit ſeptem toto numero fuiſſe dicamus. Sic etiam hominum numerus unitate ſuperabit. Plura de mundis fuerunt, ob uſum hominum. Si ante diluvium carnibus non fuerint uſi in cibum, poſt diluvium tamen carnes epulaturi homines erant. Deinde & in ſacrificia veniebant. Septimum ſine conjuge ſine compare ſervatum eſſe volunt, ut Noë è diluvio ſervatus ſoteria immolaret. Epiphanius: *ὡς εἶναι δῆλον, ὅτι τούτου χάριν ἀνὰ ἑπτὰ προσέταξεν ἐξ ἑκάστου γένους τῶν καθαρῶν εἰς τὴν κιβωτὸν εἰσαχθῆναι, ἵνα τὸ ἓν ζῶον ἐξ ἑκάστου γένους ὁ Νῶε προσφέρων διαφθείρῃ τὰς συζυγίας.* Sed non eſt curandum, inquit Mercerus, quod ſeptimum ſine compare remaneat, quia inſtabili conjugio vagantur. Septenarium numerum eſſe myſticum ajunt & perfectum, ideo ad illum adſtrictum mundorum animalium in arca reſervandum ſemen. Ejus numeri perfectionem multi veterum multis perſequuntur, quæ reſipiunt ſcholam Platonicam & Pythagoream. Numeris abſtractis ſtatum & vim attribuere ineptum eſt, concreti ordinem & diſpoſitionem largiuntur. Decadum gradibus numerum quamlibet magnum creſcere & compleri notum eſt. In hoc primo gradu verba Dei ſive præcepta per Moſen data ſunt ad ſummam & popularem morum vitæque inſtitutionem. Juxta decadem tribus partibus diſtinctam, minorem frequentiam ternione, mediam ſeptenario deſignamus, ſummam perfecta decade. Sic fert rerum commoditas in numero cum numerus in ſe & nudus nihil ſit. Commodus fuit ſeptenarius mundorum animalium, ut ſufficeret neceſſariis vitæ & ſacrificiis, in ſeminium reparandorum generum. Tria, ſeptem, decem frequenter occurrunt, quia ſic conveniens & commodum erat. Quærit etiam Mercerus cum ex animantibus & avibus mundis quatuor tantum genera, in lege Moſis capta ſint ad ſacrificia oves, boves, columbæ & turtures, ut ex Levitico apparet, an de his ſolis hoc præcepto ſeptem juſſa ſint accipi. Nam ſic ſpatium arcæ erit liberius. Ita quidam de Hebræis ſentire videntur. Sed quia mox ſubjicitur finis, ad conſervandum ſemen, nulla ſacrificiorum mentione, mavult ille cum pleriſque interpretibus omnia munda deſignari ad numerum ſeptenarium. In arca

etiam generaſſe animalia non dubitat, cum mares & feminæ in ſuis manſionibus fuerint conjuncti, quamvis de homine aliter exiſtimet, ob præſentem orbis calamitatem. Jam & quæritur, Quomodo præcipiat Deus de mundis & immundis introducendis, cum mundorum ab immundis nondum facta eſſet diſtinctio? Ea enim poſteà facta legitur à Domino per Moyſen Levit. xi. Judæi & qui eos ſequuntur, reſpondent munda & immunda hoc loco dici per anticipationem, id eſt ea quæ poſteà per legem velut munda vel immunda diſtinguenda eſſent. Id autem Noe à Deo didiciſſe. Sic R. Salomo Jarchi: העתידה להיות טהור׳ לישראל למדנו שלמד נח תורה. Atqui non eſt veroſimile Noë Moſaicæ legi tantò ante fuiſſe adſtrictum. Obſervavit legem ſui temporis potius Eccleſiæ omni non ipſi ſoli datam. Huic etiam Deus accommodavit præceptum. Nam non erat neceſſe nec locum habebat de propagatione proſpicere, ob neceſſitatem poſt octo ſecula demum affuturam. Si enim hæc animalia, quæ Moſes munda eſſe juſſit non magis uſui fuere Noë tempore & patriarchicis ſeculis quam cætera, quæ in Levitico immunda eſſe declarata ſunt, quid erat opus eorum propagationi nunc cavere. In i lis ſeculis libertatis communis ſatis poterant augeri, ut ſufficerent uſui deinde frequentiori. Alii dicunt immunditiam hanc fuiſſe ex hominum opinione & inſtituto. Opinionem iſtam fundatam fuiſſe in relatione ad cibum hominis & ipſorum animalium. Nam ſanguine & raptu aut fœdo genere eſcæ victitantia naturam hominum mitem mundamque abominari & abhorrere. Hæc igitur mundities & immundities naturalis eſt, quam hic quidam ab hominibus in cultu Dei ex dictamine rectæ rationis introductam & uſu receptam fuiſſe exiſtimant. Id vero nemo ſanus conceſſerit. Nam ſi homo nullo genere cibi, conſcientiæ ſine lucta & cum fide uti potuit niſi ſub expreſſo Dei verbo & diſerta conceſſione ſeu donatione, qui Deo dare poteſt in honorem & cultum, quod ab ipſo præſcriptum & mandatum non eſt? Natura non dictat Deum ſacrificiis colere, ſed pietate & fide. Sacrificiorum ratio poſitiva eſt & cerimonialis. Quod ſi ſacrificia præſcripta ſunt præſcripta erit ſimul ratio quoad materiam & formam ſacrificiorum. Oportet igitur Deum mundorum & immundorum animalium diſcrimen ad ſacrificiorum rationem docuiſſe, idque ipſum Adamum, qui primus immolavit eamque colendi Dei viam filios ſuos docuit. Non tamen ad eſcam & victum immunditiem Deus & munditiem diſtinxit, ſed eam naturæ reliquit. Nam diſcrimen ciborum non potuit introduci antequam gentes excluderentur. ut contaminatæ, quemadmodum docemur Act. x. in viſione Petro oblata. In qua Deus Petrum erudiit gentes admitti ad Euangelii & Eccleſiæ ſocietatem, quia ſine diſcrimine, quicquid Deus & natura permitterent, in cibum ſumi poſſet hoc tempore, quo paries ille intergerinus in Chriſti ſanguine dejectus erat. Cerimonialia quædam fuerunt ante legem inſtituta, quia fides ſub umbris quibuſdam in Chriſtum dirigentibus tenenda erat. Huc enim pertinet quoque lex de ſanguine & ſuffocaro data poſt diluvium, quæ ciborum delectui præluſit. Sed quid dicemus de hac inſtitutione diſcriminis mundorum & immundorum animalium? I. Non determinaſſe victum humanum. Hoc enim eſt à Moſe. II. Eo etiam immunda fuiſſe multa, quæ munda fuerunt ex Moſis lege cibaria. Nam piſces nulli admiſſi in aram, eoque in hoc genere immundi. Deinde è reptilibus nihil mundum hic fuit. Mundities enim ad בהמה & עוף diſerte reſtringitur. Ut feræ nullius victima potuit eſſe ſic ut in lege Moſis omnis fuit immunda. בהמה ſignificatu ſuo comprehendit omnem beſtiam terræ, recta pedibus gradienrem ſive domeſtica ſit ſive agreſtis. Feram excluſit Deus à ſacrificio, ut immundam, quia in uſu

humano

humano non eſt & nec in cibum admiſſa à Moſe. Aſinum & equum & camelum non admiſit, quia eam carnem naturalis quoque mundities eſcatilem eſſe non permittit. Proinde בהמה munda erit, quam nec Moſes repudiavit in cibo, nec natura abhorret. Ita boves, oves, capræ & ſi qua alia in uſu hominis & commercio & naturaliter admiſſa, ad aram pertinuerunt. Ex avibus etiam illas mundas dicemus fuiſſe, quæ in naturali munditie, non viventes rapto & in uſu quotidiano. Plura genera mundorum in cibo admiſit Moſes, quam lex antiqua dabat aræ, rurſus plura ab illa antiqua lege ſacrificiis data, quam à Moſe. Nam ſunt tantum quinque genera de בהמה & עוף ſimul à Moſe permiſſa qui exiguus numerus eſt: cum hiſtoria vocabulum כל multa complectens ſaltem duobus plura de generibus avium à Noë immolatarum enunciet. Quæcunque autem in arcam recepta & admiſſa fuerunt in ſeminium novi generis, ſervata ſunt ob unum Noë, juſtitia egregium & ideò Deo carum acceptumque. Juſtitiam & coluit & præco juſtitiæ fuit. Non alius juſtitiæ, quam recta ratio dictabat, Si Epiſcopio credimus. Ipſe fatebatur rationem rectam jam tum fuiſſe obſcuratam, valuiſſe tamen putat, ut hominem Deo commendet & gratum faciat. Et hujus præconem fuiſſe Noë id eſt Spiritum Chriſti in Noë. Apoſtolus autem fide Deo placuiſſe & juſtitiam hæreditaſſe affirmat, quæ ex alio eſt. Judæi etiam multi non adeò favent laudibus Noë. Teſtatur R. Salomo Jarchius, illud quod habetur Gen. VI. 9. (ubi incipit ſectio ſecunda Legis) *Noë vir juſtus atque perfectus fuit in ſuis generationibus*, ab aliis magiſtris exponi לשבח in laudem Noë ſummam: *Quandoquidem ſi fuit in generatione juſtorum, præ illis juſtus fuit.* Ab aliis לגנאי in diminutionem & ignominiam לפי דורו היה צדיק ואילו היה בדור של אברהם לא היה נחשב לכלום: *In ſua generatione juſtum fuiſſe, at ſi fuiſſet in ætate Abraham, nullius pretii habendum fuiſſe.* Mercerus recte notat; id potius laudem ejus augere, quod inter corruptiſſimos homines fuerit integer, ſeculi malitia non afflatus. In hoc loco dicitur צדיק תמים/ cum Gen. VII. 1. Deus alloquens Moſen eum ſolummodo appellet צדיק. Hic R. Salomo comminiſcitur, id fieri quia Deus in facie & coram alloquatur Noë: שאומרים מקצת שבחו של אדם בפניו וכולו שלא בפניו Abeneſdras illud בדורותיו ad laudem facere arbitratur, quia generationes ſignificantur, in quibus vixit Noë ante & poſt diluvium, uſque ad annum Abrami 58. Qui numerus annorum vitæ Abrahami in ipſis literis nominis נח exhibetur. Impingunt Judæi juſtiſſimo viro quod non rogaverit pro mundo, ut Abraham pro Sodomis, Moſes pro ſua gente, alii pro ſui temporis hominibus. Cui frivolæ objectioni reſponderim, quod non omnia quæ facta ſint, ſcripta legantur: quod illi oraverint ante ſententiam latam, cum orare poſt pronuntiatam ſententiam ſupervacaneum ſit. Deus ad Noë dixit, decretum ſuum enuntians, *Finis omnis carnis venit apud me.* Stat ſententia, fixum eſt & certum mihi. Nectunt etiam λόγοι ex eo, quod dicitur Ambulaſſe cum Deo, cum legatur de Abraham quod ambulaverit coram Deo. נח היה צריך סעד לתומכו אבל אברהם היה כח וחזק בצדקו Q. eſſet ejus phraſeos hæc notio quod Noë ſuſtentamine & auxilio Dei, cum Abraham coram Deo ſuis incedere potuerit viribus. Quæ nauci non ſunt.

De Naturalibus cauſis diluvii.

RELIQUA OMNIA DILUVIO ABSORPTA] Cauſæ inundationis ſupernaturalis duæ naturales referuntur, pluviæ & abyſſi magnæ eructatio. Supernaturalis enim cataclyſmus juxta naturæ ordinem, naturalis quoad cauſas

ſas ipſas quas Deus turbato ordine concitavit. Cum abyſſi magnæ fontes rupti eſſe dicuntur ſignificatur vaſtum illum aquarum gurgitem, qui immenſa profunditate fundamenta terrarum excavata implet, (inhibito receſſu marium eoque non ſorptis fluminibus quamvis laxatis fontium venarumque oſtiis) terras inundaſſe & obruiſſe. Dixeris mihi. Anne igitur tanta aquarum moles erit & multitudo, ut ſuperfuſa terris ſummorum montium juga integere poſſit? Quidni! Sed anne ſuperabit in ulnas quindecim ut factum in diluvio? Diluvium non è ſolo mari & abyſſo fuit ſed & aquis cœleſtibus, quæ continuis quadraginta diebus è cœlo ceciderunt, imbribus largis & impetuoſis. מִדָּה כְּנֶגֶד מִדָּה, inquit Raſi, quia grandia peccarunt, grandi aquarum multitudine puniti ſunt. Quod nubes cœli cum fontibus abyſſi immiſiſſe aquas terris Moſes dicit, id poëtico more & gentiliter proloquitur Ovidius, Jovem & Neptunum conſpiraſſe ad diluvium faciendum:

Pœna planet diverſa: genus mortale ſub undis
Perdere & ex omni nimbos demittere Cælo.
Protinus Æoliis aquilonem claudit in antris,
Et quæcunque fugant inductas flamina nubes,
Emittitque notum. Madidis Notus evolat alis,
Terribilem picea tectus caligine vultum:
Barba gravis nimbis, canis fluit unda capillis;
Fronte ſedent nebulæ, rorant pennæque ſinusque.
Utque manu latè pendentia nubila preſſit,
Fit fragor & denſi funduntur ab æthere nimbi.
Nuncia Junonis varios induta colores
Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus affert.

Jovi ſuccurrit frater maris dominus:

Nec cœlo contenta ſuo eſt Jovis ira, ſed illum
Cæruleus frater juvat auxiliaribus undis.
Convocat hic amnes: qui poſtquam tecta tyranni
Intravêre ſui, Non eſt hortamine longo
Nunc, ait, *utendum: vires effundite veſtras*
(Sic opus eſt) aperite domos ac mole remota,
Fluminibus veſtris totas immittite habenas.
Juſſerat hi redeunt ac fontibus ora relaxant
Et defrenato volvuntur in æquora curſu.
Ipſe tridente ſuo terram percuſſit, at illa
Intremuit motuque vias patefecit aquarum.

Dicit Moſes imbrem cœlo ruiſſe quadraginta diebus & noctibus, Gen. VII. 12. Nempe ab illo ipſo die, ſcil. 17. menſis ſecundi, quo in arcam ingreſſus erat Noë cum ſuis, hominibus & animantibus in arida vitam degentibus. בעצם היום הזה *illo ipſo die*, ut loquitur Moſes. Ad hæc verba commentatur Judaïce id eſt nugatorie R. Salomo Jarchi: למדך הכתוב שהיו בני רוח אומרין אלו אנו רואים אותו נכנס לתיבה אנו שוברין אותה והורגין אותו אמר הקדוש ברוך הוא אנו

אני מכניסו לעיני כלם ונראה דבר מי יקום: *Docet te ſcriptura quod homines illius ætatis dixerint, ſi nos eum viderimus ingredi in arcam, deſtruemus eam & interimemus eum, tum Deus, Ego eum inducam ſeu ingredi faciam in oculis omnium ipſorum & videbimus quod verbum conſtans futurum ſit.* Voluit igitur in conſpectu & oculis omnium Noë in arcam, ſub providi numinis munimine, introjiſſe. Abenesdras exiſtimat nullum dierum & noctium fuiſſe diſcrimen toto illo tempore, quo diluvium fuit, cæterum Noë cognoviſſe, quadraginta dierum tempus præteriiſſe, ex eo quod imber deſiiſſet. כי השם גלה לו זה הסוד / *quod Deus ipſi hoc arcanum revelaſſet.* Sed diſcrimina dierum de diluvio accurate notata ſunt in hiſtoria, quod non fuiſſet factum ſi dies noctesque nullæ fuiſſent. Noë ipſe ſupputavit dierum numerum ad emiſſionem corvi & columbæ. Sidera non ceſſavere ab illo ordine & fœdere perpetuo, quod factum & fixum in mundi principio. Fundamentum ſuæ ſententiæ ſumunt Gen. VIII.21. In quo loco ad oppoſitum diluvii promittit Deus, Diem noctemque non eſſe ceſſaturum de cætero. De cujus loci ſenſu videbimus, ubi nos eo, ζωῇ θεῷ, ordo perduxerit. Dicit Spiritus S. de fontibus magnæ abyſſi, non de fluminibus. Aben-esdras לא הזכיר הנחלים כי מהמעינות יצאו quod flumina de fontibus egrediantur. De fontibus dicit, נבקעו *rupti ſunt.* Hic audiamus Lyranum: *Nomine ruptionis utitur ad oſtendendum, quod iſtud diluvium non proceſſit ex cauſa naturali ſed ſupernaturali: & ideo deridendi ſunt illi, qui hujus diluvii volunt cauſam naturalem aſſignare, dicentes, quod cauſa fuit conjunctio planetarum humidorum in ſignis pluvialibus: ex qua conjunctione factum fuit iſtud diluvium: & eodem modo volunt aſſignare cauſam incendii futuri ante judicium per conjunctionem planetarum calidorum in ſignis calidis. Licet enim diluvium particulare in aliqua parte terræ cauſam habeat naturalem, generale tamen diluvium, maxime in tanto exceſſu quod quindecim cubitis tranſcendat cacumina montium, non poteſt naturaliter evenire. Vnde & philoſophus 2. Methaur.* (barbare pro Meteor.) *dicit, quod cum una pars terræ, quæ prius erat arida, operiretur mari, alia pars in alia regione ubi erat mare diſcooperitur & fit arida ſed quod tota terra ſimul cooperiatur aquis ſecundum eum impoſſibile videtur: nec virtute aliqua naturali poteſt tantum de aliis converti elementis in aquam quod excedat capita montium in tanta altitudine.* Bene diſputat naturalem non fuiſſe cataclyſmum eoque à naturalibus cauſis, ut συζυγίαις planetarum non habuiſſe ortum. Alfonſini exiſtimarunt diluvium è motibus & influentia cæleſti exſtitiſſe: ideo ejus æram ſicuti & Adami è cœlo petierunt non quæſiverunt ex hiſtoria. Id obſervavit & annotavit Nicolaus Mullerius in Tabulis Friſicis, *Æra Adami*, inquit, *& æra diluvii è motibus cæleſtibus conquiſitæ videntur. In hac enim planetæ junguntur in Aquario; & primo æræ die ſol aquarium recens ingreſſus erat: Ab æra creationis inchoata eſt prima periodus anomaliæ augium, quæ annis Romanis 7000. abſolvitur. Secunda Periodi initium fuit anno Chriſti 16. illo creationis anno Cyclus ſolis fuerit 25. literæ dominicales E D. Quare* 10. Maii, feria prima, qui eſt primus creationis. Sol creatus 13. Maii, *feria quarta. Et ſequenti die (ut Alfonſinæ tabulæ docent) factum eſt æquinoctium vernum, feria quinta. Adam à Deo creatus Maij 15. feria 6. & Maij 16. primum Sabbathum. Illuc procul dubio reſpexere Alfonſini in his duabus æris conſtituendis. Periodus poſtulatitia eſt altera Periodus Iuliana, hanc noſtram præcedens cujus anno 5709. congruit æra Adami ab Alfonſinis poſita.* Hactenus Cl. Mullerius. Illa Alfonſina æra ab Adamo præcedit noſtram ab Adamo annis 3035. Diluvium juxta ipſos evenit Periodi Julianæ veræ anno 1612. id eſt anno æræ Alfonſinæ 3883. tot enim annos interponunt Mundi initio & cataclyſmo Noë. Inter hoc diluvium & epocham Chriſti vulgarem anni ſunt 3101. cum diebus 319, id eſt dies in univerſum 1132959. Alfonſini igi-

tur numerant ab Adamo ad Epocham Chriſti ann. 6984. In Druſii notis ad Sulpicii primum caput libri primi, in tabella Victoris Giſelini malè habentur 5984. Vanitas Aſtrologiæ judiciariæ poſt Johannem Picum ab illuſtri etiam Scaligere traducta eſt. Claudius Salmaſius literarum poſt illos delitiæ & Phœnix in libro de annis climactericis vanitatem cum impietare & idololatria conjunctam eſſe oſtendit. Quam ſæpe illi falſi ſunt? Cum bona mundo ominarentur, infelicia evenêre, cum mala denuntiarent, bona ſecuta ſunt. Æquabilem curſum ſeculum tenuit, cum ima ſummis mutanda eſſe & tantum non finem rerum imminere cecinissent. *Vide quid accidit* (Verba ſunt Scaligeri) *anno Chriſti MCLXXIX, quo quidem omnes orientales aſtrologi Chriſtiani, Iudæi, Saraceni, literas per totum orbem terrarum tanquam diplomata regia, aut apices imperiales emiſerunt, quibus anno ſeptimo poſt, qui fuit Chriſti MCLXXXVI, tantum exitium à ventorum & tempeſtatum violentia imminere rebus humanis præcinebant, ut per totum illud ſeptennium homines, præ metu & periculorum exſpectatione vitam ſibi acerbam putarent. Omnes planetas tam inferiores quam ſuperiores in unum coituros menſe ſeptembri denuntiabant, quem conventum ſtellarum anteveniret Solis defectio XI. Kal. Maj. Denique tam exitiabilem orbi terrarum illum annum promittebant & tanta conſternatione mentes hominum percuſſerant prophetæ illi, ut nemo dubitaret finem rerum imminere. Sed, ut ſcribit Rigordus, qui & illorum binas literas produxit & multos poſt annos termino ab illis præſtituto ſuperfuit, vanitatem ejuſmodi oraculorum eventus coarguit.* Philippus Mornæus cap. VIII. de verit. Chriſtian. relig. *Ita verò Aſtrologi anno 1524. ex ſimili, ſi Deo placet, conjunctione, diluvium univerſale prædicebant: nec unquam, inquit Vives, annus ſerenus magis.* Nulla conjunctio planetarum diluvium univerſale efficiet, Nam Deus nullum fore conſtituit & promiſit. Alternis vicibus non inardeſcit aut exaqueſcit mundus, ut Plato in Timæo credidit. Vult enim inundationibus & conflagrationibus renovari ſubinde mundum & perire priorum ſeculorum memoriam & aboleri artes diſciplinaſque. At conflagrationes notabiles in hiſtoriis nullas habemus, ut nec diluvium ullum excepto illo, quod narrat Moſes: niſi forte ſi quam agelli partem aut fluvius inundarit aut maris impetus alluvione obruerit occupaveritq; diluvii nomine cenſeri velint: quod utique ad rem de qua agitur, nullius momenti erit. Hoc quod in Moſis libris habetur, univerſale fuiſſe omnes gentes prædicant & nemo auſus eſt contradicere. Anne Phaetontis incendium pro ἐκπυρώσεως obtrudi poteſt? Quod fortaſſis æquè verum eſt & conveniens, ac Deucalionis diluvium commune fuiſſe dicere & confundere cum diluvio Noë. Manilius tamen Deucalioneum diluvium & Phaëtontis incendium pro ſententia illa philoſophica non propoſuit, quamvis ita exiſtimet Scaliger:

Sic quondam merſerat urbes,
Humani generis cum ſolus conſtitit heres,
Deucalion, ſcopuloque orbem poſſedit in uno.
Nec non quum patrias Phaethon tentavit habenas,
Arſerunt gentes, timuitque incendia cælum,
Fugeruntque novas ardentia ſidera flammas,
Atque uno timuit condi natura ſepulchro.

Diluvium illud univerſale fuiſſe cum poëtis ſupponit, ſed Phaetontis incendium non innovaſſe orbem ex eo innuit, quia tantum timuiſſe naturam dicit: nempe timuiſſe hoc, quod non evenit. Ariſtoteles magnas eluviones & grandia incen-

incendia per vices evenire arbitratur, tanquam hyemes & æſtates, ſed non eſſe ullam μεταβολὴν τοῦ ὅλου. Sic terrarum partes aquis abſorberi & maris partes ſiccari. πλείους γάρ εἰσιν οἱ πρότερον ἔνυδροι, νῦν δὲ χερσεύοντες. οὐ μὴν, ἀλλὰ τὐναντίον, Idem voluit Manilius, nihil ſtare ſuo loco, mutationibus alterniſque defectibus & incrementis variari quæ in mundo ſunt.

Scilicet immenſo nihil eſt æquale ſub ævo,
Perpetuoſque tenet flores unumque colorem.
Mutantur ſed cuncta diu variantque per annos.
Et fecunda ſuis ſubſiſtunt frugibus arva
Continuoſque negant partus effœta creando.
Rurſus quæ fuerant ſteriles ad ſemina terræ
Poſt nova ſufficiunt, nullo mandante, tributa.
Concutitur tellus validis compagibus hærens,
Subducitque ſolum pedibus, natat orbis in ipſo
Et vomit Oceanus pontum, ſitienſque reſorbet,
Nec ſeſe ipſe capit.

Sed etiam eſſe ſigna ἐκλειπτικὰ, ſterili torpentia motu, amiſſis viribus quas receptant tempore certo. Nempe ſignum in quo Luna defecit τὸ φωσφορικὸν, eique oppoſitum dodecatemorion. Partialem fuiſſe inundationem Deucalioneam docet Ariſtoteles; Ἀλλὰ πάντων τούτων αἴτιον ὑποληπτέον ὅτι γίγνεται διὰ χρόνων εἱμαρμένων, οἷον ἐν ταῖς κατ᾽ ἐνιαυτὸν ὥραις χειμών, οὕτω περιόδου τινὸς μεγάλης μέγας χειμὼν καὶ ὑπερβολὴ ὄμβρων, αὕτη δ᾽ οὐκ ἀεὶ κατὰ τοὺς αὐτοὺς τόπους ἀλλ᾽ ὥσπερ ὁ καλούμενος ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμός. Καὶ γὰρ οὗτος περὶ τὸν ἑλληνικὸν ἐγένετο μάλιστα τόπον· καὶ τούτου περὶ τὴν ἑλλάδα τὴν ἀρχαίαν. Αὕτη δ᾽ ἐστὶ περὶ τὴν Δωδώνην καὶ τὸν Ἀχελῶον. Ægyptum Ariſtoteles, quemadmodum & Herodotus, donum eſſe Nili arbitrantur, quod nos falſum eſſe ſcimus. In Phædone dicitur aquarum omnium fontem & principium eſſe oceanum: ex eo flumina oriri, in eum relabi. Quod & Moſes videtur affirmare, cum magnam abyſſum ſuis fontibus edidiſſe aquas diluvii atteſtatur. Hoc reprehendit Ariſtoteles, quia exiſtimat fontes ex aëre intra edita terrarum concluſo fieri & enaſci. Οὐ μὴν ἀλλ᾽ ἄτοπον εἴ τις μὴ νομίζει διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν ὕδωρ ἐξ ἀέρος γίγνεσθαι, δι᾽ ἥνπερ ὑπὲρ γῆς, ἐν τῇ γῇ. ὥστ᾽ εἴπερ διὰ ψυχρότητα συνίσταται ὁ ἀτμίζων ἀὴρ εἰς ὕδωρ, Καὶ ὑπὸ τῆς ἐν τῇ γῇ ψυχρότητος τὸ αὐτὸ τοῦτο δεῖ νομίζειν συμβαίνειν καὶ γίγνεσθαι, μὴ μόνον τὸ ἀποκεκριμένον ὕδωρ ἐν αὐτῇ καὶ τοῦτο ῥεῖν, ἀλλὰ καὶ γίγνεσθαι συνεχῶς. *Verum enimvero abſurdum fuerit ſi quis non arbitretur ob eandem cauſam aquam ex aëre fieri in terra, ob quam fit ſuper terra ut ſiquidem & illic conſiſtit ob frigus vapidus aer in aquam, etiam à frigore in terra hoc deceat exiſtimare evenire & fieri non ſolum* ſeparatam aquam in ipſa & ſic fluere ſed & naſci continenter. Nempe non eſſe aquæ exiſtentis ſub terra λίμνας τινὰς ἀποκεκριμένας paludes quaſdam ſeparatas. ἀλλ᾽ ὁμοίως ὥσπερ καὶ ἐν τῷ ὑπὲρ τῆς γῆς τόπῳ μικραὶ συνιστάμεναι ῥανίδες καὶ πάλιν αὗται ἑτέραις, τέλος μετὰ πλήθους καταβαίνει τὸ ὑέτιον ὕδωρ οὕτω καὶ ἐν τῇ γῇ ἐκ μικρῶν συλλείβεσθαι τὸ πρῶτον καὶ εἶναι οἷον πιδώσης (leg. πιδυούσης) εἰς ἓν τῆς γῆς τὰς ἀρχὰς τῶν ποταμῶν. *Sed ſimiliter ut etiam in loco ſuper terram cum exiguæ coïerunt guttæ & rurſum hæ aliis, tandem cum multitudine deſcendit aqua pluvialis: ita etiam in terra ex parvulis confluere primum & eſſe velut ſcaturientis in unum terræ principia fluminum.* Sententiam hanc uno halitu difflare licet, ſcienti nullam

aquam

aquam ex aëre fieri. Illa ἀλληλογονία elementorum, qua volunt ex terra aquam ex aqua aerem & ex aëre ignem & viciſſim fieri commentum eſt flagris & ſcutica dignum. Quis neſcit vapores illos eſſe aquam rarefactam, quæ in cœlo reverſa & reſtituta in ſolitam conſiſtentiam, decidit & imbres fluviosque facit? Elementa à Deo creata eſſe ſuæ & perpetuæ ſubſtantiæ, quæ non tranſeunt invicem. Ariſtotelis illa ſententia comminiſcitur ὕλην quandam communem, quæ nulla eſt, quia à Deo condita non eſt. Quis vidit, quis cognovit? Subſtantiæ illæ à Deo ſeparatim conditæ ut & formæ, quæ illis corporantur, ſui juris ſunt, à nemine, nulla arte, nulla induſtria humana, mutari, aboleri, effici poſſunt. In aqua & aëre videmus condenſationes & relaxationes, ſed quæ elementorum non mutant ſubſtantiam. Si elementa tranſeunt & oriuntur, elementorum nomen amittent. Elementum enim illud eſt, quod primum & ultimum eſt. Concidit igitur ſententia tanti philoſophi. Si de vaporibus eum capias ut ſunt aqueis aliquid diceret. At vapores potius aſcendunt, nec tanta copia terris includi poteſt, ut tantam edat vim fluminum. Alii ex imbribus colligi volunt & ebullire è terris collectarum aquarum venas fonteſque. Alii terram in aquas mutari & hanc eſſe primam aquarum ſub terra naſcentium cauſam. Quam ſententiam amplexus eſt Seneca, ſed eodem argumento concidit, quo Ariſtotelea, quia eadem ſuppoſitione nititur. Seneca ſolide ſententiam illam de imbribus refellit, alias recenſet. Diſcurſum ejus audiamus: *Primum ergò*, inquit, *quæramus, quomodo ad continuandos fluminum curſus terra ſufficiat, unde tantum aquarum exeat. Miramur, quod acceſſionem fluminum maria non ſentiant. Æque mirandum eſt quod detrimenta exeuntium terra non ſentiat. Quid eſt, quod illam ſic implevit, ut præbere tantum ex recondito poſſit ac ſubinde ſuppleat? Quamcunque rationem reddiderimus de flumine eadem erit rivorum ac fontium. Quidam judicant terram quicquid aquarum emiſit, rurſus accipere, & ob hoc maria non creſcere, quia quod influxit non in ſuum vertunt, ſed protinus reddunt. Occulto enim itinere ſubit terras & palam venit, ſecreto revertitur, colaturque in tranſitu mare: quod per multiplices anfractus terrarum verberatum, amaritudinem ponit & pravitatem ſaporis in tanta ſoli varietate exuit & in ſinceram aquam tranſit. Quidam exiſtimant, quicquid ex imbribus terra concipit, ut flumina rurſus emitti. Et hoc argumenti loco ponunt, quod pauciſſima flumina ſunt in his locis, in quibus rarus eſt imber. Ideo ſiccas eſſe ajunt Æthiopiæ ſolitudines, paucosque inveniri in interiore Africa fontes: quia fervida cœli natura ſit & penè ſemper æſtiva. Squalida itaque ſine arbore, ſine cultore arenæ jacent, raris imbribus ſparſæ, quos ſtatim combibunt. At contra conſtat Germaniam Galliamque & proxime ab his Italiam abundare rivis & fluminibus: quia cœlo humido utuntur & ne æſtas quidem imbribus caret. Adverſus hæc multa dici poſſe, vides. Primum ego tibi vinearum diligens foſſor affirmo, nullam pluviam eſſe tam magnam, quæ terram ultra decem pedes in altitudinem madefaciat. Omnis humor intra primam cruſtam conſumitur nec in inferiora deſcendit. Quomodo ergò poteſt imber ſuggerere amnibus vires, qui ſummam humum tingit? Pars major ejus per fluminum alveos in mare aufertur. Exiguum eſt, quod ſorbet terra nec id ſervat. Aut enim arida eſt & abſumit quicquid in ſe fuſum eſt: aut ſatiata ſi quid ſupra deſiderium cecidit, excludit. Et ideo primis imbribus non augentur amnes: quia totos in ſe ſitiens terra trahit. Quid quod quædam flumina erumpunt ſaxis & montibus? His quid conferent pluviæ, quæ per nudas rupes deferuntur, nec habent terram cui inſideant? Adjice quod in ſicciſſimis locis putei in altum acti, per ducenum aut tricenum pedum ſpatia, inveniunt aquarum uberes venas, in ea altitudine, in quam aqua non penetret, ut ſcias illic non cœleſtem eſſe nec collectitium humorem, ſed quod dici ſolet, vivam aquam. Illo quoque argumento hæc opinio refellitur, quod*

quidam

quidam fontes in ſummo montis cacumine redundant. Apparet ergo illos ſurſum agi aut ibi concipi, cum omnis aqua pluvialis decurrat. Quidam exiſtimant quem admodum in exteriore parte terrarum, vaſta paludes jacent, magni & navigabiles lacus, quemadmodum ingenti ſpatio terra maria porrecta ſunt, infuſa vallibus: ſic interiora terrarum abundare aquis dulcibus, nec minus illas ſtagnare quam apud nos Oceanum & ſinus ejus; imo eo latius quo plus terra in altum patet: Ergo ex illa profunda copia iſti amnes egeruntur: quos quid miraris ſi terra detractos non ſentiat, cum adjectos maria non ſentiant? Quibuſdam hac placet cauſa. Ajunt habere terram intra ſe cavos receſſus & multum ſpiritus, qui neceſſario frigeſcit, umbra gravi preſſus. Deinde piger & immotus in aquam cum ſe deſiit ferre, convertitur. Quemadmodum ſupra nos mutatio aeris umbram (lege imbrem) facit, ita intra terras flumen aut rivum agit. Supra nos ſtare non poteſt ſegnis diu & gravis. Aliquando enim ſole tenuatur, aliquando ventis expanditur: Itaque intervalla magna imbribus ſunt, Sub terra vero quicquid eſt, quod illum in aquam convertat idem ſemper eſt, umbra perpetua, frigus æternum, inexercitata denſitas: ſemper ergo prabebit flumini cauſas, Placet nobis terram eſſe mutabilem. Hoc quoque quicquid efflavit, quia non aere libero concipitur craſſeſcit & protinus in humorem convertitur. Quod ex oceano oriantur flumena per ſuos meatus canaleſque & fontes Sp. S. etiam teſtari videtur, Eccleſ. 1. *Omnia flumina intrant in mare & mare non redundat. Ad locum unde exeunt flumina revertuntur ut iterum fluant.* Ita accipit Baſilius homilia quarta εἰς τὴν ἑξαήμερον. Εἴποτέ σοι ἐπὶ κρήνης ἑστῶτι ἄφθονον ὕδωρ ἀναδιδούσης ἔννοια ἐγένετο, τίς ὁ ὠθῶν καὶ τῶν λαγόνων τῆς γῆς τὸ ὕδωρ; τίς ὁ ἐπείγων ἐπὶ τὰ πρόσω; ποῖα ταμεῖα ὅθεν προέρχεται; τίς ὁ τόπος ἐφ' ὃν ἐπείγεται; πῶς καὶ ταῦτα οὐκ ἐπιλείπει, καὶ ταῦτα οὐκ ἀποπίμπλαται; ταῦτα τῆς πρώτης ἐκείνης φωνῆς ἤρτηται· ἐκεῖθεν τοῦ τρέχειν τῷ ὕδατι τὸ ἐνδόσιμον. Κατὰ πᾶσαν ἱστορίαν ὑδάτων μέμνησο τῆς πρώτης φωνῆς, Συναχθήτω τὰ ὕδατα. Ἔδει δραμεῖν αὐτά, ἵνα τὴν οἰκείαν καταλάβῃ χώραν· εἶτα γενόμενα ἐν τοῖς ἀφωρισμένοις τόποις μένει ἐφ' ἑαυτῶν καὶ μὴ χωρεῖν περαιτέρω. Διὰ τοῦτο κατὰ τὸν τοῦ ἐκκλησιαστοῦ λόγον, πάντες οἱ χείμαρροι ἐπὶ τὴν θάλασσαν πορεύονται, καὶ ἡ θάλασσα οὐκ ἔστιν ἐμπιπλαμένη. In his docet cur aquæ fluant & ſuis contineantur terminis. At fontes è mari derivari in ſequentibus: Πρῶτον μὲν ὅτι πηγὴ τῆς περὶ γῆν ἁπάσης νοτίδος ἐστὶ τὸ τῆς θαλάσσης ὕδωρ. τοῦτο μὲν ἐν τοῖς ἀφανέσι πόροις διαδιδόμενον, ὡς δηλοῦσιν αἱ σομφώδεις τῶν ἠπείρων καὶ ὕπαντροι, ὑφ' ἃς ἡ ῥοώδης διαυλωνίζουσα θάλασσα ἐπειδὰν σκολιαῖς καὶ πρὸς τὸ ὄρθιον φερομέναις ἐναποληφθῇ διεξόδοις ἀπὸ τοῦ κινοῦντος αὐτὴν πνεύματος ὠθουμένη φέρεται ἔξω τὴν ἐπιφάνειαν διαρρήξασα καὶ γίνεται πότιμος ἐκ τῆς διηθήσεως τὸ πικρὸν ἰαθεῖσα &c. *Primum quidem quod aqua maris ſit fons omnis circa terram humoris. Hac quidem in occultis meatibus diſtributa, ut oſtendunt terra ſpongioſa & cavernoſa, ſub quibus fluidum penetrant mare, poſtquam obliquis & in arrectum tendentibus interceptum fuerit viis, ab impellente ſpiritu actum tendit foras, facta apparitione & potabile fit è percolatione, ab amaritudine ſanatum.* Hieronymus in hunc Eccleſiaſtis locum: *Putant quidam aquas dulces, qua in mare fluunt vel ardente deſuper ſole conſumi vel ſalſugini maris eſſe pabula. Eccleſiaſtes autem noſter & ipſarum rerum conditor eas dicit per occultas venas ad capita fontium regredi & de matrice abyſſo in ſua ſemper ebullire principia.* Plerique interpretes & doctores Chriſtiani & Judæi apertis illis primæ creationis ſeparationiſque aquarum, item diluvii inundantis terram expoſitionibus inducti, mari dant originem fontium & fluminum. Hanc ſententiam etiam tanquam certam Plinius eſt amplexus: *Hac ſinus pandente* (verba Plinii lib. 2. cap.65.) *illa vero permeante totam, intra, extra, ſupra, venis ut vinculis diſcurrentibus atque etiam in ſummis jugis erumpente: quo ſpiritu acta & terra pondere expreſſa, ſiphonum modo emicat: tantumque à periculo decidendi abeſt ut in ſumma*

quaque & altiſſima exiliat. Qua ratione manifeſtum eſt, quare tot fluminum quotidiano acceſſu maria non creſcant. Non eſt negandum, inquiunt Conimbricenſes, *in ſubterraneis ſpecubus magnam latere aqua vim, rivulos, ſtagna, lacus.* Id enim quotidianis experimentis puteorum, lapidum & metallorum foſſores ſciunt, qui intra terram venas rivuloſque inveniunt & ſæpe aquarum copia obruuntur. Hinc novi ſæpe fontes, paludes etiam & lacus erumpunt. Refert cardinalis Cajetanus lib. 2. de elementis, vidiſſe ſe apud Valentiam in Hiſpania ſubitam inundationem, quæ clauſis portis objectiſque obicibus ab urbe rejecta in mare divertit. Hanc vero tantam aquæ vim è ſpecu quopiam ſubterraneo, terra dehiſcente exiluiſſe. Jam igitur non adeo à vero aliena videbitur ſententia Platonis in Phœdone, ut Ariſtoteles putabat. Eam Ariſtoteles ſic producit Meteorol. 2. 2. Τὸ δὲ ἐν Φαίδωνι γεγραμμένον περί τε τῶν ποταμῶν καὶ τῆς θαλάσσης ἀδύνατόν ἐστι. λέγεται γὰρ ὡς ἅπαντα μὲν εἰς ἄλληλα συντέτρηνται ὑπὸ γῆν, ἀρχὴ δὲ πάντων εἴη καὶ πηγὴ τῶν ὑδάτων ὁ καλούμενος τάρταρος περὶ τὸ μέσον ὕδατός τι πλῆθος, ἐξ οὗ καὶ τὰ ῥέοντα καὶ μὴ ῥέοντα ἀναδιδῶσι πάντα. τὴν δ' ἐπίρρυσιν ποιεῖν ἐφ' ἑκάστῳ τῶν ῥευμάτων, διὰ τὸ σαλεύειν ἀεὶ τὸ πρῶτον καὶ τὴν ἀρχήν. οὐκ ἔχειν γὰρ ἕδραν ἀλλ' ἀεὶ περὶ τὸ μέσον εἱλεῖσθαι. Κινούμενον δ' ἀεὶ ἄνω καὶ κάτω ποιεῖν τὴν ἐπίχυσιν τοῖς ῥεύμασι. Τὰ δὲ πολλαχοῦ μὲν λιμνάζειν, οἵαν καὶ τὴν παρ' ἡμῖν εἶναι θάλασσαν. πάντα δὲ πάλιν κύκλῳ περιάγειν εἰς τὴν ἀρχήν, ὅθεν ἤρξατο ῥεῖν· πολλὰ μὲν κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον, τὰ δὲ καὶ καταντικρὺ τῇ θέσει τῆς ἐκροῆς. οἷον εἰ ῥεῖν ἤρξατο κάτωθεν, ἄνωθεν εἰσβάλλειν: εἶναι δὲ μέχρι τοῦ μέσου τὴν καθεσιν· Τὸ γὰρ λοιπὸν πρὸς ἄναντες ἤδη πᾶσιν εἶναι τὴν φοράν. τοὺς δὲ χυμοὺς καὶ τὰς χρόας ἔχειν τὸ ὕδωρ, δι' οἵας ἂν τύχωσι ῥέοντα γῆς. *Quod autem ſcriptum eſt in Phadone de fluminibus & mari fieri nequit. Dicitur enim quod omnia cavernis in ſe invicem occurrentibus perforata ſint ſub terra: fons autem & principium omnium aquarum ſit, qui vocatur Tartarus, nempe aquarum multitudo circa medium, ex quo fluentes & non fluentes omnes ſcaturiant. Affluxum autem facere, unicuique fluentorum, quod continuo agitet ſeſe primum & principium. Nam non habere firmam ſedem ſed continenter circa medium volutari. Ex hoc continenti motu ſurſum ac deorſum, affuſionem facere fluentis. Quadam autem ſparſim ſtagnare, quemadmodum & mare, quod eſt apud nos: omnia autem in circuitum denuò circumire ad principium, unde fluere inceperint. Multa quidem ſecundum eundem locum, alia autem ex oppoſito ſitus effluxionis: ut ſi fluere inceperint ab ima parte, ex ſuprema illabantur. Deſcenſum autem eſſe uſque ad medium. De catero ſurſum jam omnibus eſſe lationem. Sapores autem coloreſque habere aquam à terra, per quam evenerit fluere.* Id quod Tartarum vocat, Sp. S. vocat תהום & quidem cum adjecto רבה. In eo convenit Socrati cum Moſe, quod aquarum omnium magnum quoddam & commune principium ſtatuat: quod ex illa abyſſo fontes & flumina eructari: quod ideò terræ cavernas aquarum multitudo ſubeat: eoque terram eſſe cavernoſam & cavernas aquis pleniſſimas. Sed Socrates nimium longe abit, cum ſtatuit circa centrum terræ aquas eſſe, eoque medium hujus globi plenum aquis: cum ſola agitatione ebullire fontes putat. Nam διαθεῖν ut fiant πόρους eſſe neceſſariam omnes alii vident. Aquarum multitudo facilè terras obruit. Poteſt in miram erigi altitudinem & illis tutis hominum habitaculis ſupereſſe. Si quis excelſa perlibret (inquit Seneca) maria paria ſunt. Nam par undique ſibiipſa tellus eſt. Adeoque ut effluat non non magna mole ſe tollet, nempe ex illo retinente æſtu. Æſtus æquinoctialis major eſt & per centena millia quibuſdam locis excurrit. Hunc in diluvio ſolutum eſſe legibus Deus voluit. Dei igitur juſſu & extraordinaria pœnæ illatione rupti fontes abyſſi magnæ, ejuſque in mari receſſus ceſſare juſſus, ut terras ſuperinundatas obrueret. Hæc prima cauſa diluvii, altera imbrium largiſſima

copia

copia, quæ totis quadraginta diebus cælo lapſa eſt. Non potuit torrentium & fluminum imbriumque injuria tam grande fieri naufragium. Placuit Deo & mare moveri in tantam cladem. Ubi inſtat illa pernicies humani generis omnia præter naturam conſpirant & Deo parent. Dixeris non fuiſſe opus cæli aquis, ut quæ ex inferioribus eductæ eodem relabantur, nec augeant molem. Deus aquis ſuperis & inferis peſſimos urgere voluit, & feſtinare interitum. Et citius etiam creverunt in terris aquæ, quæ licet ab eodem principio infra ſupraque ingeſtæ ſunt. Si aquam pluviam inhibuiſſet Deus, tantum defuiſſet ad integendum cacumina montium, aquæ enim non ſunt ſine continua exſpiratione vaporum.

De vaſtitate, quam induxit diluvium.

QUadraginta diebus pluviæ fuerunt, centum & quinquaginta diebus ſteterunt aquæ ſupra terras & omnia intexerant. Hinc interitus eorum omnium, quæ in ſicco degunt. deſcribat Ovidii ingenium:

Exſpatiata ruunt per apertos flumina campos,
Cumque ſatis arbuſta ſimul, pecudeſque viroſque
Tectaque cumque ſuis rapiunt penetralia ſacris.
Siqua domus manſit potuitque reſiſtere tanto
Indejecta malo, culmen tamen altior hujus
Unda tegit, preſſæque latent ſub gurgite turres.
Jamque mare & tellus nullum diſcrimen habebant:
Omnia pontus erat, deerant quoque littora ponto.
Occupat hic collem, cymba ſedet alter adunca,
Et ducit remos illic, ubi nuper ararat:
Ille ſuper ſegetes aut merſæ culmina villæ
Navigat: hic ſumma piſcem deprendit in ulmo.
Figitur in viridi, ſic ſors tulit, anchora prato,
Aut ſubjecta terunt curvæ vineta carinæ;
Et modo qua graciles gramen carpſere puellæ,
Nunc ibi deformes ponunt ſua corpora phocæ.
Mirantur ſub aqua lucos urbeſque domoſque
Nereides, ſylvaſque tenent delphines & altis
Incurſant ramis, agitataque robora pulſant.
Nat lupus inter oves fulvos vehit unda leones.
Unda vehit tigres, nec vires fulminis apro,
Crura nec ablato proſunt velocia cervo.
Quæſitiſque diu terris ubi ſiſtere poſſit,
In mare laſſatis volucris vaga decidit alis.
Obruerat tumulos immenſa licentia ponti,
Pulſabantque novi montana cacumina fluctus.
Maxima pars unda rapitur: quibus unda pepercit,
Illos longa domant inopi jejunia victu.

Lucia-

Lucianus: Αὐτίκα ἡ γῆ πολλὸν ὕδωρ ἐκδιδοῖ ϗ ὄμβροι μεγάλοι ἐγένοντο ϗ οἱ ποταμοὶ κατέβησαν μέζονες ϗ ἡ θάλασσα ἐπὶ πολλὸν ἀνέβη ἐς ὃ πάντα ὕδωρ ἐγένοντο, καὶ πάντες ὤλοντο. Deinde: ὁκότε οἱ ἄνθρωποι ἐς τὰ οὔρεα καὶ ἐς τὰ περιμήκεα τῶν δενδρέων ἤεσαν, τὸ πολλὸν ὕδωρ ὀρρωδέοντες. Non concepit imaginem rebus convenientem Ovidius, qui putavit, quibuſdam perperciſſe undam, eoſdemque domitos jejunio vitam finiiſſe. Nam ſupra ipſos montes non tantum aquæ in quindecim cubitos aſſurrexerunt, ſupra altiſſima juga, ſed & aquarum largum agmen continuis quadraginta diebus & noctibus cælo ruens ſuffocavit & ſubmerſit quicquid ſupereſſe poterat; repletis etiam navibus, ſi quas conſcendere ſubitus & repentinus caſus permiſerat. Repente enim & ex inopinato Dei ultionem ſuperveniſſe exiſtimes omnemque occaſionem aut viam in navibus aut aliter ſe ſubducendi durandique ademiſſe. Sic cæleſtis ira abolevit quisquid in ſicco degit, cum homine univerſum genus animantium. Benè dicit Cl. Calvinus, aquas cælo ſuſpendi, alias quaſi repagulis coërceri, ne partem terræ ſubmergant, *quæ hominibus in habitationem conceſſa eſt. In prima enim creatione terra naturaliter aquis cooperta erat & ſingulari Dei beneficio factum eſt, ut loco ceſſerint, quo vacuum aliquod ſpatium animantibus daretur. Denique in regione terra habitabili theatrum hominibus erexit: & fit arcana ejus virtute ne aqua ſubterraneæ ad nos mergendos ebulliant & ſimul conſpirent aquæ cæleſtes. Nunc autem dicit Moſes, quum Deus mundum perdere vellet diluvio metas illas fuiſſe revulſas. Atque hic nobis conſiderandum eſt mirabile Dei conſilium. Poterat enim tantum aquarum certis alveis aut terra venis includere, quod ad humana vita uſus ſufficeret: ſed conſultò inter duo ſepulchra nos poſuit, ne ſecure contemnamus ejus gratiam, unde noſtra dependent.* Hæc igitur duo ſepulchra aperto utrumque vaſtiſſimo ore abſorpſerunt animantia cum homine. Nulla unquam calamitas tantam fecit ſtragem. Calamitates reliquæ omnes particulares, hæc ſola univerſalis fuit. Præter illam cladem animantium in omnibus terræ regionibus, interiit quicquid hominum erat toto orbe diſſeminatum. Quod ex mille ſexcentis & quinquaginta ſex annis natum erat, & mors non demeſſuerat, ſuſtulit aquarum diluvium. Hominum genus in immenſum auctum fuiſſe & per omnes mundi partes ſparſum dubitari non poteſt. Hornius: *Atque non numero tantum incolarum orbis impletus fuit; ſed etiam urbibus provinciis ac regnis excultus. Nec nobis orbem antediluvianum incultiorem fingere debemus, quam poſt diluvium fuit. Oppida, urbes, pagi, palatia artiumque oblectamenta, tum artes ac ſtudia exceelſiſſimè floruerunt. Denique qualis poſt diluvium per* CIↃ IↃC. *annos orbis fuit, talem & ante diluvium tanto temporis ſpatio fuiſſe exiſtimandum eſt. Sed an America quoque ante diluvium habitata? Ita Opmerius in Chronico & Leſcarbotus volunt, ille argumento fabula Atlantica apud Platonem: hic quod vel ibi creatus Adam, vel ea Noachi patria fuerit. Vterque nugas agit. Nam quamvis in immenſum, non adeo tamen homines excreverant, ut etiam in novum illum orbem, toto oceano remotum ſe penetrarent. Imo ne omnes quidem noſtra continentis regiones tam habitata: ac Spedio Britanniam tum cultam fuiſſe dicenti aſſenſum præbere nondum poſſumus. Græcorum quoque Inachia, Pelaſgica, Attica, Ægyptiorum atque Sinenſium Dynaſtia priores, quæ in hoc tempus incidunt, fabulæ ſunt.* Hæc Georgius Hornius & prudenter. Græci Chriſtiani credunt plures quam octo homines in arca ſervatos eſſe, nimirum cum filiabus Noë & generos. Conſtantinus Manaſſes:

> Τῷ Νῶε ἦ συνέπλεον υἱοὶ ϗ θυγατέρες
> Γυνή, γυναῖκες τῶν υἱῶν, νυμφίοι θυγατέρων.

Sed Petrus 1. Ep. 3. 20. octo tantum fuiſſe definit. Uxori Noë & nuribus quæ fuerint nomina ſilet Scriptura. Beroſus Annii uxorem Noë Tyream

vocat

vocat & Veſtam ſive Eſtham. Quæ nugæ ſunt: uti & quod nuribus nomina facit, Pandora, Noëla & Noëgla. *Pandora Græcum nomen eſt*, inquit Hornius. *& Deucalionis mater.* Pergit idem Hornius: *Alii Sibyllas, quæ chaldais Sambethæ, pro his habent. Erythræa lib. 3. profitetur ſe Noachi nurum eſſe*

Τῷ μὲν ἐγὼ νύμφη, ἀφ' αἵματος αὐτοῦ ἐτέχθην.

Eadem lib. 1. in diluvio & arca cum Noach ſe fuiſſe dicit. Sed ſubleſta iſtorum carminum fides eſt, non minus quam ſcriptorum Mercurii Triſmegiſti & vel ex parte ſuppoſititia, vel admodum interpolata ſunt. Id quod à Patribus factum putant convincendis ethnicis. Apud Euſebium ſane IV. de vita Conſtantini Sibylla Erythræa ſe Apollinis ſacerdotem, ſexto poſt diluvium ſeculo fuiſſe refert. de libris & carminibus Sibyllinis viri incomparabiles duo Caſaubonus & Salmaſius, quibus quid addi poſſe videatur, ſuo loco viderimus. Græci Deucalionis τοπικὸν cataclyſmum ſciebant: tantus non fuit, nec illi univerſali poteſt comparari: Hunc ſolebant confundere cum univerſali diluvio. Solinus de Theſſaliæ & Athamaniæ jugis ita loquitur: *Sunt enim arrectiora quam uſquam proceritas montana attolli valet: nec eſt in terris omnibus, quod merito ad iſtas eminentias comparetur: quippe quas ſolas diluvialis irruptio, cum univerſa obduceret humido ſitu, inacceſſas reliquit. Durant veſtigia non languida fidei, quibus apparet hos locos ſuperſtites undoſæ tempeſtati fuiſſe. Nam in latebroſis rupium cavaminibus, quæ fluctuum conflictus tunc adeſa ſunt, reduvia conchyliorum reſederunt & alia multa, quæ affatim mari incito exſpuuntur: ita ut ſint licet facie mediterranea appareant tamen ſpecie littorali.* Occupavit igitur omnia cataclyſmus, cujus horribilis facies tremendum Dei judicium effigiavit. Unde ejus imaginem animo deponere non poſſum, quam ex Seneca etiam repræſentare lubet & comparare ejus de cataclyſmo ſomnia cum veritate. Diſputat omnem naturam in diluvio ex ordine naturæ recurſuro conſpiraturam eſſe ad interitum univerſi, Non unam malo cauſam fore, ſed omnem rationem conſentire, ut ſimul imbres cadant, flumina increſcant, maria ſedibus ſuis excita percurrant & omnia uno agmine ad exitium humani generis incumbant. Nihil eſſe difficile naturæ utique ubi in finem ſui properet. Ad originem rerum parce uti viribus & ſe diſpenſare incrementis fallentibus: ſubito ad ruinam toto impetu venire. Quicquid ex hoc ſtatu rerum natura flexerit in exitium mortalium ſatis. *Ergò cum* (inquit) *affuerit illa neceſſitas temporu, multas ſimul fata cauſas movent: nec ſine concuſſione mundi tanta mutatio eſt, ut quidam putant, inter quos Fabianus eſt. Primò immodici cadunt imbres & ſine ullis ſolibus triſte nubilo cœlum eſt: nebulaque continua & ex humida ſpiſſaque caligine, nunquam exſiccantibus ventis* (ita lento gradu & paulatim ut deficiente natura rerum & in madorem ſoluta adventuram eſſe calamitatem ſenſit. Nos diluvium ſubito & repente ingruiſſe novimus) *Inde vitium ſatis & ſegetum ſine fruge ſurgentium marcor. Tunc corruptis, quæ ſeruntur manu, paluſtris omnibus campis herba ſuccreſcit. Mox injuriam & validiora ſenſere. Solutis quippe radicibus arbuſta procumbunt & vitis: atque omne virgultum non tenetur ſolo quod molle fluidumque eſt: jam nec gramina aut pabula læta aquis ſuſtinet. Fame laboratur & manus ad antiqua alimenta porrigitur. Quare ilex & quercus excutitur & quæcunque in his arduis arbor commiſſura adſtricta lapidum ſtetit. Labant ac madent tecta & in imum uſque receptis aquis fundamenta deſidunt ac tota humus flagrat: fruſtra titubantium fulcra tentantur. Omne enim fundamentum in lubrico figitur & lutoſa humo nihil ſtabile eſt.* Hactenus de ſoli inaqueſcentia (ut ſic loquar) porro pluviarum & fluminum exundantiam narrat. *Poſtquam magis magiſque nimbi ingruunt & congeſta ſeculis tabuerunt nives devolutus torrens altiſſimis montibus rapit ſylvas male hærentes & ſaxa revolutis re-*

miſſa compagibus rotat. Moſis diluvium tantum homines cum animalibus in ſicco vitam agitantibus, in pœnam hominum ſuſtulit, noluit mundum deleri, ſolum terræ & ſtirpes ſolo relinquuntur. Puniri enim homo debuit non interire mundus & opificium Dei. Ubi multitudo peccantium merſa eſſet, in priſtinum omnia ſtatum redierunt, quem & retinuerunt, niſi qua delinquentes tollebantur. Diluvium igitur philoſophicum differt à Moſaico. 1. Diluvium Moſis punit hominem, philoſophicum mundum abolet. 2. Diluvium Moſis ſubitò incubuit delinquentibus, philoſophicum paulatim tabeſcente mundo & in aquas abeunte aduenit. 3. Diluvium Moſis ſupra naturam, naturæ vim intulit, philoſophicum eſt naturale, ut ex ſenio quodam & in orbem recurrens. Hæc formam faciunt aliam & aliam ipſius interitus. Pergit igitur Philoſophus & majorem fortioremque adjicit interitus auctum qui depingere poſſet Moſaici Cataclyſmi initium, niſi ipſum terræ ſolum ſubrueret; fluviorum alveos deleret, monteſque devoraret: *Abluit*, inquit, *villas & intermixtos ovium greges devehit: vulſisque minoribus terris, quas in tranſitu abduxit, tandemque in majora violentus oberrat. Vrbes & implicitos trahit mœnibus ſuis populos, ruinam an naufragium querantur, incertos: adeo ſimul & quod opprimeret & quod mergeret, venit. Auctus deinde proceſſu aliquo in ſe torrentibus raptis plana paſſim populatur. Noviſſime ruina magna gentium clarus onuſtusque diffunditur. Flumina vero ſuapte natura vaſta & tempeſtatibus rapta alveos relinquunt. Quid tu eſſe Rhodanum, quid putas Rhenum atque Danubium, quibus torrens etiam in canali ſuo curſus eſt, cum ſuperfuſi novas ſibi fecere ripas ac ſciſſa humo ſimul exceſſere alveo quanta cum præcipitatione volvuntur? Vbi per campeſtria fluens Rhenus, ne ſpatio quidem languidus ſed latiſſimè velut per anguſtum aquas implet. Cumque Danubius non jam radices nec media montium ſtringit ſed juga ipſa ſolicitat, ferens ſecum madefacta montium latera rupeſque dejectas & magnarum promontoria regionum quæ fundamentis laborantibus à continente receſſerunt. Deinde non inveniens exitum (omnia enim ſibi ipſe præcluſerat) in orbem redit ingentemque terrarum ambitum atque urbium uno vertice involvit. Interim permanent imbres, fit cœlum gravius, ac ſic diu malum ex malo colligit. Quod olim fuerat nubilum nox eſt, & quidem horrida & terribilis, intercurſu luminis diri. Crebra enim micant fulmina procella quatiunt mare. Tunc primum auctum fluminum acceſſu & ſibi anguſtum, jam promovet littus, non continetur ſuis finibus: ſed prohibet exire torrentes, aguntque fluctus retro. Pars tamen major, ut maligno oſtio retenta reſtagnat & agros in formam unius lacus redigit. Iam omnia, quæ proſpici poteſt, aquis obſidentur. Omnis tumulus in profundo latet & immenſa ubique altitudo eſt; tantum in ſummis montium jugis vada ſunt. In ea excelſiſſima cum liberis conjugibusque fugere actis ante ſe gregibus: diremptum inter miſeros commercium ac tranſitus: quoniam quicquid ſubmiſſius erat, id unda complevit. Editiſſimis quibuſque adhærebant reliquiæ generis humani: quibus in extrema perductis hoc unum ſolatio fuit, quod tranſierat in ſtuporem metus: non vacabat timere mirantibus: ne dolor quidem habebat locum. Quippe vim ſuam perdit in eo, qui ultra ſenſum mali miſer eſt. Ergò inſularum modo eminent montes & ſparſas Cycladas augent, ut ait ille poëtarum ingenioſiſſimus egregiè: ſicut illud pro magnitudine rei dixit:*

Omnia pontus erat, deerant quoque littora ponto.

Niſi tantum impetum ingenii & materiæ ad pueriles ineptias reduxiſſet.

Nat lupus inter oves, fulvos vehit unda leones.

Non eſt res ſatis ſobria laſcivire devorato orbe terrarum. Dixit ingentia & tantæ confuſionis imaginem cepit, cum dixit:

Ex-

Exſpatiata ruunt per apertos flumina campos.
preſſæque labant ſub gurgite turres.

Magnifice hoc ſi non curavit, quid oves & lupi faciant. Natari autem in diluvio & in illa rapina poteſt? aut non eodem impetu pecus omne, quo raptum erat, merſum eſt? Concepiſti imaginem quantam debebas, obrutis omnibus terris cælo ipſo in terram ruente. Perfer. Scies, quid deeeat, ſi cogitaveris orbem terrarum natare. Imo vero hiſtorico illi diluvio parem imaginem animo conceperit, qui cogitet, quod Moſes dixit, merſum eſſe ſubito aquarum ſuperventu ſuperne & ab imo orbem terræ, ut deleretur humanum genus, non ut natura ipſa intercideret. Non fuit Deo viſum ordiri meliora, vetera finiri, ſed conſiſtere, animalibus ſubmerſis. Vanum eſt quod arbitratur, ex ordine decreti per ſe mundum in incendium & inundationem ire. Fore quandoque terminum rebus humanis, cum interire totæ debeant, abolerive funditus totæ, ut de integro totæ rudes innoxiæque generentur. Ad hoc ſe olim maria exercere, cum fluctus in litora tanquam exiturus, incurrat. Ubique humorem à natura diſpoſitum eſſe, ut undique nos, cum voluiſſet, aggredi poſſet. Eruentibus terram occurrere humorem & quotiès nos avaritia aut defodit aut aliqua cauſa penetrare altius cogit, eruendi finem undam eſſe. Præterea immanes eſſe in abdito lacus & multum maris conditi, multum fluminum per operta labentium. Ita undique fore cauſſas diluvio, cum aliæ aquæ ſubinfluant terras aliæ circumfluant. Has diu coërcitas eſſe ſuperaturas,ut amnes amnibus jungant paludibus ſtagna. Omnium tunc mare ora fontium eſſe impleturum & majore hiatu ſoluturum. *Quemadmodum corpora noſtra,* inquit, *ad egeſtum venter exhaurit, quemadmodum eunt in ſudorem vires: ita tellus liqueſiet & aliis cauſis quieſcentibus, intra ſe, quo mergatur, inveniet: ſic magna omnia coitura crediderim.* Diluvium igitur aliud philoſophicum, aliud poëticum, aliud Moſaïcum. Moſaicum eſt verè hiſtoricum, ut aliquando contigit. Philoſophicum eſt nugax commentum, quo ineptiunt ex ſe mundum alterna vice exigneſcere & exaqueſcere. Poëticum miſcet Deucalioneum cum Moſaico, eſt utriuſque confuſio. Seneca pluribus annixus eſt oſtendere, quomodo fieri poſſit, ut natura in aquam collabatur, vera falſa imaginatus, & in omnem mundi partem oculis circumlatis. At ſi illa omnia vera eſſe ponamus, primo ſtatuendum illi erit ἐκπύρωσιν ne an κατακλυσμὸν in proximo debeamus exſpectare. Si proximè anteceſſit incendium, aquam imminere in exitium exſpectandum eſt; ſi diluvium, imus in occurſum conflagrationi. Conſulenti hiſtoriam diluvium Deucalioneum ſive Noë proxime mundum conſumpſiſſe liquebit: quia Phaëtontis combuſtio abſque omni dubio τοπικὴ fuit. Ignes igitur exſpectandi erunt non aquæ. Quorſum ergò aquarum illa exaggeratio? Quodſi phaëtonteam conflagrationem καθολικὴ fuiſſe demus, ignium copia non aquarum demonſtranda fuerit. Id etiam ex Seneca quærerem Putetne aliam mundi faciem alio tempore; id eſt, cum ad incendium imus ignes eſſe loco aquarum, cum inundatio imminet abundare aquas, ut illius ævo & hodie? Anne mundus ſtare poterit, anne ſerviet gentium uſibus mare & flumina, ſi ignibus fluerent, ut cum aquis plena ſunt? Proinde ne deliriis philoſophorum abripiamur, res jubet Moſi credere, non eſſe corruptum orbem terrarum inundatione, nec elementa in aquas ſoluta eſſe, ſolum autem hominem cum animantibus ſicci pœna & ultione Dei interiſſe. Non voluiſſe Deum delere mundum aut humanum genus, ut novum conderet, ſed hos punire ſervato genere. Incogitanter aut ignoranter locutus eſt Joſephus. Κατεδίκαζε δὲ οὐκ ἐκείνους μόνον τῆς κακίας, ἀλλὰ καὶ πᾶν ὅσον ἦν ἀνθρώπινον τότε δόξαν αὐτῷ διαφθεῖραι καὶ ποιῆσαι γένος ἕτερον πονηρίας

καθαρὸν. Non fuit genus aliud hominum quod à diluvio propagatum eſt per filios Noë, niſi non fuerit Adami filius. Omnes nos qui hodie vivimus non minus ab Adamo quam à Noë originem trahimus, quia Noë ab Adam ortus eſt. Nec illam progeniem. quæ à cataclyſmo ſuperfuit & orta eſt fuiſſe *πονηρίας καθαρὰν* docet ſive Chami ſive Canaan in Noë maleficium. Ipſe quoque Sp. Dei teſtis eandem in ſecundam ætatem per arcam à primæ ætatis parentibus tranſiiſſe malitiam & labem naturæ, quæ omnis impietatis malorumque facinorum mater & fomes eſt. Confer Gen. VI. 5. cum VIII. 21. Joſephus ſimiliter loquitur gentium philoſophis & poëtis. Seneca: *Omne ex integro animal generabitur, dabiturque terris homo inſcius ſcelerum & melioribus auſpiciis natus.* Virg.

Iam nova progenies cælo demittitur alto.

Philo etiam illam Stoicorum *ἀποκατάστασιν* in mente habuit, cùm libro de vita Moſis *τὴν τοῦ θεοῦ μισοπόνηρον δίκην* impiis & ſceleratis hominibus, *ἀρετῇ ἀφηνιάσασιν μεγίστην ζημίαν*, neque *τὰς ἐν ἔθει τιμωρίας* communes uſitataſque pœnas ſed *καινοτάτας καὶ παρηλλαγμένας*, novas & inuſitatas inferre dicit: Nempe *τοῦ παντὸς δραστικωτάτων στοιχείων ἐπιθεμένων ὕδατος καὶ πυρός, ὡς καιρῶν περιόδοις, τοὺς μὲν κατακλυσμοῖς φθαρῆναι, τοὺς δὲ καταφλεχθέντας ἀπολέσθαι*; actuoſiſſimis univerſi elementis incumbentibus, aqua & igni, temporum circumvolutionibus, alios inundationibus interimi, alios conflagratione interire. In comprobationem adducit Noë aquas & Sodomorum ignes. *Πελάγη μὲν ἀρθέντα καὶ ποταμοὶ μετεωρισθέντες αὐθιγενέστε καὶ χείμαρροι τὰς ἐν τῇ πεδιάδι πόλεις ἁπάσας ἐπέκλυσαν καὶ κατέσυραν. τὰς δὲ κατὰ τὴν ὀρεινὴν αἱ μεθ' ἡμέραν καὶ νύκτωρ συνεχῶς καὶ ἀδιάστατοι ὄμβρων φοραὶ* &c. Subjungit enim conflagrationem Pentapoleos. At quam ineptum eſt, quinque urbium caſum comparare cum univerſi orbis ruinâ? Ita illi amant philoſophiæ & gentilium ſapientiæ *ὑποκαταβαίνειν*, quæ inſania & hodie viros quoſdam egregie doctos agere videtur. Hominum igitur genus diluvio ſubmerſum eſt, Noë cum conjuge filiis & nuribus in conſervationem ſeminii divinitus ſervato. Immenſa hominum periere millia, quorum maximam partem æterno exitio ſubmerſam eſſe dubitari nequit. Unde contumaces illos ſpiritus hodiè carcere teneri Petrus pronuntiat 1. Ep. 3. 20. Hi, qui Noë prædicationi, dum arca fabricaretur & Dei longanimitas expandebat manus, duris cervicibus reſtirere, eorum corpora merſit abyſſus, animas hauſit gehenna. Quia extra arcam ſalus nulla erat. Mundum vocat *ἀσεβῶν* 2. ep. 2. 5. quibus inductum eſt diluvium. Sed è mundo illo univerſo neminem animam ſuam eripuiſſe quis dixerit? Credibile eſt quoſdam ſuperveniente diluvio, quod non eadem hora hauſit univerſos, reſipuiſſe, retrò animis reſpeciſſe ad arcam, fide ad hibita prædicationi Noë, atque in eum modum corporibus quidem occidiſſe communi ſtrage, ſervatis ſpiritibus, qui arcam licet ſero, intuiti ſunt. Quomodo etiam baptiſmus votis expetitus eos ſervat, qui excluſi iniquitate temporum, corpore tingi non poſſunt. Qui enim expetunt, præcepto tingendi paruiſſe videntur. Quin eis opus non eſt extrinſeco baptiſmo, qui habere voluerunt.

De ſtatura hominum, qui prima ætate fuerunt.

Gulielmus Eſtius diſputat de hominibus primæ ætatis, quos diluvium hauſit, quantum eorum ſtaturam attinet, in Gen. cap. VI. 41. Eam diſſertationem dignam judicavimus, ut exhiberemus. Ita habet: *Cæterum hujus loci occaſione, ſimul & ejus quod multo quam nos diutius vixerint primi illi homines, Quæri poteſt, utrum ſicut ſucceſſu ſeculorum brevior facta eſt hominum vita, ita & ſta-*

ſtatura? Quod ita eſſe multis argumentis doceri videtur. Nam refert S. Auguſtinus lib. 15. de civit. cap. 9. ſe vidiſſe dentem hominis, jam olim, ut videbatur mortui, ex quo facile centum dentes noſtri fieri poſſent. Atque hæc videtur antiqua perſuaſio, homines anteriorum ſeculorum multò proceriores nobis fuiſſe. Unde poſt Homerum Virgilius:

Qualia nunc hominum producit corpora tellus!

Sed & hodie reperiuntur oſſa corporum mortuorum permagna: quanta ſi nos haberemus, eſſemus ſtatura planè gigantea. Refert Hector Boëtius in hiſtoria Scotorum, Danos, qui Angliam aliquando invaſerunt, homines fuiſſe miræ proceritatis, quales illius gentis homines hodie non ſunt, idque ex oſſibus mortuorum, quæ per Angliam certis locis (ubi ſtrages illorum ingens aliquando facta fuit) reperiuntur adhuc hodie, planè comprobari: Verùm & in alteram partem argumenta non deſunt. Si enim ſtatura humana paulatim progreſſu temporum minuitur, tandem futurum ut redigatur ad brevitatem unius pollicis: quod etſi à quodam aſſertum, tamen abſurdum videtur. Item ſicut videmus interdum filios ſtaturam aſſecutos eſſe patribus ſuis minorem: ita non raro contrà videmus eos excedere parentum ſtaturam. Qua de re ut exemplum domeſticum proferam, nos quinque fratres unius patris & matris filii fuimus, omnes tamen ſtatura patre majores, ut contra ille nobis omnibus vivacior. Ex oſſib. autem mortuorum, quæ pro reliquiis ſervantur in Eccleſiis, videtur utrinque argumentum ſumi. Quædam enim oſſa eorum, qui ante multa ſecula vixerunt, noſtris paria ſunt, quædam majora. Mirum autem tam magnos dentes, quantum vidit Auguſtinus non plures etiam ab aliis inventos & viſos fuiſſe, cum dentes & numero multò plures ſint in uno homine quam oſſa brachiorum & crurum & duriores: eoque minus citò corrumpantur. Itaque quamvis Auguſtino, oculato teſti, fides nullo modo ſit deroganda, potius tamen dicendum forte erit, vel fuiſſe gigantem enormi prorſus ſtatura præ hominibus ſui ſeculi & loci, cujus fuerit Deus ille: vel potius non hominis ſed belluæ cujuſpiam marinæ dentem fuiſſe; Quod eò probabilius ſuſpicari liceat, quia in litore maris eum repertum fuiſſe ſcribit. Quod ſi ſtaturæ decrementum in hominibus ponitur, pari ratione & in beſtiis agnoſcendum erit & in plantis cujuſcunque generis. At de his nulla proferuntur experientiæ documenta. Denique ſi ita eſt idque rerum natura ita poſcente, quod omnia tandem in deterius declinent: jam ratione naturali poterit concludi, mundum hunc inferiorem, qua parte mixta continet, tandem finem habiturum: nempe poſtquam delapſu & diminutione quantitatis cujuſque corporis perventum fuerit uſque ad minimum, quod vocant, quantitatis rei. Tunc enim neceſſe erit terminari rerum mixtarum generationes. Neque enim dici poterit, quod res in minima quantitate deinceps tunc conſiſtent nullum ulterius acceptura detrimentum: quia ſi conſiſtere poſſint in minimo, multo magis conſiſtere poterunt & debebunt in mediocri: cum ſtatura mediocris cujuſque rei ſit multo magis apta naturaliter ad rei conſervationem quam ſi ſit immodiee magna vel parva. Et ſi neceſſe eſt rerum quantitates ſemper minui, etiam quando ſunt in ſtatu mediocri: multò magis interire res oportebit, poſtquam ad ſtaturæ minimum pervenerint, quia quo amplius decreſcant, non habebunt. Rurſum pro hac ſententia facit, quod poſt Davidem ætas hominum non eſt imminuta, ut ex Pſ. 89. patet: quare nec ſtatura. Par enim utriusque eſt ratio, ſcilicet naturæ debilitatio & tendentia ad ſenectutem atque interitum. At vero rurſum in partem contrariam expreſſa eſt ſententia, qui legitur 4. Eſd. 5. ubi ex comparatione mulieris, fortiores, grandiores & vivaciores parientis in ætate juvenili quam poſtea, docet idem eſſe de genere humano, ſic inquiens: Conſidera ergò & tu quoniam minori ſtatura eſtis, præ his, qui ante vos &

qui poſt vos, minori quam vos: quaſi jam ſeneſcentes creaturæ & fortitudinem juventutis prætereuntes. *Sed illius libri non eſt magna authoritas. Illud magis urget, quod S. Ambroſius refert de reliquiis, (ni fallor) SS. Gervaſii & Protaſii, quod nimirum oſſa eorum longè ſuperaverint magnitudinem oſſium humanorum ſui ſeculi. Quod certè ſatis mirum cum inter illos martyres & Ambroſium fluxerint non minus quam 250. anni ut quidam: vel 120. ut alii volunt. De quo vide Baronium 19. Iunii.* Homines diluvii non fuiſſe majoris ſtaturæ communiter, quam nunc homines ſunt docemur ex Moſe, qui cubitos arcæ non docet diſcrepare à cubitis, quibus ſuo tempore metiebantur. Et Deum communem quandam, à qua non poſſit longe recedi, ſpeciei humanæ ſtaturam poſuiſſe in natura certum eſt. Longè enim alia eſt ratio ætatis, cujus detrimentum & decrementum eſt à peccato, non ita ſtaturæ. Noluit Deus naturam alligari præciſe ad menſuram digiti unius, ſed varietate liberam eſſe, ut communi ſeu mediocri major minorque fingi poſſit, non tamen ut mediocri plus dimidio infra supraque abiret. Ætas hominum diluvii noſtram decies aut novies exceſſit, quod ſi eam differentiam in ſtatura fuiſſe putes, quanta monſtra dederis. Hæc varietas ſpeciem aliam datura fuiſſet & probaſſet quod Cardanus incogitanter dixerat: *Sunt & præter hæc diſcrimina naturalia ſexus, ætatis ac temperamenti, adeò ut plus homo ab homine differat, quam à lupo capra.* Si tantam ſtaturæ differentiam ederet natura, ſpeciem aliam induceret. Non quod à materiæ partibus atque inſtrumentis eorumque accidentibus (ut Cardanum exagitans loquitur Julius Cæſar) majora comparentur diſcrimina ſpeciebus, quam à differentiis formalibus, quæ ipſius ſpeciei conditrices ſunt at tantam diſcrepantiam natura dare non potuerit, niſi in alia ſpecie & ab alia forma. Quia forma differt à lupo capra, & homo ab homine (ſi tantum diſtaret) forma diſcriminaretur.

Ephemerides diluvii.

Cap. VIII. Genes.

Diluvii annum computamus ex epilogiſmis annorum, quibus natalis & mors Adami & poſterorum ejus à Moſe Gen. v. ſignata ſunt. Joſephus rectè monet: Ταῦτα συναγόμενα τὰ ἔτη τὸν προγεγραμμένον συμπληροῖ χρόνον. ἐξεταζέτω δὲ μηδεὶς τὰς τελευτὰς τῶν ἀνδρῶν, τοῖς γὰρ αὐτῶν παισὶν καὶ τοῖς ἐκείνων ἀπογόνοις συμπαρεξέτειναν τὸν βίον, ἀλλὰ τὰς γενέσεις αὐτῶν μόνον ἐράτω. *Hi anni conjuncti ſupraſcriptum tempus complent. Nemo autem obitus virorum (ſuis enim filiis & eorum nepotibus coëxtenderunt avum) ſed ortus ſolum videto.* Conſtat annum diluvii duodecim menſibus compoſitum fuiſſe, quorum primum, ſecundum, ſeptimum & decimum diſerte exprimit Moſes. Deinde numeros dierum multos commemorat. Narrat enim de diebus 40. de diebus 150. rurſum de diebus 40. & de duobus ſeptenariis dierum. Quærunt interpretes de principio anni, de forma & ephemeride tam diligenter notatum à ſanctiſſimo ſcriptore. Joſephus Scaliger nequit dubitare de autumnali principio circa æquinoctium: quia ea anni tempeſtate mundus conditus ſit & id principium anni habuerit antiquitas ante Exodum. Ex præcepto enim Dei caput anni tranſlatum eſt ab exitu ex Ægypto ab autumno in vernum tempus pro feſtis & in memoriam eductionis ex iſta ſervitute. Sic & Joſephus docet: Συνέβη δὲ τοῦτο τὸ πάθος κατὰ τὸ ἑξακοσιοστὸν ἔτος ἤδη Νώχου τῆς ἀρχῆς, ἐν μηνὶ δευτέρῳ, Δίῳ μὲν ὑπὸ Μακεδόνων λεγομένῳ, Μαρσουάνῃ δὲ ὑπὸ Ἑβραίων. οὕτω γὰρ αἰγύπτιοι τὸν ἐνιαυτὸν ἦσαν διατεταχότες. Μωϋσῆς δὲ τὸν Νισάν, ὅς ἐστι Ξανθικὸς, μῆνα πρῶτον ἐπὶ ταῖς ἑορταῖς ὥρισεν,

ὥρισεν, κατὰ τοῦτον ἐξ Αἰγύπτου τοὺς Ἑβραίους προαγαγών. οὗτος δ' αὐτῷ καὶ πρὸς ἁπάσας τὰς εἰς τὸ θεῖον τιμὰς ἦρχεν ἐπὶ μέντοιγε ὠνὰς καὶ πράσεις καὶ τὴν ἄλλην διοίκησιν τὸν πρῶτον κόσμον διεφύλαξε. Quod in civilibus negotiis manſit anni principium, id fuiſſe ab antiquo teſtatur Moſes, quia jubet in ver caput anni transferri. Sic & principium thiſri eſt ראש השנה non initium Niſan. Eodem modo ſolenne Scenogiæ confertur in finem anni Exod. 23. Quia principium fuit à Thiſri aut illo menſe ſolari, qui ibi erat, oportet, quod olim ante eum in fine anni intercalatio facta ſit. Nam intercalatum ſemper in fine anni, nec potuit aliter fieri. Scaliger de emendat. Temp.lib.2. capite, cujus lemma eſt de anno priſcorum Hebræorum Abrahameo. *Mira perſuaſio non ſolum Iudæorum, ſed hominum pietatis Chriſtianæ, annum Hebræorum priſcorum fuiſſe unicum tantum qui hodie eſt, hoc eſt lunarem. Idque adeò aſſeverant ut non ſolum ita rem habere credant ſed etiam aliquid neceſſitatis imponant veteri illi populo annum habendi unicum Lunarem aut nullum. Sed tamen ſi illis oſtendero habuiſſe annum menſibus tricenum dierum diſtinctum, non habebunt, quare unicum annum Lunarem ſtatuant. Nam aut unicum æquabilem habuiſſe, qualis eſt Ægyptiacus, aut duos, æquabilem & lunarem, omninò neceſſe eſt. Quis melius hoc docuerit, quam Moſes ipſe? Is ſcribit diluvium cæpiſſe decima ſeptima menſis ſecundi: centum quinquaginta dies aquas invaluiſſe: & diem proximum à centeſimo quinquageſimo, hoc eſt centeſimum quinquageſimum primum fuiſſe decimum ſeptimum menſis. Iam quadraginta ſex dies ante diluvii initium fluxerant & poſt, uſque ad decrementa aquarum, centum quinquaginta & unus: qui fiunt manifeſto 197. & per triginta diviſi relinquunt menſes ſex præteritos & dicem 17. menſis ſeptimi. Quid clarius dici potuit? Mirum vero eſt nuſquam in ſcriptura embolimi menſis ullum veſtigium aut memoriam exſtare. Quod fortaſſe ut plurimum, in civilibus negotiis anno hoc æquabili, in ſacris lunari uterentur. Hoc hariolantes dicimus. Quid enim aliud affirmare poſſumus? Certe in menſibus tricenûm dierum continuis Luna locum habere non poteſt: neque annus Lunaris eſſe qui 365. dies haberet: quos ita in deſcriptione diluvii æquus lector invenire poterit: Die primo menſis decimi, hoc eſt die 271. à capite anni juga montium nudata ſunt & ex aquis in emerſum prodierunt. Exſpectavit Noë dies 40. cum jam 311, dies à capite anni fluxiſſent. Mox emiſit corvum: quem libere ire redire permiſit, donec aquæ omnino exſuctæ fuiſſent: Non deſignat hoc longum ſpatium Moſes, ſed prudenti lectori ex ſimili loco conjiciendum relinquit: quantum intervallum illud fuerit. Nam eodem modo, poſtquam exſpectaſſet ſeptem dies, tunc emiſit columbam & reverſam iterum poſt alteros ſeptem dies emiſit Sic ſane alteri quadraginta dies poſt illos priores addendi & ſic fient dies 351. Quibus adde XIIII. poſteriores, quibus bis columba emiſſa. Fiunt ſine dubio dies 365. Poſt illos quatuordecim dies, ex quo columba emiſſa non rediit: ab illa, inquam veſpera putat diem primum anni ſequentis. Moſes his verbis ſtatim:* Anno uno & ſexcenteſimo ætatis Noa, prima die primi menſis, aquæ deſiccatæ ſunt. *Sane quem annum lunarem iſti Metones conficere poſſint ex menſibus æqualibus & plenis, non video & quod majus eſt, ex duodecim menſibus ſine intercalari. Annus igitur priſcorum Hebræorum merus Chaldaicus, aut quod idem eſt, Ægyptiacus fuit: eumque Hebræi ipſi vocabant* שְׁנַת יָמִים*, annum dierum hoc eſt æquabilem* ὁμαλόν. *Conſtabat enim ex æquali tributione dierum ſine ſcrupulis. Similiter menſem æquabilem* καὶ τριακονθήμερον חדש ימים *vocabant, menſam dierum, ut pote qui perpetuò ac conſtanter diebus tricenis diſtributus eſſet. Hac ſane interpretatione nihil verius eſſe poterit. teſtimonia & locutio nota illis, qui Scripturæ operam dant. Quod autem quadrantem annotarent, ut Ægyptii in canicula ortu, chaldæi & Perſæ in æquinoctio veris, omninò ratio ipſa fateri cogit, cum omnes ea gentes hoc face-*

facerent, quæ quidem hac anni forma utebantur, & ſane menſem intercalabant poſt 120. annos, quem Perſæ menſem magnum vocabant. Hebræis vero id erat ſeculum & ſpatium vitæ humanæ; quod alibi explicaturi ſumus, Gen. VI. 3. Quia vero eorum menſes vagabantur, propterea à numero dictos puto, poſt Exodum: cum Deus Moſi præcipiat eum menſem primum anni conſtituere, qui æquinoctio verno proximus eſſet. Ab eo tempore videntur nomina menſium ſuorum abjeciſſe, vel fortaſſe ab initio nulla fuerunt. De quo nihil certi conſtituere poſſumus. Nam Bul, Ethanim & Ziu nomina menſium exſtant quidem in libro primo regum: ſed videntur Sidoniorum & Tyriorum non ſolum Hebræorum fuiſſe. Quapropter Hebræi habebant epocham ſuam capitis anni in Libra. Et cum caput anni triginta dies integros ſuperaſſet, eos dies unum menſem embolimum faciebant, inter cujus finem & caput anni ſequentis, ἐπαγομένας ſuas collocabant: ut ſemper unus embolimus menſis in eodem loco & eodem tempore intercalaretur, non autem ſinguli menſes ut apud Perſas fiebat. Quod anni epocha eſſet in libra, oſtendit Moſes, qui jubet τὴν σκηνοπηγίαν ſolennitatem celebrari בתקופת השנה *anno vertente & alibi de eadem re loquens dicit:* בצאת השנה *in exitu anni. Exitum anni ponit in libra, poſt quem exitum jubet σκηνοπηγίαν celebrari. Et commodum tempore Exodi neomenia anni autumnalis æquinoctium proximè ſecuta eſt. Quare ἐπαγόμεναι Hebræorum &* תקופת השנה *erant perpetuo in autumno neque ultra triginta dies epocham anni antevertebant, ac poſt 120. annos menſis intercalabatur: ut meritò hiſtoria prodiderit duodecim tantum præfectos è numero menſium anni à Davide & Salomone creatos, quod annus Hebraicus in 120. annis nullum embolimum menſem haberet. Cæterum ut aliarum nationum, quibus in uſu hic annus fuit eadem forma menſium eademque neomeniæ fuerunt, niſi ſicubi ἐπαγόμεναι diſcrimen exiguum conſtituebant: ſic Hebræorum idem annus cum Ægyptiaco fuit: niſi fortaſſe ubi ἐπαγόμεναι differentiam quinque dierum conſtituebant inter quaſdam Hebræas & Ægyptiacas neomenias.* Iterum lib. 4. capite de Heled veterum Hebræorum. *Veteres,* inquit, *Hebræos chaldææ terræ inquilinos alia anni forma, quam Chaldæa uſos tam abſurdum credere, quam difficile demonſtrare. Imo nihil proclivius, quam contrarium demonſtrare: quod faceremus niſi id jam lib. 3. præſtitiſſemus. Nam, ut reliqua argumenta omittam, menſes diluvii, qui referuntur à Moſe, meri tricenarii ſunt. Præterea appellatio anni omne dubium tollit. Vocabant enim* שנת ימים *Annum dierum, hoc eſt annum, quem non æquabili tributione menſium civilium deſcribere poſſis, ſed dierum tantum numero complecti. Præter XII. enim menſes, abundant quinque epagomena, quæ menſem non conſtituunt & tamen ſine illis annus dierum conſtare non poſſet. Vocabant etiam* ימים *ſimpliciter, id eſt dies. Hoc enim nomine totam ſolis converſionem intelligebant. Qua in re Græcos imitatores habuerunt, qui ἡμερῶν nomine periodum ſolarem, aut ἔτος καθ' ἥλιον intelligebant. Sciſcitantibus oraculum de modo placandi deos reſpondit Pythius, placari poſſe, ſi κατὰ μῆνας καὶ καθ' ἡμέρας ſacrificaretur. Κατὰ μῆνας, id eſt, σεληνιακῶς, καθ' ἡμέρας autem ἡλιακῶς. Etiam nos meminimus ab Arabibus annum Romanorum Iulianum* ايام رومي *Dies Romanos dici. Laban Chaldæus 24. Geneſeos,* Maneat, *inquit,* puella apud nos dies, aut denarium. *Per* dies annum Solis vertentem, *per* denarium, *menſes decem, hoc eſt, 300. dies, intelligit. Quod autem in illa anni forma intercalatione uterentur, teſtis vox* תקופה *quæ annum vertentem ſignificat, ut Græcis τροπή. Hoc verò non vagum ſed certum καὶ ἐμπεδόθεσμον tempus ſignificat. Ita accipiendum Exodi 34. 22. cum Deus præcipit σκηνοπηγίαν celebrari* לתקופת השנה *anno vertente: quod apud Samuelem dicitur* תקופת ימים *τροπὴ ἡμερῶν aut περίοδος ἡμερῶν. In anno igitur æquabili non potuerunt tueri fines epochæ, ut tempus civile ad illam dirigerent, niſi officio intercalationis. Ecquem modum habere potuerunt, niſi chaldaicum? A Chaldæis annum habuerunt: ab iiſdem intercalationem*

reti-

retinuerunt. Habuerunt igitur ipſi ſuam magnam periodum, qualis fuit Salchodai Perſarum, aut denarius dodecateridum Chaldaicus. Quod ſane vero verius. Nam 120, annis definiebant ſeculum, ut vitam humanam Gen, vi. 3. Hoc ſpatium Hebræi vocant חלד *id eſt durationem vitæ humanæ: Arabes autem* العمر*, item* الدهر*. Atque id tempus erat Hebræis, ut Romanis ſeculum. Caput ejus magnæ periodi erat in 26. Octobris, ut alibi demonſtratur.* Rurſum Scaliger idem, quem in doctrina temporum ſequimur Magiſtrum. lib. 5. cap. de diluvio: *Diluvium igitur incidit in annum 1657. à conditu mundi, periodi autem Iulianæ 2420. Cyclo Solis xii. Lunæ vii. Cujus Neomenia Zygonos 7. 18. 12. Octobr. xiii. Marcheſuan 5. 20. 339. feria vi. Octobris xix. anni Iudaici 1466. Anni 1656. abſoluti fiunt xiii. Neuruz Perſicæ, quas Hebræi* חֲלָדִים *id eſt ſecula vocabant & prætereà anni 69. ſupererant de Heled ſive ſeculo xiv. quo intervallo neomenia menſis* אֵיתָנִים *Ethanim aſcendit in anteriora dies xxiv. quibus de xxvi. Octobris detractis, ſupereſt ſecunda Octobris, Neomenia Ethanim, à qua cœpit* שנת ימים *annus dierum Hebraicus tempore diluvii. Epagomena Hebraica in xxvii. Septembris. Neomenia Bul menſis ſecundi, Kalenda Novembris, feria quinta. Diluvium ergo xvii. Novembris. feria ſeptima, Scorpionos vi. Neomenia Caſleu vii. 11. 13. Menſis ſeptimi die xvii. aquæ decreverunt Gen. viii. 4. hoc eſt, xv. Aprilis anni perodi Iulianæ 2421. anno biſſextili, litera dominicali F E. Poſt xvii. ſecundi menſis, hoc eſt à xviii. Novembris ad xvi. Aprilis dies ſunt CL. Geneſ. viii. 3. Hoc eſt aquæ incipientes creſcere à xvii. Novembris in xiv. Aprilis deſiverunt. Quod eſt intervallum idem quod poſuimus, dierum CL. ut poteſt ex propoſita tabella colligi. Cœpit igitur diluvium Neomenia Caſleu, xxv Paophi Ægyptiaci, vi. Scorpionos. Decreverunt aquæ tertia Iar, xxv. Phamenoth, quo tempore arca in montibus Armeniæ requievit. Culmina montium incipiunt apparere, neomenia x. menſis, Iunii 28. xxiii. Ab, qua erat etiam xviii. Didymonos, iv. autem Payni. Quadrageſimo die à Neomenia decimi menſis, hoc eſt decima undecimi menſis. vi. ſeptembriis, feria ſeptima emititur corvus. viii. 7. Et reliqua poſſunt perpendi ex tabella. Sequenti anno 1658. neomenia Ethanim Kal. Octobris, feria ſecunda, Neomenia Zygonos, xiii. Octobris. Neomenia Marcheſuan viii. Octobris anni Iudaici 1469. Neomenia Toth. xxiii. Septembris, qua die vidit Noë ſuperficiem terræ penitus ab aquis exaruiſſe. Gen. viii. 23. Die xxvi. Novembris, qua erat 27. ſecundi menſis, vi. autem Athyr, xvi. Scorpionos, xxi Caſleu, feria quarta, Noë ſoteria immolavit Deo opt. max. eademque die arcus admonuit eum fœderis ſui.*

Tabella Scaligerana anni diluvii.

Ethanim	2. Octob.	Marcheſuan	19. Octob.	♎	13. Octob.
Bul.	1. Nov.	Caſleu	17. Nov.	♏	12. Novemb.
Tertius.	1. Dec.	Tebeth.	17. Dec.	♐	12. Dec.
Quartus	31. Dec.	Schebat	15. Ian.	♑	10. Ian.
Quintus	30. Ian.	Adar	14. Feb.	♒	8. Febr.
Sextus	29. Feb.	Niſam	15. Mart.	♓	9. Mart,
Septimus	30. Mart.	Iar.	13. April.	♈	10. April.
Ziu	29. April.	Sivan	12. Maij.	♉	11. Maj.
Nonus	29. Mai.	Tamuz	11. Iunij.	♊	11. Iunij.
Decimus	28. Iuuij.	Ab	10. Iulij.	♌	13. Iulij.
Undecimus	28. Iulij.	Elul	9. Aug.	♋	13. Aug.
Duodecimus	27. Aug.	Thiſri	8.. Sept.	♍	13. Sept.
Epagomenæ	26. Sept.	o	o	o	o

In hoc laterculo primo pars eſt menſium veteris anni, ſecunda menſium Judaicorum, tertia menſium cœleſtium Scaligeranorum. Qui omnes compoſiti

cum anno Julianæ periodi 2420. & 2421. eorumque menſibus. Nam Scaliger annum diluvii à mundi conditu faciebat 1657., cum hoc opus de emendatione temporum conderet, poſtea autem mutata ſententia revocavit ad annum præcedentem. In Elencho orationis Chronologicæ ita ratiocinatur: *Noë vixit annos 950. de quibus 350. vixit poſt diluvium. Deductis 350. de 950. remanet annus Noë 600. poſt diluvium. Ergò diluvium inivit anno Noë 599. non autem 600. ut hactenus omnes putarunt.* Annus ille, quo diluvium finitum erat, fuit 601. annus Noë, ut Gen. VIII. 13. diſertè exprimitur. Illo anno labente videtur Noë iniiſſe annum ævi ſui 600. eoque ſenſum eſſe verborum Moſis, quod in illius anni initio diluvium finitum fuerit & egreſſio facta ex arca, in quo fuit natalis Noë 600. Solebant enim annos ad caput ſuum reducere anticipatione. Qua obſervatione cohærent epilogiſmi annorum natalium in patriarchis ante & poſt diluvium, ut ſummam conficiant certam. Sit igitur hoc, quod annus veterum patriarcharum fuerit ſolaris, in quo illi diligenter notare ſolebant novilunia. Novilunium ab ipſo mundi initio diligenter obſervatum fuiſſe inde ab Adamo palam facit ipſa vox. Nam חדש quid eſt niſi *νεομηνία*? Et ejus uſus & obſervatio menſi integro fluenti à neomenia ad neomeniam appellationem dedit. Cum ea vox fuerit in uſu ante Exodum, rem in uſu fuiſſe certum ſit, quia vox ante rem non exiſtit. Appellabant, ימים abſolutè, ſine adjecto, annum vertentem, ſolarem, qui numerum juſtum dierum implet, quemadmodum plenè שנת ימים. Oportet igitur annum & alium fuiſſe, qui juſtam illam circumvolutionem non complecteretur. Annum ſcilicet lunarem qui habet dies 354. eoque 11. fermè diebus ſolari eſt minor. Sic habuerunt & חֹדֶשׁ יָמִים menſem plenum dierum 30, juſti numeri. Quin potius annum habuerunt ſolarem & menſes ſolares, ſed in eo anno obſervabant *φάσεις* Lunæ, ad quas ſuas neomenias exigebant neſcio in quem uſum. In uſum ſanè civilem. Nam novilunia ſacrata, ſunt à Moſe in umbram. Tempus igitur inter neomenias duas interjectum fuit dictum חֹדֶשׁ *lunatio*, ſine adjecto, At menſis anni ſolaris & civilis dicebatur חדש ימים. Sic numerabant alternis duodecim aut tredecim lunationes ſeu neomenias pro anno dicto ſimpliciter שָׁנָה, at dierum ſupputatio accurata dabat יָמִים ſive שנת ימים. Menſes igitur annique Lunares ibant inſtabili & incerta dierum comprehenſione ad *φάσεις* earumque numerum, nec veniebant in accuratam temporis computationem. Lunaris igitur annus menſisque è cælo obſervabatur ſolaris numerabatur. Numerabatur & numerari poterat, quia fixum certumque habebat dierum numerum. Nunquam enim numerabant dies à novilunio, ſed à capite menſis ſolaris ſeu dierum. A Moſis & exodi tempore ea res cæpta mutari ut etiam dies numeraverint à novilunio, idque propter feſtum Paſchale quod in plenilunio actum eſt & à quo debuerunt numerari dies ad *πανσέληνον*. Sic à Moſe menſis Lunaris in majorem uſum inductus qui tandem ſolarem ſuſtulit. In exodi XXXIV. 22. ſic commentatur Aben-eſdras: כתוב בשני מקומו׳ ושם בצאת השנה כי סוף השנה הוא תחלת השנה האחרת וזה האות כי השמש תכנס במזל המאזנים סמוך ליום העשור ולא יתאחר עד צאת סוכות שלא תכנס השנה האחרת על כן כתוב תקופת השנה ואל תסמוך על תקופת שמואל רק על תקופת רב אדא אעפ״י שהיא צריכה לשני תקונים האחד בעבור שמהלך השמש פעם בארוכה ופעם בקצרה וזה השני איננו במהלך השמש כי שוה הוא לעולם רק הוא כנגד מראה הנקודה בגלגל המזלות והתקון השני בעבור תנועת הגלגל קטן בראש טלה *Scriptum hoc reperitur in duobus locis & illic* [Exod. XXIII. 16.] *in exitu anni quia finis anni eſt principium anni alterius: & hoc ſignum quia ſol ingreditur ſidus libræ, prope diem decimum*

cimum & non tardatur uſque ad egreſſum tabernaculorum, quod non ingreditur annus alius, propterea ſcriptum eſt תקופת השנה *& non referes ad* τροπὴν *Samuelis tantum ad* τροπὴν *R. Ada, quamvis ipſa neceſſaria ſit ad duas ordinationes unam in computo motus ſolis, ſemel in prolongatione & ſemel in abbreviatione & hac mutatio non eſt in motu ſolis, quia aquabilis eſt in ſeculum, tantum eſt reſpectu indicis puncti verticalis in orbe ſignifero & ſecundam in computo motus orbis parvi in capite arietis.* In cap. XII. Exodi idem Aben-eſdras ſic dicit: השנה באמת היא לשמש לבדה כי הוא המוליד זמני קור וחום וקיץ והורף שהם ד' תקופות השנה *Annus verè ad ſolem tantum pertinet, cum ipſe cauſet tempora autumni, veris, aſtatis, hyemis, quæ ſunt quatuor anni revolutiones.* Hebræi hodie anno ſolari dant dies 365. cum ſex horis æquinoctialibus, menſi lunari medio ſeu lunationi mediæ dies 29., horas 12. & 793. חֲלָקִים. Annus ſolaris lunarem, id eſt duodecim lunationes ſuperat diebus decem, horis 21. חלקים 204. Illa anni ſolaris ratio craſſior ab ipſo initio mundi videtur nota fuiſſe & divinitus Adamo indicata, at Lunæ ratiocinia quæ ſubtiliora ſunt non opus fuit indicari, quia ad Φάσιν non ad congreſſum cnm ſole attendendum erat. Lunarem annum Hebræi accommodant diluvio. Iarchi Gen. VIII. de quadraginta diebus pluviæ, אין יום ראשון מן המנין לפי שאין לילו עמו שהרי כתוב ביום הזה נבקעו כל מעינות נמצאו ארבעים יום כלי' בכח' בכסלו לר' אליעזר שהחדשי' כמנין הסדרן אחד מלא ואחד חסר הרי יב' המרחשון וכח' מכסליו: *Primus dies non eſt è ſupputatione, quia nox ejus non fuit cum eo. Nam ſcriptum eſt, in die ipſo rupti ſunt omnes fontes. Inveniuntur quadraginta dies conſummati in 28. Caſleu, ſecundum R. Elieſer quia menſes juxta numerum, juxta ſeriem ſuam unus plenus, alter defectivus, ecce 12. è Marcheſuan & 28. de Caſleu.* Menſis Marcheſuan juxta Eliezerem & Joſephum fuerit ſecundus menſis. Non cogitabant illa nomina menſium ea tempeſtate necdum fuiſſe in uſu. Nam poſt captivitatem Babylonicam in uſum aſſumpta ſunt pro menſibus Lunaribus. Quamvis quadrat numerus quadraginta dierum, non tamen cæteri numeri à Moſe notati applicari poſſunt ad annum & menſes lunares. Ecce enim dies 150. juncti cum 47. ut habeatur menſis ſeptimi dies 17. non conveniunt. Certa igitur eſt Scaligeri obſervatio de anno ſolari, & ἀναλήψιμος. Tantum annum unum promovit diluvium, quod quadrat anno M. 1656. non 1657. uti in opere de emendatione temporum voluit. Ita capita menſium à Martio retrahenda ſunt in diem præcedentem. Fuit enim iſte annus intercalaris, quem Scaliger accipiebat. Igitur hæ erunt Ephemerides anni M. 1656. ab autumno, in quo principium diluvii.

Menſis primus Ethanim, 2. Octob.

Adhuc ædificat Noë. Æquin. aut. 13. Octob. undecimo die hujus menſis.

Menſis ſecundus Bul. 1. Nov.

Hujus menſis & Novembris Juliani die decimo, Deus jubet ut Noë ſe paret ad ingreſſum in arcam Gen. 6. 1. 2. 3. 4. 5. 6. inde die 17. Bul & Novembris feria VI. ingreditur in arcam. Unde incipit pluvia & aperiuntur abyſſi magnæ fontes. Pluvia ingens inde continuatur in dies quadraginta. Et hinc diebus 150. arca fluitat. Gen. 7. 7—24.

Menſis tertius 1. Dec.

Pluvia deſiit 27. Decembris & hujus menſis Gen. 7. 12, 17.

Menſis quartus 31. Dec.
Menſis quintus 30. Januarii. P.I. 2420.
Menſis ſextus, 28. Februarii.
Menſis ſeptimus 29. Martii.

R 2 Hujus

Hujus menſis die 17. id eſt Aprilis 14. arca conſedit in montibus Ararat Gen. 8. 1. 2. 3. 4. ab initio diluvii ad hunc diem ſunt dies 150. Neceſſario dierum iſtorum numeri initium ſumitur à capite diluvii, quia finem & terminum Moſes conſtituit in die decimo ſeptimo menſis ſeptimi. Hinc videt eſſe menſes ſolares & æquabiles dierum 30. Aben-eſdras: גם זה החשבון בדרך גבואה ידעו והאומרים כי הנה מצאנו מאה וחמשים יום חמשה חדשים וזה לנו לאות שהם חדשי חמה והנה לא דברו נכוני על דבריהם כי שנים ימים יחסרו גם האומר כי בחשבון העבור היה עושה וישים בחדש השני מרחשון ותהיה השנה שלימה ולמה כל זה ואפי׳ היה כתוב כי נח היה חשבונו על החמה או תחלת השנה מתשרי לא יתנו המועדי׳ על יד נח גם יתכן על מנות התיבה לדבר דברים ארוכים לכן לא יועילו ולא יצילו כי תהו המה: *Etiam iſtam ſupputationem per viam prophetiæ cognovit: Et dicentes, quia ecce invenimus centum quinquaginta dies, quinque menſes, hoc nobis ſignum, quod ſint menſes ſolares, at non dicunt rectum in verbis ſuis, quia duo dies deficiunt: etiam eſt dicens, quod in ſupputatione intercalationem faciat & ponat in menſe ſecundo Marheſuan, ut ſit annus perfectus. Et cur totum hoc? Etiam eſt ſcriptum, quod Noë ſupputatio fuerit ad ſolem aut principium anni à Thiſri; non fuerunt data feſta per manum Noë; etiam quadrat ad quietem arcæ dicere verba longa: ideo non proficiunt nec clarum reddunt, quia illa ſunt inanitas.* Suſpendit judicium ſuum Aben-eſdras. Nam fuiſſe annum ſolarem non concedit nec ad Lunarem poteſt ſupputationem accommodare. Deinde, ubi Moſes dicit, in menſe decimo, primo ejus die viſos montium vertices, cap. VIII. 6. ſic ſcribit: והנה נח קבע אחר לחדש ולא ראה הלבנה כי עוד לא פתח חלון התיבה: *Ecce Noë figit ſeu determinat primum menſis & non viderat lunam, quia nondum aperuerat feneſtram arcæ.* Verbum קבע notat adaptationem menſis ſive dici ad Lunæ motum, nempe מולד *συνόδον*. R. Salomo iſtos centum quinquaginta dies ita computat: Vigeſimo ſeptimo Caſleu deſierunt pluviæ. Ita dies tres de Caſleu ſuperſunt: hinc 29. de Tebet. Hi ſimul efficiunt dies 32. Jam menſes Sebat Adar, Niſan, Jar, dant dies 118. Ita habes numerum 150. Primo igitur Sivan aquæ inceperunt decreſcere. Ita Raſi dies 40. ſeorſim ſumit extrà numerum dierum 150. Sivanem nempe eſſe ſeptimum, menſem à Caſleu, in quo pluere deſiit. Non animadvertit Judæus, quod ille defectus aquarum eoque finis 150. dierum connectatur cum decimo ſeptimo non cum primo die menſis ſeptimi. Quadraginta dies debent includi illis centum quinquaginta, uti & diſputat D. Mercerus. Poſt quadraginta dies omnino pluere deſiit eoque recordatio Dei ergà Noë (Gen. VIII. 1.) referri debet uſque poſt finem illorum quadraginta dierum, ut patet ex collatione VII. 12. & VIII. 2. Menſes in anno non computantur ab initio caſus. Uti enim ipſius caſus initium deſignatum eſt à numero, quem iſte menſis in anno obtinet, ita & partes & finis menſibus ſuis notantur, à loco & ſerie in anno. Ineptum eſt hoc, quod ſibi non conſtet. Nam ſeptimum menſem vult eſſe Sivan ſcilicet à Caſleu incipiendo in quo deſiit pluvia, at decimum vult eſſe Ab inchoando numerum à Marcheſuan, in quo diluvium iniit. Moſen autem nunquam aliam rationem inire quam à capite anni, patet, ubi in ſequenti anno exitum ex arca notat à menſe & die ab initio anni.

Menſis Octavus, Ziu,	28.	April.
Nonus	28.	Maij.
Decimus	17.	Junij.

Defecerant aquæ ab aliquo tempore ita ut arca in decimo ſeptimo die menſis ſeptimi reſederit in montibus Ararat. Inde decreſcendo imminutæ ſic ſunt, ut primo die menſis decimi capita montium detecta ſint. Dies hic ſunt 73.

qui-

quibus aquæ decreverunt poſt arcæ ſeſſum in monte, uſque ad nudationem cacuminum montanorum. Quantum decreverint & quanto tempore antequam arca fixam ſedem caperet, ante finem dierum 150. dicere non poſſumus. Id docet ſolummodo Moſes ab ingreſſu in arcam uſque ad arcæ fixam ſeſſionem fuiſſe dies 150. In primis quadraginta diebus imber continuus cælo fluxit, ſimulque apertis fontibus abyſſi magnæ aquarum dominium invaluit. Arcam ſuſtulerunt aquę in ſublime & vexerunt intra illos quadraginta dies. At videntur montium cacumina poſt illos quadraginta dies intecta fuiſſe & inde creviſſe aquæ uſque ad quindecim cubitos ſupra altiſſimorum montium vertices. Citò deleta fuerunt animalia in ſicco, intrà, ut puta, illos dies quadraginta. voluit tamen Deus aquas increſcere ut iræ ſuæ oſtenderet flagrantiam eique modum debitum fulgoris circumdaret. Ideò anno plus toto amicus Dei incluſus in arca fuit. Oportet tamen multis diebus ante 17. menſis ſeptimi decrementum aquarum incepiſſe quia illo die arca in monte quievit. Quam profunde autem intrà aquas depreſſa iverit iſta moles, putat ſe ratiocinando deprehendere poſſe R. Salomo: מכאן אתה למד שהיתה התבה משקעת במים י״א אמה שהרי כתי׳ בעשירי באחד לחדש נראו ראשי ההרי׳ זה אב שהוא עשירי למרחשון לירידת גשמים והן הע גבוהים על ההרים ט״ו אמה וחסרו מיום אחד בסיון עד אחד באב ט״ו אמה לס׳ יום הרי אמה לד׳ ימי׳ נמצא שבששה עשר של סיון לא חסרו אלא י״ד אמות ונחה התיבה המחרת למדת שהיתה משוקעת י״א אמה במים שעל ראשי ההרים: *Hinc diſce, quod fuerit arca immerſa aquis undecim ulnis, quia ecce ſcriptum eſt, in decimo, in primo menſis cacumina montium apparuerunt. Iſte Ab eſt, quoniam decimus eſt à Marcheſuan à deſcenſu pluvia. En fuerunt alta ſupra montes & defecerunt à die primo in Sivan uſque primum in Ab, quindecim ulnis ad dies ſexaginta. Cubitus ſive ulna in dies quatuor invenitur, unde in 16. diebus Sivan non defecerunt niſi quatuor cubiti & reſedit arca die poſtero ad menſuram, ut fuerit merſa undecim ulnis in aqua, qua ſupra capita montium.* Raſi falſo fundamento nixus ſic ratiocinatur. Ad verba v. 5. in cap. VIII. ubi Moſes dicit capita montium apparuiſſe in decimi menſis die primo commentatur ita: זה אב עשירי למרחשון שהתחיל הגשם וא״ת הוא אלול ועשירי לכסליו שפסק הגשם בשם שאתה אומר בחודש השביעי סיון והוא שביעי להפסקה אי אפשר לומר כן על כרחך שביעי אי אתה מונה אלא להפסקה שהרי לא כלו ים של ירידת גשמים וק״נ של הגבורת המים עד אחד בסיון ואם אתה אומר שביעי לירידה אין הסיון והעשירי אי אפשר למנורת אלא לירידה שאם אומר להפסקה והוא אלול אי אתה מוצא בראשון באחד לחדש הרבו המים מעל הארץ שהרי מקץ ארבעים יום משנראו ראשי ההרים שלח את העורב וכ״א יום הוחיל בשליחות היונה הרי ס׳ יום משנראו ראשי ההרים עד כהרבו פני האדמה אם תאמר באלול נראו נמצא שהרבו במרחשון והוא קורא אותו ראשון ואין זה אלא תשרי שהוא ראשון לבריאת עולם ולרבי יהושע הוא ניסן: *Hic eſt Ab decimus à Marcheſuan quando incepit pluvia & ſi dixeris eſt Elul decimus à Caſleu, cum deſiit pluvia, ſicut tu dicis, in menſe ſeptimo Sivan & eſt ſeptimus à deſitu. Non poteſt ita dici invito te: Septimum non tu numeres, niſi à deſitu quia ecce non finiti ſunt 40. deſcenſus pluviæ & 150. invaleſcentia aquarum uſque primum in Sivan: Et ſi tu dicas Septimus à deſcenſu non eſt Sivan etiam decimum non eſt poſſibile numerare præterquam à deſcenſu: quod ſi dicas à deſitu & eſt Elul, non tu invenies in primo in uno menſis [v. 13.] ſiccata erant aquæ à terra: quia ecce à fine quadraginta dierum poſtquam capita montium apparuerunt emiſit corvum & à 21. diebus exſpectavit mittere columbam, ecce 60. dies poſtquam nudata erant cacumina montium, uſque donec ſiccata eſt facies terræ. Si dicas in Elul ſunt nudata cacumina montium, invenietur quod ſiccata fuerint in Marcheſuan & ipſe vocat eum primum: at non eſt iſte ſed Theſri, quia primus eſt à conditu mundi, & ſecundum R. Ioſue eſt Niſan.* Quia præſupponit annum lunarem fuiſſe ut ſolent Judæi, ideo

 diſpu-

diſputat ſitne Ab an Elul, iſte menſis quem Moſes decimum vocat. Ipſe tenet eſſe Ab, quia numerat ab initio diluvii. Si à fine pluviarum numeretur erat Elul. Non poſſe dicit 40. & 150. dies finiri in primum Sivan: nempe ſeparatim ſumptos. Nec poſſe decimum numerari niſi à deſcenſu aquarum, etſi negetur ſeptimum ab illo tempore eſſe ſupputandum. Si à fine quadraginta dierum & menſe Caſleu numeretur decimus ſtatuaturque eſſe Elul, non poſſe principium anni ſequentis haberi tantum diſtans, ut quadraginta & 21. dies, quos à nudatione cacuminum computat Moſes, inveniantur. Marcheſuan enim non eſſe primum menſem ſed Thiſri. Hic eum feriamus ſuis verbis. Si menſis primus, quem Moſes dicit v. 13. debeat in anni ordine numerari primus, ut ſecundus quem dicit v. 14. ejus numeri erit in anni ordine: quæ ratio dici poteſt, cur non etiam ſecundus, ſeptimus, decimus habeantur & intelligantur pro ordine anni? Nam Moſes nullibi determinationem aut differentiam addit.

Menſis XI. 27. Julij.

Quadraginta dies memorati cap. VIII. v. 6. ineunt à primo menſis decimi, quando conſpiciendos ſe dederunt vertices montium, deſinunt in hujus menſis die decimo id eſt. V. Auguſti. Apud Scaligerum lib. 5. cap. de diluvio, male ſcribitur ſeptember pro Auguſto. Eo die emiſit corvum.

Menſis XII. 26. Auguſti.
Epagomenæ 25. Septembris.
Annus 1657. Menſis primus ſecunda octobris.
Menſis ſecundus 1. Novembris. Hujus die vigeſimo ſeptimo egreſſus factus eſt ex arca.

Quam profundè arca aquam preſſerit?

Supra intelleximus, quomodo R. Salomo ſubtili diſquiſitione ſed inani laboret inquirere, quam profundè arca aquas preſſerit. Id Græci dicunt θλίβειν. unde eleganter Heliodorus lib. 1. Æthiopic. τὸ γὰρ ἄχθος, ἄχρι καὶ ἐπὶ τρίτον ζωστῆρα τῆς νεὼς τὸ ὕδωρ ἀνέθλιβεν. *Onus enim uſque etiam tertiam Zonam navis aquam ſeorſim premebat*, id eſt premendo dividebat. Interpres elegantiam & vim vocis ἀναθλίβειν & præpoſitionis ἀνὰ non expreſſit. Lyra R. Salomonem ſolet ſequi eumque exponere. Sic in numeratione menſium ſupra: ita & in inquiſitione in aquæ preſſuram ab arca ille ipſi facem præluxit, quamvis interpolet ejus ſententiam: ideo Mercerus ejus ſimiam eſſe dicit. Ut hoc videas verum eſſe eam diſſertationem Lyræ cum caſtigatione Pauli Burgenſis repræſentare voluimus. Ad Geneſ. VIII. 5. Lyra ſic ratiocinatur: *Et tunc primò arca fuit tota extra aquam. Ex hoc dicto & aliis prædictis poteſt colligi quot cubitis arca intravit aquam, quando aquæ fuerunt in fortitudine ſua. Patet enim quod non intrabat quindecim cubitis, quia aquæ in fortitudine ſua excedebant montes quindecim cubitis tantum & tunc arca ferebatur id eſt fluctuabat ſuper aquas. Si autem tunc intraſſet aquam quindecim cubitis, non fluctuaſſet, quia fundus arcæ capita montium tetigiſſet: & ex hoc patet conſequenter, quod tantum præcisè arca intrabat aquam, quantum aqua excedebat montes. Ad hoc videndum accipiendum eſt tempus à primo die, quo cœperunt aquæ decreſcere uſque ad diem, quo apparuerunt primò capita montium. Quia tunc diminutæ ſunt aquæ XV cubitis, quibus excedebant montes. Dicitur autem in litera, quod aquæ cœperunt minui poſt CL. dies: qui accipiendi ſunt à prima die inundationis aquarum & completi fuerunt ſeptimo menſe XIX die incluſive & ſic in viceſima die ſeptimi menſis cœperunt aquæ decreſcere,*

cere. Dicitur etiam in litera quod decimo menſe prima die menſis apparuerunt capita montium. Ex quo patet quod tunc completum eſt decrementum xv. cubitorum, quibus aqua montium cacumina excedebant. A viceſima autem die incluſive menſis ſeptimi uſque ad primam diem decimi menſis fluxerunt ſeptuaginta dies, qui ſi dividantur per quindecim, qui eſt numerus cubitorum prædictorum, aſſignantur decremento cujuſlibet cubiti quatuor dies & dimidia & ſexta pars unius diei. Item dicitur in litera: quod menſe ſeptimo xxvii. die menſis requievit arca ſuper montes. Ex quo patet quod à principio decrementi aquarum uſque ad requiem arca fluxerunt tantum octo dies, in quibus aqua decreverant duobus cubitis ferè ſecundum prædicta. Ex quo concluditur ſecundum prædicta, quod arca intrabat aquam tredecim cubitis & parum plus. Et iſta probatio procedit ſecundum textum noſtra tranſlationis, ut patet ex prædictis. Si autem ſecundum literam Hebraicam, qua habet: Septimo xvii. de menſis requievit arca, procedatur, oportet accipere menſem ſeptimum, non ſolum qui eſt ſeptimus in anno, ſed qui eſt ſeptimus à ſecundo menſe anni, in quo incepit diluvium, ut dictum eſt ſupra. Et iſte eſt menſis octavus anni: & tunc à principio decrementi aquarum uſque ad requiem arca fluxerunt dies xxvii. (forte legendum xvii.) in quibus ſecundum prædicta aqua decreverunt ſex cubitis, imperfectè tamen. Et ſecundum hoc arca intrabat aquam novem cubitis & paulò plus. In toto autem iſto proceſſu accipiuntur menſes ſecundum acceptionem Iudæorum & ſic debent accipi: ſed quomodo accipiantur jam dictum eſt. Supponitur etiam, quod aquæ qualibet die decreſcebant æqualiter quod eſt ſatis probabile. Ita diſſerit Lyra. Burgenſis in additione ita eum caſtigat: Inquirere quot cubitis aquam intraſſet arca tempore diluvii videtur magis curioſum quam utile. Cum non ſolum habere notitiam certam de hoc nullam præſtat cognitionem utilem in credendis nec in agendis: ſed nec etiam requiritur ad planam litera expoſitionem. Quantumcunque enim arca aquam intraſſet ſive plus ſive minus, non variatur ex hoc aliquid in expoſitione litera, ut patet intuenti. Et ideò gloſſa noſtra mentionem de hoc non facit, nec, ut credo, aliquis ſanctorum, nec etiam doctorum Hebræorum, niſi ſolum R. Sal. qui in hujuſmodi vanis quæſitis per modum quæſtionis facit longam altercationem. Dato etiam quod hæc inquireretur vel eſſet aliqualiter utilis, rationes tamen à poſtillatore ad hoc probandum inducta nullam videntur habere efficaciam. Nam præſupponit ad hoc probandum quædam manifeſtè non vera. Dicit enim primò, Quod ſi arca intraſſet aquam quindecim cubitis, quod non fluctuaſſet, eo quod fundus arca capita montium tetigiſſet. quod non eſt verum. Nam potuiſſet arca fluctuare in locis non montuoſis, quæ ſunt major pars & præcipua totius terra. Non enim neceſſe erat quod ſemper arca tranſiſſet ſuper capita montium, ut manifeſtum eſt. Vult etiam deducere quod decrementum cujuſlibet cubiti durarit per quatuor dies & dimidium & ſextam partem unius diei. Et hoc dividendo ſeptuaginta dies, quod fuit tempus decrementi, per quindecim partes, qui eſt numerus cubitorum, quibus aqua excedebat montes, ut largius hoc videtur deduci in poſtilla. Quæ quidem deductio manifeſte eſt invalida quod ſic patet. Nam cum aqua de ſui natura ſit fluida, oportet quod orbiculariter ſe habeat circà centrum. Ex quo ſequitur quod multo major quantitas continebatur in ſummo cubito exſiccato, qui eſt remotior à centro, quam in cubito immediatè ſequenti, qui eſt propinquior centro. Et patet conſequens minoris capacitatis: & ſic de ſequentibus, in tantum quod cubitus ultimus, qui terram immediate circumdabat, continebat minorem quantitatem aquæ reſpectu cujuſcunque cubiti ſuperioris: ut ſatis patet cuilibet advertenti. Præſupponitur etiam in dictis ſuis licet non exprimat, quod ſuper montes Armeniæ, in quibus requievit arca, creverunt aquæ quindecim cubitis: & hoc eſt ignotum ſeu incertum. Nam ſi montes Armeniæ non ſunt de altiſſimis montium, tunc aqua

crevit

crevit ſuper eos plus quam quindecim cubitis. Exceſſus enim cubitorum intelligendus eſt reſpectu ſummorum montium, ut patet per literam dicentem. Opertique ſunt montes excelſi ſub univerſo cælo quindecim cubitis. *Præſupponit etiam quod aquæ qualibet die decreſcebant æqualiter: quod dicit eſſe probabile. Quod quidem præſuppoſitum non facit ad propoſitum ſuum concludendum. Nam dato, quod tanta quantitas aquæ decreſceret in una die ſicut in alia: ex hoc tamen non ſequitur quod tanta quantitas cubiti ſeu altitudinis aquæ decreſcat in una die ſicut in alia, ratione jam dicta. Nam unum cubitum in altitudine poſitum eſt multo majoris capacitatis quam aliud cubitum non in tanta poſitum altitudine, ut dictum eſt. Si autem quis dicat cum prædicta quæſtio ſit potius curioſa quam utilis, cur circà eam tantam fecerim altercationem? Dicendum quod hoc introduxi ad oſtendendum ineptitudinem ipſius R. Salomonis in expoſitione ſacræ ſcripturæ, licet eam frequenter allegat poſtillator.* Replicator pro poſtillatore contra cenſorem ita pugnat: *In cap. VIII. ubi poſtillator attendit varias ſanctorum opiniones de arca quantitate: quibusdam ſentientibus quod ejus quantitas attendenda eſſet ſecundum cubitos geometricos, aliis ſecundum cubitos uſuales: ſic quod beatus Auguſtinus Origenem commendans XV. de civit. Dei cap. 27. ſtat cum prima menſura, concludens, quod qui talem menſuram nimiam reputant cogitent centum annos, quibus fabricata eſt arca. Vnde & gloſſa ordinaria, allegans eundem beatum Aug. dicit, quod ſi per Noë & tres filios ejus in centum annis arca tanta magnitudinis fabricari non potuit, non mirum alios artifices aſſumptos &c. Vide in gloſſa XVIII. Idcirco videbatur idem poſtillatori rationabiliter diſputandum de arca ingreſſu in aquam: ſciens quod oportet naves magnas plus ingredi quam minorem: concludens quod non potuit ſecurè ingredi XV. cubitis ſed minus: quod alias periculum fuiſſet naufragii ad cacumina montium, quia tantum quindecim cubitis fuerunt cooperta. Quam diſputationem Burg. valde ægre ferens poſtillatorem pro curioſitate reprehendit plus exiſtens curioſus, ne dixerim vanus, quia vana aſſumit ad reprobationem poſtillatoris. Primò namque dicit poſtillatorem aſſumere quædam manifeſtè non vera, in hoc quod dixit arcam latam ſuper cacumina montium non fluctuaſſe ſi quindecim cubitis ingreſſa fuiſſet aquas. Hoc dicit eſſe falſum ex medio, quod in vico ſtraminum non valuiſſet, videlicet quod arca poſſet in locis non montuoſis fluctuare. Non erat, inquit, neceſſe, quod arca ſemper tranſiret ſuper capita montium. Ecce, quantum Burgenſis concludit. Conceſſis enim illis adhuc ſtat dictum poſtillatoris. Quod ſi aliquando impetu aquarum & ventorum arca fuiſſet lata ſuper cacumina montium utique naufragium tactu arcæ ad montes affuiſſet in illo caſu, ſcilicet ſi XV. cubitis aquam intraſſet. Quod autem aliquando etſi non ſemper arca ferretur ſuper cacumina oportet Burg. concedere, niſi velit fingere miraculum & ſic nihil valet ipſius argumentum. Quod autem ſecundo Burg. dicit contra decrementi æqualitatem non valet: imò ſuæ propriæ aſſertioni contradicit. Dixit enim ſupra de opere tertiæ diei, quod Elementum aquæ ſit eccentricum &c. Nunc autem dicit, quod de ſui natura fluidum oportet quod orbiculariter ſe habeat circa centrum. Eadem enim ratione quia fluidum, non oportet quod nunc ſit eccentricum. Vbi ſatis fuiſſet dicere, quod ſicut arida in principio apparens pro hominum generatione tempore diluvii cooperta fuit: ita alia ex parte nunc cooperta tempore diluvii fuiſſet denudata: & redeundo divina juſſione ad locum ſuum diluvium ceſſaſſet: & ſic probabilia eſſent quæ dixit poſtillator & Burg. improbavit. Sententia iſta trahi poteſt à Beato Auguſtino XVI. de civit. Dei cap. 9. ubi dicit, quod nulla diſcretionis ratio aſſignari valeat quare terra apud nos debeat diſcooperiri & non infra nos: & ſic conjecturari poſſent Antipodes, q. d. quod quia ſola Dei voluntas poteſt aſſignari, quod aqua relicta ſua natura quia fluida: quare tempore diluvii à parte infra nos denudatæ fluxiſſet ad partes noſtras & refluxiſſet juxta arbitrium Divinæ voluntatis &*

ceſſaſſet

ceſſaſſet diluvium : vel dicatur ſi placet, ſicut dictum eſt ſupra cap. 1. correct. 3. Deus voluit ut aqua quindecim cubitis aſſurgeret ; non ea de cauſa, ut ſuffocarentur animantia. Ad id enim non opus eſt tanta altitudine. Niſi aliquis gigantes velit fingere. An ideo ut arca tranſiret ſine naufragio? ut & intelligamus mox quum aquæ decreſcere inciperent, arcam in montibus reſediſſe, divino nutu, ne periculum naufragii ex alliſione ad eminentiora loca pateretur. Paulo igitur infrà cubitos quindecim ſubſederat intrà aquarum ſuperficiem. Cura Dei fuit mox decreſcentibus aquis arcam collocare in tuto, in ſummo aliquo cacumine, ne periculum ſubiret alliſu. Proinde initium decrementi & collocatio arcæ ad eundem diem 17. menſis 7. pertinebunt. Scire autem non poſſumus, quantum ſingulis deinde diebus decreverint aquæ, quia hoc tantum ſcimus cacumina montium apparuiſſe die primo menſis 10. non ſolum ſummorum, ſed & ſummis humiliorum. Adeò conſtabit plus quindecim cubitis per dies 73. aquas imminutas eſſe.

Ac Quieto In Salo Arcam Circumferri] Noë deprehendebat arcam in tuto conſtitiſſe, non circumferri in ſalo. Quin notavit jugum montis in quo arca conſederat ſiccum eſſe. Nam menſis ſeptimi die decimo ſeptimo arca conſedit in monte Ararat: decimi menſis die primo vertices montium nudari cœperunt. Poterat enim animadvertere arcam ſedere fixam non fluitare. Quadraginta inde dies præteriere antequam corvum emitteret explorandi gratia.. Emiſſus igitur ab ipſo corvus eſt menſis undecimi die decimo id eſt quinto die Auguſti.

Eoque Non Revertente] Vulgata verſio cap. VIII. 7. *Dimiſit corvum, egrediebatur & non revertebatur donec ſiccarentur aquæ ſuper terram.* Græci: καὶ ἀπέστειλε τὸν κόρακα· καὶ ἐξελθὼν οὐκ ἀνέστρεψεν ἕως τοῦ ξηρανθῆναι τὸ ὕδωρ ἀπὸ τῆς γῆς. Notant CL. Druſius & Amama ex ipſis teſtibus Pontificiis Latinæ editionis exemplaria quædam legere abſque negatione. Hæc conſentiunt veritati Hebraicæ: in qua. *qui exiit exeundo & revertendo.* Vide Druſium miſcellan. cent. 1. cap. 3. & ad difficiliora loca Geneſeos cap. 21. Amamam in cenſura vulgatæ verſionis. Lyra ita annotat: *Secundum communem expoſitionem non eſt intelligendum, quod reverſus ſit ad Noë aquis deſiccatis: ſed remanſit apud cadavera ut communiter dicitur: & eſt ſimilis modus loquendi Matth. 1. de Ioſeph & Maria: ubi dicitur:* Et non cognoſcebat eam, donec peperit filium primogenitum: *non quod poſtea cognoverit. In Hebræo dicitur:* Qui egrediebatur exiens & revertens, *Et hoc idem dicit Hieronymus in lib. de Hebraicis quæſtionibus. Quod exponunt Hebræi dicentes quod corvus emiſſus de arca non fecit legationem ſuam prout Noë intendebat, ſed magis extra arcam volitabat quærens reingredi arcam. Cauſam hujus aſſignant aliqui Hebræi ſc. quod corvus habebat Noë ſuſpectum de femella ſua. ex quo patet in eis cæcitas magna, qui tam abſurda dicunt & credunt. Imo etiam in hoc ſibi contradicunt. Dicunt enim & ſatis apparet ex textu, quod coitus fuit ſimpliciter interdictus à Deo intra arcam. Sed quia tranſlatio, quam habemus videtur contraria Hebraica literæ, ideo ſic poteſt concordari. Qui egrediebatur & non revertebatur ut per hoc exprimatur intentio Noë. Ad hoc enim eum mittebat ut per ſuum reditum haberet aliquod ſignum de ſiccatione aquarum: ſed quia non ivit ſecundum intentionem Noë ſed magis reverſus eſt ſtatim nullo ſigno apportato: ideo litera Hebraica factum corvi exprimit, cum dicit,* qui egrediebatur exiens & revertens. *Sed ſecundum hoc dictum non remanſit apud cadavera, ſed quia adhuc aquæ erant ſuper totam terram planam, ut dicitur infra, regreſſus eſt ad arcam, ut haberet paſtum.* Conciliatio iſta nihil efficit. Nam negatio addita contradicit Hebraicæ literæ. Corvum continenter iſſe & rediſſe Hebræa

 litera

litera vult ſive in arcam regreſſus fuerit (quod veroſimilius, quia illic femella erat) ſive in faſtigio arcæ quieverit. Non ſolent enim corvi quieſcere & ſomnum capere in ſolo terræ. Corvum marem & feminam ſimul emiſſos eſſe repugnat literæ, quæ dicit unum non duos corvos à Noë eſſe dimiſſos. Circa arcam corvus obvolitabat, ideò non potuit Noë ex ejus emiſſione ſcire an plana camporum eſſent nudata, habuitque neceſſe ut columbam emitteret. Nugas Hebræorum de corvo iſto & columba Noë & allegorias Chriſtianorum vide apud Mercerum & alios. Quadraginta diebus poſt quam cacumina montium conſpici cœperunt, quod fortaſſe exploratum Noë, emiſit corvum: ſic enim putamus. v. 6. & 7. cohærere.

Cum Consistendi Locum Non Reperiisset] *Reperio reperivi* dixit, niſi librarii mendum ſubſit. Mirum vero conſiſtendi locum non invenisſe, cum cacumina montium ad quinquaginta aut nonaginta dies jam nudata vento & ſoli patuiſſent eoque ſicca & arefacta fuiſſe videri poſſint. Et in tot verticibus arbores fuiſſe aptas, quibus inſiſteret, neceſſum eſt. Terram fuiſſe lutoſam exiſtimant interpretes, in qua illibenter columba conſidet. Vertices illorum montium arboribus caruiſſe judico. De tempore ſecundo emiſſæ columbæ v. 10. dicitur: Exſpectatis ultrà ſeptem aliis diebus. Unde interpretes exiſtimant, ſeptem dies interceſſiſſe inter dimiſſionem corvi & primam columbæ. Nam dicit *alios ſeptem dies*. Aben-eſdra: ובעשור לחדש שבט שלח את העורב ותמיד היה הולך ושב עד שיצא נח כי כן אמר עד יבושת המים וביום שיבשה הארץ יצא נח וכל אשר אתו ואחר שבעת ימים ששלח את העורב שלח את היונה וזה היה ביום שבעה עשר לשבט שהוא החדש העשירי מיום המבול והנה הוא על המבט המרבע והעד שאמר ויחל עוד שבעת ימים אחרים: *Decimo die menſis Sebat emiſſum eſſe corvum exiſtimat, quia eſt decimus iſte menſis ab initio diluvii. Decimo ſeptimo primò dimiſſam eſſe columbam*, ſecundo vigeſimo quarto die ejus menſis, ut infra dicit. Similiter ut Salomo, numerum menſium putat ab initio diluvii, ſed annum inchoat à Niſan, eoque diluvium incepiſſe vult in Iar. R. Salomo ſecutus Elieſerem annum inchoat à Thiſri. Si autem in decimo Sebat deſiit numerus ille quadraginta dierum, tum nudata fuerunt cacumina montium in primo Tebet. Qui non eſt decimus ab initio diluvii (ut vult Salomo) ſed à Niſan. Hic igitur Aben-eſdra in eundem illum impingit lapidem cum Salomone numero Moſaico diverſimodè aſſignans initium cum in Moſe nullum diſcrimen innuatur. Scaliger ſic computat: quadraginta dies à nudatione montium attingunt 10. menſis undecimi, quo corvus emiſſus eſt. Hinc continuò iſſe & rediſſe, donec exſuctæ eſſent aquæ. Expectaſſe igitur Noë alteros quadraginta dies, tum emiſiſſe primo columbam: factum vigeſimo die menſis duodecimi. Huic diei addendos eſſe dies quatuordecim, haberique opagomenon quintum. Jam anno exacto ſequi primum diem anni ſequentis. Sic immediatè connectit v. 12. & 13. *Emiſit columbam quæ non eſt reverſa ultra ad eum. Igitur ſexcenteſimo primo anno, primo menſe, prima die menſis imminuta ſunt aquæ ſuper terram: & aperiens Noë tectum arcæ aſpexit, viditque quod exſiccata eſſet ſuperficies terræ.*

Menſis xi. 27. Julii.

VI. Auguſti undecimo menſis xi. emittitur corvus.

Menſis xii. 26. Auguſti.

Poſt alios quadraginta dies primò emittitur columba. Nempe vigeſimo primo menſis duodecimi, 16. Septembris. Vigeſimo octavo menſis duodecimi columba ſecundo emittitur, id eſt vigeſimo tertio Septembris. Tertio emiſſa

eſt

eſt columba ultimo die epagomenon, Septembris triceſimo. Cum ſub veſperam illius diei non rediiſſet columba, ſequenti die id eſt Kal. primi menſis operculo arcæ dimoto proſpexit Noë videtque terram undiquaque exſiccatam eſſe. Nihil obſtare poteſt Scaligerianæ expoſitioni tam planæ & Moſis ephemeridas illuſtranti, niſi interpretatio v. 7. de mora inter emiſſionem corvi & primam columbæ. Ut fuerint ſeptem dies non evincitur ut Judæi volunt & Aben-eſdras & Salomo, ex eo, quod ſeptem alios dies dicatur exſpectaſſe ad ſecundam dimiſſionem columbæ. Nam ſeptem alii dies, non dicunt hoc, quod tantum ſeptem dies in ſuperiori intervallo fuerint, ſed quod hi dies iſto intervallo non includantur. Non ſignificant paritatem in quantitate numeri ſed diverſitatem ab iſto numero. Si commoratus fuerim in aliquo loco dies quadraginta, dicere rectè poſſim me adhuc alios dies ſeptem commoraturum eſſe, ſi ita viſum fuerit. Longum illud ſpatium evincitur etiam ex verbis Moſis, quæ habent: וַיְשַׁלַּח אֶת הָעֹרֵב וַיֵּצֵא יָצוֹא וָשׁוֹב עַד יְבֹשֶׁת הַמַּיִם מֵעַל הָאָרֶץ *Et emiſit corvum* (ſcil. poſt quadraginta dies) *qui egreſſus eſt egrediendo*, & redeundo donec exſiccarentur aquæ à terra. Nempe corvum dicit rediiſſe quotidie, donec plana camporum & arborum cacumina nudarentur, in quibus conſiſtere poterat. Id longum ſpatium fuit & multis diebus ita fecit corvus. Cum non rediret corvus, emiſit columbam, è qua aviſcire poterat an aliquam firmitudinem haberet ſolum terræ, è quo iſtud avitium ſemina legit, ſicco non penitus humente. Scaliger igitur illud יבשת terminat die, quo emiſſa eſt columba, non (ut alii interpretes) egreſſu Noë ex arca. Miror Sethum Calviſium, qui arctè ſemper veſtigiis Scaligeri inſiſtit, hic ab eo abiiſſe, in communem interpretum ſententiam. Id feciſſe arbitror, quia brevius & obſcurius ſe explicat hac in parte magiſter. Magnum ſpatium fluere oportuit & plurimos dies, in quibus ita aquæ imminutæ ſunt. Quantum autem fuerit colligitur è v. 12. & 13. inter ſe connexis & anni modo ſolari, quem 150. dies, interpoſiti inter 17. menſis ſecundi & ſeptimi, indicant. Si quatuordecim dies (tot intercipiuntur tribus columbæ dimiſſionibus) finiantur ante initium anni ſequentis, & à decimi menſis initio ſumantur dies quadraginta, ſupererunt alii quadraginta ad complendum annum per tres ultimos menſes τριακονθημέρους & epágomenas quinque. Quod ſic patet:

	1	Primus dies menſis decimi.
30. menſis 10.	40	Emititur corvus.
30 menſis 11.	40	Emittitur columba primò.
30. menſis 12.	7.	Emittitur columba ſecundò.
5. Epagomenæ	7	Emititur tertio.
1. Kalendæ menſis I.	1.	Primus dies anni 1657.
96.	96	

Quod quadraginta dies ab emiſſione corvi ad primum columbæ evolatum effluxerint, ſic probat Scaliger, quia neceſſe ſit, ut ultimus columbæ evolatus à quo non rediit, connectatur cum principio anni ſequentis id eſt primi menſis neomenia. Nam non eſt credibile Noë fatigatum tot menſium carcere & jactatione, cum avis emiſſa non rediret, abſtinuiſſe à proſpectu in terram circumjacentem. Terræ optato conſpectu tanto tempore caruerant: Nunc læto clamore ſalutant.

Feneſtram aperuit Noë, non januam in latere, qua emiſit aves; operculum arcæ removit, ut aridam terram cognoſceret. Sic enim ex alto circumquaque & oculos & viſus conjicere poterat. Rectè igitur R. Salomo de חלון ; לא זה פתח התיבה העשוי לביאה ויציאה. Alias nugatur ut de corvi emiſſione:

הלך ומקיף סביבות התיבה ולא הלך בשליחותו שהיה חושדו על בת זוגו כמו שמצינו באגדת חלק: *Iens & circumiens circum arcam, non ibat in legatione ſua, quod ſuſpectum eum haberet de conjuge ſua, ſicut invenimus in Aggada Helec.* Inde ad quod dicitur, עד יבשת המים, ſic commentatur פשוטו כמשמעו אבל מדרש אגדה מוכן היה העורב לשליחות אחרת בעצירת גשמים בימי אליהו שנאמר והעורבים מביאים לו לחם ובשר Simplex ſenſus eſt ut ſonat *Sed Medras Aggada: conſervatus fuit corvus in legationem aliam in penuria pluviarum tempore Eliæ. Q. D. & corvi adducebant illi panem & carnem.* Notat Mercerus illud ipſos Cabbalice colligere ex voce יבשת, quæ transpoſitis literis faciat תשבי, & Eliam Thisbiten notet. Cum corvum legationem ſuſcepiſſe velit, ſeu miſſum eſſe in legationem, de columba dicit fuiſſe ſimplicem emiſſionem, ad vocem ישלח in v. 8. אין זה לשון שליחות אלא לשון שלוח שלחה ללכת לדרכה ובזו יראה אם קלו המים שאם תמצא מנוח לא תשוב אליו *Non eſt ſignificatio legationis ſed notio eſt dimittendi dimiſit eam ut iret viam ſuam, & in hoc videret an levata eſſent aquæ: quod ſi inveniret quietem non eſſet reverſura ad ipſum.*

Rursum remissa folium olivæ retulit] Secunda emiſſio columbæ vel ejuſdem vel alterius. Nam Hebræum היונה cum ה הידיעה & Græcum ἡ περιστερά, poſſunt ſignificare idem quod περιστερά τις. *Remitti* pro ſimplici *mitti*; ut *reddere* pro *dare*, *repromittere* pro *promittere*, *recipere* pro *capere*. Columba ſecundo emiſſa eſt juxta Scaligeri ſententiam emendatam vigeſimo octavo die menſis duodecimi id eſt vigeſimo tertio Septembris; juxta Calviſium, ultimo Auguſti. At juxta Judæos; R. Sal. decimo Elul; Abeneſdram decimo ſeptimo Sebat. Prout alter ab autumno, alter à vere conditus mundi epocham computat. Oliva perpetuo viret teſte Theopraſto hiſt. plant. lib. 1. cap. 15. Τῶν μὲν ἡμέρων ἀείφυλλα, ἐλάα, φοῖνιξ, δάφνη, μύῤῥινος, πεύκης τι γένος, κυπάριττος. Hæ arbores inter domeſticas ſemper virent, perpetuo foliatæ. Aliæ ſunt inter alterius generis nempe ſylveſtres. Oleam ita deſcribunt φιλολόγοι: Arbor eſt mediocri magnitudine communiter, aliquando prægrandis, patula ramis compluribus in omnem partem diffuſis: ligni materies pulchra, ſolida, venoſa, criſpa. Folia ſaligneis adſimilia, denſiora & firma. Nam ut folia ſalicis, parte ſupera virent, infera albent; oblonga ſunt in acutum deſinentia, craſſa, pinguia, brevi pediculo ramuſculis ex adverſo ut plurimum adhærentia, ſapore amaro & acrimoniæ aliquid habentia. Florem copioſum habet in ramuſculis; racematim junctum, ex herbido candicantem, quaternis foliolis rudimenta fructus complectentem. Fructus bacca eſt, quæ ut plurimum figura ovi; grandiſſima minimo ſucco, inquit Plinius, oſſeo intus nucleo, primum viridis, propinqua maturitate palleſcit, tandem nigreſcit. Omnis olea, ut Columella teſtatur, major fere ad eſcam, minor oleo eſt aptior. Vitiatur oleum in amurcam, cujus color olivam cogit nigreſcere teſte Plinio. Ideoque incipiente nigritia minimum amurcæ, ante eam nihil. Errorem hominum falſum eſſe, exiſtimantium maturitatis initium, quod eſt vitii proximum, deinde quod oleum creſcere olivæ carne arbitrantur, cum ſuccus omnis in corpus abeat lignumque intus grandeſcat. Olei cauſam eſſe calorem & ſerenitatem, humore & imbribus abſumi. Oleum ex maturis baccis peſſimum, optimum ex immaturis & acerbis. Nam, ex eadem Oliva differunt ſucci: primum omnium è cruda atque nondum inchoatæ maturitatis. Plinius ita è Theophraſto: Oleam Theophraſtus, è celeberrimis Græcorum authoribus, urbis Romæ anno circiter quadringenteſimo quadrageſimo, negavit niſi intra XL. millia paſſuum à

um à mari naſci. Hæc Plinius hauſiſſe putatur ex Theophraſti de plantis lib. 4. cap. 3. ὕπτιε (nempe in magno ſaltu circa Thebanum nomon Ægypti) καὶ ἡ δρῦς καὶ ἡ περσέα πλείστη καὶ ἡ ἐλαία. Καὶ γὰρ ἡ ἐλαία περὶ τοῦτον τὸν τόπον ἐστὶ τῷ ποταμῷ μὲν οὐκ ἀρδευομένη. πλεῖον γὰρ ἢ τριακόσια στάδια ἀπέχει, ναματιαίοις δ᾽ ὕδασιν· εἰσὶ γὰρ κρῆναι πολλαί. τὸ δὲ ἔλαιον οὐδὲν χεῖρον τοῦ ἐνθάδε· πλὴν κακωδέστερον διὰ τὸ σπανίως τοῖς ἁλσὶ χρῆσθαι τῇ φύσει. Τὸ δὲ ξύλον τοῦ δένδρου καὶ σκληρὸν καὶ παραπλήσιον τεμνόμενον τὴν χρόαν τῷ λωτίνῳ. In hoc loco Theophraſtus dicit fluvio Nilo non irrigari olivam Thebanam, cum abſit ab eo trecentis ſtadiis, ſed fontibus, qui circa eum tractum permulti exiliunt. Oleum illud pejus olere, quia pauco ſale naturâ utantur indigenæ. Gazæ verſio ſæpe aberrat. Ita illa verba male cepit & interpretatus eſt, διὰ τὸ σπανίως τοῖς ἁλσὶ χρῆσθαι τῇ φύσει, *quia natura raro ſale utatur.* Percepit mentem Theophraſti Julius Cæſar Scaliger, cujus hæc eſt annotatio: *Oleum fieri ex oliva ſale adſperſa jam pervulgatum eſt apud autores. Sed quid eſt τῇ φύσει? Apud Ægyptios natura ſua rarum eſſe uſum ſalis, an ob calorem atque ſiccitatem? Nam ipſi ſunt ſiticuloſi, quare maluns olei tadium quam ſalis incommadum.* Trecenta ſtadia faciunt triginta novem millia paſſuum cum dimidio, id eſt quingentis paſſibus ſuperfluis. Ideo dixit intra 40. M. paſſuum. At compertum eſt nec ignoravit Theophraſtus oleam creſcere in proximis mari locis. Eodem enim capite refert in Cyrenaica cupreſſum & oleas præſtantiſſimas provenire & oleum plurimum. Cyronaica littoralis ſola fertilis arboribus habetur, interior tantum frugibus & laſere. Plinius: *Cyrenaicus ager XV. Mill. paſſ. latitudine & arboribus fertilis babetur: intus eodem ſpatio frugibus tantum: max triginta mill. paſſ. latitudine & ccl. mill. paſſ. longitudine laſere mado.* Arbores igitur non proveniebant niſi regione littorali, fruges & littorali regione & interiori uſque ad 30. m. paſſ. Tota regio lata erat 60. m. paſſ. Cyrene ipſa à mari undecim mill. paſſ. ſita erat, oleæ cultura feliciſſima. Aſia & Græcia à natura oleam habuere, ſerò in Italiam inde in Galliam Hiſpaniaſque tranſlata eſt. Plinius: *Feneſtella verò omnino non fuiſſe in Italia, Hiſpania atque Africa, Tarquinio Priſca regnante, ab annis populi Rom. CLXXXIII. qua nunc pervenit trans alpes quoque & in Gallias Hiſpaniaſque medias. Vrbis quidem anno qningenteſimo quinto, Appio claudia caci nepate L. Iunio Caſſ. olei libra duodenis aſſibus veniere: & mox anno ſexcenteſimo actogeſimo M. Sejus L. F. adilis curulis alei denas libras ſingulis aſſibus præſtitit populo Romana per tatum annum. Minus ea miretur, qui ſciat poſt annos XXII. Cn. Pompeij IV. Conſulatu aleum provinciis Italiam miſiſſe.* In Græcia culturam oleæ ignotam primi Athenienſes exercuere ejuſque inventionem attribuere Minervæ uti vulgo notum eſt. Heſiodi ætate nondum exculta ſatis fuit. Plinius: *Heſiodus in primis cultum agrorum dacendam arbitratus vitam, negavit olea ſatorem fructum ex ea percepiſſe quenquam. Tam tarda tunc res erat: at nunc etiam in plantariis ſerunt, tranſlatarumque alterno anna decerpuntur bacca.* Virgilius tria oleæ genera commemorat, alii longe plura. Virgil. Georgic. 2.

Nec pingues unam in faciem naſcuntur olivæ
Orchitæ radiique & amara pauſia bacca.

Orchites & orchita legitur apud autores item orchis à teſticulorum magnitudinis & ſimilitudine. Virgilii verſum alii hic legunt: Orchites & radii & amara pauſia bacca. Ubi vox radii non elidit ultimam ſyllabam. Henricus Stephanus exiſtimat Latinos inflectere orchis orchitis, ut χάρις χάριτος, aut ὀρχίτις ut μελιτίτις dici. Apud Nicandrum legitur ὀρχάς ὀρχάδος. Plinius lib. 15. cap. 3: orchites in ſingulari numero ponit: *Mox orchites, cui olei.*

Apud Virgilium quidam legunt orchades, ſed contra Plinii teſtimonium lib. 15. cap. 1. Olivæ frondem retulit: oliva ſignum, uti volunt, pacis & iræ Dei ſedatæ. Certum enim eſt veteres in ſignum pacis olivæ ramum prætuliſſe. Sic Æneam ad pacem tempeſtatis impetrandam olea coronatum fuiſſe Virgilius ſcribit Æneid. 5. *Ipſe caput tonſæ foliis ornatus olivæ*

Stans procul in prora pateram tenet extaque ſalſos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fudit.

Idem Æneas lib. 7.

Centum oratores auguſta ad mœnia regis
Ire jubet ramis velatos Palladis omnes,
Donaque ferre viro, pacemque expoſcere Teucris.

Eodem modo velati oratores Latini Æn. 11.

Jamque oratores aderant ex urbe Latina
Velati ramis oleæ veniamque rogantes,
Corpora per campos, ferro quæ fuſa jacebant,
Redderet ac tumulo ſineret ſuccedere terræ.

Oleam præferebant, πρὸς ὑπόμνησιν τῆς γεωργίας θέλων τὴν χώραν ϗ φυτόν τινα εἶναι τῶν καρποφόρων φυτῶν. Victores etiam oleaginea corona donabantur. Plinius lib. 15. cap. 4. *Oleæ honorem Romana majeſtas magnum præbuit turmas equitum idibus Iuliis ex ea coronando: item minoribus triumphis Ovantes. Athenæ quoque victores olea coronant, Græci verò oleaſtro Olympiæ.* Cum ſit victoriæ & pacis ſignum cur patres maluerunt frondem oleæ à columba ad Noë delatam interpretari de pace Dei, quam de victoria, qua in patientia vicerant tædium annuæ incluſionis in arca.

Manifestum Indicium Nudari Cacumina Arborum] Textus dicit: Intellexit ergò Noë, quod ceſſaſſent aquæ ſuper terram. Exiſtimat Fr. Junius electam fuiſſe columbam, quia non leviter fallit fidem conjugii ſed mature ſtudioſeque ad nidum & communem domum revertitur. Idem dicit de corvo, Eum emiſſum eſſe præ alia volucri, quod cicuratus non facile obliviſcatur ſtationis ſuæ ſed eam ſoleat repetere. Quomodò hoc convenit, Cum potius avem debuerit eam emittere, quæ non eſſet reverſura niſi cogeretur aquarum multitudine aliam ſtationem non admittente? Nam non reverſa columba indicavit aquas deſtitiſſe & ſiccam eſſe terræ ſuperficiem. Si reverſa fuiſſet amore nidi; quid indicii habuiſſet Noë? Indicavit reverſa columba, illa ſcilicet quæ ſecundo eſt emiſſa fronde olivæ allata arbores nudatas eſſe quod potuiſſet quavis arbore frons decerpta indicare. At oliva ob pinguedinem non facile alieno humore corrumpitur, ut obſervat Auguſtinus, & frondet perenni vigore & virore. Frondem ubi vidit Noë, indicavit ipſi terris & gignentibus remanere naturam & primam Dei benedictionem. Deinde, cum in campeſtribus potius quam montanis oleæ proveniant, documento fuit plana ſiccata eſſe. Calvinus ad tertiam hanc rationem advertit: *In ramo olivæ, inquit, quidam philoſophantur, quia pacis inſigne erat apud veteres, ſicut laurus victoriæ. Sed potius exiſtimo, quod olea non naſcatur in montibus, nec valde procera ſit arbor, Dominum dediſſe aliquod ſignum ſuo ſervo, unde colligeret* amœnas regiones & feraces bonarum frugum, jam aquis purgatas eſſe. Quartam rationem addiderim, Deum ipſi offerre agriculturam. Nam vitam

vitem non cultam fuiſſe ante diluvium putatur, oleam autem fuiſſe vel hoc ipſum indicio ſit. Arborem ipſi offert Deus, cujus culturæ aſſueverat & è qua humanis uſibus proventus utiliſſimus. Plinius: *Duo liquores humanis corporibus ſaluberrimi, intus vini, foris olei.* Autor Geoponicon: *οὐ μόνον γὰρ ἀσφαλῶς καὶ βεβαίως ἔχει τοὺς πόρους ἡ ἀπὸ τῆς ἐλαίας πρόσοδος, ἀλλὰ καὶ μέγιστόν ἐστιν ἀγαθὸν πρὸς πᾶσαν τοῦ βίου θεραπείαν.* R. Sal. *Et midras Aggada ſumit* טרף *in ſignificatione commeatus & exponunt illud in ore ſuo notione ſermonis: dicit, erunt commeatus mei amari ſicut olei. At in manu juſti benedictus eſt cibus ille & non dulcis ut mel in manu carnis & ſanguinis*, id eſt hominum mundanorum.

Tertio demum emissa non rediit] Gen. VIII. 12. Emiſſa tertio eſt poſt ſeptiduum à ſecunda emiſſione. Id eſt ultimo anni die, ut indicat Moſes v. 13. Corvus ſemel emiſſus, columba ter. Corvus emiſſus quadraginta diebus ab initio decimi menſis, quo nudata fuerunt cacumina montium, quod è feneſtra Noë videtur vidiſſe, ut Moſes ad id, quod Noë conſpexerat, hiſtoriam retulerit: Longinquorum montium vertices conſpicuos fuiſſe Noë è feneſtra proſpicienti putem. Joſephus, ut non malè aliàs computat faſtos diluvii, ita quaſi tantum ſemel emiſſa fuiſſet columba loquitur. Ejus computatio hæc eſt: *παυσαμένου δὲ τοῦ ὑετοῦ μόλις ἤρξατο ὑποβαίνειν τὸ ὕδωρ ἐφ' ἡμέρας ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα, ὡς μηνὶ ἑβδόμῳ, ἱσταμένου δὲ λῶ ἑβδόμῃ. Ἔπειτα τῆς λάρνακος περὶ ἄκραν τινὰ ὄρους σταθείσης κατὰ τὴν Ἀρμενίαν, συνεὶς ὁ Νῶχος ἀνοίγει ταύτην. Καὶ θεασάμενος γῆν βραχεῖαν περὶ αὐτὴν, ἐπεὶ χρηστοτέρας ἤδη γέγονεν ἐλπίδος, ἠρέμει. Cum autem pluvia ceſſaviſſet. vix cæperunt aqua ſubſidere ad dies centum & quinquaginta, tanquam menſe ſeptimo, die decima ſeptima. Deinde arca reſidente in vertice quodam montis circa Armeniam, ubi id reſciviſſet Noë, eam aperit. Et viſa terra brevi circa eam, factus jam ſpei melioris, quievit. Senſus ejus eſt poſt centum & quinquaginta dies ſubſidere cœpiſſe aquas, circiter decima ſeptima die menſis ſeptimi.* Ἐπὶ cum accuſativo ſignificat, *ſuper verſus propter, uſque ad.* At numerum cardinalem pro ordinali poſuit: Mens enim eſt ἐφ' ἡμέραν ἑκατοστὴν καὶ πεντηκοστήν. Id quod non eſt infrequens. Locutus eſt cum ſcripturis ſed non ſatis accurate nec evidenter. Quia ſeptimum menſem dicit ſimpliciter, intelligit ab initio anni eoque quadraginta dies pluviæ diebus 150. includit. Separat ſatis clarè diem decrementi à die quo arca fixa reſedit in montis vertice quod eſt contra Moſen, ut & illud quod non ante diem 7. m. 7. aquæ inceperint minui. Dicit enim ſolum uſque ad eum diem tenuiſſe terras. *ὀλίγαις δὲ ὕστερον ἡμέραις* (Moſes dies quadraginta exprimit) *μεθίησι κόρακα, βουλόμενος μαθεῖν εἰ καὶ τὸ ἄλλο τῆς γῆς ἐκλελειμμένον ὑπὸ τοῦ ὕδατος, ἀσφαλές ἐστιν ἤδη πρὸς ἔκβασιν. ὁ δὲ πᾶσαν εὑρὼν ἔτι λιμναζομένην, πρὸς Νῶχον ἐπανῆλθε.* Non ſecundum LXX. interpretes negationem additam legit. *Μετὰ δὲ ἡμέρας ἑπτὰ περιστερὰν ἐπὶ τὸ γνῶναι τὰ περὶ τὴν γῆν προύπεμψεν. ὑπανελθούσης δὲ πεπηλωμένης ἅμα καὶ θαλλὸν ἐλαίας κομιζούσης, καὶ μαθὼν τὴν γῆν ἀπηλλαγμένην τοῦ κατακλυσμοῦ μείνας ἄλλας ἑπτὰ ἡμέρας, τὰ ζῶα τῆς λάρνακος ἐξαφίησιν.* Negligenter Moſis hiſtoriam conſideravit. Nam v. 12. 13. 14. connexuit ita, quaſi unius ejuſdemque diei geſta eſſent. Quemadmodum & duas emiſſiones columbæ priores (v. 8. 9. 10. 11. commemoratas) in unam confudit. Atqui Moſes diſtinguit diem quo columba tertiò emiſſa non rediit, à die quo arcæ operculum dimovit Noë. Fuit enim emanſio columbæ ſignum areſactæ terræ. An reverſura eſſet, ſcire non potuit, ante diem exactum proinde nocte ſequenti per ſpem tranſmiſſa, ubi dies illuxit, operculo dimoto, in omnem partem proſpexere, obſervaruntque terram eſſe nudatam aquis, quacunque oculos circumferre poterant. Hic fuit dies primus anni 1657. Non fuerunt arcam egredi auſi, antequam Deus, qui juſſe-

juſſerat ingredi, egreſſum etiam ſignificaret. Deſiderium illud, quod habuerunt excundi ex carcere illo & ingrato hoſpitio, tædium quoque cohibitum fuit ne quid adverſus Dei voluntatem committerent. Poſſent alii ignaviam & timorem incuſare. Quod deprehenſa & oculis uſurpata exſiccatione terræ quinquaginta ſeptem diebus ſe continuerint, donec Deus juberet prodire. Audiamus perorantem Calvinum: *Etſi non parum expavefactus erat Noë Dei judicio, Laudatur tamen hac in parte ejus tolerantia, quod terram habens ante oculos, quæ domicilium offerret, non audet tamen exire. Nimia timiditati atque etiam ignaviæ hoc tribuerent profani homines: ſed ſancta eſt timiditas quæ ex fidei obedientia naſcitur. Sciamus ergò ſancta modeſtia retentum fuiſſe Noe. ne ſibi frui permitteret naturæ beneficio, donec praeuntem haberet Dei vocem. Paucis quidem verbis hoc perſtringit Moſes ſed ad rem ipſam attendere convenit. Sponte autem hoc in mentem venire omnibus debet, quantæ virtutis fuerit poſt incredibile unius anni tædium, ubi diluvium ceſſavit & illuxit nova vita, non tamen ex ſepulchro pedem movere ſine mandato Dei. Ita videmus continuo fidei tenore, obſecutum eſſe Deo ſanctum hominem: qua Deo jubente ingreſſus erat arcam, illic continetur, donec exitum Deus pateſaciat: & in ſuo fætore jacere mavult, quam liberum Spiritum colligere, donec migrationem ſuam ſentiat placere Deo.* Novum tanquam mundum de integro aperiebat Deus in quem veluti ex utero matris, obſtetricante Deo eductus eſt. Nec eum uſurpare auſus fuit niſi confirmatus repetita benedictionis divinæ voce. Aben-eſdra ובאחר באדר שלח את היונה ולא יספה כמשפטה לשוב אליו עוד לעולם וכן עוד טומאתו בו עוד כל ימי הארץ. In primo Adar emiſſam eſſe tertio nec rediiſſe, unde ei incumbere ſuam immunditiem omnibus diebus terræ. Idem notat diſcrimen inter חרבו & יבשה verſ. 13. & 14. חרבו המים לכלא תוכל הרגל לדרוך על הארץ שהיא רכה כי פנ״ה חרבו לבדם ואחר כך יבשה הארץ והאומרים על שנת הלבנה נשען בעבור עשר ימים שהם נוספי׳ כעבור שנת החמה צריכים להיות שנתם שלימה ועוד מי מלל להם ששנה עמד נח בתיבה רק עמד שנת החמה וע״י י׳ ימים: *Ideo non potuit pes calcare ſuper terram, quia mollis eſſet & ſuperficies ejus arefacta tantum erat & poſtea ſicca fuit terra. Et qui dicunt, ſuper anno lunari, nititur computo decem dierum, qui adjiciuntur in computo anni Solis, neceſſarii ut ſit annus eorum perfectus. At porrò quis dixit ipſis, quod annum conſtiterit Noë in arca ſolummodo, commoratus eſt annum ſolarem & decem diebus.* R. Salomo ita commentatur de primo menſe: dicit, Eum fuiſſe Thiſri ſecundum R. Elieſer, at Niſan juxta R. Joſue. De voce חרבו: נעשה כמין טיט שקרמו פנ״ה של מעלה: Speciem luti habuiſſe terram, cujus ſuperficies incruſtata fuerat. Tum יבשה exponit נעש״ת גר״ד בהלכת, Facta eſt ſiccum, ad inambulandum. Tenet de anno Lunari: וירידתן בחדש השני בי״ז אלו אחר עשר ימים שהחמה יתירה על הלבנה שמשפט דור המבול שנה תמימה הי״ה: *Et deſcenſus eorum in menſe ſecundo in 17. Iſti undecim dies ſunt, quibus ſol ſuperat Lunam, quia mos erat generationis diluvii, ut annus eſſet perfectus.* Hypotheſis eſt præciſe annum exactum fuiſſe in arcæ habitatione. Et omnino volunt annum fuiſſe Lunarem. At judicio Abeneſdræ non eſt neceſſarium, ut annus Lunaris fuerit nec ut Noë præciſe annum ſolarem in arca ſit commoratus.

11. cc. Duos et quadraginta] Sequitur communem computationem è LXX. interpretibus. Illam non eſt ſequutus Joſephus ſed ejus codices corrupti ſunt. Proponamus locum & conemur emendare ad Joſephi mentem: *Τὴν δ' ἐπομβρίαν ἄρξασθαί φησιν ἑβδόμῃ τοῦ προειρημένου μηνὸς καὶ εἰκάδι. χρόνος δ' οὗτος ἀπὸ Ἀδάμου τοῦ πρώτου γεγονότος ἐτῶν ὑπῆρχε δισχιλίων* [l. *χιλίων*] *ἑξακοσίων πεντήκοντα ἕξ. Ἀναγέγραπται δ' ὁ χρόνος ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις, σημειωσαμένων*

μετὰ

μετὰ πολλῆς ἀκριβείας τὰ τότε καὶ τὰς γενέσεις τῶν ἐπιφανῶν ἀνδρῶν καὶ τὰς τελευτάς. Ἀδάμῳ μὲν οὖν τριακοστῷ ἤδη καὶ διακοσιοστῷ (leg. ἑκατοστῷ) ἔτει γεγονότι παῖς Σῆθος γίνεται. ὃς ἐννακόσια μὲν καὶ τριάκοντα ἐβίωσεν ἔτη. Σῆθος δὲ κατὰ πέμπτον καὶ διακοσιοστὸν (leg. ἑκατοστὸν) ἔτος, ἐγέννησεν Ἔνωσον ὃς δώδεκα ζήσας ἔτη καὶ ἐννακόσια (adde, τῷ ἐνάτῳ ἐνιαυτῷ δὲ) Καϊνᾷ τῷ παιδὶ τὴν τῶν πραγμάτων ἐπιμέλειαν παραδίδωσι, τεκνώσας αὐτὸν περὶ [ἑκατοστὸν καὶ: hæc verba delenda] ἐνενηκοστὸν ἔτος. οὗτος ἐβίωσεν ἔτη πέντε πρὸς τοῖς ἐννακοσίοις. Καϊνᾶς δὲ βιοὺς δέκα καὶ ἐννακόσια, Μαλέηλον υἱὸν ἔσχεν, ἔτει γενόμενον [ἑκατοστῷ delendum] ἑβδομηκοστῷ. Οὗτος ὁ Μαλέηλος ζήσας πέντε πρὸς ἐνενήκοντα καὶ ὀκτακοσίοις ἐτελεύτησεν Ἰάρεδον καταλιπὼν υἱόν. Sequentia ita formo: [ὃν ἔτος ἤδη πέμπτον καὶ ἑξηκοστὸν γενόμενος ἐγέννησεν. Τοῦτον δ' εἰς δύο καὶ ἑξήκοντα πρὸς τοῖς ἐννακοσίοις βιώσαντα Ἔνωχος [δ'] υἱὸς διαδέχεται γεννηθεὶς περὶ ἔτη δύο καὶ ἑξήκοντα καὶ ἑκατὸν τοῦ πατρὸς αὐτῷ τυγχάνοντος. Οὗτος ζήσας πέντε καὶ ἑξήκοντα πρὸς τοῖς τριακοσίοις, ἀνεχώρησε πρὸς τὸ θεῖον, ὅθεν οὐδὲ τελευτὴν αὐτοῦ ἀναγεγράφασιν. Μαθουσάλας δὲ Ἐνώχου παῖς κατὰ ἔτος [αὐτῷ delendum del.] γεγονὼς ἕβδομον καὶ ὀγδοηκοστὸν καὶ ἑκατοστὸν, Λάμεχον υἱὸν ἔσχε ἔτη [γεγονότα] [μετέπειτα βιοὺς legendum] δύο καὶ ἑξήκοντα καὶ ἑπτακόσια. ᾧ τὴν ἀρχὴν παρέδωκεν αὐτὸς αὐτὴν κατασχὼν ἐννέα καὶ ἑξήκοντα ἐπὶ ἐννακοσίοις [Josephi ipſius lapſus videtur eſſe. Nam tot annis vixit, non obtinuit principatum] Λάμεχος δὲ ἄρξας ἑπτὰ [καὶ ἑβδομήκοντα] καὶ ἑπτακοσίοις ἔτεσι, Νῶχον τῶν πραγμάτων ἀποδείκνυσι προστάτην τὸν υἱόν. Ὃς Λαμέχῳ γενόμενος δεύτερον καὶ ὀγδοηκοστὸν [καὶ ἑκατοστὸν] ἔτος ἤνυκότι, ἐννακοσίοις [καὶ πεντήκοντα] ἔτεσιν ἦρξατο πραγμάτων. Intricatiſſimus locus. Voluit Joſephus annotare tria, 1. Quot vixerint annis patres quum gignerent 2. quot annis vitam compleverint. 3. quot annis obtinuerint rerum principatum. In his ſemet ipſum ſæpe confudit annis ævi non diſtinctis ab annis principatus. Anni principatus tot ſunt, quot illi numero annorum poſt parentes defunctos, in vita ſuperfuere.

Adam genuit	Seth	130	vixit 930.	totidem rebus præfuit.
Seth	Enos	105	912	112.
Enoch	Cainan	90	905	98.
Cainan	Malaleel	70	910	95.
Malaleel	Jared	65	895	55.
Jared	Enoch	162	962	128.
Henoch	Mathuſale	65	365	... obiit ſub præfectura Seth.
Mathuſale	Lamech	187	961	234 uſque ad diluvium.
Lamech	Noë	182	777	mortuus eodem anno quo pater.

Hinc cum diluvii anno Noë rebus præeſſe cœpit. Hæc voluit Joſephus diſtinctim annotare, ſed negligenter ſcripſit aut feſtinabundus, Deinde ipſius textus à librariis corruptus eſt. Nihil autem evidentius eſſe poteſt, quam Hebræos codices & illam quam nunc in illis adhuc habemus computationem, ſecutum eſſe. Voluit enim efficere annos 1656. Id indicat ipſa corruptio. Deinde ubi in progreſſu hiſtoriæ ab Adam computat, eundem numerum conſtanter ſervat & tuetur. Si triplicem illam diſtinctionem accuratè inſtituiſſet, facilior fuiſſet emendandi ratio, nunc quia aliud ſæpe egit ipſe, difficulter apprehendi poteſt.

Ἀλληγορούμενα cataclyſmi & arcæ item ſacramentum extra ordinem.

Antiquis illis temporibus adminiſtratum eſt fœdus gratiæ aliter atque aliter, prout conducere viſum τῇ πολυποικίλῳ σοφίᾳ τοῦ Θεοῦ. Non tantum, umbræ fuerunt & δικαιώματα κοσμικῆς λατρείας, (quæ potiſſimum induxit Moſes) ſed & ἀλληγορούμενα & ſacramenta fœderis gratiæ. Ἀλληγορούμενα illa ſunt

T quæ

quæ geſta hiſtoricè figuram continent rerum cæleſtium, ut Apoſtolus docet Gal. iv. 24. 25. & ſeqq. Diſtinguimus ab umbris, quia umbræ ſunt cerimoniæ ad hoc inſtitutæ ut figurent non faciendæ, niſi inſtitutæ eſſent in umbram eorum futurarum. In Allegoriis ludunt Patres & laxiſſimè vagantur ut & quidam homiliaſtæ. Nos autem ſic exinaniri putamus vim & ἐνέργειαν ſenſus literalis, in quo ſacrarum literarum corpus ipſum & ſubſtantia conſiſtit. Quæ Deus eſſe in figuram gerique voluit, ea ſic habenda & interpretanda eſſe putamus, in aliis autem ſubſiſtendum eſſe intra hiſtoriam ſimplicem nudamque. Quæ Dei mente & ſenſu ſunt ἀλληγορούμενα indicant & docent Apoſtoli & literæ N. T. Quæ in Apoſtolicis literis talia eſſe non docentur, ea pro ἀλληγορουμένοις non debent haberi. Ego diſco è Petro ſacramentum fuiſſe arcæ & diluvii extraordinarium, ἀλληγορούμενα hic nulla tradit Sp. S. Allegoriis effusè luſerunt ſcriptores in explicatione arcæ & diluvii: quemadmodum Ambroſius in libro de Noë & arca. Non abnuo ſimilitudinem duci ex omnibus rebus ſacrarum literarum, ut iis quæ docere volumus illuſtrentur. Nā quid tam eſt diſſimile, quod in aliquo ſimile non ſit? Aliud autem ſimile eſt aliud allegoria. Nam qui allegoriam inducit, ſenſum ſcripturæ compoſitum facit, ejuſque partem allegoria notatam, at qui ſimilitudinem ducit alludit, unicuique ſcripturæ loco (ad quem alludit) ſuum & genuinum permittens ſenſum. Si pro ſimilibus aſſumantur Ambroſiana illa illiſque ſimilia aliorum meditamenta, ſobrie & prudenter uſum ſuum habere poſſunt & ad ædificationem facere. Ambroſius cum arca comparat corpus humanum, eoque membra omnia noſtra bitumine intus & foris eſſe linienda ne facile corrumpantur. Simile ingenioſum & delectabile eſt. *Quam* (arcam) *ſi quis*, inquit *velit impenſius conſiderare, inveniet in ejus ædificatione deſcriptam humani figuram corporis. Quid eſt enim, quod ait Deus*; Fac tibi arcam de lignis quadratis? *Quadratum ſane hoc appellamus, quod omnibus bene conſiſtat partibus & conveniat ſibi. Itaque & Deus autor noſtri corporis naturaque fabricator aſtruitur & opus ipſum perfectum eſſe iis ſermonibus ſignificatur. Quadrata autem hominis membra eſſe evidens ratio, ſi conſideres pectus hominis, conſideres ventrem pari menſura longitudinis & latitudinis, niſi cum voluptatibus & epulis. ventre diſtento, menſura naturalis exceditur. Iam pedes & manus, brachia femora & crura quadripertita quis non ipſo uſu advertat? Sunt autem pleraque eorum etſi non ejuſdem longitudinis, aut latitudinis, tamen qua analogiam ita ſervent, ut in iis quoque congrua menſura ratioque concurrat: Longitudo prolixior quam latitudo ſit, latitudo quam altitudo. Et ſicut ligni arcatrina diſtantia eſt; ſiquidem trecentorum cubitorum longitudinē & quinquaginta latitudinem & triginta cubitorum altitudinem ſervandam eſſe præſcripſit: ità & in noſtro corpore ſumma eſt & media & minima diſtantia. Summa ſecundum longitudinem, media ſecundum latitudinem, minima ſecundum altitudinem: totum tamen corpus attextum ex ſingulis membris quadratum videtur. Nam & in uſu ita eſt ut eos quadratos dicamus, quos nec enormes proceritate & validos robuſti qualitate corporis æſtimamus. Quid etiam ſibi vult quod ait*: Nidos facies in ea, *nequaquam ſilendum videtur. Naturaliter enim dictum arbitror, eo quod omne corpus noſtrum attextum eſt ſicut nidus, ut ſpiritus vitalis omnes partes viſcerum penetret, atque de principali noſtro fundat ſe per artus ſingulos. Nidi quidam ſunt oculi noſtri, quibus ſe viſus inſeruit. Nidi ſunt noſtrarum ſinus aurium, per quos auditus ſe infundit & velut in foveam altam dejicit. Nidus eſt narium, qui ad ſe odorem attrahit. Nidus eſt quartus major cæteris, hiatus oris, in quo nutritur donec adoleſcat ſapor & unde non evolat, in quo latet lingua, qua velut organum vocis ſonos ejus artifici ſuavitate modulatur. Et cum ſit ipſa irrationabilis rationabilem vocem exprimit.*

mit. Nidus eſt hemicranium. Nidus eſt membrana illa quæ cerebrum fovet & intra cohibet. Nidi ſunt viſcera pulmonis & cordis. Spiritus quidem noſtri, hoc eſt, ejus quem carpimus & quo alimur in hac vita, nidus eſt pulmo. Sanguinis autem & Spiritus nidus eſt cor. Duo ſunt enim ejus uteri. Vnus quo ſanguinem velut quodam ſinu ſuſcipit & transfundit in venas: alter quo rigatus ex illo ſuperiori deducit in arterias jugi meatu. Oſſa quoque validiora nidos habent. Sunt enim intus cavata, in quibuſdam foraminibus eſt medulla. In viſceribus ipſis mollioribus nidi cupiditatis aut doloris ſunt. Et alia ſi quis conſideret etiam plures nidos inveniet in hac fabrica humani corporis. Vnde puto & illum in pſalmo non ſolum myſticè ſed etiam naturaliter dixiſſe: Etenim paſſer invenit ſibi domum & turtur nidum, ubi reponat pullos ſuos. *Eſt enim in hoc corpore nidus pudicitiæ, in quo erat nidus irrationabilis concupiſcentiæ. Sed ubi ante partus deformes nutriebat libido, ubi* (leg. ibi) *nunc decora caſtitatis adoleſcit hæreditas.* Illinies, *inquit*, eam bitumine. *Ex multis oſſibus nervisque & ceteris aliis conſtat humanum corpus. Et foris igitur & intus apta compage connexum ſibi adhæret & habitudine propria, quam ἁφὴν Græci dicunt, tenetur, ut intus clauſus Spiritus, qui infunditur, vel ſpiritalis ſubſtantia, quæ intus operatur, veluti geminis conſtricta vinculis non evagetur: ſed ad unitatem aptam & continentem connexionemque validam cohibetur. Idcircò bitumine conſtringi arca jubetur. Eſt enim bitumen vehementis ad conſtringendum naturæ. Vnde Græcè dicitur νάφθα παρὰ τὸ συνάπτειν, quod disjuncta connectat nexuque conſtringat indiſſolubili, ita ut naturali unitate ſibi credas convenire. Ob hanc cauſam intus & foris bitumine arca conſtringitur, ne connexio illa facile rumpatur.* In hoc capite ſexto, Ambroſius arcæ Noë fabricam exponit naturaliter, ut figuram corporis humani, ſicuti etiam ſequenti capite arcam fœderis phyſice exponit de corpore humano, ut ſanctis convenit id eſt, conformatum eſt cum mundo intelligibili. Deinde pergit ad arcæ naturalem expoſitionem hoc eſt, comparationem cum humano corpore, in reliquis. Proinde capitis præſtantiam evolvit & interpretatur per hæc verba: Facies arcam & in cubito conſummabis eam à ſummo. *Vt reliquo*, inquit, *corpori menſuræ ſibi convenientis ad gratiã decore quadret caput hominis, tanquam regale arcæ adjungeret. Ex quo cum ſenſus omnes ad cæteras partes corporis transfunderentur, tum maximè oculi velut ſpectatores & cuſtodes, naturæ appoſiti providentia, prope totum orbis noſtri ſtatum deſuper contuerentur. Ipſaque mens illic locata ſecundum plurimorum ſententiam & maximè Salomonis, qui ait*, Oculi ſapientis in capite ejus: quaſi *in aula imperiali virtutum conſilium ſibi contrahat, quo ſtipata comitatu & ipſa munitior ſit & tanquam ex edito quodam tuendi totius corporis regnum impertiat, reſponſa proferre, per quem poſſimus nos ipſos non ſolum retro reſpicere nec ſolum quod ante pedes eſt videre ſed etiam cæli ipſius ſecreta profundo obtutu ſapientiæ ſpectare. Ibi igitur ſumma noſtræ ſalutis, ubi gratia. Inde cuſtodia, inde etiam pulchritudo corpori toti acquiritur, quæ primum in vultu vernat. Decet enim præſtantiorem eſſe cauſa regalis nitorem, in qua ſicut uſus major ita ſplendor eſt. Namque ſi ſpectes ſingula quæ in hominis forma ad uſum aliquem compoſita videntur, ut viſus ad videndum, aures ad audiendum, nares ad odorandum, os ad loquendum, ita uſus miniſtrant, ut præſtent decorem. Quam deformes ſunt vultus cæcorum? Et quid mirum ſi vultus hominis abſque oculis deformis eſt, quando ipſum cælum ſine ſole non habet ſuum decorem? Triſtes ſine ſole dies ducimus, noctes ſine luna non placent. ipſi enim ſunt quidam mundi oculi. Detrahe ſtellarum lumina & quædam eſt in cælo ipſo cæcitatis deformitas. Pili ipſi qui orbem oculorum prætexunt & velut quandam aciem prætendunt, ne ſorde aliqua vel pulveris caligine pupilla lædatur, & ipſi excipiunt, ſi quid fuerit illatum quod oculum poſſit lædere: ſi lippitudine intercidant, dedecet; ſi palpebra contractior fuerit;*

ſi radantur ſupercilia, quæ pretioſorum monilium ſpecie velut intexta gemmis refulgent. Aurium quoque ut neceſſarius uſus, ita decora ſpecies: quas ſi quis truncaverit, toto vultui infert deformitatem. In quibus ita laboravit opus ſuum natura, ut ipſi anfractus cavernarum mira prudentia ſinuati, plurimum utilitatis afferant, ne repente feriat ſecreta capitis ſonus. Denique ſæpe multos improviſo clangore conſternari videmus, & attonitos aut vocis alicujus aut tumultus ſono expaveſcere. Sordes ipſa, quæ inter eoſdem gignuntur anfractus, velut quodam glutino auditum ligant. Simul ſi vehementior pulſus fuerit alicujus ſonus, infringitur ac retardatur, ut prænuntiatus potius mulceat quam inproviſus interna concutiat. Vermiculi quoque ſi aurem penetrare tentâverint, quodam ſordium viſco tenentur. Nares ſima contra naturam videntur jam ſi inciſa fuerint, quomodo poteſt vita ſubſiſtere ſublato ſpirandi meatu? Quemadmodum pecudis magis facies quam vultus hominis æſtimatur. Capilli capitis quam grato amictu caput veſtiunt velut quidam aulæ regiæ ſtipatores, ne cerebrum aura lædat aut imber feriat aut ſol adurat. Quos ita tamen dedit natura, ut pro ſexu aut prolixiores placeant aut reciſi, & pro ætate & plerumque pro temporis & anni qualitate. In ſenibus grata canities, in pueris prodigioſa: æſtate delectat preſſius, hyeme indulgentius: mulieribus ornamento eſt dedecori viris. Denique Apoſtolus evidentius expreſſit hoc dicens: Nam ipſa natura docet vos quod vir quidem, ſi comam nutriat, ignominia eſt illi: mulier vero ſi capillos habeat, gloria eſt illi. *Quid de ipſa regia loquar; per quam aulici ſermones prodeunt, quidam mentis noſtræ indices, animique internuntii? Quid de ipſo dentium ordine, qui cum ſuo opere toti quidem corpori vires miniſtrent, tum etiam modulatores ſunt vocis ipſius? De quibus ſi quid ceciderit, vox claudicat* &c. In capite octavo explicat, *quid ſignificet oſtium ex adverſo in arca factum.* In nono quid ſit, quod inferiora arcæ bicamerata & tricamerata eſſe debeant. Hæc habeant modum ſimilitudinis, non habeantur pro interpretamento ipſius ſcripturæ & ſenſus formaliter intenti. Eodem modo accipiantur illa, quæ habet Proſper Aquitanicus de promiſſionibus & prædictionibus Dei part. 1.cap.7. fuſe & prolixè. Quamlibet rem comparare licet cum qualibet re, ſic & illa quæ in ſuo ſenſu in ſacra ſcriptura propoſita ſunt, componere cum univerſis aliis rebus, quæ in mundo ſunt. Non tamen dicemus τὴν γραφὴν ex mente & ſcopo Spiritus S. eò applicari & referri. Nihil tam abſimile quod non aliqua parte ſit adſimile, proinde comparationem deducere licet ab omni parte mundi ad quamlibet. At ubi abſolutæ rei ſcripturæ ſenſus eſt & ſine comparatione comparatum affingere non licet. Et ubi eſt ſenſus eſt comparatus non licet adducere comparatum quodlibet, invenire & inveſtigare oportet, quod includitur. Concedo & credo fuiſſe ſacramentum in diluvio & arca extra ordinem pro iſto tempore, ubi nullum erat ordinarium. Petrus docet hic fuiſſe ſacramentum ἀντίτυπον τοῦ βαπτισμοῦ. Audiamus & explicemus: ὅτε ἅπαξ ἐξεδέχετο ἡ τοῦ Θεοῦ μακροθυμία ἐν ἡμέραις Νῶε, κατασκευαζομένης κιβωτοῦ, εἰς ἣν ὀλίγαι (τουτέστιν ὀκτὼ) ψυχαὶ διεσώθησαν δι᾽ ὕδατος. οὗ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα &c. Locutio δι᾽ ὕδατος hic nodum habet. Cl. Beza comparat cum Rom. 4. 11. τῶν πιστευόντων δι᾽ ἀκροβυστίας, *credentium in præputio* hoc eſt *præputiati qui ſunt* ſive *dum ſunt.* ὃ legitur (teſte Beza in pleriſque codicibus pro quo ipſe ſubſtituit ᾧ, ſecutus Complutenſem. In codice antiquiſſimo, qui à Thecla conſcriptus fertur, legi ajunt (teſte Salmaſio) ο καὶ ἡμᾶς &c. Hic incomparabilis Salmaſius dicit: *Illud ο in antiquiſſimis libris & unciali charactere ſcriptis, ut ille codex eſt, pro υ ponitur. Nec dubium eſt veram illius loci eſſe lectionem,* ὃ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον σώζει βάπτισμα. Proinde non opus eſt ut ſequamur lectionem codicis Complutenſis ᾧ adverſus illam, quæ eſt multorum ὃ. Nam

ι. Nam erit ex antiqua ſcribendi ratione in qua ο pro ȣ. Deinde in charactere (uti vocant) quadrato non adjiciuntur punctus iſti, qui notant accentus (quos appellant) & Spiritus. Exiſtimat tamen incomparabilis vir, duo hoc in loco inter ſe compoſita eſſe κιβωτὸν & βάπτισμα. Atqui inter ſe referuntur illud quod pronomine deſignatur ejuſdem generis & res conſequente expreſſa. κιβωτὸς & ȣ̃ vel ᾧ non conveniunt genere. Hinc cl. Beza exiſtimat univerſam rem antecedenti commate expreſſam deſignari. Eam rem exprimit voce liberationis. Ego non abnuo rem totam deſignari vocabulo neutrius generis, at puto ſignificari deductionem per aquam, quemadmodum conſimilis rationis fuit extraordinarium ſacramentum deductio per mare rubrum, 1. Cor. 10. 1. 2. οἱ πατέρες ἡμῶν πάντες ὑπὸ τὴν νεφέλην ἦσαν· καὶ πάντες διὰ τῆς θαλάσσης διῆλθον. Καὶ πάντες ἐβαπτίσαντο ἐν τῇ νεφέλῃ καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ. Dicit eos baptizatos eſſe in nube & mari, dum ſub illa per hoc tranſierunt. Διέλευσις διὰ τῆς θαλάσσης vel πορεύεσθαι fuit ſignum ſic & τὸ εἶναι materiale ὑπὸ τὴν νεφέλην. Ita hic dicerem ſignum fuiſſe τὸ ἐν κιβωτῷ δι' ὕδατος πορευθῆναι, vectationem in arca per mare. Formale iſtius ſigni erat *hoc modo conſervari.* Quemadmodum vectatio per arcam fuit medium conſervationis, ita ablutio per ſanguinem Chriſti medium eſt ſalutificationis, ut uſurpem verbum Tertulliani. Ut arcam ſolam dicamus eſſe ſymbolum, non convenit. Nam aquam baptiſmo ἀντίτυπον eſſe res exigit ut aqua ablui & aquis illis tanto tempore invehi & complui. Et vectatio per aquas diluvii & inerſio in baptiſmo inter ſe externa ſimilitudine atque analogia quadam conveniunt & re ſignificata. Quare autem τὸ βάπτισμα dicitur eſſe ἀντίτυπον modi illius, quo Noë ejuſque familia vectati ſunt per aquas? Non poteſt dici quod baptiſma ſignificet & figura ſit illius antiquæ ſalvationis in arca, uti (ad Heb. 9. 24.) τὰ χειροποίητα, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν: ita enim baptiſma eſſet typus illius navigationis per aquis in aqua; ita veritas eſſet in arca, figura in baptiſmo. Optimè igitur ἀντίτυπον hoc in loco exponitur, eundem habens typum ejuſdem ſimilitudinis & figuræ. Lexicon vetus: Ἀντίτυπον, *exemplum, exemplar, inſtar.* Rurſum: *Inſtar*, ὁμοίωμα, ὑπόδειγμα. Vertendum ergò, *Cujus inſtar* baptiſma. Nam ἀντίτυπον ſubſtantive accipio pro *inſtar*, non pro figura & typo rei futuræ. Ridendos ſe propinant illi, qui exponunt per typum & figuram adumbrantem rei futuræ, ita enim baptiſmus diceretur eſſe adumbratio diluvii. Hoc menti & ſcopo adverſantium non convenit & abſonum eſt. Vulgata Latina editio rectè accepit, quamvis obſcurè reddiderit. *Quod & vos* [nos] *nunc ſimilis forma ſalvos facit baptiſma.* Legit ὃ in Græco, ſive ο nec animadvertit pro ȣ̃ ſcriptum eſſe, quod docuit Salmaſius. Ἀντίτυπον accepit adjective, exponitque ἀντίτυπος, *ſimilis forma.* Beza idem voluit, ſed accepit ſubſtantivè, *correſpondens exemplar.* Eadem etiam mens eſt Syri interpretis ܐܦ ܐܢܬܘܢ ܒܗ ܒܗܘ ܛܘܦܣܐ ܚܝ̈ܝܢ ܐܢܬܘܢ ܒܡܥܡܘܕܝܬܐ *Vos etiam in eo typo ſalvi facti eſtis in baptiſmo.* Id eſt, *ad eandem formam & facti ſalvi eſtis per baptiſmum.* Nihil igitur hic eſt, unde doceamur, veteris Teſtamenti ſacramenta, quoad ſubſtantiam minoris eſtimii & pretii fuiſſe, quam ſacramenta novi teſtamenti: nec Apoſtolus docet vectationem ſub diluvio fuiſſe typum baptiſmi, quaſi rem daret baptiſma, ejuſque ſignum fuiſſet aqua diluvii. Id enim eſt dare baptiſmo quod eſt gratiæ & ſanguinis Chriſti. Sanguinem Chriſti corda abluentem & ſic ſanantem ſalvantemque & baptiſmus & tranſitus per diluvium & rubrum mare denotavit. Lyranus hic aliter delirat, explicans v. 21. *Hic ex prædictis*, inquit, *infert corollarium. Dixerat enim paucos per aquam fuiſſe ſalvatos in diluvio, in quantum arca elevavit eos à terra, ideo dicit quod ſimili modo*

aqua baptiſmalis ſalvat ſpiritualiter, quia per gratiam ibi datam elevat mentes à terrenis deſideriis ad petendum cæleſtia. Petrus notat tantum illis octo hominibus, qui arca ſervati ſunt, diluvii aquas fuiſſe pro ſacramento. Nam ubi non eſt, formale ſacramenti, conſervatio, quæ analogiam fundat, eſſe non poteſt ſacramentum ipſum. Si quidam eorum, quos aquæ hauſerunt, animas ſuas pœnitentia eripuerunt Sacramentum ipſis tamen nullum datum eſt, nec fuit diluvium. Eos autem ad limbum iviſſe ob eam cauſam, non dicent adverſarii, quia omnes omnium patrum ante Chriſtum defunctorum animas eò ſeparatas eſſe ſententia ipſorum eſt. Sane quos Petrus ad carcerem iviſſe narrat, nunquam inde exibunt, quia adhuc, poſt Chriſti reſurrectionem, cum illa ſcriberet Petrus, in illo carcere detinebantur. *τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι* ſubintellige *οὖσι*. Id eſt, *qui nunc ſunt*. Non poteſt aliter ille locus explicari, quam eſt explicatus à Cl. Beza. Cui debetur, quod vulgò rectè intelligatur.

Terram illam, quam ſubmerſit diluvium, reſtitutam eſſe & redditam.

Diſſertationem ante quinquennium id eſt anno 1654. edidimus adverſus nobilem & eruditum virum ex Hiſpania, qui exiſtimabat & conatus eſt erudito orbi perſuadere, non eundem orbem, quem aquæ Cataclyſmi hauſerunt, redditum eſſe mortalibus. Eam inſcripſimus viro erudito & de nobis bene merito Anchiſæ Andla. Hic eam repræſentare alienum non fuerit à ſcopo.

Diſſertatio de duplici terra adverſus Joſephum Antonium Gonzages de Salas, ad Ampliſſ. virum, Anchiſem *ab* Andla, *Medicinæ Doctorem &c.*

Ampliſſime Vir:

Oſtendiſti mihi nuper, cum apud te eſſem diſſertationem novam mihi, quæ tamen ante quadriennium ex officina Elzeviriorum Lugduni prodierat, *de duplici viventium terra*. Autor iſte eſt vir eruditus & bonarum literarum in egregia nobilitate (quod laudandum) ſummè ſtudioſus, nec ullius gravis obtrectator, ut ſolent quos de ſe opinio quædam majoris rei tumefecit. Eſt multæ lectionis nec etiam ipſis adverſæ religionis hominibus ſtylo infeſtus. Hæc amo. Quæris autem à me quid de re ipſa, quam tractat ſentiam, quod nunc breviter proferam, ea modeſtia quam nec ipſe autor ſi videat vir moderatus poſſit reprehendere. Nec feret graviter novam ſententiam, quam ipſe in ſenatu eruditorum (ut ipſius verba propria habent) propoſuit, rationum momentis expenſis & contrariis rationibus oppoſitis judicio eruditi orbis examinandam in medium afferri. Relictis igitur, quæ ad cardinem quæſtionis non faciunt, rem ipſam premimus. Summa quæſiti hæc eſt. Exiſtimat ipſe terram continentem, quæ ante diluvium fuit, aquis fuiſſe deletam merſamque profundo, aliam autem Noë poſteris à Cataclyſmo, quam extulerat ex undis Deus, cultui conceſſam eſſe. *Hoc eſt inauditum illud*, ut loquitur, *ejus inventum*. Non eſt ejuſdem ſententiæ cum patribus Syris, qui exiſtimant terram à Deo conditam eſſe duplicem, unam, in qua Paradiſus & primi circa eum homines uſque ad cataclyſmum, alteram noſtram, in quam undis omnia tegentibus, cum arca delata ſit Noë familia, ut eam deinde incolerent. Arbitratur autem ipſe & rectè paradiſum diluvio eſſe dele-

deletum, ſcilicet cum illa primorum hominum terra, quam ſtatuit.

1. Argumentum primum ex eo deſumit, *quod initio Conditum fuerit cælum* (nempe Empyreum) *& terra.* Atqui *cælum illud defæcatum* (inquit) *redditum eſt, inde amoto, & expuncto loco ac ſede delinquentium. Ablata igitur* & pariter fuit aliquando *etiam illa tellus.* Reſp. 1. Non eſt illud firmum & neceſſarium, ut eadem ſors debeat eſſe utrique loco delinquentium. Nam in libera illud Dei voluntate poſitum eſt. 2. Nec probabile eſt cœlum vel cœli partem eſſe amotam & expunctam, in qua angeli deliquerant. Sed de eo inferius ſe acturum promittit.

2. Arg. *Quod eſt maledictum, illud debuit tolli. Atqui terra ante diluvium fuit maledicta. Igitur.* Aſſumptionem latè exſequitur: *Primò fuiſſe maledictam à Deo propter Adami peccatum*, Gen. 3. 17. *Secundò propter Caini parricidium*, Gen 4. 9. *Tertiò* Gen. 6. 5. homini conjungi terram, ut quæ infecta eſſet & cum ipſo homine maledictioni ſubjecta. Sanctum ſcriptorem Moſen his tanquam accuſationem ordine accumulare, ut appareret Terram non ſine cauſa eſſe deletam. Adeoque & ipſam ſententiam in poſtremo loco contra terram à ſummo judice ſtringi. In judicium quaſi cum hominibus ipſam tellurem adduci. Ita dici *terram in conſpectu Dei corruptam fuiſſe & repletam iniquitate* v. 11. Non eſſe ibi locutionem μετωνυμικὼ, quæ ineptiæ fuerint jampridem interpretum, continentem humum ſumentium pro incolis hominibus. Moleſtam hanc eſſe & nulli uſui ταυτολογίαν figuratæ locutionis ubi recta ſimplicique luculenter res ipſa exhibetur patefacta. Sententiam à Domino dilucidè ferri in ipſam terram v. 13. *Ecce ego perdam eos cum ipſa terra.* Similiter ut homines luere terram debere. *Exſtincti* (verba ejus vide) *mortales tunc, nuſquam exſtitere deinceps nec amplius comparuere; Alii utique nequaquam iidem, ſubſtituti; prognati illis videlicet*, qui ex aquis evaſerunt. Unici terris homines relicti orbem terrarum incolunt: orbem igitur diverſum terrarum ac ſuperficiem in primæ locum ſuccenturiatam, omnino neceſſum fuit, denuò ſimiliter oriri ac proferri; ſed ex ipſo tamen globo prolatam in lucem, ubicunque illa ſe conſpicuam præberet.

Reſp. 1. Major ſic certa eſt: Quodcunque à Deo devotum eſt exitio, illud tolli debet. Atqui hoc. Id probandum. 2. Maledictio propter Adamum incumbens terræ pœna eſt univerſalis ad omnem Adami poſteritatē pertinens; ut eſt in confeſſo. Proinde propter Adami lapſum etiam ſecunda tellus maledici debuit. Imò maledictio ad ſecundam tellurem etiam pertinebit, ut datam in ſedem maledicti Adami poſteris. Propter hanc igitur maledictionem novam terram proferri opus non eſt, quin ea etiam in ſecundam debuit exundare. 3. Illud dare poſſum terræ ante cataclyſmum incubuiſſe quandam ulteriorem maledictionem, quam quia illi Adami filii commeriti erant, Deus ad omnem Adami poſteritatem non voluit extendi. Nullius enim hominis delictum univerſam hominum progeniem poteſt irretire, quia nemo communis omnium parens eſt præter Adamum. Ideò Cainæa illa maledictio poſteros Caini concernit. Sed & hoc poteſt concedi, propter facinus illud graviſſimum Caini luxiſſe quaſi terram uſque ad Cataclyſmum, Deo negante hominibus terræ reditum propter clamorem ſanguinis Abel. Sed non fuit illa univerſalis, ut ad omne ævum pertinuerit quandiu illa terra erat duratura. Sufficiebat durare ut communes plagæ ſolent ad magnam aliquam expiationem & diem decretorium. Ita videmus fieri. 4. Quod dicit ſanctiſſimus ſcriptor in conſpectu Dei corruptam fuiſſe terram, id nil prohibet μετωνυμικῶς accipi de incolis nec erit ταυτολόγον; Nam rem gravem bis aut ter ſæpiuſ-

piuſque dici nihil prohibet. Poſſet etiam dici terram corruptam ideò dici, quia memoria delictorum humanorum nullis cladibus expiata erat. Ipſa Moſis verba ſic ſonant, v. 11. *Terra autem erat corrupta coram Deo: & terra erat repleta ſcelere.* Hic ſane ſequens hemeſtichium prioris explicatio eſt, v. 12. *Videbat Deus terram & ecce erat corrupta. Nam omnis caro corruperat viam ſuam.* Corruptio igitur terræ ſita erat in corruptione viæ omnis carnis id eſt hominis. Nec terra poteſt corrumpi, quia non eſt capax corruptionis ſeu vitii moralis. Deteſtabilis ideo erat, quia hominum ſceleribus erat inquinata. Inquinata autem erat per ingratitudinem & abuſum eorum, quæ terra edebat. In his homo puniri debuit. Et ea habitudo terræ, quam inquinaverat homo, debuit renovari, non ipſum terræ ſolum, quod gignit ea, quibus utitur homo, deleri. Sed ſententiam Dei ſtringi putat in ipſam terram v. 13. Quaſi terrę nomine non poſſunt accipi ea, quæ tellus edit, & cætera præter hominem animalia. Quaſi non alias dicatur deleri terra, cum vaſtatur, ipſo ſolo integro nec merſo aquis. Eſ. 24. 6. *dicitur terra conſumi à maledictione.* Imò, v. 20. *Terra omninò vacillabit, ut ebrius, huc illuc movebitur ut tugurium & ejus prævaricatio gravis erit ſuper ipſa, cadet nec poterit reſurgere.* Quin v. 29. dictum erat: *Terra omnino confringetur, diffindetur & commovebitur.* Sic, Malachiæ 6. Ne veniam & terram feriam anathemate. Nam locus ille accipi debet de vaſtitia illa, quam Titus induxit. Terram conſumi quando vaſtatur ejuſque proventus abſumuntur tralatitio loquendi more conſuetum eſt dici.

3. Arg. *In quo & cum quo peccarunt homines, illud debuit deleri. Atqui in terra & cum ea peccaverant.* Ergò &c. Nempe ideo mare & piſces maledicto Dei ſubjecta non fuiſſe, quia homines ante diluvium mare non uſurpaverant.

Reſp. 1. Si non veſcebantur piſcibus priſci illi mortales, ſanè jejunii iſtius modum ignorarunt. Si dicas piſcibus uſos fuiſſe, cur non illi maledicto obnoxii fuerunt? 2. Quid ſi nec eos carnes pecudum ediſſe aliquis dicat, ex Gen. 1. 29. & 9. 3. ſaltem nullum illis commercium fuit cum feris, quæ in montibus & ſylvis abditæ agunt. Cæterum ratio, quod in ſicco degentia una cum homine deleta fuerint, non eſt communio cum hominum converſatione vitioſa, ſed proximior vivendi in ſicco conjunctio. Nec poterant remanere in vita quæ in ſicco degebant, cum omnia pontus eſſent & pontus ſine littore eſſet. Cum Deus igne abſumeret Sodoma cum vicinis urbibus, ideo etiam piſces quidam aſſati in Jordane perierunt, quia hic modus pœnæ erat & vicinia pereuntium dabat malum: adeò *aliquid ſemper mali propter vicinum malum.* 3. Non ſemper illud interit, in quo ut ſubjecto loco homo peccavit, ſed quod inſtrumentum fuit malitiæ & in quo opes ſitæ ſunt delinquentis, propter eum in ejus pœnam ſolet conſumi.

4. Arg. *Conſtat in locis ipſis, quid pravum probumve rerum relinqui videri nobis. Huc ſpectat illud Satyrici: Etiamſi locum inauſpicatum timebam &c.* Huc facere videri, quod additum in vulgato Gen. 6. 6. *Et pracavens in futurum.* Scilicet loci cautione opus fuiſſe.

Reſp. Neſcio quomodo in locis, quæ poſt delicta pœnarum recentiorem memoriam impreſſam habent, videatur aliquid relinqui ad excitandam malitiam. Nec quomodo debeant loca in quibus olim peccatum erat haberi pro pravis. Inauſpicatum nobis nihil eſt, hoc gentilibus relinquemus.

5. *Arg.* Ex Etymo nominis Noë, Gen. 6. 28. *Iſte conſolabitur nos vel requiem*

quiem praſtabit nobis apte dictum de Noacho illo, qui humanum genus traducere portendebatur de terra, cui maledixerat Dominus. Hunc locum tam manifeſtum eſſe, ut Rabbini in eum incidentes, apertius quam ipſe protulerint in medium. Latine autem exhibet Rabbinorum verba: *Ergò Noachus, cum recens natus eſſet & nullum de ſe adhuc indicium præ tenella ætate probare poſſet auguſtiſſimo nomine Noach id eſt Quiete ſive Conſolatione vocatus eſt à Patre ſuo. Quod nomen novam & lætiorem terræ faciem pollicebatur, mitigata telluris malignitate, qua per divinam execrationem affecta erat.* Huc facere alterum locum, Gen 8. 21. Poſthac non amplius maledicam terræ propter hominem. Nempe hanc novam eſſe terram, quam Deus maledicto nondum ferierat. Eſto hoc 5. argum.

Reſp. 1. Sufficit nomini ſuo Noë ſi maledictionem ſiſtat eamque amoveat à terra eadem remanente. 2. Rabbini non faciunt quicquam ad Gonſalii mentem. Nam expreſſe dicunt requiri, ut terræ malignitas mitigetur, ſc. manente ſubſtantia de cujus deletione vel ἀφανισμῷ ne per ſomnium quidem cogitârunt.

6. & 7. Arg. *Sic patere quod nova poſt cataclyſmum tellus data fuerit, quia ei maledicere Deus propter peccata hominum noluerit. Priori voluiſſe Deum maledicere, quia infecta & corrupta erat, ſed huic noluiße, quia nova & rudis erat.*

Reſp. 1. Quam tu Gonſali nobis maledictionem narras, niſi ſubjectionem ſub ſterilitate? quam tollere potuit Deus quia temporaria erat. Nec enim in æternum erat maledicta. 2. Infectionem dicis fuiſſe in illâ terrâ non in hac! Atqui ubi peccant homines inficitur nova terra; ut vetus illa infecta erat. Poſtquam igitur nova per omnes ſui partes infecta fuerat ſceleribus, ut ante multa ſecula factum fuiſſe non negaveris, maledicto æque patet ac vetus iſta. Sed quare novæ iſti non maledicet propter ſcelera? Reſpondeo maledictionem terræ eſſe certum genus pœnæ, quod non ſit neceſſe ubique à Deo eidem flagitii generi irrogari. Nam Deus liberrimè egit ut juſtiſſimè. Concedimus te recte notaſſe, quod ante Diluvium gravis quædam maledictio ſterilitatis & malignitatis terræ incubuerit, quam promiſit ſe Deus ultra non eſſe daturum.

Arg. 8. Solo Adami peccato univerſam terram potuiſſe ſubjici maledicto, iniquitates hominum & populorum particularem dediſſe. Igitur ubi ſermo eſt de maledictione univerſali eam ad peccatum Adami debere referri. Ea autem primam terram percuſſam eſſe, hanc igitur aliam eſſe & novam.

Reſp. 1. Concedimus univerſalem maledictionem, quæ ad omnia extendatur ſoli Adamo poſſe deberi; negamus non poſſe Deum temporariam maledictionem univerſalem inferre mundo. 2. Cum Deus dicit *Non amplius maledicam terræ*, intelligit de ſpeciali quâdam maledictiono, quæ temporum anni viciſſitudines confudit. 3. Eſto quod ſuſtuliſſet Adameam maledictionem, poterat tamen terræ remanere ſolum. Non enim (quæ falſa viri nobiliſſimi eſt hypotheſis) maledictio univerſalis idem notat, quod ſubjectionem ad totalem deletionem & reſpectu ipſius ſubſtantiæ.

Poſtquam florentiſſimi ingenii vir argumenta iſta ex hiſtoria Moſis protuliſſet, progreditur ad alia. Hic argumentum primum eſt ex 2. Pet. 3. 5. Putat autem *cygneam hanc vocem ejus è carcere prodiiſſe eo ipſo anno, quo Romæ morti traditus à Nerone fuit.* Atqui eſto quod hæc vox ejus ab eo profecta fuerit anno ſuo emortuali, hinc evidens erit eum Romæ morti traditum non fuiſſe. Illud enim certum eſt, epiſtolam non ſcripſiſſe eum ad eam eccleſiam, quæ loci iſtius erat, ubi ipſe captivus habebatur. Nemo enim ſcribit ad præſentes.

Atqui hanc epiſtolam ad Romanos direxit, ut manifeſtum vel cæco ex cap. 3. 15. καὶ τὴν τοῦ κυρίου ἡμῶν μακροθυμίαν σωτηρίαν ἡγεῖσθε καθὼς καὶ ὁ ἀγαπητὸς ἀδελφὸς Παῦλος κατὰ τὴν αὐτῷ δοθεῖσαν σοφίαν ἔγραψεν ὑμῖν, ὡς καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἐπιστολαῖς λαλῶν ἐν αὐταῖς περὶ τούτων. *Et Domini noſtri longanimitatem ſalutem arbitramini: ſicut etiam dilectus noſter frater Paulus ſecundum datam ei ſapientiam vobis ſcripſit ut etiam in omnibus epiſtolis loquens in ipſis de his rebus.* Quid evidentius quam digitum intendi ad locum qui eſt Rom. 2. 4. ut plerique interpretes conſentiunt. Hugo Grotius, vir ſummus, cum locum innui non dubitat & tamen hæc verba ſcribi ad Judæos in Ægypto habitantes arbitratur. Sed vehementer fallitur; de qua re alibi erit dicendi locus. Certum nobis ex hac epiſtola Petrum non objiſſe Romæ, quamvis plerique omnes ita ſenſerint. Sed uerba nunc audiamus. Λανθάνει γὰρ αὐτοὺς τοῦτο θέλοντας ὅτι οὐρανοὶ ἦσαν ἔκπαλαι καὶ γῆ ἐξ ὕδατος καὶ δι' ὕδατος συνεστῶσα τῷ τοῦ θεοῦ λόγῳ δι' ὧν ὁ τότε κόσμος ὕδατι κατακλυσθεὶς ἀπώλετο οἱ δὲ νῦν οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ τῷ αὐτοῦ λόγῳ τεθησαυρισμένοι εἰσὶ, πυρὶ τηρούμενοι εἰς ἡμέραν κρίσεως καὶ ἀπωλείας τῶν ἀσεβῶν ἀνθρώπων. *Ille tunc mundus opponitur reſtituto*, quemadmodum in epiſtolæ hujus præcedenti capite v. 5. *antiquum mundum vocat, ſignanter diſtinguens terram ab ea quæ ex aquis poſt emerſit.* Evidentia ſic eſſe verba, ut interpretes vereri videantur, ne opinio de duplici terra hinc exſculpatur.

Reſp. 1. Petrum longe evidentius novitatem cœli docere, quam terræ. Nec tamen putat noſter cœlum aliud extitiſſe poſt diluvium, alium ſolem, aliam lunam, alia elementa. 2. Petrus ἀρχαῖον κόσμον homines vocat, qui diluvio perierunt. 3. Κόσμος hoc in loco ſignificat ſyſtema elementorum, ſed ὁ τότε κόσμος notat faciem & figuram habitumquequem incolatus hominum inducit non ſubſtantiam, ita etiam cælo ipſi quaſi nova facies inducta eſt terræ maledictione ſublata, ut triſtis illa tempeſtas aëriſque inæqualitas & intemperies ceſſaverint. Secundum argumentum ſumit è Flavio Joſepho, quem ſupra veri rationem in antiquis illis Moſis hiſtoriis interpretandis extollit, qui dicat quod Deus immiſſo cataclyſmo εἰς θάλασσαν τὴν ἤπειρον μετέβαλε. *At illorum* inquit, (*p.44.*) *Ioſephi trium verborum, quibus terræ inundationem complexus eſt ponderis ratio quidem potius erit habenda, quam numeri. Plura namque quæ apud Moſen invenerat, & nobis anteà tantæ diſquiſitionis negotium faceſſère, paucis ita comprehendere adlubitum eſt:* εἰς θάλασσαν τὴν ἤπειρον μετέβαλε, *In Pelagus terram continentem tranſmutavit; ubi quid ille ceperit ex Moſe, quidve ſtrictim ita exprimere optârit, ego in medium relinquo; ſat tamen ſcio paucis illis, quæ & affectaſſe videtur, apertius deſignare nequiviſſe, Primam illam ſuperficiem terræ in pelagus converſam manſiſſe ita deinceps perpetuò relictam.*

Reſp. 1. Quid Joſephus ſenſerit, parum hic momenti habet, ubi mentem Sp. S. ſcrutamur, à qua ille tam ſæpe aberravit. Mirum autem à te, nobiliſſime Gonſali, Joſephi interpretationem conſenſui omnium orthodoxorum, imò totius Chriſtianiſmi & Eccleſiæ præferri. 2. Nec fuit Joſephi verborum ea ſententia, quam tu arbitraris. Vult enim hoc, continentem terram inundatam fuiſſe, ut pelagi faciem induerit. Planè eadem mente dixit Ovidius:

Omnia pontus erant, deêrant quoque littora ponto.

Joſephus ſatis apertè mentem ſuam prodidit, cum dixit Sethi poſteros ſideralem ſcientiam duabus columnis inſcripſiſſe, ut cataclyſmo ſupereſſet, legereturque illis, qui poſt eum in terra vitam eſſent acturi. Quin & lapideam, ut quidam dicebant, ſuis temporibus in Syria ſuperſtitem fuiſſe. Non ſenſit igitur

igitur Joſephus, terram illam primam fuiſſe deletam. Prodidit etiam mentem ſuam, cum dicit, Noë explorando cognoviſſe πᾶσαν ἔτι λιμναζομένην τὴν γῆν; totam adhuc undis ſuperfuſam eſſe tellurem. Eandem igitur terram ſenſit nudatam deinde eſſe, ut ſecundo humanæ habitationi pateret. Addit ex olivæ fronde intellectum eſſe, quod terra ea eſſet liberata à cataclyſmo, καὶ μαθὼν τὴν γῆν ἀπηλλαγμένην τοῦ κατακλυσμοῦ. Sic poſtea Νῶχος μετὰ τὴν ἐπομβρίαν τῆς γῆς καταστάσης εἰς τὴν αὐτῆς φύσιν, *terra poſt innundationem reſtituta in naturam ſuam.* Gonſalius enim nunquam ſuæ naturæ reſtitutam eſſe arbitratur.

Hactenus argumenta vidimus, nunc exempla videamus, quibus id probari exiſtimat. Sodomiticam & Gomorrhæorum terram ſimiliter punitam fuiſſe primæ telluri. Atqui hanc exuſtam eſſe.

R. 1. Nuſquam dici quod idem fuerit interitus terræ veteris & Sodomenæ ſive Pentapolitanæ. Hoc tantum audio τὸν ἀρχαῖον κόσμον & Pentapolim ſimiliter punitam eſſe. Hic non loca, ſed incolas potiſſimum reſpicit Sp. S. Similitudo paritatem non infert. Pœna hominem reſpicit non poſſeſſa ab homine. Alia ratio ignei, alia aquei ſupplicii.

Secundum exemplum affert. Nempe *exempla tractus terrarum exhibentia inſulas & urbes, quæ cum à domino plecterentur eorum populi, conquaſſata corruerint terræ motibus, penituſque abſorpta, una cum habitatoribus ipſis memorentur.* Etiam ex minis Jonæ tectis atque agris Ninives everſionem fuiſſe inferendam.

Reſp. Exempla hæc non inferunt paritatem. Quia ſi partibus quibuſdam Deus intulerit vaſtitiem, inde non ſequitur univerſam voluiſſe delere. Condidit enim uſibus humanis inſervituram, donec numerus electorum introjerit.

Deinde familiis peculiaribus, ut Core, Dathan & Abirom interitum totalem eveniſſe.

Reſp. Familiarum humanarum & terrarum non eadem eſt ratio. Nam homines delinquunt, in terris delicta patrantur. Rei homines non loca. Deinde nec univerſalis illa πανωλεθρία fuit, tantum quarundam familiarum. Non delebit Deus humanum genus univerſim antequam terminus advenerit.

At *illud majus argumentum deleta terra, cum & ipſum cælum tertium deletum fuerit.* Quid audio, vir doctiſſime, cœlo Empyreo dicis eveniſſe interitum? Scilicet in cœlo tertio bellatum fuiſſe inter Michaëlem & draconem, (Apoc. 12.) Id bellum fuiſſe vindictam lapſus Angelici; locumque ipſum in cœlo, ubi Lucifer cum angelis ſuis conſederant, everſum eſſe. Expreſſe enim dici à ſanctiſſimo ſcriptore, οὐδὲ τόπος εὑρέθη αὐτῶν ἐν τῷ οὐρανῷ.

Reſp. Mira hæc eſt argutia. Ipſi cœlo illatum eſſe exitium ſaltem ex parte aliqua, quia angeli qui peccaverunt, ibi ſedem habuerint. Hoc probat dicto illo, *quod locus eorum inventus deinde non fuerit.* Hic voluiſſem ipſum diſtinguere inter locum adhærentem & externum ſeu ſeparabilem. Proprie loquendo, juxta philoſophorum filios, angeli loca non occupant; eſt tamen ſuum *ubi.* Igitur hoc dicimus locum illum quaſi adhærentem, qui cedit cedente, re è cœlo amotum fuiſſe, non locum illum ubi ante conſtiterant. Quid tu exiſtimas, doctiſſime Gonſali, cum Paulus dicit, Rom. 15. 23. Μηκέτι τόπον ἔχων ἐν τοῖς κλίμασι τούτοις, quod loca illa omnia demerſa & deleta fuerint, ubi Apoſtolus ante hac fuerat commoratus? Deinde in ipſo cœlo tertio pugnam illam fuiſſe, quis tibi concedet? Cæli vox in libris propheticis alias notiones capit. Tyrinus ſane in ipſo aëre conflictum illum eſſe habitum exiſtimat, in quantum

poſtrema mundi tempora deſignantur. Idem ille id *nec locus eorum inventus eſt amplius in cælo*, ſic interpretatur: *Metonymia, locus pro locato. Id eſt ipſi non ſunt amplius in cælo, ejecti jampridem è cælo empyreo, & recens è cælo aëreo vel metaphorico, nempe cætu & terris Chriſtianorum, quas anteà vi ipſi eripuerant.*

Tertium argumentorum genus ſequitur, quæ ejuſmodi eſſe putat, ut *menti vim inferre videantur, liberè quippe eam arbitrari deinceps non ſinant.* Audiamus. Primum eſt id quod hodie Paradiſi ſitus ut à Moſe notatus eſt, inveniri non poſſit, veteri & nova Geographia plurimum diſcrepante. Fluvium enim talem, qui ex Eden egreſſus in quatuor amnes dividatur, nullum hodie inveniri. Fruſtra ſe inquirendo viros doctos fatigaſſe. Ita abſorptam eſſe terræ ſuperficiem, ut priſca illa veſtigia non ſuperſint.

Reſp. 1. Quod ſi fluminum lapſus aliò apertis alveis ſe verterit, id non inferre univerſalem ſuperficiei terræ deletionem. De Cyro, Cræſo, aliisque regibus ſcriptores referunt, opera foſſorum fluviorum lapſus mutaſſe. 2. Diligentes & linguarum locorumque periti geographi audiantur, oſtendent, quod à Moſe deſcriptum eſt, ſuo ſitu & facie reperiri, dummodo præconceptæ illæ opiniones, quæ fluminum illa nomina malè interpretantur, animis non inhæreant. 3. Paradiſum eſſe deletum aquis benè fatetur, contra eos, qui diverſum ſomniant.

Exiſtimat autem novam ſuam terram ita ſiccatam eſſe, ut rubri maris fundum urente & ſiccante vento; ut Nonnus ſolem adhibuit ardentiorem areſaciendo mundo.

θερμοτέροις ἀκτῖσιν ἐχερσώθη πάλιν ἰλύς.

Sed fruſtra hoc inquiritur, ubi alterum illud nondum deſtructum eſt.

Poſtea (μὴ δόξωμεν, inquit, ἔρημον ἀφεικέναι τὸν ἀγῶνα) adverſarias rationes deſtruit. Quas nos etiam non omnes firmas eſſe fatemur: ſed Moſis verba firmiora ſunt, quam ut ipſius inſultibus cedant. *Henochiam* civitatem, *Ioppes* diluvio majorem *antiquitatem*, *Adami Sepulchra*, *columnas Sethaorum* omittimus, at illud quod Moſes dicit, cap. 8. v. 2. *Aquas continuò imminutas fuiſſe de terra*, non poteſt niſi de ea terra intelligi, quam inundatam fuiſſe dixerat. Si ea immerſa fuit undis perpetuis, cur eam dicit reſiccatam fuiſſe? Si de alia terra ſe intelligi voluit, cur ſubjicit? Illud Hebræum הארץ quo referre poſſis, niſi ad certam & notam? Ipſe illam olivam in mari natam fuiſſe arbitratur. Fundus maris, qui ſalſis undis per mille & ſexcentos & amplius annos tectus fuerat, olivam genuiſſe, quis credat Gonſali? Superſtitem fuiſſe olivam anno toto ſub aquis, quæ plurimæ de cœlò venerant & ſalſuginem mitigaverant, credimus Moſi, tibi non credimus, olivam, imò nemora & ſylvas ſub aquis procreanti. At dixit Plinius: *In mari rubro ſylvas vivere, laurum maximè & olivam ferentes baccas. Imò Rubrum & totum orientalem oceanum refertum eſſe ſylvis.* Quæ habet è Theophraſto. Quæ ſi vera ſunt, quod nunc non diſputo, ſanè alterius generis erunt à noſtris, quas tellus fert. Nam non educat illam olivarum mitem pinguedinem ſalſiſſimum mare. Deinde cum explorare voluerit Noë ſiccationem terræ, quomodo eam ſcire potuit à fronde, quam fundus maris gignit? Conſtat igitur Moſen loqui de oliva in ſiccis terræ proveniente quam cæli educat humor.

Hic nos claudere rivos jubet negotiorum urgentium moles. Nam ea, quæ ſequuntur de quatuor fluminum Paradiſi, quomodo ea veteres ſunt interpretati, in noſtram hanc tellurem occulta per meatus ſubterraneos immiſſione, tanquam commenta, quæ vir eruditus ipſe non urgebit, diſſimulamus. Certi ſumus oſtendiſſe, quod argumenta ab ipſo prolata non ſint tanti, ut propter ea

va-

vadimonium deſerere debeamus, nec dubitamus ipſum eruditione præſtantem virum, ubi ad ſecundas curas hanc opellam revocaverit, una litura omnia inductꝰurum eſſe. Id potius exiſtimamus exercendi ingenii uberis cauſa problema tractatum eſſe ab ipſo, quod nec ipſe verum eſſe hac parte arbitretur. Hæc nos feſtinanter commentati ſumus, tuo juſſu inducti, id autem, quod viva voce præſentes fuiſſemus dicturi, nunc literæ formis expreſſæ indicent. Vale & nos amare perge.

De memoria rerum ante diluvium & diluvii Noë apud gentium ſcriptores.

Diluvium illud univerſale, quo univerſus mundus ſubmerſus fuit, ad poſteros à Noë propagatos diffudit ſui memoriam. Quod aliter fieri non poterat, quia tam memorabilem caſum parentes filiis per manus tradidere & arcæ reliquiæ ſupererant in monte, in quo arca ſubſedit. Nihil de orbe & hominibus qui diluvium præceſſere meminerant, nec veſtigia relicta ſunt niſi fortaſſis apud Babylonios fuiſſe dixeris id eſt loco, in quo homines convenerant & urbem ſtruxerunt, ut ad poſteros memoria eſſet, quod à diluvio univerſali, illic aliquando Humanum genus coiiſſet & inde ſe diffudiſſet in terras vacuas reliqui orbis. In Græcis Euſebianis apud Scaligerum exſtant fragmenta autorum]veterum de rebus Babylonicis & Ægyptiacis ante diluvium Quæ de rebus Ægyptiacis dicuntur pertinent manifeſtè ad ætatem, quæ cataclyſmum ſecuta eſt, ſed Babylonica ad anteriora videntur referri. Ex Abideno hoc fragmentum adducitur: Χαλδαίων μὲν τῆς σοφίας πέρι τοσαῦτα. Βασιλεῦσαι δὲ τῆς χώρας πρῶτον λέγεται Ἄλωρον τὸν δὲ ὑπὲρ ἑωϋτοῦ λόγον διαδοῦναι, ὅτι μιν τοῦ λεὼ ποιμένα ὁ θεὸς ἀποδέξαι. Βασιλεῦσαι δὲ σάρους Ι. Σαρὸς δὲ ἐστι χʹ καὶ Γ ἔτεα. Νῆρος δὲ χʹ. Σῶσσος δὲ ξ. μετὰ δὲ τοῦτον Ἀλάπαρον ἄρξαι σάρους γ. μεθ' ὃν Ἀμίλλαρος ἐκ πόλεως Παντιβίβλου ἐβασίλευσε σάρους ιγ. ἐφ' οὗ δεύτερον Αννήδοτον τὴν θάλασσαν ἀναδῦναι παραπλήσιον Ὠάννῃ τὴν ἰδέαν ἡμιδαίμονα. Μεθ' ὃν Ἀμμένων ἐκ Παντιβίβλων ἦρξε σάρους ιβ Μεθ' ὃν Μεγάλαρος ἐκ Πανσιβίβλων ἦρξε σάρους ιη. εἶτα Δαὼς ποιμὴν ἐκ Παντιβίβλων ἐβασίλευσε σάρους Ι ἐφ' οὗ δ' διφυεῖς εἰς γῆν ἐκ θαλάσσης ἀνέδυσαν. ὧν τὰ ὀνόματα ταῦτα, Εὐέδωκος, Ἐνεύγαμος Ἐνάβουλος, Ἀνήμεντος. ἐπὶ δὲ τοῦ μετὰ ταῦτα Ἀεδωράχου Ἀνώδαφος. Μεθ' ὃν ἄλλοι τε ἦρξαν καὶ Σίσουθρος ἐπὶ τούτοις. ὡς τοὺς πάντας εἶναι βασιλεῖς δέκα. ὧν ὁ χρόνος τῆς βασιλείας συνῆξε σάρους ρκ. Deinde: Μετὰ Εὐεδώρεσχον ἄλλοι τινὲς ἦρξαν καὶ Σίσιθρος. Τῷ δὴ κρόνος προσημαίνει ἔσεσθαι πλῆθος ὄμβρων Δαισίου ιε; κελεύει δὲ πᾶν ὅτι γραμμάτων ἦν ἐχόμενον, ἐν ἡλίου πόλει τῇ ἐν Σιππάροισι ἀποκρύψαι. Σίσιθρος δὲ ταῦτα ἐπιτελέα ποιήσας εὐθέως ἐπ' Ἀρμενίας ἀνέπλωε καὶ παραυτίκα μιν κατελάμβανε τὰ ταλὰ τοῦ θεοῦ. τρίτῃ δὲ ἡμέρῃ ἐπείτε ὗων ἐκόπασε μετίει τῶν ὀρνίθων, πεῖραν ποιεύμενος εἴπου γῆν ἴδοιεν τοῦ ὕδατος ἐκδῦσαν. αἱ δὲ ἐκδεκομένου σφέας πελάγεος ἀμφιχανέος ἀπορέουσαι ὅκη καθορμίσονται, παρὰ Σίσιθρον ὀπίσω κομίζονται καὶ ἐπ' αὐτῇσι ἕτεραι. ὡς δὲ τῇσι τρίτῃσι ἐπετύχεεν (ἀπικέατο γὰρ δὴ πηλοῦ καταπλέοι τοὺς ταρσοὺς) θεοὶ μιν ἐξ ἀνθρώπων ἀφανίζουσι. Τὸ δὲ πλοῖον ἐν Ἀρμενίῃ ξύλου περίαπτα ἀλεξιφάρμακα καὶ τοῖσι ἐπιχωρίοισι παρείχετο. *Hæc quidem de Chaldæorum ſapientia: Dicitur autem regioni primum imperitaſſe Alorum. Hunc autem de ſe edidiſſe rumorem, quod Deus ipſum conſtituiſſet populi paſtorem. Regnaviſſe autem ſaros decem. Sarus autem habet annos 600. Nirus 600. Soſus 60. Poſt hunc Alaparum regnaviſſe ſaros tres. Poſt quem Amillarus ex urbe Pantibiblo regnavit ſaros tredecim. Sub quo ſecundum Annedotum mari emerſiſſe, adſimilem Oannæ forma ſemidei. Poſt quem Ammenon è Pantibiblis regnavit ſaros duodecim. Poſt quem Megalanus è Panſibiblo regnavit ſaros octo-*

octodecim. Deinde Daos paſtor è Pantibiblis regnavit Saros decem. Sub quo quatuor biformes in terram è mari prodierunt. Quorum nomina ſunt hæc: Euedocus, Eneuganus, Enabulus, Anementus. Sub Aedoreſcho autem, qui deinceps regnavit, Anodaphus. Poſt quem & alii regnarunt & Siſuthrus poſt hos. Vt in univerſum ſint reges decem, quorum tempus imperii colligit Saros centumviginti. Deinde: *Poſt Euedoreſchum alii quidam regnarunt & Siſithrus. Huic autem Saturnus præſignificavit fore multitudinem imbrium Daſij die xv. juſſit autem quicquid literariæ ſupellectilis eſſet, in civitate ſolis, quæ in Sipparis eſt, recondere. Siſithrus, cum ea perfeciſſet mox verſus Armeniam navigat & confeſtim occuparunt eum ea quæ à Deo. Tertio autem die poſtquam pluere deſiiſſet, avium quaſdam dimiſit, exploraturus, an terram viſuræ eſſent, quæ aqua emerſiſſet. Illos autem cum exciperet Pelagus, utrinque patens, cum non poſſent conſidere, ad Siſuthrum redeunt & poſt has aliæ. Cum autem tertio emiſiſſet (redierant enim plantas limo plenæ) dii eum hominibus exemerunt. Navigium autem in Armenia ſuſpendi collo ſolita remedia indigenis præbuit.* Duplex hic teſtimonium ſeu fragmentum Abydeni eſt. Primum de regibus Babylonis ante diluvium, alterum de hiſtoria diluvii. Decem reges diluvium anteceſſiſſe, qui Babylone regnaverint. Duos poſtremo proximos non narrat fragmentum. Euſebii Græca apud Scaligerum in canonio complectuntur.

I.	Alorus ſaros	10.
II.	Alaparus	3.
III.	Amelon	13.
IV.	Amenon	12.
V.	Metalarus	18.
VI.	Daorus	10.
VII.	Aedorachus	18.
VIII.	Amphis	10.
IX.	Otiartes	8.
X.	Siſuthrus	18.
	Summa ſari	120.

His regibus, qui regnaverunt annis 432000. (aut aliter ſupputatando ſarum 72000) Beroſus Belum tempore anteponit. Nam Beroſus ille in primo libro hiſtoriæ ſuæ Chaldaicæ ſapientiam i. e. Theologiam Babyloniorum (ſcilicet κοσμογονίαν) expoſuit, in ſecundo egit de decem ante diluvium regibus. Horum regum ſecundi nomen alias Αλάπαρος, aliàs Αλάσπαρος ſcribitur. Quinti *Metalarus* & *Megalanus*. Sexti *Daos* & *Daorus* & *Daonus*. Septimi *Aedorachus* & *Aedoreſchus*. Ultimi *Siſithrus* & *Siſuthrus* & *Xixuthrus*. Theologiam & πρωτογονίαν chaldæorum exponimus alio loco, hic hiſtoriam intuemur. Apallodorus narrat quinquies emerſiſſe mari monſtrum biforme, hominis & piſcis figura. Diſtincta quinque diſerte exprimit Apollodorus & volunt cæteri. Primos quatuor Apollodorus Ἀννηδότυς appellat, primum autem ſolum Oannem, Ὠάννην. Ultimum vocat Ὠδάκων. Prima emerſio fuit ſub rege primo, uti videtur, Aloro. Secunda ſub Amillaro, juxta Abydenum. Tertia ſub Amenone, ſi fragmenta ea capio. Quarta ſub Daono. Hic Abydenus narrat quatuor διφυεῖς prodiiſſe. Quinta ſub Aedoreſcho: quod monſtrum dicitur Apollodoro Ωδάκων, Abydeno Ἀνώδαφος. Ὠάνης Hygino fabula 274. dicitur εὐάνης: Dædalus Eupalami filius Deorum ſimulachra primus fecit. Euahanes, qui in chaldæa de mari exiiſſe dicitur, Aſtrologiam interpretatus eſt. Apud Hyginum malè editum eſt *Euahdnes*: quod emendavit Scaliger in Euahanes levi immutatione. Helladius Beſantinous, Grammaticus ex Ægypto ſcripſit

πρ-

πραγματείαν χρηστομαθειῶν, quatuor comprehenſam libris. Ex quarto hæc inter alia Photius: ὅτι μυθολογεῖ ἄνδρα τινα, ὀνομαζόμενον Ὠ'ὴν ἐκ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης ἀνελθεῖν, τὰ ἄλλα μὲν τοῦ μέλους ἰχθύος ἔχοντα, κεφαλὴν δὲ καὶ πόδας καὶ χεῖρας ἀνδρός· καὶ καταδεῖξαι τοῦτε ἀστρονομίαν καὶ τὰ γράμματα. οἱ δ' αὐτὸν ἐκ τοῦ πρωτογόνου πεφηνέναι λέγουσιν Ὠ'ν, καὶ μαρτυρεῖν τοὔνομα· ἄνθρωπον δὲ ὄντα τὸν ἰχθὺν δόξαι, διότιπερ ἠμφίεστο κητώδη δορὰν. Oen (qui ſine duhio Oannes eſt) mari rubro emerſiſſe, figura inter hominem & piſcem, aſtronomiam & literas docuiſſe. Alios autem dicere quod primigenio illo ovo prodierit, uti & nomine ſignificetur. Omnino Ὠ'ν ſcriptum eſt malè pro ὠοῦ. quod & alii admonuerunt. Illi, quos Helladius laudat, ὠὴς aut ὠάνης putarunt eſſe Græcum ab ὠὸν. Sed Græca vox non eſt, nec proditum eſt à Beroſo è theologia Chaldæorum, quod ex ovo Oannes genitus ſit. Conjectura iſta fuit Græculorum, qui ad ſuum chaos & ovum reſpexerunt. Verum eſt, quod ex ovo prodiiſſe legantur dii, ſed piſcium cultus fuit apud has nationes, qui ex ovis non generantur. Dea Syria non nata eſt ex ovo, nec Oanes nec cætera illa monſtra Babyloniorum quamvis ita quidam prodiderint. Referunt Oanem & illos alios διφυεῖς ad ævum ante Cataclyſmum id eſt primam mundi ætatem. Oanem ceciniſſe ortum mundi, qualem Diabolus prædicavit, veritatis hoſtis. Hic nihil quod Moſis hiſtoriam ſapiat. Quid dicendum de decem regibus diluvio antiquioribus? Falſum eſt primò ab iis regnatum eſſe per annos 432000. Tot annos faciunt centum viginti Sari. Nam Sarus (juxta Abydenum) continet annos 3600. Nirus habet annos ſexcentos. Soſus facit annos ſexaginta. Decem Soſi unum Nirum, decem Niri unum efficiunt Sarum. Doctiſſimi monachi Panodorus & Anianus annos iſtos ſive Saros de dierum numero expoſuerunt. Illi reprehenderunt eo nomine Euſebium, quod veros annos intellexerit & decem reges tot annorum nullia vixiſſe putaverit. Secundum ipſos centum viginti Sari conſtituunt dies 432000. id eſt annos Ægyptiacos MCLXXXIII. menſes VI. dies XXV. Tempus autem ab Adam ad diluvium dividunt εἰς χρόνον ἀβασίλευτον καὶ εἰς χρόνον βασιλέων. Ab Adam verò ad exitum χρόνου ἀβασιλεύτου putant annos MLVIII: qui cum annis χρόνου βασιλέων uſque ad diluvium, hoc eſt MCLXXXIII. m. VI. d. XXV. faciunt fere annos MMCCXLII. ferè: quot nempe ab Adam ad diluuium: ex editione Septuaginta interpretum colliguntur. Si enim annus pro die habendus eſt & decem reges imperitaverint annis 183. oportet tempus ἀβασίλευτον fuiſſe, tot annorum quot ab Adam eo uſque lapſi ſunt. LXX. interpretum editio, putat annos 2242, qui tempori ſine regibus relinquunt dictum numerum, ſed ſi juxta Hebræam veritatem ab Adam ad diluvium colligas annos 1656, χρόνῳ ἀβασιλεύτῳ remanebunt anni 473. At μέγα λίαν αἴτημα eſt Panodori de annis vertendis in dies, quod non concedit Georgius. Alii Sarum (uti notat Salmaſius) definiunt annorum 6000, ut Sarus ſit ſex millium ſicuti Nirus ſexcentorum & Soſus ſexaginta id eſt ſexies decem annorum. Sic turbabitur ratio Panodori. Chaldæos ſcriptores non dies ſed annos intellexiſſe certa res eſt. Nam Græci & Ægyptii & Chaldæi ignari fuere τῆς κοσμογονίας. Græci & Ægvptii ἀποκατάστασιν κοσμικὴν definiunt multis annorum millibus. De annis diſertè loquitur Beroſus: ἀναγραφὰς πολλῶν ἐν Βαβυλῶνι φυλάσσεσθαι μετὰ πολλῆς ἐπιμελείας ἀπὸ ἐτῶν που ὑπὲρ μυριάδων ιε περιεχούσας χρόνον. Annos in literas retuliſſe 150000. Sic & Cicero & Lactantius legerunt, qui quadringenta ſeptuaginta millia annorum à chaldæis numerari dixerunt. Sine dubio mendum eſt in Beroſi allegatis ab Alexandro. Polyhiſtore. Nam quomodo tantum habentur in monumentis 150000. id eſt quindecim μυριάδες, cum decem illi reges efficiant 432000.

Fortaſſis

Fortaſſis emendandum è Cicerone μζ μυριάδων pro ια. Id erit 470000. Malè Euſebium reprehendunt Panodorus & Anianus quod eorum regum tempora neſciverit conciliare cum ſcriptura. ἡμεῖς αὐτὸν μᾶλλον ἀποδεχόμεθα μὴ συμβιβάσαντα τὸ ψεῦδος τῇ ἀληθείᾳ, inquit Georgius Syncellus. Nam περιττὸν ἡγήσατο τὰς ἀλλοτρίας δόξας ἀπηγορῆσαι. In numeris annorum an erratum eſt & narratio aliquid habet veritatis? Non opinor. Si regum illorum geſta ſciremus & exſtaret Beroſus, poſſemus judicare liquidius. Ante diluvium nulla fuit Babylon, quam Beroſus videtur dicere conditam eſſe à Belo. Reges igitur illi poſt Belum fuerunt primum Babyloniorum regem & Deum, quem & condidiſſe mundum volunt ſeparata cæli terræque mixtura & luce mundo data per eam ſeparationem. Longo ſcilicet tempore, in principio rerum, quin potius infinito tempore, fuiſſe nihil aliud niſi tenebras & aquam. Inde monſtroſas animalium hominumque formas genitas eſſe, quibus mulier Ὀμόρκα nomine imperitabat. Hac diſſecta Belum dediſſe cæli & terræ diſtinctum habitum. Belo antiquior fuit Cataclyſmus & Noë. Siſithrus igitur Noe non eſt ſed regum aliquis poſteriorum ad quem perperam illud quod de Noë fama conſervaverat, relatum eſt à fabulatoribus. Sane ſub Siſithro fuit, Babylon & Sippara ſive Heliopolis: quorum antiquitatem priorem fuiſſe diluvio inſanum ſit dicere. Ingenti appplauſu & ſummo conſenſu omnes eruditi exiſtimarunt Siſithrum eſſe Noë, quia quæ Noë veritas adtribuit, ad Siſithrum fabulæ referuut. Mallem egò eos decem reges, & quicquid de eis veri nugatores habent, conjicere in ſecundam mundi ætatem. Poſſet dici, Beli nomen, ad Deum transferri, ut intelligatur ſemper vel ante cæteros homines fuiſſe. Sed quid fiet de Babylone, cujus conditum ignorare Beroſus non potuit? Niſi dixeris figmentum eſſe Beroſi & Chaldæorum aliam Babylona & antiquiorem quandam ſtatuentium. Quemadmodum in alio fragmento Alexandri Polyhiſtoris Beroſus narrat, eos, qui diluvium evaſerant πάλιν κτίσαι τὴν Βαβυλῶνα. ut κτίσεις illi ſit quæ revera erat prima κτίσις. Non rejiciam igitur Ioſephi Scaligeri opinionem, qui hos reges ante diluvium fuiſſe putat in partibus Babylonis, quamvis nulla fuerit Babylon? Exiſtimet aliquis decem patriarcharum memoriam eſſe in iſtis regibus. Malim figmentum eſſe dicere hæc omnia & mera mendacia hominum otioſorum, originem & primordia Babylonis extollentium, occaſione arrepta; quod in memoria eſſet & ſermone hominum diluvium illud univerſale. Ad mentem igitur meam Georgius Syncellus, Διὸ καὶ τὰ περὶ τῶν ἀπείρων ἐτῶν καὶ τῶν δέκα βασιλέων τῶν πρὸ τοῦ κατακλυσμοῦ καὶ ὅσα ἄλλα ἐν αὐτῇ λέλεκται μηδὲν ἐστιν ἀληθές. Hoc de decem Egregororum regibus in libro Enoch enuntiat & extendi debet ad Chaldaicorum librum primum & ſecundum Beroſi. Panodorus & Anianus inutili labore decem reges Chaldæorum & principes decem Egregororum & imperium Deorum & ſemideorum Ægypti ad eundem numerum annorum χρόνου βασιλέων reduxerant, Babylonios reges per dies Ægyptios per menſes pro annis, redigendo in ordinem & numerum eundem. Recte Africanus; Τὰ γὰρ Φοινίκων τρισμύρια ἔτη καὶ τῶν τῶν Χαλδαίων μύθων λῆρον, τὸ τῶν μυριάδων τί δεῖ λέγειν; Eodem cenſu habet Ægyptias, χρόνων περιττὰς περιόδους καὶ μυριάδας ἐτῶν. Sed de his poſtea. Nobile fragmentum Polyhiſtoris è Beroſo de diluvio apud Scaligerum in Euſebianis exſtat: Ἀρδάτου δὲ τελευτήσαντος, τὸν υἱὸν αὐτοῦ Ξείσουθρον βασιλεῦσαι σάρους ιη. ἐπὶ τούτου μέγαν κατακλυσμὸν γενέσθαι ἀναγεγράφθαι δὲ τὸν λόγον οὕτως. Τὸν Κρόνον αὐτῷ κατὰ τὸν ὕπνον ἐπιστάντα φάναι. μηνὸς Δαισίου ιε τοὺς ἀνθρώπους ὑπὸ κατακλυσμοῦ φθαρήσεσθαι. κελεῦσαι οὖν διὰ γραμμάτων πάντων ἀρχὰς καὶ μέσα καὶ τελευτὰς ὀρύξαντα θεῖναι ἐν ἡλίου πόλει Σιππάροις, καὶ ναυπηγησάμενον σκάφος ἐμβῆναι μετὰ τῶν συγγενῶν καὶ ἀναγκαίων φίλων· ἐνθέσθαι δὲ βρω-

βρώματα καὶ πόμα. ἐμβαλεῖν δὲ καὶ ζῶα πτηνὰ καὶ τετράποδα. Καὶ πάντα ἐυτρεπισάμενον πλεῖν. ἐρωτώμενον δὲ ποῦ πλεῖ φάναι πρὸς θεοὺς εὐξόμενον ἀνθρώποις ἀγαθὰ γενέσθαι. Τὸν δὲ οὐ παρακούσαντα ναυπηγήσαντα σκάφος τὸ μὲν μῆκος σταδίων πέντε, τὸ δὲ πλάτος σταδίων δύο. τὰ δὲ συνταχθέντα πάντα συνθέσθαι, καὶ γυναῖκα καὶ τέκνα καὶ τοὺς ἀναγκαίους φίλους ἐμβιβάσαι. γενομένου δὲ τοῦ κατακλυσμοῦ καὶ εὐθέως λήξαντος, τῶν ὀρνέων τινὰ τὸν Ξείσουθρον ἀφιέναι. Τὰ δὲ οὐ τροφὴν εὑρόντα, οὔτε τόπον ὅπου καθίσαι πάλιν ἐλθεῖν εἰς τὸ πλοῖον. Τὸν δὲ Ξίσιθρον πάλιν μετά τινας ἡμέρας ἀφίεναι τὰ ὄρνεα. Τὰ δὲ πάλιν εἰς τὴν ναῦν ἐλθεῖν τοὺς δὲ πόδας πεπηλωμένους ἔχοντα. τὸ δὲ τρίτον ἀφεθέντα οὐκέτι ἐλθεῖν ἐς τὸ πλοῖον. Τὸν δὲ Ξίσουθρον ἐννοηθῆναι γῆν ἀναπεφηνέναι. διελόντα τε τῶν τοῦ πλοίου ῥαφῶν μέρος τι καὶ ἰδόντα προσοκεῖλαν τὸ πλοῖον ὄρει τινὶ ἐκβῆναι μετὰ τῆς γυναικὸς καὶ τῆς θυγατρὸς καὶ τοῦ κυβερνήτου προσκυνήσαντα τὴν γῆν &c. *Defuncto autem Ardate* (otiarten vocat καλόνιον βασιλέων & hujus fragmenti epitome apud Cyrillum) *filium ipſius Xiſuthrum regnaviſſe ſaros octodecim. Sub hoc magnum cataclyſmum fuiſſe, narrationem autem ita in litera relatam eſſe: Saturnum ipſi in ſomno adſtantem dixiſſe menſis Daſii die decimo quinto homines cataclyſmo delendos eſſe: juſſiſſe igitur ut libros literaſque, quæ comprehenderent initia media & fines, defoſſa poneret in Solis urbe Sipparis, & ſtructam ſcapham conſcenderet cum cognatis & neceſſariis amicis: imponeret autem cibaria & potum: quin & inferret animalia volatilia & quadrupedes: omnibuſque paratis navigaret: interrogatus autem quo naviget, reſponderet ad deos, precaturus bona hominibus evenire. Hunc autem non immorigerum, navem ſtruxiſſe, longam quinque ſtadia, latam duo: quæque præcepta erant, omnia compoſuiſſe, & uxorem & liberos & neceſſarios amicos impoſuiſſe. Cum autem diluvium veniſſet & mox deſiiſſet, quaſdam avium emiſiſſe Xiſuthrum. Eas, cum alimenta nec locum conſiſtendi invenirent rediiſſe in navem. Xiſuthrum autem denuo poſt aliquot dies emiſiſſe aves: eaſque rediiſſe in navem, ſed pedibus lutoſis. Tertiò autem emiſſas non amplius veniſſe in navigium. Xiſuthrum autem reputaſſe mente, quod terra rurſum emineret: apertaque parte quadam juncturarum navis viſoque appuliſſe navem ad montem quendam, exiſſe cum uxore & filia & gubernatore, oſculatum terram* &c. Xiſuthrum illum Apollodorus vocat Ἀμέμψινον χαλδαῖον ἐκ Λαράγχων. Urbem nomine Laracha (cujus mentionem alibi non invenio) patriam ei fuiſſe ſignificat. Ter emiſſas aves fuiſſe narrat. Tertio rediiſſe lutoſas τοὺς πόδας, quod apud Abydenum eſt τοὺς ταρσούς. Unde ſcire potuerunt interpretes per ταρσοὺς non intelligi *alas*. Dicit Polyhiſtor Xiſuthrum διελεῖν τῶν τοῦ πλοίου ῥαφῶν μέρος τι. voce ῥαφῶν non velit aliquis intelligi ſuturas navis, quibus inter ſe juncti & compacti erant aſſeres. Quaſi id eſſet corrumpere & diffringere, quod non feciſſe arbitretur. Ita poſſes interpretari ῥαφὰς de confibulationibus velorum, quibus oſtia navis claudebantur. Sed neſcio quam hoc ſolidum ſit. Apud Cyrillum lib. 1. adverſus Julianum hic locus Polyhiſtoris breviter tangitur. Ὠτιάρτου δὲ τελευτήσαντος τὸν υἱὸν αὐτοῦ Ξίσουθρον βασιλεῦσαι σάρους ιη. ἐπὶ τούτου τὸν μέγαν φασὶ (leg. φησὶ) γενέσθαι κατακλυσμόν. εἶτα σωθῆναι λέγει τὸν Ξίσουθρον προαπηγγείλαντος αὐτῷ τοῦ Κρόνου τὸ ἐσόμενον καὶ ὅτι προσήκει ναυπηγήσασθαι λάρνακα καὶ ὁμοῦ πτηνοῖς, ἑρπετοῖς τε καὶ κτήνεσι πλεῖν ἐν αὐτῇ. Clarus ſuo merito & eximius vir Magni Voſſii filius Iſacus Voſſius, de Chaldæorum iſtis ante diluvium regibus ita judicat in diſſertatione de ætate mundi: *Vnde autem conflata ſunt immenſa illa annorum myriades quas antiqui autores memorant & hujus quoq; rei breviter cauſam expediamus. Sciendum itaque Chaldæis veteribus cognitiſſimam fuiſſe diluvii Hiſtoriam, uti docent celebria illa Beroſi & Abydeni fragmenta, verum etiam eos majorem, quam alia gentes habuiſſe notitiam eorum quæ ante diluvium contigiſſent. Nec ſane fieri aliter potuit, cum non tantum familiares fuerint primis patriarchis ſed etiam cognatione junctiſſimi. Ex illis itaque*

veletiam aliunde, cum nonnihil intellexiſſent de longævitate eorum, qui ante diluvium vixiſſent, nectamen exactè vitæ ſpatium noſſent, factum eſt ut longe diuturniorem illis vitam tribuerint, atque ſacræ doceant literæ. Decem enim reges ab Aloro primo uſque ad xiſuthrum (qui eſt, Noachus vel potius Semus) regnaſſe ajebant ſaris centum & viginti. Sarum verò conficiunt anni 3600. Sari itaque 120. conſtituant annos 432000. Panodorus & Anianus ut eſt apud Georgium Syncellum, vaſtum hunc annorum numerum in dies reſolvebant, unicuique Saro tribuentes decennium. Centum itaque Sari efficient annos 1200. Secundum hanc rationem per 1200. annos ante diluvium regnatum fuit apud Chaldæos, reliquum vero tempus fuit ἀβασίλευτον. Hæc ratio quamvis nonnullis probabilis videatur, mihi tamen diſplicet. Fabuloſa non ſunt ad veritatis normam nimis rigide examinanda. Ego ſic exiſtimo Chaldæos ſatis accuratam cognitionem habuiſſe eorum, quæ poſt diſperſionem gentium contigere: illinc namque, ut oſtendimus, annales eorum incipiunt. Diluvii, quoque haud levem habuiſſe notitiam ſatis ex Beroſo & aliis eſt manifeſtum, cum non tantum Noæ meminerint, quem Oannem vocant ſed & conjugis & liberorum & columbæ & navigii, quo ſalvi enatarunt, claram fecerint mentionem, ſed vero de iis quæ ante diluvium evenêre, unum tantum illud cognoviſſe videntur, totidem fuiſſe ætates, quot à Moyſe memorantur. Uti enim Noe decimus eſt ab Adamo, ita quoque Xiſuthrus, quo regnante superveniſſe diluvium ſcribunt, decimus fuit ab Aloro.
Hactenus ſunt verba viri eruditiſſimi, ſobrii & maturi judicii. Probo enim maximè, quod ad Chaldæos, qui maximam habuêre de gentilibus, levem fuiſſe notitiam illis rerum ante diluvium. Sic enim cadet illa comparatio inanium nugarum, de quibus in Heptaemero, cum ſacræ doctrinæ veritate, Placent & alia, at dicere Oannem eſſe Noë non placet. Quid enim? Si Noë eſt Xiſuthrus non eſt Oannes. Nec ſi xiſuthrus de Semo debet exponi, Noe erit Oannes. Nam xiſuthrus fuit Otiartæ non Oannæ filius. Τεκμήριον luculentiſſimum perſonæ Noë fuit conſervatio in arca. Non potuerunt illum noſſe niſi illi conſervationem attribuerent: cum eam conſervationem ad aliam perſonam retulerint, conſtat; quod de Noë in fabulis ſuis nihil meminerint: Conſervationem talem factam fuiſſe ſciverunt, ſed ignoraverunt perſonam. Fabula de Oanne nihil habet ſanum. Similia Oannæ monſtra fuerunt tres alii Annedoti & Odacon, nempe aniles fabellæ & Mileſii ſermonis nugamenta. Lucianus de dea Syria, ejus & templi in Hierapoli origine varias opiniones refert: quarum prima Deucalionem (quo nomine & Noë affecerunt, ſeu ad quem Noë eventa retulerunt) id templum Junoni condidiſſe aſſerit. Quam ediſſerit Lucianus in hunc modum: Οἱ μὲν ὦν πολλοὶ Δευκαλίωνα τὸν Σκύθεα τὸ ἱρὸν εἵσασθαι λέγουσι, τοῦτον Δευκαλίωνα, ἐπὶ τοῦ τὸ πολλὸν ὕδωρ ἐγένετο. Δευκαλίωνος δὲ πέρι λόγον ἐν Ἕλλησι ἤκουσα, τὸν Ἕλληνες ἐπ᾽ αὐτῷ λέγουσι. ὁ δὲ μῦθος ὧδε ἔχει. ἥδε ἡ γενεή, οἱ νῦν ἄνθρωποι, οὐ πρῶτοι ἐγένοντο, ἀλλ᾽ ἐκείνη μὲν ἡ γενεή, πάντες ὤλοντο, οὗτοι δὲ γένεος τοῦ δευτέρου εἰσί, τὸ αὖτις ἐκ Δευκαλίωνος ἐς πληθὺν ἀπίκετο. ἐκείνων δὲ πέρι τῶν ἀνθρώπων τάδε μυθέονται. ὑβρισταὶ κάρτα ἐόντες, ἀθέμιστα ἔργα ἔπρασσον. οὔτε γὰρ ὅρκια ἐφύλασσον, οὔτε ξείνους ἐδέκοντο, οὔτε ἱκετέων ἠνείχοντο· ἀνθ᾽ ὧν σφίσι ἡ μεγάλη συμφορὴ ἀπίκετο. Αὐτίκα ἡ γῆ πολλὸν ὕδωρ ἐκδιδοῖ καὶ ὄμβροι μεγάλοι ἐγένοντο καὶ οἱ ποταμοὶ κατέβησαν μέζονες καὶ ἡ θάλασσα ἐπὶ πολλὸν ἀνέβη ἐς ὃ πάντα ὕδωρ ἐγένετο καὶ πάντες ὤλοντο. Δευκαλίων δὲ μοῦνος ἀνθρώπων ἐλίπετο ἐς γενεὴν δευτέρην, εὐβουλίης τε καὶ τοῦ εὐσεβέος εἵνεκα. ἡ δέ οἱ σωτηρίη ἥδε ἐγένετο. λάρνακα μεγάλην, τὴν αὐτὸς εἶχε, ἐς ταύτην ἐμβιβάσας παῖδάς τε καὶ γυναῖκας ἑωυτοῦ, ἐσέβη. ἐσβαίνοντι δέ οἱ ἀπίκοντο σύες καὶ ἵπποι καὶ λεόντων γένεα καὶ ὄφιες καὶ ἄλλα ὁκόσα ἐν γῇ νέμονται ἐς ζεύγεα. ὁ δὲ πάντα ἐδέκετο, καί μιν οὐκ ἐσίνοντο, ἀλλά μεγάλη διόθεν φιλίη ἐγένετο, καὶ ἐν μιῇ λάρνακι πάντες ἔπλευσαν ἔστε τὸ ὕδωρ ἐπεκράτεε. Τὰ μὲν Δευκαλίωνος πέρι Ἕλληνες ἱστορέουσι, τὰ δὲ ἀπὸ τούτου, λέγεται

ται

ται λόγος ὑπὸ τῶν ἐν τῇ ἱρῇ πόλει μεγάλως ἄξιος θωυμάσαι, ὅτι ἐν τῇ σφετέρῃ χώρῃ, χάσμα μέγα ἐγένετο, καὶ τὸ σύμπαν ὕδωρ καλεδέξατο. Δευκαλίων δὲ ἐπεὶ τάδε ἐγένετο, βωμούς τε ἔθετο καὶ νηὸν ἐπὶ τῷ χάσματι Ἥρης ἅγιον ἐστήσατο. Ἐγὼ δὲ καὶ τὸ χάσμα εἶδον, καὶ ἔστι ὑπὸ τῷ νηῷ κάρτα μικρὸν, εἰ μὲν ὦν πάλαι καὶ μέγα ἐὸν, νῦν τοιόνδε ἐγένετο, οὐκ οἶδα, τὸ δὲ ἐγὼ εἶδον, μικρόν ἐστι. σῆμα δὲ τῆς ἱστορίης τόδε πρήσσουσι, δὶς ἑκάστου ἔτεος, ἐκ θαλάσσης ὕδωρ ἀπικνέεται· Φέρουσι δὲ οὐκ ἱρέες μοῦνον ἀλλὰ πᾶσα Συρίη καὶ Ἀραβίη· καὶ πέρηθεν τοῦ Εὐφρήτεω πολλοὶ ἄνθρωποι ἐς θάλασσαν ἔρχονται καὶ πάντες ὕδωρ φέρουσι· Τὸ πρῶτα μὲν ἐν τῷ νηῷ ἐκχέουσι μετὰ δὲ ἐς τὸ χάσμα κατέρχεται καὶ δέκεται τὸ χάσμα, μικρὸν ἐὸν, ὕδατος χρῆμα πολλόν. Τὰ δὲ ποιέοντες Δευκαλίωνα ἐν τῷ ἱρῷ τόνδε νόμον θέσθαι λέγουσι συμφορῆς τε καὶ εὐεργεσίης μνῆμα ἔμμεναι. *Multi (ſeu vulgò) igitur Deucalionem Scytham templum condidiſſe dicunt. Deucalionem illum, ſub quo diluvium fuit. In Gracia autem ſermonem de Deucalione audivi, quem Graci ſuper ipſo perhibent. Fabula ita ſe habet: Hac generatio, homines qui nunc ſunt non fuerunt primi, ſed illa generatio, omnes perierunt, hi vero ſecundi generis ſunt, quod denuo ex Deucalione in multitudinem ſe diffudit. De illis autem hominibus ita ferunt: Cum ſupra modum injurioſi eſſent infanda opera patrabant. Neque enim pactis conventu ſtabant neque peregrinos ſuſcipiebant neque ſupplices patiebantur. Ob id eis magna calamitas contigit. Mox ipſa tellus multam aquam edit & magni imbres ceciderunt & fluvii majores provoluti ſunt & mare plurimum intumuit, donec omnia aqua eſſent, & omnes perierunt. Deucalion autem ſolus hominum ſuperſtes fuit in ſecundam generationem, prudentia & pietatis ergò. Salus autem ita contigit. Arcam magnam, quam habebat, in eam impoſitis liberis & mulieribus ſuis ingreſſus eſt. Ingredienti autem ipſi advenere ſues & equi & leonum genera & ſerpentes & alia qua in terra paſcuntur, bina quaque. Ipſe autem omnia ſuſcipiebat neque eum ladebant ſed ipſis magna divinitus amicitia inter ſe fuit & in una area omnes navigarunt, donec aqua obtinuit. Hac de Deucalione Graci narrant, quantum ad ea attinet qua exinde acciderunt, fertur ſermo ab Hierapolitis admiratione maxima dignus, in ſua regione magnum hiatum ſubſediſſe, qui aquam univerſam abſorpſerit. Deucalion autem, poſtquam, ea facta eſſent, aras poſuit & fanum ſuper hiatu Iunoni ſacrum conſtituit. Ego autem & hiatum vidi & ſub fano eſt admodum exiguum; an igitur olim magnum fuerit & nunc tale factum ſit, neſcio, quod autem ego vidi, exiguum eſt. In ſignum hujus rei ita faciunt: Bis quotannis ex mari aqua affertur. Apportant autem non ſacerdotes ſolum ſed omnis Syria & Arabia: & ab ultra Eufratem plurimi hominum eunt ad mare & omnes aquam ferunt. Illam primò in ade effundunt, inde in antrum deſcendit & antrum, quod exiguum eſt, ſuſcipit aqua vim immenſam. Hoc cum faciant, ritum hunc ajunt à Deucalione inſtitutum eſſe, in monumentum calamitatis & beneficii.* Hæc narratio oſtendit fuiſſe apud gentes memoriam illuſtrem Diluvii Noë. His axiomatis diluvium deſcribit:

I. Homines primæ ætatis impietate & ſceleribus iram Dei provocaſſe & commeritos fuiſſe eam cladem.

II. Interiſſe humanum genus univerſum primæ ætatis.

III. E Deucalione (hic Noë eſt) reparatum eſſe genus.

IV. In arca ſeminium eſſe conſervatum.

V. In eam cum liberis & mulieribus introiſſe Deucalionem; ita unam familiam conſervatam eſſe.

VI. Animalium in ſicco degentium paria ſua ſponte adveniſſe ad Deucalionem.

VII. Sine inimicitia & odiis inter ſe pacatè egiſſe.

VIII. Servatum eſſe Deucalionem pietatis ergò.

IX. Non tantum imbrium ſed & marium fluviorumque exundatione merſas eſſe terras.

Præter iſta, ex Abydeno & Polyhiſtore aves eſſe emiſſas ad explorandam terrarum ſiccitatem, diſcimus. Columbam fuiſſe emiſſam exprimit Plutarchus libro, Terreſtria an aquatica animantia plus habeant ſolertiæ: Δευκαλίωνι φασὶ περιστερὰν ἐκ τῆς λάρνακος ἀφιεμένην δήλωμα γενέσθαι, χειμῶνος μὲν εἴσω πάλιν ἐνδυομένην, εὐδίας δ' ἀποπτᾶσαν. Noë nomen ne mirere apud gentes periiſſe, Deucalion ex altero diluvio notus eſt, ignorantia autem tantæ vetuſtatis, confudit nomina, quia nec rem ipſam accurate diſtinguere poterat. Unde Philo obſervat libro de præmiis & pœnis de illo juſtitiæ exemplari nobiliſſimo: Τοῦτον, inquit, Ἕλληνες μὲν Δευκαλίωνα, χαλδαῖοι δὲ Νῶε ἐπονομάζουσιν. Chaldæorum voce intelligit, ſuo more, Judæos, qui è chaldæa captivitate liberati in Judæam pro parte reverſi erant. Eupolemus librum compoſuit de Judæis Aſſyriæ, è quo apud Euſebium lib. 9. προπαρασκ. cap. 17. Alexander adducit τοὺς διασωθέντας ἐκ τοῦ κατακλυσμοῦ condidiſſe Babylona. At mirum illum non eſt, quum Eupoledus cum Judæis communicaverit: nos autem hic quærimus quid apud gentes παραδέδοται ſit de diluvio. Joſephus verba Nicolai Damaſceni producit è libro hiſtoriæ ejus univerſalis XCVI. Ἔστιν ὑπὲρ τὴν μινυάδα μέγα ὄρος κατὰ τὴν Ἀρμενίαν, Βάρις λεγόμενον, εἰς ὃ πολλοὺς συμφυγόντας ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ λόγος περισωθῆναι. Καί τινα ἐπὶ λάρνακος ὀχούμενον, ἐπὶ τὴν ἀκρώρειαν ὀκεῖλαι· Καὶ τὰ λείψανα τοῦ ξύλου ἐπὶ πολὺ σωθῆναι γένοιτο δ' ἂν οὗτος, ὅντινα καὶ Μωσῆς ἀνέγραψεν ὁ τῶν Ἰουδαίων νομοθέτης. Nicolaus Damaſcenus, homo gentilis, quamvis aulicus & amicus Herodis pagano ſenſu ſcripſit hiſtoriam, aſſumens potius, quæ gentium ſcriptores tradiderant, quam quæ Moſes. Dicit igitur rumorem ad poſteros tradidiſſe, in illo celſo Armeniæ monte, plurimos eſſe conſervatos ex famoſo illo & univerſali diluvio. Hoc habuit fama apud gentes, in Armeniæ monte Bari ex illo diluvio multos hominum evaſiſſe: nempe qui aut navibus advecti erant aut aliter aſcenderant. Inter multos illos unum arca vectatum appuliſſe dicebant. Per hunc conjicit intelligi, Noë, de quo Moſes ſcripſerat. Tenuis hæc fama fuit nec tam illuſtris, quam eſt in ſcriptis Beroſi & aliorum. Illuſtriora ſunt, quæ ſupra adduximus, Molonis teſtimonium abundantius non eſt. Alexander Polyhiſtor ſcripſit inſignem librum de Judæis, in quo plurimorum nobilium ſcriptorum loca & teſtimonia profert, inter quæ illud eſt Eupolemi, quod attigimus. Laudat etiam Melonem ſive Molonem ex opere contra Judæos de diluvio: ὁ δὲ τὴν, inquit, σκευὴν, τὴν κατὰ Ἰουδαίων γράψας Μόλων, κατὰ τὸν κατακλυσμὸν, ἀπὸ τῆς Ἀρμενίας ἀπελθεῖν τὸν περιλειφθέντα ἄνθρωπον μετὰ τῶν υἱῶν ἐκ τῶν ἰδίων ἐξελαυνόμενον ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων. Sub diluvii tempus hominem inde conſervatum, ex Armenia ab indigenis ejectum in Montana Syriæ adveniſſe. Videtur id dicere, quod Syria ſola ſubjecta fuerit diluvio, è qua evaſerit Noë ad Armeniæ monres navigio delatus. Nam Syriæ montanam partem dicit fuiſſe ἔρημον. Celeberrima fama fuit arcæ & diluvii apud gentium ſcriptores. Joſephus: Τοῦ δὲ κατακλυσμοῦ τούτου καὶ τῆς λάρνακος μέμνηνται πάντες οἱ τὰς βαρβαρικὰς ἱστορίας ἀναγράψαντες, ὧν ἐστι καὶ Βηρωσσὸς ὁ χαλδαῖος. διηγούμενος γὰρ τὰ περὶ τὸν κατακλυσμὸν οὕτω που διέξεισι· λέγεται δὲ καὶ τοῦ πλοίου ἐν τῇ Ἀρμενίᾳ πρὸς τῷ ὄρει τῶν κορδυαίων ἔτι μέρος τι εἶναι, καὶ κομίζειν τινὰς τῆς ἀσφάλτου ἀφαιροῦντας. χρῶνται δὲ μάλιστα οἱ ἄνθρωποι τῷ κομιζομένῳ πρὸς τοὺς ἀποτροπιασμούς. Μέμνηνται δὲ τούτων καὶ Ἱερώνυμος ὁ Αἰγύπτιος, ὁ τὴν ἀρχαιολογίαν τὴν φοινικικὴν συγγραψάμενος καὶ Μνασέας δὲ καὶ ἄλλοι πλείους. Lactantus lib. 2. de origine erroris: *Factum eſſe diluvium ad perdendam tollendamque ex orbe terra malitiam conſtat inter omnes. Idem enim & philoſophi, poëta, ſcriptoreſque rerum antiquarum loquuntur, in eoque maximè cum prophetarum ſermone conſentiunt.* Hugo Grotius lib. 1. de verit relig. Chriſt. §. 16. *Sed & in*

Ame-

America partibus, Cuba, Mechoacana, Nicaragua, diluvii, animalium ſervatorum, quin & corvi & columbæ ſervatam memoriam, diluvii ipſius etiam in ea parte, quæ nunc Caſtella aurifera vocatur, Hiſpani complures teſtantur. Qua parte terrarum homines ante diluvium egerint vel illud loquitur, quod Plinio notatum eſt Ioppen ante diluvium conditam. Locus, in quo poſt diluvium ſubſedit arca in montibus Gordyæis ab omni ævo in hunc diem, Armeniorum conſtante memoria monſtratur. Plinius lib. 2. cap. 13. *Ioppe Phœnicum, antiquor terrarium inundatione, ut ferunt.* Idem Mela: *Eſt Ioppe, ante diluvium (ut ferunt) condita.* Solinus Polyhiſt. cap. 34. *Deinde Ioppen, oppidum* antiquiſſimum orbe toto, utpote ante inundationem terrarum conditum. Quidam exiſtimant univerſalis inundationis ſigna ſupereſſe in montibus conchylia & calculos & huc trahunt Theophraſti verba apud Philonem lib. de mundi perennitate: εἰς σημεῖα τὰ τῆς παλαιᾶς ἐναπολελεῖφθαι θαλαττώσεως ψηφῖδάς τε καὶ κόγχας καὶ ὅσα ὁμοιότροπα πρὸς αἰγιαλοὺς εἰώθασιν ἀποβράττεσθαι. Sed ea verba tantum docent μεγάλων πελαγῶν μεγάλους κόλπους καὶ βαθεῖς ἀναξηρανθείσας ἠπειρῶσθαι. Non docetur univerſum aliquando aquis fuiſſe obrutum: ſed ex partium mutatione arguitur univerſi γένεσις καὶ φθορά. Nec Pomponius Mela lib. 1. cap. 6. de veſtigiis diluvii loquitur, nec hoc quod dicit illud univerſale diluvium arguit: *Interius*, inquit, *& longè ſatis à littore (ſi fidem res capit) mirum admodum ſpinæ piſcium, muricum oſtreorumque fragmenta, ſaxa attrita (uti ſolent) fluctibus & non differentia marinis, infixa cautibus anchoræ & alia ejuſmodi ſigna atque veſtigia effuſi olim uſque ad ea loca pelagi, in campis, nihil alentibus, eſſe inveniriqúe narrantur.* Hæc Cl. Bochartus male habet pro ſignis generalis inundationis, quæ in diluvio contigit. Sicuti & illa ovidii:

vidi factas ex æquore terras,
Et procul à pelago conchæ jacuere marinæ,
Et vetus inventa eſt in montibus anchora ſummis.

Tantum docent verum eſſe, quæ habentur Pſ. CVII. 33. 34. 35.

Gentiles non fuiſſe nec mundum tempore immenſo ante conditum Adamum.

PRoadamianus his annis ſomniavit, ſed cito ſua opinione dejectus eſt, ignorabilibus ſeculis exſtitiſſe orbem terrarum, & in eo humanum genus ante Adamum Judaïci generis progenitorem, ut ille ſciſcit. Inauditum eſt ab omni ævo Adamum non eſſe humani generis ſed Judæorum ſive Hebræorum originem. Quaſi non ab uno ſanguine hominum genus omne profluxerit, Præſidium quærit Eccleſiaſtici cap. 1. *Arenam maris & pluviæ guttas & dies ſeculi quis dinumeraverit?* Et cap. 18. *Qualis gutta aquæ maris & ſicut calculus arenæ, ſic exigui anni mille in die ævi.* Quaſi ſimpliciter infinitum ſit quod nos dinumerare non poſſumus, aut quaſi non in poſteriora potius quam anteriora immenſitatem ævi ſapiens ille extendat. Capite XVII. diſertè ab Adam deducit omne genus hominum, in quo ab aliis v. 14. 15. diſtinguit Iſrael. At manifeſtis immorari inſaniæ fuerit. Certum enim eſt non Eccleſiaſtici autorem nec quenquam ullo tempore Judæum arbitratum eſſe, quod gentes Adamo originem non debeant. Dicit primas origines gentium ignorari. Falſum hoc de omnibus ſi univerſim accipi velit. Nam multarum gentium originem notat cap. x. Geneſeos. Provocat ad Varronianam diviſionem temporis, apud Cenſorinum. Quem locum videamus

mus & diſcutiamus. Hic (Varro) *enim tria diſcrimina temporum eſſe tradit. Primum ab hominum principio ad Cataclyſmum priorem, quod propter ignorantiam vocatur ἄδηλον. ſecundum à Cataclyſmo priore ad olympiadem primam; quod, quia in eo multa fabuloſa referuntur, μυθικὸν nominatur; tertium à prima olympiade ad nos, quod dicitur ἱςορικὸν. quia res in eo geſta veris hiſtoriis continentur. Primum tempus ſive habuit initium, ſive ſemper fuit, certè quot annorum ſit non poteſt comprehendi: ſecundum non planè quidem ſcitur, ſed tamen, ad mille circiter & ɪↄc. annos eſſe creditur. A priore ſcilicet cataclyſmo, quem Ogygium dicunt, ad Inachi regnum, anni circiter cccc. Hinc ad olympiadem primam paulò plus cccc. Quos ſolos quamvis mythici temporis poſtremos, tamen quia à memoria ſcriptorum proximos quidam certius definire voluerunt. Et quidem Soſibius ſcripſit eſſe cccxcv. Eratoſthenes autem ſeptem & cccc. Timaus ccccxvii. Aretes ɪↄxciii. & prætereà multi diverſè. quorum etiam ipſa diſſenſio incertum eſſe declarat. De tertio autem tempore fuit quidem aliqua inter autores diſſenſio, in ſex ſeptemve tantummodo annis verſata &c.* Nobilis iſte Cenſorini locus eſt, ſed mendo incubat. Nam mythicum tempus à cataclyſmo priore ad olympiadum initium, dicitur complecti annos 1600. Id autem non poteſt colligi ex duobus ejus membris, facientibus tantum annos 800. Sunt enim quadringenti anni à diluvio illo ad Inachum & hinc totidem ad olympiadem primam. Ideo ſummus Scaliger primum hujus membrum reformat: *Primum*, inquit *numerus annorum cɪↄ ɪↄc. ab ipſo propoſitus arguit legendum*, ad Inachi regnum, anni circiter cɪↄ cc, pro cccc. Imò arguit potius tertium membrum excidiſſe, ad complementum. Nam ab Ogygio Cataclyſmo ad Inachum ſunt anni cccc non cɪↄcc. Inachus regnum iniit anno P. I. 2857. Olympias prima anno 3939. Differentia eſt annorum 1082. At Ilium deletum eſt anno P. I. 3532. Sunt igitur 407. anni inter caſum Ilii & primam olympiadem: ſed inter Inachi initium & caſum Ilii erunt anni 675. Rectè igitur ipſe Scaliger vidit id poſterius membrum mythici intervalli non putari ab Inachi regno ſed à caſu Ilii. *Tempus autem*, inquit, *à quo ad primam olympiadem Eratoſthenes putat annos ccccvii. & mediocriter docto patet putari ab excidio Ilii, quod ipſe neſcio quare putat ab Inacho. Nam illud tempus neutri Inacho, Argivo aut Sicyonio congruere poteſt.* Inachus Sicyonius nullus eſt, ut alibi docuit Scaliger, ſed Janiſſus fuit. Cenſorinus igitur emendari debet adjecto membro quod excidit, in hunc modum: Ad Inachi regnum anni circiter cccc. *Ab Inachi regno ad caſum Ilii anni circiter ɪↄcc. Hinc ad primam olympiadem &c.* At nondum habemus ſummam 1600. annorum. Nam 400. & 700. & 400, conſtituunt collectum annos 1500. Deinde ab ogyge ad Inachi regnum quomodo erunt anni 400. Quis Ogygen tot annis Inacho priorem eſſe credat? Cum ſcriptores vulgò Inachi temporibus poſteriorem faciant. Scaliger hac difficultate, uti videtur, motus per Ogygium Cataclyſmum intelligit, illum καθολικὸν, non illum τοπικὸν τῆς Ἀττικῆς. Ita enim Ὠγύγια dicuntur, quæ ſunt vetuſtiſſima. Scaligeri verba: *Igitur Varro, vel Græci, quos ſequitur Varro, tempus Mythicon definiunt annis 600, cujus terminum primam olympiadem faciunt. & cujus caput LXXX. annis poſterius* (Leg. anterius) *fuerit diluvio, qua ſententia, quo propius à vero abfuit eò melior & tolerabilior. In quo videmus penitus non ignota fuiſſe rerum initia priſcis Græciæ ſcriptoribus, aut ipſi togatorum doctiſſimo Varroni.* Prima olympias acta a. m. 3173. id eſt P. I. 3939. Diluvium ~~Noë fuit anno~~ M. C. 1656. Differentia anni 1518. Qui minores poſito temporis mythici complexu annnis 82. Ego autem adduci non poſſum, ut per Ogygium Calaclyſmum, illum uuiverſalem,

in

in quo Noë ſervatus eſt, accipiam. Solinus Polyhiſt. cap. 11. *Meminiſſe hoc loco par eſt poſt primum diluvium Ogygi temporibus notatum cum novem & amplius menſibus diem continua nox inumbraſſet, Delon, ante omnes terras radiis ſolis illuminatam ſortitamque ex eo nomen, quod prima reddita foret viſibus. Inter Ogygum ſane & Deucalionem medium avum DC annis datur.* Deucalioneum diluvium contigit regnante Athenienſibus Cranao ſucceſſore Cecropis, uti teſtatur Varro apud Auguſtinum de civit. Dei lib. 18. cap. 10. Atqui cœpit Cranaus anno P. I. 3208. Inde retrò ſi numeres annos 600, pervenies ad annum P. I. circiter 2600. id eſt a. m. c. 1835. qui fuit decimus ſeptimus ætatis Sarug Sed incomparabilis Salmaſius pro 10c. legit, (aut legendum eſſe conjicit) cc. ut ad Phoronei regnum reducat Ogygi diluvium. Quid tibi hinc accedit Proadamiane pro tua ſententia? Ita argumentaris, Græcos imperitos eſſe antiquitatis & è Græcis ſapientes Latinos. Nova apud illos omnia eſſe, ut qui non aſcendant veritate Hiſtoriæ ultrà olympiadum initium, nec memoria fabularum ultra Ogygen aut Inachum ſive Sicyoniorum Ægialea. At quæ eſt ratio, quod ulterius Græci reminiſci non poſſint? Ipſa mundi poſt diluvium novitas & Græcorum ipſorum recens origo. Jactas Ægyptios Chaldæos Phœnices vetuſtiſſimam atque conſtantiſſimam rerum ſuarum conſervaſſe memoriam, ipſis fatentibus Græcis. Dicam tibi quod res eſt: Græci aliquanto ſerius quam illi populi cæperunt literis uti & res ſuas ſcribere ad memoriam poſteritatis, quia illis populis orientis recentiores ſunt. Hinc oſtendimus ex oriente veniſſe Græcos omneſque orbis populos. Nam recentiores quam Græci ſunt populi Italiæ & Hiſpaniæ, adde Germaniæ Galliæque eoque multò ſeriùs literis uti cæpêre. Ab oriente & origo gentium & literarum uſus dimanaverunt. Nam qui ab oriente progreſſi ſunt propagatores generis humani, non attulere literas, ſed eas poſtea commercium orientis invexit. Concedo igitur Græcos à Phœnicibus & Ægyptiis uſum literarum didiciſſe per commercium, eoque prius uſos literis eſſe Ægyptios, Chaldæos, Phœnicas. Non concedo de Scythis & Seribus. Anne putas autem multa annorum millia potuiſſe labi, quibus Græci in eâ vicinitate orientis & mutuis commerciis non ſilentibus (Nam Tyrii & Sidonii à prima ſua origine commercia fecerunt per mare mediterraneum & Græciam) literas non acceperint ex oriente? Id mihi certum Græciam, incolis plenam, non potuiſſe commercii uſum cum oriente non habere. Et commercii uſum neceſſariò importaturum fuiſſe literas. Si Græciæ homines eandem antiquitatem habuere cum Phœnicibus Ægyptiis & Aſſyriis; cur hi tantam vetuſtatis memoriam habent, illi non item? Vide futiliſſime ſcriptorum, tu exiſtimas infinito ſeculorum numero fuiſſe antiquiores gentiles quam Judæos Adamigenas. Nempe conditus eſt homo quidam in primo capite Geneſeos cum uxore, qui paganos proſeminavit, cum Adam creatus ſit ſecundo capite. Quæro in qua parte mundi primum illud hominum par conditum fuerit, in oriente, occidente, meridie an Septentrione? Si creati ſunt in oriente, an eodem in loco in, quo Adam poſtea an conditus eſt, in alio? Si non in oriente, ubi? Cur potius in oriente dices creatum eſſe illud jugum hominum, quam in alia parte terrarum, cum ſileat primum caput Geneſeos, quod ſolum agit de origine gentilium? Diceſne in Græcia non eſſe creatos, quia illi tam ſerò ſcribere Hiſtorias cœperunt & ſemper pueri ſunt? Illi igitur, qui antiquiſſimam habent memoriam, id eſt Scythæ, Ægyptii, Chaldæi, Phœnices primi hominum erunt. Sed qui ex illis? Incertum enim. An iſti, qui plura ſeculorum nullia commemorant? Chaldæi igitur & Seres de palma contendent.

Si

Si in Ægypto Phœnicia & Chaldęa primi homines fuere,curGręci non habent eam vetuſtatis memoriam quam Seres & Galli? Nemo enim dicere poterit trajeciſſe illos & perveniſſe ſerius in Græciam quam in Galliam aut Sericam. Si in ſuis terris quævis natio creata eſt, cur non in Græcia & Italia ut in aliis terris αὐτόχθονες fuere? At manum de tabula & redeamus in viam! Non poteſt nugator oſtendere, cur Græci non meminerint tantæ vetuſtatis, quantæ meminerunt Phoenices, Chaldæi, Ægyptii, niſi, quod ex oriente hominum propagatio ſit. Si autem quæras, invenies Noë filios Iapetum & Hammonem notos Ægyptiis Græciſque, ut ſuis progenitoribus, quod & Scriptura diſerte teſtatur. Fabuloſas illas antiquitates Serum, Ægyptiorum, Chaldæorum, Phoenicum alii diſcuſſerunt & nos ſuo loco diſcuſſuri ſumus ξὺν θεῷ.

Rurſum adverſus Pracedamitam, ſtatuentem diluvium Noë non fuiſſe univerſale ſed terræ Iudæorum

NIhil ineptius fingi poteſt ſtolido commento fanatici libri, qui Judæos aut Hebræos (nam non diſcernit) eſſe vult, quotquot hominum ab Adamo & Noë procreatum eſt. Cum diſertè Moſes filios Eber Semo attribuat, eoſque diſtinguat à poſteris Japhet & Cham. Nam Gen. x. Japeti poſteros commemorat v. 2. 3. 4. 5. Cham. v. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. Inde poſteros Semi, qui ſunt filii Eber, enumerat, uſque ad Capitis finem. Quæ argumenta habet?

I. Filii Dei vocantur qui diluvium commeruere, poſtquam commiſſi fuêre filiabus hominum & progenuere gigantas. R. ubi dicitur filiis dei eorumque poſteritati ſoli invectum eſſe diluvium. Tantum Sp. S. dicit, malitiam publicatam eſſe, ubi filii Dei, obliti ſui ſuique generis coïere cum filiabus hominum. Hactenus impietas intra filios hominum concluſa fuerat, inde per miſtionem connubiorum corripuit & Eccleſiæ homines. Ita Deus & filiis Dei & filiis hominum intulit exitium. Nam dicitur univerſam carnem corrupiſſe viam & Deum interitum finemque univerſæ carni molitum eſſe. In faciem igitur contradicit Præadamita Spiritui Dei. Spiritus Dei univerſam carnem dicit & ſæpius repetit eſſe deletam, Præadamita ſolos Dei filios. Ut autem univerſalem locutionem multiplicem ſibi adverſantem obſcuret, dicit, ea verba: *quod figmentium cordis hominum malum eſſet*, ad Judæos pertinere, tanquam *lutulentum* & coruptum genus. Scilicet Adam erat è luto, gentilium pater aliunde antè nihilo. Miror itaque dilectum ſibi genus è luto Deum excitaſſe, materia fragili & peccandi pronitatem continente. Nam manifeſtum eſt hunc hominem τῇ ὕλῃ attribuere originem peccandi & peccaminoſitatis. Quod multò ſapientius & verecundius fecere philoſophi Græcorum, qui ὕλην poſuerunt extra efficientiam Dei. Si Deus materiam fecit, quæ cauſam habet mali, ipſe mali autor eſt. Dicit Deus. *Delebo hominem, quem* creavi, à facie terræ. *Per hominem, quem creaverat*, intelligere nos jubet Judæos Adami filios; per terram, Palæſtinam. Per animantia quæ delenda eſſent à reptili uſque ad volucres cœli ſciſcit nos accipere debere, *gentiles Iudæis permiſtos & peccati Iudæorum cauſas.* Rogo te, lector quid de his verbis judices, niſi eſſe mugitum bovis & orationem aſini non hominis? Ubi hiſtoriæ ſimplex ſtylus animantium nomine gentiles ſignificavit? Et ſi intelligantur gentiles, cur illi ſoli, qui inter Judæos vivebant? Cur hominem quem creaverat Deus, ſignificare putant Adami Judaici progeniem. Quando & à quo Ada-

Adami filii Judæi dicti ſunt? Qui ſunt hi Judæi ante Cataclyſmum, de quibus nemo unquam inaudivit? Nam Judæi teſtimonia Moſis ſacrorum & profano-rum ſcriptorum nomen & originem habent à Juda filio Jacob:& ſero poſt mortem Salomonis ſeparata gens & regnum á filiis Iſrael reliquis eſſe cœperunt. Cur Deus dicit hominem à ſe creatum communiter & univerſe, cum unicam gentem intelligeret? An ſolum Adamum Judæum & Judæos ſobolem illius Deus condidit? Gentiles igitur unde? An ut fungi è terræ madore & luto? Fontes abyſſi magnæ nihil ipſi notant quam mare Palæſtinum. Nam ex eo omnes Palæſtinæ fontes ſcaturiunt. Sic nugatur. Moſes dicit omnes fontes abyſſi magnæ. Abyſſus magna non poteſt aliud quid ſonare quam Gen. 1.2. Ibi terram omnem integebat, hic in alveos ſuos & cavos terræ ſinus ſegregata eſt, ut aridam daret uſui & viſui. Abyſſus magna in quo ſcripturæ loco mare Palæſtinum ſolum notat? Sed quid contendo cum ſtipite, qui nec mentem nec frontem habet? Univerſa narratio Moſis univerſalitatem hominum animantium, terrarum, quantum cœlo ſubjectum fuit, clamat diſerta oratione. Nec fuit quiſquam hactenus, qui aliter accipere aliud ſubodorari potuit. Hunc non pudet etiam dicere. *Hac luxuriante ſtylo ſcripta fuerunt; ut exprimerent vim pluviæ, qua Iudæorum terra diluvio illo inundata eſt.* Operti vero ſunt montes excelſi omnes, ſub univerſo cœlo (Gen. 7. 19.): *intelligi debent de montibus Palæſtinorum excelſis omnibus.* Quaſi univerſum cœlum ſit ſolius Judææ. Atqui & hoc conatur defendere. Deut. 2.25. *Hodie incipiam* mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant ſub omni cœlo. Omne cœlum hic intelligendum eſſe dicit, *quod imminebat terræ ſanctæ. Neque enim terrorem Iudaici nominis immittebat Deus tunc temporis in populos, qui habitabant ſub cælo Sinenſi, Americano, Auſtrali, Gronlandico.* Vide quomodo cohæreant acutiſſimi diſputatoris verba. Debet intelligi Cælum terræ ſanctæ quia terror Judaici nominis non exiit ultra oceanum Atlanticum? Rotundum *συμπέρασμα*! Si terror Judæorum non penetravit ultra Indos & Garamantas aut Glacialem oceanum, fuit tantum in vicinia. Vicinia iſta fuitne ſub an ultra & extra cœlum terræ Sanctæ? Si extra id fuerit, tuta fuit à Cataclyſmo quod neſcio quomodo efficias mihi ex loco Deuteronomii? Nam in loco Deuteronomii latè extendi omne cœlum ipſe agnoſcis, quia uſque Sinas & mare Glaciale & orbem novum & oceanum Rubrum temet amoves ne hoc cælo includare. Terrorem Judaici nominis & famam miraculorum plurimas Aſiæ & Africæ terras tranſiiſſe quis dubitet? Atqui exceperis: Non poteſt in loco Deuteronomii, univerſum cœlum intelligi, non intelligitur quod in extremis orbis cardinibus fuit. Concedo. Sed inde non ſequitur phraſin illam hîc in loco ſimiliter eſſe coarctandam. Nam *τὸ ὑποκείμενον* phraſes reſtringit aut dilatat. Quando ſermo eſt de omnium hominum & animantium in ſicco degentium univerſali interitu, omnes ſub univerſo cœlo animantes & montes debent intelligi: cum Moſes loquitur de re, quam res indicat ad totum non pertinere orbem, reſtringi illam locutionem fatemur. Quid tibi vis, diſputator frigide, an & fallere nos animus tibi eſt? Reticuiſti enim quod ſubjungitur: *audito nomine tuo paveant & in morem parturientium contremiſcant & dolore teneantur.* Græci: *οἵτινες ἀκούσαντες τὸ ὄνομά σου ταραχθήσονται καὶ ὠδῖνας ἕξουσιν ἀντι προσώπου σου.* Nempe illi populi ſub omni cœlo, quæ audierunt de factis iſtis Dei, & tremendis miraculis, contremuerunt. Quis illi condonet, quod dicat Spiritum Sanctum luxuriare ſtylo, quia plus dicit, quam ipſi, placet? Ad verba igitur Moſis non vult nos attendere audaciſſimus bipedum, qui ſub nomine Chriſtiano ſacris literis maledictum opponit

& oppedit. Attendamus igitur ad rem, quam neſcio unde extra verba Moſis & ejus narrationem affert. Cauſæ diluvii fuerunt peccata Judæorum. Nempe hi filii Dei ſunt, de quibus ſcriptura. Melius igitur & ſanctius gentes vixerunt, quæ peccandi cauſæ Judæis ipſo ſomniante, fuerunt. Noë Judæus fuit & filii ejus Judæorum reliquiæ. Noë Judæus fuit, etſi obierit antequam avus Judæ, à quo Judæi ſunt dicti & progeniti, naſceretur. Filii ejus fuerunt Judaicæ reliquiæ? Moſes docet à tribus iſtis filiis univerſum orbem terrarum, ab hominibus eorum poſteris eſſe cultum & occupatum, cum vacuæ eſſent omnes terræ à diluvio. Quod in ſecunda ætate videbimus. *Montes Armeniæ, qua Palæſtinam reſpiciunt, partem Syriæ conſtituunt, Palæſtinæ conterminam.* Si verba iſta ſenſum habent idoneum, quid efficiunt? Moſes narrat in montibus Armeniæ, aquis decreſcentibus, ſubſediſſe arcam. Aquæ igitur montana Armeniæ inundaverant. Unde nemo negaverit Meſopotamiam & Aſſyriam ſub aquis fuiſſe. Si montana tranſcenderunt, in Armeniæ ſubjectos campos profluxiſſe & latè vagatas eſſe oportuit. Plurimum igitur terrarum extrà Judæam merſum fuit. Si diluvium non eſt effuſum è mari interno ultra Palæſtinæ terminos & Judæorum habitationem, quomodo & quare Syria Judæis contermina ſubmerſa eſt? An Judæi habitabant Syriam omnem? Non vis illud. Quare igitur miſeri Syri & ſoli de gentilibus omnibus periêre? Si Syria ſubmerſa fuit, non potuit libera eſſe Chaldæa, inferior ſcilicet Meſopotamiæ pars. Nam ſuperioribus inundatis, Tigris & Eufrates plenis alveis aquas intulerunt inferioribus & humilibus campis Babyloniæ. Quin & aquæ ipſæ libero meatu univerſam occupaverint Meſopotamiam. Fuit igitur ſubmerſa Babylon cum univerſa vicinia. Qui igitur enatare potuerant chartæ & monumenta illa Chaldæorum, quibus memoria ſeculorum innumerabilium continebatur? Et cum belle commentus ſit è mari Palæſtino exiiſſe aquas, & Judæam Palæſtinamque omnem nataſſe, neſcio etiam ubi Phœnices abſcondere potuerint ſua illa tot millium annorum compoſita volumina? Nempe Phœnices & Chaldæi perierunt cum ſuis ſibi tot voluminibus & millenariis annorum. Eos ſalus ipſa ſervare non potuit, quia Servator ille gentilium Peyrera ὁ λαοσωτός invitus & ingratiis eos ſubmergi Noë aquis patitur. Judæorum populo immiſſum fuiſſe diluvium & Judæum fuiſſe Noë conatur probare è Joſepho, lib. 4. contra Apionem. Ubi Noë *ſui generis*, id eſt *Iudaïci* principem vocat. Ita ſcribit Joſephus: οὗτος τοίνυν ὁ Βηρωσσὸς ταῖς ἀρχαιοτάταις ἐπακολουθῶν ἀναγραφαῖς περί τε τοῦ γενομένου κατακλυσμοῦ καὶ τῆς ἐν αὐτῷ φθορᾶς τῶν ἀνθρώπων, καθάπερ Μωϋσῆς οὕτως ἱστόρηκεν καὶ περὶ τῆς λάρνακος ἐν ᾗ Νῶχος ὁ τοῦ γένους ἡμῶν ἀρχηγὸς διεσώθη. Noë appellat ſui generis principem. Anne ideo eum negat alias gentes proſeminaſſe? Hoc vult ieum Abrahamum contigiſſe generationibus notis, quomodo ſe alii populi à Noë deducere nequeunt. Quamvis autem oſtendere nequeant, inde nemo arguit eos inde non habuiſſe originem. Quomodo Joſepho audet adſcribere ſuum hoc commentum quod nec ipſe potuit credere? Nam Joſephus diſerte ſcribit in libris Moſis haberi τὴν ἀπ' ἀνθρωπογονίας παράδοσιν & negare non poteſt adverſarius Joſephum exiſtimaſſe quod à Noë omne humanum genus reſurrexerit. Explicat enim quæ gentes & à quo filio Noë per orbem terrarum derivatæ ſint. Deinde argumentatur columbam ramum oleæ decerpſiſſe in campis elatioribus ſuperioris Aſiæ, quos aquæ diluvii non attigerant. Putat enim nullam oleam virentia folia frondeſque retinere potuiſſe ſub aquis quæ anno toto terram obrutam tenuere. Rapidis aquarum vorticibus & cœno è montibus valles arboreſque vallium fuiſſe raptas impletaſque. Non animadvertit à

Noë

Noë emiſſam eſſe columbam (cap. 8. v. 8.) ut videret an aquæ ſubſediſſenr. Primam rediiſſe, quæ conſiſtendi locum non reperit, quod aquæ in univerſa tellure. Alteram attuliſſe ramum oleæ, quo indicatum aquas decreviſſe. Sed non potuit judicare de aquarum decremento ex fronde oleæ ultra loca inundata provenientis. Non eſt ut metuat ab aquis diluvii immutatam terræ faciem, quia Dei manus moderata eſt pœnam, ut ſupra modum non ſæviret vaſtities, qua non deſtruenda tellus ſed homo, qui peccaverat, rollendus erar. *Oleas,* inquit, *ipſas per annum ſolidum, quo diluvium illas obruiſſe legitur, nullo ſole eas vegetante, canoſis aquis omninò corruptas & interfectas, putruiſſe tandem credibile eſt.* Omne igitur arborum genus quo diluvium venit, putas interiiſſe. Atqui vidimus ex tua conceſſione Meſopotamiam, Syriam, Phœnicen fuiſſe inundatas. Periit igitur quicquid arborum in iſtis regionibus fuit. Putas ne aliunde invectas poſt diluvium an creatrone nova refectas? Rediit credo תהו ובהו & alia creatione Deus veſtiit ſecundò vaſta illa terrarum ſparia quia cum arboribus interiiſſe graminum herbarumque radices dixeris. Fuit igitur nuda gignentium tellus. Eam potuiſſe coli non dixeris & recipere habitum priſtinum intra plura ſecula. Quomodo igitur filii Noë ſuſtentare vitam potuerunt in iſta omnium rerum penuria? Quomodo non alias potius terras, ubi victus & alimenta ſibi ſuiſque erant, immigrarunt? Incredibili etiam ſecuritate & fiducia an porius ſtoliditate terrarum menſorem agit. Dicit enim invectas ab mari Palæſtino aquas univerſam Cananæam potuiſſe inundare, antequam ad montes Armeniæ penetrarent. Deinde montibus illis obrutis ſuperiora tamen Aſiæ libera fuiſſe. Si libera fuerunt illa, quæ circa montes Armeniæ loca jacenr, quid opus fuit toto anno arcæ clauſtro ſepultum teneri cum filiis & univerſa familia, cum ſeminio animantium & undis jactari? libero aëre frui potuiſſent, ſi in Armeniam & aliam ſuperiorem Aſiam emigraſſent. Seminium animantum non fuit opus conſervari & miraculo miteſcere, ut repararetur poſt diluvium, ſoboles haberi poterat ſtirpium & animantium è vicinarum regionum abundanre copia. Gordiæi montes Sophenen reliquamque Armeniam (verba Strabonis) diſterminant à Meſopotamia. Alio nomine Taurus dicuntur, quo celſior eſt Niphates, in quo fontes Tigridis. Gordiæi montes aquis obtecti fuêre, quia in illis arca Noë requievit. Et non convenirer dicere, omnes ſub toto cœlo montes ſub aquis delituiſſe, ipſis Gordiæis montibus juga libera & ſicca habentibus, ad quæ appellere arca potuit. Nec dicitur arca appuliſſe ad montem illum, ſed requieviſſe in illo poſt aquarum decrementum, nudatis cacuminibus montium, quæ nudata demum ſunt menſis decimi primo die Gen. 8. 3. 4. 5. Montium cacumina prius tecta inde cœperunt conſpici aut eſſe conſpicua. Montium cacumina cum dicit Sp. S. de illo tractu qui prolixis & continuis montium jugis in omnem plagam cæli porrigitur, intelligi aliter non poteſt, quam omnia illa ſuperioris Aſiæ montana, quæque Tauri brachia ſunt ingentes complectenria & includentia valles, aquis illis Dei obruta fuiſſe. A Caria & Lycia incipit, ſed juxta Pamphyliam aſſurgit, hinc Ciliciam vallibus ſuis complexus, in Amanum & Antitaurum dividitur, uti ſuo loco explicabimus. Inde incipiunt illa vaſtorum tractuum brachia, quæ Sp. S. intelligi voluit, excelſiora prioribus. Superior igitur Aſia ſub aquis cum illis immenſis montium jugis, quæ Mediam Armeniamque includunt. Superiora illa Aſiæ ſi tecta aquis fuêre, ſi celſiſſima illa montium juga, oportet univerſam Aſiam fuiſſe inundatam. Si Aſia inundata fuit, Ægyptum & Africam cur liberas fuiſſe exiſtimabimus? Abyſſi magnæ fontes ebullierunt, ut omnem aridam in maris faciem redigerent. Conatur Scriptor Præadamita pervertere etiam decimum caput Geneſeos, quod omni

 luce

luce clarius eſt & ſuo loco explicabitur. Iſacius Voſſius ſententiam Præadamitæ de antiquitate gentium prudenter & graviter rejicit, recteque pronuntiat, eum inductum prodigioſis illis antiquitatibus quas gentium quarundam annales jactant, ad ſcribendum acceſſiſſe. Nec eſſe vero ſimile, quod ex loco Apoſtoli in ep. Rom. cap. v. 13. quem præfert, ita ſentiendi hauſerit occaſionem. *Infelices ſunt* (inquit) *qui in ſacris literis ea ſe reperire poſſe confidunt, quibus ſacrarum literarum fides poſſit deſtrui, Minime puta id eum in anima habuiſſe, quin potius exiſtimo, diligentiſſimè divinos codices pervolviſſe, præteriiſſe vera loca ſententia ſua inimica, ac ea tantum annotaſſe, unde aliquid opinioni ſuæ conſentaneum excludere ſe poſſe ſperaret.* Sententia iſta futiliſſima eſt & contemptu potius quam laborioſa reſponſione prætereunda videretur, niſi homines eſſent, qui ab ipſo autore deſtituti eam amplecterentur. Idem Voſſius: *Libri hujus auctor licet toties confutatus, licet multis ac magnis propoſitis pœnis & præmiis mutatam jam dudum ſententiam ſuam deſeruerit, ſupereſt nihilominus ejus opinio, in illa, quã reliquit ſecta, quam fervide amplectuntur, quotquot libenter à ſacris diſſentiunt literis.* Idem ille Voſſius adverſus eum ſcriptorem diſputat, diluvium Noë fuiſſe univerſale, non autem diverſis temporibus diverſa fuiſſe diluvia, quod Præadamita arbitratur. Hoc putat ſe demonſtrare ex ſuo calculo, quo Noë diluvium & diluvium Serum conveniat. Idem ex Chaldæis & Beroſo oſtendi. Abſque omni igitur dubio, unum tantum fuiſſe diluvium, idque univerſale, cujus apud omnes penè gentes exſtet memoria. *Non poteſt autem* (ſic loquitur) *eorum probare ſententiam*, qui totum terræ globum ita aquis tectum fuiſſe exiſtimant, ut nulla prorſus ejus exſtaret portio. Sententia illius eſt, deletum fuiſſe hominum genus, ſed partis terrarum exiguæ inundatione id potuiſſe fieri. Non fuiſſe igitur univerſum orbem inundatum. Id argumentis tribus nititur probare. I. Arg. *Ad hoc efficiendum multa debuiſſent concurrere miracula. Cum enim univerſa orbis aqua non ſufficiant, ad obruendam tam altè terram, etiamſi omnia maria ſiccentur debuiſſent vel plures aquæ creari vel dicendum cum aliquibus, iſtam aquarum molem ex aliis cæli orbibus decidiſſe, ac denuo finito diluvio ad ſedes ſuas revolaſſe. Verum hoc eſt piè nugari. Deus non facit miracula fruſtrà.* R. 1. Si rem factam eſſe Spiritus Sanctus dicat, conſequentiis infirmari & rejici nequit. 2. Non ſufficere omnes univerſi orbis aquas dicis. Atqui initio creationis aquæ terrarum orbem alte obruere potuerunt, ut dicit Hiſtoria creationis. Non eſt ea aquarum brevitas & paucitas, quam tu putas. 3. Si hoc eſt piè nugari, dicere, quod aquæ ex aliis cæli orbibus deciderint ut orbem integerent, quæro quænam iſtis nugis inſit pietas? Quod pium eſt, quà tale non diſſonat veritati. Pius animus eſt, qui Deo & veritati defenſionem quærit & honorem defert. Illam veritatem hic fuiſſe dixeris, in eo, quod defenſum voluerint hunc orbem fuiſſe inundatum, vel in eo quod modum, quo id ſit factum, ſtatuant. Non in hoc, igitur in illo. Si pium illud ſit, cur tam facile, quod pium eſſe omnibus viſum eſt & hactenus creditum ab omnibus audes impugnare? II. Arg. *Quid opus erat illas mergere terras, ubi nec olim fuere homines, ac ne nunc quidem ſunt? Stultum eſt putare ante diluvium adeò multiplicatum fuiſſe genus humanum, ut omnes terræ angulos pervaſerit. Quam tarda & ſegnis tunc fuerit humana natura in producendis hominibus ex eo nobis conſtat, quod Noachus nonus demum fuerit ab Adamo. Quiſquis itaque rectè calculum inierit, inveniet ab acto illis, qui diluvii cladem evaſère uſque ad tempus diſperſionis gentium, longè plures potuiſſe naſci mortales, quam ab uno Adamo ſpatio bis mille annorum. Atqui tamen certum eſt ante diſſipationem Babylonicam humanum genus modicam tantum Aſiæ portionem tenuiſſe.*

 Longè

Longè itaque abſunt à veritate, qui exiſtimant Noachi ætate per univerſum orbem propagatos fuiſſe homines, qui ne Syriæ quidem & Meſopotamiæ fines forſan exceſſerant. Ut vero diluvii inundationem ultrà orbis habitati terminos producamus nulla jubet ratio, imò prorſus abſurdum dicere, ubi nullæ hominum ſedes, illic etiam viguiſſe effectus pœnæ ſolis hominibus inflictæ. Licet itaque credamus, illam tantum terrarum portionem, quam ſignificavimus, quaque ne centeſimam quidem partem orbis univerſi conſtituit, ſolam aquis fuiſſe obrutam, erit nihilominus diluvium univerſale, erit oecumenicum, quandoquidem clades fuit univerſalis & totum orbem habitatum oppreſſit. R. I. Ante diluvium non fuiſſe ſegnem humanam naturam valde multiplicatum genus humanum ſuperius docuimus. 2. Diluvium non delendo humano generi ſoli ſed & generibus animalium in ſicco degentium deſtinatum fuit, quæ fuiſſe per totum orbem non negabis quin & omnes ejus angulos. Tantum diluvio homines Deum voluiſſe tollere, eſt falſiſſima hypotheſis. 3. Syriam & Meſopotamiam ſolas non fuiſſe inundatas jam oſtendimus. Omnes montes ſub cœlo aquis obrutos fuiſſe Sp. S. dicit, quis id audeat negare? Negat qui dicit ne centeſimam quidem orbis partem fuiſſe aquis obrutam. 4. Ante diſperſionem gentium ita creviſſe homines aut potuiſſe multiplicari, ut tota prima ætate factum eſt, falſum eſſe, docebimus ſuo loco. III. Arg. *Sic ſi ſtatuerimus, jam ceſſabunt ineptæ iſtæ & futiles quæſtiones, quas nonnulli de diluvio moverunt & ſimul improbis de ſacrarum literarum veritate dubitandi omnis præripietur occaſio.* R. I. Propter futiles quæſtiones hiſtoriæ ſacræ evidens & certa narratio non debet torqueri. 2. Ne ſic quidem ceſſabunt; quia nihil tam evidens eſt, quod illi, qui amant ſacris literis contradicere, non oppugnent, aut curioſi non gravent quæſtionum inſolubilium nugamentis. 3. Ita obviam itum eſt & reſponſum iſtis nugatoribus, ut modeſtis ingeniis ſit ſatisfactum, hodie multi ſunt, *qui libenter à ſacris diſſentiunt literis*, ut tu fateris. In id nos ævum incidimus, ad impietatem delabimur & ἀθεότητα, nec tam eſt ineptum quicquam in gentilium fabulis, quod non comparent quidam cum veritate divina, aut anteponant. In horum gratiam certa vocare in dubium minime conſultum fuerit. Quod autem diluvium fuerit univerſale, ita ut univerſi orbis omnes angelos oppreſſerit, ita docemus. 1. Scriptura omnes ſub toto cœlo montes tectos ſtetiſſe narrat. 2. Omnia animalia in ſicco deleta ſunt, ideo oportuit cum Noë in arca conſervari τὰ λείψανα & ſeminium. 3. Temporum ſeu horarum quatuor viciſſitudines illo anno ceſſarunt. Quod fieri non potuit circa terras, quæ eminuerunt. Ubi hiemis frigus & aeris temperies & æſtatis calor neceſſaria fuere: ut foverentur alerenturque gignentia. 4. Diluvium aquarum comparatur cum interitu mundi per ignem in univerſalitate orbem totum complectente. Sic enim Petrus loquens de univerſali orbis interitu, eumque è diluvii comparatione probans ep. 2. cap. 3. 5. 6. 7. *Λανθάνει γὰρ αὐτοὺς τοῦτο θέλοντας, ὅτι οὐρανοὶ ἦσαν ἔκπαλαι καὶ γῆ ἐξ ὕδατος συνεστῶσα τῷ τοῦ θεοῦ λόγῳ. δι' ὧν ὁ τότε κόσμος ὕδατι κατακλυσθεὶς ἀπώλετο. οἱ δὲ νῦν οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ τῷ αὐτῷ λόγῳ τεθησαυρισμένοι εἰσὶ πυρὶ τηρούμενοι εἰς ἡμέραν κρίσεως* &c. Mundi interitum, qui terra cæloque conſtat, non hominum ſolorum futurum eſſe probat ex eo quod vetus mundus interierit, quoad partem ejus alteram nempe terram, aquis inundata redactaque in eum habitum & modum quem habuerat creationis initio. Dicit mundum fuiſſe ſubmerſum, cum tamen cœli aquis obrui non potuerint, id juxta interpretem optimum ita capiendum eſt; *cælum fuiſſe ſubmerſum hoc eſt regionem aëris, quæ inter duplices aquas vacua patet. Nam diſtinctio illa cujus Moſes meminit confuſa*

erat, & cæli nomen hoc ſenſu ſæpe accipitur. Si quis plura deſiderat, legat Auguſtinum lib. de civit, Dei 20. Hæc Calvinus. 5. Omnes fontes abyſſi magnæ eructaſſe aquas commemorantur, quod neceſſe non erat ad obruendum Syriam ſolam & Meſopotamiam.

Hebræorum codicum lectio in annis Patriarcharum ante diluvium defenſa contra Iſ. Voßium.

IN ſuperioribus defendimus Hebræorum codicum numeros in ætatibus patriarcharum ante diluvium, poſtea in manus noſtras pervenit viri eruditiſſimi commentariolus de vera mundi ætate, qui ſic defendit adverſus Præadamitam alioſque nimis in anteriora promoventes initium rerum, ut ex editione Græca in patriarchis ante & poſt diluvium contendat natale mundi tempus annis minimum 1440. vulgarem æram anticipare. Id in tanta literarum luce poſt accurate diſcuſſam & definitam orbis chriſtiani melioris conſenſu quæſtionem, poſt viros, qui communem modum eruditionis humanæ exceſſerunt inque hanc rem explicandam divinitus dati fuere, confidenter eſſe affirmatum nollem. Nemo unquam ſanus veritatem examinare contendit ad verſiones. Ego uti debeo, æſtimo viri illius eruditionem & nomen, adeoque fateor oculis meis rimanti inceſſiſſe ſtuporem, cum primo legerem. Cæterum lubet conſiderare rationes, quibus vir ſummus moveri potuit, ut tantum παράδοξον reſuſcitaret. Verba ejus pleniſſimè deſcribam & ad examen vocabo. *Statuamus igitur mundum à Deo eſſe creatum. Verum neque hic una omnium eſt ſententia. Complures enim ad multas annorum myriadas tempus creationis removent, idque ea credo cauſa, ut videantur propius accedere ad illos, qui ab æterno hanc machinam fuiſſe contendunt ac ſi finiti & infiniti ulla eſſet proportio & non majus foret diſcrimen inter æternitatem ac ſpatium quantumvis enorme, quam ſit inter punctum mathematicum & mundum univerſum. Opinioni ſuæ patrocinium quærunt ex Babyloniorum Ægyptiorumque antiquitatibus. His addunt nonnulli Seras, quos perperam Sinas appellant, è quorum accuratiſſima chronographia Moſaica hiſtoriæ veritatem evertere ac immenſam orbis antiquitatem adſtruere conantur. Nec ſane adeò eos fefellit ſucceſſus, quin & multos & præclaros etiam viros ad partes ſuas pertraxerint. Quamvis autem odioſe dictum poſſit videri, dicam nihilominus, non defuiſſe, qui fortius iſtas antiquitates adſeruerint, quam alii Moſen defenderint. Neque hoc eo, quod vel his faveam, aut de aliis inique ſentiam; ſed quod contra variarum gentium armatura munitos, telis inſuper non legitimis utentes; ipſi nudi & armis juſto, brevioribus confiſi temerè in arenam deſcenderint. Prædictas gentes non tantam ſibi tribuere antiquitatem, quantam ipſi illis affingunt, nec. Moſaicam hiſtoriam in tam arcta ſpatia eſſe conſtringendam, quam faciunt hujus ſeculi Iudæi & qui eos ſequuntur Chriſtiani opera pretium fuerit oſtendere.* Hactenus Iſ. Voſſius. Reijcit recte & merito nimis à Moſe diſſentientes, ſed & Moſen ipſum fabuloſis gentium antiquitatibus occurrere jubet. Sive cum Moſis exemplaribus Hebræis conſtringas ævum mundi, ſive laxes cum Chaldæis ad quadringenta & ſeptuaginta annorum millia, ad æternitatem eadem erit diſtantia: ad quam menſuris intervallaminum nequit perveniri. Laudat tamen fortitudinem & induſtriam eorum, qui pro iſtis antiquitatibus adverſus propugnatores Moſis & veritatis ſtetere, quod in fugam retrò pepulerint eos & ſuperaverint. Fatetur id odioſe dictum videri poſſe, dicendum tamen fuiſſe, quaſi vi veritatis coactus protuliſſet. Cauſam fœdè defenſæ cauſæ non aliam fuiſſe, quam quod adverſarii

verſarii variarum gentium armatura muniti pugnaverint, in nudos & armis juſto brevioribus confiſos. Temere enim factum eſſe, quod ſic in arenam deſcenderint. Evidenter ſignificat Moſen & antiquitates gentium componi poſſe non aliter, quam ſi extra Hebræos codices Moſaica hiſtoria extendatur. Proinde operæ ſe pretium facturum eſſe exiſtimat, ſi illas antiquitates contrahendo & Moſen protrahendo pacem faciat. Quaſi conciliari poſſint & in unum coïre veritas & mendacium. Quid hoc eſt? Conari ut inſaniæ ratio reſpondeat; eoque communem ab omnibus codicibus approbatam lectionem ſolicitare. Hujus ſeculi Judæos dicit, quaſi non poſſit probari conſtans lectio ante ſeſquimille annos? Sed audiamus ſequentia, quæque hic dici poſſent, inferius afferamus: Moſis ſententiam de tempore creationis, ex Græca potius tranſlatione, quam ex Hebraico codice eſſe hauriendam acriter diſputat: *Cum itaque* (inquit) *ſupra memorata opiniones nec veri nec vero aliquid ſimile contineant, ſupereſt ut unum ſequamur Moſen ac ut fidei, ita quoque temporis ex illo petamus principia.* SCHOTANUS: Euge! Chaldæorum, Ægyptiorum, Sinarum fabulæ nihil veri nec veroſimile continent. Moſen ſequamur igitur, fidei & temporum principii expoſitorem. Fidem & initium temporis exponere ejuſdem eſt, quia hoc eſt de fide. Nec editionem Græcam ſed Hebræam eſſe veritatem & canonem concedunt Græci, Latini, Proteſtantes, Romanenſes etiam cordatiores. Is. Voſſius: *Sed & hic novum naſcitur dubium, cum diverſis adeò modis ejus ſententia proponatur in Hebrais, Gracis, Samaritanis & Chaldais Apographis, quinam potiſſimum ſint ſequendi. Videor mihi jam multos tanquam ex tripode audacter affirmantes audire, nequaquam dubitandum eſſe, quin codex Hebraicus unus omnibus ſit praferendus, eique ſoli tanquam norma veritatis adharendum, utpote unde catera verſiones promanarint. Benè ſane ſi Moſis haberemus autographum.* SCHOT. 1. Multos dicis te audire. Imò orbis Chriſtiani conſenſum. Omnes enim affirmant hoc in loco ſanos eſſe Hebræos codices. Nam vulgata editio Latina, quam Romanenſes ſequuntur, Hebræo conſentit hac in parte. Unus & alter tenebrio communi conſenſui repudium mittit. Cui tam egregiè doctum nolim accedere. 2. Qui ſunt iſti LXX. Græci, quos legit Græca Eccleſia, cum fontes Hebræos adire non poſſet? Anne his credemus contra communem omnium Hebræorum ab antiquo conſenſum. 3. Chaldæum codicem ignoro quem notes. Onkelos chaldæus conſentit Hebrææ lectioni. 4. Negas nos Moſis habere autographum. Atqui Deus conſervavit, eodem literarum numero & valore, iiſdem vocibus integrum. Normam illam veritatis conſervaſſe divinam providentiam credimus & certa res eſt. 5. Dicis tanquam ex tripode. Apage iſtum tripodem, mendaciorum loquentiſſimum, dæmonum eſt & tenebrarum: At hi (quos tu dicis) affirmant è Dei luce & veritate. Judæis credita ſunt eloquia Dei teſte Apoſtolo. At Moſis autographum eſſe vitiatum & ſic deveniſſe ad nos exiſtimat. Is. Voſſius: *Adeone vero quis inops judicii, ut exiſtimes adfuiſſe Deum ſemper Iudais librariis ac direxiſſe illorum manus calamumque, nullam autem curam habuiße eorum, qui deſcripſere novi federis libros, in quibus tanta eſt lectionum varietas, ut ſi quis omnes inter ſe committeret codices, quot verba totidem penè ſit inventurus diſcrepantias? Atqui majoris intererat, ut illi potius, quam veteris teſtamenti libri incorrupti ad nos pervenirent. In Evangeliis & Apoſtolicis ſcriptis hanc varietatem & vident & fatentur, idque ſalva regula fidei fieri potuiſſe agnoſcunt, cur negant ipſum hoc contigiſſe in Moſaicis & Prophetarum libris?* SCHOT. Hoc primum argumentum eſt, quo oſtendere conatur, Moſis editionem Hebraïcam eſſe corruptam. R. 1. Directione extra ordinem nulla

opus

opus fuit, ad Judæorum librariorum manus calamoſque. Nam qui deſcribit, ſequitur autographum, quod facere poteſt ſine ſingulari aliqua curatione numinis. Legit enim & relegit. Si multi fuêre librarii, ut alicubi manus oculuſque erraverit fieri potuit, nec opus peculiari numinis aſſiſtentia prohiberi. Conſenſus enim in illo loco aut locis plurium & emendatiorum veritatis normam continuit. Dico olim tria ſubſidia prohibentia corruptionem adfuiſſe. Quod pluribus notiſſimum eſt inſtrumentum facilè corrumpi nequit. Nihil autem communiore & diffuſiore notitia cognitum quam ſacri libri: qui in Synagogis legebantur: quos viritim terebat publicus uſus. Id primum ſubſidium, alterum fuit, quod non admiſſum fuerit omnibus paſſim & vulgo Moſen deſcribere: quia ea cura fuit commiſſa χαμμαλτοῦσι, quorum fides ſpectata jurataque erat. Hinc edebantur in vulgus. Tertium. quod publicitus in ſynagogis & templo cuſtodirentur emendatiſſima exemplaria, ut vitiis obviam iretur. Poſt hæc ſucceſſit diligentia Maſſoretarum: de quo labore verè dictum eſt, המסורה סג לתורה. Cum LXX. eam editionem conficerent in Synagogis & templo habebantur exemplaria, quæ ita legunt, ut nunc exſtat in Hebræis codicibus. 2. E variantia N. T. lectionum putat poſſe probari, varietatem Hebræorum codicum V. T. Atqui primò eadem ratio non eſt. Nam cura major fuit à Judæis adhibita (præfiſcini dixerim) codicibus Hebræis quam Chriſtiani unquam adhibuere codicibus Græcis N. T. Res certa eſt. Quot verba tot pene eſſe variantias in N. T. μάλα ὑπερβολικῶς dictum eſt. Si enim ſingula penè variant verba, quis ſenſus erit? In vocibus diverſis ſenſus erit diverſus ſi voces iſtæ variæ idem notent, in ſenſu & ad regulam nullum diſcrimen erit. Quod multiplex eſt & varium Canonis formam non poteſt obtinere. 4. Non committi debent codices, ſed videri debet quæ ſit communis lectio. Quod ſi enim de induſtria ſcurra perverteret ſcribendo locum in aliquo codice, hunc codicem etiam velles venire in numerum, ut controverſiam faceret de fide loci? Quod communiter legitur; hoc ſequimur. Id unum eſt, id ſi forte menda habeat, ea erunt levia & exigui momenti quæque ex ipſo contextu poſſint emendari. 5. Nemo dicat, ſalua fidei regula πολύμορφον & πολύτροπον varietatem per N. T. librum poſſe diffuſam eſſe. Iſ. Voſſius: *Quis unquam ſana mentis Dei Spiritum aut punctis aut literis aut vocabulis alligaverit? Eſto tamen, ut hoc factum fuiſſe aliquis exiſtimet. Verum jam longè nobis ſanctior eſſe debebit Samariticus codex atque Hebraicus. Servant enim Samaritæ Scripturam & Characteres, qui jam inde à temporibus Moſis in uſu fuere. At verò qui vulgò Hebraicus dicitur codex ille Chaldaicis literis eſt exaratus. Certum quippe eſt teſte beato Hieronymo, Eſdram poſt captivitatem Babylonicam, Chaldaicas invexiſſe literas, iiſque libros ſacros deſcripſiſſe, neglectis veteribus Hebraicis, quæ eadem erant atque nunc ſunt Samaritica. Si itaque reviviſceret Moſes, ne unum quidem apicem in Iudaorum libris adſequeretur, cum literas habeant à Chaldæis, puncta vero & apices à Maſſoretis.* Schot. Hoc jam alterum argumentum eſt adverſus Moſis editionem Hebraicam. Dat non concedit, Dei ſpiritum, punctis, literis, vocabulis alligari. Moderari & regere hoc ipſi dicitur alligari odioſa voce. Os Moſis & Prophetarum ſolutum fuiſſe divinitus in ea vocabula, quæ enuntiarunt, nos ſcimus. ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται &c. 2. Pet. 1. Apices literaſque quantum ad vim & poteſtatem eſſe à Deo oportet, ſi voces & ſcriptionis res univerſa ſint à Deo. Alius alio melius pingit, aliiſque ductibus variat characteres. Hoc ordinario fluxui & curſui reliquit Deus. 2. Samariticum codicem Moſis autographo, verè æſtimantibus ut viciniorem, ita ſanctiorem eſſe debere quam Hebraicum. Quid

Quid ita? *Servant enim Samaritæ ſcripturam & characteres, qui jam inde à temporibus Moſis in uſu fuere.* Codicem illum omnem, qui exaratus ſit iiſdem characteribus, quibus Moſes uſus eſt, viciniorem autographo Moſis eſſe nego, quam Hebraicum, qui characteribus diverſus eſt. Id nego & pernego. Nam fatemur (quod ſuo loco expoſiturus ſum) Eſdram ſcribam ejuſque collegas curaſſe transſcribi codices ex Samariticis literis in Aſſyrias, ſed religione omni retinuiſſe Moſis ſcripturam. Erras enim toto cœlo, quod ajunt, ſi exiſtimes Eſſentiam ſcripturæ ſitam eſſe in figuris literarum. Duo ſint codices, hic figuris Samariticis, ille Aſſyriis ſcriptus: quem tu Moſis autographum dicis referre? Eum arbitror, qui voces eaſdem eiſdem elementis & totidem, ita ut nec unum ſuperſit aut deſit, complectatur. Evenire autem poteſt, ut codex Samariticos habens characteres evariet uno alterove elemento, Aſſyriis autem ſcriptus characteribus ad amuſſim Moſis autographi omnia elementa exprimat. Aſſyrius igitur ſive Hebræus præferri debebit. Novimus enim Alphabetum Aſſyrium & Samariticum eaſdem habere literas, ſub diverſis literarum formis. Oſtendemus ſuo loco ὀφθαλμοφανῶς, non eſſe aliter factum ab Eſdra, quam ſi quis eandem ſcripturam legibiliorem reddat καλλιγραφίᾳ. Sæpe enim manus alicujus ita differt ab alterius manu in eadem per omnia ſcriptura & collectione earundam literarum, ut qui hanc calleat & norit veras literarum formas, illam legere non poſſit. Quod ſi Moſes reverſus fuiſſet in luminis oras & ad Eſdram, collaudaſſet ejus operam, ut fidelem & utilem. Fidelem ſe præſtitit eaſdem eodem valore colligens literas per Moſis pentateuchum & prophetarum volumina, utilem quia charactere expreſſit in vulgus ea tempeſtate notiſſimo. Atqui tamen, mutatis characteribus, quæ nunc habemus puncta vocalium ſignativa & diſcriminativa locum non invenient. Fateor: at punctatio quatenus & quomodo fuerit in uſu ante Eſdram, ſuo etiam loco inquiremus. Is. Voſſius: *Deſinant itaque viri boni ſemetipſos decipere ac Iudæorum fabellis aſſenſum præbere. Quæcunque illi tradunt de perpetua & conſtanti librorum ſacrorum conſervatione, mera ſunt impoſtura. Poſtremis quidem ſeculis diligentiores fuêre in deſcribendis ſacris, ac efficiendo eo ut omnia exemplaria conſpirare viderentur, ſed iſtam æqualitatem induxêre Maſſoritæ & qui illos præceſſere, Iudæorum magiſtri, cum anteà tanta paſſim in exemplaribus occurreret lectionum varietas, ut ipſi Rabbini fateantur omnia fuiſſe confuſa, vixque aliquid certi è tanta lectionum diſcrepantia elici potuiſſe. Quamvis autem non omninò improbandus Maſſoretarum labor in expurgandis ſacri codicis erroribus, in eo tamen reprehendendi ſunt, quam maximè, quod ſuo ſolum fiſi judicio dubium adeo & difficile opus aggreſſi ſint, neglectis & non conſultis, cum aliis verſionibus tum præcipuè illa LXX. interpretum, quam ſi ad partes ſuas vocaſſent, longè felicius veras lectiones à falſis dignoſcere potuiſſent. Cum enim hæc verſio omnium ſit optima antiquiſſimaque, quis adeo ſit pervicax ut non fateatur ſenes iſtos, integriores minuſque à ſe invicem diſcrepantes eſſe ſecutos codices, quam poſteri ipſorum Rabbini, quorum tanta fuit inſcitia & cæcitas, ſive illa ingenita ſive pœna loco inflicta fuerit, ut ſi unum alterumque excipias, nunquam niſi caſu verum dixiſſe aut ſcripſiſſe videantur? Bene itaque ſi quiſquam, de ſcripturis divinis meritus eſt Ludovicus Capellus in præclaro opere de Critica ſacra, qua non tantum oſtendit diſſenſum Iudæorum orientalium ab occidentalibus propter diverſitatem lectionum ſed & nævos & lacunas Hebraici textus plurimas ac multiplicem medicinam, quæ cum aliunde, tum præcipuè ex illa LXX. ſeniorum tranſlatione parari poſſit, multis & clariſſimis docuit exemplis. Non me fugit, quid de hoc libro ſentiant & Iudæi & qui illis favent, verum his auctor ſum, ut diligentius legant Capellum & quidem eo uſque, donec diſcuſſa*

ingenii nebulæ lumini adſueſiant ac agnoſcant ſe in ſole cæcutiiſſe. Schot. En fiduciam! Vellem prius manus ſinu exſeruiſſet easque ad Deum opt. Max. ſuſtuliſſet & lumina precarus auxilium lucemque, quam de re tanta pronuntiaſſet, universæ Eccleſiæ judicio & communi conſenſui petulanter inſultabundus. 1. Quod credimus Judæis credita eſſe Dei eloquia & canonem ſanum integrumque perveniſſe ad nos, id Judæorum fabellis niti profatur. Ipſe verò ex Judæorum fabellis adverſus fidem Chriſtianam diſputat, uti infra patebit. 2. Sacrorum codicum tantam fuiſſe olim diſcrepantiam & confuſionem, ut vix aliquid certi ex tanta lectionum varietate elici potuerit, fateri Rabbinos dicit. Vbi autem & qui dixerunt? Fortaſſis in mente habuit locum ex Juchaſin, quem laudat doctiſſimus Cunæus lib. 1. de rep. Hebr. cap. 18. Sed autor ille teſtatur in regno Leon librum ארבעה ועשרים erutum eſſe, quem exaraverat Rabbi Hillel, atque ex ejus fide emendata eſſe omnia exemplaria. Nôn lego ita confuſa & corrupta fuiſſe, ut nihil certi ex illis elici potuerit. 3. Maſſoritis deberi putat æquabilitatem illam, quæ exinde in exemplaribus Hebræi codicis inventa eſt. Id eſt arbitratur ipſos ex ſuo ingenio reſtituiſſe ſeu potius formaſſe opus quoddam, quod ab illis, qui Hebræum codicem ſequuntur, vanè & inepte habeatur pro Moſis authentico. Nempe humanam cudiſſe farraginem ex inextricabili confuſione, quam boni viri habeant pro canone Divino. 4. Maſſoritas reprehendit, quod ſuo judicio confiſi in confuſione evolvenda, non adhibuerint verſiones & præcipuè illam LXX. optimam & antiquiſſimam. Dicendumne eſt ex eo ſequi ipſos judicio ſuo fiſos tantum opus eſſe aggreſſos, quia verſiones non adhibuere in conſilium? Verſiones iſtæ omnes vel interpretatæ ſunt Hebræam lectionem, vel ſui ingenii emendationem. Hebrææ lectionis omnem varietatem codices iſti, quos Maſſoritæ collegerunt, complexi fuerunt. Hoc ſufficit, emendationem ex ingenio tuto reliquerunt. Niſi putes potuiſſe Hebræi codicis aliam lectionem ſecutos eſſe interpretes, quam non invenerint in ſuis codicibus Maſſoritæ. Id non eſt veroſimile. Aut ſi ita eſt, fuit aliquis obſcurus & nullius nominis codex. Nam Maſſoritæ quicquid per omnes Judæorum Scholas & Synagogas codicum erat probatorum habere potuerunt, & ſi tam diligentes fuerunt, ut prædicatur nec negat Voſſius, collegerunt. Si enim non feciſſent, Schola illa & Synagoga, quæ ſuum codicem aſſuetamque lectionem vidiſſet inſuper habitum eſſe, emendatos ab Maſſoritis codices non recepiſſet. Conſtat etiam publicè emendatum & receptum eſſe in lectione ſacri codicis, quicquid emendatum & receptum eſt. Nec emendatio facta eſt, ſed notata tantum varietas lectionum, quarum alia per punctationem id eſt קרי alia per literas id eſt כתיב poſita fuit. 5. Quantam diligentiam Maſſoritæ adhibuerint, præter omnes alios teſtatur Cunæus: *Equidem ego, quoties Maſoritarum indefeſſam diligentiam conſidero penè obſtupeſco. Omneis enim Hebræi codicis partes accuratè recognitas & collatas, notis quibuſdam impreſſis obſignaverunt. Id factum eſt poſt templi ſecundi excidium anno plus minus quadringenteſimo triceſimo & ſexto. Obſervatum ab illis eſt, non modo quot commata & verba, ſed etiam quot literas continerent libri ſinguli. Quare, quod poſteà cum ſumma barbaries orbi incubuiſſet, nullus apex de præſtantiſſimo illo ſcripto perierit, illorum beneficium eſt.* 6. Fidem Judæorum non debet rejicere Voſſius. Audiat eundem Cunæum: *Erat igitur illa tempeſtate penes Iudæos arbitrium & vis ac norma emendandi biblicum contextum. Profecto quam facile illis fuiſſet, interpolare ea loca, quæ redarguere eorum deliria videbantur, cum vix tria verba intelligerent Chriſtiani! ſed obſtabat pietas vetabatque moveri, quæ ſacra eſſent. Et tamen fuere, qui exiſtimarent,* *mala*

mala fide eos deſcripſiſſe multa, quibus hominibus luculenter reſpondit Origenes in octavo volumine explanationum Eſaiæ. Unde melius apparet, non eſſe corruptum Hebræum codicem, quam ex oraculis de Jeſu Nazareno, quæ luculentiora paſſim reperiri in Hebræo codice, quam in Græco, ipſi Pontificii teſtantur? Et quorſum corrumperent locum, qui nihil ad Jeſum Nazarenum facit, agentem de Chronologia? Nam (repeto quod dixi) non potuit Judæis eſſe ignotus codex illuſtris ex quo LXX. interpretes ſuam verſionem concinnarunt. Si illi LXX. tranſtulerunt, ſeparati per cellulas, ut narrant, LXX. codicis Hebræi exemplaria habuerunt, ſibi conſentientia in lectione illa: niſi ipſi interpretes conſenſerint in loco corrumpendo aut aliter transferendo quam Hebræa habuit veritas. LXX. exemplaria quomodo ita ignota eſſe potuerunt, ut nemo in ea aut ſimilem lectionem aut allegationem inciderit? Si ſimul juncti & junctis operis verſionem ex uno eodemque codice fecerunt, oportet codicem illum fuiſſe emendatiſſimum non ſolum, ſed & celebratiſſimum ad poſteros: atqui nullus ſcriptor, nullus interpres ejus ullam mentionem facit, altum ſilentium eſt, etiam apud autores, qui ante Chriſtum natum vixerunt, cum nondum ea cæcitas (quam prædicas) Judæis in pœnam contempti occiſique Meſſiæ eſſet inflicta. 7. Cæcitas Judaica non potuit eſſe perfidiæ cauſa nec negligentia, quia ſuperſtitioſi potius quam religioſi fuerunt ab omni ævo in ſacri codicis ſingulis apicibus adorandis. Mortes potius mille obeat Judæus, quam unum mutet apicem. Si negligentiam illi genti in conſervanda integritate ſacri voluminis imputes, obloqueris teſtimonio ævi omnis. 8. Et quorſum ita prædicatur LXX. ſeniorum Græca verſio, quam neſcimus quomodo ſit procurata? Nam fabulis illis, quæ vulgò feruntur, fidem te habere non arbitror. Fortaſſis neceſſitas expreſſit Græciſſantibus & Hebraici ſermonis non admodum ignaris ut levis ingenii hominibus ea res commiſſa eſt qui velificati ſunt præconceptis opinionibus. Id enim viri ſummi arbitrantur. 9. Novi Teſtamenti Scriptores communem illam interpretationem ſequuntur (quamvis non in omni loco) ubi ab ipſa Hebraica veritate non diſcedit quoad argumentum & ſummam. Manet tamen illud, *Iudæis credita ſunt eloquia Dei.* 10. Et quid ita prædicas eam verſionem, quam eſſe corruptiſſimam ante multa ſecula queſti ſunt viri maximi. 11. Ludovici Capelli novum dogma, canonicam autoritatem diſtribuentis in Hebræum & Samariticum codicem, & in omnes verſiones antiquas Cl. Buxtorfius præter alios ita contrivit & diſcuſſit, ut noctuas eſſe oporteat, qui ad claram lucem cæcutiant. Novum hoc dogma, quod facile admittunt illi, qui ab Eccleſia libenter diſſentiunt. Nos illi ſumus, qui reformatam veteris Eccleſiæ veritatem ſectamur & ab omni novitate abhorremus. Si cum Voſſio ſenſerunt obſcura tempora ſciat nos ad lucem in Eccleſia provocare. Quod etiam Peyrerio reponendum eſt, ut antiquitatem Papiſticam diſcernere poſſit à vera & germana. Sed rationibus & auctoritatibus Voſſius conatur probare lectionem hujus loci Græcam meliorem eſſe. VOSS. *Id tantum oſtendemus, Græcam tranſlationem, ut innumeris aliis in locis, ita quoque in annorum ſupputatione longè Hebraicorum voluminum calculo eſſe anteponendum.* SCHOT. Poſſum dicere: Quid dignum tanto dabit hic promiſſor hiatu? *Ac primum quidem illud non leve argumentum vitiatos eſſe numeros, quod nulla hic juſta ſit proportio inter vita & pubertatis annos. Atqui tamen Deus ita ſanxit naturæ leges, ut ubi longa vita, iſthic quoque ſera eſſet pubertas. Si quis priorum patriarcharum vitam examines, inveniet illos, quantò diutius vixerint, tanto quoque tardius liberis operam dediſſe, nec genuiſſe niſi quinta aut quarta demum ætatis parte peracta. Decreſcente hominum vita, eadem tamen*

manſit proportio, breviorque ætas, maturiorem ſemper ſortita eſt pubertatem. Cum verò Græca verſio longe juſtius & ordini naturæ convenientius unicuique patriarchæ annos tribuat, quibus alius alium produxerit, ſintque hæc intervalla juxta ipſorum calculum valde ſibi invicem analoga, nequaquam dubitandum eſſe exiſtimo, quin integriores fuerint codices quos interpretes illi ſecuti ſunt, atque iſti, quos hodie ſequimur. Schot. Argumenti iſtius levitatem, ni fallor, oſtendere poſſumus: *ubi longa vita eſt, illic quoque ſeram eſſe pubertatem*, dicis. I. Adami vita longa fuit, nongentorum triginta annorum, atqui puber fuit, cum ipſi Deus daret conjugem mox ab ortu. Genuit, uti negare non potes, Cain & Habel, non ita diu poſt lapſum. 2. Dices te non reſpicere ad Adamum, qui creatus eſt, ſed ad eos, qui communi ortu nati ſunt. Inter eos Cain & frater, ſororeſque genuerunt maturè, quia cum parricidium à Cain commiſſum eſt, humanum genus erat multiplicatum, à quo ſibi metuit Cain & coactus eſt vagari in exilio. Hoc mihi concedes, aut cum Peyrerio finges homines, qui ab Adamo ortum non habuerunt. 3. Quod ſi dicas te quoque eximere huic obſervationi tuæ Cain & Abel, uti nimium vicinos mundi principio, qui ab hominibus omnino vacuus eſſe non debuit: ſed in cæteris naturæ legem iſtam ſanxiſſe Deum. Primò μακρόβιοι inter nos & præcedentibus ſeculis, puberes fuerunt iiſdam annis, quibus μικρόβιοι & μινυνθάδιοι. Deinde verum eſt, quod ſero gignere cœperint poſteri, ſed à geniruræ actu ad maturitatem ævi nulla eſt conſequentia. Quomodo & Noë non cœpit gignere ante annum quingenteſimum. 4. Et ſi ſera fuerit pubertas, non tamen neceſſe fuit eam eſſe illius proportionem ad communem terminum, qualis nunc eſt in noſtro modo. Quin eſt multo veriſimilius pubertatem pro modo ævi eſſe acceleratam, ut vacuum impleretur ſeculum: quòd hominibus abundare non minus debuit, quam belluis. Et ſub diluvium mundum hominibus plenum fuiſſe, docet univerſalitas Diluvii, quam probavimus. Deinde ex Joſepho docere ſe poſſe exiſtimat, ejus conſenſum cum verſione LXX. interpretum, qui cum LXX. verſionem non ſit ſecutus, tamen in annis ante diluvium conſpiret cum illa; unde liqueat, hujus ſeculo in codicibus Hebræis aliter ſcriptum fuiſſe. Quomodo hoc docebis? *Unus*, inquit, *Ioſephus, ex iis qui exſtant intervallum hoc rectè taxavit, illum enim, quem dixi, numerum expreſſit.* Χρόνος δ' οὗτος ἀπὸ Ἀδάμου τοῦ πρώτου γενομένου ἐτῶν ὑπῆρχε δισχιλίων διακοσίων πεντήκοντα ἕξ. *Iudæi aut Græci Iudaiſtæ, qui paſſim annos & tempora in hoc autore reformarunt & hunc quoque locum corrumpere conati ſunt, reſcribendo* χιλίων ἑξακοσίων πεντήκοντα ἕξ *Sed miſeri non animadverterunt, hoc pacto, totam Ioſephi ſupputationem corruere. Si quis enim ſingulorum patriarcharum quæ memorat, ſpatia componat, is illum, quem diximus, habebit annorum numerum. Prætereà cum diſertim ſcribat, ſe quinque millium annorum conſcripſiſſe hiſtoriam, abſurdum eſſet exiſtimare, illum ita computaſſe annos atque hodierni faciunt Iudæi.* Schot. 1. Joſephi numeros eſſe corruptiſſimos in confeſſo eſt: ſed corrupiſſe eos Judaiſtas ad formam editionis Hebraicæ falſum eſt, potius corrupti ſunt ab illis, qui LXX. interpretum verſioni mordicus adhærebant. Rationem duplicem habemus hujus aſſertionis: primò quia illi, qui Joſephum verſabant Græci, nihil curabant Hebræam veritatem, ut id lippis & tonſoribus notum eſt. Qui adire poterant Hebræos fontes, pauci fuerunt, unus & item alter. Ut illi LXX. interpretum verſionem non reformarunt, niſi oſtendendo diſcrepantiam, ita & nihil illos juvare poterat, ſive in Joſepho hoc ſive alio modo legeretur. Græci illi, qui corruperunt, Hebrææ veritatis ignari erant eoque ignorabant aliter à Joſepho poſitum eſſe poſſe, aliamve numerationem eſſe in rerum natura. Sciolis enim librariis, non peritis Hebraïcæ veritatis attribuendam eſſe corruptionem

exiſti-

exiſtimandum eſt. Sanè, unde eſt corruptio librorum, niſi ab ignaris, qui neſciebant autorem ita potuiſſe ſentire? Quod enim putatur autor ſentire potuiſſe, quia & alii ſic ſcripſerunt, id non mutatur niſi à malevolo. Ego vero hic non malevolentiam ſed ignorantiam immutationis eſſe cauſam ſcio. 2. Nam ſic illi immutarunt, ut ipſa illa immutatio ſibi non reſponderet. Quid enim mutatum eſt niſi in adjectione centenariorum ad annos generationis. Ita centenarii ſex integræ ſummæ acceſſerunt, quomodo fiunt anni 2256. Atqui ſumma ſcripta eſt 1656. Ex eo quia millenarium imperiti librarii adjecerunt non auſi totum numerum immutare. 3. Voſſius audet etiam reformare verſionem LXX. interpretum in nativitate Lamech & Noë. Lamechi nativitatem refert ad annum Mathuſale 187. Nativitatem Noë ad annum Lamechi 182. ex codice Hebraico & Ioſepho. Ubi mirum, quod ille codex tam confuſæ lectionis, & minoris fidei advocetur ad nobiliſſimam illam LXX. editionem reformandam: & quod fateatur hic Joſephum cum hoc codice convenire, quem putat LXX. interpretum verſioni conſonare. Contra omnium veterum & recentium conſenſum putat ſic olim fuiſſe in verſione LXX. interpretum. Hoc eſt figere & refigere ſuo ingenio & judicio confiſum. Africanum ſequitur in parte & Alexandrinum codicem, in quibus ſanè emendatio facta eſt ad Hebræum codicem, ut ſtultiſſimæ quæſtioni (quemadmodum vocat) ubi Mathuſale fuerit durante diluvio, occurrerent. Quæ ex vero & germano LXX. interpretum calculo ſolvi nequit. Sex annos demit ſummæ Africani & Alexandrini, ut pro 2262, faciat 2256. Sic ultimæ parti ſummæ Joſephi ſe conformat, non auſus totam mutare. 4. Levior noſtra reformatio in Joſepho & quæ nihil tollit niſi manifeſtam ignorantiam & ſibi repugnantem. Tolle centenarios ſex & in Joſephi ſumma *διςχιλίων ἑξακοσίων πεντηκοντα ἑξ*, reſcribe *χιλίων, ἑξακοσίων π. ς.* Sola particula *δὶς* tollenda eſt, ita omnia conveniunt. Si quis enim ita ſingulorum patriarcharum, quæ memorat ſpatia, componat, in illum, quem Hebraicus codex exhibet, incidit annorum numerum. 5. At Joſephus diſerte ſcribit, ſe quinque millium annorum conſcripſiſſe Hiſtoriam, per ea tempora quæ ſacris voluminibus continentur. Quid de eo ſit, poſteà in ſecunda ætate dicturi ſumus, ubi hoc argumentum latius explicatur à Voſſio. Nunc oſtendamus, quod hæc ſumma 1656. annorum ſit ex mente Joſephi emendata. Is Abrahamum dicit natum eſſe anno poſt diluvium ſecundo ſupra ducenteſimum & nonageſimum. Vocatum anno ætatis ſuæ 75. in Cananæam veniſſe. Ab illa vocatione ad exitum ex Ægypto eſſe annos 1030. Ab exitu ex Ægypto anno 592. cæptam à Salomone eſſe ædificationem templi.

Ab Adam ad diluvium	1656
Ad natum Abraham	292
Ad vocatum eundem	75
Ad exitum ex Ægypto.	430
Ad templi fabricam	592
	3045

In Joſepho habetur hæc ſumma ita *τρισχίλια καὶ ἑκατὸν καὶ δύο*. A diluvio 1440. Ab Abrahami vocatione 1020. Collectio vitiata eſt, ſed ita ut appareat comprobari primum numerum qui eſt inter mundi originem & diluvium. Quod colligat aliquantò majorem ſummam id eſt ex ultimi numeri variantia, aut vitioſa ipſius ſummæ poſitione, Tantum collectionem ſummæ eſſe vitiatam colligas ex lib. 10. cap. Græc. 11. ubi additis annis 470. colligitur ab Adam hæc ſumma: *τρισχίλια πεντακόσια δεκατρία.*

3045
470
―――
3515

Si poſueris annos 590. in numero inter exitum & templum habebis 3513. ut Joſephus dicit. In illo loco ad excidium templi colligit annos 1950. quos ſi dempſeris ab 3513. reſidui remanebunt 1563, pro intervallo inter originem mundi & Cataclyſmum Noë, ubi ſeptennium plus juſto dicitur. Non nego numeros Joſephi eſſe vitiatos multis locis, ſed dico in illa vitiatione emicare & manifeſtam eſſe conſonantiam conſtantiſſimam cum Hebraico codice, quem nunc habemus, in omni illo tempore, quod inter originem mundi & exitum ex Ægypto elapſum eſt. Eruditiſſimus & immortalis memoriæ vir, Gerardus Voſſius Iſacii Pater, cum Eccleſia & Hebræis ſentit. *Noſtra hac ſententia eſt*, ait, *nondum annis quater millenis à natali mundi abeſſe natalem Chriſti: atque in eo etiam Scaliger ac Petavius conſentiunt &c.* Exiſtimat quidem Patres & concilia non debere pipulo differri ob illos τῶν ἑβδομήκοντα epilogiſmos. *Sciviſſe multos, quid ſecundum Hebraos codices ſtatui oporteret.* Sed putaſſe *LXX interpretibus in Eccleſia ubique receptis, non eſſe intempeſtivo ſcientia oſtentu turbandos eorum animos, qui Hebraice neſcirent, vel ad tempora non ſatis attenderent*, Hæc ille. καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ.

FINIS PRIMÆ MUNDI ÆTATIS.

INDEX

INDEX.

In hunc tractatum de prima ætate.

Explicantur hiſtoricè & literaliter integra capita Geneſeos IV. V. VI. VII. VIII. Caput quartum incipit explicari pag. *6. quintum* pag. *39. inde uſque ad* pag. *65. caput ſextum* pag. *73. caput ſeptimum* pag. *106. caput octavum* pag. *126. ad 143.*

Generationes decem.

Adam	pag.	7.
Seth.	pag.	34.
Enos.		38.
Cainan		39.
Malaleel		39.
Jared		39.
Henoch		39.
Mathuſale		43.
Lamech		44.
Noë		44.
Sem		46.

Res præcipuæ.

Politia primæ ætatis pag. *6.*
Lingua Adamo & Evæ infuſa pag. *6, 7.*
Cain & Abel diverſ. vitæ genera 8. 9.
Matrimonia ſororum habuerunt 10.
Multiplicatio hominum, cum Cain parricidium committeret pag. *12.*
Oblatio Abel & Cain. 13. 14. 15. 16.
Acceptatur Abeli hoſtia, fratris rejicitur 17. 18.
Cain fratrem interimit 20.
Mulctatur exilio 22.
Hiſtoria exilii Cain 27. & ſeqq.
De ejus poſteritate, ibidem.
Sethi nativitas & vita 34. & ſeqq.
Enoſi ætas. 38.
Henochi tranſlatio in paradiſum 40. & ſeqq.
De cauſis longævitatis patriarcharum 48.
De columnis Sethidarum 57.
De Ioſephi anno magno. 59.

Diffe-

INDEX.

Differentia annorum in patriarchis ante diluvium juxta Hebr. verit. Samarit. LXX. 61.
Anne filii Dei apud Moſes fuerint angeli? 75.
De fabulis in libro Enoch. 83.
De annis pœnitentiæ & prædicatione Noë. 93.
De fabrica arcæ. 96.
De capacitate & ordinatione arcæ. 100.
De fide & obſequio fidei Noë. 104.
De ingreſſu in arcam queque in ea ſint conſervata. 106.
De naturalibus cauſis diluvii. 111.
De ſtatura hominum, qui prima ætate fuerunt. 114.
Ephemerides diluvii. 126.
Quam profundè arca aquam preſſerit. 134.
Dimiſſio avium. 137.
De ramo vel fronde oleæ. 140.
Egreſſus ex arca 143.
Anni primæ ætatis. 144.
Allegorumena arcæ & diluvii. 145.
Diſſertatio de duplici terra contra Gonzages de Salas. 150.
De memoria rerum ante diluvium & diluvii apud gentes. 157.
Gentiles non fuiſſe nec mundum tempore immenſo ante conditum Adamum. 165.
Rurſum adverſus Præadamitam ſtatuentem diluvium Noë non fuiſſe univerſale ſed terræ Iudæorum. 168.
Hebræorum codicum lectio in annis patriarcharum ante diluvium defenſa contra Iſacium Voßium. 174.

FINIS.

BIBLIOTHECA
Hiſtoriæ Sacræ,
DE
SECUNDA MUNDI
ÆTATE.

Sulpicii Severi Sacræ Hiſtoriæ
LIB. I. CAP. IV.

A*C primum Noë aram Domino ſtatuit, hoſtiaſque ex volucribus immolavit. Mox à Domino cum filiis benedicitur: præceptumque accepit ne ſanguine veſceretur, aut ſanguinem hominum effunderet: quia mundi primordia mandati iſtius liber Cain maculaverat. Igitur vacuo tum ſeculo ex filiis Noë, Sem fuit. Tres enim habuit, Sem, Cham, Iapheth. Sed Cham quod ſopitum vino patrem riſerat, maledictum à patre meruit. Hujus filius Chus nomine Nebrod gigantem genuit: à quo Babylon civitas conſtructa traditur. Pleraque etiam oppida ea tempeſtate condita memorantur, quæ nominatim perſequi animus non fuit. Sed cum multiplicaretur humanum genus, diverſaque loca atque inſulas mortales haberent, una tantum omnes lingua utebantur: donec ſe in unum, diſpergenda per totum orbem multitudo contraxit. His more humani ingenii conſilium fuit, inſigni aliquo opere famam quærere, priuſquam à ſe invicem diducerentur. Ita turrim facere aggreſſi, quæ cælo accederet, nutu Dei, ut officia operantium præpedirentur, inaſſueto ſermonis genere, multa diverſo, neque ulli invicem intellecto linguarum ritu loquebantur: quò promptius diſperſi ſunt, cum alter alterum velut alienigenam facilè relinquebat. Sed filiis Noë ita diviſus orbis fuit, ut Sem intra orientem, Iapheth occidentem, Cham mediis contineretur. Ita uſque Abram ducta ſucceſſio nihil ſane inſigne aut memorabile in ſe habuit. Abram autem patre Thara natus eſt poſt diluvium anno milleſimo & ſeptuageſimo.*

DRUSIUS.

ARam] altare, θυσιαστήριον. Gen. 8. 20.

Hoſtiaſque immolavit] holocauſtaque obtulit, quæ & holocautomata dicuntur. Erant autem integra hoſtiarum corpora, quæ tota comburebantur: unde nomen acceperunt. Invenitur & holocarpoſis hoc ſenſu.

Ex volucribus] ex omnibus avibus mundis. Omiſit pecudes mundas: quare neſcio. Nam in LXX. ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν τῶν καθαρῶν. quod reddunt, *ab omnibus pecoribus mundis.*

Mox à Domino benedicitur] paulo poſt aut deinde Dominus ei filiiſque benedixit. Fons hujus benedictionis eſt favor divinus, effectus autem rerum omnium proſperitas ac felix ſucceſſus, ſed in primis propagatio generis. Ideo ſequitur in Moſe, *Fœtificate* &c.

Ne ſanguine veſceretur] Moſes Ægyptius, in libro perplexorum, quem more Nebochim appellat, ſcribit Chaldæos averſari ſanguinem, eumque habere pro re immunda. *Magi tamen*, inquit, *eum edebant cum aut dæmonibus conjungerentur, aut ex illis futura prædicerent*. Sed quare prohibuit Deus veſci ſanguine? An quia Magi eo veſcebantur? aut quia ſanguinis curſu ut ait Seneca, vitalis continetur calor? Scire licet in fontibus eſſe. Gen. 9. 4. carnem in anima ejus, in ſanguine ejus non comedetis. Quod explicant cum anima h. e. cum ſanguine: vel certe cum anima, quæ eſt ſanguis ejus. Per animam autem intelligunt vitam, quæ in ſanguine per operationem & virtutem. Nam anima ſine ſanguine impos eſt actionum vitalium. Quin ſanguine omni effuſo vita hominis exſtinguitur. Sic dico, ſanguis eſt in anima ut in inſtrumento proprio ipſius. Cum enim ſint duplices motus in animante: quidam dicuntur eſſe corporis, ut ambulare; quidam animi per ſe, ut iraſci, gaudere, timere, erubeſcere. Horum eſt ſanguis cum ſpiritu fluens inſtrumentum proprium. Pſ. 30. 10. *Quæ utilitas in* ſanguine meo? Ad hæc verba R. David, in *ſanguine meo*, *hoc eſt*, inquit, *in anima mea*. *Nam ſanguis eſt anima*, *hoc eſt vita*, *qua vivimus*. Sic eſt profectò: ſanguis metonymice pro anima, id eſt, vita ſumitur: ex quo Virgilius: *Purpuream vomit ille animam*. Quod ab Euripide ſumpſit, qui animam dicebat eſſe ſanguinem. Cicero in 1. Tuſcul. Empedocles animum eſſe cenſet cordi circumfuſum ſanguinem. Ejus verba, quibus hoc ſignificat, habentur in Etymologico:

Αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα.

Hinc lucem accipit locus, qui habetur. Levit. 17. 14. *Quoniam anima omnis carnis ſanguis ejus in anima ejus eſt: Et dixi filiis Iſraël, ſanguinem omnis carnis non comedetis, quia anima omnis carnis ſanguis ejus eſt.* Hoc eſt ſanguine retinetur in corpore, ut ſanguis ſit ejus quaſi vehiculum & retinaculum. Nam vigente ſanguine viget animalium vita & eo deficiente deficit. Anima ergo ſanguis eſſe dicitur, quia exſtincto ſanguine anima, qua vivimus, ſimul una exſtinguitur.

Aut ſanguinem hominum effunderet] Aut homicidium committeret vel cædem patraret. Lex hæc habetur Gen. 9. 6. ſanguinem autem effundere dicitur, non ſolum qui ferro hominem occidit, ſed etiam qui veneno eum è medio tollit, aut quovis alio modo interficit.

Mandati iſtius liber] Nam lex nulla quæ cædem prohiberet, tum exſtabat.

Primordia] origines, exordia, principia.

Ex filiis Noë Sem fuit] Hunc Noë genuit anno Mundi 1658. cum ageret annum alterum ſupra quingenteſimum, qui fuit ante diluvium annus 98. Biennio poſt diluvium genuit Arphaxad anno ætatis 500. Creditur obiiſſe anno decimo poſt connubium Iſahaci, cum expleſſet annum ſexcenteſimum. Nomen hoc Græcè declinatur Σῆμος: quod obvium in Athenæo lib. 3. & eſt ibi nomen autoris cujuſdam, pag. 109. edit. Lugd.

Tres enim habuit, Sem, Cham, Japheth] opinio quorundam eſt maximum natu fuiſſe Japheth, minimum autem Cham & inter hos medium Sem: qui tamen Gen. 5. 32. & 10. 1. primo loco recenſetur. Reſpondent hoc fieri propter dignitatem eorum, qui ab ipſo deſcenderunt. Hæc opinio firmatur tribus locis Scripturæ. Primus eſt Gen. 10. 21. Qui tamen aliquid ambiguitatis habet. Quippe tam poteſt reddi, *fratre Iapheth majore;* quam *fratre Iaphet majoris*

joris id eſt maximi natu. Alter eſt Gen. 9. 24. & cognovit, quæ ſibi feciſſet filius minor, ſive minimus natû. Nam loquitur de Cham. Sed potius eſt ut ſermo ſit de Chanaan, in quem maledictio ſtricta. Tertius eſt Gen. 11. 10. *Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad, biennium poſt diluvio.* Ecce ait Sem biennio poſt diluvium egiſſe annum 100. Noë autem cœpit gignere anno ætatis 500. Igitur non Sem maximns natu ſed Japheth. Nam Cham minimus erat ut diximus. Audiamus nunc Salmanticenſem Judæum, hac de re. In libro Jochaſin ait, *Noë agebat annum quingenteſimum, cum gigneret Sem, Cham & Iapheth. Vixit autem annos 950. ſepultuſque eſt anno mundi ſexto & bis milleſimo. Iapheth maximus natu genitus fuit anno mundi 1556. Cham ſecundo genitus natus fuit anno 1557. Sem tertius filiorum Noë natus fuit anno mundi 1558. Nam legimus Sem erat filius centum annorum & genuit Arphaxad biennio poſt diluvium. Textus autem eum præponit propter juſtitiam & æſtimationem: tum etiam, quia natus eſt circumciſus, & quia exiit ex eo Abraham.* Hucuſque Salmanticenſis.

Cham] vel Ham. Nam eſt Heth in ſcriptura Ebraica. Hieronymus, *Septuaginta pro Ham, χαμ ſcribunt, exprimentes duplicem aſpirationem literæ Heth per χι: à quo & Ægyptus uſque hodie Ægyptiorum lingua Ham dicitur.* Communiter Ægyptus vocatur Meſraim, à filio Chami, qui Meſraim nominatur. Dicitur etiam terra Cham ſive Ham. Pſal. 106. 22.

Japheth] qui Græcis Japetus in quo aſpiratæ attenuantur. Sic ex Joſeph iidem fecerunt Ἰώσηπος.

Quod ſopitum vino patrem riſerit] hoc non habetur diſerte in textu ſacro. Tamen ex iis, quæ ibi habentur, doctores colligunt eum deriſiſſe patrem. Chryſoſtomus, *Animadverte quomodo intus in domo, viſa patris turpitudine, quod debebat obtegere, egreſſus evulgavit, & riſui ac ſubſannationi, quantum in ipſo erat, expoſuit, fratreſque pravæ ſuæ voluntatis ſocios fieri voluit, cum deberet, ſi omnino proditurus erat, illos intra domum vocare & ſic nuditatem effari.* Idem. *Fortaſſe autem & irriſit & ſubſannavit patrem, turpitudinem illius nuncupando.* Quidam exiſtimant non ipſum riſiſſe, ſed filium ejus Chanaan. Qua de re traditio fuit apud veteres, cujus meminit doctiſſimus Theodoritus in Geneſin, ſcribens, quæſt. 57. ἔφερεν δὲ ὁ Ἑβραῖος ὁ ταῦτα εἰπὼν καὶ παράδοσιν τοιαύτην ἐπενεγκὼν ἀπόδειξιν τῇ παραδόσει. ὡς ἄρα ὁ Χαναὰν πρῶτος εἶδεν τὴν ἀσχημοσύνην τοῦ πάππου, καὶ ἀπήγγειλεν αὐτὸ τῷ πατρὶ μόνῳ καταμωκώμενος ὥσπερ τοῦ γέροντος. R. Salomo, *Sunt ex doctoribus noſtris, qui dicunt Chanaan primum vidiſſe patrique ſuo indicaſſe.* Abenezra, *Cham vidit, nec texit patrem. Quod cum audiſſet Chanaan fecit aliquid, quod in hiſtoria reticetur. Nam de illo capiendum, quæ feciſſet ſibi, &c.*

Sopitum vino] nam vite ſata, cum ex ea vinum bibiſſet & inebriatus fuiſſet, in tabernaculo ſuo dormiens virilitatem nudatam habuit. Ejus natura viſa Chamus ad fratres retulit: vel certè Chanaan vidit, patrique nuntiavit, qui deinde fratribus ſuis id indicavit. Ut ut ſit non temerè ita maledictum fuit, *maledictus Chanaan ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.* Ceterum non aſſentior iis, qui ex hoc loco colligunt vitis primum repertorem fuiſſe Noäm. Quin fabulam eſſe reor quam hoc loco in Chronico ſuo refert Joh. Nauclerus, videlicet hircum quendam, cum eum in Coricum Ciliciæ montem emiſiſſet, inventas labruſcas guſtaſſe, ex eoque ebrium factum reliqua animantia cornibus petiiſſe. Quo animadverſo Noäm conjectantem quod erat vino vim aliquam ſingularem ineſſe labruſcam ſanguine leonis, porci, agni ſimiæque inſeruiſſe, ex eoque vitem enatam: unde poſtea vinum expreſſerit, quo guſtato inebriatus ſit, ut Scriptura teſtatur.

Maledictum à patre meruit] in filio Chanaan. Quidam cenſent ipſum filio male-

maledixiſſe, quod pater ante à Deo benedictus fuiſſet. Sic enim certe legimus, Gen. 9. 1. *Benedixit Nocho & Filiis ejus.*

Chus] pater Æthiopum, qui Chuſæi nuncupantur, id iſt χουσαῖοι: quorum regio Arabia. Thargum Jonathæ, *Filii Cham, Chus & Meſraim: nomina vero regionum quas inhabitarunt Arabia & Ægyptus.* Non me fugit aliam Æthiopiam eſſe ſupra Ægyptum, quæ Ptolemæo dicitur αἰθιοπία ἡ ὑπὸ Αἰγύπτου. Hæc hodie continet regnum Abyſſinorum, quod Benjamin Tudelenſis Habas & Alhabas appellat. i. e. חבש.

Nebrod] τὸν Νεβρὼδ Gen. 10. 8. in LXX. licet in fonte ſit Nimrod, quod antiqui legebant Nemrod & Namrod: unde in Joſepho Ναβρὼδ, Dubito ſitne mendum ex antiquo charactere Græco, quale in σιναχερεὶμ & ſimilibus? An culpa manus aberrantis ſcriptum Nebrod pro Nembrod, cui ſimile Mambres in antiquitate.

Gigantem] ſic eum appellat quoque Ambroſius, *Chus Nemrod gigantem genuit, qui fuit venator coram Domino.* Sed & Auguſtinus de civit. Dei lib. 16. cap. 4. & cap. 3. Opinio hæc manavit ex verbis Gen. 10. 8. ἤρξατο εἶναι γίγας ἐπὶ τῆς γῆς: ubi tamen γίγας non ſignificat gigantem. Quid igitur? putarim vertendum, *cœpit eſſe potens in terra.* certum n. eſt antea gigantes fuiſſe. Lexicon Heſychii. γίγας, δυνάστης, ἰσχυρός: potens, robuſtus. Aliter paulo Chryſoſtomus, γίγας, τυτέστι τύραννος. Minus hoc ſe probat mihi. Nam in fonte גבור potens. Scire licet in Chaldaiſmo gigantes גִּבָּרִים dici, cujus prima origo גבור. Non eſt dubitandum, quin LXX. eo reſpexerint. Sic γίγας κυνηγός, potens venator. Quis non animadvertit γίγας hic adjectivum eſſe? non ergo magis gigantem ſignificat, quam גבור, quod robuſtum ac potentem interpretantur.

A quo Babylon civitas conſtructa traditur] Auguſtinus loco citato, *Babylon quippe interpretatur confuſio. Vnde colligitur gigantem illum Nemrod fuiſſe, illius conditorem, quod ſuperius breviter fuerat intimatum.* Quidam Babylonis conditorem Ninum faciunt, quem cum Nemrodo confundunt. Sed repugnant tempora. Vixit n. certè, Ninus diu poſt Nemrodem. Johannes Sareſberienſis de nugis curialium lib. 8. cap. 20. *Primum ergo tyrannum nobis objecit divina pagina Nenrod robuſtum contra Dominum* (ſic interpretatur cum Auguſtino ἐναντίον κυρίου, quod alii melius reddunt, *coram Domino*) *venatorem, quem & Ninum dici nonnullæ teſtantur hiſtoriæ, etſi ratio temporis non acquieſcat.* Forte conditam à Nemrodo Ninus poſtea reparavit. Oroſius lib. 2. cap. 7. *Babyloniam à Nemrod gigante fundatam, à Nino vel Semiramide reparatam multi prodidere.* Moſi verba unde id colligunt, habentur Gen. 10. 10. *Fuitque principium regni ejus Babel, Orech, &c.* id eſt, urbes regni ſive Imperii ejus præcipuæ. Loquitur autem de Nemrode.

Babylon civitas] nam turris erat hoc nomine, & regio quoque, Turris propriè Babel vocatur, urbs Babylon & regio Babylonia. Sed confundi ſcias. Nam & urbs quandoque Babilonia dicitur, & ipſa turris Babylon. A turri ut credo, civitas appellata. Aut ſimul nomen acceperunt à confuſione linguarum. Babel, quaſi Balbel, id eſt, σύγχυσις confuſio, ἀπὸ τοῦ בָּלַל confundo. Hiſtoria nota eſt.

Conſtructa] anno diluvii 101. aut ut Græci putant 531. quo tempore & linguarum confuſio facta eſt, & diſperſio mortalium accidit per orbem terrarum.

Pleraque etiam oppida ea tempeſtate condita memorantur] in queis Arach ſive Orech, Achad & Chalanne: item Ninive, Rohoboth civitas, Chale & Re-

& Reſen, quæ nominatim recenſentur. Gen. 10: 10. & 11.

Ita turrim facere aggreſſi] id geſtum anno Eberi trigeſimo quarto, qui fuit natalis Phalegi: unde & nomen accepit.

Turrim] & urbem Gen. 11. 4. Utriuſque meminit Hieronymus in libro locorum poſt hæc verba. *Babylon metropolis Chaldæorum, ubi eorum, qui ædificabant turrim, linguæ diviſæ ſunt: à quo & regio circumpoſita Babylonia vocatur. Hanc fuiſſe potentiſſimam ut in campeſtribus per quadrum ſitam, ab angulo uſque ad angulum muri ſedecim millia, paſſuum tenuiſſe, hoc eſt ſimul per circuitum ſexaginta quatuor millia, refert Herodotus & multi alii, qui græcas hiſtorias conſcripſerunt. Arx autem id eſt, capitolium illius urbis, eſt turris, quæ poſt diluvium ædificata quatuor millia paſſuum tenere dicitur: cujus poſt ruinam muri tantum fictiles remanſiſſe, & ob beſtias, quæ illic abundant, captandas recuperati eſſe traduntur.* Meminit hujus turris & Sybilla; Vide ſis Joſephum, Euſeb. & alios.

Unâ tantum omnes linguâ utebantur] lingua ſancta. R. Salomo, Abenmelech, alii: in qua conditus fuit mundus. Jonathan, autor Jeroſolymitanæ. His aſſentiuntur omnes patres, imo univerſa antiquitas. Hiero. epiſt. 142. *Initium oris & communis eloquii, & hoc omne, quod loquimur. Ebræam eſſe linguam, qua vetus teſtamentum ſcriptum eſt. univerſa tradidit antiquitas* Cui firmando ſunt nomina propria Heva, Cain, Seth, Noë, Phaleg, Babel: & appellativa אדם homo, איש vir, אשה vira & alia, quæ alias commemorabo. Vide Auguſt. de civit. Dei lib. 16. cap. 11.

Velut alienigenam] imo velut Barbarum. Nam Barbarus, qui non intelligitur. Sic latini Græcis olim Barbari erant, Unde *lingua Barbara*, id eſt, latina, & *Marcus vortit Barbarè*, id eſt, latinè. Hinc etiam Ovidius cecinit,

Barbarus hic ego ſum, quia non intelligor ulli.

Sed filiis Noë ita diviſus orbis fuit] caſu hoc accidit, non deliberato. Nam cum alius alium non intelligeret, qui potuiſſent de orbis diviſione inter ſe deliberare? Verba Joſephi hac de re clara & perſpicua; *Quocumque ſors & Deus tulit, eam terram cum ſuis occupavit, ut tam maritima, quam mediterranea cultoribus replerentur. Nec defuerunt, qui conſcenſis navibus ad inſulas habitandas trajicerent.*

Ita ut Sem intra orientem, &c.] Alcuinus, *Sem, ut æſtimant, Aſiam, Cham Africam, Iapheth Europam ſortitus eſt.*

Orientem] Aſiam. Hiero. quæſt. in Gen. *Filii Sem ab Euphrate fluvio uſque ad indicum oceanum teneat.*

Occidentem] Europam & Aſiæ partem quæ vergit ad occidentem. Hiero, ibid. *Iapheth filio Noë nati ſunt ſeptem filii, qui poſſederunt terram in Aſia ab Amano Tauroque Syriæ cæles & Ciliciæ montibus, uſque ad fluvium Tanaim: in Europa verò uſque ad Gadira, nomina locis & gentibus relinquentis, è quibus poſtea immutata poſt plurima, cetera permanent ut fuerunt.*

Cham mediis contineretur] mediis regionibus inter orientem & occidentem, ut ſunt Arabia, Syria, Ægyptus, totaque adeo Africa, quæ Auſtrum reſpicit: quam & Lybiam appellant. Sed Lybiæ nomen hodie anguſtius. Hieronymus quæſt. in Geneſin. *Quare autem in una climatis parte antiquum Lybiæ nomen reſederit, & reliqua terra vocata ſit Africa, diſſerere non hujus loci nec temporis eſt.*

Uſque Abram] uſque ad Abram, edit. Paris.

Abram] ſic emendavimus. prius erat in omnibus libris, quos vidi, *Abraham.* Egone ut credam Severum ita ſcripſiſſe? nunquam factum. Scripſit n. certè initio Abram: poſtea cum additione unius literæ nomen immutatum eſ-

ſet, Abraam, videlicet ex Græco ἀβραάμ. Græci n. dictiones in medio raro adſpirant.

Patre Thara natus] natus fuit anno Thare 70. an. 130? Prius habetur Gen. 11. 26. poſterius colligitur ex narratione Stephani protomartyris Act. 7. Nam Thare mortuus eſt apud Carras poſtquam vixiſſet annos quinque ſupra ducentos. Gen. 11. 32. Poſt ejus obitum Abram inde diſceſſit, Act. 7. 4. Diſceſſit autem annos natus ſeptuaginta quinque. Diſerte Moſes, *ſeptuaginta quinque annorum erat Abram cum egrederetur ex Haran.* Gen. 12. 4. Deme hos 75. annos ex annis Thare, ſuperſunt 130. Res eſt, non conjectura: nihil tamen audeo ſtatuere. Nam in narratione illa quædam habentur, quæ cum hiſtoria Geneſeωs non uſque-quaque conveniunt: imo ſi libere licet, quibus jure merito contradici poteſt. Quod cum lapſu memoriæ vel culpa librariorum acciderit, calumniâ carere debet.

Anno milleſimo & ſeptuageſimo] omiſit duos annos Semi, quos vixit poſt diluvium antequam Arphaxad procrearet, ut ſit, *anno milleſimo & ſeptuageſimo ſecundo.* Nam ea ſumma eſt annorum ſecundum Græcos. Dico ſecundum LXX. interpretes, quos Græci chronologi ſequuntur. Nam Ebræi pauciores annos numerant, videlicet 292. tantum. Quod ex hac tabella perſpicuum fiet.

Sem anno poſt diluvium altero, ſive ſecundo, genuit Arphaxad	2
Arphaxad Sale an. ætatis	35
Sale Eber,	30
Eber Phaleg,	34
Phaleg Reu,	30
Reu Sarug,	32
Sarug Nachor ſive Nahor,	30
Nahor Thare,	29
Thare Abram,	70
Summa,	292

Aut ſequendo eos, qui genitum Abram contendunt anno Thare centeſimo trigeſimo. 352

Quod autem Sigonius putat annos 353. error eſt manifeſtus in Phaleg, cui tribuit annos triginta & unum. Vide Gen. 11. 18.

Series annorum ſecundum Græcos.

Sem genuit Arphaxad poſt diluvium an.	2
Arphaxad Cainan an. ætat.	135
Cainan Sale,	130
Sale Eber,	130
Eber Phaleg,	134
Phaleg Reu,	130
Reu Serug vel Sarug,	132
Sarug Nachor,	130
Nachor Thare,	79

Sic editio, quæ ad exemplar Venetum edita, Baſileæ in octavo folium complicat.

Romana & Complutenſis habent	179
Thare Abram.	70

Summa 1072. de quibus Auguſtinus de civit. Dei lib. 16. cap. 10. cæterum Iſidorus omiſſo Cainan, qui in fonte Hebræo non habetur, ſupputat annos 942. Epiphanius 1040. Nicephorus vero 1082.

C. SCHO-

C. SCHOTANUS.

Gen. VIII. 14.

HAnc ætatem deſcribit Moſes Gen. cap. VIII. à v. 14. ad finem, tum integris capitibus IX. X. XI. Annos complectitur 367. ab exitu ex arca uſque ad vocationem Abrahami. Narrantur illic poſt egreſſum eventa in proximo tempore ab egreſſu ex arca à v. 14. cap. VIII. uſque ad finem cap. IX. Tum multiplicatio humani generis & propagatio per filios Noë cap. X. Diſperſio hominum per orbem terrarum. cap. XI. 1-------9. Genus Abrahami à v. 10. ad finem capitis XI. Egreſſus ex Arca Gen. 8.14----19. narratur. Egreſſio, inquam, ex arca v. 14, 15, 16, 17, 18, 19. Non egreditur Noë niſi accepto Dei juſſu. Calvinus: *Etſi non parum expaveſactus erat Noë Dei judicio, laudatur tamen hac in parte ejus tolerantia, quod terram habens ante oculos, quæ domicilium offerret, non audet tamen exire. Nimiæ timiditati atque etiam ignaviæ hoc tribuerent profani homines, ſed ſancta eſt timiditas, quæ ex fidei obedientia naſcitur. Sciamus ergò ſancta modeſtia retentum eſſe Noë, ne ſibi frui permitteret naturæ beneficio, donec præeuntem haberet Dei vocem. Paucis quidem verbis hoc perſtringit Moſes ſed ad rem ipſam attendere convenit. Sponte autem hoc in mentem omnibus venire debet, quantæ virtutis fuerit, poſt incredibile unius anni tædium, ubi diluvium ceſſavit, non tamen ex ſepulchro pedem movere ſine mandato Dei. Ita videmus continuo fidei tenore obſecutum eſſe Deo ſanctum hominem quia Deo jubente ingreſſus erat arcam, illic continetur donec exitum Deus pateſaciat: & in ſuo fœtore jacere mavult quam liberum ſpiritum colligere donec migrationem ſuam ſentiat placere Deo ----- Hoc ſenſu refert Moſes Noë egreſſum eſſe ex arca, poſtquam cæleſti oraculo fretus, cognovit novam ſibi habitationem in terra dari.* Hactenus Calvinus. Noë mandato Dei accepto egreditur cum uxore, filiis & nuribus. Liber Thanchuma fuſè diſputat de hac materia & comparat hanc Noë egreſſionem qua noluit egredi ex arca ante Dei juſſum cum liberatione trium puerorum è fornace Babylonica. Nam hi intra furnum manſere donec voce regis evocarentur. R. Levi Gerſomides: וגם לא התעורר לצאת מהתיבה אף על פי שכבר ראה שיבשה הארץ ועד שיצוהו השי' יתב' והיה כל מה שעשה עשה בדבר השי' ית' Beſtiæ motæ occulto inſtinctu in liberum aërem, quem hactenus non appetierant, ſe proripuerunt. Nullam tamen ἀταξίαν in iſto exitu fuiſſe certum eſt, quia in extremo non potuit deficere Dei manus, quæ hucuſque ſuſtinuerat. Ex illis paribus animalium procreatæ iſtæ ſpecies animalium. Nihil poſſe naturaliter exiſtere ſpecierum natarum ex ſpecie ſua ſine ſpecie ſua, ex hiſtoria diluvii docet R. Levi Ben Gerſom: at Abenſina putat quod מעירוב היסודות *è mixtura elementorum* renovari potuerit באורך זמן longi temporis lapſu, terræ facies & plenitudo. Judæi ſubtiliter comparant ingreſſus verba cum verbis egreſſus. Verba ingreſſus Gen. VII. 7. *Et ingreſſus eſt Noë & filii ejus & uxor ejus & uxores filiorum ejus cum eis in arcam v 13. In articulo diei illius ingreſſus eſt Noë & Sem & Cham & Iapheth filii ejus: & uxor ejus & uxores filiorum ejus cum eis.* Verba de egreſſu: v. 16. *Egredere de arca tu & uxor tua, filii tui & uxores filiorum tuorum.* v. 18. *Egreſſus eſt ergo Noë & filii ejus: uxor illius & uxores filiorum ejus cum eo.* Qui de ingreſſu loquitur textus diſtinctim de viris & mulieribus, de egreſſu autẽ conjunctim: hinc putant prolificationi non eſſe operam navatam in arca. Verũ eſt de mandato egreſſus quod conjungantur uxores ſuis maritis, at in ipſius facti narratione diſtinguuntur mares à mulieribus. Ut in ingreſſus explicatione. Raſchi: איש ואשתו כאן התיר להם תשמיש למטה *Virum & uxorem ejus hic, dimiſit ipſis miniſterium lecti.* Abeneſdras: ויש אומרים שהולידו בתבה. *Sunt qui dicunt quod genuerint in arca*, nempe bruta.

bruta. Autor כלי יקר diſputat ideo in ingreſſu mares dici ſeorſum, לבד & feminas ſeorſim quia non eſſent τεκνοποιΐᾳ daturi operam in arca: aut innui feſtinationem, quia illis ſolis vita & ſeminium eſſent futura. Si dediſſent procreationi operam, arcam non fore capacem, quæ eſſet facta non niſi בשעור בכל הנכנסים *ad æſtimationem omnium ingredientium.* Quod autem in executione mandati ſeorſim mares & feminæ proponantur, id ex eo factum eſſe quod Noë timuerit ſoboli procreandæ incumbere, ne ex hominum multiplicatione peccatorum iterum orta diluvio alteri cauſam daret. Ideo quamvis conceſſionem habuerit, *Creſcite & multiplicamini*, tamen abſtinuiſſe donec Deus promiſſum ſtabiliret de non inducendo iterum diluvio. Dici poſſe ex hujus textus ſimplicibus verbis: Quod in arca ne quidem concubitus cum uxore una fuerit conceſſus, in egreſſu autem conceſſus cum uxore ſola & una, וביציאה לא התיר לועדיין התשמיש כי אם היחוד לבד. Monogamiam igitur conceſſit Deus & miſtionem ſingularem, quam & ſibi interdixerit Noë, donec haberet Dei promiſſionem de non futuro iterum aquarum cataclyſmo. Probant etiam animalia & hominem non coiiſſe in arca, quia benedictio juncta mandato egrediendi, dicat, *Creſcite & multiplicamini ſuper terra.* Quaſi interdictum fuerit & prohibitum in arca. Credibile eſt triſtitiam & imaginem horribilis judicii Dei continuiſſe animos longo tempore aut univerſo ut non laxarentur lætitiæ & voluptatibus corpora. Quemadmodum dicit author Thanchuma, Noë perpetuo oraſſe: הוציא נפשי ממסגר, *Libera animam meam è carcere.* Sed illud ad bruta nequit extendi.

Soteria immolata à Noë.

AC Primum Noe Aram Domino Statuit] R. Levi Ben Gerſom de hoc ſacrificio ita diſſerit: *Dignum eſt ut inquiramus hic in materiam oblationum, quas obtulit Noë & conemur ſolvere dubium, quod in ea occurrit: quod non eſt exiguum: & hoc quod olim explanavit Rab More: Nempe quod materia ſacrificiorum ſeu oblationum, de quibus præcepta habemus in lege, non ſit intenta per ſe ſed juxta intentionem ſecundam, ut eos transferret ab eo quod aſſuefactæ erant generationes illæ facere ſicut illi cultus ad idololatriam. Et in hoc dicit,* (Jerem. 7. 22.) *Non locutus ſum cum patribus veſtris & non præcepi illis de holocauſto & ſacrificio. At ſi ita res iſta ſe habet cur ſuſcitarunt prophetæ ad ædificandum altare & offerendum in eo holocauſta, ſicut invenimus hanc rem de Noë. Et ſic invenimus de Abraham in multis locis: ſic de Iſaac, Iacob & Moſe. Invenimus etiam ſic de Balaam, cum vellet ut adveniret ad ipſum prophetia, præcepit ſtrui ſeptem aras & diſponi in illis ſeptem juvencos & ſeptem arietes. Magis mirandum eſt quod Rabbini noſtri conſentiant; quod aræ omnes, quas fecerunt primi, fuerint in monte Moria in loco, in quo domus ſanctuarii ædificata eſt. Et ſi dicamus, quod iſtud intentum ſit juxta intentionem ſecundam, magis conveniens ut præciperent ad eam prophetæ ſequentibus poſt eos, ut facerent illos cultus Deo Benedicto aut ut adducerent filios hominum ad faciendum illos cultus Deo Benedicto. Dicamus, quod ſic videtur, quod de materia oblationum pars intenta ſit juxta intentionem ſecundam & in illis etiam hoc, pars intenta per ſe. At quid quod eſt intentum in illis juxta intentionem ſecundam? Tales multæ oblationum de quibus præceptum eſt Iſraëli: Quid quod intentum eſt in illis ſuper intentione prima? Vt mihi videtur, ſunt quædam holocauſta, quæ ſunt inſtrumenta obtingentiæ prophetiæ ſicuti exponemus* בעה״ו *in iſto loco & in libro Levitici. Ideò dixit Balaam Balaco* (Num. 23. 2. 3.) *cum conſtituiſſet altaria & adoleviſſet juvencum & arietem in altari, conſiſte hic juxta tua holocauſta & ibo, fortaſſe Dominus mihi occurret. Et ideo invenies in multis locorum, ubi mentio fit ædificationis aræ, obtingentiam prophetiæ*, ſicut res de qua hic *mentio ſit, à*

ſit, à Noë: Et ſic invenies de Abraham: (Gen. 12. 7.) *Et viſus eſt Deus ad Abram &c. Et ædificavit illic aram: Et dixit ad Abram* (Gen. 13. 14. 18.) *cum Lot eſſet ſeparatus ab illo* &c. *Et finis rei, Et ædificavit illic Abram aram. Et poſthæc invenies* (Gen. 22. 15.) Et vocavit eum Angelus Domini è cœlo. *Et ſic invenies de Iſaac* (Gen. 26. 24, 25.) *Et apparuit illi Dominus in nocte illa* &c. *Et ſtruxit illic aram. Et ſic invenies de Iacob* (Gen. 35. 7.) *Et ædificavit illic aram & vocavit locum illum Beth-el, quia illic revelatus erat illi Deus: Et poſthæc dicit* (v. 9.) *Et viſus eſt Deus Iacobo. Et ecce declaratur, quod materia oblationum ſit ingreſſus ad obtingentiam prophetiæ ex eo, quod dico: Et eſt quod olim declaratur in ſecundo de bellis Domini, In Negotio prophetiæ neceſſariam eſſe ſeparationem inter intellectum & reliquas facultates animæ, eoque non perfici niſi ceſſent reliquæ facultates à ſuis operationibus. Propterea neceſſe eſt prophetæ, quando vult prophetare ut excitet facultatem intellectivam & capiat reliquas facultates. Ob hoc invenies de prophetis, quod fecerint actiones ut obveniret ipſis prophetia, ſecundum orationem Eliſa: nunc accipite mihi pſalten: factumque eſt cum pſaltes caneret, ut eſſet ſuper eum manus Domini* (2. Reg. 3. 15.) *Et invenies in materia oblationum, quod ipſæ excitent intelligentiam & ſopiant facultates ſenſitivas: Et iſtud quia in immolatione animantis vivi diſſecatur ipſum in ſuas diſſectiones & comburitur igni, eſt depreſſio animæ ſenſicivæ: id quod non eſt abſconditum. Nam facultates ſenſitivæ ſicuti excitantur à ſenſu ſenſibilium renovatorum ipſis, ſic deprimuntur & ſopiuntur à corruptione ſenſibilium, quæ apud eas ſunt. Progreſſio eſt, quod propter iſtud ponet apud animum ſuum, quod corruptio ſit finis omnium harum rerum inferiorum & deprimetur ob id anima bruta ſeu ſenſitiva* הבהמית, *& anxia eric & ſopientur ejus facultates. Et tum excitabitur intellectus quando animadvertet homo in re harum ſectionum & modo ſapientiæ qui eſt in earum formatione, in eo modo quem videt in ipſo. Et quod iſtæ oblationes intentæ fuerint à prophetis in hanc intentionem, fecerunt eas in loco, quo ipſis prophetia obtigerat ut ſibi perpetuarent illic prophetiam, ſicut evidens eſt ex eo, quod diximus de Abraham, Iſaac & Iacob. Et illud in Iacob evidentius eſt, quia ipſe explanavit, quod aram ædificaſſet quia illic ipſi viſus fuiſſet Deus. Sicuti etiam declaratum eſt à Rabbinis noſtris beatæ memoriæ, quod domus ſanctuarii ſit locus magis aptus ad recipiendam facultatem ſublimem, ecce appropriarunt ſermonem ſuum propterea quod aræ, quas ſtruxerunt antiqui Deo Benedicto, fuerint in monte Moria.* Hactenus Ralbag, qui Maimonidis ſententiam de cauſa inſtitutionis ſacrificiorum in parte amplectitur. Maimonides in More Nebochim parte tertia cap. 32. inquirit in cauſas oblationum à Deo inſtitutarum. Dicit igitur quædam à Deo præcipi primo & principaliter, eoque per & propter ſe, עַל עַצְמוֹתוֹ & עַל הַכַּוָּנָה הָרִאשׁוֹנָה, *juxta primam intentionem*; alia עַל הַכַּוָּנָה הַשֵּׁנִית *juxta intentionem ſecundam*, id eſt propter aliud. Nempe, *non licet ſubitò tranſire à contrario uno ad alterum* (*ita diſſerit Maimonis filius:*) *& per conſequens, ſecundum naturam hominis fieri non poteſt, ut momento relinquat id, cui longo temporis ſpatio eſt aſſuetus. Cum ita miſit Deus Moſem doctorem noſtrum, ut nos faceret regale ſacerdotium, gentem ſanctam, primo in cognitione Dei Opt. Max. Sicut dicitur*; oſtenſum tibi eſt ut ſcires &c. Deut. 4. 35. *Item:* Scito ergò hodie & revocato ad cor tuum &c. v. 39. *Deinde in cultu Dei, ſicut dicitur*; Et ad colendum eum ex toto corde veſtro, Deut. 11. 13. *Item:* Et Servietis Domino Deo veſtro. *Item:* Et ipſi ſervietis. *Et uſitata tum in mundo conſuetudo erat, cui omnes aſſueti & cultus univerſalis, in quo omnes erant educati, ut variæ animalium ſpecies, in templis illis, in quibus imagines collocabant, offerrentur, coram illis procumberetur & adoleretur*; *certi inſuper quidam eſſent cultores ſequeſtrati quaſi & ad cultum deſtinati, qui in templis illis, in honorem ſolis & lunæ*

reliquarumque ſtellarum exſtructis, exercebatur, ſicuti oſtendimus: ideò noluit ſapientia & Providentia Dei, quæ in omnibus creaturis lucet, mandare ut cultus illi omnes derelinquantur aut aboleantur. Hujus enim rei cor humanum, quod perpetuò ad id inclinat, cui eſt aſſuetum naturaliter non fuiſſet capax: ac propterea perinde fuiſſet, ac ſi hoc noſtro tempore, propheta aliquis veniret, qui nos ad cultum Dei vocare vellet ac diceret: Deus præcipit vobis, ne oretis, ne jejunetis, ne quæratis ſalutem ejus in die anguſtiæ, ſed ut cultus veſter totus conſiſtat in cogitatione non in opere. Propter hanc itaque cauſam retinuit Deus adhuc cultus eoſque à rebus creatis & phantaſmatis, quæ nullam veritatem habent ad nomen ſuum venerandum tranſtulit & præcipit nobis, ut eos exhibeamus ipſi. Sic putat præceptam eſſe ædificationem templi, aræ, oblationes & thymiamata & adorationem in Dei honorem. Prohibitum eſſe ea facere idolis & diis gentium. Ita inſtitutum eſſe ſacerdotium illis cultibus occupatum. Pergit: *Conſilium autem in hac divina ſapientia fuit, ut memoria idololatriæ deleatur & fundamentum illud magnum de exiſtentia & unitate Dei in gente noſtra confirmetur, nec tamen animi hominum propter cultuum illorum abolitionem, quibus aſſueti erant, obſtupeſcerent vel alios cultus ſcirent.* Hinc ſuæ opinioni tria argumenta opponit & ad ea reſpondet. I. *Quomodo fieri poſſit, ut præcepta & opera tam clarè explicata, certa ſua tempora habentia, non ſint inſtituta propter ſe ſed propter aliud, quaſi ſc. eſſent inventum à Deo excogitatum ad nos ad intentionem primam ducendos?* Reſpondet allato ſimili: ut Deus populum non deduxit, via regia ex Ægypto in Palæſtinam, propter timorem rei alicujus, ſic & hic factum eſſe ob timorem ne ſcilicet ad aſſueta relapſi Deum relinqueret, cum nondum portare poſſent abolitionem. Quemadmodum igitur in illa profectione & circumductione per deſertum, ſecundum os Domini caſtra metati ſunt & profectionem inſtituerunt (Num. 9.) & cuſtodiam Domini cuſtodiverunt ſecundum os Domini, per manum Moſis: *ita hæc quoque legis pars ex ſingulari ibi conſilio provenit, ut remanerent in ſpecie cultus conſueti & tamen exinde diſcerent fidem illam, quæ eſt intentio prima.* II. *Quiſnam impediverit Deum, quo minus nobis præceperit; intentionem ſuam primam?* R. *Poſſet eodem modo ex te quæri & dici, Quiſnam impedivit Deum, quod non duxerit Iſraëlitas per terram Philiſtæorum.* III. Cur non dedit *facultatem intentionem primam accipiendi?* R. Cur non dedit ipſis *virtutem & facultatem belligerandi, ut non opus fuiſſet circuitione illa in columna nubis interdiu & in columna ignis noctu?* Præcepta cultus ex intentione ſecunda diſtinguit in remotiora, ut ſunt oblationum & propinquiora intentioni primæ & neceſſaria ad illam aſſequendum, ut ſunt, Invocatio, Precatio & ſimilia cultus divini genera. Probat Maimonides ſuam ſententiam de cauſa inſtitutionis oblationum, הַקָּרְבָּנוֹת ex Eſai. 1. 11. Jerem. 7. 22. 1. Sam. 15. 22. Ben Gerſom opponit ſententiæ Maimonidis quantum ejus mentem capio. 1. Quod Noë, Abraham, Iſaac, Jacob, Moſe Deo obtulerint & aras diligenter ſtruxerint: de quibus non ſit veroſimile, quod intentionem primam aſſequi non potuerint, robore, quod habebant. Addam, Cain & Abel obtuliſſe, cum nullus alienus Deus in mundo eſſet. 2. Prophetas diligenter excitaſſe populum ad hunc cultum, non inculcantes quod hæc Deo ob intentionem ſecundam offerenda eſſent, & diſtinguendum eſſe inter intentionem primam & ſecundam. 3. Ipſos prophetas Dei alloquium affectaſſe per oblationes, ut Bileam. 4. Rabbinos exiſtimaſſe, quod aræ priſcorum omnes fuerint in monte Moria. Nempe ut loco Deo ſacro, & neutiquam profanato diis gentium. Interim hæret, ob locum Jeremiæ, nimis clarum. Solvit autem dubium diſtinctione? Scilicet alia ſacrificia juxta intentionem primam eſſe inſtituta, alia juxta ſecundam. Primige-

mi generis eſſe ea, quibus quæritur הַגָּעַת הַנְּבוּאָה, *apprehenſio & obtingentia prophetiæ*: ſecundi, pleraque illa quæ Iſraëlitis à Moſe præcepta ſint. Exiſtimat igitur quædam holocautomatum genera valuiſſe ad quærendam prophetiam. Sic Balaam quæſiviſſe occurſum Dei per ſeptem aras inque iis oblationes. Ita Abrahamum, Iſaacum, Jacobum in locis ubi Deus ipſis apparuerat, aras ſtruxiſſe, ut ſpiritum ſeu afflatum illum quaſi figerent & loco alligarent. Et exiſtimaſſe Rabbinos vim ſublimiorem monti Moriæ inſediſſe. Conatur cauſam exponere, cur ex immolatione animalium prophetia quæratur. Nempe in prophetia neceſſarium eſſe, ut ſenſitivæ facultates ſeparentur ab intellectu. Mactatis animalibus crematiſque triſtem ſpeciem offerri animo, omnium inferiorum interitum, inde deprimi animam ſenſitivam ejuſque facultates ſopiri. Rurſus excitari intellectum, intuitu & comtemplatione Anatomes & formationis corporum, in qua mirificam Dei ſapientiam intueri licet. Veram cauſam inſtitutionis ſacrificiorum ignorant, ideo in tenebris palpant. An Deus cultus ab hominibus excogitatos & quidem in honorem idolorum probare poteſt: ut eos ſibi fieri mandet? Ut in illum modum operoſe coli velit? Quin ſanctitas ejus illa omnia, quæ mens vana hominis finxit, abominatur. Quemadmodum idola eorumque delubra & aræ, ita & quicquid inventum ab homine & inſtitutum eſt, in honorem cultumque Deorum peregrinorum, deleri debuit & tolli. Imaginum uſus ubique receptus fuit & antequam dii vani colerentur, aut ſimul cum eorum cultu. Atqui imagines abominatur Deus. Arbitratur Maimonis filius cœpiſſe hominum inſtituto oblationum uſum, eaſque ab idololatris & dæmonum cultoribus eſſe inventas; quaſi inventa dæmonum Deus non potius aboleat, quam transferat ad ſui cultum. Verius eſt à Deo primitus cum ipſis mundi cunabulis inſtitutum eſſe ſacrificiorum uſum in ſui honorem, quem in ſuis cultoribus, ſimia Dei, ὁ ἐναντίος ad ſe tranſtulit. Maimonides à Moſe putat tranſlatum eſſe ex ore & mandato Dei ſacrificiorum uſum ad Dei honorem, quid igitur de patribus ſentit, qui coluerunt Deum eo modo, cum nondum id fieri Deus inſtituiſſet? *Tenenda autem eſt generalis regula* (ut rectè notat Calvinus) *fætere coram Deo cultus omnes, qui fidei odore perfuſi non ſunt. Sciamus ergò altare Noë fundatum fuiſſe in Dei verbo. Et idem verbum inſtar ſalis fuiſſe ejus ſacrificiis ne inſipida eſſent.* Cum veteres illi ſuam ergò Deum pietatem ſacrificiis profeſſi ſunt, ſemper illis ante oculos ſymbola proponi oportuit, quibus admonerentur nihil ſibi eſſe cum Deo abſque Mediatore. Ita Prophetæ & quicunque alii accedebant ad Deum & ad eos Deus. Quamvis Bileam id non reſpexerit, tamen id agebat, quod ex Dei inſtituto eò ferebatur. Nullum ſacrificium fuit, quod non quæreret favorem Dei, quamvis non quæreretur prophetia, quem nulli ſperare licet ſine Mediatore, qui immolandus erat. Accipimus, quod dat Maimonis filius, non eſſe de prima intentione cultum per oblationes ſed alia mente, quam ipſe ſtatuit. Cerimonialis cultus eſt, qui fuit pro illo tempore. ἥτις παραβολὴ εἰς τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα, καθ' ὃν δῶρά τε καὶ θυσίαι προσφέρονται &c. μέχρι καιροῦ διορθώσεως ἐπικείμενα. Fuit igitur כַּוָּנָה הָרִאשׁוֹנָה, Jeſus Chriſtus, res ſignificata. חַשֵּׁנִית, ſymbola illius, umbræ & ſigna. Non licuit adire Deum ſine umbris & ſymbolis, quamdiu ſanctuarium illud in cælo ἀχειροποίητος clauſum erat & necdum ejus via manifeſtata per Chriſti cum ſuo ſanguine ingreſſum. Sed de hoc alio loco.

Hostiasque Ex Volucribus Immolavit] Moſes dicit ſumpſiſſe ex omni mundo pecore, & omni mundo volatili. Holocauſta immolavit. Legem modumque ſacrificiorum ex inſtitutione Dei acceperat

Adam in ipſis Mundi primordiis. Merceſus: *Poſt egreſſum Noë ex arca deſcribitur ejus gratitudo ergà Dominum, quam cum vel animo tantum vel linguæ confeſſione teſtari potuißet, cum nulla tunc lege teneretur ad altare faciendum aut ad ſacrificandum licet non dubitem eos jam inde à primis parentibus ſacrificiorum ritum & totam rationem velut per manus traditam accepiſſe, ita tamen ſilentio præterire noluit, quin externis etiam ſignis ac velut ſacramentis tum ad ſe exercendum tum ſuam familiam inſtituendam ac magis in Dei timore confirmandam ſuam pietatem, fidem, obedientiam, ac gratum animum in Deum pro tanta liberatione exlnberet. Fuerunt ſacrificia veteribus patribus etiam longè ante legem & jam inde ab Adamo ad Noë & ad Abrahamum uſque & Moſem exercitium externum pietatis ac religionis, ac quiſque in ſua familia velut ſacerdos ac doctor erat, cum nondum ſacerdotium inſtitutum eſſet; donec ea tandem tota res & ſacrificiorum ritus, literis ſunt à Moſe conſignata.* Quamvis enim ab Habel ad Noë uſque nulla legas facta ſacrificia, non tamen dubitandum eſt, quin & Adamus ipſe ſacrificarit & idem docuerit ſuos poſteros &c. Sic Mercerus, qui Noë ſine lege dicit ſacrificaſſe, id eſt mandato obligante ſeu adſtringente. Quamvis Deus eam rationem colendi pro tempore ſibi non diſplicere, non rejici, ſignificaverit. Non voluit Mercerus fuiſſe ἐθελοθρησκείαν, voluntarium cultum: nam expreſſe dicit in commentario ad cap. IV. v. 3. *Veriſimile tamen*, inquit, *eſt eos à patre edoctos fuiße & patrem per revelationem accepiſſe à Deo ſacrificiorum rationem & ritum etſi de Adami ſacrificiis nil legatur, ſed non dubitem eum ſacrificaſſe & filios docuiſſe. Veteres illi Patres ſacrificia cum fide obtulerunt, ut ſuam gratitudinem Deo* teſtarentur externo cultu, interim in unicum Chriſti ſacrificium ſuo tempore faciendum, quo omnia peccata expiarentur, animo & fide reſpicientes. Non tantum veroſimile ſed & certum eſt, è Dei revelatione ipſos noviſſe modum quo Deum ſacris faciendis colerent. Quin & Dei juſſum acceſſiſſe, ut ſic quotidie facerent, quamvis explicatius & evolutius omnia iſta per Moſen tradita ſint. Primò, Non licuit attingere carnes animalium ad eſum & uſum, ſine ſpeciali Dei permiſſu, quomodo igitur jugulatio & immanis in pecudum perniciem ſævitio, & nidor & concrematio adhiberi potuerunt ſine ſpeciali Dei mandato. Inſignis fuit obedientia ea facere, à quibus abhorret animus mitis, quorumque ingens perditio erat. Ubi mandatum nullum, gloria etiam obſequii nulla eſt. Fides nulla eſt, ubi nullum Dei teſtimonium. Muſculus etiam dicit, Noë *nulla lege ad externa ſacrificia*, adſtrictum fuiſſe, *altare* extruxiſſe, quia ipſe & eccleſia domeſtica *externis hujuſmodi ſacrificiis ad alendam animi pietatem opus haberent*. Dicit tamen poſteà. *Pius homo ſi degat in populo legi & ordini Dei ſubdito, nihil ſuopte arbitrio tentabit, quod ſit à lege Dei diverſum.* Si Deus hune ordinem eſſe voluit, ut ſacrificia obiret, qui reliquis tanquam epiſcopus præerat, ipſam ſacrificandi rationem & pietatem inſtituiſſe videtur. Ex omni genere mundarum pecudum & volucrium obtulit, quod ita non fuit nec licuit poſt legem Moſis. Nam pauca genera de mundis Deus ſacrificiis per Moſen deſtinavit. Diſcrimen mundorum & immundorum non licet homini conſtituere. Idem fuit, quod ſub lege: quia aliud eſſe non potuit. At ſub lege de immundis eſſe non licuit, ante legem licuiſſe res certa eſt, uti arbitror. Itaque diſcrimen mundorum & immundorum ſacrificiorum rationi Deus conſtituit. Dicit R. Levi Ben Gerſom Deum per prophetiam indicaſſe Noë, quæ eſſent animalia munda & immunda. Nempe putat Noë edoctum eſſe extra ordinem de eo, quod lex erat conſtitutura. Quaſi lex de mundis immundiſque necdum ulla exſtaret: ſed legis Moſaicæ faciem hac parte proſpexerit Noë.

Noë ſtruxit aram abſque dubio in loco, ubi cum filiis habitationem fixit.

Id fuit

Id fuit in montibus Ararat. Oracula, quæ circumferuntur, Sibyllæ, Ararat montem collocant in Phrygia, è quo oriuntur uno aut pene uno fonte Mœander & Marſyas amnes.

Ἐςὶ δὲ τις Φρυγίης ἐπὶ ἠπείροιο μελαίνης
Ἠλίβατον τανύμηκες ὄρος, Ἀραράτ δὲ καλεῖται.
Μαρσύου ἔνθα φλέβες μεγάλου ποταμοῖο πέφυκαν.

Verſum ultimum ſic recte emendavit vir eximius. Nugacem ſe oſtendit & nugivendam illa quæcunque eſt Sibylla in hoc & cum ſe Noë fuiſſe nurum jactat.

ἔκφυγον αἰπὺν ὄλεθρον,
Πολλὰ κλυδωνισθεῖσ᾽ ἅμ᾽ ἐμῷ πόσει, ἠδὲ δαέρεσσιν
Ἠδ᾽ ἑκυρῷ θ᾽ ἑκυρῇ, ὁμονύμφοισίν τε παθοῦσα.

Fontem erroris accipe: Nempe nova urbs Apamea prope eum locum, quæ & veteres Celænas exhauſit, κιβωτοῦ cognomen habuit, ut è Strabone & Ptolemæo oſtenditur. Hinc ſubjicitur in oraculis Sibyllinis ad verſus priores:

Τοῦδε κιβωτὸς ἔμελλεν ἐν ὑψηλοῖο χαρήνω

Quia urbs dicta eſt κιβωτὸς, *arca*, nomen ſumpſiſſe putavit impoſtor qui eos verſus ſuppoſuit, ab arca Noë. Quippe inter Sibyllas fuit, quam dixêre Phrygiam. Cæterum locum, in quo arca ſubſtitit, accuratè diſcuſſit doctiſſimus Bochartus Phaleg ſui lib. 1. cap. 3. quem conſule. Eſt mons Gordi, ut appellat Geographus Arabs, juxta Amidam oppidum. In hoc autem monte veterum plerique arcam conſediſſe teſtantur ejuſque reliquias fuiſſe viſitatas. Gordyæos montes vocant Latini & Græci ſcriptores. Georgius Hornius è Purchaſio: Apud Pottam oppidum Armeniæ eſt mons altus in quo dicitur arca requieviſſe. Dicunt neminem huc aſcendere potuiſſe præter unum ſanctum Iokemo. Armenii montem illum vocant Aſſe Maſis vel Meſſis Saur. Turcæ Augri daug. Benjamin in itinerario narrat ad radices montium Ararat ſitam eſſe inſulam filii Omar, in medio flumine Tigride. Hinc quatuor מ״ל׳ milibus paſſuum abeſſe locũ, in quo arca Noë conquievit. At Omar filius Alcitabi, לקח את התיבה מעל ראש שני הררים ועשה אותה כנסת ישמעלים: *Sumpſit arcam è cacumine duorum montium & fecit eam Synagogam Iſmaëlitarum.* Obſervat Cl. Imperator, inſulam, Omaris filii, mediam eſſe inter Moſal & Niſibim & ab utraque diſtare itinere bidui. Mons ille in quo arca ſubſedit, in magna memoria poſteris fuit Judæis, Chriſtianis, Turcis. Vide de eo Fullerum cap. 4. lib. 1. Miſcell. & Schickardum in Tarich. Sed quomodo potuit arca ſubſiſtere in duobus montibus. Fuitne integra & ejus figuræ ut inde ſublata transportataque fieret templum Iſmaëlitarum? Hæ ſunt fabulæ apud Benjamin, quam ipſe avidus nimium admiſit à Turcis fabulatoribus acceptam.

Mox A Domino Cum Filiis Benedicitur] Deus odoratus eſt gratiſſimum odorem ſacrorum Noë. וַיָּרַח יהוה אֶת רֵיחַ הַנִּיחֹחַ Soteria illa, quæ immolavit Noë, tota igne abſumebantur id eſt, erant ὁλόκαυςα: ideò in univerſum Deo dabantur. Tota erant אִשִּׁים. Quod in aram imponebatur, urendum, Dei erat, ut holocauſta, (עוֹלוֹת) univerſa, nulla parte cedente in uſum hominum ſacerdotum aut lætorum conviviorum. Hinc dicit, Deum eſſe odoratum illum nidorem. Ralbag: ואחר כן בנה נח מזבח לכבוד השם להורות כי הוא לבדו ראוי שיעבד לא ע״ז כמו שעשו הדורות הקדמים ולזה העלת עולות במזבח מהבהמה הטהורה ומהעוף הטהור כי הם המינים היותר נבחרים כמו שיתבאר במקומו ב״נח׳ או עשה זה כדי שתגיעהו הנבואה: *Poſt hæc ædificavit aram Noë in honorem Dei, ut doceret; quod ipſe ſolus dignus eſſet quem coleret*

 non

non idolum, quemadmodum fecerant generationes priores. Ideo obtulit holocautomata in ara è pecude munda & volatili mundo, quia hæ ſpecies electiores, ut declarabitur ſuo loco, cum Deo. Aut fecit hoc, ut obtingeret ipſi prophetia. Ideo obtigiſſe illi oraculum, quod in ſequentibus commemoratur. Joſephus non eo fine, ut oraculum eliceret, neque ob gratiarum actionem, ſacrificaſſe arbitratur ſed ut deprecaretur aliud diluvium. Id ex eo eventu conjicit, quia Deus dixit non fore aliud diluvium in terris. Preces Noë format & concipit pro ſua opinione: Νῶχος δὲ φοβούμενος μὴ καθ' ἕκαστον ἔτος ἐπικλύζῃ τὴν γῆν ὁ θεὸς φθορὰν ἀνθρώπων καταψηφισάμενος ἱερεῖα καύσας ἐδεῖτο τοῦ λοιποῦ τὸν θεὸν ἐπὶ τῆς πρώτης μένειν εὐταξίας καὶ μηδὲν ἐπὶ (leg. ἔτι) τοσοῦτον ἐπενεγκεῖν πάθος ὑφ' οὗ κινδυνεύσει πᾶν ἀπολέσθαι τὸ τῶν ζώων γένος ἀλλὰ τετιμωρημένον τοὺς πονηροὺς φειδὼ ποιήσασθαι τῶν διὰ χρηστότητα περιλειφθέντων, καὶ τὸ δεινὸν διαφυγεῖν κεκριμένων. κακοδαιμονεστέρους γὰρ τούτους ἔσεσθαι ἐκείνων καὶ χείρω καταδεδικασμένους, εἰ μὴ πρὸς τὸ παντελὲς εἶεν σεσωσμένοι τηρηθεῖεν δὲ ἑτέρῳ κατακλυσμῷ τοῦ μὲν πρώτου τὸν φόβον καὶ τὴν ἱστορίαν παθόντες, τοῦ δευτέρου δὲ τὴν ἀπώλειαν. Εὐμενῶς τε οὖν αὐτὸν προσδέχεσθαι τὴν θυσίαν παρεκάλει καὶ μηδεμίαν ὀργὴν ἔτι (lege ἐπὶ) τὴν γῆν ὁμοίαν λαβεῖν, ὅπως τε τοῖς ἔργοις ταύτης προσλιπαροῦντες καὶ πόλεις ἀναστήσαντες εὐδαιμόνως ζῆν ἔχοιεν, καὶ μηδενὸς, ὧν καὶ πρὸ τῆς ἐπομβρίας ἀπέλαβον ὑστερήσειν ἀγαθῶν εἰς μακρόν τε τὸ γῆρας καὶ βίου μῆκος ὅμοιον τοῖς πάλαι ἐπερχόμενοι. *Noëhus autem metuens ne Deus quotannis terram inundaret hominibus ad exitium damnatis, incenſis victimis precabatur, ut in poſterum inſiſteret primæ rerum habitudini, nullamque amplius tantam induceret calamitatem, per quam univerſum genus viventium in periculum ſalutis adduceretur, ſed punitis ſceleratis parceret ob benignitatem ſuperſtitibus & judicio ſuo abſolutis, ut interitum effugerent. Hos enim illis fore infortunatiores & gravius damnatos, niſi omnino ſalvi eſſent ſed ſervarentur alteri diluvio ut prioris metum, & ſpectaculum perpeſſi, ſecundi autem interitum. Orabat igitur, acciperet ſacrificium propitius neve poſthac tantam adverſus terram conciperet iram: quo eam ſuis operibus exercentes, urbibuſque conditis feliciter vivere poſſent, neque carerent ullis, quibus ante inundationem fruebantur commodis, ad longam ſenectutem & ævum ſimile ſuperioribus pervenientes.*

Fingit Deum ἐπὶ δικαιοσύνῃ τὸν ἄνδρα ἀγαπῶντα reſponſum dediſſe. At non juſtitia ſed fides Noë acceptum reddidit ſacrificium. In reſponſo Dei, quod fingit μάλα Ἰουδαϊκῶς, hæc membra continentur. I. Excuſatio de punitione ſceleratorum. II. Promiſſio de non puniendo tam acriter mundo ob delicta & prævaricationes. Signum per imbres & tempeſtates aëre concitato fore arcum in cælo. III. Præceptum de non committendo homicidio. IV. Eſus conceſſus & dominium animalium, ſed ſine eſu ſanguinis. Plura habet doctor veritatis & diſertius exprimit. Quæ contrahi poſſunt ad hæc tria. I. De Terra iterum non maledicenda: quod in cap. VIII. eſt. II. Benedictio. III. Fœdus ſigno firmatum.

Verba primi membri: *Nequaquam ultra maledicam terræ propter hominem. Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Non igitur ultra percutiam omne vivens ſicut feci. Cunctis diebus terræ, ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies non requieſcent.* Decernit Deus ſe non iterum maledictionem terræ ob hominum peccata eſſe illaturum, ita ut naturæ ordini & annuis viciſſitudinibus vim inferret. Aliud eſt ſterilitate & vitio fœdare, aliud temporum anni viciſſitudinem in totum tollere. Ita factum in anno diluvii, ubi æſtatis & hyemis nulla fuerant diſcrimina, aquis omnia inundantibus terræque proventus ſupprimentibus. Cœli curſus non fuerat immutatus, ita menſes fuerant autumnales hyberni, verni, æſtivi, qui lapſi fuerant

fuerant cælo per Solis & Lunæ ratas revolutiones: at terra aquis ſubmerſa & natans effectus cæli ſentire non poterat. Ideo recte & ſignificanter in verbis Moſis omnia revocantur ad maledictionem terræ, cujus eadem diſpoſitio fuerat manſeratque ſive dies ſive nox cælo ingrueret, ſive ver ſive alia anni pars cœlo duceretur. Notabis primò decretum hic narrari non enuntiatam & exprompram promiſſionem, uti in ſecundo & ultimo membro, ubi fœdus ad Noë enuntiat & actu ipſo facit Deus. Malè vulgatus interpres habet, *& ait ad eum* LXX. εἶπε διανοηθεὶς. Nam in Hebræo eſt אמר אל לבו. Notat Mercerus ex Iſaac Caro, quod אל per על exponat. Nempe Deum locutum eſſe ad cor Noë id eſt conſolationem ipſi detuliſſe. Nempe Noë triſtem & anxium propoſuiſſe ſibi abſtinentiam à τεκνοποιήσεως, ne proles ſuſcepta à diluvio altero aut feris interiret, aut fraterna cæde ſicuti olim Abel. Id nimis longè petitum. Cæterum non ſignificat hic Deus, non enuntiat Noë mentem ſuam, quam poſtea in fœdere prodidit. Hic tantum Dei tacitum decretum eſt, cui fœdus innititur. Potuit hoc Dei propoſitum Noë innoteſcere ex conſequenti revelatione, Moſi ut multa alia à Spiritu prophetiæ. Ideo tantum cogitatum dicere non prolatum, ne audentiam peccandi daret, Judaicæ ſubtilitatis eſt. Nam hoc ipſum, quod hic cogitatum eſſe narratur, exprimitur & enuntiatur in fœdere. Voluit Moſes exponere cauſam impulſivam, quæ Deum moverit id eſt à qua pendeat benedictio & fœdus Noë hominumque ab eo progenitorum. Maledictionem non vult immittere nempe plagam generalem ob perſonalia hominum peccata, manente illa communi, quæ eſt ab Adami tranſgreſſione naturæ imputata. Rationem ſubjicit, quia cor hominis malum eſt, ſeu ſenſus cordis humani. Dices, An igitur ſceleribus promittitur impunitas? R. Nequaquam. Id dicit Deus ſe non eſſe immiſſurum plagam generalem ſecundò, quia plaga generalis, qua & infantes intereunt, infligitur ob originariam labem: quam nolit deinceps in hoc ſeculo communiter punire ſicuti orbem puniverat communiter ob originis vitiũ in cap. 6. 5. R. Levi Ben Gerſom: ואמר שלא יוסיף עוד להשחית האדמה בעון האדם לפי שיצר לב
האדם רע מנעוריו ויטה האדם מפני זה אל התאוות הגופיות והנה יקשה צאתו
מזאת התכונה הרעה לא יקבל המוסר בזה מזולתו וזה היה סבה לדורות הקודמים
אשר נשחתו במימי המבול לנטות אל מה שנטו אליו מהתאוות כי עדין לא נתפשטה
בדורות ההם ידיעת האמת בה׳ ואיך ראוי שנתנהגו בענין הטובות והרעות ואולם
עתה שלא נשאר רק נח וביתו נכבר השיג נח האמת בזה הנה יקבלו המוסר ממנו
הבאים אחריו מזרעו ולזה לא יתכן שימצא לעולם המין האנושי בבמו זה האופן
מרוע ההנהגה אשר היה בו הדור הנשחת במי המבול׳ וכחיות הענין כן הנה לא
יצטרך הש׳ יתע׳ אל במו זה האופן מהגעת העונש לאנשים במה שיבא׳ ולזה גזר
הש׳ ית׳ שלא יוסיף עוד להכות את כל חי באשר עשה במי המבול ושכל ימי הארץ
ימשך בה זרע וקציר וקור. וחום וקיץ וחורף עד שישלם בזה מה שיצטרך להיות
הצמחים ההווים בה ול״כח ויום ולילה לא ישבותו שלא ימשך מהם בחלק הנגלה
מהארץ התועלת אשר בעבורו ומצאו במו שקדם בפרשת בראשי׳ וזה כולו להורות
שלא יפסד זה החלק הנגלה מהארץ לעולם׳

Et dixit quod non amplius perditurus eſſet terram ob iniquitatem hominis, quia figmentum cordis humani malum ſit ab ejus pueritia & inclinet homo ob hoc ad cupiditates corporales: & ecce durum erat egredi eum ex hac affectione mala: Non acceperat diſciplinam in hoc præterquam ab eo. Et hæc fuit cauſa ætatibus prioribus, quæ perditæ ſunt aquis diluvii, ut inclinarent ad hoc ad quod inclinabant à deſideriis quia hactenus non fuerat publicata in illis generationibus notitia veritatis de iſto: & quomodo conveniret ut gubernarent ſe in negotio boni & mali; at profecto nunc cum ſolus Noë cum domo ſua relictus eſt & jam aſſecutus eſt

Noë

Noë veritatem de iſto, ecce acceperunt diſciplinam ab eo, qui poſt eum ſecuti ſunt è ſemine illius. Icirco non conveniebat ut exiſteret ſemper ſpecies humana, ſecundum hunc modum ob malitiam gubernationis in qua ſuit ætas, quæ aquis diluvii interiit. Et cum res ſic ſe habeat, ecce non habuit opus Deus excelſus ſecundum hunc modum obventu plagæ in homines, ineo quod venturum erat. Ideo decrevit Deus excelſus, ſe non iterum eſſe percuſſurum omne vivens, uti fecerat, per aquas diluvii, & quod omnibus diebus terræ conſecutura eſſet in ea ſatio & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hyems, uſque ut per hoc perficeretur quod opus eſt, ut ſint vegetabilia quæ ſunt in ea, & propter viventia: Nox & dies non ceſſabunt, quod non ſequatur ex illis, in parte terræ recta utilitas propter quam exiſtunt, ſecundum quod primum dictum eſt in Paraſcha Breſith Peccatum & Labem originis agnoſcit ſed ejus debilitatis, ut vinci poſſe ipſi videatur per diſciplinam & inſtitutionem veritatis. Ea cum deeſſet prioribus illis, eoque ſe regere non poſſent, Dei juſtitia deletos eſſe diluvio. Nunc cum intra domum Noë ſubſiſteret humanum genus ab eâ propagandum & inſtituendum, non opus fore altero univerſali diluvio. Plura aſſumit, quam Moſes dixit. Deus enim apud Moſen ſimpliciter, ideo ſe non eſſe orbem perditurum decernit, quia malitia hominibus innata eſſet; non additur, nunc eam refrenari poſſe diſciplina. Dei benignitas eſt parcentis, emendatio & remedium diſciplinæ non ſuſtulit ejuſdem meriti pravitatem. Deus dicit ſe nolle deinceps Labem originis punire, ideò non fore plagam univerſalem. In Moſe ſic ſcriptum eſt: Non addam amplius maledicere terræ ob hominem, *quia* (ſic reddo illud כִּי) figmentum cordis humani &c. Id eſt, malitia iſta originaria non erit mihi deinceps cauſa puniendi terram, ut in diluvio, omnes ſuſtuli cum infantibus, quos nulla actualis fœdabat iniquitas. Puniam igitur actualia peccata, quæ modum excedunt, & particularibus judiciis. Vulgò exiſtimant argumentationem eſſe, quam variè evolvunt. 1. Eſſet inducenda ſemper perditio, quia homo corruptus eſt intus & in cute. 2. Æquum eſt parcere, quia naturalis illa ad malum propenſio, digna eſt aliqua commiſeratione, ſicuti Pſ. 103. 14. Franciſci Junii expoſitio hæc eſt: Deum placatum fide & gratia, quæ in Chriſto Jeſu valet, quem cerimoniæ illæ intuebantur, conſtituiſſe ſe non deinceps mundum eſſe perditurum ob hominem aut peccatum. *q. d nec cauſa hominum nec cauſa peccatorum ſic unquam exarſurum Deum, ut hanc univerſitatem deleat.* Hanc expoſitionem probat Cl. Rivetus. Ita τὸ כִּי adverſativè reddendum, Quamvis. Cauſam hanc aſſignant cur Deus nolit iterum perdere terram, quia in Chriſto ſit placatus, quem ſacrificium & fides Noë intuebantur. Ego hanc cauſam jungo cum mea expoſitione eamque ſic interpretor: Fidei Noë intuentis Chriſtum id datum eſſe, quod Deus naturæ curſui voluerit deinceps ſuum conſtare ordinem. Sic in Chriſto placuit Noë, cui gratificatus eſt Deus mundi ſtabilitatem. Tantum unius hominis probitas univerſo ſeculorum complexui profuit! At illud ipſum beneficium eſt communis cujuſdam benignitatis, quæ patet illis qui ſunt extra Chriſtum, quamvis diſpenſetur in gratiam & bonum regni Chriſti.

Decernit igitur Deus id, quod exinde expertus eſt mundus. *Ita ſe pœnas ſumpturum* (verba Calvini) *de ſceleribus ſecundi mundi, ut tamen conſervet aliquam terræ faciem; nec abſumat creaturas, quibus eam ornavit. Ut videmus talem adhiberi modum tam publicis, quam ſpecialibus Dei judiciis, ut conſtet tamen mundi univerſitas & natura curſum ſuum retineat.* Comma ultimum capitis octavi ita interpretatur: *His verbis iterum reſtituitur mundus in integrum. Tanta enim rerum omnium confuſio & deformitas terram obruerant, ut quadam renovatione opus eſſet. Qua ratione Petrus veterem mundum appellat, qui diluvio periit. Denique ordinis naturæ*

naturæ interruptio fuerat diluvio. Deſierant enim ſolis & Lunæ vices: nulla hyemis & æſtatis diſtinctio. Quare teſtatur Dominus ſibi placere ut omnia recuperent ſuum vigorem & redeant ad ſuas functiones. Sic Calvinus: in quibus verbis quod dicit deſiiſſe ſolis & Lunæ vices, non ſic accipio eum, quaſi exiſtimet ſiderum curſum fuiſſe inhibitum, ita enim factum non eſt: at eorum effecta in terra eſſe inhibita. Non enim ut Hebræi quidam volunt, ſiderum curſus & noctium ac dierum diſtinctio ceſſavit in anno diluvii. Numerantur menſes à Moſe, & diei diſcrimen ac noctis fuit, cum aves ad explorandum ex arca dimitterentur. At nullus effectus fuit in terra, ad quam etiam maledictio reſtringitur. Ex hoc etiam arguitur adverſus Iſacum Voſſium & Peyrerium diluvium fuiſſe univerſale, quia tempora anni eſſe deſierunt. Pergit Calvinus: *Si quis objiciat non cerni quotannis æquale temperamentum, reſponſio in promptu eſt, turbari quidem noſtris vitiis naturæ ordinem ut multi ſint inæquales motus: ſæpe ſol juſtum calorem neget, nives aut grandines in roris locum ſuccedant, aer variis tempeſtatibus miſceatur: ſed quamvis non ita temperetur mundus ut perpetua ſit æqualitas, cernimus tamen prævalere naturæ ordinem, ut quotannis recurrant hyems & æſtas, continua ſit dierum & noctium ſucceſſio, terra ſuas fruges æſtate & autumno pariat*

Joſephus, ut ad eum redeam, excuſationem longam Dei comminiſcitur, qua apud Noë pœnæ iſtius meritum & culpam rejicit in malitiam hominum: Ἐπένευσεν αὐτῷ τὰς εὐχὰς εἰς τέλος ἄξειν, οὔτε τοὺς διεφθαρμένους λέγων αὐτὸς ἀπολέσαι, κακίας δὲ τὴν οἰκείαν ταύτην αὐτοὺς ὑποσχεῖν τὴν δίκην. οὔτ᾽ εἰ γενομένους ἀνθρώπους ἀφανίσαι διεγνώκει, παραγαγεῖν αὐτοὺς εἰς τὸν βίον. Σῶφρον γὰρ εἶναι μηδὲ τὴν ἀρχὴν αὐτοῖς χαρίσασθαι τοῦ ζῆν, ἢ δόντα τούτους διαφθείρειν, ἀλλ᾽ οἷς ἐξύβριζον εἰς τὴν ἐμὴν εὐσέβειαν καὶ ἀρετήν, τούτοις ἐξεβιάσαντό με ταύτην αὐτοῖς ἐπιθεῖναι τὴν δίκην. παύσομαι δὲ τοῦ λοιποῦ μετὰ τοσαύτης ὀργῆς τὰς τιμωρίας ἐπὶ τοῖς ἀδικήμασιν εἰσπραττόμενος καὶ πολὺ μᾶλλον σοῦ παρακαλοῦντος. Nugatur putidè autor כלי יקר de cauſis & origine labis humanæ deque purgatione terræ, quem, ſi lubet, conſule. Neque enim adſcribere duxi eſſe operæ pretium.

Benedictio & præcepta data Noë ac filiis.

Gen. Cap. IX.

POſt decretum Dei ſequitur alloquium ad Noë. Benedictio triplex munitur præceptis. Benedictiones tres hæ ſunt: I. De procreatione. II: De terrore hominis ſuper animalia. III. De uſu animalium in eſum.

Benedictiones iſtæ repetuntur & ſtabiliuntur pro novo mundo. De prima, quæ eſt ad פריה ורביה ad generis fœturam & propagationem, ita Calvinus: *Quùm hic dicit Moſes Deum benedixiſſe Noë & filiis ejus, non ſimpliciter, intelligit redditam illis fecunditatis gratiam eſſe: ſed patefactum ſimul Dei conſilium de nova inſtauratione mundi. Nam vox Dei, qua ipſos alloquitur benedictioni annexa eſt. Scimus bruta animalia non niſi Dei benedictione ſobolem procreare: ſed hic privilegium commemorat Moſes, quod in ſolos homines competit. Ergò ne viri iſti quatuor cum uxoribus trepidatione correpti, quorſum fuerint erepti, dubitent, vitæ conditionem Dominus illis in futurum præſcribit, ut ſuſcitent genus humanum ex morte in vitam; Ita non ſolum eodem verbo mundum renovat, quo ipſum prius creavit, ſed verbum hominibus deſtinat, ut legitimum conjugii uſum recuperent: ſciant curam gignendæ ſobolis placere Deo, orituram ex ſe progeniem confidant,* quæ ſe per omnes terræ plagas diffundat ut iterum habitetur &c. Judæi in jelammedenu attendunt ad hoc, quod hic in benedictione non fiat mentio feminarum, ut mas & fe-

mina conjunguntur in prima benedictione. Gen. 1. 27, 28. Quia viri imperium eſt, ejuſque proſpicere filiis de matrimonio, ut Abraham & Iſaac. Sic & viri eſt quærere ſibi matrimonium. Alias & in viris includuntur uxores. Hic datur præceptum maritis, jam uxoratis, benedictio autem prima ipſum matrimonium primitus inſtituit ſeu data eſt cum prima inſtitutione, quæ feminam viro ſubjicit ad ſobolem.

Secunda benedictio imperii in animantes reliquas poſt lapſum reliquias ſtabilit. *Etſi autem beſtiæ* (inquit Calvinus) *poſt lapſum hominis induerant novam ferociam: manebant tamen ejus dominii reliquiæ, quod Deus initio contulerat. Eundem quoque nunc ſtatum fore promittit.* Ejus ſtatus ſeu reliquiarum duas partes facit. I. *Videmus quidem*, inquit, *feras beſtias violenter irruere in homines, diſcerpere multos ac laniare: ſed niſi earum truculentiam mirabiliter compeſceret Deus, protinus actum eſſet de genere humano. Ergò quod de aëris intemperie & temporum inæqualitate diximus, in hac etiam parte locum habet. Graſſantur quidem ſævæ beſtiæ & in homines multis modis ſæviunt; (non mirum, nam quum protervè laſcivtamus adverſus Deum, cur non in nos beſtiæ inſurgerent?) interim Dei providentia arcanum eſt frenum ad cohibendos earum impetus. Vnde enim fit ut ſerpentes nobis parcant, niſi quia illorum virulentiam comprimit? Vnde fit ut non lament, diſcerpant ac devorent quicquid eſt hominum tigres, elephanti, leones, urſi lupi & aliæ innumeræ feræ; niſi quod iſta ſubjectione, tanquam aliquo repagulo continentur? Quod ergo manemus ſalvi hoc ſingulari Dei præſidio & tutelæ acceptum ferri debet. Quod enim alias futurum putamus, quum videantur in perniciem noſtram natæ & furioſa nocendi libidine ardeant?* Hactenus Calvinus. Feræ infeſtarunt colonos terræ decem tribuum, uti memorat ſcriptura. 2. Reg. 17. Et minatur Deus apud Prophetas infeſtationem à feris, inter alia maximarum plagarum genera. Unde coacti illi coloni cultum veri numinis admittere. Infecta Cananæos profligarunt, militantia Jeſu duci Hebræorum, ut ſuo loco explicandum eſt. Conſuluit Deus hominum ſaluti à feris, quatenus ipſis naturam dedit, quærentem ſolitudinem & frigora, caloreſque quæ hominum natura non patitur. Sed & hoc modo, quem Moſes dicit partem & reliquias eſſe divinæ imaginis; ut hominem naturaliter timeant. II. *Alia tamen hic notatur utilitas, quæ & latius patet: nempe ut in ſuum commodum animalibus fruantur homines & in varios uſus pro ſua induſtria & neceſſitate applicent. Ergò quod boves ferendo jugo aſſueſcunt, quod domatur equorum ferocia, ut ſeſſores admittant vel portandis oneribus clitellas recipiant: quod lac ſuppeditant vaccæ, ſeque mulgeri patiuntur, quod ſub manu tonſoris oves obmuteſcunt, pendet ex iſto dominio: quamvis imminutum ſit magna ex parte, non tamen prorſus abolitum eſt.* Huc pertinet quod habetur in tertio capite epiſtolæ Jacobi. v. 3. Ἰδοὺ τῶν ἵππων τοὺς χαλινοὺς εἰς τὰ στόματα βάλλομεν πρὸς τὸ πείθεσθαι αὐτοὺς ἡμῖν καὶ ὅλον τὸ σῶμα αὐτῶν μετάγομεν. v. 7. Πᾶσα γὰρ φύσις θηρίων τε καὶ πετεινῶν ἑρπετῶν τε καὶ ἐναλίων δαμάζεται καὶ δεδάμασται τῇ φύσει τῇ ἀνθρωπίνῃ. Modum ad hæc efficienda conſtituit Deus timorem ac terrorem animalium ab homine. Calvinus iterum: *Porrò frenum, quo Dominus beſtiarum ſævitiam compeſcit, ne ſe in homines profundat eſt quidam timor ac pavor, quem illis Deus inſculpſit, ut revereantur conſpectum hominum. Hoc peculiariter de regibus Daniel prædicat, eos ſcilicet imperio potiri, quod metum eorum & formidinem Dominus tam hominibus quam beſtiis incutiat. Verum ut ille primus eſt timoris gradus ad tuendam generis humani ſocietatem: ita quatenus generale imperium in beſtias Deus hominibus tradidit, in ſummis & infimis viget neſcio quæ occulta nota, quæ non patitur ferarum ſævitiam ſuo impetu graſſari.* Deus conceſſit homini imperium in omnia & ſubjecit omnia illius uſui. Huic ſubjectioni inſervit timor.

mor. Objiciunt : Atqui feræ beſtiæ non videntur timere hominem ſed inſidiari potius ? Reſpondendum, Plenum non eſſe hoc dominium : ineſſe primò occultam aliquam reverentiam ſive reliquias occultæ reverentiæ, quas tamen facile multæ cauſæ excutiant. Maxime autem ineſſe illis animalibus, quorum opera & adjumento quotidie homo utitur. Muſculus: *Contendunt aliqui non eſſe ullam beſtiam , quæ ad hominis ſubitum conſpectum non contremiſcat initiò, donec ſeſe recolligat. Ea tamen de re cum nemine contendero. Negari non poteſt multas eſſe beſtias, quarum nos conſpectus ſubitus , præſertim in locis deſertis perterrefaciat. Inde tamen non rectè colligitur , eſſe illis beſtiis dominium datum in homines* &c. Quidam putant id promiſſum ad Noë & filios ſolos non eorum poſteritatem pertinere. Ita temporaria fuerit dominatio. Id pleriſque diſplicet , quibus placet id quod diximus. Secundò domari hominis ingenio & induſtria, qui metum poſſit incutere & arte ſubjicere immanitatem. Tertiò Dei providentiam uti naturæ genio & extrinſeca moderatione, ut tuta ſint hominum habitacula & itinera. Secundum in quotidiana frequentatione, & indicat primum ſine quo eſſe nequit. Seneca : *Quæ res* (nempe in turba meliorum verſari) *quantum poſſit , intelliges , ſi videris feras quoque convictu noſtro manſueſcere : nullique immani beſtiæ vim ſuam permanere, ſi hominis contubernium diu paſſa eſt. Retunditur omnis aſperitas , paulatimque inter placida dediſcitur.* Manſueſcunt feræ conſuetudine, metu, beneficiis. Sublimiter homo eminet omni genere animalium , quod illi divinitus ſubditum eſt & ingenio vincitur domaturque. Seneca iterum : *Aliquis ea animalia comparat nobis, quorum poteſtas penes nos eſt ? Quicquid nobis negatum eſt, dari non potuit. Proinde quiſquis es iniquus æſtimator ſortis humanæ , cogita quanta nobis tribuerit parens noſter , quantò valentiora animalia ſub jugum miſerimus , quantò velociora conſequamur : quam nihil ſit mortale non ſub ictu noſtro poſitum. Tot virtutes accepimus tot artes , animum denique , cui nihil non eodem , quo intendit momento pervium eſt.*

Tertia benedictio, qua eſus omniſque uſus ex omni genere animantium homini conceditur. Id beneficium quotidie uſurpamus. Audiamus quomodo Seneca prædicet eam Dei liberalitatem, lib. 4. de beneficiis. *Non dat Deus beneficia. Vnde ergò iſta quæ poſſides? quæ das? quæ negas? quæ ſervas? quæ rapis? Vnde hæc immunerabilia , oculos, aureis, animum mulcentia? Vnde illa luxuriam quoque inſtruens copia ? Neque enim neceſſitatibus tantummodo noſtris proviſum eſt : uſque in delicias amamur. Tot arbuſta non uno modo frugifera, tot herbæ ſalutares , tot varietates ciborum per totum annum digeſtæ , inerti quoque fortuita terræ alimenta præberent. Iam animalia omnis generis , alia in ſicco ſolidoque , alia in humido innaſcentia , alia per ſublime dimiſſa: ut omnis rerum naturæ pars tributum aliquod conferret. Flumina hæc amæniſſimis flexibus campos cingentia , illa præbitura commerciis viam, vaſto & navigabili curſu vadentia : ex quibus quædam ſtatis diebus mirabile incrementum trahunt , ut anhela & ferventi ſubjecta cælo loca ſubita vis æſtivi torrentis irriget. Quot medicatorum torrentium venæ ? quid in ipſis littoribus aquarum calentium exundatio ?*

Te Lari maxime teque
Fluctibus & tremitu aſſurgens Benace marino.

Si pauca quis tibi donaſſet jugera accepiſſe te diceres beneficium: immenſa terrarum latè patentium ſpatia negas eſſe beneficium ? Si pecuniam tibi aliquis donaverit & arcam tuam (quoniam id tibi magnum videtur) impleverit , beneficium vocabis : tot metalla defōdit , tot flumina emiſit in aëra , ſuper quæ decurrerunt ſola aurum vehentia : argenti æris , ferri immane pondus omnibus locis obrutum , cujus inveſtigandi tibi facultatem dedit ac latentium divitiarum in ſumma terra ſigna diſpoſuit : negas te acce-

piſſe beneficium? Sed domus tibi donetur, in qua marmoris aliquid reſplendeat & tectum nitidius auro aut coloribus ſparſum, non mediocre munus vocabis: ingens tibi domicilium ſine ullo incendii aut ruinæ metu ſtruxit, in quo vides non tenues cruſtas, & ipſa, qua ſecantur, lamina, graciliores ſed integras lapidis pretioſiſſimi moles, ſed totas variæ diſtinctæ materiæ, cujus tu parvula fruſta miraris, tectum vero aliter interdiu fulgens: negas te ullum munus accepiſſe? Et cum iſta quæ habes, magna æſtimes, quod eſt ingrati hominis, nulli debere te judicas? Vnde tibi iſtum, quem trahis, ſpiritum? Vnde iſtam, per quam actus vitæ tuæ diſponis, lucem? Vnde ſanguinem, cujus curſu vitalis continetur calor? Vnde iſta palatum tuum ſaporibus exquiſitis ultra ſatietatem laceſſentia? Vnde hæc irritamenta jam laſſæ voluptatis? Vnde iſta quies, in qua putreſcis? Nonne ſi gratus es, dices,

——— Deus nobis hæc otia fecit:
Namque erit ille mihi ſemper Deus, illius aram
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves ut cernis & ipſum
Ludere quæ vellem calamo permiſit agreſti.

Ille Deus, non qui paucas boves, ſed qui per totum orbem armenta dimiſit: qui gregibus ubique paſſim vagantibus pabulum præſtat: qui paſcua hybernis æſtiva ſubſtituit: qui non calamo tantum cantare & agreſte atque inconditum carmen ad aliquam tantum oblectationem modulari docuit, ſed tot artes tot vocum varietates, tot ſonos, alios ſpiritu noſtro, alios externo cantus edituros. Neque enim noſtra iſta, quæ invenimus, dixeris: non magis, quam quod creſcimus, quam quod ad conſtitutum temporum; ſua corpori officia reſpondent &c.

Largum illud Dei munus, quo omnia concedit humanis uſibus, extendit ſe ad operas & alimoniam. Alimoniam etiam largitur de carnibus, quas hucuſque prohibitas fuiſſe plerique arbitrantur, hic autem primum concedi de quo fuſe diſputavimus in Heptaemero. Enumerat Deus animalium omnia genera, quæ tradit homini ejuſque uſui. Primo loquitur de Dominio v. 3. *Timor veſter & terror veſter ſit ſuper omnem beſtiam terræ & ſuper omnem volucrem cæli: in omni* אֲשֶׁר תִּרְמוֹשׂ הָאֲדָמָה *& in omnibus piſcibus maris: in manus veſtrâs tradita ſunt.* Illud אֲשֶׁר תִּרְמוֹשׂ הָאֲדָמָה, vulgatus reddidit, quæ moventur ſuper terram. Sic LXX, τὸ κινούμενα ἐπὶ τῆς γῆς. Ita plerique at uti monet etiam Cl. Mercerus, τὸ תִּרְמוֹשׂ accipi debet *μεταβατικῶς*, quemadmodum aquæ dicuntur יִשְׁרְצוּ הַמַּיִם שֶׁרֶץ׃ primi capitis comm. 20. רֶמֶשׂ valebit *ζωογονεῖν*, animal vivum producere, reddiderim *vermiculare* ſeu *verminare*.

Inde v. 4. loquitur de uſu in alimoniam, ſeu cibum: *Omne* רֶמֶשׂ, *quod vivit ſit vobis in cibum: ſicut viorem herbæ dedi vobis omnia.* Tantum hic רמש nominatim ponit, quod in eſcam concedat, generatim omnia dat in poſteriori hemiſtichio. Cur nominatim ſolum רמש exprimitur: cætera ſub genere involvit? Poſſumus dicere, quod illud רמש, nunc primum conceſſerit Noë & filiis ejus. Si illud ita ſit, mediam ſententiam teneamus, Nempe ante lapſum datum fuiſſe in cibum olus & omne fructuum genus: poſt lapſum conceſſa eſſe animalium quædam genera nempe חית הארץ, item עוף השמים, quadrupedes & aves, è quibus etiam ſacrificia facta fuerant: deinde poſt diluvium additum eſſe רמש terræ, quod ſe motitat, non eo modo quo quadrupedes. Cæterum רמש poteſt duplici ſenſu accipi. Primò generatim pro eo omni, quod terris inambulat inque terra ſe movet. Quemadmodum omne animalium genus, in terris aut circa terram quærit eſcam & nidos ſtruit. Ita ſumitur cap. VII. v. 21. *Et exſpiravit omnis caro, quæ ſe movet ſuper terra, de vola-*

tili de

tili de pecude, de beſtia & de omni reptili, quod repit ſuper terra. שֶׁרֶץ illic eſt, quod de piſcibus Gen. 1. 20. dicitur. Secundo רמש ſumitur ſpecifice & εἰδικῶς pro eo genere animalium, quod pedibus non ita ſuſtentatur, ut quadrupedes, ſicuti quæ ſerpunt & repunt. Talia animalia velut ſinu ſuo verminat & ζωογονεῖ ipſa tellus. Quamvis enim multa eorum genera tantum procreantur fetura, tamen ita in ipſis terræ cavis generant, ut terra viviſcens edere ea & parere videatur. At non ſolam ebullitionem è terra, ſed fecundam procreationem notat, quæ ſolet eſſe ejus generis animalium. LXX. acceperunt hic ſpeciatim, πᾶν ἑρπετόν. Vulgatus genericè, *omni quod movetur.* Arabs ab Erpenio editus: كل دبيب الذي هو حي. A radice دب deducitur دبيب, ut ſignificet mobilem illam agitationem, qua ejus aut omnis generis animalia diſcurrunt. Unde eſt Hebræum זְבוּב, Arabicum ذباب, *muſca.* Arabes ita etiam *apem* vocant. Eandem vocem habet Arabs meus, Saadias Bar Levi, Maroccanus; جميع دبيب الذي هو حي: Si ita intelligatur Moſes ut conceſſis ante pecudum & quadrupedum carnibus è quibus & ſacrificia erant, nempe illis quæ pura eſſent, nunc concedantur carnes reptilium eſculentorum, in cibis puritatis aut impuritatis diſcrimen nullum fuit. Ralbag: ואחר כן יתקיים על ענינו ולא יעתקו לעולם מהמלוא אל החסרון כמו שנעתקו בו בעת המבול וברכם ה׳ ית׳ גכ״ שיהיה מוראם על כל חית הארץ ועל כל עוף השמים ובכל אשר תרמוש האדמה ובכל דגיהם כי בידם נתנו לעשות כרצונם׳ ואולי הצטרכו לזאת הברכה לפי שהדורות הקודמים לרוע מנהגם היה השם מסתיר פניו והיה אפשר שהיו חיות אוכלות בהם להיותם מטרה לחצי המקרים הרעים ולזה ברכם ה׳ ית׳ הברכה הזאת והנה התיר להם לאכול מכל הב״ח ואמר להם שאין פשע להם בהריגתם אותם כי הם כירק עשב ביחס לאדם כולם נמצאים בעבור האדם: *Poſt hæc ſtabilit illud argumentum, ut ne dimoverentur unquam à plenitudine ad defectum, ut factum fuerat in tempore diluvii & benedicit illis Deus benedictus etiam ſic, quod futurus eſſet metus ipſorum ſuper omnem beſtiam terræ & ſuper omnem volucrem cæli in omne quod motitat terra & in omnes piſces maris, quia in poteſtatem tradita eſſent, ut facerent de eis pro ſuo libitu: Et fortaſſis indiguerunt hac benedictione, quia ætatibus prioribus ob malitiam morum, Deus abſconderit faciem ſuam ab illis & fieri poſſit, quod feræ ipſos voraverint, ut eſſent ipſi cuſtodia in partem malorum eventuum. Ideo benedicit ipſis hac benedictione & concedit ipſis veſci de omni animante & dicit ipſis non eſſe peccatum ſi ea occidant, quia ſint ſicut olus herbæ in portione hominis & iſta omnia exiſtant propter hominem.* Comminiſcitur pro Judaica mentiendi prurigine & vanitate graſſationem ferarum in humanum genus ante diluvium fuiſſe cauſam impulſivam, cur Noë & filiis conceſſa ſit mactatio & comeſtio animalium. Putat autor כלייקר, hic adjectum eſſe terrorem in ſecunda benedictione, cum in dominii conceſſione ad primam creationem id additum non ſit, quia hic concedatur animalium occiſio & eſus. Quaſi ante lapſum non magis metuerit hominem aut reveritum ſit omne genus animantium & hic aliud ſit quam tenues reliquiæ illius terroris. Recte tamen iſtius terroris modum deſcribit: ולמה ילך השור לטבח ולא יתחה בבעליו אם לא כי יד ה׳ עשתה זאת כי הטיל מוראו של האדם על כל הבעלי חיים אל כל אשר יחפוץ יטה אותם: *Et cur taurus vadit ad mactationem & non percutit dominos ſuos, niſi quod manus Domini id faciat quia impoſuit terrorem hominis ſuper omnia animantia, ad omne quod vult, flectit illa.* Raſchi etiam adducit Aggadam pertinentem ad vocem חיות: שכל זמן שתינוק בן יומו חי אין צריך לשמרו מן העכברים עוג מלך בשן מת צריך לשמרו מן העכברים: Hoc fuit ſubtile ſapientum obſervatum, & dictum, *quod omni tempore quo lactens*

unius diei vivit, non ſit opus cuſtodiri eum à muribus, cum Og rex Baſan, mortuus à muribus cuſtodiri neceſſe habuerit. Nempe oſtendi ſic quouſque terror ab homine feris inſideat. Eſſe feris metum ab homine vivo, cum mortuum mures rodant & mordeant. Dicit Adamo primo tantum conceſſum fuiſſe ירק עשב, his autem concedi omnia in cibum & alimoniam.

Poſt triplicem benedictionem ſequuntur præcepta. Decantata ſunt illa ſeptem præcepta filiorum Noë, hic duo habentur. I. De ſanguinis eſu. II. De ſanguinis humani effuſione. Utrumque interdicitur. * Cum ſanguinem beſtiarum fundere permittat eum edere Deus vetat: ſanguinem humanam etiam effundere prohibet nedum edere. Sulpicius noſter:

Præceptumque Accepit Ne Sanguine Vesceretur] De interdicto ſanguinis edendi notandum primò An retrò ante diluvium ſanguinis eſus fuerit permiſſus? II. Quæ cauſæ interdicti eſus ſanguinis? III. Quis ſanguis & in quantum ſit prohibitus? Primum quod attinet, videtur in uſu fuiſſe, quod prohibetur diſerta lege. Nam leges prohibitivæ naſcuntur ex malis moribus, ex temporis mutatione, è metu & periculo tranſgrediendi. Cum id quod naturæ dictamine vetitum eſt, corruptione ſeculi committi incipit, legum miniſterium ſuccurrit naturæ honeſtati probitati & æquitati ut ſocietas humana conſervetur. Vulgò ſic accipitur: Deum nondum conceſſiſſe diebus anterioribus ſeu tempore, quod diluvium anteceſſit, animalia in cibum: quandiu igitur ad eſcam nihil animalium aſſumptum & applicatum eſt, non potuit locus eſſe præcepto de non comedendo ſanguine. Quod enim in totum attingere in uſum alimoniæ fas non erat, ejus pars inutiliter fuiſſet prohibita. Licuiſſe animalia mactari in ſacrificium non in uſum cibi. Si carnium eſus fuit conceſſus ante cataclyſmum, cum Noë & filiis ejus ſanguinis eſus adimatur, videtur retro licitum fuiſſe ut ſanguine in cibum uterentur. Nam ſi animalia conceſſa uſui & eſui, partem eorum conceſſam fuiſſe dixeris, quæ nominatim à totius communi ratione non eximitur. Conſentaneum, eſt quandiu ſacrificandi præceptum & uſus fuerunt, id eſt ſanguis in aram venit, ut animæ redemptio eſſet & devotio, ſanguinem non licuiſſe ſumi in alimoniam. Exiſtimes igitur cum prima mundi origine ſanguinem ſibi proprium eſſe Deum voluiſſe. Hinc pronum eſt ſentire cum illis, qui carnes nullas fuiſſe conceſſas in eſum volunt, antequam hac conceſſione illud Noë filiiſque daretur. Atqui non venit in aram, quod non eſt in uſu cibi. Quid ſi dicas Deum in ſacrificiis oſtendiſſe, quod ea uſui humano & eſui condidiſſet, quamvis poteſtatem non fecerit prima ætate. Ego ἐπέχω. Secundam quæſtionem quod attinet. Alii volunt prohibitum fuiſſe ſanguinem cum carne, alii etiam extra carnem. In carne vel morticina vel cruda & palpitante. Muſculus: *Primum obſerva, quod conceſſum carnis uſum Deus exceptione aliqua limitat, ne prorſus liber ſit conceſſorum uſus ſed legi alicui adſtrictus. Conſimili modo & ſupra cap. 2. cum univerſos paradiſi fructus primis hominibus daret ad veſcendum unam ex omnibus exemit arborem de cujus fructibus non liceret illis ad edendum uſurpare* &c. Deinde: *Non prohibet ne ſanguis animalium fundatur. Alioqui quomodo ederentur? ſed crudelitatem ferinam prohibet, ne homo ad morem beſtiarum cruentam animalium carnem voret. Quid neceſſe erat hac exceptione & prohibitione ſi à cruenta feritate alienus prorſus eſt hominus animus? Reperiuntur gentes, quæ carne humana veſcuntur: quid mirum ſi reperiantur, qui immani feritate magis beſtias quam homines referentes, carnem crudam & calido adhuc cruore* palpitantem vorent? Ex legum Dei qualitate judicandum *eſt*, *de naturæ* noſtræ malitia & depravatione. Muſculus igitur judicat morale eſſe præceptum, quo *cavetur* (ut in ſuperioribus dixerat)

dixerat) *ne carnis eſus homini liberè permiſſus abeat in crudelitatem beſtialem qua homo inſtar ſævæ beſtiæ carnem animalis, in qua adhuc vita ſit, cum ſanguine comedat. Sic intelligo* (dicit) *quod in Hebræo legitur* אַךְ־בָּשָׂר בְּנַפְשׁוֹ דָמוֹ לֹא תֹאכֵלוּ. *Quaſi dicat*, carnem non comedetis de animali in cujus ſanguine adhuc eſt anima vel vita aut in quo vitalis adhuc ſanguis exſiſtit. *Sic beſtiæ decerpunt ac vorant viva animalcula. Poſſet etiam ſic exponi:* Carnem in cujus corpore adhuc ſanguis eſt, ne comedetis. *Ut vox* נפש *non de anima ſed de corpore animato accipiatur, intelligaturque prohiberi ne quod membrum de vivo animalis alicujus corpore abreptum comedamus.* Calvinus: *Quidam ita exponunt, Membrum ex vivo animali abſciſſum ne comedatis, quod nimis jejunum eſt. Cæterum quum copula nulla ſit inter duas iſtas voces media, ſanguinis & animæ: non dubito quin Moſes de anima loquutus, ſanguinem exegetice addiderit: quaſi diceret carnem cum ſua vita quodammodo vorari, ubi ſanguine ſuo imbuta comeditur.* Calvinus igitur carnem cruentam palpitantem interdici putat, non intelligit de membro, quod vivo animali ademptum eſt. Pareus: *Reſtrictio eſt indulgentiæ; abſtinendum à ſanguine. Aliqui intelligunt prohiberi carnes vivas alii crudas & palpitantes; alii ſanguine ſuffocatas. Verum hæc Canibalica non opus habent prohibitione. Textus non eſt obſcurus; à cruore jubentur abſtinere ſeu vivo ſeu cocto.* Rivetus: *Non dubitamus eandem eſſe prohibitionem, quæ poſteà repetita fuit in lege & obſervata uſque ad tempora apoſtolorum, quibus de eadem re mota fuit aliqua controverſia & eadem lex ut ex Act. cap. 15. patet, aliis planè abrogatis, non ſolum ratione juris ſed etiam ratione uſus. Quoad uſum enim fuit adhuc converſis ex Gentiliſmo ad tempus commendata. Idque dubio procul, quia propter antiquitatem, cum data eſſet longè ante Moſis legem, difficilior erat ejus abrogatio, quam ut momento fieri poſſet. Fuit autem legis illius ſenſus, ut homines planè abſtinerent à ſanguine animalium comedendo, non ſolum, ut diximus, cum flueret è corpore vivo ſed etiamſi ex mortuo corpore, aut in ipſo adhuc maneret: ſive crudus eſſet ſive coctus. Qua ratione autem id fieri poſſet Apoſtoli duabus vocibus declararunt,* Suffocati & ſanguinis. *Cum enim dupliciter poſſit comedi ſanguis, vel intra ipſum animal, cum adhuc carni admixtus eſt, vel extra animal, cum fuſus eſt: primus modus ſub* ſuffocato *continetur; ſecundus ſub voce* ſanguinis *intelligitur.* Illam tamen ſententiam Muſculi Mercerus etiam tenet. *Hic arctat*, inquit, *generalem illam poteſtatem, quam dederat edendi animantes & rationem ac legem præſcribit, qua illis veſci debeant. Volo ita vos ſanguinem animantium edendorum effundere, ut crudelitatem interim vitetis ne eorum carnem ſimul cum ſanguine comedatis. Variant hic Hebræi, quidam putant hic vetari* אבר מן החי *membrum ex vivo, ut dicunt, quod unum eſſe ajunt ex ſeptem præceptis tum traditis filiis Noë, ne ſcilicet ex animanti adhuc vivente membrum ferarum more decerperent ad edendum, id quod nimis belluinum ſit & crudele & cum ingluvie etiam conjunctum, exſpectare non poſſe, donec jugulatum ſit animans &c. Alii putant ſic vetari* דם מן החי *ſanguinem animantis adhuc viventis. Rambam putat ſimplicitatem hujus contextus tantum ferre ut de* אבר מן החי *exponatur, non item de ſanguine. Ego utrumque hic putarim includi, ne aut membrum ex animante adhuc viva palpitans aut etiam ſanguis adhuc palpitans edatur. Nam eſum alioquin ſanguinis è jugulato animante, qui jam refrixerit, hic prohiberi non putarim, niſi ex conſequenti. Id tandem in lege prohibetur, Levit. 17. quia ſanguis eſt anima animantis, ut eo loco ratio affertur. Ne ſcilicet ad ſanguinis effuſionem inde homines facilè incitarentur ab effuſione ſanguinis animantium ad effuſionem humani ſanguinis, ut videmus lanios beſtiarum fere crudeliores eſſe & à ſanguine humano haud valde abhorrere. Multa tamen ante legem, ea poſtea cauta, videmus fuiſſe obſervata. Et ſane eadem ratio in his tribus obtinet. Corpus enim non animam animantium voluit Deus concedi, quæ eſt in*

ſanguine

ſanguine poſita. Quidam ſuffocata putant hic probiberi, ut poſtea de hac re in Actis Apoſtolorum legimus, quod aliquandiu hoc prohibitum fuerit offendiculi infirmiorum ex Iudæis vitandi cauſa. Sed ego hujus rei nihil hoc loco putarim ſignificatum, ſed id tantum quod dixi membrum animalis adhuc vivi aut ſanguinem non concedi. Sunt qui putent non hic alioqui diſertè de eſu animantium quicquam caveri, quia nemo tam ſit barbarus, qui palpitans membrum comedat ex animante ſemiviva ſed hoc velut ænigmate averti eos à crudelitate effundendi humani ſanguinis, ut ænigmata Pythagoræ ſæpe aliud ſonant. At ego quia hoc erat valde barbarum, hoc ſolo nomine id hoc loco interdici puto, ne ita ad ſanguinis humani effuſionem, de quo mox, incitarentur &c. Piſcator legem de carne animalium concedenda declarari putat exceptione duplici. *Quorum una,* inquit, *excipiuntur, morticina & diſcerpta, ubi dicitur* quod quidem vivum eſt (v. 3.) *Altera vero excipitur ſanguis v. 4 Cui exceptioni inſeritur ſua ratio: quia videlicet ſanguis ſit anima animalis: id eſt, quia anima ſeu vita animalis bruti conſiſtat in ſanguine: ſicut exponitur Levitic. 17. v. 11. Si cum illo verſu conferatur verſus 14. ejuſdem capitis. Quanquam hæc exceptio poteſt exponi aliter videlicet ne comedatur caro viva aut certè cruda, nondum ſcilicet à ſanguine ſeparata. Sic enim ſonant verba Hebræa,* Ne comeditote carnem in anima ejus, ſanguine ejus. *Quæ verba quam ſimpliciſſime videntur ſic exponenda, Ne comeditote carnem dum eſt in anima ſua, id eſt in ſanguine ſuo: hoc eſt, dum adhuc prædita eſt anima ſua & ſanguine ſuo, hoc eſt dum adhuc vivit & palpitat ſeu tremit. Atque ad hanc expoſitionem confirmandam duo faciunt, unum quod lex de ſanguine non edendo eſt cerimonialis ut percipitur ex Levitici 17. 14. at hic traduntur leges morales, quippe pertinentes ad mundi inſtaurationem, ac proinde non ad ſolum Noachum & filios ejus, ſed etiam ad omnes ipſorum poſteros deinceps naſcituros. Alterum eſt quod lex proximè ſequens de homicidio vitando, cum hac veluti ratio cohæret, ſumpta ab effectu, quaſi dicat Dominus; Nolo vos viva aut certè cruda & cruenta carne veſci: quia ſic evaderetis crudeles & inhumani & proclives ad homicidia: at ego nolo, ut quiſquam (privata ſcilicet temeritate) hominem occidat. Nolo igitur ut carne cruenta & viva veſcamini.* Nicolaus de Lyra affert quadruplicem expoſitionem: *Exponitur,* inquit, *à Iudæis uno modo ſic: Carnem cum ſanguine, id eſt membrum abſciſſum de animali vivo: quia iſtud videtur crudele & inhumanum. Alio modo, ut per hoc intelligatur prohibitum ſtrangulatum, ſubmerſum & per ſe mortuum: & hujuſmodi, quod moritur abſque ſanguinis effuſione. Tertio modo intelligitur, ut per hoc intelligatur prohibitus eſus ſanguinis ſeparatim à carne: ac ſi diceretur carnem cum ſanguine &c. Id eſt licet eſus carnium ſit vobis conceſſus, non tamen eſus ſanguinis. Quarto modo ſic exponitur Levitic. 17. Quod ſi aliquid acciperetur venatione vel aucupio prius deberet effundi ſanguis quam comederetur.* Joſephus: *παραινῶ μέντοι σφαγῆς ἀνθρωπίνης ἀπέχεσθαι καὶ καθαρεύειν φόνου καὶ δράσαντάς τι τοιοῦτον κολάζοντας: χρῆσθαι δὲ τοῖς ἄλλοις ζώοις ἅπασι πρὸς ἃ βούλεσθε καὶ τὰς ὀρέξεις ἔχετε. Δεσπότας γὰρ ἁπάντων ὑμᾶς εἶναι πεποίηκα, τῶν τε χερσαίων καὶ νηκτῶν καὶ ὅσα τὴν μετάρσιον χώραν ἔχει καὶ φορεῖν χωρὶς αἵματος. ἐν τούτῳ γάρ ἐστιν ἡ ψυχή.* Raſi ad verba illa ſic annotat. Quia dicitur בנפשו דמו, ipſe commentatur: כל זמן שנפשו בדמו לא תאכלו הבשר. nempe , אשר להם אבר מן החי Item בעוד נפשו בו. Quia dictũ eſt בשר בנפשו לא תאכלו annotat, הרי אבר מן החי: quia etiam dicitur ואף דמו לא תאכלו, annotat, הרי דם מן החי. Aben-eſdras habet: כן טעמו אך בשר עם נפשו שהוא דמו לא תאכלו כטעם לא תאכל הנפש עם הבשר כי נפש כל בשר דמו בנפשו הוא ואת הנפש המתנועעת והמרגשת האגוף: *Sic ſenſus ejus eſt tantum carnem cum anima ſua, quæ eſt ſanguis ejus non edetis illud* (Levit 17.) *Non edes animam cum carne, quia anima omnis carnis ſanguis ejus in anima ejus eſt: Hæc anima motrix & ſentiens eſt corpus.* Ralbag:

ומנע מהם אבר מן החי להיות בזה מרעה המנהג ומהנטייה אל התאוות מה שלא יעלם ר"ל שלרוב ההוללות לא יוכל להמתין שתהרג הבהמה ויקח ממנה אחר כך האבר' נאמר להם שלא יחשבו מפני שהתיר להם הריגת הב"ח שיותר להם הריגתם קצת את קצת אבל יענשם הש' יתע' על זה. *Et prohibet ab illis membrum de vivo ut ſit in hoc a malitia conſuetudinis & ab inclinatione ad deſiderium ejus, quod non cavetur. Vult dicere, quod à multitudine epularum non poſſit exſpectare, quod occidatur beſtia & accipiat ab ea poſtea membrum. Et dicit ipſis, ne cogitent, quia concesſerat ipſis occiſionem animalium, quod conceſſa ipſis ſit occiſio mutua ſed puniturus ſit eos ob hoc Deus excelſus.* Chryſoſtomus accipit de ſanguinis eſu omni ſive in venis ſit, ſive effuſus fuerit ita & alii veterum & multi de pontificiæ communionis ſcriptoribus. Sic etiam Rivetus, Pareus, Zwinglius &c. De animalis vivi membro aut occiſione per mutilationem, ut in ſuperiori allegatione apparet, accipiunt alii. Judæi ſic fere & quidem recentiores (ut vult Hugo Grotius) idque odio Chriſtianorum. Certum eſt & veteres ſic ſenſiſſe, neque video qui id ad odium Chriſtianorum pertineat. Sanguinis autem eſu prohiberi dicunt ob rationes phyſicas, cerimoniales & ethicas. Ethicam rationem eſſe ne ad cædem & ſanguinem homo efferretur. Cerimonialis ratio eſt, *quia* (ut loquitur hic Chryſoſtomus) *ſacrificia ex brutis perfecturi erant, quaſi docet illos, dicens, Quia ſanguis mihi ſegregatus eſt, vobis caro.* Addit rationem moralem, quæ eſt in textu: *Hoc autem facit*, inquit, *ideo, ut primis illis temporibus comprimat illorum impetum & propenſionem ad homicidia.* Et quod hoc ſit verum, quia per hoc eos magis pios facere voluerit audi quæ ſequuntur &c. Medicam & Phyſicam rationem reddunt, quia ſanguis ſæpe vitiatus ſit & infectus, carne nondum corrupta. At medicum & phyſicum hic non agit legiſlator.

Aut Sanguinem Hominum Effunderet] Alterum præceptum hoc eſt Noë datum. Volunt Judæi Noë ejuſque filiis data eſſe ſeptem præcepta. Nempe alia quinque præter iſta, quæ hic commemorantur. Ex his ſeptem ſex eſſe, quæ data ſunt Adamo primo hominum, ſeptimum de eſu membri rapti de animali vivo adjectum eſſe, cum Deus Noë ejuſque filiis legem poneret. In expoſitione primæ ætatis retulimus illa ſex. De his ſeptem Noidarum præceptis ſic Maimonis filius in Halacha Melachim cap. 9. על ששה דברים נצטווה אדם הראשון על עכו"ם ועל ברכת השם ועל שפיכות דמים ועל גילוי עריות ועל הגזל ועל הדינים: אף על פי שכולן הן קבלה בידינו ממשה רבינו והדעת נוטה להן מכלל דברי תורה יראה שעל אלו נצטווה: הוסיף לנח אבר מן החי שנאמ' אך בשר בנפשו דמו לא תאכלו: נמצאו שבעה מצוות: וכן היה הדבר בכל העולם עד אברהם בא אברהם נצטווה יתר על אלו במילה: *Sex præcepta accepit Adam primus, de idololatria, de benedictione Numinis, de effuſione ſanguinis, de revelatione nuditatum, de rapina, de Iudiciis.* (Abbreviata illa ſcribendi forma עכ"ום ſignificat עֲבוֹדַת כּוֹכָבִים וּמַזָּלוֹת cultum ſtellarum & planetarum:) *Quamvis omnia illa ſint Cabbala per manus noſtras à Moſe magiſtro noſtro, tamen animum advertens illis, ex omnibus verbis legis, videbit, quod iſta præcepta acceperit: Addidit ipſi Noë de membro vivi animalis. Q. D. Tantum carnem in anima ſua ſanguine ſuo non edetis: ita invenientur ſeptem præcepta: Et ſic fuit verbum in omni ſeculo uſque ad Abraham. Venit Abraham & accepit præceptum ſupra iſta omnia de circumciſione.* Placet igitur Judæis præceptum non fundendi ſanguinis humani, fuiſſe inde ab Adamo, Sulpicio Severo Noë hoc loco primitus eſſe datum placet. Scriptura, mandato de non edendo ſanguine immediatè ſubjicit tanquam finem legem de homicidio, quod ſanguinis

voce, ſive veneno ſive vulnere inferatur, ſolet deſignari. Omnis enim mors violenta & cædes ſanguinis voce dicitur Hebræis. Dicit Deus ſe requiſiturum ſanguinem humanum ab omni beſtia & homine. Sic autem requiſiturum, eamque pœnam exacturum ut ſit occidendus per hominem qui homicidium commiſerit. Rationem ſubdit cur hominem occidi nolit, ut beſtiam occidi conceſſit, quia homo ad Dei imaginem conditus eſt. Tria igitur iſta debent diſtingui: I. Ab homine & beſtia omnino exigendam eſſe ultionem ſanguinis humani. II. Hominis pœnam eſſe mortem ſeu ſanguinem. III. Rationem eſſe, quia homo ſit ad imaginem Dei factus. Pro ratione etiam eſſe poteſt, quod in v. 7. ſequitur. Ubi eſt benedictio iterata quæ & vim præcepti obtinet de פריה ורביה. Joſephus breviter & ſummatim. Παραινῶ μέντοι σφαγῆς ἀνθρωπίνης ἀπέχεσθαι καὶ καθαρεύειν φόνου καὶ δεδρακότας τι τοιοῦτον κολάζοντας. *Iubeo tamen ut humana cæde abſtineatis & puri ſitis cæde etiam qui tale quid commiſerint, punientes.* Vult Deus ab homine & beſtia exigere cædem hominis. Quomodo à beſtia? Hugo Grotius: *Id eſt, ajunt Hebræi, puniam eos; qui homines beſtiis objecerent.* Id refert Munſterus. Qui ita: *Rabbi Moſes de Cotſi & Aben-eſdras hunc locum dilucidè in hunc modum interpretantur. Ob id quod vobis conceſſi eſum carnium animalium, non debetis eſſe crudeles in beſtias ipſas, ut comedatis membrum de vivo animali. Nec hinc vobis licitum putetis ut pro qualibet cauſa hominem interficiatis, ac ſi pecus aliquod eſſet, cum ille ad imaginem Dei ſit formatus, non autem pecus. Unde primum prohibeo vobis, ne quis ſeipſum interficiat, alioquin ſanguinem veſtrum de animabus veſtris requiram. Secundò ne quis beſtiam incitet in hominem, ut illum devoret, alioquin requiram ſanguinem illum de manu cruenti animalis. Tertiò ne quis alium conducat, qui nomine ejus hunc vel illum occidat: aut nequis per ſeipſum aliquem interficiat, alioquin de manu hominis & de manu viri fratris ſui requiram animam hominis.* Mercerus notat difficile eſſe quod ait *de manu beſtiæ, cum in eam non cadat merces aut pœna, nec intellectu valeat, ut imputandum ei ſit, quod hominem occiderit.* Ideo Hebræos vel exponere מיד pro ביד, per manum beſtiæ, beſtia in eum immiſſa, pœnas & homine ſumam, vel hic cædem intelligere, qua quis occiditur immiſſa in ipſum fera. Ideò quatuor cædium humanarum genera toto hoc loco attingi. 1. Unum ſi quis ſibi manum inferat. 2. Si quis in aliquem beſtiam incitarit. 3. Si per alium occiderit. 4. Si per ſe occiderit. Judicium ipſius eſt, hæc eſſe duriora & aliena nec eo hic Moſen ſeu Dominum ſpectaſſe. *Nam qui cauſam dedit quoquomodo occidendi non eſt dubium, quin homicida ſit, at ſi alterum occidens punitur, quanto magis qui ſeipſum. Quoſdam Hebræorum* inquit *ſed frigidè intelligere de manu beſtiæ: Quod ſi beſtia hominem occiderit ſit effecturus ut altera beſtia illam occidat. Mihi autem*, inquit, *ad legem poſtea latam hoc referri videtur, qua cautum eſt de bove cornupeta, ſi hominem occiderit, ut lapidetur.* Mirifica eſt interpretatio Epiphanii: ἐνταῦθα αἰνίττεται τὴν ἀνάστασιν οὐχ ὡς τὰ θηρία πράξοντα εἰς τὸ κρεῖττον καὶ δίκας τῆς ἀνθρωποφαγίας εἰσπραξάμενος ἀλλ᾽ ὡς τὰ ὑπὸ τούτων καταναλωθέντα σώματα συνάξοντε καὶ συναναστήσοντα. Ἐν γὰρ τῇ χειρὶ αὐτοῦ τὰ πέρατα τῆς γῆς καὶ ῥᾴδιον αὐτῷ πάντοθεν συναγαγεῖν τὸ ἡμέτερον σῶμα. ἐνταῦθα μὲν αἰνιγματωδῶς τοῦτο δεδήλωκε, διὰ δὲ Ἰεζεκιὴλ σαφέστερον ἐκήρυξε τὴν ἀνάστασιν. Liber כלי יקר ſic docet rationem cur liceat carne veſci brutorum non hominis, eoque nec hominem occidere liceat: ולפי שהתיר הריגת הבעלי חיים סד"א שגם הריגת אדם הותרה ת"ל ואך את דמכם לנפשותיכם וגו׳ ומה שלא התיר אכילת בשר לאדם לפי שכל עם הארץ אסור לאכול בשר אבל נח שעסק בתורה הותרה לו וגו׳: *Et quia conceſſerat cædem animantium putas ne quod etiam occiſio hominis permiſſa ſit? Hoc vult di-*

cere

cere illud, Et ſane ſanguinem veſtrum in animas veſtras &c. *Cur non permiſit eſum carnis Adamo? Quia omni populo terræ prohibitum eſt edere carnem ſed Noë, qui in lege ſtudebat, illi permiſſum eſt: Et expoſitores dant rationem præcepto: quod omne creatum cibum habet ex eo, quod illi ſubjectum eſt, quia* הדומם *inanimum eſt minimum inter exiſtentia, nutritur è ſuo genere: Et gignens alimentum habet ex inanimo, quia lactatur è terra & omne animans è gignente. At homo, ſpecies loquens nutritur ex animantibus: Et hoc eſt quando ſtudet in lege & perfectione ſua: ob quod ipſe vocatur* אָדָם *homo, quia ſine hoc aſſimilatus eſt beſtiis ſilet: & cur ederet* בֶּן גִּילוֹ & ὁμοειδὴς, *filium ſtatus ſui?* & quæ perfectio adderetur τῷ ὁμοειδεῖ, *quando ab eo ederetur, quum omne nutrimentum vertatur in naturam nutriti? & homo quando edit ex animantibus additur perfectio animanti ut veniat* בְּמַדְרֵגַת *in gradum ſpeciei loquentis: at homo aſſimulatus beſtiæ quid dabit aut quam excellentiam addet illi, quod ederetur? Et ratione hac dictum eſt,* [Deut. 7. 16.] & comedes omnes populos; *& ſcriptum eſt* [Num. 14. 9.] quia panis noſter ſunt. *Nam vos vocamini* אָדָם *homo & non populi.* Ralbag exponit ſic illud de pæna homicidii nempe requiſitione à beſtia aut homine quod Deus per feram immiſſam minetur ſe occiſurum hominem homicidam: aut quod homo alius ipſum ſit occiſurus בִּשְׁגָגָה. *Et hoc magis*, ait, *mirum, quia* כִּי לֹא טֶבַע אִישׁ הַמִּין *non eſt natura ejuſdem ſpeciei animantibus ut occidant ſe mutuo, quemadmodum invenitur, quod quæ alterius ſpeciei ſunt, occidant* ἑτεροειδῆ. *Et magis mirum præ hoc quod requirat Deus ſanguinem è manu viri, qui eſt frater homicidæ & hoc erit* כשיסבב, *quum* cauſat, *efficit, ut interimat ipſum per errorem.* Et hoc *totum profectò erit quando occidit effuſor ſanguinis, nullo vidente: at ſi adſint teſtes, ecce præcepit Deus excelſus, quod qui effuderit ſanguinem hominis, effundetur ſanguis ipſius per hominem,* מַתָּה כִּבְנֶגֶד מִדָּה, *Et hoc abſque dubio fiet per* הדיינים והשופטים *Hi audient verba teſtium & examinabunt vera ne ſint an ſecus.* Apparet ipſum מיד accipere quaſi ſcriptum eſſet ביד, ut ſenſus habeatur, per beſtiam & hominem homicidium eſſe puniturum. Et quidem ſic diſcernit verſum quintum & ſextum, ut in quinto agatur de homicidio clandeſtino aut occulto, in altero autem quod commiſſum ſit coram teſtibus. Prius illud ſibi Deum aſſerere, qui ulciſci velit illud per caſuale homicidium aut immiſſione ferarum, alterum commiſſum eſſe publicis judiciis & tribunalibus humanis. Judicia publica ante diluvium nulla fuiſſe arbitratur Mercerus, quia non legitur animadverſum eſſe in Cain. At alia ratio Cain, in ipſis mundi primordiis, alia ſequentium ſeculorum, deinde Cain divinitus munitus ſigno impoſito eſt adverſus ſupplicium. Vir ſummus, Hugo Grotius exiſtimat non judicia hic in homicidium conſtitui ſed naturale jus talionis. Ita loquitur: *In Hebraico*, Effundens ſanguinem hominis in homine ſanguis ejus effundetur. *Vbi* in homine, *per hominem interpretantur Hebræi, trahuntque ad ſequentia, ut ſenſus ſit ex teſtium teſtimonio, judicum pronuntiato mortem homicidæ inferendam. At cum lex hæc lata eſt, nondum conſtituta erant judicia. Itaque naturale jus talionis hic indicari verius, quod aucto humano genere & in gentes diſtributo, meritò ſolis judicibus permiſſum, extra caſus quoſdam exceptos, in quibus manſit jus illud primævum. Vide quæ nos de jure belli ac pacis lib. I. cap. c. II. §. 5. & lib. II. cap. XX. §. 8. Non male igitur illud per hominem ſic interpreteris, ut morti devotus intelligatur, non is tantum qui manu ſua perpetravit homicidium ſed & is qui mandavit.* Annotat etiam hoc quod homo frater hominis appelletur, *Cognationem enim quandam inter nos natura conſtituit, ait Florentinus l. Vt vim ff. de juſtitia & jure.* Calvinus ita commentatur: *His verbis* (nempe ubi Deus de ſanguine humano ſubjicit

poſt ſanguinem beſtiarum) *clarius teſtatur Dominus ſe non animalium reſpectu vetare uſum ſanguinis: ſed quia pretioſam habeat hominum animam: & legis ſuæ finem unicum eſſe, ut communem illis inter ſe humanitatem commendet. Melius ergò Hieronymus pro particula* אַךְ, *reddidit* enim *ut ſit cauſæ redditio, quam qui adverſativè legunt.* Alioqui ſanguinem veſtrum &c. *Ad verbum tamen optimè ſic vertere licet:* Et ſane ſanguinem veſtrum. *Totus autem contextus meo judicio ita legendus eſt,* Et utique ſanguinem veſtrum, qui eſt in animas veſtras *vel* in animabus veſtris, *vel*, qui vobis eſt in animas, *hoc eſt qui vos vivificat & vegetat, quantum ad corpus,* requiram: de manu cunctorum animalium requiram eum: de manu hominis, de manu, *inquam*, viri fratris ejus requiram animam hominis. *Diſtinctio, qua conſtituunt Iudæi quatuor homicidii ſpecies, frivola eſt. Nam ſimplicem & geminum ſenſum expoſui, quod Deus tanti vitam noſtram faciat, ut inultas paſſurus non ſit cædes. Hanc vero rem pluribus verbis inculcat, quo magis deteſtabilem reddat eorum ſævitiam, qui vim & manus proximis ſuis afferunt. Eſt autem hoc non vulgare divini in nos amoris teſtimonium, quod tutelam vitæ noſtræ ſuſcipit & ſe mortis fore vindicem declarat. Quod pœnas ſe de animalibus ſumpturum dicit, ad exemplum pertinet. Nam ſi in hominum gratiam iraſcitur brutis animalibus, quæ cæco impetu feruntur ad paſtum, quid futurum de homine putamus, qui injuſtè & crudeliter in fratrem ſuum irruit?* Ita Calvinus in v. 5. Non ut Mercerus exiſtimat ſic requiſitionem beſtiæ accipiendam eſſe quod legem poſtea per Moſen ſit laturus: Nam fert legem in præſens: Et cur non licet dicere, quod ejuſmodi animal aut fera quæ hominem occidit, divinitus puniatur, etiam in ipſas brutas belluas ſæviente Deo & perſequente ſanguinem humanum? Quis enim inquiſivit in fata beſtiarum, quæ homine occiſo ſibi relictæ & ſolitudinibus fuerant? In v. 6. ita Calvinus: *Particula quæ mox ſubjicitur,* in homine, *ad amplificationem valet. Quidam exponunt* coram teſtibus, *alii referunt ad ſequentia, Quod per hominem fundetur ſanguis. Sed omnes iſtæ interpretationes coactæ ſunt. Tenendum ergò, quod jam dixi, ſceleris atrocitatem magis exprimi hac locutione, quod quiſquis hominem occidit, ſanguinem & vitam fratris ſui haurit in ipſo. Quod ad ſummam rei ſpectat, falluntur (meo judicio) qui putant ſimpliciter legem politicam hic ferri, ut plectantur homicidæ. Equidem non nego in hac Dei ſententia fundatam eſſe pœnam, quam & leges ſtatuunt & judices ſequuntur: ſed verba plus complecti dico. Scriptum eſt* (Pſ. 55. 25.) Viri ſanguinem non dimidiabunt dies ſuos. *Et videmus alios in compitis, alios in lupanaribus, pleroſque in bellis mori. Ergo ut conniveant magiſtratus, aliunde immittit Deus carnifices, qui ſanguinariis hominibus mercedem ſuam rependant. Sic autem Deus vindictam minatur & denuntiat homicidis, ut armet etiam gladio magiſtratus ad cædes ulciſcendas ne impunè fundatur ſanguis hominum.* Publica judicia ex opinione Grotii & Calvini hic non inſtituit Deus directè & formaliter. Qua ratione non videntur exiſtimare quod ante diluvium judicia fuerint. Hoc non exiſtimavit Sulpicius noſter:

Quia Mundi Primordia Mandati] Hujus præcepti de non fundendo ſanguine ſeu cæde punienda originem hinc deducit. Mercerus etiam judicia ante cataclyſmum non fuiſſe in homicidia putat. Grotius: *Ab uno facto illuſtri ſumpta conjectura divinæ voluntatis in legem ivit, ita ut Lamechus quoque ſimili facinore perpetrato, impunitatem ſibi ab hoc exemplo promiſerit. Gen. IV. 24. At cum jam ante diluvium, gigantum ætate, promiſcua invaluiſſet cædium licentia, inſtaurato poſt diluvium humano genere, ne mos idem invaleſceret, ſeverius occurrendum Deus cenſuit: & repreſſa prioris ſeculi lenitate, quod natura non iniquum eſſe dictabat & ipſe permiſit, ut inſons eſſet qui homicidam occidiſſet quod poſteà inſti-*

tutis

tutis judiciis, ſummas ob cauſas ad judices ſolos reſtrictum eſt; ita tamen ut moris priſtini veſtigium manſerit in jure ejus, qui occiſum ſanguine proximum attingeret, etiam poſt Moſis legem, qua de re infra fuſius agetur. Non eſt eadem ſententia Calvini & Grotii, ſed in hoc diſcedunt. Calvinus putat hic tantum à Deo indicari juſtitiam ſupplicii capitalis in homicidam, id autem non dari hoc in loco aut ordinari lege politica ſeu privatis ſeu judicibus, Grotius naturale jus talionis lege politica Dei conſtitui putat. Jure naturæ licere putat non præcipi, ut à quovis occidatur, qui homicidium commiſit. Ipſe enim in antecedentibus dixerat: *Solet ergò primum à nonnullis contra bellum adferri lex data Noæ ejuſque poſteris: ubi Deus ſic loquitur. Gen. 9. 5. 6.* &c. *Hic ergo quidam illud quod de repoſcendo ſanguine dicitur, generaliſſimè intelligunt; & alterum de effundendo viciſſim ſanguine comminationem eſſe volunt non approbationem quorum neutrum mihi ſe perſuadet. Nam interdictum de ſanguine non effundendo latius non patet quam quod in lege eſt, Non occides, quod neque capitalibus ſuppliciis, neque bellis obſtitiſſe manifeſtum eſt. Lex ergò tam hæc quam illa non tam novi aliquid conſtituit, quam jus naturæ prava conſuetudine obliteratum declarat atque repetit. Unde verba illa intelligenda ſunt in eo ſenſu, qui vitium includit: ſicut homicidii nomine non quamvis hominis cædem intelligimus ſed deſtinatam & innocentis. Quod vero ſequitur de ſanguine viciſſim effundendo, videtur mihi non factum nudum ſed jus continere. Rem ita explico. Natura non iniquum eſt, ut quantum quiſque fecit mali, tantundem patiatur, juxta illud, quod Rhadamanthi jus dicitur:*

Εἴπε πάθοι τὰ κ' ἔρεξε δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.

Quæ fecit ſi quiſque ferat, jus fiet & æquum.

Seneca pater hanc ſententiam ſic retulit: Juſtiſſima patiendi vice, quod quiſque alieno excogitavit ſupplicio, excipit ſuo. *Ex hujus naturalis æquitatis ſenſu Cain patricidii ſibi conſcius dixerat. Gen. IV. 14.* Qui inveniet me, interficiet me. *Sed Deus primis illis temporibus aut ob hominum raritatem, aut quia paucis adhuc graſſantibus minus opus erat exemplo, id quod naturaliter licitum videbatur edicto repreſſit & contractum quidem ac commercium homicidæ defugi voluit, at vitam ei non eripi.* Non accedo ſententiæ Grotii. Nam licet æquum patiatur homicida à quolibet percuſſus & confoſſus, rectè tamen non facit, qui extra Dei mandatum & inſtitutum homicidam interficit. Nulla lex naturæ dictat homicidam ſine proceſſu judiciali à quolibet poſſe licitè trucidari. Si nec ſanguinem animalium fundere licuit, ſine ſpeciali Dei permiſſu, quod & Grotius exiſtimat, quomodo ſine Dei ſpeciali mandato & voluntatis Dei ſignificatione homicida ab homine puniri potuit? Non exiſtimavit Cain ſe poſſe à quolibet licite interimi, ſed juſte ſe paſſurum eſſe, quod injuſtè & præter perſonæ jus alius inferret. Et mens meriti mali ſibi conſcia metuit quod metuendum non eſt. Jus aliud ἀγχιστείας apud Hebræos in lege fundatum non fuit commune omni homini. Hoc jus ob ipſo Deo principio mundi inſtitutum eſſe non dubitem cum judiciis publicis, ſine quibus non conſtat hominum ſocietas. Mihi judiciorum capitalium & ipſius homicidii morte puniendi origo ſit ab inſtitutione Dei, ſacroſancta. Natura quidem oſtendit non poſſe conſtare ſocietatem humanam niſi puniantur homicidæ ſed nimis audax illa manus fuerit & ſacrilega, quæ ſine ſpeciali ſignificatione divinæ voluntatis in hominem fratrem irruat. Poſſet enim Deus ſibi reſervare pœnam homicidii & homicidam aliter quam per manus hominis punire. Proinde neque judices neque ἀγχιστεῖς ſumpſerunt ſibi homicidam tollere, priuſquam Deus eos lege ſua armaviſſet.

Verſu eodem ſexto rationem Deus ponit cur tam ſolicitus ſit de hominum

vita. *Indigni quidem ſunt* (ſic Calvinus explicat) *homines, ſi eorum duntaxat habeatur ratio, quos curet Deus: ſed quia ferunt imaginem Dei inſculptam, violari ſe exiſtimat in eorum perſona. Ita quum nihil proprium habeant homines, unde ſibi concilient Dei gratiam, ſua in illis dona reſpicit, quibus provocetur in eorum amorem & curam. Sedulo autem notanda eſt doctrina neminem poſſe fratribus eſſe injurium, quin Deum ipſum lædat. Quæ ſi probe in animis noſtris infixa eſſet longe tardiores eſſemus ad inferendas injurias. Si quis objiciat imaginem illam deletam eſſe: ſolutio facilis eſt, manere adhuc aliquid reſiduum ut præſtet non parva dignitate homo. Deinde ipſum cæleſtem fictorem, utcunque corruptus ſit homo finem tamen primæ creationis habere ante oculos: cujus exemplo reputare nos decet, quorſum homines condiderit & qua excellentia eos dignatus ſit præ animantibus reliquis.*

Ita explicat v. 7. (Nam ejus expoſitio præſtat) *Sermonem ſuum iterum convertit* (Deus) *ad Noë & ad ejus filios, ut ad ſtudium propagandæ ſobolis eos hortetur: ac ſi diceret, Videtis me intentum eſſe fovendo & tuendo humano generi: vos itaque in ejus propagationem operam mihi veſtram impendite. Interim ſeminis conſervationem illis commendans à cædibus & injuſtis violentiis deterret. Præcipuus tamen finis fuit ille*, quem prius attigi, ut animos expavefactos erigeret. Neque enim in his verbis nudum eſt præceptum ſed promiſſio etiam continetur.

Ralbag rationem utramque & alia ſic interpretatur; אמנם הסבה אשר חייבה שלא ישוה האדם בזה הענין לשאר הב"ח הוא היותו נברא בצלם אלהים מה שאין כן בשאר הב"ח ולזה וגו' *Profecto cauſa quæ facit, quod homo in hac re non æquetur reliquis animantibus eſt, quod ſit creatus ad imaginem Dei: id quod ſic non eſt in reliquis animantibus. Et ideo occidendus eſt, qui eum occidit, cum permiſſa ſit occiſio animantium. Præcepitque ipſis etiam ſic, ut fœtificarent & augeſcerent, quaſi dicat ne corrumpant viam ſuam, ut fecerant viri ætatis diluvii ſed facerent hoc opus ad fœtificandum & augeſcendum, ideo prohibitus eſt illis omnis mas & beſtia & non fuit neceſſe ut admoneret eos de rapina & uxore maritata*, על אשת איש, *quia jam declaratum erat Noë, quod iſtæ tranſgreſſiones fuiſſent cauſa, quod ætas illa perdita eſſet diluvio. Sic etiam non neceſſe ut admonerentur de idololatria, ob hanc cauſam apparenter quia viri illius ætatis fuerant cultores idolorum, cum jam incepiſſent hoc ab ætate Enos. Ob quod etiam illis evenit, quod evenit. Ec ecce ſufficiebant iſta præcepta filiis Noë ad directionem collectionis eorum, quia olim noverat Deus excelſus, quod non eſſet pulchritudo in illis, in omnibus illis, quam accepturi eſſent à perfectione majori. Profecto autem filiis Iſraël præcepit legem perfectam, ut ipſi pervenirent ad perfectionem humanam, ut eſſent ſtabiles ad gubernandum ſe in illa.*

De arcu cæleſti, ſigno fœderis cum animantibus in ſicco.

ALiud alloquium Dei ſeu primi illius alloquii pars alia fuit, cum Deus commune fœdus de non perdendo iterum mundo per diluvium facit ſancitque dato ſigno ſeu ſacramento arcus pluvii in nubibus. Id ſic exponit Moſes, ut Deus primo ipſum fœdus à v. 9. uſque ad 12. proponat: deinde ſignum adjiciat in ſeqq. Fœdus hoc loco nihil aliud eſt quam ſtabilis Dei diſpoſitio de bono creaturæ ſigno confirmata. Appellat fœdus ſuum, quia ipſe pro ſuo arbitrio & benignitate conſtituit cum creaturis ſuæ diſpoſitioni & voluntati ſubjectis. Partes ſunt Deus & animalia ſicci. Inter quæ primas tenent Noë & ejus poſteritas. Hic Præadamianus aures etiam arrigat,

rigat, attendatque ſolis Noë poſteris promiſſam eſſe mundi ſtabilitatem, ut non interituri ab aquis. Anne ipſe potuerit exiſtimare gentiles nihil ad hoc fœdus pertinere, ut admiſſæ fuerint belluæ & ſicci animantes, excluſi autem gentiles ab ea Dei confirmatione? Anne putare quod animantium arca egreſſarum ſoboles Dei promiſſum, id eſt diſpoſitionem habeat, non reliquarum, quæ longe plures fuerint in orbe & terris gentilium? Omnia, quæ narrat Moſes, totalem interitum & inſtaurationem ita clamant & oſtendunt, ut cæcum & ſurdum eſſe oporteat, cujus oculi & aures ea non percipiant. Non libet nobis illi argumento inhærere nec verbum amplius addam. Promiſſio Dei eſt; quod nullum amplius diluvium terras deleturum eſſet, ſcilicet univerſale, quale fuerat hoc. Particularia enim multa fuerunt, quæ in hiſtoriis narrantur. Non iterum omnem carnem univerſaliter interituram & delendam eſſe aquis Cataclyſmi. Id fœdus eſſe duraturum לְדֹרֹת עוֹלָם, *εἰς γενεὰς αἰωνίους*, id eſt, *in ætates mundi.* Signum ſeu ſacramentum eſt arcus cæleſtis in nubibus tempore pluvio; res ſignificata, non eſſe delendum genus animalium per aquas. Nempe ſe eſſe recordaturum ex aſpectu arcus pluvii illius ſui æterni fœderis de non perdendo orbe terrarum ejuſque animantibus per inundationem.

Colloquium Dei fuit ad Noë & ad filios ejus: ſed ut placet Ralbag, על ידו per miniſterium Noë. Item Abeneſdræ: על ידי אביהם. Addit Abeneſdras, quod quidam exiſtiment Noë cum tribus filiis fuiſſe prophetas. Hanc promiſſionem re eandem eſſe patet, cum illa quæ habetur fine capitis octavi: ſed ibi decretum hic eloquium. Hujus fœderis inſtitutio & confirmatio ex ſententia Raſi confirmat Noë, qui ante hanc datam noluerit gignere, ut ne perituros gigneret, מסכים אני עמך שהיה נח רואג לעסוק בפריה ורביה עד שהבטיחו הק״בה שלא לשחת העולם עוד וכן עשה באחרונה אמר לו הנני מסכים לעשות קיום וחזוק ברית לאבטחתי ואתן לך אות: *Ferio ego tecum: quod fuerit Noë ſolicitus ut operam daret procreandis liberis, donec eum in ſecuritatem erigeret Deus, quod non eſſet amplius orbem perditurus diluvio: Et ſic fecit tandem: dicit ipſi, Ecce me propoſui facere ſtabilitatem & robur fœderis ſecurationis meæ & dabo tibi ſignum.* Noë an genuerit *poſt diluvium non conſtat, conſtat ex tribus illius liberis maribus orbem eſſe conditum.* Idem Raſi ſubtiliter diſcernit inter verba Dei à Moſe poſita. חית הארץ אתכם: hoc ita interpretatur, הם המתהלכים עם הבריות, Hæc ſunt quæ converſantur cum hominibus. In Rabbinico eſt *creaturis*, ut *κτίσις* in N. T. pro *homine. Et ex omnibus quæ egreſſa ſunt de arca*, exponit: להביא שקצים ירמש׳. At ſub חית הארץ non comprehendi המזיקין *dæmonia.* Quoniam duratio hujus fœderis ſic deſcribitur לדרת *in generationes*, deficiente vau in prima & ſecunda ſyllaba, נכתב חסר, id Raſi ſic evolvit. ש״ש דורות שלא הוצרכו לאות לפי שצדיקים גמורי׳ היו כמו דורו של חזקיהו מלך יהודה ודורו רבי שמעון בן יוחאי: Juſtos perfectos non indigere hoc ſigno, quales fuerint duæ ætates, una Ezechiæ regis, altera Simeonis Ben Jochai. Alii addunt notante Cl. Mercero, ætatem virorum Synagogæ magnæ, qua fuit Eſdras item R. Joſue filii Levi. Quæ nugæ ſunt. v. 14. dicitur. *Et erit* בענני ענן, *cum nubem ob duxero*; Id Raſi, כשתעלה במחשבה לפני להביא חשך ואבדון לעולם cum in cogitationem veniet coram me inducere ſeculo tenebras & exitium. Quaſi aſpectu arcus pluvii mutaretur in rei veritate animus Dei, ut ira accenſus cogitanſque mundum debere & parans exitium obductione nubium, flecteretur ad mitiora. *Ἀνθρωποπάθεια* eſt, non ſignificans quid in Deo ſed in factis Dei.

Fœdus

Fœdus hoc inter Deum & omnem animam viventem eſt, quod ſic Raſi
interpretatur : בין מ״ת הדין של מעלה &c. אלא זהו מדרשו כשתבא מדת הדין
Sed hæc eſt expoſitio, לקטרג על־כם לחייב אתכם אני רואה את האות ונזכר:
cum venerit proprietas judicii ad accuſationem de vobis ut vos reos faciat ego intuebor ſignum & recordabor. Aben-eſdras contendit arcum antehac non fuiſſe,
Obji- הנה נתתי עתה קשת בענן ואין פירושו כאשר אמר הגאון כי בתחלה היתה.
cit ſibi & reſpondet ad ſententiam philoſophorum Græciæ. אילו היינו
מאמינים בדברי חכמי יון שמלהט השמש תולד הקשת יש לומר כי השם חזק אור
Si fidem habeamus verbis ſapientum השמש אחר המבול נה״א דרך נבונה למבין:
Græciæ, quod ſol inflammans generet arcum, dici poteſt, quod Deus intenderit lumen ſolis poſt diluvium & hæc via certa intelligenti. R. Levi Ben Gerſomi, id
eſt Ralbag dubitat, quando initum ſit hoc fœdus: ר״ל שזה הברית היה ביום
השביעי ממי הבריאה או היה עם נח ואם לא נזכר או יהיה זה הברית מה שאמר
Signum quo hoc fœ- השם אל לבו שלא יוסיף עוד להכות כל חי כאשר עשה:
dus eſt confirmatum, dicit fuiſſe inde à creatione in poteſtate naturæ inde
rationem ſigni induiſſe. וזה שכבר נתן הש״שבע בעת בריאת העולם שיראה
קשת בענן כשיהיו מימיו מועטים ויהיה ממנו הלוף החלוש כמו שהתבאר בספר
האתו׳ ולזה היה הקשת הורא׳ על הפסק המטר כשירא׳ בהתחלה׳ ובהיו׳ העניין כן
הנה יתאמת שלא יהיה מבול בתתהו׳ הענן פעם אחר פעם כשיראה בו הקשת
כי אז יתאמת שלא יתכן שיהיה אז מבול אבל יפסק המטר או תמעט ירידתו׳ והיה
גזר הש״י שאחר התחלת המטר זמן בלתי ארוך יראה קשת ויפסק המטר ההו׳ בדרך
שלא יהיה עוד מבול ולזה ראה ה׳ שיהיה הקשת אשר יראה תמיד בענן אות על
הברית אשר בין הש״י ובין כל נפש חיה שלא יהיה עוד מבול לשחתם ולא יעברו
עוד מי נח על האר׳ וזה האות לא היה לנח לבד כדרך שאר האותות אבל שם אותו
ה׳ ית׳ קיים בינו ובין כל נפש חיה אשר על הארץ ר״ל שתמיד יראה להם זה האות
בעננו ענן והנה לא היה מציאות הקשת אות כי הוא נמצא על דרך הטבע אבל היה
Et hoc, quod olim dedit Deus הראותו הש׳ ית׳ תמיד לנו בעננו ענן כמו שביארנו:
naturam in tempore creationis mundi, quod viſus eſt arcus in nube quum eſſent aquæ imminutæ & eſſet ab eo ſublatio & remiſſio uti explicatur in libro ſignorum; Et ideo arcus eſt oſtenſus ſuper defectum pluviæ, quando videtur in principio. Et quum res ita ſe habeat ecce verificabitur, quod non ſit futurum diluvium cum exiſtit nubes vice poſt vicem, quando videbitur in ea arcus, quia tunc verificatur, quod non quadret ut ſit tunc diluvium ſed defectura ſit pluvia aut imminuendus ejus deſcenſus. Et ecce decrevit Deus excelſus quod poſt principium pluviæ tempore non longo videndus ſit arcus & defectura pluvia per modum, quod non ſit futurum amplius diluvium & ideò providit Deus quod futurus eſſet arcus, qui videretur jugiter in nube ſignum ſuper fœdus, quod inter Deum & omnem animam viventem, quod non eſſet futurum amplius diluvium ad perdendum eos, nec tranſituræ eſſent amplius aquæ Noë ſuper terram. Et hoc ſignum non fuit Noë ſoli, ſecundum modum reliquorum ſignorum ſed conſtituit illud Deus inter ſe & omnem animam viventem, quæ eſt ſuper terra. Id eſt quod jugiter conſpiciendum eſſet ipſis hoc ſignum cum nubem cælo obduceret. Ecce non fuit exiſtentia arcus ſignum, quia exſtitit per modum naturæ ſed factus eſt ſignum quia producit eum Deus jugiter nobis in productione nubis ut à nobis eſt expoſitum. Recte dixit Calvinus: *Ne memoria diluvii novos ſubinde terrores incutiat, quoties cælum nubibus obductum fuerit, quaſi iterum mergenda ſit terra eximitur hæc anxietas.* Etiam rara fides robur & conſtantiam iſtam non inveniebat quam non recordatio tam triſtis & horribilis Dei vindictæ concuteret. Igitur adverſus continuos imbres illa opponitur fultura. Amplum & commune. Primò cum Noë
ejuſque

ejuſque poſteris. *Et ſane*, inquit Calvinus, *quum hodie non minus exundet impietas quam ætate Noë pluſquam neceſſe eſt hoc Dei verbo tanquam mille ſeris & clauſtris cohiberi aquas ne ad nos perdendos erumpant. Quare nos hac promiſſione freti, exſpectemus diem extremum, quo ignis cælum & terram abſumens purgabit.* Deinde ad bruta animalia quoque pertinet. Idem: *Declarat ſe brutis quoque animalibus fore propitium: tantum ut effectus ſine ſenſu & intelligentia, ad tuendam illorum vitam pertineat. Unde refelli poteſt Anabaptiſtarum inſcitia, qui fœdus Dei infantibus commune eſſe negant, quia præſenti fide carent* &c. Signum eſt fœderi additum, quia *admirabilis eſt Dei indulgentia: qui, ut ſolidam verbo ſuo fidem apud nos aſſerat, talibus adminiculis uti non gravatur.* Arcum fuiſſe in nubibus, quia cauſæ ejus fuerunt, eruditi & cordati conſentiunt. Hinc etiam Calvinus: Arcum meum ponam in nube. *His verbis magni quidam theologi inducti ſunt, ut iridem negarent fuiſſe ante diluvium: quod frivolum eſt. Neque enim Moſis verba ſonant fabricatum fuiſſe arcum, qui prius non eſſet, verum notam illi fuiſſe inſculptam quæ divinæ gratiæ ſignum hominibus daret. Id ut clarius pateat memoria repetere convenit, quod alibi diximus, quædam naturalia eſſe ſigna: quædam vero præter naturæ ordinem. Atque hujus ſecundæ claſſis quanquam multa paſſim exempla in ſcripturis exſtant ſingularia tamen ſunt, neque ad communem pertinent ac perpetuum Eccleſiæ uſum. Terrenis enim elementis* uti *placuit Domino, quæ vehicula eſſent tollendis ſurſum hominum mentibus. Ita arcum cæleſtem, qui naturaliter prius fuerat, hic conſecrari puto in ſignum & pignus: atque ita novum illi munus imponi.* Alcuinus & gloſſa arcum ante diluvium non apparuiſſe in nubibus putant. Et laudat Nauclerus librum dictum Rudimenta novitiorum, in quo cap. 13. de prima ætate ſic ſcriptum ſit: *Ab ipſo Adam uſque ad Noë nec pluit nec hyems fuit ſed omni tempore aëris temperies & omnium rerum abundantia: quæ poſt diluvium ſunt corrupta.* Petrus Comeſtor etiam, eodem laudante, exiſtimavit, ante diluvium aquas non fuiſſe collectas in nubes. Cauſæ naturales arcus ſunt ſol & nubes. Nam noctu *arcus non fit niſi admodum raro: quia Luna non habet tantum virium ut nubes tranſeat, illiſque colorem ſuffundat, qualem accipiant ſole perſtrictæ.* Nempe *aliæ partes in nubibus tumidiores, aliæ ſubmiſſiores: quædam craſſiores, quam ut ſolem tranſmittant, aliæ imbecilliores, quam ut excludant. Hæc inæqualitas lucem umbramque permiſcet & exprimit illam mirabilem arcus varietatem.* Aliam cauſam reddunt: *Videmus cum fiſtula aliquo loco rupta eſt, aquam per tenue foramen elidi: quæ ſparſa contra ſolem oblique poſitum, faciem arcus repræſentat. Quidam ajunt eſſe aliqua ſtillicidia, quæ ſolem tranſmittant, quædam magis coacta, quam ut tranſluceant. Quidam ita exiſtimant arcum fieri, dicunt in ea parte, in qua pluit, ſingula ſtillicidia pluviæ cadentis ſingula ſpecula eſſe; à ſingulis ergò imaginem reddi ſolis. Deinde multas imagines, imò innumerabiles & devexas & in præceps tranſeuntes confundi: itaque & arcum eſſe multarum imaginum ſolis confuſionem.* Hæc Seneca, qui docet ſpeculi ratione imaginem ſolis reddi & arcum effigiari. Lyranus: *Circa hoc autem quæritur, quomodo iris ſit ſignum fœderis, cum procedat ex cauſa naturali: & dicunt aliqui, quod uſque ad diluvium non fuerat pluvia nec iris apparuerat: ſed hoc non videtur rationabiliter dictum cum pluvia fiat ex diſpoſitione aëris & motu ſtellarum & iſtæ cauſæ multo tempore præceſſerant* &c. *Et ideò alii dicunt quod licet præceſſiſſent nubes & pluviæ, non tamen fuerant nubes in tali diſpoſitione, quia ad generationem iridis requiritur nubes depreſſa & ante nubem depreſſam nubes roſcida: ut habetur 3. meteor. quod iris generatur in nube per modum ſpeculi: ubi requiritur receptio in roratione & terminatio in denſitate nubis: ſicut in ſpeculo requiritur perſpicuitas vitri & depreſſitas plumbi terminans. Dicunt igitur quod primò facta eſt talis diſpoſitio, quando*

Deus oſtendit ipſi Noë iridem. Sed hoc non videtur verum, quia ſecundum Auguſtinum Deus res, quas condidit, ſic adminiſtrat, ut eos proprios motus agere ſinat. &c. Verior igitur eſt ſententia, fuiſſe ante diluvium, ſed poſt diluvium, datum eſſe in ſignum diluvii non futuri. Quæritur & hoc ſitne ſignum naturale anne ad placitum. Signum naturale enim, quod cauſat rem vel cauſatur à re ſignificata. Ita digeſtio urinæ eſt ſignum naturale futuræ ſanitatis: vel mortis non futuræ ex illa ægritudine. Multi, ut etiam R. Levi in ſuperioribus, faciunt ſignum naturale. Dicunt enim arcum generari tempore non admodum pluvioſo. Generari enim in nube rorulenta, quæ fiat ex eo, quod vapores in aëre ad talis nubis generationem ſufficiant quidem, non tamen tantæ abundantiæ, quin eas calor ſolis poſſit ſuperare. Hinc notare imminutionem pluviæ & diluvium de proximo non eſſe futurum. Hinc continuatis ad ſingulas pluvias apparitionibus arcuum fœdus firmari, cum una apparitio pro tempore ſibi proximo tantum ſignificet. Nempe apparitionem longo tempore ante diluvium fuiſſe interruptam. Hoc à Lyrano rejicitur, ut contrà textum & veritatem. Textum enim cauſam activam diluvii attribuere virtuti divinæ ex influentia ſpeciali: materialem autem principalem aquis oceani divina virtute emiſſis & eductis ſupra cacumina montium. Ita poſſe ex illa ſuppoſitione, vaporum paucitatis, tantum ſignificari diluvium non futurum è pluvia, cum interim nihil notare poſſit de aquis oceani, quæ principalis materia fuerunt cataclyſmi. Ideo concludit eſſe ſignum ad placitum ex ordinatione divina, in quantum Deus ordinavit, quod in poſterum ſignum eſſet rememorativum pacti ſui. Ita aliquando contingere in humanis, ut quum lapis magnus, qui aliquanto ſteterit tempore immobilis, quodam loco, ſtatuitur de novo in ſignum alicujus diſtinctionis utpote hæreditatum vel regnorum. Cum ex ordinatione divina ſignificet arcus, ut ſacramentum ſui generis, id quæritur, an fuerit analogia ſigni & rei ſignatæ ut eſt in ſacramentis ita propriè appellatis, an potius ſine analogia fuerit. Nullam fuiſſe analogiam exiſtimat Calvinus quia ex ſeipſo potius rei contrariæ ſignum foret, quia diuturnam pluviam minatur. Analogiam ſubeſſe aliquam Lyranus conceſſerit, quamvis naturalis ſigni genere ejiciat, quia paucitatem vaporum facere putat nubem rorulentam, in qua arcus figuratur. Calvini opinio prævalet apud me. Exiſtimo enim nubium denſitatem vaporumque copiam non excludere arcus figurationem. Quo aquoſior nubes fuerit dummodo in guttas ſparſa per cæli fornicem ad radios admittendos eò radiantius irim exhibeat. Deinde hæc quæ in præſenti nubes eſt, vaporum ſubſequentium & aſcenſurorum non indicat copiam nec penuriam. Credo quidem in quadraginta diebus pluviæ, cum orbis inundaretur diluvio, non fuiſſe arcum in cælo viſum, quod non eſt factum ob copiam vaporum & nubium, ſed quia cælum totum obductum ſolis radios prohibuit in adverſam nubem ſplendere. Hoc certùm eſt, iridis conſpectum indicare pluviam conſtitutionem.

Cum intuemur irim in cælo, recordamur orbem aliquando aquis punitum interiiſſe, & pacti cum novo mundo, quod diluvium amplius metuendum non ſit. Scimus autem hunc orbem ſervari igni & incendio. Non credimus alternis inundatione & incendio orbem interire & renovari, ſed ſecundum totalemque interitum mundi fore ab igni & incendio. Noverat Ovidius incendium illud, diverſum à Platonica ἐκπυρώσει, quod miror:

Eſſe

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
Ardeat & mundi moles operoſa laboret.

Neſcio an illud ſparſum fuerit rumore communi cum illa tenui memoria πατροπαραδότῳ Cataclyſmi Noë, an acceptum à Judæis & recentatum. Exiſtimat Grotius, gentes quoque ſciviſſe quod iris ſignum eſſet, non amplius metuendi diluvii. Verba ejus: *Etiam apud poëtas Iris Deorum nuntia.* Tres in iride colores ſignificant Dei ſeveritatem, clementiam & beneficentiam. Nuntiam Junonis, ut aëris fecerunt non omnium Deorum. Et adverſa oppoſitaque opinione, quam poëtæ proponunt, tenuit vulgus iride effici pluviam. Putabant enim aquas bibere & effundere. Virg. Georgic. I. *Et bibit ingens Arcus.* Ubi Servius: *Sequitur iterum vulgi opinionem* In curculione Plauti: *Ecce autem bibit arcus, pluet, credo, hercle, hodie.* Lucan. 4. belli civilis:

Hinc imperfecto complectitur aëra gyro
Arcus, vix ulla variatus luce colorem,
Oceanumque bibit, raptoſque ad nubila fluctus
Pertulit & cælo defuſum reddidit æquor.

Narrat propter denſitatem nubium coactarum non rorulentarum nec in guttas ſparſarum, arcum non compleviſſe gyrum, quia in denſis illis nubibus diſtinctionem colorum non potuit nanciſci nec lucem. Oceano aquas attollere & refundere in terras. Hinc Ovidius irim Jovi miniſtraſſe narrat ad diluvium faciendum:

Nuntia Junonis, varios induta colores,
Concipit iris aquas alimentaque nubibus adfert.

Igitur Vacuo Tum Seculo] Seculum pro mundo & orbe; frequens illi ſeculo, apud Eccleſiæ ſcriptores. Hinc Tertullianus de ſpectaculis: *Utinam ne in ſeculo quidem ſimul cum illis moraremur: ſed tamen in ſecularibus ſeparamur: quia ſeculum Dei, ſecularia autem diaboli.* Mundum vacuum, ut in principio rerum, poſſidendum occupandumque accepit Noë cum ſua poſteritate. Incolebant uno tugurio aut vicinis in monte Armeniæ circà arcam, è qua exierant. Incolere & colere terram cœperunt poſtquam Dei juſſu ex arca exierant & benedictione, præceptis ac fœdere inſtructi confirmatique erant. Novi orbis hiſtoriam hinc orditur ſanctiſſimus ſcriptor. Narrat primò eventum admodum notabilem, qui fortunam trium filiorum univerſique mundi ab illis propagati fundavit delineavitque, qui contigit proximè poſt diluvium, dum adhuc in monte circaque eum incolerent. Secundò diſperſionem ab ædificatione Babylonis. Tertiò propagationem hominum per tres filios Noë. Quarto Abrahami hiſtoriam ante ipſius evocationem in Cananæam. Hæc nobis ordine explicanda erunt, ut hujus ætatis complexui ſatisfaciamus.

De iis, quæ evenerunt, dum adhuc circa montem Armeniæ homines incoluerunt.

Sed Cham, Quod Sopitum Vino] Occaſio facti, quo miſer maledictum meruit, erat ejuſmodi: Noë terram coluit, & vineam; vini hauſtu inebriatus fuit. Hinc ſui oblitus & decori, inque ſomnum lapſus non texerat verenda. Cui nuditati ille illuſit. Diſtinctim notanda Noë

agricolatio & ebrietas. Dicit Moſes: Gen. 9. 20. *Cœpit vero Noë agricola & plantavit vineam.* וַיָּחֶל נֹחַ אִישׁ הָאֲדָמָה וַיִּטַּע כָּרֶם. LXX: καὶ ἤρξατο Νῶε ἄνθρωπος γεωργὸς γῆς καὶ ἐφύτευσεν ἀμπελῶνα. Vulgatus: *Cœpitque Noë vir agricola exercere terram: & plantavit vineam.* Illa verba, *Exercere terram*, adjectitia ſunt, ut apud Græcos vocabulum ἄνθρωπος vel γεωργὸς. Videntur LXX. Scripſiſſe ἄνθρωπος γῆς, in margine fuiſſe poſitum γεωργὸς, quod in textum irrepſit. Pagninus: *Cœpit autem Noë agricola plantare vineam.* Piſcator in eundem ferè ſenſum cum Junio-Tremelliana verſione; *Cum autem cœpiſſet Noë eſſe agricola plantavit vineam.* Senſum autem loci ſic explanat: *Verba dupliciter poſſunt exponi: vel, incepit eſſe vir humi, hoc eſt agricola & plantavit &c. Vel Noë agricola cœpit plantare.* Vatabli annotata: *Hebraiſmi duo, vir terræ pro agricola: & cœpit & plantavit, pro cœpit plantare. Sic igitur verti debet, ut vertit noſter interpres, Cœpit autem Noë &c. Quibus verbis non ſignificat tunc primum colendis agris operam dediſſe Noë, ſed potius ipſum collecto animo, quantumvis eſſet ſenex rediiſſe ad agrorum culturam & priſtinos ſuos labores. An autem vinitor fuerit, incertum eſt.* Quæ verba deſumpta ſunt è Calvino. Qui addit: *Vulgò creditur nullum fuiſſe vini uſum ante id tempus. Ac eò libentius recepta fuit opinio, quod honeſtus eſſet prætextus ad extenuandum peccatum Noë. Atqui fructum vitis, qui præ aliis omnibus excellit, neglectum jacuiſſe & inutilem mihi non eſt probabile. Neque etiam dicit Moſes quo primum die vinum guſtavit Noë, fuiſſe ebrium. Ergò hoc in medio relinquens, potius ex ebrietate Noë diſcendum eſſe arbitror, quam fœda & deteſtabilis res ſit ebrietas.* Cl. Mercerus putat vineæ plantandæ uſum & vini exprimendi eſſe inventum à Noë. *Ego*, inquit, *cum Hebræis ex contextu colligi puto, quod primus vineam plantaverit eum aliàs vineæ ante non ſit facta mentio & nunc dicatur, quod eum eſſet agricola, cœperit vineam conſerere. Erant quidem & ante diluvium vites unde ſuccus aliquis colligi potuit in morem vini. Nam omnes res naturales diebus ſex, ab orbis initio, creatæ fuerant, ut deinceps naturæ tantum propagatio eſſet non rerum novarum procreatio. Sed qui vites ſerie quadam plantaret multas ſimul, quod vineam vocamus. aliud enim eſt vitis, aliud vinea etſi Galli hoc non diſtinguant, ſua voce, vigne, utrumque complectentes, nullus ante Noë fuerat: non ergò vitem, ut vulgo putatur, Noë primus plantavit. ſic Ramban, ſic Kimchi in libro Radicum & alii Hebræi ſentiunt ex ratione vocum. Vini ergo uſum docuiſſe Noë & inveniſſe non dubitarim, etſi potuerit aliquis ante diluvium, vini uſus eſſe, non ita tamen ſtudioſe elaboratus ex plantatione multarum vitium ſimul, quæ eſt vinea.* Quia homines ante diluvium edebant bibebantque, hinc multi colligunt vini uſum fuiſſe; quia vero non ſit ſimile factitium potum inebriaturum prius inventum eſſe quam vinum, potum naturalem. Facilior enim erat inveniendi ratio in uvis & potius occurrit hominum manibus mentibuſque ſeque ingeſſit uvarum ſuccus quam coctura aquæ cum hordeo & lupulo, ac ſimilis farinæ ſicera. Aben-eſdra dicit eſſe Dras, quod eadem die, qua plantavit vineam, Noë ſit inebriatus quod rejicit tanquam nullum habens fundamentum in ſcriptura. Nam Vau copulat etiam tempore dirempta, ut Gen. 4. 1. Ralbag: וספר לנו עם זה אחד מהמקרים שקרו לנח להועילנו בזכירתו כמו העניין בשאר הספורים׳ ואמר שכבר התחיל ליטע כרם לתכלית שיעשה ממנו יין כי חכם גדול היה בעבודת אדמה כמו שקדם׳ ולזה אמרו רז״ל בב״ר בו ביום נטע בו ביום׳ שתה ר״ל שהוא נטעו לזה התכלית והנה שתהמן היין יותר מן החוק הראוי והשיגתו השכרות עד שנרדם וגו׳:
Et narrat cum hoc unum de eventibus, qui evenerunt Noë, ut nobis proſit hac commemoratione, ut in re cæterarum narrationum: Dicit quod quando incepiſſet plantare vineam conſumate, quod fecerit ex ea vinum, quia magnus ſapiens erat in agricultura,

tura, ut ante dictum eſt. Hinc dicunt Magiſtri noſtri B. M. in Breſith Rabba, quo die plantavit, eo die & bibit: Significant, quod plantaverit in ea conſummatione. Et ecce bibit ſupra convenientem menſuram & apprehendit eum ebrietas, ut obdormiverit &c. Mercerus etiam aſſumit ex Beroſo Anniano, quod Noë fuerit Janus, ita ſcilicet dictus à יין, cognominatumque eſſe ideò à veteribus Latinis Oenotrium. Monachus ille Viterbienſis multos etiam doctiſſimos viros decepit. Quærunt Hebræi, teſte Mercero, unde vites habuerit Noë, cum diluvio omnia deleta eſſent & deformata? Quaſi proximo aut eodem anno, quo diluvium fuit, plantata à Nöë fuerit vitis. Id non indicat textus, qui Canaanem filium Cham ante hunc eventum natum fuiſſe oſtendit. Quod ſi dixerimus, mox à diluvio, reſumptis animis Noë eum filiis ad colendam terram rediiſſe, ut victum haberent, nec id eſt abſonum. Nam Deus diluvio non perdidit terræ virentia, quæ ſub undis mirificè conſervavit, quia animalia delenda erant, non gignentia & ſtirpes. Sed Judæi Judaico more ſuæ quæſtioni ſatisfaciunt, alii aliter. Volunt ſecum in arca ſervaſſe palmites vitis. Id judicio Cl. Merceri alienum non eſt, ut rem ſibi poſt diluvium uſui futuram maximo: ut & R. Levi vult eum ſecum ſervaſſe in arca ſemina omnium plantarum. Hic Cl. Mercerus: *Ego de non nullis non dubitarim, ſed tamen magna ex parte, ut dixi, putem plantas aut earum ſeminaria in terra ſub aquis mira Dei providentia & ſingulari cura conſervata fuiſſe in uſum hominum. Qui eum ajunt ex paradiſo petiiſſe, ut Cabalici, nimium ſibi indulgent. Putarim bona ex parte fuiſſe diluvio deletum paradiſum, ſi adhuc ſtabat. Nam fictitium eſt & fabuloſum quod quatuor ingreſſos dicunt paradiſum & vel mortuos eſſe vel ſibi non ſatis caviſſe, duos filios Aharonis mortuos, Adam & Noë ſibi non caviſſe. Abrahamum autem dicunt ingreſſum paradiſum feliciter unde lucum plantarit infra &c. Sive autem ante ſive poſt diluvium Noë è Paradiſo vitem tranſtulerit, curioſius eſſe puto.*

Noë vini repertorem fuiſſe ut concederem; ita Janum fuiſſe Italorum aut Bacchum Græcorum nullus concedo, quamvis decepti ab Annio Viterbienſi monacho & nimia ſacra cum profanis conciliandi prurigine ita ſenſerint viri pii & eruditi. Dixit ille Monachus apud ſcriptores idem eſſe, Noë, Janus, Ogyges, Vertumnus, cælum, ſol: quæ nugæ ſunt nugaciſſimæ. Unde & in fabulas itum eſt. Bergomas: *Poſtmodum terra ad propriam naturam reverſa, ipſe Noe vir agricola eſſe cœpit & exercere terram & cuncta animantia ad paſcua emittere. Cumque (ut plerique ajunt) caprarum hircum in Coricum Ciliciæ provinciæ montem ad paſcua emiſiſſet, ibidem labruſcas comedens, è veſtigio inebriatus eſt. Quamobrem cætera animantia cornibus petere cœpit. Quo comperto Noë protinus labruſcæ virtutem agnoſcens ipſam ſtatim ſanguine leonis, porci, agni & ſimiæ inſeruit. Per hoc (certe neſcius) declarans prædictorum quatuor animalium in vino madefactis quandam futuram ſignificare voluiſſe ſignificationem ſeu potius ſimilitudinem. At labruſca ab ipſo Noë in vineam bonam inſerta, optimum vinum protulit. Cumque eam vindemiaſſet & ejus vinum ad uſum deduxiſſet, faciens convivium magnum* (cum ſacrificaſſet ut Nauclerus adjicit) *ex illo primus inebriatus eſt. pro quo etiam ſtatim ut agnus in ſopore demerſus, etiam denudatus inhoneſtè jacebat.*
Indicium ejus quod Noë primus vitem & vineam plantare cœperit & conſerere Hebræi ſumunt è literis Nominis. Autor libri כלי יקר: ורמז לנח
כשתכתוב יין יו״ד יו״ד נו״ן סוף תיבות עולה למספר נח רמז כי הוא היה הראשון שנתעסק
Nempe quia vini nomen Hebræum in primam literam nominis בנטיעה זו.
Noë definit. Sequitur libri illius eodem loco: ורבותינו ז״ל אמרו ויתגל
בתוך אהלה שגרם לבניו גלות בעון השותים במזרקי יין ואולי שזהו כוונת המדרש
שמסיק

שמסיק בילקוט שנזדווג לנח השטן כשנטע הכרם ושחט לפניו מתחלה טלה ואחר כך ארי ואחר כך חזיר כו':
Et magiſtri noſtri B. M: dicunt. Et nudatus eſt in medio tabernaculi ſui, quia occaſio fuit filiis exilii propter impietatem bibendi, crateribus vini. Et fortaſſis hæc eſt mens concionis, quæ concludit in libro Ialkut, quod Satan coierit cum Noë, quando plantavit vineam, & mactaverit coram eo primò agnum, deinde leonem, poſt porcum &c. Addit hoc ſignificare בנסתרות, quod populus Judæorum tribus exiliis eſſet ſubjiciendus. Quorum primum ſub Ægypti rege ut agno, alterum ſub Nabuchadneſſaro, ut leone; tertium ſub populis, quos cum porco gens impia & excæcata odio aliorum populorum componit. In libro Thanchuma quatuor animalium ſanguine Satan vitem irrigat. *Narrat enim tres agriculturæ deditos in impietatem eſſe prolapſos ſive factos eſſe* חולין *Cain, Noë & Vriam regem. Nempe eodem die eum plantaviſſe vineam, eam protuliſſe fructus, eum vindemiaſſe, bibiſſe, inebriatum eſſe, nudatum jacuiſſe. Perhibere Rabbinos, cum Noë vineæ ſerendæ manum admoveret, veniſſe Satanom, ſtantemque ante eum dixiſſe, Quid conſeris? Quo dicente, Vineam: Retuliſſe, cui bono? Tum reddidiſſe Noë, fructus ejus dulces eſſe, & humidos & ſiccos, deque iis fieri vinum, quod cor hominis lætificet, ut ſcriptum invenitur. Hic Satan: Age jungomus operas. Cumque reſpondiſſet Noë* לחיי, *Quod felix fauſtumque ſit, Satan adduxit agnum, eumque occidit ſub vite, ſimiliter leonem, porcum. ſimiam: ſtillavitque ſanguinem eorum in vineam & potovit eam de ſanguinibus. Id indictum, quod antequam homo bibat de vino, ſit inſtar agni, quæ nihil quicquam novit & ſicut ovis: ſi bibat decenter, fortis eſt ut leo, & dicit ſibi ſimilem non eſſe in mundo. Cum bibit plus æquo, porco fit adſimilis, qui ſe inquinat lotio & ſordibus*, ובדבר אחר. *Inebriatus adſimilis ſit. Simiæ, ſtanti, ſaltanti, ludenti producenti coram omnibus turpiloquium oris, nec ſcienti quid faciat.*

Sopitum Vino Patrem Riserat] Noë vino obrutus ſe projecit in terram, nudatuſque humi jacuit, non tectus membra, quæ natura à lapſu tegi voluit. Cedrenus: ὅτι τῷ δισχιλιοστῷ διακοσιοστῷ πεντηκοστῷ πρώτῳ ἔτει, Νῶε ἐφύτευσεν ἀμπελῶνα ἐν ὄρει λουβὰν (leg. λουβὰρ) τῆς Ἀρμενίας θύσας τε τῷ θεῷ καὶ πιὼν οἶνον ἐγυμνώθη. Novem igitur annis à diluvio, juxta ipſum, id factum & ex occaſione ſacrificii. In tabernaculo ſive tentorio באהלו dicitur decubuiſſe. Nempe quia illa adhuc tempeſtate ædium ſtruendarum uſus non obtinuerat. Dicitur ipſi aliquid factum eſſe, dum decumberet, nec exprimit ſcriptura quid fuerit. Faſcino incantatum fuiſſe quidam arbitrantur, alii exponunt de eo, quod Cham ſive Canaan patrem riſerit, ut Sulpicius. Sed nec hoc Moſes dicit. Dicit tantum Cham fratribus ſuis nuditatem Patris indicaſſe non facientem quod oportuit, nec aliquid mali committentem, quod maledictum mereretur. Cham indicavit fratribus, quod pater indecore nudus jaceret. Unde hoc novit? Volunt ipſi indicatum fuiſſe à filio ſuo Canaan, quod ſcriptura non dicit. Cur non ipſum vidiſſe dixerim, indicaſſe, non feciſſe, ut oportuit? Ralbag:
וידמה לי שהיה כנען הוא המגלה ערותו והנה ראה אח"כ חם אבי כנען את ערות אביו ולא בוש ולא כסה אותו אבל הגיד וגו'
Videtur mihi veroſimile, quod Canaan detexerit nuditatem Noë; & ecce vidit poſteà Ham pater Canaan, qui nec erubuit nec texit ſed enuntiavit &c. Idem ex aliorum ſententia refert כלי יקר. Id Sepher Thanchuma ad R. Nehemiam refert. Factum igitur aliquod Canaani agnoſcit, nempe quod Patris verenda detexerit ipſumque ignominiæ expoſuerit. Hoc non accipio. Nam 1. textus diſertè teſtatur ebrietatem fuiſſe cauſam nudationis 2. Hoc tale factum eſt, ut ſcire non

potuerit

potuerit Noë, cum in ſe evigilans animadverteret; an ex ebrietate & negligentia an malitia & ſcelere alterius eveniſſet. Pudentia & reverentia animos, oculos, manus duorum fratrum, qui enuntiante Chamo, patris nuditatem intellexerant, in eum modum gubernavit, ut veſte humeris impoſita, averſi acceſſerint ut verenda patris tegerent. Id fecerunt ob modeſtiam ſuam & honorem patris: לצניעותם ולכבוד אביהם: Unumne pallium ambo an quiſque ſuum portaverint, ineptum eſt quærere. Hebræi, teſte Mercero, putant Semum primum pallium ſive ſtragulum arripuiſſe & primum inceptorem boni facti fuiſſe (ſic Raſi) adjutum deinde eſſe à Japhet: eoque majori & potiori benedictione potitum. Id colligunt è verbo ſingulari ויקח, *Et ſumpſit Sem & Iaphet* &c. Hoc infirmum eſt fundamentum. At, *Noë, cum evigilaſſet, cognovit quid ſibi feciſſet filius ſuus minor.* Unde ſcire potuit, quod per quietem evenerat? Quidam exiſtimant cognoviſſe ſpiritu prophetico בנבואה, alii conjicientem ingenium Chami, alii modeſta indicatione Semi & Japheth. Autor כלי יקר, qui eſt R. Salomo Ephraim: לא נכתב בפרש׳ מיהגיד לנח מה שעשה לו בנו וכי ראה נח זה
בנבואה׳ ונראה לפרש ע״ד שארז״ל שלשה שמשו בתיב׳ עורב כלב וחם כו׳ ולפי זה
כשעמד נח משנתו היה מתבונן בעצמו מי עשה לו הדבר הזה ודאי אחר מבניו שחשוד
על העריות עשה לו זה שרבעו ומתוך ההתבוננות נזכר במעשה שהיה וידע את אשר
עשה לו בנו הקטן בטיבה כי טמאה על ידי תשמיש בזמן האסור אמר נח מי שעשה זה
עשה גם זה ולפיכך קללו: Magiſtri illi B. M. dixerant tres in arca coiiſſe cervum, canem, Cham. Noë igitur, diſcuſſa crapula & ſomno expergefactum, pro ſagaritate ſua, libidinoſum ingenium Chami è pollutione arcæ conjiciens, illi hoc factum ſuæ nudationis imputavit. In Thanchuma eſt oculos Chami rubicundos eſſe factos ex libidinoſo intuitu pudendorum Parentis; detortis fuiſſe labiis ex enuntiatione: quia faciem retro converterat aduſtam eſſe capitis cæſariem barbamque, id eſt, ut arbitror, aënei coloris redditam: & quia non texerat nuditatem patris, nudum inceſſiſſe, retractoque præputio: לפישכל מדותיו של הקדוש ברוך הוא מדה כנגד מדה:
At quæritur quis ſit ille minor filius, in quem maledictum vibrat Noë? Alii Chamum eſſe putant, alii Canaan. Chamum eſſe putant ex his rationibus. 1. Hic in antecedentibus aliquid mali legitur feciſſe, ubi meritum narratur maledictionis. 2. Filius fuit Noë, qui maledictum meritus eſt & accepit. Atqui Sem & Japheth non ſunt maledicti, relinquitur igitur Chamum fuiſſe. Reſpondetur ad arg. 1. Cum factum aliquod ſeu maleficium ſit meritum maledictionis, non fuit aliquod factum Chami. Non eſt etiam Cham maledictus, ſed in benedictione præteritus, ut prætererat & neglexerat patris nuditatem. Maledictum ille accepit, qui meritus erat maleficio id eſt Canaan. Ad. 2. Filii vocem de nepotibus etiam accipi, & nepotem notari adjecto voce קטן. Alii Canaan volunt quartum filium Noë fuiſſe. Alii (quod expeditiſſimum) putant articulum affixum non ad proximum Noë ſed remotius Cham, referendum eſſe, cujus filius minimus natu fuerit Canaan. Canaan eſſe, qui hic notetur, probant, 1. quia ille maledicto notatur: illius ſcilicet fuerit demeritum, cujus pœna. Niſi velimus Judaicum commentum admittere, quod ideò Chamo maledicere non potuerit Noë, quia anteà à Deo benedictus erat. Id frivolum & ut Aben-eſdras loquitur זה דרך דרש. Stabat enim Dei benedictio cum hoc maledicto. Et quæ cauſa, quod in Canaan potius, quam alium Chami filium, inſurrexerit? 2. Qnia Moſis ſcriptoris Judæorum præcipuus ſcopus fuit; cauſam exponere, cur Canaan fuerit maledictus, & poſt tot ſecula

cula ejectus ſua poſſeſſione, quam vacuam à diluvio occupaverat, per tribus Iſraël. Ralbag exiſtimat Canaan fuiſſe illum, qui maledictum meritus eſt. אשר עשה לו בנו הקטן של חם והוא כנען' והנה לא נתבארו מזה מה
*היה זה המעשה אבל עב"פ ידענו שכבר ה"ה מגונה מאד עד שקולל בעבורו כנען זאת
הקללה הנפלאה אשר זכר והוא ש"ה"ה כנען עובדל אחיו עברות נפלא' והנה אמר זה
בנבואה ר"ל שכבר הגיע לו בנבואה שכנען הוא מקולל בזאת הקללה הנפלא' והנה
מה שאמרו ר"ל שסרס אותו הוא נאות מאד ולזה שלם לו נח מדה כנגד מדה כי
כנען עשה שלא יול"ד עוד נח בנים כדי שתה"ה לו ולשאר בניו לבדם הארץ בדרך
שלא ירבו המושלים בה ונתמעט מפני זה חלק כנען וקולל מפני שיוסר ממנו הממשלה
ויה"ה עבד עבדים לאחיו: *Quod fecerat ipſi filius ejus minor, ſcilicet Chami, qui eſt Canaan. Non eſt expoſitum, quod fuerit factum, at omninò novimus quod turpiſſimum fuerit, ob quod maledictus eſt Canaan hac mirabili maledictione. Et quod dicunt, ſcilicet, quod eum caſtraverit, admodum convenit. Ideo retribuit ipſi Noë ex æquitate: quia Canaan fecerat hoc, quod Noë non amplius genuerit liberos, quo terra eſſet ipſi & reliquis filiis ejus ſolis, quo non multiplicarentur dominantes in ea, & portio Canaan imminueretur, maledictus eſt ob hoc, ſublatumque ab eo dominium, ut eſſet ſervus fratribus ſuis.* Raſi Chamum intelligit per filium minorem, ſed dici ſic contemptim, ideò hinc non effici, quod natu minimus fuerit. Aben-eſdras etiam Canaanem accipit: הכתוב לא גלה מה נעשה והעושה היה
כנען וכן היה כי חם ראה ולא כסהו כאשר עשו אחיו רק גלה הדבר ושמע כנען ולא
נדע מה עשה' וטעם בנו הקטן לעד כי כן הוא אומר ובני חם כוש ומצרים ופוט
וכנען גם וי"ו בנו שב אל חם הנזכר וגו' *Scriptura non aperit, quid ſit factum, at faciens fuit Canaan & ſic evenit, quod Cham viderit & non texerit eum, ut fecerunt fratres ejus, tantum rem aperuit.* &c. *Et ſenſus eſt, filius ejus* (ſc. Chami) *minor, ut oſtenditur, ubi dicitur, Et filii Cham, Chus, Miſtraim, Put & Canaan. Etiam Vau in* בנו *redit ad Cham cujus mentio facta erat* &c. Theodoretus annotat Chamum eſſe punitum antequam ulla eſſet lata lex, quia natura docet parentes venerari. οὕτω καὶ ὁ χὰμ τὴν τοῦ πατραλοίου κατηγορίαν ἐδέξατο ὡς παραβὰς τὸν τῆς φύσεως νόμον. ὅτι καὶ γεραίρειν τοὺς γεγεννηκότας ἡ φύσις ἐδίδαξε, μαρτυροῦσιν οἱ τοῦ χὰμ ἀδελφοί, οἱ παρ' ἐκείνου τὸ πάθος μεμαθηκότες τοῦ πατρὸς μετὰ πολλῆς αἰδοῦς εἰς τοὐπίσω βαδίζοντες συνεκάλυψαν τὸν πατέρα, ὡς ἂν ἥκιστα ἴδοιεν ὅθεν σπαρέντες ἐβλάστησαν τῇ γάστρι καὶ μάλα εἰκότως καὶ τοῦ πατρὸς τὴν εὐλογίαν ἐδρέψαντο. Objectionem Origenis ponit cur poſt enumerationem filiorum Noë (v. 18.) adjiciat de ſolo Cham quod filium habuerit & quidem unicum modo filium ejus commemoret, dicens: Et Cham ipſe eſt pater Canaan? εἰ γὰρ ἐχρῆν μνημονεῦσαι τῶν υἱῶν, ἔδει πάντων καὶ μὴ μόνον χαναάν. Hic reſpondet, patrem Cham impietate ſimilem fuiſſe filio Canaan, cum reliqui duo parentis ſui ſimilis eſſent. υἱοὶ μὲν γὰρ πάντες τοῦ Νῶε τῷ γένει. μόνος δὲ οὗτος οὐχ υἱὸς τῷ τρόπῳ. ἀλλὰ τοῦ ὁμοίου παιδὸς πατήρ. διόπερ ἐμφαντικῶς κεῖται, αὐτὸς πατὴρ χαναάν. Hæc ſe ab Hebræo quodam habere oſtendit, qui etiam talem παράδοσιν afferebat, ἐπενεγκὼν ἀπόδειξιν τῇ παραδόσει. ὡς ἄρα ὁ χαναὰν πρότερος εἶδε τὴν ἀσχημοσύνην τοῦ πάππου καὶ ἀπήγγειλεν αὐτοῦ τῷ πατρὶ μόνῳ, καταμωκώμενος ὥσπερ τοῦ γέροντος. Cham autem*, cum oportuiſſet eum, ὁμοίως τοῖς ἀδελφοῖς non accedere ad patrem ἀσεβῶς, ſed objurgare eum qui primus viderat & detulerat (διαβάλλοντι) ipſe etiam adduci ſe paſſus eſt & ingreſſus, & retulit ad fratres. Καὶ ταῦτα δὲ δοκεῖ μῦθος εἶναι, εἰ μὴ τὸ τῆς ἀποδείξεως ἦν ἰσχυρόν. Nam ſcripturam dicere: Et ſuſcitatus eſt Noë à ſomno ſuo & cognovit quæcunque fecerat ei filius ſuus junior. Chamum non fuiſſe filium juniorem ſed ſecundum. Quod ſi filium minimum demon-

demonſtrare voluiſſet, Japhet nominandum fuiſſe. Ἐπειδὰν δὲ τοὺς ἐκγόνους υἱοὺς ἀεὶ λέγουσιν οἱ πάπποι, καὶ τοὺς μακρόθεν ἀπογόνους, τὸν βραχύτατον τῶν ἐκγόνων τὸν Χαναὰν εἴρηκεν ἡ γραφὴ ἐγνῶσθαι παρὰ τοῦ Νῶε, ὅτι αὐτὸς ἐποίησε ταῦτα. Id ita eſſe, ex eo manifeſtum evadere, quia divinus ſermo dicat, *Maledictus Chanaan* &c. Quærit, cur non cum filio pater impius ſit maledictus? R. quia ſic etiam fratres maledicto fuiſſent involuti. Nam *ſervus ſervorum*, dicitur: fuiſſent igitur Sem & Japhet ſervi, quibus ſerviturus erat. Sed non intellexit, locutionem Hebræam. Deinde iterum quærit, quaſi prioribus illis in medio relictis, Τί δήποτε τοῦ Χαναὰν ἐπταικότος ὁ ἐκείνου παῖς ἐδέξατο τὴν ἀρὰν; Reſpondet, quia cum duobus filiis benedictionem divinam nactus erat. Τολμηρὸν τοίνυν ὑπέλαβεν ὁ Νῶε ἐπαγαγεῖν ἀρὰν τῷ τῆς θείας εὐλογίας μετειληχότι. In filio ſupplicium luiſſe patrem. Adhæc, quod ſi ipſe Cham maledictionem ſuſcepiſſet in totum genus maledictio ea perrogata fuiſſet. Ideoque minimum filium maledictione eſſe percuſſum. Chamum non eſſe minimum filiorum Noë, nec Japhet natu maximum docet perpetua illa enumerationis forma, qua in medio ponitur. 2. Quia Sem primogenituræ benedictionem habuit, non potuit non eſſe maximus natu. Nam ubi primogeniti exciderunt, ſemper ſacra ſcriptura rationem & demeritum exponit ut videamus, cur non ex illo tali Chriſtus originem habuerit. 3. Evidens eſt locus Gen. IX. 21. At audiamus differentem hic quoque Chronologiæ ſummum magiſtrum Joſephum Scaligerum in elencho primæ orationis Chronologicæ Davidis Parei. *Hunc enim ordinem filii in ſcriptura habent, quem illis natura dedit. Sed quanquam ſobria & modeſta ingenia quid ſuperioribus opponant, non habent, tamen ne quem locum querulis relinquamus, hæc demonſtrabimus. Iudæi Sem primogenitum non fuiſſe hoc argumento colligunt. Noë natus annos D. genuit Sem, Cham, Iaphet. Geneſ. v. 32. Sem anno ſecundo à diluvio annos natus C. genuit Arphaxad. Anno igitur Noë DCII. Sem erat tantum centum annorum, & proinde unus ex duobus reliquis filiis erat CII. annorum, quando Sem erat tantum C. Igitur Sem non erat primus natu fratrum. Elenchus in promptu eſt, tam ex demonſtratione, quam ex verbis Moſis. Demonſtratio hæc eſt, Noë vixit annos 950. de quibus 350. vixit poſt diluvium. Deductis 350. de 950. remanet annus Noë 600 poſt diluvium. Ergo diluvium inivit anno Noë 599. non autem 600. ut hactenus omnes putarunt. Quod ſane veriſſimum eſt. Itaque Anno 601. ineunte Sem genuit Arphaxad annos natus Centum, centeſimo anno abſoluto, poſtquam pater ejus cœpit generare. Quare ſi Noë annorum D. erat, quum cœpit generare & filius ejus annorum C. cœpit generare anno patris ſui DCI. ineunte, nullus ergò filius Noë natus eſt ante Sem. Propterea errant, qui Natalem Arphaxad ſtatuunt anno Mundi 1658. ætatis Noë 602. Futile igitur argumentum Iudaicum. Ex verbis autem Moſis adeò illa fabula confutatur, ut mirer diligentiſſimos harum rerum inveſtigatores Iudæos eo ſolo Moſis teſtimonio ab inanibus quæſtionibus deterritos non fuiſſe. Nam Gen. X. 21. Sem dicitur major frater Iaphethi. Tertius frater habet duos priores ſe, primum, ſecundum: & quidem primus ſemper dicitur major frater tertii, quia eſt major duorum, qui tertio priores ſunt. Quare enim non dixit potius major frater Chami quam major frater Iaphethi? Quia nimirum tertius habet duos fratres ante ſe, quorum major is eſt, qui natu primus eſt. Sic in Gallia loquimur, ut tertii major frater dicatur is, qui natus primo loco eſt, quanquam ſecundus eſt major tertio. Semus igitur major minimo Iaphetho dicitur potius quam Chamus, quia Semus eſt major Chamo. Sed obſtat Gen. IX. 24. quando reſcivit, quod filius minor ſibi fecerat: Filium minorem intelligunt Cham, quia is eſt, qui fratribus infamiam patris prodidit. Itaque, inquiunt, Cham eſt minimus natu, Iapheth primus, Sem ſecundus.* Credat

Judæus

Judæus Apella. *quid ſecit Cham patri ſuo? Nihil. Tantum fratribus de patris probro nuntius ſuit. Atqui ſcriptura diſertè dicit, Neſcio quid Noë à minore filio factum, propter quod Noë in maledictionem eruperit. Experrectus enim vidit, quod ſibi minor filius ſecerat. quod quidem ſcriptura non exprimit ſed tamen conſtat factum eſſe, ut eleganter monet doctiſſimus Aben-eſdras: propter aliquod enim factum maledictio emiſſa eſt, non quod Cham pudenda patris viderat. Id enim experrectus ipſe reſcire non potuit. Si enim Cham aliquid feciſſet, in eum competebat maledictio. Sed in Chanaan diſtricta eſt illa. Chanaan igitur fecit. atque adeò is ipſe eſt, qui dicitur minor frater. Tam enim nepotes dicuntur filii avi, quam filii ipſi etiam in jure Romano, quod liberorum nomine complectitur filios, nepotes, pronepotes, abnepotes. Hebræi eos vocant* בנים הקטנים *filios minores. Itaque in ſermone Hebræo avus nepotem ſuum vocat minorem filium; ut contra filii familias filios fratrum fratres vocant. Geneſ. XIV. 14. Lotus Abrahami frater dicitur, qui tantum erat filius fratris, quem potius* ἀδελφιδοῦν *quam* ἀδελφὸν *Græcus vocaret. Concludamus Gen. IX. 24. minor filius Noë eſt Canaan, non Cham ejus pater. Sententiæ noſtræ Theodoretum vindicem damus* ἐπειδὴ δὲ καὶ ἐκγόνους &c. Quod Scaliger dicit diluvium iniſſe anno Noë 599. id pugnat cum textu Gen. VII. 11. Quod dicit Noë annum 600. fuiſſe poſt diluvium, non ſequitur è ratione, quam affert, nempe vixiſſe 350. annis poſt diluvium: ita enim 600. annus intra arcam & diluvium concluditur, neç conſiſtit cum ſcriptura, Gen. VIII. 13. ubi dicitur 601. anno Noë finitum eſſe diluvium. Nempe 600. annum exegerat, antequam arca egrederetur. Hoc eſt, annus ille in quo 601. initur, reductus ad caput ſuum, 600. annum amputabat & includebat anno M. 1656. Filius ejus Sem nondum compleverat annum 100. Vide quæ diſſeruimus ad cap. II. lib. I. Sulpitii Severi in diatriba cujus lemma eſt *Generatio XI.* Si filii filiorum Hebraice dicantur filii minores res confecta erit. Nam hic nepotem intelligi quis non videt? Locus Gen. X. 21. mihi videtur eſſe evidentiſſimus. Cum enim Moſes ordine retrogrado contra ætatis rationem, percenſuiſſet poſteritatem & gentes è filiis Noë duobus prioribus, Japhet & Cham, ſignificat ſe nunc progredi ad Sem, qui erat Japhethi frater major, ſicuti Cham minor ejus frater erat. Notat, inquam ſe in hac tabula ordinem invertiſſe quia ab occidente ad orientem progrediebatur. Non poſſe locum ſic verti, *frater Iapheth natu maximi*, indicat res, quia nihil dicitur ita, quod Semo proprium erat: reddendum igitur in deſcriptione Sem & ſic intelligendum quod Sem à ſe nunc deſcribendus eſſet, qui prius propoſiti Japhethi erat major frater. Contra hanc expoſitionem nihil opponi poteſt. Ipſe Moſes monſtrat illum, qui natus fuerat juxta ipſius in cap. V. Chronologicos articulos, anno Noë 500. nempe eſt in quo chronologiam continuat cap. XI. 10. Japhet & Cham generationes non definiuntur ſuis annis, quia per illas in ſacra chronologia procedendum non erat. Hanc Moſes diligentiſſime eſt perſecutus, nec ullibi interrupit quod feciſſet, ſi non annotaſſet quo anno natus eſſet Semus. Tenendum igitur certò, quod Semus natu maximus fuerit filiorum Noë. Hornius è Schickardo: *Muſulmanicum Tarich quartum Noë filium facit* كنعان *Canaan* ſive Canaan. Unde apparet orientales verba Geneſ. IX. 24. 25. aliter accipere ac nos. At Canaan fuiſſe Cham filium diſertè dicit Moſes. Nec voluit de Canaan loqui, quem aperte deſignat in maledictione ejuſque merito à ſe intelligi, priuſquam deſcripſiſſet & notaſſet quis eſſet. Et non habebat locum Canaan, unus & minimus filiorum Cham, ſi non innueret Moſes ſe de illo, non de Cham ſermonem inſtituere.

Annianus

Annianus Beroſus & ex eo alii quartum filium Noë attribuunt Tuiſconem, Gigantem, conditorem & autorem nationis Germanicæ. Id pugnat cum verbis & diſerta affirmatione Moſis dicentis è tribus Noë filiis orbem terræ eſſe hominibus repletum habitatumque Geneſ. X. 32.

Maledictio, quam Noë pronuntiavit, mirificæ eſt continentiæ, in qua ſpiritus Dei, qui ipſum occupaverat, delineat orbis univerſi hiſtoriam: illuſtratur maledictio contraria benedictione Semi & Japhethi. Hæc habentur Gen. IX. 25. 26. 27. Maledictio in Canaan, primo generaliter, deinde ſpeciatim proponitur. Generaliter & *κοινῶς*, *Maledictus eſto Canaan:* *εἰδικῶς* & in propria ſua natura: *Servus ſervorum eſto fratribus ſuis.* Servus ſervorum ex Hebraiſmo nihil eſt aliud quam *ſervus abjectiſſimus.* Sic *dominus dominorum* erit *dominus potentiſſimus.* Ut & accipitur in illo vulgato tritoque verſiculo:

Olim Roma tibi ſuberant domini dominorum,
Servi ſervorum nunc tibi ſunt domini.

Synonymia aliquando auget, ut טִיט הַיָּוֵן, *lutum cœni* id eſt profundiſſimum, Pſ. 40. 3. אֱישׁוֹן חֹשֶׁךְ, *nigredo* ſive *obſcuritas caliginis* id eſt ſumma obſcuritas. Prov. 20. 20. ὁ ζόφος τοῦ σκότους, 2. Pet. 2. 17. &c. Quamvis eadem vox repetatur, idem erit ſynonymiæ genus. עבד עבדים ſic exponit Aben-eſdras: טעמו עבד כאחר העבדים ואילו היה עבד העבדים היה עבד לעבדים והעד קדש קדשים בקדש הקדשים: *Senſus ejus: Servus, tanquam unus ſervorum, at ſi ſit ſervus ſervorum erit ſervus ſervis, ut oſtendit* קדש קדשים ſanctum ſanctorum vel ſanctitas ſanctitatum. Imò notat mancipium viliſſimum, ut ſanctitas ſanctitatum, nihil eſt aliud quam ſanctitas ſanctiſſima. Alterum membrum ſpecialis maledictionis de Canaan, quod ſerviturus ſit fratribus ſuis exponit ita, quod ſerviturus ſit Chus, Miſtraim & Phut. Hi erant fratres eodem patre nati. Notum autem eſt fratrum nomen ad omnes eadem ſtirpe editos extendi. Ita qui editi ſunt Semo & Iapeto includuntur. Ut hi omnes imperaturi ſint Cananæis. Tum Semus & Iapetus benedicuntur ſigillatim. Semi benedictio duo hæc membra habet. 1. Fœdus gratiæ. 2. Dominium in Cananæos. בָּרוּךְ יְהוָה אֱלֹהֵי שֵׁם, Deo benedicitur ut Deo Sem. Hic ſignificatur intra Semi ſtirpem includendam eſſe illam Dei gratiam, quia ſœdus in ſemine mulieris incundum cum ipſis eſt. Fœdus hoc in Abrahamo intra unam Semi poſteritatem contractum eſt, cum hactenus fuiſſet commune. Illa gens ex Abrahamo, quæ intra ſuos terminos Dei fœdus gratuitum erat concluſura, Cananæos ſubjugatura erat, eorumque terram occupatura. Japheti benedictio trimembris eſt. 1. יַפְתְּ אֱלֹהִים לְיֶפֶת. 2. Habitet in tentoriis Sem. 3. Canaan ſit ei ſervus. Quidam bimembrem volunt eſſe ſummam benedictionis. Ut quod nos primum membrum fecimus, ſit pars ſecundi ejuſque aditus & modus. יַפְתְּ eſt futurum in Hiphil, quod è Chaldæo *dilatandi* notione multi reddunt, alii *perſuadendi* ſive *alliciendi*. Si prima notione accipias diſtinctum membrum eſt, ſignificans inſignem illam dilatationem per ſobolem numeroſiſſimam gentium validiſſimarum & imperii ac dominationis per optimam maximamque mundi partem. In tentoria Semi id eſt ad Eccleſiam Dei aggregabit Deus Japetionidas, quibus ſerviet miſellus Phœnix. Salomo Ephraim in כלי יקר: ומה שקללו בעבדות לפי שרועה זונות יאבד הון ובעל כרחו עבד יהיה על פת לחם וז״ל כל הבא על אשה זונה לסוף מבקש ככר לחם ואינו מוצא כו׳ ומ״ש עבד עבדים יהיה לאחיו ואחר כך חוז

שנית ואמר ויהי כנען עבד למו ולא הזכיר עבד עבדים נראה לפרש שעבד עבדים יהיה לאחיו היינו שכנען יהיה עבד עברים של אחיו ממש בני בנען כי בלאו הכ׳ את הקטן עבד לאחיו הגדולים ממנו ועל ידי הקללה נתוסף לו להיות לה׳ עבד לעבדים׳ אבל לשם וליפת יהיה סתם עבד למו כי די בזה שהרי בלאו הכי לא היה צריך להיות עבד לדורו :

Et quid quod maledicit per ſervitutem, quoniam qui paſcit meretrices perdet ſubſtantiam & ingratiis erit ſervus propter fruſtum panis: Et rabbini noſtri beatæ memoriæ, Omnis qui ingreditur ad mulierem meretricem, tandem quæret tortam panis & non inveniet &c. Quid eſt, quod dicit, ſervus ſervorum erit patribus ſuis & poſteà redit ſecundo dicitque, Eſto Canaan illi ſervus & non repetit ſervus ſervorum? Videtur exponendum eſſe: ſervus ſervorum erit fratribus ſuis, id eſt, quod Canaan futurus ſit ſervus ſervorum fratribus ſuis, proprie, filii Canaan id ſunt: Nam & alias frater minor ſervus eſt grandioribus fratribus & per maledictionem adjicitur ipſi, eſſe ſervum ſervorum ipſis: at Semo & Iaphetho ſimpliciter erit ſervus. Nam eſt per hoc, quia abſque hoc non eſſet neceſſe ut eſſet ſervus in generationem ſuam. Nempe Ἰουδαικῶς id eſt, frigide & inſulſe exponit phraſin *Servus Servorum*, tanquam id dicat Sp. S. duplici jure futurum eſſe ſervum fratribus, ſortis naſcendi & maledictionis. Cum Semo & Japeto ſervire teneatur ſolo jure maledictionis. Liber Thanchuma: *Ham viderat, Chanaan maledicitur. R. Iuda dicit, maledictio non poteſt recubare in loco benedictionis. Nam benedixerat Deus Noë & filiis ejus, Q. D. Et benedixit &c. Quo in loco Canaan præteritus eſt. R. Nehemia dicit, Canaan vidit & indicavit Hamo & redit maledictio ad principium ſuum, icircò dixit, Maledictus Canaan. Magiſtri noſtri dicunt, Dum Noë erat in arca, dixit in corde ſuo utinam eſſent illis filiis meis ſervi, ut ſedeant & ſervi ipſis miniſtrent: ſed ubi egreſſus fuero hinc, quicquid genuero faciam ipſis ſervos. Confeſtim dicit Chamo, tu non ſines mihi gignere filium quartum, qui ſit ſervus, propterea filius quartus quem tu gignes erit ſervus. Et dixit Maledictus. Iuxta ſententiam illius qui dixit, quod Cham caſtraverit Patrem. Sermo alius: Simeon Ben Lakis: Et ecce* etiam è Sem *erunt ſervi, Q. D. Cum vendiderit ſe frater tuus Hebræus aut Hebræa: ſed filii Sem egrediuntur in libertatem ſexennio, Q. D. Et in ſeptimo egredietur.: at filii Cham non egrediuntur in libertatem. Q. D. Et erit quando dixerit ad te, Non egrediar à te &c. accipies ſubulam & erit tibi in ſervum ſeculi: ſervus ſervorum erit, quia non accepit libertatem, ut egrederetur in ſeculum. Et quæ cauſa fuit illi omnis maledictionis hujus? quia contempſerat Vnus honorem patris ſui? Sic futurum Deus benedictus ut ultionem exigeret de filiis filiorum Cham & ad rejiciendum eos per regem Aſſyriæ. Q. D. Sic aget rex Aſſyriæ captivos Ægypti & deportatos Chus nudos & diſcalceatos &c. Sed Iaphet, quod honoravit patrem ſuum, quid rependit Deus? quando Gog & Magog adverſus Iſraël induxit & cadere fecit eos. Q. D. Et erit in die illo & dabo Gog locum illic ſepulchri &c. Semo quid rependit? Cum ingrediuntur filii Aaron ad offerendum, & egrederetur ignis, & non comburebantur veſtes eorum ſed combuſti ſunt anima & non corpore Q. D. ipſos & non corpus, ipſos & non veſtes eorum: propterea quod fuerint è filiis filiorum Sem, ecce in juſtis: in impiis prærogativa quando aſcendit Senacherib ab Ieruſalem & munimentis ejus combuſta ſunt corpora eorum, non autem veſtes eorum, propterea quod fuerint ex filiis filiorum Sem filii Noë, ut dicitur: Filii Sem Elam & Aſſur & Arphaxad & Gomer. Et ſcriptum eſt,* יפת *Deus Iaphet & etiam ſic, & habitet in tentoriis Semi.* Ralbag commentatur id quod obſervatione dignum eſt: *Adhæc dicitur,* Benedictus Dominus, *qui eſt Deus Sem, quia è ſemine illius erit populus, qui unitus erit cultui Dei, nempe Iſraël; & hæc erit cauſa, quod protracta ſit maledictio in Canaan, qui ſerviturus eſt Semini Sem, quia Iſraël eripuit ipſi terram ſuam, quod ipſos diligeret Deus benedictus, & curam gereret ipſorum: & fuerunt reliquiæ eorum ſervi Iſraëlis:*

Et ſi

Et ſi non fuiſſent ſemen Sem in hoc modo, [vel in hac rota] *è conſecratione, quod eſſet Deus ipſius Deus Sem, non obveniſſet hæc maledictio Canaano. Et dicit porro, Dilatet* [ירחיב] *Deus benedictus Iapheto* in fine dierum & habitet in tentoriis Sem, & *hoc erit poſt ingreſſum regis Meſſiæ, cum convertet Deus benedictus labium purum in populos ut invocent omnes in nomine & ut ſerviant illi humero uno. Et tunc erit Canaan ſerviens etiam ſic Iapeti ſemini; quia ſemen Canaan in imperfectionem ſuam non humiliabit ſe tunc ad cultum Domini, eum humiliabunt ſe reliqui populi & ob hoc apprehendet eos hæc maledictio.* Hoc Noë dixiſſe בדרך נבואה. Adjicit & concludit: זה הביאור הוא הנראה לי בזאת הקללה והנמשך לו והוא הנאו׳ לאמת וללשן וכבר יצאנו בזה מפסקות רבות יארך ספורם: *Hæc expoſitio eſt quæ videtur mihi de hac maledictione ejuſque conſequentibus, & hæc convenit veritati & ſermoni. Quod ſi egrederemur in hoc, multis probationibus enumeratio extenderetur.* Hujus magiſtri veriſſima obſervatio eſt, quod converſio populorum ad Meſſiam Japheti poſteris ſit appropriata per hanc prophetiam. Nam illis ſerviturum eſſe Canaan, quando & quia ad Deum ſe convertent. Utinam poſſet oculos attollere cæca & duræ cervicis gens & intueri populos, qui Chriſtum confitentur, eſſe in Europa potiſſimum ex Japeti poſteritate. Hoc prænuntiaſſe in ſpiritu autorem generis humani, quod hodie verſatur ob oculos. Poteſtne exiſtimare ſimiliter Meſſiæ alium ullum mortalium Japeti poſteris eſſe perſuaſurum ut poſt ſe errent. Hanc maledictionem Japetionidis ubi Noë aut alius prænuntiavit. Debuiſſet ſane prænuntiari tam diffuſum per orbem imperium oriturum ab homine Judæo, quod omnis orbis agnoſcit præter Judæos. Aut nimis magnum malum eſt gentibus, aut nimis ingens bonum Judæorum, quod non eodem ducantur communi errore, quam ut à Spiritu Dei, ſtatum orbis per prophetas in omnia ſecula delineante, potuerit ſileri. At uti hanc diatribam concludam, Canaan deliquiſſe, qui eſt punitus, nullus dubito. Si Chanaan dicas deliquiſſe, quæſita duo erunt, 1. Cur pro patre filii maledicantur? 2. Cur Canaan potius quam alius? Hæc non facile ſolventur. Noë voluit hic 1. Oſtendere, quæ fuerit cauſa, ob quam Cananæorum terram Deus tradiderit Iſraëlitis, ipſoſque in peſſimam & viliſſimam ſervitutem. 2. In Semi poſteritate Eccleſiam Dei fore ejuſque tabernaculum. 3. Japhet, ut latiſſima poſteritate erat amplificandus, ita ad Eccleſiæ ſinum eſſe deducendum. Calvinus: *Prædicit Noë temporale diſſidium fore inter Sem & Iapheth: quamvis ambos domi ſuæ retineat & ambos nuncupet legitimos hæredes: deinde venturum tempus, quo rurſus coaleſcant in unum corpus & commune habeant domicilium. Certè vero certius eſt, vaticinium hic de rebus ſecundum hominem incognitis proferri, cujus non alium fuiſſe authorem quam Deum, eventus demum oſtendit. Duo annorum millia & aliquot ſecula fluxerunt antequam gentes & Iudæi in unam fidem aggregarentur. Tunc filii Sem, quorum major pars diffluxerat & ſe abſciderat à ſancta Dei familia, ſimul collecti ſunt, ut ſub eodem tabernaculo agerent. Gentes etiam ex Iapheth progenitæ, quæ diu palantes ac vagæ fuerant, in idem tabernaculum receptæ ſunt. Deus enim nova adoptione unum populum ex diverſis efficit & fraternam unitatem ſancivit inter alienos. Atque id factum eſt ſuavi & blanda Dei voce, quam in Euangelio prætulit & quotidie adhuc impletur vaticinium hoc, quum diſperſas oves invitat Deus ad ſuum gregem & hinc inde colligit, qui recumbant cum Abraham, Iſaac & Iacob in regno cælorum. Hæc vero non vulgaris fidei noſtræ fultura eſt, quod gentium vocatio non tantum æterno Dei conſilio decreta ſed palam ore Patriarchæ teſtata fuit: ne repente vel fortuitò putemus eſſe factum, quod æternæ vitæ hæreditas communiter omnibus propoſita fuit. Cæterum locutio hæc*, Habitabit Ja-

pheth in tabernaculis Sem, *mutuam, quæ eſſe & coli debet inter fideles ſocietatem nobis commendat. Nam quia Deus ex progenie Sem eccleſiam ſibi elegerat, hac lege poſteà cooptavit gentes, ut ſe ad populum conferrent, penes quem erat vitæ fœdus.* Audiamus etiam Theodoretum: Καὶ τοῦτο δὲ δεῖ εἰδέναι, ὡς προῤῥησίς ἐστιν, οὐκ ἀρὰ, τοῦ δικαίου τὰ ῥήματα. Ἐπειδὰν γὰρ ἔμελλεν ὁ Ἰσραὴλ, ἐκ τοῦ Σημ κατάγων τὸ γένος, τῆς παλαιστίνης παραλαμβάνειν τὴν δεσποτείαν. ταύτην δὲ πάλαι ᾤκουν οἱ ἐκ τοῦ χαναὰν βεβλαστηκότες, εἰς ἀρὰν σχηματίζει τὴν πρόῤῥησιν, προαγορεύων μὲν τὰ ἐσόμενα, δεδιττόμενος δὲ τοὺς ὕστερον ἐσομένους μὴ πλημμελεῖν εἰς γονέας. Conatur & hanc rationem reddere, cur in nepotem ſtringat vindictam ſeu pœnam meriti & delicti paterni, ſcilicet non eſſe maledictionem hanc ſed prædictionem, qua ſignificat quid Cananæis eſſet eventurum à poſteritate Semi id eſt Iſraëlitis, terrens tamen omnes homines, qui futuri eſſent, ne in parentes delinquerent. At quomodo terreantur hac prædictione futuri à delinquentia in parentes, ſi delictum in parentes non plectatur hoc eventu rerum? Ut igitur merita & delicta majorum maledictionibus & triſtiſſimis fatis poſterorum dederunt cauſam, ita & hic factum eſt. Animadvertit Theodoretus, Chanaan non ſubjici duobus fratribus ſed uni Semo. quod manifeſtè falſum eſt. Deinde prædici τὴν μὲν Ἰάφεθ τὴν πολυγονίαν, τοῦ δὲ Σὴμ τὴν εὐσέβειαν. Deum enim habitaturum ἐν τοῖς σκηνώμασι τοῦ Σήμ. κατῴκησε δὲ ἐν τοῖς ἐκ τοῦ Σὴμ πατριάρχαις καὶ ἐν τοῖς ἐκ τούτων βεβλαστηκόσι προφήταις. καὶ ἐν τῇ σκηνῇ πρότερον. καὶ Ἱεροσολύμοις ὕστερον. ἀκριβὲς δὲ τέλος ἔσχεν ἡ προφητεία τὸ τῆς οἰκονομίας μυστήριον. ὅτε αὐτὸς ὁ θεὸς λόγος, ὁ τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς υἱὸς μονογενὴς, ἐσαρκώθη καὶ ἐνηνθρώπησε, καὶ ναὸν ἑαυτοῦ προσηγόρευσεν, ἣν ἐκ σπέρματος Δαβὶδ καὶ Ἀβραὰμ ἔλαβε σάρκα. Ἐκ τοῦ Σὴμ γὰρ καὶ οὗτοι κατῆγον τὸ γένος. ἡ δὲ τοῦ χαναὰν δουλεία ἐν τοῖς γαβαωνίταις τὸ τέλος ἐδέξατο.

Partiliter inſpiciamus oraculi membra & κατὰ σύνοψιν.

De Canaan primò.

1. In Canaan non in patrem ejus neque fratres ſtringitur maledictum.
2. Maledictum id eſt ſervitus abjectiſſima.

De Sem ſecundò.

1. Illum maxima benedictione eſſe gaviſurum, quæ eſt confœderatio cum Deo: *Deus Sem.*
2. Ab eo Canaan in ſervitutem eſſe redigendum. Hoc eſſe completum ab Iſraëlitis Ægypto egreſſis. Quos enim conſervarunt in vita, eos pro mancipiis aluerunt.

De Japheth tertiò.

1. Illius prima benedictio eſt πολυγονία, יַפְתְּ, יַרְחִיב. Conſtat ut in ſequentibus patebit Japeti poſteros obtinuiſſe minorem Aſiam, Aſiæ majoris partem quæ ad ſeptentrionem Tauri montis eſt, univerſam Europam & omnes ſeptentrionales terras, quæ ſunt poſt Maria duo Ponticum & Caſpium. Conſtat examina gentium è ſeptentrione exundaſſe per orbis partes præcipuas & dominatum longè lateque propagaſſe.
2. Secunda eſt adductio in tabernacula Semi. Quam & Judæi & Chriſtiani interpretantur de advocatione in gremium Eccleſiæ. Tabernacula Semi ſunt ad ea accedit Japheth. Non definit, Sintne conjunctim habitaturi an Japheth, deficiente Sem, per ſe ſeparatim. Utrumque verum eſſe poſſe apparet è textu oraculi. Nam non dicitur, *In tabernaculis cum Sem*; ſimpliciter autem, *In tabernaculis Sem.*

3. Tertiò

3. Tertiò additur, quod Canaan illi etiam ſit ſerviturus. Sanè Japheti poſteri in Romanis gentilibus Chriſtianiſque, imperitarunt olim; in Turcis hodie imperant Chananæis.

Πορίσματα.

1. Chami univerſa poſteritas præteritur.

2. Semi ea gens, in qua Dei tabernaculum fuit, ſola attingitur.

Unde conficimus, quod Japeti poſteri ex omnibus mundi nationibus ſoli fermè vocandi ſint ut cum Judæis conjungantur. Sanè circumſpice mihi & oculos circumfer per orbem terrarum: Quas gentes Deus dignatus eſt colluſtrare Luce Euangelii. Chami poſteritas per Arabiam, Ægyptum & Africam univerſam diſperſa lucem hanc potius viderunt quam ſtabiliter admiſerunt. Semi poſteritas ab Eufrate in orientem extremum per continentem inſulaſque diſſeminata parum aut nihil luminis accepit. Partes eorum pro tempore & quidem exiguæ habuerunt Chriſti Euangelium, at pars potiſſima Japeti poſterorum ſtabili beneficio veritatem recepit. Europa, Japeti peculium & patria, imperiorum maximorum eſt conditrix, domina mundi, ſedes imperii, & Euangelii. Acceſſit Japhet ad Semi tentoria non loci mutatione ſed animi, quem Deus perſuaſit. Tam nobile vaticinium hiſtorias & fata omnium gentium ab initio mundi ad finem, tribus verbis complexum, fulgidiſſimus eſt character divinitatis ſacræ ſcripturæ. Monſtrent, ſi poſſint, ſimile in omni cumulo ſcriptorum aut negent ejus divinitatem: diſcant ſtupere & admirari, deſinant autem erigere criſtas & profana voce blaterare ἄθεοι, qui aulas & aures principum obſident infelici ſeculo.

Hujus Filius, Chus Nomine] Cham genuit quatuor filios: Chus, Miſtraim, Put & Canaan, antequam è montanis Armeniæ homines diſcederent, ut indicatur ex maledictionis Canaan hiſtoria. Nam junctis cum Noë tentoriis habitarunt. Et fata præcini debuerunt filiis nondum per orbem dimiſſis. De Nomine Chus poſtea dicemus.

Nembrod Gigantem] Vide Druſii notas de eo, quod appellatur Gigas. Joſephus: τολμηρὸς καὶ τὴν χεῖρα γενναῖος: dictus eſt Venator coram domino, ob cupidinem dominandi & bellicoſitatem. Hornius: *Inferre bella finitimis ac populos ſibi non moleſtos ſola regni cupiditate conterere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum eſt?* Non debet ſcribi vox, Nembrod ſed Nemrod vel Namrod, quod veteres vicinitate literæ ſæpe expreſſerunt Νεβρώδ vel Ναβρώδ. Pro quo etiam legitur Νεβρώθ & Ναβρώθ.

A Quo Babylon Civitas Constructa Traditur] Reſpicit Gen. XI. v. 8, 9, 10, 11, 12. Ubi breviter memoratur regnum Nemrodi quod in Babylonia inchoatum, extenſis indè pomœriis in Aſſyriam eſt prolatatum. Quia ponitur ante diſperſionem Babylonicam in cap. 10. Moſis, cum ipſa diſperſio memoretur in cap. ſequenti, putavit Sulpicius tempore prius fuiſſe. Id verum non eſt, quia antequam ſuis ſedibus diſperſæ gentes habitarent, non fuerunt appellationes terrarum. Ut hic appellantur Aſſyria, Babel &c. Nec Babylonis origo fuit ante ædificationem turris & oppidi, quam ſimul humanum genus molitum eſt. Argumentum non procedit, quia ſtirps Chami contexitur non tantum ad diſperſionem ſed & ut per ſedes terraſque ſuas ſparſa fuit. Unde adjicit imperium, quod primum in terris fuit.

Pleraque Etiam Oppida Ea Tempestate] Hæc ſecus, quam Sulpicius arbitratur, referenda ſunt ad tempus ſecutum poſt diſperſionem.

ſionem. Conjunxit Moſes ſtirpium per terras ſuas diſſeminationem cum prima propagatione. Quomodo è tribus Noë filiis patres terrarum & gentium deſcenderint & diſſeminati fuerint. Ipſius diſperſionis hiſtoriam, ὑστερον πρότερον, ſubjungit. At hæc ejus methodus eſt: Ita per terras patresque gentium diſperſa & propagata eſt ſtirps cujuſque filiorum Noë, id quomodo factum ſit, quod ſe diviſerint per terras inſulaſque nunc exponam. Tria igitur illa diſtingui debent. 1. Diſperſionis cauſa & occaſio. 2. Diſtributio ſtirpium per terras. 3. Inde Abrahami ortus è Sem, in quo Abrahamo, tentorium Dei colligi cœpit intra Semi familiam & contrahi. Sequamur igitur Sulpicium.

De turri Babylonica & confuſione linguarum.

Gen. XI. 1,-------9.

Sed Cum Multiplicaretur Humanum Genus] Occaſio hæc fuit. Quia aucta multitudo, creſcente in immenſum numero, una regione contineri non potuit, aliæ ſedes velut per colonias quærendæ erant. Exiſtimat autem Sulpicius diſperſam hominum progeniem, vana quadam imaginatione inflatam, ſeſe contraxiſſe è ſuis ſedibus & coiiſſe in unum, ut turrim & urbem conderent. Sic enim dicit:

Diversaque Loca Atque Insulas Mortales Habent] Hanc ejus ſententiam ex parte tuetur doctiſſimus Hornius. Sic enim ille: *Veriſſime dictum*, inquit, *& qui homines uſque nunc in ſola Armenia hæſiſſe putant, erroris convincuntur*. *Recte Epiphanius*: Primam hominum habitationem in montibus Armeniæ fuiſſe, *nondum ſcilicet evaneſcente metu aquarum. Creſcente numero, paulatim ad plana & amæniora digreſſi ſunt. Legitur etiam ante ſtructam turrim, per contiguas regiones longe lateque diſperſos fuiſſe, quæ ſententia noſtri Sulpicii eſt. Hæc prima orbis poſt diluvium diviſio. Et in hac Aſſyria, Babylonia, Syria, Cananæa habitatæ ſunt. Quod exinde patet, quia tum diverſa origine eſſent ex Semo & Chamo, omnes tamen primitivam linguam Hebræam retinuerunt. Non ergo inter turris conditores fuerunt: ſed illæ gentes, quarum linguæ in totum ab Hebræa aliæ ſunt ut Ægyptii & omnes Iaphetæi.* Hæc Hornius.

Donec Se In Unum] Sulpicius arbitratur gentes per orbem diſſeminatas longè lateque coiiſſe omnes, ut ab univerſo humano genere condita ſit turris. Cl. Hornius in eo diſcedit: *Structam*, inquit, ab omnibus turrim vult. Sed hæc malè cum præcedentibus cohærent. Nam ſi jam ante diverſa loca atque inſulas tenerent, quid eos denuò in unum locum coëgit?

Quinam mortales aut mortalium populi & unde coierint ad condendam Babylona?

Communis ſententia tenet omne genus hominum quantumcunque erat, præter domum Sem, coactum in unum Babylona ſtruxiſſe, & turrim illam, quam Moſes memorat Gen. cap. XI. Cedrenus dicit eos, qui turrim ædificarunt de 70. nationibus fuiſſe collectos, quod colligit è numero nepotum Noë ex tribus filiis. Quemadmodum & hinc linguarum numerum multi conati ſunt definire. Poſt hanc confuſionem exiſtimat

Noë

Noë filiis ſuis orbem diviſiſſe. Septuaginta cur numerari debeant & quomodo docet Auguſtinus. Quod & Epiphanius communem illam ſententiam tenuerit, hæc verba oſtendunt: Πέμπτη τοίνυν γενεὰ μετὰ τὸν κατακλυσμὸν, πληθυνόντων ἄρτι τῶν ἀνθρώπων ἀπὸ τῶν τριῶν υἱῶν τοῦ Νῶε κατὰ διαδοχὴν τῶν παίδων παῖδες ἐγεγόνασιν ἑβδομήκοντα δύο τὸν ἀριθμὸν, ἐν κόσμῳ ἀρχηγέται καὶ κεφαλαιῶται: ἐπεκτεινόμενοι δὲ καὶ πρόσω βαίνοντες ἀπὸ τοῦ Λουβὰρ ὄρους καὶ ὁρίων τῆς Ἀρμενίας, τουτέστιν Ἀραρὰτ τῆς χώρας, γίνονται ἐν πεδίῳ Σεναὰρ, ἔνθα που ἐπελέξαντο &c. Cl. vir ab hac ſcientia & expoſitione diſcedit, motus his rationibus. Prima, quod retinuerint quædam nationes linguam Hebræam. Atqui illi, qui in turri fuerunt occupati, puniti ſunt novo ſermonis genere. Qui igitur primam tenuerunt linguam, in iſto opere non adfuerunt. Veterem linguam retinuerunt Chananæi, Syri, Chaldæi, Aſſyrii. Id eſt qui incoluerunt à mari mediterraneo uſque trans Tigrin. Hi non videntur in iſto opere fuiſſe ſocii. Nam ſocii in opere, ſocii in pœna. Hic dicere licet Deum ſic moderatum eſſe pœnam, ut diſperſio gentium fieret per eas terras quas ipſe cuique deſtinaverat. Etſi igitur Aſſur, Chus, Chanaan, Aram adfuerint & occupati fuerint in eadem vanitate, potuit Deus in illis veterem loquendi ritum conſervare, ut qui in iis locis, quæ inſidebant, remanſuri eſſent, nec inter ſe procul diſſiti, ut eodem ſermone conjuncti. Conveniebat autem eos, qui linguam mutaverant & locum mutare. Crediderim ego etiam familiam Sem ædificationi non interfuiſſe id eſt primogenitum quenque per gradus quam plurimos in ſeram poſteritatem. Altera ratio, quod videatur veroſimile, paulatim progreſſos eſſe Noë poſteros liberoſque prout metus minuebatur & multiplicabantur numero, unde proxima quæque primò habitata ſunt. Verum eſt ex multiplicationis modo diffuſam fuiſſe habitationem, ſed conjuncta tamen hactenus erat intra limites unius ejuſdemque regionis ſeu provinciæ. Tempus diſperſionis fuit (ut multi volunt) anno fere poſt diluvium centeſimo. Ante diſperſionem diu occupati fuerant in ædificatione. Quod ſi quemlibet filium Noë in quater mille homines erupiſſe dicas, quod erit multum, duodecim nullia hominum aut duplo triplove plura facile capit & alit una Armenia. Quod aliunde advenerint, qui Babylona condiderunt, certum eſt. Fuiſſe autem quicquid erat hominum præter Semi familiam ejuſque primogenitorum, patet; quia hine ſumitur ratio diſperſionis & diſerte dicitur filios hominum (qui opponuntur Eccleſiæ univerſim) turrim & urbem ædificaſſe. Omninoque credi debet Nimrod ducem cœpti & ἀρχηγέτην fuiſſe. Qui ea loca diſcedentibus aliis ſibi retinuit ſuiſque. Et qui convenit Nimrodum & Chuſi nepotes alios Babylona habitaſſe & occupaſſe: eò irruiſſe, ut in alienas ſedes, & tanti operis cœptum inchoaſſe & molitos eſſe. Quicquid ibi actum cœptumque fuit non tantum incolarum conſenſu ſed & ductu & imperio actum cœptumque fuerit. Tertia ratio, quod dicantur eſſe progreſſi ex oriente id eſt Perſide, non ex Armenia: quia eſt Babylonia occidentalior. Dicit ſcriptura מִקֶּדֶם. Id ſignificat ab oriente, vel orientem verſus. Neutrum hic videtur ſtare. Arbitror primas ſedes hominum ab monte Armeniæ & arcæ loco progreſſorum fuiſſe in orientalibus regionibus ultra Tigrin. Ibi conjunctim aliquandiu habitaſſe ſeu potius Nomadum more vagatos eſſe. Inde cepiſſe conſilium ſe diſpergendi per orbem. Ideo ſimul (ſine domo Semi) ſe recepiſſe verſus occidentem. Sed antequam diſpergerentur, voluiſſe monumentum ad poſteritatem

tatem erigere. Jacobus Capellus putat ab Armeniæ montibus progreſſos fuiſſe in Kedem Arabiæ (quæ habetur Gen. 25. 15.) hinc exiviſſe in Sennaar. Exiſtimat Cl. Bochartus Tigris alveo dividi imperium Aſſyriæ in קֶדֶם & עֶרֶב id eſt orientalem & occiduam regionem. Hinc dici Tigrin tranſgreſſos & מקדם veniſſe. At non eſt opus hac ſubtilitate. Numerant interpretes univerſam ſobolem trium Noë filiorum, quam recenſet Moſes cap. X. Cham cum filiis & nepotibus facit 31: Japhet 15: Sem 27. ut in tabella:

1 Japhet,	10 Sabtecha,	3 Aſſur,
2 Gomer,	11 Scheba,	4 Arphaxad,
3 Magog,	12 Dedan,	5 Lud,
4 Madai,	13 Nimrod,	6 Aram:
5 Javan,	14 Ludim,	7 Us,
6 Tubal,	15 Anamim,	8 Hul,
7 Meſech,	16 Lehabim,	9 Gether,
8 Thyras:	17 Naphthuchim,	10 Mas,
9 Aſcenaz,	18 Pathruſim,	11 Sale,
10 Rhiphath,	19 Caſluchim,	12 Eber,
11 Togarma,	20 Caphthorim,	13 Phaleg,
12 Eliſa,	21 Sidon,	14 Joctan,
13 Tharſis,	22 Heth,	15 Almodan,
14 Chittim,	23 Jebuſi,	16 Selef,
15 Dodanim.	24 Emori,	17 Haſarmaveth,
	25 Girgaſi,	18 Jarach,
1 Cham,	26 Hevi,	19 Hadoram,
2 Chus,	27 Arci,	20 Uſal,
3 Miſtraim,	28 Sini,	21 Dicla,
4 Put,	29 Arvadi,	22 Obal,
5 Canaan:	30 Semari,	23 Abimaël,
6 Seba,	31 Hamathi.	24 Scheba,
7 Hevila,		25 Ophir,
8 Sabtha,	1 Sem,	26 Hevila,
9 Raëma,	2 Elam,	27 Jobab.

HIc in univerſum ſunt homines ſeptuaginta tres, ſi addas Noë, erunt ſeptuaginta quatuor. Tot familiæ plenæ (id eſt in quibus liberi) non potuerunt eſſe, cum turris ædificaretur. Nam Noë præter uxorem nihil habuit in ſua familia, cum tres filii ſeorſim numerentur. Deinde Phaleg natus eſt cum diſperſio eveniret, & opus relinqueretur. Phalego junior fuit Joctan, cujus filii tredecim fuerunt. Nec Eber pater familiam habuit quia primogenitus natus eſt poſt diſperſionem, cum ipſe eſſet annorum tantum triginta quatuor. Ipſe natus non fuit, cum opus illud inceptaretur, quia in multos annos fuiſſe continuatum volunt. Si igitur eximas de ſeptuaginta tribus Phaleg, Eber, Joctan cum tredecim filiis manebunt quinquaginta ſeptem. Rurſum eximi debet Sem, cum Arphaxad & Sale. Hoc modo erunt quinquaginta quatuor familiæ, nempe omnes Japhetæi, & Chamæi & de Sem ſedecim. Qui potuerunt tam pauci homines tantum opus inceptare & eo uſque perducere, quo perductum eſt? Deinde illæ gentes à Ioctan propagatæ per orientem & Indias unde

unde linguarum habent diverſitatem nec loquuntur ſermone Hebræo? Ut his difficultatibus occurrat, exiſtimat Auguſtinus Joctanem natum fuiſſe ante Phaleg etſi poſt eum recenſeatur. Quod non facilè debet admitti. Exiſtimant alii non ſub nativitatem Phalegi ſed ipſo adulto & maturo annis, id eſt ipſius ætate eveniſſe diſperſionem, quo magis augeri potuerit genus humanum. At (regeras) quomodo inde nomen tulerit, quod poſtquam diu habuiſſet nomen, evenit? Dici poſſet nomen illi eſſe inditum, ex eo, quod ipſius ætate, longo poſt tempore evenit. Sed id non facile admittam. Arbitror nec Elam nec Aſſur, quia ultra Tigrin reſederunt in oriente ceperuntque illic ſedes ſuas, adfuiſſe ſtructuræ. Interfuerunt enim illi, qui occidentem verſus ex oriente & Transtigritanis regionibus proficiſcebantur. Orientem reliquerunt illis, qui ibi ſedem fixerunt: Semi poſteris. Pars Semi poſterorum conceſſit in Meſopotamiam, ſimul, uti arbitror, profecta ab oriente ad ædificandum illud opus, quod humana vanitas molita eſt. Ita de Semi ſtirpe tantum adfuere, Lud, Aram, Us, Hul, Gether, Mas. Hi jungi debent cum Japetionidis & Chamæis, ut ſint omnes quinquaginta & duo, qui id opus moliti ſunt. Tot familiæ incubuere tanto operi Si in qualibet familia decem dicamus fuiſſe homines, ſtruendo operi idoneos, in univerſum erunt 520, qui laborarunt. Exiſtimo longe majorem in familiis Dei mirifica benedictione augeſcentibus ultra communem modum. In una Abrahami familia 318. ſervi armati fuere & quatuor regum conjunctas copias fudere. Si in quavis familia quinquaginta numero homines fuêre, vides quantus exſurgat numerus! Homines erunt 2600. Si aliquis exiſtimet in tantum numerum non potuiſſe excreſcere hominum genus intra unius ſeculi ambitum, compatationem ineat. Tres filii Noë fuerunt, Sem, Ham, Japheth, anno M. 1656. id eſt cum exirent è diluvio. Intra proximum decennium habere potuit Sem, quinque filios, Elam, Aſſur, Arphaxad, Lud, Aram: Cham filios quatuor: Japhet filios ſeptem. Filiæ etiam naſci potuerunt & natæ ſunt decennii iſtius ſpatio. Sunt igitur homines novendecim præter filias, non pauciores, uti arbitror. Hinc intra quinquaginta annos proximos naſci potuerunt, ſi denos liberos ſingulis attribuas, 190. Plures enim genuere, quam illi ſunt, quos Moſes memorat. Qui memorat ſolos gentium ἀρχηγέτας. Alii fuerunt qui in ſervitium conceſſere & coaliti ſunt gentium conditoribus. Hinc ſuperſunt quadraginta anni. intra quos adoleverunt & genuerunt, homines bis mille. Ea non fuiſſet magna multiplicatio, in multitudine uxorum & concubinarum, ſed intra modum modicæ fecunditatis. Quadruplicatum numerum computare poſſumus. Cur enim negemus feminas maribus plures genitas eſſe in prima γενεᾶ, ſeu primo decennio ut ſufficerent πολυγάμοις τεκνοποιΐᾳ ſtudentibus. Unde negemus intra vigeſimum annum genuiſſe, ſi non mares liberos ad primogenituram, quæ ſerior eſt in linea majorum Abrahami, ſaltem feminas providente Deo ut procreationi dare operam poſſent? In Ægypto Iſraëlitæ annis ducentis & quindecim aucti ſunt ad numerum marium qui arma ferre poſſent 600000. Quis minorum & feminarum numerum longè exſuperare negaverit? Hi erant ſeptuaginta. Fac diſtributionem pro rata portione. E quolibet homine provenerunt iſto tempore ſupra 8500. Quia tempus duplo majus eſt, ſume numerum dimidium 4200. Tot potuerunt eſſe arma ferre idonei mares è quolibet filiorum Noë. Fuerint igitur 12600, & cum feminis liberiſque

 ſupra

ſupra 25000. millia hominum, in orbe cum naſceretur Phaleg. Ita 8000. millia virorum turri & oppido conſtruendo incumbere potuerunt. Hoc mirum non ſit in mundi & procreandorum hominum principio, cum extraordinaria Dei benedictione. Putabimuſne ullum fuiſſe tempus, quo magis adauctum ſit humanum genus? Quantum & alias intra breve tempus augeſcere poteſt gens ab una aut paucis familiis? Mornæus: *Sic videmus ſexaginta illas familias quæ Caliſa Schiſma faciente, ex Arabia in Africam migrarunt, paucioribus quam trecentis annis, Africam impleviſſe.* Unde etiamnum *regiones denominentur, Beni Meger, Beni Guariten, Beni Fenſecar &c. id eſt filii Meguer, filii Guariten, filii Fenſecar &c. ut ſinguli in ſingulas regiones adoleverunt. Et Indiæ occidentales, quæ ab hinc centum plus minus annis noſtro orbi apertæ fuerunt, intrà alteros centum annos Hiſpanis implebuntur. Denique Vives vidiſſe ſe in Hiſpania ruſticum teſtatur, cujus liberi ipſo ſuperſtite, pagum centum plus minus ædium compleviſſent, ut agnationis nomina inter eos deſinerent. Et hoc ipſo anno obiit in Germania illuſtris fœmina, quæ centum & ſexaginta liberos ex ſuo utero vidit, quamvis eorum pars potiſſima nullos genuerit; alii, quia cœlibes vixerunt, alii, quia maturè obierunt: cæteri vero qua ætate ſunt, plures etiamnum aut gignere aut ſuſcipere poſſunt. Quare manifeſta certe ignorantia eſt &c.*

Ubi fuerit locus, in quo Babylon condita? Tum Eufratis & Tigris fluminum; item Meſopotamiæ & Babyloniæ veteris deſcriptio, ut oſtendatur arcæ ſedes item Paradiſi & Babylonis.

LOcum urbis condendæ ceperunt in terra Sennaar Gen. XI. 2. Nam cum eo ex oriente veniſſent, illic conſederunt. Hæc igitur regio eſt, in qua ſita fuit Babylon. Gen. 10. 10. in ea regione collocantur, Babel, Erech, Accad, Calne. In Sennaar regnare cœpit Nemrod, inde Aſſur adjungit. In hanc regionem rex Babel deportavit Joakimum regem & vaſa domus Dei. Dan. 1. 2. Certiſſimo certius eſt, regionem, in qua ſtructa Babylon eſt, fuiſſe appellatam Sennaar. Singaram urbem montemque & Singarenam regionem exteri ſcriptores noverunt. Singara urbs à Nabienſi deſcribitur ſexta parte Climatis quarti: *Vigeſimo primo ſupra Mauſel miliario jacet ſecus ripam Tigridis urbs Balad, jacet autem ad ripam occidentalem, ut etiam Mauſel. Ab ipſa ad urbem* سنجر *Sengiar habentur 27. m. paſſuum. Porro* سنجر *ſita eſt in deſerto ab occidentali parte urbis Balad, ad radicee montis cujuſdam.* Singara igitur iſta non attingit Tigrin: cum inter ejus territorium & Tigrin ſitum ſit territorium Balad. Singara iſta eſt in Meſopotamia ſed ſeptentrionalior Moſal & Ninive. Singara Singaræ apud Ammianum, ut Singara Singarorum apud Athanaſium, in epiſtola πρὸς τοὺς τὸν μονήρη βίον ἀσκοῦντας. Memorat enim Paulum Conſtantinopolitanum à Conſtantio, δεθέντα ἁλύσεσι σιδηραῖς, εἰς Σίγγαρα τῆς Μεσοποταμίας ἐξορισθῆναι. Illa regio, in qua urbs hæc fuit & à loco ſortita nomen eſt, non videtur eſſe Sennaar Moſis, in qua Babylon. Non fuit שִׁנְעָר ſed שִׁנְגָר. Quamvis levis ſit illa μεταβολὴ literarum. At fuit in ſuperiori Meſopotamia, quæ erat portio Aram, cum Sinear hæc fuerit partis Chus, cujus filio ceſſit. Tutius negaverim hic & in pluribus quam affirmaverim. Sola affinitas vocabuli non docet affinitatem rei & loci, regionis, urbis, amnis &c. Babylonis ſitum oſtendit Herodotus in hunc modum: ἔστι δὲ ἄλλη πόλις ἀπέχουσα ὀκτὼ ἡμερέων ὁδὸν ἀπὸ Βαβυλῶνος. Ἴς οὔνομα αὐτῇ. ἔνθα ἐστὶ ποταμὸς οὐ μέγας. Ἴς καὶ τῷ ποτα-

τῷ ποταμῷ τὸ ὄνομα. ἐσβάλλει δὲ οὗτος εἰς τὸν εὐφράτην ποταμὸν τὸ ῥέεθρον. Ipſam Babylonem accubare narrat Eufrati. ἔτι δὲ δύο φάρσεα τῆς πόλιος. τὸ γὰρ μέσον αὐτῆς ποταμὸς διείργει, τῷ οὔνομα ἐστὶ εὐφρήτης. Diodorus de Nino malè: διὸ καὶ τῆς πόλεως παρὰ τῷ εὐφράτῃ ἐν πεδίῳ κειμένης, ἀπὸ πολλῶν σταδίων ἐφαίνετο τὸ χῶμα καθάπερει τὶς ἀκρόπολις. In campo ſitam eſſe & Moſes dicit : בִּקְעָה בארץ שנער. Quærebant enim ut dicit Aben-eſdras locum aptum לבנות מדינה ad condendam urbem. עד שמצאו זאת הבקעה ופי' בקעה ערבה ישרה הפך דרכסים וכן כבהמה בבקעה תרד ויתכן שהיא בין הרים וכאילו נבקעו בתוך: *Donec invenerunt hunc campum ;* בקעה *idem eſt quod campus planus , cujus oppoſitum ſunt* הרכסים Salebræ : *Et ſic dicitur* [Eſ. 63. 14.] *ut pecus quod deſcendit in vallem. Et apparet eſſe inter montes , quaſi fiſſi ſint in medio.* Campeſtris illa regio Babylonis nullos habuit montes : ut ſcriptores conſentiunt : Situm Babylonis diligenter inveſtigavit Cl. Bochartus. audiamus : *Situm Babylonis , quod attinet , ut res fiat clarior , neceſſe eſt aliquid dicere de diverſis Eufratis alveis in agro Babylonico. Quod fuit hactenus tam intricatum , ut neminem legerim , qui mihi ſatis fecerit. Iuxta Geographum Arabem dividitur Eufrates in quinque alveos , quorum unus in Tigrin influit è regione Bagdad , reliqui quatuor infra Rahabam (id eſt Rehoboth Gen. 36. 37.) ex Eufrate derivati merguntur in varios lacus. Primus ab oriente eſt fluvius Tſartſar naviger , cui adjacet urbs* Tſartſar , *à Bagdado diſtans novem millibus. Secundus eſt fluvius* Almelic , *id eſt Regis , ſex millibus à priore diſſitus , ad quem eſt Alcatſar , id eſt caſtellum filii Hobaira. Tertius ad Suram tendit. Quartus ad Cuſam , quas urbes ab invicem diſtare ſcribit Benjamin itinere ſeſquidiei. Pleroſque hos Eufratis alveos non multo aliter diſcribunt Græci & Romani ſcriptores , niſi quod de amne Tſartſar altum ſilent. Primus è quinque alveis , quem in Tigrim influere diximus è regione Bagdad , is eſt qui Seleutiam prætermeabat. Plinius* [lib. 5. c. 26.] *Scinditur Eufrates à Zeugmate LXXXIII. M. Paſſus , circà vicum Maſſicen : & parte læva in Meſopotamiam vadit per ipſam Seleuciam circà eam præfluenti infuſus Tigri.* Ptolomæus lib. 5. cap. 18. σχίζεται εἴς τε τὸν διὰ βαβυλῶνος ῥέοντα καὶ τὸν διὰ Σελευκείας, ὧν ὁ μεταξὺ καλεῖται βασίλειος ποταμός. Scinditur in eum alveum, qui per Babylonem fluit & eum , qui per Seleuciam , quorum medius vocatur regius fluvius. *Medius ille fluvius , quem* βασίλειον ποταμὸν , Regium amnem *Ptolomæus & Polybius lib. 5.* τὴν βασιλικὴν διώρυχα Regiam Foſſam *vocari ſcribunt , eſt Arabum* Almelic *& Chaldæorum* נהר־מלכא Naarmalcha. *Ammianus lib. 24.* Ventum eſt hinc ad foſſile flumen , Naarmalcha nomine , quod annis regum interpretatur. *Euſebius ex Abydeno perperam ſcribit* Ἀρμακάλην *pro* Ναάρμαλχην , *Et Plinius Armalchar. Abydeni verba ſunt de rege Nabachodonoſoro :* Τὸν τε Ἀρμακάλην ποταμὸν ἐξήγαγεν ἐόντα κέρας εὐφρήτεω. Armacalen etiam fluvium , qui Eufratis eſt cornu deduxit. *Inde flumen regium , quia regia cura effoſſum. Iſidorus Characenus in ſtathmis Perſicis :* Διαβάντι , *inquit ,* τὸν εὐφράτην καὶ τὸν Ναάρμαλχαν ἐπὶ Σελεύκειαν τὴν πρὸς τῷ Τίγρειδι. *Eundem* כבר χοβὰρ *Chobar dici putant in Ezechiële paſſim , à Chobaris nomine huic operi præfecti. Plinius* [lib. 6. cap. 26.] Sunt qui tradant Eufratem Gobaris præfecti opera deductum , ubi eum diximus findi , ne præcipiti curſu Babyloniam infeſtaret , ab Aſſyriis vero univerſis appellatum Armalchar (*lege Naarmalcha*) quod ſignificat regium flumen. *Mirum ab Ammiano ſcribi , qui locorum erat peritus , fluvium Naarmalcham Cteſiphonta prætermeare , cum Cteſiphon fuerit Trans Tigrin & Naarmalcha , ſeu regius fluvius in Tigrin influat multò infra Cteſiphontem , nempe ad Apamiam. Ptolomæus* [lib. 5. cap. 18.] Ἀπάμεια , ὑφ᾽ ἣν ἡ τοῦ βασιλείου ποταμοῦ πρὸς τὸν Τίγριν συμβολή.

Apamea ſub qua eſt Regii fluvii commixtio cum Tigri. *Apamea videtur* eſſe *Arabum Alcatſar, quam à Bagdad, id eſt à Cteſiphonte, diſtare dicunt tribus modicis ſtationibus id eſt XLV. M. quod convenit ad amuſſim cum Ptolemæi deſcriptione. Iam ſequitur alveus, ad quem ex omnium conſenſu ſita fuit Babylon. Eufratem plerique vocant ſervato priſco nomine, quia creditur eſſe nativus Eufratis alveus, non ut alii, foſſilis & arte factus. Tantum in libro Baruch appellatur fluvius* Sud. *Quo loco* [cap. I. v. 4.] *ſe librum ſuum legiſſe dicit* in auribus πάντων τῶν κατοικούντων ἐν Βαβυλῶνι ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ Σοὺδ. *At me authore legendum eſt* Sur Σοὺρ. *Nam ex Hebræorum monumentis id ſumptum eſt, in quibus erat* אל נהר סור ad fluvium Sur. *Sed feſellit interpretem ſimilitudo literarum* ר & ד *id eſt* Res & Daleth. *Is igitur legit* סוד Sud *pro* סור Sur. Sur *idem quod* Sura *vel* Sora, *urbs Babyloniæ notiſſima ad hunc ipſum Eufratis alveum. Nubienſis Geographus:* Reliqua vero pars Eufratis, fluens è Rahaba à tergo deſerti in varia dividitur brachia, quorum unum pergit ad Tſartſar, aliud ad Alcatſar, aliud etiam ad Sura, quartum denique ad Cuſam: *Et rurſus:* E Caſtello Ebnhobaira ibis ad urbem Sura appoſitam ad latus Eufratis. *Chronicon Salſeleth fol. 33.* נהרדעא וסורא תרויהון על נהר פרת ונהרדעא לעיל מסורא טפי מן כ׳ פרסין: Naardea (*Naarda Ptolemæo & Neerda Ioſepho*) & Sura ſunt ambæ ſupra fluvium Eufratem: Naardea autem ſupra Suram eſt pluſquam viginti paraſangis, id eſt LXXX. M. paſſ. Sura. *alio nomine* מחויא Mahaſia *dicta eſt, ut legitur in Benjamino. Vnde proverbium apud Hebræos* אקילקי דמתא מחויא ולא אפדני דפומבדיתא: Fimum urbis Mahaſiæ non palatia Pombedithæ. *Quo volunt illius ſterquilinia hujus palatiis eſſe præferenda. Quia habuerunt in utraque Academiam ſed Suræ multo celebriorem. Supereſt Eufratis alveus maximè occidentalis ad Kufam tendens, à qua Suram diſtaſſe ſcribit Benjamin itinere* יום וחצי dici cum dimidio. *In hujus alvei nomine hiſtorici veteres haud ſibi conſtant. Abydenus appellat* Ἀκράκανον, *Plinius* Narragam, *Ptolemæus* Baarſarem *vel* Maarſarem, *Ammianus* Marſiam. *In Abydeno pro* Ἀκράκανον *legendum eſſe ſuſpicor* τὸν Νακράκανον *id eſt* נגר אגם Nagragam, fluvium ſtagni. *Atque id ipſum eſſe in Plinio* Narragam *pro* נהר אגם Naar-agam. *Quo nomine videbitur dictus quia vel alluebat vel permeabat ſtagnum quadratum ingens ad occaſum Babylonis, cujus unum quodque latus erat decem paraſangarum, vel quod eſt idem eſt ſtadiorum CCCXX. Vnum in Abydeno legitur, alterum in Herodoto. Diodorus ex hoc numero demit ſolum viginti ſtadia. De Maarſara & Marſia nihil ſuccurrit, niſi ſtatuas potius eſſe nomina præcedentis alvei, qui ab urbe Maaſia vel Sura,* Maſaſia *dictus ſit &* נהר סורא Naarſura, fluvius Suræ: *Vnde corruptores fecerint Marſian & Maarſaren.* Hæc Bochartus: Sequitur potiſſimum narrationem Geographi Nubienſis. Hic à Moſal (quæ eſt in oppoſito Nini) ad Amidam hoc itinere deducit. A Moſal ad Balad XXI. m. p. & terra & tigri flumine. A Balad ad Gezirat-ebn-omar LXIX. m. p. Hinc progrediendum eſſe ad oſtium fluminis Sorait. Hinc ad confluentem Baremæ. Inde ad Matira. A Matiris ad Amidam. A Gezirat-ebn-omar ad Amidam tres ſtationes haberi. Amida juxta Ammianum Marcellinum non procul eſt ab eo loco, ubi è Tauri radicibus emergit Tigris. Gezirat-ebn-omar conterminam eſſe dicit monti Jamanin, Maſurim & Caſſabur, quæ omnes ſint in eo monte ex quo ſit mons Algiudi ſuper quem arca Noë. Imo Jamanin eſſe ipſum Algiudi. Seu potius ejus partem, quæ proxima ſit propugnaculis Amidæ. Ab Amida ad Samoſata ſunt LXXVII. m. p. Niſibis Samoſatis diſtat XC. m. p. Niſibi Amidam ita eundum eſſe: Ab illa ad Caſtellum Ebn Bareé XXXIX. m. p.

Inde

Inde ad Talcoraa XVIII. m. paſſ. Hinc Amidam XXI. m. paſſ. Ita deſcribit Nubienſis ſuperiora illa Meſopotamiæ quam vocat inſulam. Cercuſium eſt ad confluentem Eufratis & Chaboræ juxta Nubienſem & Ammianum. Cercuſium itur à Balad (quod eſt ſupra Moſal) hunc in modum: A Balad ad Tal-alchair XV. m. p. occidentem verſus. Inde ad Sengiar XXI. m. p. Hæc eſt Singara Ammiani. A Singara ad Ain-gebal XV. m. Hinc ad Seccat-al-abbas, quæ eſt ad Chaboram XXI. m. p. Tum ad Alnahrain, quæ etiam accubat Chaboræ XV. m. p. Inde ad Macheſin adjacentem quoque ripæ Chaboræ XVIII. m. p. Inde Cercuſium XXI. m. p. Ita à Balad Cercuſium CXXVI. m. p. quæ eſt latitudo Meſopotamiæ non recto ſed obliquo tranſitu. Singara ſita eſt in deſerto ab occidentem Balad, ad radices montis cujuſdam, uti ſupra memoravimus. Inter Balad & Niſibin ſunt LXIII. m. p. niſi ſit eo loco vitioſa Nubienſis lectio. Nam mox inter Baladam & Niſibin ponit 81. m. p. Nam à Balad ad Maëlianam XVIII. m. p. Inde ad Barcaid XVIII. m. p Hactenus conveniunt duo loca inter ſe: ſed à Barcaid ad Adramam XVIII. m. p. Inde ad Talnadafæ XV. m. p. Poſtremo ad Niſibin XII. m. p. 18. 15. 12, faciunt 45. Adeoque ſuperatur m. p. 18. quæ à Barcaid ad Adramam. Si ibi circuitus non ſit, neſcio qui iſta cohæreant. Chaboras Meſopotamiam permeat. Fontibus trecentis regionis Ras-alain augetur. Illa ſufficiunt de Meſopotamia ex Geographo Nubienſi. Videamus quomodo deſcribant veteres flumina Babyloniæ, id eſt terræ Sinear. Nubienſis tractum illum, qui jacet inter Bagded & Cuſam dicit eſſe feliciſſimum & Eufratis divergiis irriguum. Eam fecunditatem prædicat ſcriptorum conſenſus. Eufratis illa divergia præter eum ramum, qui Seleuciam præterve-ctus in Tigrin illabitur, enumerantur à Nubienſi primò flumen navigerum Tſartſar quod præterfluit oppidum Tſartſar, à quo denominatur. Diſtat oppidum hoc à Bagded IX. millibus, habetque pontem compoſitum naviculis, qui aditum hominibus præbet. Sexto milli ad hoc flumine collocat flumen Almalec, ingens, aquis copioſum. Inde caſtellum Ebn-Hobaira commemorat, unde ſe Eufrates profundit in univerſam ditionem Cuſæ, reſiduis ejus aquis in lacus influentibus. Notat caſtellum Ebn-Hobaira ſitum eſſe in ripa Eufratis orientali, cum in oppoſita ſit Kerbelai. Non procul ab iſto caſtello eſſe urbem Suram, quam præterfluit alius alveus. Quatuor igitur alvei ab Eufrate derivantur, qui omnes in varios lacus ſe immergunt, uti diſerte dicit ille Geographus. Unde neſcio anne debeam hunc regium fluvium facere eundem cum illo Ammiani, cujus purgato alveo naves Romanæ redditæ ſunt Tigri. At malè conjectat Bochartus oppidum Tſartſar eſſe Apameam in confluente Tigris & fluminis hoc nomine appellati. Verba Geographi ſunt: *Reliqua verò pars Eufratis fluens è Rababa à Tergo deſerti, in varia dividitur brachia: quorum unum pergit ad Tſartſar, aliud ad Alcatſr, aliud etiam Suram, quartum denique ad Cuſam. Et omnia iſta brachia varios in lacus ſeſe immergunt:* Tſartſar eſt oppidum ad illum ramum, cui nomen dedit, non ad Tigrin. Curſus Eufratis juxta Geographum à Cercuſio pergit Rahabam Malech, tum ad Daliam, Aanam, Hit, Enbar. Addit: Indeque defluit ad amnem Iſa, ad Bagdad. Hic amnis in Babylonia ſeu Meſopotamia nomine alludit ad Is Herodoti. Non præſtiterim tamen eſſe eundem. Flumen Sodi in libro Baruch non eſt etiam ille alveus Eufratis, cui Sura adjacebat. Infrà Cercuſium exonerat ſe Chaboras, de quo apud Ezechielem, cap.

1. 1.

1. 1. Chaboram confundere cum flumine regio non oportet, quamvis illi opinioni ſummus Scaliger videatur eſſe affinis, De emendatione temporum libro V. capite, cujus lemma: De anno capti regis Jechoniæ. *Rex*, inquit, *cum proceribus Babylonem traductus eſt: Ezechiel cum plebe in partes Chaborræ fluvii, quem* Ezechiel ipſe כְּבָר vocat: Straboni & Ptolemæo χαβὸῤῥας dicitur, qui eum diſtinguunt ab eo, qui regium flumen dicitur. Regium flumen ſine Neſarmalca eſt διῶρυξ Eufratis diducta juſſu *regis cujuſdam Babylonii. Vnde nomen Syriacè illi apud Ammianum & Plinium. Plinius:* Sunt qui tradunt Eufratem Chobaris præfecti opere deductum, ubi eum diximus findi, ne præcipiti curſu Babyloniam infeſtaret: ab Aſſyriis verò univerſis appellatum Armalcar: quod ſignificat regium flumen. *Sed in Plinio corrigendum Nehar-malca.* נהר־מלכא *Ex quibus verbis Plinii inceſſere poſſet ſuſpicio* Ποτ̃αμὸν Βασιλικὸν *&* χαβὸῤῥαν *eundem eſſe: ut à præfecto, qui deduxit, Chobar; à Rege, qui juſſit, Regium flumen dictum videatur. Eſt &* Ἀβὸῤῥας *iiſdem auctoribus, qui Aborra Marcellino. Sed non eſt Chaborras. Autor Geographiæ Arabs locat urbem Karkaſia ad orientalem ripam Eufratis, ejuſque inferiores partes ait allui à flumine* الهرناس السمي بالخبور *Harias vel Harbâs, cognomine* Chabor. *Ejuſdem Chabor, præter hunc locum, bis fit apud eundem auctorem mentio.* Omninò Karkaſia eſt Cercuſium, quod non animadvertit ſummus Scaliger. Aborras & Chaborras eſt unum & idem. Flumen هرناس Gabriel Sionita legit هرناس, Scaliger dubitat ſitne legendum هرياس an هرباس. Geographus à Cercuſio Eufratis alveum deducit juxta Rahabam, Daliam, Aanam, Hit, Enbar & Iſam, uti vidimus: ſuperiora fluminis ita deſcribit: *Egreditur fluvius Eufrates ex intima terra Romanorum, protenditur uſque ad Cameh, indeque fluit uſque ad Malattiam ita ut duobus tantum millibus diſtet ab illa. Labitur deinde ad Samoſata atque illinc ferre incipit naves uſque ad Bagded. Samoſatis poſteà excurrit per meridiem, declinans ad orientem uſque ad oras maritimas Harian. Inde ad pontem Sobcha: tum ad Rafecam: & Raccam quæ in orientali ejus ripa jacet alluens attingit Mohammediam ab occidentali ejus parte: inde ad Chabucam poſteà ad Cercuſium, ibique cernitur oſtium fluminis Chaboræ* &c. Diſtantia Samoſatorum & Malattiæ eſt LI. m. p. Tantum ſupra Samoſata eſt Malattia. Chabuca ſive Chamuca itinere bidui diſtat Cercuſio. Racca & Chabuca (cui in ripa altera opponitur Mohammedia) diſtant duabus ſtationibus. Racca & Rafeca vicinæ ſunt inter ſe. Inter Amidam & Samoſata tres ſtationes. Inter Samoſata & Niſibin XC. m. p. Inter Niſibin & Ras alain tres ſtationes. Inter Roha & Samoſata tres ſtationes. Inter Harran & Raccam tres dietæ: Inter Harran & Roha XII. m. p. Pons Mambeg & Harran diſcriminantur duabus dietis. Intermedia eſt Sarug Metropolis Diar Mottar. Inter Bagded & Rahabam hoc iter juxta Eufratem:

A Bagdad ad Sailohim	XII. m. p.
Inde ad Enbar	XXIIII. m. p.
Hinc ad Zab	XXI. m. p.
Hinc ad Hit	XXXVI. m. p.
Ab Hit ad Naüſiam	XXI. m. p.
Ab hac ad Daſſam	XXI. m. p.
A Daſſa ad Aanat	XXI. m. p.
Ab Aanat ad Daliam	XXI. m. p.
A Dalia ad Rhabat Malec	XXX. m. p.
Summa	CCVII. m. p.

Tigris

Tigris lapſum Geographus ille deſcribit ita:

Amida non eſt procul ab ortu ejus.
Matira.
Oſtium fluminis Baremæ.
Oſtium fluminis Sorait, cui adjacet urbs Tal.
Gezirat-Ebn-Omar. Diſtat Amida tribus ſtationibus.
Inde ad Balad LXIX. m. p.
Ad Mauſel XXI. m. p.
Ad Tacrit duæ ſtationes.

PRope Tacrit (inquit Geographus) ſeparat ſe à Tigri flumen Dogiail (دجيل parvus Tigris) quod ejus terminos ſecans excurrit ad dominium Sorra-man-rai, illudque alluit uſque ad partes vicinas Bagded. Intercepta regio inter Eufratem & Tigrin, Hebræis ארם נהרים, Arabibus appellatur الجزيرة insula. Quam Arabes dividunt in duas regiones Rabiaa & Mottar ſive Moddar. Superior appellatur terra Rabiaa, in qua ſunt urbes Niſibis, Azun, Amida, Ras-alain, Majafarequin, Baetbaja, Balad, Sengara, Farda, Barida, Tur-aamdin.

Plinium componamus cum Geographo. Hic Eufratis lapſum uſque ad Uram, unde ſe in orientem flectit, & Babyloniam ſeu diſcriminat à Meſopotamia, ita deſcribit. *Oritur in præſectura Armeniæ majoris Caranitide, (ut prodidere ex iis, qui proximè viderunt, Domitius Corbulo in monte Aba, Licinius Mutianus ſub radicibus montis, quem capoten appellant) ſupra Simyram XII. m. p. initio Pyxirates nominatus. Fluit Derxenen primum, mox Anaetiam, Armeniæ regiones à Cappadocia excludens. Daſcuſa abeſt à Simyra XII m. p. Inde navigatur Paſtonem* (alii Sartonam legunt) *quinquaginta mill. paſſ. Meliteném Cappadociæ LXXIV. mill. paſſ. Elegiam Armeniæ decem mill paſſ. acceptis fluminibus Lyco, Arſania, Arſano. Apud Elegiam occurrit ei Taurus mons, nec reſiſtit, quanquam XII. mill paſſ. latitudine prævalens. Omiram* (al. Ommam) *vocant irrumpentem, mox ubi perfregit, Eufratem, ultrà quoque ſaxoſum & violentum. Arabiam inde læva, Merorum* (al. Oreon) *dictam regionem, triſchœna menſura, dextraque Comagenen diſterminat: pontis tamen, etiam ubi Taurum expugnat, patiens. Apud Claudiopolim Cappadociæ curſum ad occaſum ſolis agit. Primo hunc illi impugnatus curſum Taurus aufert: victuſque & abſciſſus ſibimet alio modo vincit ac fractum expellit in Meridiem. Ita naturæ dimicatio illa æquatur, hoc eunte, quo vult, illo prohibente ire, qua velit. A catarractis iterum navigatur: XL mill. paſſuum inde Comagenes caput Samoſata. Arabia ſupra-dicta habet oppida: Edeſſam (quæ quondam Antiochia dicebatur) Callirrhoen, à fonte nominatam; Carras Craſſi clade nobiles. Iungitur præfectura Meſopotamiæ, originem à Syris trahens, in qua Anthemuſia & Nicephorium oppida. Mox Arabes, qui Rhetavi appellantur: horum caput Singara. A Samoſatis autem latere Syriæ Marſyas amnis influit. Gingla Comagenen finit, Merorum civitas incipit. Oppida alluuntur Epiphania & Antiochia, quæ ad Eufratem vocantur. Item Zeugma LXXII. m paſſ. à Samoſatis tranſitu Eufratis nobile. Ex adverſo Apamiam Seleucus, idem utriuſque conditor, ponte junxerat. Qui cohærent Meſopotamiæ Rhoali vocantur. At in Syria oppida, Europum, Thapſacum quondam nunc Amphipolis; Arabes Scenitæ. Ita fertur uſque Vram locum, in quo converſus ad orientem relinquit Syriæ Palmyrenas ſolitudines, quæ uſque ad Petram urbem & regionem felicis Arabiæ appellatæ pertinent.* Iterum de Eufrate poſt Uram: *Scinditur Eufrates à Zeugmate octogintatribus millibus paſſuum circa vicum Maſſicen: & parte læva in Meſopotamiam*

vadit per ipſam Seleuciam, circa eam præfluenti infuſus Tigri: dexteriore autem alveo Babylonem, quondam Chaldææ caput, petit. mediamque permeans, item quam Otrin vocant, diſtrahitur in paludes. Illum alveum Eufratis, qui Seleuciam permeat, foſſile flumen eſſe exiſtimant quidam autore Plinio. Illie fuiſſe Agrani oppidum è maximis, quod diruere Perſæ. Seleuciam conditam eſſe dicit à Nicatore, intra nonageſimum lapidem à Babylone in confluente Eufratis foſſà perducti atque Tigris. Narragam flumen Chaldææ eſſe, eui Hipparenum aceubet. Seleuciam à Zeugmate abeſſe DXXVII. m. paſſ.

Tigrin Plinius ſic deſeribit: *Oritur in regione Armeniæ majoris, fonte conſpicuo in planitie. Loco nomen Elongoſine eſt; ipſius, qua tardior fluit, Diglito; unde concitatur, à celeritate Tigris incipit vocari. Ita appellant Medi ſagittam. Influit lacum Arethuſam &c. Fertur autem & curſu & colore diſſimilis: tranſvectu que occurrente Tauro monte in ſpecu mergitur: ſubterque lapſus, à latere altero ejus erumpit. Locus vocatur Zoroanda, Eundem eſſe manifeſtum eſt, quod demerſa profert. Alterum deinde tranſit lacum, qui Thoſpites appellatur: rurſuſque in cuniculos mergitur & poſt XXV. m. p. circà Nymphæum redditur. Tam vicinum Arſaniæ fluere eum in regione Arrhene Claudius Cæſar autor eſt, ut cum intumuere, confluant, nec tamen miſceantur: leviorque Arſanias innatat IV. m. ferè ſpatio: mox diviſus in Eufratem mergitur. Tigris autem ex Armenia acceptis fluminibus claris Partheni, Agnice, Pharione, Arabas Aræos Adiabenoſque diſterminans & quam diximus Meſopotamiam faciens, luſtratis montibus Gordyæorum, circa Apamiam Meſenes oppidum, citra Seleuciam Babyloniam CXXV. m. paſ. diviſus in alveos duos, altero Meridiem ac Seleuciam polit, Meſenen perfundens: altero ad ſeptentrionem flexus, ejuſdem gentis tergo campos cauchas ſecat. Ubi remeavere aquæ Paſitigris appellatur: poſteà recipit ex Media Choaſpen atque, ut diximus, inter Seleuciam & Cteſiphontem vectus in lacus Chaldaicos ſe fundit, eoſque LXX. millium paſſuum amplitudine implet: mox vaſto alveo profuſus, dextra Characis oppidi infertur mari Perſico, decumo ore.* Hactenus illie Plinius, alio loco ſie: *A Petra incoluerunt Omani ad Characem uſque, oppidis quondam claris à Semiramide conditis, Abeſamide & Soractia: nunc ſunt ſolitudines. Deinde eſt oppidum, quod Caracenorum regi paret, in Paſitigris ripa, Forath nomine, in quod à Petra conveniunt Characemque inde XII. m p. ſecundo æſtu navigant. E Parthico enim regno navigantibus vicus Teredon, infra confluentem Eufratis & Tigris: læva fluminis Chaldæi obtinent, dextra Nomades Scenitæ. Quidam & alia duo oppida longis intervallis Tigris prænavigari tradunt, Barbatiam mox Thumætam: quod abeſſe à Petra duodecim dierum navigatione, noſtri negotiatores dicunt, Characenorumque regi parere. Et Apamiam ſitam ubi reſtagnatio Eufratis cum Tigri confluat.* Inferior iſta Apamia ad Paſitigrin diſtinctiſſima & diverſiſſima eſt ab Apamia Meſenes, circa quam Tigris dividitur duobus brachiis poſtea in unum recurrentibus: quamvis viri ſummi confuderint. Circa hanc Apamiam inferiorem, reſtagnatio Eufratis cum Tigri confluit, in illa ſuperiore ipſe Tigris diſpeſcitur. Tacrit eſt prope locum ubi Apamia Meſenes olim ſita fuit ſed eſt in Meſopotamia ad Tigrin, Apamia fuit in inſula Tigris ubi Flumen dividi incipit. Tacrit diſtat Bagdado quinque ſtationibus ſecundum Nubam Geographum, juxta Plinium Apamea diſtabat Seleucia CXXV. m. p. Bagdad ſitum eſt ad Tigrin infra Seleuciæ poſitum & Cteſiphontis. Bagdado Baſſaram, juxta flumen Tigrin tale iter eſt: A Bagded ad Almadajen XV. m. p. jacet autem Almadajen ad occidentalem rigam Tigris. A Bagded ad Vaſet octo ſtationes, à Vaſet ad Baſſara ſex ſtationes. A

Baſſara

Baſſara ad mare ſtationes duæ. Inter Bagded & Cuſam jacet omnis regio quam irrigat Eufrates, & quam maximè occidentalis Eufratis alveus & Tigris ſeu Paſitigris includunt. Hæc regio planitiem habet, in qua condita eſt Babylon. Apamiam duplicem adcubuiſſe Tigri res eſt evidens è Plinio, qui ſuperiorem in Meſene conſtituit, ſupra Seleuciam CXXV. m. p. aliam ad Paſitigrin, ubi reſtagnatio Eufratis Tigri conjungitur. Pallacopam Arrianus lib. 7. ita deſcribit: Ἐν ᾧ δὲ αὐτῷ ἐναυπηγοῦντο μὲν αἱ τριήρεις, ὁ λιμὴν δὲ πρὸς Βαβυλῶνι ὠρύσσετο, ἐκπλεῖ ἐκ Βαβυλῶνος κατὰ τὸν Εὐφράτην, ὡς ἐπὶ τὸν Παλλακόπαν καλούμενον ποταμόν. ἀπέχει δὲ οὗτος τῆς Βαβυλῶνος σταδίους ὅσον ὀκτακοσίους. καὶ ἔστι διῶρυξ αὐτὴ ὁ Παλλακόπας ἐκ τοῦ Εὐφράτου, οὐχὶ δὲ ἐκ πηγῶν τις ἀνίσχων ποταμός. ὁ γὰρ Εὐφράτης ποταμὸς ῥέων ἐκ τῶν Ἀρμενίων ὀρῶν, χειμῶνος μὲν ὥρᾳ προχωρεῖ κατὰ τὰς ὄχθας, οἷα δὴ οὐ πολλοῦ ὄντος αὐτῷ τοῦ ὕδατος. Ἦρος δὲ ὑποφαίνοντος, καὶ πολὺ δὲ μάλιστα ὑπὸ τροπάς, ἃς τινας τοῦ θέρους ὁ ἥλιος ἐπιστρέφει μέγας τε ἐπέρχεται καὶ ὑπερβάλλει ὑπὲρ ὄχθας ἐς τὴν γῆν τὴν Ἀσσυρίαν. Τηνικαῦτα γὰρ αἱ χιόνες, αἱ ἐπὶ τοῖς ὄρεσι τοῖς Ἀρμενίοις κατατηκόμεναι, αὔξουσιν αὐτῷ τὸ ὕδωρ ἐπὶ μέγα. ὅτι ἐπιπολῆς ἐστιν αὐτῷ καὶ ὑψηλὸς ὁ ῥοῦς ὑπερβάλλει εἰς τὴν χώραν, εἰ μή τις ἀναστομώσας αὐτὸν κατὰ τὸν Παλλακόπαν ἐς τὰ ἕλη τε ἐκτρέψειε καὶ τὰς λίμνας, αἳ δὴ ἀρχόμεναι ἀπὸ ταύτης τῆς διώρυχος ἔστε ἐπὶ τὴν συνεχῆ τῇ Ἀράβων γῇ, καὶ ἔνθεν μὲν ἐς τέναγος ἐπὶ πολύ. Ἐκ δὲ τοῦ ἐς θάλασσαν, κατὰ πολλά τε καὶ μάλιστα ἀφανῆ στόματα ἐκδιδῶσι. τετηκυίας δὲ τῆς χιόνος ἀμφὶ πλειάδων μάλιστα δύσιν ὀλίγος τε ὁ Εὐφράτης ῥέει, καὶ οὐδὲν μεῖον τὸ πολὺ αὐτοῦ κατὰ τὸν Παλλακόπαν ἐκδιδοῖ ἐς τὰς λίμνας. εἰ δέ τις μὴ ἀποφράξειε τὸν Παλλακόπαν αὖθις, ὡς κατὰ τὰς ὄχθας ἐκτραπὲν φέρεσθαι τὸ ὕδωρ κατὰ πόρου, ἐκένωσεν ἂν τὸν Εὐφράτην ἐς αὐτὸν, ὡς μηδ᾽ ἐπάρδεσθαι ἀπ᾽ αὐτοῦ τὴν Ἀσσυρίαν γῆν. Ἀλλ᾽ ἀπεφράσσοντο γὰρ αἱ ἐς τὸν Παλλακόπαν τὸν (leg. τοῦ) Εὐφράτου ἐκβολαὶ πρὸς τοῦ Σατράπου τῆς Βαβυλωνίας πολλῷ πόνῳ, καίπερ [οὐ] χαλεπῶς ἀναστομούμεναι. ὅτι ἰλυώδης τε ἡ ταύτῃ γῆ, καὶ πηλὸς ἡ πολλὴ αὐτῆς, οἷα δεχομένη τὸ ὕδωρ τοῦ ποταμοῦ, εὐμαρῆ τὴν ἀποστροφὴν αὐτοῦ παρέχει ἀλλὰ καὶ ἐς τρίτον μῆνα Ἀσσυρίων ἄνδρες ὑπὲρ τοὺς μυρίους ἐν τῷδε τῷ πόνῳ ξυνείχοντο. *Quo autem ipſi tempore ædificabantur triremes & portus apud Babylona fodiebatur, devehitur Babylone in Pallacopam. Abeſt autem is omnis Babylone DCCC fermè ſtadia: Eſt autem ea parte foſſa ex Eufrate Pollacopas non fluvius è fontibus editus. Nam flumen Eufrates, fluens è montibus Armeniæ, hyeme quidem incedit intra ripas, quia ipſi aqua non eſt multa. Vere autem multoque maximè ſub ſolſtitium, quo æſtate convertit ſe ſol, magnus ſubit & tranſgreditur ripas in terram Aſſyriam. Tum enim nives, in montibus Armeniis liquefactæ, valde ipſi aquas adaugent. Quoniam in edito ipſi & ſublimis eſt fluxus tranſit in regionem, niſi quis reſerato lapſu eum ſecundum Pollacopam in paludes averteret & lacus, qui initium habentes ab hac foſſa, tendunt in continuam regionem Arabiæ & inde late in vadum. E quo in mare per multa & nimium obſcura oſtia exit. Ubi autem liquefacta nix eſt, potiſſimum circa Plejadum occaſum, exiguus fluit, nihiloque minus aquæ ejus plurimæ per Pollacopam in lacus exeunt. Niſi obſtrueretur iterum Pollacopas, ut juxta ripas averſa deſerretur aqua, alveo ſuo, evacuaretur in eum Eufrates ut neque Aſſyriorum terræ poſſent irrigari. Etenim Eufratis in Pollacopam exitus obturari ſolebant à ſatrapa Babyloniæ magno labore quamvis difficulter repurgabiles. Quia illic terra limoſa & lutum ejus multum, tanquam ſuſcipiens aquam fluminis, difficilem ejus averſionem faciunt, inque tertium menſem Aſſyriorum viri, ultra trices mille in hoc opere ſolebant occupari.* Pollacopas eſt foſſile flumen, non unum ex iſtis brachiis Eufratis, quæ commemorant Plinius, Ptolemæus, Ammianus, Nubes Geographus, ſed foſſa ab illo ramo Eufratis, qui Babylona interfluebat, deducta. Arrianus

 iterum:

iterum: ἀλλ᾽ οὐ γὰρ δυνηθῆναι ὑπὸ [forte l. διὰ] δυσχωρίαν οὕτως ἐξελάσαι ξὺν τῇ στρατιᾷ, ὅτι τὰ ἀπὸ δυσμῶν τῆς πόλεως εἰσιόντι, εἰ ταύτῃ πρὸς ἕω ἐπέστρεφεν ἐλώδη τε καὶ τεναγώδη ἦν, καὶ οὕτω καὶ ἑκόντα καὶ ἄκοντα ἀπειθῆσαι τῷ θεῷ. Alexandrum voluiſſe circuire urbem & per occidua urbi ſubjacentia verſus ortum trajicere cum exercitu, prohibitum paludibus urbem intraſſe invitum. Iterum de Eufrate & Tigri: Ὁ μὲν Τίγρης πολύ τι ταπεινότερος ῥέων τοῦ Εὐφράτου, διώρυχάς τε πολλὰς ἐκ τοῦ Εὐφράτου ἐς αὐτὸν δέχεται, καὶ πολλοὺς ἄλλους ποταμοὺς παραλαβὼν, καὶ ἐξ αὐτῶν αὐξηθεὶς, ἐσβάλλει ἐς τὸν πόντον τὸν Περσικὸν μέγας τε καὶ οὐδαμοῦ διαβατὸς ἔστε ἐπὶ τὴν ἐκβολὴν, καθότι οὐ καταναλίσκεται αὐτοῦ οὐδὲν ἐς τὴν χώραν. ἔστι γὰρ μετεωροτέρα ἡ ταύτῃ γῆ τοῦ ὕδατος, οὐδὲ ἐκδίδωσιν οὗτος κατὰ τὰς διώρυχας οὐδὲ ἐς ἄλλον ποταμὸν, ἀλλὰ δέχεται γὰρ ἐκείνους μᾶλλον, ἄρδεσθαί τε ἀπ᾽ αὐτοῦ τὴν χώραν οὐδαμῇ παρέχει. ὁ δὲ Εὐφράτης μετέωρός τε καὶ ἰσοχείλης πανταχῇ τῇ γῇ, καὶ διώρυχές τε πολλαὶ ἀπ᾽ αὐτοῦ πεποίηνται. αἱ μὲν ἀέναοι, ἀφ᾽ ὧν ὑδρεύονται παρ᾽ ἑκάτερα ᾠκισμένοι. τὰς δὲ καὶ πρὸς καιρὸν ποιοῦνται ὁπότε σφίσιν ὕδατος ἐνδεῶς ἔχοι ἐς τὸ ἐπάρδειν τὴν χώραν. οὐ γὰρ ὕεται τὸ πολὺ ἡ γῆ αὕτη ἐξ οὐρανοῦ καὶ οὕτως ἐς οὐ πολὺ ὕδωρ ὁ Εὐφράτης, τελευτῶν καὶ τεναγώδης ἐς τοῦτο, οὕτως ἀποπαύεται.

Ut illa omnia illuſtremus Ptolomæi Chorographiam Meſopotamiæ, Arabiæ deſertæ, Babylonięe proponere & exponere animus eſt, ut continetur lib. 5. Geographiæ capp. 18, 19, 20. Meſopotamiam ita depingit:

Ἡ Μεσοποταμία περιορίζεται, ἀπὸ μὲν ἄρκτων τῷ ἐκτεθειμένῳ μέρει τῆς μεγάλης Ἀρμενίας. Hunc limitem definit, in ſitu majoris Armeniæ, linea Tauri montis, quæ Eufrati fluvio jungitur juxta gr. 74: 30. 37, 20. Tigridi autem 75: 30. 38, 20. Juxta editionem Latinam in linea ad Eufratem ſcribitur, gr. 71: 30. 38: 0. Pergit Ptolemæus: Ἀπὸ δὲ δύσεως τῷ διωρισμένῳ παρὰ τὴν Συρίαν τοῦ Εὐφράτου ποταμοῦ μέρει. Ἀπὸ δὲ ἀνατολῶν τῷ παρὰ τὴν Ἀσσυρίαν μέρει τοῦ Τίγριδος ποταμοῦ, τῷ ἀπὸ τοῦ πρὸς τῇ Ἀρμενίᾳ τμήματος μέχρι τῶν τοῦ Ἡρακλέους βωμῶν, οἳ ἐπέχουσι μοίρας 'ο leg. π 'λδ 'γ, Herculis Aræ, ad Tigrin, dicuntur diſtare LXXX. o. XXXIV. 20. Ἀπὸ δὲ μεσημβρίας τῷ λοιπῷ μέρει τοῦ Εὐφράτου, παρὰ τὴν ἔρημον Ἀραβίαν, μέχρι πέρατος, οὗ ἡ θέσις ἐπέχει 'οϛ: δ. 'λγ: 'γ. Terminum illum, qui finit ab ortu limitem meridianum Meſopotamiæ in Eufrate, juxta Arabiam deſertam dicit diſtare p. LXXVI: XV. XXXIII. XX. Παρὰ δὲ τὴν Βαβυλωνίαν μέχρι τῆς πρὸς τὸν Τίγριν συναφῆς καὶ τοῖς εἰρημένοις βωμοῖς, οὗ τμήματος ἡ θέσις ἐπέχει μοιρ. 'π. 'λδ: 'γ. Jam habemus quatuor cardines. Ad Septentrionem ſunt Armeniæ majoris montes. Ad occaſum Eufrates. Ab oriente Tigris, quantum extenditur à montibus Armeniæ uſque ad Herculis aras. Ad ſeptentrionem attingit Meſopotamia Arabiam deſertam & Babyloniam. Arabiæ deſertæ contermina eſt uſque ad eum locum qui habet LXXVI: 15. XXXIII. 20. Babyloniæ deinde ſe opponit uſque Herculis aras. Hæ ad Tigrin ſitæ fuerunt ſub LXXX. o. XXXIV. 20. Non definit nobis poſitum Armeniæ montium, nec terminum Eufratis inter occaſum & meridiem.

Duos celebres Meſopotamiæ montes Maſium & Singaram definit. Ὄρη μὲν ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ κατονομάζεται τό τε Μάσιον ὄρος, οὗ τὸ πέρας ἐπέχει μοιρ. 'οδ. 'λδ: 'γ. Καὶ ὁ Σιγγάρας 'οϛ: 'γ. 'λϛ: δ. Singaras igitur penè duobus gradibus Maſio ſeptentrionalior eſt.

Ex iſtis montibus præter alios duos fluvios oriri narrat, qui decurrunt in Eufratem, ſcilicet Chaboram & Saocoram. Ποταμοὶ δὲ διαρρέουσι τὴν χώραν ἀπὸ τῶν εἰρημένων ὀρέων ἐκτρεπόμενοι, ἄλλοι τε καὶ ἔτι ὁ καλούμενος Χαβώρας. οὗ

ρας. οὗ

ρας. οὗ αἱ μὲν πηγαὶ ἐπέχουσι μοίρας ʹοδ.ʹλζ.ʹδ. ἡ δὲ πρὸς τὸν Εὐφράτην συναφὴ ʹοδ.ʹλε.

Chaboras fluvius influit in Eufratem prope Cercuſium, cujus non meminit Plinius. Fuit enim conditum à Diocletiano, ut teſtatur Ammianus. Sed miror ejus non meminiſſe Ptolemæum, cum ejus meminerit Geographus Nuba. Chabora Ptolemæi non eſt Cercuſium, quia longè inferior eſt. Eſt enim infra confluentes, cum ſupra ſit Cercuſium. Sed non convenit poſitio Ptolemæi cum tabulis Geographicis Naſſireddini Perſæ & Ulug-Beigi Tartari: quas edidit Joannes Gravius.

Ptolemæus: Καὶ ὁ καλούμενος Σαοκόρας ποταμός. οὗ αἱ μὲν πηγαὶ ἐπέχουσι μοιρ. ʹοα λζʹγ. ἡ δὲ πρὸς τὸν Εὐφράτην συναφὴ ποι. ἐπέχει μοιρ. ʹος ʹλδ.

Κατέχει δὲ τῆς χώρας τὰ μὲν πρὸς τῇ Ἀρμενίᾳ, ἡ Ἀνθεμουσία. ὑφ᾽ ἣν ἡ Χαλκῖτις. ὑπὸ δὲ ταύτην ἥτε Γαυζανῖτις, καὶ πρὸς τῷ Τίγριδι ποταμῷ, ἡ Ἀχαβηνή. ὑπὸ δὲ τὴν Γαυζανῖτιν ἡ Τιγγηνή. καὶ ἐπὶ πολὺ παρὰ τὸν Εὐφράτην, ἡ Ἀγκωβαρῖτις.

Meſopotamiæ loca deſcribit Ptolemæus in hunc modum, primo adſita Eufrati: deinde Accubantia Tigridi, uſque ad confluentes Baſilii: tertiò mediterranea.

Civitates & villæ Meſopotamiæ juxta Eufratem ſunt apud ipſum:

Porſica	72: 0. 37. 10.
Amana	72: 20. 36: 20.
Barſampſe	72: 20. 36: 15.
Sarnuca	72: 30. 35: 50.
Berſima	72: 20. 35: 50.
Bauma	72: 50. 35: 20.
Nicephorium	73: 5. 35: 20.
Maguda	73: 30. 35: 30.
Chabora	74: 0. 35: 10.
Thelda	74: 15. 34: 15.
Aphphadana	74: 30. 34: 35.
Banabe	74: 45. 34: 25.
Zitha	75: 10. 34: 20.
Bethautha	76: 0. 34: 15.
Rheſeipha	76: 0. 34 0
Agamana	77: 30. 33: 30.
Eudrapa	77: 10. 33: 20.
Addæa	77: 15. 34. 0
Pacoria	77: 20. 34: 45.
Teridata	77: 30. 34: 20.
Naarda	77: 20. 34: 30.
Sipphara	78: 15. 32: 20.

Sequitur hinc ἡ τοῦ Εὐφράτου θέσις, καθ᾽ ἣν σχίζεται εἴς τε τὸν διὰ Βαβυλῶνος ῥέοντα καὶ τὸν διὰ Σελευκείας, ὧν ὁ μεταξὺ καλεῖται βασίλειος ποταμὸς οὗ θέσις τῆς ἐκτροπῆς μοιρ. ʹοθ. ʹλε: ʹγ.

Hinc Seleucia 79: 20. 35. 20.

Diximus in Heptaëmero, videri hortum Edenenſem poſitum fuiſſe, ubi Eufratis flexus ab Ura in orientem maxime in ſeptentrionem vergit. Huic ſententiæ nondum repudium mittimus. In Ptolemæi autem deſcriptione Eufrates deflectit longiſſime in Septentrionem juxta urbem aut vicum Παχορίαν & Ναάρδα. Hic fuiſſe Eden regionem non abludit à vero: ſicuti in illo libro oſtendimus. Circa hanc ſciſſuram fluvius fuerit è Meſopotamia ad irrigandum hortum decurrens, & inde in Ephratem delapſus.

Hoc

Hoc eſt quod Moſes dicit ex Edene exire לְהַשְׁקוֹת הַגָּן & exinde מִשָּׁם dividi & fieri in quatuor capita. Non potuit procul ab iſta ſciſſura fuiſſe fluvius Edenenſis, quia dicitur exinde in quatuor capita findi, poſtquam hortum eſt emenſus & prætervectus. Quatuor iſta capita fuerunt, Geon per Babylona labens; Phiſon ad quem poſita eſt Bagded; Tigris & Eufrates. Eufratis poſtea fuerunt quatuor rami, cum ea tempeſtate unus eſſet & ſolus, ad quem Babylon eſt condita.

Loca Meſopotamiæ ad Tigrin

Durbeta	76:	0.	38:	0	
Saphe	77:	0.	37:	20.	Mendum, niſi fallor, 'οζ pro 'ος.
Deba	76:	0.	37:	20.	
Singara	76:	0.	37:	0.	
Betoüſa	77:	0.	36:	15.	
Lambana	77:	10.	36:	20.	
Birtha	78:	15.	36:	15.	
Carthara	79:	0.	36:	0.	
Manchane	79:	10.	36:	20.	

Et poſt Seleuciam:

Teſcaphe	79:	45.	34:	20.
Apamea	79:	10.	34:	10.

Υ'φ' ἢ ἡ τῶ βασιλείου ποταμοῦ πρὸς τὸν Τίγριν συμβολή. Illa conjunctio fluminis regii eſt ad aras Herculis, in poſitione 80: 0. 34: 20. Niſi hæc poſitio vitioſa ſit, pro 33: 15, id eſt 'λδ: 'γ, pro 'λγ: δ. Oportet enim Herculis aras ad quas regius fluvius Tigridi commiſcetur eſſe infrà Apameam.

Quem vocat regium flumen, eodem vocabulo dicitur Nubæ Geographo, ad quem eſt Alcaſar. At nec Sarſar nec Alcaſar eſt Apamea quia diſerte non ad Tigrin ſed ad ſuum quæque Eufratis ramum collocantur.

Judæorum urbes celebres fuerunt Sura, Naarda. Pombeditha. Naardam ubi poſita fuerit, oſtendimus. Pombeditha, ſi fides Benjamino poſſit haberi, eſt illa civitas, quam Nuba Geophraphus vocat Enbar. Ipſe vocat אילנבר, *Ennebar*. לאילנבר היא פומבדיתא אשר על שפת פרת: Hanc dicit Naarda diſſitam fuiſſe itinere ſeſquidiei. Meſopotamiæ loca ad flumina Eufratem & Tigrin vidimus: nunc ejus mediterranea è Ptolemæo conſiderentur. Ipſe duplicem *μέσην* facit: primam proximam Apameæ, ambitam fluminibus iſtis: ramo Eufratis, qui tranſit Seleuciam, Baſilio & Tigri. Perperam enim hac parte ad Tigrim uſque Babylonia extenditur. Alteram *μέσην* inter Tigrim & Eufratem & montes Armeniæ has urbes habere dicit:

Bithias	72:	20.	37:	20.
Edeſſa	72:	0.	37:	10.
Ombrea	73:	0.	37:	10.
Ammæa	73:	20.	37:	20.
Suma	73:	10.	37:	10.
Rhiſina	73:	10.	37:	30.
Oxira	73:	10.	37:	0.
Sarrane	74:	0.	38:	0.
Sanace	73:	0.	38:	15.
Arxama	74:	15.	37:	15.
Gizama	74:	15.	37:	10.
Sinna	74:	0.	37:	10.

Mambuta

Mambuta	74: 10.	37: 20.
Niſibis	75: 10.	37: 15.
Bithiga	75: 10.	37: 10.
Baxacha	75: 20.	37: 0.
Auladis	73: 0.	36: 30.
Ballatha	73: 10.	36: 10.
Κάῤῥαι, *Carræ*,	74: 20.	36: 15.
Tirithia	74: 50.	36: 15.
Thergubis	75: 10.	36: 0.
Ortheaga	75: 10.	36: 15.
Olia	76: 20.	36: 20.
Zama	75: 0.	36: 15.
Sinna	76: 0.	36: 15.
Gurbatha	77: 0.	36: 15.
Badauſa	76: 0.	36: 0.
Bariana	77: 20.	36: 0.
Acraba	73: 30.	35: 50.
Apphadana	74: 0.	35: 45.
Rhæſena	74: 20.	35: 30.
Peliala	75: 45.	35: 20.
Aluanis	77: 15.	35: 50.
Bematra	76: 15.	35: 20.
Deremma	76: 20.	35: 0.

Sic deſcripta eſt Meſopotamia, quam ſequitur Arabia deſerta, quam dicit περιορίζεσθαι ἀπὸ μὲν ἄρκτων Μεσοποταμίας μέρει κατὰ τὸ ἐκτεθειμένον μέρος τοῦ Εὐφράτου ποταμοῦ, ὃ ἐπέχει μοίρας ΄ος δ. ΄λγ ΄γ. Deinde ab occidente τοῖς διωρισμένοις μέρεσι τῆς τε Συρίας καὶ Ἰουδαίας καὶ τῆς πετραίας Ἀραβίας. Ab oriente Babylonia διὰ τῆς ὀρεινῆς τῆς ἀπὸ τῆς ἐρήμου τῆς παρὰ τῷ εὐφράτῃ; πέρατος μέχρι τοῦ μυχοῦ τοῦ περσικοῦ, μεσανίτου κόλπου, καὶ κατὰ θέσιν ἐπέχει μοίρας ΄οθ, ΄λς ΄ς. καὶ τῷ ἐντεῦθεν μέρει τοῦ περσικοῦ κόλπου μέχρι πέρατος, οὗ ἡ θέσις ἐπέχει μοίρ. ΄οθ ΄κθ. *Orientale latus Montana finiunt & pars ſinus Perſici. A meridie terminatur felici Arabia, per montana, quæ ab expoſito Petrææ Arabiæ limite ad limitem expoſitum ſecundum Perſici ſinus* μεσανίτην κόλπον, *qui habet* 79: 0. 29: 0.

Tenent autem, inquit, *hanc deſertam Arabiam, ad Eufratem flumen Cauchabeni: ad Syriam Catanii: ad Arabiam Felicem Aguberri, poſt quos Rhaabeni & ad ſinum Perſicum Orcheni: Ad Babyloniam ſub Cauchabenis Æſitæ, ſupra Rhaabenos Maſani inter hos Agræi juxta* βαρσαναίους *fort.* βατανάιους, *Martini autem juxta Babyloniam.*

Civitates & villas deſcribit, primò poſitas ad Eufratem; ſecundò ad ſinum Perſicum, tertiò mediterraneas.

Ad Eufratem: Thapſacus	73: 10.	35: 20.
Bithra	73: 20.	35: 0.
Gadirtha	73: 50.	34: 45.
Auzara	74: 5.	34: 15.
Audattha	74: 15.	34: 20.
Eddara	74: 20.	34: 10.
Balatæa	75: 0.	34: 0.
Pharga	75: 20.	34: 0.
Colorina	75: 10.	33: 10.

Belgnæa

Belgnæa	75,	0.	33,	10.

Nicephorium & Thapſacus vicina ſunt inter ſe, alterum in Meſopotamia, alterum in Arabia. Juxta Thapſacum fuit διάβασις Eufratis quod ponit Ptolemeus in gr. 73, 0. 35, 6.

Ad ſinum Perſicum:

Ammæa	79,	0.	30,	10.
Adicara	79,	0.	29,	30.
Iocura	79,	0.	29,	15.

Civitates mediterraneæ:

Barathema	73,	20.	36,	10.
Sabe σαύη	73,	0.	33,	0.
Cocbe	72,	10.	32,	10.
Gauara	73,	20.	32,	10.
Aurana	73,	15.	32,	20.
Beganna	75,	20.	32,	20.
Alata	72,	10.	32,	0.
Erupa	72,	10.	31,	15.
Themme	75,	0.	31,	20.
Luma	75,	20.	31,	10.
Thauba	72,	15.	30,	10.
Seuia σηούϊα	73,	10.	30,	10.
Dapha	74,	15.	30,	10.
Sora	73,	0.	30,	20.
Odogana	76,	15.	30,	20.
Tedium	77,	0.	30,	30.
Zagmais	76,	30.	30,	10.
Arrhade	76,	45.	30,	15.
Abæra	70,	0.	30,	0.
Artemita	72,	45.	29,	30.
Nachaba	73,	50.	29,	20.
Dumætha	75,	30.	29,	30.
Allata	75,	20.	29,	30.
Abere	76,	20.	29,	30.
Calathuſa	75,	15.	29,	30.
Salma	75,	20.	29,	30.

Hæc eſt Arabia deſerta, quam à Babyloniis diſterminabant montes ab Eufrate uſque ad ſinum Perſicum, uti dictum eſt. Babylonia itaque incluſa inter eos montes & Tigrin eſt campus Sennaar שִׁנְעָר, quem ingreſſi hominum filii, idoneum putarunt, ut illic incolerent & monumentum ad poſteritatem molirentur. Babyloniam ita deſcribit Ptolemæus: *Babylonia terminatur à ſeptentrionibus Meſopotamia, juxta expoſitam Eufratis fluvii partem: ab occaſu Arabia deſerta juxta prædicta montana. Ab oriente Suſiana, juxta reliquam Tigridis fluvii partem uſque ad ejus oſtia in ſinum Perſicum. Quod gradus habet:* 80, 30. 31, 0. *A meridie inde ad deſertam receſſu ſinus Perſici.* Διαῤῥέουσι δὲ τὴν χώραν ὅτε Βασίλειος, καὶ ὁ διὰ τῆς Βαβυλῶνος ῥέων, καὶ ὁ καλούμενος Βααρσοάρης. ὃς τῷ μὲν Εὐφράτῃ συμβάλλει κατὰ θέσιν ἐπέχουσαν μοιρ. ʹοθ: ὀ. ʹλδ: ʹγδ. Deinde dicit, *flumini Babyloniam ſeu Babylona interfluenti commiſceri Baſilium.* Sic enim verti debet. Eſt enim eo loco verſio Latina perturbatiſſima. Græca habent: Τῷ δὲ διὰ Βαβυλωνίας, ὃς καλεῖται ὁ Βασίλειος ποταμὸς συνάπτων ʹοθ: ο. ʹλδ: ʹγ. Ποιοῦσι δὲ οἱ ποταμοὶ οὗτοι καὶ αἱ ἀπ' αὐτῶν

αὐτῶν ἐκτροπαὶ, λίμνας καὶ ἕλη ὧν καὶ αὐτῶν τὸ μεταξὺ ἐπέχει μοίρας οη: ς. λβ: ς. Βααρσάρης eſt ramus maximè occidentalis Eufratis, ad quem Cuſa ſita eſt. Narragam Plinio dici arbitror. Ad hunc fuit Chaldæa pars Babyloniæ, juxta Ptolemæum. Dicit enim Eufrati appoſitam eſſe ἀμερίτιν χώραν, deſertæ verò Arabiæ, Chaldæam; circa autem paludes Amordaciam: ὑποκειμένοις ἔχουσαι τοὺς καλουμένους στρόφας. Ammianus: *Perfluunt autem has eaſdem terras potiores ante alios amnes hi, quos prædiximus & Marſias & flumen regium & Eufrates cunctis excellens qui tripartitus navigabilis per omnes eſt rivos, inſulaſque circumfluens & arva cultorum induſtria diligentius rigans, vomeri & gignendis arbuſtis habilia facit.* His tractibus Suſiani junguntur &c. Exiſtimat Franciſcus Junius Marſiam (in hoc loco Ammiani) eſſe Baharſarem Ptolemæi. quod ita non eſt, quia Marſias non eſt è ramis Eufratis, è quibus unus eſt Baarſares. Strabo: ποταμὸς, βασίλειος καλούμενος καὶ περὶ τὴν Ἀνθεμουσίαν ἄλλος Ἀβόῤῥας. Βασίλειος illi idem eſt uti videtur, qui Ptolemæo: eum Ammianus id nomen Eufrati ipſi, qua parte Seleuciam prætervehitur, & huic ipſi Ptolemaicano videatur dediſſe. Hoc, inter Eufratem & Tigrin ſic accipi etiam poteſt, quod uterque ramus Baſilii vocabulo veniat, uti apud Ammianum. Nempe inter Eufratem, qui Babylona interfluit & Tigrin uterque medius eſt. Ἀβόῤῥας autem non eſt Eufratis illa parte alveus ſed ipſe Chaboras. Eufratem ita dimetitur Strabo: Καὶ ἔστι τὸ μὲν ἀπὸ τῆς Θαψάκου μέχρι Βαβυλῶνος, ὡς εἴρηκεν Ἐρατοσθένης, τετρακισχίλιοι καὶ ὀκτακόσιοι στάδιοι. τὸ δ' ἀπὸ τοῦ μετὰ Κομμαγηνῶν ζεύγματος, ὅπερ ἐστὶν ἀρχὴ τῆς Μεσοποταμίας, οὐκ ἔλαττον τῶν δισχιλίων σταδίων ἕως ἐπὶ Θάψακον. Ἔστι δὲ ἡ μὲν παρόρειος εὐδαίμων ἱκανῶς. ἔχουσι δ' αὐτῆς τὰ μὲν πρὸς τῷ Εὐφράτῃ καὶ τῷ ζεύγματι τῷ τε νῦν τῷ κατὰ τὴν Κομμαγηνὴν, καὶ τῷ πάλαι, τῷ κατὰ τὴν Θάψακον οἵ τε Μυγδόνες κατονομασθέντες ὑπὸ τῶν Μακεδόνων. ἐν οἷς ἐστιν ἡ Νίσιβις, ἣν καὶ αὐτὴν Ἀντιόχειαν τὴν ἐν τῇ Μυγδονίᾳ προσηγόρευσαν, ὑπὸ τῷ Μασίῳ ὄρει κειμένην, καὶ τὰ Τιγρανόκερτα καὶ τὰ περὶ Κάῤῥας καὶ Νικηφόριον χωρία καὶ Χορδίραζα καὶ Σίνακα ἐν ᾗ Κράσσος διεφθάρη δόλῳ ληφθεὶς ὑπὸ Συρήνα τοῦ τῶν Παρθυαίων στρατηγοῦ. Meſopotamiæ latitudinem ſic definit: Τὸ ἀπὸ Θαψάκου, καθ' ὃ ἦν τὸ ζεῦγμα τοῦ Εὐφράτου τὸ παλαιὸν, ἐπὶ τὴν Τίγριδος διάβασιν, καθ' ἣν διέβη Ἀλέξανδρος αὐτὸν, δισχιλίων τετρακισχιλίων. Hæc maxima latitudo. Τὸ δ' ἐλάχιστον μικροῦ πλέον τῶν διακοσίων κατὰ Σελεύκειαν που καὶ Βαβυλῶνα. Nunc ad Ptolemæum regrediamur. *Civitates autem in Babylonia ſunt & villæ, juxta partem Tigris fluminis uſque ad mare ſub Apamea urbe:*

Bilbe	79: 10.	33: 15.
Didugua	79: 45.	33: 20.
Gunda	79: 20.	33: 15.
Batracharta	79: 10.	32: 20.
Thalatha	80: 0.	32: 10.
Altha	79: 45.	31: 15.

Καὶ μεταξὺ τὸ ἀνατολικὸν στόμα τῶν τοῦ Τίγριδος ἐκβολῶν αἱ ἐπέχουσι μοίρ. π 30. λα.

Occidentale vero 79. 30. 30: 15. Hoc in Græco non exſtat, ſine dubio ex defectu.

Teredon	80: 0.	31: 0.

Teredon enim eſt inter duo oſtia Tigris.

Sequuntur urbes ad Eufratem:

Idicara	77: 0.	33: 20.
Duraba	77: 20.	34: 0.

Thaccona 77: 15. 34: 10.
Thelbencane 78: 10. 35: 10.
Et ſuper fluvio, per Babylonem fluente:
Babylon 79: 0. 35: 0.
Πρὸς δὲ τῷ καλουμένῳ Βαασσάρῃ ποταμῷ.
Vologeſia 78: 15. 34: 10.
Barſita Βάρσιτα 78: 15. 33: 20. Emendat Cl. Bochartus Βάρσιππα.
Ὑπὸ δὲ ταύτας καὶ περὶ τὰ ἕλη καὶ τὴν ἔρημον ἀραβίαν:
Beana 79: 0. 33: 20.
Chuduca 78: 0. 33: 20.
Phumana 79: 0. 33: 10.
Caſa 76: 20. 32: 10.
Berambe 77: 10. 32: 10.
Orchoë ὀρχόη 78: 10. 32: 20.
Βεθθάρα 79: 0. 32: 10.
Θεάμη 76: 20. 32: 0.
Sorthida 77: 0. 32: 20.
Jamba 78: 0. 31: 0.
Rhagia ῥάγεια 78: 20. 31: 20.
Chiriphe 79: 15. 31: 30.
Rhatta 79: 15. 30: 45. Hactenus Ptolemæus.

Babylona condiderunt in planitie illa ad Eufratem ſeu potius ramum Eufratis, qui גיחון dictus eſt, & in ea turrim. Interpretes turrim illam alio tranſtulerunt. Græci interpretes Chalanem, idque ex loco Eſai. 10. 9. οὐκ ἔλαβον τὴν χώραν, τὴν ἐπάνω Βαβυλῶνος καὶ χαλάνης, οὗ ὁ πύργος ᾠκοδομήθη? Nonne cepi regionem quæ eſt ſupra Babylonem & Chalanem, ubi turris ædificata eſt? In quem locum Baſilius: πύργον μὲν οὖν ἐκεῖνον λέγει τὸν ἀρχαῖον, ὃν ἐν τῷ πεδίῳ τῷ Σενναὰρ ᾠκοδόμησαν. Chalanes nomen in uſu ſcripturæ non eſſe detritum dicit Baſilius. Conjectare autem ſe quod ſita fuerit in quodam loco Babyloniæ finitimo, quia Babylon agnominis eſt confuſioni linguarum. Cyrillus: χαλάνη οὗ ὁ πύργος ᾠκοδομήθη παρὰ τῶν ἀρχαιοτέρων, κεῖται μὲν ἐν ἐσχάτοις τρόπον τινὰ τῆς ἑώας μέρεσιν, ἐπέκεινα δὲ τῆς Βαβυλωνίων χώρας τε καὶ γῆς. Gregorius Nazianzenus orat. 26. ὁ ἐν χαλάνῃ πύργος ὃς καλῶς τὰς γλώσσας ἐμέρισεν. Conſtantinus Manaſſes in hiſtorica Synopſi vocat turrim Chalanes, πύργον χαλάνης, quamvis in ipſa Babylonis urbe exiſtimet fuiſſe. Seduxit Græcos interpretes verſio LXX. interpretum. Hieronymus: *Pro Charcamis autem LXX, addentes de ſuo, regionem trans Babylonem interpretati ſunt & Chalane ubi ædificata eſt turris: Arphaxad penitus relinquentes.* In Hebræo eſt: הֲלֹא כְּכַרְכְּמִישׁ כַּלְנוֹ Quod Vulgatus recte: *Nunquid non ut Charcamis, ſic Chalano?* Cl. Bochartus exiſtimat illos interpretes, qui tam ſæpe ſibi nimium indulſerunt & negligenter codices ſacros excuſſerunt, ex כְּכַרְכְּמִישׁ feciſſe בָּהּ כַּרְכֹּם יֵשׁ, *in ea munitio fuit.* Quod intellexerint de Babylonica turri. כַּרְכֹּם enim eſſe Græcum χαράκωμα: Cujus plurale כרכומין pro Hebræo מָצוֹר legatur Deut. 20. 20. in Jonathanis paraphraſi. Alibi autem melius ſcribi כרקום. In Onkelos habetur id vocis eo loco. Verum eſt: כרקום vel כרכום eſt Græcum χαράκωμα ex eo factum, quo rectè exprimitur מצור per Res (ut eſt Deut. 20. 20.) non מצוד per Daleth. Nam χαράκωμα ſignificat vallum

& agge-

& aggerem quo obſcpiuntur urbes tum à ſuis ut ſe tueantur tum ab hoſtibus ut includantur. Poſteriore ſenſu capitur in loco Deuternomii. מָצוֹר , מְצָד & מְצוּדָה ſignificat arcem, πύργον & propugnaculum adverſus hoſtiles oppugnationes. Inde prius illud LXX. reddiderunt per χαράκωμα non poſterius. Poſterius expreſſerunt per καταφυγή non prius. Exiſtimo aliud eſſe, quod in illa verſione LXX. reſpexerunt. Hebræi etiam locum turri alium non in Babylone metati ſunt: nempe Borſippis, quæ ad Baarſarem fluvium eſſe è Ptolemæo intelleximus. Nempe ex alluſione vocis; בורסיף quaſi בור שאפי. Quia aër illius loci homines inducit in oblivionem omnium eorum, quæ didicerunt. Unde factum ut linguæ ſuæ quiſque eſſet immemor. Alii pro Borſiph volunt dici Bolſiph בלשיף: quia ibi Deus בלל שפת, confudit linguam totius terræ. Hæc Cl. Buxtorfius è Judæorum libris. Benjamin in itinerario locum ædificatæ turris procul Babylone conſtituit. Ejus videamus per Meſopotamiam iter: Balits באלין, quæ ſit Pethor Balaami, ad Eufratem diſtare itinere bidui Halebo. Hinc dimidio die לקלע גבר היא סלע מרברה. Hinc uno die abeſſe Rakiam, quæ ſit Calne בתחלת ארץ שנער, quæ dividat regnum Turcarum à Terra Sincar. Inde itinere bidui perveniri Haran, patriam Abrahami. Inde duobus itineribus fontes eſſe Chaboræ fluminis, quod in Mediam ingrediens cadat in monte Gozan. Errat Benjamin confundens Chaboram Meſopotamiæ cum Chabor in finitimis Mediæ. Unde Chebar Ezechielis alio loco reponit. Differunt חָבוֹר & כְּבָר Chabor oppidi potius aut regionis nomen ad flumen Gozan eſt, quam fluvii 2. Reg. 17. 6. Ut Benjamin è Gozen facit montem, ita de oppido facit flumen; id vero eſt naturam rerum immutare. Sed ego exiſtimo mendum eſſe בהר pro לְנהַר. Nam in ſequentibus frequens mentio habetur fluminis Gozen. Harane ad Niſibin, (quæ diſtingui debet à Niſibi altera, quam & Antiochiam Mygdoniam vocant ad Eufratem) iter bidui. Hæc civitas aquarum copia dives. Inde ad Gezirath-omar, quæ in inſula Tigridis, ad radices montium Ararat, alterius bidui iter. Inde quatuor millibus abeſſe locum & ſedem arcæ. Ab iſto oppido ad Moſal ſive Aſſur magnam bidui iter eſſe. A Ninive quæ oppoſita eſt Aſſuri, ad Arbeel eſſe diſtantiam paraſangæ unius. Narrat autem ſe ab Aſſur iſta profectum eſſe triduo Rahabam (quæ ſit רחובות ad ripam Eufratis) urbem amœniſſimam hortis & pomariis. Inde לקרקסיא *Cercuſium* (ipſe כרכמיש eſſe putat) ripæ Eufratis etiam aſſidentem. Hinc duobus diebus diſtare Pombeditham in Naarda. Pombeditam alio nomine dici אל־יובר. Hinc quinque eſſe itinera לְחַרְדָּה. Inde biduo veniſſe Ocberam, עוקברה, quam Jechonias rex Judæorum condiderit. Hinc aliis quinque itineribus Bagdadum. In Bagdadi deſcriptione commemorat brachium quoddam Eufratis fluere ab illa parte urbis trans-euphratenſi, qua ξενοδοχεῖα & φαρμακοπωλεῖα. Hoc Eufratis brachium eſt illud quod Alcatſar alluere dicit Geographus Nuba. Memorabile eſt quod narrat in provincia Bagdadi civitatem eſſe patentem circuitu in tria millia, in regione amœniſſima: והיא ארץ תמרים וגנות ופרדסים שאין כמותם בכל ארץ שנער: *Terram palmarum & hortorum & paradiſorum, cui in tota Sennaar nulla par ſit* Hinc bidui itinere abeſſe גהיאגן, quæ ſit magna illa Reſen Moſi memorata. Unde Babylonis rudera diſcriminentur unius diei itinere. Babylone Hilam חילה quinque millibus abeſſe: Hinc ad turrim, in qua ſint olim confuſæ linguæ, quatuor millia. Et ab ea dimidii diei itinere נפחא Naphcham perveniri.

veniri. Inde tres eſſe paraſangas ad Ezechielis prophetæ Synagogam: cui in altera ripa opponantur ſexaginta turres. Eum locum una parte ſui flumen Chobar כְּבָר, reſpicere, altera Eufratem. Dimidio inde milliari diſtare ſepulcra Ananiæ, Miſaëlis & Azariæ. Hinc tribus millibus civitatem Alkotſonath. Unde tribus diſtet paraſangis Enſiphtha. Inde ad pagum Lephras iter diei. Dimidiatum iter ad pagum deſerti. A quo uno die ad Ligam flumen. Uno inde die Cuſam. Hinc ſeſquidiei itinere Suriam ſive Mahaſiam. Inde Schephithib in Naarda duorum dierum iter. Seſqui die inde ſe Poumbeditham perveniſſe. Hoc Benjamini iter per Meſopotamiam & Babyloniam. Adjiciamus ex tabulis Geographicis Naſſir-addini & Ulug-begi quorundam locorum poſitus, ut comparatio det lucem.

Semiſat	72:	35.	40:	0.
Harran	73:	0.	36:	40.
Racca	73:	15.	36:	0.
Ras Alain	74:	0.	36:	50.
Maredin	74:	0.	37:	15.
Karkiſia	74:	40.	37:	20.
Naſibin	75:	20.	37:	0.
Sengar	76:	0.	36:	0.
Ana	76:	30.	34:	0.
Mauſel	77:	0.	36:	30.
Erbel	77:	20.	35:	0.
Tecrit	78:	20.	34:	30.
Amed	73:	40.	38:	0.
Sarmanrai	79:	30.	34:	0.
Kufa	79:	30.	31:	30.
Bagded	80:	0.	33:	21.
Waſet	81:	30.	32:	20.
Baſra	84:	0.	30:	0.

Chryſococces apud Scaligerum κουφὰ ponit longit. 69: 30. latit. 31: 0. βυασὶτ 71: 30. 32: 20. Errant qui Bagdadum confundunt cum Babylone, nec immunes ab errore qui confundunt eandem urbem Bagdedi cum Seleucia. Certum eſt Seleuciam fuiſſe ad Eufratem haud procul ejus συναφῇ cum Tigri, at Bagded inferius eſt ad Tigrin uno alveo continuum ſimplicemque. Adeo verius eſt Cteſiphontem eſſe eandem urbem cum Bagded, ſive ſitam fuiſſe ubi nunc Bagdadum eſt. Quamvis ſummus Scaliger aliter opinetur. Scaliger Canon. Iſagog. lib. 3. annotationibus in cap. 2. *Geographus Arabs etiam hunc Manſor conditorem urbis Bagded fuiſſe dicit; qui Seleuciam illam ampliſſimam, cujus vicinitate Babylonem exhauriri ſcribit Plinius, bellorum tempeſtatibus everſam denuo excitavit, eamque Bagded vocavit. Cauſa nominis mihi ignota.* Βαγδᾶ *vocat Zonaras in Theophilo eamque cum imperito vulgo Babylonem vocat,* Βαβυλὼν Περσικὴ πόλις μητρόπολις Σελεύκεια καλουμένη. *Geographus Arabs conſtituit eam ad confluentes Eufratis & Tigridis. Plinius dubitare non ſinit lib. V. cap. 26. de Eufrate: Et parte læva in Meſopotamiam vadit per ipſam Seleuciam, circa eam præfluenti infuſus Tigri. Unde conſtat eos rationem fugere, qui in itinerariis ſuis ſcribunt ex ruderibus Cteſiphontis Bagded excitatam fuiſſe. Laonico* Πογδᾶπς *dicitur.* Scaliger Plinium pro ſe facere putat, qui diſerte dicit Eufratem non Tigrin per Seleuciam vadere antequam Tigri infundatur. Bagded mediam ſecat Tigris & pars magna in Suſiane ſeu Aſſyria.

De

De materia, qua uſi in ædificanda Babylone.

Gen. XI. 3.

SCribit Moſes. *Et dixerunt alter alteri, Agite, faciamus lateres & bene percoquamus & fuerunt illis lateres pro lapidibus &* חֵמָר *fuit ejus* לחומר. Vulgata, *Bitumen pro cæmento.* LXX: καὶ ἄσφαλτος ἦν αὐτοῖς ὁ πηλός. Muros Babylonis fuiſſe lateritios conſenſus tradit ſcriptorum & pervulgatum apud omnes eſt. Benjamin: ומיום ד׳ מילין למגדל שבנו דור הפלגה והוא בנוי מלבנים הנקראים לאגור: Notat Cl. Bochartus ל eſſe particulam in ـِ, eoque לאגור, eoque אגור vocem eſſe Arabicam, nempe qua laterem ſignificant. Hanc vocem اجور Arabs interpres ab Erpenio editus uſurpat in hoc loco pro לבנה. Meus habet الطوب. At quæritur an חֵמָר ſit bitumen. Chaldæus, Arabs Erpenianus & meus טין طين *lutum.* R. Salomo & Hebræi communiter, eoſque ſequuti recentiores plerique lutum interpretantur. Kinchi חמר ex arena & calce conſtare & Aquinas ſimiliter laudante Bocharto. Græcus Scholiaſtes: ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος ἄσβεστον φασιν, id eſt calcem vivam. Diodorus Tarſenſis Græcis interpretibus hoc nomine reprehenſionem facit, quod חמר de calce acceperint. Ἀσφαλτος, inquit, εἰς οἰκοδομὴν ἄχρηστος ἄσβεστος δὲ ἐπιτηδειοτάτη. At Junio-Tremelliana verſio cum LXX. & vulgata Latina editione habet *Bitumen.* Similiter Caſtalio & Munſterus. Illi rectè interpretati ſunt, quod probo his rationibus. 1. Diſtinguendum inter חֵמָר & חֹמֶר. Quia חומר *lutum, cementum, untritum* ſignificat, חֵמָר aliud erit: quod pro natura loci adhibitum vice illius. 2. Conſtat bitumen exæſtuaſſe è campeſtribus Sodomenorum. Atqui hoc חֵמָר dicitur Gen. XIV. 10. 3. Conſtanter autores dicunt, muros Babylonis bitumine & latere conſtitiſſe. Juſtinus: *Hæc Babyloniam condidit, murumque urbis coctlo latere circumdedit, arenæ vice bitumine interſtrato, quæ materia in illis locis paſſim è terra exæſtuat.* Curtius: *Caverna ibi eſt ex qua fons ingentem vim bituminis effundit adeò ut ſatis conſtet Babylonios muros ingentis operis, hujus fontis bitumine interlitos fuiſſe.* Vitruvius: *Babylone lacus eſt ampliſſima magnitudine, habens ſupernatans liquidum bitumen: quo bitumine & latere teſtaceo conſtructum murum Semiramis Babyloni circumdedit.* Joſephus: ᾠκοδόμητο δὲ ἐκ πλίνθου ὀπτῆς ἀσφάλτῳ συνδεδεμένης. Opponitur Arabs & Chaldæus, qui habet טין. Hic dicimus eos loqui ἰδιωτικῶς, lutum vocando, quod aſſimile luto erat. Diodori Tarſenſis argumentum, quod ſit inutile ædificiis ferruminandis nihili eſt. Quid enim opponere poteſt niſi liquorem? Tacitus: *Sed gnari locorum tradunt, undantes bitumine moles pelli, manuque trahi ad litus: mox ubi vapore terræ, vi ſolis inaruerint ſecuribus cuneiſque ut trabes aut ſaxa diſcindi.* Suidas in voce Ἀσφαλτίτη, loquens de Naphtha ſive Bitumine: τοσαύτην δὲ ἀσφάλειαν ποιεῖ τοῖς χώσμασιν ἡ ἄσφαλτος ὥστε ταῖς ὀπταῖς πλίνθοις συμμιγεῖσα, ἰσχυροτέρα γίνεται παντὸς σιδήρου. Babylonios & primos illos & poſteriores ſolitos fuiſſe bitumine vincire coctorum laterum ſtructuram omnium ſcriptorum communis ſermo eſt. Lapidum penuria erat in terra campeſtri & paluſtri, lateres artificioſe coquebant. Quod unde hi homines tam recenter à diluvio & arca didicerint, quæri poſſet: At ſciendum eſt, quod fratres illi tres, Noë filii multarum artium ſcientiam ex veteri orbe in novum tranſlatam filios ſuos docuerint. Et bituminis uſum noviſſe ante diluvium quis negaverit? Ob parabilem igitur copiam laterum & bituminis in ea re-

ea regione conſediſſe & hoc opus cœptaſſe reor. Notant ſcriptores bitumen in illis locis paſſim è terra exæſtuare. Deſcribit Diodorus Siculus fontem è quo affatim emanat. Πολλῶν δὲ καὶ παραδόξων ὄντων θεαμάτων κατὰ τὴν Βαβυλωνίαν, οὐχ ἥκιστα θαυμάζεται καὶ τὸ πλῆθος τῆς ἐν αὐτῇ γεννωμένης ἀσφάλτου. Τοσοῦτον γάρ ἐστιν ὥστε μὴ μόνον ταῖς τοσαύταις καὶ τηλικαύταις οἰκοδομίαις διαρκεῖν, ἀλλὰ καὶ συλλεγόμενον τὸν λαὸν ἀφειδῶς ἀρύεσθαι καὶ ξηραίνοντα κάειν ἀντὶ ξύλων. ἀναριθμήτων δὲ τὸ πλῆθος ἀνθρώπων ἀρυομένων, καθάπερ ἔκ τινος πηγῆς μεγάλης, ἀκέραιον διαμένει τὸ πλήρωμα. *Cum autem in Babylonia multa & admiranda ſint, quæ ſpectari poſſint, non minimam admirationem meretur multitudo bituminis, quæ in ea gignitur. Tanta enim copia eſt ut non ſolum tot tantiſque ſubſtructionibus ſufficiat ſed & populus affatim legat & aridum urat lignorum loco. Cum infinita ſit hominum haurientium multitudo tanquam è fonte quodam magno, ejuſdem manet plenitudinis.* Fonti illi vicina eſt ſcaturigo, magnæ & peſtilentis efficaciæ. Sic enim Diodorus. Ἔστι δὲ καὶ πλησίον τῆς πηγῆς ταύτης ἀνάδοσις τῷ μὲν μεγέθει βραχεῖα, δύναμιν δὲ θαυμάσιον ἔχουσα. προσβάλλει γὰρ ἀτμὸν θειώδη καὶ βαρύοντα, ᾧ τὸ προσελθὸν ζῶον ἅπαν ἀποθνήσκει, περιπίπτον ὀξείᾳ καὶ παραδόξῳ τελευτῇ. πνεύματος γὰρ κατοχῇ χρόνον ὑπομεῖναν διαφθείρεται, καθάπερ κωλυομένης τῆς τοῦ πνεύματος ἐκφορᾶς ὑπὸ τῆς προσπιπτούσης ταῖς ἀναπνοαῖς δυνάμεως. εὐθὺ δὲ οἰδεῖ καὶ πίμπραται τὸ σῶμα, μάλιστα τοὺς περὶ τὸν πνεύμονα τόπους. *Eſt etiam prope hunc fontem ſcaturigo, parva quidem ſed admirandæ virtutis. Exhalat enim ſulfureum gravemque fumum, cui quicquid animantium occurrit moritur, prehenſum celeri & inopinato termino. Spiritus enim compreſſione ad tempus tolerata exſtinguitur, tanquam exitu ſpiritus inhibito à facultate reſpirationi appellente. Mox autem intumeſcit & inflammatur cadaver, maxime circa pulmonem.* Tertium θέαμα φυσικὸν deſcribit ejus regionis: Ἔστι δὲ καὶ πέραν τοῦ ποταμοῦ λίμνη στερεὸν ἔχουσα τὸν περὶ αὐτὴν τόπον, εἰς ἣν ὅταν τις ἐμβῇ τῶν ἀπείρων, ὀλίγον μὲν νήχεται χρόνον· προϊὼν δὲ εἰς τὸ μέσον, καθάπερ ὑπό τινος βίας κατασπᾶται. ἑαυτῷ βοηθῶν καὶ πάλιν ἀναστρέψαι προαιρούμενος, ἀντέχεται μὲν τῆς ἐκβάσεως, ἀνθισπωμένῳ δ' ὑπό τινος ἔοικε. καὶ τὸ μὲν πρῶτον ἀπονεκροῦνται τοὺς πόδας, εἶτα τὰ σκέλη, μέχρι τῆς ὀσφύος. τὸ δὲ τελευταῖον ὅλον τὸ σῶμα νάρκῃ κρατηθεὶς, φέρεται πρὸς βυθὸν, καὶ μετ' ὀλίγον τετελευτηκὼς ἀναβάλλεται. *Eſt etiam ultra flumen palus, firmum circa ſe habens locum, in quam ſi quis ingrediatur ignarus, exiguo tempore natat, progreſſus autem in medium, tanquam quadam vi trahitur. ſibi autem auxilium ferens & volens reverti, conatur exire, eſtque ſimilis detento. Et primò quidem emoriuntur pedes, inde crura uſque ad lumbos: tandem univerſum corpus ſtupefactus, mergitur, pauloque poſt exſtinctus ſurſum propellitur.* Fontis iſtius non meminit Herodotus, niſi ex eo fluvius Is erumpat. Sic enim ſcribit: Ἔστι δὲ ἄλλη πόλις ἀπέχουσα ὀκτὼ ἡμερέων ὁδὸν ἀπὸ Βαβυλῶνος. Ἲς ὄνομα αὐτῇ. Ἔνθα ἐστὶ ποταμὸς οὐ μέγας. Ἲς καὶ τῷ ποταμῷ τὸ οὔνομα. Ἐσβάλλει δ' οὗτος ἐς Εὐφρήτην ποταμὸν τὸ ῥέεθρον. οὗτος ὦν ὁ Ἲς ποταμὸς, ἅμα τῷ ὕδατι θρόμβους ἀσφάλτου ἀναδιδοῖ πολλούς, ἔνθεν ἡ ἄσφαλτος ἐς τὸ ἐν Βαβυλῶνι τεῖχος ἐκομίσθη. Fluvius Herodoti ſi ex eo fonte exeat, novimus ubi fons Diodori ſitus fuerit. Herodotus etiam docet modum quo lateres facti & è lateribus conditus eſt murus Babylonius. Neſcio autem an ſimiliter egerint primi illi hominum. Ὀρύσσοντες ἅμα τὴν τάφρον ἐπλίνθευον τὴν γῆν, τὴν ἐκ τοῦ ὀρύγματος ἐκφερομένην. ἑλκύσαντες δὲ πλίνθους ἱκανὰς ὤπτησαν αὐτὰς ἐν καμίνοισι. μετὰ δὲ τέλματι χρεώμενοι ἀσφάλτῳ θερμῇ καὶ διὰ τριήκοντα δόμων πλίνθου ταρσοὺς καλάμων διαστοιβάζοντες, ἔδειμαν πρῶτα μὲν τάφρου τὰ χείλεα. δεύτερα δὲ αὐτὸ τὸ τεῖχος τὸν αὐτὸν τρόπον &c. *Simul fodientes foſſam, terram in lateres redigebant illam, quæ de foſſura efferebatur. Cum autem ſatis laterum*

extraxiſſent, eas in fornacibus coquebant. Deinde autem luti loco utentes bitumine calido & per triginta ordines lateris areolas arundinum inſtipantes, ædificabant primò quidem crepidines foſſæ, deinde ipſum murum eodem modo &c. Τέλμα Herodoto videtur eſſe, quod apud Moſem eſt חומר. Quod Moſes dicit, החמר היה להם לחומר, id Herodotus effert & explicat τέλματι χρεώμενοι ἀσφάλτῳ θερμῇ. Neſcio quid faciant *areolæ arundinum* ταρσοὶ καλάμων. Henricus Stephanus exiſtimat ita ſiccatos fuiſſe lateres, quod non poteſt convenire, cùm de coctis lateribus loquatur eorumque ſtructura in ædificando. Arundines interſternere ædificiorum ſtructuræ qui potuerunt? Quur poſt triceſimum quemque laterum ordinem arundinem διεστοίβαζον? Teſtatur Theodoretus quoſdam doctorum exiſtimaſſe, quod ἀσφάλτου voce intelligenda eſſet ἄσβεστος: ipſe autem ſic ſolvit eam quæſtionem; οἱ ἀγνοοῦντες, ὡς εἰκὸς τὰς ἐν Ἀσσυρίᾳ πηγὰς ᾠήθησαν ἀσβέστῳ τὸν πύργον ᾠκοδομῆσθαι. ἀκριβῶς δὲ παρὰ τῶν ἐκεῖθεν ἀφικομένων μεμάθηκα ὡς εἰσὶ πηγαὶ ταύτην ἀναβλύζουσαι τὴν ὕλην μεθ' ὕδατος. καὶ ὅτι ταύτην ταῖς οἰκοδομίαις συνυφαίνοντες, ἐπὶ ταύτης τὴν ὀπτημένην συνέθησαν πλίνθον. οὕτω καὶ τὸν πύργον ᾠκοδομῆσθαί φασι. καὶ οἱ αὐτόπται τούτου διαρρῆξαι τὶ μέρος ἰσχυρίσαντο, καὶ ἀκριβῶς διαγνῶναι ὡς ἄσφαλτος ταῖς ὀπτημέναις ὑπέστρωται πλίνθοις. ἄλλως τε καὶ λίθων εἶναι σπάνιν ἐν τῇ Ἀσσυρίᾳ φασὶ καὶ διὰ τοῦτο ταῖς πλίνθοις ἀντὶ λίθων κεχρῆσθαι. λίθων δὲ δίχα πῶς ἂν γένοιτο ἄσβεστος.

De ſcopo & fine operis.

CUi fini & ſcopo tantum opus moliti ſunt filii hominum? De conſilio vaniſſimi moliminis fuſè & ſanè diſſerit Cl. Bochartus. Non fuit conſilium, ut ad cœlum ſibi viam facerent. Erat enim apud ipſos recens diluvii memoria, quo ſciebant arcam quindecim cubitis ſublatam ſupra celſiſſimos montes, cœlo nihilo fuiſſe propiorem. Nihil tam vaſtum & ſupra vires humanas eos ſibi propoſuiſſe Deus ipſe docet Gen. XI. 6. *Non prohibebitur ab illis* (id eſt non denegabitur illis) *quicquam eorum, quæ cogitaverunt facere?* Significatur eos nihil aggredi, quod non potuerit ſuccedere, ſi Deus opus non diſturbaſſet. Deinde Sethi nepotes ante diluvium Aſtrologiæ operam dediſſe Joſephus autor eſt. Quod ſi verum, non eſt vero ſimile eos tam ſolennia inſanivíſſe. His rationibus Bocharti addo, quod molientibus cœlum contingere, non in planitie ſed celſiſſimo montium ſtruendam fuiſſe molem. Rectum igitur non eſt illud autoris noſtri: ITA TURRIM FACERE AGGRESSI, QUÆ COELO ACCEDERET. Quod enim Sp. S. dicit. *Ædificemus urbem & turrim cujus faſtigium ad cœlum attingat*, id ex mente & verbis eorum dictum, notat ὑπερβολικῶς ſummam ſublimitatem. Calvinus: *Hyperbolica eſt locutio, qua magnificè per jactantiam ſtructuræ, quam moliuntur, altitudinem extollunt.*

Conſilium fuiſſe non potuit, ut aſylum & tutum refugium haberent adverſus aquas alterius diluvii. Calvinus: *Qui hoc conſilio exſtructam fuiſſe turrim divinant, ut perfugium eſſet impiis atque aſylum, ſi quando diluvio terram Deus obruere vellet, non video quid ſequantur præter cerebri ſui ſomnium? Verba enim Moſis nihil tale ſonant ſed hic tantum inſana ambitio & ſuperbus Dei contemptus notatur.* Cl. Bochartus ſolide refutat eam opinionem: *Illos enim ab hoc metu præſtabat immunes, ſolennis Dei promiſſio, quamque adeò juramento firmaverat Eſ 54. 9. Et ſacramento iridis addito in ſignum fœderis Gen. 9. 12. Cui promiſſioni ſi diffidebant, quorſum relictis montibus in plana deſcendebant, fixuri ſedes inter duos*

amnes

amnes vaſtiſſimos Eufratem, inquam, & Tigrin, quorum inundationibus Babylonia eſt obnoxia? Neque prudens fuiſſet conſilium ſe lateritia turri munire contrà vim aquarum, quarum impetum ne petræ quidem duriſſimæ poſſunt ſuſtinere aut retundere. Denique prioris mundi exitium abunde illos docuerat contra Dei manum armatam inania eſſe hæc χηροφύγετα; & non eſſe ſapientiam nec prudentiam, nec conſilium contra Dominum. Alii etiam ipſos futuri incendii metu de aſylo ſibi proſpexiſſe putant. At *quis* (inquit idem Vir. Cl.) *in generali orbis incendio ſperet ſe in turri eſſe evaſurum, aut in ejus cacumine ſe tutum fore ab igne cœlitus delapſo, cum potius metu fulminis ima petantur & terræ ſpecus? Denique in communi periculo nonniſi paucis admodum ſic potuiſſet conſuli.*

Joſephum nunc proponam audacter Judaica commenta veris admiſcentem & ſimplicitati textus Moſaïci: Οἱ δὲ νώχου παῖδες τρεῖς ὄντες, Σήμας καὶ Ἰάφθας καὶ Χάμας, ἑκατὸν ἔτεσιν ἔμπροσθεν τῆς ἐπομβρίας γεγονότες, πρῶτοι καταβάντες ἀπὸ τῶν ὀρῶν [non ὄρων] εἰς τὰ πεδία, τὴν ἐν τούτοις οἴκησιν ἐποιήσαντο: καὶ τοὺς ἄλλους σφόδρα δεδιότας [non δεδειότας] διὰ τὸν κατακλυσμὸν τὰ πεδία, καὶ ὀκνηρῶς ἔχοντας πρὸς τὴν ἀπὸ τῶν ὑψηλῶν τόπων κατάβασιν, ἔπεισαν θρασύσαντας [f. θαρσήσαντας] μιμητὰς γενέσθαι. καὶ τὸ πεδίον εἰς ὃ πρῶτον αὐτοὺς κατῴκισαν, καλεῖται Σενααρ. Τοῦ δὲ θεοῦ κελεύσαντος αὐτοὺς εἰς πολυανθρωπίαν στέλλειν ἀποικίας [ἵνα μὴ στασιάζοιεν πρὸς ἀλλήλους, ἀλλὰ γῆν πολλὴν γεωργοῦντες ἀφθονίας ἀπολαύοιεν τῶν καρπῶν] ὑπὸ ἀμαθίας παρήκουσαν τοῦ θεοῦ, καὶ διὰ τοῦτο συμφοραῖς περιπεσόντες, ᾔσθοντο τῆς ἁμαρτίας. Ἐπεὶ γὰρ ἤνθουν νεότητος πλήθει, πάλιν ὁ θεὸς αὐτοῖς συνεβούλευε ποιεῖσθαι τὴν ἀποικίαν. οἱ δὲ οὐ κατὰ τὴν εὐμένειαν τὴν ἐκείνου νομίζοντες ἔχειν τὰ ἀγαθὰ, τὴν δ' ἰσχὺν αὐτοῖς τὴν οἰκείαν αἰτίαν τῆς εὐπορίας ὑπολαμβάνοντες, οὐκ ἐπείθοντο. Προσετίθεσαν δὲ τῷ παρακούειν τῆς τοῦ θεοῦ γνώμης, καὶ τὸ κατ' ἐπιβουλὴν ὑπονοεῖν εἰς ἀποικίαν αὐτοὺς παρορμᾶν ἵνα διαιρεθέντες, εὐεπιχειρητότεροι γένοιντο. ἐξῆρε δὲ αὐτοὺς πρός τε ὕβριν τοῦ θεοῦ καὶ καταφρόνησιν Ναβρώδης. ὃς [non ὡς] υἱωνὸς μὲν ἦν Χάμου τοῦ Νώχου, τολμηρὸς δὲ καὶ κατὰ χεῖρα γενναῖος ἔπειθεν αὐτοὺς μὴ τῷ θεῷ διδόναι τὸ δι' ἐκεῖνον εὐδαιμονεῖν, ἀλλὰ τὴν ἰδίαν ἀρετὴν ταῦτα παρέχειν αὐτοῖς ἡγεῖσθαι. καὶ περιΐστα δὲ κατ' ὀλίγον εἰς τυραννίδα τὰ πράγματα. μόνως οὕτως νομίζων ἀποστήσειν τοὺς ἀνθρώπους παρὰ τοῦ θεοῦ, εἰ χρώμενοι τῇ αὐτοῦ δυνάμει διατελοῖεν, ἀμυνεῖσθαι τε τὸν θεὸν πάλιν ἠπείλει τὴν γῆν ἐπικλύσασθαι θελήσαντα, Πύργον γὰρ οἰκοδομήσειν ὑψηλότερον ἢ τὸ ὕδωρ ἀναβῆναι δυνηθείη, μετελεύσεσθαι δὲ καὶ τῆς τῶν προγόνων ἀπωλείας. Τὸ δὲ πλῆθος πρόθυμον ἦν τοῖς Ναβρώδου δόγμασιν ἕπεσθαι, δειλίαν ἡγούμενοι τὸ εἴκειν τῷ θεῷ. Exiſtimat tres Noë filios poſteritatem ſeu ſobolem ſuam deduxiſſe in plana, & in campeſtria illa inferioris Meſopotamiæ. Hic cum eſſent homines, admonitos à Deo ut per orbem mitterent colonias, ſererentque & colerent latius ob ruditatem non paruiſſe. Punitos autem doluiſſe ob peccatum. Cum autem juventa abundarent, Deum iterum de coloniis deducendis admonuiſſe. Illi non ſolum immorigeri fuerunt ſed & de coloniis conſilium inſidias interpretati, quo videlicet ob diſperſionem, opportuni eſſent oppreſſioni. Hanc in eis contumaciam excitaſſe Nemrod, Chami nepotem, audacem hominem & manu promptum: qui ſubinde jactabat ut ne Deo ſed propriæ virtuti felicitatem imputarent. Tyrannidem enim ſibi parans, incitabat plebem adverſus Deum, adverſus quem operam ſuam offerebat. Si enim inundare terras iterum moliatur, ſe turrim eſſe conſtructuros, cujus faſtigium aquarum cumulo emineret, ulturoſque injurias avorum. Multitudo prompta obſequi Nemrodo, ignaviam eſſe rata eſt, cedere Deo.

At ſacræ literæ ſcopum hominum patefaciunt: *Ut nobis faciamus nomen.*

Quod

Quod recte interpretatur Sulpicius noſter: INSIGNI ALIQUO OPERI FAMAM QUÆRERE PRIUSQUAM A SE INVICEM DEDUCERENTUR. Ita enim mos humani ingenii eſt, nomen ſibi diuturnum velle comparare.

Addunt, *ut ne diſpergamur.* Bochartus: *Ac ſi animus malè ſibi conſcius præſagiiſſet mox futuram diſperſionem: cuidum volunt ire obviam, de firma ſtatione ſibi proſpicientes, eo ipſo malum iſtud in ſe accerſunt, quod vitare erat animus.* Calvinus notat ex eo, quod ad coquendum lateres ſe incitant mutuò, ſignificare Moſes, *non facilitate operis, nec aliis commodis, quæ ſe ad manum afferrent, fuiſſe inductos: ſed potius cum magnis & arduis obſtaculis fuiſſe luctatos. Quo magis augetur ſceleris gravitas. Qui fit enim* (inquit) *ut in opere difficili & laborioſo ſe fruſtrà macerent ac conficiant, niſi quia tanquam phrenetici ſe projiciunt adverſus Deum?* Id autem. *Ne forte diſpergamur*, ſic explicat: *Vertunt quidam interpretes, Antequam diſpergamur: ſed hoc non patitur linguæ proprietas: periculo enim quod inſtare credibile erat occurrere cogitant: ac ſi dicerent, fieri non poſſe, ut creſcente numero, omnes ipſos regio illa ſemper caperet: ideo exſtruendum, eſſe ædificium, quod illic ſtabile & perpetuum ſervaret eorum nomen quamvis in diverſas plagas diſperſi forent. Quæritur tamen unde illis futuræ diſperſionis memoria. Conjiciunt nonnulli à Noë fuiſſe monitos, qui mundum ad priora ſcelera & corruptelas revolutum cernens, Spiritu prophetico horrendam aliquam diſſipationem ſimul prævi- derit: ac putant illi Babylonios, quum directè Deo obſiſtere non poſſent, obliquè conatos eſſe pœnam, quæ denuntiata erat, avertere. Alii putant arcano Sp. inſtinctu vaticinatos eſſe de ſua pœna idque præter animi ſenſum. Atqui coactæ ſunt iſtæ expoſitiones: nec ulla ratio cogit, ad maledictionem quæ illis inflicta eſt, trahere quod dicunt. Sciebant terram eſſe conditam ut habitaretur & ubique ſua ubera ad homines alendos porrigere: & ipſa multitudo eos docebat, fieri non poſſe ut diu tam anguſtis finibus manerent incluſi: quare ubi aliò migrandum erat, turrim volunt originis ſuæ eſſe teſtem.*

Peccati quod genus fuerit & in quo poſitum, quæri video. Calvinus judicat fuiſſe inſanam ambitionem & ſuperbum Dei contemptum. Parare ſibi nomen volunt. Hoc eſt conſilium & ſuſcepti operis finis. *Nam* (inquit Calvinus) *quicquid acciderit, volunt immortale habere in terra nomen, ita quaſi invito Deo ædificant. Et certe ambitio*, non tantum hominibus *injuria eſt ſed & adverſus Deum ipſum proterva. Arcem extruere non adeo magnum per ſe crimen erat: ſed æternum ſibi monumentum ſtatuere quod ſeculis omnibus duraret, id verò effrenem ſuperbiam una cum Dei contemptu ſpirat: Atque hinc nata eſt fabula Gigantum, quos finxerunt poëtæ montes impoſuiſſe montibus, ut Iovem è cœleſti ſolio detraherent. Nec verò multum remota eſt allegoria ab impio conſilio quod Moſes perſtringit: ſimul enim ac mortales ſui obliti, altius quam par ſit ſe efferunt, inſtar gigantum cum Deo ipſos bellare certum eſt. Non profitentur id quidem ore, ſed aliter fieri non poteſt, quin rectà Deum impetat, quiſquis ſuas metas tranſgreditur.* Illud dictum, *Ne forte diſpergamur*, ambiguitatem habet. Vel enim ſic exponitur, quod ſe muniant adverſus diſſipationem & diſperſionem, quam metuebant. Vel quod ante diſperſionem, quam paſſuri erant nec inviti vellent ingens monumentum famæ & nominis ad poſteritatem ponere eo in loco. פֶּן נָפוּץ Chaldæus: דִּלְמָא נִתְבַּדַּר. Græci: πρὸ τοῦ διασπαρῆναι ἡμᾶς. Arabs Erpenianus habet لئلا نتفرق *ne diſpergamur*, ut Chaldæus. Meus Maroccanus: ربما نتبدد. Eodem, ut arbitror, ſenſu. Lyranus putat eos defenſionem quæſiviſſe ſuis cadaveribus, ſi forte diluvio altero interimerentur. Ut nempe cadavera eo in loco retinerentur: ſed concedit timori ſuperbiam fuiſſe conjunctam.

Quando molitio illa cœpta fuerit vel diſperſio facta.

De tempore cœpti moliminis diximus ſupra, videri circa natalem Phaleg confuſionem linguarum eſſe immiſſam eoque opus ceſſaviſſe. Scriptura eſt dicit Gen. X. 25. Ei inde datum eſſe nomen quia ejus diebus diviſa eſt terra. Ad hunc locum Lyranus: *Ex hoc dicunt Hebræi, quod Eber habuit ſpiritum prophetiæ, quia impoſuit nomen filio, ex diviſione terræ, quæ futura erat.* Sic & Hieronymus: *Heber, à quo Hebræi: vaticinio quodam filio ſuo Phaleg nomen impoſuit: qui interpretatur diviſio: ab eo, quod in diebus ejus, linguæ in Babylone diviſæ ſunt.* Hæc quæſt. Hebr. in Geneſin. Raſchi, quem ſequitur Lyranus in eum locum ita: נתבלבלו הלשונות ונפוצו מן הבקעה ותפלגו בכל העולם למדנו שהיה עבר נביא שקרא שם בנו על שם העתיד ושנתו בסד' עולם שבסוף ימיו נתפלגו שאם תאמר בתחלת ימיו הרי יקטן אחיו צעיר ממנו נהוליד כמה משפחות קודם לכן שנאמר ויקטן ילד וגו' ואחר כך ויהי כל הארץ שפה אחת ואם תאמר באמצע ימיו לא בא הכתוב לסתום אלא לפר' הא למדת שבשנת מות פלג נתפלגו: *Confuſæ ſunt linguæ & diſperſi ſunt è campo & diviſi in totum mundum. Docemur, quod Eber propheta fuerit, qui vocaverit nomen filii ſui de futuro & docemur in ſeder olam, quod in fine dierum ejus diſperſi ſint. Quod ſi dicas, In principio dierum ejus, Ecce Ioctan frater ejus minor eo & genuit multas familias ante id tempus.* Q. D. Et Joctan genuit &c. *Et poſteà dicitur, Et omnis terra labii unius: Si dicas, In medio dierum ejus, Non proceſſit ſcriptura ad concludendum niſi in Paraſcha unde docetur, quod anno mortuali Phalegi diſperſio facta ſit.* Vides argumentari eum primo non potuiſſe initio vitæ Phaleg evenire diſperſionem, quia ita Joctanis poſteri non ſint conjuncti & conſociati ædificationi. Secundo, non in medio ævi ejus, quia ſcripturæ modus eſt ut in Paraſcha concludat, unde pateat Phalegi vitam & diviſionem eodem anno contineri. Hoc poſtremum non ſatis capio. Exiſtimo hanc mentem eſſe quod quæ Paraſcha continentur, tota eâ finiantur. Ita Phalegum in ſuperioribus memoratum ævo ſuo univerſo contineri ſub illa Paraſcha. Aben-eſdræ placet ſub nativitatem Phalegi eveniſſe confuſionem linguarum & homiuum diſperſionem, nempe centum annis poſt diluvium, משקול חדעת, *è rationis libramento.* Nam ſi ex mente Seder olam in fine ejus ævi ſit diſperſio facta, tum Abraham, Sem & Noë ædificationi adfuiſſe. Nam Sem mortuum eſſe anno Jacobi quinquageſimo. Rabbi Salomo ſequitur autorem Seder olam, qui ſic: אר' יוסי נביא גדול היה עבר שקרא שם בנו פלג ברוח הקודש שנ' כי בימיו נפלגה הארץ וגו' אם בתחלת ימיו והלא יקטן אחיו היה קטן ממנו והוליד יג' משפחות ונתפלגו' ואם באמצע ימיו והלא לא באה לכתו' אלא לפרש' הא אינו או' כי בימיו נפלגה אלא בסוף ימיו: Mercerus dicit videri quoſdam Hebræorum in Breſith Rabba ſentire quod ſtatim à diluvio, ſub nativitatem Arphaxad, diſperſum ſit hominum genus. Quod non poſſit fieri, quia nondum tanta fuerit multitudo, ut urbem illam turrimque conſtruere ſufficeret: aut quam eſſet neceſſe in longinquas regiones diſpergi: quaſi 50. aut 70. aut plures non potuerit una regio capere. Occaſione multitudinis cœpiſſe inſoleſcere & ardua adverſus Dominum moliri, oblitos beneficii conſervationis in arca. Proinde putat diſperſio-

ſperſionem aut diviſionem eveniſſe anno centeſimo aut circiter poſt diluvium, ſub ortum Peleg. Cum Noë eſſet 700. annos natus aut circiter & aliquantò amplius. Hinc verba Merceri: *Beroſus ponit diviſionem linguarum* 131. *annis poſt diluvium. Veteres Hebræi* 340, *nempe* 10. *annis ante mortem Noë* (*nam vixit poſt diluvium* 350) *utpote* 48. *anno Abrahami, cum Noë fit, ut dictum eſt, mortuus anno* 58. *Abrahami.* 16. *autem anno poſt mortem Noë juxta R. Levi juſſit Dominus Abrahamo, ut è patria diſcederet vel* 17. *quia* 75. *anno ætatis vocatus eſt Abrahamus. à* 58. *ad* 57. *ſunt* 17. *fuerit ergò juxta illos Abraham in conſtructione turris Babel & diviſione linguarum. Et ſane illi inquiunt tres potentiſſimos turri illi ædificandæ præfuiſſe, Cham, Nimrod ex nepotibus Cham & Ioctan ex nepotibus Sem, qui cæteros in ſuam ſententiam pertraxerint. Duodecim fuiſſe, qui conſentire noluerunt in illud conſilium, ex quorum numero fuiſſe Abrahamum ac cum eſſet in illos animadvertendum, quod nomina ſua, uti juſſum erat illis, noluiſſent lateribus inſculpere, reliquos quidem aufugiſſe, Abrahamum ſolum interceptum, qui damnatus fuerit ad incendium, ſed Domini ore ex incendio, id eſt Vr Chaldæorum, ut volunt, fuiſſe liberatum. Sed fabulam puto* &c. Calvinus recenſet tres opiniones quarum prima ſtatuit ſub nativitatem, alia finem ævi Phaleg, alia inter medio tempore eveniſſe diviſionem. Primam ſtatuit eſſe tolerabilem, quia ſingularis Dei benedictio fuit in multiplicando genere humano. *Quin etiam* inquit, *omnem controverſiam dirimere videtur Moſes. Nam poſtquam Arphaxad recenſuit tertium inter filios Sem, Peleg deinde abnepotem ejus nominat, cujus tempore linguæ diviſæ ſunt. Ex annorum vero ſupputatione quam ponit, certò patet unum modo ſeculum interfuiſſe. Sed notandum eſt non dici ſtatim poſt natum Peleg diviſas fuiſſe linguas, nec uſquam tempus certum præfigi.* Deinde mediam ſententiam videtur præ cæteris probare, quod ſub extremum forte ſenium Peleg contigerit linguarum confuſio. In hanc ſententiam inducitur eo, quod Nimrodi imperium in antecedenti capite commemoratum ſit eoque diviſionem videatur præcedere. Ideo autem ad extremum ſenium Phalegi referri poſſe, quia abſurdum non ſit, ſi dicamus imperium Nemrod duobus vel tribus ſeculis duraſſe. Concludit: *Ego certè, ut in rebus dubiis, libenter admitto longius temporis ſpatium à diluvio ad conſilium turris exſtruendæ.*

De opere, quod ſtruxerunt filii hominum in campo Sennaar.

INgens opus moliti ſunt, urbem turremque ut ſacra narrat hiſtoria. Non eſt dubitandum urbem fuiſſe ampliſſimo ambitu, non tamen ejus, quem Herodotus, Diodorus, Ariſtoteles aliique referunt. Nam plurimum addidiſſe Nabuchadneſſar veteri magnitudini, mœnibus illis vetuſtate collapſis, credendum eſt. Joſephus è Beroſo de hoc rege: καὶ ἑτέραν [πόλιν] ἔξωθεν προσχαρισάμενος. Nabachodonoſor ampliorem longè fecit, quam invenerat, ut gloriari potuerit, urbem ſe inveniſſe lateritiam, reliquiſſe marmoream. Id omninò de urbe verum eſt, eoque ejus amplitudinem convenit oſtendere ſub Nabuchodonoſoro, at de turri exiſtimamus aliter, nempe ἀκρόπολιν ſeu arcem hanc ab illis primis conditam, verſam eſſe à poſteris & conſecratam in templum Beli, cui inſtaurationem non amplificationem addidiſſe videntur. Nulla ratio erat ut amplificarent, ſicuti urbis amplificandæ ratio erat, cum imperii amplificatione & opum. Satis amplum pro templo Beli ſpatium capiebat, quod à veteribus captum pro

arce, antequam idololatria originem cepiſſet. Deinde Moſes potius turrim quam urbem videtur celebrare. De turri etiam ſcriptores potiſſimum loquuntur, eamque jactant omnes ut antiquiſſimorum gigantum opus. Audiamus gentilium ſcriptorum teſtimonia. Sibylla apud Joſephum. Joſephus Antiq. lib. 1. cap. 5. περὶ τοῦ πύργου τούτου καὶ τῆς ἀλλοφωνίας τῶν ἀνθρώπων μέμνηται καὶ Σίβυλλα λέγουσα οὕτως: πάντων ὁμοφώνων ὄντων τῶν ἀνθρώπων πύργον ᾠκοδόμησάν τινες ὑψηλότατον ὡς ἐπὶ τὸν οὐρανὸν ἀναβησόμενοι δι᾽ αὐτοῦ. οἱ δὲ θεοὶ ἀνέμους ἐπιπέμψαντες, ἀνέτρεψαν τὸν πύργον καὶ ἰδίαν ἑκάστῳ φωνὴν ἔδωκαν. καὶ διὰ τοῦτο Βαβυλῶνα συνέβη κληθῆναι τὴν πόλιν. Hæc eadem è Joſepho deſcripſit Euſebius. Apud Euſebium ex Alexandro Polyhiſtore Eupolemus libro de Judæis: πόλιν Βαβυλῶνα πρῶτον μὲν κτισθῆναι ὑπὸ τῶν διασωθέντων ἐκ τοῦ κατακλυσμοῦ. εἶναι δὲ αὐτοὺς γίγαντας. οἰκοδομεῖν δὲ τὸν ἱστορούμενον πύργον. πεσόντος δὲ τούτου ὑπὸ τῆς τοῦ θεοῦ ἐνεργείας, τοὺς γίγαντας διασπαρῆναι καθ᾽ ὅλην τὴν γῆν. Abydenus apud Eundem: Εἰσὶ δὲ οἳ λέγουσι τοὺς πρώτους ἐκ γῆς ἀνασχόντας, ῥώμῃ τε καὶ μεγέθει χαυνωθέντας καὶ δὴ θεῶν καταφρονήσαντας ἀμείνονας εἶναι, πύργον τύρσιν ἠλίβατον ἀείρειν, ἵνα νῦν Βαβυλὼν ἐστιν· ἤδη τε ἆσσον εἶναι τοῦ οὐρανοῦ καὶ τοὺς ἀνέμους θεοῖσι βωθέοντας ἀνατρέψαι περὶ αὐτοῖσι τὸ μηχάνημα. τοῦ δὴ τὰ ἐρείπια λέγεσθαι Βαβυλῶνα. τέως δὲ ὄντας ὁμογλώσσους ἐκ θεῶν πολύθρα (fort. πολύθροον) φωνὴν ἐνείκασθαι. μετὰ δὲ, Κρόνῳ καὶ Τιτᾶνι συστῆναι πόλεμον. Verba ſequuntur quæ eadem forma non ponuntur. ὁ δὲ τόπος ἐν ᾧ τὸν πύργον ᾠκοδόμησαν, νῦν Βαβυλὼν καλεῖται, διὰ τὴν σύγχυσιν τοῦ περὶ τὴν διάλεκτον πρῶτον ἐναργοῦς. Ἑβραῖοι γὰρ τὴν σύγχυσιν Βάβελ καλοῦσι. Heſtiæus apud Euſebium è Joſepho campi Sennaar meminit: Τῶν δὲ ἱερέων τοὺς διασωθέντας, τὰ τοῦ Ἐνυαλίου Διὸς ἱερώματα λαβόντας, εἰς Σενααρ τῆς Βαβυλωνίας ἐλθεῖν. Adduntur apud Euſebium verba Joſephi inque eum continuantur modum ac ſi pars eſſent Abydeni narrationis. Turrim ſive Burgum, (Arabs noſter Maroccanus برج vocat) jam in Beli templum mutatum, ita deſcribit Herodotus: Ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ [φάρσει τῆς πόλιος] Διὸς Βήλου ἱρὸν χαλκόπυλον, καὶ ἐς ἐμὲ τοῦτο ἔτι ἐὸν, δύο σταδίων, πάντῃ ἐὸν τετράγωνον. ἐν μέσῳ δὲ τοῦ ἱροῦ πύργος στερεὸς οἰκοδόμηται, σταδίου καὶ τὸ μῆκος καὶ τὸ εὖρος. καὶ ἐπὶ τούτῳ τῷ πύργῳ ἄλλος πύργος ἐπιβέβηκε, καὶ ἕτερος μάλα ἐπὶ τούτῳ μέχρις οὗ ὀκτὼ πύργων. ἀνάβασις δὲ ἐς αὐτοὺς ἔξωθεν κύκλῳ περὶ πάντας τοὺς πύργους ἔχουσα πεποίηται. μεσοῦντι δέ κου τῆς ἀναβάσιος ἐστὶ καταγωγή τε καὶ θῶκοι ἀμπαυστήριοι, ἐν τοῖσι καθίζοντες ἀμπαύονται οἱ ἀναβαίνοντες. ἐν δὲ τῷ τελευταίῳ πύργῳ νηὸς ἔπεστι μέγας &c. Templum Beli hoc eſt, in quo turris; in turri fanum. Turris ſita fuit in ea parte urbis Eufrate diviſæ, in qua non erat regia. Non poſſumus dicere, quæ pars occidua an orientalis fuerit. Forte ea pars, in qua turris ſeu templum Beli ſtetit, ſola ſtructa fuit ab his primis mortalium. Diodorus Siculus docet Babylona antiquam poſteriorem fuiſſe Nino Aſſyriorum rege. Nam Ninus rex Aturiæ (ſic propriè dictam Aſſyriam vocat Strabo) ope Ariæi regis Arabum Babyloniam occupavit, in qua regione multæ erant inſignes urbes at Babylon nondum exſtabat: ἐστράτευσε μετὰ πολλῆς δυνάμεως ἐπὶ Βαβυλωνίους κατοικοῦντας ὅμορον χώραν. κατ᾽ ἐκείνους δὲ τοὺς χρόνους ἡ μὲν νῦν οὖσα Βαβυλὼν οὐκ ἦν ἐκτισμένη, κατὰ δὲ τὴν Βαβυλωνίαν ὑπῆρχον ἄλλαι πόλεις ἀξιόλογοι. Atqui juxta ſacrarum literarum narrationem Babylon fuit urbium in Babylonia prima, cum & inde regio nomen adepta ſit. Vult Semiramin ejus uxorem, quæ in imperio ſucceſſit, Babylona condidiſſe. Quam quidem Semiramin Aſſyriam confundit cum Babylonia, uti ex Herodoto ſuo loco docebimus. Illa Semiramis non ſtruxit, ſed inſtauravit collapſam Babylona. Cum autem Babylonia

lonia

lonia reges habuerit Nino antiquiores, ſcire velim ubi conſederint & regiam quam habuerint, ſi Babylon in rerum natura non fuerit. Id autem docet Belum antiquiorem fuiſſe Nino, & jam pro Deo cultum apud Babylonios, cum Ninus & Semiramis rerum potirentur. Unde arguo Ninum non fuiſſe Beli filium, ut vulgò exiſtimatur, ſed de hoc etiam inferius. Scribit Diodorus Siculus in media urbe fuiſſe templum Beli. Περὶ δὲ τούτου, inquit, τῶν συγγραφέων διαφωνούντων, καὶ τοῦ κατασκευάσματος διὰ τὸν χρόνον καταπεπτωκότος, οὐκ ἔστιν ἀποφήνασθαι τἀκριβές. ὁμολογεῖται δ' ὑψηλὸν γεγενῆσθαι καθ' ὑπερβολὴν, καὶ τοὺς Χαλδαίους ἐν αὐτῷ τὰς τῶν ἄστρων πεποιῆσθαι παρατηρήσεις ἀκριβῶς θεωρουμένων πάντη ἀνατολῶν καὶ δύσεων διὰ τὸ τοῦ κατασκευάσματος ὕψος. τῆς δ' ὅλης οἰκοδομίας ἐξ ἀσφάλτου καὶ πλίνθου πεφιλοτεχνημένης πολυτελῶς, ἐπ' ἄκρας τῆς ἀναβάσεως &c. Turris illa Herodoto habet σταδίου καὶ τὸ μῆκος καὶ τὸ εὖρος, ſtadii longitudinem & latitudinem, quod aliud non poteſt ſignificare, quam quadratam baſin ambitu ſuo quatuor ſtadia complexam fuiſſe & quodvis latus impleviſſe ſtadium id eſt centum viginti quinque paſſus. Octo turribus altitudinem increviſſe ſcribit, non indicato quæ cujuſque fuerit altitudo. Hieronymus in Eſajam lib. 5. in caput prophetæ. 14. *Arx autem id eſt capitolium illius urbis eſt turris, quæ ædificata poſt diluvium, in altitudine quatuor millia dicitur tenere paſſuum, paulatim de lato in anguſtias coarctata ut pondus imminens facilius à latioribus ſuſtentetur.* Altitudinem illam prodigioſam non produnt Græcorum, quæ exſtant, hiſtoriæ. Eam tamen immenſum auxit Ado in Chronica: *Hujus*, inquit, *altitudo quinquies mille centum ſeptuaginta quatuor dicitur tenere paſſuum, paulatim altioribus in anguſtias coarctatis. ut pondus imminens facilius ſuſtentaret.* Strabonis deſcriptio rem univerſam ex veritate pandet. Ἔστι δὲ καὶ, inquit, ὁ τοῦ Βήλου τάφος αὐτόθι, νῦν μὲν κατεσκαμμένος, Ξέρξης δ' αὐτὸν κατέσπασεν, ὥς φασιν. ἦν δὲ πυραμὶς τετράγωνος ἐξ ὀπτῆς πλίνθου, καὶ αὐτὴ σταδιαία τὸ ὕψος, σταδιαία δὲ καὶ ἑκάστη τῶν πλευρῶν. ἣν Ἀλέξανδρος ἐβούλετο ἀνασκευάσαι. πολὺ δ' ἦν ἔργον καὶ πολλοῦ χρόνου (αὐτὴ γὰρ ἡ χοῦς εἰς ἀνακάθαρσιν μυρίοις ἀνδράσι δυοῖν μηνῶν ἔργον ἦν) ὡς οὐκ ἔφθη τὸ ἐγχειρηθὲν ἐπιτελέσαι· παραχρῆμα δ' ἡ νόσος καὶ ἡ τελευτὴ συνέπεσε τῷ βασιλεῖ. Convenit illi cum Herodoto. Videamus membratim deſcriptionem & conferamus.

I. Herodot. Σταδίου καὶ τὸ μῆκος καὶ τὸ εὖρος, *Stadii longitudo & latitudo.* Strabo: Σταδιαία δὲ καὶ ἑκάστη τῶν πλευρῶν, Stadium habuit unumquodque latus.


II. Τετράγωνος fuit ex antecedenti enuntiato.

III. Strabo πυραμίδα vocat, quia coarctata paulatum craſſitie aſſurgebat. Herodotus narrat octo pyrgis increviſſe in altitudinem, quorum ſuperior inferiori, ut baſi ſcilicet latiori fuit impoſitus. Deinde in ſummo fanum loco faſtigii fuiſſe.

IV. E coctili latere & bitumine ſtructam fuiſſe dicunt omnes.

V. Significat Strabo Beli ſepulchrum ſeu monumentum fuiſſe, illum in eo conditum eſſe, & ideo in templum verſum & conſecratum. Xerxes evertiſſe dicitur, Alexander molitus eſſe inſtaurationem quod fuſius narrat Arrianus. Notandum quod referat decem millia virorum duorum menſium labore expurgaſſe locum. Curtius non deſcribit hanc turrim, quia cum Alexander Babylona caperet, everſa jacebat: mentionem tamen facere videtur per hæc verba. *Semiramis eam condiderat, vel (ut plerique credidere) Belus, cujus regia oſtenditur.* Nam Beli antiquiſſimi regis regiam fuiſſe ſimile vero eſt.

VI. Scalas ſeu ἀνάβασιν in circuitu adhæſiſſe narrat Herodotus, cujus etiam mentionem facit Diodorus.



Turris quadrata latus quodlibet unius ſtadii.

Arx ſive Capitolium Babylonis.

Templum, ἱερὸν, duorum ſtadiorum in quolibet latere. Illa, quæ diximus, hiſtoriæ firmiſſima nituntur fide at Judæus Benjamin Tudelenſis narrat de ea turri ita: Millibus paſſuum duobus longitudinem fundamenti patere. At ברחבו רם״ אמה וארכו כמו מאה קני׳ ובין י׳ ועשר׳ אמות דרכים שם ובהם עולים בעגול מסבבין עד למעלה: Latitudinem fuiſſe ducentorum quadraginta cubitorum, longitudinem centum cannarum. Inter ſingula dena cubita, ut vertit Cl. Imperator, ἀνάβασις erat, qua per circuitum aſcendebatur. Proſpectum inde patuiſſe quaqua verſum ad viginti millia paſſuum. Dicuntur hodie extare rudera ejus, circuitu mille paſſuum & altitudine æquare turrim Pauli Londinenſem. • Lateres longitudine complectuntur tres quadrantes ulnæ Angelicæ, craſſitie quadrantem unum. Folia palmarum & junci inter laterum commiſſuras ſunt. Joh. Cartwricht apud Purchaſium ita, uti allegat Hornius.

Quanto tempore occupati fuerint in ſtruenda illa mole.

Diligenter acriterque incubuiſſe operi indicat ſanctus ſcriptor cum eos ſeſe mutua inhortatione animaſſe narrat. Repetit vocem inhortationis הבה נלבנה הבה נבנה. Δεῦτε πλινθεύσωμεν: Δεῦτε ἀκοδομήσωμεν. At arcæ expurgandæ incubuerunt decem virorum millia, & in ea expurgatione & eruderatione inſumptum eſt ſpatium duorum menſium. Si decem millia virorum primæ illi ædificationi operam navarunt longum omnino annorumque multorum ſpatium impenſum fuit. Videtur textus dicere, quod Deus longi temporis patientiam habuerit, qua permiſit inſolentiam eorum graſſari, adeo ut in ſpem ultimæ manus adhibendæ venerint. *Cœperunt hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.* Καὶ τοῦτο ἤρξαντο ποιῆσαι. καὶ νῦν οὐκ ἐκλείψει ἀπ᾽ αὐτῶν πάντα, ὅσα ἂν ἐπιθῶνται ποιεῖν. Q. D. Indignam rem fore ſi complerent, quod inſana ambitione & dementiſſimo contemptu Dei aggreſſi erant. Aben-eſdra dicit hunc eſſe ſenſum, ſi non prohibeantur, ſe poſſe efficere, quicquid cogitent, exiſtimaturos eſſe: וזה הטעם אם אעזבם יחשבו שיוכלו לעשות כל חפצם. Simpliciter hic ſenſus eſt, omnino opus eſſe, ut tale inceptum aliquando diſturbaretur. Si verum ſit anno M. C. 1717. coepiſſe regnum Babyloniorum ut contendit Scaliger, quod ante cœptam condi Babylona initium habere non potuit, quadraginta anni impenſi ſunt ædificationi. Diſperſio enim facta eſt, cum Phaleg naſceretur id eſt anno M. C. 1767. Atqui ita ab exitu ex arca ſolum exacti fuere anni 60, cum ædificatio inceptaretur, interim dum in opere erant occupati crevit numerus hominum & operan-

operantium. Initium Babyloniæ imperii infrà peculiari diatriba expoſituri ſumus, unde ſimul patebit, quando inſanum hoc opus dementia mortalium aggreſſa ſit.

De pœna, quæ inſaniam mortalium Babylona condentium repreſſit & confudit.

PUniit Deus vecordiam ædificantium mirifico genere pœnæ, ubi מדה כנגד מדה & omnem ſapientiæ juſtitiæque implevit modum. Ideò proponitur conſilium & deliberatio ſacroſanctæ Trinitatis ut in condendo homine, quod communiter non ſolet. *Agite deſcendamus & confundamus.* Raſchi dicit, בבית דינו: Aben-eſdras דבור השם עם מלאכים: Volunt gentilium ſcriptores ventorum vi diſturbatum eſſe opus & confuſione linguarum, quemadmodum ex Abydeni & Sibyllæ teſtimoniis conſtat. Volunt opus id eſt turrim concidiſſe divina vi; πεσόντος δὲ τούτου [πύργου] ὑπὸ τῆς τοῦ θεοῦ ἐνεργείας, ita Eupolemus. Sibylla & Abydemus dicunt Deos ἀνατρέψαι illud molimen inſanæ ſubſtructionis. Benjamin נפלה אש מן השמים ובקעה אותם עד התהום: *Cecidit ignis de cælo & abſumpſit ea uſque ad abyſſum.* Sacræ literæ nihil de everſione dicunt operis, tantum videntur loqui de interceptione. *Ceſſaverunt ædificare civitatem.* Opus hoc jam admirandæ molis ſubſtitit; non eſt everſum quod ſtructum erat. Conſilium Dei fuit, impedire progreſſum operis & ædificantes diſpergere, id quod illi tarde & cunctanter videbantur facere, nectentes moram in ædificando. Hoc depingit noſter Sulpicius: *Nutu Dei, ut officia operantium præpedirentur, inaſſueto ſermonis genere, multa diverſo, neque ulli invicem intellecto linguarum ritu loquebantur: quo promptius diſperſi ſunt, cum alter alterum velut alienigenam facilè relinquebat.*

INASSUETO SERMONIS GENERE] *Confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui* Gen. 11. 7. *Audiat*, ישמעו *intelligat.* Raſi: זה שואל לבנה וזה מביא טיט וזה עומד עליו ופוצע את מוחו: *Hoc petente laterem, alter attulit lutum: unus alii pedem impreſſit & cerebrum contrivit.* Aben-eſdras: ויש אומרים שנהפך לבם לשנוא זה את זה וכל אחד חדש לשון ויש אומרים כי המלמד לאדם דעת שכחש לשנם והנכון בעיני משם: *Quidam dicunt quod mutatum ſit cor eorum ad mutandum hoc cum hoc & uniuſcujuſque lingua novata eſt: Quidam, quod, qui docet hominem ſcientiam, mendacem fecerit linguam eorum.* Notat idem rectè כי בהשתנות הדתות התחדש הקנאה והשנאה גם כן בהשתנות הלשון: *Diverſi mores & linguæ inducunt odium & æmulationem.* Cæſar Scaliger de ſubtilitate excitat. 259. §. 1. *Principio dico tibi, ſaltem ex tot commentariis peregrinationum, venire in mentem debuiſſe tibi cujuſpiam linguæ, qua augeres antiquæ opinionis numerum. Puer hoc ego didici ab Hebræis: qui quod Patris mei gratia, qua apud Maximilianum Cæſarem valebat, ab Imperatore certa diplomata impetraſſent, clientes familiæ noſtræ facti ſunt. Ab iis, inquam, accepi tot eſſe linguarum differentias, in quas vox unius anteà modi, ad mirificam illam turrim, facta eſſet* μερόπων ἀνθρώπων. *Ita illi intellexerunt: nullam additam ſive Aramææ ſive Chaldææ flexionem, aut craſſitudinem aut tenuitatem, aut rectitudinem aut tempus. Quippe omnia momenta, quæ à Natura poſſint in explicatione vocis expediri, in ſua contineri lingua jactant ipſi nec temere. Sed deletas ſpecies priorum ſignificationum aliaſque novas ac varias, alias aliis mentibus ac recordationibus introductas atque impreſſas. Sic enim ajunt: quo impii pro-*

poſiti

poſiti opus illud interciperetur atque prohiberetur: factum à Deo opt. Max. ut lapidem petenti alius calcem, alius ſabulum, alius maltham, alius bitumen, alius aquam ferret. Fortaſſis etiam non defuiſſe arbitror, qui ſibi dictam putarent contumeliam, atque propterea manum conſererent. Vbi maxima incidit occaſio ſubtilitatis. Nam ſi lapidem petenti, alius aliud, multi multa, diverſa omnia afferebant: videretur unius ſoni modus, in varias ſpecies deductus, diverſis mentibus ſeſe inſinuaſſe. Vna igitur illa priſca adhuc exſtaret lingua: varii vero ſignificatus. Hactenus Cæſar Scaliger. Ita eſt, literas eaſdem (hic vocabulo literarum elementa vocum intelligimus) habent omnes gentes nationeſque, niſi quod quædam pinguius aut ſiccius aliæ ſine vel cum ſibilo aliiſque variandi modis deflectantur. Vocales quinque ſunt, ſed intermediæ variantiæ deprehenduntur, ut in coloribus, firmæ conſiſtunt conſonantes quæ non ſolo aperti aut contracti oris hiatu, ut vocales, diſtinguuntur. Recipiunt tamen diverſum oris & inſtrumentorum loquendi flexum. Quum tam variè formentur elementa, gutture, palato, dentibus, lingua, labiis, Labii tamen voce ſermonem Sp. S. expreſſit, in hac narratione. Id Scaliger ita ſolvit: *Singularum literarum poteſtates labiorum maximè conformatione dignoſcuntur, quemadmodum non ſolum ex Martiani ac Priſciani, Victorini, Gellii, Quintiliani, Varronis, Nigidii, Ciceronis* præceptionibus, verum etiam variarum uſu nationum aliqua ex parte *percipi poteſt.* Labiorum conformatio oculis poteſt videri, cæterorum organorum ſola aure capi. Nullæ literæ minus indigent labiis, quam quæ remotiſſimè ab illis effigiantur, ut ſunt A & H. de A tamen dicit Terentianus:

A prima locum litera ſic ab ore ſumit:
Immania rictu patulo tenere labra
Linguamque neceſſe eſt ita pendulam reduci,
Vt miſus in illam valeat ſubire vocis:
Nec partibus ullis aliquos ferire dentes.

Conformatio labiorum diductum os format, non tamen rotundatum ut in O. Si A, quem tenuis ſpiratio ejicit, labellis indigeat, indigere neceſſe eſt, aſpirationem H. quam Latini in Alphabeto habent, ſed plerique conantur ejicere cum Græcis. Sic Quintilianus utrumque Spiritum aut eliminandum è cenſu literarum, aut æquo jure habendum putat. Non tantum (quod Plinius dixit) Græcarum terrarum vis in Latinis recognoſcitur ſed & quarumvis in quibuſvis aliis. Etſi enim literarum formæ diverſæ ſint, elementa fermè eadem ſunt. Id igitur Deo placuit, homini eaſdem poteſtates literarum relinquere, quas naturæ Adami & Hevæ inſeverat, quas hactenus liberos ſuos patres docuerant; ſed vocum è literis compoſitarum alias notiones mentibus inſinuare. Conſonantes præcipuè, quæ ſimplices & formæ diſtinctæ haud adeò multæ ſunt, varia ratione junctæ vocum ſpecies innumeras conſtituere poſſunt. Ex his jugationes alii populi alias amant & præterea, eiſdem vocibus alias ſignificationes attribuunt. Imperitè Plinius vocis id eſt ſoni ipſius varietati linguarum diverſitatem adſcripſit. lib. XI. cap. 51. *Vox in homine magnam habet vultus partem. Agnoſcimus eam prius quam cernamus, non aliter quam oculis: totidem ſunt eæ quot in rerum natura mortales, & ſua cujuſque ſicut facies. Hinc illa gentium totque linguarum toto orbe diverſitas: hinc tot cantus & moduli flexioneſque. Sed ante omnia explanatio animi, quæ nos diſtinxit à feris, inter ipſos quoque homines diſcrimen alterum æque grande quam à belluis fecit.* Vocis diverſitas naturalis eſt & fuiſſet, uti erat, ſi nulla unquam diverſitas linguarum nata foret. Inſigne miraculum

culum fuit mentes inſcribere aliis notionibus vocum innumerarum, priſcas illas delere & in oblivionem inducere. Id ſubito accidit omnibus illis operis: ſive per noctem ſive interdiu, dum in opere ſudabant, mutati erant, antequam ſenſiſſent ſibi mutationem imprimi. Deus igitur iſtarum linguarum autor fuit, quas animis mirifico & incomprehenſo modo inſeruit. Tot linguas ſermoneſque, quot voluit univerſam artem tot vocum ſpecies induxit uno momento. Simile quid unquam accidiſſe nulla hiſtoria meminit. Apoſtolico tempore Spiritus vi mentem linguamque movere ad eos ſermones, quos voluit, id fuit motus & afflatus tranſitorii, hic habitus novos, antiquis obliteratis, inducere placuit. Quis factum negare poteſt? Hodie multi ſunt, qui rident ſcripturarum miracula, præcipue in aulis principum. Poteſtiſne factum negare? Gentium ſcriptores unanimi conſenſu comprobant. Et unde tot linguarum varietas per orbem terrarum, ſi non divina immiſſione? Præadamita neſcio unde derivet ſermonum diverſitatem. Scio illud nec unam quidem linguam procudi poſſe conjunctis ſapientum conſiliis, nec unquam factam eſſe. Poſſunt ſibi fingere voces multas diverſas, ut ne intelligantur, ſed linguam tota ratione ſuaque plenitudine aliam nulla hominum ſapientia genuerit. Hæc quidem natura linguarum eſt, ut facilè habitum mutent. Verum eſt illud Horatii:

Vt Sylvæ foliis pronos mutantur in annos;
Prima cadunt ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modo nata vigentque.
—————— mortalia facta peribunt,
Nedum ſermonum ſtet honos & gratia vivax.
Multa renaſcentur, quæ nunc cecidere cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus,
Quem penes arbitrium eſt & vis & norma loquendi.

Sed aliud eſt efflorеſcere alia vocabula, aliud linguæ genium univerſum intercidere. Linguam poſſe interire fatemur, ſed miſtionibus gentium & longo ſeculorum lapſu, qui tamen radices relinquit, & ſi comam ramoſque & grammaticam mutet, uti factum in Lingua Gallica, Italica, Hiſpanica quæ de radice Latina, ſucciſa illa prima Romani veteriſque ſermonis arbore, propullularunt. Linguam igitur deleri & penitus novam enaſci non eveniat aliquot annorum millibus, niſi induxeris peregrinitatem ab alio ſermone. Sic autem opprimitur potius quam ætatis ſuæ ſenio & vitio emoritur. Adeò dixeris illas, quæ hodie exſtant, ſermonum diverſitates & differentias eſſe mixturas & farragines illarum linguarum, quas Babylone Deus hominibus immiſit. Uti autem hic in pœnam confuſio linguarum immiſſa eſt, ut diſpergerentur mortales, ita ſub Euangelii voce, quæ variis tradita linguis, idem inſinuat, electi recolliguntur.

Philippi Cluverii ſententia de primo hominum ſermone.

UNum omni hominum generi, ut ex una familia originem habenti, ſermonem fuiſſe in principio ſuæ multiplicationis, antequam Babylone in omnes terras diſpergerentur, conſtat ex affirmatione Moſis, quidam autem eum putarunt alium eſſe quam Hebræum. Inter eos Philippus

Cluverius de Germaniæ noſtræ antiquitatibus optime meritus lib. 1. Germaniæ antiquæ cap. 8. exiſtimat in turris conſtructione Deum unam illam primam linguam diſſipaſſe per multa idiomata, quæ inde in orbe obtinuerint, matre exſtincta. Matrem autem revocandam ex illis diſſipationibus, tum cum evadet εἷς ποιμὴν καὶ μία ποίμνη. Nempe hoc fore tempus de quo Plutarchus in Iſide & Diogenes Laërtius in prooemio locuti ſint, quamvis myſterium ipſum à gentilibus agnitum benè non fuerit. Laërtius è Theopompo in octavo Philippicorum, ἀναβιώσεσθαι κατὰ τοὺς μάγους τοὺς ἀνθρώπους καὶ ἔσεσθαι ἀθανάτους καὶ τὰ ὄντα ταῖς αὐτῶν ἐπικλήσεσι, διαμένειν. Poſtremum hoc interpretatur de appellationibus, quæ revocandæ ſint. Atqui rectè interpres Laërtii. *Et univerſa illorum precationibus conſiſtere.* Argumentum illius hoc eſt: Multa vocabula in diverſiſſimis ſitu nationibus ejuſdem ſignificationis reperiri, quæ aliò non poſſint referri quam ad reliquias Primi ſermonis, quas Deus supereſſe voluerit. Ineptè eas referri ad Hebræum ſermonem, in quo non compareant, niſi dicere velimus exiguam admodum ejus portionem relictam eſſe. Non poſſe etiam dici caſu factum eſſe, quia caſus fortaſſis unum alterumque dederit, ſed millena eſſe, quæ ad caſum non poſſint rejici. Nec poſſe locum dari gentium commerciis & permiſtionibus peregrinationum bellorumque. Nam ita diſſita & disjecta eſſe per varias orbis partes, ut coïtio & occurſus non poſsint deprehendi, nec cum colore objici. Hæc, ſi eum percipio, mens eſt argumentationis. Reſpondeo 1. Velim millena illa protuliſſet, quæ enim protulit duo triave, quomodo de millenis perſuadebunt? 2. Gentium mirificas confuſiones & peregrinationum commerciorumque miſturas quis poterit enarrare? 3. Semper certum habitum eſt κριτήριον ejuſdem originis, ubi lingua affinis aut eadem inventa eſt. 4. Fatemur Hebræum ſermonem pro parte minima ſupereſſe in paucis illis V. T. libris, qui nobis ſuperſunt. Partem dicimus apud Syros & Arabas inveniri, qui in fundamento coëunt. 5. Ex paucarum gentium conſenſu in quibuſdam vel longe plurimis dictionibus velle argumentari ad univerſitatem ſeu primitatem illam, quomodo firmum erit? Debet enim omnibus eſſe commune, quod univerſale fuiſſe velis concludere. Videt autem vir doctus & judicio acer ſibi obſtare hoc argumentum de nominibus patriarcharum, quadrantibus ad Hebræum ſermonem, ideò à Moſe illa κατὰ παρῳδίαν & immutationem quandam reficta eſſe putat. Id autem illi non concedimus, nec ratio patitur. Potius eſt, ut à receptis non facile diſcedamus, præcipuè in rebus Theologicis aut affinibus. Sciebat vir eruditus hanc ſententiam de Hebræi ſermonis primitate communiter eſſe receptam. Laudabilis non eſt prurigo qua facile vetera rejicimus & libenter nova dicimus. Virum eruditum fefellit amor ſuſcepti negotii. Germanicæ linguæ docet antiquitatem & per multas Europæ regiones diffuſam latitudinem, antequam Latina jugum impoſuit & Illyricum, Galliam, Hiſpaniam provincias fecit. De eo cum ipſo non contendemus, ſinat modo Linguæ Hebrææ ſuam dignitatem ire irreprehenſam. Scio Germanicæ linguæ multam eſſe affinitatem cum Chaldæis & Perſis, antiquiſſimis Aſiæ populis, hoc ſatis eſt ad ejus commendationem. Ad hujus laudis cumulum quicquid adjicitur, gravat & reprobandum eſt. Ac nos de Germanorum origine in ſequentibus ex occaſione aliquid ſumus dicturi. Germanicam antiquitatem ab ipſo in plurimis ſolide erutam & oſtenſam admittimus & amplexamur, at Hebrææ linguæ antiquitatem veneramur: quam non ex eo tantum jure merito לשון הקדש appellari concedimus,

cedimus, quod ſacra myſteria, divinitus prodita, nec ulli genti nota, complectatur, in illis cæleſtium revelationum divinis tabulis: ſed & ex eo, quod Deum ipſum autorem habeat, qui cum Adamo & Eva eandem condidit, cum alias linguas Babylone in pœnam immiſerit. Tantum igitur diſcriminis erit, quantum inter naturæ primæ ornamentum & pœnæ monumentum. Beneficium tamen in pœna eſſe non abnuimus, quia & hoc modo noſtra inter nos communicare poſſumus & Deus omnibus linguis ſuas laudes & Chriſtum prædicari pro ſua benignitate voluit.

De ſententia Goropii Becani.

Monſtroſa eſt opinio I. Goropii Becani, quæ linguam Germanicam, ſeu dialectum ejus, quæ in inferioribus Germaniæ partibus ad Oceanum Germanicum & mare Balticum, id eſt Saxonicam ſive Brabanticam, cum ipſo rerum principio fuiſſe putat. Ea Adamum fuiſſe locutum, in illa appellationes eſſe animalium illas, quæ contineant profunda myſteria & notitiam abſtruſam. Ideo ſe de ipſo Moſe bene mereri & rebus Eccleſiæ ſacrarumque literarum, quod vocabulorum illorum, quibus patriarchæ appellati ſunt originem è linguà illa divina pandat. Noë eſſe Bacchum poëtarum Sabazium eundem aliiſque cognominibus dictum. Circa Nyſan conſediſſe arcam illic Noë coluiſſe, cui ut ante diluvium cum Indis, ita poſt diluvium cum Chamo & Chamiſtis fuiſſe belligerandum. Immenſarum nugarum, quibus nihil putidius aut magis ridiculum abortiit tellus, audaciſſimus conſarcinator, reprehendit tamen & bene refutat Pſeudoberoſum Annii. Quæ Chartis illevit narrationes lepidæ ſunt & aniles fabulæ, quibus nutriculæ infantibus ſomnum ſolent conciliare. Contemnendus eſſet, niſi hoc faſtidioſo ſeculo, quo nauſeamus ad triticum & lac, paſci mallent plurimi quiſquiliis & ſordibus: niſi ſua nugamenta ſacræ veritati anteponeret. Ejuſmodi ſunt illa Βεκκεσέληνα ſeu Antwerpienſes origines. Miror & indignor nitidiſſimam Plantini officinam ejuſmodi ſtercocibus inſudaſſe. Scaliger: *Miror eſſe, qui quicquid ſomniant verum ſibi eſſe perſuadent: ac bene nobiſcum ageretur, ſi nec aliis perſuadere vellent.* Hodie id ſeculum vivimus, quibus non tam in barbariem; quam atheiſmum ruimus: majorum pietas occidit. Βεκκεσέληνα ipſe vocat ſua illa deliria. Βεκκεσέληνος antiquitatis & ſimplicitatis ſeu fatuitatis conjunctim habet ſignificationem. Apud Plutarchum καὶ γὰρ Πλάτων ὁ μεγαλόφωνος εἰπὼν, ὁ θεὸς ἔπλασε τὸν κόσμον πρὸς ἑαυτοῦ ἀπόδειγμα, ὄζει λήρου Βεκκεσελήνου, κατά γε τοὺς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιητάς. Vocem compoſitam eſſe volunt è duabus vocibus, Βέκκος & Σελήνη. Nempe duæ nationes antiquitatem ſtolide jactabant, Phryges & Arcades. Phryges habebantur & haberi volebant hominum antiquiſſimi argumento vocabuli Βέκκος, quod duo pueri ſine ulla voce humana educati, procurante Pſammeticho rege Ægypti, extulerant. Quæ vox apud Phrygas panem notat. Hiſtoriam narrat Herodotus. Arcades jactabant ſe priores fuiſſe luna. Unde eſt apud Apollonium Argonauticorum lib. 4.

Ἀρκάδες, οἳ καὶ πρόσθε Σεληναίης ὑδέονται.

Cum igitur duæ iſtæ nationes ſtolide jactarent ſuam antiquitatem, hinc antiquitatem & fatuitatem compoſita voce poëtæ comici traduxerunt. Affertur ex Ariſtophane:

Καὶ πῶς ὦ μωρὲ σὺ καὶ κρονίων ὄζων καὶ βεκκεσέληνε.

Saturnia olere dicit, & appellat Βεκκεσέληνον. Qui igitur nimiæ antiquitatis captabant ſtolidiſſimam famam, dicebantur Βεκκεσέληνοι. Qui fatui erant & fatua loquebantur. Hoc eſt ut apud eundem comicum eſt:

Ἀρχαῖα γε καὶ διϊπολιώδη καὶ τεττίγων ἀνάμεστα
Και Κηκείδου καὶ Βουφονίων.

Revera illa Becanii nugamenta ſunt Βεκκεσέληνα, ut ipſe vocat & inſcribit. Ne ſit quis tam imbecilla mente, cui ea arrideant, quæ ab omnibus meritò ridentur, ſciat rectè proſcribi quæ titulo fatuitatis ab ipſo ſuo parente inſcribuntur.

Linguam Hebræam, quam vocamus, fuiſſe primam illam.

PRimam in terris linguam fuiſſe Hebræam Judæi & Chriſtiani conſentiunt. Raſchi ad illa verba (שפת אחת,) dicit לְשׁוֹן הַקֹּדֶשׁ. Id pauci negant. Rationes Cl. Rivetus è Nic. Fullero potiſſimum ponit ſex. I. Nomina patriarcharum Hebræa ſunt & eorum ratio ex Hebræo ſermone redditur. Adverſæ opinionis qui ſunt, exiſtimant ab Moſe eſſe deflexa ad Hebræi ſermonis genium. Mercerus: *Pro certo & perſuaſo & indubitato habeo primigeniam illam linguam Hebraicam fuiſſe, licet quidam huic iniquiores, mutata fuiſſe dicant propria nomina à Moſe & transfuſa in eam linguam, cui favebat. Quaſi vero paſſim hiſtorici non ſoleant nomina propria etiam barbara illibata retinere, licet aliquando mutent, ubi ſucceſſu temporis regionum aut locorum nomina ſunt mutata. Sed virorum fere invariata retinent nomina tantum ad ſuæ flexionem & rationem accommodata, non nihil detorta aut corrupta ſed ita ut origo facilè agnoſcatur. Adde etyma omnium nominum propriorum ante diluvium & poſt, uſque ad diviſionem linguarum non poſſe ulli alii linguæ tribui, ſicut nec aliorum poſt illud tempus, quibus Moſes utitur, quam Hebraicæ, ut Adam* אדם *ab* אדמה, חוה *quod mater omnium viventium fuerit, Cain, Abel, Seth, Mahalaleel, Cenan, Noë &c. quorum omnium & cæterorum fons non niſi Hebraicus eſſe poteſt. Quod ſi dixeris potuiſſe Moſen nomina priorum illorum patrum ex lingua prima transfundere in ſuam, qui quæſo id in omnibus potuiſſet, ita ubique certam & conſtantem etymologiam nominum, ut in lingua illa primigenia invenire, quum in paucis linguis, ut* אדם *ab* אדמה *homo ab humo, ſic in aliis idem inveniatur,* איש *Chaldæum aut* גברא *id non admittit nec* ἀνὴρ *aut* ἄνθρωπος *apud Græcos aut in alia lingua?* Sic Mercerus. Illud ſane argumentum certum eſt, ſed objici poſſet nomen מֹשֶׁה. Puero illi nomen inditum eſt ab filia Regis Ægypti ſine dubio Ægyptium: quod & veteres teſtantur. Nempe Μωϋσῆς ſignificat ἀναληφθεὶς ἐξ ὕδατος, Græca terminatione, quod Ægyptiis eſt Μωουσῆ. Ita viri docti prodiderunt. At Moſes ipſe originem Hebræam voci videtur attribuere, Ex. 2. 10. de filia Pharonis: וַתִּקְרָא שְׁמוֹ מֹשֶׁה וַתֹּאמֶר כִּי מִן הַמַּיִם מְשִׁיתִהוּ. Quaſi appellationem deduceret ab Hebræo מָשָׁה, *extrahere*. Hic dico, non voluiſſe Moſen ſignificare, quod origo vocis Hebræa eſſet, ſed Ægyptiæ vocis originem tantum Hebræis verbis evolvere, in quibus adhibuit eam dictionem Hebræam, quæ Ægyptiæ vocis parti & ſono & ſignificatione affinis eſt. Dicebatur vir ille Ægyptiacè Μωσοί. Id verum nomen duci populi Dei fuit, ſed cum nullum frequentius tereretur publico uſu, factum, ut immutaverint ad faciliorem ſuæ linguæ pronuntiationem. Dictus igitur Hebræis

Hebræis eſt מֹשֶׁה, qui erat Ægyptiis Μωσῆ. Hoc nomen poſuit Moſes ex pronuntiatione Hebræa, quod ſolet, ſed oſtendit, ejus originationem ex Ægypto petendam eſſe, è duabus nempe vocibus, quarum altera *aquas*, altera *extrahere* notat. Similitudo literarum in Hebræis vocibus aliqua eſt, ſed origo debetur Ægypto. II. Arg. Id primum eſt, ad quod reduci poſſunt alia. Inter linguas etiam illam primam cenſere oportet, ad quam aliarum voces poſſunt exigi & reduci. Quod fit dupliciter: Primò, quatenus multæ voces integræ manſerunt in illa confuſione & diviſione (confuſio enim diviſionem genuit). quas recognoſcimus in Hebræa, ſecundum ſe & ſuas primas. Secundò, qua orientalium linguarum aliquam, quæ haud procul Babylone conſederunt, oportet eſſe illam matricem linguam: quoniam non ſuſtulit Deus primam, ſed addidit alias. Sic reperiuntur affines inter ſe Syra, Arabica cum Hebræa. Simpliciſſima autem eſt Hebræa, quam pro matre agnoſcunt Syra & Arabica. Cum Hebræa ſimplicior ſit illis, palmam illæ concedunt. Atqui Syra & Arabica habent ſimplicitatem majorem omnibus mundi linguis cæteris: quod examinanti erit manifeſtum. Radices habere triliteras, plures conſonas non conjungere in ſimplici & prima voce. Nam prima vox apud Hebræos ſemper eſt trilitera τρίγραμματος. Nec eſt ulla vox Hebræa quæ ad talem radicem non queat reduci. In aliis ſermonibus radix invenitur πολυγράμματος: quod autem plurium eſt originem debet illi, quod eſt pauciorum literarum. Id quod nulla dat lingua niſi Hebræa. Inveniuntur etiam voculæ in quibus non conſtant illæ tres, quoad formam ſermonis ſui, conſtabunt tamen in Hebræa ἀναλογικῶς. Deus igitur ſimplicem Hebræorum linguam mutavit in illas à matre degeneres, ejectione vocalium, trajectione & adjectione conſonarum. Obliquitatem igitur & impuritatem reducere & agnoſcere licebit in illa ſimpliciſſima & prima. III. Arg. Ipſa characterum & literarum vocabula ſunt Hebraïca. Illam autem linguam primam eſſe oportebit, in qua prior uſus literarum eſt. Illic autem eſſe antiquiſſimum literarum uſum & inventionem dixeris, ubi literæ vocabula ſua invenerunt. Figuræ enim iſtæ ab inventoribus ſuis nomina habuerunt, aut receptæ non fuerunt niſi per adſimilationem cum rebus aliis, à quibus denominatæ ſunt. Non invenies integra & incorrupta literarum nomina niſi in Hebræo ſermone. Aliæ gentes deflexerunt aut rejecerunt. Scaliger nomina vocalium non rectè aſſignari niſi à ſono putavit, quum non animadverteret, non ipſorum elementorum ſed figurarum appellationes eſſe. Conſtat ab Hebræis nominibus veniſſe nomina, quæ apud Græcos, Arabes, Aſſyrios ſunt, antiquiſſimos populorum. IV. Conſenſus hic ferme communis eſt veterum & recentiorum, paucis exceptis, qui pro alia certant lingua. Veteres conveniunt de ſermone Hebræo, quamvis diſcedat Theodoretus. Vult enim Syrorum linguam eſſe primam. Ποία γλῶσσα ἀρχαιοτέρα; Reſpondet: Δηλοῖ τὰ ὀνόματα. Ἀδὰμ γὰρ καὶ Κάϊν καὶ Νῶε τῆς Σύρων ἴδια γλώττης. Ἀδαμθὰ γὰρ τὴν ἐρυθρὰν γῆν ἔθος τοῖς Σύροις καλεῖν. Ἀδὰμ τοίνυν ἢ ὁ γήϊνος ἢ ὁ χοϊκὸς ἑρμηνεύεται. καὶ Κάϊν κτῆσις. Τοῦτο δὲ Ἀδὰμ ὑμνῶν θεὸν εἴρηκεν. Ἐκτησάμην ἄνθρωπον διὰ τοῦ θεοῦ. καὶ Ἄβελ πένθος. πρῶτος γὰρ οὗτος ὤφθη νεκρὸς καὶ πρῶτος τοῖς γεγεννηκόσι προὐξένησε πένθος. καὶ Νῶε ἀνάπαυσις. R. Syra lingua matrem agnoſcit Hebræam, à qua non differt ut lingua ſed ut dialectus temporis lapſu genita. Non eſt igitur mirum, quod Hebræarum dictionum etymologia reddi poſſit è Syra. Poteſt etiam ex Arabica. Inde tamen non concluſeris Arabicam eſſe primam lingua-

rum. 2. Vocabulum □אָדָם falſo deducitur ab אֲדָמָה *terra* vel אַדְמְתָא Chaldæo & Syro, cum hominem notet ſine relatione ad terram. Homo non appellatur □אָדָם in lingua Syra, in ſola matre Hebræa ſic appellatur. Adamum ita vocatum eſſe à terrà rubra, opinio etiam fuit Joſephi, qui peritior fuit ſermonis Syri quam Hebraici veteris & veri. Si Adam inde dictus fuit, ſequeretur hoc ei nomen fuiſſe proprium non ſpeciei & naturæ. Atqui proprium nullum habuit, quod Deus non legitur impoſuiſſe, alius nemo potuit. Hinc ſpeciei vocabulo inter poſteros cœpit appellari, κατ᾽ ἐξοχὴν, quod primus eſſet hominum. Hoc primum argumentum, quo Theodoretus contendit Syrum ſermonem eſſe antiquiſſimum & primum. Alterum argumentum ipſi eſt ex eo, quod nulla gens vernaculum haberet Hebræum ſermonem, ne quidem populus Hebræus, quia doceri adultos cum neceſſe eſſet. Cum igitur Syro ſermone in Syria, alibi alio populus ille loqueretur, eum videri primum omnium. Hæc ejus mens eſt quam interpretes parum videntur obſervaſſe. Loquitur ſic: Ἡ οὖν ἑβραΐα πόθεν ἤρξατο; Reſpondet ex ſua opinione: οἶμαι αὐτὴν ἱερὰν εἶναι φωνήν. ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς ἑλληνικοῖς ναοῖς ἴδιοί τινες ἦσαν χαρακτῆρες γραμμάτων οὓς ἱερατικοὺς προσηγόρευον. οὕτω καὶ διὰ τοῦ Μωσέως ὁ τῶν ὅλων θεὸς ἔδωκε τὴν γλῶτταν, διδακτὴν οὖσαν οὐ φυσικήν. Τοιγάρτοι τῶν ἄλλων ἁπάντων κατὰ τὴν τῶν ἐθνῶν, ἐν οἷς ἂν γεννηθῶσι, φθεγγομένων φωνήν. καὶ τῶν μὲν ἐν Ἰταλίᾳ τικτομένων, τῇ Ἰταλῶν κεχρημένων. τῶν δὲ ἐν τῇ ἑλλάδι τῶν ἑλλήνων. καὶ τῶν ἐν Περσίδι τῶν Περσῶν καὶ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ τῇ Αἰγυπτίων. τὰ ἑβραίων παιδία οὐ τῇ ἑβραίων ἐστὶν εὑρεῖν εὐθὺς κεχρημένα φωνῇ, ἀλλὰ τῇ ἐκείνων παρ᾽ οἷς ἐγεννήθησαν. εἶτα μειράκια γενόμενα διδάσκεται τῶν γραμμάτων τοὺς χαρακτῆρας. μανθάνει δὲ διὰ τῶν γραμμάτων τὴν θείαν γραφὴν τῇ ἑβραΐδι γεγραμμένην φωνῇ. οἶμαι δὲ τοῦτο αἰνίττεσθαι καὶ τὸν μακάριον Δαβὶδ ἐν τῷ ὀγδοηκοστῷ ψαλμῷ, γλῶσσαν, ἣν οὐκ ἔγνω, ἤκουσεν. *Arbitror eam eſſe ſacram linguam. Quemadmodum enim in gentilium templis, proprii quidam characteres literarum erant, quos vocabant ſacerdotales, ita etiam per Moſen, univerſi Deus, dedit linguam, quæ doceretur, non naturalem. Siquidem cum reliqui omnes loquantur lingua gentis, in qua nati fuerint, & nati in Italia Italorum utantur vocè, qui in Græcia, voce Græcorum; qui in Perſide Perſarum; & qui in Ægypto, Ægyptiorum: pueros Hebræorum nullos reperire eſt, qui ſtatim Hebraica lingua utantur, ſed eorum, apud quos nati ſunt. Deinde cum adoleverint, docentur literarum characteres & diſcunt ex literis ſcripturam divinam Hebraïco ſermone ſcriptam. Quod puto beatum Davidem indicaſſe octogeſimo pſalmo;* Linguam, quam non noverat, audivit. At non potuit Pater argumentari ab eo, quod ſuo tempore fiebat. Neceſſe enim eſt populum Hebræorum, ſuis utentem moribus & legibus, ſeparatum à gentibus aliis, intra Palæſtinæ terminos proprium habuiſſe ſermonem, in quo naſcerentur, & quem loqueretur indoctum vulgus. Si putat Theodoretus Syro ſermone in Palæſtina uſum eſſe populum illum, id verùm eſt de temporibus poſt exilium Babylonicum, in quo Chaldæum ſive Syrum didicerunt idioma: ante illud exilium ſuo peculiari uſi ſunt, qui exinde dictus eſt Hebræus, quod eo Hebræi uterentur. V. Arg. Etiam gentiles concedunt ſermonem Hebræum eſſe illum primum ante diviſionem, quorum teſtimonia Joſephus. Euſebius, Cyrillus collegerunt. VI. Arg. In præſtantiſſima & prima linguarum conſervari verbum Dei oportuit. Filios hominum Babylona condidiſſe Moſes teſtatur, inque eos graſſatum eſſe numen confuſione linguarum. Tuti fuerunt igitur, qui non erant inſani operis ſocii, & retinuerunt linguam priſcam, qua omnes ante id tempus locuti fuerant.

Hebræus

Hebræus ſermo unde ita ſit appellatus.

SErmonem à populo dici, qui utitur notum eſt, nec aliter fieri poteſt. Ita oportet à populo Hebræo dictum eſſe, quem in uſu habuit, ſermonem. Populus Hebræus quis ſit, nemo ignorat. Ejus autem alius ſermo fuit ante captivitatem Babylonis, alius poſt eam. Ante captivitatem uſi ſunt illo ſermone Hebræi, quo Cananæi ſive Phœnices utebantur. Poſt eam uſum habuere Chaldæi ſive Syri ſermonis, quem in Aſſyria ſeu Babylonia didicerant. Hunc etiam ſermonem ab illorum temporum poſteriorum uſu Hebræum vocat N. T. codex. Ita titulus in cruce Chriſti conceptus fuit ſermone Hebræo apud Euangeliſtas, qui ſine dubio Chaldæus fuit, ut vulgò intelligeretur. Paulus loquitur Hebraicè Act. XX. 40. XXII. 2. Voluit à populo omni intelligi, ideo eo ſermone locutum eſſe oportuit, quem vulgus intelligebat. Johannis XIX. 13. γαββαθᾶ 7. γολγοθᾶ dicitur eſſe Hebræum: cum utrumque ſit Chaldæum ſive Syrum. Inquirendum igitur de origine nominis Hebraici. Exiſtimant plerique, & eſt ea vetus ſententia, ab Eber filio Phaleg hoc nomen derivatum eſſe. Theodoretus: Ἀλλά τινές φασιν ἀπὸ τοῦ Ἔβερ Ἑβραίαν κεκλῆσθαι τὴν γλῶσσαν. ἐκεῖνον γὰρ μόνον ἐν τῇ προτέρᾳ μεῖναι φωνῇ. Auguſt. de civit. Dei lib. 16. c. 11. fuſe admodum diſputat. *Quamobrem ſicut lingua una cum eſſet omnium, non ideò filii peſtilentiæ defuerunt (nam & ante diluvium una erat lingua & tamen omnes præter unam Noë juſti domum deleri diluvio meruerunt) ita quando merito elatioris impietatis gentes linguarum diverſitate punitæ atque diviſæ ſunt & civitas impiorum confuſionis nomen accepit, hoc eſt appellata eſt Babylon, non defuit domus Heber: ubi ea quæ antea fuit omnium, lingua remaneret. Unde, ſicut ſupra memoravi, cum cœpiſſent enumerari filii Sem, qui ſinguli gentes ſingulas procrearunt, primus eſt commemoratus Heber, cum ſit abnepos ipſius, hoc eſt ab illo quintus inveniatur exortus. Quia ergò in ejus familia remanſit hæc lingua diviſis per alias linguas cæteris gentibus: quæ lingua prius humano generi non immeritò creditur fuiſſe communis ideò deinceps Hebræa eſt nuncupata. Tunc enim opus erat eam diſtingui ab aliis linguis nomine proprio, ſicut aliæ quoque vocatæ ſunt nominibus propriis. Quando autem erat una, nihil aliud quam humana lingua vel humana locutio vocabatur, qua ſola univerſum genus hominum loquebatur. Dixerit aliquis, ſi in diebus Phaleg filii Heber diviſa eſt terra per linguas, id eſt homines, qui tunc erant in terra, ex ejus nomine potius debuit appellari lingua illa, quæ antea erat omnibus communis. Sed intelligendum eſt ipſum Heber propterea tale nomen impoſuiſſe filio ſuo, ut vocaretur Phaleg, quod interpretatur diviſio: quia tunc ei natus eſt, quando per linguas terra diviſa eſt, id eſt ipſo tempore: ut hoc ſit, quod dictum eſt, in diebus ejus diviſa eſt terra. Nam niſi adhuc Heber viveret, quando linguarum facta eſt multitudo: non ex ejus nomine nomen acciperet lingua, quæ apud illum potuit permanere. Et ideò credenda eſt ipſa fuiſſe prima illa communis: quoniam de pœna venit illa multiplicatio mutatioque linguarum: & utique præter hanc pœnam debuit eſſe populus Dei. Nec fruſtra linguam iſtam, hoc eſt, quam tenuit Abraham, nec in omnes filios ſuos tranſmittere potuit, ſed in eos tantum, qui propagati per Iacob & inſignius atque eminentius in Dei populum coaleſcentes, Dei teſtamenta & ſtirpem Chriſti habere potuerunt. Nec Heber ipſe eandem linguam in univerſam progeniem ſuam refudit: ſed in eam tantum, cujus generationes perducuntur ad Abraham. Quapropter etiamſi non evidenter expreſſum eſt fuiſſe aliquod pium genus hominum, quando ab impiis Babylonia condebatur: non ad hoc valuit hæc obſcuritas, ut quærentis fraudaretur ſed potius ut exerceretur intentio. Cum enim legitur unam fuiſſe linguam*

guam primitus omnium, & ante omnes filios Sem commendatur Heber, quamvis ab illo quintus oriatur: & Hebræa vocatur lingua, quam patriarcharum, non ſolum in ſermonibus ſuis verum etiam in literis ſanctis cuſtodivit autoritas. Profectò itaque cum quæritur in diviſione linguarum, ubi lingua illa remanere potuerit, quæ fuit ante communis (quæ ſine ulla dubitatione, ubi remanſit, non ibi fuit illa pœna, quæ facta eſt mutatione linguarum) quid aliud occurrit, niſi quod in hujus gente remanſerit, à cujus nomine nomen accepit: & hoc juſtitiæ gentis hujus non parvum apparuiſſe veſtigium, quod cum aliæ gentes plecterentur mutatione linguarum ad iſtam non perveniſ tale ſupplicium. Sed adhuc illud movet, quomodo potuerunt ſingulas gentes facere Heber & filius ejus Phaleg, ſi una lingua permanſit ambobus? Et certè una eſt Hebræa gens ex Heber propagata uſque ad Abraham & per eum deinceps donec magnus fieret populus Iſraël. Quomodo igitur omnes filii qui commemorati ſunt, trium filiorum fecerunt ſingulas gentes, ſi Heber & Phaleg ſingulas non fecerunt? Nimirum illud eſt probabilius quod gigas ille Nemroth fecerit etiam ipſe gentem ſuam: ſed propter excellentiam dominationis & corporis ſeorſum eminentius nominatus eſt, ut maneat numerus ſeptuaginta duarum gentium atque linguarum, Phalec autem propterea commemoratus eſt, non quod gentem fecerit; nam eadem ipſa eſt ejus gens Hebræa eademque lingua ſed propter tempus inſigne, quod in diebus ejus terra diviſa eſt. Nec movere nos debet, quomodo potuerit gigas Nemroth, ad illud ætatis occurrere, quo Babylon condita eſt & confuſio facta linguarum & ex hac diviſio gentium. Non enim quia Heber ſextus eſt à Noë ille autem quartus, ideo non potuerunt ad idem tempus convenire vivendo. Hoc enim contigit cum plus viverent, ubi pauciores ſunt generationes, minus ubi plures. Sane intelligendum eſt, quando terra diviſa eſt: non ſolum jam natos fuiſſe cæteros filiorum Noë, qui commemorantur patres gentium, ſed etiam ejus ætatis fuiſſe, ut jam univerſi familias haberent, quæ dignæ fuiſſent nominibus gentium. Vnde nequaquam putandum, quod eo fuerint ordine geniti, quo commemorati leguntur. Alioquin duodecim filii Iectan, qui erat filius alius Heber, frater Phalec, quomodo potuerunt jam gentes facere, ſi poſt Phalec fratrem ſuum Iectan natus eſt, ſicut poſt eum commemoratus eſt: quandoquidem tempore, quo natus eſt Phalec, diviſa eſt terra? Proinde intelligendum eſt priorem quidem Phalec nominatum ſed longè poſt fratrem ſuum Iectan fuiſſe natum, cujus Iectan duodecim filii tam grandes jam familias haberent, ut in linguas proprias dividi poſſent. Sic enim potuit prior commemorari, qui erat ætate poſterior: quemadmodum prius commemorati ſunt ex tribus filiis Noë procreati filii Iapheth, qui erat minimus eorum: Deinde filii Cham qui erat medius: poſtremo filii Sem, qui erat primus & maximus. Illarum autem gentium vocabula partim manſerunt, ita ut hodie quoque appareat, unde fuerint derivata: ſicut ex Aſſur Aſſyrii, Heber Hebræi; partim temporis vetuſtate mutata ſunt: ita ut vix homines doctiſſimi antiquiſſimas hiſtorias perſcrutantes: nec omnium ſed aliquarum ex iſtis origines gentium potuerint reperire. Nam quod ex filio Cham, qui vocatur Meſraim, Ægyptii perhibentur exorti, nulla hic reſonat origo vocabuli: ſicut nec Æthiopum, qui dicuntur ad eum filium Cham pertinere, qui Chus appellatus eſt. Et ſi omnia conſiderentur plura mutata, quam manentia nomina apparent. Hactenus Auguſtinus, qui omnino vult ab Heber dictam eſſe linguam Hebræam. Ejus potiſſimum argumentum, quemadmodum omnium, qui eam ſententiam ſequuntur, fundatum eſt in Gen. X. 21. quem locum infra inſpiciemus. Ideo vult Heber eo loco nominatum eſſe tanquam præcipuum poſterorum Semi, quia in ejus familia ſubſtiterit lingua Hebræa & Dei notitia. Cum enim dividerentur linguæ, quamvis earum de familiæ & gentis ſuæ nomine dictam eſſe. At cur non potius è Phalec nomen ſortita eſt ea lingua, ante hac communis & humana, nunc unius familiæ gentiſque

facta

facta propria? Reſpondet vivente Heber, nempe in nativitate Phaleg confuſionem linguarum & ex ea diviſionem gentium eveniſſe. Illam quæ apud ipſos Heberi poſteros, Dei cultum retinentes non omnes, reſederit linguam, doceri primam fuiſſe, quia apud pium genus pœna non potuerit habere locum. At exinde quæritur, Quomodo Heber & filius ejus Phalec ſingulas gentes potuerint facere, ſi una ambobus lingua permanſerit. Cauſa quæſiti eſt ὑπόθεσις, quod omnes illi, qui decimo capite Geneſeos commemorantur è filiis Noë progeniti, quiſque diſtinctam nationem & linguam conſtituerint, ita ut fuerint 72. Exiſtimat Nemrodum, qui inter procreatores gentium non eſt communeratus, ſed ſeorſim, inter illos tamen habendum eſſe, Phaleg autem qui inter procreatores & ἀρχηγέτας videtur poni, eximendum eſſe numero & ponendum ſub familia & gente Patris ſui Heber. Ex occaſione & aliud dubium movet, quomodo Nimrodus & Heber eodem tempore potuerint occurrere ad condendam turrim illam cum ex illis alter ſextus alter quartus à Noë fuerit? R. id factum fuiſſe quod maturius aut ſerius genuerint patres. Deinde putat non omnes eo ordine genitos eſſe, quo commemorantur, quia ita Joctan cum ſuis filiis non potuerint familias habere nec nati eſſe, naſcente Phalec, quando confuſio & diviſio facta eſt. Nos Hebræam appellationem nec gentis nec linguæ imputamus Heber filio Sale. Sic illi argumentantur: Qui in familia linguam primam retinente præfuit, cum linguæ dividerentur, ab eo proprium nomen, propria jam facta lingua accepit. Atqui is fuit Eber ſive Heber. R. Non fuit neceſſe ut ab eo lingua illa vocaretur, potuit enim aliud nomen, εἰς διάκρισιν, nanciſci, ut quod Adamica, Nochica, Semica &c. appellaretur, aut etiam ſi non ab homine aliquo, ab aliquo alio eventu aut diſcrimine, quemadmodum appellationum variæ cauſæ ſolent eſſe. Neceſſe cur ab Eber dici debuit, cum in Semi & Noë & Arphaxad & Sale familiis non minus quam in Eberi familia conſervata fuerit. Et illis majoribus potius debeatur honos, quam Eber qui ex iis ortus eſt. At ab illis aliter appellatæ gentes originem habent, ab Eber Hebræi ſolent derivari apud interpretes! Hic dico id errore fieri. Nam Eber non progenuit Hebræos, qui ab Abraham orti ſunt. Unde & quidam Ebræos quaſi Abraæos putant appellari. Inde aſſumunt locum Gen. 10. 21. Ubi ut nominatiſſimus è filiis Sem, tanquam gentis & linguæ ſanctæ conſervator, nominatur ſolus, quia in illo Semi ſtirps præcipuam gloriam habet. Ad hoc paulo poſt reſponſuri ſumus. Joſephi teſtimonium producunt, qui ab Eber Hebræos appellatos eos dicit: Τοῦ δὲ Ἕβερος, ἀφ' οὗ τοὺς Ἰουδαίους, Ἑβραίους ἀρχῆθεν ἐκάλουν. Cum duæ ſint appellationes gentis ſanctæ, quia Hebræi & Judæi appellantur, exiſtimat Hebræum nomen antiquius altero eſſe & ſic ab origine dictos eſſe ab illo Heber. Deinde cum cæteros Semi filios enumeraſſet, converſa narratione ad ſtirpem, è qua Abraham, ſic præfatur: ταῦτα μὲν περὶ Σήμα παίδων ἱστορείσθω, ποιήσομαι δὲ περὶ Ἑβραίων τὸν λόγον. Joſephum in ea fuiſſe ſententia novimus & multis ita ſentiendi auctorem: ſed inquirimus in rei veritatem non in ſententias interpretum. Illud etiam objicitur videri hac ratione linguam ſanctam reſediſſe in gente profana nempe Cananæa, eamque fuiſſe extra ſupplicium, cum ſoboles Dei & Semi ſupplicio ita involvatur & culpæ vanæ molitionis. Hoc ita non eſſe infrà viderimus, nunc oſtendamus argumentis Hebræum nomen aliunde eſſe & probam Theodoreti opinionem. Theodoretus: Ἐγὼ δὲ

οἶμαι ἑβραίους ὀνομασθῆναι ἐκ τοῦ τὸν πατριάρχην Ἀβραὰμ ἀπὸ τῆς χαλδαίων χώρας εἰς τὴν Παλαιστίνην τὸν εὐφράτην ποταμὸν διαβάντα. Ἕβερ γὰρ τῇ Σύρων φωνῇ ὁ περάτης ὀνομάζεται. εἰ δὲ ἐκ τοῦ ἕβερ ἑβραῖοι καλοῦνται, οὐ μόνους, ἐχρῆν τούτους οὕτω προσαγορεύεσθαι, πολλὰ γὰρ ἔθνη ἐκ τοῦ ἕβερ κατάγει τὸ γένος. καὶ ἵνα τοὺς ἄλλους πάντας παρῶ, ἐκ τούτου εἰσὶν Ἰσμαηλῖται καὶ οἱ ἀπὸ τῆς χετούρας καὶ Ἰδουμαῖοι καὶ Ἀμαληκῖται καὶ Μωαβῖται καὶ Ἀμμανῖται καὶ οἱ τὰς κάῤῥας οἰκοῦντες. ἐκ γὰρ τοῦ Ναχὼρ καὶ τοῦ Λάβαν τὸ γένος κατάγουσιν. ἀλλ' οὐδεὶς τούτων τῇ ἑβραΐδι κέχρηται φωνῇ. οὕτω δὲ καὶ αὐτὸς ὁ Ἀβραὰμ ἐκαλεῖτο. καὶ μάρτυς ἡ θεία γραφή. μετὰ γὰρ τὴν τοῦ Λὼτ αἰχμαλωσίαν, ἐλθών τις, φησὶν, ἀνήγγειλε τῷ Ἀβραὰμ τῷ περάτῃ. τοῦτο δὲ παρὰ τῷ ἑβραίῳ κείμενον εὗρον Ἕβερ. τὸ δὲ ἕβερ ἐξελληνιζόμενον ἑβραῖος γίνεται. καὶ γὰρ ἐν ἐκείνῳ τῷ χωρίῳ ἔνθα ἡ Αἰγυπτία περὶ τοῦ ἰωσὴφ εἶπε εἰσήγαγες ἡμῖν παῖδα ἑβραῖον ἐμπαίζειν ἡμῖν. παρὰ τῷ ἑβραίῳ ἕβερ κεῖται. Adjicit modeſtiæ ſignificationem: Ἀλλὰ περὶ τούτου ζυγομαχεῖν περιττόν. οὐδεὶ γὰρ τῷ λόγῳ τῆς εὐσεβείας λυμαίνεται κἄντε τοῦτο, κἄντε ἐκεῖνο δεξώμεθα. Duo argumenta habet; unum, quo adverſam ſententiam deſtruit. Si Heber linguæ & genti dediſſet nomen, etiam alii ejus poſteri, hoc ſui parentis vocabulo fuiſſent appellati. Nam multæ gentes ab eo propagatæ ſunt. Non legimus de ullo poſterorum hanc appellationem præterquam de ſolo Abrahamo. Alterum è locis ſcripturæ, quo docet ex eo originem huic populo & ſermoni veniſſe, quòd Abraham eorum parens Tranſeufratenſis origine, in Cananæam adveniſſet. Primus locus eſt Gen. XIV. 13. וַיָּבֹא הַפָּלִיט וַיַּגֵּד לְאַבְרָם הָעִבְרִי LXX: παραγενόμενος δὲ τῶν ἀνασωθέντων τις ἀπήγγειλεν Ἀβρὰμ τῷ περάτῃ. Sic Raſi τὸ עִבְרִי exponit שֶׁבָּא מֵעֵבֶר הַנָּהָר. Inquilinus erat Abraham, qui è Meſopotamia, Eufrate trajecto, Dei juſſu, ſe contulerat in Cananæam, ideo indigenis dictus eſt עִבְרִי, περάτης. Alter locus eſt in cap. 39. Ubi Joſeph bis appellatur עִבְרִי v. 14. & 17. In Græco eſt παῖς ἑβραῖος. Habetur etiam capite ſequenti v. 15. Ubi Joſeph de ſe dicit כִּי גֻנֹּב גֻּנַּבְתִּי מֵאֶרֶץ הָעִבְרִים, ὅτι κλοπῇ ἐκλάπην ἐκ γῆς ἑβραίων. Terra Hebræorum eſt Meſopotamia & quicquid ad orientem Eufratis jacet; Belgicè verterim: **Ick ben dieflijck ontſtoolen uyt Overlandt.** Locum, quem adverſæ ſententiæ homines pro ſe maximè facere putant Gen. X. 21. וּלְשֵׁם יֻלַּד גַּם הוּא אֲבִי כָּל־בְּנֵי עֵבֶר׃ Καὶ τῷ Σὴμ ἐγεννήθη, πατρὶ πάντων τῶν υἱῶν ἕβερ. Hæc verſio erroris dedit originem. Quam & Latini expreſſerunt. Arabs Meus: ولشم تولد ايضا هو ابي جميع بني عبر Similiter habet Arabs Erpenianus. Quid autem eſt בְּנֵי עֵבֶר. Non debent intelligi, ut volunt vulgò, poſteri Eber filii Sale, quia non tantum eorum pater eſt Sem: vanaque eſt ratio exemptionis, quam fingit Auguſtinus: ſed eſt pater omnium, qui trans Eufratem habitarunt. Ita Aſia flumine Eufrate dividebatur, & qui ad ortum habitabant, Cananæis Ægyptiis & Arabibus dicebantur Tranſeufratenſes id eſt בְּנֵי עֵבֶר. quemadmodum עֵבֶר הַיָּם ſignificat *regionem tranſmarinam* Deut. 30. 13. מִי יַעֲבָר לָנוּ אֶל־עֵבֶר הַיָּם. Τίς διαπεράσει ἡμῖν εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης. Ita Gen. 50. 10. בְּעֵבֶר הַיַּרְדֵּן, *In regione Tranſiordanenſi.* Et Reg. 4. 24. כִּי הוּא רֹדֶה בְּכָל־עֵבֶר הַנָּהָר מִתִּפְסַח וְעַד עַזָּה בְּכָל מַלְכֵי עֵבֶר הַנָּהָר׃ Locus hic in LXX. ſenum verſione conturbatus eſt. Vulgata: *Ipſe enim obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumen, à Thapſa uſque ad Gazam, & cunctos reges illarum regionum.* Hic ſi, ut ſolet, הַנָּהָר velis Eufratem ſignificare, diceretur Salomonem regibus trans Eufratem

fratem imperitaſſe, quod non fuit. Ideò הנהר notat flumen proxime indicatum, nempe regionis Palæſtinæ. Ita Arabiæ regulis imperabat. מַלְכֵי עֵבֶר הַנָּהָר ſunt reges, qui poſiti erant ad auſtrum ultra flumen Palæſtinæ. עֵבֶר igitur ſubſtantivè poſitum ſignificat partem ulteriorem, regionem uls flumen aut montem. Sem erat pater omnium, qui ultra Eufratem verſus ortum habitant, ut in ſequentibus exponetur. Abrahæ poſteritas dicta eſt Hebræa, quia inde oriundus erat Abram & migraverat in Palæſtinam. Dicebantur Hebræi ab exteris & inter exteros, non à ſe & domi: ut in Ægypto Joſeph, & apud nautas Joppenſes Jonas cap. 1. v. 9. *Hebræus ſuum.* Manſit autem nomen hoc ſolis Iſraëlitis, qui de Jacob deſcenderunt. Idumæi ex Eſau, Iſmaëlitæ ex Iſmaël, poſteri Ceturæ; deinde Ammonitæ & Moabitæ è Loth proſeminati hanc appellationem non poſſederunt. Rationem hanc eſſe exiſtimo, quod Abrahami domo, qui Hebræorum erat primus, reliqui exierint, & ſimul nomine. Uni ſane Iſraëlitarum genti nomen Hebræum proprium manſit ad ultimum uſque excidium & Judæi etiam hodie ſic appellantur. Non accedo ſententiæ Thomæ Erpenii Cananæos etiam Hebræos dici putantis, quia & ipſi ante diſperſionem & diviſionem linguarum ultra Euſratem habitaſſent. Nam non prima à turri origo gentes ita appellationibus cis & trans-Eufratenſium diſtinxit, ſed occupatio & firma inhabitatio, cum ſedes ſibi proprias diſtinctaſque mortales haberent. Quis unquam Cananæos aut Arabas aut Ægyptios hac appellatione affectos eſſe meminit? Quod viri eruditiſſimi abſonum eſſe putent, Abraham didiciſſe linguam ſanctam à profanis Phœnicibus, eoque aliunde apportaſſe nominis Hebræi (quo & hæc lingua eſt nominata) appellationem, dico: Non Cananæis ſolis ſed & Syriæ toti inter Eufratem & Tigrin, ultraque Tigrin prima illa lingua manſit incolumis à diſperſione & diviſione linguarum, donec temporis lapſu & commerciis immutaretur à priſtino nitore & puritate. Abrahami tempore an in Chaldæa jam immutatus ſermo fuerit, dicere non poſſum, nec, ſi immutatus, fuerit an in Abrahami familia non cuſtodita fuerit integritas ſermonis Hebræi. Purum illum primumque Cananæum vocat propheta Eſajas cap. XIX. 18. Quia in Cananæa puritas illius ea tempeſtate remanſerat, poſtquam multum deſciverant Aſſyrii, Chaldæi aliique populi.

Temperamentum diviſionis linguarum.

DEus ſic puniit humanum genus varietate linguarum, ut tantum puniti ſint, qui culpæ affines turris ſtruendæ ſocii fuerunt. Supplicium enim non tranſit culpam aut culpæ commercium. Atqui Noë, Sem, familia Eber, impietati iſti non junxerunt manus operaſque. Primus igitur ſermo permanſit in iſtis familiis. Melchiſedec, quicunque tandem fuerit, è familia prodiit, incorrupti ſermonis retinente. Quia Deus diſperſionem gentium iſta confuſione procurabat, familiis totis unam linguam inſinuavit, ut uxor & maritus, item liberi & famulitium ſocietatem poſſent retinere. Quod autem putavit Auguſtinus omnium iſtorum, qui Gen. X. commemorantur, fuiſſe completas diſtinctaſque familias & tot linguas extitiſſe populoſque quot ibi hominum ſtirpes, id neutiquam probari poteſt, quemadmodum & ipſe concedit Phalec ſub Patris fuiſſe lingua & familia ſive populo. Nec diviſi familiis, diviſi linguis fuerunt,

runt, quia Deus alienavit illos potiſſimum ſermone, quos longius voluit diſpergere. Exiſtimaverunt illi veteres illa dicta Moſis Gen. cap. X. v. 5. 20. 31. definitionem linguarum innuere. Ut hoc: *Ab his diviſi ſunt populi*: לְמִשְׁפְּחֹתָם לִלְשֹׁנֹתָם: quaſi ſignificetur quot familiæ fuerint, tot linguas definitè exſtitiſſe. Iterum cum dicitur אִישׁ לִלְשֹׁנוֹ, quod id notet, unumquemque virum linguam peculiarem obtinuiſſe. Id ſane iſtarum enuntiationum & phraſium vi non comprehenditur. Sic etiam res diſpenſata eſt, ut non omninò priſca illa lingua fuerit abolita in novis ex confuſione ortis: ut per longos terrarum tractus una diffuſa ſit per multiplicationem fœcundiorem, quæ diſſeminatio dialectorum ſuperadjecit varietatem, uti & longum tempus & bella & commiſtiones. Sic igitur *μέροπες ἄνθρωποι*, ut eſt apud Homerum. Ad quam vocem Euſtathius: *οἱ μῦθοι τῆς ἡμετέρας αὐλῆς μέροπας τοὺς ἀνθρώπους ἐπικληθῆναί φασιν ἀπὸ τοῦ μερισμοῦ τῆς ὀπὸς, ὃν ἔπαθον μετὰ τὸν τῆς χαλάνης πύργον, διαμερισθέντες ἁπανταχοῦ γῆς.* Exiſtimat Cl. Hornius ante hanc confuſionem linguarum & ex ea diviſionem gentium, fuiſſe priorem diviſionem. *Legitur, etiam* inquit, *ante ſtructam turrim, per contiguas regiones longe lateque diſperſos fuiſſe, quæ ſententia Sulpicii noſtri eſt. Hæc prima orbis poſt diluvium diviſio. Et in hac Aſſyria, Babylonia, Syria, Cananæa habitatæ ſunt. Quod exinde patet, quia cum diverſa origine eſſent ex Semo & Chamo, omnes tamen primitivam linguam Hebræam retinuerunt: Non ergò inter turris conditores fuerunt: ſed illæ gentes, quarum linguæ in totum ab Hebræa aliæ ſunt ut Ægyptii & omnes Japhetæi.* Non poſſumus eam Cl. viri & Sulpicii ſententiam reprehendere, ſed non probatur (ut putat) Joſephi verbis, quæ manifeſtè tantum unam emigrationem ex Armenia agnoſcunt.

Gen. Cap. X.

SED FILIIS NOE ITA DIVISUS ORBIS FUIT] Inter hos tres filios Noë ſeu eorum poſteros fuiſſe orbem diviſum ſcriptura diſerte teſtatur. In capite decimo, poſtquam diſtinctim eſſent commemoratæ ſtirpes trium filiorum Noë, primo Japhet, deinde Cham, ultimò Sem, additur in fine: *Hæ familiæ Noë, juxta populos & nationes ſuas. Ab his diviſæ ſunt gentes in terra poſt diluvium.* Duo notanda primo loco ſunt: Anne caſu an conſilio diſtributio facta fuerit: Anne Noë præter hos tres filios & alios genuerit, quibus etiam terræ portionem aſſignavit?

Anne caſu an conſilio inter filios Noë ſit diviſus orbis terrarum?

C*Aſu hoc accidit*, inquit Druſius, *non deliberato conſilio.* Nam cum *alius alium non intelligeret, qui potuiſſent de orbis diviſione inter ſe deliberare?* Joſephus: *Σκίδνανται δὲ τὸ λοιπὸν ἐντεῦθεν διὰ τῆς ἀλλογλωσσίας τὰς ἀποικίας ποιησάμενοι πανταχοῦ, καὶ γῆν ἕκαστος κατελάμβανε τὴν ἐντυγχάνουσαν καὶ εἰς ἣν αὐτοὺς ἦγεν ὁ θεός.* Cum alter alterum ut alienigenam relinqueret, quo caſus & Deus ferebant ſe contulerunt. Scilicet illi turris Babylonicæ conditores. Putat autem Joſephus omnes omnino mortales, poſtquam è montibus Armeniæ in campeſtria proceſſiſſent, mox in campum Sennaar ſe contuliſſe. *ὡς πληρωθῆναι* (ſubjicit) *πᾶσαν αὐτῶν ἤπειρον μεσόγαιόν τε καὶ παράλιον. εἰσὶ δὲ οἳ καὶ περαιωσάμενοι ναυσὶ τὰς νήσους κατῴκησαν.* Nos arbitramur ita factum eſſe, ut Semi poſteritas circa Noë manſerit, quia maximus erat natu, Japhet & Cham

Cham aliò conceſſiſſe. Noë igitur, cum Semi poſteris orientalem Aſiam, ultra Eufratem & Tigrin tenuit. Ab iis aliò verſus auſtrum & ſeptentrionem Chami & Japheti poſteri ſe contulerunt: quælibet familia, quo Deus & caſus ferebant. Noë poſteris ſuis partitum eſſe orbem fabulatur Pſeudoberoſus ſecutus alios, qui prius id docuerant. Fuit enim vetus traditio, quod Noë κατὰ χρησμὸν diviſionem fecerit. Τῷ βφοβ' [2572] ἑπτακοσιοστῷ τριακοστῷ ἔτει τοῦ Νῶε, κατὰ θειονδηλονότι χρησμὸν, ἐμέρισε Νῶε τοῖς τρισὶν υἱοῖς αὐτοῦ τὴν γῆν οὕτω. Σὴμ τῷ πρωτοτόκῳ αὐτοῦ υἱῷ ἄγοντι τετρακοσιοστὸν τριακοστὸν πρῶτον, ἔδωκεν &c. Hæc è Cedreno, quæ eadem cum illis quæ ſequuntur, apud Euſebium habes. De illa diviſione è Pſeudoberoſo Aventinus ita: *Cum itaque Armenia oppleta eſſet hominibus, anno centeſimo primo (idquod & Moſes tradit, ſi diligentius conſulueris hoc anno Peleg natus eſt Hebro) poſtea quam genus humanum in Armenia reparatum fuit, diviſit ipſe Noas terram, ſervatis antiquis nominibus (uti antè diluvium fuerat aquarum) in partes tres, Aſiam, Europam, Africam: & has filiis vectus navi circum litora oſtendit, in regna diſpertitur, principes & colonos deſignat atque conſcribit.*

An alios etiam filios genuerit Noë.

AN præter tres filios, Sem, Cham, Japheth qui centum ferè annis ante diluvium geniti ſunt, alios quoque genuerit, quæri poſſet. Expreſſe dicitur, quod ab illis tribus univerſus terrarum orbis conditus fuerit. Si quos alios genuerit, illi in partem hæreditatis venire debuerunt. Quæris annon potuerit genuiſſe filias, quæ non capiebant de hæreditate? Non potuit gignere filias, quia collocare nemini poterat, niſi fratrum & ſororum conjugium fuiſſet revocandum. Exiſtimamus igitur nullam genuiſſe ſobolem. Unde etiam cum anni quibus vixit poſt orbem inundatum & renatum, proponuntur, non fit mentio generationis filiorum aut filiarum, uti in catalogo utroque Gen. V. & XI. de omnibus aliis patribus exprimitur. Aventinus Annalium Bojorum lib. I. è Pſeudoberoſo ſcribit Noë poſtquam arca egreſſus eſſet in Armenia urbem condidiſſe, nomine Sagalbinam, juxta Araxem amnem majoris Armeniæ. Ubi cum filiis habitare cœperit. Illic genuiſſe quartum filium, Tuiſconem nomine, cujus liberos decimo anno poſt factam orbis diviſionem, adoptaverit. Tarich Muſulmanicum vult Canaan fuiſſe quartum Noë filium, è Geneſ. IX. v. 24. cum tamen v. 18. & 22. diſerte dicatur Canaan fuiſſe Chami filium. Monſtroſiſſimum eſt, quod ſcribit Philippus Bergomas in ſupplemento chronicorum è Methodio: *Ionichum autem poſt diluvium Noë genuit filium virum, ut omnes teſtantur, ingenio eminentiſſimum, aſtronomumque peritiſſimum, qui primus omnium ſiderum curſus, ſtellarumque habitudines contemplatus eſt. Qua quidem diſciplina inter cætera, ortum pariter & occaſum quatuor regnorum principalium prævidit atque omnibus* [leg. omnes], *docuit. Cui cum pater Noë, ut Methodius martyr ſcribit, non partes inter fratres ſuos, ſed munera dediſſet, in Ajetam confeſtim ſeceſſit, ubi & regnans gentem haud parvam ſibi tandem conſtituit. Hæc enim Eliopolorum, id eſt, ſolis terra erat, ad quem nonnulli filiorum Iapheth, viri utique clariſſimi, accedentes, civitatem etiam ex ipſius nomine Ionicam extruere. Hic inter cæteros Nembroth Gigantem habuit diſcipulum, quem & quomodo ſuper genus Cham regnare poſſit, docuit. Eapropter ſemper inter Nembroth ipſum & Aſſyrios maxima viguit pax. Huic autem mortuo Coſdron ejus filius ſucceſſit, qui & ipſe genuit Subſyrſadebeth regem, qui quoad vixit, ſexaginta ſeptem evertit civitates,*

ab Eufrate fluvio uſque ad Edroezam, omnemque Indorum terram depopulatus eſt, ingreſſuſque deſertum Galba, Iſmaëlis filios ab eremo Etheruio depulit.

Narrat Aventinus ex iiſdem fabulis, Noë reverſum à diſtributione orbis terræ inter tres filios Sem, Cham, Japhet, (in qua decem annos conſumpſerat) Tuiſconis (quem in Armenia genuerat) poſteros adoptaſſe, omen haud dubiè Italiæ orbiſque potiundi. Porro ſic refert: Tuiſconem inde Noë ex Armenia in Europam mittere conſtituit: quicquid intra Rhenum & Tanaim amnes, continetur, eidem aſſignat. Inde cum Nembrothus Regnum Babyloniorum (quod idem & Aſſyriorum) condidiſſet anno poſt diluvium 170. Tuiſco Gigas pater Germanorum & Sarmatarum, cum viginti ducibus, Semi fratris ſui nepotibus ex Armenia venit in Europam: amnemqne Tanaim tranſgreſſus eſt à quo orientem verſus, ejuſdem frater Scytha priſcus tenuit. Porrò Tuiſco luſtrato longe lateque eo tractu, qui eſt inter Rhenum, Pontum Euxinum & Tanaim, omnem ambitum in regna, toparchias & tetrarchias diviſit, regulis diſtribuit, colonias ubique deduxit, regiones habitatoribus opplevit, anno regni viceſimo quinto. Poſt quæ ſubjungit Aventinus, nimiæ mentiendi fiducia aut ſtolidiſſima perſuaſione: *Haud abs re fuerit regulos* hujuſmodi Tuiſconis qui & in penetralibus ſacræ veritatis à Moſe referuntur, ordine commemorare. Hos deinde duces ordine recenſet; Sarmatam, Dacum, ſive Danum, Getam, Tibiſcum, Mœſam, Phrygum, Thinum, Dalmatam, Jaderum, Albanum, Savum, Pannonem. Iſtrum Eberi filium (Nam & huic affingunt ſobolem aliam, quam ignoravit Moſes) maximo & celebratiſſimo amni nomen dediſſe. Tuiſconis & poſterorum ætates & regna digerunt, nequid deeſſet:

Anni regni Germanici.

1 Tuiſco incipit regnare.
25 Inſtituit duces & ordinat regnum.
118 Ninus ſuccedit Belo in imperio Aſſyriorum.
121 Abraham naſcitur.
137 Noas, qui & Janus luſtrato orbe conſedit in Italiâ.
Quo anno Tuiſcon videtur vita exiiſſe. Nam non conſtant numeri. Succeſſit illi filius Mannus.
180 Noë obiit. Poſt diluvium anno 350. Trevir condit Treviros.
203 Mannus vivere deſiit, Ingævon regnat.
248 Iſtævon regnat.
301 Hermino ſive Hermion regnat.
364 Marſus regnat.
410 Gambrivius incipit regnare.
454 Suevus, rex octavus Germaniæ, incipit. A. M. C. 2280.
502 Vandalus regnat ann. 41.
543 Teuto decimus rex init regnum; Eo regnante naſcitur Moſes.
560 Alemannus Hercules, poſtremus eorum, quos Pſeudoberoſus commemorat, regum Germaniæ. Ipſo enim defuncto filii; quos genuerat complures, regnum inter ſe partiti ſunt. Ita ex uno illo Germaniæ regno multa enata ſunt. Hæ fabulæ dignæ non ſunt, quibus refutandis operam

operam inpendamus, & nec commemorari debuiſſent, niſi Sethus Calviſius, in laudatiſſimo Chronico, eorum memoriam voluiſſet conſervari. Eutychius in annalibus Alexandrinis, quos eruditus in literis ſacris & orientalibus vir, edidit cum verſione Latina, narrat arcam Noë conſediſſe: علي جبل يقال له ارارط وهو جبل الجودي بالموصل بارض ديار ربيعه في قريه يقال لها قردو تعرف اليوم بارض ثمنين وجزيرة بني عمر ✠ *Super monte, appellato Ararat, qui eſt mons Elgudi, in Mauſel, in terra Diarrabiæ, in civitate*, appellata Cordu: vocantur autem hodie, in terra Thamanin & *inſula filii Omar.* Urbem illam ثمنين ab Noë & filiis eſſe conditam, poſtquam egreſſi eſſent ex arca, juxta ſuum numerum اي نحن ثمانيه نفس, *Nos octo ſumus.* Noë tantum tres tribuit filios Eutychius, nec meminit oraculi injungentis partitionem terrarum inter filios: Diviſionem ipſum inter filios feciſſe Epiphanius non ſignificat in principio operis adverſus hæreſes, ſignificat tamen in Ancorato: ubi hanc traditionem exponit: Ἴσασι πάντες τὸν δίκαιον Νῶε λείψανον τοῦ κόσμου γεγονότα μετὰ τὸν κατακλυσμόν. ὡς οὖν παρελείφθη αὐτός τε καὶ οἱ τρεῖς αὐτοῦ υἱοί, οἷα δίκαιος ἂν καὶ τοὺς ἑαυτοῦ παῖδας εὐλαβεῖς καθιστᾶν πειρώμενος, ἵνα μὴ τοῖς αὐτοῖς ὑποπέσωσι κακοῖς ὡς καὶ οἱ ἐν τῷ κατακλυσμῷ. οὐ μόνον διὰ λόγων τούτοις τὴν εὐλάβειαν παρεῖχε, ἀλλὰ καὶ δι᾽ ὅρκου ἀφ᾽ ἑνὸς ἑκάστου αὐτῶν τὴν πρὸς τὸν ἀδελφὸν εὔνοιαν ἀπῄτησε. καὶ διαμερίζει μὲν ὡς κληρονόμος τοῦ κόσμου κατ᾽ ἀρχὰς ὑπὸ τοῦ θεοῦ, τοῖς τρισὶν υἱοῖς αὐτοῦ τὸν πάντα κόσμον ὑπὸ κλήρους διελὼν, καὶ ἑκάστῳ μερίδα κατὰ κλῆρον ἑκάστῳ ἀπονείμας. καὶ τῷ μὲν Σὴμ τῷ πρωτοτόκῳ &c.

An LXXII. patriarchæ fuerint, è quibus tot gentes & linguæ?

FUit illa vetus & vulgata opinio LXXII. nationes & linguas è tot patriarchis prognatas & proſeminatas eſſe. Exiſtimabant ante confuſionem linguarum & gentium diſperſionem familias exſtitiſſe LXXII. Hinc eveniſſe ut fuerint natæ totidem linguæ. Japeto dicunt fuiſſe filios ac nepotes quindecim; Chamo 32; Semo 25. Ita Epiphanius. Si non curatè computes invenies ſeptuaginta tres, ſecundum Auguſtinum. *In ſumma igitur omnes progeniti de tribus filiis Noë id eſt quindecim de Iaphet & triginta unus de Cham & viginti ſeptem de Cham ſiunt ſeptuaginta tres. Deinde ſequitur ſcriptura dicens: Hi filii Sem in tribubus ſuis ſecundum linguas ſuas, in regionibus ſuis & in gentibus ſuis. Itemque de omnibus: Iſtæ inquit, tribus filiorum Noë ſecundum generationes eorum, ſecundum gentes eorum. Ab his diſperſæ ſunt inſulæ gentium ſuper terram poſt diluvium. Vnde colligitur ſeptuaginta tres, vel potius, quod poſteà demonſtrabitur, ſeptuaginta duas gentes tunc fuiſſe non homines. Nam & prius cum fuiſſent commemorati filii Phalec, ita concluſum eſt: Ex his ſegregatæ ſunt inſulæ gentium, in terra ſua, unuſquiſque ſecundum linguam ſuam in tribubus ſuis & in gentibus ſuis. Iam vero in filiis Cham, quodam loco apertius gentes commemoratæ ſunt, ſicut ſuperius oſtendi. Miſraim genuit eos, qui dicuntur Ludim & eodem modo cætera uſque ad ſeptem gentes. Et enumeratis omnibus poſteà concludens: Hi filii Cham, inquit, in tribubus ſuis, ſecundum linguas ſuas in regionibus ſuis & in gentibus ſuis. Propterea ergò multorum filii non ſunt commemorati: quia gentibus aliis naſcendo acceſſerunt, ipſi autem gentes facere nequiverunt. Nam qua alia cauſa, cum filii Iaphet octo enumerentur, ex duobus eorum tantum filii nati commemorantur: & cum filii Cham quatuor nominentur ex tribus tantum qui nati ſunt, adjiciuntur: & cum filii Sem nominen-*

nominentur ſex, duorum tantum poſteritas attexitur: nunquid cæteri ſine filiis remanſerunt? Abſit hoc credere: ſed gentes propter quas commemorari digni eſſent non utique fecerunt, quia ſicut naſcebantur, aliis gentibus addebantur. Sic Auguſtinus, qui, ut ſupra intelleximus aut Nemrod, aut Phalec non compatari inter patriarchas putat. Præter & ob illa, quæ ſupra diſputavimus placet nobis, quod ſcribit Cl. Bochartus: *Linguas tot fuiſſe non puto, quot homines. Sic enim periiſſet omnis hominum ſocietas, nec pater potuiſſet filium nec vir uxorem convenire, nec ulla coaluiſſet civitas, imò nec domus. Quod in certiſſimam humani generis perniciem ceſſiſſet. Itaque veriſimile eſt ſingulas familias linguam habuiſſe peculiarem, aut iis familiis communem fuiſſe dialectum, quas in ſecutura diſperſione Deus voluit in unam coloniam coaleſcere. De cætero linguarum numerus, quæ ex illa confuſione natæ ſunt, haudquaquam poteſt definiri.* Sic ille. Nec familiæ nec linguæ definiri poſſunt, quæ ab illa turri, prodierunt. Græci & Latini numerant patriarchas & linguas ſeptuaginta duas. Nam Hebræo textui addiderunt Eliſam & Cainanem. Etſi alteruter excludatur, putant tamen conſtare numerum. Hebræi quia duos illos non habent, ſeptuaginta numerant rotundo numero. Ideò unicuique genti & linguæ ſuum præficiunt angelum. Proponamus conjunctim, quæ ad defenſionem iſtius ſententiæ proponi poſſe videantur. Primo loco dicatur conſenſum fermè eſſe Græcorum Latinorumque. Sic Clemens lib. I. Stromatum: Φαίνονται δὲ εἶναι καὶ κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον αἱ γενικαὶ διάλεκτοι, δύο καὶ ἑβδομήκοντα ὡς αἱ ἡμέτεραι παραδιδόασι γραφαί. Nempe argumentum ſumit ex cap. X. Geneſeos. Euſebius, lib. I. Chronic. Νυνὶ δὲ ἐπανέλθωμεν πάλιν ἐπὶ τὴν πυργοποιίαν καὶ τὴν σύγχυσιν τῶν οβ ἐθνῶν καὶ γλωσσῶν αἳ συνεχύθησαν. Inde enumerat ordine è Sem XXVII: è Cham 31. è Japhet XV. Epiphanius adverſus hæreſes lib. I. Πέμπτη τοίνυν γενεὰ μετὰ τὸν κατακλυσμὸν, πληθυνόντων ἄρτι τῶν ἀνθρώπων ἀπὸ τῶν τριῶν υἱῶν τοῦ Νῶε κατὰ διαδοχὴν τῶν παίδων παῖδες γεγόνασιν ἑβδομηκονταδύο τὸν ἀριθμὸν, ἐν κόσμῳ ἀρχηγέται καὶ κεφαλαιῶται. Hos omnes in campum Sennaar delatos, & turrim molitos puniit Deus: διεσκέδασε γὰρ αὐτῶν τὰς γλώσσας καὶ ἀπὸ μιᾶς εἰς ἑβδομηκονταδύο διένειμε κατὰ τὸν τότε ἀνδρῶν ἀριθμὸν εὑρεθέντα. ὅθεν καὶ μέροπες οὗτοι κέκληνται διὰ τὴν μεμερισμένην τὴν φωνήν. In hæreſi 39. quæ eſt Sethianorum: ἦσαν δὲ κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν, ὡς ἤδη ἐν ταῖς προτέραις αἱρέσεσι διηγησάμην κατὰ τὸν εἱρμὸν τῶν ἄνω μοι γενεῶν πραγματευθεισῶν, οἱ πάντες ἑβδομηκονταδύο ἄνδρες τὸν ἀριθμὸν, ἀρχηγέται καὶ κεφαλαιῶται. τοῦ μὲν Χὰμ γένους τριακονταδύο, τοῦ δὲ Ἴαφεθ δεκαπέντε, τοῦ δὲ Σὴμ εἰκοσιπέντε [ſic debet legi] καὶ οὕτως ὁ πύργος καὶ ἡ Βαβυλὼν ἐγένετο. ἐκ τούτων διεσπάρησαν ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν φυλαί τε καὶ γλῶσσαι. καὶ ἐπείπερ οἱ ἑβδομηκονταδύο τότε τὸν πύργον οἰκοδομοῦντες ταῖς γλώσσαις διεσκεδάσθησαν συγχυθέντες, καὶ ἀπὸ μιᾶς, ἧς ᾔδεισαν, ἐμπνευσθέντες ἐκ βουλήσεως ἄλλος ἄλλην ἐσχήκασιν. ἐξ ὧνπερ καὶ μέχρι δεῦρο ἡ σύστασις τῶν λαλιῶν ἐνέστηκεν. ὥστε βουλομένῳ ἔνεστιν εὑρεῖν ἀρχηγὸν ἑκάστης γλώσσης. Inter Latinos ex Auguſtino (quem audivimus) Proſper Aquitanus de vocatione gentium lib. 2. cap. 14. *Iam vero procurrente humanæ propagationis argumento, cum ipſa mortalium numeroſitas de ſuis multiplicationibus ſuperbiret* & ſecundum elationis ſuæ altitudinem cælo cuperet molem immodicæ inſtructionis inſerere, quam mirabilis ergà cohibendam hanc inſolentiam fuit divinæ cenſura juſtitiæ? Quæ unam illorum populorum loquelam notis ſibi invicem ſignificationibus conſonantem, ſeptuaginta & duarum linguarum varietate confudit & [leg. ut] inter diſſonas voces operantium pereunte concordia, inſanæ molitionis machina ſolveretur & habitando orbi terrarum daret incolas malæ congregationis opportuna *diſperſio*. Sic multi alii: ut ab

ut ab Auguſtino omnes id arripuerunt. Hieronymus & idem ſenſit, ut infrà patebit. Conſenſum autem illum non ulterius poſſe procedere exiſtimem, quam liquide contrarium oſtendatur & fundamentum, quo ſtat, ſubvertatur.

Alterum argumentum ſumi poteſt à conſonantia Hebræorum, qui etiam fingunt pro ſeptuaginta gentibus & linguis totidem angelos, qui præeſſent, eſſe conſtitutos. R. Manahem in Gen. XLVI. 27. *Septuaginta animæ ſignificant ſeptuaginta angelos, qui circumſtant thronum gloriæ & conſtituti ſunt ſuper gentes.* Jonathan in Paraphraſi Gen. XI. 7. 8. *Dixit Deus angelis, qui ſtant coram eo, Venite nunc & deſcendamus & miſceamus linguas eorum, ut non intelligat vir linguam ſocii ſui. Et apparuit verbum Domini ſuper urbem & cum eo ſeptuaginta angeli juxta ſeptuaginta gentes, quarum unaquæque linguam habet & ſcripturam propriam & inde diſperſerunt eas ſupra* faciem omnis terræ in LXX. linguas; ita ut unus non noſſet quid diceret ſocius ſuus & ſe mutuo interficerent. In Cantic. IV. 10. מה טבו דדיך מיין, Chaldæus reddidit כמה טבן עלי בבתיך יתיר משבעין אומיא. Nempe pro יין *vinum*, reddit שִׁבְעִין אוּמַיָּא per Gematriam: י 10: י 10: ן 50: invenics 70. In Eſther cap. 11. v. 22. ſcribit ſacer textus: ויודע הדבר למרדכי, *Et innotuit res Mardochæo*, addit Chaldæus: על דהוא חכים למללא בשבעין לישנא, qui poterat loqui ſeptuaginta linguis. Hanc nempe cauſam fuiſſe, qua innotuerit ei conjunctio; quod omnium populorum calleret ſermones, inde ſcilicet cum exiſtimarent ſe ignoto ſermone colloqui, detecti ſunt Mardochæo. Sic è Gemaræ Sanhedrin Cap. I. adducitur, quod judices nulli in Synedrium legi debeant, niſi periti LXX. linguarum. Ita ſeptuaginta illi numerant, excluſis Eliſa & Cainan, quos in v. 2. & 24. capitis X. Græci addiderunt Hebræo textui. Eodem igitur tibicine, cum Latinorum & Græcorum patrum ſententia, nititur Hebræorum opinio, nempe quaſi Moſes velit tot fuiſſe familias & linguas, quot nomina poſterorum è tribus filiis Noë enumeravit.

Tertium argumentum, quia LXX. animæ, alii LXXV. in Ægyptum ingreſſæ ſunt cum Jacob patriarcha. Nam tot fuiſſe nationes quot animæ ſingulares de Jacob Ægyptum introïerunt. Quia dicitur Deut. 32. 8. *Cum altiſſimus gentibus diſtribueret hæreditatem & ſepararet filios Adam, conſtituit terminos populorum juxta numerum filiorum Iſrael.* Eum verſum interpretatur Raſi: כשהנחיל הקבה" למכעיסיו את חלק נחלתן הציפם ושטפם: בהפרידו בני אדם' כשהפיץ דור הפלגה היה בידו להעבירם מן העולם ולא עשה כן אלא יצב גבולות עמים קיימים ולא אבדם: למספר בני ישראל בשביל מספר בני ישראל שעתידין לצאת מבני שם ולמספר שבעים נפש של בני ישראל שירדו למצרים הציב גבולות עמים' שבעים לשון: Quia ſeptuaginta futuri erant Iſraëlitæ, deſcendentes in Ægyptum, voluit Deus ut ſeptuaginta nationes & populi ſecundum linguas ſuas eſſent, cum diſpergeret Babylonicam coïtionem. E Jonathane citatur iſte locus: *Cum diviſit excelſus mundum, populis, qui exierunt ex filiis Noê, cum principibus populorum, cum quibus apparuit ad videndum urbem; eo tempore conſtituit terminos populorum ſecundum numerum ſeptuaginta animarum Iſraëlis, quæ in Ægyptum deſcenderunt.* LXX. ὅτε διεμέριζεν ὁ ὕψιστος ἔθνη, ὡς διέσπειρεν υἱοὺς Ἀδὰμ ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατ' ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ. Videntur legiſſe בני אל pro בני ישראל. Sed ſive hoc ſive illo modo legas, ſenſus is fuit juxta antiquos interpretes; quod ſeptuaginta angeli præſides gentium & ſeptuaginta linguæ fuerint, ut filii Iſraël,

N cum

cum in Ægyptum deſcenderent. LXXV. legitur tamen in verſione τῶν ὁ, ubi de animalibus agitur Iſraëlitarum, quæ in Ægyptum advenerunt. Hinc apud Clementem eſt: Ἔυφορος δὲ καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν ἱστορικῶν καὶ ἔθνη καὶ γλώσσας πέντε καὶ ἑβδομήκοντα λέγουσιν εἶναι, ἐπακούσαντες τῆς φωνῆς Μοϋσέως λεγούσης. ἦσαν δὲ πᾶσαι αἱ ψυχαὶ ἐξ Ἰακὼβ πέντε καὶ ἑβδομήκοντα αἱ εἰς Αἴγυπτον κατελθοῦσαι. Hanc ſententiam non recipit Clemens, quia LXXII. tantum ἀρχηγοὶ inveniantur in Græco textu decimi capitis Geneſeos. Lyranus in illum locum Deuternomii: Quando dividebat altiſſ. gentes, *ſc. in confuſione linguarum*: quia per hoc diviſæ ſunt gentes & diffuſæ per mundum. Conſtituit terminos populorum: *qui diſtincti ſunt ſecundum LXX. linguas.* Juxta numerum filiorum Iſraël: *qui ingreſſi ſunt Ægyptum cum Iacob, qui fuerunt ſeptuaginta: ut habetur Gen. 46. ubi dicitur: Omnes animæ domus Iacob, quæ ingreſſæ ſunt Ægyptum, fuere LXX: & ſecundum hoc ſunt 70. populi diſtincti ſecundum diverſas linguas ſeu idiomata. Tranſlatio LXX. habet; juxta numerum filiorum Dei, per quos aliqui intelligunt angelos: ita quod ſecundum eos tot ſalvabantur homines, quot remanſerunt angeli boni: vel tot homines, quot ſunt angeli ſtantes & cadentes, ut dicunt aliqui: & ſecundum hoc dicitur hic:* Conſtituit terminos populorum. *Determinatur numerus electorum.* Origines hom. XI. in Numeros: *Sed & illud quod in Geneſi ſcriptum legimus Deum ad angelos ſine dubio loquentem dicere, Venite, confundamus linguas eorum, quid aliud putandum eſt, niſi quod diverſi angeli diverſas in hominibus linguas operati ſint ac loquelas? Vt (verbi gratia) unus aliquis fuerit qui Babylonicam tunc uni homini impreſſerit linguam, alius, qui alii Ægyptiam & alius qui Græcam & ſic diverſarum gentium ipſi illi fortaſſis principes fuerint, qui & linguarum & loquelæ videbantur auctores: manſerit autem lingua per Adam primitus data, ut putamus, Hebræa in ea parte hominum, quæ non pars alicujus angeli vel principis facta eſt, ſed quæ Dei portio permanſit.* Poſtea: *Et ſicut ex initio ſeculi hujus, cum diſpergeret Deus filios Adam ſtatuit fines gentium ſecundum numerum angelorum Dei una quæque gens ſub illo angelo facta eſt: una autem fuit & electa gens Iſraël, quæ portio Domini fuit & funiculus hæreditatis ejus; ita credo & in fine hujus mundi atque in initio ſeculi alterius futurum ut iterum dividat excelſus filios Adam: & qui non potuerint ita mundi eſſe corde ut ipſum videant dominum & eſſe portio domini, videant ſanctos angelos & ſint ſecundum numerum angelorum Dei &c.* Hieronymus in cap. VI. Michææ, in illud, Surge, contende judicio adverſus montes &c. *Et judicio contende adverſus montes, quos non alios ſignificari puto quam Angelos, quibus rerum humanarum commiſſa eſt procuratio: Deuteronomii cantico in idipſum congruente: Cum divideret excelſus gentes, cum diſſeminaret filios Adam, conſtituit terminos terræ ſecundum numerum angelorum Dei: Hi ſunt adminiſtratorii ſpiritus, miſſi in miniſterium propter eos, qui hæreditatem ſalutis poſſeſſuri ſunt.* In Matth. 26. *Non indigeo duodecim Apoſtolorum auxilio, etiamſi omnes me defenderent, qui poſſum habere duodecim legiones Angelici exercitus. Vna legio apud veteres, ſex millibus complebatur hominum. Pro brevitate temporis numerum non occurrimus explicare: typos tantum dixiſſe ſufficiat. Septuaginta duo millia angelorum, in quot gentes hominum lingua diviſa eſt de duodecim legionibus fieri.* Ita argumentantur, quot linguæ tot ἀρχηγέται & gentes: quot gentes, tot gentium præſides angeli. Nam apud Danielem unicuique nationi ſuus præeſt angelus. Quartum argumentum à numero ſeptuagenario Euangeliſtarum, quos præter Apoſtolos, dominus elegit & prædicatum miſit. Quaſi pro numero linguarum & gentium eſſent conſtituti, ut apoſtoli pro duodecim Iſraëlis tribuum numero. Nos dicimus eſſe conſtitutos ad formam reip. Iſraëlis, in qua 12. φυλάρχαι & LXX. ſeniores.

res. Sed & ipſos ſeniores Iſraël vocant in firmamentum opinionis, quaſi & hi ad numerum gentium eſſent ſumpti. Cur non potius ſumptos eſſe dicemus ad numerum animarum in Ægyptum ingreſſarum?

Firmiſſimum & palmarium argumentum, eſt quia Moſes dicit, in cap. X. quod ex iſtis hominibus populi ſecundum linguas propagati ſint. At hoc non ponit, quod idem hominum & familiarum numerus fuerit cum numero linguarum. Senſus enim eſt in verbis Moſis, quod ex his nepotibus & poſteris trium Noë filiorum gentes ortæ ſint, quæ regionibus & linguis inter ſe differunt.

Ægyptii etiam totum terrarum orbem in 32. dividi ſermones aſſerebant. Horus Apollo Hieroglyphic. lib. 1. cap. 14. Οἰκουμένην δὲ γράφοντες κυνοκέφαλον ζωγραφοῦσι, ἐπειδὴ ἑβδομηκονταδύο χώρας τὰς ἀρχαίας φασὶ τῆς οἰκουμένης εἶναι, τούτους δὲ τρεφομένους ἐν τοῖς ἱεροῖς καὶ ἐπιμελείας τυγχάνοντας οὐ καθάπερ τὰ λοιπὰ ζῶα ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ τελευτᾷ, οὕτω καὶ τούτους: ἀλλὰ μέρος αὐτῶν καθ' ἑκάστην ἡμέραν νεκρούμενον ὑπὸ τῶν ἱερέων θάπτεσθαι τοῦ λοιποῦ σώματος ἐν τῷ κατὰ φύσιν ὄντος. ἕως δ' ἂν ἑβδομήκοντα καὶ δύο πληρωθῶσιν ἡμέραι, τότε ὅλος ἀποθνήσκει.

Ego ut pauciores ſeptuaginta duabus initio extitiſſe linguas certum habeo, ita nunc longe pluribus idiomatis orbem dividi. Olim fuerunt & hodie plurimæ dialecti ſunt & tot fere quot gentes. Narrant Mithridatem duarum & viginti gentium linguas edidiciſſe, ut eos quibus imperabat ſine interprete alloqui poſſet. Val. Max. lib. 8. cap. 7. Scribit Plinius lib. 6. cap. 5. Litorum Ponti partem tenuiſſe Coraxos, urbe Colchorum dioſcuriade, juxta fluvium Anthemunta, tunc deſerta: quondam adeo clara, ut Timoſthenes in eam CCC. nationes, quæ diſſimilibus linguis uterentur, deſcendere prodiderit. Et poſteà à Romanis CXXX. interpretibus negotia ibi geſta.

Si autem Moſen accuratè contemplemur, non conſtabit numerus, quem veteres definiverunt. Eximendi enim erunt è cenſu κεφαλαιωτῶν, linguas dividentium, ut ipſi volunt. 1. Eliſa & Cainan, quos codex Hebræus ignorat. 2. Phalegi progenitores Arphaxad, Sale, Eber, qui non interfuere inſano operi. 3. Jectan cum liberis tredecim, nondum gentis. Inane enim eſt, quod Auguſtinus exiſtimat ante Phaleg eum fuiſſe natum. 4. Non omnes κεφαλαιῶται diverſi fuere ſermonis, quia omnes filii Canaan in eundem convenerunt. Etiam Aram & Aſſur & Chus, qui Arabiam Syriamque tenuerunt, cum filiis ſuis eundem illum primum ſermonem conſervarunt. Eandem inter ſe linguam habuerunt filii Javan, Græcorum ἀρχηγέτου primi. Fortaſſis & filii Gomer eadem lingua divinitus conjuncti ſunt. Vide nunc & ſupputa, qui relinquantur. Filii Japhet relinquuntur, qui ſeptem numero fuerunt. Omnes inter ſe diſtincti ſermonibus, quia vaſtiſſima terrarum ſpatia occupare debuerunt. E filiis Cham Miſtraim & Put: è filiis Sem Elam & Lud. Si non & Lud ſit conjungendus cum alio quodam cæterorum. Vix igitur ſupererunt linguæ quatuordecim.

De partibus ſive ſortibus, quas obtinuerunt poſteri trium filiorum Noë, eorumque propagatione.

Veteribus placet orbem terræ diviſum eſſe à Noë inter filios, in quam opinionem communi conſenſu itum ſic eſt, ut Philaſtrius hæreſin eſſe pronuntiet aliter ſentire. Sic enim ſcribit hæreſi 70. *Sunt quidam hæretici, qui de diviſione orbis terræ & portione habitationis rectè non ſentiant: diſputantes, quod Græci cæperint aut Ægyptii aut Perſæ deſcribere orbem terræ univerſum, non beatus* Noë filiis ſuis tribus poſt diluvium diviſerit dederit, ac definierit & partierit ordine. Sed rectè de ipſo Bellarminus obſervat, *multa à Philaſtrio inter hæreſes numerare, quæ verè hæreſes non ſunt, proinde cum prudentia legendum eſſe.* Partitionem illam Euſebius & Epiphanius aſſerunt: ſed diverſimodè. Nam ſortium non meminit Euſebius, quas narrat Epiphanius. Deinde addit & Epiphanius locum, ubi ſortitio & diviſio facta fuerit. Sic enim ſcribit in hæreſi Manichæorum: Νῶε γὰρ σωθεὶς ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ, καὶ ἡ αὐτοῦ σύμβιος σὺν τοῖς τρισὶν υἱοῖς αὐτοῦ καὶ τρισὶ νύμφαις. μόνος διαμερίζων τὸν πάντα κόσμον, τοῖς τρισὶν υἱοῖς αὐτοῦ, τῷ Σὴμ, καὶ Χὰμ καὶ Ἰάφετ διεῖλε, βαλὼν τοὺς κλήρους ἐν Ῥινοκορούροις, ὡς καὶ ἡ ἀκολουθία ἔχει καὶ οὐδεὶ κενόφατον οὐδὲ παρεπεποιημένον. Ῥινοκόρουρα γὰρ ἑρμηνεύεται Νεέλ. καὶ οὕτω φύσει οἱ ἐπιχώριοι αὐτὴν καλοῦσιν, ἀπὸ δὲ τῆς ἑβραΐδος ἑρμηνεύεται κλῆροι. Ἐπειδήπερ ὁ Νῶε ἐκεῖ ἔβαλε τοὺς κλήρους τοῖς τρισὶν υἱοῖς αὐτοῦ. Opinionis hujus originem eſſe puto, quod Rhinocorura diſterminent inter antiquas portiones Sem & Cham, juxta ſententiam veterum. Volunt enim Canaan invaſiſſe portionem Semi & hanc eſſe cauſam, quod Iſraëlitas poſteros Semi Deus induxerit in hanc regionem, veluti hactenus injuſtè poſſeſſam à Cananæis. Apud Rhinocorura fluvius Ægypti, נחל מצרים, in mare exibat, qui terminus erat inter Ægyptum & Palæſtinam. LXX. Eſai. 27. 12. pro torrente Ægypti tranſtulerunt Rhinocoruram, non tam verba quam ſenſum ſcripturarum exprimentes, ut Hieronymus loquitur. Ideo putavit Epiphanius oppidum iſtud ab indigenis נחל fuiſſe appellatum. quod alludit ad Hebræam vocem quæ hæreditatis & ſortis habet notionem. Cum igitur locus ſit in termino duarum portionum poſitus & nomen ſortis convenire videatur, hinc putarunt, ibi à Noë ſuis filiis diviſum eſſe orbem terrarum. Epiphanius ſortitione facta, mox adactos eſſe filios in juramentum, alterum alterius ſortem non eſſe invaſurum quod Euſebius factum eſſe dicit à morituro. Epiphanius ita: Ὅτι οὕτως διῃρέθησαν οἱ κλῆροι, συγκαλεσάμενος Νῶε τοὺς τρεῖς υἱοὺς, ὥρισεν αὐτῶν ὅρκῳ, ἵνα μηδεὶς ἐπιβῇ τῷ κλήρῳ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ καὶ πλεονεκτήσῃ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ. Χαναὰν δὲ πλεονέκτης ὢν, ὁ υἱὸς τοῦ Χὰμ ἐπῆλθε τῇ Παλαιστινῶν γῇ καὶ κατέσχεν αὐτὴν καὶ ἐπεκλήθη ἡ γῆ Χαναὰν, διότι ἐν αὐτῇ κατῴκησε καταλείψας τὸν ἴδιον κλῆρον, διὸ τὸ δοκεῖν εἶναι Χαναανίτας καὶ καθίσας ἐν τῇ γῇ τοῦ Σημ, τῇ νῦν καλουμένῃ Ἰουδαίᾳ, ἐγέννησε τοὺς υἱοὺς τούτους &c. Vult igitur Canaan tranſiiſſe in eam partem antequam gigneret. Scriptura autem Canaan excidiſſe ea ſorte dicit ob ſcelera ſua, & Deum eam terram gratis dediſſe Iſraëlitis.

Sed Filiis Noe Ita Divisus Orbis Fuit, Ut Sem Intra Orientem, Japheth Occidentem, Cham Mediis Conti-

Continineretur] Inſpiciamus & conſideremus *μερισμὸν τῆς γῆς*, ut eſt apud Euſebium, eumque conferamus cum Joſepho, Epiphanio, Hieronimo.

Τῷ βφοϐ ἔτει τοῦ κόσμου ἑξακοσιοστῷ ἔτει τοῦ Νῶε κατὰ θεῖον δηλονότι χρησμὸν, ἐμέρισε Νῶε τοῖς τρισὶν υἱοῖς αὐτοῦ τὴν γῆν οὕτω: Σὴμ τῷ πρωτοτόκῳ αὐτοῦ υἱῷ ἄγοντι ἔτος τετρακοσιοστὸν τριακοστὸν πρῶτον ἔδωκε ἀπὸ Περσίδος καὶ Βάκτρων ἕως Ἰνδικῆς μῆκος, πλάτος δὲ ἀπὸ Ἰνδικῆς ἕως Ῥινοκορούρων τῆς Αἰγύπτου, ἤτοι τὰ ἀπὸ ἀνατολῆς, ἕως μέρος τῆς μεσημβρίας τήν τε Συρίαν, ἣ καὶ Ἰουδαία καλεῖται (καὶ γὰρ καὶ οἱ παλαιοὶ Σύροι τοὺς παλαιστίνους ὠνόμαζον) καὶ Μηδίαν καὶ ποταμὸν διορίζοντα αὐτοῦ τὰ ὅρια τὸν Εὐφράτην. Χὰμ δὲ τῷ δευτέρῳ αὐτοῦ υἱῷ ἄγοντι ἔτος ʹυχξ ἔδωκε τὴν πρὸς Νότον καὶ Λίβα, καὶ μέρος τῆς δύσεως ἀπὸ Ῥινοκορούρων τῆς Αἰγύπτου, Αἰθιοπίαν καὶ Αἴγυπτον καὶ Λιβύην, Ἀφρικὴν καὶ Μαυριτανίαν, ἕως Ἡρακλείων στηλῶν, ἤτοι ἕως τοῦ δυτικοῦ Λιβυκοῦ ὠκεανοῦ, ποταμὸν δὲ διορίζοντα τὸν Νεῖλον, ὃς καὶ Γεὼν καὶ Χρυσοῤῥόας λέγεται. Ἰάφεθ δὲ τῷ τρίτῳ αὐτοῦ υἱῷ ἄγοντι ἔτος ʹυκε, ἀπὸ Μηδίας, τὰ πρὸς ἄρκτον καὶ δυσμὰς, ἕως Γαδείρων καὶ Βρεταννικῶν νήσων, Ἀρμενίαν, Ἰβηρίαν, Κόντον, Χόλχους καὶ τὰς κατόπιν χώρας καὶ νήσους, ἕως Ἰταλίας καὶ Γαλλιῶν Ἱσπανίας τε καὶ Κελτιβηρίας τε καὶ Λυσιτανῶν. οὕτω μερίσας καὶ ἐγγράφως διαθέμενος, ὥς φασιν, ἐπαναγνούς τε αὐτοῖς τὴν διαθήκην ἐσφραγίσατο παρ' ἑαυτῷ κατέχων ἕως τοῦ β φ γ ϐ ἔτους ἀπὸ Ἀδὰμ ἐν ᾧ ἐκοιμήθη. μέλλων δὲ τελευτᾶν ἐνετείλατο τρισὶν υἱοῖς αὐτοῦ, μηδένα ἐπελθεῖν τοῖς ἀδελφοῦ ὁρίοις, καὶ ἀτάκτως ἐπεχθῆναι πρὸς τὸν ἕτερον, ὡς τούτου γενησομένου αἰτίου στάσεως αὐτοῖς καὶ πολέμων τῶν πρὸς ἀλλήλους. τὴν δὲ διαθήκην αὐτοῦ δέδωκε τῷ Σημ ὡς πρωτοτόκῳ υἱῷ καὶ θεοφιλεστέρῳ. ὃς καὶ τὴν ἡγεμονίαν διεδέξατο μετ' αὐτὸν καὶ τὰς ἐξαιρέτους τῶν παρ' αὐτοῦ εὐλογιῶν ἐκληρώσατο ὡς ἐν τῇ γενέσει φέρεται.

Ἐν δὲ τῷ ϐ ψ ϟ α ἔτει τοῦ κόσμου, ἤτοι μετὰ διακόσια ἔτη τῆς τελευτῆς Νῶε, νεωτερίσας ὁ τοῦ Χὰμ υἱὸς Χαναὰν ἐπέβη ὁρίοις τοῦ Σὴμ καὶ κατῴκησεν ἐκεῖ παραβὰς τὴν ἐντολὴν Νῶε, σὺν τοῖς ἐξ αὐτοῦ γενομένοις ἔθνεσιν ἑπτὰ Ἀμοῤῥαίοις, Φερεζαίοις, Εὐαίοις, Γεργεσαίοις, Ἰεβουσαίοις καὶ Χαναναίοις, οὓς διὰ Μωσέως καὶ Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ ἐξωλόθρευσεν ὁ θεὸς καὶ κατά τινας καιροὺς διὰ τῶν κριτῶν ἀπέδωκε τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ τὴν πατρῴαν γῆν, δίκαιος καὶ ἐν τούτῳ φανεὶς θεὸς, ὡς ἐκ τοῦ Σὴμ καταγομένοις διὰ γενεῶν λη, ἐτῶν χιλίων ἑξακοσίων ὀγδοήκοντα ἑπτὰ ὃ καὶ ἔφθασεν εἰς τὸ τετρακισχιλιοστὸν ἑβδομηκοστὸν ὄγδοον ἔτος τῷ ʹκγ τῆς βασιλείας Σολομῶντος, καθ' ὃν ἐνεκαίνισεν τὸν ὑπ' αὐτοῦ κτισθέντα πολυτελῆ ναὸν, θύσας τῷ πατρῴῳ θεῷ λαμπρῶς. περὶ ὧν ἐν τοῖς ἰδίοις ἑκάστης τῶν αὐτῶν ʹλη γενεῶν κατὰ τὸ ἐγχωροῦν στοιχειώδει ἐπιτομῇ σὺν θεῷ λεχθήσεται. Νῦν δὲ ἐπανέλθωμεν πάλιν πυργοποιΐαν καὶ τὴν σύγχυσιν τῶν ʹοβ ἐθνῶν καὶ γλωσσῶν, αἳ συνεχύθησαν καὶ εἴπωμεν ἃ τοῖς πολλοῖς τῶν ἱστορικῶν παρεύρηται, ποῖα καὶ πόσα ἔθνη ἑκάστῳ τῶν γ υἱῶν τοῦ Νῶε ἔλαχεν ἐκ τῶν διασπαρέντων ʹοβ ἐθνῶν. χρὴ δὲ ἀναμνησθῆναι τῶν προλεχθέντων ἀνωτέρω, ὅτι ἀρξάμενοι τῷ καθολικῷ β ψ λ ϛ ἔτει οἰκοδομεῖν τὸν πύργον, ὅπερ ἦν τῆς ζωῆς τοῦ Σὴμ φϟδ' τοῦ δὲ υἱοῦ Ἀρφαξαδ υϟγ, καὶ τοῦ υἱοῦ Καϊνᾶν ʹτνη καὶ τοῦ Σαλὰ ʹσλ καὶ τοῦ Ἕβερ ϟθ, ἔμειναν οἰκοδομοῦντες ἐπὶ ἔτη ʹμ ἕως τοῦ κοσμικοῦ ʹβψοϛ. ἐν τούτῳ γὰρ τῷ ἔτει διεσπάρησαν ὑπὸ τοῦ θεοῦ εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην οὕτως.

Ἐκ τοῦ Σημ τοῦ πρωτοτόκου Νῶε ἔθνη ʹκε οὕτως.

ʹα Ἀρφαξὰδ,	ἀφ' οὗ Χαλδαῖοι.	ʹβ Αἰλὰμ,	ἀφ' οὗ Ἐλυμαῖοι.		
ʹγ Ἀσοὺρ,	ἀφ' οὗ Ἀσσύριοι.	ʹδ Λοὺδ,	ἀφ' οὗ Λυδοί.		
ʹε Ἀρὰμ,	ἀφ' οὗ Σύροι.				

υἱοὶ Ἀράμ.

ʹϛ Ὢς	ἀφ' οὗ Τραχωνῖται.	ʹζ Οὐλ,	ἀφ' οὗ Μαγαρδοί.
ʹη Γάθερ,	ἀφ' οὗ Αρμένιοι.	ʹθ Μοσὸχ,	ἀφ' οὗ Μεσσήνιοι.

υἱοὶ Ἀρφαξὰδ.

ι	Καϊνᾶν,	ἀφ' οὗ Γασφηνοί.	ια	Σασᾶν [Σαλὰ]	ἀφ' οὗ Κοβαῖοι.
ιβ	Ἔβερ,	ἀφ' οὗ Ἑβραῖοι.	ιγ	Φάλεκ,	ἀφ' οὗ Βάκτροι.
ιδ	Ἐλμωδάμ,	ἀφ' οὗ ἰνδοί.	ιε	Ἰεκτάν,	ἀφ' οὗ Μαδιναῖοι.
ις	Ἀραβώθ,	ἀφ' οὗ Ἄραβες.	ιζ	Ἰδουράν,	ἀφ' οὗ Καμήλιοι.
ιη	Δέρα,	ἀφ' οὗ Μῆδοι.	ιθ	Ἰεζιά,	ἀφ' οὗ Ἀριαδνός.
κ	Δεκλάμ,	ἀφ' οὗ Κεδρούσιοι.	κα	Γεβὴλ,	ἀφ' οὗ Σκύθαι.
κβ	Ἀβιμεὴλ.	ἀφ' οὗ Ὑρκανοί.	κγ	Σαβὰτ,	ἀφ' οὗ Ἄραβες Ἰνδῶν.
κδ	Οὐὴρ,	ἀφ' οὗ Οὐαρναῖοι.	κε	Εὐὴν,	ἀφ' οὗ Γυμνοσοφισταί.

Οὗτοί παντες ἐκ τοῦ Σὴμ κατάγονται ὧν ἡ κατοικία ἐστὶν κατὰ μῆκος ἀπὸ βάκτρων καὶ Ἰνδικῆς, ἕως Ῥινοκολούρων τῆς ὁριζούσης Συρίαν καὶ Αἴγυπτον, καὶ τὴν Ἐρυθρὰν θάλασσαν, ἀπὸ στόματος τοῦ κατ' Ἀρσινόην τῆς Ἰνδικῆς. κατὰ δὲ πλάτος ἀπὸ Περσίδος καὶ Βάκτρων ἕως Ἰνδικῆς. Τὰ δὲ ὀνόματα τῶν χωρῶν ταῦτα.

Περσὶς καὶ τὰ ἐν αὐτῇ ἔθνη. Βακτριανή. Ὑρκανία. Βαβυλωνία. Κορδυαλία. Ἀσσυρία. Μεσοποταμία. Εὐδαίμων Ἀραβία. Κοιλὴ Συρία. Κομμαγηνή. καὶ ἡ Φυσικὴ περσίς. Τα δὲ ἐξ αὐτῶν γενόμενα ἔθνη ταῦτα. Ἑβραῖοι. Ἰουδαῖοι. Πέρσαι. Μῆδοι. Μαγαρδοί. Πάρθοι. Γερμανοι. Ελυμαῖοι. Ἄραβες ἀρχαῖοι. Κεδρούσιοι. Σκύθαι. Γυμνοσοφισταί. οἱ δὲ ἐπιστάμενοι αὐτῶν γράμματα. Ἰουδαῖοι. Πέρσαι. Μῆδοι. Χαλδαῖοι. Ἰνδοί. Ἀσσύριοι. Ταῦτα τὰ κε. ἔθνη τοῦ Σὴμ σὺν ταῖς χώραις καὶ ὁρίοις αὐτῶν.

Ἐκ τοῦ Χὰμ τοῦ β υἱοῦ Νῶε ἔθνη λβ οὕτως.

α	Χοὺς,	ἐξ οὗ Αἰθίοπες.	β,	Μεσραΐμ,	ἐξ οὗ Αἰγύπτιοι.
γ	Φούδ,	ἐξ οὗ Τρωγλοδύται.	δ,	Χαναὰν,	ἐξ οὗ Χαναναῖοι.

Οὗτοι ἔφυγον ἀπὸ προσώπου τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, καὶ κατῴκησαν Τρίπολιν τῆς Ἀφρικῆς, ὡς οὖσαι ἐν τῷ κλήρῳ τοῦ Χάμ.

υἱοὶ χοῦ τοῦ αἰθίοπος τοῦ πρώτου υἱου χάμ.

ε	Σαβάτ,	ἐξ οὗ Σαβάτ.	ς	Εὐιλὰτ,	ἐξ οὗ γαγγινοί.
ζ	Σεβατά,	ἐξ οὗ Σαβῖνοι.	η	ῥέγμα,	ἐξ οὗ ἰχθυοφάγοι.
θ	Σεβακατά,	ἐξ οὗ.			

υἱοὶ Ῥεγμα.

ι.	Σαβὰ,	ἐξ οὗ Μαρμαρῖται.	ια	Ἰουδαδὰν,	ἐξ οὗ Φοίνικες.
ιβ	Νεβρὼδ,	ἐξ οὗ γίγαντες.	ιγ	Λουδιείμ,	ἐξ οὗ.
ιδ	Νεμεσιείμ,	ἐξ ὧν	ιε	Λαβιείμ,	ἐξ ὧν.
ις	Νεφθαλιείμ,	ἐξ ὧν	ιζ	Πατροσονιείμ,	ἐξ ὧν.
ιη	Χασλωνιείμ,	ἐξ ὧν	ιθ	Φιλιστιείμ,	ἐξ ὧν.
κ	Χαφθονιείμ,	ἐξ ὧν.			

υἱοὶ Χαναὰν, ὧν πρωτότοκος Σιδών.

κα	Σιδὼν,	ἐξ οὗ Σιδώνιοι.	κβ	Χατταῖος,	ἐξ οὗ.
κγ	Ἰεβουσαῖος,	ἐξ οὗ Ἰεβουσαῖοι.	κδ	Ἀμορραῖος,	ἐξ οὗ Ἀμορραῖοι.
κε	Γεργασαῖος,	ἐξ οὗ γεργεσαῖοι.	κς	Εὐαῖος,	ἐξ οὗ Εὐαῖοι.
κζ	Ἀρουκος,	ἐξ οὗ.	κη	Ἀσενναῖος,	ἐξ οὗ.
κθ	Ἄραδος,	ἐξ οὗ Ἀράδιοι.	λ	Σαμαραῖος,	ἐξ οὗ ὀρθοσῖται.
λα	Ἀμαθεὶς,	ἐξ οὗ Ἀμαθούσιοι.			

Οἱ πάντες σὺν τῷ χάμ λβ. Τούτων δὲ κατοικία ἀπὸ Ῥινοκορούρων ἕως γαδείρων τὰ πρὸς νότον. Τὰ δὲ ἐξ αὐτῶν γεννηθέντα ἔθνη, Αἰθίοπες. Τρωγλοδύται. Αγγαῖοι. Γαγγινοί. Σαβῖνοι. Ἰχθυοφάγοι. Ἐλάϊνοι. Αἰγύπτιοι. Φοίνικες. Λίβυες. Μαρμαρῖται. Κᾶρες. Ψυλλῖται. Μυσοὶ. Μοσύλλιοι. Φρύγες. Μάκωνες. Βιθυνοί. Νομάδες.

Νομάδες. Λύκιοι. Μαριανδυνοί. Πάμφυλοι. Μοσσυνοί. Πισυνοί. Αυγαλαῖοι. Κίλικες. Μαυρούσιοι. Κρῆτες. Μαγάρται. Νούμιδες. Μάκωνες καὶ Νασαμῶνες. οὗτοι κατέχουσιν ἀπὸ αἰγύπτου ἕως τοῦ δυτικοῦ πρὸς λίβα καὶ νότον ὠκεανοῦ. οἱ δὲ ἐπιστάμενοι αὐτῶν γράμματα, Φοίνικες. Αἰγύπτιοι. Πάμφυλοι. Φρύγες. Αἱ δὲ χῶραι αὐτῶν Αἴγυπτος· Αἰθιοπία, ἡ βλέπουσα πρὸς Ινδοὺς κατὰ Ινδοὺς πρὸς εὐρόνοτον. ἄλλη Αἰθιοπία πρὸς νότον ὅθεν ἐκπορεύεται ὁ Νεῖλος ποταμός. Ἐρυθρὰ ἡ βλέπουσα κατὰ ἀνατολάς. Θηβαΐς. Λιβύη ἡ παρεκτείνουσα μέχρι κορκυρήνης. Μαρμαρὶς καὶ τὰ περὶ αὐτὴν πάντα. Σύρτις ἔχουσα ἔθνη τρία, Νασαμῶνας, Μακῶνας, Ταυταμαίους. Λιβύη ἀπὸ λεπτίου παρεκτείνουσα μέχρι μικρᾶς Σύρτιος. Νουμιδία. Μασσουρὶς. Μαυριτανία ἡ καὶ Ἀφρικὴ παρεκτείνουσα μέχρι ἡρακλεωτικῶν στηλῶν κατέναντι γαδείρων. ἔχει δὲ, ἐν τοῖς κατὰ βορρᾶν, τὰ πρὸς θάλασσαν, κιλικίαν, παμφυλίαν, πισιδίαν, Φρυγίαν, καββαλλίαν, λυκίαν, λυδίαν, καρίαν, τρωάδα, αἰολίαν, βιθυνίαν, τὴν ἀρχαίαν Φρυγίαν. ἔχει δὲ νήσους γ, Σαρδὼ, κρήτην, κύπρον. Επικοινᾶ δὲ κορσύλαν, λαμπαδοῦσαν, γαῦδον, μελίτην, κουρῆναν, Μίνιν, γαλάτην, γορσινάν, κρήτην, γαυλοειδῆ, θήραν, κάρπαθον, ἀστυπάλαιαν, χίον, λέσβον, τένεδον, ἴμβρον, θάσον, σάμον, κνίδον, κῶν, Νίσρειν [al. Νήσουρον] ποταμὸν δὲ Γειὼν καὶ τὸν Νεῖλον, ὃς καὶ κυκλοῖ Αἴγυπτον καὶ αἰθιοπίαν, καὶ διορίζει μεταξὺ τοῦ χάμ καὶ τοῦ Ἰάφεθ, τὸ στόμα ἑσπερίας θαλάσσης. τὰ ἐπίκοινα τοῦ χάμ καὶ τοῦ Ἰάφεθ.

Ἐκ τοῦ Ἰάφεθ τοῦ τρίτου υἱοῦ Νῶε ἔθνη ιε οὕτως.

υἱοὶ Ἰάφεθ τοῦ γ υἱοῦ Νῶε.

α γόμερ, ἐξ οὗ καππάδοκες.	β μαγὼν, ἐξ οὗ κελτοὶ καὶ οἱ γαλάται.
γ Μάδαι, ἐξ οὗ μῆδοι.	δ ἰωυὰν, ἐξ οὗ ἕλληνες οἱ καὶ Ἴωνες.
ε Θωβελ, ἐξ οὗ θετταλοί	ς Μοσὸχ, ἐξ οὗ ἰλλύριοι.
ζ θηράς, ἐξ οὗ θρᾷκες.	η χετιειν, ἐξ οὗ Μακεδόνες.

οἱ υἱοὶ γόμερ τοῦ υἱοῦ Ἰάφεθ.

θ ἀσχανὰζ, ἐξ οὗ ῥῆγῖνες.	ι ῥιφὰθ, ἐξ οὗ σαυρομάται.
ια θοργαμα, ἐξ οὗ Ἀρμένιοι.	

οἱ υἱοὶ Ἰωυάν.

ιβ ἐλισσά, ἐξ οὗ σικελοί.	ιγ θαρσεῖς, ἐξ οὗ ἴβηρες.
ιδ κίτιοι, ἐξ οὗ λατῖνοι οἱ καὶ ῥωμαῖοι.	ιε ῥόδιος, ἐξ οὗ ῥόδιοι.

Ἐκ τούτων ἀφωρίσθησαν νῆσοι τῶν ἐθνῶν ἐν τῇ γῇ αὐτῶν ἕκαστος κατὰ γλῶσσαν αὐτῶν, ἐν ταῖς φυλαῖς αὐτῶν καὶ ἐν τοῖς ἔθνεσιν αὐτῶν, ὥς φησιν ἡ γραφή. ὁμοῦ ἔθνη ος. εἰσὶ δὲ καὶ οἱ κύπριοι ἐκ τῶν κιτιαίων, καὶ οἱ ἐν τῷ βορρᾷ ὁμόφυλοι τῶν αὐτῶν κιτιαίων καὶ τῶν ῥωμαίων καὶ τὰ ἔθνη τῆς ἑλλάδος, πλὴν τῶν μετοικησάντων ὕστερον ἐκεῖσε αἰγυπτίων καὶ κατοικησάντων τὴν τῆς ἑλλάδος μητρόπολιν Ἀθήνας καὶ τὰς θήβας. Σιδώνιοι γὰρ οὗτοι ἄποικοι ἐκ κάδμου τοῦ Αγήνορος, οἱ δὲ χαλδαῖοι τυρίων εἰσὶν ἄποικοι καὶ εἶλνες ἄλλοι εἰς τὴν ἑλλάδα μετῴκησαν. Τὰ δὲ τοῦ Ἰάφεθ ἔθνη ἀπὸ Μηδίας, ἕως τοῦ ἑσπερίου ὠκεανοῦ κατέσπαρται, βλέποντα πρὸς βορρᾶν οὕτως. Μῆδοι. Ἀλβανοί. Γαργανοί. Ἐρραῖοι. Ἀρμένιοι. Ἀμαζόνες. Κολλύ [κολχοι] κορζηνοί. Δενναγηνοί. Καππάδοκες. Παφλαγόνες. Ταβυηνοί. Χάλυβες. Σαρμαται. Θρᾷκες. Μοσσυνοί. Βαστερνοί. Σαυρομάται. Ιλλύριοι. Μαιῶται. Σκύθαι. Ταῦροι. Μακεδόνες. Ἕλληνες. Ἴστροι. Δαυνεῖς. Ουεστοί. Ιάπυγες. Καλαβροὶ ὀπικά. λατῖνοι οἱ καὶ ῥωμαῖοι.) γάλλοι οἱ καὶ κελταῖοι. λυγιστῖνοι. κελτίβηρες. Ἴβηρες. Γάλλοι ἀκοϊτανοί. Ἰλλυρικά. Βάσαντες. κυρτανοί. λυσιτανοί. Ουακχι [ὀυακχαῖοι] καὶ οἱ βρεττανικοί. οἱ δὲ ἐν ταῖς νήσοις οἰκοῦντες ἐξ αὐτῶν εἰδότες γράμματα εἰσὶν οὗτοι, ἴβηρες. λατῖνοι οἱ καὶ ῥωμαῖοι. σπάνοι. Ἕλληνες. Μῆδοι. Ἀρμένιοι. ἔστι δὲ κατὰ μῆκος τὰ ὅρια αὐτῶν, ἀπὸ Μηδίας, ἕως δυτικοῦ ὠκεανοῦ, τὰ πρὸς βορρᾶν,

εὖρος

εὖρος δὲ ἀπὸ Ταναΐδος ποταμοῦ, ἕως μαστουσίας τῆς κατὰ ἥλιον. αἱ χῶραι δὲ αὐτῶν, Μηδία, Ἀλβανία, Ἀρμενία μικρὰ καὶ μεγάλη, Ἀμαζονὶς, Παφλαγονία, Καππαδοκία, Γαλατία, Κολχὶς, Βοσπορινὴ, Μαιῶτις, Δέῤῥις, Σαρματία, Ταυριανὴ, Βαστρανὴ, Σκυθία, Θρᾴκη, Μακεδονία, Ἑλλὰς, Θεσσαλὴ, Βοιωτὶς, Λοκρία, Αἰτωλία, Ἀχαΐα, Πελοπόννησος, Ἀκαρνανία, Ἠπειρῶτις, Ἰλλυρὶς, Λυχνῖτις, Ἀδριακὴ, ἀφ᾽ ἧς τὸ Ἀδριακὸν πέλαγος ἐκλήθη, Καλαβρία, Ἰταλία, Γαλλία, Θουσκηνὴ, Λυσιτανία, Κελτικὴ, Μασσαλλία, Κελτογαλλία, Σπανογαλλία, Ἰβηρία, Σπανία ἡ μεγάλη. Ἐνταῦθα καταλήγει τὰ ὅρια τοῦ Ἰάφεθ, ἕως Βρεττανικῶν νήσων τὰ πρὸς Βοῤῥᾶν βλέποντα. Ἔχει δὲ νήσους, Βρεττανίαν, Σικελίαν, Εὔβοιαν, ῥόδον, χῖον, λέσβον, κύθηρα, Σάκυνθον, κεφαλληνίαν, ἰθάκην καὶ τὰς κυκλάδας, καὶ μέρος τι τῆς Ἀσίας τὴν ἰωνίαν καλουμένην, ποταμὸν δὲ Τίγριν διορίζοντα μεταξὺ Μηδίας καὶ Βαβυλωνίας. Ἐν τούτοις οὖν πληροῦται τὰ τοῦ Ἴαφεθ ὅρια διὰ τὸ εἰρηκέναι τὴν γραφὴν, Πλατυνάι ὁ θεὸς Ἴαφεθ, πλεῖστα ὄντα. Τὴν πᾶσαν γὰρ Εὐρώπην καὶ μέρος οὐ μικρὸν τῆς μεγάλης Ἀσίας ἀπηνέγκατο. Διὸ καὶ εἴρηται, καὶ κατοικήσει ἐν τοῖς σκηνώμασι τοῦ Σήμ. οὐ μόνον δὲ ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸν ἀναγωγικὸν τρόπον. ὅτι πᾶσα ἡ μερὶς τοῦ Ἴαφεθ σχεδὸν τῷ βαπτίσματι καὶ τῇ εἰς Χριστὸν τὸν ἀληθινὸν θεὸν ἡμῶν πίστει προσετέθη ἅτινα ἐστὶ τὰ σκηνώματα τοῦ Ἰσραὴλ, ἐπεὶ καὶ ἐξ αὐτοῦ ὁ Ἀβραὰμ καὶ οἱ πατριάρχαι, ἐξ ὧν καὶ αἱ λοιπαὶ γενεαρχίαι ἕως Χριστοῦ ἡγουμένου σαφῶς γενεαλογοῦνται. Τοῦ δὲ Χὰμ πλεῖστα μέχρι καὶ νῦν ἔθνη ἐστὶν ἐν ἀποστασίᾳ κατά τε τὰς Ἰνδίας καὶ αἰθιοπίας καὶ Μαυριτανίας, ἐν οἷς Ἀραβίαι καὶ ἰδουμαῖαι κατὰ θεοῦ καὶ τῶν ἁγίων αὐτοῦ θρασυνόνται τῇ τοῦ Χὰμ καὶ Χαναὰν κατάρᾳ ὑποβεβλημένα. διὸ καὶ παῖδα οἰκέτην τὸν Χὰμ τοῦ Σημ καὶ τοῦ Ἰάφεθ ἡ γραφὴ ἀπεφήνατο διὰ τοῦ Χαναὰν τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ καὶ αὐτὸν σημαίνουσα.

Fragmentum hoc à Cedreno deſcriptum, habetur ejus compendii hiſtoriarum libro primo, ſed mutilum maxima parte. Epiphanius eandem partitionem ſummatim complectitur; in hæreſi Manichæorum. Καὶ ὑπέπεσεν ὁ κλῆρος ἀπὸ ῥινοκορούρων ἄχρι γαδείρων, Αἴγυπτον ἔχων καὶ Μαρειώτην, καὶ Ἀμμῶνα, Λιβύηντε καὶ Μαρμαρίδα, πεντάπολιν, Μακάτην, Μακρόνητε καὶ λεπτιμάνην, Σύρτιν, Μαυριτανίαν, ἄχρι τῶν ἡρακλεωτικῶν στηλῶν λεγομένων καὶ τῆς ἔσω γαδείρης. ταῦτα τὰ πρὸς νότον. Sequitur: ἀπὸ δὲ ῥινοκορούρων τὰ πρὸς ἀνατολὴν, τήντε Ἰδουμαίαν καὶ Μαδιανῖτιν, τήντε Αλαβαστρῖτιν, καὶ ομηρίτην καὶ ἀξωμῖτιν, καὶ βούγεαν καὶ λίβαν, ἄχρι τῆς τῶν βάκτρων χώρας. ὁ δὲ αὐτὸς κλῆρος διορίζει ἀνὰ μέσον τοῦ Σὴμ τὰ πρὸς ἀνατολήν. τῷ δὲ Σὴμ ὑπέπεσεν ὁ κλῆρος πρὸς πλάτος ἡ παλαιστίνη, ἡ Φοινίκη καὶ κοίλη, κομμαγήνη, κιλικία, καππαδοκία, Γαλατία, παφλαγονία, θρᾴκη, Εὐρώπη, ῥοδόπη, λαζία. ἰβηρία, κασπία, καρδυέα, ἄχρι τῆς Μηδίας πρὸς βοῤῥᾶν. Ἐντεῦθεν οὗτος ὁ κλῆρος διορίζει τὸν Ἰάφεθ τὰ πρὸς βοῤῥᾶν. πρὸς δὲ τὴν δύσιν ἀπὸ τῆς Εὐρώπης ἄχρι τῆς Ἰσπανίας καὶ Βριτανίας, ἐκεῖθέντε τὰ παρακείμενα ἔθνη, ἔντες [F. ἐνετοὶ] καὶ Δαύνεις Ἴαπυγες καὶ λάβροι [κάλαβροι] λαπῖνοι, οπικοὶ [leg. ὀπικοὶ] Μάγαδρες, ἕως διακατοχῆς τῆς Σπανίας καὶ τῆς Γαλλίας τῆστε τῶν Σκόπτων [forte Σκοτῶν] καὶ φράγγων ἄνω χώρας.

In Ancorato fuſius illam diſtributionem narrat: καὶ τῷ μὲν Σὴμ τῷ πρωτοτόκῳ ὑπέπεσεν ὁ κλῆρος ἀπὸ Περσίδος καὶ βάκτρων ἕως Ἰνδικῆς, ἕως τῆς χώρας ῥινοκορούρων. κεῖται δὲ αὕτη ἡ ῥινοκορούρων, ἀνὰ μέσον αἰγύπτου καὶ παλαιστίνης, ἀντικρὺ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης. Χὰμ δὲ τῷ δευτέρῳ ἀπὸ τῆς αὐτῆς ῥινοκορούρων, ἕως γαδείρων τὰ πρὸς νότον. Ἰάφεθ τῷ τρίτῳ ἀπὸ Μηδίας ἕως γαδείρων καὶ ῥινοκορούρων τὰ πρὸς βοῤῥᾶν.

Gentes

Gentes è Semo ortæ ſecundum Epiphanium:

Ἐλυμαῖοι, Παίονες, Λαζοὶ, Κοσσεσῖοι, γασφηνοὶ, Παλαιστινοὶ, Ἰνδοὶ, Σύροι, Ἄραβες [οἱ καλιανοὶ] Ἀριανοὶ, Μασυρήλιοι, Ὑρκανοὶ, Μαγουσαῖοι, Τρωγλοδύται, Ἀσσύριοι, Γερμανοι [f. Καρμᾶνοι] Λύδοι, Μεσοποταμῖται, Ἑβραῖοι, Κοιληνοὶ, Βακτριανοὶ, Ἀραβηνοὶ, Καμήλιοι, Σαρακηνοὶ, Σκύθαι, χίονες, Γυμνοσοφισταὶ, χαλδαῖοι, πάρθοι, Ενόται, Κορδυληνοὶ, Μασσηνοὶ, Φοίνικες, Μαδιναῖοι, Κομαγηνοὶ, Δαρδάνιοι, Ἐλαμασηνοὶ, Κεδρούσιοι, Ἐλαμῖται, Ἀρμένιοι, Κίλικες, Αἰγύπτιοι, καππάδοκες, Φοίνικες, ποντικοὶ, Μαρμαρίδαι, βίονες, κᾶρες, χάλυβες, ψυλλῖται, λαζοὶ, Μοσσύνοικοι, ἴβηρες, Φρύγες.

Gentes ortæ de Cham, juxta eundem.

Αἰθίοπες, Τρωγλοδύται, Ἀγγαῖοι, Γαγγηνοὶ, σαβηνοὶ, ἰχθυοφάγοι, ἑλλανικοὶ, Αἰγύπτιοι, Φοίνικες, Μαρμαρίδαι, κᾶρες, ψυλλῖται, Μοσσυνοίκοι, Φρύγες, Μακεδόνες, Κράνονες [Reg. Κρώκονες,] συρῖται, Λεπτῖται, Μαγνῆται, Βιθυνοὶ, Νομάδες, Λύκιοι, Μαριανδηνοὶ, Πάμφυλοι, Μοσχεσίδιοι, Πισιδηνοὶ, Αὐγαλαῖοι, κίλικες, Μαυρούσιοι, Κρῆτες, Μαγάρδαι, Νουμιδοὶ, Ἄφροι, καὶ Βιζακηνοὶ, Νασαμῶνες, Φασγίνοι, Μάζικες, Γάραμοι, Γετοῦλοι, Βλέμμυες, Αυξουμῖται. οὗτοι κατέχουσιν ἀπὸ Αἰγύπτου ἕως ὠκεανοῦ. καὶ νῆσοι αὐτοῖς, κουρκουρα, λοπάδουσα, γαῦλος, ἐίμη. Μελίτη, Κέρκουρα, Μήνη, σαρδανὴ, γόρτυνα, κρήτη, γλαῦκος, [ῥίδη] ἀραδὸς, ἀστυπαλαία, χῶς, λέσβος, τένεδος, ἴμβρος, ἴασος, σάμος, κῶος, κνίδη, νίσυρος, μεγίστη καὶ κύπρος.

Gentes ortæ de Iapheth, juxta Epiph.

Μῆδοι, γαργανοὶ, ἀρμένιοι, ἄρρεοι, ἀμαζόνες, κῶλοι, κορζηνοὶ, βεναγηνοὶ, γαλάται, παφλαγόνες, μαριανδηνοὶ, πβαρηνοὶ, χάλυβες, μοσσυνοικα, κόλχοι, μελουχηνοὶ [al. μελαγχηνοὶ], σαυρομάται, μαιῶται, σκύθαι, ταῦροι, θρᾶκες, βαστέρνοι, ἰλλυριοι, μακεδόνες, ἕλληνες, λίβυες, Φρύγες, οὐέννοι, δαυνεῖς, ἰάπυγες, καλαβροὶ, ὀπτικοὶ, λατῖνοι, οἱ καὶ ῥωμαῖοι, τυῤῥηνοὶ, γάλλοι, κελέλτιοι, λιβυστινοὶ, κελτίβηρες, γάλλοι, ἀκουιτανοὶ, ἰλλυριανοὶ, βάσαντες, σάμιοι, καρτανοὶ, λυσιτανοὶ, οὐακκαῖοι, βρεττανικοὶ, σκόρτοι, σπάνοι. Νῆσοι δὲ αὐτῶν, βρεττανία, σικελία, εὔβοια, ῥόδος, χῖος, λέσβος, κύθηρα, ζάκυνθος, κεφαληνία, ἰθάκη, κέρκυρα, κύπρος.

Hæc Epiphanius aliunde deſcripſit & certam eſſe eam tabulam exiſtimavit. Ideò excuſat confuſionem: ὅπου δὲ ὄνομα ἔθνους ἢ νήσου ἐντέτακται διττῶς, ἐν κλήρῳ ἄλλου καὶ πάλιν ἄλλου κατὰ κοινὰ ὅρια, ἢ κατὰ τὰς γενομένας κατὰ καιρὸν ἀποικίας, ἢ κατὰ προσάληψιν τοῦ χὰμ, ὃς ἐπλεονέκτησε καὶ ἔλαβε τοῦ Σὴμ μέρους, μηδεὶς θαυμαζέτω ἢ ἀμφιβαλλέτω.

Nunc conferamus Euſebii tabulam propagationis cum Joſepho & Hieronimo.

Ἀρφαξὰδ, ἀφ' οὗ χαλδαῖοι]. Joſephus: Ἀρφαξάδης δὲ τοὺς νῦν χαλδαίους καλουμένους, ἀρφαξαδαίους ὠνόμασεν, ἄρξας αὐτῶν. Hieronymus: Arphaxad, à quo Chaldæi.

Ἀλὰμ, ἀφ' οὗ ἐλυμαῖοι] Fortaſſis legendum eſt αἰλάμ. Joſephus: ἐλυμὸς μὲν γὰρ, ἐλυμαίους, περσῶν ὄντας ἀρχηγέτας κατέλιπεν.

Ἀσοὺρ, ἀφ' οὗ ἀσσύριοι] Joſephus: Ἀσσούρας δὲ Νῖνον οἰκίζει πόλιν, καὶ τοὺς ὑπηκόους ἀσσυρίους ὠνόμασεν, οἳ μάλιστα εὐδαιμόνησαν. Idem arbitratur Hieronymus.

Λοὺδ, ἀφ' οὗ λυδοί] Joſephus: οὓς δὲ λύδους νῦν καλοῦσιν, λούδους δὲ τότε, λούδας ἔκτισε. Hier. *Lud, à quo Ludii.*

Ἀρὰμ, ἀφ' οὗ σύροι] Joſephus: ἀραμαίους δὲ ἄραμος ἔσχεν, οὓς ἕλληνες σύρους προσαγορεύουσι. Hieronymus: *Aram, à quo Syri quorum metropolis eſt Damaſcus.*

Ὦς, ἀφ' οὗ τράχωνες] Joſephus: οὖσος μὲν κτίζει τραχωνῖτιν καὶ δαμασκόν. μέση δ' ἐστι τῆς παλαιστίνης καὶ κοίλης συρίας. Hieronymus: *Huz Trachonitidis & Damaſci conditor: inter Palæſtinam & cælen Syriam tenuit principatum: à quo ſeptuaginta interpretes in libro Iob, ubi in Hebræo ſcribitur terra Huz, regionem Auſitidem, quaſi Huſitidem tranſtulerunt.*

Οὐλ, ἀφ' μαγαρδοί] Joſephus: Ἀρμενίαν δὲ ὄτρος. Neſcio, quare Ul qui eſt, otrus Joſepho appelletur. Hieronymus: *Vl, à quo Armeni.* Joſephus & Hieronymus conveniunt, tabula illa apud Euſebium & Cedrenum, quam & ſecutus eſt & pro parte exhibuit Epiphanius, in diverſum abit. Neſcio qui ſint illi Μαγαρδοί.

Γάθερ, ἀφ' οὗ Ἀκαρνάνοι] Joſephus: καὶ γάθερος βακτριανούς. Hieronymus: *Gether, à quo Acarnanii ſeu Carii.* Ineptum planè eſt Acarnanas in Græcia, deducere à Gether: non video quid ſit ſecutus.

Μοσοχ, ἀφ' οὗ Μεσσηνοί] Joſephus: Μήσας δὲ μησαναίους, σπασίνου χάραξ ἐν τοῖς νῦν καλεῖται. Hieronymus: *Porrò Mes, pro quo LXX. interpretes Moſoch dixerunt, nunc vocantur Mæones.* Secutus uterque eſt vocabulorum affinitatem. Σπασίνου χάραξ eſt in flumine Tigri, μεσηνὴ vocatur, quia amne ambitur. Hæc eſt ἀπάμεια ſuperior, quam cum inferiore, ubi terminatur Meſopotamia Cl. Bochartus & Salmaſius confuderunt. Mæones ſunt Lydi, qui à Lud ab Hieronymo & Joſepho deducti ſunt.

Καϊνᾶν, ἀφ' οὗ γασφηνοί] Hunc Ioſephus & Hieronymus non habent.

Σαλὰ (ſic emendo) ἀφ' οὗ κοσσαῖοι.] Nec Ioſephus nec Hieronymus à Sale gentem aliquam deducunt. Κοσσαῖοι ſive κοσσαῖοι ſunt in Perſide. Euſtathius in Hexaëmero: Σαλὰ ἀφ' οὗ Σουσιανοί.

Ἔβερ, ἀφ' οὗ ἑβραῖοι] Ioſephus: Τοῦ δὲ ἕβερος, ἀφ' οὗ τοὺς ἰουδαίους ἑβραίους ἀρχῆθεν ἐκάλουν. Hieronymus: *Heber, à quo Hebræi: vaticinio quodam filio ſuo Phaleg nomen impoſuit: qui interpretatur diviſio: ab eo, quod in diebus ejus linguæ in Babylone diviſæ ſunt.* Cæterorum & Iectanis poſteritatem non recenſet Ioſephus nec Hieronymus: tantum limites habitationis indicant. Hieronymus ita loquitur: *Harum gentium poſteriora nomina invenire non potui ſed uſque in præſens, quia procul à nobis ſunt, vel ita vocantur, ut primum vel quæ immutata ſunt ignorantur.* Fragmentum igitur illud veteris hiſtoriæ, quod Euſebius & Epiphanius agnoſcunt, non legit Hieronymus.

Χοὺς, ἀφ' οὗ αἰθίοπες] Ioſephus: τεσσάρων γὰρ χάμου παίδων γενομένων, χουσαῖον μὲν οὐδὲν ἔβλαψεν ὁ χρόνος. αἰθίοπες γὰρ ὧν ἦρξεν, ἔτι καὶ νῦν ὑπὸ ἑαυτῶν τε καὶ τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ πάντων χουσαῖοι καλοῦνται. Hieronymus: Chus uſque hodie ab Hebræis nuncupatur.

Μεσραῒμ, ἐξ οὗ αἰγύπτιοι] Ioſephus: Ἐτηρήθη δὲ μεσραίοις, ἡ κατὰ τὴν προσηγορίαν μνήμη. τὴν γὰρ Αἴγυπτον μέστρην καὶ μεσραίους τοὺς αἰγυπτίους ἅπαντες οἱ ταύτην οἰκοῦντες καλοῦμεν: Hieronymus: *Meſraim Ægyptus.*

Φοὺδ,

Φοὺδ ἐξ οὗ τρωγλοδύται] Ioſephus: ἔκτισε δὲ καὶ Φούτης τὴν λιβύην, Φούτους ἀπ' αὐτοῦ καλέσας τοὺς ἐπιχωρίους. Ἔστι δὲ καὶ ποταμὸς ἐν τῇ Μαυρῶν χώρᾳ, τοῦτο ἔχων τὸ ὄνομα. ὅθεν καὶ τοὺς πλείστους τῶν ἑλληνικῶν ἱστοριογράφων ἐστιν ἰδεῖν μεμνημένους τοῦ ποταμοῦ, καὶ τῆς παρακειμένης αὐτῷ χώρας Φούτης λεγομένης. μετέβαλε δὲ ὃ νῦν ἐστιν αὐτῇ ὄνομα, ἀπὸ τῶν μεστράιμου (leg. μεσραιμου) υἱῶν ἑνὸς λίβυος λεγομένου μετ' οὐ πολὺ δὲ ἐροῦμεν τὴν αἰτίαν δι' ἣν αὐτὴν καὶ ἄφρικαν προσαγορεύεσθαι συμβέβηκεν. In capite XVI. ejuſdem lib. 1. antiquitatum refert cauſam nominis Africæ. Hieronymus: *Phut Libye. A quo & Mauritaniæ fluvius uſque in præſens Phut dicitur. Omniſque circà eam regio Phutenſis. Multi ſcriptores, tam Græci quam Latini hujus rei teſtes ſunt. Quare autem in una tantum climatis parte, antiquum Libyæ nomen reſederit & reliqua terra vocata ſit Africa, diſſerere non hujus loci nec temporis eſt.*

Χαναὰν ἐξ οὗ Χαναναῖοι] Id notum.

Σαβὰτ ἐξ οὗ Σαβάτ] Ioſephus: Σάβας σαβαίους. Hieronymus: *Saba à quo Sabæi: de quibus Virgilius: Soliſque eſt thurea virga Sabæis: & alibi, Centumque Sabæo Thure calent aræ.* Hic Hebræis appellatur סְבָא.

Εὐιλὰτ, ἐξ οὗ γαιτουλοί] Ioſephus: Εὐίλας δὲ Εὐιλαίους ἔκτισεν, οἳ νῦν γετουλοὶ λέγονται. Hieronymus: Hevila Getuli in parte remotioris Africæ, eremo cohærentes.

Σαβαθὰ ἐξ οὗ σαβινοί] Ioſephus: Σαβάθης δὲ Σαβαθηνούς. ὀνομάζονται δὲ ἀστάβαρροι παρ' ἕλλησιν. Hieronymus: *Sabatha, à quo Sabatheni, qui nunc Aſtabari nominantur.*

Ῥέγμα ἐξ οὗ ἰχθυοφάγοι] Ioſephus: Ῥάμος δὲ Ῥαμαίους ᾤκισε. Legendum: Ῥέγμας δὲ Ῥεγμαίους ᾤκισε. Hieronymus: *Regma vero & Sabathaca paulatim antiqua vocabula perdidere, & quæ nunc pro veteribus habeant ignoratur.*

Σεβαχθὰ ἐξ οὗ] Ioſephus: ᾤκιζε δὲ σαβάκθας σαβακτηνούς.

Σαβὰ, ἐξ οὗ μαρμαρῖται] Ioſephus: Σαβαῖος σαβαίους. Hebraice eſt שבא. Hieronymus: *Hic Saba per Sin* ש *literam ſcribitur, ſupra vero per Samech* ס*: à quo diximus appellatos Sabæos. Interpretatur verò nunc Saba Arabia. Nam in ſeptuageſimo primo pſalmo, ubi nos habemus Reges Arabum & Saba munera offerent: in Hebræo ſcriptum eſt, reges Saba & Saba: primum nomen per Sin, ſecundum per Samech.* Nempe שְׁבָא וּסְבָא.

Ἰουδαδὰν ἐξ οὗ Φοίνικες] Ioſephus: ὧν Ἰούδας μὲν ἰουδαίους, αἰθιοπικὸν τῶν ἑσπερίων οἰκήσας (leg. οἰκίσας) ἐπώνυμον αὐτοῦ κατέλιπε. In Hebræo eſt דְּדָן. *Dadan gens eſt Æthiopiæ in occidentali plaga.*

Νεβρὼδ ἐξ οὗ γίγαντες] Ineptum.

Λουδιεὶμ, ἐξ οὗ] Hic primus eſt filiorum Meſtraim. Octo filios Meſtraimo dat Ioſephus, quia Palæſtinorum parentem ſeu ἀρχηγέτην connumerat. Atqui illi è Caſluchæis dicuntur exiiſſe. Filii Miſtraim apud Ioſephum & Euſebium corruptiſſimè concepti ſunt: 1. לוּדִים. 2. עֲנָמִים. 3. לְהָבִים. 4. נַפְתֻּחִים. 5. פַּתְרֻסִים. 6. כַּסְלֻחִים. 7. כַּפְתֹּרִים. Ioſephus: τῶν δὲ μεστραίου παίδων ὀκτὼ γενομένων οἳ πάντες τὴν ἀπὸ γάζης ἕως αἰγύπτου γῆν κατέσχον, μόνου δὲ Φυλιστίνου τὴν ἐπωνυμίαν ἡ χώρα διεφύλαξε. παλαιστίνην γὰρ οἱ ἕλληνες αὐτοῦ τὴν μοῖραν καλοῦσι. τῶν δὲ ἄλλων, λουμαίου (leg. λουδαίου) καὶ ἐναμία (leg. ἐναμαίου) καὶ λαβίμου, τοῦ μόνου κατοικήσαντος ἐν λιβύῃ καὶ τὴν χώραν αὐτοῦ καλέσαντος, νεδέμου (leg. νεφθίμου) καὶ Φαιθρωσίμου καὶ χεσλώμου (χεσλοίμου) καὶ χεφθωρίμου (ſic legendum pro χεφθορίμου) περὶ τῶν ὀνομάτων οὐδὲν ἴσμεν. ὁ γὰρ αἰθιοπικὸς πόλεμος. περὶ οὗ δηλώσομεν ὕστερον, ἀναστάτους αὐτῶν τὰς πόλεις ἐποίησεν. Hieronymus: *Et Meſraim genuit Ludim, &*

Anamim & Nephthuim & phetroſim & chaſlobim, (è quibus egreſſi ſunt Philiſtim) & chaphthorim. Exceptis Labaim, (leg. Laabim) *à quo Libyes poſteà nominati ſunt, qui prius Phutei vocabantur; & chaſluchum, qui deinceps Philiſthim appellati ſunt, quos nos corrupte Palæſtinos dicimus: cæteræ ſex gentes ignotæ ſunt nobis: quia bello Æthiopico ſubverſæ, uſque ad oblivionem præteritorum nominum pervenere. Poſſederunt autem terram à Gaza uſque ad extremos fines Ægypti.*

Σιδὼν ἐξ οὗ σιδώνιοι] Gentes Cananæorum ſic deſcribit Ioſephus: Ἐγένοντο δὲ καὶ χαναναίου παῖδες, ὃς καὶ πόλιν ἐπώνυμον ἔκτισεν ἐν Φοινίκῃ, Σιδὼν δὲ ὑφ' ἑλλήνων καλεῖται; Ἀμάθης (ſic lege pro Ἀμάθος) δ' ἀμάθην κατῴκισεν, ἥτις ἐστὶ καὶ νῦν ὑπὸ μὲν τῶν ἐπιχωρίων ἀμάθη καλουμένη, Μακεδόνες δ' αὐτὴν ἐπιφάνειαν, ἀφ' ἑνὸς τῶν ἀπογόνων ἐπωνόμασαν. Ἀρουδαῖος δὲ Ἄραδον τὴν νῆσον ἔσχεν. ἀρουκαῖος δὲ ἄρκην τὴν ἐν τῷ λιβάνῳ. Τῶν δ' ἄλλων ἑπτὰ, εὐαίου, χετταίου, ἰεβουσαίου, εὐλαίου, σειναίου, σαμαραίου, πλὴν τῶν ὀνομάτων ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις οὐδὲν ἔχομεν. Hieronymus: *De Chanaan primus natus eſt Sidon, à quo urbs in Phœnice Sidon vocatur. Deinde Aracæus, qui Arcas condidit oppidum contra Tripolin in radicibus Libani ſitum. A quo haud procul alia civitas fuit nomine Sin: quæ poſteà vario eventu ſubverſa bellorum, nomen tantummodo loco priſtinum reſervavit. Aradii ſunt, qui Aradum inſulam poſſederunt, anguſto freto à Phœnices litore ſeparatam. Samaræi quibus Edeſſa nobilis Syriæ cæles civitas, Amath uſque ad noſtrum tempus, tam à Syris quam ab Hebræis, ita ut apud veteres dicta fuerat, appellatur. Hanc Macedones, qui poſt Alexandrum in oriente regnaverunt Epiphaniam nuncupaverunt. Nonnulli Antiochiam, ita appellatam putant. Alii licet non verè: tamen opinionem ſuam quaſi veriſimili vocabulo conſolantes,* Emath primam ab Antiochia manſionem, Edeſſam pergentibus appellari putant: & eandem eſſe, quæ apud veteres dicta ſit Emath.

Γόμερ, ἀφ' οὗ καππάδοκες] Ioſephus: Τοὺς γὰρ νῦν ὑφ' ἑλλήνων γαλάτας καλουμένους, γομαρεῖς δὲ λεγομένους, γόμαρος ἔκτισε. Hieronymus: *Sunt autem à Gomer Galatæ.*

Μαγὼγ, ἐξ οὗ κελτοὶ καὶ οἱ γαλάται] Ioſephus: Μαγώγης δὲ τοὺς ὑπ' αὐτοῦ Μαγώγας ὀνομασθέντας ᾤκισε, σκύθας δὲ ὑπ' αὐτῶν προσαγορευομένους. Hieronymus: *Magog Scythæ.*

Μάδαι, ἐξ οὗ μῆδοι] Ioſephus: Ἀπὸ μὲν τοῦ (Μάδαι) μαδαῖοι γίνονται ἔθνος, ὃ πρὸς ἑλλήνων μῆδοι κέκληται. Hieronymus: *Madai, Medi.*

Ἰωυὰν, ἐξ οὗ ἕλληνες οἱ καὶ Ἴωνες.] Ioſephus: Ἀπὸ δὲ Ἰαυάνου Ἰωνία καὶ πάντες ἕλληνες γεγόνασι. Hieronymus: *Iavan, Iones qui & Græci unde & mare Ionium.*

Θωβὲλ, ἐξ οὗ θετταλοί] Ioſephus: Καθοικίζει δὲ καὶ θωβήλους θώβηλος, οἵτινες ἐν τοῖς νῦν ἴβηρες καλοῦνται. Hieronymus: *Thubal Iberi, qui & Hiſpani, a quibus Celtiberi, licet quidam Italos ſuſpicentur.*

Μοσὸχ, ἐξ οὗ Ἰλλύριοι] Ioſephus: καὶ μόσχηνοι δὲ ὑπὸ μόσχου κτισθέντες, καππάδοκες μὲν γὰρ ἄρτι καλοῦνται, τῆς δὲ ἀρχαίας αὐτῶν προσηγορίας σημεῖον δείκνυται. πόλις γὰρ ἐστι παρ' αὐτοῖς ἔτι καὶ νῦν μάζακα, δηλοῦσα τοῖς συνιέναι δυναμένοις οὕτως ποτὲ προσαγορευθὲν τὸ ἔθνος. Hieronymus, Moſoch Cappadoces: unde & urbs hodie apud eos Mazaca dicitur. Porrò LXX. interpretes, Caphthorim Cappadoces arbitrantur.

Θηρὰς, ἐξ οὗ θρᾷκες] Ioſephus: θείρης δὲ θείρας μὲν ἐκάλεσεν ὧν ἦρξεν, ἕλληνες δὲ θρᾷκας αὐτοὺς μετωνόμασαν. Hieronymus: *Thiras, Thraces, quorum non ſatis immutatum eſt vocabulum.*

Χεθιεὶμ, ἐξ οὗ Μακεδόνες) Ioſephus: χέθιμος δὲ χεθιμὰ τὴν νῆσον ἔσχεν, κύπρος αὕτη νῦν καλεῖται. καὶ ἀπ' αὐτῆς νῆσοί τε πᾶσαι καὶ τὰ πλεῖστα τῶν παρὰ θάλασσαν,

θάλασσαι, χεθὶμ ὑπὸ ἑβραίων ὀνομάζεται. μάρτυς δὲ μοῦ τοῦ λόγου, μία τῶν ἐν κύπρῳ πόλεων, ἰσχύσασα τὴν προσηγορίαν φυλάξαι. κίτιος γὰρ ὑπὸ τῶν ἐξελληνισάντων αὐτὴν καλεῖται, μηδ᾽ οὕτως διαφυγοῦσα τοῦ χετίμου τὸ ὄνομα. Hieronymus: *Cetim ſunt Citii, à quibus hodie quoque urbs Cypri Citium nominatur.*

Ἀσχανάζ οὗ Ῥηγῖνοι) Ioſephus: ἀσχανάξης μὲν ἀσχανάξας ᾤκισεν, οἱ νῦν Ῥηγῖνες ὑπὸ τῶν ἑλλήνων καλοῦνται. Hieronimus, Aſcanaz, Græco Regines vocant.

Ῥιφὰθ, ἐξ οὗ σαυρομάται) Ioſephus: Ῥιφάθης δὲ Ῥιφαθαίους τοὺς παφλαγόνας λεγομένους. Hieronymus: *Rhiphath, Paphlagones.*

Θόργαμα, ἐξ οὗ Ἀρμένιοι) Ioſephus: Θυγράμμης δὲ θυγραμμαίους, οἳ δόξαν ἕλλησι Φρύγες ὠνομάσθησαν. Hieronymus: *Thogarma, Phryges.*

Ἐλισὰ, ἐξ οὗ Σικελοί) Ioſephus interpretatur Αἰολεῖς. Sic & Hieronymus Ioſephum ſecutus.

Θαρσεῖς ἐξ οὗ Ἴβηρες) Ioſepho & Hieronymo Cilicia.

Κίτιοι, ἐξ οὗ λατῖνοι οἱ καὶ ῥωμαῖοι) Neſcio quomodo inter filios Iapheth χετιείμ inſertus ſit, qui non eſt alius ab hoc Javanis filio. Non habetur apud τοὺς ό.

Ῥόδιος ex οὗ ῥόδιοι) Omittitur à Ioſepho, nec explicatur ab Hieronymo.

In his Joſephum tutiſſimum eſt ſequi, Et multa in ipſa ſcriptura evolvuntur. Nam in illis comparatio locorum & hiſtoria lucem accendit. Rabbini longiſſime diſceſſerunt à vero, qui Germaniam Aſcenaz; Galliam Sarphat; Hiſpaniam Sepharad &c. vocant, neſcio quibus rationibus admodum inanibus inducti.

Terminos, quibus Jectanis poſteritas incluſa fuit, ita definit Moſes: Et fuit habitatio eorum à Meſa, מִמֵּשָׁא, *dum venis ad montem orientis, Sephar*, בֹּאֲכָה סְפָרָה הַר הַקֶּדֶם. Quid ſit Meſa & quid Sephar, Joſephus dicit: οὗτοι ἀπὸ κώφηνος ποταμοῦ τῆς Ἰνδικῆς καὶ τῆς πρὸς αὐτοῦ συρίας τινὰ κατοικοῦσι. Interpres credidit: *Hi à Cophene flumine Indiæ ad Aſſyriam uſque habitant.* Hieronimus: *Poſſederunt autem à Cophene fluvio omnem Indiæ regionem, quæ vocatur Ieria.*

Eutychius Alexandrinus ſeptuaginta duos ἀρχηγέτας ita diſtribuit, ut viginti quinque fuerint è Sem, qui ab Eufrate & Muſal uſque ad extremum orientem habitarunt. Ex illis eſſe Syros, Diarrabienſes, Meſopotamenos, Babylonios, Perſas, Choraſanios, incolas Pharganæ, Sindiæ & Indiæ. Inſulanos inſulæ Sin, Ebræos, incolas Jaman, Tajef, Jemamæ, Bahrain & varias Arabum gentes. Triginta duobus filiis Hami attribuit Cananæos, Palæſtinos Ægyptios, Coptitas, Mariſios, varias Nigritarum gentes, Æthiopas, Nubas, Bajaitas, Senios, Zottos, Carranos, Samaritas, Zabeios, Mogrebinos, Barbaros. Inſulas Sardiniam, Meliten, Creten, partemque inſulæ Cypri. E Japhet deducit Turcas, Bætacos, Toot, Jajui & Majui, Chozar, Lan, Anchaz, Sanarebam, Jaſzan, utramque Armeniam, Hanran, Antiochiam, Chalediam, Aphlaguniam, Cappadociam, Charſenam, Græcos, Romanos, Bizantium, Rhutenos, Dilam, Bulgaros, Sclavos, Ancirdam, Francos, Jalſatinos, Hiſpanos. Inſulas ipſis tribuit duodecim.

Non eſt mirum, quod Arabum gentes deducat ab Sem, cum Arabum progenitorem dicat fuiſſe Eberi filium, natum poſt Phaleg, cujus nomen fuerit قحطان Cachtan, qui ſit ابى العرب *pater Arabum.*

De majoribus Abraham.

Ita Usque Abram Ducta Succeſſio Nihil Sane Insigne Aut Memorabile Habuit] Sem genuit Arphaxad biennio poſt diluvium, ut omnes fatentur & conſentiunt. In Joſepho ſcriptum eſt δώδεκα pro δύο. Per hunc Arphaxad ducitur linea majorum Domini. Unde eum jus primogenituræ habuiſſe colligas, licet primo loco natus non ſit. Certo caſu & delicto excidiſſe Elam & Aſſur oportet, qui annis anteiëre, quod ſcriptura non commemorat. Hi ſcilicet ad paganiſmum deflexere cum poſteris ſuis. Deus habitationem fixit in Arphaxadi genere & domo. Arphaxad nomen hoc eſt, quod Græci ſcriptores dant, debellatori Aſſyriorum. Illum enim vocant Ἀρβάκην & Ἄρβακτον corrupte, ſcriptor libri Judith rectè appellat Arphaxad, אַרְפַּכְשַׁד. Suſpectum mihi eſt quod eum dicunt eſſe progenitorem Chaldæorum. Puto eos conjecturam ſumere ex ultima nominis parte, quamvis Joſephus dicat Chaldæos prius dictos eſſe Arphaxadæos. Poſt Arphaxad natum Sem genitis filiis & filiabus vixit annos 500. Arphaxad natus annos triginta quinque genuit Sale. Inde implevit annos 403. Ita omne ævum Arphaxadi fuit annorum 438: cum pater annos egerit 600. Gradatim declinavit & imminutus eſt ævi humani annorum numerus. Græci omninò diverſi abeunt in annis patriarcharum ſecundæ ætatis & Cainanem Arphaxado filium attribuunt; faciuntque patrem Sale: id infrà oſtendemus. Sale Eber genuit. Eber genuit Phaleg. Phaleg Ragau. Eutychius Melchiſedecum etiam Phalegi filium facit. Phaleg genuit Sarug. Sarug genuit Nachor. Nachor Thare. Thare Abram.

De computo annorum primæ ætatis & patriarcharum ævo, juxta Hebræos, Samaritas & LXX. Iuxta Hebræos ſive Iudæos:

A.M.	P.D.		
1658.	2.	Arphaxad naſcitur.	
1693.	37.	Sale naſcitur;	anno patris 35.
1723.	67.	Eber naſcitur;	anno patris 30.
1757.	101.	Phaleg naſcitur;	anno patris 34.
1788.	131.	Ragau naſcitur,	anno patris 30.
1820.	163.	Sarug naſcitur,	anno patris 32.
1850.	193.	Nachor naſcitur;	anno patris 30.
1879.	222.	Thore naſcitur,	anno patris 29.
1949.	292.	Abram naſcitur;	anno patris 70.

Arphaxad vixit annos 438: Sale 433: Eber 464: Phaleg 239: Ragau 239: Sarug 230: Nachor 138: Thare 205.

Iuxtà Samaritas, è Græcis Euſebianis Scaligeri:

Arphaxad annorum 130 genuit Sala: & ſupervixit 303 annos, uſque ad 39 Phaleg. Sala annorum 130 gignit Eber, & ſupervixit annos 303, uſque 39 annum Ragau. Eber annorum 134, gignit Phaleg & ſupervixit

pervixit annos 270, uſque 140 annum Ragau. Phaleg annorum centum triginta gignit Ragau, & ſupervixit uſque 109 annum Ragau. Ragau annorum 132 gignit Serug: & ſupervixit annis 207 uſque ad 77 annum Nachor. Serug annorum 130 gignit Nachor: & ſupervixit annos 100 uſque ad 29 annum Abram. Nachor annorum 79 gignet Tharra: ſupervixit 69 annos, uſque ad 69 annum Tharra. Tharra annorum 70, gignit Abram: & ſupervixit 75 annos, uſque ad 75 annum Abram:

P.D.

2 Arphaxad naſcitur.
132 Sale naſcitur, anno patris 130.
262 Eber naſcitur anno patris 130.
396 Phaleg naſcitur anno patris 134.
435 Arphaxad moritur.
526 Ragau naſcitur anno patris 130.
565 Sale moritur.
635 Phaleg moritur.
658 Sarug naſcitur anno patris 132.
666 Eber moritur.
788 Nachor naſcitur anno patris 130.
865 Ragau moritur.
867 Thare naſcitur anno patris 79.
888 Sarug moritur.
936 Nachor moritur.
937 Abram naſcitur anno patris 70.
1012 Thare moritur, Abram exit ex Haran.

Arphaxad vixit annos 433. Sale 433. Eber 404. Phaleg 239. Ragau 339. Seruch 230. Nachor 148. Thare 145.

Notat ſummus Scaliger in ſuo Samaritico Chirographo omnia convenire cum hoc fragmento Euſebiano præterquam in annis τῆς παιδοποιΐας Arphaxad. *Nam ibi ſunt*, inquit, *CXXXV. hic CXXX. quæ eſt menda libraria: quod etiam conſtat ἐκ τῆς ἀνακεφαλαιώσεως. DCCCCXLII. enim annos colligit Euſebius à diluvio ad primum annum Abraham. At hic tantum conſurgunt DCCCCXXXVII. minus quinque illis, qui annis Arphaxad vitio librarii deerant.* Sic igitur Abram natus eſt anno poſt diluvium 942. Quem numerum Euſebius dicit eundem eſſe cum computatione τῶν LXX.

Iuxta LXX. interpretes;

Anno 2. poſt diluvium naſcitur Arphaxad.

Arphaxad natus annos 135 genuit Cainan. Inde vixit annos 300. Ævum igitur ejus anni 435.

Caïnan	annorum 130 genuit Sala.	Inde vixit annos 330.	Ævũ ejus 460.
Sala	annorum 130 genuit Eber.	Inde vixit annos 330.	Ævũ ejus 460.
Eber	annorum 134 genuit Phaleg.	Inde vixit annos 270.	Ævũ ejus 404.
Phaleg	annorum 130 genuit Ragau.	Inde vixit annos 209.	Ævũ ejus 339.
Ragau	annorum 132 genuit Seruch.	Inde vixit annos 207.	Ævũ ejus 339.
Seruch	annorum 130 genuit Nachor.	Inde vixit annos 200.	Ævũ ejus 330.
Nachor	annorum 179 genuit Tharra.	Inde vixit annos 125.	Ævũ ejus 304.
Tharra	annorum 70 genuit Abram.	Inde vixit annos 135.	Ævũ. ejus 205.

Ultima

Ultima generatio conſonat Hebræo Judæorum id eſt vero. Septem centenarii annorum *παιδοποιΐαις* ſeptem patriarcharum adjiciuntur cum tota generatione Cainan nempe centum triginta annis. Superant igitur ſupra Hebræam veritatem anni 830. Sed editio alia cui Euſebius & veteres conſonant ſcriptores, in Nachor annos tantum 79 numerat ad ejus *παιδοποιΐαν*. His 730 annis debent addi quinquaginta, quibus ſuperant οἱ ὁ in *παιδοποιΐᾳ* Nachor. Sunt anni exſuperantes 780. Qui additi ad Judaïcum calculum 292 conficiunt ſummam annorum 1072. ab diluvio ad natum Abram. Euſebius Cainanem expunxit id eſt annos 130, ideo ipſi ſuperſunt pro hac ætate inter diluvium & natalem Abræ, anni 942. Qui numerus idem eſt cum calculo Samaritarum. Africanus etiam Cainanem omiſit, uti non invenitur in Samaritico & Judaïco Hebræo. Joſephus ſequitur Hebræorum textum Judæorum, quamvis & hoc in loco ſit depravatus. Locum videamus & emendemus: Ὃς (Ἅβραμος) δέκατος μὲν ἦν ἀπὸ Νώχου, δευτέρῳ δ' ἔτει καὶ ἐνενηκοστῷ πρὸς διακοσίοις μετὰ τὴν ἐπομβρίαν ἐγένετο. Θάῤῥος μὲν γὰρ ἑβδομηκοστῷ ποιεῖται τὸν Ἄβραμον. Ναχώρης δὲ Θάῤῥον εἰκοστὸν αὐτὸς καὶ ἑκατοστὸν (leg. ἔνατον αὐτὸς καὶ εἰκοστὸν) ἤδη γεγονὼς ἐγέννησε. Σερούγῳ δὲ Ναχώρης τίκτεται περὶ ἔτος δεύτερον καὶ τριακοστὸν (dele καὶ ἑκατοστὸν) Ῥαγαῦς δὲ Σεροῦγον ἔσχεν ἔτη τριάκοντα καὶ δύο γεγονὼς (dele πρὸς τοῖς ἑκατὸν) ἐν δὲ τοῖς αὐτοῖς ἔτεσι (leg. ἐν δὲ τριακοστῷ ἔτ.) καὶ Ῥαγαῦν Φάλεγος ἔσχεν. Ἕβερος δὲ τετάρτῳ καὶ τριακοστῷ (dele πρὸς τοῖς ἑκατὸν) γεννᾷ Φάλεγον, γεννηθεὶς αὐτὸς ὑπὸ Σέλου τριακοστὸν ἔτος ἔχοντος (dele καὶ ἑκατοστόν.) ὃν Ἀρφαξάδης ἐτέκνωσε κατὰ πεμπτὸν καὶ τριακοστὸν ἔτος (dele πρὸς τοῖς ἑκατὸν) Σήμα δὲ υἱὸς Ἀρφαξάδης ὢν μετὰ ἔτη δώδεκα (leg. δύο) τῆς ἐπομβρίας γενόμενος.

An gentes aliquam Noë habuerint notitiam?

Cum Noë trecentis quinquaginta annis vixerit poſt diluvium, quo tempore florentiſſima regna condita erant & principia opulentarum urbium, mirum illius nullam apud gentes, maximè Græcos traditam exſtare in literis memoriam cum Japeti & Hammonis nomina videantur indicare filios duos juniores. Bochartus conatur cum ſcripturis & ſacra hiſtoria conciliare & in Noë, quæ gentes de Saturno fabulatæ ſunt. Et putat auream illam fuiſſe ætatem poëtarum, quando ſeculo integro ante confuſionem linguarum, orbem filii Noë pro indiviſo colebant. Multa applicat huc quæ non videntur abludere à Noë & filiorum perſonis. At ego ſcio Saturnum Græcorum & Romanorum paulo ante Exodum Hebræorum floruiſſe, hominem paganum ortum de poſteris Noë. Nec mirari debet quiſquam ſi multa in duos eadem conveniant: quin & Diabolum tranſtuliſſe quædam & vetuſtatis obſcuritatem in Saturnum, fieri poteſt, quæ Noë propria erant, cum tamen Noë & Saturnus fuerint diverſiſſimi mortales. Alii in Janum transformant, eodem errore. Non facit ad veritatis confirmationem, ſi fabulæ in veritatem transformentur: quia veritatis lux fabularum tenebras diſſolvit. Id autem honori ſit veritatis, ſi ad ipſas fabulas aliquid aſſumptum fuit, & aliò tranſlatum, quod in veritatis doctrina ſuum locum oſtendere poteſt. De Saturno & ejus filiis, deque Jano ſuo loco. Nam in fabulis non aſſumuntur perſonæ ultra Græcam originem, ſed detorquentur quædam ad perſonas, quæ memoria ulterioris antiquitatis conſervaverat. Origines igitur videamus gentium, quæ ad ſecundam ætatem

ætatem pertinent, ut Babyloniorum, Aſſyriorum, Ægyptiorum, Phœnicum.

Antiquitates Babyloniorum. Nemrod non eſt Belus neque Ninus.

Babylon antiquiſſima fuit urbium, uti videtur, quas, poſt diluvium Sol vidit. Nimrodum illic imperium arripuiſſe certum eſt eoque primum fuiſſe in terris regem, patria poteſtate diſſoluta, quæ hactenus obtinuerat. Quidam ipſo duce cœptum fuiſſe opus condendæ urbis & turris, quod linguarum diviſione confuſum eſt, arbitrantur, alii poſtquam eſſet diviſio & diſperſio facta, illic regiam poteſtatem & vim cœpiſſe exercere. Sicuti quidam ſunt, qui diſperſione jam aliqua facta, cum cæteris in unum convocatis molitum eſſe Nemrodum illam inſanam ſubſtructionem putant. Joſephus, uti ſupra dictum eſt incitatorem fuiſſe & ducem ſuperbiæ & vani operis narrat. Nemrod iſte Belus dici videtur ab Artabano apud Polyhiſtorem: Ἐν δὲ (inquit) ἀδεσπότοις εὕρομεν τὸν Ἀβραὰμ ἀναφέροντα εἰς τοὺς γίγαντας. τούτους δὲ οἰκοῦντας ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ διὰ τὴν ἀσέβειαν ὑπὸ τῶν θεῶν ἀναιρεθῆναι, ὧν ἕνα Βῆλον ἐκφεύγοντα τὸν θάνατον, ἐν Βαβυλῶνι κατοικῆσαι, πύργον τε κατασκευάσαντα, ἐν αὐτῷ διαιτᾶσθαι, ὃν δὴ ἀπὸ τοῦ κατασκευάσαντος Βήλου Βῆλον ὀνομασθῆναι. Sed eſt confuſio temporum. Nam gigantum perditio poſt Abrahami ævum aut certe ad illud detruditur. Belum exſtruxiſſe dicit turrim poſt gigantum cædem ab eo turrim habere nomen, quia conſtruxerat. Nos ſcimus poſteris temporibus Belo hoc ædificium eſſe conſecratum, nec conditori ſed diu poſt ejus ſtructuram nato. Abydenus narrat (id quoque objici poteſt) campum illum in quo Babylon condita eſt, fuiſſe aquis contectum, Beli autem diſpoſitione foſſis & incilibus alio derivatas aquas locum habitationi & ſtructuræ idoneum feciſſe. Λέγεται δὲ πάντα ἐξ ἀρχῆς ὕδωρ εἶναι, θάλασσαν καλεομένην, Βῆλον δὲ σφεα παῦσαι, χώρην ἑκάστῳ ἀπονείμαντα, καὶ Βαβυλῶνα τείχει περιβαλεῖν. Τῷ χρόνῳ δὲ τῷ ἱκνευμένῳ ἀφανισθῆναι. Hæc ejus mens videtur eſſe, Babylona prius exſtitiſſe, quam Belus rerum potiretur, ſed aquis univerſam regionem abundaſſe & obtectam fuiſſe quam diſtribuerit Belus inter incolas, ut quiſque portionem ſuam deductis foſſatis evacuaret. Narrat eum mœnibus circumdediſſe Babylona, non dicit condidiſſe. Conditor igitur Nemrod fuerit, inſtaurator Belus & poſt eum Nabuchodonoſor. Nimrod non eſt Belus multò minus Ninus, quia ante Belum duæ regum dynaſtiæ Babyloniis imperarunt, quas ex Africano producit Euſebius. Οἱ χαλδαῖοι, inquit, πρῶτοι ἀνηγόρευσαν ἑαυτοῖς βασιλεῖς, ὧν πρῶτος Εὐήχιος, ὁ παρ' ἡμῖν Νεμρώδ, ἐβασίλευσεν. Reges iſtarum dynaſtiarum imperarunt annis, quadragentis quadraginta, antequam Belus regnum invaderet.

Prima Dynaſtia in Babylone Chaldæorum regum ſeptem:

Euechoos	annis 6.
Chomaſbolus	annis 7.
Porus, Πῶρος,	annis 35.
Nechobes, Νεχόβης,	annis 42.

Abius	annis	48.
Oniballus	annis	40.
Zinzirus	annis	45.

Διεδέξαντο δὲ Χαλδαίων βασιλείαν Ἄραβες ἐπὶ ἔτη σιʹ βασιλεῖς ϛʹ, ὧν ὁ χρόνος συντέτακται.

Arabes in Babylonia regnarunt:

Mardocentes	annis	45.
Siſimadacus vel Siſimardacus	annis	28.
Gabius	annis	37.
Parannus	annis	40.
Nabonnabus	annis	25.
Ultimus, cujus nomen periit,	annis	41.

Ἡ τῶν Ἀράβων βασιλεία διαδεξαμένη τὴν τῶν Χαλδαίων ὧδε ἔληξεν. Ταύτην Ἀσσυρίων μαʹ διεδέξαντο βασιλεῖς ἀπὸ τοῦ πρώτου αὐτῶν Βήλου ἕως τοῦ Μακοσκολέρου τοῦ καὶ Σαρδαναπάλου, ὡς συμφωνοῦσι πολλοὶ τῶν ἐπισήμων ἱστορικῶν, Πολύβιος καὶ Διόδωρος, κεφαλλίων τε καὶ κάστωρ καὶ Θάλλος καὶ ἕτεροι.

Non potuit Nemrod eſſe Belus, quia Belus poſt illas duas dynaſtias regnare cœpit, quas præceſſit, aut in quarum initio fuit Nemrod. Rectius igitur Euſebius Euechoum interpretatur de Nemrod, quam alii Belum. Si non & illum Euechoum anteceſſit Nemrod. Joſephus Scaliger hujus regni principium id eſt primæ dynaſtiæ connectit cum Periodi Julianæ anno 1980, id eſt mundi conditi 1225. id eſt 431 ante diluvium, quod nullo modo admittendum eſt. Falſis nititur hypotheſibus, quarum prima eſt, quod Aſſyriorum imperium ſteterit annis 1484. ab initio Beli ad Sardanapalum per reges 41. Hoc modo:

1	Belus	annis	55	23	Lampraes	annis	30
2	Ninus	annis	52	24	Panyas	annis	45
3	Semiramis	annis	42	25	Soſarmus	annis	42
4	Ninyas Zames	annis	38	26	Mithræus	annis	27
5	Arius	annis	30	27	Teutamus qui & Teutanes	annis	32
6	Aralius	annis	40	28	Teutæus	annis	44
7	Xerxes	annis	30	29	Arabelus	annis	42
8	Armamithres	annis	38	30	Chalaos	annis	45
9	Beluchus.	annis	35	31	Anabos	annis	38
10	Palæus	annis	52	32	Babios	annis	37
11	Sethus	annis	32	33	Thinæos	annis	30
12	Mamythus	annis	30	34	Dercylus	annis	40
13	Aſchalios	annis	13	35	Eupacmes.	annis	38
14	Sphærus	annis	22	36	Laoſthenes	annis	45
15	Mamylus	annis	30	37	Pyritiades	annis	30
16	Spartheus	annis	42	38	Ophratæus	annis	21
17	Aſcatades	annis	38	39	Ephacheres	annis	52
18	Amyntes	annis	45	40	Acracarnes	annis	42
19	Belochus	annis	25	41	Tonos concoleros, qui à Græcis Sardanapalus dictus eſt.	annis	20
20	Balatores	annis	30				
21	Lamprides	annis	30				
22	Soſares	annis	20				

Tot

Tot enim annis præciſe reges iſtos imperitaſſe & eum numerum ſummamque efficere quis credat? Quomodo probari & cui poterit? Nam alii multò anguſtioribus cancellis id imperium à Belo ad Sardanapalum adſtringunt. Vellejus Paterculus: *In ſequenti tempore imperium Aſiaticum ab Aſſyriis, qui id obtinuerant annis MLXX. translatum eſt ad Medos ab hinc annis fermè DCCCLXX.* [Sic reformant Lipſius & Scaliger & rectè] *Quippe Sardanapalum eorum regem mollitiis fluentem & nimium felicem malo ſuo, tertio & triceſimò loco ab Nino & Semiramide, qui Babylona condiderant, natum, ita ut ſemper ſucceſſor regni paterni foret filius, Arbaces Medus imperio vitaque privavit.* Deinde verò adductis verbis Æmilii Suræ oſtendit quantum ſpatium temporis interſit inter initium Nini regis Aſſyriorum, qui princeps rerum potitus eſt, & devictos à Romanis Philippum & Antiochum. Intereſſe dicit annos 1995. Antiochus victus eſt anno M. 3761. Hinc ſi retrò ceſſeris; demptis illis 1995 annis, devenies ad annum M. 1766. Cui ſummæ ſi addideris 1070, devenies ad annum 2836, quo pertinebit caſus Sardanapali. Conſtat igitur alterutrum numerum eſſe vitioſum. Id conſtat Vellejum in eundem temporum tractum conjicere Lycurgum, conditum Carthaginis, Carani Heraclidæ regnum in Macedonia cum caſu Sardanapali. Quod ſi igitur 1070. anni demantur ab anno 3080, circa quem Sardanapalus ille putatur cecidiſſe, annus 2010. pro initio Nini remanebit. Si autem integer eſt numerus poſterior apud Vellejum, prior reformari debet & ſcribi 1320, rotundo numero. Tot enim annis demptis de 3080, remanebunt anni 1760, pro initio Nini. Scaliger locum non rectè interpretatur de capta Carthagine ad annum M. 3836, cum de ſubacta per Scipionem loquatur antequam Philippus & Antiochus victi eſſent.

Herodotus, cui hic præ aliis omnibus Græcis ſcriptoribus, ut antiquiſſimo adhibenda eſt fides; longe breviore termino includit Aſſyriorum imperium, ab initio ad defectionem Medorum. Ἀσσυρίων ἀρχόντων τῆς ἄνω Ἀσίης ἐπ' ἔτεα εἴκοσι καὶ πεντακόσια, πρῶτοι ἀπ' αὐτῶν Μῆδοι ἤρξαντο ἀπίστασθαι. καὶ οὗτοι περὶ τῆς ἐλευθερίης μαχεσάμενοι τοῖς Ἀσσυρίοισι, ἐγένοντο ἄνδρες ἀγαθοί. καὶ ἀπωσάμενοι τὴν δουλοσύνην ἠλευθερώθησαν. μετὰ δὲ τούτους καὶ τἄλλα ἔθνεα ἐποίει τὠυτὸ Μήδοισι. *Cum Aſſyrii ſuperiori Aſiæ ad annos viginti & quingentos imperitarent, primi ab ipſis Medi cœperunt deficere: qui cum Aſſyriis pro libertate præliati ſtrenuè ſegeſſerunt: Excuſſoque jugo, in libertatem ſe aſſeruerunt. Poſt hos & aliæ gentes idem faciebant cum Medis.* Hoc dicit, quingentis viginti annis tenuiſſe Aſſyrios imperium ſuperioris Aſiæ, tum Medos defectionem cœpiſſe. Defectio illa Medorum confuſa eſt; à pleriſque ſcriptoribus, cum Sardanapali ultimi regis interitu. Pertinet ad annum M. quaſi 3080, quo victi ſunt Aſſyrii à Medis. Non poteſt maturius conſtitui; quia exemplum Medorum ſecuti ſunt alii populi ſeque ſubtraxerunt ab imperio Aſſyriorum. Atqui Nabonaſſare duce videntur Babylonii defeciſſe, id eſt A. O. C. 3203. Parum ſimile vero eſt integrum ſeculum & plus potuiſſe intereſſe, antequam Medorum imitati exemplum Babylonii deficerent. Largiamur tamen Arbacem Medum viciſſe Aſſyrios anno 3080 finemque dediſſe imperio Aſſyriorum. Si jam inde retrò numeres; demaſque annos 520, invenies annum M. 2560, quo imperium Aſiæ adepti ſint Aſſyrii per Ninum.

Altera hypotheſis falſa Scaligeri eſt: Initium imperii Aſſyriorum connecti cum Babylonis conditu. Sic ſcribit notis in fragmenta vett. hiſtoricorum: *In Græcorum libris omnium imperiorum antiquiſſimum eſt Aſſyriacum, cujus*

ſedes urbs ingens Ninus. Nini conditor ſecundum Hebræos Aſſur; Gen. X. 11. Sed Græci, Chaldæi & Perſæ conditorem Nini cognominem urbi ſuæ fuiſſe ſcribunt. Itaque ſive Ninus ſecundum Chaldæos, ſive Aſſur ſecundum Hebræos, is primus fuit rex Aſſyriæ, qui ab Indo flumine ad Libyæ fines, rerum latè potitus ſit: ab eoque regnatum uſque ad Sardanapalum, quem tricesſimum à Nino fuiſſe ſcribit Cteſias & poſt Cteſiam Diodorus. Ambo ab initio Nini ad exitium Sardanapali 1360 annos putant. Deinceps Medi ab initio Arbacis ad initium Cyaxaris, quem Cteſias Aſtiborem nominat, res Aſſyriorum obtinuerunt 242 annis. Ergò ab initio Nini ad initium Cyaxaris, anni ſunt præciſe 1602. Cyaxares inivit imperium Medorum anno 2. olympiadis 37. quod colligitur ex dinumeratione temporum apud Herodotum & diſertè exſtat apud Euſebium. Ergo initium Cyaxaris conſurgit ex anno P. I 4083; de quibus deductis 1602 ſolidis ab initio Nini, ad initium Cyaxaris remanet annus primus Nini reſpondens 2481 in periodo Iuliana. Rurſus Calliſthenes reſcribens Ariſtoteli de ultima antiquitate rerum Chaldaicarum dixit annum captæ ab Alexandro Babylonis fuiſſe milleſimum nongenteſimum tertium computi temporum Chaldaicorum. Capta eſt Babylon anno Periodi Julianæ 4383 Deductis 1902 abſolutis, remanet annus P. I. 2481, quem jam diximus fuiſſe primum ab initio Nini. Ergò computus annorum quo utebantur Chaldæi, initbat ab anno primo Nini, non à Nimrodo, quod aliquando putavimus. Et ſane quia antiquius imperium Aſſyriaco, aut vetuſtiorem regem Nino memorare non poterant jure ab eo annos ſuos putabant quo alium antiquiorem non norant. Scaliger ut diximus, cum Babylonis conditu confundit initium Nini. Atqui ſcriptura diſerte teſtatur principium regni Nemrod fuiſſe Babylonem, cum aliis nonnullis oppidis. Inde ab ipſo ſive ab Aſſur conditam eſſe Ninum. Si igitur Ninus non ſit Nemrod, ejus initium non poteſt cohærere cum conditu Babylonis. Anno illo 1717, condita eſt Babylon, id eſt condi cœpit. Et hinc initium numerandi ſumpſerunt Chaldæi, non ab regis externi imperio. Quomodo nullum antiquius Aſſyriaco imperium norant, ſi duæ dynaſtiæ in Babylone Belum & Ninum præceſſerunt quod ex Africano & Euſebio probas? Antiquiorem Nino regem noverant Nimrodum, antiquiores omnes reges duarum dynaſtiarum. Si voluerunt à ſubjugatione ſua epocham conſtituere, cur non potius à Belo quam Nino. Tertia hypotheſis eſt, quod Sardanapalus ſit ille rex Nini, quem vicit Arbaces Medus. Quid eſt Sardanapalus niſi vocabulum Aſſyriacè compoſitum אסר־חרון־פול? Voce è duabus primis partibus compoſita dicitur ultimus ille Aſſyriorum rex in ſacris literis, אֵסַר־חַדֹּון, filius Sanacharibi cujus & Herodotus meminit. Sarchedonus Σαρχεδωνὸς, corrupte Ἀχυερδωνὸς in libro Tobiæ.. Sardanapalus igitur eſt Aſar-Haddon, quem Babylonii & Medi cum urbe Nino & imperio Aſſyriorum everterunt circa annum M. 3340. A quo ſi retro computes deducendo annos 1360 juxta Diodorum & Cteſiam remanebit pro Nini initio annus M. 1980. Quod quamvis majorem vero antiquitatem Nini prædicet, Abrahami tamen ortum imperio Nini priorem eſſe fatetur.

Aſſyriorum imperium ab Babylonico eſſe aliud agnoſcit Scaliger, vulgò confundunt ſcriptores. Sed regnantes Nini Babylona ſub ditione ſua tenuiſſe ſcribunt à Belo uſque ad Arbacem Medum. Abrahami tempore Amraphel fuit rex Sennaar, qui non parebat Aſſyriis. Nam cum aliis regibus, imò in gratiam Chedorlaomer regis Elam adverſus Pentapolitanos bellum inivit, nulla habita ratione regis Aſſyriæ. Judicum & Davidis tempore Syri & vicinæ Iſraëlitis gentes non ſuberant Aſſyriis. Neſcio, ubi collocare Ninum debeam, monarcham Aſiæ, qui ſibi ſuiſque poſteris uſque

uſque ad Sardanapalum Aſiam ſubjugavit? Omnes Græciæ ſcriptores tradunt ante Ninum in mundo reges fuiſſe ſingulis gentibus; eumque ſubactis regibus cæteris cum Zoroaſtre rege Bactrianorum geſſiſſe bellum: atqui nullus Nemrodo prior rex in terris fuit.

Nemrodi res geſtæ.

Narrat Eutychius Abrahami tempore fuiſſe Nemrod Gigantem, regem Babylonis, ubi primus omnium fertur regnaſſe. Id vult uſque ad Abrahami tempora vitam prorogaſſe, quamvis longè antè cœperit regnare. Vidiſſe eum in nube coronæ formam, vocatoque metallorum fuſore conflaſſe ſibi coronam, quam capiti imponeret. Hinc factum, ut dicerent homines coronam ipſi è cœlo delapſam eſſe. Fabulæ originem eſſe puto, quod in ſacro codice dicatur, *Robuſtus venator coram Domino.* Adjicit hunc primum coluiſſe ignem. Nempe ignem, quem procul in oriente è terra erumpentem conſpexiſſet, adoravit. Conſtituitque eò loci ſacerdotem ignis qui in illum thus conjiceret. Hinc cœpiſſe magos ignem colere. Sacerdotem illum primum ignis fuiſſe, aliquem nomine اندشان *Andeſan.* Huic ex igne oraculum dixiſſe: Nemo igni cultum præſtare poteſt, aut meam diſcere religionem, niſi prius cum matre, ſorore aut filio miſceatur. Id genus inceſtus patraſſe Andeſanem & imitatos eſſe deinceps magorum ſacerdotes. Hæc tranſſcripſit è vulgaribus libris & traditionum commentariis. Sicuti etiam origines fabuloſas quarundam urbium in ſecunda mundi ætate. Patriam poteſtatem diſſolvit, Per vim & armis ſibi imperium & dominationem paravit. Oppida ſtruxit, quibus ſubditos premeret & tutaretur. Hinc igitur origo belli & diſciplinæ militaris, hinc gloria fortitudinis & nobilitas, item magiſtratus & leges. Fortitudo illius & ferocia in proverbium abiit, *ut Nemrod robuſtus venator coram Domino*, כְּנִמְרֹד גִּבּוֹר צַיִד לִפְנֵי יְהוָה. LXX: *ὡς Νεβρὼδ γίγας κυνηγὸς ἐναντίον κυρίου.* Significatur viribus præferocem & invictum coëgiſſe ſub imperium homines, ut ſuperantur & ſubiguntur feræ. Aut ſenſus eſt venationem exercuiſſe ſtrenue & hinc ad homines domandos tranſiiſſe, certaminum frequentium victoriis inſignem ſibi paraſſe famam. *Abuſus eſt viribus ſuis* (inquit Cl. Rivetus) *ut non ſolum feras ſubigeret, ſed homines ipſos ſub jugum mitteret & liberos in ſervitutem redigeret.* Ejus exemplum aliis in locis imitati alii regna paſſim condiderunt. Ita verum eſſe videtur, quod ex Trogo habet Juſtinus: *Principio rerum, gentium nationumque imperium penes reges erat.* Et Salluſtius: *Igitur initio reges* (*nam in terris nomen imperii id primum fuit*) *diverſi &c.* Quod ſi per vim primi illi patriam poteſtatem ſolverint reges, inde non ſequitur nullam poteſtatem regiam aut aliorum magiſtratuum eſſe legitimam aut cum juſtitia ſuſcipi poſſe. Nam non ſola patria poteſtas Deo probatur. Illa languida & imbecilla, aut pigra & remiſſa nimium non potuiſſet in ea ævi brevitate & malitia contumaces & rebelles coërcere. Primis illis temporibus, quæ diluvium præceſſerunt, longævitas numeroſam poſteritatis dabat propaginem, unde validum erat imperium multitudine & numero. Quin uni monarchæ tota hominum multitudo, quæ ſeſe non ſubtraxerat cum Cainitis, ſubdita erat, at poſt diluvium plures familiæ patriarchis diviſæ, ob paucitatem debiles, ſine viribus regi & ſtare non poterant. Remiſſius quoque & æquo indulgentius patriarcharum im-

 perium

perium poteſtate gladii divinitus inſtituta, utebatur. Quare ſcelera & vis non fuiſſent coërcita, & in ruinam iſſet humana omnis ſocietas. Fuit igitur neceſſe tandem in aliam formam dominationis ſive gubernationis tranſiri, Noë & tribus ejus filiis fato ſublatis, ſic in alienos dominatus de neceſſitate oriri debuit & conſtitui. Id tantum in Nemrod ejuſque ſimilibus reprehendendum, quod ante tempus dominatum arripuiſſe videantur. Forma illa, qua ab alienis plurium familiarum ſocietas in vicos & civitates congregata, regitur, modo tantum non poteſtatis eſſentia à patria illa dominatione diſſidet. Debuit neceſſariò inſtitui, in hac brevitate vitæ & innumerarum familiarum diſſipatione, imò & commiſtione in unum locum, ac legitime collata & ſuſcepta eſt inſequenti tempore.

Venator fuiſſe videtur, quod hominum bellicoſorum proprium eſt exercitium. Facilis à venatione ferarum ad prælia cum hominibus ſolet eſſe tranſitus. Livius de Romulo & Remo. *Ita geniti, ita educati, cum primum adolevit ætas, nec in ſtabulis nec ad pecora ſegnes, venando peragrare ſaltus, hinc robore corporibus animiſque ſumpto, jam non feras tantum ſubſiſtere ſed in latrones præda onuſtos impetum facere.* Non ſubſiſtit ille impetus ſemper ad latrones, pro hoſtibus ſæpe habet, qui ſubjici renuunt aut habent, quod eripi poteſt. Propter abuſum honeſtæ rei moderatus uſus improbari nequit. Nam rectè ac verè Xenophon I. κυρουπαιδ. ἐκ ἀληθεστάτη δοκεῖ αὕτη ἡ μελέτη τῶν πρὸς πόλεμον εἶναι. Columella de R. R. præfat. lib. 1. *At mehercule vera illa Romuli proles aſſiduis venatibus nec minus agreſtibus operibus exercitata, firmiſſimis prævaluit corporibus ac militiam belli, cum res poſtulavit, facilè ſuſtinuit.* Plinius Cæcilius Panegyrico ad Trajanum Imperatorem: *Olim hæc experientia juventutis* hæc voluptas erat, his artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris curſu, cum audacibus robore, cum callidis aſtu: nec mediocre pacis decus habebatur, ſubmota campis irruptio ferarum & obſidione quadam liberatus agreſtium labor.

Nemrodum incepiſſe imperium Babylonicum ante diſperſionem à diviſis linguis, ejuſque ductu & auſpiciis cœptam eſſe ædificationem putat & Ioſephus, ut patet ex iis, quæ ſuprà allegata ſunt. Idem exiſtimant multi alii, inter quos eſt, quoſque ſequitur Philippus Bergomas in ſupplemento Chronicorum, cujus nugas, quas ex aliis congeſſit, legimus haſce: *Nemroth autem filius Chus, filii Cham, filii Noë, gigas permaximus fuit: vaſtiſſimo quidem corpore, cum haberetur audaciſſimus & manu fortiſſimus inter omnes filios Noë, tyrannidem primus apud Babylonios exercere cœpit. Quod ideò venatorem ſacræ literæ eum appellant. Cui cum octo fuiſſent filii omnem terram à Gaza uſque in Ægyptum tenuerunt. Fuiſſe autem quatuor Nembroth ab autoribus compertum habemus. Primum hunc videlicet ex ſemine Cham, de quo à Bouzio optimo hiſtorico ſic habetur: Noë genuit Sem, Sem genuit Arphaxad, qui genuit Sale, qui genuit Heber & fratrem ejus Ierari, qui & ipſe genuit Nembroth, qui genuit Cretem, qui genuit Cælum & Iovem & Saturnum cognomento Nembroth: ecce tertium ejus nominis Nembroth. Ex quibus patet, quod ex linea Sem duo deſcenderunt Nembroth. Quartum deindè dicimus Belum primum Aſſyriorum regem cognominatum fuiſſe Nembroth, quia liber, qui mundi imago inſcribitur ſic inquit: Nembroth genuit Aſſur, qui genuit Belum cognomento Nembroth*, de quo mox dicemus in capitulo Heber, à quo Hebræi. Inferius igitur ſic: *Nembroth itaque hujus nominis primus, de quo ſupra memoravimus, Chus ſc. filius, filii Cham, filii Noë magni, his temporibus ſuo proavo Noë vita functo, ab Ionico Æta rege filioque Noë edoctus cum eſſet audaciſſimus vir, manuque fortis, libidine dominandi admodum ſuccenſus, primum impe-*

tium

rium & tyrannidem in ſuos apud Babylonios ſibi uſurpavit. Cujus regni principium fuit Babylon ipſa, quam ipſe fundavit, cum aliis civitatibus, videlicet Arach & Accad & Calanne in terra Sennaar. Quamobrem Dei venatorem ideſt deceptorem ac humani ſanguinis effuſorem humanique generis oppreſſorem cognominari meruit. Imperio itaque hoc modo per tyrannum adepto, proximos ſuos, videlicet Iectan ex filiis Sem & Suphne ex filiis Iapheth, in ſuos ad faciendum ſuo exemplo hortatus eſt. Horum autem trium principum ductu & auſpicio, univerſa Noë ſanctiſſimi poſteritas regebatur. Convenerant itaque hi tres, cum innumerabili ſuorum multitudine, in campo Sennaar, quos Nembroth ipſe, vir audaciſſimus & lingua diſertiſſimus affatus eſt dicens: Ne Deo adſcriberent hominum felicitatem ſed unuſquiſque id potius propria virtute obtineret. Vnde pernicioſiſſimus vir, univerſos mortales ſuis deceptionibus à Dei timore ſolus avertere præſumpſit, tanquam ultionem de Deo (quantum fas erat) excipere volens, dixitque ad univerſos adſtantes: Venite, faciamus lateres & coquamus eos, ut cum eis ædificemus civitatem atque turrim celſiſſimam, cujus cacumen ad cœlum uſque pertingat. Quam quum primum ædificare cœpiſſent, Deus confeſtim (ut ſacræ teſtantur literæ) ædificantium ſuperbiam hac animadverſione ſolum mulctavit, ut tot gentes, quæ eo convenerant, ex omni cœlo, quæ & ſeptuaginta erant quibus & cuique unum fuerat labium eademque lingua, etiam totidem linguarum confuſione ſuperinducta ſeparavit neceſſitate inducente, ut alter alterius vocem non intelligeret & ſuper omnem terræ faciem diſpergerentur: Atque ita cum imperantis dominatio in lingua conſiſtat, merito Nembroth ſuperbia in lingua damnata fuit, ut & ipſe non intelligeretur, jubendo homini, qui intelligere noluit Deo jubente ſibi. Is itaque hac linguarum confuſione adeo turpiter confuſus, eveſtigio in Perſidem ſeceſſit, ubi & Perſas ignem colere docuit. Exinde error ille cæcas illorum hominum mentes invaſit, ut Solem Deum utique eſſe putarint. Demum, ut quidam tradunt, à filiis conſervatus, unà cum Cameſſe filio in Italiam trajecit, ibique, ubi nunc Roma habetur, urbem Parvulam condidit, quam ex nomine filii ſui Cameſſam appellavit.

At Spiritus S. res ab eo geſtas tribus verſiculis complexus eſt Gen. X. 10. 11. *Principium regni ejus fuit Babel, & Erech & Accad & Calne in terra Sennaar. Ex hac terra egreſſus eſt in Aſſur & condidit Nineve & Rehoboth-Ir & Cale: & Reſen inter Nineve & Cale. Illa eſt magna iſta urbs.* Hæc narratio Moſis duo complectitur. 1. Principium regni in Senaar. 2. Egreſſionem in Aſſyriam. Principium regni id eſt prima ejus dominatio continebatur finibus Senaar. In qua terra quatuor urbes habuiſſe commemoratur. Inter eos prima eſt Babylon. An eam condiderit Nemrod, an potius conditam ceperit in regni ſedem, dicere non poſſum. Tres aliæ urbes adjiciuntur Erech Accad & Chalne. De iis etiam non refert Moſes, quod eas condiderit, tantum hoc dicit in illis quatuor Principium regni ejus fuiſſe. Diſtinguamus igitur, Regni primordia & accrementum ſeu prorogationem finium. In harum urbium explicatione, nimium ſibi, permittunt interpretes. Calne exprimunt Chalanne, aliis vocalibus. Ut Erech ſit Edeſſa vetus ad Eufratem, quod, citante Junio volunt Jeroſolymitanus & Hieronymus: ut Accad ſit Niſibis ſive ad Eufratem ſive juxta montem Noë, non permittit ſitus, quem Moſes conſtituit intra terram Sennaar; quæ diverſiſſima eſt à monte Singara, ad cujus nomen reſpicientes aberrarunt multi.

Nemrod non contentus dominatione terræ Sennaar, quam condendis urbibus potius quam armis videtur ſubjugaſſe, expeditionem fecit in Aſſyriam, eamque conſimili modo ſubjecit, id eſt conditis oppidis, quorum ambitu & mœnibus incolas tuebatur & ſibi obnoxios habebat. Locus illu-

ſtris

ſtris eſt Gen. X. 11. מִן הָאָרֶץ הַהִוא יָצָא אַשּׁוּר וַיִּבֶן אֶת־נִינְוֵה וְאֶת־רְחֹבֹת עִיר וְאֶת־כָּלַח *E terra hac egreſſus eſt Aſſur & condidit Nineve & Rehoboth ir & Cale.* Verſu ſequente eidem illi attribuitur conditus Reſenis. In dubio eſt, quis ſit ille qui Aſſyriæ urbes egreſſus è terra Sennaar condiderit. Veteres ferè & plerique interpretes ad patrum uſque ætatem, Aſſur putant eſſe nomen filii Semi eumque è terra Sennaar progreſſum eſſe in regionem Tranſtigritanam nomenque & famam poſteris traditum eſſe voluiſſe condendis illis clariſſimis urbibus. Viri ſummi viderunt melius & convenientius vocem Aſſur pro regione ſumi. Quare de Nemrodo dici omnia cujus res geſtæ à Sp. S. in iſto loco exponuntur. Unum eſt, quod de Aſſur, ut viro alio à Nemrodo, locum accipi debere ſuadet, ut quidem illis viſum eſt, quia τὸ אַשּׁוּר ſine particula abſolute ponitur, non לְאַשּׁוּר. Hoc errori dedit originem, non obſervantibus rei narratæ rationem, nec animadvertentibus, quod ἔλλειψις ejuſmodi non ſit inſolita. Argumenta multa ſuadent rem, quæ narratur, de Nemrodo accipi. I. Oppoſitio eſt inter Nemrodi imperium primum ejuſque progreſſus & dilatationem. Nemrodum narrat cœpiſſe tyrannidem exercere & armis ſubigere familias. Hujus regnum quod fuerit, exponit, quæ initia, qui progreſſus. II. Egrediendi vocabulum expeditionem bellicam ſignificat, Deut. XXI. 10. 11. Sam. XI. 1. Hic autem ſermo eſt de homine bellatore, qui armis ſibi imperium paravit. Non potuit è terra Sennaar alius egredi ſummus imperator præter Nemrodum. III. Si de Aſſur, armis itidem graſſante, ut fecerat prius & docuerat mortales Nemrod, ſcriptura ſe voluiſſet intelligi id verbulo indicaſſet. Nunc manet in explicatione & deſcriptione ejuſdem perſonæ quam dixerat eſſe cœpiſſe venatorem coram Domino. IV. Si hic Aſſur, vir bellicoſus, intelligeretur, non poſſet alius eſſe quam Semi filius, quod & ipſi, qui ſic exponunt, arbitrantur. Atqui I. Aſſur iſte habuit pro ſorte ſua Aſſyriam non Chaldæam ut è Chaldæa egredi ad ſubigendam Aſſyriam ipſi neceſſe non fuerit. Cum in Chaldæa etiam ſedem habere non potuerit, ut aliena regione. II. Aſſur è familia Semi oriundus arma tractare voluiſſe & poſteros Semi, fratres ſuos debellare voluiſſe non eſt credibile. V. Videtur in Aſſyria deinceps ſedem regni potuiſſe Nemrod, quia & terra Aſſur, non terra Babylonia dicta eſt ab illo terra Nemrod, Michææ V. v. 5. *Et paſcent terram* Aſſur in gladio & terram Nemrod *in aditibus ſuis.* Ita nos liberabit ab Aſſur. Michæas non agit de Babyloniis ſed de Aſſyriis, qui Ezeciæ regis tempore infeſti erant Judæis, à qua vexatione liberationem prædicat. Ea tempeſtate Chaldæi nihil dum Judæos læſerant, ab illis liberari nec petitum ſit nec promiſſum. Et interitus, qui in hoc loco per prophetam denuntiatur, ad Chaldæos non poteſt applicari. Nam Chaldæi non ſunt expulſi è Judæa, cum ejus fines devaſtaſſent. Cum Aſſur puniretur, Chaldæa nihil paſſa eſt, quin potius per Chaldæos aut iis juvantibus Aſſyria everſa eſt.

Nemrod igitur duas clariſſimas & ampliſſimas orientis urbes condidit Babylona & Ninum. Facta eſt ab illo τετράπολις Sennaar & Aſſur. Hic etiam non novimus, quænam urbes fuerint tres illæ poſteriores, Rehoboth, cale & Reſen De רחבות עיר ita Cl. Bochartus: *Alii appellative explicant* plateas civitatis, *alii propriè*, Rehoboth urbem, *quod videtur eſſe verius. 1. Quia plateæ urbis dicerentur* רחבות העיר *cum* ה *præfixo ante* עיר. *2.*

Præterea

Præterea quorſum dicatur Nemrod ædificaſſe Nineven & plateas urbis Nineves? Quis neſcit in urbe vaſta non deeſſe plateas, atque eas ædificari ſimul cum ipſa urbe? 3. Quin & ædificandi vox hic videatur minus propria, quia non tam ædificantur plateæ, quam domus circà plateas. 4. Denique ſi רחבות *ſit nomen urbis, Aſſyria tam fuerit* τετράπολις *quam terra Sennaar, quod videtur vero propius. 5. Itaque ne* רחבות *putaremus eſſe plateas, Moſes ſignanter addidit* רחבות עִיר*, Rehoboth urbem ad vitandam homonymiam. Rectè igitur Græci* τὴν ῥωβὼθ πόλιν*; Et Onkelos* ית רחובי קרתא*; Et Arabs Erpenianus:* ورحوبوت البلد*, id eſt Rooboth vel Rehobe vel Rehoboth urbem; Et Arabs nuper editus* قرية الرحبة *urbem Rahaba, omnes eodem ſenſu.* Hactenus Bochartus. Meus: ورحوبوت القرية. Oppidum ad Eufratem hujus nominis aliud eſt, nec debet confundi cum hac urbe.

De Nino urbe & rege.

NInum conditam eſſe à Nino mentiuntur ſcriptores, Nemrodi opus eſt. Hujus magnitudinem & Moſes prædicat in hac ipſa narratione rerum Nemrodi: הִוא הָעִיר הַגְּדוֹלָה. In Jona propheta admodum celebratur ejus amplitudo. Nam cap. I. 2. הָעִיר הַגְּדוֹלָה, ut Moſes. Cujus locutionis ea vis eſt, ut ſignificanter dicat, cum ejus magnitudine nullam urbium poſſe comparari. Ampliſſima igitur urbium fuit, orbe toto, tempore Moſis & Exodi Hebræorum, & eam gloriam temporibus Jonæ prophetæ retinebat. Aſſyria ſibi imperii magnitudinem & quam dicunt monarchiam quæſivit. Hinc id nomen celebratiſſimum eſt in prima Græciæ antiquitate & commutatum eſt corruptione quadam in vocabulum Syriæ: quo ampliſſimum terrarum ſpatium denotatur. Æmilius Sura apud Vellejum Paterculum: *Aſſyrii principes omnium gentium rerum potiti ſunt.* Juſtinus: *Aſſyrii, qui poſteà Syri dicti ſunt.* Plinius: *Iuxtà Syria littus occupat, quondam terrarum maxima & pluribus diſtincta nominibus.* Ἄσσυρες apud Euſtathium Eratoſthenes appellat imitatione antiquitatis, qui ſunt aliis Ἀσσύριοι. Ἀτυρία apud Dionem in Trajano, Ἀτουρία Straboni pro Ἀσσυρία, nempe אתור pro אשור, ut תור pro שור. Dio: καὶ τήν τε Ἀδιαβηνὴν παρεστήσατο (ἔστι δὲ τῆς Ἀσσυρίας τῆς περὶ Νῖνον μέρος αὕτη) καὶ τά τε Ἄρβηλα καὶ τὰ Γαυγάμηλα, παρ' οἷς ὁ Ἀλέξανδρος τὸν Δαρεῖον ἐνίκησε. ταῦτα· τῆς δ' ἐστὶ καί που καὶ Ἀτυρία [Ἀτ̓υρία] (παρὰ τοῦτο) βαρβαριστὶ, τῶν σίγμα ἐς τὸ ταῦ μεταπεσόντων, ἐκλήθη. *Et Adiabenen ſubegerunt (Eſt autem pars Aſſyriæ circà Ninum) item Arbela & Gaugamela, ubi Alexander Darium vicit. Hæc autem ejus [Aſſyriæ] ſunt, quæ etiam Atyria barbare, duobus ſigma in Tau tranſmutatis vocata eſt.* Attyria ſcribi non debet, ut quidam exiſtimarunt, quia expreſſe notat dio, duo Sigma in Tau, unum nempe mutari, τῶν σιγμα εἰς τὸ ταῦ. Aſſyria ſeu Atyria idem eſt. Apud Aben-eſdram in notis ad Jonam. *Nineve regia fuit Aſſyriæ, quæ hodie deſolata eſt, dicunt porrò ſapientes Iſraël qui in Græcia ſunt, eam vocari* אורט״א. Rectè obſervavit Cl. Bochartus ſcribendum eſſe אטוריא. Ejus pars fuit Adiabene, Ἀδιαβηνὴ, non eſt hoc aliud nomen Aſſyriæ. Pars ejus fuit, quam ſic eſſe appellatam ſcribit Suidas, παρὰ τὸ εἶναι πλείους ποταμοὺς ἐν αὐτῇ καὶ δυσχερεστέραν ποιεῖν τὴν διάβασιν. Ea originatio falſa eſt, ut alii annotarunt. Iterum obſervat inobſervatum hactenus idem Bochartus Chaldæo interpreti vocari הדיב ſic & Thalmudicis. Nam Jerem. 51. 27. legitur in Hebræo: מַמְלְכוֹת אֲרָרַט מִנִּי וְאַשְׁכְּנָז, Chaldæus habet: מלכות ארעא דקרדו משרת חורמיני והדיב, Regna terræ

Cardu, Copiæ Hurmine & Adiabene. הדיב non חריב legi debet. Ezech. 27. 23. כַּנֵּה redditur Chaldæo נציבין, & pro עֶדֶן habet הדיב. In tractatu Thalmudico Baba bathra יעקוב הדייבא *Iacob Hadiabenus* & זוגא דמן הדיב par ſapientum ex Hadiabene. In tractatu Kidduſim חָבוֹר exponitur הדיב. Hæc rectè obſervavit Bochartus. Ab eodem obſervatum eſt duos illos amnes, quibus Adiabene irrigatur, & regioni nomen datum eſt, Diabam & Adiabam, aliis nominibus appellari: priorem quidem λύκον multis ſcriptoribus, quia דיבא Chaldæis eſt λύκος: Xenophonti lib. 2. Cyri minoris Ζάβατον & libro tertiò Ζάτην. Ζάβατον videri factum è דייבת. Alterum הדייבא multis nominibus apud priſcos autores inclaruiſſe. Arabs Geographus duos fluvios Zabi nomine memorat Zab majorem & minorem, qui abſque dubio ſint Diabas & Adiabas. Quemadmodum etiam Paulus Diaconus, Calliſtus, author hiſtoriæ miſcellæ Zabæ nomen utrique flumini faciunt. Nicolaus Fullerus Ζάτιν & Ζάβατον diſtinguit, putatque Ζάτιν eſſe Diavam, nempe fluvium majorem, Ζάβατον autem eſſe Adiabam, minorem altero, eoque ſcribendum eſſe Ζάβκατον, ex Hebræo קָטָן. Hæc meritò rejiciuntur à Bocharto. Docet etiam Bochartus in autoribus duplicem Ninon commemorari alteram in Comagene ad Eufratem, alteram in Aſſyria. Illam in Comagene veterem Ninum diſcriminis cauſa appellari. Herodotus nuſquam [quod tamen exiſtimat ille] Νῖνον ad Eufratem collocat. Nam quæ verba adducit è lib. I. cap. 185. διὰ τῆς πόλιος μέσης ῥέει, non Ninum ſed Babylonem deſcribunt. Hæc mira eſt hallucinatio ſagaciſſimi ſcriptoris. Interim certum eſt, ad Eufratem in Comagene fuiſſe urbem Nini veteris nomine quam Diodorus & Cteſias à Nino Aſſyriorum rege conditam eſſe arbitrantur ante Ninum in Aſſyria. Ibi ſomniant Nini regiam fuiſſe & regum ſequentium uſque ad Sardanapalum. Nam refert è Cteſia Diodorus Salæmenem, quem copiis ſuis adverſus Arbacem præfecerat Sardanapalus, ante urbem Ninum victum fuiſſe & interfectum: Καὶ τόν τε Σαλαιμένην ἀνεῖλον καὶ τῶν ἀντιταξαμένων τοὺς μὲν ἐν τῇ φυγῇ κατέσφαξαν, τοὺς δὲ ἀποκλεισθέντας τῆς εἰς τὴν πόλιν ἐπανόδου καὶ συναναγκασθέντας ἑαυτοὺς ῥίπτειν εἰς τὸν Εὐφράτην ποταμὸν, πλὴν ὀλίγων πάντας ἀνεῖλον. Urbe excluſi Aſſyrii id eſt Sardanapali milites Eufrate ſubmerguntur. Narrat etiam oraculum λόγιον παραδεδομένον ἐκ προγόνων, ὅτι τὴν Νῖνον οὐδεὶς ἕλῃ ἐὰν μὴ πρότερον ὁ ποταμὸς τῇ πόλει γένηται πολέμιος. Cum igitur obſidio Nini in tertium annum protracta eſſet, illo, συνεχῶν ὄμβρων ῥαγδαίων καταρραγέντων συνέβη τὸν Εὐφράτην μέγαν γενόμενον κατακλύσαι τὸ μέρος τῆς πόλεως καὶ καταβαλεῖν τὸ τεῖχος ἐπὶ ϛαδίους εἴκοσιν. Refert etiam de monumento Nini regis, quam ipſi uxor Semiramis ſtruxit: διὸ καὶ τῆς πόλεως παρὰ τῷ Εὐφράτῃ ἀπὸ πολλῶν ϛαδίων ἐφαίνετο τὸ χῶμα καθαπερεί τις ἀκρόπολις. Manifeſtum igitur eſt Cteſiam & Diodorum è Cteſia Ninum, Aſſyriorum regum regiam, ad Eufratem collocaſſe. Hanc Ninum antiquiorem fuiſſe Babylone, conditam à Nino rege illo decantatiſſimo, cujus uxor & vidua Babylonem poſteà exſtruxerit. E Cteſiæ & Diodori (ut arbitror) opinione Semiramis alteram Ninon condiderit, cum ad illam referant emporiorum nobiliſſimorum ad Tigrin & Eufratis originem. Aſſyrios reges dicere, alio in loco, quam in ipſa Aſſyria & Nini ad Tigrin habuiſſe regiam ſuam, falſum eſt, aut duobus in locis ſedere. Illam ad Eufratem Ninum ex Ammiano in Comagene conſtituimus, *Comagena* inquit, *nunc Eufratenſis*, *clementer aſſurgit*, *Hierapoli*, *vetere Nino & Samoſata*, *civitatibus amplis illuſtris*. Ammianus ſolus docet,

ubi

ubi illa vetus Ninus ſita fuit, quam poſſumus illam eſſe exiſtimare, de qua Cteſias fabulatur. Mentionem veteris hujus Nini nullam facit Plinius, nullam Strabo, nullam Ptolemæus. Ejus ſitum & nomen expreſſit Ammianus, celebravit maximè Philoſtratus in vita Apollonii. Sed his omiſſis ſitum Nini alterius, quam condidit Nemrod, conſideremus. Plinius lib. 6. cap. 26. *Meſopotamia tota Aſſyriorum fuit*, vicatim diſperſa; præter Babylona & Ninum. Quaſi Ninus in Meſopotamia poſita fuerit: at hæc mens Plinii eſt Babylona & Ninum, antiquiſſimas urbes fuiſſe, ad quas partes Meſopotamiæ pertinuerint. In adverſa ripa, ubi nunc eſt Mauſel, ædificia fuiſſe, quæ accenſebantur Nino, vero quoque ſimile eſt. Teſtatur Benjamin inter Mauſel & Ninum pontem Tigri impoſitum fuiſſe, quaſi duæ civitates junctæ eſſent. Unde & Mauſel dicit eſſe אשור הגדולה, Aſſur magnam. Ea igitur urbs Aſſyriæ videtur attribui, ut Nini veteris pars. Geographus Nuba: *Mauſel eſt urbs ad occidentalem Tigridis partem exſtructa, habetque territoria ampla & provincias magnas, ac præ cæteris territorium Lino*, لينى, *urbis vetuſtiſſimæ, ſitæ ab orientali latere Tigris è regione Mauſel.* Plinius iterum lib. 6. cap. 13. *Fuit & Ninus impoſita Tigri, ad ſolis occaſum ſpectans quondam clariſſima.* His verbis Plinius non collocat Ninum in occidentali ripa Tigris fluvii, quod exiſtimavit doctiſſimus Fullerus. Senſus enim eſt in occidentali parte Aſſyriæ ſitam fuiſſe. Inſpiciatur locus cum examine antecedentium & conſequentium. Herodotus lib. I. cap. 193. παρ' ὃν [Τίγριν] Νίνος πόλις οἰκέαται, fortaſſis οἴκατο legendum eſt. Lib. 2. cap. 101. Ἐς τὸν Τίγριν ποταμὸν παραῤῥέοντα τὴν Νῖνον. Strabo: Ἐν πεδίῳ κειμένη τῆς Ἀτουρίας ἡ δ' Ἀτουρία, τοῖς περὶ Ἄρβηλα τόποις ὁμοία [legendum ὅμορος] ἐστι μεταξὺ ἔχουσα τὸν Λύκον ποταμόν. Τὰ μὲν οὖν Ἄρβηλα τῆς Βαβυλωνίας ὑπάρχει, ἃ κατ' αὐτὴν ἐστιν. ἐν δὲ τῇ περαίᾳ τοῦ Λύκου τὰ τῆς Ἀτουρίας πεδία τῇ Νίνῳ περίκειται. ἐν δὲ τῇ Ἀτουρίᾳ ἐστι Γαυγάμηλα κώμη ἐν ᾗ συνέβη νικηθῆναι καὶ ἀποβαλεῖν τὴν ἀρχὴν Δαρεῖον. Accuratè deſcribit Aturiam, in cujus campis ſita erat Ninus; item Gaugamela, ubi victus olim Darius erat. Lycum fluvium Aturiam & Babyloniam diſcriminare. Babylonia enim ipſi protenditur ultra Tigrin, ſicuti & Diodoro. Ptolemæus Babyloniam longè anguſtius determinat, uti ſupra viſum eſt. Geographus Nuba Ninum ponit ex adverſo urbis Mauſel, in orientali ripa Tigris. In Tigrin influere dicit Zab majorem & minorem. Majorem ad Haditham, minorem ad Sen, oppida Tigri accubantia, quæ inter ſe diſtent XXXVI. millibus paſſuum. Haditham diſtare ab urbe Tacrit, ad quam Tigris ſcinditur & Meſenem facit, XLII paſſuum millibus. Ubi tamen vitium eſt, aut in altero loco, ubi Sen & Tacrit dirimit quadraginta millibus. Ninus igitur ſita non fuit ad Lycum, qui eſt alter Zab. Dirimit tantum quantum Sen aut Haditha diſtat à Mauſel. Ptolemæus Aſſyriam deſcribit ita: A Septentrione terminari parte magnæ Armeniæ ad montem Niphatem: ab occaſu Meſopotamia: à Meridie Suſiane, κατὰ τὴν ἀπὸ τοῦ προειρημένου γραμμὴν, μέχρι πέρατος οὗ ἡ θέσις πδʹ λς. Ἀπὸ δὲ ἀνατολῶν Μηδίας μέρει κατὰ τὴν ἐπιζευγνύουσαν τὰ εἰρημένα δύο πέρατα γραμμὴν, ἐφ' ἧς Χαβώρας τὸ ὄρος οὗ τὰ πέρατα ἐπέχει μοίρας π λθ 30 καὶ πγ λη. Regionis partem, quæ juxta Armeniam eſt, vocari ἀῤῥαπαχῖτιν: quæ juxta Suſianem Sittacenen, media teneri à Garamæis. Inter Arrapachitin & Garamæos eſſe Adiabenen: inter Garamæos & Sittacenen eſſe Apolloniatin. Supra Apolloniatin eſſe gentem Sabatas, ſupra Adiabenen Calacinen, ſupra Garamæos Arbelitin. Ninum collocat hoc ſitu: 78: 36. 20. Gaugamela 79. 10: 37. 15.

Arbela

Arbela 80: 37. 15. Tria flumina Lycum, Caprum, Gorgum memorat. Lyci fontes 78: 39. confluentes cum Tigri 79: 36. 20. Capri fontes 79: 39. 30. conjunctio cum Tigri 79. 0: 36. 10. Gorgi fontes 80. 20: 38. conjunctio cum Tigri, 80. 0: 35. 20. Inter Lyci & Capri confluentes decem ſcrupula tantum interſunt. Tigris verſus ortum inflectitur paulatim, petendo meridiem. Nini poſitus eſt ſeptuaginta octo gradibus longitudinis, triginta ſex gradibus latitudinis cum viginti ſcrupulis. Eodem poſitu eſt Lyci oſtium, quantum latitudinem attinet at integro gradu orientalius. Exiſtimat Fullerus, Ammiano Marcellino Anzabam fluvium occidentaliorem conſtitui, quam Ninive eſt. Accedit ipſi Bochartus, utrumque falli arbitror. Ammianus ita dicit: *Poſtquam reges Nineve Adiabenes ingenti civitate tranſmiſſa, in medio pontis Anzabæ hoſtis cæſis extiſque proſperantibus tranſiere lætiſſimi.* En, inquiunt, reges ab oriente verſus occidentem tendunt, Nineven perveniunt prius quam Anzabam fluvium. Anzabam putant eſſe Lycum. Res ſic eſt: Ipſe ſcriptor exploratum miſſus, in excelſis Corduenæ rupibus conſtitutus vidit copias Perſarum, quæ ut trajicerent Tigrin ſuperioribus locis, ubi minor meat, primo proceſſere ſeptentrionem verſus, per campos Adiabenes, juxta Nineves rudera donec ad Anzabam pervenirent flumen Corduenæ vicinius. Ammiani locus eſt in lib. 18. Anzabas non eſt Lycus, ut illi exiſtimant, ſed Caprus. Forte Anzabas eſt, quem Adiabam vocat nomine paulum detorto, alio loco Ammianus.

Nini ſitu explorato, illius magnitudinem & diſpoſitionem inveſtigare locus monet. Magnitudinem prædicant Moſes & liber Jonæ. Jonæ c. 3. v. 3. ונינוה היתה עיר גדולה לאלהים מהלך שלשת ימים, Et Nineve erat urbs magna Deo, itinere trium dierum. Videtur multis de ambitu eſſe intelligendum, aliis de peragratione. Quemadmodum dicitur verſu ſequente, quod prædicationem aggreſſus unum diem in peragrando conſumpſerit, antequam ſe rex & incolæ ad Deum precibus & pœnitentia converterent. Hic David Kimchi: עיר גדולה לאלהים׳ כל דבר לרוצה להגדילו סומך אותו לאל דרך הגדלה כמו כהררי אל׳ ארזי אל׳ שלהבת יה׳ מאפל יה׳: *Omnem rem, quam volunt augere, ei adjungunt* אֵל per modum αὐξήσεως *ut montes Dei, cedri Dei, flamma Domini, caligo Domini.* Sequitur ויחל יונה, Hic ita Kimchi: כי העיר היתה מהלך ג׳ ימים מן הקצה אל הקצה והחל יונה להכנס בעיר עד מהלך יום: *Quia urbs erat itineris trium dierum à termino ad terminum, incepit Ionas ingredi in civitate uſque ad iter diei.* Ex Aben-eſdra adducitur, סָבִיב הַמְּדִינָה, circuitum urbis. Sed ipſe ambigit. Hieronymus: *Civitas magna & tanti ambitus, ut vix trium dierum itinere poſſet circuiri.* Theodoretus: Τὸ δὲ ὡσεὶ πορείας ὁδοῦ ἡμερῶν τριῶν, τινὲς μὲν περὶ τῆς χώρας ἐξειλήφασι τῆς ὑπὸ τὴν πόλιν τελούσης ὡς τριῶν ἡμερῶν ὁδὸν κατὰ τὸ μῆκος καὶ τὸ εὖρος ἐχούσης, τινὲς δὲ ὡς τοῦ κηρύττοντος διὰ τριῶν ἡμερῶν ἅπασαν περινοστῆσαι δυναμένου τὴν πόλιν. εἴτε δὲ τοῦτο εἴτε ἐκεῖνό τις δέξαιτο, οὐδὲν λυμαίνεται τῇ ἀληθείᾳ. ἀλλ᾽ ὅμως ἐμοὶ δοκεῖ τὸ δεύτερον ἀληθέστερον εἶναι· τοῦτο δέ με παραιρεῖσθαι τὸ ἐπαγόμενον ἀναγκάζει.

Ἤρξατο γάρ φησιν Ἰωνᾶς τοῦ εἰσπορεύεσθαι εἰς τὴν πόλιν ὡσεὶ πορείαν ἡμέρας μιᾶς] οὐ κατ᾽ εὐθὺ τῆς πόλεως ὁδεύων, ἀλλ᾽ ἀγορὰς καὶ ἀγυιὰς καὶ ῥύμας περινοστῶν καὶ κηρύττων. Magnitudinem Nini ita deſcribit Diodorus Siculus & Figuram: Ἔκτισε πόλιν εὖ τετειχισμένην ἑτερόμηκες αὐτῆς ὑποστησάμενος τὸ σχῆμα. ἔχει δὲ τῶν μὲν μακροτέρων πλευρῶν ἑκατέραν ἡ πόλις ρν΄ σταδίων, τῶν δὲ βραχυτέρων

χιλίων ἑξήκοντα. διὸ καὶ τοῦ σύμπαντος περιβόλου συσταθέντος ἐκ σταδίων τετρακοσίων καὶ ὀγδοήκοντα, τῆς ἐλπίδος οὐ διεψεύσθη. Ambitum facit 480. ſtadiorum in illa Eufratenſi Nino, quam Ninus urbem propoſuerat facere omnibus urbibus ampliorem id eſt tantæ amplitudinis, ut parem nec illa ætas haberet, nec ſequens viſura eſſet. ἐξελέξατο τόπον εὔθετον εἰς πόλεως μεγάλης κτίσιν. ἐπιφανεστάτας γὰρ πράξεις τῶν πρὸ αὐτοῦ κατειργασμένος, ἔσπευδε τηλικαύτην κτίσαι τὸ μέγεθος πόλιν, ὥστε μὴ μόνον αὐτὴν εἶναι μεγίστην τῶν τότε οὐσῶν κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἀλλὰ μηδὲ τῶν μεταγενεστέρων ἕτερον ἐπιβαλλόμενον ῥᾳδίως ἂν ὑπερθέσθαι. Non vidit orbis poſteà tantæ amplitudinis & capacitatis urbem, ideò dicit Ninum Τῆς ἐλπίδος οὐ διαψευσθῆναι. Inde in deſcriptione ſic pergit: Τηλικαύτην γὰρ πόλιν οὐδεὶς ὕστερον ἔκτισε κατά τε τὸ μέγεθος τοῦ περιβόλου καὶ τὴν περὶ τὸ τεῖχος μεγαλοπρέπειαν. Magnificentiam mœnium valde prædicat: Τὸ μὲν γὰρ ὕψος εἶχε τὸ τεῖχος ποδῶν ρ, τὸ δὲ πλάτος τρισὶν ἅρμασιν ἱππάσιμον ἦν. οἱ δὲ σύμπαντες πύργοι τὸν μὲν ἀριθμὸν ἦσαν χίλιοι καὶ πεντακόσιοι, τὸ δ' ὕψος εἶχον ποδῶν διακοσίων. Hæc ſine dubio deſumpta ſunt è fabularum conſarcinatore Cteſia, ita extollente Ninum fabuloſam Eufrati adſitam, neſcias quid & quantum ex eo poſſit admitti tanquam conveniens Nino Aſſyriæ aut ab illa tranſlatum. Conſtat Ninum Babylone ampliorem fuiſſe, quia illud elogium amplitudinis à Sp. S. Babyloni non attribuitur. Niſi Nabuchadneſſar in æqualem Nino amplitudinem Babylona extenderit. Nam & de ejus vaſtiſſima capacitate mira prædicantur. Nini everſionem vaticinatus eſt Nachum. Qui ejus mercaturam minorem fuiſſe dicit, quam No, urbis in Ægypto ampliſſimæ. In aquis ſitam fuiſſe & portas aquarum habuiſſe teſtatur. Et hæc ſatis hoc in loco de urbe Nino, reliqua ſuis locis. Inquiramus in regem Ninum, de quo tam multa Græci fabulantur, præeunte Cteſia. Ejus ætatem ſi invenerimus, patebit unde initium ſumpſerit illa decantatiſſima Aſſyriorum dominatio, qua antiquiorem Græci non ſciunt. Hic enim ille eſt, qui princeps ſcriptores nactus eſt, & rerum potitus. Primum, Lactantius lib. I. de falſa religione: *Theophilus in libro de temporibus, ad Autolicum ſcripto, ait in hiſtoria ſua Thalum dicere, quod Belus, quem Babylonii & Aſſyrii colunt, antiquior Trojano bello fuiſſe invenitur CCCXXII. annis: Belum autem Saturno æqualem fuiſſe & utrumque uno tempore adoleviſſe. Quod adeo verum eſt &c. Ab excidio autem Trojanæ urbis, colliguntur anni MCCCCLXX. Ex hac temporum ratione manifeſtum eſt, ante annos non amplius quam MDCCC. natum eſſe Saturnum, qui & ſator omnium deorum fuit.* Hic numeri integri ſunt, ut è ſumma patet. Trojæ caſus evenit anno M. C. juxta Scaligerum 2767. Hinc ſi illos 322 annos dempſeris, relinquentur anni M.C. 2445. Quod fuit octennio fermè ante exodum Hebræorum. Ninus igitur (ſi hujus Beli filius fuit) imperare cœpit poſt annum M. C. 2500. Secundo, Porphyrius (teſte Scaligero) Semiramidem æqualem fuiſſe temporum Troicorum, aut haud multò ſuperiorem ſcripſit. Vixerit poſt annum M. C. 2700. Trojano bello 50 annis ferme antiquior. Ninus igitur imperare cœperit anno M. C. 2650. Porphyrius apud Scaligerum de Sanchoniathone Berytio Phœnicum ſcriptore: Ἱστορεῖ δὲ, inquit, τὰ περὶ Ἰουδαίων ἀληθέστατα, ὅτι καὶ τοῖς τόποις καὶ τοῖς ὀνόμασιν αὐτῶν συμφωνότατα Σαγχωνιάθων ὁ Βηρύτιος, εἰληφὼς τὰ ὑπομνήματα παρὰ Ἱερομβάλου τοῦ Ἱερέως θεοῦ Ἰευὼ, ὃς Ἀβελβάλῳ, τῷ Βασιλεῖ Βηρυτίων τὴν ἱστορίαν ἀναθεὶς, ὑπ' ἐκείνου καὶ τῶν κατ' αὐτὸν ἐξεταστῶν τῆς ἀληθείας παρεδέχθη. οἱ δὲ τούτων χρόνοι καὶ πρὸ τῶν Τρωϊκῶν πίπτουσι, χρόνων, καὶ σχεδὸν τοῖς Μωσέως πλησιάζουσιν, ὡς αἱ τῶν τῆς φοι-

νίκης Βασιλέων διαδοχαὶ μηνύουσι, Σαγχωνιάθων δὲ, ὁ κατὰ τὴν Φοινίκων διάλεκτον, φιλαλήθως πᾶσαν τὴν παλαιὰν ἱστορίαν ἐκ τῶν κατὰ πόλιν ὑπομνημάτων, καὶ τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀναγραφῶν συναγαγὼν καὶ συγγράψας, ἐπὶ Σεμιράμεως γέγονε τῆς Ἀσσυρίων Βασιλίδος. ἣ πρὸ τῶν Ἰλιακῶν ἢ κατ' αὐτούς γε τοὺς χρόνους γενέσθαι ἀναγέγραπται. τὰ δὲ τοῦ Σαγχουνιάθωνος εἰς Ἑλλάδα γλῶσσαν ἑρμήνευσε Φίλων ὁ Βύβλιος. *Narrat autem res Iudæorum veriſſime, maximeque eorum locis & nominibus conſonantia Sanchoniathon Berytius, acceptis commentariis ab Hierombalo, ſacerdote Dei Ievo, qui Abibalo regi Berytiorum dedicavit hiſtoriam, & ab illo inquiſitoribuſque veritatis, ejus tempore receptus eſt. Horum autem tempora incidunt etiam ante Troïca, & prope ad Moſis ætatem accedunt, ut regum Phœnices ſucceſſiones oſtendunt. Sanchoniathon autem, qui lingua Phœnicum, ſtudioſus veritatis, omnem antiquam hiſtoriam ex monumentis oppidorum & tabulis templorum collegit & conſcripſit, fuit tempore Semiramidis reginæ Aſſyriorum, quam ante Iliaca aut ipſis illis temporibus vixiſſe relatum eſt in literas. Sanchoniathonis autem libros in linguam Græcam convertit Philo Byblius.* Scaliger Porphyrium duos errores commiſiſſe arbitratur. 1. Quod Sanchoniathonem jungat Troicis temporibus. 2. Quod Semiramin æqualem temporum iſtorum fuiſſe exiſtimet. Nam quod primum illud attinet, Sanchoniathonem longè inferiorem fuiſſe ſeculo Trojano, ut qui conditum Tyri, tanquam rem antiquiſſimam memoret: cum Tyrus condita ſit 76. anno ante Ilii excidium. Sed falſum eſt Tyrum tam ſero conditam eſſe, quia jam tempore Joſue erat Joſ. XIX. 29. id eſt tribus fermè ſeculis ante excidium Ilii. *Sed quod* (inquit de Porphyrio Scaliger) *ſeculum Semiramidis cum Troïcis temporibus comparat, longè abſurdius & Porphyrio indigniſſimum. Ipſa enim annis mille excidium Ilii anteceſſit.* Hoc demonſtrare conatur ex hiſtoria Diodori & Cteſiæ, item obſervationibus Chaldæorum, quas Calliſthenes in Græciam miſit. Cteſiam nequaquam ſuſcipimus, quamvis nationem hiſtoricorum pene univerſam traxerit; de obſervationibus illis, infrà dicendum. Nunc pergamus in demonſtratione veræ ætatis Nini. Tertium igitur argumentum eſto ex Herodoteis illis, quæ ſupra laudavimus. Ninus dominationem Aſſyriæ per ſuperiorem Aſiam primus extendit. Atqui antequam deficerent Medi, imperium illud obtinuerant annis 520. Circa quod tempus etiam Babylonios defeciſſe quis ambigat? Cum exemplum eorum ſecutos eſſe cæteros populos dicat Herodotus. Nabonaſſar jugum Aſſyrium abjecit anno 3203, à quibus ſi demantur anni 520, reſiduus erit annus M. C. 2683, quo Ninus regnare cœperit. Ita non procul abſumus ab anno 2650. Fieri enim poteſt quod Nabonaſſaris initium aliquanto longius ſit remotum à rebellione Medorum. Medi defecerint viginti annis antequam Babylonii ſe in libertatem vindicarent. Quartum argumentum ex eodem Herodoto obſervamus. Primum Sardium regem dicit fuiſſe Argona Nini filium, Beli nepotem. Ἄγρων μὲν γὰρ ὁ Νίνου, τοῦ Βήλου, τοῦ Ἀλκαίου, πρῶτος Ἡρακλειδέων, βασιλεὺς ἐγένετο Σαρδίων. Atqui Heraclidæ per quingentos & quinque annos, ἐπὶ δύο καὶ εἴκοσι γενεὰς ἀνδρῶν, imperium Sardium tenuerunt, everſi dejectique à Gyge Daſcyli filio. Mermnadarum dynaſtia, in qua primus fuit Gyges, in Crœſo interiit. Gyges regnavit annos 38. Ardyes, 58. Quo regnante Cimmerii, à Scythis Nomadibus ejecti, in Aſiam irrupere, Sardeſque præter arcem occuparunt. Sadyattes imperium tenuit annis duodecim. Halyattes annis ſeptem & quinquaginta. Crœſi imperio attribuuntur anni quindecim. Joſephus Scaliger: *Herodotus ſcribit Crœſum captivum apud Cyrum conſenuiſſe.*

Alii

Alii eundem Cræſo finem, quem regno ejus ſtatuunt, in quibus Soſicrates Lacon, vetuſtiſſimus Chronologus refert Periandrum Cypſeli filium Corinthiorum Tyrannum obiiſſe ante Cræſum annis X L I. cæde Cræſi procul dubio imperium Lydorum terminans. Obiit autem Periander, teſte Laërtio, exitu Olympiadis 48, hoc eſt anno Iphiteo deſinente C X C I I. Accedentibus annis X L I, colliguntur ab initio primæ Olympiadis ad exitum Cræſi, anni C C X X X I I I. Ergo Cræſus obierit anno Periodi Iulianæ 4170. Ab initio autem Ardyſi, ad exitum Cræſi, intervallum eſt annorum C C X L V I I: quibus de 4170 deductis,relinquitur initium Ardyſi annus Periodi Iulianæ 3923. Et proinde initium Gygis, primi Mermnadarum congruit anno 4002. Herodotus autem ab initio Argonos ad initium Gygis, putat annos DV: quibus deductis de 4002, remanet initium Argonis, 3497, annis 280 poſt exodum Hebræorum. Tanta eſt hujus imperii vetuſtas. Itaque initium Gygis concurrit cum anno primo Olympiadis X V I I, non autem X V I I I ut eſt apud Clementem, qui fortaſſe eſt error librariorum. Longius à vero abeſt poſt Africanum Euſebius, qui ſecundo anno vigeſimæ Olympiadis initium Gygis ſtatuit. Hactenus Scaliger, qui Periandrum X L I annis ante Cræſum docet obiiſſe. Vivebat Periander adhuc duodecimo anno Halyattis, apud Herodotum. Nam Thraſybulo & Mileſiis oraculum Delphis Alyatti datum indicavit, eo anno Halyattis. Scaliger exitum Crœſi & finem Mermnadarum ponit in exitu olympiadis L I X, non ut Euſebius & Solinus cap. V I I. in olymp. L V I I I. Anno igitur mundi 2732, initium Argonis, qui fuit Nini filius, Beli nepos. Ninus igitur circà annum M. 2650 fuerit, id quod & ſuprà dicebamus. Abhinc ad annum M. 3203, quo Nabonaſſar cœpit regnare, ſunt anni quaſi 550. Id eſt ab initio Nini ad initium Nabonaſſari tot anni ſunt. Ita Herodotus ſibi non repugnat, quando dicit imperium Aſiæ ſuperioris obtinuiſſe Aſſyrios annis 520, & Ninum fuiſſe Beli filium, Herculis nepotem. Nam Græcorum hæc fuit vanitas, *quicquid ubique magnificum eſt, in claritatem, Herculis* referre, uti Tacitus loquitur. Quemadmodum Heraclidarum, ita & Mermnadarum Lydiæ regum originem ad Herculem conferunt. Scaliger: *Tertia dynaſtia fuit Mermnadorum, ad quos quomodo ex Heraclidis imperium tranſlatum ſit habes apud Herodotum. Sed & ipſi quoque Heraclidæ fuerunt. Nam ex Omphale duos ſuſcepit filios Hercules, Laomedonta, à quo prior familia regum Lydiæ Hieraclidarum: item Agelaon, à quo Mermnadæ.* Apollodorus: ἐξ ὀμφάλης δὲ Ἀγέλαον, ὅθεν καὶ τὸ κρoίσου γένος. Hercules è vivis exceſſit anno quadrageſimo ante captam Trojam, id eſt anno M. ferè 2727. Sic enim Vellejus: *Tum ferè anno octogeſimo poſt Trojam captam, centeſimo & vigeſimo, quam Hercules ad Deos exceſſerat.* Non adeò igitur procul ab ætate Herculis abfuit Ninus. Ex quo potius ortos fuiſſe crediderim, illos, qui Heraclidæ dicti ſunt, quam ab Hercule Græco Amphitryonis filio. Sextum ſumo ex Macrobio lib. 7. in ſomnium Scipionis: *Cum abhinc ultrà duo retro annorum millia de excellenti rerum geſtarum memoria ne Græca quidem exſtet hiſtoria? Nam ſuprà Ninum à quo Semiramis ſecundum quoſdam creditur procreata, nihil præclarum in libros relatum eſt.* Vixit & ſcripſit ita Macrobius poſt annum à Chriſto 400 id eſt M. C. 4349. Hinc deduc 2000; remanebunt 2349 ſeu 2350. Largè ſcripſiſſe Macrobium minimè dubito. Ita antiquiorem juſto Ninum facit, refellit tamen eos, qui Abrahamo faciunt priorem. Principium igitur Monarchiæ (ut vocant) Aſſyriæ deduco præter propter ab anno, quem dixi, 2650. Ninus ea tempeſtate regnum adiit, ſucceſſor illius Beli qui Babyloniorum ſecundæ dynaſtiæ impoſuit finem. Quod ſi ponamus Belum Babylona ſubjugaſſe,

jugaſſe, ſeu potius Arabum dominationi eripuiſſe anno M. C. 2620. Ex illis deducemus annos 440. quibus duæ dynaſtiæ Babylona obtinuerunt. Euechoum igitur rerum potitus eſſe Babylone anno 2180. Alia igitur præceſſit dynaſtia inter Babylonis ſive Nimrodi initium. Euechous igitur non eſt Nemrod. Nam & Nemrodus creditur longo tempore regnaſſe, Euechous ſexennio ſolo tenuit principatum. Aliquanto tempore Aſſyrii Babylona tenuerunt, Nemrodo rerum potiunte & ejus ſucceſſoribus, quibus Ninus regia erat. Nini regum primorum jugum excuſſerunt Babylonii, duce fortaſſis Belo aliquo, cui ideo divinos honores decreverunt. Tempore Abrahami Amraphel, rex Sennaar, non fuit ſubjectus Aſſyriis, quia regi Elam potius paruiſſe videtur. Illi enim latè dominanti ſocia arma junxere reges multi ut rebelles Pentapolitanos ab obſequium reducerent. Gen. XIV. Iam igitur Elamitis parebant Babylonii. Imperarunt Babyloniis priores Aſſyrii, poſt illos Elamitæ. Quorum jugum excuſſerunt, duce, ſicuti conjicias, Euechoo. Inter hunc Euechoum & conditum Babylonis interjecti fuerunt anni 463. Non poteſt quicquam objici nobis Ninum approximantibus Ilii excidio cum Porphyrio, niſi antiquitas obſervationum Chaldaicarum, de qua Simplicius in librum ſecundum de cœlo. Quas dicit fuiſſe annorum mille nongentorum & trium. Eas enim Calliſthenes, ἐπισκήψαντος αὐτῷ τοῦ Ἀριστοτέλους, in Græciam miſit. Hi pertigerunt ad annum captæ ab Alexandro Babylonis, qui mundi conditi fuit 3619. Inde deductis annis 1902, remanet annus O. C. 1717. quo condi cœpit Babylon. Ergò hoc inquit Scaliger, eſt initium Nini. Quam rationem dicis, ut initium Nini fuerit, cur non potius eſſe *Nemrodi*, aut ipſius urbis conſtituerim? Chaldæos in campo, undique patente, in ſublimi ædificio ſpeculatos eſſe cœlum & ſpeculari cœpiſſe cum ipſo principio urbis conditæ probabile eſt. Quod ſi pertendat aliquis Euechoum eſſe *Nemrodum*, dixerit Chumum Aſbolum eſſe Chuſum, cui filius ceſſerit Babylona regendam. Quod videtur ex Eupolemo Polyhiſtor apud Euſebium προπαρασκ. 9. 17. ſignificare.

De Phœnicum antiquitatibus.

Mundi originem qualem Phœnices credant, in Heptaëmero vidimus, nunc eorum antiquitates explicemus. Mundi originem non repetunt ante diluvium, quamvis quædam veſtigia ſacræ antiquitatis ſuis originibus admiſcuerint. Sanchoniathonis apud Euſebium reliquias perſequamur. Ille è Taauti commentariis, expoſita Mundi origine, ἑξῆς τούτοις ὀνόματα τῶν ἀνέμων εἰπὼν Νότου καὶ Βορέου καὶ τῶν λοιπῶν de illis ſic narrat: Ἀλλ' οὗτοί γε πρῶτοι ἀφιέρωσαν τὰ τῆς γῆς βλαστήματα, καὶ θεοὺς ἐνόμισαν, καὶ προσεκύνουν ταῦτα ἀφ' ὧν αὐτοί τε διεγίνοντο καὶ οἱ ἑπόμενοι καὶ οἱ πρὸ αὐτῶν πάντες καὶ χοὰς καὶ ἐπιχύσεις ἐποίουν. *Sed hi primi conſecrarunt terræ germina & Deos eſſe exiſtimabant & adorabant hæc è quibus vitam tolerabant ipſi eorumque poſteri quique eos anteceſſerant, & libamina ac immolationes faciebant.* Addit: Αὗται δ' ἦσαν αἱ ἐπίνοιαι τῆς προσκυνήσεως ὅμοιαι τῇ αὐτῶν ἀσθενείᾳ καὶ ψυχῆς ἀτολμίᾳ. *Atque hæ erant Divini cultus cogitationes, cum eorum imbecillitate ac timiditate convenientes.* Hoc igitur primum fuit hominum genus, qui imbecilliores animis minuſque audentes terræ germina comederunt & coluerunt. Inde aliud genus natum eſt. Εἶτά φησι γεγενῆσθαι ἐκ τοῦ Κολπία ἀνέμου καὶ γυναικὸς αὐτοῦ Βάαυ,

τοῦτο

τοῦτο δὲ νύκτα ἑρμηνεύειν, Αἰῶνα καὶ Πρωτόγονον θνητοὺς ἄνδρας, οὕτω καλουμένους, εὑρεῖν δὲ τὸν Αἰῶνα τὴν ἀπὸ τῶν δένδρων τροφήν. Ἐκ τούτων τοὺς γενομένους κληθῆναι γένος καὶ γενεὰν καὶ οἰκῆσαι Φοινίκην. Αὐχμῶν δὲ γενομένων τὰς χεῖρας ὀρέγειν εἰς οὐρανοὺς πρὸς τὸν ἥλιον. τοῦτον γὰρ, φησιν, θεὸν ἐνόμιζον μόνον οὐρανοῦ εἶναι, Βεελσάμην καλοῦντες ὅ ἐστι παρὰ Φοίνιξι κύριος οὐρανοῦ, Ζεὺς δὲ παρ' Ἕλλησι. Primum illud genus hominum immortale fuiſſe ſignificat, mortales ortos eſſe è Colpia & Baau, quorum filii fuerunt Ævum & Primogenitus. His ſatos eſſe Γένος & γενεὰν, id eſt Genus & ætatem. Ἑξῆς, φησιν, ἀπὸ Γένους Αἰῶνος καὶ Πρωτογόνου γεννηθῆναι παῖδας θνητοὺς, οἷς εἶναι ὀνόματα Φῶς καὶ Πῦρ καὶ Φλόξ. οὗτοί, φησιν, ἐκ παρατρίψεως ξύλων εὗρον πῦρ καὶ τὴν χρῆσιν ἐδίδαξαν. υἱοὺς δὲ ἐγέννησαν οὗτοι μεγέθει τε καὶ ὑπεροχῇ κρείσσονας. ὧν τὰ ὀνόματα τοῖς ὄρεσιν ἐπετέθη ὧν ἐκράτησαν ὡς ἐξ αὐτῶν κληθῆναι τὸ Κάσσιον καὶ τὸν Λίβανον καὶ τὸν Ἀντιλίβανον καὶ τὸ Βραθύ. ἐκ τούτων, φησιν, ἐγεννήθησαν Μημροῦμος καὶ Ὑψουράνιος. ἀπὸ μητέρων δὲ φησιν, ἐχρημάτιζον τῶν τότε γυναικῶν ἀναίδην μισγομένων οἷς ἐντύχοιεν. Hæc eſt Phœnicum ſeu Taauti potius, à quo Sanchoniatho ſua hauſit, hiſtoria primordiorum mundi. Quia ſcelera, cæli phænomena & terrarum aquarumque elementa pro diis coluerunt, iis ortum adſcribunt in modum hominum. Ita Primum genus hominum immortalium terræ germinibus vixit, alterum fructibus arborum veſcebatur. Hoc ſecundum genus ipſis conſtituunt in cælo Ignis, lux, flamma: in terris nomina montium. Hactenus igitur θεοὶ φυσικοί. Inde jam primum veros homines noſſe incipit Hiſtoria: Primi ſunt Memrumus & Hypſurarinus. Hypſuranius ille incoluit Tyrum inſulam, graveſque cum Uſoo fratre inimicitias exercuit. Jam apparet primos hominum, quos novit Taautus & antiquiſſima Phœnicum hiſtoria fuiſſe Tyri conditorem & Uſorum. Non poſſumus dubitare, quin Uſous Οὔσωος ſit Eſau filius Iſaaci, frater Jacobi. Hypſuranii igitur ætas cum Eſau debet conjungi. Hypſuranius genuit Ἀγρέα καὶ Ἁλιέα. Ex his nati duo fratres, quorum alter Chryſor, Græcis Ἥφαιστος appellatur. Ex hoc genere poſtea duos adoleſcentes eſſe natos τεχνίτην καὶ γήϊνον Αὐτόχθονα. Hinc Ἀγρὸς καὶ Ἀγρότης. Hoc genus (quod ab iis inſtitutum erat) Ἀλήτας καὶ Τιτᾶνας vocatum eſſe. Ex his prodiiſſe Amynum & Magum, qui gregum paſcendorum rationem docuere. Nam opificiorum & artium inventionem per ætates increviſſe. Unde nomen quæque ætas & familia ab ſua arte & opificio invenit. Jam ex Amyni & Magi genere Miſor & Sydyc originem habuiſſe. Miſoris filium fuiſſe Taautum. E Sydyc ortos eſſe Dioſcuros, qui iidem ſint Corybantes & Samothraces. Hac ætate natum eſſe Eliun, עֶלְיוֹן & fœminam Βηροὺθ, qui circa Byblum habitarunt. Filius Eliun fuit Ἐπίγειος ἢ Αὐτόχθων, quem poſtea Οὐρανὸν appellarunt. Cui ſoror fuit, appellata Γῆ id eſt Terra. Hoc ſeculum confertur cum illo ævo, quo Iſraëlitæ in Ægypto vivebant. Et ab hoc Urano & Ge fabulæ Græcorum apud Apollodorum initium capiunt. Quam hiſtoriam fabulis involutam Taautus tradidit. Ab Eſavi ætate memoria eſt in fabulis Phœnicum. Illic eam rem fuſius, Deo dante, exſequemur.

Ægyptiorum antiquitates.

IN Ægyptiis antiquitatibus præcipuum fundamentum ponunt ſuæ ſententiæ, illi, qui mundum antiquiorem volunt eſſe calculo Hebræorum

codicum. Diligenter igitur inquirendum in earum rationem. Quod uti recte & curatè fiat, Herodotum, Diodorum, Manethon præcipuè, deinde & alios componemus. Herodoti narratio ejuſmodi eſt, quam à ſacerdotibus accepit in Ægypto:

Men primus apud Ægyptios regnavit. Condidit urbem, quæ poſtea Memphis dicta eſt. Μετὰ δὲ τοῦτον, κατέλεγον οἱ ἱρέες ἐκ βύβλου [al. Βίβλου] ἄλλων βασιλέων τριηκοσίων τε καὶ τριήκοντα οὐνόματα. ἐν τοσαύτῃσι γενεῇσι ἀνθρώπων, ὀκτωκαίδεκα μὲν Αἰθίοπες ἦσαν, μία δὲ γυνὴ ἐπιχωρίη, οἱ δὲ ἄλλοι ἄνδρες Αἰγύπτιοι. Τῇ δὲ γυναικὶ οὔνομα ἦν, ἥτις ἐβασίλευσε, τό περ τῇ Βαβυλωνίῃ, Νίτωκρις. Hanc Ægyptii in ſolio poſuerant, occiſo ejus fratre.

Ultimum illorum trecentorum & triginta regum fuiſſe Μοῖριν, Mœrin.

Illi ſucceſſit Seſoſtris, Σέσωστρις. Qui plurimas regiones ſubegit, Scythas etiam & Thracas. E cujus exercitu Colchos ad Phaſim fluvium ortos putat eſſe Herodotus.

Defuncto Seſoſtri regnum ſuſcepiſſe ejus filium Φερῶνα. Pheroni ſucceſſit Proteus, vir Memphites. Hoc regnante Alexandrum cum Helena adveniſſe in Ægyptum.

Rampſinitus, ῥαμψίνιτος, excepit Protea

Cheops, Χέοψ, poſt Rampſinitum rerum potitus eſt, ἐς πᾶσαν κακότητα ἐλάσαι. Regnavit annos 50.

Illi ſucceſſit frater Χεφρῆν. regnavit annos 56.

Mycerinus, Μυκερῖνος, Cheopis filius.

Poſt Mycerinum Ægypto imperavit Ἄσυχις.

Poſt Aſychim, Anyſis, cæcus. Quo tempore Σαβακὼς, Æthiopum rex, Ægyptum occupavit, & tenuit annis 50. His annis elapſis, ſomnio turbatus, Ægypti dominationem liberam cæco reſtituit.

Defuncto Anyſi regnum accepit Sethon Vulcani ſacerdos. Ad hunc regem numerabant ſacerdotes, μέχρι τε καὶ τεσσαράκοντα καὶ τριηκοσίας ἀνθρώπων γενεὰς γενομένας. καὶ ἐν ταύτῃσι ἀρχιερέας καὶ βασιλέας ἑκατέρους τοσούτους γενομένους. Hinc Herodotus conjectat annorum numerum à Mene uſque Sethonem, qui fuit tempore Ezechiæ regis Judææ. γενεαὶ γὰρ τρεῖς ἀνδρῶν ἑκατὸν ἔτεά ἐστι. Trecentæ igitur generationes faciunt decem annorum millia: Una & quadraginta ſunt anni mille trecenti quadraginta. Hoc toto tempore θεὸν ἀνθρωποειδέα οὐδένα γενέσθαι. Ægyptii ante iſtos ex hominibus reges, primò octo Deos, deinde ſecundi generis duodecim alios regnaſſe ferebant. Tertio loco etiam regnaſſe tertios Deos, ἃ ἐκ τῶν δυώδεκα θεῶν ἐγένοντο. Oſiris filium Orum deorum poſtremum imperaſſe interfecto Typhone. Diodorus Siculus in Ægypto didicerat ante homines regnantes imperium tenuiſſe Deos & heroas. Solemque in Ægypto regnaſſe primum, ὁμώνυμον ὄντα τῷ κατ' οὐρανὸν ἄστρῳ. Alii Vulcanum dicebant. Poſthos Saturnum, qui è Rhea ſorore Oſirim & Iſin, vel (ut alii volunt) Jovem & Junionem genuit. Ex Jove & Junone Oſirin, Iſin, Typhonem, Apollinem & Venerem natos eſſe. Oſiridis ἱερογραμματέα fuiſſe Mercurium. Oſirim habuiſſe exercitus ſui Imperatorem Herculem, cumque Oſiride militatum profectos eſſe Anubin & Macedonem filios, item Pana aliosque viros inſignes laudibus virtutis & artium. Interfectum eſſe ab fratre Typhone, quem Iſis (ſoror & uxor Oſiridis) adjuvante filio Oro puniit. Annos, ab Oſiride & Iſide ad conditam in Ægypto Alexandriam, numerabant quidam πλείω τῶν μυρίων, alii βραχὺ λείποντα τῶν δισμυρίων καὶ τρισχιλίων. Ultimus deorum imperavit Orus. Diodorus:

δοκεῖ

δοκεῖ δ' ὕϛατος τῶν θεῶν οὗτος βασιλεῦσαι μετὰ τὴν τοῦ πατρὸς Ὀσίριδος ἐξ ἀνθρώπων μετάϛασιν. Id reddendum : *Vltimus autem deorum iſte regnavit poſt patris diſceſſum ex hominibus.* Verbum δοκεῖ ſuperabundat. Quidam fabulati ſunt Deos & Heroas in Ægypto regnum tenuiſſe annos paulo minus octies & decies mille. Alii numerum annorum multo contractiorem faciebant. Nam deorum antiquiſſimos regnaſſe annis 1200, poſteriores non minus annis 300. A Mena ad centeſimam octogeſimam olympiada, ab hominibus regnatum eſſe, per quindecim ferè annorum millia.

Poſt Deos primus regnavit Μηνᾶς, Herodoto appellatur Μήν. Ejus poſteri imperarunt LII, annis plus mille & quadringentis.

Buſiris illis ſucceſſit, & octo ab eo progeniti, ordine reges, quorum ultimus, cognominis primo, Thebas condidit, quam Dioſpolin vocabant Ægyptii. Inde memorat Oſymandyæ regis monumentum, quod Thebis exſtabat. Hunc quidam cum Memnone eundem eſſe ſtatuebant, ut teſtatur Strabo. Ab hoc ſive Buſiride ultimo octavus fuit Οὐχορεὺς, Uchorei filius, Memphis conditor.

Poſt eum duodecim ætatibus Myris rerum potitus eſt.

Hinc poſt ſeptem ætates Seſooſis, Σεσόωσις, regum clariſſimus, qui longiſſima expeditione ad Scythas & Indos uſque bellatum profectus eſt. Regnavit ann. 33.

Succeſſit ipſi filius, qui patris nomen aſſumpſit.

Μετὰ δὲ τοῦτον τὸν βασιλέα, συχνοὶ τῶν διαδεξαμένων τὴν ἀρχὴν [ἦσαν] οὐδὲν ἔπραξαν ἀναγραφῆς ἄξιον. Multis poſt ætatibus Amoſis fuit, ſubditis gravis.

Actiſanes Æthiopum rex, Ægyptum ſibi ſubjecit.

Mendes ſive Marus, nullo facinore nobilis niſi ædificatione Labyrinthi, ad cujus exemplar Dædalus Cretenſem conſtruxit.

Poſt eum quinque ætatibus ἀναρχία. Hinc κέτης, quem Græci Protea vocant.

Proteo ſucceſſit filius Rhemphis.

Hinc per ſeptem ætates ignavi reges, niſi quod Nileus diligentia circa ductus aquarum meruit, ut fluvius ab illo deinceps nomen haberet.

Octavus fuit Chemmis, Memphites, qui regnavit ann. 50.

Defunctum hunc in imperio ſecutus eſt κεφρὴν, qui regnavit annis 56. Ἔνιοι δέ φασιν, οὐκ ἀδελφὸν, ἀλλ' υἱὸν παραλαβεῖν τὴν ἀρχὴν, ὀνομαζόμενον χαβρύην.

Poſt eum Mycerinus (alii χερῖνον vocant) filius ejus qui priorem pyramidem condidit. Ipſe enim tertiam molitus eſt.

Bocchoris corpore exili & deſpicabili, ingenio præſtans. Hunc eſſe exiſtimo, quem Diodorus Sapientem in antecedentibus cognominat, filium Gnephachthi.

Poſt multas inde tempeſtates Ægypto potitus eſt Sabacos Æthiops, qui pius & viſione turbatus Ægyptum indigenis reddidit.

Ἀναρχία biennii, unde exiſtunt duodecim reges. Qui cum quindecim annis ſimul ſummæ rerum præfuiſſent, ad unum Pſammetichum dominatio devoluta eſt. Diodorus alio ejuſdem libri loco, Primum è regibus Μνεύην, lego Μηνᾶν, alterum Saſychin, tertium Seſooſin, quartum Bocchorin ſapientem, quintum Amaſin legiſlatores fuiſſe dicit. Ex Manetho Ægyptio ſacerdote Joſephus & Africanus fragmenta hiſtoriæ regum adduxerunt. Joſephus Scaliger digeſſit ex Africano regum dynaſtias. Quarum viginti quinque priores hæ ſunt :

 Prima

Prima Dynaſtia Thinitarum; annorum 263.

1 MEnes Thinites ann. 62.
2 Athothis ejus fil. ann. 57. Regiam in urbe Memphi condidit.
3 Cenicenes ejus fil. ann. 31.
4 Enephes ejus fil. ann. 23.
5 Saphædus ejus fil. ann. 20.
6 Mieuidus ejus fil. ann. 26.
7 Semempſis ejus fil. ann. 18.
8 Bieneches ejus fil. ann. 26.

Secunda Dynaſtia Thinitarum, quæ habet annos 302.

1 Boëthus ann. 38.
2 Catechos ann. 39. Inſtitutum ut boves colerentur.
3 Binothris ann. 47.
4 Tlas ann. 17.
5 Sethenes ann. 41.
6 Chæres ann. 17.
7 Mephercheres ann. 25.
8 Seſochris ann. 48. Gigas vaſtæ proceritatis.
9 Ceneres ann. 30.

Tertia Dynaſtia Memphitarum, complexa annos 214.

1 Echerophes ann. 28. Libyum defectio.
2 Toſorthros ann. 29.
3 Tyris ann. 7.
4 Meſochris ann. 17.
5 Zoyphis ann. 16.
6 Toſertaſis ann. 19.
7 Aches ann. 42.
8 Siphuris ann. 30.
9 Kerpheres ann. 26.

Quarta Dynaſtia Memphitarum ex alia ſtirpe, annos 332.

1 Soris ann. 29.
2 Suphis ann. 63. Maximam pyramida conſtruxit. Herodoto vocatur Cheops, Diodoro Chemmis.
3 Suphes ann. 66.
4 Mencheres ann. 63.
5 Ratœſes ann. 25.
6 Bicheres ann. 22.
7 Zebercheres ann. 7.
8 Tamphthis ann. 9.
9 Seſochris ann. 49. Procerus ſtatura.

Quinta Dynaſtia Elephantinorum, annos complexa 215.

1 Uſercheres ann. 28.
2 Sephres ann. 13.
3 Nephercheres ann. 20.
4 Siſiris ann. 7.
5 Echeres ann. 20.

6 Rathu-

6 Rathuris ann. 41.
7 Mercheres ann. 9.
8 Tacheres ann. 44.
9 Unos ann. 33.

Sexta Dynaſtia Memphitarum, annos complexa 253.

1 Othoës ann. 30.
2 Phios ann. 3.
3 Methuſuphis ann. 7.
4 Phios ann. 100.
5 Methoſuphis 1.
6 Nitocris 12. Fortiſſima fœminarum. Quam Ægyptii occiſo fratre ſolio impoſuerunt, ut teſtatur Herodotus.

Septima Dynaſtia Memphitarum, in quibus reges 70, ſingulis diebus imperarunt.

Octava Dynaſtia Memphitarum, regum 27, per annos 146. Poſt hoc tempus Memphitæ deſierunt regnum habere. Eoque nona Dynaſtia fuit Heracleopolitarum, regum 19, per annos 409. Quorum primus Achtoës ſæviſſimus regum, plurimis malis ſubditos affecit. Decima Dynaſtia itidem fuit Heracleopolitarum, regum 19. per annos 185. Undecima Dynaſtia fuit Dioſpolitarum, in qua reges XVI regnarunt annos XLIII. poſt quos Ammenemes annos XVI.

Duodecima Dynaſtia Dioſpolitarum, annorum 160.

1 Geſongoſes Ammenemis filius, ann. 46.
2 Ammanemes, ann. 38. à ſuis Eunuchis interemptus.
3 Seſoſtris ann. 48.
4 Lachares ann. 8. Labyrinthum conſtruxit, quod Mendi attribuit Diodorus.
5 Ammeres ann. 8.
6 Ammenemes ann. 8.
7 Schemiophris ejus ſoror ann. 4.

Tertia decima Dynaſtia Dioſpolitarum regum 60, per annos 453.

Quarta decima Dynaſtia Xoitarum regum 77. qui regnarunt annis 184.

Quinta decima Dynaſtia paſtorum, regum 6. Hi fuerunt Phoenices advenæ qui Memphi occupata, urbem in Sithroite Nomo condiderunt, qua arce belli utentes Ægyptios in poteſtatem ſuam redegerunt, ſuntque dominati annis 242.

1 Saites ann. 19. Cujus anno 10. cœpit regnum Thebanorum Dioſpolitarum in AEgypto.
2 Anon ann. 43.
3 Pachnan ann. 61.
4 Staan ann. 8.
5 Arcles ann. 49.
6 Aphobis ann. 61.

Sexta decima Dynaſtia, Paſtores alii regum 32, ann. 518.

Decima ſeptima Dynaſtia, Paſtores alii reges 33; Item Thebani Dioſpolitæ 43. annis 151.

Decima octava Dynaſtia Dioſpolitarum, ann. 287.

1 Amos ann. 25. Diodoro Amoſis.
2 Chebros, ann. 13.

3 Amenophthis ann. 24.
4 Amerſis ann. 22.
5 Miſphris ann. 13.
6 Miſphragmuthoſis ann. 26.
7 Thutmoſis ann. 9.
8 Amenophthis ann. 31.
9 Oros ann. 37.
10 Acherres ann. 32.
11 Rathos ann. 6.
12 Chebres ann. 12.
13 Acherres ann. 12.
14 Amerſes ann. 14.
15 Rammeſes ann. 1.
16 Ammenoph ann. 19.

Decima nona Dynaſtia Dioſpolitarum, annorum 203.

1 Sethos ann. 51.
2 Rhapſaces ann. 61.
3 Ammenephthes ann. 20.
4 Rameſes ann. 60.
5 Ammenemes ann. 5.
6 Thuoris ann. 6.

Vigeſima Dynaſtia Dioſpolitarum, regum 12. annorum 125.

Vigeſima prima Dynaſtia Tanitarum, reg. 7. ann. 90.

1 Smerdes ann. 26.
2 Pſuſennes ann. 42.
3 Nephelcherres ann. 40.
4 Amenophthis ann. 9.
5 Opſochon ann. 6.
6 Pſinaches ann. 9.
7 Suſennes ann. 14.

Vigeſima ſecunda Dynaſtia Bubaſtitarum, ann. 116.

1 Seſonchis vel Seſochis ann. 21. Siſac in ſacris literis.
2 Uſorthon ann. 15.
3 & 4. & 5. ann. 25.
6 Takellothis ann. 13.
7 8. 9. ann. 42.

Vigeſima tertia Dynaſtia Tanitarum, ann. 83.

1 Petubaſtes ann. 40.
2 Oſorchos ann. 8.
3 Pſaminus ann. 10.
4 . . . . . ann. 31.

Vigeſima quarta Dynaſtia, Saïtarum. Unius regis:

1 Bocchoris Saïtes ann. 44. So vocatur. 2. Reg. 17. 4.

Vigeſima quinta Dynaſtia Æthiopum, ann. 40.

1 Sabacos ann. 8. Bocchorim vivum cremavit.
2 Seuechus ejus fil. ann. 14.
3 Tarachos ann. 18.

Joſephus ex Manetho Decimam quintam Dynaſtiam explicat deſcriptam illius verbis: Ἐγένετο, inquit Manethos, Βασιλεὺς ἡμῖν, Τίμαιος ὄνομα.

'Επὶ

ἐπὶ τούτου οὐκ οἶδ' ὅπως ὁ θεὸς ἀντέπνευσε. καὶ παραδόξως ἐκ τῶν πρὸς ἀνατολὴν μερῶν, ἄνθρωποι τὸ γένος ἄσημοι, καταθαρσήσαντες ἐπὶ τὴν χώραν ἀνεστράτευσαν, καὶ ῥᾳδίως ἀμαχητὶ ταύτην κατὰ κράτος εἷλον. καὶ τοὺς ἡγεμονεύσαντας ἐν αὐτῇ χειρωσάμενοι, τὸ λοιπὸν τάς τε πόλεις ὠμῶς ἐνέπρησαν καὶ τὰ ἱερὰ τῶν θεῶν κατέσκαψαν. πᾶσι δὲ τοῖς ἐπιχωρίοις ἐχθρότατά πως ἐχρήσαντο, τοὺς μὲν σφάζοντες, τῶν δὲ καὶ τὰ τέκνα καὶ γυναῖκας εἰς δουλείαν ἄγοντες. πέρας δὲ καὶ Βασιλέα ἕνα ἐξ αὐτῶν ἐποίησαν, ᾧ ὄνομα ἦν σάλατις. καὶ οὗτος ἐν τῇ Μέμφιδι κατεγίνετο τήν τε ἄνω καὶ κάτω χώραν δασμολογῶν καὶ φρουρὰν ἐν τοῖς ἐπιτηδειοτάτοις καταλείπων τόποις. μάλιστα δὲ καὶ τὰ πρὸς ἀνατολὴν ἠσφαλίσατο μέρη, προορώμενος ἀσσυρίων ποτὲ μεῖζον ἰσχυόντων, ἐσομένην ἐπιθυμίαν τῆς αὐτῆς Βασιλείας ἔφοδον. εὑρὼν δὲ ἐν νομῷ τῷ Σαΐτῃ πόλιν ἐπικαιροτάτην, κειμένην μὲν πρὸς ἀνατολὴν τοῦ Βουβαστίτου ποταμοῦ, καλουμένην δὲ ἀπὸ ἀρχαίας θεολογίας Ἄβαριν, ταύτην ἔκτισε καὶ τοῖς τείχεσιν ὀχυρωτάτην ἐποίησεν ἐνοικίσας αὐτῇ καὶ πλῆθος ὁπλιτῶν εἰς εἴκοσι καὶ τέσσαρας μυριάδας ἀνδρῶν πρὸς φυλακήν. ἐνθάδε κατὰ θέρειαν ἤρχετο, τὰ μὲν σιτομετρῶν καὶ μισθοφορίαν παρεχόμενος, τὰ δὲ καὶ ταῖς ἐξοπλισίαις πρὸς φόβον τῶν ἔξωθεν ἐπιμελῶς γυμνάζων. ἄρξας δ' ἐννεακαίδεκα ἔτη τὸν βίον ἐτελεύτησεν. μετὰ τοῦτον δ' ἕτερος ἐβασίλευσεν, τέσσαρα καὶ τεσσαράκοντα ἔτη καλούμενος Βηών. μεθ' ὃν ἄλλος Ἀπαχνὰς ἓξ καὶ τριάκοντα ἔτη καὶ μῆνας ἑπτά. ἔπειτα δὲ καὶ Ἄπωφις ἓν καὶ ἑξήκοντα καὶ Ἰανίας πεντήκοντα καὶ μῆνα ἕνα, ἐπὶ πᾶσι δὲ καὶ Ἄσσις ἐννέα καὶ τεσσαράκοντα καὶ μῆνας δύο. καὶ οὗτοι μὲν ἓξ ἐν αὐτοῖς ἐγενήθησαν πρῶτοι ἄρχοντες, ποθοῦντες ἀεὶ καὶ μᾶλλον τῆς Αἰγύπτου ἐξᾶραι τὴν ῥίζαν. ἐκαλεῖτο δὲ τὸ ἔθνος ὑκσώς.

Hæc eſt Decima quinta Dynaſtia, regum ſex.

1	Salatis	ann. 19.
2	Beon	ann. 44.
3	Apachnas	ann. 36.
4	Apophis	ann. 61.
5	Janias	ann. 50.
6	Aſſis	ann. 49.

Anni in univerſum. 259.

Decimam ſextam Dynaſtiam faciebant eorum poſteri, paſtores alii. Qui Ægypto ejecti ſunt ab Amoſi ſeu Thummoſi. At Scaliger Decimam ſeptimam Dynaſtiam addit, in qua itidem ut in Decima ſexta ſimul paſtores & Dioſpolitani Ægypto dominati ſunt. Trium dynaſtiarum ſeu totius dominationis paſtorum tempus, finitum Amoſis felicitate, facit annorum 911. Manethos apud Joſephum conſtituit annorum 511. in univerſum. Ita inter finem decimæ quartæ dynaſtiæ & principium decimæ octavæ non plures erant anni quam quingenti & undecim. Aliſphragmutoſis ultimus Rex Dioſpolitarum Dynaſtiæ decimæ ſeptimæ vicit paſtores, eoſque incluſit Abari. Nam Dynaſtiæ variæ regum ſimul erant, qui ſub finem decimæ quintæ Dynaſtiæ Scaligerianæ id eſt mortem Aſſis paſtorum regis bellum inferre cœperunt Paſtoribus. Expulit eos Thummoſis Halisfragmutoſeos filius. μετὰ ταῦτα δὲ τῶν ἐκ τῆς Θηβαΐδος καὶ τῆς ἄλλης Αἰγύπτου Βασιλέων γενέσθαι φησὶν ἐπανάστασιν ἐπὶ τοὺς ποιμένας καὶ πόλεμον αὐτοῖς συῤῥαγῆναι μέγαν καὶ πολυχρόνιον. Ἐπὶ δὲ Βασιλέως, ᾧ ὄνομα εἶναι [ἦν] ἀλισφραγμούθωσις, ἡττωμένους φησὶ τοὺς ποιμένας ὑπ' αὐτοῦ ἐκ μὲν τῆς ἄλλης Αἰγύπτου πάσης ἐκπεσεῖν, κατακλεισθῆναι δ' εἰς τόπον ἀρουρῶν ἔχοντα μυρίων τὴν περίμετρον, ἄβαριν ὄνομα τῷ τόπῳ. Hunc locum Paſtores valido muro circumdediſſe, ut omnem poſſeſſionem & prædam in tuto haberent. Thummoſin autem Alisfragmutoſeos filium conatum eos obſidione capere, ſed tandem pactos incolumita-

columitatem abiiſſe ex Ægypto in Syriam: ubi Hieroſolimam condidere. Dynaſtiam Decimam octavam è Manethone ita exhibet Joſephus:

1	Tethmoſis, poſtquam paſtores expuliſſet	ann. 25. m. 4.
2	Chebron fil. ejus,	ann. 13.
3	Amenophis	ann. 20. menſ. 7.
4	Ameſſes, Ἀμεσσῆς, Amenopheos ſoror,	ann. 21. menſ. 9.
5	Mephres	ann. 12. menſ. 9.
6	Mephramuthoſis	ann. 25. menſ. 10.
7	Thmoſis	ann. 9. menſ. 8.
8	Amenophis	ann. 30. menſ. 10.
9	Orus	ann. 36. menſ. 5.
10	Acenchres mulier Ἀκεγχερὴς,	ann. 12. menſ. 1.
11	Rathotis, ejus frater	ann. 9.
12	Acencheres	ann. 12. menſ. 5.
13	Acencheres alter	ann. 12. menſ. 3.
14	Harmaïs	ann. 4. menſ. 1.
15	Rameſſes	ann. 1. menſ. 4.
16	Harmeſſes miamoun	ann. 66. menſ. 2.
17	Amenophis	ann. 19. menſ. 6.

Ex horum regum annis in ſummam colligit tempus annorum 393. Joſephus ſed vitioſe.

1. Decima nona Dynaſtia primum regem habuit Sethos, fratrem Armaïs. Harmaïs à fratre expulſus, in Græciam conceſſit. Hic dictus eſt Danaus, frater autem Ægyptus. Sethos regnavit annos 59.

2. Ramphes ſive Rampſes fil. ejus, ann. 66.

3. Amenophis (Joſepho ἐμβόλιμος βασιλεύς) Hoc ejecto paſtores & leproſi Ægyptum peſſime afflixerunt, duce Oſarſiph, pontifice Heliopolitano. Poſt tredecim annos reverſus, recuperat regnum Hieroſolymitis & leproſis expulſis.

4. Rameſſes ejus filius.

Eratoſthenes Thebanorum aliud regnum deſcripſit & ex illo Apollodorus, ὁ χρονικός, quod exhibuit Euſebius:

1	Menes Thebinites Thebanus	ann. 62.
2	Athothes filius Menis	ann. 59.
3	Athothes ſecundus	ann. 32.
4	Diabies fil. Athotheos	ann. 19.
5	Pemphos fil. Athothis	ann. 18.
6	Toigaramus	ann. 79.
7	Stoëchus filius ipſius	ann. 6.
8	Goſormies	ann. 30.
9	Mares filius ejus	ann. 26.

Tum fuiſſe apud Ægyptios Dynaſtiam decimam ſextam, in qua reges Thebani regnarunt annis 160, in aliis exemplaribus 190. Et hoc tempore Belum finem impoſuiſſe Arabum in Babylonia dominationi. Euſebius Africani Dynaſtiam decimam quintam fecit decimam ſeptimam, inſuper habitis XVI. & XVII, ut Scaliger & Georgius Syncellus ipſi objiciunt. Numerum eundem retinuit dynaſtiarum ſed transformatum aliqua ratione. Eoque pariat à decima octava.

10	Anoüphis	ann. 19.
11	Soroïs	ann. 18.

12 Chnu-

12 Chnubus Chneurus ann. 27.
13 Rauoſis ann. 13.
14 Aïures ann. 10.
15 Saophis ann. 29.
16 Senaophis ſecundus ann. 27.
17 Moſcheris ann. 31.
18 Muſthis ann. 33.
19 Pamnus ann. 13.
20 Apappus ann. 100.
21 Echeſcus ὁ Κάρας ann. 1.
22 Nitocris fœmina ann. 6.
23 Myrtæus ann. 22.
24 Thyoſimares ann. 12.
25 Thyrillus ann. 8.
26 Semphrucrates ann. 18.
27 Chuther Taurus ann. 7.
28 Meres ann. 12.
29 Chomoephta, Χωμαεφθᾶ, ann. 11.
30 Schunioſochus ann. 7.
31 Penteathyris ann. 16.
32 Stamenemes ann. 23.
33 Siſtoſichermes ann. 55.
34 Maris ann. 43.
35. Siphoaſus ann. 5.
36 . . . .
37 Phruron ſive Nilus, ann. 5.
38 Amurthæus an. 63. His triginta octo regibus, quorum nomina è ſacris monumentis Dioſpolitarum Eratoſthenes ſumpſit, tribuuntur ab Euſebio anni 1075. Scaligeri judicium de hac Thebanorum Dynaſtia hoc eſt: *Ex hac Dynaſtia patet diverſos reges eodem tempore in Ægypto in diverſis partibus imperium obtinuiſse. Nam quando Saïtes primus Dynaſtiæ XV. ex latrunculis paſtoribus circà Bucolia Ægypti jam decimum annum regnabat, in partibus Thebaidos regnum invit Menes Thebanus cognominis illi qui primus in Ægypto imperium obtinuiſſe dicitur poſtheroas & ſenudeos. Deſivit autem hæc Dynaſtia Thebanorum in anno 22. Amenophthis quarti in Dynaſtia decima octava: quo tempore etiam in iiſdem partibus diverſi reges imperabant. Nam XVIII. Dynaſtia urbe ipſa Dioſpoli id eſt Thebis potiebatur, iſta vero agro Thebano. Et profectò illa vetuſtiſſima regna fuerunt inſtar latrociniorum, ubi vis, non lex aut ſucceſſio aut ſuffragia populi reges in ſolio regni collocabat. Denique apud Græcos ſcriptores, qui multa audacter in hiſtoria innovabant, longè à Manetho diverſa & in geſtorum ratione & in annorum intervallis prodita fuerunt. In quibus ea, quæ de initiis regnorum Ægyptiacorum Dicæarchus retulit, qui poſt Oſirin & Iſin ſtatim Seſonchoſin ponit, à quo ad primam Olympiadem, putat annos bis mille noningentos triginta ſex. In vetuſtiſſimis ſcholiis in Apollonium Rhodium*: Δικαίαρχος ἐν πρώτῳ μετὰ τὸν Ἴσιδος καὶ Ὀσίριδος ὧρον, Βασιλέα γεγονέναι Σεσόγχωσιν λέγει. ὥστε γίνεσθαι ἀπὸ τῆς Σεσογχώσιδος Βασιλείας μέχρι τῆς Νείλου ἔτη δισχίλια ͵φ, ἀπὸ δὲ τῆς Νείλου Βασιλείας μέχρι τῆς πρώτης ὀλυμπιάδος ἔτη υλς. ὡς εἶναι τὰ πάντα ὁμοῦ δισχίλια ἐννακόσια λς. *Ergo initium Seſonchoſidis inciderit in annum periodi Iulianæ 1002, qui erat 348 Dynaſtiæ nonæ. Initium vero Nili congruerit anno 3502, qui erat tertius regis Thuoris. Sed Græculorum eſt mentiri & falſa veris affingere.* Scaliger principium

hujus Dynaſtiæ Thebanorum collocat in decimo anno Dynaſtiæ paſtorum, quæ eſt decima quinta. Iſaacus Voſſius, vir eximiè eruditus, arbitratur Menem hunc Thebanum eundem eſſe cum Mene Thinite: ut pro Thebinites legendum ſit Thinites. Menem illum univerſæ Ægypti fuiſſe regem, poſt ejus filium regnum in varias Dynaſtias eſſe diviſum quæ in ſuorum regum catalogo ſolerent primo loco ponere reges illos catholicos. Manethonis illas Dynaſtias ſic divellendas eſſe, ut cognomines conjungantur, quo temporis ſucceſſio poſſit haberi. Conſtat, fatente Scaligero, diverſos reges eodem tempore in Ægypto in diverſis partibus imperium obtinuiſſe, ex hac ipſa Thebanorum Dynaſtia: cæterum ut toto tempore à Menis nepote uſque ad Pſammetichum, ut Voſſius videtur innuere, aut parte ejus maxima per nomos pleroſque diviſæ fuerint regum Dynaſtiæ, ſic ſentientibus autor non acceſſerim. Thebis ſemper reges ſui fuere peculiares: eſto at non ita in cæteris nomis. Quoſdam reges poſſumus componere cum eventibus externis, qui noti ſunt. Ita Cetes, quem Græci Protea vocant, fuit temporibus Belli Trojani, teſtibus Herodoto & Diodoro. Apud Iſocratem Buſiridis ætas indicatur, in ejus Encomio: Ὁμολογεῖται δὲ παρὰ πάντων τῶν λογοποιῶν, Περσέως τοῦ Διὸς καὶ Δανάης, Ἡρακλέα μὲν εἶναι τέτρασι γενεαῖς νεώτερον, βούσιριν δὲ πλέον ἢ διακοσίοις ἔτεσι πρεσβύτερον. Perſeus fuit circa ann. M. C. 2600, Buſiris igitur circa annum 2400. In hoc Iſocrates nobis hiſtoriæ ſcriptorum conſenſum objicit. Buſiris igitur non abeſt procul ab infanticidio puerorum Iſraëliticorum in Ægypto. Diodorus duos Buſiridas conſtituit, primum, qui excepit genus Menis Thinitæ, alterum conditorem Thebarum. Neſcio an tertius ab his diverſus ſit ille nobilitatæ crudelitatis apud Græcos ſcriptores. Iſocrates, Ægyptiæ reip. formam ab eo, ut toti regioni imperante, conſtitutam eſſe narrat; eoque inter primos Ægypti collocat reges. Seſoſtris Buſiride ſerior fuit, juxtà Diodorum quamvis Nino Aſſyriorum rege prior juxta Juſtinum abbreviatorem Trogi. Hunc Herodotus & Theopompus vocant Σέσωστριν, Alii Σεσόγχωσιν, Diodorus Σεσόωσιν. Dicæarchus vult Seſonchoſin immediatè ſucceſſiſſe Oro, quod mirum & Scaligero nequit concoqui. Eratoſthenes nullum Buſirin in Ægypto fuiſſe dicit nec regem nec tyrannum: ut teſtis eſt Strabo. Hic Buſiris Iſocratis fuerit ille forſitan quem Diodorus Siculus ab Oſiride, (qui idem Bacchus eſt) in expeditionem longinquam profecturo, conſtitutum eſſe narrat ἐπιμελητὴν τῶν πρὸς Φοινίκην κεκλιμένων μερῶν καὶ τῶν ἐπὶ θαλάττῃ τόπων: quemadmodum Antæum partibus circà Libyam & Æthiopiam præfecit. Oſirin interemit Typhon frater, quem Iſis & Orus ſupplicio affecerunt. Ab Oſiride ad Alexandrum Macedonem Ægyptii ſacerdotes quidam dicebant effluxiſſe millia decem annorum, alii viginti tria. Alexandriam in Ægypto Alexander condidit anno M. C. 3619. Ab hoc anno retro ad ætatem Buſiridis ſunt anni 1219. Quanta diſtantia eſt inter Iſocratis calculum & ſacerdotum Ægypti! Si non fuit per Græcorum fabulas ſeductus Iſocrates. Oſiris fuit filius Saturni & Rheæ, ſecundum alios Jovis & Junonis Saturno & Rhea progenitorum. Saturni igitur in Ægypto regnantis ætas ſic etiam patet. Atqui Saturnus ſucceſſit Soli vel (ut alii volunt) Vulcano regum omnium (inter Deos etiam) primo. Portentoſæ annorum multiplicationis & variantiæ finis nullus erat Ægypti ſacerdotibus. Apud Diodorum uno loco: μυθολογοῦσι τῶν θεῶν τοὺς μὲν ἀρχαιοτάτους βασιλεῦσαι πλείω τῶν χιλίων καὶ διακοσίων ἐτῶν, τοὺς δὲ μεταγενεστέρους οὐκ ἐλάττω τῶν τριακοσίων. Alio loco; μυθολογοῦσιν αὐτῶν τινες

τὸ μὲν

τὸ μὲν πρῶτον ἄρξαι τῆς Αἰγύπτου θεούς τε καὶ ἥρωας ἔτη βραχὺ λείποντα τῶν μυρίων καὶ ὀκτακισχιλίων καὶ θεῶν ἔσχατον βασιλεῦσαι τὸν Ἴσιδος Ὧρον. ὑπ' ἀνθρώπων δὲ τὴν χώραν βεβασιλεῦσθαί φασιν ἀπὸ μυριάδος ἔτη βραχὺ λείποντα τῶν πεντακισχιλίων μέχρι τῆς ἑκατοστῆς καὶ ὀγδοηκοστῆς ὀλυμπιάδος. καθ' ἣν ἡμεῖς μὲν παρεβάλομεν εἰς Αἴγυπτον ἐβασίλευε δὲ Πτολεμαῖος ὁ νέος Διόνυσος χρηματίζων. Alias ad Alexandri tranſitum in Aſiam à regno Solis 23000 annorum computant apud eundem. Apud Herodotum ab Oſiride ad Amaſin regem, quem Cambyſes evertit, fuerunt anni 15600. Apud Herodotum dii numerantur trium dynaſtiarum, in prima dii octo, in altera itemque tertia dii duodecim. Diodorus tantum duas facit dynaſtias deorum. Trecentas quadraginta quinque virorum progenies à Mene ad Amaſin, (teſte Herodoto) numerabant eorum qui poſt Orum regnarunt in Ægypto. Quadringenti ſeptuaginta viri; quinque fœminæ ex indigenis Ægypto præfuere à Mene ad centeſimam octuageſimam Olympiada juxta Diodorum. Herodotus ultimos reges ante Æthiopum dominationem ſic ponit: Cheops, Chephren, Mycerinus, Aſychis, Anyſis. Diodorus ſic: Chemmis, Chephren ſive Chabryes, Mycerinus, Bocchoris. Aſyches Herodoti convenit cum Seſonchis ſeu Seſochis Manethonis. Inter Bocchorim & Sabacon multum tempus πολλοὺς χρόνους interponit Diodorus, Manethon ipſum Bocchorim conjungit cum Sabaco. Apion Grammaticus, ſecutus Ptolemæum Mendeſium, ætatem Amoſis copulat cum Inachi ætate, qui quadringentis annis antiquior fuit caſu Ilii. Proteus [Κέτης] in bellum Trojanum incidit octo generationibus Amoſi poſterior, juxta Diodorum. Sic enim enumerat: Amoſis, Actiſanes, Maris ſive Mendes, πέντε γενεῶν ἀναρχία, Κέτης. Si illæ ætates implere potuerunt ducentos annos, poſt Exodum Hebræorum vixit Amoſis. Antiquior eſſe non potuit. Ægyptii ſcriptores Manethos, Apion, Ptolemæus ad eum referunt Moſis & Hebræorum ex Ægypto exitum, fabulis deformatum. Quod autem Amoſin Inacho coævum fuiſſe velint, hic Ægyptiorum typhus fuit, nimiam antiquitatem venditantium. Ego Amoſin vixiſſe conjicio centum fermè annis poſt Exodum, aut ſub ducatu Joſue. Atqui Amoſin anteceſſit Menas pluribus ſeculis! Neſcio, quo referre debeam iſtum Menam. Oro ſucceſſit Menas juxta omnes alios, at juxta Dicæarchum Seſoſtris. Seſoſtrin Strabo ſimpliciter fuiſſe ſcribit ante bellum Trojanum. Plinius quoſdam Ægypti reges memorat lib. 36. Primum cap. 8. *Trabes ex eo* [lapide Syenite] *fecere reges quodam certamine, obeliſcos vocantes Solis numini ſacratos, radiorum ejus argumentum in effigie eſt & ita ſignificatur nomine Ægyptio. Primus omnium id inſtituit Mitres, qui in Solis urbe regnabat, ſomnio juſſus: & hoc ipſum inſcriptum eſt in eo: etenim ſcripturæ illæ effigieſque, quas videmus Ægyptiæ ſunt literæ. Poſtea & alii regum in ſupra dicta urbe; Sochis quatuor numero quadragenum octonum cubitorum longitudine: Ramiſes autem is, quo regnante Ilium captum eſt, quadraginta cubitorum: idem digreſſus inde ubi fuit Mneuidos regia, poſuit alium, longitudine undecenis pedibus, per latera cubitis quatuor.* In cap. 9. *Opus id* [obeliſci Thebaici] *feciſſe dicuntur viginti M. hominum. Ipſe rex, cum ſubrecturus eſſet vereretur que ne machinæ ponderi non ſufficerent, quo majus periculum curæ artificum denuntiaret, filium ſuum adalligavit cacumini ut ſalus ejus apud molientes prodeſſet lapidi.* Poſteà: *Sunt & alii duo unus à Smarre poſitus, alter ab Eraphio, ſine notis quadragenum octonum cubitorum.* Iterum: *Is autem obeliſcus, quem divus Auguſtus in circo magno ſtatuit, exciſus eſt à rege Semneſerteo, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit, centum viginti quinque pedum & dodrantis,*

drantis, præter baſin ejuſdem lapidis: is verò, qui eſt in campo Martio, novem pedibus minor à Seſoſtride. Inſcripti ambo rerum naturæ interpretationem Ægyptiorum opera philoſophiæ continent. Cap. XI. *Tertius Romæ in Vaticano, Caij & Neronis principum circo ex omnibus unus omnino fractus eſt in molitione, quem fecerat Seſoſtridis filius Nuncoreus. Ejuſdem remanet & alius c. cubitorum, quem poſt cæcitatem viſu reddito, ex oraculo, Soli ſacravit.* Cap. 13. *Durat etiamnunc* (Labyrinthus) *in Ægypto, in Heracleopolite nomo, qui primus factus eſt ante annos, ut tradunt IIIMDC, à Peteſuco rege ſive Tithoë. Quanquam Herodotus totum opus regum eſſe dicit, noviſſimaque pſammetichi. Cauſam faciendi variè interpretantur: Demoteles regiam Motherudis fuiſſe, Lycias ſepulchrum Mœridis, plures ſoli ſacrum id extructum, quod maximè creditur.* Poſteà: *Refecit unus omninò pauca ibi* [in Labyrintho] *Circammon ſpado Nectabis regis, ante Alexandrum magnum annis quingentis.* Omnibus expenſis & ſubductis dicendum in Ægypto regnaſſe illos, quos poſteri deorum loco coluerunt, primum Ham ſive Ammonem circa annum M. 1760. Inde Meſtraïm ejus filium. Hinc Solem ſive Vulcanum. Poſteà Saturnum. Deinde Oſirim ſive Bacchum, Typhonem, Orum. Men primus ex hominibus regnavit. Cujus ætas non poteſt eſſe Taauti ætate prior. Fuit enim Taautus Oſiridis ἱερογραμματεύς. Fieri nequit ut Men iſte ducentis plus annis exodo Hebræorum antiquior ſit.

De monſtroſis gentibus.

QUidam gentium ſcriptores memorant monſtroſas hominum gentes, longè diſſimili figura ab illa, quam communiter homines habemus. Id ſi verum, magni vim argumenti obtineat pro Præadamitis. Quis enim ab Adamo & Eva deducat tam abhorrentes poſterorum formas? Dei benedictio fecunditatem contulit in ſui generis multiplicationem, non alieni. Auguſtinum audiamus lib. 16. de civit. Dei, cap. 8. Quod caput ita ſe habet: *Quæritur etiam, utrum ex filiis Noë, vel potius ex illo uno homine, unde etiam ipſi exſtiterunt, propagata eſſe credendum ſit quædam monſtroſa hominum genera, quæ gentium narrat hiſtoria. Sicut perhibentur quidam unum habere oculum in fronte media: quibuſdam plantas verſas eſſe poſt crura: quibuſdam utriuſque ſexus eſſe naturam & dextram mammam virilem, ſiniſtram muliebrem vicibuſque alternis (inter ſe) coëundo & gignere & parere: aliis ora non eſſe eoſque per nares tantummodo ſuſcepto & emiſſo halitu vivere: alios ſtatura eſſe cubitales quos pygmæos à cubito Græci vocant: alibi quinquennes concipere feminas & octavum vitæ annum non excedere. Item ferunt eſſe gentem, ubi ſingula crura in pedibus, nec poplitem flectunt: & mirabilis celeritatis quos Sciopodas vocant: quod per æſtum in terra jacentes reſupini umbra ſe pedum protegant. Quoſdam ſine cervice oculos habere in humeris. Et cætera hominum vel quaſi hominum genera, quæ in maritima Platea Carthaginis muſivo picta ſunt, ex libris deprompta velut curioſioris hiſtoriæ. Quid dicam de Cynocephalis, quorum canina capita atque ipſe latratus magis beſtias quam homines confitetur? Sed omnia genera hominum quæ dicuntur eſſe, eſſe credere non eſt neceſſe. Verum quiſquis uſpiam naſcitur homo, id eſt animal rationale mortale, quamlibet noſtris inuſitatam ſenſibus gerat corporis formam ſeu colorem ſive motum, ſive ſonum, ſive quamlibet vim, qualibet parte qualibet qualitate naturæ; ex illo protoplaſto uno originem ducere nullus fidelium dubitaverit. Apparet tamen quid in pluribus natura obtinuerit, & quid ſit ipſa raritate mirabile. Qualis autem ratio redditur de monſtroſis*

ſtroſis apud nos hominum partibus, talis de monſtroſis quibuſdam gentibus reddi poteſt. Deus enim creator eſt omnium, qui ubi & quando creari quid oporteat, vel oportuerit, ipſe novit: Sciens univerſitatis pulchritudinem, quarum partium vel ſimilitudine vel diverſitate contexat. Sed qui totum inſpicere non poteſt, tanquam deformitate partis offenditur: quoniam cui congruat, & quo referatur, ignorat. Pluribus quam quinis digitis in manibus & pedibus naſci homines novimus: & hæc levior eſt quam illa diſtantia ſed tamen abſit, ut quis ita deſipiat, ut exiſtimet in numero humanorum digitorum erraſſe creatorem, quamvis neſciens cur hoc fecerit. Ita & ſi major diverſitas oriatur, ſcit ille quid egerit, cujus opera juſtè nemo reprehendit. Apud Hipponem natus eſt homo quaſi lunatas habens plantas, & in eis binos tantummodo digitos, ſimiles & manus. Si aliqua gens talis eſſet, illi curioſæ atque mirabili adderetur hiſtoriæ. Num igitur iſtum propter hoc negabimus ex uno illo qui primus creatus eſt eſſe propagatum? Androgyni, quos etiam hermaphroditos nuncupant, quamvis admodum rari ſint, difficile eſt tamen, ut temporibus deſint, in quibus ſic uterque Sexus apparet: ut ex quo potius debeant accipere nomen, incertum ſit: à meliore tamen, hoc eſt, à maſculino, ut appellarentur, loquendi conſuetudo prævaluit. Nam nemo unquam Androgynas aut hermaphroditas nuncupavit. Ante annos aliquot noſtra certe memoria in Oriente duplex homo natus eſt ſuperioribus membris, inferioribus ſimplex. Nam duo erant capita, duo pectora, quatuor manus, venter autem unus, & pedes duo ſicut uni homini: & tam diu vixit, ut multos ad eum videndum fama contraheret. Quis autem commemorare poſſit humanos fœtus longè diſſimiles his, ex quibus eos natos eſſe certiſſimum eſt? Sicut ergò hæc ex uno illo negari non poſſunt originem ducere, ita quæcunque gentes in diverſitatibus corporum ab uſitato naturæ curſu, quem plures & propè omnes tenent, velut exorbitaſſe traduntur, ſi definitione illa includuntur, ut rationalia animalia ſint atque mortalia ab eodem ipſo uno primo patre omnium ſtirpem trahere confitendum eſt. Si tamen vera ſunt, quæ de illarum nationum varietate, & tanta inter ſe atque nobiſcum diverſitate traduntur. Nam & ſimias, & cercopithecos, & ſphingas, ſi neſciremus non homines eſſe, ſed beſtias, poſſent illi hiſtorici de ſuâ curioſitate gloriantes velut gentes aliquas hominum nobis impunita vanitate mentiri. Sed ſi homines ſunt, de quibus illa mira conſcripta ſunt, quid ſi propterea Deus voluit etiam nonnullas gentes ita creare, ne in his monſtris, quæ apud nos patet ex hominibus naſci, ejus ſapientiam, quæ naturam fingit humanam, velut artem cujuſquam minus perfecti opificis putaremus erraſſe? Non itaque nobis videri abſurdum debet, ut quemadmodum in ſingulis quibuſque gentibus quædam monſtra ſunt hominum, ita in univerſo genere humano quædam monſtra ſint gentium. Quapropter ut iſtam quæſtionem pedetentim cauteque concludam, mirè quidem de monſtris omnibus definitum: aut illa, quæ talia de quibuſdam gentibus ſcripta ſunt, omninò nulla ſunt: aut ſi ſunt homines non ſunt: aut ex Adam ſunt, ſi homines ſunt. Hactenus Auguſtinus, qui illas narrationes autorum de monſtroſis gentium figuris nec admittit nec rejicit. Poſſe fieri, ut animalium miras effigies, noſtro orbi incognitas, ob corporis figuræ ſimilitudinem cum humana, hominum generi ut alias ſpecies ſubjecerint. Sicuti ſphyngas, cercopithecos, ſimias, ſi ignota eſſent, hominum ſpecies eſſe exiſtimari poſſet. Recenſet varia monſtrificarum gentium genera. Sunt, qui unum oculum in fronte gerunt. Inter Scythas erat gens Arimaſporum, cui id attribuunt. Herodotus in Thalia: Λέγεται δὲ ὑπὸ τῶν γρυπῶν ἁρπάζειν Ἀριμάσπους, ἄνδρας μουνοφθάλμους. πείθομαι δὲ οὐδὲ τοῦτο, ὅπως μουνόφθαλμοι ἄνδρες φύονται, φύσιν ἔχοντες τὴν ἄλλην ὁμοίην τοῖσι ἄλλοισι ἀνθρώποισι. *Dicitur autem à gruibus id rapere Arimaſpos, homines unoculos; quod nec ipſum crediderim, ut viri naſcantur unoculi, ceteram naturam habentes aliis hominibus parem.* Au-

guſtinus videtur ſenſiſſe non incredibile videri, ut reperiatur gens unocula loco, quem jam audivimus. Sic de Auguſtini hoc loco judicat Majolus dierum canicularium colloq. 2. Sed ad fratres in Eremo ſerm. 37. ſeſe gentem hujuſmodi vidiſſe teſtatur: *Ego jam Epiſcopus Hipponenſis eram & cum quibuſdam ſervis Chriſti ad Æthiopiam perrexi ut eis ſanctum Chriſti Euangelium prædicarem. Vidimus in inferioribus Æthiopiæ partibus homines unum oculum tantum in fronte habentes* &c. Neſcio quid dicam, ſi non fuerunt Satanæ illuſiones, quales Monachis Thebaidis ſæpe obtigiſſe narrantur. Strabo ridet ejuſmodi figmenta monſtroſarum gentium: Ἅπαντες μὲν τοίνυν οἱ περὶ τῆς Ἰνδικῆς γράψαντες ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ψευδολόγοι γεγόνασι, καθ' ὑπερβολὴν δὲ Δηΐμαχος, τὰ δὲ δεύτερα λέγει Μεγασθένης, Ὀνησίκριτός τε καὶ Νέαρχος καὶ ἄλλοι τοιοῦτοι παραψελλίζοντες ἤδη. καὶ ἡμῖν δ' ὑπῆρξεν ἐπὶ πλέον κατιδεῖν ταῦτα, ὑπομνηματιζομένοις τὰς Ἀλεξάνδρου πράξεις. Διαφερόντως δ' ἀπιστεῖν ἄξιον Δηϊμάχῳ τε καὶ Μεγασθένει. οὗτοι γάρ εἰσιν οἱ τοὺς ἐνωτοκοίτας καὶ τοὺς ἀστόμους καὶ ἄρρινας ἱστοροῦντες, μονοφθάλμους τε καὶ μακροσκελεῖς καὶ ὀπισθοδακτύλους. Ἀνεκαίνισαν δὲ καὶ τὴν Ὁμηρικὴν τῶν Πυγμαίων γερανομαχίαν, τρισπιθάμους εἰπόντες. Ἐνωτοκοῖται, qui in auribus dormiunt. Plinius lib. 4. cap. 13. *Aliæ, in quibus equinis pedibus homines naſcantur, Hippopodes appellati: Faneſiorum aliæ, in quibus nuda alioquin corpora prægrandes ipſorum aures tota contegant.* Pro Faneſiorum Salmaſius legit Panotiorum ex Iſidoro. Ἄστομοι, qui os non habent, Ἄρρινες, qui naribus carent; Inde monophthalmi, longis cruribus & adverſis digitis homines. De his apud Plinium, Solinum, Melam. Extrema terrarum & loca incognita fabuloſis narrationibus celebrantur. Sic Strabo lib. 15. ea quæ altera Hypanim ſunt in India ob ignorantiam fabuloſe deſcribi narrat: Ἀρίστη ὁμολογεῖται πᾶσα ἡ τοῦ Ὑπάνιος πέραν, οὐκ ἀκριβοῦται δὲ, ἀλλὰ διὰ τὴν ἄγνοιαν καὶ τὸν ἐκτοπισμὸν λέγεται πάντ' ἐπὶ τὸ μεῖζον, ἢ τὸ τερατωδέστερον, οἷα τὰ τῶν χρυσωρύχων μυρμήκων καὶ ἄλλων θηρίων τε καὶ ἀνθρώπων ἰδιομόρφων καὶ δυνάμεσί τισιν ἐξηλλαγμένων. Multæ cauſæ poſſunt afferri fabuloſarum gentium, ignorantia, fingendi libido de regionibus & rebus longinquis, Diaboli illuſiones, miræ animalium formæ humanæ ſimilitudini accedentes in erecto inceſſu. Etiam in parte quadam aliquam differentiam gentes integræ habent, in ſtatura, colore & cæteris, quæ augentur in majus & τερατωδέστερον. Semper de ultimis regionibus, quas aditus non frequentavit, mira narrantur. Veteres Græci & Romani ita de Germaniæ & Scythiæ, de Æthiopiæ & Indiæ inſulis & continente. Omne animal rationale mortale eſt ab Adamo. Sic Auguſtinus cum Philoſophis definit hominem. Putarunt enim dæmonia eſſe animalia rationalia ſed immortalia. Nullum animal rationale id eſt nullus homo, eoque nulla gens in terris fuit, eſt, erit, quæ originem Adamo & Noë non debeat. Hæc eſt concluſio Auguſtini: Si monſtrificæ gentium effigies, homines ſint, Ab Adamo ſunt, ſi ab Adamo non ſint, homines non ſunt. In hoc vero non accedo Auguſtino, quo putat fieri poſſe, ut monſtroſæ gentes ſint & progenerentur in poſteritatem, ut ſæpe in ſeculo monſtroſi partus edi ſolent. Monſtrum appellamus, quod ita à communi hominis figura abit, ut in alterum genus declinet. Sic monſtrum eſt in parte, eſt in toto. In parte caput caninum in Cynocephalis, pes equinus Hippopodum, cornu aut oculus in fronte: toto, ut ſi mulier pariat monſtrum quod nihil aut parum humanæ formæ obtineat. In parte quod monſtrificum eſt, hominis nomen obtinebit, quia domicilium animæ rationalis erit: in toto ἀλλογενὴς, homo non appellabitur, quia animam humanam inhabitatricem non poſſidebit.

Si pars

Si pars aliqua deſit aut abundet, ſi diſtorta ſit, non obtinebit illico monſtri nomen, quia ad alienum non declinat, vitium ex vero dicetur. Non erit vitium, ubi functionibus non incommodatur, quia natura & Deus mirabili varietate ludunt intra ſuum quodque naturæ genus: quod annotant illi, qui ſectionem humanorum corporum tractant. Nec monſtroſitas nec vitium propagantur, quia natura operatur ſemper ad ſcopum, quem in monſtroſitate & vitio non obtinuit. Luſus ille in familia & gente continuari poteſt, ſicuti experientia teſtis eſt. Hinc gentes inter ſe corporis quadam ratione ſolent diſcriminari. Niſi in naturam impreſſum fuerit Dei verbo & inſtituto, pro ſcopo operationis naturalis non fuerit. Unde natura quam accepit legem in prima creatione Adami & Evæ ſequitur niſi fortaſſis maledictio divina in aliquam familiam gentemve incumbens à communi natura evariationem particularem educere voluerit. Quod neſcimus an factum ſit, & ſi fiat ad formam potius vitii quam monſtri putamus procedere. Sicuti in India, quos Chriſtianos S. Thomæ appellant, altero crure deformes eſſe narrantur. Auguſtinus igitur malè argumentatur à monſtroſis apud nos hominum partubus, ad monſtroſarum gentium rationem. Si ſint monſtroſæ gentes, quas dat non concedit, rationem dari poſſe exiſtimat: *Qualis autem ratio redditur de monſtroſis apud nos hominum partibus, talis de monſtroſis quibuſdam gentibus reddi poteſt.* Hoc falſum eſt. Nam monſtroſus partus eſt ab errore naturæ, gentes & procreatio continuata erunt à lege. Ulterius tamen progreſſus eſt Iſidorus affirmando, quod ſpecies gentium monſtroſarum in mundo exſiſtant: *Sicut autem*, inquit, *in ſingulis gentibus quædam monſtra ſunt hominum, ita in univerſo genere humano quædam monſtra ſunt gentium, ut gigantes, cynocephali, cyclops & cætera.*

De Animalium propagatione ex arca Noë.

Terrarum orbis aquis partem magnam contectus, maribus dividit inſulas & continentes. Hinc etiam quæritur apud Auguſtinum de civit. lib 16. cap. 7. *An omne beſtiarum genus etiam remotiſſimæ à terris inſulæ ex eo numero acceperint qui in arca ab inundatione diluvii ſervatus ſit?* Facilis ſolutio & affirmatio de iſtis animalibus, quæ cum hominibus vivunt, ut ſunt jumenta & pecudes. Hæc enim homines ſecum quo profecti ſunt, attulerunt. Nec quæritur de beſtiis, quæ ex putredine oriuntur, ut ranæ & mures, ſed de iis quæ ex commiſtione maris & feminæ. Sed *quæſtio*, dicit Auguſtinus, *de omni genere beſtiarum eſt, quæ ſub cura hominum non ſunt, nec ſicuti ranæ naſcuntur è terra, ſed ſola commixtione maris & feminæ propagantur, ſicut lupi & hujuſmodi cætera, quomodo poſt diluvium, quo ea, quæ in arca non erant, cuncta deleta ſunt, etiam in inſulis eſſe potuerunt, ſi reparata non ſunt niſi ex his, quorum genera in utroque ſexu arca ſervavit?* Hoc igitur Auguſtini problema eſt, ut ex arca vel creatione originem habeant. Videtur autem propendere in partem poſteriorem, quod Deus creando iſta animalia reparaverit. Partem tamen primam defendi poſſe oſtendit. Ejus hæc reſponſio eſt: *Poſſunt quidem credi ad inſulas natando tranſiſſe ſed proximas. Sunt autem quædam tam longè poſitæ à continentibus terris, ut ad eas nulla videatur natare potuiſſe beſtiarum. Quod ſi homines eas captas ſecum adduxerunt & eo modo ubi habitabant, earum genera inſtituerunt, venandi ſtudio fieri potuiſſe incredibile non eſt: quamvis*

quamvis juſſu Dei ſeu permiſſu etiam opera angelorum negandum non ſit potuiſſe transferri. Si verò è terra exortæ ſunt, ſecundum originem primam, quando dixit Deus: Producat terra animam vivam: *multo clarius apparet non tam reparandorum animalium cauſa quam figurandarum viarum gentium propter Eccleſiæ ſacramentum in arca fuiſſe omnia genera, ſi in inſulis, quo tranſire non poſſent, multa animalia terra produxit.* Pro *viarum* alias legitur *variarum*, quod videtur rectius. Deum creaſſe per terras animalium reparandorum ſemen non erit admittendum. Nam cur creaverit quaſdam ſpecies non omnes, cum putet jumenta & pecudes ab hominibus eſſe tranſlata, 2. Cur non creavit in omnibus terris, ut in inſulis & quorſum in arcam tranſlatum ſeminium, ſi recreare voluit Deus? Non voluit Deus creationem primam ceſſare, cui benedixerat, antequam finis benedictioni in noviſſimo die advenerit. 3. Dicere, ob figuram id factum eſſe, probandum erat non ſumendum. 4. Diſcrimen gentium ab Eccleſia non fuit, quum ſola Noë familia exſtabat & incluſa erat in arca. Quorſum figuratur ejus aſſumptio, quod nondum rejectum eſt? 5. Si maximè figurare voluit Deus per brutas pecudes arca ſervatas gentium vocationem, hinc non ſequitur ad reparandum ſeminium conditas eſſe quaſdam alibi ſpecies. Nam quod ex progeneratione poteſt haberi, non petitur à creatione. Naturæ ordinem Deus confirmare voluit & conſervare, ideo arcæ incluſum ſeminium eſt, ut inde prima benedictio excreſceret. Quare in inſulas enatarunt aut ab hominibus traductæ ſunt feræ, quæ in inſulis inveniuntur. Ludovicus Vives: *In inſulis Fortunatis & in his, quæ noſtra ætate ſunt inventæ, multa animalium genera, quæ inter nos ſunt frequentiſſima, omninò nulla erant: itaque importata ſunt, quemadmodum in ſtirpium generibus quotidie uſu venit, ut ſemen aut ſurculus aliquis ab aliis ad alias gentes transferatur.*

Qua ratione homines in aliam continentem & remotas inſulas pervenerint.

SI in alia continente homines ſunt, ab Adamo & Noë originem & illi habent. Si Antipodes ſunt in contraria parte terræ ab unius Adami ſanguine deſcenderunt. Nam Deus ἐποίησεν ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, ὁρίσας προστεταγμένους καιροὺς καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν Act. XVII. 26. Quæſitum igitur olim eſt, An ſint continentes trans Oceanum? Si ſint anne hominibus habitentur. Auguſtinus & Lactantius negarunt eſſe Antipodas. Geographi veteres terræ rotunditatem tuentes, cœlum & terram in quinque Zonas diviſerunt, quarum poſtremæ duæ; quod cœli verticibus ſubjectæ eſſent, procul à ſolis orbita, perpetuis rigoribus, ex ipſorum opinione infeſtantur: media verò, in qua & concitatiſſima eſt cœli vertigo & via ſolis, nimia peruſta ardore, cultum omnem humanum abigit. Hanc igitur ob fervorem non poſſe coli; ut duas extremas ob intenſum frigus. Interjectas temperie ſua ſedem animantibus præbere. Nos borealem Zonam temperatam habemus, auſtralem qui poſſident, ἀντίχθονες appellantur. Ἀντίχθονες non ſunt iidem qui Ἀντίποδες, quia omnes ἀντίχθονες non ſunt ἀντίποδες. Nam dividuntur etiam homines in περιοίκους ἀντοίκους & ἀντίποδας. Quælibet Zonarum temperatarum debet in duas partes æquas rectis angulis

angulis ſecari. Cleomedes : πάλιν οὖν ταύτην τὴν εὔκρατον εἰς δύο διαιροῦντες, κατά τε τὸ ὑπὲρ γῆς καὶ ὑπὸ γῆς δοκοῦν ἡμισφαίριον τέσσαρας οἰκουμένας εἶναί φασιν. ὅτι μίαν μὲν ἔχειν ἡμᾶς τοὺς ἰσοχρονίους ἀνθρώπους, μίαν δὲ περιοίκους, οἳ ἐν τῇ αὐτῇ εὐκράτῳ ὑπάρχοντες ἡμῖν τὸ δοκοῦν ὑπὸ γῆς οἰκοῦσι κλίμα. τρίτην δὲ τοὺς ἀντοίκους. τετάρτην δὲ ἀντίποδας ἡμῶν. Οἵτινες ἔχουσι μὲν τὸ ἀντεύκρατον, εἰσὶ δὲ αὐτῶν οἱ μὲν ὑπὲρ γῆν ἔχοντες κλίμα, ἄντοικοι ἡμῶν, οὓς καὶ ἀντώμους καλοῦσιν, οἱ δὲ ὑπὸ τῆς γῆς ἀντίποδες. Veteres unamquamque temperatam & ἱστορικὴν & φυσιολογικὴν, dividebant in duas continentes, quarum in diverſis incolæ inter ſe erant περίοικοι, oppoſitas tenebant Ἀντίχθονες id eſt auſtrales. Ab eadem æquinoctialis parte, duarum continentium incolæ inter ſe περίοικοι. Sed hi ad ἀντίχθονας & ἄντοικοι & ἀντίποδες. Sic diſtingui debent Antipodes ab Antichthonibus & cæteri à ſe invicem. Quatuor iſtas habitabiles ob oceanum ob æſtum & frigus non poſſe adiri ab una in aliam, eoque ſolam hanc noſtram hiſtoricè cognitam eſſe, phyſicis tamen rationibus cæteras eſſe & habitari docuerunt. Cleomedes iterum : Ὅτι δὲ εἶναι δεῖ καὶ περιοίκους, καὶ ἀντίποδας καὶ ἀντοίκους φυσιολογία διδάσκει ἐπεὶ οὐδένγε τούτων κατὰ ἱστορίαν λέγεται. οὔτε γὰρ πρὸς τοὺς περιοίκους ἡμῶν πορεύεσθαι δυνατὸν διὰ τὸ ἄπλωτον εἶναι, θηριώδη τὸν διείργοντα ἡμᾶς ἀπ' αὐτῶν ὠκεανόν. οὔτε πρὸς τοὺς ἔχοντας τὸ ἀντεύκρατον ἐπεὶ ἀδύνατον ἡμῖν τὴν διακεκαυμένην ὑπερβῆναι. ταῦθ' ἑτέροις εὔκρατα κλίματα τῆς γῆς καὶ οἰκεῖσθαι ἑτέροις ἀναγκαῖον. φιλόζωος γὰρ ἡ φύσις. καὶ ὅπου δυνατὸν τῆς γῆς πάντα ἐμπεπλῆσθαι καὶ λογικῶν καὶ ἀλόγων ζώων, λόγος αἱρεῖ. Nullam inter ſe commeandi facultatem habent interrupti quatuor habitationum incolæ, qui (ut Cicero loquitur) *partim obliqui, partim tranſverſi, partim etiam adverſi ſtant nobis. Nam ſi* (*Macrobii interpretatio eſt*) *quos ſeparat à nobis peruſta, quos Græci* ἀντοίκους *vocant, ſimiliter ab illis qui inferiorem Zonæ ſuæ incolunt partem interjecta auſtrali gelida ſeparantur. Rurſus illos ab* ἀντοίκοις *ſuis id eſt per noſtri cinguli inferiora viventibus, interjectio ardentis ſequeſtrat : & illi à nobis ſeptentrionalis extremitatis rigore removentur.* Macrobius alibi docet oceani ambitu & diviſu quatuor illas continentes circumfundi & diſtingui de quo alibi. Fuſe idem demonſtrare conatur, quod præter noſtram aliæ habitationes in mundo ſint : *Eadem ratio*, inquit, *nos non permittit ambigere, quin per illam quoque ſuperficiem terræ, quæ ad nos habetur inferior, integer Zonarum ambitus, quæ hic temperatæ ſunt, eodem ductu temperatus habeatur; atque ideo illic quoque eædem duæ Zonæ à ſe diſtantes ſimiliter incolantur. aut dicat quiſquis huic fidei obviare mavult, quid ſit quod ab hac eum definitione deterreat. Nam ſi nobis vivendi facultas eſt in hac terrarum parte, quam colimus; quia calcantes humum cælum ſuſpicimus ſuprà verticem, quia ſol nobis & oritur & occidit, quia circumfuſo fruimur aëre, cujus ſpiramus hauſtu : cur non & illic aliquos vivere credamus, ubi eadem ſemper in promptu ſunt? Nam qui ibi dicuntur morari, eandem credendi ſunt ſpirare auram : quia eadem eſt in ejuſdem Zonalis ambitus continuatione temperies. Idem ſol illis & obire dicetur noſtro ortu & orietur cum nobis occidet : calcabunt æque ut nos humum; & ſuprà verticem ſemper cælum videbunt. nec metus erit ne de terra in cælum decidant; cum nihil unquam poſſit ruere ſurſum. Si enim nobis, quod aſſerere genus joci eſt, deorſum habetur ubi eſt terra & ſurſum ubi eſt cælum : illis quoque ſurſum erit, quod de inferiore ſuſpicient, nec aliquando in ſuperna caſuri ſunt. Affirmaverim quoque & apud illos minus rerum peritos hæc æſtimare de nobis, nec credere poſſe nos in quo ſumus loco degere; ſed opinari ſi quis ſub pedibus eorum tentaret ſtare caſurum. Nunquam tamen apud nos quiſquam timuit ne caderet in cælum. ergo nec apud illos quiſquam in ſuperiora caſurus eſt : ſicut omnia nutu ſuo pondera in terram ferri ſuperius*

relata docuerunt. Poſtremo quis ambigat in Sphæra terræ quæ inferiora dicuntur ſuperioribus ſuis eſſe contraria ut eſt oriens occidenti : Nam in utraque parte par diametros habetur. Cum ergò & orientem & occidentem, ſimiliter conſtet habitari ; quid eſt quod fidem hujus quoque ſibi diverſæ habitationis excludat ? Eruditi tuebantur rationibus mathematicis poſſe & phyſicis reipſa habitari adverſam nobis tellurem, rem plebi incredibilem, ut teſtatur Plinius lib. 2. cap. 65. *Ingens hic pugna literarum contraque vulgi ; circumfundi terræ undique homines, converſiſque inter ſe pedibus ſtare, & cunctis ſimilem eſſe cæli verticem, ac ſimili modo ex quacunque parte mediam calcari : illo quærente cur non decidant contra ſiti : tanquam non & ratio præſto ſit, ut nos non decidere mirentur illi. Intervenit ſententia quamvis indocili probabilis turbæ inæquali globo, ut ſi ſit figura pineæ nucis, nihilominus terram undique incoli.* Taprobanem diu exiſtimatum fuit alterum eſſe orbem terrarum, Antichthonum appellatione, uti Plinius autor eſt lib. 6. cap. 22. Nempe unam de continentibus ſub Zona temperata auſtrali. Ut liqueret inſulam eſſe, Alexandri M. ætas reſque præſtitere. Chriſtiani doctores cum tenerent, quicquid hominum eſt, ab Adamo & Noë deduci & animadverterent conſtanter ab iiſdem magiſtris doceri interruptas eſſe habitationes & inacceſſas, ut ab hac habitabili in alias non potuerint commeare poſteri ex Adam & Noë, variè reſpondebant. Lactantius ejuſmodi terras & homines eſſe negavit, Auguſtinus contendit, ſi terræ ſint (id enim non urget) vacuas jacere. Lactantius lib. 3. de falſa ſapientia : *Quid illi, qui contrarios veſtigiis noſtris Antipodas putant, num aliquid loquuntur ? Aut eſt quiſquam tam ineptus, qui credat eſſe homines, quorum veſtigia ſint ſuperiora quam capita ? aut ibi quæ apud nos jacent inverſa pendere ? fruges & arbores deorſum verſus creſcere ? pluvias & nives & grandinem ſurſum verſus cadere in terram ? Et miratur aliquis hortos penſiles inter ſeptem mira narrari, cum philoſophi & agros & maria & urbes & montes penſiles faciant ? Hujus quoque erroris aperienda nobis origo eſt. Nam ſemper eodem modo falluntur. Cum enim falſum aliquid in principio ſumpſerint, veri ſimilitudine inducti, neceſſe eſt eos in ea, quæ conſequuntur incurrere. Sic incidunt in multa ridicula ; quia neceſſe eſt falſa eſſe, quæ rebus falſis congruunt. Cum autem primis habuerint fidem, qualia ſunt ea, quæ ſequuntur, non circumſpiciunt, ſed defendunt omnimodo ; cum debeant prima illa utrumne vera ſint an falſa ex conſequentibus judicare. Quæ igitur illos Antipodas ratio perduxit ?* [f. prod.] *Videbant ſiderum curſus in occaſum meantium ; ſolem atque lunam in eandem partem ſemper occidere, atque oriri ſemper ab eadem. Cum autem non perſpicerent, quæ machinatio curſus eorum temperaret, nec quomodo ab occaſu ad orientem remearent ; cælum autem ipſum in omnes partes putarent eſſe devexum ; quod ſic videri propter immenſam latitudinem neceſſe eſt : exiſtimaverunt rotundum eſſe mundum, ſicut pilam ; & ex motu ſiderum opinati ſunt cælum volvi ; ſic aſtra ſolemque, cum occiderint, volubilitate ipſa mundi ad ortum referri. Itaque & æreos orbes fabricati ſunt, quaſi ad figuram mundi eoſque celarunt portentoſis quibuſdam ſimulachris, quæ aſtra eſſe dicerent. Hanc igitur cæli rotunditatem illud ſequebatur ; ut terra in medio ſinu ejus eſſet concluſa. Quodſi ita eſſet etiam ipſam terram globo ſimilem, neque enim fieri poſſe ut non eſſet rotundum, quod rotundo concluſum teneretur. Si autem rotunda etiam terra eſſet ; neceſſe eſſe, ut in omnes cæli partes eandem faciem gerat ; id eſt montes erigat, campos tendat, maria conſternat. Quod ſi eſſet etiam ſequebatur illud extremum ; ut nulla ſit pars terræ, quæ non ab hominibus, cæteriſque animalibus incolatur. Sic pendulos iſtos Antipodes cæli rotunditas adinvenit. Quod ſi quæras ab iis, qui hæc portenta defendunt ; quomodo non cadunt omnia in inferiorem cæli partem : reſpondent*

hanc

hanc rerum eſſe naturam, ut pondera in medium ferantur; & ad medium conexa ſint omnia, ſicut radios videmus in recta: quæ autem levia ſunt, ut nebula, fumus, ignis, à medio differantur, ut cælum petant. Quid dicam de iis neſcio, qui, cum ſemel aberraverint, conſtanter in ſtultitia perſeverant, & vanis vana defendunt, niſi quod eos interdum puto aut joci cauſa philoſophari; aut prudentes, & ſcios mendacia defendenda ſuſcipere; quaſi ut ingenia ſua in malis rebus exerceant vel oſtentent. At ego multis argumentis probare poſſem nullo modo fieri poſſe, ut cælum terra ſit inferius, niſi & liber jam concludendus eſſet &c. Modeſtius paulo Auguſtinus: *Quod vero & Antipodas eſſe fabulantur, id eſt homines à contraria parte terræ, ubi ſol oritur, quando occidit nobis, adverſa pedibus noſtris calcare veſtigia, nulla ratione credendum eſt. Neque hoc ulla hiſtorica cognitione didiciſſe ſe affirmant, ſed quaſi ratiocinando conjectant, eò quod intra convexa cæli terra ſuſpenſa ſit, eundemque locum mundus habeat & infimum & medium: & ex hoc opinantur alteram terræ partem quæ infra eſt, habitatione hominum carere non poſſe. Nec attendunt etiam ſi figura conglobata & rotunda mundus eſſe credatur, ſive aliqua ratione monſtretur: non tamen eſſe conſequens, ut etiam ex illa parte ab aquarum congerie nuda ſit terra. Deinde etiamſi nuda ſit, neque hoc ſtatim neceſſe eſt, ut homines habeat: quando nullo modo ſcriptura iſta mentitur, quæ narratis præteritis facit fidem: eo quod ejus prædicta complentur. Nimiſque abſurdum eſt ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem oceani immenſitate trajecta navigare ac pervenire potuiſſe. ut etiam illic ex uno illo primo homine genus inſtitueretur humanum.* Ludovicus vives de hac diſputatione Auguſtini ita judicat: *Opinio veterum, cui Cicero, Mela* & maximi quique ſuffragati ſunt, fuit, auſtralem *illam plagam penitus nobis incognitam eſſe. Ciceroque in VI. de rep. interfuſum maximum inter nos & illos* Ἀντίχθονας *Oceanum putavit, quem nemo unquam penetrarit: idque fuſiſſime Macrobius perſequitur. Ego ne ibi multum hæreret lector, prætervolavi, ſpatio vix tacto. Hæc fuit Auguſtino cauſa non levis cur Antipodes negaret Lactantium ſequutus. Videbat enim homo acutiſſimus, ſi concederetur, aditum nulli eorum, qui hanc incolimus borealem faſciam temperatam, ad auſtrales illos patere, ut Cicero jam magnique autores præjudicarant, ſequi neceſſariò illos de genere Adæ non eſſe: maluit illud negare, quam argumento premi tam moleſto, tantis authoritatibus munito. Sed profecto & antipodes eſſe, tam certum eſt ut negari non poſſit & ad illos eſſe viam compertiſſimum eſt etiam nonnullis antiquorum nedum navigationibus noſtræ memoriæ.*
Hunc orbem terrarum, quem nos incolimus prius cultum fuiſſe & exinde in reliquas partes hominum auctam multitudinem exundaſſe certum eſt, adeo hic omnis cultus, antiquitatis ultimæ & Dei notitia, artes & ſcientiæ, imperium & dominatio ſtabulantur. Aſiæ partes vicinæ montibus Ararat prius cultæ ſunt, hine in vicina tranſiit inhabitatio & cum frequentatione expolitio. Cum ad extremas continentis proceſſum eſſet oras & Oceani Atlantici litora tranſitus factus eſt in inſulas aliaſque continentes. Facilis ab uno litore in vicinum trajectus eſt, cum pene in conſpectu obverſa ſe oſtendat ora ob continentium contiguitatem. Quo tempore America primum habitari cœperit & unde primi in eam mortalium trajecerint ex Semine, An Chami aut Iapeti ſint ſanguine in obſcuro eſt & docti diſceptant. Quidam navigationibus Phœnicum extra columnas Herculis partem attribuunt, alii ex Aſiæ ſeptentrionalis extremis ad orientem partibus tranſiiſſe incolas, ſive per fretum Anian, ſive continentibus terris arbitrantur. Nec abludit quoſdam mortales per inſulas Oceani Indici deveniſſe in continentem Auſtralem ſive grandes illas contiguaſque longa ſerie inſulas, quæ ad auſtrum per ambitum Sphæræ poſitæ ſunt. Adeo ratio

nulla obtendi poteſt, ut non ab uno Adamo ſive Noë hominum genus; in omnes terræ regiones & inſulas propagari quiverit ب. [illegible] Contra philoſophicas ratiocinationes pro veritate ſacrarum literarum pronuntiavit experientia.

Ita Usque Abram Ducta Successio Nihil Sane Insigne Aut Memorabile. Sulpic.

Noë.

Nunc diſcuſſa ſatis ſuperque propagationis humanæ hiſtoria, progrediamur per generationes Sem ad Abrahamum. Quibus tamen Noë præfigi debet, qui in utramque mundi ætatem ſe porrigit, quamvis generatio ejus diluvio id eſt prima ætate includatur. Hic vidit ſeculum prius, luxu & libidinibus ſolutum, omni ſcelerum & vitiorum genere efferatum, Dei contemptrix, in vim mutuam injuriaſque effuſum, ruentibus cœlo terraque undis hauriri. Poſtquam diluvio finito, ſepulchri carcerisque ſui liber, in vacuum ſeculum prodierat, nepotis ſcelus maledictum extorſit. Hinc creſcente numero poſterorum angitur profanitate & arrogantia. Vidit linguarum divortio ſciſſum genus, ſocietatis mutuæ ſolatio privatum & à Deo ad idola lapſum, in ævi, quod malè perierat, contaminatiſſimos mores immergi. Vitæ ſaturum & rerum hujus ſeculi emigraſſe certum eſt. An Melchiſedecum cognoverit, dicere non habeo, Abrahamum cognovit ſed non vidit in ipſo vocato ſpem reſtaurandæ Ecclesiæ. Eutychius Alexandrinus μυθολογούμενα ſcribit, cum refert, Adamum moribundum, convocatis liberis præcepiſſe, ut ſui defuncti cadaver, myrrha, thure & caſſia conditum, reponerent in monumento كنعز *Canuzi*. Eum etiam qui de poſteritate Sethiadarum in vivis futurus eſſet, quo tempore abeundum foret è confiniis Paradiſi, ubi Sethiadæ agebant & acturi deinceps longo tempore, inde deportatum cadaver ſuum illaturum eſſe in locum orbis terræ medium, unde Salus aliquando ſua ſuæque poſteritatis proditura eſſet. Ejus igitur funus in montis faſtigio in ſpeluncam Canuzi eſſe importatum. In hoc faſtigium ſe contulere habitatum Sethiadæ, Cainiadis ſubſiſtentibus in valle, in qua Abel trucidatus fuerat. Sedem igitur hanc fuiſſe ipſis, ubi arborum fructibus veſcebantur, ſine opificio, in laudibus Dei & angelorum conſortio; vacui invidiæ, injuſtitiæ, mendacii; juramenti uſu per Sanguinem Abeli. In iſta ſpelunca apud Adamum patriarchæ ſepulti ſunt. Jared morti vicinum convocatis liberis prædixiſſe, quod Deus ipſos aliquando à monte ſancto alio tranſlaturus eſſet. Quicunque igitur inde abiturus eſſet alio, illum corpus Adami eo transferre debere, quo juſſurus eſſet Deus. Idem mandatum iteraſſe & ſpeciatim Noë datum eſſe à parente animam agente. Quem addidiſſe, quod eo loci apud Adami cadaver, è filiis aliquem in ſacerdotem deberet conſtituere. Illum, quem conſtiturus eſſet, dicebat toto ævo ſuo religioſum, cælibem, non eſſe fuſurum ſanguinem, in ſacrificio oblaturum neque volucrem neque pecudem, ſed panem tantum & vinum. Induendum pellibus, non raſurum crines nec ungues præfecturum. De ſacrificiis ejus dicit non eſſe eum oblaturum ولا طيرا ولا سبعا, nec avem nec feram. Sed vox, quæ propriè feram notat, videtur hic pecudem ſignificare. Feræ enim non ſunt idoneæ ſacrificiis. Mathuſale defuncto ſolum Noë cum uxore, cum tribus

tribus filiis eorumque conjugibus in monte ſancto ſuperfuiſſe. Noë uxorem fuiſſe filiam Namuſæ, filii Enoch, conjuges filiorum è filiabus Mathuſale. Uxorem Semi dictam fuiſſe صليث Salit, Chami نحلت Nachlat, Japeti ارسيسة Ariſiſam. Dei igitur monitu arcam conſtructurus Noë, ſpeluncam Canuzi ſubiit, exoſculatuſque patriarcharum cæterorum corpora, corpus Adami cum numeribus ſuſtulit adjuvantibus filiis. Cum igitur è monte ſacro deſcenderent, ſublatis ad Paradiſum oculis lachrymati ſunt, lapideſque deoſculati ac arbores amplexi in plana ſe contulerunt, ubi Noë arcam fabricatus eſt. Inde Arcam ingreſſus eſt cum Adami corpore, quod in medio arcæ collocavit. Cataclyſmo liberatus, cum vixiſſet annos, poſt Cataclyſmum, trecentos & quinquaginta, morti vicinus Noë præcepit etiam Semo filio ſuo: Corpus Adami nemine conſcio aufer ex arca, acceptiſque tecum in viaticum pane & vino, adſcitoque Melchiſedec Phalegi filio, proficiſcamini in locum quem Domini angelus indicabit. Illic jubeas conſidere Melchiſedecum, cœlibem vitam agere, non exſtruere domum, non fundere ſanguinem aliaque agere quæ conveniunt ipſi Adami præcepto. Poſt mortem Noë hæc omnia diligenter facta eſſe à Semo. Locum iſtum inde appellatum eſſe الجلجلة id eſt *cranium*. Dicit Melchiſedecum fuiſſe puerum, cum à Semo abduceretur: Semum reverſum interrogatumque de puero, reſpondiſſe: Se eum in via mortuum ſepeliiſſe. Id cum crederet parens & cognati, magna triſtitia fuiſſe affectos. Hæ fabulæ in orientis Eccleſiis vulgatæ ſunt, uti apparet, eoque ab Eutychio, alias Φιλαλήθει, pro veris narrationibus creditæ & conſcriptæ. Pleraque iſta non à Judæis ſed Chriſtianis conficta ſunt.

Sem, Generatio prima.

EJus anno centeſimo nondum inchoato Cataclyſmus fuit; anno centeſimo exacto genuit Arphaxad biennio poſt diluvium. Quidam hunc eſſe volunt quem ſcriptura ſub Melchiſedeci nomine ſacerdotem, picturam Chriſti deſcripſit. Converſatus eſt cum proavo Mathuſale annis 98: cum avo 93. Cum parente 448. cum patriarchis omnibus poſt diluvium uſque ad annum quinquageſimum patriarchæ Jacobi. Mortuus eſt anno ætatis Eber 436: Iſaac CXI: Jacobi 51. M. C. 2158. Pater fuit multarum gentium, viditque in ſua poſteritate figi tabernaculum Dei.

Arphaxad, Generatio ſecunda.

NAtus eſt biennio poſt diluvium, tertius filius Semi. Non refertur nec inquirunt interpretes, cur duobus fratribus natu majoribus præteritis, in eum τὰ πρωτοτόκια deſcenderint, ut eſſet inter Meſſiæ majores. Vixit annos 438. Mortuus eſt anno M. C. 2096. Ætatis Semi 528: Sale 403: Eber 373: Abrahami 148: Iſaaci 48.

Sale, Generatio tertia.

NAtus eſt anno M. C. 1693, ætatis Arphaxad 35: Semi 135: Noë 635: Vixit annis 433. Obiit anno M. C. 2126.

Pſeudo - Cainan.

GRæca Biblia inter Arphaxad & Sale inſerciunt Cainan, quem nec Hebræi nec Samaritæ agnoſcunt. Dicunt enim Arphaxad anno ætatis ſuæ 135. genuiſſe Καϊνᾶν, & poſt natum Cainan vixiſſe annos 400. Cainan genuiſſe anno ſuæ ætatis 130 filium Sale, hinc impleviſſe anno 330. Quem modum annorum generationis & vitæ in Sale etiam aſſignant. Ita Cainan & Sale ſimiles ſunt. Unde ſuſpicio eſt duas generationes pro una ſactas eſſe & loco unius Sale obtruſos eſſe duos Cainan & Sale. Quæ autem ratio ſit unius generationis adſcitæ & ſuppoſitæ non magis poſſumus dicere quem cur annos generationum Græci immutaverint. Itaque LXX, quæ dicitur, interpretum verſio nihil facit ad fidem imminuendam Hebræorum codicum, qui omnes conſtanter Cainanem omittunt. Sed quod Lucas eundem Cainanem recenſeat, magnam LXX interpretibus conciliat auctoritatem. Hinc Beda præfatione in Acta Apoſtolorum: *Lucas teſtimoniis Græcis utitur potius quam Hebræis. Ex quo accidit, quod maximè miror, & propter ingenii tarditatem vehementiſſimo ſtupore perculſus neſcio perſcrutari: qua ratione cum in Hebraicâ veritate à diluvio uſque ad Abraham decem tantum generationes inveniatur; ipſe Lucas, qui Spiritu S. calamum regente, nullatenus falſum ſcribere potuit, undecim generationes juxtà LXX, interpretes adjecto Cainan, in Euangelio ponere maluit.* Et in enarratione Euangelii ſecundum Lucam: *Scite ergò beatum Lucam hanc generationem* [Cainan] *de LXX interpretum editione ſumpſiſſe, ubi ſcriptum eſt quod Arphoxad centum triginta quinque annorum genuerit Cainan, & Cainan cum centum triginta fuerat annorum, genuerit Sela. Sed quid horum ſit verius aut an utrumque verum eſſe poſſit, Deus noverit.* Modeſtè loquitur vir eruditus, hodie & patrum avorumque memoria fuerunt, qui Hebraicam veritatem aſpernarentur. Antonius Contius in notis ad Chronologiam Nicephori adverſus Hebraicæ editionis defenſores ſic furit. *Cum computationi LXX interpretum, ſuffragetur divini Lucæ Euangeliſtæ genealogia à Chriſto ad Adamum replicata; nefas duxit tam Græca quam latina Eccleſia Hebraicam ſequi numerationem ac non potius eam amplecti, quæ ex Euangelio autoritatem accipit. Eant nunc novi Pſeudochriſtiani & Hebraizantes moleſtiſſimi, qui Iudaïca obſtinatione & nuda literarum atque apicum auctoritate freti, adverſus Divinam LXX interpretum tranſlationem & cum tranſlatione conjunctam prophetiam & Hebraicorum mendorum emendationem, quotidie blaſphemant.* Latinæ Eccleſiæ uſum ad primum Nicephori capitulum confirmaverat: *Eccleſiæ occidentales Chronographiam ex vetere LXX. interpretum editione mordicus retinuerunt: ut teſtantur Beda, Iſidorus, auctor faſciculi temporum, Hugo & alii paſſim auctores. Sed & argumentum hujus rei evidentiſſimum præbent tabulæ quæ quotannis in Eccleſiis Cathedralibus Franciæ cum cereo paſchali publicè proponuntur.* Hic reſpondet Iacobus Uſſerius Armachanus: *Neque interim animadvertit & Bedam in martyrologio (nam extra illud, ubi de temporum ratione ex profeſſo agit, Hebraicam illum veritatem ſecutum eſſe conſtat,) Iſidorum & minorum illos gentium ab eo nominatos auctores, ipſaſque illas ab eo productas tabulas Eccleſiaſticas, ejuſmodi ex LXX. editione petitam Chronographiam retinuiſſe, quæ Cainanem tamen (in quo tantopere Contius ipſe jactitat) ejuſque annos prorſus è medio ſuſtulerit. Talem enim ab Euſebio acceptam, numerandi annos Mundi rationem non Martyrologia ſolum, Romanum, Uſuardi, Rabani, Adonis & aliorum, (ad diem 25. Decembris) uſurparunt; ſed Latini etiam Chronologi & Hiſtorici, Hieronymus in Chronico, Oroſius (lib. 1. cap. 1) Ida-*

cius

cius Victorius in Paſchali computo, Proſper, Victor Tununenſis, Marcellinus comes, Caſſiodorus, Iſidorus, Gregorius Turonenſis (lib. 1. hiſtor. Franc. cap. 7.) autor appendicis ad Aimoini hiſtoriam adjectæ (lib. 4. cap. 54.) Ninius in hiſtoria Britonum: quibus & ille addatur, qui de mirabilibus S. Scripturæ ſcripſit (lib 2. cap. 4. in tertio tomo operum Auguſtini) & quotquot alii vel à diluvio ad Abrahamum annos 942. vel ab Adamo ad Chriſtum annos 5199. numeraverunt. Hactenus Uſſerius. Euſebius enim Cainanem expunxit, quemadmodum ante ipſum fecerat Africanus, uterque caſtigatus ob id à Georgio Syncello apud Scaligerum. Euſebium ſecuta eſt Chronologorum natio. Uſſerius dicit ſe ſatis mirari non poſſe, cur quidam in aliis ſequentes Hebraicam veritatem in Cainane ſolo LXX. adoptaverint. Sunt quidam qui conantur conciliare Hebræum textum cum Græcis. Ita Genebrardus: *Quod ſi verè Arphaxad, genuit Cainan, deinde Cainan Selam: genuit Cainan anno 18. & Cainan Selam anno 17. Qua ratione Sela natus eſt ipſi Arphaxad, cum Arphaxad ageret 35. annum, ſicut in textu habetur Hebraico.* Hi omiſſis LXX., Lucam cum veritate Hebræa conantur conciliare; alii Cainanem omnino rejiciunt: Poſſimus Diallact. Theogeneal. Cap. 2. *Magnis viris aſſentior, Abulenſi, Eugubino, Cajetano, Cornelio Janſenio epiſcopo Gandavenſi, Sixto Senenſi, Genebrardo, Benedicto Pererio, Cornelio à Lapide, Dionyſio Petavio aliiſque antiquioribus & recentioribus multis: Nullum unquam fuiſſe inter homines Cainanem, qui Arphaxad quidem filius, Salei autem pater extiterit. Id invicto argumento conficere mihi videor affirmatione diſerta Moſis genitum ab Arphaxado Saleum narrantis. Quod teſtimonium quin prout ſonat ac prouti jacet accipiendum cauſa nulla idonea poteſt afferri. Si ergò cum idem Moſes eodem loco genitum à Semo Arphaxadum aut à Saleo Heberen, divina, qua valuit autoritate, revelaſſe nobis creditur, propriè & ἀμέσως Heberen Salei fuiſſe Patrem, Semi Arphaxadum filium, adeò, ut qui proferre auderet alios quoſdam, quorum generatio media inter iſtos fuerit, convitio repellendus videretur, tanquam temerarius & numini rebellis, Divinæ inquam Revelationis per Moſem ſancti Spiritus interpretem nobis oblatæ contemptor contumax: non video quis ſupereſſe locus poſſit iſti de inſititio Cainane ſententiæ.* Pererius in Geneſ. lib. 16. ſect. 174. 175. *Sic cum animo meo reputare ſoleo. Aut hæc generatio Cainan ignota fuit Moſi aut nota. Ignotam fuiſſe Moſi, quæ perſpecta fuerit & cognita LXX. interpretibus, quis audeat dicere? Cum Moſes tanto propior quam illi, fuerit illi ætati, ſoluſque illorum temporum hiſtoriam, tanta cum diligentia & cura conſcripſerit. Sin autem ea generatio nota fuit Moſi cur igitur eam prætermiſit? Præſertim autem cum ejus generationis vel adjectio vel detractio non parum variet Chronologiam, quæ inter diluvium & Abraham à Moſe deſcribitur. Quam quidem Chronologiam voluiſſe Moſen integrè, exactè ac perfectè tradere, illud eſt clariſſimum indicium, quod ſeriem generationum quæ fuerunt inter Diluvium & Abraham diſtinctè & accuratè percenſeat & ſuos cuique generationi annos ſubtiliter computatos propriè aſſignet. Qui ſit igitur credibile Moſen, generatione Cainan prætermiſſa, vitioſam nobis Chronologiam aut voluiſſe tradere, aut, cum minimè vellet, inſcienter tamen tradidiſſe? Equidem diu multumque cogitans nullam rationem (quæ mihi animum expleret) reperire potui, cur Moſes generationem Cainan, ſiquidem ea inter Arphaxad & Sale interceſſit, præterire debuerit aut potuerit. Nam quod ajunt quidam voluiſſe Moſen generationes, quæ fuerunt ante & poſt Diluvium ad duas tantum decadas redigere: id nec probari ab iſtis poteſt & leve ac ſubtile eſt, nec tale, ut propter id debuerit Moſes Chronologiam (cujus exacta cognitio magni erat momenti) perturbare atque confundere. His adde, quod ſaltem in libris Parapolimenon, in quibus ſupplentur, quæ alibi in ſacris literis derelicta fuerant, unde nomen etiam illi habent, commemorata fuiſſet generatio*

hæc

hæc Cainan ſiquidem in exordio prioris libri Paralipomenon ſeries generationum, quæ fuerunt ante & poſt Diluvium ſimiliter atque hic recenſentur, nec ullum tamen verbum fit de generatione Cainan. Hactenus Pererius. Argumentum eſt: Eam generationem aut ignoravit aut notam habuit. Ignoraſſe nemo dicat. Notam igitur habuit. Si habuit notam reticuit prudens aut per imprudentiam. At neutro modo. De imprudentia blaſphemum dicere. Prudens non omiſit, (1.) quia ipſi fuit propoſitum texere Chronologiam (2.) quia majorum Chriſti neminem in ſacra hiſtoria reticeri conveniens fuit (3.) quia nec in Paralipomenis habetur. Adde; non agnoſcit Onkelos. Non Beroſus nec Eupolemus ut concedit Salianus. Sic argumentantur rigidiores, *Quicquid eſt à LXX. poſitum id adjici debet Chronologiæ Moſis. Atque Cainan. Igitur.* Hic majorem negamus, quia interpretes fuerunt labiles non gubernati à Sp. S. de quo alibi. Minor à multis negatur. Nam objiciunt hic inconſtantem lectionem in Cainanis generatione & ævo, quam vide apud Cl. Uſſerium diſſertatione de Cainane. Deinde diſcernit idem κοινὴν ab ſinceriore. Ita exiſtimat in prima verſione τῶν ό non exſtitiſſe ſed irrepſiſſe. Nam & Euſebium triplici textu laudato, Græco, Hebræo, Samaritico, in nullo Cainanem poſuiſſe. Non quod mala fide egerit, ut Syncellus exiſtimat, ſed quod ſinceriorem editionem τῶν ό quæ in Hexaplis fuerat, ſecutus ſit. Ex eodem Africanum omiſiſſe Cainanem.

Quantum attinet Lucam. Eum alii locutum eſſe volunt ad opinionem vulgi & communiter acceptam; alii à librariis fuiſſe corruptum Lucæ textum, Cainane è LXX. interpretibus inſerto. Narrat Cl. Uſſerius vidiſſe ſe librum Lucæ græco-latinum, in antiquiſſimis membranis, literis majuſculis, ſine ſpiritibus & accentibus deſcriptum: ubi in Græco: του Φαλεκ, του Εϐερ, του Σαλα, του Αρφαξαδ, του Σημ. Codicem illum, quatuor Euangeliorum & Actorum Apoſtolicorum hiſtorias complectentem ex Græcia olim in Galliam perductum, in monaſterio S. Irenæi in ſuburbio Lugdunenſi eſſe repoſitum, ibique oriente civili bello anno 1562 repertum, à Theodoro Beza, anno demum 1582. publicæ Cantabrigienſis Academiæ bibliothecæ eſſe donatum. Fatetur Uſſerius nullum alium codicem Græcum M. S. à Beza eſſe commemoratum vel in Angliam è Græcia nuper miſſum, qui ſic habeat: quanquam aliter putaverit Grotius.

Ille Grotius huc adducatur, ſummatim & breviter de loci Lucæ lectione: τοῦ Σαλὰ, τοῦ Ἀρφαξὰδ] *Sic habent manuſcripti Græci aliquot, quorum meminit Beza, & quod potiſſimum eſt antiquiſſima litera ſcriptus unus, qui Lugdunenſis Eccleſiæ fuit, Cantabrigiam poſteà delatus: & alter in Angliam è Græcia nuper miſſus. Irenæi quoque numerus oſtendit Cainanis nomen non lectum eo tempore: nec certe ejus, quæ nunc apparet lectionis indicia reperias ante quartum ſeculum. Omnino Cordeſio aſſentior exiſtimanti Cainani nomen hoc loco nec in primitivis Lucæ, nec in ſeptuaginta interpretum libris exſtitiſſe. De Luca, præter ea, quæ diximus rem credibilem facit Africanus, qui id nomen non agnoſcit: de interpretibus LXX, quod Procopius Gazæus notat eum, qui eſt in Geneſi de Cainano locum ὠβελίζει tanquam ſuppoſititium: quod Theophilus Antiochenus in temporum ſupputatione ſeptuaginta illos ſequens in nominum recenſione omiſſo Cainane Arphaxadum Salæ patrem faciat: itemque Euſebius, ut Græce à Scaligero eſt editus, idque in ea genealogia quam ipſe ait eſſe ſecundum LXX; quodque alii ſecundum eoſdem interpretes tempora à ſe putari profitentes, ita putent, ut conſtare ratio non poſſit, niſi omittatur hic Cainan: quos inter ſunt Epiphanius hæreſi 55. & Oroſius. His adde, quod LXX nomen hoc ex traditione aliqua hauſiſſe dici non poſſint cum Samaritana ſcriptio & Chaldæa verſio & quæ*

eam

eam ſecutæ ſunt aliæ extra Græcum, codici Hebræo conſentiant, nec quiſquam Hebræorum magiſtrorum; tale quid tradiderit. Adde quod Abrahamum à diluvio eſſe decimum, qui Cainano interjecto eſſet undecimus, non Hebræi tantum, quos inter Ioſephus, affirmant; ſed & ex Chaldæis Beroſus ab ipſo Ioſepho productus & ex Græcis Eupolemon, cujus locum ſervavit Euſebius. Quæ conjecturæ me inducunt, ut credam à ſcriptore aliquo libri, unde multa exemplaria fluxerunt; ex penultimo hujus commatis capite, nomen Cainanis hoc loco errore quodam repoſitum, quales repetitiones vitioſas ex perperam inſpectis archetypis, aut dictantis hallucinatione multis in libris occurrunt. Deinde cum late ſpargi ea lectio per Lucæ exemplaria cepiſſet, Græcos Chriſtianos etiam in verſione Geneſeos ſecundum ſeptuaginta, inter Arphaxadum & Salam interpoſuiſſe nomen Cainanis, annis etiam additis, quo magis Lucæ, quem ſic ſcripſiſſe arbitrabantur, ſua auctoritas conſtaret. Sed horum temeritatem tum alia quæ diximus reſellunt, tum quod Paralipomenon liber Græcus cujuſcunque tandem is ſit interpretis, In antiquioribus libris Cainanis hujus novi nullam faciat mentionem. Hæc Cl. Grotius. Diſputat primò Cainanis nomen irrepſiſſe, inde qua cauſa & occaſione. Ad primum multas affert conjecturas: quas explicabimus.

I. Libros aliquot manuſcriptos à Beza dicit referri, qui Cainanem omittant, & illis adjicit Lugdunenſem & alterum è Græcia in Angliam miſſum. Beza ita: *Ante hoc nomen legitur τοῦ Καινᾶν, quod non dubitavi expungere, ſequutus auctoritatem Moſis Gen. 11. 12. & mei vetuſtiſſimi codicis.* Fallitur itaque Grotius, unus ſolus codex Bezæ, qui in Angliam venit, ſic habet. Et ille codex ſuſpectus eſt, quia genealogiam Lucæ plane immutat, teſte Beza ad v. 23. cap. 3. Lucæ.

II. Irenæi numerus. Irenæus adv. hæreſ. lib. 3. cap. 33. *Propter hoc Lucas genealogiam, quæ eſt à generatione Domini noſtri uſque ad Adam, ſeptuaginta duas generationes habere oſtendit.* Quem numerum ſuperari dicit Grotius niſi excludas tres generationes è communi & recepta lectione, ſcilicet, Matthan, Levi, Cainan. Atqui in Luca ab Adam ad Chriſtum habentur ſeptuaginta ſex generationes, ideò non tria ſed quatuor nomina expungenda eſſent, ſi eum velimus ſequi. Fieri poteſt, quod aliò reſpexerit. Ideoque hinc non poteſt argumentum ſumi.

III. Illius lectionis (quæ nunc apparet) veſtigia reperiri non poſſe ante quartum ſeculum. Cainanem in Lucæ & verſionis LXX. primitivis exemplaribus non fuiſſe ante quartum ſeculum. Diligentiſſimus Uſſerius probat Cainanem lectum fuiſſe ante Chriſti tempora in editione communi Græca. Nam apud Euſebium lib. 9. Præparationis Euangelicæ, ex Alexandro Polyhiſtore Demetrius annotat à mundi conditu uſque ad illud tempus, quo Joſephi cognatio in Ægyptum deſcendit, fluxiſſe annos 3624. à Diluvio 1360; ab Abrahami vocatione 215. Numerat igitur inter Diluvium & Abrahami ortum annos 1070. Qui numerus Cainanem neceſſariò includit. Nam eo excluſo à Diluvio ad Abrahami natalem erunt anni 940, biennii illius poſt quod natus eſt Arphaxad, non habitâ ratione. Inter Mundi ortum & diluvium Demetrius putat annos 2264.

IV. Africanus id nomen non agnoſcit. Eſt tamen illo antiquius etſi non exſtiterit in omnibus editionibus. Non exſtabat in editione puriore, uti docet Uſſerius.

V. Notat Procopius Gazæus eum, qui eſt in Geneſi, de Cainano locum ὀβελίζει, tanquam ſuppoſititium. Procopius ita habet è verſione Conradi Clauſeri: *Hebraïca veritas habet Salam genitum eſſe ab Arphaxad.*

Quæ deinde in medio ponuntur obeliſco ſignata viſuntur. Igitur obeliſco notata erant, quæ diſcrepabant ab Hebraica veritate ad quam illa communis editio τῶν ό fuit purificata, non ad aliam editionem τῶν ί. Nihil igitur ex his pro puriore editione non habente Cainanem habetur.

VI. Theophilus Antiochenus in temporum ſupputatione ſeptuaginta illos ſequens, in nominibus recenſendis, omiſſo Cainane Arphaxadum Sale patrem facit. Nempe in lib. 3. ad Autolycum. Tantum ſequitur in quadam editione non fuiſſe, quam Euſebius, Africanus, Theophilus ſecuti ſunt. Antiquitus in omnibus editionibus abfuiſſe Cainanem probari hinc non poteſt.

VII. Euſebius. De eo diximus.

VIII. Quodque alii ſecundum eoſdem interpretes tempora à ſe putari profitentes, ita putent, ut ratio non conſtet niſi omiſſo Cainane. Ut Epiphanius & Oroſius. De Oroſio ſuprà. Conſtat Epiphanium Cainanis nullam habere rationem. Nam diſertè dicit: Ἀρφαξὰδ δὲ ρλέ ἐτῶν ὢν ἐγέννησε τὸν Σαλά. Et computat, à Semi ortu ad annum Abrahami nonageſimum, annos 1130. Si ab hoc numero dempſeris centum annos, quibus Sem vixit ante diluvium, erunt anni 1030. à diluvio ad annum Abrahami 90. Adeò ab diluvio ad natum Abrahamum 940. Numerat etiam expreſſis verbis decem generationes inter Sem & Abraham ſcilicet Semo connumerato: ὁ Σὴμ ὁ υἱὸς τοῦ Νῶε περὶ δέκα γενεῶν &c. Iterum: κατὰ δὲ ψῆφον ἄλλων ἀντιγράφων, ἀπὸ τῆς τοῦ Σὴμ ἡλικίας, ἐξ ὅτε γεγένηται ὁ αὐτὸς Σὴμ ἕως τοῦ προδεδηλωμένου χρόνου, τῆς τε τοῦ Ἀβραὰμ συναντήσεως τοῦ Μελχισεδὲκ, ἥτις ἦν ἐν ὀγδοηκοστῷ ἔτει τῆς ζωῆς αὐτοῦ, ἢ ἐνενηκοστῷ, γίνεται χκή ἔτη πλείω ἢ ἐλάσσω. *Secundum calculum aliorum exemplarium, ab ætate Sem, ex quo natus eſt ipſe Sem, uſque ante ſignificatum tempus & Abrahami occurſum & Melchiſedec, qui fuit in anno octogeſimo aut nonageſimo vitæ illius fiunt anni plus minus 628.* Mira hæc eſt computatio. Hebræa veritas colligit à diluvio ad natum Abrahamum annos 292. quibus ſi addideris vitæ Abrahami annos 90, & Semi ante diluvium 100, habebis annos 482. Illi igitur anni 628 ex Hebræa veritate petiti non ſunt, ſed ex aliis LXX. interpretum verſionis exemplaribus.

IX. LXX hoc nomen non potuerunt ex traditione hauſiſſe, quia Samaritica ſcriptio & Chaldæa verſio & omnes aliæ verſiones extra Græcum, codici Hebræo conſentiunt. Nec eſt apud magiſtros Hebræorum ejuſmodi traditionis mentio. Sic argumentantur: Si LXX Cainanem poſuerunt [qui in Hebræo non eſt ab illis inventus] è traditione hauſerunt. Atqui non è traditione, quia talis nulla exſtat. Etſi nulla nunc talis traditio exſtet. Hinc non ſequitur cauſam nullam aut traditionem nullam talem exſtitiſſe.

X. Abrahamus numeratur decimus poſt diluvium ab Hebræis & Joſepho, à Beroſo & Eupolemo. Pro Eupolemus Grotius legit Eupolemon, quod nihil eſt. Hinc confirmatur Hebræa veritas, doceturque non omnia exemplaria Græca Cainanem habuiſſe. Non poteſt hinc doceri, quod in communiore editione Cainan non exſtiterit.

XI. In Paralipomenon libri Græci antiquioribus codicibus non exſtitiſſe Cainanem. Certum igitur eſt plurimas editiones antiquas non habuiſſe Cainanem, communiter tamen habebatur.

Concidit igitur Grotii ſententia, qui putat antiquitus in Græco non exſtitiſſe Cainan: cadit, quod exiſtimat Lucam prius eſſe corruptum à librariis & è Lucæ corruptione in LXX interpretum exemplaria irrepſiſſe ſuppoſi-

ſuppoſititium Cainanem. Simpliciſſimum mihi videtur dicere quod Cainanis nomen ab ipſo Luca ſcriptum fuerit, relinquente non probante, quod communiter legebatur & recipiebatur. Niſi eam ſolutionem admittamus, nodos inſolubiles & caſſes inextricabiles deprehendemus. Anne id adeò novum & peregrinum videbitur, quod per conceſſionem ſecundum communem receptamque ſententiam ſanctiſſimi ſcriptores loquantur: ubi ſive hoc ſive illo modo res capiatur, nihil intereſt? Hoc ſapit illum ſimplicitatis genium, quem ubique ſpirant. In aliud tempus aliumque locum ſilentio & præteritione quadam rejicitur, quod ad ſcopum præſentis inſtituti non facit. Cum ſive hoc ſive illo modo poſitum argumentum ſtringit, de modo poſitionis non diſceptatur. Quod conceſſum eſt, etſi verum non ſit arguit, non igitur offenſæ ſine neceſſitate objici debent. Eo tempore apud Judæos Græcienſes pervulgata erat illa editio Græca, quæ Cainanem habebat, & per ſabbata in ſynagogis legebatur, diſcedere ab ea intempeſtive noluit Sp. S. in ſanctis viris ſcribentibus aut differentibus. Ædificationem unice ſpectabant, ſcientiam ſibi prudenter & loco & tempori reſervabant. Qui omnia verba dictaque Sacrarum literarum exigere velit ad minutam in ſingulis ἀκρίβειαν, & λεπτολογίαν, etſi nihil ad rem faciat, inepta & contra veritatem longeque abſurdiſſima ſtatuat. Dæmon ille qui Saulem decepit, fuerit verus Samuel; Antipodes nulli in orbe ſint; Sol ingredietur & egredietur, non circumvolvetur; Joſeph pater Chriſti erit; Melchiſedec nec patrem nec matrem habuerit, miraculo ortus &c. *Conſuetudinis ſcripturarum eſt*, inquit Hieronymus, *ut opinionem multorum, ſic narret hiſtoricus, quomodo illo tempore ab omnibus credebatur.* Ita loquitur in Matth. 14. 9. Iterum Jerem. 28. 10. *Quaſi non multa in ſcripturis ſanctis dicantur juxta opinionem illius temporis, quo geſta referuntur & non juxta quod rei veritas continebat.* Deinde lib. 2. in Helvidium: *Euangeliſtæ opinionem exprimentes, quæ vera hiſtoriæ lex eſt, patrem dixerunt Ioſeph ſalvatoris.* Septuaginta igitur interpretes neſcio unde præter veritatem Hebraicam ſuppoſuerunt Cainanem, eum obiter recenſet Lucas, quia inveniebat in Græcis codicibus, ad quos voluit ire ſuos auditores, cum non poſſent Hebræos adire, ut originem Domini meditarentur.

Eber, Generatio quarta.

EBer natus eſt anno M. 1723: anno Sale 30: Arphaxad 65: Semi 165: Noë 665. Vixit annos 464. Obiit anno M. C. 2187: ætatis Iſaaci 139: Jacobi 79. Cum anno ſuperiore Jacob in Meſopotamiam, fugiens fratris Eſau iram & inſidias adveniſſet. Hic ultimus obiit decem patriarcharum inter Noë & Abrahamum. Obiit enim poſt Abrahamum annis 64: poſt Sem annis 29.

Phaleg, Generatio quinta.

NAtus eſt anno M. C. 1757: ætatis Eber 34: Sale 64: Arphaxad 99: Semi 200: Noë 700: anno poſt diluvium 101. Qui annus fuit Sabbaticus, quo linguarum confuſio condentibus Babylona fuit immiſſa & condentes per orbem diſſipati. Vixit annos 239. Obiit anno M. C. 1996: anno Noë 939: Semi 439: Arphaxad 338: Sala 303: Eber 273: Ragau

gau 209 : Sarug 177 : Nachor 147 : Thare 118 : Abrahami 48. Hic igitur primus decem patriarcharum, qui poſt diluvium vixerunt, è vivis exceſſit, ut parens ultimus. Patres multi locum Geneſeos X. 25. 1. Chronic. I. 19. ſic accipiunt, quaſi in Phaleg dimidium durationis Mundi conſtituatur. כי בימיו נפלגה הארץ. ὅτι ἐν ἡμέραις αὐτοῦ διεμερίσθη ἡ γῆ. Euſtathius in Hexemeron, editionis Leonis Allatii pag. 55. Ὁ δὲ Φαλὲκ διὰ τοῦτο ἐκλήθη Φαλὲκ, ἐπειδὴ κατὰ τὴν ἀπόστολον τῆς ἀποικιῶν ἐτέχθη. Φαλὲκ γὰρ ἑβραῖοι μερισμὸν λέγουσιν, ἐπ' αὐτοῦ ἐμερίσθησαν. καὶ ὁ ἀποσωζόμενος τῶν ἐτῶν τοῦ τοῦ κόσμου διαμονῆς ἀριθμὸς εἰς δύο διῃρέθη ἰσάστατα. τρισχίλια γὰρ ἐπὶ τῇ γενέσει αὐτοῦ τῆς τοῦ κόσμου ὑπάρξεως ἔτη ἐπερατώθη. Poſteà: Γίνονται οὖν ἀπὸ Ἀδὰμ ἐπὶ τὴν τελευτὴν τοῦ Φαλὲκ ἔτη τρισχίλια. Doctiſſimus & diligentiſſimus Uſſerius exiſtimavit mendum eſſe ἐπὶ τῇ γενέσει, pro ἐπὶ τῇ τελευτῇ quia non ad ortum ſed mortem Phalegi tria annorum millia finiuntur. Sed mendum non eſt. Diſtinguendum inter ἐπὶ cum Dativo & Accuſativo : quod vir maximus non animadvertit. Ideo Euſtathius dicit ἐπὶ τῇ γενέσει, cum dicat ἐπὶ τὴν τελευτήν. Reddendum prius ſuper ortu. Senſus eſt, ortus & origo Phalec tria millia mundi annorum finivit in illius perſona. Numerat Africanus ab Adam ad diluvium annos 2262. Inde Arphaxad genuit Sale anno ætatis ſuæ 135. Sale genuit Eber anno ætatis ſuæ 130. Eber genuit Phaleg anno ætatis ſuæ 134. Colliguntur anni 399. Vixit autem Phaleg juxta LXX annos 339. Ita ſumma exiſtit annorum 3000. Cedrenus : Ὅτι ὁ Φάλεκ πρὸ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ Ἐβερ τελευτᾷ. συνάγεται δὲ τὰ πάντα ἔτη ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ ἐπὶ τὴν τοῦ Φάλεκ τελευτὴν ἔτη τρισχίλια. ἔνθεν ἀρχὴν τῶν ἑλληνικῶν θεῶν λαμβάνουσι τὰ ὀνόματα. Suidas in voce Phalec : κατὰ τὴν προφητικὴν φωνὴν τὸ ἥμισυ λέγει τοῦ χρόνου τῆς χριστοῦ παρουσίας. ἀπὸ γὰρ Ἀδὰμ μέχρι τοῦ κατακλυσμοῦ ἐπὶ Νῶε ἔτη βσνβ. ἀπὸ δὲ τοῦ κατακλυσμοῦ ἕως τοῦ Φάλεκ ἔτη ψνη. ὡς γίνεσθαι ἔτη γ. ἀπὸ γὰρ κτίσεως κόσμου μέχρι τῆς ἀναλήψεως τοῦ κυρίου ἔτη ς. Supputat plures annos ad Chriſtum quam Euſtathius & Cedrenus. Cedrenus & Suidas ab Adam ad diluvium annos numerant 2242. Cainanem connumerant uti & Euſtathius, qui ab eo dicit Canatas, item Songodianos habere originem. De Cainane traditionem hanc habet Cedrenus : Anno ab origine mundi bis milleſimo quinquageſimo octogeſimo primo, διοδεύων Καϊνᾶν ἐν τῷ πεδίῳ εὗρε τὴν γραφὴν τῶν γιγάντων, καὶ ἔκρυψε παρ' ἑαυτῷ, καὶ αὐτὸς μὲν ἐν αὐτοῖς ἐξημάρτανε καὶ τοὺς ἄλλους τὴν αὐτὴν ἀτοπίαν ἐξεπαίδευσεν. οἱ δὲ τὸν Σαλὰ φασὶ ταύτην εὑρηκέναι.

Ragau, Generatio ſexta.

REü ſive Ragau, רעו, natus eſt anno ætatis Phaleg 30 : Eber 64 : Arphaxad 129 : Semi 229 : anno poſt diluvium 131. Vixit annos 239. Obiit anno Semi 467 : Arphaxadi 367 : Sale 333 : Eber 303 : Sarug 209 : Thare 148 : Abrahami 78. Sexennio ante natum Iſraëlem. Philippus Bergomas de Ragau : *Cujus tempore templa permulta conſtructa referuntur. Ac quidam gentium principes ut dii adorari cœperunt.*

Sarug, Generatio ſeptima. Ubi de origine idololatriæ.

SArug natus eſt anno ætatis Ragau 32 : Phalegi 62 : Eberi 96 : Sale 126 : Arphaxad 161 : Semi 261 : Noë 761 : poſt diluvium 163. Vixit an-

xit annos 230. Obiit anno M. C. 2049: anno poſt natum Iſaac, id eſt ætatis Abrahami 101: Semi 491. Hujus tempore idololatria cœpiſſe originem aut ſupra modum increviſſe creditur & faſtus typhuſque. Cujus quidem opinionis duo fundamenta eſſe arbitror. Primum à numero generationis. Sicuti enim Enoch ab Adam ſeptimus fuit, quo vivente invaluit malitia ante diluvium, ita & à Noë ſeptimus fuit Sarug, cujus tempore idolomania incrementum ſumpſit. Alterum videtur eſſe; ex Geneſ. 31. 53. Ubi Laban jurat per falſum numen Abrahami, Nachoris & Thare. Cum Nachor jam idolum coluerit, vero ſimile illis viſum fuit cœpiſſe falſorum numinum cultum tempore Sarugi, avi Thare. Euſtathius Cainanem inveniſſe ſcribit aſtronomiam καὶ τοὺς οἰωνισμούς. De Sarug ita: Ἐν δὲ τοῖς χρόνοις Σερούχ οἱ υἱοὶ Νῶε εἰδωλολατρεῖν ἤρξαντο καὶ κακίαν πᾶσαν μετέρχεσθαι καὶ οἰκοδομεῖν πόλεις καὶ βασιλεῖς καθιστᾶν καὶ πολιορκεῖν καὶ ἁρπάζειν καὶ αἰχμαλωτίζειν. Cedrenus ſub Phaleg gentilium deorum nomina incepiſſe originem ſcribit, at de Sarug ita: Ἐπὶ τούτου οἱ ἄνθρωποι τὸν κατ' ἀλλήλων αὐξήσαντες τῦφον, στρατηγούς τε ἑαυτοῖς κατεστήσαντο καὶ βασιλεῖς καὶ τότε πρώτως πολεμικὰ κατασκευάσαντες ὄργανα, πολεμεῖν ἀλλήλοις ἐνήρξαντο. καὶ εὐθὺς οἱ ἀπὸ Χαναὰν ἡττῶντο καὶ πρῶτοι τὸν δουλείας ὑποκύπτουσι τῷ ζυγῷ, κατὰ τὴν τοῦ Νῶε κατάραν. Eutychius Alexandrinus originem primam idololatriæ evolvit, ita ſcribens ex verſione Cl. Pocoki: *Cujus* [Sarug] *temporibus coluerunt homines idola, unoquoque quod ſibi alluberet, colente & adorante. Fuerunt ergò ex ipſis alii, qui cœlum; alii qui Solem; alii qui Lunam; alii qui Stellas; alii qui volucres; alii qui terram; alii qui feras; alii qui fluvios; alii qui arbores; alii qui montes colerent: alii qui ad ſimilitudinem patris aut matris, aut ejus, quem ex ſibi charis honore proſequerentur, cum mortuus eſſet, imaginem conflarent, quam colerent ac ſibi in Deum aſſumerent: alii qui imaginem ex auro, argento, lapide aut ligno conficerent. Primi autem hoc fecerunt Ægyptii, Babylonii, Franci & locorum maritimorum incolæ. Dicitur etiam cultus idolorum originem hanc fuiſſe, quod cum moreretur apud illos quiſpiam, imaginem ad ejus ſimilitudinem conflatam tumulo ipſius imponerent, quo minus oblivioni traderetur memoria ipſius qua ratione impleta eſt terra idolis; virorum ſc. fœminarum & puerorum ſimulacris. Eodem tempore cum mortuus eſſet vir quidam dives, filius ipſius ſtatuam ſibi, ad patris ſui ſimilitudinem confectam tumulo ipſius impoſuit, collocato etiam ibi ſervo, qui ipſam cuſtodiret. Cum advenientes deinde fures, quicquid filio domi ſuæ fuit, ſurripuiſſent, profectus ille ad patris ſui tumulum flere & conqueri apud ſtatuam iſtam auream, quaſi apud patrem ſuum. Alloquutus ergò ipſum Diabolus è ventre ſtatuæ, Ne fleas, inquit, Abi tantum & allato filio tuo natu minimo, ipſam mihi in ſacrificium mactans, ſanguine ejus calenti te abluas, ita (fiet ut) ego omnia tibi, quæ perdideris, reſtituam. Cum ergo ille filium ſuum allatum coram idolo mactaſſet ejuſque ſanguine ſe abluiſſet, egreſſus ex idolo Diabolus, hominemque illum ingreſſus, ipſum præſtigias & incantamenta edocuit: atque hinc cœperunt homines filios ſuos Diabolis mactare & præſtigiis (uti) didicerunt.* Originem idololatriæ duplicis duplicem facit. Nam ſunt θεοὶ φυσικοὶ, *dii naturales*, qui ſunt creaturæ ſeu naturæ partes præter hominem æſtimatione & honore deitatis affectæ cultæque ſine ſtatuis. Sunt etiam dii ex arbitrio hominum facti, id eſt mortui homines culti in ſtatuis & imaginibus. Similiter autor lib. 5. Sapientiæ rerum naturalium ſenſu carentium ſine imaginibus cultum & hominum animaliumque per ſtatuas & imagines diſtinguit. De primo agit cap. 13. Μάταιοι μὲν γὰρ πάντες ἄνθρωποι φύσει, οἷς παρῆν θεοῦ ἀγνωσία, καὶ ἐκ τῶν ὁρωμένων ἀγαθῶν οὐκ ἴσχυσαν εἰδέναι τὸν ὄντα, οὔτε τοῖς ἔργοις προσέχοντες ἐπέγνωσαν τὸν τεχνίτην. Ἀλλ' ἢ πῦρ, ἢ πνεῦμα, ἢ ταχινὸν ἀέρα, ἢ κύκλον

ἄστρων, ἢ βίαιον ὕδωρ ἢ φωστῆρας οὐρανοῦ, πρυτάνεις κόσμου θεοὺς ἐνόμισαν. Ὧν εἰ μὲν τῇ καλλονῇ τερπόμενοι, ταῦτα θεοὺς ὑπελάμβανον, γνώτωσαν πόσῳ τούτων ὁ δεσπότης ἐστὶ βελτίων, ὁ γὰρ τοῦ κάλλους γενεσιάρχης ἔκτισεν αὐτά. Εἰ δὲ δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ ἐκπλαγέντες νοησάτωσαν ἀπ' αὐτῶν πόσῳ ὁ κατασκευάσας αὐτὰ δυνατώτερός ἐστιν. Ἐκ γὰρ μεγέθους καὶ καλλονῆς κτισμάτων ἀναλόγως ὁ γενεσιουργὸς αὐτῶν θεωρεῖται. *Etenim vani ſunt omnes homines natura, quibus ignorantia Dei adfuit & ex iis, quæ ſpectantur, bonis, eum, qui eſt, non potuerunt intelligere: neque operibus attendentes agnoverunt artificem. Sed aut ignem aut ventum aut citatum aërem aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut faces cæli, rectores orbis terrarum Deos eſſe putaverunt. Quorum ſi ſpecie delectati Deos eſſe exiſtimarunt, ſciant quanto horum dominus ſit præſtantior. Nam pulchritudinis auctor ea creavit. Sin potentiam atque efficaciam ſint admirati, ex eiſdem animadvertant, quantò potentior ſit. Nam è magnitudine & pulchritudine conditorum convenienter, eorum effector ſpectatur.* Tolerabiliorem tamen horum veſaniam eſſe putat (cap. eodem) quam eorum, qui ſtatuas hominum defunctorum & animalium coluere. Ταλαίπωροι δὲ καὶ ἐν νεκροῖς αἱ ἐλπίδες αὐτῶν οἵτινες ἐκάλεσαν θεοὺς ἔργα χειρῶν ἀνθρώπων, χρυσὸν καὶ ἄργυρον τέχνης ἐμμελέτημα καὶ ἀπεικάσματα ζώων ἢ λίθον ἄχρηστον χειρὸς ἔργον ἀρχαίας. Εἰ δὲ καί τις ὑλοτόμος τέκτων εὔτυκτον φυτὸν ἐκπρίσας περιέξυσεν εὐμαθῶς πάντα τὸν φλοιὸν αὐτοῦ καὶ τεχνησάμενος εὐπρεπῶς κατεσκεύασε χρήσιμον σκεῦος εἰς ὑπηρεσίαν ζωῆς. Τὰ δὲ ἀποβλήματα τῆς ἐργασίας εἰς ἑτοιμασίαν τροφῆς ἀναλώσας ἐνεπλήσθη. Τὸ δὲ ἐξ αὐτῶν ἀπόβλημα εἰς οὐθὲν εὔχρηστον, ξύλον σκολιὸν καὶ ὄζοις συμπεφυκός, λαβὼν ἔγλυψεν ἐν ἐπιμελείᾳ ἀργίας αὐτοῦ καὶ ἐμπειρίᾳ συνέσεως ἐτύπωσεν αὐτὸ εἰκόνι ἀνθρώπου, ἢ ζώῳ τινὶ εὐτελεῖ ὡμοίωσεν αὐτό, καταχρίσας μίλτῳ καὶ φύκει ἐρυθήνας χροὰν αὐτῷ, καὶ πᾶσαν κηλῖδα τὴν ἐν αὐτῷ καταχρίσας. καὶ ποιήσας αὐτῷ αὐτοῦ ἄξιον οἴκημα ἐν τοίχῳ ἔθηκεν αὐτὸ ἀσφαλισάμενος σιδήρῳ. Ἵνα μὲν οὖν μὴ καταπέσῃ προενόησεν αὐτοῦ, εἰδὼς ὅτι ἀδυνατεῖ ἑαυτῷ βοηθῆσαι. καὶ γάρ ἐστιν εἰκὼν καὶ χρείαν ἔχει βοηθείας. *Miſeri autem & in mortuis ſpem habentes, qui vocant Deos opera manuum humanarum, aurum & argentum artis curam & ſimulachra animalium, aut lapidem inutilem, manus antiquæ opus. Si etiam materiarius faber arboris ad opus convenientis ſectæque omnem corticem ſcite eradat concinneque fabricatus opus utile effecit ad miniſterium vitæ: reliquiis vero operis ad cibum parandum conſumptis ſaturatus eſt & reliquum horum, quod ad nullos uſus facit, lignum curvum ramiſque nodoſum ſumpſerit diligenterque per otium ſculpſerit, ac pro intelligentia ſua figurarit hominis effigie, aut animalis cujuſpiam vilis ſimilitudine, minio fucoque oblitum, rubro colore inducto omnique macula obductâ. Tum conveniente domicilio collocatum ferroque munitum, ne decideret, proſpexerit, ſciens ſibi non poſſe auxiliari. Cum imago ſit & opus illi ſit adjutorio.* Hujus imaginis arte factæ auxilium opemque ab hominibus fatuis implorari. Occaſionem faciendarum imaginum (cap. 14.) explicat, artem ſtatuariam, deſideratorum honorem. Ἀρχὴ γὰρ πορνείας ἐπίνοια εἰδώλων εὕρεσις δὲ αὐτῶν φθορὰ ζωῆς. *Principium enim fornicationis eſt excogitatio ſimulachrorum: inventio autem eorum eſt corruptio vitæ.* Non fuiſſe ab initio neque fore in perpetuum. Originem igitur egregie enucleat. Κενοδοξίᾳ γὰρ ἀνθρώπων εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον καὶ διὰ τοῦτο σύντομον αὐτῶν τὸ τέλος ἐπενοήθη. Ἀώρῳ γὰρ πένθει τρυχόμενος πατὴρ τοῦ ταχέως ἀφαιρεθέντος τέκνου, εἰκόνα ποιήσας τὸν τότε νεκρὸν ἄνθρωπον, νῦν ὡς θεὸν ἐτίμησε καὶ παρέδωκε μυστήρια καὶ τελετάς. Εἶτα ἐν χρόνῳ κρατυνθὲν τὸ ἀσεβὲς ἔθος ὡς νόμος ἐφυλάχθη καὶ τυράννων ἐπιταγαῖς ἐθρησκεύετο τὰ γλυπτά. οὓς ἐν ὄψει μὴ δυνάμενοι τιμᾶν ἄνθρωποι, διὰ τὸ μακρὰν οἰκεῖν, τὴν πόρρωθεν ὄψιν ἀνατυπωσάμενοι, ἐμφανῆ εἰκόνα τοῦ τιμωμένου Βασιλέως ἐποίησαν, ἵνα τὸν ἀπόντα ὡς παρόντα κολακεύωσι διὰ τῆς σπουδῆς. Εἰς ἐπίτασιν δὲ θρησκείας καὶ τοὺς ἀγνοοῦντας ἡ τοῦ τεχνίτου προετρέψατο φιλοτιμία.

τιμία. Ὁ μὲν γὰρ τάχα τῷ κρατοῦντι βουλόμενος ἀρέσαι, ἐξεβιάσατο τῇ τέχνῃ τὴν ὁμοιότητα ἐπὶ τὸ κάλλιον. Τὸ δὲ πλῆθος ἐφελκόμενον διὰ τὸ εὔχαρι τῆς ἐργασίας, τὸν πρὸ ὀλίγου τιμηθέντα ἄνθρωπον νῦν σέβασμα ἐλογίσαντο. Καὶ τοῦτο ἐγένετο τῷ βίῳ εἰς ἔνεδρον. ὅτι συμφορᾷ ἢ τυραννίδι δουλεύσαντες ἄνθρωποι τὸ ἀκοινώνητον ὄνομα λίθοις καὶ ξύλοις περιέθηκαν. Erroris, quo ſtatuas colere & in iis defunctos mortales, cauſas aſſignat: deſiderium filii, quem mors acerba eripuit. Sic & abſentes ſimilis effigiei imaginibus cultos eſſe, potiſſimum reges. Cultui dediſſe incitamentum artem pictoris ſculptoriſque qui etiam ſpeciem vero meliorem addidere. Artis autem admiratio inſaniam plebis incendit, ut, διὰ τὸ εὔχαρι τῆς ἐργασίας, *ob artifitii gratiam*, (in honore habitum, cum in vivis eſſet) defunctum numinis loco æſtimarent. Proinde calamitatibus aut tyrannide preſſi aut defuncti amore Dei nomen incommunicabile lignis lapidibuſque attribuerunt eaque initiis & ſacrificiis coluerunt. Hoc primò conſuetudine inoleviſſe, deinde principum imperiis legem factam eſſe & ſtabilitam. E cultu idolorum impietatem cumulatius erupiſſe. Nam primò anilibus ſuperſtitionibus non tantum ſed & cædibus liberorum culta eſſe numina, deinde cum à ſimulachris, quæ colerent, nihil ſupplicii timerent, in omnem ſcelerum inquinationem ſolutos eſſe. Ἡ γὰρ τῶν ἀνωνύμων εἰδώλων θρησκεία παντὸς ἀρχὴ κακοῦ καὶ αἰτία καὶ πέρας ἐστίν. Quæſtionem tacitè occurſantem animo, An per falſa numina pejerantes pœna maneat, ita ſolvit: Ἀμφότερα δὲ αὐτοὺς μετελεύσεται τὰ δίκαια, ὅτι κακῶς ἐφρόνησαν περὶ θεοῦ, προσέχοντες εἰδώλοις καὶ ἀδίκως ὤμοσαν ἐν δόλῳ καταφρονήσαντες ὁσιότητος. Οὐ γὰρ ἡ τῶν ὀμνυομένων δύναμις, ἀλλ' ἡ τῶν ἁμαρτανόντων δίκη ἐπεξέρχεται ἀεὶ τὴν τῶν ἀδίκων παράβασιν. *Vtraque autem de cauſa pœnam juſtam luent, quod malè de Deo ſenſerint, ſimulacris dediti & contra jus faſque doloſe juraverint. Non enim eorum, quos jurant, potentia ſed peccantium pœna injuſtorum occupat prævaricationem.* Cum igitur in gentes propagarentur poſteri trium Noë filiorum, in paucis ſubſtitit Dei notitia ad tempus, cum cæteri citò ad perfidiam declinaſſent. Qui ſermonum peregrinitate divinitus percuſſi ſunt, cum non poſſent cum aliis communicare de rebus Dei & Eccleſiæ, citò Dei cultum abjecerunt: maximè autem illi, quos in diſſitas orbis regiones procul ab Eccleſia ſua ſors & caſus removerunt. Ita quoque intra breve temporis ſpatium in feram barbariem degeneres conceſſere. Tantum abeſt, ut in feram poſteritatem tradiderint reliquias veritatis ſeu hiſtoriæ ſeu doctrinæ à patriarchis acceptæ. Nam barbaries inceſſit orbe toto, præterquam in Syria viciniſque locis, quæ mitigata fuit & exculta inventis diſciplinarum & commerciis, poſtquam originem ſuam oblita fuerat. His igitur cauſis idololatria irrupit & ſemel admiſſa vanitas mirum in modum aucta eſt. Prudentius lib. 1. cont. Symmachum:

Vt ſemel obſedit gentilia pectora patrum
Vana ſuperſtitio, non interrupta cucurrit
Ætatum per mille gradus: tener horruit hæres,
Et coluit quicquid ſibimet venerabile cani
Monſtrarant atavi

Namque, ut porro pergit,

Quicquid humus, pelagus, cœlum mirabile gignunt,
Id duxere Deos, colles, freta, flumina, flammas.
Hæc ſibi per varias formata elementa figuras
Conſtituere patres hominumque vocabula mutis
Scripſerunt ſtatuis, vel Neptunum voritantes

Oceanum

Oceanum vel Cyaneas, cava flumina, nymphas,
Vel ſylvas Dryadas, vel devia rura Napæas.
Ipſe ignis noſtrum factus, qui ſervit ad uſum,
Vulcanus perhibetur & in virtute ſuprema
Fingitur ac delubra Deus & nomine & ore
Aſſimilatus habet, nec non regnare caminis
Fertur & Æoliæ ſummus faber eſſe vel Ætnæ.
Eſt, qui conſpicuis ſuperos quæſivit in aſtris,
Auſus habere Deum Solem, cui tramite certo
Conditio impoſita eſt, vigilem tolerare laborem,
Viſibus objectum mortalibus, orbe rotundo
Præcipitem, teretique globo per inane volantem

Ægyptiorum ſuperſtitionem ipſi gentiles riſere: Juvenalis:
——— *Quis neſcit qualia demens*
Ægyptus portenta colat?

Inſuper:
Porrum & cæpe nefas violare & frangere morſu.
O ſanctæ gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina! ———

Anaxandrides Rhodius eam traducit:
Οὐκ ἂν δυναίμην συμμαχεῖν ὑμῖν ἐγώ.
Οὐδ' οἱ τρόποι γὰρ ὁμονοοῦσ', οὔθ' οἱ νόμοι
Ἡμῶν, ἀπ' ἀλλήλων δὲ διέχουσιν πολύ.
Βοῦν προσκυνεῖς ἐγὼ δὲ θύω τοῖς θεοῖς.
Τὴν ἔγχελυν μέγιστον ἡγῇ δαίμονα,
Ἡμεῖς δὲ τῶν ὄψων μέγιστον παρὰ πολύ.
Οὐκ ἐσθίεις ὕεια, ἐγὼ δέ γ' ἥδομαι.
Μάλιστα τούτοις. Κύνα σέβεις, τύπτω δ' ἐγώ
Τυχὸν κατεσθίουσαν ἤν κ' ἂν λάβω.
Non poſſem vobis confœderatus eſſe ego.
Neque mores enim conſonant neque leges
Noſtræ ſed invicem diſtant plurimum.
Bovem adoras, ego autem dis immolo.
Anguillam ducis Deum maximum,
Nos autem opſoniorum præſtantiſſimum.
Suilla non veſceris, ego ſuæviter
Paſcor. Canem colis, ego cædo
Si comedentem deprehendero.

Nachor, Generatio octava.

NAchor natus eſt anno M. 1849: ætatis Sarug 30; Ragau 62: Phaleg 92: Eberi 126. &c. Vixit annos 148. Obiit anno M. 1997: anno ætatis Noë 943: Semi 439: Sale 304: Eber 274: Ragau 210: Sarug 178: filii ſui Thare 119: Abrahami nepotis ſui 49.

Thare, Generatio nona.

THare natus eſt anno parentis ſui Nachor 27; anno M. 1878; poſt diluvium 220. Vixit annos 205. Obiit anno M. 2083: ætatis Semi

524:

524 : Arphaxadi 421 : Sale 390 : Eber 360 : Abrahami 135 : Iſaaci 35. Poſt illum igitur in vivis fuerunt Sem, Arphaxad, Sale, Eber è prioribus patriarchis.

Scribit Eutychius Ebero poſt Phaleg natum eſſe قحطان *Kahtan*, patrem Arabum. Sine dubio ille eſt, quem Moſes vocat יָקְטָן *Ioctan*. Ejus tempore idololatriam incepiſſe. *Ejus tempore*, inquit, *cujuſvis vel fortitudine vel formæ præſtantia vel conſilio præſtantis vel fama illuſtris imaginem depictam colebant homines. Cauſa enim cultûs imaginibus præſtiti hæc fuit, quod olim cum moreretur ex ipſis vir aliquis prudentia & conſilio ſive fortitudine præſtans, effigiem ipſius in conſeſſibus depingerent deinde cum quid grati ipſis accideret, de quo captandum eſſet conſilium apud imaginem iſtam convenientes conſultarent, quaſi adeſſet ipſis inter conſultandum imago iſta; ne deeſſet ipſis in conſilio anteceſſorum imago: quod cum facere perſeverarent ad imaginum cultum delapſi ſunt.* Igitur ante Sarug cœpit imaginum faciendarum conſuetudo. Sed ſub Sarug invaluit, ut ſupra ex illo notatum eſt. Infra ſcribit, *Diebus ejus* [Thare] *multiplicati ſunt Gigantes. Fuitque Aad filius Aram, filii Sem, filii Noë. Sub eodem inſtitutæ ſunt menſuræ & pondera. Ejus etiam tempore accidit terræ motus inſignis, vehemens, cum nullus anteà terræ motus fuiſſet, idque quod ubi multiplicati eſſent idololatræ, qui filios ſuos & filias dæmoniis immolarent, immitteret in ipſos ventum procelloſum eſſetque turbo, qui idola omnia confringeret, eorumque delubra dirueret adeo, ut pulveris tumulis obruerentur, qui etiamnum exiſtunt.* Epiphanius quatuor in mundo genera hæreſeon ab Adam ad Noë exſtitiſſe exiſtimat. Πρῶτον μὲν αἱ τῶν αἱρέσεων πασῶν μητέρες τε καὶ πρωτότυποι καὶ ὀνομασίαι, ἐξ ὧν [μητέρες πέντε] αἱ ἄλλαι ἐφύησαν, καὶ εἰσὶν αὗται πρῶται τέσσαρες. Quatuor matres primaſque figuras hæreſeon fuiſſe dicit, nempe Barbariſmum, Scythiſmum, Helleniſmum, Judaïſmum. In illius verbis hæ duæ voces [μητέρες πέντε] turbant & ſine ſenſûs læſione poſſunt omitti. Eam diſtinctionem eruit ex loco Apoſtoli Coloſſ. 3. 11. Ὅπου οὐκ ἔνι Ἕλλην καὶ Ἰουδαῖος, περιτομὴ καὶ ἀκροβυστία. βάρβαρος, Σκύθης, δοῦλος, ἐλεύθερος. Conſtat ab Apoſtolo diverſas inter ſe hominum conditiones opponi I. ἕλλην καὶ Ἰουδαῖος, cujus oppoſitionis ἐξήγησις eſt in ſequente περιτομὴ καὶ ἀκροβυστία. Nempe circumciſi ſunt Judæi, incircumciſi gentiles. At eruditi mirantur, quomodo contraverſi ſtatui queant βάρβαρος καὶ σκύθης, quia utraque vox videtur idem ſignificare, nempe Barbariem linguæ & morum. Ideo putant Græcis priore jugo poſitis utrumque vocabulum ut ἰσοδυναμοῦν opponi. Non opponi Judæum religione ſed moribus & cultu, cumque obſcurius Judæi voce Barbariſmus notatus eſſet, ideò ſubjici duas voces evidentiores. At 1. ea exegeſis inconveniens eſſet, quia oppoſitio περιτομῆς καὶ ἀκροβυστίας diſcriminat. 2. Apoſtolus oppoſitionum juga accurate diſterminat. Audiamus Cl. Salmaſium, quem merito meritiſſimo inter præceptores noſtros veneramur. Is in oſſilegio linguæ Helleniſticæ: *Alio, ut dixi reſpectu,* βάρβαρος *&* σκύθης *in duabus poſuit extremitatibus. Quærendum quid voluerit. Nam omnes hic interpretes non ſolum æſtuant ſed errant. Potuiſſet Paulus cum non unius generis oppoſitorum* ἀντιμαχίας *inſtruit ubi de religionis diviſione ageret,* ἕλληνα *& Iudæum conſtituere frontibus adverſis pugnantes. Hoc eſt ſapientiam divinam cum inſipientia rerum divinarum in oppoſitis lancibus collocare. Rurſus ubi prudentiæ humanæ cauſam cum humanarum rerum inſcitia confligere facit, poterat nominare* ἕλληνα *&* βάρβαρον, *ut alio loco fecerat, & ut paſſim apud autores* τὸ ἑλληνικὸν *&* βαρβαρικὸν *invicem adverſantia ſibi ponuntur. Sed quoniam jam vox* ἕλλην *in cauſa religionis Iudæo oppoſita, ſedem occuparat, vitandæ ambiguitatis vel obſcuritatis gratia quæ-*

X *ſivit*

ſivit inter Barbaras gentes eam, quæ minimè omnium eſſet Barbara & quæ ſapientia ut prudentia humana cæteris præcolleret. Hæc eſt Scythica. Ideo Scytham tum Barbaro compoſuit, ut ſapientem cum inſipiente. Unus Herodotus teſtimonium dicit pro Scytharum Σοφίᾳ, *in Melpomene, his verbis.* Ὁ δὲ Πόντος, inquit, ὁ Εὔξεινος, ἐπ' ὃν ἐστρατεύετο Δαρεῖος, χωρέων πασέων παρέχεται, πάρεξ τοῦ Σκυθικοῦ ἔθνεα ἀμαθέστατα. Pontus Euxinus, in quem expeditionem ſumpſit Darius, gentes habet omnium maximè ſtolidas, præter Scythicam. *Deinde addit:* Οὔτε γὰρ ἔθνος τῶν ἐντὸς τοῦ Πόντου οὐδὲν ἔχομεν προβαλέσθαι σοφίης πέρι, οὔτε ἄνδρα λόγιον οἴδαμεν γενόμενον πάρεξ τοῦ Σκυθικοῦ ἔθνεος καὶ Ἀναχάρσιος. Neque gentem ullam earum, quæ circa Pontum ſunt proferre poſſumus ſapientia celebrem, neque ullum virum novimus ſapientem natum, præter nationem Scythicam & Anacharſim. *Trogus Pompejus apud Iuſtinum lib. 2. ſcribit:* Quod Græci longa ſapientum doctrina præceptiſque philoſophorum conſequi nequeunt, hoc Scythis naturam dediſſe, cultoſque Græcorum mores incultæ Barbariæ Scytharum collatione ſuperari. *Cultiores ergò Græcis Scythæ, quos natura tales finxit non doctrina.* Hactenus vir ſummus & in eruendis ſcriptorum ſenſibus perſpicaciſſimus, cujus tamen expoſitionem in hoc loco non poſſum probare. Scytham enim Barbaro opponi quis unquam audivit? Eſto,. Anacharſis ſapientiæ profeſſionem retulerit in patriam, non intulit, ut ipſe ille Trogus incultam Barbariam Scythis impingit. Mores probos natura finxerit, ſed nihil hoc ad ſapientiæ laudem. Dixerat vir maximus ſapientem inſipienti opponi: at ipſe doctrinam Scythis adimit. Herodotus inter Barbaras gentes ſcribit eminere Scythas, non tamen ut Barbariæ eximantur. Alias Scythis incultos mores & feritatem tribui vulgatum eſt. Non legi adverſative componi Barbarum niſi Græco. Quicquid ſit, nihil hic eſt, quo poſſit oſtendere Epiphanius diverſas Scythæ & Barbari hæreſes ab Apoſtolo notari. Epiphanius Barbariſmum primo loco collocat, qui dominatum tenuerit ab Adam ad Noë. Βαρβαρισμὸς δὲ κέκληται, ἀπὸ τοῦ μὴ τοὺς τότε ἀνθρώπους ἡγεμόνα τινὰ ἔχειν, ἢ μίαν συμφωνίαν, ἀλλ' ὅτι πᾶς τις ἑαυτῷ ἐστοίχει καὶ νόμος ἑαυτῷ κατὰ τὴν προθύμησιν τοῦ ἰδίου βουλήματος ἐγίνετο. *Barbariſmus autem dictus eſt, quòd ejus temporis homines ſine duce vitam agerent & conſenſu, cum unuſquiſque ſibi incederet & lex eſſet juxtà arbitrii ſui præpoſitionem.* Scythiſmus indè à diluvio uſque ad ædificationem turris & porrò ad ætatem Ragau protendebatur. De Phalec & Ragau dicit: ὅντινες ἐπὶ τὸ τῆς Εὐρώπης κλίμα νενευκότες τῷ τῆς Σκυθίας μέρει καὶ τοῖς αὐτῶν ἔθνεσι προσεκρίθησαν ἀπὸ τῆς τοῦ Θήρας ἡλικίας καὶ ἐπέκεινα, ἐξ οὗπερ οἱ Θρᾷκες γεγόνασι. *Qui cum ad partes Europæ ſeceſſiſſent Scythiæ parti & eorum annis adjudicati ſunt, ab ætate Tliras & ultra à quo Thraces orti ſunt.* Locus abſque dubio corruptus eſt, quod & vidit Petavius ſed non potuit reſtituere. Nam Phalec & Ragau temporibus Scythiſmum finire debuit & evidenter definit. Quid igitur facit hic Thiras Thracum pater? Petavius mutat in Thare. At nec illud conſiſtit. Thare enim natus eſt ſub gentiliſmo, nec fuit pater Thracum. Ἑλληνισμοῦ *paganiſmi* fundamenta ſub Sarug jacta eſſe narrat in idololattia ſine ſimulachris, ſub Thare eum eſſe completum, quo tempore ſimulachra coli cœpta ſunt. Τρίτη, ἑλληνισμὸς ἀπὸ τῶν χρόνων τοῦ Σερούχ ἐναρξάμενος διὰ τῆς εἰδωλολατρείας. καὶ ὡς ἐστοίχουν τὸ τηνικαῦτα ἕκαστος κατά τινα δεισιδαιμονίαν, ἐπὶ τὸ μᾶλλον πολιτικώτερον καὶ ἐπὶ ἔθη καὶ θεσμούς. εἴδωλον μὲν τοίγε ἐναρξάμενα ταῖς τέχναις τῶν ἀνθρώπων γένη, οἷς ποτε στοιχήσαντες ἐθεοποίουν, διὰ μὲν χρωμάτων διαγράφοντες τὴν τέχνην καὶ ἀπεικονίζοντες τοὺς πάλαι παρ' αὐτοῖς τετιμημένους, ἢ τυράννους, ἢ γόητας, ἢ τινὰς δὴ δράσαντας ἐν τῷ βίῳ, μνήμης τι δοκοῦν ἄξιον, δι' ἀλκῆς τε ἢ

σωμάτων

σωμάτων θεραπείας. Ἔπειτα δὲ ἀπὸ τῶν χρόνων τοῦ Θάῤῥα, τοῦ πατρὸς Ἀβραάμ, καὶ δι' ἀγαλμάτων τὴν πλάνην τῆς εἰδωλολατρείας εἰσηγησάμενοι, τοὺς ἑαυτῶν προπάτορας, δι' ἀπεικονισμῶν τιμήσαντες καὶ τοὺς πρὸ αὐτῶν τετελευτηκότας τεχνησάμενοι, ἐκ κεραμικῆς ἐπιστήμης τὸ πρῶτον, ἔπειτα ἑκάστης τέχνης μιμησαμένης, οἰκοδόμοι μὲν λίθον ξέσαντες, ἀργυροκόποι δὲ καὶ χρυσοχόοι διὰ τῆς ἰδίας ὕλης τεκτηνάμενοι, οὕτω καὶ τέκτονες καὶ οἱ καθεξῆς. Αἰγύπτιοι δὲ ὁμοῦ καὶ Βαβυλώνιοι καὶ Φρύγες καὶ Φοίνικες ταύτησι τῆς θρησκείας πρῶτοι εἰσηγηταὶ γεγόνασιν, ἀγαλματοποιΐας τε καὶ μυστηρίων. Ἀφ' ὧν τὰ πλεῖστα εἰς Ἕλληνας μετηνέχθη, ἀπὸ τῆς Κέκροπος ἡλικίας καὶ καθεξῆς. Μετέπειτα δὲ καὶ ὑστέρῳ πολὺ, τοὺς περὶ Κρόνον καὶ Ῥέαν, Δία τε καὶ Ἀπόλλωνα καὶ καθεξῆς θεοὺς ἀναγορεύσαντες. *Tertia ſecta, Paganiſmus à temporibus Sarug initio ſumpto, per idololatriam. Cumque ea tempeſtate quiſque incederet juxta aliquam ſuperſtitionem, ad civiliorem uſum ad certas leges rituſque. Cum hominum gentes cæpiſſent idola erigere, quibus ſe compoſuerunt, Deos faciebant, coloribus initiò exprimentes & effigiantes, quos olim in honore habuerant, tyrannos, aut præſtigiatores, quique in vita aliquid memoria dignum feciſſent, robore, aut corporis vigore. Poſteà verò à Tharæ, patris Abraam, tempore etiam per ſtatuas errore idololatriæ inducto, majores ſuos ſimulacris honorantes, quique ante eos mortem obierant effigiantes per artem figlinam primum, deinde qualibet arte imitante induſtriam; architecti quidem lapidibus politis, argenti cuſores & auri fuſores in propria materia, ita & fabri ac cæteri. Ægyptii autem ſimul & Babylonii Phryges & Phœnices, hujus cultus primi autores exſtiterunt, ſimulacrorum fictionis & initiorum. A quibus pleraque ad Græcos tranſlata ſunt, jam tum ab ætate Cecropis & deinceps. Poſtea verò & longo intervallo, Saturnum, Rheam, Iovem, Apollinem ac reliquos Deos proclamantes.* Serugi igitur ætate idololatria cœpit, cum ritibus quibuſdam & ſolemnibus. Idola erant imagines pictæ. Inde ætate Tharæ ſtatuis idolomaniam auxerunt, item initiis ſive ſacramentis. Idem poſtea repetit. De Serugo enim ita loquitur: καὶ ἤρξατο εἰς ἀνθρώπους ἡ εἰδωλολατρεία τε καὶ ὁ ἑλληνισμὸς, ὡς ἡ ἐλθοῦσα εἰς ἡμᾶς γνῶσις περιέχει. οὔπω δὲ ἐν ξοάνοις καὶ ἐντορείαις λίθων, ἢ ξύλων ἢ ἀργυροτεύκτων, ἢ χρυσοῦ ἢ ἐξ ἄλλης τινὸς ὕλης πεποιημένων, μόνον δὲ διὰ χρωμάτων καὶ εἰκόνων ἡ τοῦ ἀνθρώπου διάνοια ἐφ' ἑαυτῇ ηὕρισκε τὴν κακίαν. Deinde de Thara: Ἐντεῦθεν γέγονεν ἀνδριαντοπλαστία ἀπὸ πηλουργίας καὶ κεραμικῆς ἐπιστήμης, διὰ τῆς τοῦ Θαῤῥα τούτου τέχνης. Poſt multa ſubjungit. Ἕως τούτου ἔμενε Σκυθικὴ τις διαδοχὴ καὶ ἐπίκλησις. οὔπω δὲ ἦν τις αἵρεσις, οὔπω μηχανή τις ἑτέρα, ἢ μόνον πορνεία ἐπίνοια εἰδώλων. *Vſque ad hunc Scythica quædam ſucceſſio appellatioque manſit.* Nulla vero adhuc hæreſis erat aut machinatio quædam alia, niſi tantum ſcortatio, excogitatio idolorum. Videtur ſignificare quod huc uſque Scythiſmi aliquid ſuperfuerit, licet idola fuerint excogitata. Nulla enim hæreſis erat alia, nullumque commentum. Subjicit, in deorum numeros relatos eſſe deinceps, qui tyranni fuerant & præſtigiatores, φαντάσαντες τὴν οἰκουμένην; id eſt qui orbem deceperant. Scribit hoc factum eſſe μετέπειτα. Atqui cum prima idolorum origine conſecrati erant, uti ſupra intelleximus. Eoque interpretatione commoda leniendum eſt. Senſim nempe per Scythiſmi declinationem irrepſiſſe. Longo poſt tempore Saturnum, Jovem, Opem, Junonem cæteroſque cultos eſſe. Ἔπειτα δὲ ἀκινάκην σέβοντες ἅτε τῶν Σκυθῶν Σαυρομάται, ἱδρυσόντε τῶν Θρᾳκῶν προπάτορα, ἐξ οὗ τὸ γένος κατάγεται Φρυγῶν, ὅθεν καὶ Θρᾷκες ἀπὸ τοῦ Θήρας ἐπίκλην τοῦ ἐν τῇ πυργοποιΐᾳ γεγενημένου καλοῦνται. Ad Tharram περιεστῆναι dicit τὸν χρόνον, & alia voce idem notante, αἰῶνα, in vigeſimam generationem, per annorum tria millia, trecentos ac triginta duos. Ægyptiorum ἐθνόμυθος πλάνη in ſeculum erupit,

pit, ὅθεν δὴ, inquit, τὰ τῆς φαρμακείας καὶ μαγείας ηὑρέθη. Hoc tempore fuiſſe Ninum & Semiramin in Aſſyriis, συγχρόνους ὄντας τῷ Ἀβραὰμ & Ægyptiorum decimam octavam Dynaſtiam. Regnatum fuiſſe Sicyone, τῆς Βασιλείας ἀρχὴ γέγονεν Εὔρωψ, quoniam regnum Europs inſtituit. Cæterum Epiphanius paganiſmum Abrahami ætate terminat inde à Sarug. Non ita, quaſi omnis paganiſmus in Abrahamo finem habuerit, quia tantum univerſalem deſiiſſe notat, cum Abraam ab eo liberatus fuerit, inque eo Judaiſmus inchoatus. Ideò dicit: Ἀπὸ δὲ τοῦ Σερούχ καὶ δεῦρο ἑλληνισμός. Epiphanius dicit primos idolorum cultores fuiſſe Ægyptios, Babylonios, Phrygas, Phœnicas: Eutychius Batricides, Ægyptios, Babylonios, Francos & locorum maritimorum incolas.

Abram autem patre Thara] Thare tres filios genuit, Abram, Nachor, & Haran. Ex illis Haran ante patrem obiit in terra nativitatis ſuæ uti dicitur Gen. XI. 28. Euſebius putat id factum fuiſſe in pœnam idololatriæ Tharæ. Καὶ οὐδεὶς πώποτε πρότερον ἀνθρώπων πρὸ πατρὸς υἱὸς ἐτελεύτα, ἀλλὰ πατέρες πρὸ παίδων τελευτῶντες τοὺς υἱοὺς διαδόχους κατελίμπανον. Καὶ μήτις λεγέτω περὶ τοῦ Ἄβελ, οὐ γὰρ θανάτῳ ἰδίῳ τέθνηκεν. ἐξότε Θάῤῥα ἀντίζηλον τοῦ θεοῦ προεστήσατο, διὰ τῆς ἰδίας πηλουργίας τεχνησάμενος, τὰ ὅμοια οἷς ἔπραξεν ἀπὸ τῆς δίκης ἀπείληφε καὶ αὐτὸς, παραζηλωθεὶς διὰ τοῦ ἰδίου τέκνου. ὅθεν θαυμάσασα ἡ θεία γραφὴ ἐπεσημήνατο, λέγουσα. Καὶ ἀπέθανεν Ἀῤῥὰν ἐνώπιον Θάῤῥα τοῦ πατρὸς ἐν τῇ γῇ τῆς γεννήσεως αὐτοῦ. *Et nemo unquam priorum hominum, ante patrem filius obierat, at patres ante filios decedentes, filios ſucceſſores relinquebant. Ne quis autem objiciat de Abel. Non enim proprio fato functus eſt. Quia Tharra æmulum Deo propoſuerat arte ſua figlina effigiatum à divina ultione dignam factis mercedem reportavit, ipſe dolore affectus per filium proprium. Hoc admirata ſacra ſcriptura, innuit, dicens:* Et mortuus eſt Arran in conſpectu Tharra patris ſui in terra nativitatis ſuæ. Verum hoc eſt, nuſquam legimus, in antecedentibus filium aliquem ante patrem obiiſſe, quod tamen non perſuadet, nunquam ſic factum eſſe. Vero propius eſt quoſdam filios ante parentes obiiſſe, in tot ſeculorum circumactu.

Thare ſeptuageſimo anno ætatis genuit Abram, Nachor, Haran. Eos tres uno partu editos eſſe, adeo credibile non eſt, ut nullus id interpretum hactenus arbitratus ſit. Diſceptant igitur de anno natali Abraam & fueritne ultimus an primogenitus fratrum. Cauſam dubitandi Stephanus protomartyr ſuggerit, Act. 7. 4. Κἀκεῖθεν, μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ, μετῴκισεν αὐτὸν εἰς τὴν γῆν ταύτην. Stephanus expreſſe dicit, poſt mortem patris Abramum tranſlatum eſſe in Cananæam. Erat autem cum in Cananæam tranſiret annos natus 75. Gen. XII. 4. Thare obiit annos natus 205. Gen. XI 31. Si 75. deduxeris de 205. remanebunt 130 anni ætatis Thare, pro natali Abrami. Scriptor eruditus, qui 1440, Hebræo ætatis mundi calculo adjiciendos putat, hoc debuit pro ſe arripere, ut eam ſummam conficiat. Ipſi enim ab initio mundi ad Cataclyſmum anni ſunt 2256. Ita verum ſuperat annis 600 præciſe, nova & hactenus inaudita numeratione. Superſunt igitur anni 840, quos eruere debet ex ætate Mundi inter diluvium & vocationem Abrahami. Sed illius ſententiam infrà diſcutiemus. Hic habet ſibi præeuntem magnum parentem cum magno numero excellentium pietate & eruditione virorum. Hic igitur ſexaginta annorum differentia naſcitur in ſacra Chronologia. Cl. Rivetus: *Abrahamum natum eſſe anno patris ſui centeſimo trigeſimo primo jam olim Theodoretus cenſuit, prout in catena citatur à Lipomano. Hunc ſequuti ſunt Lyranus, Cajetanus*

& nuper

& nuper in cap. Act. VII. Caſpar Sanctius: Item in hunc locum ſcribens Leonardus Marius & Tornellus in annalib. Ex noſtris idem ſentiunt Mathæus Beroaldus in Chronico, Franciſcus Iunius, David Pareus, Iohannes Deodatus, Iohannes Temporarius & Iacobus Capellus. Quam ſententiam impugnant quantum poſſunt alii viri doctiſſimi, Alfonſus Toſtatus Abulenſis, Benedictus Pererius: ex noſtris Ioſephus Scaliger &, qui ex eo ſua deſumpſit, Sethus Calviſius, quorum argumentis ſigillatim reſpondet doctiſſ. Pareus in XI. caput Geneſ. Non noſtrum hos inter tantas componere lites. Sed tamen omnibus rite expenſis, magis me ad ſe trahit ſententia eorum, qui nativitatem Abrahami protrahunt in annum Terachi centeſimum trigeſimum: quam plerique, qui contra ſentiunt, non negant, ſi recte probari poſſit, omnem exhaurire difficultatem, quæ ex aliis ſententiis naſcitur excollatione variorum ſcripturæ locorum in quibus de variis temporibus agitur ad Abrahamum & ejus patrem ſpectantibus: in quibus adeò hæſit magnus ille Scaliger ut in nonnullis proverbio Iudæis communi uſus ſit, exſpectandum eſſe Eliam, qui nodum ſolvat. Verum eſt multi ita ſenſerunt at plerique ſunt de recentioribus. Procopius Theodoretum compilat, qui Tharram ob ſtatuarum fictionem in idola Aranem amiſiſſe ſe vivo narravit: ſequitur etiam in eo, quod Abrahamum natum anno Thare 130 arbitretur. *Nec Moſes*, inquit, *recordatur Abrahami, ut inter primogenitos eum connumerari velit: ſed ejus meminit, ut primi & præcipui & filiorum celeberrimi qui vel inprimis neceſſarius ſit ad hujus hiſtoriæ rationem.* Aliós de antiquis (quam Theodoretum & Procopium & Chronicon Alexandrinum) non potuit adducere Tyrinus, ut hanc ſententiam, quam & ipſe ſequitur, autoritatibus corroboret. Cl. Rivetus Scaligerum in dubio hærere putat & exiſtimare adverſam ſententiam nodis ſcripturæ ſolvendis commodiorem eſſe. Scaliger in refutatione Parei latiſſimè hanc quæſtionem perſequitur, erudite nec ſine aliqua acrimonia. Nos totum locum adſcribemus, quia noſtri propoſiti eſt bibliothecam contexere. Sic igitur Scaliger: *De natali anno Abrahami nemo ante. Beroaldum quicquam ſciſcere auſus eſt. Is primus, ut locum Stephani Act. VII. 4. qui pugnare cum verbis Moſis videtur, illuſtraret, miro commento negotium explicare conatus eſt. Stephanus enim ait Abrahamum, poſt mortem patris Tharræ ex Charran migraſſe, quum eſſet annorum LXXV. quod ſi Abraham natus eſt anno patris ſui LXX, ut colligitur Geneſ. XI. 26: ergò Thara erat annorum CXLV, quum Abraham ageret annum ætatis ſuæ LXXV. Sed Thara vixit annos CCV. Igitur Abraham non migravit ex Charran anno ætatis ſuæ LXXV, ſiquidem natus eſt anno LXX patris & annum LXXV explevit poſt mortem ejus. Quid ergo faciendum, ut Abraham natus annos LXXV poſt CCV annos vitæ patris ſui ex Charran diſcedat? Omnino huic dubio nemo veterum occurrere ita potuit, ut lectori ſatisfaceret, præſertim Auguſtinus lib. XVI de civit. Sed Beroaldus nodum maluit ſcindere, quam ſolvere. Finxit enim Abrahamum natum anno patris ſui CXXX, atque habitaſſe in Charran uſque ad ſupremum diem patris. Obſtat commento, quod Abraham primo loco genitus eſt, ut qui primus fratrum nominetur. Itaque natus eſt LXX patris ſui anno. Hoc ille ita diluit, ut dicat Abrahamum non genituræ prærogativa primum vocari, ſed pietatis ratione: quod ut ſtultiſſimum & futiliſſimum eſt, ita nullo negotio infra confutabitur. Sed & illud omnem pervicaciam expugnaverit, quod Deus præcepit Abrahamo diſcedere ex Vr Chaldæorum, ut ſtatim in terram Chananæorum contenderet, non ut in Charran reſideret. Stephanus:* ὁ θεὸς τῆς δόξης ὤφθη τῷ πατρὶ ἡμῶν Ἀβραὰμ ὄντι ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ (nempe ἐν τῇ γῇ Χαλδαίων) πρὶν ἢ κατοικῆσαι αὐτὸν ἐν Χαῤῥάν. *Vult Abrahamum aliquod tempus in Charran moratum eſſe. Sed Iudæi dicunt Patrem Tharam allectum amœnitate loci in Charran manſiſſe, neque filium ſequi voluiſſe. Stephano & Iudæis inter-*

interpretibus in hoc convenit, quod Geneſ. XII. 1. præceptum de migrando datum eſt Abrahamo, non Tharæ. Et certè verum eſt. Nam illud, Exi ex terrâ tua, & ex loco nativitatis tuæ, *non poteſt referri ad Charran. Non enim natus eſt in Charran, ſed in Vr Chaldæorum. Hæc eſt mens verborum Stephani, quæ ſupra adduximus. Quare Comma illud primum Capitis XII, pertinet ad finem antecedentis, & eſt* ὕϛερον πρότερον. *Si igitur præceptum datum eſt Abrahamo, non Tharæ nihil antiquius Abrahamo eſſe debuit, quam in illam terram contendere, quam illi Deus indicaverat. Aliter non paruiſſet mandato Dei. Relicto igitur Patre in Charran & aſſumpto Loth, juxta mandatum Dei, nulla interpoſita mora, in Chananæorum fines abiit. Nam quod dicitur, Thara aſſumpto Abram & Loth egreſſus eſt Vr, hoc non eò pertinet, ut mandatum accepiſſe videatur. Sed quia ipſe erat Paterfamilias, ideò migrationis negotium illi adſcribitur, non Filiofamilias Abrahamo. Obſtare quoque videtur, quod dicitur totam familiam habitaſſe in Charran. Ideò & Abraham videtur unà cum Patre habitaſſe in Charran ut Stephanus etiam diſerte indicavit. Sed ex conſequentibus non obſcurè colligitur Abrahamo præceptum datum, non ut in Charran habitaret, ſed ut in Chananæorum regionem ſeſe conferret. Longe inexplicabilius quod protomartyr adjicit, quod poſt mortem patris ex Charran migraverit, quæ crux eſt fixa omnibus interpretibus. Itaque nihil aliud poſſumus, quam Eliam exſpectare, qui nodum ſolvat. Nam Abrahamum minimum natu fratrum fuiſſe non perſuadebit Beroaldus, niſi iis, qui verum dignoſcere falſo neſciunt. Hoc ex ſequenti animadverſione conſtabit.* Sequitur: *Quis unquam legit vel in ſacris vel in exoticis ſcriptis, filios aliter recenſeri quam genituræ ordine? Si dixero, Priamus genuit Aſtyanacta, Parin, Hectora, quid aliud, quam riſum debibo? Certè ſcriptura nunquam aliter filios numerat, quam ut quenque natura in lucem edidit: ut 1. Chron II, 13. IX, 36. 1. Samuel. XVI, 10: & deinceps. Geneſ. XXII, 21, 22, 23, XXV, 13. 1. Chron. 1, 29, VIII, 39. Geneſ. XXXV, 23. XXXVI, 10, 15, & XLVI omnes filii Iacob ſecundum genituræ tempus recenſentur. primo quatuor ex Lea: ſecundo duo ex Bela: tertio duo ex Zelpha: quarto duo ex Lea: quinto duo ex Rachel, prout naturæ ordo eos protulit. Atque adeo licet Ruben jus primogeniti amiſit, tamen jure naturæ primo loco nominatur 1. Chron. VI. Qui locus jugulum petit huic ſtultiſſimo Beroaldi commento de prærogativa pietatis. quod ſine riſu nemo, qui aliquo judicio præditus ſit, meminiſſe poteſt. Quin etiam ſcriptura alibi non ſolum primogenitum primo loco ponit, ſed etiam quis ſit primus, quis ſecundus, quis tertius, deſignat. 1. Sam. III, 2, 3. & ibidem 15. & 1. Chron. VI. 28. item clarius VIII, 1, 2, 3. item ibidem 30, 39. XXIII, 19. item 20. item major frater, & minor. 1. Samuel. XIIII, 49. 1. Chron. XVI, 13. Denique primogeniti primo loco ponuntur jure divino, jure gentium, non præpoſtero, ut nimis confidenter Beroaldus commentus eſt, adeò ut ineptiſſimum illud plaſma non in hiſtoriâ tantum, ſed & in Theologiâ multum auctoritatis ſibi quæſiverit. Sed glorioſus aliquis exclamare poſſet:*

Ite triumphales circum mea tempora lauri.
Decidit in caſſes præda pelita meos.

Certè profligatum eſt mendacium, & Abraham primo loco natus eſt, Nachor ſecundo, Aran tertio. Vanum eſt commentum Beroaldi, vanius eorum judicium, quos vana movent. Abraham igitur natus eſt anno ætatis Tharæ LXX, venit in Charran anno ætatis ſuæ LXXV, patris CXLV. Pater obiit natus annos CCV, LX annis poſtquam Abraham eum reliquit in Charran. Hæc ita perſpicua ſunt, ut pertinaciæ locus non ſit. Sed obſtat locus Stephani κατὰ τὸ ῥητὸν *pugnans cum verbis Moſis.* Κατὰ τὸ ῥητὸν *pugnare hoc verò negari non poteſt. Sed* κατὰ τὸ νοητὸν *nihil pugnat in ſcriptura. Tantum ſuſpendendum eſt judicium, donec veniat Elias aliquis meliore, quam Beroaldinorum, paracleto afflatus, qui dubium ſolvat. Non*

enim

enim mendaciis veritas illuſtratur. Loco Stephani ſimilis eſt ille Matthæi. I, 11. Ioſias genuit Iechoniam, & fratres ejus in deportatione Babylonis. Quis non fruſtrà hunc nodum conatus eſt ſolvere? Quis propheta hoc præſtabit? Summa Scaligerianæ diſſertationis duobus argumentis continetur. I. Nunquam aliter, quam juxta ordinem geniturę filii recenſentur. II. Audacia hæc eſt, quam veteres Chronologi non auſi fuerunt affirmare. His addo III. Chronologia Moſis perpetuo nexu ſibi conſtat ſine interruptione uſque ad Abram per generationes patriarcharum. Sane illud primum obſervatum ita eſt perpetuum, ut in totis ſacris literis, ubi genealogiæ longè plurimæ ſunt, nunquam aliter fiat. Non enim quos Scriptura præfert dignitate, recenſionis ordine præponit. David prælatus eſt fratribus Judas fratribus ſuis, Moſes Aaroni. Nuſquam tamen in genealogiæ enarratione præponuntur. Quod attinet locum 1. Paralip. 1. 28. ubi Iſaac anteponitur Iſmaëli. Diverſa ratio eſt, quia Iſmaël in hæreditatis ſucceſſione non fuit, ut habitus pro notho. Loquimur de filiis legitimis & fratribus ad dividendam inter ſe hæreditatem. Scio multis locis Moſen prius recenſeri, ut Pſ. 77. 21. *Ducebas populum tuum, ut gregem, per Moſen & Aaron.* Quia ibi de ducatu non de generatione ſermo eſt. Sic Sem ſemper anteponitur fratribus ex ordine naſcendi, at cum poſteri per occupationem terrarum deſcribuntur, ab occaſu in ortum progrediendo, Japheth primo loco conſtituitur, uti ſupra vidimus. Nam ibi frater fratri non componitur, ſed eorum poſteritas, uti ſparſa erat per orbem, juxta trium fratrum proſeminationem, deſcribitur. Ita Moſes poſtponitur Aaroni in genealogia, ut Exodi 6. 19. 1. Paralipom. 6. 3. Iterum dico, ubi Genealogia eſt & de procreatione agitur, nuſquam ordo geniturę turbatur. In hoc autem loco extra dubium de ortu & catena genealogiæ Moſes loquitur. Exprimit etiam hoc: *Hæ ſunt generationes Thare.* Q. D. Ita Thare procreavit. Ut Spiritui Sancto diſertè ſemet exprimenti videantur obloqui, qui aliter ſentiunt. Si alia loca ſint, quæ conciliari non facilè poſſint, ob id tamen certa & indubitata non debent in dubium vocari. Alia circumſpicienda & exſpectanda ſolutio eſt. Auguſtini laborem ad hunc nodum ſolvendum, intueamur. Sic autem ille lib. 16. de civit. Dei, cap. 16. *Quod vero commemorata morte Tharæ patris Abraham; deinde legitur: Et dixit Dominus ad Abraham:* Exi de terra tua & de cognatione tua & de domo patris tui & cætera: *non quia hoc ſequitur in ſermone libri, hoc etiam in rerum geſtarum tempore ſequi exiſtimandum eſt. Erit quippe, ſi ita eſt, indiſſolubilis quæſtio. Poſt hæc enim verba Dei, quæ ad Abraham facta ſunt, Scriptura ſic loquitur* [Gen. XI. 4.] Et exiit Abraham, quemadmodum locutus eſt illi Dominus & abiit cum illo Loth. Abram autem erat quinque & ſeptuaginta annorum cum exivit de Charran. *Quomodo poteſt hoc verum eſſe ſi poſt mortem patris ſui exiit de Charran? Cum enim eſſet Thara ſeptuaginta annorum, ſicut ſupra intimatum eſt, genuit Abraham. Cui numero additis ſeptuaginta quinque annis, quos agebat Abraham, quando egreſſus eſt de Charran, fiunt anni centum & quadraginta quinque. Tot igitur annorum erat Thara, quando exiit Abraham de illa Meſopotamiæ civitate. Agebat enim annum ætatis ſuæ ſeptuageſimum quintum, ac per hoc pater ejus qui eum ſeptuageſimo vitæ ſuæ anno genuerat, agebat ut dictum eſt, centeſimum & quadrageſimum quintum annum. Non ergò inde poſt mortem patris id eſt poſt ducentos quinque annos, quibus pater ejus vixit, egreſſus eſt ſed annus de illo loco progreſſionis ejus, quoniam ipſius ſeptuageſimus quintus erat, procul dubio patris ejus, qui eum ſeptuageſimo vitæ ſuæ anno genuerat, centeſimus quadrageſimus quintus fuiſſe colligitur.*

colligitur. Ac per hoc intelligendum eſt more ſuo ſcripturam rediſſe ad tempus, quod jam narratio illa tranſierat, ſicut ſuperius cum filios filiorum Noë [cap. X.] *commemoraſſet, dixit illos fuiſſe in gentibus & in linguis ſuis, & tamen poſtea* [cap. XI. 1.] *quaſi hoc etiam in ordine temporum ſequeretur*, Et erat, *inquit*, omnis terra labium unum & vox una omnibus. *Quomodo ergo ſecundum ſuas gentes & ſecundum ſuas linguas erant ſi una erat omnibus, niſi, quia ad illud, quod jam tranſierat, recapitulando eſt reverſa narratio? Sic ergò & hic cum dictum eſſet*; Et fuerunt dies Thara in Charra, quinque & ducenti anni & mortuus eſt Thara in Charran. *Deinde ſcriptura redeundo ad id, quod ideò prætermiſerat, ut prius de Thara, in quod inchoatum fuerat, compleretur*, Et dixit, *inquit*, Dominus ad Abraham, Exi de terra tua &c. *Poſt quæ Dei verba ſubjungitur*: Et, exiit Abraham, quemadmodum locutus eſt illi Dominus & abiit cum eo Loth. Abraham autem erat quinque & ſeptuaginta annorum, cum exiit ex Charran. *Tunc itaque hoc factum eſt, quando pater ejus centeſimum quadrageſimum & quintum annum agebat ætatis. Tunc enim fuit hujus ſeptuageſimus quintus.* Hactenus Auguſtinus, qui bene conciliat capitis duodecimi initium cum fine capitis undecimi. Nempè in fine undecimi capitis, hiſtoriam Thare Moſes perficit & includit ſex verſibus à v. 27. ad finem capitis undecimi. Inde orditur hiſtoriam Abrahami cum principio capitis duodecimi, narrans etiam quædam & repetens, quæ ante terminum hiſtoriæ Thare evenerant, inque ea obſcurius & brevius erant propoſita. Alteram hujus dubii ſolutionem ſubjicit, in qua dicit à quibuſdam annum ſeptuageſimum quintum Abrahami non à nativitate, ſed ab eo tempore, *quo de igne Chaldæorum liberatus eſt, tanquam tunc pot us natus habendus ſit.* Hanc adducit ſed non probat, uti apparet, quamvis non refutet. Major autem difficultas eſt in conciliatione Stephani cum Moſe. Hanc quomodo ſolvat Auguſtinus intelligamus: *Sed beatus Stephanus in actibus Apoſtolorum, cum iſta narraret*; Deus, *inquit*, gloriæ apparuit Abrahæ patri noſtro, cum eſſet in Meſopotamia, priuſquam habitaret in Charran. Et ait ad illum: Exi de terra tua & de cognatione tua & de domo patris tui & veni in terram, quam tibi demonſtrabo. *Secundum hæc verba Stephani non poſt mortem patris ejus locutus eſt Deus Abrahæ, qui utique in Charra mortuus eſt, ubi cum illo & ipſe filius habitavit, ſed priuſquam habitaret in eadem civitate, jam tamen cum eſſet in Meſopotamia. Iam ergò exierat à Chaldæis. Quod itaque adjungit Stephanus*: Tunc Abraham egreſſus eſt de terra Chaldæorum & habitavit in Charran, *non demonſtrat, quid ſit factum poſteaquam locutus eſt illi Deus. Neque enim poſt illa Dei verba egreſſus eſt de terra Chaldæorum, cum dicat ei locutum Deum eſſe in Meſopotamia, ſed ad totum illud tempus pertinet quod ait*: Tunc *id eſt, ex quo*, egreſſus eſt à Chaldæis & habitavit in Charra. *Item, quod ſequitur*: Et inde poſtquam mortuus eſt pater ejus collocavit in terra hac, in qua vos nunc habitatis & patres veſtri. *Non ait*, poſtquam mortuus eſt pater ejus exiit de Charra, *ſed* inde poſtquam mortuus eſt pater ejus, hic eum collocavit. *Intelligendum eſt igitur Deum locutum fuiſſe cum Abraham, cum eſſet in Meſopotamia, priuſquam habitaret in Charra, ſed eum in Charran perveniſſe cum patre retento apud ſe præcepto Dei & inde ſeptuageſimo & quinto ſuo patris autem ſui centeſimo quadrageſimo quinto anno. Collocationem vero ejus in terra Chanaan non profectionem de Charra poſt mortem patris ejus factam eſſe dixit, quia jam mortuus erat pater ejus, quando emit terram, cujus ibi jam ſuæ rei cœpit eſſe poſſeſſor. Quod autem jam in Meſopotamia conſtituto hoc eſt jam egreſſo de terra Chaldæorum, dixit Deus*: Exi de terra tua & de cognatione tua & de domo patris tui, *non ut corpus*

corpus inde ejiceret, quod jam fecerat, ſed ut animam evelleret dicitur. Non enim exierat inde animo ſed ſpe redeundi & deſiderio tenebatur; quæ ſpes & deſiderium Deo jubente ac juvante & illo obediente fuerat amputanda. Non ſane incredibiliter exiſtimatur, cum poſtea ſecutus eſſet Nachor patrem ſuum, tunc Abraham præceptum Domini impleviſſe, ut cum Sara conjuge ſua & Loth filio fratris ſui exiret de Charra. Hæc omnia ex Auguſtino ideò deſcribere voluimus, ut mentem ejus lectori exhiberemus. Ut Stephanum cum Moſe conciliet diſtinguit inter profectionem & collocationem. Profectum eſſe in Canaan anno ſuo ſeptuageſimo & quinto, patris centeſimo quadrageſimo quinto, cæterum à morte patris collocatum firma inhabitatione & ut jam ſuæ rei poſſeſſione, cum agrum emiſſet. Hanc conciliationem admiſere viri eruditiſſimi Pererius, Alſtedius, alii. At Auguſtinus aliam ſimul difficultatem conatur ſolvere, qua etiam diſſonare Moſi Stephanus videtur. Dicit Stephanus locutum Deum Abrahamo, in Meſopotamia hærenti, priuſquam habitaret in Charran. Ibi accepiſſe Dei mandatum de relinquenda patria & cognatione. Tum exiſſe è terra Chaldæorum & conſediſſe in Charran. Exiſtimat Auguſtinus Meſopotamiam diſtingui & ſignificari aliam terram eſſe à Chaldæa. Fuiſſe igitur Abrahamum Chaldæa egreſſum antequam Dei juſſum acciperet, conſediſſe in alio loco Meſopotamiæ, non in Charran, in qua pater ejus erat. Ex illo loco, poſt Dei mandatum, ad patrem conceſſiſſe in Harran. Proinde verſus 4. cap. VII. Actorum prima verba non eſſe accipienda de conſequenti poſt præceptum tempore, verum de toto complexo, ut loquuntur. *Tunc* id eſt, *illo tempore, quo factum eſt*, vel, *aliquo tempore* egreſſus eſt è Chaldæis & ſe contulit (ex mandato Dei) in Harran, ut perrecturus in Cananæam. Hac ſubtilitate opus non eſt ſi Chaldæorum terram includamus Meſopotamiæ latius acceptæ. Verum inextricabilis nodus eſt alter, quem illa ſolutione per diſtinctionem profectionis & collocationis prudentes tolli non putant. Nam Abraham præcepto Dei integre obedire debuit, non corpore ſolo ſed & animo, omni cupidine & deſiderio patriæ depoſito. Certum etiam eſt, quod ſemel in Cananæam profectus nunquam in Meſopotamiam redierit ſalutatum patrem. Quidam enim exiſtimant, ſubinde ire & redire ſolitum, uſque ad mortem parentis. Si ita fecit, in præcepti divini obedientia prævaricatus eſt. Debuit enim ut patriam, ita cognationem relinquere. Emptio etiam agelli non poteſt efficere, ut ante eam factam non ſit collocatus in Cananæa Abraham. Quid igitur dicimus? Stephanum ſimplicitate ſanctiſſima condeſcendiſſe Græcæ cuidam verſioni, cui ut Helleniſta aſſuetus erat, in qua juxta Samaritarum codicem aut alia qua cauſa in fine capitis undecimi expreſſum erat, Thare mortuum eſſe, cum natus eſſet annos 145. Sic nos arbitramur. Fuiſſe alias verſiones Græcas, aut aliam, quam Lucas & ſcriptores N. T. ſecuti ſint, præter illam quam hodie habemus, dubitare nulli poſſumus. Talium verſionum deflexio ab Hebræo codice, cauſa eſt iſtius variantiæ, quam in N. T. legimus. Exinde autem velle Chronologiam turbare, & Hebræo codici de ſua puritate facere controverſiam, iniquitatis eſt aut ignorantiæ. De omnibus illis variantiis ad vivum reſecandis laborare & argutari inanis fatigatio eſt. Nihil eſt quicquam in illis, in quo analogia fidei periclitetur. Zelum illum excellentium Dei virorum, quos non minus pietas & prudentia, quam eruditio animabant, alligare velle minutiis, mihi non probatur. Spiritus S. ſic moderatus eſt eorum mentem & linguam, ut ſapienter non argute loquerentur. Non

dixerunt falſum, quia talia per conceſſionem non affirmationem elocuti ſunt, affirmantes ſolummodo, quod ſcopi erat, à quo per minutiarum nihil ad rem facientium correctione, aures inſuetas raſura, mentes audientium avocari noluerunt. Hæc mea ſententia eſt, quam ſcio reprehenſuros eſſe illos, qui me theſibus & præfationibus perſequuntur. Hi palam amici, animis hoſtes. Cur mihi non licet ita ſentire cum Alſtedio, qui ita de Cainane ſecundo apud Lucam ſcribit: *Quod autem Lucas cap. 3. ſecutus eſt verſionem LXX. potius interpretum, quam canonem Hebræum, id tribuo prudentiæ & charitati, qua Lucas in gratiam Iudæorum Helleniſtarum retinuit verſionem publice receptam.* Anne ideò dubiæ fidei ſcriptorem & autorem ſive Lucam ſive Stephanum pronuntio & blaſphemiam dico. Cum in Heptaëmero docuiſſem Spiritum S. non docere arcana naturæ abdita, quæ in ſenſum non incurrunt nec ultra ocularem experientiam progredi (quod etiam ſummus vir Calvinus dixit) in rebus naturalibus proponendis, ut hinc dijudicari non poſſit illa maximis ſcientiæ ſideralis interpretibus difficilis quæſtio, ſolne an terra moveatur, id eſt quodnam ſit proprium motus ſubjectum, morſum calumniantium & dentem Theoninum effugere non potui. Condonet illis Deus calami intemperantiam. Seculum vivimus infelix, in quo maledicere ludus eſt & Theologorum ſubſellia obſedit livor & calumniandi ac rixandi libido. Ego prædico & propugno Hebræi codicis puritatem, verbi divini veritatem cum ſumma & candidiſſima ſimplicitate. Hiſtoriæ minutias & Chronologicas computationes illic tradi & illinc petendas eſſe, ubi ex profeſſo traduntur. Hieronymus non minus æſtuat quæſtionibus in Geneſin: *Indiſſolubilis naſcitur quæſtio: Si enim Thara pater Abrahæ, cum adhuc eſſet in regione Chaldæa 70. annorum genuit Abraham: & poſteà in Charran ducenteſimo quinto ætatis ſuæ anno mortuus eſt, quomodo nunc poſt mortem Tharæ Abraham exiens de Charran, 75. annorum fuiſſe memoratur: cum à nativitate Abrahæ uſque ad mortem patris ejus 135 fuiſſe anni doceantur? Vera eſt igitur illa Hebræorum traditio, quam ſupra diximus, quod egreſſus ſit Thare cum filiis ſuis de igne Chaldæorum, & quod Abraham Babylonis vallatus incendio, quia illud adorare noluit, Dei ſit auxilio liberatus: & ex illo tempore ei dies vitæ & tempus reputetur ætatis, ex quo confeſſus eſt dominum, ſpernens idola Chaldæorum. Poteſt autem fieri, ut quia ſcriptura reliquit incertum, ante paucos annos Thare de Chaldæa profectus, venerit in Charran, quam mortem obiret. Vel certè ſtatim poſt perſecutionem in Charra venerit & ibi diutius ſit moratus. Si quis ergò huic expoſitioni contrarius eſt quærat aliam ſolutionem, & tunc ea rectè, quæ à nobis dicta ſunt improbabit.* Hactenus ille. Magnum argumentum habetur pro minori ætate Abrahami traditio illa, qua dicitur duxiſſe Haranis filiam. Si enim major inter fratres fuerit quomodo duxit uxorem fratre ſe minore editam adeoque multò ſe juniorem? At teſte Moſe, Sara ſolo decennio minor fuit Abrahamo Gen. XVII. 17. Anne igitur, ut Druſius è Salmanticenſe prodit, Aran genuit Saram ſeptennis? Hic reſpondeo, Sarram fuiſſe filiam Haran, minimè concedo. Abraham eam ſororem vocat, eodem patre, alia matre natam, quod de Haranis filia verum eſſe non poterat. Habebat enim patrem Haran. Quare edita eſt alia matre, eodem patre. Maneat igitur Abrahamum eſſe primogenitum, Moſen cum ſuo ordine conſtituere, Chronologiam non turbare aut involvere, Abrahami nativitatem diſertis verbis exprimere.

Post Diluvium Anno Millesimo Et Septuagesimo] Septuaginta interpretes ſequitur, biennium inter diluvium & Arphaxad

phaxad præterit. Hebræi eodicis, cui Joſephus conſentit, lectio colligit annos 292. Eam impugnavit hodie Iſaacus Voſſius. Videamus rationes, quibus tantopere confidit, ut nec monitis nec minis territum ſe dicat, quo minus etiam publicè, quæ ſentit profiteatur. *Quin potius*, inquit, *ſi quo veritatis tenentur ſtudio, efficiam, ut ipſi errorem ſuum agnoſcant* & ſive argumentis ſive teſtium numero ſit pugnandum, vincam illos argumentis, vincam teſtimoniis. Nobis unum hujus codicis teſtimonium, prævalet omnium teſtimoniis. Argumenta prius videamus, quibus efficere poſſis ut divinum hoc non ſit teſtimonium. Voſſ. *Quod ſupra monuimus, idipſum quoque hic obſervare eſt pro ratione ætatis minus hic brevem ſtatui pueritiam, cum longam vitam neceſſariò longa præcedat pueritia. Tempus pubertatis ut plurimum, tertia aut quarta pars eſt vitæ humanæ, rarò quinta rariſſimè ſexta. Si Arphaxad Sale & Eber tam maturè genuiſſent, utique decimæ quintæ generationi interfuiſſent: imò & viceſimam potuiſſent videre, cum conſtet contractiora paulatim facta eſſe generationum ſpatia. Abſurdum autem fuerit credere aliquem unquam diu adeò interfuiſſe poſteritati ſuæ.* Schot. Hoc argumentum in prima ætate refutatum eſt. Hic autem adjicit, abſurdum conſequens, quia efficeretur aliquem ad viceſimam ſtirpem poſteritati ſuæ interfuiſſe. Cur hoc abſurdum eſt in illo tempore, quo memoriam diluvii & vivam inſtitutionem Deus diu voluit ſupereſſe? Anne tantum hoc tibi videri potuit, ut ideo Hebræum codicem velis rejici? Quid ſi ipſe tibi fingas, quod non fuit, nec eſſe potuit. Arphaxad vixit annis 438. Sale 433. Eber. 469. Hic generatione ad triginta annos contracta Sale potuit videre generationem ſummum decimam quartam aut decimam quintam. Scimus autem omnes generationes intra eam brevitatem non includi. Thare enim genuit Abram anno ætatis 70. Arphaxad obiit anno M. 2096. ante natos Jacob & Eſau. Defecit igitur in decima generatione. Sale mortuus eſt anno M. 2126. Eber anno 2187. Vidit Sale etiam decimam generationem. Eber cum obiret, Jacob ab illo octavus nondum conjugatus erat. Atqui Iſaaci patriarchæ ſeculo, quadrageſimus annus pro juvenili ætate fuit habitus. Non magis ſane quam Chriſti ætate & hodie. Cur autem? Iſaac quadragenarius uxorem duxit. Sic etiam multi hodie. Voſſ. *Illud vero non tantum ab omni veriſimilitudine remotum ſed & abſurdum prorſus, quod juxta hanc ſupputationem Noachus vixiſſet, uſque ad annum Abrahami quinquageſimum octavum: Semus vero ſupervixiſſet Abrahamo totis triginta quatuor annis. Atqui Abrahamus à Noacho fuit undecimus. Semus vero duodecimum vel etiam decimum tertium cognoviſſet hæredem. Diu ſiquidem juxta Hebraicum calculum cum Iacobo & Eſauo vixit. Adeone quis infelicis ſit judicii ut hæc contigiſſe exiſtimet?* Schot. Vero non tantum ſimile ſed & verum eſt, quod Sp. S. aſſerit. Crediderunt multi, quos judicii infelicis fuiſſe nemo ſanus affirmet. Qui affirmat eum ego, non tantum judicio ſed & cerebro deſtitutum eſſe exiſtimo. Tu vero quis es, qui tam petulanter in eccleſiæ conſenſum in tot ſanctiſſimos & eruditiſſimos viros debaccharis? Rationem audiamus, qua fretus altum intumuit: *Iam diu ante Abrahamum varia toto orbe regna erant fundata, jam dynaſtiæ aliquot in Ægypto eſſe deſierant, quæ ab autoribus ſigillatim memorantur, nemo tamen Noachi meminit. Sane ſi iſtis temporibus inter vivos etiamnum exſtitiſſet ille univerſi generis humani auctor & princeps, pleni eſſent gentium annales de hoc miraculo. Sed nec ipſe hoc prætermiſiſſet Moſes.* Infelix judicium hoc eſſe quis non exiſtimaverit, quod fabulas Cteſiæ & Manethonis & ſimilium objicit adverſus Hebræam veritatem. Nugæ ſunt, quæ de antiquiſſimis regnis ſcriptores jactant. Ogyges in Græ-

 cia,

cia, ante Abrahamum fuerit, ultra quem, in Græcia eſt ſilentium & terræ vacuæ. Sicyoniorum regnum vetuſtiſſimum fuit ſed circa Abrahami ætatem cœpe. In hoc primus Ægialus, ſecundus Europs imperium tenuiſſe narratur. Plures eorum reges Cedrenus commemorat quam Pauſanias in Corinthiacis. Nam Cedrenus Zeuxippum numerat vigeſimum ſextum ab Ægialo, Pauſanias vigeſimum primum. Dicit Scaliger anno 36. Europis natum eſſe Abrahamum. Ægialum regnaſſe annis 52: Sicyona 45. Cœperit igitur hoc regnum 88. annis ante natum Abrahamum, 202 poſt diluvium; anno M. C. 1860. Ægialus primus regum condidit Ægialeam. At oppidum totius Græciæ antiquiſſimum fuit Thebæ in Bœotia, quas ſtruxit Ogyges, quo nihil antiquius commemorare poſſunt Græci. Hoc conditum eſt ante Abrahamum teſte Varrone. Cujus hæc ſunt lib. 3. de re ruſtica initio: *Etenim vetuſtiſſimum oppidum, cum ſit traditum Græcum, Bœotiæ Thebæ, quod rex Ogyges ædificavit: in agro Romano Roma, quam Romulus rex. Nam in hoc nunc denique eſt, ut dici poſſit, non cum Ennius ſcripſit.*

Septingenti ſunt paulo plus aut minus anni
Auguſto augurio poſtquam inclita condita Roma eſt.

Thebæ, quæ ante cataclyſmon Ogygi conditæ dicuntur, eæ tamen circiter duo millia annorum & centum ſunt. Scripſit ea Varro anno M. C. circiter 3900, ſeptingentis fermè annis poſt Romam conditam. Hinc aufer duo annorum millia & centum, remanebunt anni 1800, poſt quos fuit Ogyges. Cum igitur illo ſeculo mera fuerit Barbaries & artes demum poſt undecim ſecula repertæ ſint in Græcia, quis miretur nullam de Noë & Semo notitiam emanaſſe ad poſteros? Non potuerunt illi, qui Barbari erant, nec eorum majores ob peregrinitatem ſermonis communicare cum patriarchis & familiis, in quibus Noë & Semi doctrina audiebatur & ipſi vitam finierunt. De ſuo Japeto in illas terras ſecedente, ubi ſui poſteri diſpergebantur, audiverunt & famam ad poſteros transtulerunt. Ita Ægyptii de Chamo norant, qui in Ægypto videtur conſenuiſſe & vitam terminaſſe. Pleni igitur gentium annales non potuerunt eſſe de Noë, de quo nihil ſciebant. Nam cum patriarchis è Semo nihil commercii habuerunt primi ἀρχηγέται gentium eorumque nepotes. Quod ſi putes in Aſia & vicina Ægypto memoriam debuiſſe relictam eſſe de Noë, jam dicam opus eſſe ut proferas prima & antiquiſſima Ægyptiorum & Phœnicum & Aſſyriorum monumenta. Illa enim, quorum apud Græcos memoria eſt & fragmenta ſuperſunt, ſera ſcripſerunt tempora & ad Abrahamum, vix ac ne vix quidem aſcendunt. Si Abrahamei temporis miraculum inter familias patriarcharum è Semo exiſtens in gentium libris & annalibus debet inveniri & quidem pleniſſime perſcriptum, qui factum eſt, quod nihil illi de Melchiſedec commeminerint? An Noë in terris ſuperſtes aut Semus majus quid eſſe arbitraris, quam Melchiſedecum, Abrahamo majorem non tantum ſed & Dei filio aſſimilatum? Ubi de illo gentium libri narrant? Monſtra ſi potes, ſi invenis in tuis illis quas oſtentas, antiquitatibus. Pergit Voſſ. *Iam vero quis credat turris Babylonicæ conſtructionem confuſionem linguarum ac diſperſionem gentium factam eſſe vix uno poſt diluvium ſeculo? Ex ſacris literis manifeſte hoc tempus colligitur. Inde enim nomen inditum Phalego. Atqui tum forſan necdum tertius Noacho natus erat hæres. Huic difficultati ut nonnulli occurrerent, miram commenti ſunt methodum ad multiplicandum brevi ſpatio genus humanum: primos namque poſt diluvium patriarchas tam fecundos fuiſſe dicunt, ut anno ætatis duodecimo vel etiam prius liberis gignendis operam dederint. Sed ſane etiam ſi con-*

ſi concedatur eos cucurbitarum inſtar pullulaſſe, non tamen efficient ut hæc comp:t:ndi ratio non ſit prorſus ridicula. Schot. Inſultat & falſe ridet, ſuo more, quod non convenit homini, qui Chriſti Spiritum habet aut nomen præfert. Nunquam ita ille, quo te ſatum novimus, magnus Voſſius. Cucurbitarum multiplicationem fingi oportere, ut ſacrarum literarum aſſertio de diſperſione gentium & ædificatione turris Babylonicæ probari poſſit? Primò hoc ſibi ſumit, quod neceſſarium non eſt ſtatuere, ſub nativitatem Phalegi eum eventum incidiſſe, potuit enim poſt ducentos annos à nato Phalego accidere, quia ejus tempore ſcriptura eveniſſe tantum dicit, non determinat nativitatem. Si dicamus accidiſſe trecentis annis poſt diluvium, abſumus à te nativitatem ponente & Cainanem cum tribus ſeculis inſerente, annis 130, quibus Cainan inſititius tibi ſubvenit. Anne illi 130 anni poſſunt efficere ut non videatur monſtroſum, quod ſine illis tale ſit? Cedo illis annis non inſtar cucurbitarum ſed inſtar murium auctos eſſe homines. Illi enim, neſcio an cucurbitæ anno non toto in immenſum & omnia vaſtantem numerum erumpere poſſunt. Sed cum bona tua venia riſum tibi tuum reponimus. Trecentis annis à tribus hominum paribus infinita millia progerminare poſſunt. Dicis fortaſſis tum nondum tertium Noacho hæredem natum fuiſſe. Quur tertium dicis? Phaleg natus erat, quintus à Noacho. Cum ita inſultes, ut objectes nobis paucitatem nepotum Noachi, non miror te aſſumpſiſſe adulterinum Cainanem. Videris eum rejicere cum inter Phaleg & Noë vix tertium natum eſſe nepotem affirmes. Verum hæc tua mens eſt, centum annis vix tertium naſci potuiſſe heredem, eò non potuiſſe hoc modo increſcere humanum genus. Redi ad te & cogita multiplicationis probabilitatem à tua ſententia non confirmari. Vis enim longam pueritiam. Ecce ſecula iſta generationibus patriarcharum addita augent numerum annorum à diluvio, non generationum. Sive ſtatuam eos generaſſe remotis ſeculis, ſive adjectis, eodem relabor difficultatis, de multiplicationis tantæ incredibilitate. Hæc enim eſt tuæ opinionis cauſa qua ſtatuis, decem ante diluvium patriarchas non potuiſſe implere mundum, quia tam ſerò genuerunt. Si reponas genuiſſe ante id tempus, quo hi patriarchæ procreati ſunt. Primò falſum dicis nec veriſimile. Nam primogenituræ dignitate eminuerunt. Secundo ſi prius genuerunt ut multiplicationem hominum efficias, credo gignere potuiſſe circà annum trigeſimum, uti textus Hebræus habet. Adeò illum probas, qui exſibilas. Omitte igitur aſſumptitia ſecula Græcorum interpretum, quia nihil juvant ad ſolutionem hujuſmodi. Quod ſubjicis de Aſſyriis & Ægyptiis antiquitatibus ſuprà eſt diſcuſſum. De Seribus ſive Sinis loquens fiduciam & odium Hebraicæ veritatis magis prodis. Condonet illa Deus & donet bonam mentem. Tu enim ſi non animadvertis portentoſam fingendi audaciam ſanus non es. Nulla igitur fingendi licentia tanta eſt, quam adorandæ veritati & textui Hebræo non audeas opponere. Ex ultima Barbaris advocantur fabulæ, ut Moſen premant. Voſſ. *Vnum hoc nunc addimus, ſi tempora ſubducamus juxta receptam Hebraici codicis ſcripturam non gentium tantum hiſtoriis ſed & ipſis ſacris literis meram inferri noctem.* Schot. Oſtende, nos enim videre non poſſumus. Gentium antiquitates ætatis ſecundæ nullam lucem habent, miræ tenebræ ſunt. Moſis ſacer textus origines optimè explicat gentium, quas ipſæ ignorant. Græcis nihil cultius. Scriptorum præclaris ingeniis eorum res eſſe illuſtratas quis negat? Originem tamen à Japheto ejuſque filiis certius tradidit Moſes. Chronologia contractior

tractior non infert noctem, quia comprobatur ipſorum hiſtoriis. De cæteris gentibus quid dicere poſſumus, quarum monumentis antiquis & fidelibus deſtituimur. Abſurdum autem ſacris literis inferri noctem ab hoc Sole, quem videre datum non fuit illis qui LXX. interpretum, ut vocant, verſionem, pro temporum captu & tenebris ſecuti ſunt.

Hos ſeptuaginta interpretes eorumque verſionem commendat; Neminem qui calculum ſecundæ ætatis patriarcharum legat futurum arbitratur, *qui non mox fateatur intervalla & ſpatia, quæ cujuſque nativitatem intercedunt, longè æquabilius & naturæ convenientius hic ſignari.* Quare? *Vt enim vitæ ſic quoque illi anni, quibus quiſque natus ſenſim & juſta ratione decreſcunt.* Quæro ex eo an æquabilitas decreſcendi, ubique fuerit neceſſaria? Quis eam urgeat, qui noverit Deum in hiſce gubernandis ad lineam adſtringi non poſſe. Ita præter propter, non ad brevitatem unguis in recta linea iſta procedunt. Id potiſſimum videtur reſpicere, quod Thare omnibus patriarchis, progenitoribus ſuis ſerius genuerit juxta Hebræum, quem ille contemptim Judaicum vocat, textum. Sed meminerit Noë ultimum de patriarchis primæ ætatis, ſerius etiam multò quam antecedentes procreaſſe. Quin dici poſſit, (quis enim neget) Thare feminеam prolem ante hos annos natam eſſe.

Cainanem expungi non patitur. Vide autem quam acriter & hic agat? *In Cainane vero expungendo prorſus abſurdi ſunt viri eruditi, plus tribuentes Iudæis librariis, quam Euangelicæ veritati.* Eruditos eos vocat quos ſupra omnis judicii eſſe expertes pronuntiavit. Hic autem certat pro Euangelica Lucæ veritate.

Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?

Euangelica & certa veritas quæ illi eſſe poteſt? Quomodo poteſt à lectione codicis argumentari, qui in eo *tantam* eſſe *lectionum veritatem* dicit, *ut ſi quis omnes inter ſe committeret codices, quot verba, totidem pene ſit inventurus diſcrepantias.* An hoc in loco nullus codex variat? Oſtenderunt tamen viri eruditi in quibuſdam codicibus Lucæ Cainanem non reperiri. Damnas igitur illam lectionem, hanc recipis, quia communior eſt, & vocas Euangelicam veritatem. Tu Euangelicam veritatem agnoſcere potes, qui damnas Moſaicam & Hebraicam? Quæ veritas eſt in immenſa diſcrepantia? Ita veritatem certam ſtatuis, cum placet, nullam eſſe ſtatuis, cum diſplicet? Declamat etiam & dicit improbe ſentire, *cum dicunt ſeptuaginta ſeniores, viros ſanctos, propria libidine Cainanem iſtum addidiſſe.* Eruditi, ut noſti, candide fatentur, ſe ignorare, unde Cainan iſte irrepſerit. Etiam dubitant an ſit à ſeptuaginta interpretibus. Eorum enim verſionem nos habere integram & corruptam non exiſtimant. Voſſ. *Multò vero improbius cum Euangeliſtam horum fraude ſeductum erraſſe affirmant.* Qui hoc dicit, vapulet. Euangeliſtam poſuiſſe quod communiter legebatur & credebatur ſancta συγκαταβάσει, non ſeductum nec errantem dicimus: ut ſuprà diſputatum eſt. Tu vis Hebræum codicem omiſſione eſſe corruptum, non pateris verſionem Græcam corruptam dici adjectione. Nam uti dicis: *Hæc de Caïnane verba ejus ſunt naturæ, ut neque caſu nec incuria accerſere potuerint.* Accreverint & admixta ſint ab aliquo vel ipſis interpretibus de induſtria. Judæi codices cuſtodia tam fideli habebantur, ut tali reſectione violari non potuerint. Beroſo agnoſci hunc Cainanem nobis vult perſuadere, *cum Abrahamum decimum eſſe ſcribit eorum, qui poſt diluvium nati ſunt uti eſt apud Ioſephum lib. I. cap. 8.* Beroſi hæc verba ſunt: Μετὰ δὲ τὸ κατακλυσμὸν δεκάτῃ γενεᾷ.

γενεᾶ. Generatio decima à diluvio cenſeri ita debet, non capiendo initium ab eo qui poſt diluvium genitus eſt, ſed qui genuit primus. Sem autem non genuit ante diluvium, uti notum eſt. Quamvis autem breviſſimi temporis fuerit ſpatium inter diluvium & ſobolem ejus primam, hæc tamen eſt ſecunda generatio. Sie omnes acceperunt præter & ante Iſacium Voſſium. Omnium hic conſenſus eſt, nemine excepto. Samariticum etiam codicem refingit eique Cainanem ſecundum inſercit. Affirmandi audax pronuntiat: *Verum & hic quoque manifeſtè librariorum ad paret culpa. Arphaxado enim tribuitur, quod Cainani tribui debuerat.* Id ita conatur adſtruere. *Non Arphaxad centum triginta erat annorum, cum liberos gignere inciperet, ſed Cainan. Hinc clarè colligitur, vel expunctum vel Hebraici codicis autoritate prætermiſſum fuiſſe Cainanem, ac pro annis, quibus Arphaxad genuit Cainanem, ſuppoſitos fuiſſe illos Cainanis, ac ſic duos patriarchas in unum coaluiſſe.* Samariticus codex in detractione quinquennii diſcedit à LXX in Hebræo Judæorum, quibus concredita ſunt eloquia Dei. Certum eſt eum errare. Credit hoc Voſſius, quia diſcedit à LXX. Quia quinquennii lapſus eſt, ideo ſequitur, totum verſum omiſſum eſſe, & Cainanis nomen omiſſum in ejuſque locum de ſuo immigraſſe Arphaxad? Nolim manus medicas tam ſecandi & luxandi faciles corpori meo adhiberi. Paulo minus improbiore audacia refingit Joſephum quem certum eſt uſque exodum Hebræorum & ingreſſum in terram Canaan Hebræi codicis (uti nunc habetur) lectionem ſequi, locis parallelis id evidenter oſtendentibus: tantum minores numeri in prima & ſecunda ætate reformari debent, ut collectæ ſummæ & Hebrææ veritati reſpondeant. Apparet enim librariorum imperitia, qui LXX. Interpretum verſionem ſolam noverant, ſic depravatos eſſe. *Qui Hebraico favent codici* inquit, *ſic exiſtimant, Ioſephum conſcripſiſſe hiſtoriam, quinquies mille annorum, tantum quippe ſpatium à creatione uſque ad ſuam ætatem definiri putant, in præfatione operis ac prætereà in ſcripto contrà Appionem. Id verò tempus ſic diſtribuunt, ut dicant tria fermè annorum millia exſpiraſſe uſque ad obitum Moſis, prout ipſe aſſerit eodem contra Appionem libro: bis mille vero annos à Moyſe uſque ad everſam à Romanis Hieroſolymam idque colligi ex præfatione & poſtremo antiquitatum capite. Plana quidem ac facilis prima fronte videtur hæc conciliandi ratio, ſed ſiquis penitius rem inſpiciat, inveniet hoc pacto difficultates in immenſum augeri.* Schot. Ὑπερβολικὸς es, tuo more loquendi. Quæ nam ſunt illæ? *Quomodocunque enim diſponantur & colligantur hi numeri, nunquam tamen inde juſtam & probabilem ſummam efficies, quæ vel cum Hebræis vel cum Samaritanis codicibus, vel cum Græca tralatione conveniat, aberit ab omnibus quam longiſſimè.* R. Falſa hypotheſis eſt, quaſi cum uno trium debeat convenire per omnia. Cum Hebræis convenit uſque ad Exodum Hebræorum, diſſonat Græcæ verſioni & Samaritis: ſed poſt Exodum de temporibus judicum & Saul non convenit Hebræis. De Græcis & Samaritarum lectione nunquam cogitavit. Ratio quod Hebræis poſt Exodum non conveniat eſt hæc: Non potuit numeros judicum conciliare cum 1. Reg. VI. 1. Uſque ad Exodum numerat cum Hebræis annos 2453. Vide enim: Ab Adam ad diluvium anni 1658, uti in prima ætate demonſtravimus. A diluvio ad natum Abramum 292. Abrahamus natus annos 75, vocatur in Cananæam. Ab hoc tempore uſque exitum 430. Hi numeri ita exprimuntur in Joſepho ſuis locis. Collecta ſumma 2453. His nihil poteſt opponi, niſi quod patriarcharum anni ſinguli in catalogo utroque primarum ætatum corrupti ſint, quam corruptionem ſummæ proloquuntur. Voſſ. *Sed neque Ioſephus ſibi conſtabit,*

conſtabit, niſi quis exiſtimet evertendum eſſe, quicquid in eo eſt numerorum. Non conſtabit, ut putas, ſibi, quia minus tribus annorum millibus ante Moſen effluxit, minus duobus poſt eum ad Hieroſolymæ excidium. Hanc ſummam quinque millium exprimit principio ſcripti adverſus Appionem: ἡ πενταχισχιλίων ἐτῶν ἱστορίαν περιέχουσαν, ἐκ τῶν παρ' ἡμῖν ἱερῶν βίβλων, διὰ τῆς ἑλληνικῆς συνεγραψάμην. Quorum autem horum quinque millium tria priora ante Moſen & Exodum effluxiſſe velit, ipſe oſtendit. Nam in præfatione antiquitatum dicit Moſen natum fuiſſe ante annos bis mille: γέγονεν γὰρ πρὸ ἐτῶν δισχιλίων, ἐφ' ὅσον πλῆθος αἰῶνος οὐδ' αὐτῶν οἱ ποιηταὶ τὰς γενέσεις τῶν θεῶν μήτιγε τὰς ἀνθρώπων πράξεις ἢ τοὺς νόμους, ἀνενεγκεῖν ἐτόλμησαν. Idem dicit in fine illius operis: Τηρῆσαι δὲ πεπείραμαι καὶ τὴν τῶν ἀρχιερέων ἀναγραφὴν τῶν ἐν δισχιλίοις ἔτεσι γενομένων. Pontificum ſucceſſiones è tabulis publicis ſumpſit, quæ faciunt annos bis mille, nempe ab Aarone, qui anno ſecundo ab Exodo initiatus eſt. In libro primo contra Appionem: Οἱ γὰρ ἀρχιερεῖς, οἱ παρ' ἡμῖν ἀπὸ δισχιλίων ἐτῶν ὀνομαστοὶ παῖδες ἐκ πατρὸς εἰσιν ἐν ταῖς ἀναγραφαῖς. Sed & oſtendit expreſſè κατὰ πλάτος ſe loqui, quum temporibus ante Moſen id eſt ejus mortem attribuit tria annorum millia. Καὶ τούτων πέντε μέν ἐστι Μωϋσέως, ἃ τοὺς γενομένους περιέχει καὶ τὴν ἀπ' ἀνθρωπογονίας παράδοσιν μέχρι τῆς αὐτοῦ τελευτῆς. οὗτος ὁ χρόνος ἀπολείπει τρισχιλίων ὀλίγῳ ἐτῶν. E viginti duobus voluminibus ſacrarum literarum, quinque Moſis eſſe, quæ contineant tria annorum millia ſed paulo minus. Deſunt quingenti. Sic accipe eum rotundo numero expreſſiſſe, cui tot anni deerant. Παχυλῶς dicta non debent numeris ἀκριβῶς poſitis opponi. Facillimè Joſephus conciliari poteſt cum Moſe in illis, quæ Exodum præcedunt, levi immutatione id eſt reſectione centenariorum à librariis additorum, in generationibus viginti patriarcharum, quod oſtendunt numeri in ſummis relicti & tota contextus ratio & conſtans Joſephi calculus. VOSS. *Quandoquidem autem veritati non parum acceſſurum ſit autoritatis, ſi oſtenderimus codices Hebræos ſeculo Ioſephi necdum fuiſſe vitiatos, ſed eadem continuiſſe temporum ſpatia, quæ Græca exhibet tranſlatio; operæ pretium fuerit in annos, quibus hiſtoriam ſuam diſtinxit autor graviſſimus, diligentius inquirere, ac videre num ex ſingularum partium intervallis, menſuram univerſi temporis, an vero ex univerſi temporis cognitione de ſingulis partibus certi aliquid pronuntiare poſſimus.* Attendamus ad tuam diſputationem! *Sic itaque ſentio Ioſephum cum quinque millium hiſtoriam ſe collegiſſe ſcribit, non loqui de ſpatio, quod ab initio creationis uſque ad ſuam ætatem effluxit ſed de eo intervallo, quod ſacris continetur literis. Vide initium prioris libri contra Appionem & præfationem operis antiquitatum, ubi clarè docet continuam quinque millium hiſtoriam ſacris comprehendi voluminibus. In ſubſequente tempore, illo nempe, quod principium Alexandri Magni & bellum poſtremum Iudaicum interceſſit, conſuluiſſe quidem ſe gentis ſuæ monumenta verum illa nec ſacra nec certæ fidei fuiſſe eodem contra Appionem ſcripto affirmat.* SCHOT. Joſephum univerſæ ſuæ hiſtoriæ ſummam quinque millibus includere certiſſimum eſt & cæco manifeſtum. Nam totam περὶ τῆς ἀρχαιολογίας hiſtoriam comprehendit. Non dicit ſe omnia illa ἐκ τῶν ἱερῶν βίβλων hauſiſſe, quia hoc ad partem referri debet, & quidem potiſſimam. Verum eſt eum ſua hauſiſſe, quæ in antiquitatibus habet, extenſis per quinque annorum millia, è literis ſacris, ſed non univerſim. Nam poſtrema pars trecentorum annorum & quod excurrit, eſt ex aliis monumentis. Hoc autem exiguum eſt in comparatione quinque millium. Ita etiam intelligendus alter illius locus. Τὴν μὲν γὰρ ἀρχαιολογίαν, ὥσπερ ἔφην, ἐκ τῶν ἱερῶν

γραμμάτων μεθηρμήνευκα. En univerſam antiquitatum hiſtoriam huic prædicato ſubjicit, ſed ita uti intelligamus prædicatum, prout ſubjectum patitur. Ἀρχαιολογίας quinque millibus comprehenſæ partem accepit è monumentis, quæ non ſunt ejuſdem fidei, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν. Opus antiquitatum ab initio creationis ad duodecimum annum Neronis perductum eſt, uti in fine diſerte dicit. Hoc tempus juxta accuratam Scaligeri computationem eſt annorum 4015. Eam computationem excedit Joſephus. Uſque ad annum γεωργίας ſcilicet 2500 convenit cum Scaligero, inde abit diverſus, ſequens ut ipſe innuit ἀναγραφὰς τῶν ἱερέων, tabulas pontificales potius quam ſacras literas. Quod ſummam quinque millium ὡς ἐν τύπῳ dictam Joſephi hiſtoria non impleat, ipſe indicat lib. ult. belli Judaici. Scribit enim ab Hieroſolymorum conditu per Melchiſedec, qui fuit Abrahami tempore, uſque excidium à Tito fuiſſe annos 2177. A Davide numerat annos mille centum ſeptuaginta novem. Ex his ſi deduxeris annos 464 m. 3. habebitur tempus, quod à Nabuchodonoſori excidio Hieroſolymitano uſque ad everſionem à Tito lapſum eſt. Nempe 715 anni interjecti fuerunt. Hos annos 715, ſi jungas cum anno M. C. 3513, quo Nabuchodonoſor, juxtà Joſephum evertit Hieroſolyma, habebis annos M. C. ad excidium à Tito 4228. Et tamen rudiori & rotundo loquendi modo complexum ſe eſſe dicit ann. 5000. Ultimum millenarium inchoatum intelligit non abſolutum. Ducentis annis præter propter Scaligeri calculum ſuperat. In eo ſibi ſatis conſtat, quamvis omnibus conſtet numeros ejus eſſe depravatiſſimos. Voſſius tamen conatur è partibus probare, quod tota ſumma calculi Joſephi colligat annos, à creatione uſque ad Alexandrum 5266. Audiamus etiam eum in hoc: Voss. *Habemus ſummam univerſam nunc videamus an partes conveniant toti. De tempore ante diluvium nullum relinqui dubium ſuperius monuimus. Sed neque in annis, qui ab Abraham uſque ad Alexandri M. initium effluxerunt, ulla apud Ioſephum difficultas occurrit. De illo tamen tempore, quod Diluvium & Abrahami nativitatem interceſſit, controverſia moveri poteſt. Si quis ſingula loca examinet, inveniet ſpatio huic nonnunquam aſſignari annos pauciores trecentis, aliquando 343, alibi 383, vel etiam 470. At ſi quis patriarcharum ſingulorum ætates ſubducat inveniet annos 983. Poſteriorem numerum nonnulli ſuſpectum habuere auctoritate Ruffini, perperam tamen. Antiquiſſimus noſter Ruffini codex planè eundem exhibet calculum, quem Græca Ioſephi exemplaria. Quamvis autem minimè dubitandum ſit, quin hec annorum menſura ad veram proximè accedat, vitioſa eſt tamen ac à Iudæis in Grætia habitantibus, aut Græcis Iudaiſtis, truncata & variis ab eò modis interpolata.* Schot. Ab Abraham uſque ad Alexandri M. initium non movet difficultatem. Conſtat tamen in illo tempore, quod eſt inter Exodum & ædificationem templi non convenire Joſepho cum Hebræo codice 1. Reg. VI. 1. Longius diſtare ab LXX. ſeniorum verſione. Hebræi hic XL annis Græcos ſuperant, Joſephus Hebræos CXII. Quæro ex te vir clariſſime, an putes Hebræos codices Ioſephi tempeſtate legiſſe 592? Alius igitur codex habuit 440, ut legerunt LXX. Alius rurſum habuit uti nunc legimus. Certi igitur nihil fuit eo tempore. Quis melior codex? Hic diſcordant Ioſephus & LXX. quibus ſummum attribuis conſenſum. Græci Iudaiſtæ cur hic Ioſephum non contaminarunt, ut cum cum Hebræo ſuo codice in gratiam reducerent? Si Hebræus codex aliquando ita legit uti habet Ioſephus (& quidem communiter & ab antiquo) quæro qui factum, quod aliter expreſſerint LXX? Niſi concedendum ſit, quod illi LXX.

 non

non uſquequaque Hebrææ lectioni inſtiterint. Hoc eſt in iſto loco veriſſimum. Quis igitur aſſeret, ubique in aliis bona fide expreſſiſſe Hebræam veritatem? Certum etiam eſt Ioſephum non habuiſſe rationem Hebræi codicis, quia poſt Exodum conſuluit potius tabulas pontificales, in annotandis numeris annorum. Incurris in eum temporis articulum, qui inter diluvium fuit & Abrahami nativitatem. Non potes negare, quod ſummam exprimat Hebræo codici conſentientem. Eam expreſſionem impugnas duabus rationibus. Primò, quod in hac ſumma non ſemper ſibi conſentiat Ioſephus; alibi enim 343, alibi 383, vel etiam 470 aſſignari. Quod numeri in Ioſepho corrupti ſint, quis negat? At nego ita corruptos eſſe, ut ex non corruptis locis pleraque corrupta non poſſint emendari. Nullibi dicit Ioſephus expreſsè quod illa ſecunda ætas plures 292 annis colligat, ſed è majoribus ſummis hoc elicitur per diviſionem partium. In qua tamen diviſione id aſſignari nequit, cui parti exſuperantes in ſumma anni debeant attribui. Fieri potuit in collectione ut errorem calculi commiſerit ipſe autor. Exempla ſumamus: lib. 8. Antiq. cap. 2. dicit templum à Salomone conditum eſſe anno ab Adam 3102. Hæc ſumma colligi debet ex his minoribus partibus. Ab Adam ad diluvium anni 1656: Inde ad Abrahami natalem 292: Hinc ad exitum ejus ex Meſopotamia 75: Inde ad Exodum populi ex Ægypto 430: Porrò ad ædificatum templum 592. Ex his colliguntur anni 3045. Superat igitur verum calculum iſta in codicibus Joſephi poſita ſumma annis 57: quos neſcio cui ſummæ parti debeam aſſignare. Imò ipſa collectio vitioſa eſt. Nam de partium quantitate conſtat. In eodem loco ab Abrahami adventu in Cananæam uſque ad templi conditum putat annos mille & viginti. Hic rurſum partes colligamus: Ab illo adventu ad exodum anni 430: inde ad templi conditum 592. Hinc colliges in ſummam annos 1022. Tantum igitur biennio peccat collectio. Iterum à diluvio ad conditum templi colligit annos 1440. Hic ſumantur partes 292, 75, 430, 592 & coëant. Hic colliguntur anni 1389. Collectio vitioſa eſt, quia ſuperat verum annis 51. Hic dices non videri eos annos exſuperantes poſſe addi annis poſt Abrahami adventum, quia illa ſuperior inde ducta collectio verax eſt: ſi concedam, quæram tamen anne tempori ante an verò poſt Abrahami nativitatem velis aſſignari? Tibi enim in utroque articulo æque deficit. Aliud exemplum lib. 10. cap. 11. Ab Adam ad templi excidium à Nabuchadneſſaro, quod ponit in anno Zedeciæ undecimo, dicit effluxiſſe annos 3513 m. 6. d. 10. Videamus partes hujus ſummæ: Ab Adam ad diluvium 1656: Inde ad Abrahami ortum 292: Ad adventum ejus in Cananæam, 75: Ad exitum ex Ægypto 430: ad templi conditum 592: ad ejus caſum 470, menſ. 6. dies 10. His collectis ſummam efficies 3515. quæ tantum biennio ſuperat collectionem in Joſepho expreſſam. Hic igitur confirmatio eſt pro partibus omnibus, quæ oſtendit loco ſuperiori vitium eſſe. In eodem loco à diluvio ad iſtam templi everſionem colligit annos 1950 menſ. 6. dies 10. At partes pro iſta ſumma 292: 75: 430: 592: 470, dant ſummam 1859. Joſephus igitur excedit verum annis 91. Ab emigratione ex Ægypto ad everſum à Nabuchodonoſoro templum colligit annos 1062 menſ. 6. dies 10. quod exactè efficitur è partibus 592: 470. His annis 1062 ſubtractis de univerſa ſumma 3513, relinquentur anni 2451 (debent eſſe 2453) pro emigratione ex Ægypto. Vides igitur Joſephum conſonare Hebræo codici ad exodum uſque. Plura non eſt opus addere. Alterum, quod opponit eſt calculus ætatum ſingulo-

ſingulorum patriarcharum, quem corruptum eſſe, ſi non doceat conſtans collectio & ſummarum poſitio, quid evidens eſſe poteſt? Oſtendimus igitur viam & modum corrigendorum numerorum, qui corrupti ſunt non à Græcis Judaiſtis, ſed imperitis librariis, quibus tantum nota erat LXX interpretum verſio, quique ideò Joſephum corruperunt, quod neſcirent quid in Hebræo codice legeretur. Corruptio iſta ita facta eſt, ut ignorantiam potius oſtendat quam malitiam. Addiderunt enim potius quam reſecuerunt, quamvis etiam vitio vetuſtatis voces exciderint. Deinde non reſpexerunt ita ad ſummam, quam ſingulas ætates, quas auribus reliquerat lectio LXX. interpretum.

Pergit Voſſius: *Tharam non genuiſſe Abrahamum anno ætatis ſeptuageſimo quinto ſed 130 ex ipſo Ioſepho manifeſte colligi poteſt: cum dicit ſepulto demum parente in Cananæam ſe contuliſſe Abrahamum. In anno natali Tharæ abit & à Græcis & ab Hebræis: centeſimo quippe & viceſimo patris anno genitum eſſe ſcribit. An errore librariorum hoc factum ſit, an verò in ſuis, quos ſecutus eſt Hebrais codicibus ita ſcriptum invenerit, difficile fuerit divinare.* Schot. Joſephus diſerte dicit: Θάῤῥας μὲν τὸ ἑβδομηκοστῷ ποιεῖται τὸν Ἄβραμον. Quem locum corruptum non eſſe oſtenditur, 1, quia ſic expreſſit Hebræum textum. Gen. XI. 26. Nam in his numeris ante Exodum Moſen ſequitur, ut eſt certiſſimum. 2. Summarum collectiones (uti paulò ante oſtendimus) hunc numerum defendunt. Verum eſt eum dicere, quod omnes ſimul in Χάῤῥαν profecti, illi Θάῤῥαν τελευτήσαντα θάπτουσιν, ἔτη βιώσαντα πέντε καὶ διακόσια. Non exprimit tamen, quod Abramus ſepulto demum parente in Cananæam diſceſſerit. Refert diſceſſum in Cananæam poſt parentis ſepulturam, at diſertè non exprimit, quid prius evenerit aut poſterius. Cum Abrahamus ageret annum 75. diſceſſit in Cananæam. Si hoc Joſephus arbitretur factum fuiſſe poſt mortem parentis, dormitavit. Nunquam enim opinatus eſt Abrahamum 130 anno parentis natum eſſe. Sicuti & dormitavit, quando ſcripſit Saram fuiſſe filiam Aran, qui mortuus eſt in Ur Chaldæorum. Hic credidit Judæis interpretibus. Multa alia ſunt quæ oſcitanter aut credulè ſcripſit, ad quæ conciliunda gladio non utemur in loca ſana. Non diſputamus quam verè & prudenter hiſtoriam compoſuerit, ſed quid ab ipſo ſcriptum ſit, inquirimus. Moſes poſt mortem Tharæ relatam, refert de Abrahami abitu in Cananæam, at ea ratione methodi, quam ſupra B.A. expoſuit, potuit tamen Joſephus, graviſſimus ſcriptor, aliud agens ex eo decipi. Non legit Joſephus vitioſos codices, ſacerdos erat, ſciebat, quid lectionis in ſynagogis & publice eſſet receptum. Ideo tu etiam ſupra tantum ejus autoritati tribuebas, ad cognoſcendum, quid in Hebræa veritate ejus tempore lectum fuerit. Diſſonat ab Hebræis & Græcis, ſcilicet in loco evidenter vitiato, à ſciolis, quos LXX. interpretum recepta editio præimbuerat. Ambigis ſitne locus corruptus an ita conceptus à Joſepho? Pene igitur concedis emendationem hic quærendam eſſe & in illo loco, qui tibi præcipuum argumentum eſt, ad ſuperiorem locum, in quo ſumma eſt ann. 292. evertendum. Summa ſuſpecta eſſe non poteſt, quia conſtanti locorum conſenſu comprobatur. Hic ſuſpectus eſt locus, è quo non ſuſpectum velle in dubium vocari cujus prudentiæ eſt? Levi & facili manu correxeris ſcribendo ἔνατον αὐτὸς καὶ εἰκοστὸν, pro εἰκοστὸν αὐτὸς καὶ ἑκατοστόν. Evidens emendatio & conſona Hebræo codici. Nulla hic ſagaci divinatione opus fuit.

Subjicit: *Illud certum eſt expunctum hic eſſe Cainanem. Illum enim ſi addideris,*

 habebis

habebis veram ſeriem & menſuram temporum, totaque Chronologiæ ratio in Ioſepho facilis, manifeſta & ſibi conveniens erit. Schot. E ſupra-dictis patet Cainanem non poſſe admitti, ut ſibi conſtet Joſephi Chronologia. Fateor te acriter & ingenioſe commentum eſſe hæc omnia, ut efficeres 1440 annos, quos Sol non deſcripſit ille, quem Deus condidit. Ego ſummas dotes & eruditionem tuam, vir maxime, prædico & exoſculor, verum hic tibi aſſentiri nequeo coactus veritate & amore cœleſtium veritatis tabularum, quas is depreſſum, nequid amplius dicam. Cainanem illum magni viri etiam eliminarunt è Luca & LXX interpretibus, ſicuti ſupra Uſſerium Armacanum & Grotium produximus, id ſerio contendentes, hic ſiſtemus tibi Joſephum Scaligerum & magnum tuum parentem. Summus Scaliger videtur concedere quod ſit à LXX interpretibus iſte Cainan ſuppoſititius; ſed antiquitus in textu Lucæ non fuiſſe exiſtimat. Oſtendit Euſebii inconſtantiam in putandis annis ab Adam ad Chriſtum. Nam ſic in prolegomenis ſui Euſebii loquitur: *In quo*, inquit, *nihil antiquitatis reconditæ eſt, quod non ab Africano hauſerit niſi ubi ab eo diſſentit, præſertim in annis ab Adam, quos ad annum primum Chriſti Dionyſianum Africanus tot putat, quot ex LXX ſeniorum rationibus colliguntur, quinquies mille quingentos, quum tamen apertè ab iiſdem diſſentiat in altero Cainan, quem ipſi adverſus fidem Hebraici codicis tam Iudæorum quam Samaritarum, inter Arphaxad & Sela, inſeruerunt. Hoc igitur inſititio Cainan omiſſo, quum diſſimulandi fuerint CXXX anni, quot LXX ſeniores illi attribuunt, quum Sela generaret, hanc lacunam ut expleret, placuit eos chronographio judicum infundere, quæ fuit ſumma ἀλογία. Nam ſi ſupervacaneus eſt ille Cainan, ut certe eſt, ſequitur & annos quoque illos CXXX ſupervacuos eſſe & proinde ab Adam ad annum primum Chriſti, minus centum triginta annis intervallum eſt quam ex LXX ſeniorum editione colligitur. Sed quia in vetuſtiſſimis exemplaribus Euangelii ſecundum Lucam, illum Cainan non exſtare animadverteret & ſciret neque in Iudæorum neque in Samaritarum Hebraico legi, hac in parte conſenſui veterum, qui illum Cainanem non recipiebant, ſatisfatere voluit. Rurſus, quod omnes uno ore ab Adam ad Chriſtum quinquies mille quingentos annos putarent, huic quoque parti deeſſe noluit: quod non potuit facere, niſi illos CXXX annos Iudicum temporibus infundendo: quum meminiſſe debuerit, deductis illis CXXX annis, ab Adam ad Chriſtum tantum quinquies mille trecentos ſeptuaginta intereſſe. Itaque non minore licentia illos annos de loco Cainan depulſos in Iudicum tempora distulit, quam ipſi LXX Cainan illum interjecerunt & annos Patriarcharum παιδοποιίας ſingulis annorum centuriis auxerunt. Ex rationibus LXX ſeniorum colliguntur anni MMCCLXII non MMCCXLII ab Adam ad Diluvium: ubi XX annis amplior eſt epocha Africani, Chronici Caſauboniani, Nicephori patriarchæ & Honorii Auguſtodunenſis, quam hodiernorum exemplarium editiones LXX. Itaque tam Chronicon illud, quam Nicephorus, ab Adam ad annum promiſſionis ponunt annos MMMCCCCVII, Africanus autem MMMCCVII. Differentia anni CC. de quibus deductis CXXX Καίναν τοῦ δευτέρου, ſuperſunt LXX, quos quomodo & ubi inferſerit, in notis ex Georgio Syncello retulimus.* Hactenus Scaliger. Clariſſimus parens tuus ita diſſerit in Iſagoge Chronologica diſſert. 5. cap. 2. cujus lemma: An Arphaxad genuerit Cainan. *Qui Hebræorum*, inquit, *ſententiam ſequuntur, contendunt ex Moſe Iudicium fieri debere. Nam, inquiunt, ſi Cainan fuiſſet, Moſes non ignoraſſet: ſin ſcivit, cur eum omiſit? Et ſi à Moſe præteritus fuiſſet, ubi is potius memorari debuit, quam in παραλειπομένων libris? At id non factum. Quibus verò Græcorum placet opinio, non diffitentur omitti in Hebræo & Chaldæo contextu: ſed parum efficacia eſſe argumenta negantia. Nec enim ſi quis non dicat*,

dicat, eò verum non eſt. Plus valere affirmantia. At legi in LXX interpretibus: legi item in B. Luca: cujus nobis ſacroſancta eſſe debeat authoritas. Quod vero ajunt Moſen, ſi fuiſſet Cainan, non fuiſſe omiſſurum, reſpondent, etiam Matthæum in Chriſti genealogia ſciſſe multas generationes, quas tamen omiſerit, quia vellet numerare per teſſaradecadas. Similiter Moſen non ignoraſſe Cainan: ſed prætериiſſe eum, quia vellet numerare per decadas: ut ſic velut ab Adamo eſt denarius uſque ad Noë, ſic denarius foret à Noë uſque ad Abrahamum. Quærunt porrò, ſi eum prætererit Moſes, unde cognorint LXX, unde item Lucas? De hoc alii reſpondent, LXX non tam fuiſſe interpretes, quam paraphraſtas, qui ut lucem afferant majorem ſubinde aliquid aliunde addunt. Eos autem hauſiſſe illud ex genealogiarum libris, qui fuere inter Iudæos. Lucam vero didiciſſe ex LXX: & ut illi quoque præteriiſſent, potuiſſe & illum ſcire ex genealogiis, quæ exſtarent. Quomodo in Chriſti genealogia neceſſe habuit ex iiſdem ſupplere, quæ conſecuta ſunt tempora illa ubi deſinunt libri Veteris Teſtamenti. Alii aliter occurrunt. Ajunt ſive LXX fuerint Cainan commenti, ſive aliunde didicerint, B. Lucam, quia eorum codices per orbem totum ſparſi forent, ne diſſenſu ſuo turbaret eccleſiam naſcentem, noluiſſe ab eorum tralatione abire: eo minus, quia ſive aliquis Cainan ex Arphaxado natus eſſet, ſive non, nihil illud ad fidem pertineret. Ita Eugubinus, Sixtus Senenſis, Cajetanus, Genebrardus, Ianſenius, ut cæteros præteream; in his ſocerum Iunium in parallelis. Sunt etiam qui cenſeant Moſi memoratum: ſed librariorum culpa excidiſſe: ex LXX autem ſuppleri oportere. Quomodo totus verſus librarii vitio omiſſus eſt in Hebræis Pſ. CXLV. Eſt enim Pſalmus ſic ſcriptus, ut cujuſque verſus initium fiat à litera Alphabeti Hebraïci: ſolum poſt verſum XIII deſideratur is, cujus initium fuit ab נ. *In Græcis eſt,* Πιστὸς κύριος ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις αὐτοῦ καὶ ὅσιος ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτοῦ. *Vt Molleri etiam judicio in Hebræo fuiſſe videatur:*

נֶאֱמָן יְהוָה בְּכָל־דְּבָרָיו וְחָסִיד בְּכָל־מַעֲשָׂיו׃

Confirmat hanc ſententiam etiam Arabica tralatio, in qua is verſus comparet, latineque itidem ſonat: Deus verax eſt in ſermone ſuo, juſtus in omnibus operibus ſuis. Hæc ſunt, quæ Cl. Voſſius præpoſuit pro ſententiæ cujuſlibet confirmatione. Hic autem benè illud notandum eſt, quod aliud ſit quærere, An Cainan ille in rerum natura fuerit ſive (quod idem eſt) an eum Arphaxad genuerit? Aliud An Moſis eum expreſſerit? Mitius enim eſt dicere, quod fuerit, quamvis eum Moſes non retulerit. Fuiſſe eum in textu Hebræo ab ipſo Moſe expreſſum & per injuriam temporum vitiato textu excidiſſe, durum eſt dicere. Si Moſen eum de induſtria omiſiſſe arbitreris, mitiorem ſententiam habes, quam defendi non puto illo argumento, quod producit pro eâ Cl. Voſſius. Nam Moſes non texit genealogiam nudam, uti Matthæus & Lucas fecerunt, ſed cum ea Chronologiam & hiſtoriam mundi. Ex profeſſo id agit, quia intererat ſcire. Curioſius ad Abrahami nativitatem uſque duabus tabulis. In quibus annos τεκνοποιΐας diligentiſſimè annotavit, ut ſeriem temporum Eccleſia notam haberet. Quam ſeriem rumpunt, qui Cainan interſerunt & qui Abrahamum non eſſe primogenitum arbitrantur. Firmum id ſanè argumentum eſt, non leve uti magnus Voſſius vult æſtimari. Qui hic putant in Hebræo codice hiatum eſſe, quem vitium temporum induxerit, nullo modo audiendi ſunt. Nos tam non ſumus ſuperſtitioſi ut literulam aliquam inverſam, corruptam, omiſſam eſſe alicubi negemus. Id dicimus eam eſſe integritatem quæ canonis convenit certitudini. Pro his literis Deum vigilaſſe, ne contaminarentur. Potuit concedere Mollerus & arbitrari verſum excidiſſe in illo pſalmo, at ita ut manifeſtum & evidens ſit χάσμα, quod ipſa

Scriptura & Sp. S. indicant per literarum alphabeti conſequentiam illic annotatam. Eſſentia ſcripturæ non eſt in hoc aut illo codice, neque in illis ſimul qui exſtant hodie, (quia ab illis ſeparari poteſt) ſed in ipſis literarum & vocum ſubſtantiis quæ mente teneri poſſunt & ſi nulla litera ſcripta ſit. Non eſt tamen actu ſeparata ab omnibus ſimul, qui ſint & fuerint. Igitur ſi habeamus certiſſimos teſtes quorum teſtimonia ipſe Sp. S, & ſcripturæ locique eſſentia evidenter comprobent, quomodo lectum ſit & legi debeat, aliter eſſe ſcripturæ veritatem, quam vulgò legitur, dixerim. At hic magna opus eſt prudentia ne pro evidentia comprobationis habeatur, quod tale non eſt. De eo loco, nunc audiamus Cl. Voſſii ἐπίκρισιν: *Vidimus*, inquit, *quæ pro quaque ſententia putem poſſe afferri. Nunc exponam, quæ opinio ſit noſtra. Cenſeo Cainan nec eſſe agnitum Moſi, nec B. Lucæ; ſed per errorem librarii in LXX & Lucam irrepſiſſe. Faciam vero* ἐξ ὑστάτου πρῶτον ὁμηρικῶς, *primoque oſtendam, non fuiſſe cognitum B. Lucæ. Id inde colligo, quod neque in omnibus, qui ſuperſunt codd. habeatur. In antiquiſſimo quidem non reperit Theod. Beza. Sed majus eſt. quod primitivæ Eccleſiæ temporibus in Luca non legebatur, ut liquet ex Irenæi lib. 3. cap. 33. Ubi non LXXV generationes numerat ab Adamo ad Chriſtum, ſed LXXII, omiſſis nempe tribus illis Matthat, Levi & Cainan. Qua de re plura diximus in diſſertatione de genere Ieſu Chriſti ad aphoriſmum quintum. Sed neque in LXX primitus fuiſſe his argumentis evincitur. Flavius Ioſephus, & ſi Græcè ſcripſerit ac LXX ſequi ſoleat, eum tamen præterit lib. 1. Antiq. Iudaic. cap. 6. Nec meminit Epiphanius hæreſi 55. contra Melchiſedecianos diſſerens. Neque Hieronymus nominat in traditionibus Hebraïcis: quanquam illic diſſerat de diſſenſu codicum Hebræorum & Græcorum. Imo neque nunc in omnibus codd. Græcis legitur 1. Paralip. 1. Abeſt ſanè in optima editione Romanâ Caraffæ. Etiam deſiderari in emendatioribus Græcis indicat Maſſæus lib. 2. Et Pererius lib. 10. in Geneſin. diſp. 11. In Moſe denique nuſquam legitur, neque in codd. Hebrais nec Chaldais nec Samaritanis; manifeſto argumento nunquam in iis fuiſſe præſertim cum nemo veterum ſignificet fuiſſe in nonnullis Hebræorum libris. Hactenus Cl. Voſſius.*

SYLLABUS PRÆCIPUORUM
CAPITUM.
in hoc tractatu de ſecunda Mundi Ætate.

EXplicantur hic hiſtorica Geneſeos Moſaicæ Capitum VIII. IX. X. XI. Cap. VIII. à v. 14. ad finem explicatur pag. 7. ad 17. Cap. IX. à pag. 17. uſque ad 48. Cap. XI. 1.......9. à pag. 48. uſque ad pag. 92. Cap. X. à pag. 92. ad 110. Reſidua Capitis XI. pag. 148. & ſeqq. Res præcipuæ.

EGreſſus ex arca pag. 7.
Soteria immolata à Noë pag. 9.
Benedictio ac præcepta data Noë ac filiis pag. 17.
De arcu cæleſti ſigni fœderis. pag. 30.
De iis quæ evenerunt, dum adhuc circa montem Armeniæ homines incoluerunt pag. 35.

De tur-

De turri Babylonica & confuſione linguarum pag. 48.
Quinam mortales coierint ad condendam Babylona pag. 48.
Locus conditæ Babylonis: Item deſcriptio Eufratis & Tigris &c. pag. 52.
De materia qua uſi in ædificanda Babylone pag. 69.
De ſcopo & fine operis pag. 71.
Quando molitio illa cœpta & diſperſi homines pag. 74.
De opere, quod ſtruxerunt filii hominum in terra Sennaar pag. 75.
Arx ſive Capitolium Babylonis pag. 78.
Quanto tempore occupati fuerint in illa mole ſtruendâ pag. 78.
De pœna, quæ inſaniam mortalium repreſſit pag. 79.
Philippi Cluverii ſententia de primo hominum ſermone pag. 81.
De ſententia Goropii Becani pag. 83.
Linguam Hebræam quam vocamus, fuiſſe illam primam pag. 84.
Hebræus ſermo unde ita ſit appellatus pag. 87.
Temperamentum diviſionis linguarum pag. 91.
Anne caſu an conſilio inter filios Noë ſit diviſus orbis pag. 92.
Anne alios etiam filios Noë genuerit. pag. 93.
Anni priſci regni Germaniæ, quod fictitium eſt pag. 94.
An LXXII. patriarchæ fuerint, è quibus totidem gentes & linguæ. pag. 95.
De partibus ſive ſortibus trium filiorum Noë, eorumque propagatione. p. 100.
De computo annorum ſecundæ ætatis, juxta Hebræos pag. 110.
De eodem juxta Samaritas. Ibid.
Idem juxta LXX. interpretes pag. 111.
An gentes aliquam Noë notitiam habuerint. pag. 112.
Antiquitates Babyloniorum. pag. 113.
Nemrod non eſt Belus neque Ninus. pag. 113.
Prima dynaſtia in Babylone regum Chaldæorum. pag. 113.
Arabes in Babylonia regnarunt. pag. 114.
Aſſyriorum imperium juxta Cteſiam. pag. 114.
Nemrodi res geſtæ. pag. 117.
De Nino urbe & rege. pag. 121.
De Phœnicum antiquitatibus. pag. 128.
Ægyptiorum antiquitates. pag. 129.
De monſtroſis gentibus. pag. 140.
De animalium propagatione ex arca. pag. 143.
Qua ratione in aliam continentem & remotas inſulas pervenerint. pag. 144.
Noë. pag. 148.
Arphaxad. pag. 149.
Sale. pag. 149.
Pſeudo-Cainan. pag. 150.
Eber. pag. 155.
Phaleg. pag. 155.
Ragau. pag. 156.
Sarug. pag. 156.
De origine idololatriæ. Ibid.
Nachor. pag. 160.
Thare. pag. 160. Inde de Abraham (164) defenſio calculi Hebraïci. 171.

CONSPE-

CONSPECTUS PRIMÆ ÆTATIS.

Per.Iul.

764 OCtobris die 19. cœpit condi mundus: abſolutus eſt 24. Sabbatum igitur primum 25. Octob. In 26. Calviſius initium rerum ponit. Hic thema cæli è tabulis Tychonicis hoc exhibet: In prima domo initium Arietis; in decima initium Capricorni; in ſeptima initium libræ; in quarta initium Cancri. Sol occupat primum gradum libræ. Mercurius grad. 12. libræ. Venus 14. ejuſd. Novilunium medium in die 26. Octobris, ſed in media nocte diei ſequentis atque ita propinqua eſt initio Libræ, ita ut poſtea feria quarta diceretur Luna quarta. Saturnus circa principium Arietis. Jupiter circa pr. Virginis. Mars circa pr. Leonis. Caput Draconis in primo Piſc.

765 M. C. 1. Hinc à Kal. Jan. inchoamus annos M. C. merè Iulianos, ut ſunt hodie. Annus ille biſsextilis erat, Literæ Dominic. D C. ☉ 9. ☽ 1.

Cain naſcitur.

Abel naſcitur.

Cain fratrem interimit. E ſororibus genuerant duo fratres & excreverat humanum genus ex illis in aliquam multitudinem. E qua Eden hominibus abundavit, unde in aliam regionem exulatum ivit Cain, condit civitatem & ſynagogam.

130 Seth naſcitur.

189 Hinc à die 7. Octob. incipit æra M. Iudæorum.

235 Enos naſcitur.

Hominum genus in duas civitates diviſum erat. Hinc illi de eccleſia filii Dei dici incipiunt. Alii, filii hominum.

325 Cainan naſcitur.

345 Malaleel naſcitur.

460 Iared naſcitur.

622 Henoch naſcitur.

687 Mathuſale naſcitur.

874 Lamech naſcitur.

930 Adam moritur.

987 Henoch in cœlum rapitur.

1042 Seth moritur.

1056 Noë naſcitur.

1140 Enos moritur.

1235 Cainan moritur.

1290 Malaleel moritur.

1422 Iared moritur. Hic vidit omnes patriarchas.

1536 Noë incipit prædicare & arcam conſtruere.

1551 Lamech moritur.

1556 Sem naſcitur.

1655 Mathulaſe moritur eodem anno, quo diluvium cœpit. Cœpit diluvium hujus anni fine, menſe Nov. d. 17.

1656 Diluvium hoc anno ferme toto duravit. Novembris die 27. egreditur Noë ex Arca.

CONSPECTUS SECUNDÆ ÆTATIS.

1657 NOë arca egreſſus benedicitur & præcepta accepit. Canaan maledictum meruit. In benedictione Cham præteritur, ut patrem reverenter tegere neglexerat.

1658 Arphaxad naſcitur.

1693 Sale naſcitur.

1717 Babylon condi cœpit, mirum in modum jam multiplicato genere humano.

1723 Eber naſcitur.

1757 Phaleg naſcitur. Deus confuſione linguarum ædificationem Babylonis diſturbat. Hinc homines diſpergi cœpere per orbem terrarum: Nemrod Babylone regnat: inde Ninum in Aſſyria condidit in regni Aſſyria regiam.

1787 Reu ſive Ragau naſcitur.

..... Hebron hac tempeſtate condita. Et ſeptem annis poſt eam in Ægypto Tanis.

1800 Circa hoc tempus Ogyges ſive Ogyges in Græcia Thebas condit. Varro.

1819 Sarug naſcitur. Idololatria in ſeculum erumpit.

1849 Nachor, avus Abrahæ, naſcitur.

1861 Sicyoniorum regnum in Peloponneſo conſtituit Ægialeus. Qui dicitur regnaſſe annis 52.

1878 Thare, pater Abrahami, naſcitur.

1912 Europs, in Peloponneſo, ſuccedit Ægialeo. ann. 45.

1948 Abraham naſcitur.

1958 Sarai, conjux Abrahami, naſcitur.

Telchin, tertius rex Sicyoniorum regnat ann. 20.

1978 Apis ſuccedit Telchini, in regno Sicyonio, ann. 25.

1996 Phaleg moritur.

2003 Cres regnat in inſula Creta.

Thelxion ſuccedit Api, ann. 52.

2005 Noë moritur.

Circa hoc tempus Melchiſedec videtur condidiſſe Salem, quæ poſteà dicta eſt Jeruſalem.

Longo tempore poſt Noë vixerunt Sem Cham & Japheth. Sem (ſi non eſt Melchiſedec) ignoratur in quibus partibus orbis conſenuerit & ævum tranſegerit. Japheth (Græcis dictus Japetus) videtur conſenuiſſe circa montem Caucaſum, Ham (qui eſt Hammon) in Ægypto & vicina Libya.

F I N I S.

BIBLIOTHECA

Hiſtoriæ Sacræ,

Ad Abraham uſque ad ingreſſum Iſraëlitarum in Ægyptum.

SULPICII SEVERI, HISTORIÆ SACRÆ

LIBER PRIMVS.

CAPUT QUINTUM.

Abram uxor Sara dicta eſt, primaque eis in Regione Chaldæorum habitatio fuit. Inde apud Charras una cum patre diverſatus eſt. Qua tempeſtate admonitus à Domino, domum, patriam ac patrem relinquens, aſſumpto Lot fratris filio, in terram Chananæorum profectus, in loco cui Sichem nomen eſt, conſedit. Mox annonæ inopia Ægyptum conceſſit. Ac rurſum reverſus, Lot præ multitudine familiæ à patruo digreſſus, ut laxioribus vacuæ tum regionis ſpatiis uterentur, in Sodomis conſedit. Id oppidum infame incolis, viris in viros irruentibus, atque ob id inviſum Domino fuiſſe traditur. Ea tempeſtate reges vicinarum gentium in armis erant: cum anteà nullum inter mortales certamen fuiſſet. Sed adverſum hos, qui bello finitima tentabant, Reges Sodomæorum, Gomorrhæorum vicinarumque regionum in prælium erumpunt: primoque impetu victoriam conceſſere. Tum à victoribus Sodoma derepta, præda hoſtibus fuit, ductuſque Lot in captivitatem. Quod cum

Abraham comperiſſet, propere armatis ſervis, numero trecentis decem & octo, reges victoria feroces, exutos præda armiſque in fugam compulit. Tum à Melchiſedec ſacerdote benedictus eſt, eidemque decimas prædæ dedit. Reliqua his, quibus erepta erant, reddidit.

J. Drusius.

SARA] Codices Ebræi Sarai. Sed noſter ſecutus eſt τοὺς ἑβδομήκοντα; qui Σαῤῥὰ ſcribunt non Σαραΐ. Hanc traditio doctorum cum Jeſcha eandem facit, quæ fuit filia Haranis fratris Abrahæ. Nata eſt, ut Salmanticenſis prodidit, anno creationis 1958. Sed acetum dentibus meis quod in eodem ſequitur, *Haran genuit eam anno ætatis ſeptimo.* Fortè ſumendum eſt pro decimo ſeptimo. Libet integrum locum ex Ebræo Latinum facere. Quid enim vetat? Nam facit ad lucem hujus hiſtoriæ, & liber ille, in quo hæc habentur, Chriſtianis fere ignotus eſt. *Anno mundi conditi 1658. hoc eſt biennio poſt diluvium, natus fuit Arphaxad Semo filio Noë, &c. Anno 1693. natus eſt Sale Arphaxado. Anno 1723. natus fuit Eber, qui primus inſtituit Gymnaſium & Scholam, & ipſe eſt Pater omnium filiorum Eber. Anno 1757 natus eſt Phaleg cujus pater Eber prophetavit de illo fore ut in fine dierum ejus divideretur terra in varias linguas. Vixit autem Phaleg annos 239. obiit anno conditus 1996. quo anno diviſa fuit terra. Anno 1787. natus fuit Reu. Anno 1829. natus fuit Sarug. Anno 1849. Nahor. Anno 1879. Thare pater Abrahami, deinde Nahor, & poſteà Haran. Diluvium accidit anno mundi 1656. A diluvio ad Abram anni ſunt 292. Anno 1958. creationis nata eſt Sara, de qua traditio eſt apud magiſtros, Sara eſt Ieſcha filia Haran fratris Abrahami, qui genuit eam, cum ageret annum ſeptimum. Nam ecce Haran eſt tertius poſt Abrahamum. Anno mundi 1996. fuit diviſio linguarum, qui eſt annus 340. poſt diluvium ut habetur in Breſith Rabba. Cap. 26. Series horum annorum: Adam 130. Seth. 105. Enos 90. Cainan 70. Malaleel 65. Iared 162. Henoch 65. Mathuſale 187. Lamech 182. Noë 600. annum agebat diluvii tempore. A diluvio autem uſque ad diviſionem 340. Series horum: Altero anno poſt diluvium natus eſt Arphaxad. Arphaxad 35. Sale 30. Eber 34. Phaleg. 239. In cujus fine diviſa fuit terra, Ecce 340. anni à diluvio uſque ad diviſionem, quæ fuit anno mundi 1996. Cæterum omnes anni Noë 950. qui vitam cum morte commutavit anno mundi bis milleſimo ſexto qui quieſt decimus à diviſione. Abraham autem tempore diviſionis agebat annum 48. Vnde ſequitur anno ipſius 58. mortuum fuiſſe Noë.* Et aliquanto poſt. *A diluvio ad natum Abrahamum, qui eſt caput generis, pater multitudinis gentium, anni ſunt 292. Quum ageret annum 48. decennio ante obitum Noë fuit diviſio linguarum in fine dierum Phalegi, ut habetur* Capite primo *in tractatu* de Sabbato, *& in Seder Olam. Vocatur autem Phaleg non ſolum quia ejus tempore diviſa ſunt lingua, ſed etiam quia tum diviſio facta eſt annorum hominis, qui non produxit vitam niſi ad dimidium priorum. Quin ipſe quoque mortuus eſt in medio dierum patris ſui Eber. Verum Sem vidit 12. ætates uſque ad annum 50. Iacobi. Eber autem filius nepotis ipſius Sem vixit uſque ad annum 79. Iacobi Patriarchæ.* Hactenus Salmanticenſis.

IN REGIONE CHALDÆORUM] ἐν τῇ χώρᾳ τῶν χαλδαίων eſt in editione Græca Gen. XI. 28. ubi vulgata noſtra in *Vr Chaldæorum.* Pro Græcis facit Manahem homo Judæus, qui *Vr* interpretatur, בקעה id eſt, campum,

pum, planitiem, vallem: quod aliis nomen urbis. οὐρίην & οὐρίαν vocant. Meminit Eupolemus. Euſebius autor lib. IX. Πρoπαρ. etiam Camarinam dici. Fortè quod ibi Chamarim, id eſt, Sacerdotes gentis, qui peculiariter Chaldæi vocantur, habitarent. Sanè Καμαρίνα, eodem teſte dicebatur χαλδαίων πόλις, id eſt, civitas Chaldæorum. Juvat nos judicium Joſephi Scaligeri viri eminentiſſimi, qui ſcribit nomine Chaldæorum hoc loco philoſophos & Sacerdotes intelligi: quo ſenſu Abrahamus τὴν χαλδαϊκὴν inveniſſe perhibetur. Fabula eſt, quam tamen autores magni graveſque prodiderunt, de igne Chaldæorum, in quem conjectus Abraham, poſtea mirabiliter, inde evaſerit. Legimus certè in vulgata noſtra 2. Ezra IX. 7. *de igne Chaldæorum:* & in libro quæſtionum Ebraicarum *de incendio Chaldæorum.* אור ignis, & ab eo Germanicum Vyer ſive Vuer. Refertur hæc fabula in Medras Haggada. Citatur autem à Salomone Gallò, à Moſe Hiſpano, quem Gerundenſem vocat, & ab aliis.

Apud Charras] malim apud Carras. חָרָן καῤῥὰν: cui ſimile Charmel, Carmelus. Græci enim nomina Ebraica quandoque ita declinant ut aſpiratam in tenuem mutent. Sic ex Phaſe declinarunt Paſcha. Carræ urbs eſt Meſopotamiæ Craſſi clade nobilitata. Apud interpretes Haran legitur. Haran, Charan, ut Ham, Cham. Sic Hebron & Chebron, Hermon & Chermon. Id accidit iis nominibus, quæ ab H, Heth incipiunt: quæ Græci propterea per χῖ exprimunt ut doceant aſpiranda eſſe, inquit Hieronymus. Malè igitur faciunt, qui talia exiliter ſcribunt, nihil intereſſe putantes Haſidæus dicas an Aſidæus, Haceldama an Aceldama. Vide ſectas noſtras.

Domum] paternam.

Patriam] Meſopotamiam, in qua Carræ ubi commorabatur cum Deus eum admoneret de relinquenda patria his verbis: *Exi è terra tua*, &c. Nam patria in qua quis habitat. Sic Haran vocatur ciuitas Nachor, & Sion urbs Davidis. Aut Syriam interamnem partem Chaldææ. Sanè ipſam Chaldæam Stephanus Meſopotamiam appellat. Act. VII. 2.

Ac Patrem Relinquens] Sigonius emendat *ac fratrem relinquens.* Nam pater ante diſceſſum obierat. Relinquit ergò non patrem ſed fratrem Nachor. Quid ſi, *domum*, id eſt, familiam, cognationem: *& patrem*, id eſt, domum paternam? Gen. XII. 1. *Egredere è terra tua, & è cognatione tua, & è domo patris tui.* Sic dicimus, *ivit ad Pompeium* pro ad domum Pompei. Aut *patrem relinquens* ibi ſepultum.

Fratris Filio] fratris Haran, qui Ure Chaldæorum deceſſerat, relicto filio Lot. Obiter noto, Haran quum eſt proprium viri ſcribi cum aſpiratione ſimplici, quam vocant he. Sed quum eſt nomen urbis, tum ſcribitur cum aſpiratione geminata, quam vocant Heth. Hanc ambiguitatem tollit Charan: unde Carræ. Vide quæ ſupra notavimus.

In Loco Cui Sichem Nomen] locum pro urbe poſuit, ut Gen. 12. 6. *uſque ad locum Sichem.* Quod Gerundenſis Judæus exponit *uſque ad urbem Sichem.* Sic Amos IV. 6. *in omnibus urbibus veſtris*, & mox, *in omnibus locis veſtris.* Idem aliter. Editio Colonienſis, *in locum cui Sichem nomen.* minus probo. Sichem hæc eſt Sicima, quam poſterior ætas Scythopolim appellavit. Nomen habuit à Sichem filio Hemor, qui Dinam Jacobi filiam ſtupravit. Nota figura quam anticipationem, alii prolepſin vocant. Ea utuntur frequenter Sacri Scriptores. Quanquam ſunt qui potius filium Hemor ab urbe ejuſdem nominis appellatum cenſent. Quod mihi non videtur.

Ac Rursum Reversus Lot] Sigonio magis placet, *ac rurſum re-*

verſis Lot. &c. mihi quoque hoc vehementer placet.

VACUÆ TUM REGIONIS] quomodo vacuæ cum in ea tunc habitarent Chananæi & Pherizæi. Gen. XIII. 7. An vacua erat pecoribus & armentis? Nam chananæi mercatores magis erant quam Paſtores. Contendebant autem utriuſque Paſtores de finibus agri paſcui. Vide Gen. XIII. Joſephum Orig. Judaic. lib. I. cap. IX.

IN SODOMIS CONSEDIT] ἐσκήνωσεν ἐν Σοδόμοις. Gen. XIV. XII. Sed in Ebræo, *tetendit Sodomam uſque*, ut exponi poſſit ἐν Σοδόμοις, in regione, vel ſi mavis, *in territorio Sodomorum.* Nam τὰ Σόδομα & de ipſâ urbe uſurpatur & de territorio ejus, aut circumjacente regione. Porro non dubitandum quin in ipsâ urbe quoque habitaverit.

INFAME INCOLIS] propter mores incolarum, qui in proverbium abierunt, ut *mores Maſſilienſes.* Plautus, *Vbi es qui colere mores Maſſilienſes poſtulas?* Sic *mores Sodomitani.* Vide adagia noſtra. Dicunt etiam יֵשׁ לוֹ מִדַּת סְדֹם *ingenium habet Sodomitarum.* vel *colit mores Sodomitanos.* Minus rectè alii & nos olim, *conditio ei Sodomitana.* Nam conditio de fortunis dicitur, non de qualitate mentis.

REGES VICINARUM GENTIUM] Amraphel rex Sennaar, Arioch rex Ellaſar, Chodorlaomor rex Elamitarum, & Thadal rex Goim ſive gentium. Hos Diodorus Perſas fuiſſe ſcribit. Joſephus vero Aſſyrios: penes quos Aſiæ Imperium tunc fuerit.

GENTIUM] nomen hic eſt generale, quod ad certam ſpeciem reſtringitur. Gen. XIV. I. βασιλεὺς ἐθνῶν, *rex gentium:* niſi mens, *reliquarum gentium.* Nam plures fuiſſe, quam ibi commemorantur, probabile eſt. R. Salomo ex Geneſi magna (liber eſt eo nomine, qui Ebraice vocatur Breſith Rabba) *Goim locus eſt ejus nominis, ubi convenerunt ex plurimis locis & nationibus, & regem crearunt quendam Thadal nomine.* Manahemus Ricinenſis, *Rex gentium conſtitutus fuit ſuper diverſos populos, qui eum ſibi ducem elegerunt.* Abenezra, *nomen eſt provinciæ ut Elam, aut ſignificat regem aliarum gentium, præter eas quas ibi memoravit.* Geneſ. XIV. 9. גוים Sym. σκυθῶν, & in ſcholio παμφυλίας Pamphiliæ, an omnium gentium? Nam φυλὴ aliquando gens.

CUM ANTEA NULLUM INTER MORTALES CERTAMEN FUISSET] Idem habetur in Thanhuma, qui eſt Ilmedenu fol. 7. col. 1. *Hactenus non fuerat bellum in mundo.* Aliter Joſephus Orig. lib. 1. cap. 10. A Joſepho ſtat ipſa veritas. Nam hoc potius alterum bellum fuit, natum ex defectione harum gentium, quæ ſervierunt Chodorlaomor Elamitarum regi annos duodecim ut habetur Gen. XIV. 4. Aut ſenſus, *nullum certamen quod quidem in Sacris literis memoretur.* Nam credibile plura ante certamina fuiſſe. Nemrod enim abſque certamine regnum ſibi parare qui potuit? Sic Lamech primus bigamus fuit. Nam ante illum nemo duas uxores habuiſſe legitur.

SODOMORUM] σοδόμων. In Ebræo eſt סְדֹם Sodomæ, ubi vulgata noſtra *Sodomorum.* Nam Græci τὰ Σόδομα dicebant, ut τὰ ἱεροσόλυμα. Hoc nomen, aliquando latè ſumitur pro tota regione Pentapolitana. Hierónymus, *Gomorra una de quinque civitatibus Sodomorum, quæ cum reliquis divina ultione ſubverſa eſt.*

GOMORRHÆORUM] Sic Oroſius libr. 1. Cap. 6. *quos ſaltem de hoc exitu Sodomorum & Gomorrhæorum moneo:* & vetus Gen. XXVIII. 11. *tulerunt autem omnem ſubſtantiam Sodomorum & Gomorrhæorum.* Eſſet autem potius Gomorræ. Quomodo Græci γομόῤῥας, & analogia poſtulat. Cæterum Reges dicit quos alii regulos appellant.

VICI-

VICINARUMQUE REGIONUM] prætulerim *vicinarumque urbium*, videlicet Adamæ, Seboim & Segor. Pentapolin confinem Arabiæ regionem vocat Oroſius. lib. 1. Cap. 5. Aut regiones appellat urbium ſingularum territoria, ut regio Adamæ ſit territorium Adamæ, & ſic deinceps.

SODOMA DIREPTA] utrum τὰ Σόδομα, an magis ut ſit nomen ſingulare Sodoma, &c. Sic infra, pag. 10. *Sodoma divinis ignibus conflagravit.*

PRÆDÆ HOSTIBUS FUIT, &c.] Lot captus & ſubſtantia ipſius prædæ fuit: aut, *Sodoma direpta præda hoſtibus fuit.* Paullo poſt, *reges victoria feroces, exutos præda armiſque in fugam compulit.*

SERVIS SUIS] vernis ſive vernaculis: quibus ſe junxerant fœderati Abræ, Aner, Eſchol & Mamre.

Numero trecentis decem & Octo Hinc lux Prudentii hiſce verſibus:

> *Nos eſſe large vernularum divites,*
> *Si quid trecenti bis novenis additus*
> *Poſſint, figura noverimus Myſtica.*

Figura myſtica eſt Thau littera, crucis figuram habens, cum ſupra-ſcriptis duabus primis litteris nominis Ἰησοῦς, hoc modo: $\overset{IH}{T}$ Hæ litteræ ſimul efficiunt 318. Vide quæ ſcripſimus lib. 2. quæſt. 21.

MELCHISEDEC] hoc nomen interpretantur alii, βασιλεὺς δικαιοσύνης Rex juſtitiæ: & alii βασιλεὺς δίκαιος, rex juſtus: perinde eſt. Nam rex juſtitiæ ex idiotiſmo linguæ idem quod rex juſtus. Sed & Sedec antiqua declaratione δίκαιος. Sic reddunt LXX. Cohel. 3. 16. Aquila & Hieron. Pſal. 17. 1. צֶדֶק juſtus, ut אֹרֶךְ longus, כָּבֵד gravis. In hiſtoria Ebraica Sedec eſt nomen urbis, quæ & Salem, quam poſterior ætas Jeroſolymam dixit. Cui firmando Abenezra, in comment ad hunc locum. *Vocatur Malchiſedec, quià erat rex ſuper locum Sedec.* Sedec ergò nomen loci, cujus rex proprio nomine Jehoram ſive Joram dicebatur. Abben-Gorion, *nomen tuum Sedec, & de nomine tuo vocatus fuit rex tuus Malchi-Sedec.* Dubito an verum ſit. Dubitandi cauſſa ex ipſo textu, *Melchiſedec rex Salem.* Nam ſi Sedec idem cum Salem, quorſum illa repetitio? Num exegetica eſt? Pleriſque Melchiſedec eſt Sem filius Noë. Sic ferè doctores Ebræi. Quod notatum ab Hieronymo, Primaſio, Moſe Gerundenſi & aliis. Nec aliter interpretes Chaldæi Jonathan & Jeroſolymitanus. Sed quomodo ſine patre, ſine matre. ſine genere, ſi filius Noë? Locus Apoſtoli clarus eſt Ebræor. 9.3. An quia ſub nomine Melchiſedec nuſquam ejus genus memoratur? Nam patrem & matrem habuiſſe certum eſt. Nec omninò ſine genere fuit, hoc eſt, ut Apoſtoli verbo utar ἀγενεαλόγητος. Quid igitur? ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, &c. quià ejus parentes nuſquam recenſentur aut deſcribuntur. Non ergò Sem, cujus genealogia ex Moſe notiſſima eſt. Magis errant, meo judicio, qui eum angelum aut filium Dei, non hominem fuiſſe aſſerunt, in queis Origenes. Vide nunc, ſi placet, hiſtoriam vel fabulam de Melchiſedeco; quæ apud Athanaſium tom. 2. pag. 8.

SACERDOTE] ſimul & rex erat & ſacerdos. Quod minimè novum aut inſolens in illis locis. Notant Ebræi ante legem omnes primogenitos ſacerdotes fuiſſe: nec eſt dubitandum, quin iidem parentibus in regno ſucceſſerint. Porrò ſacerdos erat non deorum falſorum; ſed Dei Elion, id eſt excelſi vel ſupremi aut altiſſimi, quem θεὸν ὕψιστον Græci vocant.

RELIQUA HIS, QUIBUS EREPTA ERANT, REDDIDIT] præter victum duntaxat juvenum & partem eorum qui ipſum comitati fuerant. Nam hi partem ſuam auferebant. Gen. 14. 24.

C. SCHOTANUS.

QUæ in hoc capite contrahuntur à Sulpicio, habentur in tribus capitibus Geneſeos, XII. XIII. XIV. Apud Joſephum (quem ſimul imus illuſtratum) continentur lib. I. cap. VIII. IX. X. & parte XI. Deſcribuntur illic Abrahami eductio in terram Canaan, Gen. XII. v. 1.2.3.4.5. Peragratio terræ Canaan v. 6.7.8.9. Peregrinatio in Ægypto à v. 10. ad finem illius capitis. Reditus in loca juxta Bethel cap. XIII. v. 1.2.3.4. Loti ſeparatio & diſceſſus in Pentapolim, v. 5, 6.7.8.9.10.11.12.12. Abrahami peragratio in Cananæa & adventus in Hebron à v. 14. ad finem capitis. Bellum & clades Sodomorum cap. XIV. v. 1--12. Abraham captivos liberat & occurrit illi Melchiſedec, cap XIV. à v. 14. ad finem.

CAP. XII. UXOR SARA] Saram filiam fuiſſe Haran Judæorũ traditio eſt teſte Aben-eſdra: וקדמונינו ז״ל אמרו שיסכה היא שרה (quam & Joſephus ſequitur & plerique Judæi & Chriſtiani) at Eutychius Alexandrinus ſcribit Thare patrem Abrahami, mortua priore conjuge cui nomen erat يونا *Juna*, matre Abrahami, aliam duxiſſe uxorem, nomine تهويت *Tohvait*, è qua nata ſit Sara, quam in matrimonium ſumpſit Abrahamus. Quod ſanè longè eſt ſimilius vero. Nam Haran Abrahamo minor natu quomodo filiam habuerit ſolo decennio juniorem Abrahamo conjuge ſuo? Scriptura genus Abrahami ita recenſet: Thare genuit Abraham, Nachor & Haran. Harane nati ſunt Lot ejuſque ſorores duæ Melca & Jeſca. Melca nupſit Nachori: Jeſcam eſſe eandem cum Sara Judæi putant. Qui eam ſententiam defendunt, utuntur hoc argumento, quod alias Scriptura Saræ genus reticuerit. Id autem non videri, quia conjugum nominibus expreſſis ſemper parentes addi ſolent. Hic ego dixerim, majorem operam poni in virorum quam mulierum genealogiis. Deinde Saræ genus etſi non recenſeatur à Moſe directè, ſignificari tamen indirectè quando Abrahamus dicit (Gen. XX. 12.) eſſe ſui patris non matris filiam eamque ſororem ſuam ſibi in conjugem eveniſſe. Neſcimus igitur cui Jeſca enupſerit. At Aben-eſdras exiſtimat, ſi Sara eſſet filia Thare, id æque exprimendum Gen. XI. 31. ac de ipſo Abram. Accepit Abram filium ſuum, dicendum etiam, Saram filiam ſuam. Similiter ſi eſſet ſoror Loti, hoc æque exprimendum quam quod Lot fuerit filius Haran. Dicit Baal Turim vocem שרה per literarum commutationem, quæ vocatur אתבש eſſe בג״ץ. Hoc autem per Gematriam idem eſſe cum יסכה. Utrumque enim & בג״ץ & יסכה in numeris facit 95. וזהו רמז למה שאמרו חכמים ז״ל יסכה זו שרה: Raſis alia argumenta addit ejuſdem ponderis: זו שרה על שם שסוכה ברוח הקדש ושהכל סוכין ביפיה ולשון נסיכות כמו שרה לשון שררה: *Hæc* [יסכה] *Sara eſt, quia ramus erat in Sp. S. Et quod omnes reſpexerint ejus pulchritudinem: Et habet ſignificationem præfecturæ, ſicut vox Sara habet* ſignificationem principatus. Quaſi duo illa notionis ſint ejuſdem & ob alias rationes etiam Jeſca dicta fuerit. E Nachor & Melcha inter alios ſeptem fratres natus Bathuel eſt, qui procreavit Laban & Rebeccam. Nachor enim Abrahami frater multam ſobolem habuit. E Melcha octo filios; Uz, Buz, Camuel, Cheſed, Hazo, Pheldas, Jadlaf & Bathuel. Concubinam habuit Rumam nomine, è qua nati Tabe, Gaham, Thahas & Maacha. Hoc refertur Gen. XXII. 21.22.13.24. Quæ nomina filiorum Nachor in Hebræo ita concipiuntur: טבח, בתואל, ידלף, פלדש, חזו, כשד, קמואל, בוז, עוץ, מעכה, תחש, גחם, Joſephus ſcribit: Ναχώρῃ μὲν οὖν ἐκ τῆς μελχᾶς ὀκτὼ παῖδες ἐγένοντο, οὖξος, βαοῦξος, μαοῦηλος, ζάχαμος, ἄζαμος, φίλδας, ἰαδέλφας, βαθούηλος. οὗτοι μὲν ναχώρου παῖδες γνήσιοι. τάβαιος γὰρ καὶ γάδαμος καὶ ταύαος καὶ μάαχας, ἐκ ῥευμᾶς παλ-

λακῆς

λαοῦς γεγόνασι. Nomina propria pleraque vitioſe ſcripta ſic emendabis: οὔζος lege οὔσος; Βαύζος lege Βοῦζος; Μαύηλος lege Καμουήλος; Ζάχαμος lege χάσαδος; ἄζαμος l. ἄζαυος, γάδαμος l. γάχαμος; Ταύας l. Τάχασος. Pleri que illi nati ſunt, cum jam in Cananæam eſſet tranſlatus Abrahamus.

In regione Chaldæorum] אור כשדים Gen. xi. 28. 31. xv. 7. Nehem ix. 7. In illis omnibus locis Græca editio habet, ἡ χώρα τῶν χαλδαίων. Hæc ratio eſt quod Græcis Patribus nomen Ur notum non ſit. Quod Eutychius Hatan ſive charras vocet Abrahami terram patriam. ارض ابيه Joſepho autem bene ſcriptum ἡ οὔρη τῶν χαλδαίων. Exiſtimari poſſet interpretes Græcos LXX. ſcripſiſſe οὔρη, quod à librariis jam ab antiquo mutatum ſit. Joſephus narrat Aranem mortuum eſſe in Ura & illic ejus oſtendi ſepulturam. Nicolaus Damaſcenus eam urbem ſitam eſſe dicit ſupra Babylonem. Omnino loci nomen fuit, quamvis Judaica traditio appellativè accipiat: Hieronymus quæſt. in Geneſin: *Pro eo quod legimus*, in regione Chaldæorum, *in Hebræo habetur*, אור כשדים, Ur Chaſdim, *id eſt* in igne Chaldæorum. *Tradunt autem Hebræi ex hac occaſione iſtiuſmodi fabulam: Quod Abraham in ignem miſſus ſit quia ignem adorare noluerit, quem Chaldæi colunt: & Dei auxilio liberatus, de idololatriæ igne profugerit: quod in ſequentibus ſcribitur*, Egreſſum eſſe Tharam cum ſobole ſua de regione Chaldæorum *pro eo, quod in Hebræo habetur*, de incendio Chaldæorum. *Et hoc eſſe quod nunc dicitur*: Mortuus eſt Aran ante conſpectum patris ſui in terra nativitatis ſuæ, in igne Chaldæorum, quod videlicet ignem nolens adorare, igne conſumptus ſit. *Loquitur autem poſteà Dominus ad Abraham* (cap. xv. v. 7.) Ego ſum, qui eduxi te de igne Chaldæorum. Hanc fabulam latius evolvit Lyra in cap. xi. 28. Mortuuſque eſt Haran ante pattrem ſuum] *Hoc dupliciter exponitur: uno modo ſic:* Ante patrem ſuum, *id eſt, ipſo vidente & procurante. Dicunt enim Hebræi, quod Thare idololatra exiſtens accuſavit Abram filium ſuum ipſi Nemroth eo quod nolebat ignem colere ſicut faciebant chaldæi de præcepto Nemroth. Propter quod Abram de præcepto Nemroth projectus eſt in ignem. Aran autem frater ejus aſſiſtens, dicebat in corde ſuo: Si vicerit Abram illæſus ab igne, ſequar ejus fidem: ſin autem colam ignem ſicut alii. Cum igitur Abram virtute Divina liberaretur, illæſus ab igne, & quæreretur Aran de ejus cultu, reſpondit velle ſequi Abram. Tunc projectus eſt in ignem & ibi mortuus eſt, quoniam non fuit tantæ fidei ſicut Abram ut patet ex prædictis. Nec tanta bona futura erant per ipſum. Et ſic conſequenter exponitur, quod ſequitur.* In Hur chaldæorum, *id eſt*; igne vel incendio Chaldæorum. *Sed iſta expoſitio non videtur rationabilis, quia poſteà ſubditur:* Tulit itaq; Thare Abram filium ſuum & Lot filium Aran & eduxit eos de Ur Chaldæorum: *non autem eduxit eos de incendio, maximè cum ſecundum iſtam expoſitionem dictum ſit quod per ejus accuſationem filii ejus projecti ſint intra ignem & ideo melius videtur dicendum quod Hur ſit hic nomen terræ vel villæ in qua manebant.* Ita quod Ur nomen commune eſt & proprium, prout ſignificat villam determinatam vel ignem. Et hoc idem dicit quidam doctor Hebræus authenticus nomine Manahem Et ideò modò exponitur: Ante patrem ſuum *id eſt ipſo adhuc vivente quia alii filii Thare poſt patrem mortui ſunt.* Burgenſis hanc fabulam putat fundamentum habere in litera, Gen. xv. 7. *Tamen* inquit, *quod Abram fuiſſet Divina virtute liberatus ab igne vel ab aliquo magno periculo in Chaldæa ſeu in Ur Chaldæorum aliquod videtur fundamentum habere in litera, ubi dicitur:* Ego ſum Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum, *quæ quidem verba ſonent aliquam liberationem Divinitus factam.* Eo modo, quo dicitur, Exod. 20. Ego ſum Dominus, qui eduxi te de terra Ægypti. *Nec obſtat quod hic legitur:* Tulitque Thare filium ſuum Abram & Lot filium

filium Aran, & eduxit eos de Hur Chaldæorum. *Quia ubi nos habemus*, Et eduxit eos, *Veritas Hebraïca habet:* Et egreſſi ſunt cum eo &c. Deinde probat ex gloſſa, quæ habetur ex Hieronymo loco ſupra adducto in cap. XII. 4. ubi dicitur Abram fuiſſe LXXV. annorum, cum ex Haran egrederetur. Sed illa Burgenſis defenſio non conſiſtit, quia eductio illa, quam imputat Deus Abræ pro beneficio, continere & ſignificare poteſt liberationem è periculo animæ, in quo idolis adhæſerat. Valet etiam argumentum Lyrani [cap. XI. 31.] ubi narratur de Thare quod tulerit ſeu aſſumpſerit Abram & Lot & Saram, וַיִּקַּח תֶּרַח. Quæ ſignificant amorem Thare erga liberos, tantum abeſt, ut ipſo procurante Abram & Aran in incendium miſſi ſint. Et quod dicitur, Egreſſi ſunt de Ur, id prædicatum eſt pertinens ad Thare, Abram, Sara, Loth. At omnes ſimul non fuerunt conjecti in ignem, ut ex illo egrederentur. Provocat etiam ad R. Moſis teſtimonium è libro, qui vocatur More Nebochim, parte tertia, cap. 29. Verba Burgenſis hic ſunt: *Narrat etiam R. Moſes in libro de directione perplexorum, quod in quodam libro de agricultura Ægyptiaca ſcilicet idolorum quod quidam vir nomine Abram diſceptabat publicè cum idolorum cultoribus, aſſerens quod non erat ignis colendus ut Deus. Et quod rex timens ne populum averteret ab illa cultura incarceravit eum & ſpoliatum de terra ſua ejecit. Quæ quidem hiſtorialia etſi ab infidelibus tradantur, quia tamen in favorem fidei ſonant non ſunt repellenda. Habetur enim ex hoc quod Abram fuerit tam ardens in confeſſione fidei, quod etiam publice & coram tyranno rege idololatras confutabat & cum hoc quod Deus ipſum de manu tyranni liberavit.* Rambam multos libros Sabiorum id eſt idololatrarum antiquiſſimorum in Arabicam verſos linguam exſtare dicit, fabuloſas narrationes conſcribentium & modum colendi ſidera. Inter iſtos libros fuiſſe unum nomine עבודה הנבטה. Hoc nomen Burgenſis reddit *Agricultura Ægyptia.* Sed עבודה non eſt agricultura, cum ſit cultus vel cultura Θρησκεία. Deinde ex altera voce Ægypti notionem elicit quia pro נ legit ג. Exiſtimes legendum eſſe הצביה Sabia. Burgenſis legit הגבטה Ægyptia. Viri eruditi Nabatæa exponunt legentes הנבטה. Sabjiſmus eſt cultus ſtellarum. Hi Solem dixere maximum Deorum, qui mundum regit. Cum autem à Solis cultu eos revocaret Abraham, dicendo de illius operationibus, quas Sabii jactabant: *Sol eſt inſtar ſecuris, quæ eſt in manu cædentis ipſa.* Iratum regem in vincula conjeciſſe Abrahamum & paulo poſt publicatis bonis, expuliſſe in fines orientis. Sabiorum fabulæ cum Judaicis non conveniunt. Rabbi Salomo refert ſic: ומדרש אגדה אומרים שעל ידי אביו מת שקבל תרח על אברם בנו לפני נמרוד על שכתת את צלמיו והשליכו לכבשן האש והרן יושב ואומר בלבו אם אברם נוצח אני משלו ואם נמרוד נוצח אני משלו וכשניצל אברם אמרו לו משל מי אתה אמר להם הרן משל אברם אני השליכוהו לכבשן האש ונשרף וזהו אור כשדים ומנחם פירש אור בקעה וכן (Eſ. 24. 15.) באורים כבדו יי׳ וכן (Eſ. 11. 8.) מאורת צפעוני כל חור ובקע עמוק קרוי אור Hæc ſunt quæ ſupra allegavit Lyra ſuo more ſecutus Raſi. Raſi autem Manachemum laudat accipientem de valle, quod confirmatur locis ſcripturæ. Dicit etiam omnem cavitatem & profundam vallem hoc vocabulo exprimi. Tres igitur vocis אור acceptiones ſunt, nomen proprium loci, ignis, vallis. Illud τ ὁ, χώρα tertia notione capi poteſt. χώρα enim *ager, prædium.* Aben-eſdras non diſſentit à Raſi. At ſubjungit: והקרוב שהיה לו שם אחר כי כשדים מבני נחור אחי אברהם רק משה כתב השם הנודע בימיו והעד כי שם נולד אברהם ששם מת הרן אחיו וכתוב בארץ מולדתו ויתכן שאור עשו כשדים במקום הנזכר ונקרא כן כמו אשר אור לו בציון *Et credibile eſt, quod iſti loco fuerit nomen aliud, quia chaldæi erant è filiis*

à filiis Nachor fratris Abrahami. Moſes tantum ſcripſit nomen notum ſuo tempore. Et indicatur illic natum eſſe Abrahamum, quia illic mortuus eſt Haran frater ejus. Scriptum etiam eſt (Gen. XI. 28.) in terra cognationis ſeu nativitatis ſuæ. *Probabile etiam eſt, quod Chaldai ignem fecerint in loco memorato, unde ſic vocatus eſt, ſicut,* (Eſ. 31. 20.) cui ignis eſt in Sion. Ramban (ut teſtatur Mercerus) valde ſe torquet & verſat locum Gen. XI. 28. quia non putat cum Aben-eſdra, Ur Chaldæorum fuiſſe natale ſolum Thare & filiorum, ſed potius Charan. Fundamentum ejus eſt quod Joſ. 24. legatur Patres habitaſſe trans flumen: quod ſit accipiendum inter Tigrin & Eufratem. Affert hiſtoriam (quam & alii attulere) quod Abraham in Cutha vinctus ſit religionis cauſa, quæ non eſt in Chaldæa ſed Meſopotamia. Seque à diſcipulis, qui orientem luſtraverant, didiciſſe, Cutham eſſe urbem magnam inter Carras & Aſſur, procul Babylone. Eamque ſex dierum itinere diſtare à Carris. Addit Abrahamum nunquam Chaldæum ſemper Hebræum vocari id eſt Tranſeufratenſem. His argumentis docemur Ur eſſe ultra Eufraten, nihil præterea continent. Rambàn vult Thare, cum duos filios majores Abram & Nachor genuiſſet, in Charran primum, inde cum illis veniſſe in Ur. illic natum eſſe Haran & obiiſſe. Poſteà Thare cum Abram rediiſſe in Charan. Nachoris in illo Thare itinere (Gen. XI. 31.) nulla mentio. Ideo putat ante Thare & Abram ex Ur abiiſſe, aut nunquam eum reliquiſſe Carras. Vero magis eſt ſimile, patriam poſterorum Arphaxad fuiſſe Chaldæam, ut quæ dicitur ארץ מולדת & hanc adjudicari Meſopotamiæ, quatenus transflumen poſita fuit. Chaldæa ſtricte dicta Babyloniæ pars fuit ad Arabiam deſertam & ſinum Perſicum. Plinius Uram collocat ad flexuram Eufratis, qua Syriæ Palmyrenas ſolitudines relinquit. Ab hac Plinii Ura differt, quia diſtat, Ur Ammiani Marcellini. Hoc ille memorat lib. 25. ſcribens eſſe Perſicum caſtellum, quod erat in ſuperior: Meſopotamia. Ideo oſcitanter eruditi confundunt & putant eſſe Abrahami patriam. Ur Abrahami fuiſſe Chaldæorum & Babyloniæ docet apud Euſebium præparat. IV. 17. Polyhiſtor ex Eupolemo. *δεκάτῃ δὲ γενεᾷ φησιν, ἐν πόλει τῆς Βαβυλωνίας Καμαρίνῃ, ἥν τινας λέγειν πόλιν Οὐρίην, εἶναι δὲ μεθερμηνευομένην Χαλδαίων πόλιν.*

De Chaldeis.

NOmen Chaldæorum hoc in loco primum occurrit. Quidam ab Arfaxad alii à Cheſed filio Nachor putant appellatos eſſe. Neutrum viris eruditis probatur. Arphaxad nimis remotum vocabulum eſt: כֶּשֶׂד cum שׂ puncti dexteri poteſt quadrare, ſi Chaldæi gentis non profeſſionis vocabulo deſignarentur. Cl. Hornius è Golio: *Arabes peculiariter* الكلدانيين *vocant, qui ſtellas venerabantur & colebant: vocati etiam fuerunt* الصابية والحرانيون *Sabæ & Haranii, quoniam primarium templum ſuum in Haran ſive carris habuere. Chaldaicæ autem gentis reliquias vocant* الاكراد *Curdos, qui nec re nec nomine diverſi ſunt à Gordiæis & Chaldæis.* Docet Eupolemus loco ſuperius producto, vocem כַּשְׂדִּים apud Moſem, ſignificare homines illius profeſſionis, qui incoluerunt Ur. Hinc dictam eſſe alia voce *Καμαρίνην*, quod nihil aliud notet quam Chaldæorum urbem. Chaldæorum igitur antiquiſſima eſt ſecta, quam nomine eandem cum gente diſtinguit hiſtoria Danielis. Illud licet animadvertere terram cui rex Babylonius imperabat, unde originariò appellabatur regnum, dici triplici appellatione Babyloniam, Sennaar, Chaldæam. Antiquiſſima & prima appellatio eſt Sennaar; inde à metropoli vocata eſt terra

Babel; dicta etiam Chaldæa à celebritate ſectæ, quæ peculiarem gentem faciebat, & partem regionis obtinuit ſibi aſſignatam. In ſummo honore fuerunt & ſolium regium fortaſſis aliqui aſcenderunt. Strabo lib. 1. τοὺς δ' ἱερέας τῶν αἰγυπτίων καὶ χαλδαίους καὶ μάγους σοφίᾳ τινὶ διαφέροντας τῶν ἄλλων ἡγεμονίας τε καὶ τιμῆς τυγχάνειν παρὰ τοῖς πρὸ ἡμῶν. Apud Romanos à gente Thuſci dicebantur vates ſui generis hic autem à profeſſione gens nomen ſortita eſt. Strabo rurſum: παρὰ δὲ τοῖς Ἀσσυρίοις οἱ χαλδαῖοι, παρὰ δὲ τοῖς ῥωμαίοις οἱ τυῤῥηνικοὶ ἱεροσκόποι. Legendum ἱεροσκόποι. Aruſpex enim ἱεροσκόπος Græcis eſt. Chaldæorum etiam nomen hæſit genti ad Pontum Euxinum, qui antiquitus Chaldæi vocati fuere, quod idem Strabo docet. Chaldæos autem ita deſcribit: Ἀφώριστο δ' ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ κατοικία τοῖς ἐπιχωρίοις φιλοσόφοις, τοῖς χαλδαίοις προσαγορευομένοις, οἳ περὶ ἀστρονομίαν εἰσὶ τὸ πλέον. Προσποιοῦνται δέ τινες καὶ γενεθλιαλογεῖν, οὓς οὐ καταδέχονται οἱ ἕτεροι. ἔστι δὲ φῦλόν τι τῶν χαλδαίων καὶ χώρα τῆς Βαβυλωνίας ὑπ' ἐκείνων οἰκουμένη, πλησιάζουσα καὶ τοῖς Ἄραψι καὶ τῇ κατὰ Πέρσας λεγομένῃ θαλάττῃ. Ἔστι δὲ καὶ τῶν χαλδαίων τῶν ἀστρονομικῶν γένη πλείω. Καὶ γὰρ ὀρχηνοί τινες προσαγορεύονται, καὶ Βορσιππηνοὶ καὶ ἄλλοι πλείους ὡς ἂν κατὰ αἱρέσεις ἄλλα καὶ ἄλλα λέγοντες περὶ τῶν αὐτῶν δόγματα. Μέμνηνται δὲ καὶ τῶν ἀνδρῶν ἐνίων οἱ μαθηματικοὶ, καθάπερ Κιδήνα τε καὶ Ναβουριανοῦ καὶ Σουδίνου. *Separata autem eſt in Babylonia habitatio indigenis philoſophis, qui appellatur Chaldæi, qui plurimam partem circa aſtronomiam occupantur. Quidam etiam profitentur prædictiones è genituris, quos cæteri non probant. Eſt autem & tribus quadam Chaldæorum & regio Babylonia ab illis habitata, vicina Arabibus & Perſico mari. Sunt autem & Chaldæorum ſideralis ſcientiæ incumbentium genera plura. Nam & Orcheni quidam cognominantur & Borſippeni & alii plures, qui ſecundum ſectas diverſa de iiſdem dogmata habent. Meminerunt etiam virorum inſignium Mathematici, ut Cidena, Naburiani & Sudini.* Hoc videtur docere Strabo, quod Chaldæi alii dicantur à profeſſione, alii à tribu. Tribus illa ab Chaſed filio Nachor originem fortaſſe habet. Nam Chaldæorum ſecta, de qua hic Moſes intelligi debet, antiquior eſt. Quia & Abrahami tempore fuit אור כשדים Ipſi etiam qui artis ſiderum ſcientiam profitebantur, per ſobolem artem propagabant teſte Diodoro. Chaldæi mathematici alii aſtronomici alii genethlialogi. Rurſum aſtronomici diviſi in hæreſes. Ammianus Marcellinus lib. 23. *Hic prope Chaldæorum eſt regio altrix philoſophiæ veteris, ut memorant ipſi, apud quos veridica vaticinandi fides eluxit.* Dicit Strabo genethliacam improbari à pleriſque Chaldæis, cum tamen ea pars ſit longè celebratiſſima, unde genethliacus & Chaldæus vulgo habetur pro eodem apud omnes ſcriptores. Prædictiones è genitura id eſt aſtrologia judiciaria toto orbe innotuerunt. Sextus Empiricus Aſtrologiam ſive Mathematicen diſtinguit, aliam facit τὴν τέλειον ἐξ ἀριθμητικῆς καὶ γεωμετρίας συνεστῶσαν. Hæc motum ſiderum interpretatur primum & ſecundum, ut loquuntur. Aliam προῤῥητικὴν, quæ futura prænuntiat. At oſtendit porrò nec hanc conſiſtere ſimplici modo aut uno genere. Alia enim prædicit aëris mutationes. Τήρησις γάρ ἐστιν ἐπὶ φαινομένοις ὡς γεωργία καὶ κυβερνητική. ἀφ' ἧς ἔστιν αὐχμοὺς τε καὶ ἐπομβρίας λοιμούς τε καὶ ἄλλας τοιαύτας τοῦ περιέχοντος μεταβολὰς προθεσπίζειν. Hanc Eudoxum & Hipparchum & ſimiles exercuiſſe, quam quidam ἀστρονομίαν vocitaverint. Aliam eſſe γενεαλογίαν ἣν σεμνοτέροις κοσμοῦντες ὀνόμασι Μαθηματικοὺς καὶ Ἀστρολόγους σφᾶς αὐτοὺς ἀναγορεύουσιν. Hi eventus rerum humanarum motuſque ex aſtris pendere ſtatuebant. Nam ſeptem errantibus ſtellis eſſe vim & rationem agentium cauſarum, cooperari autem Zodiaci partes. Δραστικῶν μὲν αἰτίων λόγον ἐπέχειν φασὶν, εἰς τὸ ἕκαστον τῶν κατὰ τὸν βίον συμβαινόντων ἐκβαίνειν τοὺς ἑπτὰ ἀστέρας, συνεργεῖν δὲ τὰ τοῦ ζωδιακοῦ μέρη. Inde χαλδαϊκὴν μέθοδον explicat. Quod alio loco latius.

Fun-

Fundamentum artis erat συμπάθεια cæleſtium & terreſtrium. Ἐπὶ προϋποκειμένῳ τούτῳ τῷ συμπαθεῖν τὰ ἐπίγεια τοῖς οὐρανίοις καὶ κατὰ τὰς ἐκείνων ἀποῤῥοίας ἑκάστοτε ταῦτα νεοχμοῦσθαι. Narrat etiam quomodo ὡροσκόπον ἑκάστης γενέσεως ἀρχικῶς obſervaverint: Νύκτωρ μὲν γὰρ ὁ Χαλδαῖος ἐφ' ὑψηλῆς τινος ἀκρωρείας ἐκαθέζετο ἀστροσκοπῶν: ἕτερος δὲ παρήδρευε τῇ ὠδινούσῃ μέχρις ἀποτέξαιτο. Ἀποτεχθείσης δὲ εὐθὺς δίσκῳ διεσήμαινε τῷ ἐπὶ τῆς ἀκρωρείας. ὁ δὲ ἀκούσας καὶ αὐτὸς παρεσημειοῦτο τὸ ἀνίσχον ζῴδιον, ὡς ὡροσκοποῦν. Μεθ' ἡμέραν δὲ τοῖς ὡροσκόποις προσεῖχε καὶ ταῖς τοῦ ἡλίου κινήσεσιν. Genethlialogia igitur eſt antiqua & divulgata ab hac gente in orbem terrarum. Prædictionum Aſtrologicarum laude claruit Beroſus, cui ideò Athenienſes publicè in gymnaſio ſtatuam inaurata lingua ſtatuêre, ut ſcribit Plinius lib. 7. cap. 37. Hic à popularibus ſuis Chaldæis Genethlialogiam in Græcos deduxit. Vitruvius: *Eorum autem inventiones, quas ſcriptis reliquerunt, qua ſolertia quibusque acuminibus & quam magni fuerint, qui ab ipſa Chaldæorum natione profluxerunt, oſtendunt. Primusque Beroſus, in inſula Coa conſedit ibique diſciplinam aperuit.* Poſt tempora Alexandri Magni ſub primis Seleucidis floruit. Salmaſius ex vero pronuntiavit non poſſe oſtendi ante illum quenquam Græcorum Genethliacam profeſſum eſſe aut aliquid de ea conſcripſiſſe. At ex hinc vaniſſima ars admodum celebrari cœpit. Genethliacam ſolam imputarunt Chaldæis Græci & Romani in communi loquendi uſu, quamvis in ſcientia aſtrorum & motuum cœleſtium fuerint exercitatiſſimi. Quamvis etiam auguria & prodigiorum interpretationem & ſomniorum, item aruſpicinam tenerent. Sed aſtrologicis prædictionibus & arte divinandi è ſiderum motu maximè inclaruerunt. Unde genethliaci non alii aſtrologi Chaldæorum nomine ab illis deſignati ſunt. Chaldæus enim eſt genethliacus, qui etiam mathematicus & aſtrologus dicitur. Aſtrologiam judiciariam iſtæ voces ſignificant. Juvenalis lib 2. ſatyr. 6. oſtendit.

Chaldæis ſed major erit fiducia: quicquid
Dixerit aſtrologus, credent à fronte relatum
Ammonis, quoniam Delphis oracula ceſſant
Et genus humanum damnat caligo futuri.
Præcipuus tamen eſt horum, qui ſæpius exſul,
Cujus amicitia conducendaque tabella
Magnus civis obit & formidatus Othoni.
Inde fides artis, ſonuit ſi dextera ferro
Lævaque ſi longo caſtrorum in carcere manſit.
Nemo mathematicus genium indemnatus habebit:
Sed qui pene perit, cui vix in Cyclada mitti
Contigit & parva tandem caruiſſe Seripho.
Conſulit ictericæ lento de funere matris,
Ante tamen de te Tanaquil tua; quando ſororem
Efferat & patruos: an ſit victurus adulter
Poſt ipſam. quod enim majus dare numina poſſunt?
Hæc tamen ignorat quid ſidus triſte minetur
Saturni, quo læta Venus ſe proferat aſtro,

Qui menſis damnis, quæ dentur tempora lucro.
Illius occurſus etiam vitare memento,
In cujus manibus ceu pinguia ſuccina tritas
Cernis ephemeridas: quæ nullum conſulit & jam
Conſulitur: quæ caſtra viro patriamque petente
Non ibit pariter numeris revocata Thraſylli.
Ad primum lapidem vectari cum placet, hora
Sumitur ex libro: Si prurit frictus ocelli
Angulus, inſpecta geneſi collyria poſcit.
Ægra licet jaceat, capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo niſi quam dederit Petoſiris.

Mulierum divitum Chaldæos conſulentium ſuperſtitionem irridet. Cum jam Delphica oracula haberent finem & deſiiſſent, muliebre ſecus, metus & ſuperſtitionis pleniſſimum quemadmodum cupidinum ſuarum & futuri curioſum ſortilegos & Chaldæos adiit quotidie. Divites utebantur Chaldæis, mediocres ſortilegis, quia Chaldæi majore pretio conſulebantur. Dicit mulieres omnia aſtrologorum dicta pro oraculis habuiſſe. Et aſtrologos inter eum habitum eſſe præcipuum, qui nequiſſimus eſſet, exiliis & carcere punctus. Quaſdam mulieres almenichia ſeu ephemeridas frequenti verſatione triviſſe & ad eorum indicium omnia feciſſe & omiſiſſe. Quamvis in illa judiciaria Aſtrologia multa eſſent, non à Chaldæis ſed ab Ægyptiis tradita ut à Necepſo & Petoſiri, arti tamen nomen manſit Chaldæorum. Tacitus vocat artem Chaldæorum, quam Romani corruptiſſimo ſeculo tantum non adorabant. Annal. 6. *ſcientia Chaldaorum artis.* 16. *Pammenem Chaldaorum arte famoſum.* Annal. lib. 2. *Firmius Catus Senator, ex intima Libonis amicitia, juvenem improvidum & facilem inanibus ad Chaldaorum promiſſa magorum ſacra ſomniorum etiam interpretes impulit.* Annal. lib. 3. *Quaſitumque* [à Lepidâ] *per Chaldaos in domum cæſaris.* Annal. lib. 12. *Furius Scribonianus in exilium agitur, quaſi finem principis per Chaldæos ſcrutaretur.* Paulo poſt: *de mathematicis Italia pellendis factum Senatus conſultum, atrox & irritum.* In legibus ferè mathematici vocantur, quemadmodum Tacitus etiam de ejuſmodi Senatusconſultis in annali ſecundo commemorat. Seleucum mathematicum vocat hiſt. 2. *Nec erat intactus tali ſuperſtitione, ut qui mox rerum Dominus Seleucum quendam mathematicum, rectorem & praſcium palam habuerit.* Et hiſt. 1. *Vrgentibus etiam mathematicis, dum novos motus & clarum Othoni* annum obſervatione ſiderum affirmant. Genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in civitate noſtra & vetabitur ſemper & retinebitur. *Multos ſecreta Poppaa mathematicos, peſſimum principalis matrimonii inſtrumentum habuerant: è quibus Ptolemaus, Othoni in Heſpania comes &c.* E Romanis imperatoribus Chaldæis Tiberius, Magis Nero adhæſerunt. Tiberius Capreis ſeceſſum quæſivit, Sejano rerum moderamine concredito, ipſe vacans Chaldæis. Juvenalis lib. 4. Satyr. 10.

Tutor haberi,
Principis Auguſtâ Caprearum in rupe ſedentis
Cum grege Chaldæo.

Nec

Nec quiſquam celebratior Traſyllo, magiſtro Principis in ea vanitate. Cujus ſcientiam commemorat Tacitus & diſſerit ſuper artis fundamento, Annal. 6. *Non omiſerim*, inquit, *præſagium Tiberii de Ser. Galba, tum conſule, quem accitum & diverſis ſermonibus pertentatum, poſtremò Græcis verbis in hanc ſententiam allocutus*: Et tu Galba deguſtabis imperium. *Seram ac brevem potentiam ſignificans ſcientia chaldæorum artis, cujus apiſcendæ otium apud Rhodum, magiſtrum Traſullum habuit, peritiam ejus hoc modo expertus: Quoties ſuper negotio conſultaret, edita domus parte ac liberti unius conſcientia utebatur. Is literarum ignarus, corpore valido, per avia ac derupta (nam ſaxis domus imminet) præibat eum, cujus artem experiri Tiberius ſtatuiſſet: & regredientem ſi vanitatis aut fraudum ſuſpicio inceſſerat, in ſubjectum mare præcipitabat, ne index arcani exiſteret. Igitur Traſullus iisdem rupibus inductus, poſtquam percontantem commoverat, imperium ipſi & futura ſolerter patefaciens, interrogatur an ſuam quoque genitalem horam comperiſſet, quem tum annum, qualem diem haberet. Ille poſitus ſiderum ac ſpatia dimenſus, hærere primò, dein paveſcere & quantum introſpiceret magis ac magis trepidus admirationis & metus poſtremo exclamat* ambiguum ſibi ac prope ultimum diſcrimen inſtare. *Tum complexus eum Tiberius*, præſcium periculorum & incolumen fore gratatur; *quæque dixerat*, oracli vice accipiens, *inter intimos amicorum tenet*. Hoc igitur experimento probatum Tiberius apud ſe habuit. Tacitus pagana imperitia ſuper hac re diſſeruit: *Sed mihi*, inquit, *hæc ac talia audienti, in incerto judicium eſt*, fatone res mortalium & neceſſitate immutabili an forte volvantur, *quippe ſapientiſſimos veterum quique ſectam eorum æmulantur, diverſos reperies*: ac multis *inſitam opinionem*, non initia noſtri, non finem, non denique homines diis curæ. Ideò creberrima & triſtia in bonos, læta apud deteriores eſſe. *Contra alii* Fatum quidem congruere rebus putant, ſed non è vagis ſtellis verum apud principia & nexus naturalium cauſarum ac tamen electionem vitæ nobis relinquunt: quam ubi elegeris, certum imminentium ordinem: neque mala vel bona, quæ vulgus putet: multos, qui conflictari adverſis videantur, beatos, ac pleroſque quanquam magnas per opes, miſerrimos: ſi illi gravem fortunam conſtanter tolerent, hi proſpera inconſultè utantur. *Ceterum plurimis mortalium non eximi*, quia primo cujuſque ortu ventura deſtinentur: ſed quædam ſecus quam dicta ſint cadere, fallaciis ignara dicentium. Ita corrumpi fidem artis, cujus clara documenta & antiqua ætas & noſtra tulerit. *Quippe à filio ejuſdem Traſulli prædictum Neroni imperium in tempore memorabitur, ne nunc incepto longius abierim.*

De Sabiis.

De Sabiis multa habet Maimonides, & multa pertinentia ad hanc ſuperſtitionem doctiſſimus Pococcus, in notis ad Gregorium Abulfarajum de origine & moribus Arabum & Cl. Hottingerus in orientali hiſtoria publicarunt ex Arabum monumentis. Conſtat autem eos mundi non orientis ſolum magnam partem inundaſſe, quod docet Maimonides in More part. 3. cap. 29. ſupra laudato. E reliquiis eorum ſuo tempore ſuperfuiſſe infideles Turcas in partibus quibuſdam Aquilonis & Indos in quibuſdam partibus Auſtri. Scilicet ad quos nec chriſtianiſmus nec Mahomediſmus pervenerant. Antiquiſſima fuit ſecta, quæ etiam Seth & Enos ſibi aſſerit. Libri eorum verſi, in quibus multa nugantur de Adam, Seth, Enos, Abrahamo &c. Exiſtimat Maimonides ſacerdotes Baal & lucorum (de quibus in ſacris literis) fuiſſe de hoc genere. In capite ſecundo Alcorani eorum fit mentio. Aſſignabant

Enoſo alium filium præter Seth, cui nomen eſſet صابي *Sabi.* Incertum an ab eo ſe appellatos eſſe velint. Dicit Gregorius apud Cl. Pococcum: *Illud quod de Sabiis certò accepimus eſt profeſſionem ipſorum eandem eſſe cum Chaldæorum antiquorum profeſſione.* Audiamus: Cardinem fidei eorum fuiſſe Sareſtanius refert, inniti كمال للروحانيين *Spiritualibus ſubſtantiis*, ut للبشر الجسمانيين *hominibus corporalibus* innituntur orthodoxi id eſt mahumedani. Nempe miniſterium Dei ad homines inter homines obiri ab angelis, quod à prophetis obiri dicunt Mahumedani. Inter Deum & homines angelos mediatores intervenire. Rurſum, quia ſpirituales iſtæ ſubſtantiæ corpore carent, viſibilibus aliis mediatoribus opus eſſe, quæ inter hominem & angelos intercedant. Hinc eorum duas ſectas exiſtere. Nempe اصحاب الهياكل *cultores ſacellorum* & اصحاب الاشخاص *cultores ſimulachrorum.* Illi ſtatuebant ſolorum ſacellorum, hi etiam ſimulachrorum interventu perveniri ad ſpirituales ſubſtantias, ut per eas Deus adeatur. Libros eorum ſermone Syro conſcriptos fuiſſe. Multos libros compoſuiſſe Thabet Ebn Corra. Hic vulgò Tabet appellatur, ejuſque ſectæ fuit uti & Albattanius, celeberrimus Aſtronomus. Qui libri in linguam Arabicam converſi ſunt. Sacella vocant planetarum corpora, quibus inſideant ſpirituales illæ ſubſtantiæ atque ita planetas eſſe corpora viventia, ratione prædita. Maimonides narrat ab eis non agnoſci Deum ſed planetas pro diis coli: at diſerte alii Deum unum, Dominum Dominorum ab iis agnoſci & per intelligentias adiri ſcribunt. Quia vagis ſtellis attribuunt adminiſtrationem rerum humanarum, tanquam Dei miniſtris. Non ſunt illis veteribus Sabiis ὁμόδοξοι, qui ſtellas pro diis habuerunt. Planetis igitur diſtribuunt dies ſuos & horas; item figuras ſuas ſingulis quibus ſigilla inſcribant. Cum igitur dies & hora planetæ illius advenit, induti ſigillo conveniente & peculiari veſtium genere uſi etiam propriis cuique planetæ precum formulis, petunt ab illo planeta ſeu à Deo potius per illum planetam, quem ab illius influxu & effectu pendere arbitrantur. Simulachrorum cultores ſtatuebant imagines figura & metallo cuique erranti ſtellæ propriis. Obſervatis inſuper momentis dierum, horarum, graduum, quæ valere putabant ad eliciendum benigniores influxus. Adhibitis etiam ſigillis, ſuffitibus, indumentis, orationum formulis ſideri convenientibus & gratis. Sic enim vires ſiderum elicere in ſtatuas ſe putant, ut iis mediantibus homini utilia procurent aut & in hominem tranſeant, quo Spiritu illius ſideris plenus vaticinetur. Maimonides. *Secundum autem iſtas Sabiorum ſententias erexerunt imagines ſtellis, Soli imagines aureas, Lunæ argenteas atque ita metalla & climata inter ſtellas partiti ſunt & dixerunt: Climatis ejuſmodi Deus eſt ſtella ejuſmodi, ſtruxeruntque ſacella, in quibus imagines collocarunt, aſſerentes vires ſtellarum influere in ejuſmodi imagines. Adeò ut loquantur iſtæ imagines & intelligant & inſpirent homines eoſque doceant, quæ ipſis utilia ſint. Atque ita dixerunt de arboribus, quæ ſunt ex portione ſtellarum iſtarum. Cum dedicatur arbor iſta illi ſtellæ atque illius nomine plantatur & fit illi hoc aut illud, influere virtutem ſpiritualem illius ſtellæ in iſtam arborem, ita ut hominibus ſe revelent eoſque in ſomno alloquantur.* Sareſtanius Alcorani fidem ſecutus (inquit Cl. Pococcus) cum utraque ſecta Abrahamo fuiſſe negotium putat. Plurimas fabulas illorum refert Maimonides, petitas ex libris illorum. Dicit omnes Sabios credidiſſe antiquitatem mundi, & Deum ab illis unum non agnoſci, at ſcriptores Arabum & Chriſtianorum (teſte Pococco) iis Dei unius qui ſuperior ſit, notitiam attribuunt. Ego ſic conciliaverim, Sabios recentiores à Mahumedanis unum Deum didiciſſe atque adeò cum ſua religione miſcuiſſe Mahumediſmum. Huc etiam refero, quod

refe-

referantur Templum Meccæ ſuſpicere, ſed venerari potius illud quod in Haran eſt. Cum etiam de Adam, Enos, Seth, Abraham multa fabuleutur, horum virorum notitiam non potuerunt aliunde, quam à Chriſtianis aut Judæis percepiſſe. Colligo autem ex illis omnibus, quæ ſupra ſunt relata, Sabios & Chaldæos non eſſe eoſdem, ut viri docti exiſtimarunt, nec Sabios fuiſſe mathematicorum iſtorum genus, quod putabat incomparabilis Salmaſius, quia abſque dubio Sabiiſmus religionis vocabulum eſt, cum Chaldæi profeſſionis & artis fuerint. Si Chaldæi mathematici fuerint iſtius ſectæ ideò fuerunt quia religio erat ab omnibus gentilibus in Babylonia recepta. Et vulgus igitur & ſapientes hujus erant hæreſeos, non ſoli Chaldæi, qui artem ſiderum profitebantur. Quamvis ars Chaldæorum adjumento fuerit ad cultum illius religionis rite obeundum. Fuerunt etiam Chaldæi mathematici, qui Sabiorum religionem non ſectabantur, cum eſſent religione Græci aut Perſæ aut alterius ſectæ. Hinc nuſquam Sabios legimus inter ſapientiæ varias profeſſiones, quas Nabuchodonoſor & alii Babyloniæ reges conſuluerunt. Apud Euſebium ex Eupolemo Polyhiſtor docet Urien dictam fuiſſe alio nomine *καμαρίνην*, quod idem ſit ac ſi diceretur *χαλδαίων πόλις*. Chaldæus igitur (dicat aliquis) idem quod כמר ſive כומרא ſacerdos nigris veſtibus indutus: Conſtat Chaldæos plerumque aſſumptos ad ſacerdotium, id tamen nomen à nomine religionis & muneris diſtinctum eſt. Sabii non tantum fuêre in Chaldæa ſed & Harane in Meſopotamia. Unde apud Arabum ſcriptores Sabii cognominantur Chaldæi & Haranienſes. Nempe è locis unde originem *ἀνέκαθεν* trahunt.

De Magis, Zoroaſtre & ignis cultu.

Ita inquiſitis & diſcuſſis Chaldæorum & Sabiorum religione & profeſſione artis, non invenio ignis cultum in Babylonia ſeu Chaldæa, ob quem, uti Judæi fabulantur, odio fuit & in ignem conjectus Abraham. Sabii à ſe exiiſſe Abrahamum volunt. Ex eorum libris ita ſcribit Maimonides loco ſæpius allegato: *Cum Abrahamus, qui educatus eſt in Cuthia, à vulgo diſſentiret & diceret, quod præter Solem alius ſit creator, incepiſſe illos ſic & ſic illi objicere & inter alias objectiones meminerunt quoque operationum Solis evidentium & manifeſtarum in hoc mundo. Abrahamum autem reſpondiſſe ipſis: Iuſti eſtis, hoc eſt, Rectè dicitis, quia Sol eſt inſtar ſecuris, quæ eſt in manu cadentis ipſa. Deinde meminerunt quoque objectionum quarundam, quas ipſe movit contra illos. Et tandem ſcribunt, quod rex ipſum incarceraverit, ſed hoc nihil obſtante ipſe perrexerit in carcere ſeſe illis opponere. Quocirca Regem cum timeret ne regno ſuo detrimentum inferret homineſque à Religione ſua abduceret ipſum in fines uſque orientis, confiſcatis omnibus ejus bonis, relegaſſe.* Salmaſius: *Quod de Sabiis Maimonides dicit hoc Græcorum hiſtoria de Chaldais narrant ab eorum rëgione Abrahamum veniſſe, eorum diſciplina imbutum, poſteà ad Dei veri cultum traductum cum patre & familia tota. Abrahamum omnes χαλδαῖον τὸ γένος faciunt & τὴν πρώτην ἡλικίαν παρὰ χαλδαίοις μεῖναι.* Non invenio Sabium fuiſſe Abrahamum, in memoria è Sabiorum ſcriptis, quamvis fuiſſe crediderim. *Sabii* (dicit idem Salmaſius) *erant populi Meſopotamia, quos cum Chaldais junctim nominat in More Nobochim, quaſi ejuſdem de diis & deorum cultu, deque aſtris & ex eorum cum obſervationibus facta ſcientia, ſententia: In eorum fide & doctrina educatum fuiſſe Abrahamum, pro certo ait conſtare parte 3. cap. 29.* Exiſtimat vir incomparabilis Sabios fuiſſe ſectam Chaldæorum, quod jam ita non eſſe oſtendimus. Sed ſubjicit: *Plinius lib. 6. cap. 26. Orchenos tertiam eſſe Chaldæorum ſectam memorat.*

rat. *Babylon videtur fuiſſe prima, quam ibidem appellat Chaldaicarum gentium caput. Hipparenum quoque Chaldæorum fuiſſe ait, quæ ſecunda fuerit, mirum non meminiſſe Borſippenorum ab urbe Borſippis.* Plinius citato loco ita: *Sunt etiamnum in Meſopotamia oppida Hipparenum Chaldæorum & hoc, ſicut Babylon, juxta flumen Narragam, qui dedit civitati nomen: muros Hipparenorum Perſæ diruere, Orcheni quoque tertia Chaldæorum doctrina in eodem ſitu locantur, ad meridiem verſi: ab his Notita & Oriophanta & Graciochanta.* Hæc ita accepit vir ſummus, quaſi ſectæ Chaldæorum artis ſive profeſſionis enumerentur à Plinio. Plinius Orchenos dicit eſſe tertiam Chaldæorum doctrinam, ſed nec Hipparenos nec Babylonios primam ſecundamque efficere docet. Scopus loci eſt memorare gentis Chaldaicæ oppida, in qua enumeratione obiter notat tertiam ſectam facere Orchenos Chaldæorum artis. Ideo Borſippenorum non meminit, quia de Chaldæorum arte ejuſque ſectis loqui non inſtituerat. Chaldæi non ſunt Sabii, neutri nec Sabii nec Chaldæi ignem coluerunt. Hoc vidit ſummus ille vir ſæpius modo laudatus, qui ita docet: *Sabiorum ſive Chaldæorum doctrinam circà eorum cultum, cum alia numina non agnoſcerent, præter aſtra, à Zoroaſtre ſive Zarada, qui eſt Zarduſt, abolitam fuiſſe inter omnes convenit, qui cultum ignis ſubſtituit in illis & Magorum diſciplinam inſtituit à ſe denominatam, quia Mog vocabatur proprio nomine. Circa tempora Nini is doctrinam ſuam de ignis cultu promulgavit. Ab eo tempore ſtellarum in illis locis veneratio deſiit, non tamen propterea Aſtrologia & γενεθλιακὴ ceſſavit. Sed tunc inter multos conſtitit, aſtra non facere ſed ſignificare.* Obſervabit lector Salmaſium docere iſta. 1. Chaldæos antiquitus nullum numen agnoviſſe aut coluiſſe præter aſtra. 2. Aſtrorum cultum abolitum eſſe à Zoroaſtre. 3. Subſtitutam magorum diſciplinam & ignis cultum. 4. Hunc docuiſſe, quod aſtra ſignificarent non facerent. Nihil horum verum eſt. Nam quod ad primum attinet, docet Diodorus Chaldæorum πολιτείαν, quam ſine dubio à ſe ipſis & majorum traditione hobuerunt: Τὴν μὲν αἵρεσιν τῆς πολιτείας παραπλησίαν ἔχοντες τοῖς, κατ' Αἴγυπτον ἱερεῦσι· πρὸς γὰρ τῇ θεραπείᾳ τῶν θεῶν τεταγμένοι, πλεῖστον τὸν τοῦ ζῆν χρόνον φιλοσοφοῦσι, μεγίστην δόξαν ἔχοντες ἐν ἀστρολογίᾳ. Quod ſuprà conjiciebamus, hic docemur à Diodoro, ſacris fuiſſe præfectos Chaldæos, ſed nomen ipſis eſſe ab arte, quæ à religione diſcernenda eſt. Ita Diodorus θεραπείαν τῶν θεῶν diſtinguit à φιλοσοφίᾳ ſiderum. Niſi id πρὸς τῇ θεραπείᾳ τῶν θεῶν τεταγμένοι; reddendum ſit cum Laurentio Rhodomano, viro Græcè peritiſſimo: *Deorum enim cultui addicti.* Non facilè id illi conceſſerim, reddo autem, *Deorum cultui præfecti.* Vir ille eruditus abſque dubio errat, cum τὴν μὲν αἵρεσιν τῆς πολιτείας vertit, *eum in rep. ordinem.* Sed redeamus ad Salmaſium. Si præfecti fuêre deorum culturæ, qui in Babylonia colebantur, ſolas ſtellas non habuerunt pro diis. E ſacris literis notum eſt ab antiquo deos multos in veneratione Babyloniorum fuiſſe, ab ſtellis alios. Nam coluerunt Babylonii, ut aliæ nationes θεοὺς φυσικοὺς non tantum ſed & ex hominibus factos. Chaldæorum de diis opinio fuit hæc: οἱ δ' οὖν Χαλδαῖοι τὴν μὲν τοῦ κόσμου φύσιν ἀΐδιόν φασιν εἶναι, καὶ μήτε ἐξ ἀρχῆς γένεσιν ἐσχηκέναι, μήθ' ὕστερον φθορὰν ἐπιδέξεσθαι· τήν τε τῶν ὅλων τάξιν τε καὶ διακόσμησιν θείᾳ τινὶ προνοίᾳ γεγονέναι, καὶ νῦν ἕκαστα τῶν ἐν οὐρανῷ γινομένων, οὐχ ὡς ἔτυχεν οὐδ' αὐτομάτως ἀλλ' ὡρισμένῃ καὶ βεβαίως κεκυρωμένῃ θεῶν κρίσει συντελεῖσθαι. Deorum providentia mundum eſſe ordinatum & gubernari, ſicuti & illa quæ in cælo eveniunt. Stellis illis ſeptem non attribuunt ita divinitatem, quam ut ſint deorum de rebus futuris interpretes. Διὰ τοῦτο δ' αὐτοὺς ἑρμηνεῖς καλοῦσιν, ὅτι τῶν ἄλλων ἀστέρων ἀπλανῶν ὄντων καὶ τεταγμένην ἐχόντων πορείαν, οὗτοι μόνοι πορείαν ἰδίαν ποιούμενοι, τὰ μέλλοντα γίνεσθαι δεικνύουσιν, ἑρμηνεύοντες τοῖς ἀνθρώποις τὴν τῶν θεῶν εὔνοιαν.

[illegible]. Duodecim conſtituebant deos principes, quorum quilibet menſi & ſigno Zodiaci alicui præſideret. Dii ipſis dividebantur in *κυρίους* & *βουλαίους*. Id ſane à Zoroaſtre magorum diſciplinæ autore non didicerunt. Hæc quæ Diodorus dicit, non potuit conciliare cum opinione præconcepta, qua exiſtimavit aſtrologiæ judiciariæ nullum aliud fundamentum eſſe, quam quod aſtra Deos eſſe & facere putârunt. Vetus Chaldaica diſciplina convenit cum Sabiorum illa opinione, quam ipſis attribuunt Arabes apud Pococcum. Niſi quod hi unum Deum, illi plures ſtatuerint. Illud fortaſſis dicendum eſt, Sabios eſſe veterum Babyloniorum ſeu Chaldæorum reliquias, quantum ad religionem & opinionem de diis attinet, & ſtellis deorum internuntiis. Qui inter ſe diverſi fuêre ſententiis aut temporum lapſu mutavere. Secundò ſtatuit Salmaſius cultum veterum Sabiorum abolitum eſſe: at certum eſt Chaldæorum religionem (quæ dicitur صابية) nondum eſſe eradicatam: colunt ſtellarum errantium ſpiritus & corpora, quidam etiam ſimulachra. Illa igitur ſuperſtitio vetus, quam Babylonii & (cum cæteris Babyloniis) Chaldæi (quod eſt nomen profeſſionis & artis, ſeu genus philoſophiæ) tenuêre, nondum omnino deleta eſt. Eſt hoc genus gentiliſmi, qui viguit in Meſopotamia & Chaldæa. In Chaldæa illius ſacerdotes erant aſtrologi. Id eſt ſecta quædam philoſophiæ peregrinæ, aſtrorum contemplationi incumbens. In eo etiam fallitur vir ſummus, quod à Zoroaſtre in Chaldæam illatum eſſe cultum ignis arbitretur. Quod Zoroaſtrem docuiſſe putet Chaldæos, aſtra *ἐμψυχεῖν, & ζῶιον*. Nunquam Chaldæi recepere cultum ignis, nihil didicere à Zoroaſtre. Nuſquam ſcriptum eſt Chaldæos ignem coluiſſe aut Sabiiſmo contineri cultum Ignis. Solum dixerunt Judæorum Rabbini ex igne liberatum eſſe Abrahamum, in quem fuerat conjectus, quod idolorum cultui contradiceret. Errat quoque Eutychius, qui Zoroaſtrem inventorem fuiſſe dicit ſuperſtitionis Sabiorum, Nemrodum inſtituiſſe cultum ignis. Utrumque ejuſdem abſurditatis. Prius tamen illud non aſſerit, quia tres ſententias recitat de origine Sabiorum. Quorum prima ſtatuit ortam eam religionem eſſe tempore Nachor, à quodam زرادشت *Zaraduſt*, homine Perſa: qua tempeſtate in Perſis imperium tenebat طهمورث *Tachmurt*: id eſt, Magos confundere cum Sabiis. Nam Magi in Perſide originem habuerunt à Zoroaſtre. Dicit tamen alios exiſtimare, ab homine Græco, cui nomen eſſet يونان ابن برقليوس *Iunan filius Iracliuſa*. Hoc erit *Ion filius Herculis*. Hunc fuiſſe oriundum aut habitaſſe in الياس *Alias*. Alios tamen dicere quod fuerit ex urbe زيتونة *Zeituna* quæ eſſet باثينة *Athenis*. Veri ſimilitudinem ſubjicit, quia Græci primi hanc ſententiam amplexi ſint eoque de ſiderali ſcientia plurimos libros confecerint. Tertios dicere, idque eſſe rumoris, tam antiquam eſſe eam ſectam, ut ejus conditor pars fuerit condendæ turris Babyloniæ. Ignis cultum inventum eſſe à Nemrod, primo Babyloniorum rege, quem cum (ut fama tradidit) ignem è terra erumpentem vidiſſet, accedentem adoraſſe ignem & inſtituiſſe ſacerdotem colendo igni. Hunc ſacerdotem primum fuiſſe hominem, cui eſſet nomen السقان. Illum autem injecto thure ignem veneratum eſſe. Satanam autem iſtum hominem oraculo docuiſſe non alium idoneum eſſe huic ſacerdotio, quam qui prius rem cum matre aut ſorore habuiſſet. Exinde Magos id inſtitutum tenere. Mirum vero Nimrodum Babyloniæ regem ignis cultum, quem Perſæ habent, inſtituiſſe, qui apud Aſſyrios & Chaldæos non fuit receptus. Zoroaſtrem inveniſſe diſciplinam magorum omnes tradunt. De ejus ætate ita ſcribit Laertius: Ἀπὸ δὲ τῶν μάγων, ὧν ἄρξαι Ζωροάστρην τὸν Πέρσην, Ἑρμόδωρος μὲν ὁ Πλατωνικὸς, ἐν τῷ περὶ μαθημάτων, φησὶν, εἰς τὴν Τροίας ἅλωσιν

ἔτη γεγονέναι πεντακισχίλια. Ξάνθος δὲ ὁ Λυδὸς εἰς τὴν Ξέρξου διάβασιν ἀπὸ τοῦ Ζωροάστρου ἑξακόσια φησί. Dinon in libris hiſtoriarum & Hermippus tradunt Ζωροάστρην idem ſignificare in ſermone Perſico, quod ἀστροθύτης. Quia plerique hiſtorici Zoroaſtren magum cum Nini tempore connectunt laborat maximus Scaliger de Nini antiquitate defendendâ. Sic enim ſcribit Animadverſionibus in latina Euſebii: *Cteſias non Zoroaſtren ſed Oxyarten vocat eum regem Bactrianorum, in quem Ninus expeditionem fecit. Meritò dubitat Plinius an magus ſit idem cum rege Bactrianorum. Mihi magus multis ſeculis poſterior videtur, à quo ad diabaſin xerxis annos putat DC vetuſtiſſimus ſcriptor Xanthus Lydius.* Sic Scaliger. Si Xanthus Lydius vera ſcripſit, Zoroaſtres incidet in tempora Samuelis prophetæ. Nam xerxis tranſitus in Græciam fuit anno M. C. 3470. Deductis annis 600, ſupererunt anni M. C. 2870. In ſecundæ ætatis deſcriptione Nini initium conſtituendum eſſe divinavimus circa annum M. 2650. Hic igitur παραχρονισμὸς erit annorum 200. Non dubitat Plinius an magus ſit idem cum rege Bactrianorum, ſed illud, an unus Zoroaſtres fuerit conditor ille artis, an poſteà & alius. Lib. 30. cap. 1. *Sine dubio illic orta in Perſide à Zoroaſtre, ut inter autores convenit: ſed unus hic fuerit, an poſteà & alius, non ſatis conſtat. Eudoxus, qui inter ſapientiæ ſectas clariſſimam, utiliſſimamque eam intelligi voluit, Zoroaſtrem hunc ſex millibus annorum ante Platonis mortem fuiſſe prodidit: ſic & Ariſtoteles. Hermippus, qui de tota ea arte diligentiſſimè ſcripſit & & vicies centena millia verſuum à Zoroaſtre condita, indicibus quoque voluminum ejus poſitis explanavit, præceptorem, à quo inſtitutum diceret, tradidit Azonacem, ipſum vero quinque millibus annorum ante Trojanum bellum fuiſſe. Mirum hoc inprimis, duraſſe memoriam artemque tam longo ævo, commentariis non intercedentibus, præterea nec claris nec continuis ſucceſſionibus cuſtoditam. Quotus enim quiſque auditu ſaltem cognitos habet, qui ſoli cognominantur, Apuſcorum & Zaratum Medos, Babyloniumque Marmaridum & Arabem Hippocum, Aſſyrium verò Termocenidam, quorum nulla exſtant monumenta.* Poſteà: *Primus extat, (ut equidem invenio) commentatus de eâ Oſthanes, Xerxem regem Perſarum bello quod is Græciæ intulit, comitatus, ac veluti ſemina artis portentoſæ ſparſiſſe, obiter infecto, quacunque commeaverat, mundo. Diligentiores paulò ante hunc ponunt Zoroaſtrem alium Proconneſium. Quod certum eſt hic maximè Oſthanes ad rabiem non aviditatem modo ejus ſcientiæ, Græcorum populos egit.* Paulò poſt, *Moſen multis millibus annorum poſt Zoroaſtrem fuiſſe ſcribit.* Clemens Alexandrinus indiſcriminatim Medum & Perſam appellavit Zoroaſtrem. Alibi Erem Armenium Platonis interpretatur de Zoroaſtre. Verba ejus ſunt: ὁ δ' αὐτὸς ἐν τῷ δωδεκάτῳ τῆς πολιτείας, Ἠρὸς τοῦ Ἀρμενίου, τὸ γένος Παμφύλου μέμνηται· ὅς ἐστι Ζωροάστρης. Αὐτὸς γοῦν ὁ Ζωροάστρης γράφει. Τάδε συνέγραψεν Ζωροάστρης ὁ Ἀρμενίου, τὸ γένος Πάμφυλος, ἐν πολέμῳ τελευτήσας· ἐν ᾅδῃ γενόμενος, ἐδάην παρὰ θεῶν. Græci Zoroaſtris volumina circumferebant, adulterinum & ſuppoſititium fœtum. In iſtis jactabat ille Zoroaſtres fictus ſe eſſe Pamphylum, qui in prælio interemptus, inferos adiiſſet & diſciplina deorum inſtitutus inde remeaſſet ad ſuperos. Notabile eſt, quod Agathias in hiſtoria Juſtiniani libr. 2. refert. Πέρσαι δὲ οἱ νῦν, τὰ μὲν πρότερον ἤθη σχεδὸν ἅπαντα παρεῶνται ἀμέλει καὶ ἀνατετράφαται, ἀλλοίοις δέ τισι καὶ οἷον νενοθευμένοις χρῶνται νομίμοις ἐκ τοῦ Ζωροάστρου τοῦ Ὀρομάσδεως ἐκδιδάγμασιν κατακηληθέντες. οὗτος δὲ ὁ Ζωροάδος, ἤτοι Ζαράδης (διττὴ γὰρ ἐπ' αὐτῷ ἡ ἐπωνυμία) ὁπηνίκα μὲν ἤκμασε τὴν ἀρχὴν καὶ τοὺς νόμους ἔθετο οὐκ ἔνεστι σαφῶς διαγνῶναι. Πέρσαι δὲ αὐτὸν οἱ νῦν ἐπὶ Ὑστάσπου, οὑτωσί πως ἁπλῶς φασὶ γεγονέναι, ὡς λίαν ἀμφιγνοεῖσθαι καὶ οὐκ εἶναι μαθεῖν, πότερον Δαρείου πατὴρ εἴτε καὶ ἄλλος ὑπῆρχεν Ὑστάσπης. *Perſis, qui nunc ſunt, priores mores penè omnes ſunt omiſſi ſcilicet & ſubverſi, aliis*

autem

autem quibuſdam & velut adulteratis utuntur legibus è Zoroaſtris filii Oromaſdis dogmatis deliniti. Hic autem Zoroadus ſive Zarades (duplex enim ipſi nomen) quando omnino viguerit & poſuerit leges, non datur liquide dignoſcere. Perſæ autem qui nunc ſunt, ipſum ſub Hyſtaſpe, quem ſic ſimpliciter vocant, fuiſſe dicunt, adeo ut in dubio ſit nec poſſis ſcire, utrum Darii pater fuerit an etiam alius Hyſtaſpes. Diligentiſſimus Pococcus ex Mahomede Alfirauzabadio refert nomen illius qui ſectam inſtituit ſuumque illi nomen reliquit, fuiſſe میج کوش *Mije Guſh*, quod ſignificat ſermone Perſarum hominem auribus brevibus, βραχύωτον. Sareſtanius & Iſmael teſtantur magos coluiſſe ignem. Magos ſcilicet & Perſas antiquiores, qui dicti ſunt کیومرثیة *Ciumerthii*. Hi venerabantur lucem & fugiebant abominabanturque tenebras, tanquam duo rerum principia. Eam ſectam & ſententiam manſiſſe uſque ad زرادشت *Zoroaſtrem*. Hunc floruiſſe ſub rege کشتاسف *Guſtaſfo*. Hoc vocabulum ſine dubio idem eſt cum vocabulo ὑςάσπης apud Agathiam. Ejuſdem Zoroaſtri meminit quoque Gregorius Abulfarajus, ſcribitque fuiſſe ſub Cambyſe Cyri filio & معلم المجوسية religionis magorum doctorem ac pro Eliæ diſcipulo haberi: de Meſſiæ adventu Perſas monuiſſe deque ſtella, in cujus medio forma virginis conſpicua, nati Meſſiæ ſignum ipſis præbiturus eſſet. Hæc docuit nos Cl. Pococcus. Non poſſumus his omnibus narrationibus habere fidem, nec omnium componere diſſenſum. Religio magorum & Perſarum initium habuiſſe dicitur à Zoroaſtre, immutata eſſe ab alio Zoroaſtre. Primum illum vixiſſe concedamus eo tempore, quo tradit Xanthus Lydius, alterius tempus ignoramus. Vixit Oſthanes primus ſub Xerxe: Græciæ populis tradidit magicæ vanitatis diſciplinam, quemadmodum Beroſus Chaldaicæ methodi. Hinc ſicuti omnis aſtrologia judiciaria ars Chaldæa dicta eſt, ita omnis mira efficiendi profeſſio magica eſt appellata: quamvis & aliæ artium ſpecies eſſent, ab aliis gentibus inventæ. Certum eſt Zoroaſtrem magicæ diſciplinæ in Perſide repertorem alium eſſe à rege Bactrianorum, cum quo Ninus bellum geſſiſſe memoratur. Juſtinus dicit hunc Zoroaſtrem, cum quo bellum Nino fuit, *magicas artes inveniſſe primum & mundi principia ſiderumque motus diligentiſſimè ſpectaſſe.* Diodorus Siculus è Cteſia regem Oxyarten vocat, nec de ejus peritia magica quicquam meminit. Alii etiam omnes, Plinius, Plutarchus, Hermippus, Hermodorus, Xanthus &c. Perſam ſive Medum, non Bactrianum fuiſſe indicant illum magum, de quo loquuntur. Nec quiſquam eſt, qui meminerit regem fuiſſe, magum fuiſſe tantum dicunt. Nominis igitur confuſio & temporis æqualitas ac peritia eadem in utroque artis magicæ errorem genuit. Hunc errorem multi adoptarunt. Arnobius docet diſtinctionem inventoris magicæ diſciplinæ, qui Perſa fuit, & regis Bactrianorum. Lib. 1. adverſus gentes ſic locutus erat: *Ut inter Aſſyrios & Bactrianos Nino quondam Zoroaſtreque ductoribus non tantum ferro dimicaretur & viribus verum etiam magicis & Chaldaorum reconditis diſciplinis, invidia noſtra hac fuit?* At magum Perſam à mago rege Bactriano noverat diſtinguere. Eodem lib. poſteà: *Age nunc veniat, qui ſuper igneam Zonam, magus interiore ab orbe Zoroaſtres, Hermippo, ut aſſentiamur authori. Bactrianus & ille conveniat, cujus Cteſias res geſtas hiſtoriarum compoſuit in primo. Armenius Hoſthanis nepos & familiaris Pamphylus Cyri, Apollonius, Damigero & Dardanus, Velus, Julianus & Babulus & ſiquis eſt alius, qui principatum & nomen fertur in talibus habuiſſe praſtigiis.* Diverſi igitur fuerunt, Zoroaſtres magus ſive Perſa ſive Æthiops fuerit & rex Bactrianus. Rex ille Bactrianorum magicis præſtigiis bellum geſſit. Æque id verum ac Ninum Chaldæorum reconditis diſciplinis dimicaſſe. Immutatam fuiſſe Perſarum religionem

& Arabes & Agathias docent. Agathias illum doctorem Zoroaſtrem vocat qui primus magicen reperit & cultum ignis opinionemque duorum principiorum Arabes primum Magiæ repertorem & religionis ignis duorumque principiorum vocant Magum (ut diximus) at qui in illa ſecta & hæreſi immutationem fecit, hunc vocant Zoroduſten, id eſt, Zoroaſtrem. Primi inſtitutoris nomen non referunt. Agathias: ἀφ' ὅτου δ' ἂν καὶ ἤνθησε χρόνου ὑφηγητὴς αὐτοῖς ἐκεῖνος καὶ καθηγεμὼν τῆς μαγικῆς γέγονεν ἁγιστείας, καὶ αὐτὸς δὲ τὰς προτέρας ἱερουργίας ἀμείψας παμμιγεῖς τινας καὶ ποικίλας ἀνέθηκε δόξας. Τὸ μὲν γὰρ παλαιὸν διά τι καὶ χρόνον καὶ τούτους δὲ ἅπαντας, τοὺς παρ' Ἕλλησι θρυλλουμένους ἐτίμων θεούς, πλήν γε ὅτι δὴ αὐτοῖς ἡ προσηγορία οὐχ ὁμοίως ἐσῴζετο. Ἀλλὰ Βῆλον μὲν τὸν Δία τυχὸν, Σάνδην δὲ τὸν Ἡρακλέα καὶ Ἀναΐτιδα τὴν Ἀφροδίτην καὶ ἄλλως τοὺς ἄλλους ἐκάλουν ὡς που Βηρωσσῷ τῷ Βαβυλωνίῳ καὶ Ἀθηνοκλεῖ καὶ Σιμάκῳ τοῖς τὰ ἀρχαιότατα τῶν Ἀσσυρίων τε καὶ Μήδων ἀναγραψαμένοις ἱστόρηται. Νῦν δὲ ὡς τὰ πολλὰ τοῖς Μανιχαίοις καλουμένοις ξυμφέρονται. ἐς ὅσον δύο τὰς πρώτας ἡγεῖσθαι ἀρχὰς, καὶ τὴν μὲν ἀγαθήν τε ἅμα καὶ τὰ κάλλιστα τῶν ὄντων ἀποκυήσασαν, ἐναντίως δὲ καὶ κατ' ἄμφω ἔχουσαν τὴν ἑτέραν. ὀνόματά τε αὐτοῖς ἐπάγουσι βαρβαρικὰ καὶ τῇ σφετέρᾳ γλώττῃ πεποιημένα. Τὸν μὲν γὰρ ἀγαθὸν εἴτε θεὸν εἴτε δημιουργὸν Ὀρμισδάτην ἀποκαλοῦσιν· Ἀριμάνης δὲ ὄνομα τῷ κακίστῳ καὶ ὀλεθρίῳ. Ἑορτὴν ὅτε πασῶν μείζονα τὴν τῶν κακῶν λεγομένην ἀναίρεσιν ἐκτελοῦσιν. ἐν ᾗ τῶν τε ἑρπετῶν πλεῖστα καὶ τῶν ἄλλων ζώων ὁπόσα ἄγρια καὶ ἐρημονόμα κατακτείνοντες, τοῖς μάγοις προσάγουσιν, ὥσπερ εἰς ἐπίδειξιν εὐσεβείας. Ταύτῃ γὰρ οἴονται τῷ μὲν ἀγαθῷ κεχαρισμένα διαπονεῖσθαι, ἀνιᾶν δὲ καὶ λυμαίνεσθαι τὸν Ἀριμάνην. Γεραίρουσι δὲ ἐς τὰ μάλιστα τὸ ὕδωρ, ὡς μηδὲ τὰ πρόσωπα αὐτῷ ἐναπονίζεσθαι μήτε ἄλλως ἐπιθιγγάνειν, ὅτι μὴ πότου τε ἕνεκα καὶ τῆς τῶν φυτῶν ἐπιμελείας. Πολλοὺς δὲ καὶ ἄλλους θεοὺς ὀνομάζουσι καὶ ἱλάσκονται, τοῦτο ἑλληνικόν. Θυσίαις τε χρῶνται καὶ ἀφαγνισμοῖς καὶ μαντείαις, καὶ τοῦτο ἑλληνικόν. Τὸ δὲ πῦρ αὐτοῖς τιμιώτατον εἶναι δοκεῖ καὶ ἁγιώτατον καὶ τοίνυν ἐν οἰκίσκοις τισὶν ἱεροῖς τε δῆθεν καὶ ἀποκεκριμένοις ἄσβεστον οἱ μάγοι φυλάττουσι καὶ ἐς ἐκεῖνο ἀφορῶντες πάντα ἀπορρήτους τελετὰς ἐκτελοῦσι καὶ τῶν ἐσομένων πέρι ἀναπυνθάνονται. Τοῦτο δὲ οἶμαι νόμιμον, ἢ ἐξ ἑτέρου τινὸς ἀντελέξαντο γένους, εἰ γὰρ δὴ τοῖς ἄλλοις ξυμβαίνει. Ὧδέ πως ἄρα αὐτοῖς ἡ δόξα ἐκ πλείστων ὅσων ἐθνῶν ἠρανισμένη ὡς ποικιλώτατα ξύγκειται. Καί μοι τοῦτο οὐκ ἀπὸ τρόπου δοκεῖ γεγενῆσθαι. ἄλλην γὰρ οὕτω πολιτείαν οὐκ οἶδα ἐς πλείστας μορφάς τε καὶ σχήματα μεταβαλοῦσαν καὶ ἐν ταὐτῷ μένειν οὐ διαρκέσασαν, ἀλλὰ μυρίων ἐθνῶν ἄλλοτε ἄλλων ἐπικρατήσαντα δεξαμένην, τῷ τι ἄρα καὶ εἰκότως πολλῶν ἰδεῶν τε καὶ νόμων γνωρίσματα σώζει. Id eſt, ex interpretatione Bonaventuræ Vulcanii: *Quocumque vero tandem tempore floruit, author eis & dux magica religionis exſtitit: priſtinoque ſacrorum ritu immutato confuſaneas quaſdam & varias opiniones induxit. Antiquitus enim Iovem & Saturnum cateroſque omnes deos à Gracis celebratos colebant, eo excepto, quod non eaſdem appellationes retinerent; ſed Belum quidem Iovem & Sandem Herculem, Anaitida Venerem, aliter alios vocabant, ut alibi Beroſus Babylonius & Athenocles & Symmachus narrant, qui Antiquiſſimas Aſſyriorum Medorumque res conſcripſerunt. Nunc vero majore ex parte cum iis qui Manichai dicuntur, conveniunt, quatenus duo prima principia ſtatuunt, atque alterum quidem bonum & optima quaque ex ſe gignens; alterum contrario planè modo ſecundum hac duo ſe habens; nominaque illis indunt barbara & ex ipſorum lingua ducta Bonum enim ſive Deum ſive creatorem, Hormiſdatem appellant; Arimanes autem peſſimo illi ac pernicioſo eſt nomen. Feſtum etiam omnium maximum, quod malorum ſublationem vocant, peragunt, in quo ſerpentes quamplurimos & ex aliis animantibus, quacunque deſertis in locis degunt, interficientes magis offerunt, veluti in argumentum pietatis. Ea enim ratione credunt ſe bonam gratamque Bono illi operam navaſſe, ingratam & noxiam Arimani. Venerantur autem pracipuè aquam, adeo ut neque faciem ea abluant neque aliter attingant niſi potus cauſa & ob plantarum curam*

curam. Multos vero etiam alios deos habent & colunt, id Gracanicum eſt. Sacrifieiis etiam utuntur & luſtrationibus & vaticiniis, etiam hoc Gracanico more. Ignis autem iis maxime honorandus venerandusque videtur atque idcirco in adiculis quibuſdam ſacris & ſemotis magi eum perennem conſervant, inque eum deſpicientes, arcana ſacra peragunt, & de rebus futuris ſciſcitantur. Hoc vero, ut arbitror, inſtitutum vel à Chaldaus vel ab alia aliqua natione acceperunt neque enim cum aliis conſentit. Ita illis opinio ex quamplurimis gentibus conflata, variè admodum compoſita eſt. Et quidem non abs re id factum videtur. Neque enim aliam ullam remp. novi, in magis varias formas ac ſpecies mutatam, quaque in uno eodemque ſtatu quam diutiſſimè permanere non potuerit, ſed quum quam plurimarum ac diverſiſſimarum gentium imperium admiſerit iccirco etiam veroſimiliter multarnm formarum & legum monumenta ſervat. Plutarchum conjunganius de Iſide & Oſiride ex verſione Gulielmi Xylandri quia Græca nunc ad manum non ſunt: *Exiſtimant enim alii duos eſſe deos, quaſi contrariis deditos artibus, ut bona alter, alter mala opera conficiat. Alii eum, qui eſt melior, Deum: qui deterior Damonem dicunt. In qua ſententia fuit Zoroaſtres magus, quem narrant* Iↄↄ. *annis antiquiorem bello Trojano exſtitiſſe. Is ergò Zoroaſtres melioris nomen Oromazam, peioris Areimanium perbibuit. Addiditque hoc enunciatum, de rebus ſub ſenſum cadentibus, illum maximè ſimilem eſſe luci, hunc tenebris & ignorationi. Medium horum eſſe Mithram qua cauſa eſt quod Mithram Perſa Meſiten, id eſt mediatorem ſeu intermedium nuncupant, Docuitque votivas & pro gratiis agendis oblatas victimas illi immolandas: huic averruncandi mali cauſa inſtitutas & tetricas. Herbam enim quandam Omemi appellatam, in mortario tundentes, ditem invocant & Tenebras: tum admixto lupi jugulati ſanguine, efferunt & abjiciunt in locum quo Solis radii non pertingunt. Nam & de ſtirpibus ità judicant, quaſdam boni Dei eſſe, mali quaſdam genii: & animalium alia, ut canes, aves, & echinos terreſtres bono, aquaticos malo adjudicant, itaque & beatum eum pradicant, qui plurimos interfecerit, Enim verò illi quoque multa de diis fabuloſa narrant: cujus generis eſt quod referam. Oromazen natum ajunt è luce puriſſima, Arimanium è caligine: eos bellum inter ſe gerere. Sex Deos feciſſe Oromazen: primum benevolentia, ſecundum veritatis, tertium aquitatis, reliquos Sapientia, divitiarum & voluptatis, qua honeſta conſequitur opificem. Arimanium totidem numero his adverſa efficientes. Deinde Oromazen ſeſe triplicaſſe, & à Sole tanto ſe intervallo removiſſe, quanto à terra Sol abeſt. Ac cælum ſtellis decoraſſe, unamque ante alias tanquam cuſtodem & Speculatorem conſtituiſſe Sirium. alios porrò* XXXIV. *deos condidiſſe & in ovo poſuiſſe. At totidem numero factos ab Arimanio ovum illud perforaſſe, hinc mala bonis eſſe permixta. Appetere porrò fatale tempus, quo neceſſe ſit peſte & fame ab his adducta Arimanium omninò perdi atque aboleri. Terraque aquabili & plana facta, unam vitam unamque civitatem beatorum hominum univerſorum, unaque lingua utentium fore. Theopompus ait de ſententia magorum vicibus ter mille annorum alterum Deorum ſuperare, alterum ſuccumbere: & per alia tria annorum millia bellum eos inter ſe gerere, pugnare, & alterum alterius opera demoliri: tandem Plutonem deficere & tunc homines fore beatos, neque alimento utentes, neque umbram edentes. Deum porrò iſta qui machinetur. quieſcere ad aliquod tempus, non quod longum ſit Deo, ſed rectum & mediocre tanquam hominis dormientis. Hoc modo ſe habent Magorum fabula.* Ammianus Marcellinus lib. 23. *In his tractibus magorum agri ſunt fertiles, ſuper quorum ſecta ſtudiisque, quoniam huc incidimus, pauca conveniet expediri. Magiam opinionum inſignium autor ampliſſimus Plato, machagiſtiam eſſe verbo myſtico docet divinorum incorruptiſſimum cultum. Cui ſcientia ſeculis priſcis multa ex Chaldaorum arcanis Bactrianus addidit Zoroaſtres: Deinde Hyſtaſpes rex prudentiſſimus Darii pater. Qui*

cum ſuperioris Indiæ ſecreta fidentius penetraret, ad nemoroſam quandam venerat ſolitudinem, cujus tranquillis ſilentiis præcelſa Brachmanorum ingenia potiuntur: eorumque monitu rationes mundani motus & ſiderum puroſque ſacrorum ritus, quantum colligere potuit, eruditus ex his quæ didicit aliqua ſenſibus magorum infudit: quæ illi cum diſciplinis præſentiendi futura per ſuam quiſque progeniem, poſteris ætatibus tradunt. Ex eo per ſecula multa ad præſens una eademque proſapia multitudo creata, deorum cultibus dedicatur. Feruntque, ſi juſtum eſt credi, etiam ignem cælitus lapſum apud ſe ſempiternis ſeculis cuſtodiri, cujus portionem exiguam ut fauſtam præiſſe quondam Aſiaticis regibus dicunt. Hujus originis apud veteres numerus erat exilis, ejuſque myſteriis Perſicæ poteſtates in rebus faciendis divinis ſolenniter utebantur. Eratque piaculum aras adire, vel hoſtiam contrectare, antequam magus conceptis precationibus libamenta diffunderet præcurſoria. Verum aucti paulatim in amplitudinem gentis ſolidæ conceſſerunt & nomen: Villaſque inhabitantes nulla murorum firmitudine communitas & legibus ſuis uti permiſſi religionis reſpectu ſunt honorati. Apulejum etiam audiamus in Apologia prima: *Nam ſi*, inquit, *quod ego apud plurimos lego, Perſarum lingua magus eſt, qui noſtro ſacerdos: quod tandem eſt crimen ſacerdotem eſſe; & rite noſſe, ſcire, atque callere, leges cerimoniarum, fas ſacrorum, jura religionum? Siquidem Magia id eſt, quod Plato interpretatur θεῶν θεραπεία? Cum commemorat quibuſnam diſciplinis puerum regium adoleſcentem Perſæ imbuant. Verba ipſa Divini viri memini, quæ tu mecum Maxime recognoſce, dicentia:* δὶς ἑπτὰ δὲ γενόμενον ἐτῶν τὸν παῖδα παραλαμβάνουσιν, οὓς ἐκεῖνοι βασιλείους παιδαγωγοὺς ὀνομάζουσιν· εἰσὶ δὲ ἐξειλεγμένοι Περσῶν οἱ ἄριστοι δόξαντες ἐν ἡλικίᾳ τέτταρες· ὅ τε σοφώτατος καὶ ὁ δικαιότατος καὶ ὁ σωφρονέστατος καὶ ὁ ἀνδρειότατος. ὧν ὁ μὲν μαγείαν τε διδάσκει τὴν Ζωροάστρου τοῦ Ὡρομάζου. ἔστι δὲ τοῦτο θεῶν θεραπεία. διδάσκει δὲ καὶ τὰ βασιλικά. *Auditiſne Magiam, qui eam temerè accuſatis, artem eſſe Diis immortalibus acceptam, colendi eos ac venerandi pergnaram, piam ſcilicet & divini ſcientem; jam inde à Zoroaſtro & Oromazo authoribus nobilem cælitum antiſtitem: quippe inter prima regalia docetur: nec ulli temerè inter Perſas conceſſum eſt, Magum eſſe* haud magis quam regnare. Plinius lib. 30. cap. 2. *Ut narravit Oſthanes, ſpecies ejus* [Magiæ] *plures ſunt. Namque & ex aqua & ex ſphæris & ex aëre & ſtellis & lucernis ac pelvibus & multis aliis modis divina promittit: præterea umbrarum inferorumque colloquia: quæ omnia ætate noſtra princeps Nero vana falſaque comperit: quippe non citharæ tragicique cantus libido illi major fuit, fortuna rerum humanarum ſumma geſtiente in profundis animi vitiis. Primumque imperare diis concupivit, nec quicquam generoſius voluit: nemo unquam ulli artium validius favit* &c. In antecedenti capite Plinius trium Magicæ artis factionum meminit Perſicæ, Judaicæ & Cypriæ. At nomen è Perſide in Græciam & Italiam venit, quamvis & Theſſala connominata eſt. Diogenes Laertius refert illos, qui ad barbaros philoſophiæ originem referunt, narrare: τοὺς δὲ Χαλδαίους περὶ ἀστρονομίαν καὶ πρόρρησιν ἀσχολεῖσθαι· τοὺς δὲ μάγους περὶ θεραπείας θεῶν διατρίβειν καὶ θυσίας καὶ εὐχάς, ὡς αὐτοὺς μόνους ἀκουομένους. ἀποφαίνεσθαί τε περὶ οὐσίας θεῶν καὶ γενέσεως, οὓς καὶ πῦρ εἶναι καὶ γῆν καὶ ὕδωρ. τῶν δὲ ξοάνων καταγινώσκειν, καὶ μάλιστα τῶν λεγόντων ἄρρενας εἶναι θεοὺς καὶ θηλείας. περί τε δικαιοσύνης λόγους ποιεῖσθαι καὶ ἀνόσιον ἡγεῖσθαι πυρὶ θάπτειν καὶ ὅσιον νομίζειν μητρὶ ἢ θυγατρὶ μίγνυσθαι ὡς ἐν τῷ εἰκοστῷ τρίτῳ φησὶν ὁ Σωτίων. Ἀσκεῖν τε καὶ μαντικὴν καὶ πρόρρησιν καὶ αὐτοῖς θεοὺς ἐμφανίζεσθαι λέγοντας. Ἀλλὰ καὶ εἰδώλων πλήρη εἶναι τὸν ἀέρα κατ᾽ ἀπόρροιαν ὑπὸ ἀναθυμιάσεως εἰσκρινομένων ταῖς ὄψεσι τῶν ὀξυδερκῶν. προκοσμήματα δὲ καὶ χρυσοφορίας ἀπαγορεύειν. Τούτων δὲ ἐσθὴς μὲν λευκή, στιβὰς δ᾽ εὐνή. καὶ λάχανον τροφὴ τυρός τε καὶ ἄρτος εὐτελής· καὶ κάλαμος ἡ βακτηρία, ᾧ κεντοῦντες (φασι) τοῦ τυροῦ ἀνῃροῦντο καὶ ἀπήσθιον· τὴν δὲ γοητικὴν μαντείαν οὐδ᾽ ἔγνωσαν φησὶν Ἀριστοτέλης ἐν τῷ Μαγικῷ καὶ Δείνων ἐν πέμπτῃ ἱστοριῶν.

Adda-

Addamus cætera: Ἀριστοτέλης δὲ ἐν πρώτῳ περὶ φιλοσοφίας καὶ πρεσβυτέρους εἶναι τῶν Αἰγυπτίων, καὶ δύο κατ' αὐτοὺς εἶναι ἀρχὰς ἀγαθὸν δαίμονα καὶ κακὸν δαίμονα· Καὶ τῷ μὲν ὄνομα Ζεὺς καὶ Ὠρομάσδης τῷ δὲ Ἅιδης καὶ Ἀρειμάνιος. Φησὶ δὲ τοῦτο καὶ Ἕρμιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ μάγων, καὶ Εὔδοξος ἐν τῇ Περιόδῳ καὶ Θεόπομπος ἐν τῇ ὀγδόῃ τῶν Φιλιππικῶν ὃς καὶ ἀναβιώσεσθαι κατὰ τοὺς μάγους φησὶ τοὺς ἀνθρώπους καὶ ἔσεσθαι ἀθανάτους καὶ τὰ ὄντα ταῖς αὐτῶν ἐπικλήσεσι διαμενεῖν. Ταῦτα δὲ καὶ Εὔδημος ὁ Ῥόδιος ἱστορεῖ. Ἑκαταῖος δὲ καὶ γενητοὺς τοὺς θεοὺς εἶναι κατ' αὐτούς. Κλέαρχος δὲ ὁ Σολεὺς ἐν τῷ περὶ παιδείας καὶ τοὺς γυμνοσοφιστὰς ἀπογόνους εἶναι τῶν Μάγων φησίν. Ἔνιοι δὲ καὶ τοὺς Ἰουδαίους ἐκ τούτων εἶναι. Πρὸς τούτοις καταγινώσκουσιν Ἡροδότου οἱ τὰ περὶ Μάγων γράψαντες. Μὴ γὰρ ἂν εἰς τὸν ἥλιον βέλη Ξέρξην ἀκοντίσαι, μηδ' εἰς τὴν θάλασσαν πέδας καθεῖναι· θεοὺς ὑπὸ τῶν Μάγων παραδεδομένους. Τὰ μέντοι ἀγάλματα εἰκότως καθαιρεῖν. Lucianus Longævis: οἱ καλούμενοι μάγοι, γένος τοῦτο μαντικὸν καὶ θεοῖς ἀνακείμενον παρά τε Πέρσαις καὶ Πάρθοις καὶ Βακτρίοις καὶ Χωρασμίοις καὶ Ἀρείοις καὶ Σάκαις καὶ Μήδοις καὶ πολλοῖς ἄλλοις Βαρβάροις. Sufficiant hæc ad eruendam deſcriptionem & notitiam Magorum. Hæc igitur elicimus:

I. Magos ortos eſſe à Zoroaſtre, antiquiſſimo philoſopho gentium Aſiæ ultra Tigrim à Perſico Sinu ad mare Caſpium. Potiſſimum ad Caſpium, quod hæc ſuperſtitio accoluit & inde uſque ſupra Indos.

II. Perſæ antiquitus ante Zoroaſtrem, deos eoſdem coluerunt cum Aſſyriis & Babyloniis, ſi fides maximis authoribus, quos laudat Agathias. Niſi ejus laudatio fallax ſit.

III. Zoroaſter ille, quantæcunque ſit antiquitatis poſt Moſen fuit. Vaniſſimum enim eſt, quod Plinius dicit, Moſen multis millibus annorum illo recentiorem fuiſſe. Sub Hyſtaſpe fuiſſe dicunt.

IV. Zoroaſter, qui Perſas docuit magiam, à quibuſdam dicebatur adveniſſe è regionibus ultra zonam torridam. Id Hermippus tradidit & hoc volunt verba Arnobii ſupralaudata. Hæc ita diſtinguit magnus Salmaſius: *Age nunc veniat, qui ſuper igneam Zonam magus, interiore ob orbe Zoroaſtres, Hermippo ut aſſentiamur auctori, Bactrianus. Et ille conveniat* &c. Perperam. Nam Hermippus non ſcripſit Zoroaſtrem illum qui Perſas magiam docuit fuiſſe Bactrianum at Æthiopem ab interiore orbe. Bactrianus Zoroaſtres rex fuit, cum quo Ninus bella geſſit. Equacumque regione ortus magus, qui rex non fuit, qui magiam primus docuit, in Perſide vixit & docuit.

V. Fuerunt magi præpoſiti deorum cultui. Quamvis magica profeſſio & ſacerdotii munus idem non fuerint. At quia ſacerdotio alii non præficiebantur, hinc eſt quod Plato magum interpretetur, quod idem ſit quod ſacerdos. Sic etiam Porphyrius de abſtin. lib. v. Παρά γε μὴν τοῖς Πέρσαις, οἱ περὶ τὸ θεῖον σοφοὶ καὶ τούτου θεράποντες Μάγοι μὲν προσαγορεύονται. Τοῦτο γὰρ δηλοῖ κατὰ τὴν ἐπιχώριον διάλεκτον ὁ Μάγος.

VI. Quod dicunt ſub regé Hyſtaſpe fuiſſe Zoroaſtren, quomodo cum Hiſtoria concilies? Conſtat Perſas fuiſſe Medis ſubjectos uſque ad Cyri imperium. Hic Cyrus Cambyſis Perſæ filius, Cyri Nepos fuit. Quod ſi Perſas regnatos fuiſſe propriis regibus exiſtimes, qui tamen Medis ſuberant, quis fuit ille Hyſtaſpes, quo tempore vixit? Ammianus Marcellinus Darii patrem facit, audaci definitione, Agathias dicit definiri non poſſe fueritne Darii pater, an alius Hyſtaſpes. Ammianus Marcellinus Magiam non eſſe inventam narrat à Zoroaſte Bactriano, ſed eum regem illi ſcientiæ multa addidiſſe ex Chaldæorum diſciplinis. Hyſtaſpem autem regem (ipſe regi attribuit, quod alii Zoroaſtri ſub iſto rege florenti) ſenſibus magorum infudiſſe, quæ apud Gymnoſophiſtas didicerat. Porphyrius loco ſupra adducto: οὕτω δὲ μέγα καὶ σεβά-

σεβάσμιον γένος. τοῦτο παρὰ Πέρσαις νενόμισται ὥστε καὶ Δαρεῖον τὸν Ὑστάσπου ἐπιγράψαι τῷ μνήματι πρὸς τοῖς ἄλλοις ὅτι καὶ μαγικῶν γένοιτο διδάσκαλος. Glorioſum erat regibus aliquando Magiam non ſolum didiciſſe ſed & docuiſſe. Cum igitur hujus Marii pater magicas diſciplinas admodum excultum iſſet, illi ex vero attributum eſt, quod Magica auxerit, quamvis major fuerit Zororſtris ſecundi ſcientia, qui plurima addidit. Zoroaſtres primus ſexcentis annis bello Xerxis prior, qui ignis cultum invenit ſive Perſis intulit. Abrahami igitur tempore ne quidem apud Perſas ignis in veneratione fuit, nedum apud Chaldæos.

VII. Magorum diſciplina ſic diſtinguitur à diſciplinis Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum apud Porphyrium in vita Pythagoræ: Ἔτι δὲ καὶ περὶ τῆς διδασκαλίας αὐτοῦ οἱ πλείους· τὰ μὲν τῶν μαθηματικῶν καλουμένων ἐπιστημῶν, παρ' Αἰγυπτίων τε καὶ Χαλδαίων καὶ Φοινίκων φασὶν ἐκμαθεῖν· γεωμετρίας μὲν γὰρ ἐκ παλαιῶν χρόνων ἐπιμεληθῆναι Αἰγυπτίους· τὰ δὲ περὶ ἀριθμοὺς τε καὶ λογισμοὺς Φοίνικας· Χαλδαίους δὲ τὰ περὶ τὸν οὐρανὸν θεωρήματα· περὶ δὲ τὰς τῶν θεῶν ἁγιστείας καὶ τὰ λοιπὰ περὶ τὸν βίον ἐπιτηδευμάτων παρὰ τῶν μάγων φησὶ διακοῦσαι καὶ λαβεῖν. Ægyptii igitur geometriam, Phœnices numerorum ſcientiam, Chaldæi ſideralem contemplationem, magi deorum cultum docuerunt.

VIII. Secundum Plinium potiſſimum idque ex Oſtane, philoſophiæ iſtius Perſicæ fuerunt partes tres I. Divinandi ſcientia & prædictionum. II. Vi carminum, herbarum aliarumque rerum certo modo adhibitarum mira efficere eoque diis & dæmonibus imperare. III. Deos noſſe & omnem ſacrorum rationem. Hæ partes ſuis præceptionibus diſtinctæ, conjungebantur uſu; quia nulla ſine præſidio & ſocietate alterius poterat exerceri. Divinandi ſpecies plures ſunt. Namque, ut loquitur Plinius ex *aqua, ſpharis, aëre, ſtellis, lucernis, pelvibus, ſecuribusque & multis aliis divina promittit.* Ex hac ſcientiæ parte magi apud Matthæum edocti ſunt de ortu Jeſu Chriſti. Cognoverunt enim ex ἀςρομαντείᾳ regem Judæorum natum eſſe. Deus illos duxit eduxitque vaniſſimæ artis regulis veritatis partem inſerendo, quæ admiranda συγκατάβασις & omnem benignitatis modum ſupergreſſa. Per ipſam vanitatem duxit, ut è vanitate educeret. Nempe ad modum vanitatis ſtellam eorum contemplationibus ſubjecit, ut ad Jeſum Chriſtum adorandum deducerentur & hinc ad ſacra prophetarum oracula è quibus priſcam ſuperſtitionem diſcerent abominari. Vulgata ſententia eruditorum eſt fuiſſe aſtrologos: unde & ipſi aſtrologi ſuæ judiciariæ ματαιοτεχνίᾳ pondus addi arbitrantur. Animadvertendum eſt, aſtrologiam & aſtromantiam non eſſe idem. Aſtrologia divinat tantum è ſiderum motu poſituque, aſtromantia etiam è figura & habitu corporis ſideralis. Poſitum in parte cæli aliter conſiderabant quam aſtrologi. Si fuiſſent aſtrologi, quam ſcientiam ſuo orbe doctrinarum non includebat Magia, Spiritus S. dixiſſet potius aſtrologos veniſſe quam magos. Quod ſi etiam fuiſſent magi ſimul & aſtronomi, id fuiſſet adſcriptum, quod cauſam adductionis habuit. Miratus ſæpe ſum, cur magi adducti fuerint per ſtellam, quia per aſtrologiam non debuerunt nec potuerunt inſtrui magi. Qui pertendit aſtrologos fuiſſe, doceat magiæ partem fuiſſe aſtrorum ſcientiam, quod nemo veterum dixit, aut magum & aſtrologum eundem eſſe. Matthæus etiam digitum intendit in rem ipſam, quando Magos Hieroſolyma ingreſſos inducit dixiſſe: *ubi eſt rex Iudæorum, qui natus eſt. Nam vidimus Stellam ejus* &c. Id dicunt ſe non ex aſtrorum motu & cælo mathematicorum vidiſſe, quod rex natus eſſet, ſed ejus ſe ſtellam vidiſſe. Nempe ſtellam ita figuratam coloratamque & ejuſmodi lineamentis inſcriptam notatamque, quæ ſe eſſe proderet Judaici regis ſtellam & eum natum eſſe ſignificaret. Divina alloquia ex-

actius

actius interpretata eſſe hoc portentum negari non poteſt, veruntamen prima εἰσαγωγὴ fuit in portenti exortu & habitu. Habitus novæ ſtellæ id eſt novi Φαινομένων indicabat ipſis novum in Judæa regem natum eſſe: exortus ipſius, quo nouum ſidus erat, non de ordinariis & perpetuis, at accenſum & periturum, loquebatur, illius regis ſidus eſſe illius ortus ſignificandi gratia exortum. Ulterior inſtitutio acceſſit ab oraculis & reſponſis Dei, quem hoc principio agnoſcere cœperunt. Hoc ex occaſione.

IX. Altera pars Magiæ pollicebatur efficientiam rerum admirabilium. Ut, elementa concitare, tempeſtates ciere, ſidera cælo deducere, manes & deos inferos educere, facere ea, quæ naturam ſuperant. Hoc eſt, quod Nero voluit, diis imperare. Diſerte dicit Plinius ex Oſtane, umbrarum inferorumque colloquia in Perſarum magia promitti. Laertius hujus partis non meminit, niſi quod è Sotione referat θεοὺς αὐτοῖς ἐμφανίζεσθαι. At hoc referri poſſet ad viſionis alias ſpecies; per quietem aut vigilantibus, cum dii non evocati apparent. γοητείαν ignoraſſe Perſarum magos narrant autores. Γόητες dicti, qui Latine *venefici*, ut eſt in gloſſario. Hi venenis amorem, morbos, impotentiam Veneris, delirium, mortem conciliabant. Pharmacis addebant incantamina, quibus elementa, ſidera & deos etiam ſe concitare jactabant. Cum reipſa talia non præſtarentur faſcino illudebant oculis hominum. Quæ præſtigiæ erant, cum videretur eſſe & agi, quod non erat. Præſtigiator ψηφοπαίκτης in Gloſſario, quia calculis luſitabat & mira præſtare videbatur ac repræſentare, quæ non agerentur. Ariſtoteles & Dinon, referente Laertio, teſtes ſunt magos Perſarum γοητικὴν μαντείαν non ſciviſſe. Plinius etiam diſtinguit veneficas artes à Magicis. *Proinde*, inquit, *ita perſuaſum ſit, inteſtabilem, irritam, inanem eſſe, habentem tamen quaſdam veritatis umbras, ſed in his veneficas artes pollere non magicas.* ὀνειροκριτικὴν Ægyptii, Chaldæi, Magi coluerunt, ut oſtendunt hiſtoriæ. Magi interpretati ſunt Aſtyagi ſomnia de filia & nepote Cyro. Apud Ciceronem de Divinatione Cyro ſomnium exponunt de triplici appetitione Solis, notante triginta annos vertentes, quibus imperium habiturus erat. Notandum quod dæmonas noverint à Deo diſtinguere, & angelos à Deo vero, ſi nos non fallit nec falſus fuit Minutius Felix in Octavio: *Magi quoque non tantum ſciunt dæmonas, ſed etiam quicquid miraculi ludunt, per dæmonas faciunt illis adſpirantibus & infundentibus præſtigias edunt; vel quæ ſunt non videri. Eorum magorum & eloquio & negotio primus Hoſtanes & verum Deum merita majeſtate proſequitur & angelos id eſt miniſtros & nuntios Dei ſed veri ejusque venerationi novit aſſiſtere, ut nutu ipſo & vultu Domini territi contremiſcant. Idem etiam dæmonas prodidit terrenos, vagos, humanitatis inimicos.* Fieri non poteſt, ut ignoraverint angelos bonos maloſque, qui Deum ſummum duplicem bonum malumque crediderunt & naturales deos μεσίτας ac conciliatores boni.

X. Religionem optimè callebant & deorum cultum, cui præfecti erant. Id in locis ſcriptorum adductis patet. Preces & hymnos ipſi canebant. Hinc narrat Curtius de ordine agminis Darii: *Ignis, quem ipſi ſacrum & æternum vocabant, argenteis altaribus præferebatur. Magi proximi patrium carmen canebant.* Rurſum ubi Alexandrum Babylonii ſuſcipiunt intra urbem: *Magi ſuo more patrium carmen canentes.* Sacrorum modum ita deſcribit Herodotus lib. 1. 132. θυσίη δὲ τοῖσι Πέρσῃσι περὶ τοὺς εἰρημένους θεοὺς ἥδε κατέστηκε. οὔτε βωμοὺς ποιεῦνται οὔτε πῦρ ἀνακαίουσι μέλλοντες θύειν· οὐ σπονδῇ χρέωνται, οὐκὶ αὐλῷ, οὐ στέμμασι, οὐκὶ οὐλῇσι. τῶν δὲ ὡς ἑκάστῳ θύειν θέλει, ἐς χῶρον καθαρὸν ἀγαγὼν τὸ κτῆνος, καλέει τὸν θεόν, ἐστεφανωμένος τὴν τιάραν μυρσίνῃ μάλιστα. ἑωυτῷ μὲν δὴ τῷ θύοντι ἰδίῃ μούνῳ οὔ οἱ ἐγ-

γίνεται ἀρᾶσθαι ἀγαθά. ὁ δὲ πᾶσι τοῖς Πέρσῃσι κατεύχεται εὖ γίνεσθαι καὶ τῷ βασιλέϊ. ἐν γὰρ δὴ τοῖσι ἅπασι Πέρσῃσι καὶ αὐτὸς γίνεται· ἐπεὰν δὲ διαμιστύλας κατὰ μέρεα τὸ ἱρήϊον, ἑψήσῃ τὰ κρέα, ὑποπάσας ποίην ὡς ἁπαλωτάτην, μάλιστα δὲ τὸ τρίφυλλον, ἐπὶ ταύτης ἔθηκε ὦν πάντα κρέα. Διαθέντος δὲ αὐτοῦ, μάγος ἀνὴρ παρεστεὼς ἐπαείδει θεογονίην, οἵην δὴ ἐκεῖνοι λέγουσι εἶναι τὴν ἐπαοιδήν. Ἄνευ γὰρ δὴ μάγου οὔ σφι νόμος ἐστὶ θυσίας ποιέεσθαι· ἐπισχὼν δὲ ὀλίγον χρόνον ἀποφέρεται ὁ θύσας τὰ κρέα καὶ χρᾶται ὅτι μιν ὁ λόγος αἱρέει. *Sacrificii modus Perſis circa deos dictos talis eſt. Non faciunt aras, neque ignem accendunt ſacra facturi. Non utuntur libatione, neque tibia, non corona neque molis: ut quilibet ſacra facere vult, in locum purum ducta pecude invocat Deum, tiaram cinctus maximè myrto. Sibi autem ſoli qui ſacra facit privatim non licet bona precari: ſed precatur ut bene ſit omnibus Perſis & regi. Nam in omnibus Perſis etiam ipſe eſt. Cum autem membratim victimam concidit, carnesque elixavit: ſubſtrata herba molliſſima, potiſſimum trifolio, carnes imponit. Vbi ille diſpoſuit, adſtans vir magus accinit Theogoniam, quam illi dicunt eſſe incantationem. Nam non eſt ipſis mos abſque mago ſacra facere. Moratusque exiguo tempore, qui ſacra facit, aufert carnes & utitur, ut collubitum eſt.* Mira verò ſacrificii ratio abſque igne. Deos coluerunt inde ab initio Jovem, Solem, Lunam, tellurem, ignem, aquam & ventos. Uraniæ ſacra facere didicerunt ab Aſſyriis & Arabibus. Nempe Perſæ coluerunt ab origine deos naturales deos verò ex hominibus factos colere ab exteris didicerunt. Jovem appellabant τὸν κύκλον πάντα τοῦ οὐρανοῦ. In ordine agminis Perſici à Curtio deſcripti præcedit ignis, ſequuntur trecenti ſexaginta quinque juvenes puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero. Hi ſolem ſue illius annum repræſentabant. *Currum deinde Iovi ſacrum albentes vehebant equi. Hos eximiæ magnitudinis equus quem Solis appellabant, ſequebatur. Aurea virga & alba veſtes regentes equos adornabant. Haud procul erant vehicula decem, multo auro argentoque celata &c.* Ignem coluerunt Magi & Perſæ, ſupra omnia & Solem. Teſtantur autores Perſas Solem appellaſſe Mithram. Strabo lib. 15. θύουσι δ' ἐν ὑψηλῷ τόπῳ τὸν οὐρανὸν ἡγούμενοι Δία. τιμῶσι δὲ καὶ ἥλιον ὃν καλοῦσι Μίθραν, καὶ σελήνην καὶ ἀφροδίτην καὶ πῦρ καὶ γῆν καὶ ἀνέμους καὶ ὕδωρ. Heſychius: Μίθρας ὁ ἥλιος παρὰ Πέρσαις. Veteres inſcriptiones: *Soli invicto Mithra.* Quod apud Plinium lib. 36. cap. 8. legitur de Mitre, qui in Solis urbe regnavit, non debet confundi cum Mithra Perſarum. Sic vulgo Mithræ vocabulum de Sole exponitur, at apud Curtium videtur diſtingui Mithræ nomen à Sole & igne, lib. 4. *Solem & Mithram, ſacrumque & æternum invocans ignem.* Sic legendum pro Solem & Martem. Nam Perſæ Martem non coluerunt. Julius Firmicus de errore profanarum religionem: *Perſæ & magi omnes qui Perſiæ regionis incolunt fines, ignem præferunt & omnibus elementis putant debere præponi. Hi itaque Iovem in duas dividunt poteſtates, naturam ejus ad utrumque ſexum transferentes & viri & feminæ ſimulachra ignis ſubſtantiam deputantes: & mulierem quidem triformi vultu conſtituunt, monſtroſis eam ſerpentibus illigantes. Quod ideo faciunt ne ab auctore ſuo Diabolo aliqua ratione diſſentiant: ſed ut Dea ſua ſerpentibus polluta, maculoſis Diaboli inſignibus adornetur. Virum vero abactorem boum colentes, ſacra ejus ad ignis transferunt poteſtatem. Sicut propheta ejus nobis tradidit, dicens:* Μυκτῆβου μυστένο ὁ κλεπτῆς συνδέξι πατρὸς ἀγαυοῦ. *Hunc Mithram dicunt. Sacra vero ejus in ſpeluncis abditis tradunt, ut ſemper obſcuro tenebrarum ſqualore demerſi, gratiam ſplendidi ac ſereni luminis non videant. Ocaci numinis conſecratio, O nefaria legis fugienda commenta: Deum eſſe credis, cujus de ſceleribus confiteris &c.* Verba illa Græca ingenioſiſſimè emendavit Scaliger: Μυκηταῖο βοὸς μύσται —— Κύκλα βοοκλοπίης συναίδετε πατρὸς ἀγαυοῦ. Hæc Mithræ myſteria ita explicat Tertullianus: de corona militis: *Erubeſcite Romani commilitiones*

litones ejus, non ab ipſo judicandi ſed ab aliquo Mithra milite. Qui cum initiatur in ſpelæo, in caſtris verè tenebrarum, coronam interpoſito gladio ſibi oblatam quaſi mimum martyrii, dehinc capiti ſuo accommodatam, monetur obvia manu capite ſuo depellere & in humerum ſi forte transferre, dicens Mithram eſſe coronam ſuam. Atque exinde nunquam coronatur: id quod in ſignum habet ad pro[...]ationem ſui, ſicubi tentatus fuerit de ſacramento: Statimque creditur Mithra miles ſi dejecerit coronam, ſi eam in Deo ſuo eſſe dixerit. De præſcriptionibus adverſus hæreticos. *A diabolo ſcilicet, cujus ſunt partes intervertendi veritatem, qui ipſas quoque res ſacramentorum divinorum, in idolorum myſteriis æmulatur. Tingit & ipſe quoſdam, utique credentes & fideles ſuos: expiationem delictorum de lavacro repromittit & ſic adhuc initiat Mitha: ſignat illic in frontibus milites ſuos, celebrat & panis oblationem & imaginem reſurrectionis inducit & ſub gladio redimit coronam.* libr. 1. adv. Marcionem: *Sicut avida & ardentis naturæ ſacramenta, leones Mithræ philoſophantur.* Porphyrius nunc illa myſteria enarret & magorum caſtus: de Abſtinentia lib. 4. Διήρηντο γὰρ οὗτοι εἰς γένη τρία ὥς φησι Συμβαλος (leg ὁ Εὔβουλος,) ὅπερ τὴν τοῦ Μίθρα ἱστορίαν ἐν πολλοῖς βιβλίοις ἀναγράψας. Ὧν οἱ πρῶτοι καὶ λογιώτατοι οὔτ' ἐσθίουσιν ἔμψυχον οὔτε φονεύουσιν, ἐμμένουσι δὲ τῇ παλαιᾷ τῶν ζῴων ἀποχῇ. οἱ δὲ δεύτεροι χρῶνται μὲν, οὐ μέντοι τῶν ἡμέρων ζῴων τι κτείνουσιν. οὐδ' οἱ τρίτοι ὁμοίως τοῖς ἄλλοις ἐφάπτονται πάντων· Καὶ γὰρ δόγμα πάντων ἐστὶ τῶν πρώτων τὴν μετεμψύχωσιν εἶναι. ὃ καὶ ἐμφαίνειν ἐοίκασιν ἐν τοῖς τοῦ Μίθρα μυστηρίοις. Τὴν γὰρ κοινότητα ἡμῶν τὴν πρὸς τὰ ζῷα αἰνιττόμενοι, διὰ τῶν ζῴων ἡμᾶς μηνύειν εἰώθασιν. Ὡς τοὺς μὲν μετέχοντας τῶν αὐτῶν ὀργίων μύστας λέοντας καλεῖν, τὰς δὲ γυναῖκας ὑαίνας (emendant λεαίνας) τοὺς δὲ ὑπηρετοῦντας κόρακας. ἐπί τε τῶν πατέρων· ἀετοὶ γὰρ καὶ ἱέρακες οὗτοι προσαγορεύονται). ὅτι τὰ λεοντικὰ παραλαμβάνων· ὧν τὴν αἰτίαν ἀποδιδοὺς Πάλλας ἐν τοῖς περὶ τοῦ Μίθρα, τὴν κοινήν φησι φορὰν οἴεσθαι ὡς πρὸς τὴν τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου ἀποτείνειν· τὴν δὲ ἀληθινὴν ὑπόληψιν καὶ ἀκριβῆ περὶ τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν αἰνίττεσθαι ἃς παντοδαποῖς περιέχεσθαι σώμασι λέγουσι. De antro nympharum: Οὕτω καὶ Πέρσαι τὴν εἰς κάτω κάθοδον τῶν ψυχῶν καὶ πάλιν ἔξοδον μυσταγωγοῦντες, τελοῦσι τὸν μύστην, ἐπονομάσαντες σπήλαιον τόπον. Πρῶτα μὲν, ὡς ἔφη Εὔβουλος, Ζωροάστρου αὐτοφυὲς σπήλαιον ἐν τοῖς πλησίον ὄρεσι τῆς Περσίδος ἀνθηρὸν καὶ πηγὰς ἔχον ἀνιερώσαντος, εἰς τιμὴν τοῦ πάντων ποιητοῦ καὶ πατρὸς Μίθρου, εἰκόνα φέροντος, αὐτῷ τοῦ σπηλαίου τοῦ κόσμου, ὃν ὁ Μίθρας ἐδημιούργησε. Τῶν δὲ ἐντὸς κατὰ συμμέτρους ἀποστάσεις, σύμβολα φερόντων τῶν κοσμικῶν στοιχείων καὶ κλιμάτων. Μετὰ δὲ τοῦτον τὸν Ζωροάστρην κρατήσαντος καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις, δι' ἄντρων καὶ σπηλαίων εἴτ' οὖν αὐτοφυῶν εἴτε χειροποιήτων τὰς τελετὰς ἀποδιδόναι &c. A Zoroaſtre inſtitutum eſſe ut Mithræ myſteria agerentur, in antro, quia antra & ſpecus mundo ſacrabantur, ut diis cæleſtibus ναοί τε καὶ ἕδη καὶ βωμοί: terreſtribns vero & heroibus ἐσχάραι; ſubterraneis ſive inferis βόθροι καὶ μέγαρα. Iterum: Ὅταν μὲν οὖν τοῖς τὰ λεοντικὰ μυουμένοις, εἰς τὰς χεῖρας ἀνθ' ὕδατος μέλι νίψασθαι ἐγχέωσι, καθαρὰς ἔχειν τὰς χεῖρας παραγγέλλουσιν ἀπὸ παντὸς λυπηροῦ καὶ βλαπτικοῦ καὶ μυσαροῦ καὶ ὡς μύστῃ καθαρτικοῦ ὄντος τοῦ πυρὸς οἰκεῖα νίπτρα προσάγουσι, παραιτησάμενοι τὸ ὕδωρ ὡς πολέμιον τῷ πυρί. Καθαίρουσι δὲ τὴν γλῶσσαν τῷ μέλιτι ἀπὸ παντὸς ἁμαρτωλοῦ. Iterum: Τῷ μὲν οὖν Μίθρᾳ οἰκείαν καθέδραν τὴν κατὰ τὰς ἰσημερίας ὑπέταξαν. Διὸ κριοῦ φέρει Ἀρηΐου ζῳδίου τὴν μάχαιραν· ἐποχεῖται δὲ ταύρῳ Ἀφροδίτης. ὡς καὶ ὁ ταῦρος δημιουργὸς ὢν ὁ Μίθρας καὶ γενέσεως δεσπότης. κατὰ τὸν ἰσημερινὸν δὲ τέτακται κύκλον &c. Strabo lib. 15. loco dicto ſacrificandi rationem docet, poſtquam recenſuiſſet deos, quos coluerunt. Θύουσι δὲ ἐν καθαρῷ τόπῳ κατευξάμενοι καὶ παραστησάμενοι τὸ ἱερεῖον ἐστεμμένον. Μελίζαντος δὲ τοῦ μάγου τὰ κρέα, τοῦ ὑφηγουμένου τὴν ἱερουργίαν, ἀπίασι διελόμενοι, τοῖς θεοῖς οὐδὲν ἀπονείμαντες μέρος. Τῆς γὰρ ψυχῆς φασι τοῦ ἱερείου δεῖσθαι τὸν θεὸν, ἄλλου δὲ οὐδενός· ὅμως δὲ ἐπίπλου τι μικρὸν τιθέασιν, ὡς λέγουσί τινες, ἐπὶ τὸ πῦρ. Διαφερόντως δὲ τῷ πυρὶ καὶ τῷ ὕδατι θύουσι, τῷ μὲν πυρὶ προστιθέντες ξηρὰ ξύλα τοῦ λέπους

χοῦς, πιμελὴν ἐπιθέντες ἄνωθεν· οὐθ' ὑφάπτουσιν ἔλαιον καταχέαντες, οὐ φυσῶντες ἀλλὰ ῥιπίζοντες. Τοὺς δὲ φυσήσαντας ἢ νεκρὸν ἐπὶ πῦρ θέντας, ἢ βόλβιτον, θανατοῦσι. Τῷ δὲ ὕδατι ἐπὶ λίμνην ἢ ποταμὸν, ἢ κρήνην ἐλθόντες, βόθρον ὀρύξαντες, εἰς τοῦτον σφαγιάζουσι, φυλαττόμενοι μή τι τοῦ πλησίον ὕδατος καθαροῦ αἱμαχθείη, ὡς μιανοῦντες. εἶτ' ἐπὶ μυρρίνην ἢ δάφνην διαθέντες τὰ κρέα ῥαβδοῖς λεπτοῖς ἐφάπτονται οἱ μάγοι καὶ ἐπᾴδουσιν ἀποσπένδοντες ἔλαιον ὁμοῦ γάλακτι καὶ μέλιτι κεκραμένον, οὐκ εἰς πῦρ οὐχ ὕδωρ, ἀλλ' εἰς τοὔδαφος. Τὰς δ' ἐπῳδὰς ποιοῦνται πολὺν χρόνον ῥάβδων μυρικίνων λεπτῶν δέσμην κατέχοντες. Subjicit de Pyræthis Cappadociæ: Ἐν δὲ τῇ Καππαδοκίᾳ (πολὺ γάρ ἐστι τὸ τῶν μάγων φῦλον, οἳ καὶ Πύραιθοι καλοῦνται· πολλὰ δὲ καὶ τῶν Περσικῶν θεῶν ἱερά) οὐδὲ μαχαίρᾳ θύουσι, ἀλλὰ κορμῷ τινι ὡς ἂν ὑπέρῳ, τύπτοντες. Ἔστι δὲ καὶ Πυραιθεῖα, σηκοί τινες ἀξιόλογοι. ἐν δὲ τούτοις μέσοις βωμὸς, ἐν ᾧ πολλή τε σποδὸς καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσιν οἱ μάγοι. Καθ' ἡμέραν δὲ εἰσιόντες, ἐπᾴδουσιν ὥραν σχεδόν τι, πρὸ τοῦ πυρὸς τὴν δέσμην τῶν ῥάβδων ἔχοντες, τιάρας περικείμενοι πιλωτὰς καθηκούσας ἑκατέρωθεν, μέχρι τοῦ καλύπτειν τὰ χείλη καὶ τὰς παραγναθίδας. Ταῦτα δ' ἐν τοῖς τῆς Ἀναΐτιδος καὶ τοῦ Ὠμανοῦ ἱεροῖς νενόμισται. Τούτων δὲ σηκοί εἰσι καὶ ξόανον τοῦ Ὠμανοῦ πομπεύει. Hi Cappadociæ magi à Perſarum inſtitutis videntur degeneraſſe, quia aras & ſtatuas in uſu habuerunt. Sed docet Clemens antiquiſſimum illud inſtitutum de non habendis delubris & aris & imaginibus mutatum eſſe ab Artaxerxe & ſic πυραθεῖα haberi cœperunt. Clemens admonit. ad Gentes: Περσῶν δὲ οἱ μάγοι τὸ πῦρ τετιμήκασι καὶ τῶν τὴν Ἀσίαν κατοικούντων πολλοί. Πρὸς δὲ καὶ Μακεδόνες, ὥς φησι Διογένης ἐν πρώτῳ Περσικῶν. Τί μοι Σαυρομάτας καταλέγειν, οὓς Νυμφόδωρος ἐν νομίμοις βαρβαρικοῖς τὸ πῦρ σέβειν ἱστορεῖ, ἢ τοὺς Πέρσας καὶ τοὺς Μήδους καὶ τοὺς μάγους; Θύειν ἐν ὑπαίθρῳ τούτους ὁ Δίνων λέγει, θεῶν ἀγάλματα μόνα τὸ πῦρ καὶ ὕδωρ νομίζοντας. Deinde: Μετὰ πολλὰς μέντοι ὕστερον περιόδους ἐτῶν ἀνθρωποειδῆ ἀγάλματα σέβειν αὐτοὺς Βηρωσσὸς ἐν τρίτῃ Χαλδαϊκῶν παρίστησι· τοῦτο Ἀρταξέρξου τοῦ Δαρείου τοῦ Ὤχου εἰσηγησαμένου, ὃς πρῶτος τῆς Ἀφροδίτης Ταναΐδος τὸ ἄγαλμα ἀναστήσας ἐν Βαβυλῶνι καὶ Σούσοις καὶ Ἐκβατάνοις, Πέρσαις καὶ Βάκτροις καὶ Δαμασκῷ καὶ Σάρδεσιν ὑπέδειξε σέβειν. Abſque omni dubio, quæ dicitur Clementi è Beroſo Ἀφροδίτη Ταναΐς, eſt quam appellat Strabo τὴν Ἀναΐτιν. Interpretes πυραθεῖα fuiſſe in idololatria regum Judæ exiſtimant, de quo ſuo loco, ſi ita viſum Deo fuerit. Diſcimus Perſas maxime coluiſſe ignem & aquam ex elementis ſeu rebus naturalibus, quas putabant eſſe deorum imagines. Sub his igitur imaginibus coluerunt Oromaſden & Arimanium, item deos illos, quos poſteà ſive prius ex hominibus aſſumpſerunt. Sacrificia fecerunt in aperto, loco ſublimi, initia ſua in antro celebrarunt. Victimas tantum mactarunt, diis eorumque imaginibus animam, ſibi corpus reſervantes. Salmaſius dicit non immolaſſe ὁλόκαυστα. In quo vir ſummus falſus non eſt ſi prima tempora & primos mores non complectatur. Nam non immolarunt omninò quia nulla eſt immolatio de qua non venit אִשֶּׁה, κάρπωμα. Sacrificia igitur alia omninò comburebantur, alia ex parte. Narrat Strabo quoſdam partem proſecuiſſe ſacrificiorum quæ generaliter dicta fuerunt כָּלִיל. Narrat Socrates Marutham Meſopotamiæ epiſcopum ſanaſſe regis Perſidis diuturnam cephalalgiam, quam magi ſanare non potuerant. Ut igitur regem à fide Chriſti deterrerent machinatos eſſe magos ſubterra loquelam occultam, quæ ab igne profecta eſſe putaretur. Καὶ ἐπειδὴ οἱ Πέρσαι τὸ πῦρ σέβουσιν (εἰώθει δὲ ὁ βασιλεὺς ἐν οἴκῳ τινὶ τὸ διηνεκῶς καιόμενον πῦρ προσκυνεῖν) ὑπὸ γῆν κατακρύψαντες ἄνθρωπον &c. Non dicit ſcriptor fuiſſe ναὸν *fanum* &c. Rex hic Iſdigerdes erat.. Sub Sapore ingens perſecutio fuit, qua hauſti eſſe dicuntur ſedecies mille martyres, furore Magorum accendente regem & pugnante pro adoratione Solis. Solem adorare aut ignem ejuſdem ſuperſtitionis erat. In Sole enim ut in igne imaginem Dei colebant. Ipſi igni

facie-

faciebant, quem in ara habebant ſeu foculo, ligna arida. Maximus Tyrius erat. 39. τὸ δὲ βαρβαρικὸν, ὁμοίως ἅπαντες μὲν ξυνετοὶ τοῦ θεοῦ, κατεσήσαντο δὲ αὐτοῖς σημεῖα, ἄλλοι ἄλλα· πέρσαι μὲν πῦρ ἄγαλμα ἐφήμερον, ἀκόρεστον καὶ ἀδηφάγον· Καὶ θύουσι πέρσαι πυρὶ, ἐπιφοροῦντες αὐτῷ τὴν πυρὸς τροφὴν, ἐπιλέγοντες, πῦρ δέσποτα ἔσθιε. Quod Strabo & Herodotus dicunt Perſas colere ignem, aquam, Solem ventos alioſque deorum, id ſic intelligendum, quod ſub his imaginibus coluerint duo illa principia, boni unum, alterum mali. Etiam credo illos, quos ab iſtis factos eſſe dicebant. Oromazen vocabant illum bonum, quam vocem Arabes concipiunt يزدان *Iazdan*. Arimanium vocabant alterum, quod apud Arabes eſt اهرمن *Ahriman*. Abulfeda, producente Pococco: لما عظموا النور عبدوا النيران *Eo quod lucem magni faciant, ignes colunt.* Sub ignibus igitur coluerunt Oromaſden, eodemque ſenſu Solem potiſſimum adoravere. Hactenus de magis eorumque religione diſſeruiſſe ſatis ſit. Ignis cultum magis Perſiſque & iis populis qui inde coluerunt verſus Septentrionem & à Japhet originem duxerunt, fuiſſe in uſu patet. Origo cultus debetur Zoroaſtri, qui Abrahamo poſterior fuit. Cum igitur Babylonii & Aſſyrii ignem non coluerint, nec Meſopotameni inter quos Abram vixit: cumque Abraham antiquior ſit Zoroaſtre, fabuloſum eſt, ab ignis cultoribus in ignem conjectum eſſe & inde divinitus liberatum, aliò conceſſiſſe.

Prima Habitatio] id certum eſt Abrahami primam habitationem fuiſſe in Chaldæa. Hæc illius Patria, hic cognatio fuit. Quo tempore ſe illuc patriarcharum ſtirps contulerit è Tranſtigritana regione certum non eſt. Primi Patriarchæ trans Tiberim in oriente coluerunt, inde verſus occaſum proceſsére.

Inde Apud Charras Una Cum Patre] Deus Abrahamo præceperat, uti è patria terra in Cananæam emigraret. Pater ſe comitem dedit cum Haranis filio Lot. Nachor videtur ſubſtitiſſe in Chaldæa, at paulo poſt ad patrem ſe contulit. Hinc patria ſtirpis Abrahameæ facta eſt Haran, quo ſe poſtea Iſaac & Jacob contulere ut matrimonia ducerent.

Qua Tempestate Admonitus A Domino] Hinc duodecimum caput Geneſeos inferri incipit. Abrahami migrationem in Cànaan conſiderenus fuſius & diſtinctè. Notandum primò, quæ cauſa impulſiva; ſecundò, quo in loco Deus Abrahamum ſit allocutus; Tertio, Itineris quæ ratio; Quartò, Verbum Dei, quod locutus eſt ad Abrahamum; Quinto, Chananææ deſcriptio, qualis hac tempeſtate fuit. Cauſam impulſivam migrationis fuiſſe Judæi volunt Abrahami virtutem, ſapientiam & reverentiam numinis, zelumque pro vero Deo adverſus idololatras, id eſt, ut illi volunt, ignicolas Babyloniæ. Joſephus. Διὰ τοῦτο καὶ φρονεῖν ἐπ' ἀρετῇ μεῖζον τῶν ἄλλων ἠργμένος καὶ τὴν περὶ τοῦ θεοῦ δόξαν, ἣν ἅπασι συνέβαινεν εἶναι, καὶ νικῆσαι καὶ μεταβαλεῖν ἔγνω. πρῶτος οὖν τολμᾷ θεὸν ἀποφήνασθαι δημιουργὸν τῶν ὅλων ἕνα: τῶν δὲ λοιπῶν εἰ καί τι πρὸς εὐδαιμονίαν συντελεῖ κατὰ προσταγὴν τὴν τούτου παρέχειν ἕκαστον καὶ οὐ κατ' οἰκείαν ἰσχύν. εἴκαζε δὲ ταῦτα τοῖς γῆς καὶ θαλάττης παθήμασι, τοῖς τε περὶ τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην καὶ πᾶσι τοῖς κατ' οὐρανὸν συμβαίνουσι· δυνάμεως γὰρ αὐτοῖς παρούσης καὶ προνοῆσαι τῆς καθ' αὐτοὺς εὐταξίας, ταύτης δ' ὑστερουμένας φανερὰς γίνεσθαι μηδ' ὅσα πρὸς τὸ χρησιμώτερον ἡμῖν συνεργοῦσι κατὰ τὴν αὐτῶν ἐξουσίαν, ἀλλὰ τὴν τοῦ κελεύοντος ἰσχὺν ὑπουργεῖν. ᾯ καλῶς ἔχει μόνῳ τὴν τιμὴν καὶ τὴν εὐχαριστίαν ἀπονέμειν. Δι' ἅπερ Χαλδαίων τε καὶ τῶν ἄλλων Μεσοποταμιτῶν στασιασάντων πρὸς αὐτὸν, μετοικεῖν δοκιμάσας, κατὰ βούλησιν καὶ βοήθειαν τοῦ θεοῦ τὴν Χαναναίαν ἔσχε γῆν. *Ideò, quantum virtutem attinet, majora aliis ſapere exorſus & opinionem de Deo, quam omnibus evenerat eſſe, vincere & mutare decrevit. Primus igitur audet Deum prædicare, unum univerſi opificem: cæterorum*

autem ſi quid ad felicitatem conferat, juxta imperium illius præbere quodlibet non ſecundum propriam facultatem. Colligebat autem iſta, ex terra marisque accidentibus, iisq; quæ circa ſolem & lunam & cælum contingunt omnibus. Cum enim ipſis potentia adeſt, providere ſuæ ordinationi, deſtitutis autem evidenter oſtendi quod neque quæ utiliora ſint nobis cooperantibus, ſecundum ſuam poteſtatem ſed jubentis virtutem ſubminiſtrent. Ideo rectum eſſe, ut illi ſoli honorem & gratiarum actionem deferamus. Hinc Chaldæis aliisque Meſopotamitis inſurgentibus, cum viſum eſſet emigrare, ſecundum voluntatem & auxilium Dei Chananæam tenuit. Abrahamum cognoviſſe Deum arbitratur à contemplatione rerum naturalium, atque hoc modo commotum, adverſus opinionem πλυθείας vulgò receptam de uno Deo creatore prædicaſſe. Nos ſcimus rerum naturalium ſapientiam eſſe ejuſmodi, ut convincat erroris, neminem tamen ad veri apprehenſionem, ab ea eſſe adductum. Judæi igitur nimium ſuo Abrahamo attribuunt. Deus vocavit Abrahamum, non eſt vocatus ab Abrahamo. Ut à nemine agnoſcitur, quem ipſe non agnoverit prius; ſic & à nemine diligitur quem ipſe prius non dilexerit. Proſper de promiſſionibus & prædictionibus Dei: *Ex qua gente vocatus, dum primus crederet, pater fidei. gratia vocantis, meruit appellari. Chaldæi aſtronomiæ dediti dum callide poſitiones ſiderum perſcrutantur multum errantes circa cultum religionemque divinam creatorem rerum minimè perquirentes*, evanuerunt, *ut Paulus dicit*, in cogitationibus ſuis & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. *E quibus Abraham, non calliditate ſed calore divini cultus accenſus ab ſtultis & inſipientibus. Domini munere ſegregatus eſt.* Ralbag in Joſue XXIV. 2. in eo Dei benignitatem extolli כי מתהלה הז כל אבותינו עובדי ע״ז והיה מושבם בעבר הנהר והשי׳ לקח משם אברהם אבינו: *Quia primitus fuerunt patres noſtri idolorum cultores & fuit eorum habitatio trans flumen & Deus excelſus inde ſumpſit Abraham patrem noſtrum.* Id animadvertendum, non omnes homines deſciviſſe à Dei cultu ad idola, ea tempeſtate, qua Abraham eſt vocatus; ita fuerunt etiam familiæ Deum colentium tempore Exodi, aut paulo ante eam, qualis Jobi. Deinde Abrahamum videri abreptum fuiſſe patris avique cultu, eundemque coluiſſe Deum ex Gen. 31. 63. Exprobrat enim Laban Iſaco defectionem à patria & auita religione. Quemadmodum Deus in eo voluit miſericordiam patefacere vocando illum è defectione, qui communi impietate fuerat immerſus. Nempe erat ex illa linea, è qua patrum Chriſti ducenda erat origo. At videtur miſcuiſſe Abram ſimiliter patri & avo Deum cum fictitiis numinibus. Ex hac igitur fece ad Dei cultum purum traductus eſt Abram.

Deus non eſt Abrahamum allocutus in Charris, uti putat Sulpicius, quia allocutus eſt eum in Chaldæa. Qui in Charran Dei oraculum ipſi contigiſſe autumant, ſumunt ex eo argumentum, quia Abrahami vocatio refertur in cap. XII. cum migratio in Cananæam antecedenti capite fuiſſet expoſita. Secundò Stephanus diſerte dicit Abrahamum tranſlatum eſſe in Cananæam poſt mortem parentis. Cui & aſtipulari videtur Moſes referens Thare obitum ante vocationem Abrahami. Raſi duas rationes affert, quare retulerit Moſes obitum Thare ante egreſſum Abram. I. שלא יהא הדבר מפורסם לכל, *Quia univerſam rem non expoſuiſſet.* II. Quia Abraham non reveritus parentem, eum ut mortuum reliquit. Nempe in Scriptura impii vocantur mortui, dum adhuc in vivis ſunt, uti pii poſt mortem viventium voce afficiuntur. Quemadmodum in illo (2. Sam. 23. 20.) ובניהו בן יהוידע בן איש חי. Aben-eſdras componit per hyſterologiam. Nam. v. 31. capitis XI. ponit ante caput XII. והנכון בעיני שפרשת לך לך שאמר השם קודם זה הפסוק שהוא ויקח תרח וכמוהו בתורה באחד לחדש השני בשנה השנית ואחר כן בחדש הראשון בשנה השנית והעד שאמר

שאמר הכתוב ללכת ארצה כנען וכאשר בא תרח אל חרן ישר המקום בעיניו וישב שם ומת ואין מוקדם ומאוחר בתורה In hoc verſu eſſe repetitionem oraculi Abrahamo dati. Ejus indicium poſſe haberi ex eo, quod dicatur verſu 13. cap. XI. Thare profectum eſſe è Chaldæa, ut iret in terram Canaan. Illectum tamen amœnitate loci, ſubſtitiſſe in Charran. Nempe non potuit inceſſere Thare impetus eundi in Canaan, niſi ex admonitu divini oraculi, quod ſane Abrahamo non ipſi datum fuit. Nam ipſi non eſſe datum tale oraculum, patere ex eo, quod ſubſtiterit Charris. Simile exemplum in lege dari, Num. I. I. & IX. I. Quorum primo in loco anni ſecundi menſis ſecundus, in poſteriore menſis primus producitur. At de ſermonis figura alibi. Raſi putat Abrahamum cum patre egreſſum eſſe è Chaldæa in Harran, patrem autem ſuo motu non ex occaſione oraculi Abrahamo dati. Vult enim oraculum in Charan datum. והלא כבר יצא משם עם אביו ובא עד לחרן אלא כך אמר לו התרחק עוד וצא מבית אביך *Nonne olim inde egreſſus erat cum patre ſuo & venerat usque in Haran, ſed ſic dicit ipſi elongare amplius & egredere è domo patris tui.* Aben-eſdras: השם צוה לאברהם ועודנו באור כשדים שיעזוב ארצו ומקום מולדתו גם בית אביו והטעם שידע השם שתרח אחר שיצא ללכת אל ארץ כנען ישב בחרן ותרח לא מת עד אחרי ששים שנה שיצא אברהם מבית אביו מחרן רק הכתוב לא פי׳ שניו בצאתו מאור כשדים ואחר שאמר אשר אראך גלא לו הסוד כי כן כתוב ויצאו ללכת ארצה כנען: *Deus præcepit Abrahamo cum adhuc eſſet in Ur Chaldæorum, ut relinqueret terram ſuam & locum nativitatis ſuæ, etiam domum patris ſui. Senſus eſt, quod ſciverit Deus quod Thare, poſtquam egreſſus eſſet ut vaderet in terram Canaan, ſedem fixurus eſſet in Haran. Thare non eſt mortuus usque poſt ſexaginta annos, à quo egreſſus erat Abraham è domo Patris ſui ex Haran. Tantum ſcriptura non exponit annos ejus in egreſſu ejus ex Ur Chaldæorum: & poſtquam dixit*, quam tibi oſtendam, *aperuit ipſi fundamentum, quia ſic ſcriptum eſt*, & egreſſi ſunt ad eundum in terram Canaan &c. Aben-eſdras igitur exiſtimat oraculum datum eſſe Abrahamo habitanti in Ur & refutat quod objici poteſt. Nuſquam Deus Abrahamum dicitur eduxiſſe ex Haran, ſed ſemper ex Ur. Quomodo etiam Stephanus oraculum contigiſſe narrat, antequam habitaret in Haran. Illos LXXV. annos ætatis Abrahami Aben-eſdras accipit de tempore exitus ex Haran, eoque exiſtimat in incerto relinqui, non ſcribi à Moſe adventum. Confirmatur hoc ex eo, quod dicitur, XII. 5. *Et animas, quas acquiſiverant in Haran.* Tanto ſcilicet tempore moratus fuerat Abraham in Haran, ut notabiliter accreverit numerus animarum.

Itineris igitur ratio ex Ur in Cananæam fuit iſta: Subſtitit Thare intermedio itinere in Haran & cum eo Abraham. Nam eo tempore bona & pecudes & familia aucta ſunt, quo ſubſtitit. Hic objicit Scaliger. Non paruit Dei mandato, ſi ſubſtitit, quia juſſerat ut abiret in terram Canaan. Poſſet dici, quod Abrahamo revelatum non fuerit, in quam terram eſſet profecturus, tantum abeunti è Chaldæa dictum eſſe iter, quod incepturus non terminum itineris. At repugnat, quod in cap. XI. 31. *Et exibant ex Ur Chaldæorum ut irent in Cananaam.* Fateor me hærere, niſi dicendum, quod cœperint illud iter, quod tendebat in Cananæam quodque Deus Cananæa finiturus eſſet, ipſis ſequentibus Deum, quamvis ignorarent, quo venturi eſſent. Igitur quamvis profectionem locique mutationẽ indicio oraculi Divini ſuſcepiſſent, longo tamen tempore Deum non monuiſſe Abram, etiam poſtquam in Haran ventum eſſet: cum moneret paruiſſe Abrahamum, at Thare illectum amœnitate loci & quia diutina habitatio animum fixerat, porrò comitari noluiſſe. Dixit enim Deus,

Abi

Abi in terram, quam tibi menſtraturus ſum. Sequere me vocantem ducentemque donec terminum tuæ peregrinationis tibi aperuero & eouſque deduxero. Cum in eam terram adveniſſet dixit illi Deus (XII. 7.) *Semini tuo terram hanc dabo.* Verſum quartum ejus capitis divido, ut prior pars loquatur de profectione ex Ur in Haran, aut de toto itinere, altera de parte itineris quæ ex Haran. Joſephus exiſtimat anno 75. ætatis vocatum eſſe & exiſſe ex Ur: Ἅβραμος δὲ Λῶτον τὸν Ἀράνου τοῦ ἀδελφοῦ υἱὸν, τῆς δὲ γυναικὸς αὐτοῦ Σάῤῥας ἀδελφὸν εἰσεποιήσατο γνησίου παιδὸς ἀπορῶν. Καὶ καταλείπει τὴν χαλδαίαν ἑβδομήκοντα καὶ πέντε γεγονὼς ἔτη τοῦ θεοῦ κελεύσαντος εἰς τὴν χαναναίαν μετελθεῖν. An Abrahamus apud Damaſcum aliquandiu conſederit, non habeo dicere, at ita apud Joſephum Nicolaus Damaſcenus in quarto hiſtoriarum: Ἀβράμης ἐβασίλευσε Δαμασκοῦ ἔπηλυς σὺν στρατῷ ἀφιγμένος ἐκ τῆς γῆς τῆς ὑπὲρ Βαβυλῶνος χαλδαίων λεγομένης. Μετ᾽ οὐ πολὺν δὲ χρόνον μεταναστὰς καὶ ἀπὸ ταύτης τῆς χώρας σὺν τῷ σφετέρῳ λαῷ εἰς τὴν τότε μὲν χαναναίαν λεγομένην, νῦν δὲ ἰουδαίαν μετῴκησε, καὶ οἱ ἀπ᾽ ἐκείνου πληθύναντες... περὶ ὧν ἐν ἑτέρῳ λόγῳ διέξειμι τὰ ἱστορούμενα. Τοῦ δὲ Ἀβράμου ἔτι καὶ νῦν, ἐν τῇ Δαμασκηνῶν, τὸ ὄνομα δοξάζεται καὶ κώμη ἀπ᾽ αὐτοῦ δείκνυται, Ἀβράμου οἴκησις λεγομένη. *Abrames regnavit Damaſci, advena cum exercitu, cum adveniſſet è terra ſupra Babylonem, quæ Chaldæorum dicitur. Nec ita multò poſt hinc quoque migrans cum ſuo populo, ſedem transtulit in terram tunc Chananæam*, nunc verò Judæam appellatam & qui ex illo oriundi ſunt, *multiplicati* [Puto hiatum eſſe] *De quibus in alio libro perſequor hiſtoriam. Abrami autem nomen in terra Damaſcenorum etiam nunc celebre eſt & vicus oſtenditur ab illo dictus Abramis domicilium.* Cum ingenti multitudine hominum & numeroſiſſima familia tranſiit in Cananæam.

Verbum illud quo Deus excitavit Abraham, fuit partim mandati, partim promiſſionis. Verbum mandati erat: *Vade è terra tua & è cognatione tua & è domo Patris tui, in terram, quam ego indicabo tibi.* Suum relinquere, quod in certa poſſeſſione erat, in incertum abire præcipitur. Certum quod relicturus erat, cariſſimum habetur apud homines: at Deus, tentandæ fidei & obſequii, quadam hypotypoſi rem relinquendam exaggerat. 1. *Terra tua:* 2. *Cognatio tua:* 3. *Domus Patris tui.* Singula illa fortem animam quatere poterant. Hinc docemur, quod in Ur Deus eum affatus ſit. Calvinus: *Nam inde elicimus non tunc primò divinitus porrectam fuiſſe illi manum, poſt quam Charris habitaverat, ſed cum adhuc domi in Chaldæa maneret. Hoc vero mandatum, de quo ſtultè ambigitur, ſufficere nobis debet ad coarguendum contrarium errorem. Neque enim ſic alloqui potuit Deus niſi hominem adhuc nido ſuo affixum, rebus* integris & ſine ulla vitæ mutatione inter cognatos quietum & tranquillum: alioquin ad manum erat exceptio, Patriam reliqui, procul à cognatione mea abſum. *In ſumma hoc oraculum refert Moſes, ut ſciamus tam longinquam profectionem Dei mandato ab Abram & patre ejus Therach ſuſceptam eſſe. Unde etiam apparet Therach ſic fuiſſe ſuperſtitionibus deluſum, ut tamen Deum timeret. Difficile fuit ſenem jam fractum & caducum è patria ſua avelli. Quadam igitur vera religio licet ſuffocata, adhuc animo ejus ſuberat. Ideoquum maledictum eſſe locum agnoſcat, ex quo jubetur egredi filius, non vult illic perire: ſed ei ſe adjungit ſocium, quem Dominus eripit. Qualis obſecro hic futurus eſt teſtis extremo die ad damnandam noſtram ignaviam? Facilis illi erat & plauſibilis ad manum excuſatio, ſe domi quieſcere, quia nihil ſibi præceptum foret. Atqui in tenebris infidelitatis caecutiens ad transverſam tamen lucis ſcintillam oculos aperit. Nunc ubi directè nobis affulget Dei vocatio, non movemur.* Hactenus Calvinus. An Therach ideò abierit, quia locum maledictum eſſe agnoſceret an potius amore filii, an de

cauſa

cauſa alia dicere non poſſumus. Id conſtat in medio itinere ſubſtitiſſe. At vir magnus accurate diſcutit illam mandati & difficultatum ejus exaggerationem: *Videtur*, inquit, *ſupervacua eſſe hac verborum congeries. Huc quoque accedit, quod Moſes alibi tam conciſus rem unam planam & facilem tribus loquendi formis exprimit. Sed aliter res habet. Nam quum per ſe triſte ſit exilium & dulcedo natalis ſoli omnes fere devinctos teneat, data opera inſiſtit Deus in mandato relinquenda patria, ut penitus Abra animum transfigat. Si uno verba dixiſſet, Relinque patriam: non leviter quidem pupugiſſet ejus animum: ſed tamen magis perfoditur, quum audit cognationi & domui paterna eſſe renuntiandum. Neque tamen putandum Deum ex ſervorum ſuorum moleſtia crudelem voluptatem capere: ſed ita omnes eorum affectus examinat, ne quas latebras relinquat in eorum cordibus.* Deinde: *Ergo Deus excutere voluit omnes Abra ſenſus nequid temere vel inconſideratè ſuſciperet ac ſtatim pœnitentia ductus vela retrò flecteret. Quare ſi conſtanter cupimus Deum ſequi, omnia incommoda, qua nos manent, omnes difficultátes, pericula omnia, ſedulo meditari convenit, ut non tantum ſubitus Zelus flares emittat ſed ex alta & benè fixa radice pietatis fructus tota vita proferamus.* Inde ad illa verba: Ad terram, quam oſtendam tibi: *Aliud examen* ad probandam fidem Abrahæ. Cur enim non exemplo Deus terram deſignat, niſi ut ſervum ſuum ſuſpendens, melius experiatur, quam verè addictus ſit verbo ſuo? Ac ſi diceret, Jubeo te clauſis oculis egredi ac inquirere veto, quo te ſim ducturus, donec abnegata patria totum te mihi dedideris &c. Verſum 41. cap. XI. ubi dictum, quod Thare iter ſuſceperit ut iret cum ſuis in Cananæam, conciliat cum his verbis cap. XI. *Ad terram quam oſtendam tibi: Siquis*, inquit, *objiciat pugnare hoc cum ſuperiori ſententia, ubi dicebat Moſes profectos eſſe ex patria Thera & Abram, ut in terram Canaan venirent: facilis eſt ſolutio, ſi prolepſin admittimus in ſermone Moſis, qualis hoc ipſo capite ſequitur in nomine Bethel, & frequenter in ſcripturis occurris. Neſciebant, quo venturi eſſent: ſed quia illis deliberatum erat venire, quocunque Deus vocaret, Moſes in perſona ſua loquens terram nominat, qua nondum illis cognita, poſteà Abra patefacta fuit. Verum eſt igitur eo conſilia profectos ut venirent in terram Canaan: quia accepta promiſſione de terra monſtranda, patiebantur ſe à Deo regi, donec quod pollicitus fuerat, re ipſa praſtaret. Quanquam fieri poteſt, ut Deus prabato Abra affectu, non multo poſt illi dubitationem exemerit. Neſcimus enim quo temporis articulo innotuerit quod ad tempus duntaxat abſconditum eſſe Deus voluit. Satis eſt, quod ſe Deo verè obedire teſtatus eſt Abram, quum ſuas in ejus providentiam curas rejiciens, & quaſi in ejus ſinum exonerans, quicquid eum tardare poterat, patriam relinquere non dubitavit, incertus, ubi tandem pedem fixurus eſſet. Nam hoc modo carnis prudentia in ordinem ſubacta fuit & omnes ſimul affectus domiti.* Hactenus Calvini ſolutio, quam nemo, opinor, rejecerit. Simile eſt Matth. 1. 18. *Inventa eſt gravida è Sp. S.* Id quidem inventum & animadverſum eſt, quod gravida eſſet, at cauſam conceptionis Matthæus addit de ſuo. Sic igitur ſit evolvendum: Inventa eſt eſſe gravida, quam imprægnationem fecerat Sp. S. Eodem modo, *Vt venirent in terram, quam Deus oſtenſurum ſe eſſe promiſerat; qua erat Cananaa.* Hoc ultimum ex interpretatione adjecit ſanctus ſcriptor definiens, quod illi in re intendebant, ſed definire ignorabant. Audiamus nunc Judaïca πρόσφυμα è Baal Turim ſuper hæc verba: ויאמר יהוה אל אברם לך לך. Ita philoſophatur ſeu argutatur: פתח באמירה בלשון שנברא בו העולם שבעשרה מאמרות נברא העולם וכלו לא נברא אלא מזכות אברהם לכך כתוב עליו לך לך· רמז לו כשתהיה בן מאה כמנין לך לך אז ואעשך לגוי גדול שנולד לו יצחק· דבר אחר רמז לו שלאחר שתלך מארצ' תחיה כמנין לך לך שהרי בן חמשה ושבעים שנים היה כשיצא וכל שנותיו מאה וחמשה

וחמשה ושבעים דבר אחר רמז לו תגליות השנים ששני פעמים ילכו ישר אל בגולה דבר אחר רמז לו שאחר חמשים דורות כמנין לך ילכו בגלות בימי צדקיהו ובזכותך שדברתי עמך בן חמשה ושבעים שנה בברית בין הבתרים ישובו לאחר שבעים שנה · ולכך סמך לך לך לפי שחרון אפו של הקב״ה בע״ה גלו: *Incipit à dictione, in notatione, quoa creatum fuerit in eá ſeculum, quia decem dictis creatum eſt ſeculum: & nihil creatum eſt niſi in merito Abrahami. Idea ſcriptum eſt de eo* לך לך. *Indicans illi, quando fueris centum annorum, ſecundum numerum* לך לך, *tunc faciam te in gentem magnam: quando natus eſt illi Iſaac. Alius ſermo: Indicium eſt ipſi, poſtquam abieris è terra tua vives ſecundum numerum* לך לך. *Nam natus 75. annos erat, cum egrederetur & omnes illius anni 175. Alius ſermo: Indicium eſt ipſi duarum emigrationum, quia bis ivit Iſrael in exilium. Alius ſermo: Indicium eſt ipſi, quod poſt quinquaginta generationes ſecundum numerum* לך *ituri eſſent in diebus Zedekiæ & merito tuo, quod locutus ſim tecum filio quinque & ſeptuaginta annorum in fœdere inter fruſta revertentur poſt ſeptuaginta annos. Ideo conjunctum eſt* לך *cum* לך *quia ira Dei benedicti* בע״ה *[hoc modo] exulati ſunt.* Sic in literis & vocibus extra ſenſa & notiones loci ſubjecti doctrinam quærunt. Deum obſervant mundum condidiſſe, ut in hiſtoria Moſes refert, decies repetita voce ויאמר. Nam ea vox decies in primo capite Geneſeos exſtat. Unde eſt Rabbinicum dictum, *In decem* מאמרות *conditus eſt mundus.* Hoc ויאמר inchoat Dei negotium cum Abrahamo, initio hujus Capitis. Non enim dicitur, *Viſus eſt Dominus*, aut וידבר &c. Id volunt innuere, quod omnia propter meritum Abrahami fuerint condita. Deinde duas voces conjunctas reperiri, quarum quælibet in numeris valet 30. & 20. id eſt 50. Hinc innui vel quod centenarius habiturus eſſet filium Iſaac, in quo eſſet implenda benedictio multiplicandi ſeminis: Vel quod centum annos in terra promiſſa eſſet victurus: Vel quod ipſius poſteri eſſent bis emigraturi in exilium. Quia utraque vox ſine vocalibus legi poteſt לך *vade.* Vel quod poſt quinquaginta generationes ituri eſſent in exilium, & merito Abrahami reverſuri poſt annos ſeptuaginta. Nempe 75. anni erant Abræ, cum inter fruſta tranſiret, & Deus cum eo fœdus faceret. Quinque ſcilicet anni negliguntur ut ſit ratiocinatio. Raſi dativum caſum in לך interpretatur להנאתך ולטובתך. Valdè jactant ſe Judæi in Abrahamo, quem Divinitus vocatum eſſe gloriantur בזכותו & ejus merito gentem, ab eo oriundam, electam ex aliis omnibus gentibus. Ejus etiam merito & ob eum conditum eſſe mundum. In Gemara Babylonica Abodæ Zaræ, cap. 1. inducunt Deum ipſum Abrahamum defendentem, quod præceptum de non colendo idolo obſervaverit, & gentibus objicientem Nemrodum, qui de eo teſtari poſſit. Diligenter enim Abrahamum & patriarchas obſervaſſe præcepta filiorum Noë quæ alii populi tranſgreſſi ſint. Hæc inſana gloriatio eſt, quam hoc in loco obiter quæremus evertere. Nullibi magis oſtendit electionem eſſe ex gratia. Conſtat patrem avumque fuiſſe idololatras & eadem in fece Abrahamum hæſiſſe. Per Sethi nepotes qui recta linea Abrahamum genuerunt, contexitur Chronologia in cap. XI. Geneſeos. *ne incognita nobis eſſet* (Calvini verba ſunt) *mundi vita. Niſi enim brevis hac deſcriptio exſtaret, hodie neſcirent homines, quantum temporis à diluvio interceſſerit ad eum usque diem, quo fœdus ſuum pepigit Deus cum Abram.* Id honoris cauſa factum, ut conſulum vel regum nominibus ſignantur faſti. Hoc tamen non tam dignitati & meritis familiæ detulit, quam gratuitæ ſuæ adoptioni Deus. Arbitratur Calvinus eos, qui extra lineam progenitorum Abrahami erant, nondum completo ſeculo à diluvio, ad idololatriam deflexiſſe. Cum enim domum Sem ſciamus fuiſſe peculiare Dei ſacrarium, ubi vigere maxime debebat pura religio eamque in Nachor & Thare

ſerviſſe

ſerviſſe dis alienis, quid putamus aliis contigiſſe, qui ab initio quaſi emancipati videri poterant? *Hinc verò prodigioſa humani ingenii tam malitia & pravitas, quam inflexibilis durities apparet. Vivebant adhuc Noë & filii ejus oculati diluvii teſtes: narratio illius hiſtoria non minus timoris incutere illis debebat, quam viſibilis Dei conſpectus: ab infantia imbuti ſunt iſtis principiis, qualiter velit Deus coli, quam reverenter parendum ſit ejus verbo, quam gravis eos omnes ultio maneat, qui ordinem ab eo poſitum violaverint: retineri tamen nequeunt, quin ſua vanitate corrupti diffluant. Interea minimè dubium eſt, quin ſanctus Noë pro ſingulari ſuo zelo & heroica fortitudine, modis omnibus dimicaverit pro aſſerenda Dei gloria: quin acriter & ſeverè invectus fuerit, imò fulminarit contrà perfidam nepotum ſuorum apoſtaſiam: quum omnes ad ſolum ejus nutum tremere par eſſet, nullis quamlibet clamoſis objurgationibus moventur, quin furore ſuo abrepti pergant. Ex hoc potius ſpeculo, quam inanibus Sophiſtarum blanditiis diſcimus quam fecunda ſit corruptio natura noſtra. Quodſi Noë aliique tanti doctores, plusquam animoſe certando, conſequi tamen non potuerunt, quin praualeret mundi impietas: ne miremur ſi hodie quoque contra omnia doctrina admonitionum & minarum obſtacula ſe projiciat mundi libido ad impios & perverſos cultus. Intereà notandum eſt, quam firmum in ſanctis hominibus fuerit fidei robur, quam infatigabilis patientia, quam infractum pietatis ſtudium, qui tot ſcandalis, quibuſcum aſſiduè luctandum erat, nunquam ceſſerunt. Scite ergò Lutherus incredibiles, quibus eos torqueri neceſſe fuit, cruciatus, multis martyriis comparat. Illa enim nepotum alienatio à Deo non aliter eos affecit, quam ſi ſua viſcera non modò diſcerpi ac laniari ſed in Satana cloacas & ipſos inferos, projici vidiſſent. Quum autem mundus ita refertus eſſet impiis, paucos Deus mirabiliter continuit ſub verbi ſui obſequio, ut eccleſiam ab interitu ſervaret. Quanquam autem diximus patrem & avum Abra fuiſſe apoſtatas & credibile eſt non ab illis primum cœpiſſe defectionem; quia tamen in illo genere propter Dei electionem incluſa erat Eccleſia & aliquos Deus ſuperſtites uſque ad vocationem Abraha habuit, qui ipſum purè colerent: continuam lineam deducit, atque ita in ſanctorum catalogo illos recenſet. Vnde colligimus (quemadmodum paulo ante monui) quanto in pretio Deus habeat Eccleſiam, qua numero hominum tam exigua, cuncto tamen mundo praefertur.* Hæc Calvini èſt declamatio, püs & acutis meditationibus pleniſſima. Deum in Semi poſteritate voluiſſe ſtabiliri eccleſiam. Japeti & Chami poſteros quaſi dimitti ut ſuis ipſorum viis incederent. Act. 14. 16. & 17. 27. Quæ ſane dimiſſio facta eſt, quum novarum linguarum immiſſione (quod genus pœnæ commeriti ſuperbia & contemptu numinis) ſeparati non tantum ſed & divulſi fuêre ab Eccleſia & Dei notitia, projectique in naturæ librum ut pateſceret quid cordium vanitas eſſet polleretque ſibi derelicta. Structura enim Turris Babylonicæ monumentum fuit vanitatis, ſpernentis numen, abjicientiſque jugum ejus in Eccleſia regnantis. Unde Deus peregrinis ſermonibus imbutos, exutos autem ſermone Eccleſiæ & patriarcharum, abjecit à ſe ſuoque verbo, omnique memoria antiquitatum mundi, judiciorum Dei, oraculorum, comminationum, promiſſionum: ut tanquam merè naturales ſine ulla notitia revelata in ſeculo incederent. Hoc gentiliſmi initium eſt. Inter illos ita abjectos à Deo diſſipatoſque remanſiſſe memoriam rerum eccleſiæ veterum, antiquorum eventuum, mundani conditus, lapſus, patriarcharum, eamque fabulis ipſorum contineri, mihi nunquam probari potuit. Velim itaque omnibus modis eniti, ut eximam doctiſſimis viris præconceptam ſententiam: ut diluam modum hunc defendendæ Chriſtianæ veritatis. Lucem non illuſtrant tenebræ, ſed commendant. Pronuntiatum à me ſæpius eſt & repetitum, nihil rerum ante diluvium meminiſſe gentes, quæ peregrinis ſermo-

nibus percuſſos Babylone patres habuerunt. Conſtat Noë diligenter laboraſſe ut ſub numinis reverentia ſobolem contineret. Eam rebellem & contumacem dolori fuiſſe. E filiis Noë Cham impius fuit. Unde mirum non eſt ex eo genitos ad impietatem delapſos eſſe, at Japetum inhæſiſſe cultui numinis & patris piis commonitionibus credendum eſt, cujus tamen filii nepoteſque Deum & Noë deſeruerunt. Vani ſcilicet facti ſunt & abrepti humani ingenii pravitate, quia non apprehendit eos Deus, quod electio Semum amplexa eſſet. Qui de electione fuerunt, ſteterunt immoti, multi autem de Semi poſteritate communi ruina abiere præcipites. Linea progenitorum Abrahami manſit in Eccleſia. Humani ingenii præcipitem ad prava pronitatem nutumque non aliunde melius perſpicias, quam quod nec recenti diluvii memoria nec Noë patriarcharumque divinis & accuratis & ardentibus ſermonibus contineri potuerint. Ingentes cruciatus animis Noë & patriarcharum inflictos eſſe quam viderent filios nepoteſque ſua viſcera rapi in gehennam; Deo deſerto ad cultum Satanæ & animarum interitum. Etiam illam Abrahami lineam defeciſſe à Deo narrat: patrem avumque & Abrahamum ipſum eodem luto immerſum hæſiſſe. Vocatur igitur Abram non ullo ſuo merito, ſolo miſericordiæ & electionis gratuitæ nutu. Calvinus: *Porrò hæc Abræ vocatio inſigne gratuitæ Dei miſericordiæ exemplum eſt. An aliquo operum merito Deum anteverterat Abram? an ad eum acceſſerat? an ejus favorem ſibi conciliaverat? imo ſemper memoria repetendum eſt (quod prius adduxi ex concione Ioſue) in fæce idololatriæ fuiſſe demerſum: nunc ultrò manum porrigit Deus, ut errantem reducat: Sacrum os ſuum aperire dignatur, ut Satanæ præſtigiis decepto viam ſalutis monſtret. Ac mirum eſt miſerum hominem ac perditum tot ſanctis Dei cultoribus præferri, ut penes ipſum reſideat vita fœdus, in eo ſuſcitetur Eccleſia ac ſtatuatur fidelium omnium Pater. Sed hoc conſulto factum eſt, quo illuſtrior in ejus perſona eſſet gratiæ Dei commendatio. Eſt enim exemplar noſtræ omnium vocationis: in quo perſpicimus mera Dei miſericordia ex nihilo ſuſcitari quæ non ſunt, ut eſſe aliquid incipiant.* Hactenus ille. Omninò Deus ejuſmodi vocavit hominem, qui immerſus idololatriæ erat, cum eſſent ſine dubio alii multi ab idololatria immunes & liberi. Univerſalis tum erat defectio, pauci tamen ſupererant etiam inter Chami poſteros, qui Deum noſſent, colerentque. Cum enim Dei cultus ubique cum idolorum cultu miſtus eſſet, inveniebantur pauci, quos ſibi reſervabat Deus integros & impollutos ab illa labe.

Promiſſiones Dei ad Abrahamum multæ fuerunt & ſæpius repetitæ. Repetitiones per multiplicata oracula gradatim clarius explicant, quod prius dictum erat. Primò promiſſionem fecit Deus, cum vocaret Abrahamum ex Ur Chaldæorum cap. XII. v. 1. 2. 3. Secundò, cum eſſet in Cananæam recenter ingreſſus, cap. XII. 7. Tertiò poſt Loti ſeparationem, cap. XIII. v. 14. 15. 16. 17. Quarto in cap. XV. cum fœdere fruſtorum, Quintò in cap. XVII. cum fœdere circumciſionis. Sextò cap. XVIII. 10. Septimo cum filium Deo immolare ſe paratum oſtendiſſet, cap. XXII. 16. 17. 18. In primâ enuntiatione habentur ſeptem res promiſſæ, aut potius tot effata promiſſionem continentia & explicantia.

I. *Faciam te in gentem magnam.*
II. *Benedicam tibi.*
III. *Magnum faciam nomen tuum.*
IV. *Eris benedictio.*
V. *Benedicam benedicentibus tibi.*

VI. *Maledicam maledicentibus tibi.*
VII. *In te benedicentur omnes gentes.*

Octavam addidit Deus ingreſſo in Cananæam: *Semini tuo dabo terram hanc.* Nonam in cap. 22. 18. in ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Quæ potius eſt interpretamentum ſeptimæ. Obſervat Apoſtolus hoc ſemen antonomaſticôs eſſe Chriſtum. Omnia revocari poſſunt ad tria capita, I. Multiplicationem ſeminis. II. Benedictionem. III. Hæreditationem terræ Canaan. Multiplicatio non poteſt eſſe ſolidæ gratiæ loco, niſi benedictio conjungatur. Benedictio ſtatuitur primò in Abrahamo tanquam in fonte & radice; Benedictio ſimpliciter futurus eſſe dicitur, & ab hoc fonte deducitur, quod benedicti futuri ſint, qui benedicunt, maledicti qui maledicunt. Unde in omnes omninò gentes ſuo tempore derivanda eſſe proponitur. Deinde filio nato, Deus in Semine collocat fontem benedictionis. Igitur non aliter Abram fons benedictionis erat, niſi quatenus in ſuis lumbis gerebat filium. Sed nec hic filius nec ullus poſterorum, ante Meſſiam, majoris dignationis erit quam Abraham. Huc igitur res redit, In Meſſia Abrahami filio quærendam eſſe originem benedictionis. Multiplicatio ſeminis duplex eſt filiorum carnis alia, alia autem ſecundum ſpiritum & vim internam promiſſionis. Canaan eodem modo duplex ſtatuenda erit, alia filiis juxta carnem, alia pro filiis juxta Spiritum, ſequentibus veſtigia fidei ejus. Terrenæ & carnales promiſſiones in ſe continent nucleum cœleſtium & ſpiritualium rerum illis adumbratarum.

Filii carnis	Filii juxta fidem.
Terra Canaan	Cælum.
Iſaac fonsbened.	Chriſtus.

Hæc non capiunt cæci Judæi. Baad Turim: ברכו כאן שבעה ברכות והם אלו ואעשך לגוי גדול והיא הגדול שבכלם שיעשהו לגוי שעם זאת נכלל השעבוד והשאחרי· והשנית שבהזות אברם טרם הכנסו בברית יברכהו ברב הממון כמו שנאמר ואברם כבד מאוד· והשלישי שתגדל שמו מאברם לאברהם · והרביעי שיהיה הוא בעצמו ברכה· והחמשי שיברך השם מברכיו· והששי שיאור כל מבקשי רעתו · והשביעי שיתברכו בו כל משפחות האדמה *Benedicit ipſi hic* (Gen. XII. I. 2. 3.) *ſeptem benedictionibus, quæ ſunt: Faciam te in gentem magnam. Hæc maxima omnium eſt, quod ipſum in gentem: Quia cum hac comprehenditur, ſervitus & libertas. Et ſecunda, quæ in eo, quod Abram ante ingreſſum in fœdus benedixerat multitudine opum Q. D.* Et Abram gravis valde. *Tertia, quod magnificaturus eſſet nomen ipſius, ab Abram in Abraham. Quarta, quod ipſe per ſe futurus eſſet benedictio. Quinta quod benedicturus eſſet Deus benedicentibus ipſi. Sexta, quod maledicturus omnibus quærentibus malum ejus. Septima, quod in eo benedicenda eſſent omnes familiæ terræ.* Vide quomodo omnia hujus vitæ terminis, quæ Abrahamo promiſſa ſunt, includat & corporalia faciat. Etiam adverſa his benedictionibus contineri, quaſi prædictiones eſſent quibus ſimpliciter fata ipſius & poſterorum deſignarentur, non luculentæ promiſſiones, quæ fide ad ſalutem apprehenſæ ſunt. Raſi etiam conditionatas facit, אי אתה זוכה *ſi tu dignus fueris.* Addit: לפי שדרך גורמת לשלשה דברים ממעטת פריה ורביה וממעטת את הממון וממעטת את השם לכך הוזקק לשלש ברכות הללו שהבטיחו על הבנים על הממון ועל השם: *Quia iter cauſa eſt* trium rerum, imminuens multiplicationem & divitias & nomen, ideo opus habet his benedictionibus, quibus eum confidere facit ſuper filiis, divitiis & nomine. E Breſith Rabba allegat ſecundæ benedictionis explicationem de opibus. Quartam, *Et eris* benedictio ex eodem libro ſic

explicat: הברכות נתונות בידך עד עכשיו היו בידי ברכתי לאדם ונוח ומעכשיו אתה תברך את אשר תחפוץ: *Benedictiones ponuntur in manu tua: huc uſque fuerunt in manu mea: Benedixi Adamo & Noë: at exhinc tu benedices, cui volueris.* Adjicit aliam expoſitionem, quaſi in primæ benedictionis memoriam dicatur, *Deus Abraham*; in ſecundæ, *Deus Iſaac*; in tertiæ, *Deus Iacob.* De ultima benedictione: יש אגדות רבות וזהו פשוטו אדם אומר לבנו תהא כאברהם וכן כל ונברכו בך שבמקרא וזה מוכיח בך יברך ישראל לאמר ישמך אלהים כאפרים וכמנשה: *Multa aggadoth ſunt, at hic eſt ſimplex ſenſus: Homo dicet filio ſuo, eſto ſicut Abraham, atque ita omnia* ונברכו בך *in ſacris literis accipienda ſunt. Quod dicetur* [Gen. 48. 20.] In te benedicet Iſrael, dicendo, Ponat te Deus, ut Efraim & Manaſſe.

In Terram Chananæorum] Ralbag: *Dixit Deus benedictus Abrahamo, cum eſſet in Vr Chaldæorum, ut relinqueret terram ſuam, in qua habitabat & ſepararetur à familia ſua & etiam è domo patris ſui ad eundum in terram, quam ipſi erat indicaturus. Hæc autem terra, quam ipſi præcipiebat, ut in eam proficiſceretur, erat Canaan. Et ecce ibat cum eo pater ipſius & pars domus patris ſui uſque Haran, ſicut in præcedente Paraſcha narravimus. Et illic moram traxit pater ejus & voluit incolere. Abraham autem ad honorem patris ſui moratus eſt illic, ut videret ſi poſſet transferre patrem ſuum ſecum, ad eundum verſus terram Canaan ſicuti intenderat à principio negotii, ſecundum quod narravit, volo dicere, quod ſuperius narravit, quod ipſi egreſſi fuerint ex Vr Chaldæorum ut irent in terram Canaan. Cumque pateret Abrahamo, quod non eſſet complacitum patri ſuo egredi ex Charan, egreſſus eſt ipſe è Charan cum eo, qui vellet cum ipſo ire è domo patris ſui. Et ecce Thare ſubſtitit in Haran uſq; ad diem mortis ſuæ & illic etiam cum eo Nachor & domus ipſius ut quidem videtur, quia invenimus, quod ſemen Nachor conſtiterit in Haran, ut declaratur in lege de Laban & Bathuel. Et ecce præceperat ipſi ut iret in terram Canaan, quia ea magis electa & magis apta ut ipſi in ea adhæreſceret affluentia Divina. Promittit ipſi Deus excelſus quod facturus eſſet ipſum in gentem magnam, quia homo in elongatione ſua ab amantibus, propinquis & adjutoribus ſuis valde opportunus eſt ut occidant eum homines & pereat nomen ejus: & ob hanc cauſam (בעינה manifeſtè) promittit ipſi quod et benedicturus eſſet in proſperitate poſſeſſionum ſuarum & magnum facturus nomen ipſius uſque in longum: quia non abtinet ut ſolvat aliquis illi, qui iturus erat in urbem aliam ſicut ſolvit viro dum eſt in terra ſua inter viros familiæ ſuæ. Etiam dicit ipſi Deus excelſus, quod futurus eſſet vir benedictionis, id eſt, quando futura eſſent opera ipſius perfecta in via, quando eſſet dignus quod ei adhæreſceret providentia divina & tunc apprehenderet eum bonum, quod promiſerat illi: & benedicturum ſe viris, qui ipſi benedicerent & maledicturum maledictori illius ob abundantiam providentiæ Dei in eo. Et benedicendas eſſe in eo familias omnes terræ id eſt, quod dicturi eſſent pars de parte benedictionis ſuæ, ponat te Deus ſicut Abraham. Aut explicatur, id quod dicit Et eris benedictio, quod Deus excelſus promittat ipſi quod futurus eſſet vir benedictionis, id eſt, quod benedicens eſſet benedicendus. Et ſic exponit cujus memoria eſt in benedictione, in Breſith Rabba. Et narrat, quod jam iverit Abram in terram Canaan, quemadmodum præceptum acceperat & profectus ſit cum eo Lot. Non meminit autem profectionis patris cum ipſo quia pater non eſt profectus niſi uſque Haran. Et meminit, quod Abraham fuerit 75. annorum cum exiret è Charan & tunc acceperit uxorem ſuam & Lot filium fratris ſui & poſſeſſiones ſuas & ſervos, quos acquiſiverat in Charan, qui ſervi multi erant Abrahamo. Id patet in bello Amraphel quando nati domus ipſius fuerunt 318. qui fuerunt ex illis proficiſcentes in bellum, præter alios natis domus & comparatos argento.*

Vides, quod etiam benedictiones ſuſpendat à conditione rectæ vitæ. Si ſe bene-

bene gerat in via. Id conatur oſtendere è צוי, *futuro imperante.* Nam dicitur והיה ברכה. At imperans pro indicante frequentatur & ipſe oſtendit à Judæis interpretibus ita hic ſumi.

Abraham egreſſus eſt cum uxore & Lot filio fratris ſui, cum ſuis poſſeſſionibus & mancipiis. Calvinus: *Hic primum fit ſervitutis mentio: unde apparet non multò poſt diluvium hominum malitia accidiſſe ut libertas, quæ natura communis erat omnibus, bona parti humani generis periret. Vnde autem initium habuerit ſervitus, non facile dictu eſt: niſi quod vulgò obtinuit opinio, à bellis ortam eſſe: quia victores, quos bello ceperant, ſibi parere coëgerint, atque inde nomen mancipii deducunt. Sive autem belli jure oppreſſi fuerint, ſive inopia coacti, qui primi ſervitutem ſervierunt, hoc quidem certum eſt violenter fuiſſe corruptum naturæ ordinem: quia ideò creati erant homines ut mutuam inter ſe ſocietatem colerent. Et ſi a. aliis alios praeſſe utile eſt, ſervanda erat tamen, ut inter fratres æquabilitas. Cæterum quamvis recto temperamento (quale optandum eſſet) contraria ſit ſervitus, & ejus initium vitio non caruerit: non tamen proptereà ſequitur, uſum, qui deinde moribus receptus eſt quem excuſat neceſſitas, eſſe illicitum. Potuit igitur Abram ſervos tam pecunia emptos, quam ſibi domi natos vernas poſſidere. Vulgare enim illud dictum,* Quod ab initio non valuit, tractu temporis convaleſcere non poteſt, *aliquas (ut ſatis notum eſt) exceptiones admittit: & ejus rei exemplum habemus infra, cap. 48.* Servitus perfecta vocatur id genus ſervitutis à ſummo viro Hugone Grotio, nempe, quæ perpetuas operas debet ſine conditione & ad omnia. In eam ſe tradere apud quaſdam gentes licuit κατὰ συγγραφὴν. Apud majores noſtros aleæ jactu victus voluntariam ſervitutem adibat, ut teſtis eſt Tacitus de moribus Germanorum. Obligatio perpetua pro alimentorum certitudine perpetua, nihil habet in ſe iniquitatis, quia compenſatio eſt. Si non admittatur jus vitæ ac necis dominorum in ſervos, quod non poteſt conciliari cum plena & interna juſtitia. Hæc fuſius exſequitur ſummus vir libr. 2. de jure pacis ac belli cap. 5. Raſi dicit acquiſitionem intelligi de eo, quod animas iſtas introduxerit ſub alas Sp. S. proſelytos faciendo viros, ut fœminas proſelytas faciebat Sara. שהכניסן תחת כנפי השכינה: At hæc eſt interpretatio ſublimior non ſimplex. Abraham igitur, ſi exiit Harane anno ætatis 75. & in Canaan eſt profectus, centum annis peregrinatus eſt in terra promiſſionis, quibus ei Dominus ne paſſum quidem pedis in ea terra poſſidendum dedit, niſi locum ſepulturæ. Quam fidei patientiam apoſtolus in exemplum proponit, cum dicit: *Fide demoratus eſt, in terra promiſſionis tanquam aliena, in caſulis habitando cum Iſaac & Iacob cohæredibus promiſſionis ejuſdem. Exſpectabat enim civitatem fundamenta habentem, cujus opifex & conditor eſſet Deus.* Muſculus: *Abrahamum ergò ne centum quidem annorum peregrinatio à fide promiſſionis dejecit. Nos contrà breviſſima morula frangimur.* Dives erat antequam in terram promiſſionis adveniret, quia benedictio perſonæ non terræ adhærebat. Muſculus iterum: *Ad terram promiſſionis ac benedictionis ſecundum verbum Dei diſceſſurus Abraham, non abjicit ſubſtantiam & opes in Charan acquiſitas ſed ſecum aufert, illarumque commoditatem in uſus ſuos reſervat. Sic vir integerrimus futurorum ſpem immotam in corde fideli retinuit & à providentia Dei pependit, ut nihilominus præſentem Divinæ benedictionis fructum cum gratiarum actione pro neceſſariis ſuis ſuorumque uſibus reſervaret & peregrinationi ſuæ competenter accommodaret: idque effecit ne cuipiam inter extraneos homo peregrinus* & exul moleſtus eſſet & oneroſus. Chryſoſtomus homilia 31. in Gen. *Audiſtis dilecti qualia imperavit Dominus Chaldæo vetulo, qui non legem ſcivit neque prophetarum audivit vaticinia neque ullam aliam doctrinam didicit. Vidiſtis quanta præceptorum moles? quomodo ad ea*

per-

perficienda ſublimi & juvenili animo habebat opus? Videte poſthac & patriarchæ gratitudinem ac obedientiam, quomodo nobis eam ſcriptura manifeſtet.

Quæri poſſet, Cur Deus in Cananæam potius quam in aliam regionem Abramum voluerit evocare? Frivola eſt ratio Gerſomidæ, quaſi terra Canaan eſſet Deo carior & magis idonea ad Spiritus prophetici influentiam & apprehenſionem. Eſt & illa inepta, quaſi Canaan Semitas parte ſuæ ſortis expulerit, quam poſtliminio repetierint Abramidæ, eoque Deus Abramo videri voluerit eique promiſerit. Deo ſic placuit, & via prima munita eſt providentiæ Dei, quæ opera ſua novit ab ævo, per Canaanis impietatem producenda in ævum. Calvinus: *Quæri tamen poteſt, Cur Deus ſervum ſuum potius in terram Chanaan tranſtulerit, quam in orientem, ubi cum aliquot ſanctis patribus victurus erat. Quidam (ne videatur facta eſſe in deterius mutatio) illuc deductum fuiſſe volunt, ut cum atavo Sem habitaret, quem ipſi fuiſſe Melchiſedec imaginantur. Atqui minimè quadraret, ſi tale fuiſſet Dei conſilium, Abram aliò iter flexiſſe, imo non legimus congreſſum fuiſſe cum Melchiſedec, niſi dum redibat ex Sodomitico prælio &c. Quod vero ad rem, de qua nunc agitur, ſpectat, longè aliud fuiſſe Dei conſilium, quam putent, ex fine, qui tandem ſecutus eſt colligitur. Gentes illæ propter deploratam malitiam exitio devotæ erant. Voluit Deus inter eas ſervum ſuum ad tempus peregrinari, ut terræ hæreditatem fide cerneret, cujus poſſeſſio longo demum tempore, poſt ejus mortem poſteros manebat. Quare non alia de cauſa trajicere in illam juſſus eſt, niſi quia evacuanda erat ſuis indigenis, ut ſemini ejus daretur poſſidenda. Magni autem interfuit Abram, Iſaac & Iacob, in illa terra fuiſſe inquilinos & ejus dominium divinitus ſibi promiſſum fide amplexos eſſe, ut majore animo ad eam occupandam poſteri eorum ſe accingerent.* Vide cauſas, quare hæc terra promiſſa fuerit, quare in eam patriarchæ corporaliter introduci debuerint, quare carere ejus actuali poſſeſſione tam longo tempore. Hæc enim diſtinguimus. Ad primum dicimus: Canaan exciderat ſua ſorte, poſteri menſuram ſuæ iniquitatis quotidie implebant. Juſtum erat apud Deum ut ejus ſors obſequio & fidei Semi accreſceret. Ad ſecundum: Typus cæli erat, quod nova Eccleſia intueri debuit & apprehendere per corporalem inhabitationem figuræ. Quam etiam rationem aſſignamus, quod illic Melchiſedec debuerit potius degere, quam in alia mundi regione. Ad tertium: Voluit Deus eos carere proprietate, ut exerceretur fides & hoc argumento docerentur, Dei promiſſionem altiora amplecti, ne in regionem hujus mundi animis deſigerentur, at cæleſtem reſpicerent patriam & Dei urbem: quod & Apoſtolus loco ſupra adducto admonet. Auguſtinus conſiderans, quantum in hujus terræ promiſſione contineatur, obſervavit duas res Abramo potiſſimum eſſe promiſſas: *Advertendum igitur eſt*, inquit, *duas res promiſſas Abrahæ: Vnam ſcilicet quod terram Chanaan poſſeſſurum eſſet ſemen ejus: quod ſignificatur, ubi dictum eſt.* Vade in terram, quam tibi demonſtravero & faciam te in gentem magnam. *Aliam vero longe præſtantiorem, quod non de carnali ſed de Spiritali ſemine, per quod pater eſt, non unius gentis Iſraeliticæ ſed omnium gentium, quæ fidei ejus veſtigia conſequuntur, quod promitti cœpit his verbis:* Et benedicentur in te omnes tribus terræ.

Optime dixit Proſper de promiſſ. & prædict. part. 1. cap. 14. Abrahamum ab Chaldæis, qui dum callide poſitiones ſiderum ſcrutarentur multum errabant circa cultum religionemque divinam, non callidæ creaturæ ſed calore divini cultus accenſum ab ſtultis & inſipientibus Domini munere ſegregatum eſſe. *Ad præceptum* inquit, *vocantis, prima ſede cognationeque relicta per fidem credit, quæ non vidit: donec videre mereatur omne quod credit. Exiens*

igitur

igitur de terra Chaldæorum habitavit Charra, in qua omnibus repletus eſt divitiis. Terra quoque ipſius, in ſpe ſui ſeminis futuram ſuſcepit hæreditatem. Cum etiam ex anu & ſterili conjuge vergens quoque ipſe in ſenium, per promiſſionem exſpectat hæredem. Hic nobis pater fidei oſtendit, nec incolatus noſtri longos exitus formidandos & in Chriſto Domino ſemper ſperandum, cujus per gratiam terra viventium ſempiterna potiemur hæreditate.

In Loco, Cui Sichem Nomen Est, Consedit] Cum Abram in terram Cananæam adveniſſet, non fixit manſionem in primo illius loco, in quem Jordane trajecto egreſſus erat, at perrexit uſque Sichem, & ad quercetum More: hinc progreſſus eſt ad montana quæ in orientali regione Bethelis ſunt. Inter Bethel & Ai mons eſt, quem ab occidente Bethel, ab oriente Ai reſpicit. Porrò proceſſit in regionem auſtralem. Prima ſtatio fuit Sicimis, altera in montibus ſeu ad montes inter Bethel & Ai. Hinc progreſſus eſt ſuis itineribus in & per regionem auſtralem. At ſtationem fixam non potuit eò loci conſtituere aut diutius immorari, quia urgens fames in Ægyptum proficiſci compulit. Aben-eſdras: גם זה המקום שכם משה קראו כן כי שכם לא היה בימי אברהם *Etiam hunc locum Sichem Moſes ſic vocavit, quia Sichem non fuit in diebus Abraham.* Raſi ſomniat ideò in Sicimis ſtationem primam fixiſſe Abrahamum, quia oràre voluit pro filiis Jacobi, bellaturis contra Sichem. Procopius Gazæus: *Sichem, Sichima & Selom ſunt in ſuburbanis Neapolis.* Hieronymus de locis Hebraicis: *Sichem & Salem, quæ Latinè & Græcè Sicima vocata eſt civitas Iacob nunc deſerta eſt. Oſtenditur autem locus in ſuburbanis Neapoleos juxta ſepulchrum Ioſeph, quam ſubvertit Abimelech & ſeminavit in ea ſalem, ſicut in libro Iudicum ſcriptum eſt. Poſteà verò inſtaurata eſt à Hieroboam ut regnorum narrat hiſtoria: & ſita eſt in finibus tribus Ephraim. Sed & filius Emmor appellabatur Sichem, à quo & locus nomen acceperat. Fuit autem & altera Sichem in monte Efraim civitas fugitivorum.* Iterum: *Selo in tribu Efraim, in quo loco arca teſtamenti manſit & tabernaculum domini uſque ad tempora Samuelis. Eſt autem in decimo miliario Neapoleos in regione Acrabitena. Sed & Iudæ patriarchæ filium Selam appellatum legimus. Sichem in tribu Manaſſe civitas ſacerdotalis & fugitivorum in monte Ephraim, ubi ſepelierunt oſſa Ioſeph.* Sicima non eſt Scythopolis ſed Neapolis. Scythopolis enim eſt Bethſan. Lapſus igitur eſt Cl. Druſius. Deinde rudera Sicimæ fuerunt in ſuburbanis Neapoleos, ita Neapolis non eſt eadem cum Sicimis. Sicimas duas notat Hieronymus, alteram profanam, alteram ſacerdotalem: in quo ſane exprimit Euſebium. At quomodo duæ fuerunt, ſi una Neapolis fuerit? Nam utramque per Neapolim exprimit. Uno loco ſcribit oſtendi Sicimæ profanæ veſtigia ad Neapolim prope ſepulchrum Joſephi. In altero Sacerdotalem Sichem eſſe in monte Efraim, ubi ſepelierunt oſſa Joſephi. Sichem ſacerdotalis fuit in monte, uti dicitur Joſue 20. 7. An eſt ab ea diſtincta, quæ in finibus Efraim, prope Machmetath & Beth-horon ſuperiorem, ubi Manaſſe incipit, Joſue 16. 16. & 17. 9. Contra Teſtimonium ſacri codicis Sichem ſacerdotalis in Manaſſe collocatur. Salem in Pentapoli diſtingui debet ab hac Salem; quam Hieronymus eandem facit cum Sichem. Sic etiam vicus Salumias in Scythopolis finibus differt ab hac Salem, quamvis decepti fuerint multi & inter eos Cl. Druſius. אֵלוֹן מוֹרֶה, Raſi: Eſt Sichem. Oſtendit ipſi montem Garizin & montem Ebal, quia illic Iſrael accepit juramentum legis, שבועת התורה. Aben-eſdras dicit אלון poſſe deduci ab אלה, quæ arborem notat: Alios dicere quod שדה agrum campum ſignificet. Ubi dicitur איל פרן, *planities Pharan.* Chaldæus interpretatur מֵישַׁר. Aben-eſdras etiam teſtatur, quod quidam

dicant More & Mamre eſſe eundem, nempe בעל ברית אברם fœderatum Abrami, de quo poſteà ſuum judicium adſcribit ויתכן שהוא אחר ויהי אלון שם מקום *Convenit ut ſit alius & Elon More nomen eſt loci.* Loca diverſiſſimi ſitus *Elon More* & *Elone Mambre.* Nam poſterior ille eſt prope Hebronem in montanis Judææ. Sichem, de qua hic, facta eſt civitas fugitivorum ſive ſacerdotalis, quæ tantum diſtabat ab Hebrone & Cades in Galilæa, quantum altera earum à termino Cananææ ſeu terræ promiſſionis auſtrali, altera à boreali: ut è Judæis prodidit Andreas Maſius in Commentario eruditiſſimo in librum Joſue. Elon More appellatum eſſe à nomine viri, ſed differentis & diverſi à Mamre, quod exiſtimat Mercerus, ſimile vero eſt. Vulgatus habet, *Vſque ad convallem illuſtrem.* Lyra commentatur: *Hæc eſt regio Pentapolis, ubi erant quinque civitates, quas ſubvertit Dominus: quæ erant valde delectabiles ante ſubverſionem.* Errat. Cum Moſes narrat Abramum prima ſtatione conſediſſe ad Sichem & Elon More intelligi debet, quod Elon More ſit locus primæ ſtationis, ſitus ad Sichem. Mercerus: *q. d. Pervenit ſeu pervaſit non ſolum uſque ad locum Sichem, ubi poſteà condita eſt Sichem ſed & ultra tandem uſque ad locum Elon More.* עד מקום שכם putat Mercerus dici non עד עיר שכם, quia urbs illa ea tempeſtate nondum condita eſſet. Urbs ſortita nomen fuerit à loco prius ſic dicto vel à conditore. Cum Jacob illis in locis peregrinaretur Sichem urbs erat, Gen. 34. Dina enim vitiata eſt ab Sichem Hemoris filio, qui ea in urbe imperitabat. Hoc factum anno M. C. 2215. Id eſt 192. annis poſt Abrahami adventum in illa loca. Hemor ille videtur condidiſſe, quia appellatur אֲבִי־שְׁכֶם Joſ. 24. 32. Dicitur enim Jacob agrum emiſſe à filiis Hemor, patris Sichem, ut videatur, eum patrem Sichem dici alia relatione, quam illa eſt, quam habet ad filios. Sed etiam ſic dicitur Gen. 33. 18. 19. *Iacob ſalvus pervenit ad urbem Sichem, quæ eſt in terra Canaan: cum veniret è Paddan-Aram: & conſedit in conſpectu urbis. Et emit partem agri, in qua fixerat tabernacula, à filiis Hemor, patris Sichem, centum agnis.*

Ad primam hanc ſtationem Abrahami in terra Canaan, notat Moſes Cananæum in ea regione incoluiſſe. Generaliter vox ea ſignificat omnes poſteros Canaan, filii Cham. Raſi: הוה הולך וכובש את ארץ ישראל מזרעו של שם שבחלקו של שם נפלה כשחלק נח את ארץ לבניו שנ׳ ומלכי צדק מלך שלם לפי ויאמר אל אברם לזרעך אתן את הארץ הזאת עתיד אני להחזירה לבניך שהם מזרעו של שם:, *Ambulabat & ſubigebat terram Iſrael è ſemine Sem quia in parte Sem cecidit, quando dividebat Noë terram filiis ſuis, Q. D.* [Gen. 14. 11.] Et Melchiſedec rex Salem: ad expoſitionem hujus, Et dixit Ad Abram: Semini tuo dabo terram hanc: Futurum eſt ut reſtituam eam filiis tuis, quia ipſi ſunt de ſemine Sem.

Secundum oraculum, quo in hoc loco Deus Abrahamo viſus eſt, promiſſionem continet de terra danda Semini ejus. In Hebræo habetur, וַיֵּרָא יהוה אברם Raſi נבואה ברוך / *per modum prophetiæ.* Deo igitur, qui viſus erat, conſtruxit aram. Abſque omni dubio Patres in locis ſacrorum conventuum aras ſtruxerunt, quas ipſi ſuique poſteri frequentarent exercitiis cultus Divini. Ea autem loca notabant, in quibus Deus ipſos benigne dignatus erat ſuo alloquio. Ideo locum hunc cultui ſacro publico conſecrat Abram ara inædificata, in memoriam oraculi & alloquii Diuini. Raſi: על בשורת הזרע ועל / בשורת ארץ ישראל *ob euangelinum ſeminis & terra Iſrael.* Aræ ponebantur ſacrificiis faciendis & ut apud eas Deus publicè invocaretur, ſed loca eligebantur, quæ Deus monſtrare videbatur & inſignium rerum memoria aut monumen-

numentum. Apud hanc aram Deum veneratus eſt Abraham, quamvis non ſit expreſſum.

Quatuor aras quatuor in locis terræ Canaan condidiſſe Abraham legitur. Primam, de qua hic apud Sichem: alteram v. 8. inter Bethel & Ai; tertiam apud Hebronem ad Elone Mamre, cap. 13. v. 18. quartam in monte Moria cap. 22. v. 9. Sed & in luco conſecrato legimus Abrahamum veneratum eſſe Deum, ſacro ſcilicet ſolenni & publico, cap. 21. v. 23.

Secunda ſtatio Abrahami fuit ad montem inter Bethel & Ai, quæ loca συλληπτικῶς ſic vocantur. Illic tabernaculum figit, exſtruit aram & nomen Domini invocat, ויקרא בשם יהוה/ quod alii exponunt de oratione ſola, alii de inhortatione ſuorum ad colendum Deum, alii de toto cultu externo & publico. Aben-eſdras: תפלה או קריאת בני אדם לעבוד השם: Raſi dicit prophetaſſe eo loci de caſu poſterorum & Deum pro iis oraſſe, quod ineptum. Hinc progreſſus peragravit auſtralia loca, quæ vergunt ad fines Arabiæ.

De Abrahami peregrinatione in Ægypto.

Abraham ſanè non diu hæſit in illis ſtationibus: at minorem moram ſumpſit in locis illis per quæ ivit cum è ſecunda ſtatione moviſſet. Nam dicitur ויסע אברם הלוך ונסוע הנגבה. Quod Raſi explicat, לפקרים יושב כאן חדש או יותר ונוסע משם ונוטה אהלו במקום אחר וכל מסעיו הנגבה ללכת לדרומה של ארץ ישראל והיא לצד ירושלים שהוא בחלקו של יהודה שנטלו בדרומה של ארץ ישראל להר המוריה שהוא נחלתו: *Per intervalla ſedens hic menſem unum aut amplius & proficiſcens inde & tendens Tabernaculum ſuum in loco alio & omnia ejus itinera verſus auſtrum, ad eundum verſus meridianum tractum terræ Iſrael, eſt ad latus Ieruſalem, quæ eſt in parte Iuda, quam poſuerunt in auſtrali regione Iſraelitarum terræ ad montem Moria. quæ eſt illius hæreditas.* Ralbag cauſam ædificationis ararum fuiſſe commodum locum affluentiæ divinæ ad prophetiam. Secundam ſtationem fuiſſe commodiorem prima & ideo Abrahamum verſus meridiem perrexiſſe ut illic ejus rei majorem commoditatem inveniret. Cauſa, quæ impulit Abrahamnm inde proficiſci in Ægyptum fuit ingens annonæ inopia, ut Sulpicius dicit cum ſcriptura.

Mox Annonæ Inopia Ægyptum Concessit] Hanc caritatem annonæ in ſola Cananæa fuiſſe dicit Raſi, immiſſamque divinitus, ut Abrahami conſtantiam exploraret: באותה הארץ לבדה לנסותו אם יהרהר אחר דבריו של הקב"ה שאמר לו ללכת אל ארץ כנען ועכשיו משיאו לצאת ממנה: Exiſtimat in eo peccaſſe Abrahamum, quod in Ægyptum conceſſerit, quia mandatum divinum fuerat ut iret in Cananæam. Peccaſſe in eo Abrahamum non putant orthodoxi interpretes, quia ipſe Deus famis neceſſitate eum compulit. Calvinus: *Non tantum circumagitur per diverſos terræ flexus ſed in exilium profligatur ab ea terra, quam Deus illi & poſteris dederat. Notandum eſt Chaldæam fuiſſe inprimis fertilem: aſſuetus opulentia venit Charras, ubi ſatis commode vixiſſe inde conjicitur, quia mancipiis & facultatibus auctus eſt. Nunc quaſi fame expellitur ab ea terra, ubi ſibi felicem vitam & omni bonorum copia refertam Dei verbo fretus deſponderat.* Quid ſecum cogitare poteſt, niſi probe munitus eſſet contra Satanæ machinas? Ralbag: וירד אברם מצרימה לא להשתקע אלא לגור כי לא היה יכול אז לעמוד בארץ כנען אשר היא הארץ הנבחרת לפי שהרעב הוא כבד מאוד: At Joſephus comminiſcitur & adjicit aliam cauſam: Λιμῷ δ' ὕστερον τὴν

 χανα-

χαναναίαν καταλαβόντος, Ἄβραμος αἰγυπτίους εὐδαιμονεῖν πυθόμενος διαίρειν πρὸς αὐτοὺς ἦν πρόθυμος, τῆς τε ἀφθονίας τῆς ἐκείνων μεθέξων καὶ τῶν ἱερέων ἀκροατὴς ἐσόμενος ὧν λέγοιέν τι περὶ θεῶν. ἢ γὰρ κρείσσοσιν εὑρεθεῖσι κατακολουθήσειν ἢ μετακοσμήσειν αὐτοὺς ἐπὶ τὸ βέλτιον αὐτὸς ἄμεινον φρονῶν. *Cum autem deinde Chananæam invaſiſſet fames, Abramus intellecto Ægyptios abundare, penetrare ad eos voluit, partim ut eorum frueretur copia, partim ut audiret ſacerdotes, qua de dis dicerent. Secuturum n. eſſe ſe meliora aut melius ſentientem ad meliora ipſos traducturum.* Joſephus commentum narrat quod cum veritate & ſacri codicis ſenſu non conſiſtit. Abrahamus enim pater fidelium à Deo edoctus, non potuit ſperare meliora à ſuperſtitioſis & profanis hominibus. Quam ſtulta & ridicula eſt ignorantia ſacerdotis neſcire fidem & revelationem promiſſionum Abrahamo factam eamque comparare cum Ægypti ſacerdotum vanitate. Non libidine igitur ſed neceſſitate in Ægyptum proficiſci compulſus, cum finibus regionis appropinquaret, cogitare cœpit & ſibi metuere ob formam uxoris: quam abripiendam eſſe è ſuo thoro in alienum dubitare non poterat. φοβούμενος, inquit Joſephus, τὸ πρὸς τὰς γυναῖκας τῶν Αἰγυπτίων. Circumſpicere igitur & animo agitare cœpit, quo facto vitam ſuam in tuto poſſet collocare. Τέχνην ἐπινόησε τοιαύτην: ἀδελφὸς αὐτῆς εἶναι προσεποιήσατο. Κἀκείνην τοῦτο ὑποκρίνασθαι, συμφέρειν γὰρ αὐτοῖς, ἐδίδαξεν. Ingreſſus in Ægyptum cum eſſet, Saræ forma omnium admirationem excitavit & ſermonem. Aulici & principes eam deprædicarunt apud regem. Rex igitur (quem ſcriptura communi quodam dignitatis vocabulo Pharaonem vocat) videre mulierem eaque potiri concupivit. Ferebat enim ſe eſſe Abrahami ſororem, cui ideo etiam, quod Saræ frater eſſe crederetur, prolixam comitatem & beneficentiam rex & Ægyptii exhibuere. Cum igitur Abram uxorem in periculum violationis conjeciſſet, id Deus ſuo favore prohibuit. Nam immiſit graviſſimas plagas Pharaoni & ejus familiæ, quibus præpeditus Rex libidinem explere non potuit. Deoque revelante cognovit mulierem iſtam Abrahami conjugem eſſe. Vocato ergò Abrahamo & increpito conjugem reddidit, ſalvumque ex Ægypto abitum præſidio ſatellitum ſuorum præſtitit.

Libidinoſos fuiſſe Ægyptios Ralbag dicit, duplici cauſa מצד המנהג & מצד הטבע conſuetudine & natura. Conſuetudinem Ægyptiorum probat, Levitic. XVIII. 3. Ubi Deus monet ne faciant juxta morem Ægyptiorum & Cananæorum, qui inceſtuoſi. Naturam inde eſſe להיות הארץ חמה מאד / quod regio ſit calidiſſima. Conſtat Saram intactam exiiſſe è domo regis, quia hic finis fuit providentiæ invigilantis pro Saræ pudicitia & immittentis plagas, in regem ejuſque familiam: quod etiam Ralbag obſervat & Aben-eſdras. Non opus eſt ut dicamus in lectum ejus fuiſſe adductam, quia hoc non apparet è Moſis verbis.

Quærunt interpretes, qui factum ſit, quod Abram non ante uxorem commonuerit, quam appropinquaretur finibus Ægypti? Cur non de uxoris forma timuerit, in ingreſſu in Cananæam? Ut de poſteriore dicam prius: In Cananæa (cujus poſſeſſionem in fide ſibi Abraham apprehenderat) non ita videtur timuiſſe, quia tam luculentæ erant Dei promiſſiones. Hæc eſt quorundam ſolutio: quod ſi autem hunc locum componamus cum Geneſ. XX. 13. evidens erit, Abrahamum non tum primum cum Ægyptum eſſet intraturus, ſed jam olim, cum Harane & domo paterna egrederetur, cum uxore ſua ita conveniſſe. Quod præceptum ſive conventum recentatum fuit in ingreſſu in Ægyptum, à cujus moribus ſibi maxime formidavit Abraham. Ita etiam primæ quæſtioni ſatisfactum erit. Midras Aggada apud Judæos eſt, quod producit

ducit Raſi: *Vſque ad hac tempus non agnoverat eam, ob verecundiam amborum* [מתוך צניעות שבשניהם] *nunc autem eam agnovit per opus.* Id inane. Nam ſterilis cognita & prædicata eſt, cum exiret ex Ur, Gen. xi. 30. Sp. S. addit, *Nullam ipſis ſobolem fuiſſe.* Quod non mirum, ſi cognita non eſſet. Cognita eſt eſſe ſterilis quia deus non benedixerat conjugibus, qui fructu conjugii exoptatiſſimo ſibi & illi ætati caruerunt. Et hoc erat inter fidei tentamina, quæ promiſſionem de immenſa poſteritate amplectebatur. Alius ſermo: Conſuetudo mundi eſt, quod *per fatigationem via homo contemptibilis reddatur, at hac conſiſtebat in pulchritudine ſua. Senſus ſimplex ſcriptura eſt, Ecce nunc advenit tempus, quo ſolicitum eſſe oportet de tua ſpecie. Novi hoc quod ſis pulchra ſpecie & nunc nos proficiſcimur inter viros nigros & deformes, fratres Æthiopum, qui non aſſucti de muliere pulchra.* Aben-eſdras נא ת׳ hic urget quaſi ſignificaret עתה nunc. Adeò tempori præſenti neceſſariam fuiſſe admonitionem & cautelam. Similem formæ Saræ non fuiſſe mulierem in auſtro & Ægypto: כי הצורות משתנות בעבור האויר *Quia aer formas mutat.* Raſi ex eo, quod dicitur, *Cum ingrederentur Ægyptum, Ægyptii viderunt mulierem eſſe pulchram* v. 14. ratiocinatur: *Docet, quod eam recondiderit in arca at quia inquiſiverunt in vectigal aperuerunt & viderunt eam.*

Hanc difficultatem etiam movent interpretes, Quomodo tanta gratia in forma Saræ conſtare potuerit, quæ conſenuerat & ſuperaverat annum ſexageſimum quintum? Non ſatisfaciunt Judæi, qui comparate pulchram fuiſſe exiſtimant, ad mulieres Ægyptias ſole peruſtas. Nam & inter Cananæas ſpecie eximia eminuit cum jam eſſet major nonagenaria Gen. xx. Calvinus: *Primò reſpondeo, Minimè dubium eſſe, quin tunc major fuerit in hominibus vivacitas: ſcimus autem ut vigor ſuſtineat formam. Deinde valuit ejus ſterilitas ad ſervandam formam integram, totumque corporis habitum: quia nihil eſt, quod magis fœminas debilitet, quam frequentes partus. Caterum non dubito, quin forma integritas in illa atate ſingulare fuerit donum Dei. Cur autem ſenio deleri ſancta fœmina formam tam citò noluerit, neſcimus, niſi quod magna & dura anxietatis cauſa marito fuit forma illius decor. Et communis uſus docet, qui ſtata & mediocri forma contenti non ſunt, magno ſuo damno ſentire quanti conſtet immodica pulchritudo.* Eventus docet non fruſtrà ſanctum virum ab Ægyptiis ſibi timuiſſe. Uxor enim illi erepta ducitur ad regem. Primò autem de Ægyptiis in genere loquitur Moſes: poſteà ad aulicos deſcendit. Significat enim rumorem paſſim de forma Sarai vulgatum fuiſſe, cupidius vero ab aulicis fuiſſe exceptum, qui ſibi plus licentiæ indulgent. Calvinus: *Quod autem ſubjicit eos nuntiaſſe regi, hinc colligimus quam vetus ſit corruptela, qua hodie ſine modo graſſatur in aulis regum. Nam quum omnia blanditiis & adulationibus illic plena ſint: tum vero proceres huc pracipuè intendunt ingenium, ut ſubinde afferant, quod regibus arrideat. Itaque videmus, ut quiſque gratia inter eos pollere cupit, non ſervilibus modo blanditiis ſed lenociniis quoque eſſe deditum.* Profuſæ ſunt regum libidines: ut inaudiit de ejus ſpecie Pharao, abripi ad ſe fecit. Quamvis divino præſidio protecta fuerit ejus pudicitia. Non exprimit id Moſes, attamen *ex comparatione ſimilis hiſtoria* (ut recte hic quoque Calvinus) *conjicimus non defuiſſe tunc quoque illi Dei praſidium, quum in eodem eſſet periculo. Non paſſus eſt Deus eam violari à rege Gerar: an Pharaonis libidini expoſitam putabimus? An pluris duxiſſet ſemel corruptam ſubjicere ſecundo probro, quam ſervare qua ſemper integra caſtaque vixerat? Deinde ſi ſe Abra tam propitium exhibuit, ut ejus uxorem iterum ab ipſo proſtitutam ab ignominia eriperet, quomodo non iviſſet obviam priori periculo?* Narrat etiam Moſes Abrahamum Saræ cauſa fuiſſe

liberaliter tractatum donatumque, unde patet à Pharaone ipſam honorificè fuiſſe exceptam & non habitam loco ſcorti.

Calvinus. *Quaritur, An juſtè Pharaoni inflicta fuerit hac pœna, quum neque inſidiari alterius thoro, neque per vim uxorem rapere in animo habuerit? Reſpondeo, Non ſemper aſtimanda eſſe noſtro judicio hominum facta, ſed potius examinanda eſſe ad trutinam Dei, quia ſæpe accidit, ut reperiat Dominus, quod juſte in nobis puniat, dum nobis videmur eſſe extra noxam noſque omni reatu abſolvimus. Potius diſcant reges ex hac hiſtoria, ſuam potentiam frenare ac moderatè uti ſuo imperio: denique voluntariam ſibi modeſtiæ legem imponere. Quamvis enim in Pharaone non palam appareat culpa: quia tamen fidum monitorem non habet inter homines, qui ejus licentiam compeſcere audeat, è cælo caſtigat eum Dominus. Quod ad familiam, erat quidem innoxia: ſed habet ſemper Dominus juſtas cauſas lices nobis occultas, cur ferulis percutiat, qui nihil videntur tale meriti. Quod ſervo ſuo Abra pepercit, paterna ejus indulgentia adſcribi debet.* Joſephus narrat Deum obſtitiſſe regis libidini, ne vim inferret Saræ, peſtilentia & ſeditione: conſultoſque ſacerdotes de cauſa mali & remedio, reſpondiſſe hanc eſſe cauſam, quod hoſpitis matrimonio injuriam inferre paraviſſet, ἐφ' οἷς ἠθέλησεν ἐνυβρίσαι τοῦ ξένου τὴν γυναῖκα. Regem territum quæſiviſſe, quænam ſit, quiſve ejus comes? cognita deinde rei veritate Abrahamum παρῃτεῖσθαι. At ſcriptura narrat Deum regi & familiæ gtaves inflixiſſe plagas. Mala igitur privata fuerint & in familia non populo.

De Abrahami facto, quatenus reprehendi & excuſari poſſit, audiamus ſapientum judicia. Auguſtinus de civit. Dei lib. 16. cap. 19. *Ubi uxorem ſuam dixit ſororem, nihil mentitus. Erat enim & hoc, quia propinqua erat ſanguine, ſicut etiam Lot eadem propinquitate, cum fratris ejus eſſet filius, frater ejus eſt dictus. Itaque uxorem tacuit non negavit, conjugis tuendam pudicitiam committens Deo & humanas inſidias cavens ut homo. Quoniam ſi periculum quantum cavere poterat, non caveret, magis tentaret Deum, quam ſperaret in Deo. De qua re contra calumniantem Fauſtum multa diximus.* Denique factum eſt, quod de Domino præſumpſit Abraham. Nam Pharao Rex Ægypti, qui eam ſibi uxorem acceperat, graviter afflictus marito reddidit. Ubi abſit ut credamus, alieno concubitu fuiſſe pollutam, quia multo eſt credibilius hoc Pharaonem facere afflictionibus magnis *non fuiſſe permiſſum.* Fauſtus ille Manichæus, de quo hic loquitur Auguſtinus, Abrahamum incuſabat, ut *matrimonii ſui infamiſſimum nundinatorem, qui avaritia ac ventris cauſa*, duobus regibus, Pharaoni ac Abimelech, *diverſis temporibus, Saram conjugem ſuam ſororem mentitus, quia erat pulcherrima, in concubitum venditaverit.* Fauſtum præter meritum maledixiſſe viro juſto & fideli certa res eſt, at Auguſtinus etiam fruſtra eſt, qui in totum ab omni crimine conatur abſolvere. Hoc quidem quod dixit Abraham, Eſſe ſuam ſororem, verum eſt, quia eundem patrem habuit nata de alia matre. Maledictum igitur in ore Fauſti eſt, qui dicit eſſe mendacium. Hic rectè Auguſtinus: *Puto juſtum eſſe ut in ea re, quam noverat Abraham, patriarcha potius credamus loquenti, quod ſcit, quam Manichæo criminanti, quod neſcit.* At quod addit, ipſum arctat: *Cum igitur Abraham eo tempore viveret in rebus humanis, quo* quidem jam fratres ex utroque aut ex altero vel altera parente natos, necti conjugio non licebat, filios autem fratrum alioſque longinquiore gradu generis conſanguineos, nulla lege, nulla poteſtate prohibita conſuetudo jungebat: quid mirum ſi ſororem ſuam, id eſt ex patris ſui *ſanguine procreatam habebat uxorem?* Maledictum etiam eſt, quod nundinatorem ſui matrimonii appellet, cum non

quæſi-

quæſiverit opes ſed vitæ timuerit, minus malum eligendo, ut majus evaderet. Verum fides illius titubavit, quatenus noncommiſit ſe ſuæque uxoris pudicitiam Deo protectori, & verum, quod tenebatur dicere, reticuit. Reticendo enim uxoris pudicitiam periculo, regem crimini in eam expoſuit. Id fruſtra Auguſtinus defendit: Cum enim objectionem hanc ſibi propoſuiſſet ſolvendam: *Cur non potius de Deo ſuo præſumpſit Abram, ut fateri non timeret uxorem? Nunquid enim Deus ab illo mortem non poterat repellere quam timebat, eumque cum conjuge ſua ab omni pernicie, in illa peregrinatione tutari, ut nec uxor ejus, quamvis eſſet pulcherrima, appeteretur ab aliquo, nec propter illam ipſe necaretur?* Reſpondet: *Poterat ſane hoc efficere Deus: quis ita ſit demens, ut hoc neget? Sed ſi interrogatus Abraham, illam fœminam indicaſſet uxorem, duas res tuendas committeret Deo & ſuam vitam & conjugis pudicitiam. Pertinet autem ad ſanam doctrinam, ut quando habet, quod faciat homo non tentet dominum Deum ſuum.* Deinde: *Proinde cum inter ignotos, propter excellentiſſimam pulcritudinem Saræ & ejus pudicitia & mariti vita eſſet in dubio, nec utrumque tueri poſſet Abraham, veruntamen unum horum poſſet, id eſt vitam: ne Deum ſuum tentaret fecit quod potuit: quod autem non potuit illi commiſit. Qui ergò ſe hominem occultare non poterat maritum ſe occultavit, ne occideretur; uxorem Deo credidit ne pollueretur.* Huc igitur evadit, conſulere Abrahamum ſibi debuiſſe medio, quod dabatur, & uxorem Deo committere. Nos dicimus, medium hoc fuiſſe illicitum, quod exponebat uxorem libidini regiæ. Nam & occurrere & obicem ponere aliorum criminibus & periculo criminum noſtri officii eſt, pro ratione muneris, nunquam licet retia tendere. Cum videret acutiſſimus pater, id poſſe opponi, addit: *Quanquam ſcrupuloſius diſputari poſſit, utrum illius mulieris pudicitia violaretur, etiamſi quiſquam carni ejus commixtus foret, cum id in ſe fieri pro mariti vita, nec illo neſciente ſed jubente permitteret, nequaquam fidem deſerens conjugalem & poteſtatem non abnuens maritalem: ſicut ille adulter non fuit, quando uxoris obtemperans poteſtati, de ancilla prolem generare conſenſit: ſed propter vim principiorum, quæ non ita duobus viris vivis ad concumbendum fœmina ſubditur, ſicut duæ fœminæ uni viro, multo verius & honeſtius illud accipimus, quod pater Abraham nec tentavit Deum, quando vitæ ſuæ, quantum potuit homo conſuluit & ſperavit in Deum, cui pudicitiam conjugis commendavit.* Inde Auguſtinus, conſcius ſibi non ſatisfacientis ſolutionis ad allegoriam confugit. Exceptio illa de non violata pudicitia uxoris cui maritus in id factum conſenſerit, ab ipſo reijcitur. Nos Auguſtini priorem reſponſionem rejicimus ob has cauſas: 1. Non licuit Abrahamo uxorem periculo exponere violationis, quod poterat prævenire. 2. Non licuit regi objicere adulterii occaſionem. 3. Vitæ ſuæ poſtpoſuit conjugis pudicitiam, cum tamen hujus major habenda ratio ſit. 4. In his addubitavit de Dei protectione & conſilium iniit improbabile. 5. Uxorem manifeſto periculo exponere & ſic Deo committere, id vero eſt Deum tentare. Hæc tamen omnia leniuntur magnitudine timoris manifeſti & quidem de morte, qua nullum majus malum eſt in natura. Licet pudori uxoris tuendo ſubire velle fortitudinis ſit. At Abram videbat in ſua perſona promiſſiones Eccleſiæ conſiſtere, quibus per vitæ conſervationem conſulere voluit. Semen enim ex Sara ſibi futurum eſſe nondum definite cognoverat. Huc adde, quod mendacium non dixerit, ita ut protulerit, quod vero contrarium eſſet, quamvis verum, ubi dicere debebat, occultaverit. Ad ſenſum & mentem tamen percontantium non reſpondet directa reſponſione, unde in mendacii incidit affinitatem. Laudo igitur illos, quos non repre-

reprehendit Auguſtinus, at ſequi non potuit; quia vult Abrahamum ab omni reprehenſione liberare. *Nonnulli quidem*, inquit, *non calumnioſi & maledici, ſicut Fauſtus ſed eiſdem libris honorem debitum deferentes, quos iſte vel non intelligendo reprehendit, vel reprehendendo non intelligit, cum hoc Abrahæ factum conſiderarent, viſum eſt eis, quod à firmitate fidei ſubdefecerit atque titubaverit, & timore mortis ſicut Dominum Petrus, ita iſte negaverit uxorem. Quod ſi ita neceſſe eſſet intelligi, peccatum hominis agnoſcerem: nec ideò cuncta ejus merita deleta atque oblitetata cenſerem, ſicut nec illius Apoſtoli; quanquam culpa non ſit æqualis, negare uxorem & negare Salvatorem. Nunc vero quum habeam, quod intelligam, ne hoc intelligam, nulla cauſa coger temeritate labi ad reprehendendum, quem nemo convincit timore lapſum fuiſſe ad mentiendum: neque enim utrum ejus uxor eſſet interrogatus, non eſſe reſpondit: ſed cum ab eo quæreretur, quid ei eſſet illa, indicavit ſororem non negavit uxorem. Tacuit aliquid veri, non dixit aliquid falſi.* Auguſtini igitur id effugium fuit, quo putavit ſe poſſe patriarcham ab omni reprehenſione immunem oſtendere. Hoc cum ipſi ſuccedere non poſſit, quod vidimus, viris illis orthodoxis accedimus, qui non calumniantur nec maledicuut cum Manichæo, ſed lapſum timoris agnoſcunt. Non enim probamus eorum ſententiam, qui putant Abrahamum in adulterium uxoris conſenſiſſe, lenocinante mendacio, ut vitæ ſuæ conſuleret. Tantum ex infirmitate non eſt conſeſſus, quod debuit dicere. Calvinus erudite defendit Abrahamum, neque tamen ab omni infirmitatis crimine aut imprudentiæ liberat. Verba ejus ſunt: *Quoniam autem hic locus inſtar ſcopuli eſt, ad quem multi impingunt, ſobriè & reverenter expendere convenit, quatenus excuſatione dignus ſit Abraham & quatenus culpandus. Primum ſimulationi, ad quam inducit uxorem ſuam, videtur aliquid eſſe mendacii admixtum. Quamvis autem poſteà excuſet ſe non mentitum eſſe, nec aliud finxiſſe quam res habebat: hoc tamen magno vitio non caruit, quod per eum non ſtetit, quo minus uxorem proſtitueret. Nam quum uxorem eſſe diſſimulat, denudat ejus pudicitiam legitimo præſidio. Atque hinc latrandi materiam protervi quidam canes arripiunt, ſanctum patriarcham lenonem fuiſſe propriæ uxoris: atque ut ſibi aſtute caveret, neque illius pudori, neque ſuo honori peperciſſe. Sed virulentam iſtam maledicentiam refellere promptum eſt: quod ſcilicet altius reſpexerit Abraham, quum tanta in aliis animi magnitudine præditus fuerit. Deinde qui factum eſt, ut Ægyptum potius peteret, quam rediret Charras, vel in patriam, niſi quod migrando Deum ante oculos habet, ejuſque promiſſionem animo ſuo radicitus infixam? Quum igitur à verbo Dei nunquam ſenſus ſuos deflexerit, inde etiam colligere licet, cur vita ſua tantopere metuat, ut ejus periculum alio majori effugere conaretur. Centies haud dubie mori præoptaſſet, quam uxoris ſuæ famam ita projicere & ejus quam unice amabat, conjugio privari. Sed dum in ſe reputat incluſam eſſe ſpem, ſe fontem eſſe Eccleſiæ Dei: fruſtrà niſi vivat ſibi & ſemini promiſſam eſſe benedictionem; non jam privato carnis aſpectu vitam ſuam æſtimat, ſed quia effectum divinæ vocationis evaneſcere non vult in morte ſua, tanta ſervandæ ſuæ vitæ cura tangitur, ut reliqua omnia poſthabeat. Hucuſque laudem meretur, quod recto vivendi fine, vitam quovis pretio redimere paratus eſt, ſed quod obliquam hanc rationem excogitat, quâ uxorem ſuam in adulterii periculum conjicit, minime eſſe excuſabilis videtur. Si de vita ſua ſolicitus erat, quod jure licuit, ſaltem debuit ſuam curam rejicere in Deum. Non obſtat quidem, fateor, Dei providentia, quo minus ſibi proſpiciant fideles: ſed ita ut ne præfixas ſibi metas tranſſiliant. Hinc ſequitur rectum fuiſſe Abræ finem, ſed in ipſa via aberraſſe: ut ſæpe nobis contingit etiam quum ad Deum*

Deum tendimus, tamen ab ejus verbo per incogitantiam coptandis illicitis mediis deflectere. Id vero præſertim uſu venire ſolet in rebus perplexis: quia dum exitus nullus apparet, facile in varios circuitus abducimur. Quamvis ergò temerarii ſint judices, qui præciſe damnant hoc factum Abræ: particularis lapſus non negandus eſt, quod ob mortem propinquam trepidans, diſcriminis eventum non commiſit Deo, ne uxoris pudicitiam male proderet. Quare hoc exemplo monemur, in rebus implicitis & dubiis petendum eſſe à Domino conſilii & prudentiæ ſpiritum: & ſimul colendam eſſe ſobrietatem, ne quid temere præter ejus verbum tentemus. Hæc Calvinus. Tertullianus eleganter & convenienter lib. de cultu fœminarum: *Nam & ſi accuſandus decor non eſt, ut felicitas corporis, ut divinæ plaſticæ acceſſio, ut animæ aliqua veſtis urbana, timendum tamen eſt vel propter injuriam & violentiam ſpectatorum, quæ etiam pater fidei Abraham in uxoris ſuæ ſpecie pertimuit & ſororem mentitus Saram, ſalutem contumelia redemit.* Muſculus: *Si Abraham fidei ſuæ firmitudinem retinuiſſet immotam, adhæc conſilia non appuliſſet animum, quibus vitæ ſuæ ſecuritatem, cum conjugalis pudicitiæ periculo quæſivit: remque admiſit non modo fideli ac juſto ſed & juxta ſeculum gravi viro indignam. Eo prolapſus eſt, ut vitam ſuam uxoris voluerit beneficio fore obnoxiam, quam potius Divinæ debuit commendare providentiæ. Miſera ſors eſt, ſi maritus vivat propter uxorem: miſerrimum ſi propter uxorem à ſe ablatam & alteri conjunctam, præſertim, ubi nullo eam juris prætextu repetere licet.* Meritò rex Abrahamum objurgavit, quod non aperuiſſet, mulierem illam eſſe conjugem ſuam. Nam & in regem deliquerat & familiam ejus. Quia crimini & pœnæ numinis per reticentiam Abræ erat admotus. Joſephus dicit regem deprecatum eſſe Abramum: Νομίζων γὰρ ἀδελφὴν ἀλλ' οὐ γυναῖκα αὐτοῦ σπουδάσαι περὶ αὐτὴν συγγένειαν ποιήσασθαι βουλόμενος, ἀλλ' οὐχ ὑβρίσαι κατ' ἐπιθυμίαν ὡρμημένος. At in eo magis diſcedit à Moſis ſenſu, quod non tantum reddidiſſe conjugem & ſalvum abitum, præſidio ſuorum ſatellitum, ex Ægypto procuraſſe dicat, ſed & donatum eſſe à rege, poteſtatemque ei factam congrediendi cum præſtantiſſimo quoque & doctiſſimo Ægyptiorum. Virtutis igitur & ſapientiæ ingens ſibi nomen inter eos comparaſſe, eiſque communicaſſe aſtrorum & numerorum ſiderum, cujus hactenus imperitos fuiſſe eos dicit. τῶν γὰρ Αἰγυπτίων διαφόροις ἀρεσκομένων ἔθεσι, καὶ τὰ παρ' ἀλλήλοις ἐκφαυλιζόντων νόμιμα καὶ διὰ τοῦτο δυσμενῶς ἐχόντων πρὸς ἀλλήλους, συμβαλὼν αὐτῶν ἑκάστοις καὶ διαπτύων τοὺς λόγους, οὓς ἐποιοῦντο περὶ τῶν ἰδίων, κενοὺς καὶ μηδὲν ἔχοντας ἀληθὲς ἀπέφαινε. *Cum enim Ægyptii diviſi eſſent moribus & invicem alii aliorum ritus inſectarentur, atque ob id infeſtis animis eſſent ſingulis eorum congreſſus, confutanſque ſermones quos de ſuis opinionibus proferebant, vanos eos eſſe & vacuos veritatis declarabat.* Hoc igitur modo & ſcientiæ & eloquientiæ ſibi quæſivit famam. τήν τε ἀριθμητικὴν αὐτοῖς χαρίζεται καὶ τὰ περὶ ἀστρονομίαν παραδίδωσι. Πρὸ γὰρ τῆς Ἀβράμου παρουσίας εἰς Αἴγυπτον, οἱ Αἰγύπτιοι τούτων εἶχον ἀμαθῶς. Ἐκ χαλδαίων γὰρ ταῦτ', ἐπιφοίτησεν εἰς Αἴγυπτον, ὅθεν ἀνῆλθεν καὶ εἰς τοὺς Ἕλληνας. Illa, quæ Joſephus dicit præter ſcripturam hauſit ex Polyhiſtore, Eupolemo, Artabano aliiſque ſcriptoribus, qui fabulas Judæorum & ſcripta hominum adjecerunt ſacris Moſis narrationibus, ut ſuo loco oſtendemus. Abrahamus Ægypto exiit, ſatellitum præſidio inſtructus. Calvinus: *Quod fide publica deduci jubet Pharao Abram extra regnum, videri poſſet ideo factum eſſe ut periculo occurreret: quia ſibi gentis odium conflaverat Abram, quaſi Dei flagellum illuc ſecum attuliſſet: ſed quia hæc conjectura parum firma eſt, ſimplicius interpretor datam fuiſſe Abræ exeundi copiam & cuſtodes additos ne prædæ pateret. Scimus enim quam ſuperbi fuerint Ægyptii & crudeles: & obnoxius invidiæ erat Abram, quod illic repente ditatus, tanquam ſpolia ſecum auferret.* Muſculus: *Videntur*

dentur iſta facere ad laudem humanitatis & integritatis in Pharaone. Verum noſtrum eſt ea non Pharaonis clementiæ ſed Divinæ adſcribere providentiæ ac curæ, quæ ſecundum Pſaltem, Pſ. 105. non permittebat, ut quiſquam Chriſtos ac prophetas ſuos, numero paucos oberrantes, deque regno ad regnum peregrinantes læderet. Nos non dubitamus Abrahami hanc peregrinationem in Ægypto, figuram fuiſſe futuræ peregrinationis poſterorum ejus, quemadmodum & Muſculus ſenſit & utramque inter ſe compoſuit.

Cap. XIII. Genes.

Reversus] Abram cum uxore, comitante etiam Loto, opibus auctus in auſtralem terræ promiſſæ partem advenit. Hinc itineribus ſuis profectus eſt uſque ad locum Secundæ ſtationis, qui ad montem inter Bethel & Ai ſitum: ubi aram ſtruxerat ſecundam. Ad hanc veneratus eſt Deum. Ad hunc locum non circà Hebronem ſeparatio Loti & Abrahami facta eſt. Lapſus enim eſt Joſephus, non conſiderata, uti oportuit, Moſis narratione.

Præ multitudine Familiæ] Pecorum & ſervitii uterque abundabat multitudine. Unde conjunctis ſpatiis Nomades tentoria figere & paſcere non poterant. Rixæ etiam & diſſidia inter Loti & Abrahami paſtores evenere. Abraham mitiſſimus & pacis ſtudioſiſſimus, quod apparet, familiarum pugnacem diſcordiam (ut Auguſtinus loquitur) vitare ſtuduit. Aug. *Poterat quippe hinc ut ſunt humana, etiam inter ipſos aliqua rixa conſurgere. Proinde hoc malum præcaventis Abrahæ verba ſunt ad Lot.* Non ſit rixa inter me & inter te & inter paſtores meos & paſtores tuos quia homines fratres ſumus. Nonne ecce tota terra ante te eſt? Diſcede à me. Si tu in ſiniſtram, ego in dextram: vel ſi tu in dextram, ego in ſiniſtram. *Hinc fortaſſis effecta eſt inter homines pacifica conſuetudo, ut quando terrenorum aliquid partiendum eſt major dividat, minor eligat.* Calvini obſervationes:.

I. *Incommoditas, quam ex ſuis divitiis paſſus eſt Abraham, quod ſcilicet à nepote ſuo, quem unicè amabat, avulſus fuerit, non ſecus ac ſuit viſceribus. Certè ſi data fuiſſet optio, maluiſſet divitias abjicere quam diſceſſionem ab eo facere, quem loco unici filii habebat: non tamen aliud vitandis rixis remedium invenit.*

II. *Quod jam attigi de divitiis, de magno etiam famulitio ſentiendum eſt. Fieri enim vix poteſt quin magno ſtrepitu miſceatur domus, in magno hominum numero. Et uſus comprobat, verum eſſe proverbium, quod turba fere ſit turbulenta.*

III. *Tantum contentionis ardorem fuiſſe admonet* [Moſes] *ut ne præſentis quidem exitii metu, reſtingui potuerit vel ſedari. Totidem cincti erant hoſtibus, quot habebant vicinos. Nihil ergo ad ipſos perdendos deerat, niſi occaſio, quam ipſi ſuis rixis prabent. Sic homines dementat cæcus furor, ubi ſemel prævaluit rixandi intemperies, ut mortem oculis ſubjectam ſecure contemnant.*

IV. *Ubi jurgium ortum eſſe videt Abram, agit officium boni patris familias, quod pacem componere ſtudeat inter domeſticos: Deinde ſua moderatione quærit tollendi mali remedium.*

Moderatio eſt quam Abram adhibuit quod jurgii placandi cauſa jure ſuo ſponte cedit. Quæ æquitas ſicuti in Abram non parva laude digna fuit, ita merito culpanda eſt inconſideratio Lot, quam deſcribit Moſes. Debuerat potius modeſtia certare inquit Calvinus (idemque ſenſit Mercerus) cum patruo, atque ita naturæ ordo ferebat. At quis ſciat factum id à Lot non eſſe. Potuit enim recuſare optionem, quam ſuſcipit urgente patruo. Quia non omnia

omnia à Moſe fuſo narrationis modo explicantur. Judæi, & inter eos Ralbag putant Abrahamum hoc tantum obtuliſſe Loto, ſe illi optionem dare, in quam partem vellet ſecedendi cum pecude & poſſeſſionibus ſuis: ſe nolle diſcedere ex illo loco at in diverſum paſturam facere. Ratio hujus opinionis, quia putant adhærere voluiſſe loco Prophetiæ. Obſervationem tamen ſequentem probo:

V. *Putabat Lot ſe beatum eſſe, quod tam opima contigiſſet habitatio: ſed tandem diſcit electionem, ad quam temere non minus quam cupide feſtinaverat infeliciter ſibi ceſſiſſe quia negotium habet cum ſuperbis perverſiſque hoſpitibus, quorum mores ferre longè durius erat, quam cum terræ ſterilitate luctari. Ita dum ſola proſpectus amænitate ducitur, dat pœnam ſtultæ ſuæ cupiditatis.*

Certe non minus inquirendum ipſi fuerat in mores incolarum quam in regionis fecunditatem. Sodomitarum autem perditi mores impietatem Cananæorum longè ſuperabant. Quanto fertilitate agri & omni luxu abundabant, tanto ingratius in Deum ferociebant. De quo poſteà latius dicendum eſt. Cæterum in cæcis hominum molitionibus partes ſuas agit conſilium Dei, qui Abrahamum non Lotum ad peregrinationem & poſſeſſionem terræ Canaan evocaverat. Offert Loto Abram, cujus jure cedere non poterat quodque Deus Loto ejuſque ſoboli dare nolebat. Renuit igitur Lot Dei gubernatione, ut juſtè excidiſſe videatur, qui ſpreverat.

Vacuæ tum Regionis.] Audiant Præadamitæ, audiat Iſacius Voſſius, vir eximius, Cananæa ea tempeſtate infrequenter culta erat. Quamvis Cananæi occupaſſent & condidiſſent, rara tamen oppida erant, patebantque vaſtiſſima camporum ſpatia, ubi paſtorum numeroſiſſimi ampliſſimique greges vagari poterant. Illius autem paſturæ hic modus erat, ubi depaſtus locus eſſet unus, in alium emigrabant. Unde aliquot dierum itinere ſæpe domo fixa aberant; uti in hiſtoria Joſephi apparet. Saturnia erant ſæcula, nondum agros campoſque limite ſignaverat menſor. Putamus ne Ægyptum melius cultam fuiſſe, in qua Abraham pecoris dives hoſpitatus eſt, cui pecus donatum à rege legitur, nuſquam modus campi eſt poſitus? Eadem ratio fuit Syriæ & Babyloniæ, cujus morem imitati ſunt Abram & Lot & intulere in Cananæam. Quid igitur dicemus de Græcia aliiſque regionibus, quæ longius diſſitæ ſunt ab Armeniæ monte aut Babylone centro coloniarum orbis. Sic igitur orbis ab hominibus primò occupatus eſt: quam longiſſimè poterant, à ſe invicem diſcedebant in omnes mundi plagas illi primi ἀρχηγέται, ut media ſpatia ad paſturam ampliſſimè paterent. Regna igitur diffuſa capacibus terminis, urbes paucas nec adeo frequentes incolis aut hominum multitudine capiebant. Incolæ fere agro colendo & pecoribus paſcendis dabant operam. Ipſi Ægyptii tempore Abrahami pecorum paſturæ diligentius videntur incubuiſſe, quia Abrahamum rex, quem magno opere donatum ditatumque voluit, pecore beavit. Unde colligimus diluvium ab hoc tempore remotius non fuiſſe, quam indicat Hebræus calculus.

Poſtquam à ſe invicem ſeparati eſſent *neceſſitate ſuſtentandæ familiæ* (inquit Auguſtinus) *non fœditate diſcordiæ*, habitavit Abram in Canaan, Lot in planitie illa Jordanis, ut loquitur Moſis, quaſi & illa planities pars terræ Canaan non eſſet. Sed obſervandum eſt, illam planitiem cæleſti igne ſic corruptam eſſe, ut terræ habitabili non fuerit accenſenda, ad quod tempus Moſes reſpicit in hac narratione, ſicuti plurima loca iis deſignat nominibus, quæ poſtea obtinuerunt.

Tum autem tertium promiſſionis oraculum Abrahamo evenit. Jubet eum Deus quaquaverſum in omnes cœli plagas, oculos circumferre, quia univerſam hanc regionem ipſi ejuſque ſemini daturus eſſet in æternum. Deinde promittit de ſemine multiplicationem inſtar pulveris terræ. Ideo jubet ut ne diutius iſto in loco conſideat ſed terram perambulet in longitudinem & latitudinem, quia eam dono ſuo poſſeſſurus eſſet. Hæc habentur Gen. XIII. v. 14. 15. 16. 17.

Hic primo quæritur, An Deus Abramum contentum eſſe jubeat ſuamque promiſſionem circumſcribat ambitu illo, quem viſus Abrami poterat pervadere? R. Non definit ambitum ſed plagas notat, in quas extenderetur.

Secundo quæritur ex Auguſtino, An Abram in hac promiſſionis repetitione conſtituatur pater gentium. Auguſtinus de civit. Dei lib. 16. cap. 21. *In hac promiſſione, utrum ſit etiam illa, qua pater factus eſt omnium gentium non evidenter apparet. Poteſt enim videri adhoc pertinere. Et faciam ſemen tuum, tanquam arenam terra &c.* Deinde. *Proinde quia non tantum gens Iſraelitica ſed univerſum ſemen Abraha, ubi eſt expreſſa promiſſio non ſecundum carnem ſed ſecundum ſpiritum plurimorum filiorum, congruentius arena multitudini comparatur: poteſt hinc intelligi utriuſque perfecta promiſſio. Sed ideò diximus, quod non evidenter appareat, quia & illius gentis unius multitudo, qua ſecundum carnem nata eſt Abraham, per ejus nepotem Iacob in tantum crevit, ut pene omnes partes orbis impleverit. Et ideò potuit & ipſa ſecundum hyperbolen arena multitudini comparari, quia & hac ſola innumera eſt homini multitudo.* Sic Aug. Quis ambigit, Eodem axiomate figuram & rem figuratam contineri, ubi in neutra repugnantia eſt?

Tertio, Quærit quam terram notet Dei promiſſio? R. Aug. *Terram certè illam ſolam ſignificatam, qua appellata eſt Chanaan, nemo ambigit.* At In Cananæa intelligit Cœlum, cujus figura erat Cananæa.

Quartò, Quomodo in ſeculum dicitur ea terra promitti Abrahamo & ſemini ejus? Pergit Aug. *Sed quod dictum eſt:* Tibi dabo eam & ſemini tuo uſque in ſeculum, *poteſt movere nonnullos, ſi uſque in ſeculum intelligant in æternum, Si autem ſeculum hoc loco ſic accipiant, quemadmodum fideliter tenemus, initium futuri ſeculi, à fine præſentis ordiri, nihil eos movebit, quia etſi expulſi ſunt Iſraelita de Hieroſolymis, manent tamen in aliis civitatibus terra Canaan & uſque in finem manebunt: & univerſa terra illa, cum à chriſtianis inhabitatur, etiam ipſum ſemen eſt Abraha.* In ſeculum intelligendum eſt de eo ſeculo, quo terra Canaan figura cæli fuit. Auguſtini tempore terra Canaan ſubdita fuit & habitata Chriſtianis; non tamen ſedes & patria poſſeſſio Judæorum erat, qui pauciores, quam Chriſtiani in illis locis colebant & ſubditi Chriſtianis, Hieroſolymis poſt Hadrianum excluſi. Hodie & ante multa ſecula Canaan infidelibus colitur & ſubjecta eſt. Calvinus: *Quum terra in ſeculum promittitur, non ſimpliciter notatur perpetuitas ſed qua finem accepit Chriſti adventu. De ea voce* עולם *inſcite rixantur Iudai: ſed cum variè ſumatur in ſcriptura, hoc loco (ut nuper attigi) totum legis tempus complectitur ſicuti fœdus, quod pepigit Deus cum veteri populo, pluribus locis vocatur æternum: quia officium Chriſti fuit mundum ſuo adventu renovare. Atqui mutatio, quam Chriſtus attulit, non abolitio fuit veterum promiſſionum, ſed potius confirmatio. Quod ergo nunc Deus, non populum unum habet peculiarem in terra Canaan ſed ubique diffuſum per omnes mundi plagas, id non obſtat, quo minus rite promiſſa fuerit æterna terra poſſeſſio ſemini Abra uſque ad futuram renovationem.* Mercerus ſic impletum eſſe obſervat, ut terræ Canaan fines uſque ad orbis fi-

nes

nes per Meſſiam ſint protenſi: Deinde divinam promiſſionem fuiſſe conditionatam, in quantum Cananæam reſpiciebat in ſe abſolutè ſpectatam, extra rationem typi. *Quanquam*, inquit, *revera etiam externum dominium & poſſeſſio terra Canaan futura erant Iſraelitarum in ſempiternum: niſi illi ex parte ſua fœdus à Domino initum ſolviſſent, nec per Dominum ſtetit ſed per illos, ut Deut. 4. dicitur. Vbi Moſes minatur, fore ut illos ejiciat & evomat terra, ſi ſeſe aliter geſſerint quam ratio Dei mandatorum ferat, qua conditio hic in ſemine Abrahami eſt ſubaudienda ex illo loco & aliis ſcriptura &c.* Res igitur ita evolvenda eſt: Abrami ſemen eſt carnis & ſpirituale. Carnis ſemini terra Canaan promittitur in æternam poſſeſſionem ſub conditione: Spiritualibus cœlum in Chriſto. Hi Spirituales filii per omnes nationes diffuſi erunt, habentes quaque de natione terram, non promiſſam ut hæreditatem ſuam ſed conceſſam pro tempore ſui incolatus & exilii. Sic Canaan quadam ratione dilatata eſt ad fines mundi: quia eo uſque patet filiorum Abræ propagata habitatio. Tota terra eſt Canaan quia ibi filii Abraham inhabitant. Canaan enim duplicem uſum præſtitit ſemini Abræ, inhabitationem & figuram: ex priore uſu pro illa nunc mundus eſt. Sic intelligi debet Apoſtolus cum dicit Abrahamo promiſſum eſſe, quod hæres mundi futurus eſſet, nempe in ſemine totum mundum poſſidente, quod tamen ut propriam ſuam hæreditatem ſpectabat cælum, id eſt mundum futurum.

Juſſit Deus, ut Abrahamus eam terram perambularet, quia eam ipſi daturus eſſet quod non eſt opus eo rigore accipi, quaſi voluerit & præciſe juſſerit Deus, ut à modò omnes ejus partes peragraret, mutatione locorum continuata. Nam Abraham ſive mox à præcepto hoc dato, ſive poſt aliquam temporis moram tranſiit in auſtralem tractum, ad Elone Mambre apud Hebronem. Quam tertiam ſtationem diu tenuit, ibique Saram ſepeliit. Berſeba quidem fuit quarta ſtatio Abrahami, at pro tempore, quia eam deſeruit reverſus Hebronem. Nam nec in Berſeba aram legitur conſtituiſſe. Quod ſi Abram aliquando loca mutaverit, luſtrans univerſam Canaan, nec enim Moſes omnia videtur conſcripſiſſe, plerumque tamen Hebrone hæſit. Dei igitur mandatum ſic accepit, quod luſtranda illi eſſet univerſa terra, ut ex parte fecerat, ante hoc tempus, ex parte fecit poſtea non quod vaga oberratione deinceps eam obire juberetur, aut locus fixus ad incolendum prohiberetur. Hoc tamen manet, quod in tentoriis habitaverit ut advena & peregrinus, non in domo, ut civis. Elone Mamre, tertia ſtatio Abrahami fuit in qua diutiſſime hæſit. Mamre nomen viri fuit, ut Judæi conſentiunt. Ralbag dicit eum multis locis peragratis luſtrataque terra juxta præceptum Dei, quæſiviſſe commodum locum maximeque illi arriſiſſe Elone Mamre, ideò illic ædificaſſe aram להביא עליו הנבואה *ut adduceret Prophetiam*, quod & factum ſit.

Cap. XIV. Genes.

Reges Vicinarum Gentium] Hic bellum Sodomiticum exponere incipit, quod Gen. 14. cap. deſcribitur. Cum enim ab hoſtibus, qui vicerant Sodomitas, Lot etiam captus eſſet, liberavit eum Abraham, qui in Elone Mambre habitabat. Nam adductis ſecum in prælium trecentis decem & octo vernaculis ſuis, caſtra victorum noctu aggreſſus, victoriam obtinuit, prædam recepit, nihilque ſpoliorum auferre voluit, offerente rege, cui vicerat. At benedictus eſt à Melchiſedec, qui erat ſacerdos Dei altiſſimi.

REGES VICINARUM GENTIUM] Hic tumultuantur οἱ ἐκ τῆς ἐχθείας, quomodo in tam vicina vaſtitate mundi, quam fecerat diluvium; tot reges tantis copiis inſtructi, exſiſtere potuerint? Solvam hoc verbis Calvini: *Cæterum, quod tot reges commemorat Moſes, Sem adhuc ſuperſtite (quanquam à profanis hominibus tanquam fabuloſum ridetur) nihil habet abſurdi, ſi modo reputamus tantam humani generis propagationem ſingulare fuiſſe Dei miraculum. Nam quum Dominus ipſi Noë ejuſque filiis diceret, Creſcite & multiplicamini: ad ſpem inſtaurationis eos erigere voluit, quæ uſitato naturæ ordine longè eſſet excellentior. Perpetua quidem eſt illa benedictio, quæ vigebit uſque ad mundi finem. Sed vim ejus extraordinariam tunc exſtare oportuit, unde palam agnoſcerent primi illi patres, novum mundum in arca divinitus fuiſſe incluſum.*

NULLUM INTER MORTALES CERTAMEN] Hoc falſum quidem eſt, uti oſtendit Druſius. Nam victi ſubactique Sodomitæ erant bello, antequam Abram in Cananæam adveniret. Hic tamen horribile ſpeculum fuit humanæ pravitatis, in quam ſuperbia & avaritia erupere. Ea adhuc tempeſtate humanum genus habuiſſe videtur tres ſuos patriarchas & Noë nuper diem ſuum obierat, communis omnium parens. Semum in vivis fuiſſe certum eſt ex ipſa relatione Moſis, Japetum fuiſſe ſuperſtitem Græcorum fabulæ docent, quæ ultimam memoriam ultra Exodum haud longè de diis ſuis repetunt & Japetum exprimunt. De Hammone etiam Ægyptii meminerunt, tanquam qui rebus humanis interfuerit, remotiſſimè à diluvio. Horum Patriarcharum aſpectu admonebantur omnes, ſibi ex una domo & arca eſſe originem. Originis autem memoria, fraternæ conjunctionis ſacrum erat pignus, ut admonerentur de mutuis officiis quibus certatim alius alium adjuvare debet. Prævalet tamen ambitio, ut ferro & armis, ultro citroque graſſentur. Meminerimus quam vetus malum ſit, quum ſeculis omnibus dominandi libido tantum ſævierit inter homines. Simul notemus, nullum eſſe deterius vitium animi elatione, quam multi heroicum affectum eſſe putant.

QUOD CUM ABRAM] Quæri poteſt, An Abræ homini privato licuerit armare familiam contra reges & publicum bellum ſuſcipere. Deinde omni eos præda exuere & libertati reſtituere Sodomenos, qui ejus tutelæ commiſſi non erant? Reſpondemus cum Calvino: Minimè dubitandum eſſe, quin Abram, ut virtute Spiritus munitus in bellum deſcendit, ſic cæleſti mandato fuerit inſtructus ne vocationis ſuæ metas tranſiliret. Addit Calvinus: *neque hoc novum videri debet,* quum *ſpecialis eſſet ejus vocatio creatus jam erat rex illius terræ. Quanquam poſſeſſio in aliud tempus differebatur, Deus tamen ſingulare aliquod ſpecimen ejus poteſtatis dare voluit, quæ adhuc hominibus ignota erat. Quale præludium legimus in Moſe, dum Ægyptium occidit, priuſquam ſe vindicem ac liberatorem ſuæ gentis palam profiteretur.* Abraham alias injurias patienter & forti animo tulit, quæ mitiores levioreſque non erant. Hic inſtinctu Dei excitatus regulam non dabit illis, qui ſe ſuoſque armata manu defendere & liberare cupiunt, quoties vis aliqua illata eſt.

ARMATIS SERVIS SUIS] Fœderati ejus Aner, Eſcol & Mamre ſuas manus junxere. Apparet Abram cum temporis progreſſu liberalius fuiſſe exceptum, unde fœdus & amicitiam habuit cum terræ principibus. Fecerant id ipſius Heroicæ virtutes ut minimè ſpernendum ducerent. Ipſe, cum tantam familiam duceret, inter regulos, quibus Canaan diviſa erat, potuit habere locum, niſi extraneus fuiſſet & hoſpes. Sic colligo pleraſque partes orbis regulis oppidatim fuiſſe gubernatas (qui modus regiminis cœpit

pit à Nemrodo) donec vis multos uni ſubeſſe coëgit, unde regna ampliora nata ſunt. Ita Nemrod patres familiarum evertit, multaſque familias ſub ſuum imperium conjunxit. Cæterum Deus ita Abræ paci conſulere voluit per temporale fœdus, ut nunquam illis populis permixtus fuerit. Qui Abræ indicavit de captivitate Lot, non fuit fidelium aliquis, ut Hebræus non erat: ſed è clade profugus, boniſque ſuis nudatus veniſſe ad Abram videtur. Servos ſuos armavit Abram, qui ad rem militarem edocti formatique non erant. His uſus eſt, qui ſub ejus manu educati erant & fidiſſimi hero ſuo, quamvis militiæ rudes. Deus ſervis iſtis & militibus fœderatis virtutem inſpiravit, qui quatuor reges, pro captu temporum ſatis validos & victoriæ memoria turgidos inflatoſque aggredi cum magno periculo non dubitarunt & feliciter ſuperarunt.

De Melchiſedeco.

TUM A MELCHISEDEC SACERDOTE] Hunc conſiderabimus *φυσικῶς καὶ μυστικῶς*. In ſe ſuaque natura conſideratum ſupra hominem fuiſſe, quidam arbitrati ſunt, vulgo eruditi tenent & certa res hominem fuiſſe. Apud Epiphanium in hæreſi Melchiſedecianorum legimus Melchiſedecianos quos conjicit propaginem eſſe Theodotianorum, exiſtimare quod Melchiſedec ſit *μεγάλη τις δύναμις* & ipſo etiam Chriſto major. Argumentum eorum hoc erat. Pſal. 110. 4. *Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedec.* Hinc concludebant Chriſtum eſſe *ἐπ ὑποδεέστερον τοῦ Μελχισέδεκ. Εἰ μὴ γὰρ ἦν ἐν δευτέρᾳ τινὶ ἀγωγῇ κείμενος οὐκ ἂν τῆς ἐκείνου τάξεως ἐπεδέετο.* Qui alicujus ordine indiget, inferiorem illo exiſtimationis locum tenet. Secundo argumento fuit, quod ab Apoſtolo referatur fuiſſe *ἀμήτωρ, ἀπάτωρ, ἀγενεαλόγητος.* Qnibus in rebus Chriſto ſuperiorem eſſe. Tertio, *πλάττουσι δὲ ἑαυτοῖς καὶ βίβλους ἐπιπλάστους ἑαυτοὺς ἀπατῶντες.* Tertullianus de præſcriptionibus adverſus hæreticos: *Alter poſt hunc Theodotus hæreticus erupit, qui & ipſe introduxit alteram ſectam & ipſum Chriſtum hominem tantummodo dicit ex Sp. S. ex Virgine Maria conceptum pariter & natum ſed hunc inferiorem eſſe quam Melchiſedech, eò quod dictum ſit de Chriſto:* Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec. *Nam illum Melchiſedec præcipuæ gratiæ cæleſtem eſſe virtutem: eo quod agat Chriſtus pro hominibus, deprecator & advocatus ipſorum factus, Melchiſedec facere pro cæleſtibus angelis atque virtutibus. Nam eſſe illum uſque adeo Chriſto meliorem, ut apator ſit, ametor ſit, agenealogitus ſit, cujus neque initium neque finis comprehenſus ſit, aut comprehendi poſſit.* Si Chriſtus Melchiſedeco minor ſit *ψιλὸν ἄνθρωπον* eſſe oportet: Si Melchiſedec Chriſto major ſit, ad angelorum ſublimitatem & ultra eam extolli oportet, Chriſto infra eos depreſſo. Ad argumenta eorum facilis reſponſio erit, myſterio, quod geſſit, expoſito. Hi hæretici in Melchiſedeci nomine ſacrificia offerebant, quia ſit *εἰσαγωγεὺς πρὸς τὸν θεόν*. Quòd ut nos doceret, Chriſtum adveniſſe. Hierax Melchiſedec Spiritum Sanctum eſſe putabat. Maximum illi argumentum fuit è loco Rom. 7. 26. *Pro nobis orat gemitibus ἀνεκλαλήτοις.* At ex libro quodam, qui *Ἀναβατικὸς Ἡσαΐου* inſcriptus erat, volebat Spiritus S. *πλείαν οὐσίαν πεπεῖσθαι*. Inter Catholicos erant qui Melchiſedecum volebant eſſe ipſum Chriſtum, qui ſe *ἐν ἰδέᾳ ἀνθρώπου* Abrahamo videndum obtulerit. Hieronymus ſcribit ſibi ab Evagrio miſſum fuiſſe volumen *ἀδέσποτον καὶ ἀνώνυμον*, in quo famoſiſſima quæſtio ſuper Pontifice Melchiſedec, illuc plurimis argumentis eſſet perducta, ut docere conatus ſit, eum, qui benedixerit tanto Patriarchæ, divinioris naturæ fuiſſe nec de hominibus æſtiman-

ſtimandum. Qui ad extremum auſus ſit dicere, Spiritum Sanctum occurriſſe Abrahæ & ipſum eſſe qui ſub hominis figura viſus ſit. Illum autem in illo tractatu tangere noluiſſe, Quomodo Spiritus Sanctus panem vinumque protulerit & decimas prædæ, quam Abraham victis quatuor regibus reportarat, acceperit. Dicit Hieronymus ſe voluiſſe diſſimulare ſententiam, ſed miris Evagrii obteſtationibus adjuratum, ne ſperneret precatorem revolviſſe veterum libros, ut videret quid ſinguli dicerent, ut Evagrio quaſi de multorum conſilio reſponderet. Sequuntur ejus verba: *Statimque in fronte Geneſeos in prima Homiliarum Origenis reperi ſcriptum de Melchiſedec, in qua multiplici ſermone diſputans, illuc devolutus eſt ut eum angelum diceret. Iiſdemque pene argumentis, quibus ſcriptor tuus de Spiritu S. ille de ſupernis virtutibus eſt locutus; Tranſivi ad Didymum ſectatorem ejus, & vidi hominem pedibus in magiſtri iſſe ſententiam. Verti me ad Hippalytum, Irenaum, Euſebium Caſarienſem & Emiſenum, Apollinarium quoque noſtrum & Euſtathium, qui primus Antiochena eccleſia epiſcopus, contra Arium clariſſima tuba, bellicum cecinit: & deprehendi horum omnium opiniones, diverſis argumentationibus ut diverticulis ad unum compitum perveniſſe, ut dicerent Melchiſedec hominem fuiſſe Chananaum Regem urbis Hieroſolyma, qua primum Salem, poſteà Iebus, ad extremum Hieruſalem appellata ſit: nec mirum eſſe ſi ſacerdos Dei altiſſimi deſcribatur abſque circumciſione & legalibus ceremoniis & genere Aaron, cum Abel quoque & Enoch & Noë placuerint Deo & victimas obtulerint: & in Iob volumine legimus, quod ipſe & oblator munerum fuerit & Sacerdos & quotidie pro filiis ſuis hoſtias immolarit: & ajunt ipſum quoque Iob, non fuiſſe de genere Levi ſed de ſtirpe Eſau, licet aliud Hebrai autument. Quomodo autem Noë inebriatus in domo ſua & nudatus atque deriſus à mediano filio, typum ſalvatoris prabuit & Cham populi Iudaorum: Samſon quoque amator meretricis & pauperis Dalila, multo plures hoſtium mortuus quam vivus occidit ut Chriſti exprimeret paſſionem: omneſque penè ſancti & Patriarcha & Propheta in aliqua re figuram expreſſerunt Salvatoris, ſic & Melchiſedec eo quod Chananaus fuerit & non de genere Iudaorum in typum praceſſiſſe ſacerdotis filii Dei. De quo dicitur in centeſimo nono Pſalmo:* Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec. *Ordinem autem ejus multis modis interpretantur, quod ſolus & rex fuerit & ſacerdos & ante circumciſionem functus ſacerdotio: ut non gentes ex Iudais ſed Iudai à gentibus ſacerdotium acceperint: neque unctus oleo ſacerdotali, ut Moyſi pracepta conſtituunt ſed oleo exſultationis & fidei puritate: neque carnis & ſanguinis victimas immolaverit & brutorum ſanguinem, eorum animalium exta, id eſt, quicquid ſuper eſcam eſt, ſuſceperit: ſed pane & vino ſimplici puroque ſacrificio Chriſti dedicaverit ſacramentum: & multa alia, qua epiſtola brevitas non recipit. Prætereà plenius eſſe tractatum in epiſtola ad Hebraos, quam omnes Graci recipiunt & nonnulli Latinorum, quod iſte Melchiſedec id eſt rex juſtus, rex fuerit Salem, id eſt rex pacis, ſine patre & matre: & quomodo hoc intelligendum ſit, uno ſtatim verbo explicarit, ἀγενεαλόγητος: non quod abſque patre & matre fuerit, cum Chriſtus quoque ſecundum utramque naturam & patrem habuerit & matrem. Sed quod ſubito introducatur in Geneſi occurriſſe Abraham à cade hoſtium revertenti, & nec antea nec poſteà ejus nomen feratur adſcriptum. Affirmat autem Apoſtolus, quod Aaron ſacerdotium, id eſt populi Iudaorum & principium habuerit & finem: Melchiſedec autem id eſt Chriſti & Eccleſia & in prateritum & in futurum aternum ſit, nullumque habuerit authorem: & quod tranſlato ſacerdotio legis quoque mutatio fiat: ut nequaquam de Agar ancilla & monte Sina ſed de Sara libera & arce Sion egrediatur verbum Domini & lex Dei de Hieruſalem. Et difficultatem rei proæmio*

nio exaggerat dicens: Super quo multus nobis ſermo eſt & ininterpretabilis: *non quia Apoſtolus non potuerit id interpretari, ſed quia illius temporis non fuerit. Hebrais enim id eſt Iudæis perſuadebat, non jam fidelibus, quibus paſſim proderet ſacramentum. Verumtamen ſi vas Electionis ſtupet ad myſterium, & de quo diſputat, ineffabile confitetur, quanto magis nos vermiculi & culices ſolam debemus ſcientiam inſcitia confiteri & ampliſſimam domum parvo quaſi foramine oſtendere, ut dicamus duo ſacerdotia inter ſe ab Apoſtolo comparata prioris populi & poſterioris. Et hoc agit tota diſputatione, ut ante Levi & Aaron ſacerdos fuerit Melchiſedec ex gentibus. Cujus tantum prædicat meritum, ut futuris ſacerdotibus Iudæorum in lumbis benedixerit Abraham. Totumque quod ſequitur in laudes Melchiſedec, ad Chriſti typum referri, cujus profectus eccleſiæ ſacramenta ſunt. Hoc legi in Græcorum voluminibus & quaſi latiſſimos terrarum ſitus, in brevi tabella volui demonſtrare, non extendens ſpatia ſenſuum atque tractatuum ſed quibuſdam punctis atque compendiis infinita ſignificans ut in parva epiſtola multorum ſimul diſceres voluntates* &c. Oſtendit Hyeronymus, Origenis & Didymi ſententiam, qui angelum fuiſſe putant, tum orthodoxorum doctorum Hippolyti, Irenæi, utriuſque Euſebii, Apollinarii & Euſtathii ſententiam promit, fuiſſe hominem Cananæum. Noſtro tempore Petrus Cunæus lib. 3. de rep. Hæbræorum multis argumentis aſtruere conatus eſt, Melchiſedecum fuiſſe ipſum Dei Filium. Ea ſententia minimè admittenda eſt, quia & veritati & communi eccleſiæ conſenſui repugnat, ſtatuitque quod ab omnibus orthodoxis bonis rationibus damnatum eſt, non tamen incidit in hæreſin Melchiſedecianorum, quia illi inde nomen habent, quod Melchiſedecum Chriſto prætulerint colendumque præ illo ſumpſerint, cum Cunæus & veteres illi (quos Catholicos vocat Epiphanius) Chriſto ſuum locum & honorem reliquerint. Cœterum nimia eſt illa libertas, quam prædicat & ſibi ſumpſit Cunæus à communi illa & recepta poſt acres inquiſitiones ſententia deflectendi, priuſquam majoribus argumentis cogeretur. Cunæus: *Horum* (doctorum quos ſupra commemoravit Hieronymus) *judicium magno conſenſu ſequuntur hodie cuncti eruditi. Etenim ſuas ſinguli rationes produnt, tamen diverſis argumentationibus conveniunt in unum. Non eſt fateor, convellendum temere, quod à pluribus conſtanter ſtatutum eſt, quippe, ubi hoc fit, periculum eſt, ne omnia pervertat innovandi libido. Cæterum, quoniam receptæ opinioni adverſari ipſa ratio mihi videtur, valentior eſſe omni authoritate debet veritas.* Igitur putat Hieronymum malè ſpreviſſe librum anonymum ſibi ab Euagrio miſſum ejuſque ſententiam. Et Origenis ſententiam etſi ipſi non admodum placeat, quia incommodi quiddam habet, tamen laudandam eſſe præ iſta, quam Hieronymus & cæteri ſunt amplexi veteres recentioreſque. Rationes quas ſecutus eſt depromit potiſſimum ex Epiſtola ad Hebræos. *Etenim*, inquit, *quoties epiſtolam, quæ ſcripta eſt ad Hebræos, inſpicere ſoleo, toties in eam adductus ſententiam fui, ut exiſtimarem aut planè intelligi eam non poſſe, aut certe rectum verumque illud videri, quod nos contra opinionem Hieronymi cæterorumque omnium aſſerimus.* Nempe in V. T. Melchiſedeci mentionem nuſquam fieri, niſi in duobus locis Gen. xiv. Pſal. cx. Ex illis petitum eſſe, quicquid Apoſtolus diſſeruit. Validis argumentis niſi agat, imprudenter ſe tot eruditiſſimorum hominum totque ſeculorum labefactare conſenſum aggredi. Ejus igitur argumenta digeramus I. Nullius loci rex fuit, ſed tantum appellativis nominibus vocatur rex juſtitiæ & pacis. Si enim Salem proprium nomen eſſet, eſſet etiam Sedec. quod ab ſurdum eſt. R. Alia hic Apoſtoli ratio eſt, alia Moſis hiſtoriæ ſcriptoris,

H Moſes,

Moſes, cum hiſtoriam narret, tantum illud dicit, quod ſecundum externæ rei veritatem fuit in Melchiſedeco. Ita omnia eandem habent veritatem hiſtoricam, quæ apud Moſen leguntur: Epulæ, benedictio, & cæteræ res geſtæ cum circumſtantiarum deſignatione. Paulus interpretatur, quid illis externis umbris, quæ ſuam habebant ſubſiſtentiam in hiſtoria, fuerit ſignificatum. Non ſunt igitur Melchiſedec & rex Salem diverſa nomina ejuſdem rei, ſed prius eſt nomen regis, alterum urbis, ne cogamur textum Moſis in allegoriam convertere, privatum ſenſu hiſtorico. Fruſtra enim hæc ut duo diverſa nomina afferuntur, componunturque cum Ehie & Emmanuel. II. *Sacerdotium illi adſcribitur æternum*, quod nullius fuit, niſi filii Dei. R. Verum hoc, at eſt ἀφωμοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ. Eſt illi aptata pictura æternitatis fillii Dei. III. Ita ſe geſſit, eumque agnovit Abraham, ut filium Dei. Verba Cunæi adſcribamus: *Enimvero ita res eſt, Profligaverat prælio reges impios Abrahamus victriceſque reducebat copias. Forte tunc in itinere obviam ſe illi tulit filius Dei, ſpecie humana, habitu ſacerdotis regiſque indutus ejuſque animum fauſtis vocibus ad omnia ingentia erexit. Etiam panem vinumque feſſo dedit, ne quid hac quoque parte deſideraret ille principum debellator. Statim Abramus eſſe hoc majus quiddam celſiuſque ſenſit. Itaque quod ſub imagine latebat mente coluit & Meſſiæ ſummo regi ſacerdotique, quem mortalibus olim datum iri intelligebat, præſenti præſens munera decimaſque obtulit.* R. Abrahamus ſuſpexit illum, qui gerebat figuram filii Dei in altiore & ſublimiore ſacerdotio, quam erat quod ipſe Abraham ſuſtinebat tradendum deinde Levitis poſteris ſuis. Decimæ ſacerdotibus hominibus debentur, ab illis qui ſubſunt. Non legimus Abrahamum divino honore eum affeciſſe & vocibus gaudii ſalutaſſe, quas ſine dubio protuliſſet ſi eum habuiſſet pro filiò Dei. IV. *Et quid cauſa obſecro eſt, cur hunc juſtitiæ & pacis regem, non credamus fuiſſe eundem illum filium Dei, qui poſteà ad quercum Mamre, duobus comitatus ſociis, Abrahamo apparuit, cibum cum illo ſumpſit, adfuit una in unis ædibus ac denique collocutus cum illo eſt? Mihi ſane majus certiuſque argumentum divinæ cæleſtiſque naturæ videtur, homini in media via derepente, velut è machina ſupervenire eique benedicere & alimenta potumque dare, quam hominis tectum ſubire, hoſpitio ejus excipi, epulis accumbere, ſermones cum illo ſerere. Vnum modo diſcrimen eſt, quod in cap.* 18. *Geneſeos expreſſè tandem dicitur Deum fuiſſe, qui Abramum adierit. De Melchiſedeco autem, illud non ait quidem ſcriptor Geneſeos, ſed myſterium hoc relinquit explicandum Davidi & Paulo, qui nos de illo dubitare amplius non ſinunt.* R. Quis pro argumento divinitatis arripuit diverſari apud hominem, epulari, colloqui? Nec eſt documentum Deitatis, homini derepente occurrere, benedicere, epulis reficere. Si putet ita ſuperveniſſe, ut ſubitò apparent in aſſumpta ſpecie angeli, aut filius Dei apparere ſolitus fuit patribus, id ſumit contrà narrationem Moſis. Nam Moſes narrat Abrahamo revertenti à perſecutione regum, quos uſque in viciniam Damaſci erat perſecutus, domum repetiſſe per vallem *Sabe*, שָׁוֵה; illic illi occurriſſe regem Sodomorum & Melchiſedecum, regem Salemenſium in Cananæa. Notat igitur utrumque regem occurriſſe, Sodomenum è loco ſuo, Salemenſium è Salem. Nihil quicquam dicit, quo oſtendat ſuperventum Melchiſedeci differre ab occurſu regis Sodomeni, niſi quod Melchiſedec ſecum attulerit alimenta potumque ut ejus copias reficeret. v. 17. 18. *Egreſſus eſt rex Sodomorum in occurſum ejus poſtquam reverſus eſſet à percuſſione chedorlaomer & regum, qui cum eo, ad vallem Save, quæ eſt vallis regis. At Melchiſedec rex Salem protulit panem & vinum &c.* Nulla ſignificatio

ficatio Deitatis de Melchiſedec. Si putet Paulum & Davidem Deitatem ejus indicaſſe proferat. In Pauli oraculis interpretandis occupamur, de Davide exiſtimat eum id ſignificare, cum dicit, *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec.* Ubi videns illud Apoſtoli ſibi adverſari *κατὰ τάξιν*, interpretatur ex Aben-eſdra, כמנהג מלכי־צדק *in morem Melchiſedeci vel quemadmodum Melchiſedec.* Neque aliud profecto Hebræa ſonare. Ut ſic efficiat duos in iſto ordine non fuiſſe. Eſt ſacerdos ſecundum Melchiſedec, id eſt ſecundum ſeipſum in nomine Melchiſedeci Abrahamo oblatum V. Ἀφωμοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ. *Non poterat illud ipſum corpus induere quod in terris poſteà intuiti ſunt & contrectavere mortales. Id enim ſero admodum, genitum formatumque eſt, neque ante exſtitit.* Quare imaginem duntaxat illius repræſentavit Abramo, ſed plane eandem quam inter homines habuit. R. Dilutum. Nam Dei filium ſæpius apparuiſſe Patribus certum eſt & tua verba ſunt: *Ajunt præſtantiſſimi Theologorum, quotieſcunque Deus immortalis hominibus apparuit, apparuiſſe perſonam ſecundam, id eſt, filium. Quod ſane ab illis rectè exiſtimatum eſt. Utique cum Apoſtolus ait*, Sæpe Deum antea per Prophetas, noviſſimè autem locutum eſſe per filium, *non ille negat viſum anteà in terris Meſſiam eſſe, ſed haud obiiſſe eum concionandi illud munus ſignificat, quod olim à vatibus ſemper ac tandem vero ſuſceptum ab ipſo eſt.* Haud dubie, quoties viſus eſt humana forma eam aſſumpſit, quam in corpore ſuo poſteà expreſſit. Cum Moſi in monte oblata eſt figura, Exod. 33. & alias, vidit formam eandem, ſed glorioſiorem, quam unquam apparuit. Abſurdum tamen dictu fuerit Melchiſedecum illis fuiſſe viſum aut eo tempore ſe oſtendiſſe. Deinde, ſolam corporis figuram, quam aſſumpſit Dominus, efficere poſſe, ut aſſimilatus filio Dei dicatur, ipſe non conceſſeris. Quodſi alicui mortalium id obtigerit, ut ea figura fuerit, quam habuit in corpore Dominus, propterea ne dici poſſit eum eſſe aſſimilatum filio Dei & digniorem Abrahamo? VI. Cunæus: *Neque alio pertinere mihi videtur, quod ſcriptum à Iohanne eſt*, Abram geſtiit videre diem meum & vidit gaviſuſque eſt. *Id enim uni Abramo contigit & ſingulare quiddam fuit, cum de cæteris dicatur*, Multi prophetæ & juſti cupiverunt videre, quæ videtis & non viderunt. R. 1. Abrahamo qui viſus eſt, idem ille Moſi & aliis viſus eſt, hic igitur nihil peculiare. 2. Nulla mentio viſionis in hoc occurſu Melchiſedeci at in illa trium diverſatione in ædibus Abrahami, dicitur apparuiſſe Deum. Ibi igitur potius viderit diem Domini. 3. Longe aliud eſt videre diem Domini, aliud videre Dominum præſentem figura humana & corporea. Dies Domini videtur oculis fidei. Abraham enim oculis fidei intuitus eſt manifeſtationem Chriſti in carne futuram ſuo tempore. Sic etiam omnes fideles veteris teſtamenti, quamvis ſuis gradibus illa viſio major minorque fuerit. Non tribuitur hoc Abrahamo tanquam ſingulare, id dicitur, multos prophetas & juſtos cupiiſſe videre oculis corporis, quod ita apoſtoli viderunt. Inter quos etiam numerandus eſt Abraham. VII. Cunæus: *Equidem ego animadverto quoque, Melchiſedeci ſacerdotium à Divo Paulo perpetuum atque infinitum conſtitui, ita quippe ait,* μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές: neque initium dierum neque vitæ finem habens manet ſacerdos jugiter. *Ex quo colligitur, Si Meſſiam atque Melchiſedecum non eſſe unum eundemque, ſed duos credimus, etiam hinc duos jam effici ſacerdotes, quorum functio nullis circumſcripta annorum ſpatiis in omne ævum durat. Quod certè nemo veterum anteà, neque è recentioribus quiſquam hactenus vel per ſomnium dixit.* A. Fatemur hoc argumentum difficultate ſua non carere. Si enim Melchiſedec alius fuit à Chriſto & ſacerdos illius

ordinis, cum alterius dici non poſſit, ſequitur duos in iſto ordine ſacerdote ſemper fuiſſe & ſemper eſſe. Si dicas typum fuiſſe Chriſti, commodam ſolutionem non attuleris, quia typus ſuo tempore definitur, ceſſatque adventu veritatis. Sic igitur ordo Melchiſedecianus finem habuerit Chriſto adveniente. Et emergent tres ordines ſacerdotales, quod hactenus inauditum eſt & Pauli doctrinæ adverſum. Si Melchiſedec typus Chriſti fuit quoad ſacerdotium ſuum non idem ſacerdotii genus obiit, quia typus & veritas diſtinguuntur genere. Nam nihil ſui ipſius typus eſt. Hinc dicimus, Melchiſedecum proprie loquendo non fuiſſe typum Chriſti, ſed potius ſpeculum quoddam, in quo Chriſtum intueri liceret ejuſque perſonam, quaſi in terris ipſe præſens adfuiſſet. Ideoque idem ordo in quo Chriſtus ſacerdos eſt, fuit ibi ad oculum exhibitus, non in umbra & ænigmate. Qua ratione eſt aſſimilatus filio Dei; quod non poteſt dici dè Aaronicis ſacerdotibus nec de ullo alio, qui fuerit ab initio Mundi ὁμοίωσιν habuit tamen non ipſam rem, quæ eſt in ſolo Chriſto. Eam Apoſtolus fusè explicat eſtque in membris & partibus hoc ipſum quod neque initium dierum, neque finem vitæ habeat. Hic erroris eſt primus fons. quod doctiſſimus & judicio pollentiſſimus vir, viderit Melchiſedecum plus habere quam typus habet non animadvertens medium aliquid dari inter typum & antitypum, quod ſit typo ſublimius. ὁμοίωσις enim iſta vel ἀφομοίωσις (quod ſignificantius) rem ipſam pingit & figurat, non ſub alio genere ſed ſuis coloribus. Non fuit hic aliud ſacerdotium in quo repræſentaretur Chriſti ſacerdotium, ſed ipſum Chriſti ſacerdotium coloribus quibuſdam exhibebatur. Quod cum videret & agnoſceret Abraham in tam ſublimi perſona, illi decimas obtulit. VIII. Laborare apoſtolum, ut eximat opinionem quæ non æſtimat Melchiſedecum pro merito. Haud dubium eſſe; *quin Iudæas jam tum Apoſtoli ævo gentis aliquis male advocatus* (ſic loquitur) *in eum detruſerit errorem, uti exiſtimarent id quod hodie in ſcriptis eorum legitur, Melchiſedecum fuiſſe filium Noë, Semum, qui ad tempora uſque Abrahami Iſaacique ſuperſtes fuerit.* Hac futili opinione imbutos ab Apoſtolo ad ſublimiorem vocari contemplationem. ideo dicere, περὶ οὗ πολὺς ἡμῖν ὁ λόγος καὶ δυσερμήνευτος λέγειν. Stupere ad magnitudinem perſonæ & ineffabilem confiteri, quod nunquam faciat, cum de aliis umbris typiſque loquitur, quibus fuerat olim regnum Meſſiæ figuratum. Paulum velle, quod divinioris cujuſdam naturæ fuerit, nec in hominibus numerandum eſſe: quia qui tanto benedixit patriarchæ, certe majorem illo dignioremque eſſe debuiſſe. Præferri eum Levitis, primò, quod homines erant, deinde quod morerentur. At hunc ſacerdotem non hominem non mortalem fuiſſe. Huc facere Davidis dictum, *Tu es ſacerdos in æternum ſicut Melchiſedec.* Id ſic interpretatur: *Quaſi dicat, Tu es ille juſtitiæ paciſque rex, ille, inquam ſacerdos, qui vivis æternuſque es; quem vidit Abrahamus decimiſque & muneribus veneratus eſt & Melchiſedecum appellavit, cum appellare eum majore atque ampliore nomine haud potuerit.* Fuiſſe in Meſſia & Melchiſedeco vim indiſſolubilis vitæ quam in Levitis fuiſſe Apoſtolus neget. Conſummationem eſſe per ſacerdotem qui exortus eſt ſecundum ordinem Melchiſedeci. Concludit: *Itaque opus fuiſſe ſacerdotio perfectiore, cujuſmodi fuit Meſſiæ illud ſive Melchiſedeci. At ſi Melchiſedec mortalis homo fuit & Salemenſium regulus, ſacerdoſque ut iſti ajunt, ſane ineptum ſit majorem perfectionem hujus ſacerdotii quam Levitarum adſcribere. Salemenſes enim ſiti in media erant Cananæa, quæ regio nondum ſacra ſuſceperat recta religionis, quoniam recens in ejus terræ fines advenerat Abrahamus. Sed eſto, fuerit apud eos ſummi Numinis reverentia, quis tam rerum omnium ignarus eſt, uti neſciat cultum religionis, etiam in ipſis patriarcharum familiis,*

rudem

rudem duntaxat informemque fuiſſe, donec lege lata ſocietatem atque ordinem Levitarum inſtituit ipſe Deus, præcepitque quibus ceremoniis, ſacriſque coli deinceps vellet, cum id antea haud uſque quaque factum eſſet debitis ritibus, R. Apoſtolum in ſublime extollere & valdè deprædicare Melchiſedecum ejuſque ſacerdotium certum omnino eſt. Stupere etiam ad magnitudinem ejus concedimus & ſublimiora de eo dicere quam de typis umbriſque ſoleat. Hinc tamen non concluditur velle eum divinioris naturæ fuiſſe. Si homo non fuit, non fuit ſacerdos. Sublimioris naturæ Chriſtus eſt, cum humana natura in eadem perſona. Nuſquam negat Paulus Melchiſedec fuiſſe hominem, nuſquam dicit fuiſſe Deum aut Dei filium. Filius Dei non eſt, qui Dei filio aſſimilatur. Filius enim Dei diverſus eſt ab illo, qui ita attollitur, ut aſſimiletur Dei filio. Davidis dictum non patrocinatur Cunæo, quia Dominum eſſe ſacerdotem dicit ſicut Melchiſedec, eo negans Melchiſedec & Chriſtum unum eſſe. Abram non appellavit eum nomine Melchiſedeci, honoris teſtandi cauſa, quia hoc nomen in hiſtorica narratione illi attribuit Moſes. Nec dicitur immortalem fuiſſe Melchiſedecum, quia Paulus circumſpectè locutus eſt, Απάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν μήτε ζωῆς τέλος ἔχων, ἀφωμοιωμένος δὲ τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές En iſta carentia principii dierum & finis vitæ in ἀφομοιώσει conſiſtit. In Salemenſium oppido, in finibus Cananææ hominem fuiſſe, qui ſacerdotii leges accurate noſſet, putat non eſſe veroſimile, quia ritus moduſque ſacerdotii obeundi definita fuerunt per Moſen, cum ante hac rudis & informis cultus fuiſſet. Abſque dubio cultus Dei ſuis legibus definitus erat, quamvis à Moſe major acceſſerit moles & determinatio adſtrictior, ut à gentibus magis ſecluderentur. Sed non animadvertit Melchiſedeci ſacerdotium non potuiſſe definiri lege ἐντολῆς σαρκικῆς, quia fuit alterius generis. Unde ille in fines Cananææ advenerit & quo habitu fuerit indutus, unde ortu, nos ignoramus. Ita divinitus fuit ad ſpeciem externam configuratus filio Dei, ut id Abrahamus non potuerit ignorare. Qui tamen pro filio Dei eum non adoravit. IX. Exiſtimat abſurdam & inanem eſſe interpretationem, ut dicamus de illa ſublimitate qua initio & fine caruit: *Natus quidem eſt mortuuſque:* ſed quoniam ejus rei *mentio non fit, fuiſſe æternus exiſtimatur: & Meſſiæ divinam naturam velut typo repræſentavit. Profecto,* inquit, *hoc non eſt myſteria ſed rerum ludibria conſectari. Quot enim poſſem Levitas ſacerdotes, quot alios ſanctos illuſtreſque heroas ex ſacris libris recenſere, de quorum natalibus & morte altum ſilentium eſt? Igitur quod felix fauſtumque ſit, jam totidem figuras Meſſiæ habebimus.* Adjicit commentum Judaicum, Jacobum non obiiſſe, quia in Geneſ. non dicitur & mortuus eſt Jacob, ſed exſpiravit. Athanaſium futilius nugatum eſſe, qui Melchiſedecum quendam fingit, cujus imprecationibus patrem ejus & cunctos conſanguineos dehiſcente terra abſorptos eſſe dicit, & hanc cauſam fuiſſe Apoſtolo, cur eum ferat fuiſſe ſine parentibus & ſine genere, Itaque non quid Moſes dixerit tacueritque ſed quid res ſit & quid ſibi videatur, Apoſtolum expreſſiſſe. *Quicquid,* inquit, *illi Apoſtolus tribuit: fultum eſt non Moſis reticentia ſed Davidis affirmatione. Quod hactenus non obſervaverunt interpretes. Non enim ait, cujus mors reticetur à Moſe, ſed contra, de qua Davidis teſtimonium exſtat, quod vivit.* ὁ μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ. *Quod profecto longè aliud eſt. Poteſt is obiiſſe, cujus obitus tacetur, poteſt & in vivis eſſe: quod enim ſilentio tranſmittis in incerto eſt, nihil quippe affirmas: at de quo dicitur* ὅτι ζῇ *quod vivit, & quidem cum emphaſi ad differentiam Levitarum, qui in eodem commate appellantur* ἄνθρωποι ἀποθνήσκοντες, *homines mortales. Is, inquam, de quo tam evi-*

 denter

denter hoc aſſeritur, non poteſt mortalis fuiſſe, aut ſi fuit, profectò jam non hominum ſed angelorum lingua locutus eſt apoſtolus. Eam autem linguam an alii per inſomnium aut revelationem didicerint neſcio, ego quidem homuncio ad iſtum ſapientiæ gradum non perveni. R. Horum verborum, quæ nimia volubilitate fuſa eſſe dixeris à viro ſummo, ſumma eſt, falſo & vanè Apoſtoli ſermonem in Moſis reticentia fundari, quia Apoſtolus ad affirmationem provocet, ὁ μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ. Deinde, ſi apoſtoli verba ut ſonant, accipienda non ſint, opponentis ἀποθνήσκοντας τῷ ζῶντι, tribui illi linguam aut dicendi genus hominibus non intelligibile. Nos dicimus omnem reticentiam μυστικῶ in affirmatione fundari. Adeò non voluiſſe Moſen ignorari, qualis eſſet Melchiſedec, ſed ſua reticentia indicare, quod mortem non obiiſſet, ſed æternum vivat. Unde μαρτυρίας vocabulo reticentia Moſaica appellatur ab Apoſtolo. Qui non è verbis Davidis ſed è ſcriptione Moſis argumentatur. Fruſtrà objicitur, multorum ſacerdotum ſanctorumque virorum obitus non exprimi, qui tamen hanc figuram non induant, quia hoc ſolum nihil facit ad rem. At ejuſmodi perſonæ tantæ dignitatis, quæ ſacerdos Dei altiſſimi fuit, quæ Abrahamo benedixit ab illo decimas accepit, genealogiam & parentes & mortem reticeri id myſterio non potuit carere. Qui ab Adam uſque ad Jacob patres fuerunt & ſummi pontifices, qui inde ſummi pontifices ab Aaron ſucceſſionem habuerunt, eorum genealogia, ortus obituſque diligenter conſignata fuerunt. Quod iſta diligenter fuerint conſignata, teſtatur Joſephus, qui è Pontificum tabulis inde ab Exodo chronologiam & ſupputationem temporum maluit texere, quam è ſacrarum literarum annotatione. Non potuerunt admitti ad functionem, qui genus è certis tabulis & archivis non poterant oſtendere, Eſdr. 11. 62. Nehem. VII. 64. Inter Judæos nihil celebratius & certius γενεαλογίαις, quia hæreditates & ſucceſſiones exacte judicari debuerunt, & Meſſiæ origo indubitata è Davide. Arbitramur nos Apoſtolum id non tantum dicere, quod Moſes Melchiſedeci genus, parentes, ortum obitumque ignoraverit, ſed & illa ignota fuiſſe mortalibus ut videatur tanquam è cælo lapſus adveniſſe & in cælum raptus abjiſſe. Non exiſtimo ſine morte abjiſſe, aut in vita conſervari in aliquo angulo terrarum, puto ſeceſſiſſe aliò, ubi mortem obierit, cum reditus ejus exſpectaretur. Ita quodam modo finem vitæ non habuit nec initium dierum. Nemo vidit eum ſacerdotio indui aut exui. Nulli ſucceſſit, nec illi quiſquam mortalium. Deliria autoris homiliæ, quæ de Melchiſedeco agens Athanaſio adſcribitur, nihil moror, nec quæ refert Eutychius alter epiſcopus Alexandrinus. Illi enim fabulas referunt ſine certo autore, & cum ſe ſcire narrant originem genuſque & obitum Melchiſedeci, quæ putant illi negari ob certum caſum, id ſciunt, quod Paulus dicit non eſſe aut ignorari. Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant. X. Vix poſſe Epiſtolam ad Hebræos pro divina & canonica defendi, ob perplexa illa ænigmata, quæ in his de Melchiſedeco verbis laterent, ſi quidem ex interpretum communi opinione explicarentur. Saltem hanc majorem cauſam, rejiciendi illam Epiſtolam, quam ea eſt, quod fauere Novati erroribus videatur. Proinde ſe olim in eo verſatum eſſe errore, quod putaret meritò olim à Latinis Eccleſiis, ſpretam eſſe. Secutum enim ſe eſſe Hebræos doctores inter quos Aben-eſdras non Davidem ſed quendam מהמשוררים autorem Pſalmi illius fuiſſe contendit. Ita Hebræi quod nos de Meſſia interpretantur de Davide accipiunt. Tandem autem interpretatione Chriſti ipſius apud Matth. 22. cap. adactum eſſe ut iſta Pſalmi de Chriſto caperet. Ita vidiſſe ſe Epiſtolam illam eſſe divinam: & agnoſcere, quod nihil niſi

divi-

divinum ſpiret. Addit egregium elogium: *Neſcio equidem an poſt Evangelium Iohannis ullus ſit novi teſtamenti liber in quo profunda reconditaque plus ſit Theologiæ.* R. Judicium hoc veriſſimum eſt de Epiſtola ad Hebræos, ſed interpretatio Melchiſedeci de homine, qui ſit alius à Chriſto nihil ejus majeſtatem imminuit. Mirum autem hoc illum dicere, qui putavit myſtica quædam interpretamenta legis Moſi & prophetis fuiſſe conceſſa. *Ego*, ait, *veram Cabbalam appello, myſticum intellectum earum rerum, quæ in ſacris literis latent. Is intellectus cum anteà penes vates fuiſſet, ſed non vulgandus mortalium ſeculis, tandem Divino munere Apoſtolis & Evangeliorum conceſſus ſcriptoribus eſt, uti quod diu latuerat, publica voce illorum proderetur univerſis.* Sic ille. Si igitur ejuſmodi interpretamenta dentur, quæ in litera non patent nec incluſa ſunt (quod nos non concedimus) non potuit epiſtola rejici ob id quod ex eo, quod non patet in reticentia & contracta ratione narrandi, altius aſſurgeret. Satis fuſe & prolixè Cunæi argumenta refutavimus, nequis ad eoſdem impingeret ſcopulos.

Illum Melchiſedecum non fuiſſe nec Deum nec angelum probant multa argumenta & univerſa narratio hiſtoriæ apud Moſen. Unde in illud conſentiunt orthodoxi cum Pontificiis & Judæis. Pauci aliter exiſtimarunt. Qui Spiritum Sanctum eſſe docuerunt, iiſdem pene argumentis ducti ſunt, quibus moveri ſe doctiſſimus Cunæus teſtatus eſt. At quod à filio Dei diſtinguant id eos movet, quia nemo ſibi ipſi poteſt aſſimilari. Autor libri quæſtionum V. & N. T. qui habetur inter opera Auguſtini tomo quarto acriter contendit pro hac opinione: illius argumenta excerpamus quæ ſunt in qu. 109. Qui eſt major Abrahamo ſecundum naturam Deus eſt. Melchiſedecum eſſe majorem Abrahamo multis rationibus oſtendere nititur. Primum, qui benedicit non *ex legatione* & officio, ſed *dat benedictionem propriam*, quam non per verba ſed per naturam acceperit, ut ſit ei propria. Hunc benedixiſſe non per regulam ſed per voluntatem. II. *Nullo modo fieri poteſt, ut qui tanto amico Dei & fideli uſque adeò præponitur, homo putetur.* Nihil enim erat, quo melior illo eſſe poſſet, niſi per naturam impaſſibilem, quæ beatitudinem per ſubſtantiam habet, cum humana neceſſitas beatitudinem acquirat per geſta. Hæc duo argumenta poſſe videri ingenii eſſe, potiora autem è lege duci. III. Decimas illi dedit Abraham: qui cæteris omnibus melior ſed minimus ad Melchiſedec. IV. Rex pacis & juſtitiæ. Juſtitiam & pacem hominum magiſtram illi ſubjèctam eſſe. Non more hominum regem appellari, quia ſub ſe habet juſtitiam, quæ regibus dominatur. Pacis & juſtitiæ autorem & inventorem ſignificari. V. Verba illius acria & animoſa quibus deinceps aſſurgit, ita ſonant: *Diu multumque laboramus & adhuc minus de Melchiſedec dicimus, niſi revertamur ad ſcripturam, quæ & ipſa diu pulſat & clamitat, ut preſſos gravi ſomno excitet ad intellectum non noctu ſed diei. Dicit ergo quia ſine patre, ſine matre, ſine genealogia eſt Melchiſedec & ne aliter intelligeretur, quam dignum eſt adjecit, nec initium dierum nec finem vitæ habens. Per quod oſtendit neque natum, neque mortuum eſſe Melchiſedec. Quid ad hæc tam manifeſta humana argumentatur ſubtilitas? Quæ eſt tam verſuta ingenii calliditas, quæ audet reſiſtere manifeſtis, ut non ſenſum capiat ex lectione ſed ſenſum tribuat lectioni? Vis infertur ſcripturis dominicis, ita ut hos inimicos ſentiat, qui authoritati ejus ſe inclinare videntur. Dicunt enim quidam non ita de Melchiſedec debere credi, ut relatum eſt in ſcripturis ac per hoc ad ſenſum ſuum ſcripturas convertunt. Quibus melius aperte non recipere ſcripturas, quam doloſe agere contra illas, ut ſub nomine pacis paretur bellum &*

lum & ſub tegmine amicitiæ lateat hoſtis. Dicunt ergo non ad generoſitatem pertinere Melchiſedec, ſed ad humilitatem generis ejuſdem. quia ſine patre & matre *legitur fuiſſe. Hoc enim ideò ajunt ſic ſcriptum eſſe, ut oſtenderetur ex alienigenis fuiſſe, non ex tribu, qua ortus eſt Abraham, quia genus ejus non invenitur in lege. Vnde & adjecit, inquiunt,* & ſine genealogia, *ut intelligeretur penitus origo ejus in lege deſcripta non eſſe, ut ex parentibus qualibuſcunque per ſe ipſum vir bonus factus credatur. Porrò autem jam tanta eſt ſcriptura, ut omnia per ordinem digeſta cauſa neceſſaria ponat. Primum enim dicit,* ſine patre ſine matre. *Videamus, ſi cæterorum matres ſignificantur in lege, quæ fuerit uxor Nachor, avia Abrahæ, mater Thare: non legitur quæ fuerit mater Abrahæ, ut de cæteris taceam. Nunquid hi ſine matribus fuiſſe dicendi ſunt? Si dixiſſet,* ſine Patre, *fuerat color, quia omnium, qui fuerunt patres habentur in lege. Addit* & ſine genealogia. *Si ideo hæc dixit, ut oſtenderet generationem ejus in lege non eſſe, ſuffecerat dixiſſe,* ſine patre, *quia illius patrem nemo novit. Multò magis iterum ad manifeſtationem dicit,* Neque initium dierum neque finem vitæ habens. *Dic quiſquis es violentus, quomodo iſtud interpretaris? Quid eſt* initium dierum non habere neque finem vitæ? *Suffecerat certe dixiſſe,* generationem ejus in lege ſcriptam non eſſe, *ac per hoc origo ejus ex allophylis eſt credenda. Poteſt dici* tranſlatum hunc ſicut Enoch, *ideo non mortuum eſſe. Eſto. Quid eſt,* initium dierum vitæ non habere. *Forte dicas, quia dies natalis ejus ſcriptus non eſt. Cujus enim ſcriptus eſt in lege? Et hæc ratio eſt, ut* cujus natalis ſcriptus non eſt, *initium dierum vitæ negetur habere? Potuit ergo & de cæteris idem dici. Et ſi ut homo tranſlatus fuiſſet, non tamen ſine* vitæ erat fine, quia quicquid ſub ſpe mortis eſt, finem habet. IV. *Iam Melchiſedec,* inquit, *futurum myſterium incarnationis & & paſſionis Domini oſtendit, dum Abrahæ primum quaſi Patri fidelium tradidit Euchariſtiam & corporis & ſanguinis Domini, ut præfiguraretur in Patre, quæ in filiis futura erat veritas. Qui ſi homo putatur & ſacerdos, eo more, quo fuit Aaron, aut nunc ſunt, oſtendatur aut legatur locus habitationis ejus. Aut ſi fuit templum aliquod aut ſynagoga, in qua congregabat populum & offerebat eorum ſacrificia vel qui populus conveniebat ad illum? Si enim ſacerdos in terris erat ſine dubio habuit populum & ante Abraham utique vel tempore ejus erat populus, qui ſerviret Deo. Et quomodo Abraham quaſi caput factus eſt fidei, ut ex eo populus haberet notitiam Dei? Similiter enim ſi Melchiſedec erat, qui doceret unius Dei timorem in terris, fruſtrà electus eſt Abraham, ut ex eo plebs Dei nuncuparetur.* V. Aſſimilatus filio Dei. *Similis autem non poteſt eſſe niſi ſit ejuſdem naturæ.* VI. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec. *Hoc nemo,* inquit, *noſtrum dubitat, ad Chriſti perſonam pertinere quia eodem genere ſacerdos eſt Chriſtus quo & Melchiſedec. Sed ſummus ſacerdos Chriſtus eſt, ſecundus Melchiſedec. Nam ſi homo eſt Melchiſedec, quomodo convenit ut ſecundum ordinem ejus Chriſtus ſacerdos ſit in æternum? Iam ambo ſimiles eſſe leguntur & unius eſſe diſpenſationis, quia unius ſunt & naturæ.* Hæc ſunt illius argumenta, quibus acriter contendit Sp. S. i.e. tertiam perſonam fuiſſe viſam Abrahamo ſub nomine Melchiſedec & eſſe ſacerdotem ejuſdem ordinis, in quo Chriſtus. Hic non animadvertit ſe facere ſacerdotem noſtrum qui homo non eſt. Facere Sp. S. mediatorem noſtrum alterum ut alterum ſacerdotem. Non poſſe aſſignare ſacrificium, quod pro nobis ille ſacerdos obtulerit. Obſervamus Euchariſtiam ab illo ſacrificium eſſe negari, quia ab Melchiſedec eam eſſe monſtratam in figura Abrahamo dicit, à quo tamen Melchiſedec oblata eſſe ſacrificia oſtendi non poſſit. Hunc fœtum non eſſe Auguſtini multa indicant.

Ut

Ut opus non ſit noſtris verbis iſtius authoris ſententiam demoliri, adſcribemus diſſertationem Procopii Gazæi: *Alii* (inquit) *multò abſurdius arbitrantur, Spiritum Sanctum humana ſub ſpecie occurriſſe Abramo. Hanc ſequuntur conjecturam: Salem ſignificat pacem. Solus verò Deus pacis princeps & author eſt, nec initium dierum, nec vitæ finem habet: quæ omnia divinitati competunt. Alii porrò putant, Melchiſedecum extitiſſe angelum quendam cæteros dignitate antecedentem. Nec ab hac opinione revocari poſſunt, quamvis videant urbem, quam imperio moderatus eſt, eſſe terrenam, in qua multi poſt Melchiſedecum reges ſceptra tenuère. Si verò fretis nominis interpretatione adeò abſurda colligunt audaculi illi, concludetur ſimili argumentatione, nec reges Iſrael vel Iuda fuiſſe homines, ſed angelos, licet plurimi horum in numero extiterint improbi & impii. Iſrael enim ſi vocabulum exponas, indicat mentem quæ videt Deum. Iuda ſi eam vocem explices ſignificat laudem ſeu hymnum. Solus enim Deus regit mentem, quæ ſpeculatur Deum: & laudem. Itaque, ut præcedentia cogunt, ſecundum illorum rationem, terreni ſive iſraelitici reges non homines, ſed angeli vel ſpiritus ſanctus dicentur, quamvis plurimi illorum fuerint ſceleratiſſimi. Præterea Hieruſalem, ſi quis ſignificationem ejus nominis exquirat, ſic habet: ſublimior morte, aut viſio pacis. Quare igitur non potius aſpexit Chriſtum, qui pax noſtra eſt, per quem etiam ipſum cognovimus patrem, per quem in fidem adducti ſumus, facientem utraque unum? Quo pacto ea, quæ morte erat ſuperior, periit? Quomodo Iſrael non vidit Chriſtum, per quem in patris notitiam venimus? Præterea ſi Melchiſedec Spiritus ſanctus eſt, qua ratione memoratur eſſe ſacerdos Dei? Eſſe enim ſacerdotem congruit creaturæ. Si Spiritus ſanctus eſt ſervus & miniſter quidam, profectò laudabit unà cum angelis Deum, cum tradatur: Laudate Dominum omnes angeli ejus, miniſtri ejus, facientes voluntatem ejus. Præterea cum Spiritus Sancti ſit ſanctificare; ſecundum illorum rationem unà nobiſcum ſanctificatur. Non enim ſeipſum poterit ſanctificare. Nam quod ſanctificat, potentius eſt eo, quod ſanctificatur. Quomodo igitur Deus erit amplius Spiritus, ſi ab alio ſanctificatur? Quod vero filius nempe Chriſtus ſacerdos dicitur: intellige eum ſecundum humanitatem eſſe ſacerdotem. Hinc & Propheta & Apoſtolus nuncupatur. Objiciunt adverſarii: In honorem filii ſacerdotium aliquando futurum Spiritus Sanctus per ſe delineavit. Quid igitur Aaron, anne & hic typum Chriſti geſſit? Quid Cyrus Perſarum Rex? Quid Ieſus filius Ioſedek? Quid Zorobabel? Quid denique Moſes, qui ſuo tempore commonſtrans Chriſtum, inquit: Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus, ut me. Quid, an non Chriſti typus fuit Ieſus Naue, qui Iordanem trajecit copias Iſraeliticas: Iſraelitaſque inducens in terram promiſſam lapideis cultris eos prius circumcidit? Nam in Chriſto baptizati & circumciſi ſumus circumciſione, quæ non manibus, ſed ſpiritu peragitur? Et ſucceſſimus in hæreditatem regni cælorum. Qui proponunt Melchiſedecum fuiſſe angelum, hæc ſequuntur argumenta: Scriptura enim perhibet eum eſſe ſine patre & ſine matre. Præterea ſi id, quod majus eſt, benedicit id, quod minus eſt, quæ ratio concedit Melchiſedecum, ſi homo erat, benedixiſſe Abrahamum talem tantumque virum? Et ſane, ſi, ut & ipſi fatentur, Melchiſedec Chriſti typus eſt, quare non contuentur rerum qualitatem & ſacerdotii modum? Quæ enim abſurditas committitur, ſi benedictione proſequatur Abrahamum Melchiſedec, licet minor extiterit Abrahamo? Non hic generationis inſpicitur ordo: eorum, qui id faciunt, perpenditur animus hujuſcemodi delineamentis adumbratus. Nam ſi adverſariorum firma argumentatio, profectò aries, cujus ſacrificio conſecratur Aaron, ipſo Aarone pretioſior erit. Proindè hoc loco: quod benedicit, &c. ex figura & typo, non pro rei natura, capiendum cenſeo. Verum quomodo congruet Angelo: Neque initium dierum neque finem habens? &c. Paulus Chriſti typum alio modo*

accipit: Hinc typum petit, eumque ibi ſitum diſertè ponit, quod dicitur: Rex juſtitia & pacis. In Chriſto enim juſtificamur peccati onere abjecto. In hoc reconciliamur Deo patri, quem nobis Chriſtus & pacatum reddit. Quod autem benedictionem impertitur Abrahamo, ſignum eſt ejus ſacerdotium excelluiſſe ſacerdotium Leviticum. Nam & nos benedicimur à vero Chriſto, ubi perdomuerimus ſpirituali militia principes ſaculi hujus, non plurimum rebus mundanis, ut quibus omnia ſit Deus, addicti: verum omnia pra ſpiritualibus divitiis contemnentes, quas nobis liberaliter largietur Deus. Victorem enim Abrahamum & recuſantem quicquam accipere ex illa prada immenſa, benedicit Melchiſedec in propria poſſeſſione. Et quidem hac benedictionis formula uſus eſt Melchiſedec, dicens: Benedictus Deus altiſſimus, qui dedit hoſtes in manum tuam. At Dominus noſter Ieſus Chriſtus qui omnia noſtra expiavit peccata, inquit: Pater ſancte ſerva eos in veritate tua. Hinc Paulus omiſſionem generis, ex quo ortus eſt Melchiſedec, & temporis traxit ex umbra & tranſtulit ad ipſam lucem & veritatem. Oſtendit eo ſymbolo novum ſacerdotium legiſque tranſlationem jam olim eſſe pradictam. Caterùm Iudai, cum hac putarent impoſſibilia, non ceſſarunt Chriſtianam religionem oppugnare. Idem Paulus clarè edocet, legalem cultum jam olim indicatum eſſe per Levi, qui potentia adhuc detinebatur in lumbis Abrahami: illum quoque ſubindè in melius lapſurum per Chriſtum, cujus typus erat Melchiſedec. Hactenus ille. Spiritus Sanctus non poteſt eſſe noſter ſacerdos, quia non eſt homo, uti argumentati ſumus ſupra. Id nolumus ita accipi ut Pontificii, quaſi Chriſtus ſit mediator noſter ſecundum ſolam humanam naturam. Nam utraque natura Mediatoris in perſona conjuncta eſt & conjungi debuit, ad officium Mediatorium, functionesque ejus, unde ſi non eſſet homo non eſſet ſacerdos noſter, ſi non eſſet Deus, non eſſet tantæ dignationis & efficaciæ. Sufficiunt iſta ad oſtendendum quod Melchiſedec fuerit homo. Si homo fuit, Sem fuit aut de proſapia ejus aut alterius ſtirpis. Semum fuiſſe contendunt Iudæi & cum illis viri eruditi, inter quos Toſtatus, Lyranus, Genebrardus. Sic etiam cenſuerunt Rupertus lib. 5. de Trinitate, Iſidorus de vita Prophetarum, Gloſſa. Non fuiſſe Semum patres contendebant hoc argumento, quia ea tempeſtate Sem deſierat eſſe inter homines. Sequuntur enim LXX. interpretum calculum. Hoc igitur argumentum concidit ſi Hebræam veritatem intueamur. In perſonam Semi non quadrare adverſus Genebrardum alioſque diſputat Guilielmus Eſtius hic rationibus, quas & alii habent & attulelerunt ante ipſum. I. Id abſque ulla ſcripturæ autoritate & probabili ratione dicitur. 2. Deinde & Scripturæ repugnat. Nam Heb. 7. Melchiſedec nobis deſcribitur *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum neque finem vita habens:* quorum nihil in Sem competit. Nam & patrem & matrem & poſteritatem habuiſſe eum ſcriptura memorat, & quando natus & quandiu vixerit & quando mortuus ſcriptura exponit. 3. Sem fuiſſe regem Salem in terra Canaan nullo modo fit veriſimile. Cum Sem unus & præcipuus ſit ex tribus patriarchis ex quibus homines poſt Noë. Calvinus: *Ideò* (ob puritatem religionis, quam illi fuiſſe ſcriptura oſtendit & perſonæ ſublimitatem) *multi fuiſſe Sem divinant: quibus ne ſubſcribam, multis cauſis impedior. Neque enim Dominus virum aterna memoria dignum, novo tantum & obſcuro nomine indicaſſet, ut maneret ignotus. Deinde probabile non eſt ex oriente migraſſe in Iudaam, & ex Moſe nihil tale colligitur. Tertiò, ſi habitaſſet Sem in terra Chanaan, non ita flexuoſis ambagibus vagatus eſſet Abram, ut ante hac retulit Moſes, donec ſuum atavum ſalutaſſet. Plurimum vero ponderis habet, quod admonet apoſtolus, hunc Melchiſedec quiſquis fuerit, nobis ſine*

ulla

ulla origine, quaſi è nubibus delapſus eſſet, in medium proferri & ſine mentione ulla mortis ſepeliri ejus nomen. In homine autem ignoto clarius refulget mirifica Dei gratia. quod inter mundi corruptelas ſolus in terra illa integer ac ſincerus fuerit pietatis cultor & cuſtos. Sem non fuit, ob dictas rationes, inter quas iſtæ prævalent. 1. Nomen aliud eſt. Quod enim duo nomina geſſerit, non facile probatu erit. 2. Quia non ſalutatus nec viſitatus eſt ab Abrahamo. Addo validiorem: Quia Sem fuit ex Abrahami majoribus, eoque inter Levitarum progenitores. Unde non poſſet concludi majoris ordinis in eo ſacerdotium fuiſſe ex eò quod Abram ipſi decimas dederit, quia decimas dediſſet illi, qui ideò major, quod progenitor: & ex quo Levitæ habent originem & ſucceſſionem. Nam ſacerdotium patriarcharum in Levitas derivatum eſt, quia patriarchis ſucceſſêre. Semi ſacerdotium ad Abrahamum, Iſacum, Jacobum, deinde ad Levitas deſcendit. Dicemusne Semum non fuiſſe legitimum ſucceſſorem patris ſui in ſacerdotio? Si fuit ſucceſſor Noë in ſacerdotio, habuit ſacerdotium Levitici ordinis. Quod ſi dixeris jure primogenituræ ipſi debitum fuiſſe, at Deum noluiſſe ut ſuſciperet ad altiora deſtinatus, reſponderim: Imo verò voluit Deus ut ille in ſuo tentorio ſucceſſionem Eccleſiæ & ſacerdotii conſervaret. Et id certum eſt tentorium Semi Judæis adſignari, ad quod vocandi ſint ſuo tempore Iapetiadæ, poſtquam illud primi generis ſacerdotium, Abrahameum & Leviticum abolitum foret. Deus igitur hominem Cananæum (nam inter Cananæos, in ſorte Cananæorum vixit) gentilem ſane, ad quem nihil genus Leviticum pertinet (μὴ γενεαλογούμενον ἐξ αὐτῶν,) aſſumpſit, in quo depingeret filii ſui figuram. Nam extra patrum ſucceſſionem eſſe debuit ne ex illo ordine eſſet & ſucceſſione. Hinc fabulis datus eſt locus, quas habet Eutychius Alexandrinus & hiſtoria de Melchiſedec Athanaſio adſcripta. Athanaſius ille ſcribit filium fuiſſe Melchi nepotem Salaad. Hunc Salaad editum fuiſſe matre regina urbis Salem, cui ipſa erat cognominis. Melchi habuiſſe uxorem ejuſdem nominis cum ſuperiori regina, è qua genuerit Melchi & Melchiſedec. Melchiſedecum contemplatione cœli θεϊκὴν ἔννοιαν & impetum habuiſſe, Deos non eſſe, quos patria religio coleret. Scilicet, eadem ratione qua Joſephus & Judæi motum Abrahamum putant, in notitiam veri numinis veniſſe. Hæc eſt falſa hypotheſis, quod veri numinis cultus & notitia penitus exſtincta fuerint, item quod nullæ familiæ gentium ea tempeſtate Deum ſolum coluerint. Melchiſedec Deum coluit ſolum non mixtum cum idolis, ut vulgaris mos erat. Eum purum cultum à parentibus traditum accepit, aut vocatu Dei ut Abraham. Cum fratrem ejus Melchi pater diis immolaret, Melchiſedeci precibus urbem cum incolis terræ hiatu abſorptam eſſe. Hinc oberraſſe in ſolitudine, alimoniam habens ex illis, quæ ſylvæ & ſolitudo præbebant, Dei juſſu ab Abrahamo veſtitum eſſe. Et eſſe ſignificatum divinitus, quod figuram geſturus eſſet filii Dei. Hæc ægrorum ſomniis vaniora ſunt, id tamen ſignificant Abramum debuiſſe certis indiciis cognoſcere ejus aſſimilationem, qua filii Dei gerebat imaginem. Si enim illa ſignificatio fundata ſit in Moſis reticentia, qui longo poſt tempore in mundum venit, quæro unde Abraham notitiam nactus ſit? debuit aliquid eſſe tempore Abrahami, quo ſignificaretur eſſe ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος & cætera omnia. Eadem origo eſt fabulæ apud Eutychium Alexandrinum: A Semo abductum eſſe è patria in ignotas terras, Phalegi filium, in tabulis generis non adſcriptum, illic in Salem poſitum & conſecratum in Dei ſacerdotem. Eo nempe in loco, ubi Adami corpus, ex arca Noë eductum, cura ejuſdem

Semi ſepultum fuerit Semum reducem in patriam Phalego dixiſſe, puerum Melchiſedec in via interiſſe. Nemqe omnem memoriam originis ejus debuiſſe aboleri, ut figuræ ſua ratio conſtaret.

De hiſtoria Melchiſedeci hactenus actum eſto, nunc aliquid de ejus myſterio dicendum. Deſcribit & exſequitur illud fuſe Apoſtolus in ſeptimo capite ad Hebræos. Primò agit de nomine, deinde perſona illius, in quantum aſſimilata eſt filio Dei. De nomine Melchiſedec, & Salem: de nomine regis & urbis, cui rex imperabat. v. 2. De Perſona: quod ἀπάτωρ ϗ ἀμήτωρ, quibus additur ἀγενεαλόγητος, tanquam interpretatio. v. 3. Id quæro, quomodo illa ἀγενεαλογησία Abrahamo innotuerit, qui libros Moſis non habebat? quod, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων; quibus ad explicationem ſubjungitur eodem v. 3. ἀφωμοιωμένος δὲ τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ. Aſſimilatione quadam picturæ principio & fine dierum & vitæ caret, manetque ſacerdos in perpetuum. Iterum quæro, An illis hominibus ignotum fuerit initium dierum Melchiſedeci? Si illis notum fuit, potuit etiam notum eſſe Abrahamo. Quæ igitur pictura? Abraham ſane ignorare non potuit initium ſacerdotii, quod ſi finem non viderit, unde tamen novit picturam perpetuationis? Hæc de perſona, quibus alii addunt ſemper virginem fuiſſe, ut Ignatius in epiſtola ad Philadelphienſes & Suidas. Quod negandum non eſt, at nihil ad rem pertinere putavit Apoſtolus. Poſteà ſacerdotii ſublimitatem deſcribit in tribus. 1. Decimas accepit ab Abraham. 2. Ei benedixit. 3. Sacerdotio non diſcedit. Abraham dignitate illius agnita, decimas dedit, benedictionem concupivit. Hieronymus in eadem epiſtola ad Euagrium refert Judæos contendere de Sem & decimarum donationem ideò illi debitam, quod tanto major eſſet genituræ ordine. Aliam nempe rationem eminentiæ videre non poſſunt, nec facile concedent è gentibus fuiſſe, qui Abrahamo major fuerit. Semum ea tempeſtate in vivis fuiſſe non negamus. Hieronymus: *Ratione deducta, invenitur Sem abnepoti ſuo decimi gradus, Abraham, ſupervixiſſe annos quadraginta. Simulque & hoc tradunt, quod uſque ad ſacerdotium Aaron, omnes primogeniti ex ſtirpe Noë, cujus ſeries & ordo deſcribitur, fuerint ſacerdotes & Deo victimas immolarint: & hac eſſe primogenita, qua Eſau fratri ſuo vendiderit Iacob. Nec eſſe mirum, ſi Melchiſedec victori Abraham obviam proceſſerit, & in refectionem tam ipſius, quam pugnatorum ejus, panem vinumque protulerit & benedixerit ei, cum abnepoti ſuo hoc jure debuerit: & decimas prada atque victoria acceperit ab eo, ſive, (quod habeatur ambiguum) ipſe dederit ei ſubſtantia ſua decimas & avitam largitatem oſtenderit in nepotem. Vtrumque enim intelligi poteſt, & juxta Hebraicum & juxta ſeptuaginta interpretes; quod & ipſe acceperit decimas ſpoliorum & Abraha dederit decimas ſubſtantia ſua: quanquam Apoſtolus in epiſtola ſua ad Hebraos apertiſſimè definiat non Abraham ſuſcepiſſe à Melchiſedec decimas divitiarum ejus, ſed de ſpoliis hoſtium partem accepiſſe Pontificem.* In Hebræo eſt, ויתן לו מעשר מכל. Thargum: ויהב ליה חד מן עסרא מכולא Raſi exponit etiam de Abram decimas dante: ויתן לו: אברהם מעשר: מכל אשר לו: לפי שהיה כהן: Aben-eſdras: ואברהם הוציא המעשר לכבוד השם ולא מצא אדם ראוי לתתו לו כמלכי-צדק: *Et Abram produxit decimas in honorem Dei nec invenit hominem dignum cui daret ſicut Melchiſedec.* Ralbag dicit Abrahamum, audita benedictione Melchiſedeci, illi dediſſe decimas in honorem Dei: ובשמע אברם דבריו נתן לו לכבוד השם מעשר מכל השלל והשבי כטעם כל אשר תתן לי עשר אעשרנו לך כי הוא היה כהן לאל עליון: *Et cum audiret verba ejus Abram, dedit ipſi in honorem Dei decimas ex omnibus ſpoliis & captivis, hac mente, Quicquid dabis mihi decimam dabo tibi, quia ille erat ſacerdos Dei altiſſimi.* Agnoſcunt Judæi, quod Abram dederit decimas Melchiſedeco,

deco, quia ipſe textus rationem ſubjicit, cum fuiſſe ſacerdotem Dei. Nam decimæ debentur ſacerdoti. At, ô Judæi, quis ille ſacerdos eſt, cui Abraham, qui ſacerdos erat, dedit decimas? Decimæ iſtæ ſine dubio fuerunt ex Dei conſtitutione dandæ ſacerdotibus, videturque decimas inſtituiſſe, qui inſtituit ſacerdotium, quamvis Moſaica lege harum ut omnium ad ſacerdotalem rationem pertinentium accuratior ſit facta definitio. Voluntarias fuiſſe & ex invento hominum, quod poſtea lege Deus approbaverit, non dixerim. Raſi & Abeneſdras in pſalmum 110. vocem כהן de ſeculari dominatione exponunt, id eſt de מַלְכוּת Ita etiam hodie illi hæretici, qui Socini dogma ſequuntur & Chriſti ſatisfactionem, ſine qua ſacerdotium non conſtat, perfide abnegant. Raſi: והנה הטעם שישראל ילחמו ואתה תקח המעשר כאשר לקח מלכי־צדק מאברהם *Senſus eſt, quod Iſrael bellaturus ſit & tu accipies decimas, quemadmodum Melchiſedec ab Abraham.* Deinde in varias ſe torquet formas & R. Moſen adducit eadem in fece hærentem. Videtur R. Moſe appellative accipere ה׳ Melchiſedec, מלכי־צדק pro מלך צדק. Victoriam & judicium interpretatur de victis Ammonitis & Rabbathamanis, quibus ſe David regem impoſuit. Sed de hujus loci ſententia alibi curatius & plenius.

Paulus Apoſtolus prolixus eſt in deſcribenda perſona ejuſque ſacerdotio, nihil de ſacrificiis eorumque materia & modo addidit. Joſephus de Voiſin, vir eruditiſſimus, qui Pugionem fidei Raimundi Martini edidit & commentariis doctiſſimis illuſtravit, docet Judæos tradere quod ſacerdotium à Melchiſedec tranſlatum ſit ad Abrahamum. Hunc dicit novum intuliſſe ritum circumciſionis: & è poſteris ejus Moſen novam legem populo Iſraelitico tradidiſſe. Tum extructo templo, ut erat Abrahamo promiſſum, Jeroſolymis conſtitutam eſſe ſedem ſacerdotii. Ita fuiſſe neceſſe, ut ad Meſſiam novæ legis authorem transferretur ſacerdotium ab Abrahamo ejuſque poſteris. Hæc ſcribit vir doctiſſimus annotationibus in prooemium pugionis. Inconſultè ſcripſit. Nam 1. Melchiſedeci ſacerdotium non poteſt transferri in alium, quia eſt ἀπαράβατον, 2. Ordines diſtincti ſunt Abrahameus ſive Aaronicus & Melchiſedecianus, non poſſunt in unam perſonam coire multò minus in unum confundi. 3. Circumciſio nihil ad ſacerdotium pertinet Abrahami ejuſque legem, quia eſt ſacramentum Fœderis gratiæ. Duo ſunt ordines diſtincti, quorum primus non tranſiit in alterum, at unus deſiit, alter eſt perpetuus. Pontificii, putant ſui generis victimas oblatas eſſe à Melchiſedec, figurativas victimæ & ſacrificii Chriſti, aut potius Miſſæ. Dicit Moſes Melchiſedecum, quem prius appellaverat regem Salemenſium, deinde ſacerdotem Dei altiſſimi, ptotuliſſe vinum & panem. Id in ſacrificii finem & uſum prolatum eſſe volunt. Guilielmus Eſtius: *Iudæi conantes depravare ſcripturas ad Chriſti & Eccleſiæ myſteria pertinentes, quos hodie ſequuntur hæretici, non ideò dicunt Melchiſedec protuliſſe panem & vinum ut ſacrificaret, ſed ut cibo & potu recrearet exercitum à victoria redeuntem. Sed hoc eorum commentum ex ipſo textu convincitur falſitatis. Supra enim dictum eſt de quatuor regibus:* Tulerunt omnem ſubſtantiam Sodomorum & Gomorrhæ & univerſa, quæ ad cibum pertinent & abierunt. *Atqui univerſam hanc prædam excuſſit eis Abraham, igitur & ea quæ ad cibum pertinent ſecum adferebat. Deinde, quia ſequitur, Abraham non voluiſſe quicquam de præda retinere,* exceptis iis, quæ Juvenes comederant. *Vnde patet ea, quæ ad cibum pertinent ab hoſtibus fuiſſe recepta. Prætereà cauſa, cur protulerit panem & vinum, ſubditur. Quia erat ſacerdos Dei altiſſimi. per quod ſignificatur eum protuliſſe ad ſacrificandum non ad paſcendum exercitum &c.* Fuſius hæc perſequitur Lyra in cap. XIV. Geneſ. Qui

poſtquam duo priora argumenta protulerat de tertio ſic: *Ex quo patet quod cauſa, pro qua protulit panem & vinum, fuit ad offerendum ſacrificium, quod pertinet ad ſacerdotis officium. Pro refectione enim bellatorum magis pertinet ad hominem laicum proferre victualia, quam ad ſacerdotem. Et ideo alii aliter pervertentes exponunt, dicentes, quod Melchiſedec protulit panem & vinum: pro ſacrificio offerendo, non per ipſum (quia ſecundum ipſos ſacerdos non erat) ſed per ipſum Abraam qui tanquam ſacerdos legitur pluries conſtruxiſſe altare & ſacrificium Deo obtuliſſe &c. Ideo quod ſequitur, Erat enim ſacerdos Dei altiſſimi, referunt ad Abrahamum & ſimiliter dedecimis.* Hæc Lyra qui iſta bene refutat: Quod benedixerit non Abraham Melchiſedeco, ſed Melchiſedecus Abrahamo. Benedicit autem non laicus ſacerdoti ſed ſacerdos laico & major minori. Decimas non accepiſſe Abrahamum, inde patere, quia Abrahamus noluit accipere quicquam de iſtis ſpoliis. Addimus, non fuiſſe in poteſtate Melchiſedeci manubias ab hoſtibus reportatas, ſed in poteſtate Abrahami victoris, qui potuit dare. Judæi & quicunque alii interpretes non poſſunt è textu plus elicere, quam in illo continetur. Solebant gratulantes exercitum victorem reficere epulo, cibo potuque, Judic. VIII. 15. Id hic locum non habere putant, quia exercitus Abrahami eſculentis & potulentis abundaret è ſpoliis & præda. Nam v. 11. narratur victum omnem Sodomenorum direptum eſſe & avectum ab Syris & Tranſeufratenſibus: & v. 24. partem eſſe abſumptam à militibus & ſociis Abrahami, poſtquam victorem exercitum disjeciſſent & caſtra diripuiſſent. Non indiguit igitur Abrahami exercitus refectione cibi & potus. Id hic ſupponitur, non potuiſſe Abrahamum excipi epulis niſi famelicum & ex neceſſitate refectionis. Gratulantium exceptio ſæpe eſt ex ſuperabundanti. Non dicit Moſes cibum & potum Melchiſedeci eſſe conſumptum à copiis Abrahameis, tantum narrat propoſitum & oblatum. Stuporis eſt dicere Melchiſedecum ſacrificaſſe pane & vino, & hoc ſacrificium fuiſſe ejuſdem rationis cum Sacramento Euchariſtiæ. Si ſacramentum fuit ſacrificium non fuit. Quantum patres attinet, quos magno numero adducit Bellarminus (in quantum ipſi viſum prodeſſe) quamvis nimis indulgeant ſuis allegoriis, nemo tamen eſt, qui cum Pontificiis faciat. Omnes hic figuram quærunt, fatemur, Euchariſtiæ ſub N. T. at alii ut Sacramenti, alii ut ſacrificii eodem ſenſu. Qui Euchariſtiam ſacrificium eſſe volunt, non aliter accipiunt quam memoriam ſacrificii Chriſti. Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromateon: *ὁ τὸν οἶνον καὶ τὸν ἄρτον τὴν ἡγιασμένην διδοὺς τροφὴν εἰς τύπον εὐχαριστίας.* Baſilius in pſ. 109. *Quid eſt autem illud, Secundum ordinem Melchiſedec, niſi propter myſteria, quod & ille Abrahæ panem & vinum attulit?* Chryſoſtomus hom. 35. in Geneſin: *Et vide per honorem in patriarcham collatum, quomodo Sacramentum inſinuatur. Extulit enim illi panem & vinum. Videns typum, cogita, oro, & veritatem & admirare Divinarum ſcripturarum virtutem, quomodo ſuperioribus ſeculis & ab initio futura præſignata ſint.* Tertullianus adv. Judæos? *Melchiſedec quoque ſummi Dei ſacerdos, incircumciſus & non ſabbatizans ad ſacerdotium Dei allectus eſt.* Deinde: *Denique ſequentes patriarchæ incircumciſi fuerunt, ut Melchiſedec, qui Abrahæ jam circumciſo revertenti de prælio, panem & vinum obtulit incircumciſus.* Conſtat antiquos patres ante duo ſecula à Chriſto ſacramentum & nutrimentum reſpexiſſe non ſacrificium in Melchiſedech. Quos etiam ſecutus eſt Chryſoſtomus. Cum autem jam ſacerdotis & ſacrificii & altaris vocabula immigraſſent in Eccleſiam, ſacrificii vox pro voce ſacramenti uſurpari cœpit. Cyprianus lib. 2. Ep. 3. Poſt verba Pſ. 110. addit ad expoſitionem: *Qui ordo utique hic eſt, de ſacrificio illo veniens & inde deſcen-*

deſcendens, quod Melchiſedec ſacerdos Dei ſummi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis ſacerdos Dei ſummi, quam dominus noſter Ieſus Chriſtus? qui ſacrificium Deo patri obtulit & obtulit hoc idem, quod Melchiſedec obtulerat, id eſt panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem? Euſebius lib. 5. demonſtrat. Euang. cap. 3. fuſe deſcribit ſupereminentiam Melchiſedec præ Aaronico ſacerdote. Aaronici primò, quum prius ſacerdotes non eſſent, oleo inungebantur ad ordinis introitum. 2. Tanquam mortales, aliquando deponebant ſacerdotium. 3. In uno Judæorum populo ſacerdotio fungebantur. 4. Judicio hominum non juramento Dei aſſumebantur. 5. Nonnunquam & aliquis inventus eſt illo miniſterio indignus. 6. Ex tribu Levi & genere Aaron. 7. θύμασί τε ζώων ἀλόγων καὶ αἵμασι, σωματικῇ γε λατρείᾳ θεραπεύειν τὸ θεῖον. At Melchiſedec longè ſublimius: ὁ δὲ Μελχισεδὲκ ὠνομασμένος, ὁ μεταλαμβάνεται εἰς τὴν ἑλλάδα φωνὴν, Βασιλεὺς δικαιοσύνης, ἔπειτα Βασιλεὺς Σαλὴμ, ὃ δὴ αὐτὸ ἂν εἴη Βασιλεὺς εἰρήνης, ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, οὐκ ἔχων κατὰ τὴν ἱστορίαν, οὐκ ἀρχὴν ἡμερῶν, οὐ ζωῆς τέλος, ἀλλ᾽ οὐδὲ χρίσμα φέρων πρὸς τὸν τοῦ Ἀαρὼν ἱερωσύνης τρόπον. οὔτε γὰρ ὑπ᾽ ἀνθρώπων ᾕρητο, οὐκ ἐλαίῳ σκευαστῷ κέχρισο, οὐ γένος ἦν τῶν μηδὲ φανέντων πω. καὶ τὸ πάντων γε παραδοξότατον, ὅτι μηδὲ τὴν σάρκα περιτέτμητο, καὶ ὅμως τὸν Ἀβραὰμ εὐλόγει, ὡς ἂν πολὺ κρείττων αὐτοῦ τυγχάνων, ἀλλ᾽ οὐδὲ θυσίαις καὶ σπονδαῖς τῷ ὑψίστῳ ἱερᾶτο θεῷ, οὐδὲ μὴν παρὰ τῷ ἐν ἱερουσαλὴμ ναῷ τὴν λειτουργίαν ἐξετέλει, πῶς γὰρ τῷ μηδὲ ὄντι; Inde Salvatorem Chriſtum comparat cum Melchiſedec. Ubi poſt cætera: καὶ τό γε ἀποτέλεσμα τοῦ χρησμοῦ θαυμάσιον, συνορῶντι, ὅπως ὁ Σωτὴρ ἡμῶν Ἰησοῦς χριστὸς τοῦ θεοῦ, τῷ τοῦ Μελχισεδὲκ τρόπῳ, τὰ τῆς ἐν ἀνθρώποις ἱερουργίας εἰσέτι καὶ νῦν διὰ τῶν αὐτοῦ θεραπευτῶν ἐπιτελεῖ. Ὥσπερ γὰρ ἐκεῖνος ἱερεὺς ἐθνῶν τυγχάνων οὐδαμοῦ φαίνεται θυσίαις σωματικαῖς κεχρημένος, οἴνῳ δὲ μόνῳ καὶ ἄρτῳ τὸν Ἀβραὰμ εὐλογῶν, τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον πρῶτος μὲν αὐτὸς ὁ σωτὴρ καὶ κύριος ἡμῶν, ἔπειτα οἱ ἐξ αὐτοῦ πάντες ἱερεῖς ἀνὰ πάντα τὰ ἔθνη τὴν πνευματικὴν ἐπιτελοῦντες κατὰ τοὺς Ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς ἱερουργίαν, οἴνῳ καὶ ἄρτῳ τοῦ τε σώματος αὐτοῦ καὶ τοῦ σωτηρίου αἵματος αἰνίττονται τὰ μυστήρια, τοῦ Μελχισεδὲκ ταῦτα πνεύματι θείῳ προτεθεωρηκότος, καὶ τῶν μελλόντων ταῖς εἰκόσι προκεχρημένου, ὡς ἡ Μωσέως γραφὴ μαρτυρεῖ λέγουσα, καὶ Μελχισεδὲκ βασιλεὺς Σαλὴμ ἐξήνεγκεν ἄρτους καὶ οἶνον· ἦν δὲ ἱερεὺς τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου καὶ εὐλόγησε τὸν Ἀβραάμ. *Et eventus oraculi admirabilis, conſideranti quo pacto Salvator noſter Ieſus, Chriſtus Dei, more Melchiſedec, quæ ad ſacram in hominibus operationem pertinent, adhuc per ſuos famulos efficiat. Sicuti enim ille cum eſſet ſacerdos gentium nuſquam apparet uſus corporalibus ſacrificiis, ſolo autem vino & pane Abraham benedicent, eodem primus quidem ipſe ſervator & Dominus noſter deinde ab ipſo omnes ſacerdotes per omnes gentes ſpiritualem facientes ſecundum Eccleſiaſticas leges ſacri operationem, vino & pane adumbrant corporis ipſius & ſalutaris ſanguinis ſacramenta, Melchiſedeco iſta Spiritu Divino prævidente & ante uſo imaginibus rerum futurarum, ut Moſis ſcriptura teſtatur, dicens: Et Melchiſedec rex Salem, protulit panes & vinum. Erat autem ſacerdos Dei altiſſimi & benedixit Abrahamo.* In his verbis Euſebii triumphat Bellarminus: *Et hic vides,* inquit, *Melchiſedec in ſacrificio ſolo pane & vino uſum: & tum Chriſtum, tum ejus miniſtros toto terrarum orbe in ſpecie panis & vini ſacrificium offerre & hoc modo perpetuari (ut ſic loquar) ſacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedec.* Sed ὦ θεολογῶν Cardinalium Euſebius Romanenſis minime gentium fuit. Nam primò unicum ſacrificium ſtatuit, quod fecit Jeſus Chriſtus, ejus autem eſſe αἰνίγματα, id eſt, indicia ſubinvolucris rerum ſacramenta panis & vini. Vos autem panem & vinum mutari reipſa in corpus & ſanguinem Chriſti docetis, & ipſum à vobis Chriſtum quotidie offerri. Si quis hodie apud vos ſacrificulos diceret αἰνίττεσθαι τῷ ἄρτῳ καὶ οἴνῳ τὰ τοῦ σώματος

ματος χριστοῦ καὶ σωτηρίου αἵματος μυστήρια, figurari pane & vino corporis Chriſti & ſalutaris ſanguinis ſacramenta, eodem loco haberetur cum Calvino & Beza. Sic igitur ſacrificium Melchiſedec fuit ejuſdem rationis & modi majoris non fuit quia adumbravit tantum ſacrificium Chriſti & Euchariſtiæ habuit faciem & imaginem. Secundò negat Melchiſedec corporalibus ſacrificiis uſum eſſe, quia tantum vino & pane Abrahamo benedixerit. Vinum igitur & panem non obtulit. Si enim obtuliſſet fuiſſent σωματικαὶ θυσίαι. Niſi Bellarminus neget oleum vinum farinam affuſa victimis fuiſſe corporalia. Spiritualis eſt ἱερουργία, quam nos facimus in Euchariſtia, juxta Euſebium & patres, quia non offertur panis & vinum, ſed pane & vino repræſentantur corpus & ſanguis Chriſti. Ita πνευματικὴ ἱερουργία diſtinguenda eſt à σωματικαῖς θυσίαις. Pontificii omninò σωματικὰς θυσίας ſe facere gloriantur offerentes ipſum Dominum σωματικῶς, poſtquam verbis illis, quæ conſecrationis vocant, ſuum Dominum condiderunt. Patres illos antiquos componere cum doctrina Papolatrarum quid eſt niſi cælum & terram confundere? Bellarminus dicit in ſacerdotibus Papanis perpetuari ſacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedec. Sacerdotes igitur in Papiſmo, ſuntne ipſi munere ſacerdotes, an unius ſacerdotis Chriſti miniſtri, qui tantum ut popæ victimam immolant? Si tantum ſint Popæ & pueri ſive miniſtri, qui uni ſacerdoti miniſtrant ad aram, quid ſacerdotali nomine ſuperbiunt & miror Chriſtum popis indigere, quia hoc inauditum eſt? Unicum ſacrificium fecit Chriſtus in monte golgotha ubi nullus miniſter, nullus popa adfuit. At volunt ipſi Chriſtum quotidie ab aliis non à ſe offerri. Sic illi ſacerdotes Chriſtus tantum victima erit. Si eodem ordine cum Chriſto ſacerdotes ſunt, jam in ordine Melchiſedeciano multi ſacerdotes ſunt, in quo ſolum Dominum pónit Apoſtolus, unum ſacerdotem & unam victimam: jam Melchiſedecianum ſacerdotium ſacerdotes habet mortales nec eſt ἀπαράβατον. Quomodo iſta cum doctrina Apoſtoli conciliari poſſunt? Id ſpectabat Lombardus, qui ſcribit lib. 4. ſent. diſt. 24. lit. I. *Presbyteros accipere calicem cum vino & patinam cum hoſtiis, ut per hoc ſciant ſe accepiſſe poteſtatem placabiles Deo hoſtias offerendi, & hunc ordinem à filiis Aaron ſumpſiſſe initium.* Atqui Aaronicum ſacerdotium finem habuit cum tabernaculo & lege Moſis, Melchiſedeci ſacerdotium unicum in eo ordine agnoſcit ſacerdotem Jeſum Chriſtum, ſequitur igitur in N. T. nullos eſſe in terris ſacerdotes, quia nec Chriſtus ſacerdos eſſet, ſi eſſet in terris, teſte Apoſtolo Heb. 8. 4. Inter Patres illos veteres, poſt ſecundum à Chriſto ſeculum & Pontifices ingens eſt diſcrimen ſententiarum. Illi enim æmulantur nominum paritatem ſub Veteri & Novo teſtamento ἐν τῇ ἱερουργίᾳ. Pontificii rem ipſam conantur reducere. Nunquam voluerunt ne quidem per ſomnium Patres miniſtros N. T. in eodem ordine ſacerdotii & genere cum Chriſto collocare, ut ipſi Chriſtum offerrent quotidie, nunquam ſe mortuos viventeſque expiare ſacrificio Chriſti ipſius toties iterato. Tantum repræſentationem ſacrificii Chriſti adeoque ſacerdotii ipſius Melchiſedeciani presbyteris ſacramentum facientibus attribuerunt. Compoſuerunt, haudquaquam felici æmulatione, miniſterium N. T. cum miniſterio V. T. quia adſimilatio illa tracta eſt ad rei & naturæ confuſionem. Ea, inquam, mens fuit veterum miniſtros Chriſti eſſe ſacerdotes, ſimilitudine quadam ad veteris Teſtamenti miniſtros, quia res inter ſe componi poſſunt, quanquam in natura ſua admodum diviſæ & diſcriminatæ, at ſacerdotium N. T. eſſe Melchiſedecianum ſuo genere, ac in quo genere non ſacrificant quotidie, ſed figurant & repræſentant unicum ſacrificium ſemel in cruce peractum. Neſcio etiam quomodo Pontificii poſſint dicere,

dicere, de ſacrificio Melchiſedec participaſſe Abrahamum ejusque ſocios, quia expiatorium ſacrificium non admittit ad partes & epularum communionem? Solent illi confuſe & multa dicere & quidvis congerere. In apocrypha hiſtoria Melchiſedeci adſcripta Athanaſio: Ὡς ἀπήντησεν ὁ Μελχισεδὲκ τῷ Ἀβραὰμ ὑποστρέφοντι ἀπὸ τῆς κοπῆς τῶν βασιλέων, ἐπέδωκεν αὐτῷ ποτήριον ἄκρατον, ἐπιβαλὼν αὐτῷ καὶ κλάσμα ἄρτου καὶ τῷ λαῷ αὐτοῦ τιη΄. καὶ ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας, κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον, ὡμοιώθη τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ, ἀλλ' οὐκ εἰς τὴν χάριν. ἀλλ' οὗτος πρῶτος τύπος ἐγένετο τοῦ ἀναίμακτον θυσίαν προσφέρειν, τὴν ἁγίαν προσφοράν. Διὸ λέγει σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ, ἐπειδὰν τύπος ἐγένετο τῆς ἁγίας προσφορᾶς, ἐπιδεδωκὼς τῷ Ἀβραὰμ καὶ τοῖς τιη΄. οὕτως τε καὶ οἱ ἅγιοι πατέρες κατὰ καιροὺς εὑρέθησαν ἐν τῇ Νικαιέων πόλει, οἳ καὶ ὠρθοτόμησαν τὴν πίστιν, ὧν ἡ ποσότης καθ' ὁμοιότητα τοῦ πατριάρχου Ἀβραάμ, ἐστὶ τριακόσιοι δέκα καὶ ὀκτὼ ἅγιοι ἐπίσκοποι, ἐν τῇ Συνόδῳ. *Cum igitur occurreret Melchiſedec Abraamo revertenti à cæde regum dedit et vinum meracum, adjiciens ipſi & fragmentum panis & populo ipſius 318. Et uſque diem hodiernum, juxtà hunc modum aſſimilatus eſt filio Dei, ſed non ad gratiam. Verum hic primus typus fuit offerendi ſacrificium incruentum, ſanctam oblationem. Quapropter ait: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec, quoniam typus fuit ſacræ oblationis, dans Abraamo & 318. viris. Sic etiam ſancti patres inventi ſunt ſuo tempore in Nicænorum civitate, qui etiam rectè docuerunt fidem: quorum numerus, juxta ſimilitudinem patriarchæ Abraam eſt 318. ſancti epiſcopi in Synodo.* Vides hic indulgere Patres allegoriis & comparationibus. Nam hæc dicta ſunt ex veterum doctorum mente. Georgius Caſſander, qui patribus minus æquo non tribuit, adhæſit nihilque addidit explicationi de cibatione. lib. 1. de viris illuſtribus: *Cui rex Sodomorum itemque Melchiſedecus, qui Solymis, quæ urbs poſteà Hieroſyma dicta eſt, regnum ſimul & ſacerdotium adminiſtravit, honoris cauſa obviam proceſſere. Melchiſedec vero actis Deo ob victoriam gratiis, ac fauſta omnia Abramo precatus, ipſum ejuſque exercitum cibo potuque refocillavit. Cui viciſſim Abram omnium rerum decimas impertivit.* Sulpicius etiam noſter de ſacrificio nullam ingerit mentionem. Pontificii autem urgent, ſacerdotem neminem eſſe, qui non habet quod offerat, nullam autem memoriam eſſe ſacrificii, niſi hoc ſacrificium ſit. Benedictionem enim & oblationem decimarum non formare ſacerdotem. Obſervent, Abrahamum benedici à Melchiſedeco, tanquam minorem à majore. Proinde cum certum ſit Abrahamum fuiſſe ſacerdotem & regem, hunc oportet aut regem aut ſacerdotem fuiſſe majoris dignationis. At non ad regiam poteſtatem ſed ſacerdotalem magnitudinem, illam præeminentiam applicat Apoſtolus. Decimas nuſquam legimus regibus datas fuiſſe, quia propriæ fuerunt ſacerdotum & pontificum. Debebat ſufficere curioſis doctrina Apoſtoli, qui docet Melchiſedeci ſacerdotium & perſonam ſupereminere & eſſe alterius ordinis. Noluit dicere Apoſtolus nec docere, cujus generis victimas obtulerit. Nullo enim verbo rationem ſacrificiorum expreſſit ubi Chriſtum componit cum Melchiſedeco, tantum dicere ſatis habuit, non eſſe Chriſtum, qui hujus ordinis eſt, κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς. v. 15.16. Καὶ περισσότερον ἔτι κατάδηλόν ἐστιν, εἰ κατὰ τὴν ὁμοιότητα Μελχισεδὲκ ἀνίσταται ἱερεὺς ἕτερος, ὃς οὐ κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς γέγονεν, ἀλλὰ κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου. *Et abundantius adhuc manifeſtum eſt, ſi ſecundum ſimilitudinem Melchiſedec exſurgit ſacerdos alius, qui non ſecundum legem præcepti carnalis factus eſt, ſed ſecundum vim vitæ indiſſolubilis.* Hoc docet Apoſtolus Chriſtum qui eſt ſecundum ſimilitudinem Melchiſedeci ſacerdos factus, factum eſſe ſecundum vim vitæ inſolubilis, non legem carnalis mandati. Hinc ſequitur victimas & rationem ſacrificiorum Melchiſedeci non fuiſſe juxta modum ſacrificiorum carnalium.

Theodoretus: Τοῦ θεσπεσίου λέγοντος Παύλου, ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, τίς ἂν γνοίη τὸ ἀληθές; εἰκὸς δὲ αὐτὸν ἐκ τῶν ἐθνῶν ἐκείνων εἶναι, τῶν τὴν Παλαιστίνην οἰκούντων. Ἐκείνων γὰρ καὶ βασιλεὺς καὶ ἱερεὺς ἐτύγχανεν ὤν, ἱερεὺς δὲ τοῦ τῶν ὅλων θεοῦ. Ἦν γάρ, φησιν, ἱερεὺς τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου. Ὅθεν αὐτῷ καὶ ὁ Ἀβραὰμ ὁ πατριάρχης προσενήνοχε τὰς τῶν λαφύρων δεκάτας. καὶ δίκαιος ὢν καὶ τοῦ θεοῦ φίλος, παρ' ἐκείνου τὴν εὐλογίαν καρποῦται. Τῆς γὰρ δεσποτικῆς εἶχεν ἱερωσύνης τὸν τύπον, διὸ δὴ καὶ ἄρτους τῷ Ἀβραὰμ καὶ οἶνον ἀντίδωκεν ὡς τοιαύτας τυχὸν προσφέρειν εἴη εἰωθὼς τῷ τῶν ὅλων θεῷ. ἔδει γὰρ κἀν τούτῳ δειχθῆναι τύπον. Hujus diſſertationis lemma eſt quæſtio 64. Ο Μελχισεδὲκ πόθεν κατῆγε τὸ γένος. Recte reſpondet non poſſe illius genus ſciri, quia Apoſtolus dicit, ſine Patre, ſine matre & genealogia eſſe. Veroſimile eſſe, quod fuerit è gentibus Paleſtinam incolentibus, quorum rex erat & ſacerdos. Geſſiſſe figuram ſacerdotii Chriſti & ideò Abrahamo panes & vinum dediſſe, quod fortaſſis de eo genere Deo ſoleret offerre. Nam & in hoc oſtendi figurum debuiſſe. Conjicit non affirmat eum panes & vinum offerre ſolitum. Quod in hoc loco, de quo agitur, narrat Moſes cibum & epulas eſſe putat, at ideo id genus epularum Abrahamo dediſſe videri, quia & de hoc offerre ſoleret. Panes & vinum obtuliſſe Melchiſedecum non eſt vero ſimile, quia nec Chriſtus panem & vinum obtulit ſed ſemet ipſum. Si igitur figuram & ſimilitudinem Chriſti debuit oſtendere in ratione ſacrificandarum victimarum non panem & vinum ſed ſeipſum debuit offerre. Nihil ullo in loco diſerte & expreſſe de victimarum genere, quod obtulit Melchiſedec, dictum eſt. Ubi ſcriptura tacet, religionis freno & mentem & linguam trepidi conſtringamus.

Melchiſedec fuit ſacerdos Dei altiſſimi אֵל עֶלְיוֹן, θεοῦ ὑψίστου, Hoc Dei epitheton obtinuit, cum præter unum Deum alii coli cœpiſſent. Sic veri Dei ſacerdos appellatur in diſcrimine ad ſacerdotes idolorum. Abram etiam jurat Deum altiſſimum in rejectione ejus, quod ipſi rex Sodomenus offerebat.

Melchiſedec erat rex Salem. Hoc vocabulum uni loco proprium non fuit, inquirendum igitur, quis locus intelligatur, cui imperabat Melchiſedec. Hieronymus ex traditione, uti quidem memorat, Judæorum: *Salem autem non, ut Ioſephus & noſtri omnes arbitrantur, eſſe Hieruſalem, nomen ex Hebraico Græcoque compoſitum, quod abſurdum eſſe peregrina lingua mixtura commonſtrat, ſed oppidum juxta Scythopolim, quod uſque hodie appellatur Salem & oſtenditur ibi palatium Melchiſedec ex magnitudine ruinarum veteris operis oſtendens Magnificentiam: de quo in poſteriore quoque parte Geneſeos ſcriptum eſt: Venit Iacob in Sochoth id eſt in tabernacula & fecit ſibi ibi domos atque tentoria & tranſivit in Salem civitatem regionis Sichem, quæ eſt in terra Canaan. Conſiderandum quoque eſt, quod Abrahæ à cæde hoſtium revertenti, quos perſecutus eſt uſque Dan, quæ hodie Paneas appellatur, non de via Ieruſalem, ſed de oppido Metropoleos Sichem, in itinere fuerit. De quo in Evangelio quoque legimus: Erat autem Iohannes baptizans, in Ennon juxta Salim, quia aquæ erant multæ ibi. Nec refert utrum Salim an Salem nominetur, cum vocalibus in medio literis perraro utantur Hebræi, & pro voluntate lectorum atque varietate regionum eadem verba diverſis ſonis atque accentibus proferantur. Hæc ab eruditiſſimis gentis illius didicimus &c.* Fuit & alia Salem, de qua Hieronymus in locis Hebraïcis: *Sed & alia villa oſtenditur uſque in præſentem diem juxta Æliam, contra occidentalem plagam: in octavo quoque lapide à Scythopoli in campo vicus Salumias appellatur.* Hieronymus confundit Scythopolim & Neapolim, tanquam vicinas: at Scythopolis eſt Bethſan, Neapolis autem Sichem. Neapolis non eſt ipſa Sichem,

ſed

ſed in vicinia. Scythopolis & Neapolis in itinerario Antonini diſtant novendecim millibus paſſuum. In his ſuburbanis Neapoleos erant rudera Sichimæ teſte Hieronymo. Triplicem Salem videtur Hyeronymus facere, unam prope Sichem, aliam ad Æliam, tertiam, octavo lapide à Scythopoli, qui vicus *erat Salumias* appellatus. Andreas Maſius in Joſue cap. XXIV. *Exſtabat illa* (Sichem) *ut ait divus Hieronymus*, ad latus montis Garizim, circiter ſex millibus paſſuum à Samaria. *Ejus ruinæ nunc Iſtar vocantur ab accolis. Nam Neapolis, aut ut vulgus dicit, Naploza, non eodem loco ſubſtructa nunc viſitur.* Apud Hieronymum Judæi contendunt adverſus Joſephum & Chriſtianos interpretes omnes Salem non eſſe Hieruſalem. Ratio. 1. quia ipſis videtur Salem non eſſe partem vocis Hieroſolyma, ne ex Græco Hebraicoque dicatur eſſe compoſita. 2. quia in Salem apud Sicima ſive Bethſan oſtenduntur ruinæ palatii Melchiſedec. 3. Quia revertenti à Dan obvius potuit eſſe Melchiſedec, non ex Hieroſolymis, ſed ex illa altera Salem. Hanc Salem videtur Hieronymus eandem facere cum vico Salumia. Rationes Judaicæ, ſi non ſint potius Samaritanæ, quia urbi Hieroſolymorum iſtum honorem detractum volunt, nihil efficiunt. Nam Hieroſolymorum appellatio non eſt compoſita ex Græco ἱερὸν & Solyma, cum ſit, ex יראה & שלם, ut ſuo loco videbimus, Græci in formam ſuæ linguæ convenientem corrupere ſonum vocabuli. Ruinæ illæ, quæ oſtendebantur, ædificii fuerunt alius, ſed aſſumptæ à Samaritis ſunt, ut ſuæ affirmationi facerent fidem. Non eſt reverſus à Dan ſed è partibus Damaſci, fuitque illi obvius revertenti, ut Hebronem iret. Hieruſalem eſſe Salem oſtendit Pſalmus 72. 2. Quod & adducit Aben-eſdras in locum hunc Geneſeos.

EIDEMQUE DECIMAS PRÆDÆ DEDIT] Sic habet interpretum plerorumque conſenſus & quidam non tantum ſpoliorum ſed & captivorum decimas datas eſſe volunt. De captivis non quadrat omnino, quia de bonis non de hominibus decimæ dari ſolent. Calvinus cum quibuſdam interpretibus putat Abrahamum dediſſe decimas de ſuis bonis, non de ſpoliis hoſtium. Ita loquitur: *Aliis poſteà de cauſis decimas Levitis dari juſſit Deus ſub lege. Abræ autem ſeculo tantum ſacra oblatio fuit. Incertum tamen ſpoliorumne decimas, an bonorum, quæ domi poſſidebat, obtulerit. Sed quia veriſimile non eſt liberalem fuiſſe de alieno & præda decimam partem largitum eſſe, ex qua ne filum quidem attingere voluit: potius conjicio ſumptas fuiſſe has decimas, ex propriis ejus facultatibus. Quanquam non admitto quotannis fuiſſe ſolutas, ut quibuſdam placet: potius meo judicio, ſemel illi dicavit hoc munus, ut ſummum Dei ſacerdotem agnoſceret: nec tunc potuit de manu, (quod ajunt) in manum tradere: ſed ſolennis fuit nuncupatio, cujus paulò poſtea ſecutus eſt effectus.*

RELIQUA HIS, QUIBUS EREPTA] Rex Sodomorum non tantum gratulandi cauſa venit Abræ obuiam, ſed & ut debito præmio ipſum afficiat. Totam ergo prædam illi remittit, exceptis hominibus, quaſi diceret, ſe nihil morari opes dummodo ſubditos recuperet. Hoc quidem laudabile eſt, quod civium ſalutem unicè curet: quanquam homo inops & omnibus bonis nudatus, uideri poſſit captaſſe Abræ favorem, ut ſaltem captivos & vacuam ſibi urbem haberet. Certè poſteà videbimus Sodomitas accepti beneficii fuiſſe immemores, dum ſuperbe & contumelioſe ſanctum Lot vexarunt. Rex ſe gratum videtur Abræ præbere, quod laude dignum eſt modo ne ingratus eſſet Deo, cujus nec ſeveritate nec clementia redditus eſt melior.

Abram ad iſtam oblationem regis Sodomeni manu ad cælum ſublata jurat nihil ſe quicquam de præda recepturum eſſe tantum hoc quod ſervi

comediſſent; non prohibere ſe tamen, ut partem ſuam non accipiant fœderati. De Abrahamo narrat Moſes ipſum elevata ad cœlum manu juraviſſe. Calvinus: *Vetus hac ceremonia ad vim & naturam juriſjurandi exprimendam valde appoſita fuit. Manu enim ad cælum ſublata, oſtendimus, nos Deum advocare teſtem & ſimul ultorem, ſi fallimus. Levabant quidem olim manus in ſuffragiis: Unde Græcis verbum χειροτονεῖν pro decernere: ſed in jurandi ritu alia fuit ratio &c. Mirum tamen videri poteſt, cur tam facile ad jurandum proſiliat Abram. Sciebat enim hoc reverentia habendum eſſe Dei nomini, ut eo parcè & tantum pro neceſſitate utamur. Reſpondeo duas illi fuiſſe jurandi cauſas. Nam, quia ſolent flexuoſi homines alios metiri ſua ulna, raro fidem habent ſimplicibus verbis. Putaſſet igitur rex Sodomæ Abram non ſerio jus ſuum remittere niſi interpoſitum fuiſſet Dei nomen. Deinde magni interfuit vulgò omnibus patere bellum mercenarium ab eo non fuiſſe geſtum. Satis declarant temporum omnium hiſtoria, etiam qui juſtas habuerunt bellandi cauſas fuiſſe tamen incitatos privatis commodis &c. Præterea munire ſe voluit Abram Dei nomine tanquam clypeo contra omnes avaritia illecebras. Variis modis tentare ejus animum non deſiiſſet rex Sodomæ, niſi maturè blandis captationibus præciſa fuiſſet cauſa.* Hæc Calvinus. Ego exiſtimo quamvis jure belli potuiſſet retinere Abraham, quæ armis pepererat, non tamen honeſtum ſatis eſſe, ſi ereptam hoſtibus prædam non reddat miſeris victor. Ideò maluit Abraham honeſta donatione Pharaonis diteſcere, quam ſpoliis hoſtium, quæ ipſi direptis Sodomis ceperant. Qui miſeris ſuppetias ferunt, ſi ſolidam habere laudem cupiant, ſumptibus belli refuſis ſint contenti. Nihil Abraham voluit niſi alimoniam ſuorum, dum erant in opere. Quærat etiam aliquis, Cur rex Sodomorum ſolus Abrahamo occurrat & loquatur pro captivis, cur taceant & non compareant reges cæterarum urbium Pentapolitani tractus? Conſtat enim Gomorrha direpta eſſe æque ac Sodoma, quamvis nihil exprimatur de cæteris oppidis. Forte Sodomorum rex cæteris imperabat, aut Moſes ſatis habuit de Sodomeno rege annotare, cujus ſubditus fuit Lot.

In hiſtoria belli Elamitici multa loca multique populi notantur à Moſe, quæ breviter exponemus. In Pentapolitano tractu, quinque oppida erant ſingulis regibus regnata. Prælium commiſſum fuit in valle Siddim, quo victi ſuccubuere reges Pentapoleos. Vallis Siddim dicitur eſſe Mare ſalis, de quo poſteà. Elamitarum rex cum regibus ſociis percuſſit Rephaim in Aſtharoth Carnaim, Zuzim in Ham, & Emim in Save Cariathaim, & Horræos in monte Seir, uſque ad planitiem Pharan, quæ eſt juxta deſertum. Hinc reverſi venerunt ad En-miſphath, quæ eſt Cades: percuſſerunt Amalecitarum univerſum agrum & Amorrhaeum habitantem in Aſeſon-thamar. Tot victoriis ſuperbi tumenteſque prælium commiſere cum Pentapolitis, iiſque fuſis fugatiſque diripuere Sodoma & Gomorrha. Præda & ſpoliis onuſtos uſque Dan perſecutus eſt Abram, eorumque caſtra noctu adortus occupavit. Exutos caſtris & omni præda captiviſque viris & fœminis perſecutus eſt Hobam uſque vicinam Damaſco. Deinde regredienti domum obviam eunt rex Sodomorum & Salemenſium in valle regis.

רפאים Nomen gentis giganteæ ſic dicta juxta Aben-eſdram: *Quod omnis, qui eos videret ejus cor moreretur, & cogitaret quod iſti Rephaim mortui eſſent.* Andreas Maſius in cap. XI. Joſue: *Sed* רפאים, *ego certe appellatos eſſe exiſtimo, quod quaſi inferi, in antris & cavernis ſub terra habitarent plerique eorum. Inepta enim eſt antiphraſis, quam quidam commenti ſunt.* Iterum in cap. XII. *Verbum* רפאים *quod gigantes ſumus interpretes, plerumque intactum ſervant*

vant Aquilas, Symmachus & Theodosion. eos ſequitur Latinus, At LXXII & Chaldæus à me ſtant. Putat quidem vulgus Iudæorum admirabilis magnitudinis homines ſic eſſe dictos, formata à verbo רפה *appellatione, quia viribus deſtituuntur quotquot illos aſpiciunt præ formidine ſcilicet. At R. Nechmannus probabiliter ſane exiſtimat Hevæorum id eſſe cognomen. Nam cum* חוים *id eſt Hevæi à ſerpentibus dicti ſint, qui in terra cavernis habitant, rectè appellantur iidem Rephaim* רפאים *quaſi inferos dicas & ſub terra agentes. Hac enim notione uſurpavit hoc verbum Eſaias [XIV. 9.] aliique. Quin etiam quos* חורים *Horim nominat ſacra Hiſtoria, hoc eſt* τρωγλοδύτας *cavernas incolentes cognatam fuiſſe Hevæis gentem idem ille Nehmannus autumat: omneſque illos barbaros raræ magnitudinis homines exſtitiſſe. Ut non planè de nihilo finxiſſe Homerus videri debeat illud, quod nuper de Cyclopibus producebam:* Ἀλλ᾽ οἵ γ᾽ ὑψηλῶν ὀρέων ναίουσι κάρηνα, Ἐν σπέεσσι γλαφυρῇσι. Cap. XVII. 15. libri Joſue conjunguntur Rephaim cum Pherezæis. Unde Maſius etiam Pherezæos interpretatur latrones deque rapto viventes. Ego arbitror oſtendi locum habitationis Rephaim, ut qui vicini aut inter Pherezæos, gentem unam de ſeptem Cananæis gentibus coluerint. Pherezæi incoluerunt circa montem inter Bethel & Ai, in quo Abram *primò* aram ſtatuit, quæ erat ipſius ſecunda ſtatio. Gen. XII. 8. XIII. 3. 7. Vallis Rephaim fuit prope Hieroſolyma Joſ. 15. 8. Omnibus expenſis ſic videtur, Rephaim commune nomen eſſe gigantum ſive hominum monſtroſæ molis, unde Emim, Zamzummim & alii proprio nomine ſeparati, Rephaim dicuntur. Quomodo variæ regiones Rephaim Deut. 2. 11. 20. terra Moabitarum, terra Ammonitarum. Ita etiam terra Baſan Deut. 3. 13. Filii Enac etiam τοῖς Rephaim accenſentur Deut. 2. 11. Patet igitur Rephaim recte gigantes reddi, quia omnium vaſtæ molis hominum appellatio eſt. At in quibuſdam locis & propria nomina habuerunt ad diſtinctionem. In Aſtharoth Carnaim non dicebantur diſtincto nomine, ſic nec illi qui circa Bethel habitarunt, nec qui fuerunt prope Jeruſalem, à quibus vallis illa appellationem retinuit. Sed qui antiquitus in Moabitarum regione habitarunt dicti ſunt Emim; qui in Ammonitarum terra, Zamzummim; qui circa Hebronem, à patre ſuo Enacitæ. Orientalem igitur tractum montium à Libano ad Pharan poſſederunt giganteæ mobis homines. Nam montes incipientes à Libano & ultra uſque ad deſertum Pharan veniunt. Mediam vallem immenſam permeat Jordanes oriens de fonte Paneadis & in mare mortuum introjens. Montes ad orientem ultra Jordanem habebant *ea tempeſtate gigantes.* Ineptum ſit dicere hos omnes ab eadem deſcendere origine: ineptius, quod ſint reliquiæ hominum primæ ætatis, qui evaſerint è diluvio: cum populis vicinis ejuſdem originis cum eſſent, editi ſunt filii parentibus ſuis grandiores, qui Dei voluntate propagarunt in ſuos poſteros corporum proceritatem. Hinc nati illi populi grandium corporum degentes inter gentes communis ſtaturæ cum quibus ab eadem origine provenerant. Hominem grandi mole corporis appellabant Cananæi ſuo ſermone רָפָה quod vocabulum exſtat II. Sam. XXI. 16. 18. 20. 22. I. Chronic. XX. 4. 6. 8. Illic appellativum eſt, uti Piſcator, Buxtorfius & Bochartus obſervarunt. Videtur hoc appellativum eſſe ſed è proprio factum. Exiſtimo enim primos originario dictos fuiſſe proprio nomine רפאים & ab iis ut prioribus cæteros deinde gigantes communiter appellationem illam accepiſſe. Ita proprium eſt vocabulum in hoc loco, quia illum gigantium populum primum peculiariter notat & in omnibus locis ubi iſte populus ſigillatim ſignificatur. Rephaim etiam voce mortui dicti ſunt (ſic putet aliquis) quia iſti gigantes deleti penitus ſunt & inter vivos eſſe deſierunt. Ita hæc ſignificatio poſterioris erit ætatis. Ex-

ſtat tamen in Job. xxvi. 5. Non placet igitur iſta originatio hujus ſignificatiónis: at erit à verbo & themate ſuo, ut altera illa à proprio nomine. Quando cum ה הדיעה compoſitum eſt ſine dubio gigantes notat communiter aut mortuos: ſed & ſine eo frequenter. Zuzim putat Abeneſdras eoſdem eſſe cum Zamzumim in Ammonitide, quod non videtur. Aſtharoth Carnaim) Hic audiamus diſſertationem doctiſſimi Maſii in Joſue xii. 4. Aſtharoth eam *qua cognomento* קרנים Carnaim bicornis *vocatur, non eodem perpetuo loco ponit Euſebius libello de loc. Heb. Modo enim exiſtere ait in ſupercilio Sodomorum: modo Baſanitidis angulo, ſex millibus paſſuum ab Adara urbe Arabiæ, ubi etiam nunc ſupereſſe prægrandem villam dicit, qua urbem illam nominè referat Carneaque vocetur: additque ibi priſcis temporibus habitaſſe Iob. Rurſus, alibi affirmat duo ſupereſſe caſtella, in Batanaa, novem inter ſe millibus paſſuum diſſita, inter Adaram & Abilam, & utrumque Aſtharoth vocari. Igitur verum eſſe poteſt non unam eſſe Aſtaram ſed geminam, ideoque utramque nomine pluralis numeri Aſtaroth appellari atque etiam Carnaim, hoc eſt bicornem dici. Nam quod Nebmanus prodidit, ſolam verborum, ut opinor, notionem ſecutus, Aſtaroth montem fuiſſe bicornem, hoc eſt, duobus faſtigiis eminentem, cui à pecoribus, qua multa in eo paſcebantur (עשתרות enim pecora dicunt Hebræi) parum firmum eſt, ne dicam, aperte falſum. Etenim Aſtharoth pro urbe Levitica recenſetur in Paralipomenis* (Paralip. 6. 71.) *Scribit autem divus Auguſtinus & quidem affirmatè* עשתרות *Aſtharoth Iunones ſignificare, ſicut* בעלים *Baalim Ioves. Idenim ex lingua Punica certum eſſe. Et Cicero in libris de natura Deorum, quos ſane mirabiliter in tantis ille veritatis tenebris ſcripſit; Aſtarten ſive Aſtareten facit quartam Venerem Syria Tyroque conceptam. Sunt etiam ſcriptores, qui lunam eſſe putant. His ego conjecturis auguror, à Iunonis vel lunæ fanis, quæ fortaſſis quarta illa Venus fuit, quam Syria ſuis ſuperſtitionibus peperit, urbibus illis nomen hoc impoſitum fuiſſe. Prodidit quidem Stephanus Rabbam Ammonitárum Aſtarten quoque appellatam eſſe, Sed ut ei hoc demus (Nam & illis fortaſſis pulchra illa venus culta eſt & delubrum habuit) certe non poteſt ea noſtra eſſe Aſtharoth. Nam urbes Ammanitarum nefas erat occupare Iſraelitis.* Hactenus Maſius. Cl. Maſius non recte videtur Euſebii ſeu Hieronymi mentem percepiſſe. Nos videamus & conferamus loca Hieronymi:

I. *Aſtharoth Carnaim, terra gigantum, quondam in ſupercilio Sodomorum, quos interfecit Chodorlaomor. Sunt hodieque duo caſtella in Batanaa hoc vocabulo, novem inter ſe millibus ſeparata inter Adaram & Abilam civitates.*

II *Aſtharoth antiqua civitas regis Baſan, in qua habitaverunt gigantes, quapoſtea cecidit in ſortem tribus Manaſſe regionis Batanaa & ſex millibus ab Adar urbe Arabiæ ſeparata eſt. Porrò Adra ab Boſtra viginti quinque millibus diſtat. Diximus & ſupra de Aſtaroth Carnaim.*

III. *Beeſthara in Manaſſe, ſeparata levitis, in regionibus Baſanitidis.*

IV. *Carnaim Aſtharoth, nunc vicus eſt grandis in angulo Batanaa: & appellatur Carnea trans fluenta Iordanis; traduntque ibi fuiſſe domum Iob. Sed & ſupra meminimus Carnea viculi in nono ab Ælia milliario.*

Nomen Batanææ ad vocabulum Baſan alludit; Cujus regni rex fuit Og, de reliquiis gigantum, cæſus ab Iſraelitis, terram occupantibus. Si fuit in ſupercilio Sodomorum id eſt montibus illi tractui imminentibus Aſtaroth, ea huc non pertinet; quia eo non pertinet vocabulum Carnaim. Deinde, quia illi gigantes Moabitidis vocantur Emim diſcriminante vocabulo. Aſtaræ duæ in Batanæa propè Carneam huc pertinent. Nam tractus ille dictus eſt Aſtharoth Carnaim, duobus vocabulis in unum conjunctis, quia &

Aſtha-

Aſtharoth & Carnaim, complectebatur. Inter Abilam & Adram iſta duo caſtella ſita erant & uicus prægrandis Carnea. Gigantes, qui in hoc terrarum tractu habebant ſub adventum Abrahami in Canaan, dicti fuerunt Rephaim. Hi proximi invaſioni regum primum impetum ſenſerunt, hinc progreſſi Zuzim in Ham percuſſerunt, inde Emim afflixerunt in Moabitidos tractu. Sic victoria prior inſtrumentum ſequentis erat. Nam & Horæos percuſſerunt in monte Seir. Quomodo univerſum illum montium tractum à Libano ad campeſtria Pharan ſubegerunt. Gigantium populi hac clade ad paucitatem redacti ſunt & pene deleti, præcipue Emim & Zuzim, quorum terræ penè vacuæ Ammonitis & Moabitis ſedem præbuerunt. Horæi etiam imminuti valde poſteris Eſau ad reſiſtendum fuere impares. Patet igitur Ham fuiſſe intermedio loco inter Baſan & Moabitin ſive Save Cariathaim. Unde non abludit à vero, quod Hebræi dicunt Zamzummim & Zuzim eoſdem eſſe. Zuzim in Ammonitarum regione id eſt illis montibus coluerunt inter Baſan & Save, eorum reliquiæ Zamzummim Ammonitis vocitatæ ſunt. Hieronimus: *Save civitas antiqua, in qua habitarunt Ommai, gens valida, ſuper regionem Sodomæ, quam excidit Chodorlaomor.* Iterum: *Cariathaim civitas, quam exſtruxerunt filii Ruben. Nunc autem eſt vicus Chriſtianus omnibus florens juxta Medabam, urbem Arabiæ. Et appellatur Caraiatha in decimo milliario ſupradicta urbis,* contrà occidentalem plagam, vicinus ejus loci qui appellatur Bare. Hæc omninò conveniunt. Et hæc conveniunt cum Joſepho, qui ſcribit *Οὗτοι τὴν Συρίαν ἅπασαν διηρπάκασι καὶ τοὺς τῶν γιγάντων ἀπογόνους κατεστρέψαντο.* Vel enim Syriæ terminis includit Gigantum habitationem vel ſic excludit, ut oſtendat extra Cananææ terminos fuiſſe.

En miſphath id eſt Cades] Hieronymus: *Cades, ubi fons eſt judicii & Cades barne in deſerto, quæ conjungitur civitati Petræ in Arabia. Ibi occubuit Maria & Moſes rupe percuſſa aquam ſitienti populo dedit. Monſtratur ibidem uſque in præſentem diem ſepulchrum Mariæ. Sed & principes* Amalech ibi à Chodorlaomor cæſi ſunt. Deſertum Cades etiam vocatur Sin. Diſtinguendum eſt inter סין & צין, ut patet Numerorum 33. verſu duodecimo & trigeſimo ſexto inter ſe collatis. צין & Cades unum ſunt. Ex illa ſolitudine Cades Iſraelitæ profecti ſunt ad montem Hor הר; qui erat terminus Idumææ. צין ſive קדש deſertum terminus inter meridiem & orientem erat regni Iſrael. Id deſertum hodie vocatur Al Hiſeth ſi ſtandum Andreæ Maſio, qui alibi docet deſertum Ægypti ita vocari. Campi ſeu ſolitudines campeſtres duæ claudunt auſtralem terminum Judææ, inter quas procurrit Montana regio Idumææ. Ad orientem eſt Cades, ad occaſum Pharan, quarum ſolitudinum frequens in ſacris literis mentio eſt. Memorat autem hoc in loco Moſes cæſis Horæis, qui Seir montem incolebant, reges orientis perveniſſe ad campum Pharan, qui verſus Ægyptum eſt; hinc autem converſo in orientem curſu regredienteſque percuſſiſſe eos, qui colebant terram poſtea ab Amalecitis habitatam.

Aliquam etiam partem Amorrhæorum afflixerunt, vicinam valli Siddim. Nam Haſaſon-thamar ut Maſius docet eſt vel ipſa Engaddi vel ei vicinus locus. Cui ad auſtrum deſertum Cades adjacet, ad occaſum Maon. Hinc victoriarum curſu delati ſunt in vallem Siddimorum, congreſſique cum Pentapolitanis regibus, quibus infeliciter ſuppetias ferebat Lot, Abrahami ex fratre nepos, eos vicerunt. Tum Sodomis Gomorrhiſque direptis ſpoliis onuſti univerſam illam campeſtrem regionem (quam vocant ככר הירדן peragrarunt uſque Dan. Ubi eos noctu adortus eſt cum ſuis fœderatis Abraham

caſtriſ-

caſtriſque occupatis & præda exutos prædones perſecutus eſt ad vicina Damaſci. Illuſtres illæ Chodollogomori (ſic enim vocat Joſephus) victoriæ illuſtriorem reddunt Abrahami triumphum.

SULPITII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBER PRIMUS.
Caput Sextum.

Per idem tempus Abræ Dominus locutus eſt multiplicandumque ſemen ejus, ſicut arenas maris ſtellaſque cæli ſpopondit: peregrinumq; ejus ſemen prædictum futurum, ac poſteros in hoſtili ſolo per quadringentos annos laturos ſervitium, poſtea libertati reſtituendos. Tum ei atque uxori ejus, adjectione unius literæ nomen immutatum: ita nunc ex Abram Abraam, ex Sara Sarra dicitur. Cujus quidem rei non inane myſterium non eſt hujus operis exponere. Eodem tempore Abraæ ex circumciſionis impoſita eſt. Erat ei autem ex ancilla filius Iſmael. Et cum ipſe eſſet annorum centum, uxor autem ejus nonaginta, futurum eis filium Iſaac Dominus pollicetur, qui cum duobus angelis ad eum venerat. Inde Sodomam miſſi angeli Lot in porta ſedentem reperierunt. Quos cum ille homines exiſtimans, hoſpitio receptos cænatoſque domi haberet: juventus improba ex oppido novos hoſpites ad ſtuprum flagitabant. Lot pro hoſpitibus filias offerens, non acquieſcentibus, quibus illicita potius deſiderio erant, ipſe ad ſtuprum trahebatur. Quem angeli propere ab injuria vindicantes luminibus impudicorum cæcitatem offuderunt. Tum Lot ab hoſpitibus edoctus perdendum oppidum, propere cum uxore & filiabus eſt egreſſus: interdictum tamen eis eſt ne retrorſum conſpicerent. Sed mulier parum dicto audiens (humano malo, quo ægrius vetitis abſtinetur) reflexit oculos, ſtatimque in molem converſa traditur. At Sodoma divinis ignibus conflagravit. Lot autem filiæ, exiſtimantes humanum genus interiiſſe, concubitum inebriati patris appetierunt: unde Moab & Ammon nati ſunt.

Drusius.

In Hostili Solo] potius, *in peregrino ſolo.* Nam intelligit Chananæam & Ægyptum. Chananæi autem eo tempore non hoſtes ipſorum erant ſed hoſpites.

Per

Per quadringintos annos) tempus iſtud incipit a nato Iſahaco, qui anno ætatis ſexageſimo genuit Jacobum. Jacob autem, cum Ægyptum intraret, agebat annum centeſimum & trigeſimum. His adde annos ducentos decem, quibus fueruut in Ægypto; en numerum, quem hic Severus ponit, & qui habetur, Gen. 15. 13.

Ex Abram, Abraam] ita correximus. Nam & in editione Græca Ἀβραάμ: & in Abraham, quod in antea vulgatis, adjectio eſt duarum litterarum non unius, Correctionem noſtram firmat Hiero. ita ſcribens, *nec mirandum quare non apud Græcos & nos à littera videatur addita, nos he litteram Ebraam additam diacrimus. Idioma enim linguæ illius eſt per he quidem ſcribere ſed per à legere ſicut è contra à literam ſepe per he pronuntiant.* Vide quoque Juſtinum diſputatione cum Trophone Judæo, pag. 109.

Ex Sara, Sarra dicitur] prius erat ex Sarai Sara: ubi non adjecta litera, ſed ablata. In Ebræis codicibus lirtera cum littera commutatur videlicet Jod in שרי cum he quod in שרה. Sed noſter abſque dubio Græcos ſecutus eſt, in quorum libris Gen. 17. 15. *σαρὰ ἡ γυνή σου οὐ κληθήσεται τὸ ὄνομα αὐτῆς σαρα, σάῤῥα ἔσται τὸ ὄνομα αὐτῆς.* Sara uxor tua, non vocabitur nomen ejus Sara, Sarra erit nomen ejus. Adhibe nunc Quæſita mea, Epiſt. 7.

Non Inane Mysterium] Inane myſterium dicit quod caret ratione. Ea peti debet è ſcripturâ Ebraicâ. Quanquam ſunt qui alterum *ῥῶ* adjectum exiſtimant in *σάῤῥα*, ad ſignificandum annum. Abrahæ centeſimum quo filium genuit ex Sara uxore vetula, Nempè nonagenaria, ſed, ut dixi, nullum eſt *ῥ* in Ebraiſmo. Quocirca alia ratio quærenda eſt. Hieronymus quæſtion. In Geneſin, *Errant qui putant primum Sara per unum R. ſcriptum fuiſſe, & poſtea ei alterum R. additum, & quia R. apud Græcos centenarius numerus eſt multas ſuper hoc nomine ſuſpicantur ineptias: cum utique, utcumque volunt ei vocabulum commutatum, non Græcam, ſed Ebraam debeat habere rationem: Ebraum enim eſt. Nemo autem in altera lingua quempiam vocans, Etymologiam vocabuli ſumit ex altera. Sarai igitur primum vocata eſt per Sin, Res, Iod. Sublato igitur Iod, id eſt, I elemento, addita eſt He litera, quæ per A legitur & vocata eſt Sara. Cauſſa autem ita nominis immutati hæc eſt, quod antea dicebatur princeps mea, unius tantum domus materfamilias: Poſtea vero dicitur abſolutè princeps, id eſt, ἄρχουσα. Sequitur enim, dabo tibi ex ea filium & benedicam ei, eritque in gentes & Reges populorum erunt ex ea. Signanterque in Ebræo habetur, non vocabis nomen ejus Sarai, Id eſt, non dices ei princeps mea es: omnium quippe gentium futura jam princeps eſt. Quidam peſſime ſuſpicantur ante eam lepram fuiſſe vocitatam, & poſtea principem: cum lepra Saraath dicatur, quæ in noſtra quidem lingua videntur habere aliquam ſimilitudinem, in Ebræo autem penitus diverſa ſunt. Scribitur enim per Sadic, Res, Ein & Thau: quod multum à ſuperioribus litteris, quibus Sara ſcribitur, diſcrepare manifeſtum eſt.* Videndus & Albinus quæſtionibus in Geneſin.

Filius Ismael] tredecim annorum, unde Iſmaelitæ ante decimum tertium annum neminem circumcidunt. Conſulendus hac de re Joſephus.

Annorum centum] nonaginta novem. Gen. 17. 24. & mox pro nonaginta octoginta novem. Nam tunc promiſſio facta eſt. Quamobrem cum hæc ſcriberet Sulpicius, aut memoria lapſus fuit, aut in mente habuit dicereque voluit futurum eis filium cum ipſe eſſet annorum centum & uxor ejus nonaginta. Anno enim poſt promiſſio completa fuit.

Futurum ei filium Isaac] locus eſt Gen. 18. 10. quid hic

ſibi velit Sigonius neſcio. Nam cum apparuit in convalle Mamre tum comites habuit duos angelos. Eodem tempore hæc promiſſio facta Gen. 17. 18. & 21.

INDE SODOMAM MISSI ANGELI] duo: quorum unus Sodomam delevit, alter Lotum eduxit cum uxore & filiabus, Tertius enim legatione ſua functus evanuerat. Dicunt autem unum Angelum non obire duas legationes. Quod verum an falſum ſit aliis diſcutiendum relinquo.

CÆNATOS] cæna exceptos Gen. 19. 3. *fecit illis convivium*, id eſt, συμπόσιον, quod LXX hic πότον dixerunt. Sic Athenæus libr. 4. ὅταν ὁ βασιλεὺς πότον ποιῆται. Mox ſequitur, *& coxit azyma*, id eſt, panes azymos ſive infermentatos. Nam hi panes paratu faciles ſunt. Conſuluit ergò hoſpitibus ex via feſſis, ut tanto maturius cubitum irent & ſe quieti darent. Cœnatus, qui cœnavit, ut pranſus, qui prandit.

JUVENTUS IMPROBA] tam ſenes quam juuenes, id eſt, νεανίσκοι, ut eſt in edit. τῶν LXX.

AB INJURIA VINDICANTES] nempe, veriſſimum eſt illud Comici, *In bono hoſpite atque amico quæſtus eſt quod ſumitur*.

COECITATEM] ἀορασίαν, ut ſi *avidentiam* dicas, inquit Auguſtinus quæſt. 43. quando non videmus quod opus eſt aut quod quærimus. Talis cœcitas, teſte Nicolao, ἀκρασία etiam dicitur. Impedit enim viſum, quo minus res objectas diſcernere poſſit. Sed forte legendum ἀορασία, quam vocem & alii cœcitatem interpretantur. Vide ſi vis editionem Romanam.

HUMANO MALO QUO ÆGRIUS VETITIS ABSTINETUR] ſupra, *quibus illicita potius deſiderio erant*. Seneca Oetæo, *Illicita amantur, excidit quicquid licet*. Ovidius. *Nitimur in vetitum ſemper cupimuſque negata*, Et, *Cui peccare licet, peccat minus*.

MULIER] ἡ γυνὴ, id eſt, uxor Loti.

REFLEXIT OCULOS] urbem verſus, LXX. ἐπέβλεψεν εἰς τὰ ὀπίσω, reſpexit retrorſum. Veritas Ebraica, reſpexit poſt eum, videlicet Lotum. Quod in vulgata noſtra perperam verſum, poſt ſe. Quanquam utrumque ſimul verum eſſe poteſt.

IN MOLEM CONVERSA TRADITUR] Gen. 19. 26. *& fuit ſtatua ſalis*. Græcè eſt σήλη ἁλὸς. Ebraicè autem נציב, unde Niſibis, quæ & Neſebis & Naſebis. Sic interpretatur hoc nomen Philo Byblius, ut eſt apud Stephanum de urbibus. Statuam autem alii cumulum, alii columnam vocant. *Diſtat à mari Sodomeno duabus leucis, conſtatque adhuc cumulus ille*, ait Benjamin in Itinerario, *qui à gregibus aliquando lambendo diminutus denuò ad priſtinam creſcit molem*. Thargum Jeroſolymitanum: *Quià uxor Lot erat ex filiabus Sodomæ reſpexit poſt ſe, ut videret, quid tandem eventurum eſſet Domui patris ſui: & ecce ipſa ſtetit* (id eſt, manſit) *columna ſalis, duratura uſque ad tempus illud quo reviviſcent mortui*.

SODOMA CONFLAGRAVIT] Petrus Galeſinius Theologus Sodomæ nomine comprehendi ſcribit quatuor alias urbes, quæ eodem igne conflagrarunt nempè Gomorram, Adama, Seboim & Segor. De tribus aſſentior, de quatuor non item. Siquidem oppidulo Segor parcitum fuit ad preces Loti, Gen. 19. 21. Quanquam video eſſe, qui credant poſtea everſam fuiſſe, cum videlicet Lot, ea relicta (non enim audebat ibi manere) in montem quendam vicinum ſe recepiſſet, ſed hoc quoque in dubio eſt. Nam inter eas urbes, quæ una cum Sodoma perierunt, non recenſetur Segor. Deut. 29. 23. Adhuc legimus apud Joſephum Orig. lib. 5. cap. 5. Longitudo lacus 130.

ſtadiis

ſtadiis patet, qui ad Zoar uſque Arabiæ tenditur. Salmanticenſis, *Quum circumcideretur Abraham agebat annum 99. tunc fuit everſio Sodomæ, qui erat 51. annus à diluvio, proximus 52. anno. Verum Soar ſive Segor anno uno habitata fuit poſt habitatam Sodomam. Et hoc eſt quod in Geneſi dicitur, Evadam nunc, id eſt* נא, *quod in numeris valet 51. prout eſt capite primo in tractatu de Sabbatho.*

Divinis Ignibus] Quibus admixta erant ſulphur & ſal, Deut. 29. 25. Quare ſal? An ad ſterilitatem terræ conciliandum? videtur. Sulphur autem ignem, qui natura levis eſt & ſurſum fertur gravitate ſua in terram deprimebat.

Existimantes Humanum Genus Interiisse] Maxima enim natu dicebat alteri, *vir non eſt in terra qui congrediatur nobiſcum.* Gen. 19. 31. Unde colligitur verum eſſe quod de Segor quidam ſuſpicantur. Nam ſi non conflagraverat, utique ſciebant ibi homines eſſe quibuſcum congredi poſſent. Omnino exiſtimabant (verone an falſo novit ille qui omnia) humanum genus in illis locis interiiſſe.

Moab] Unde genus ducunt Moabitæ. Dictus Moab, ut vulgò exiſtimant, quia è patre natus, quod eſt מֵאָב Meab. niſi verior interpretatio *Moab, aqua patris.* Mo enim in lingua Ægyptiorum aquam ſignificat: quæ vox uſurpatur quandoque in re venerea, ut ubi legimus, *ab aqua aliena abſtine.* Quo pertinet & illud, *Aqua furtiva dulcior.*

Ammon] Gen. 19. 38. Græci codices variant. Nam in uno eſt Ἀμμὼν & in aliis Ἀμμὰν, ut paulo poſt Ἀμμανιτῶν, qui & Ammonitæ dicuntur. Hieronymus, *Ammon ipſe eſt pater Ammonitarum.* Quæ omnia ſuſpecta reddit ueritas Ebraica, in qua *Ben-ammi*, id eſt, filius populi mei (υἱὸς τοῦ γένους μου LXX.) *Et pater filiorum Ammon.* Ab his Amonitæ, id eſt, עַמּוֹנִים diſtinguuntur. Qua de re dicemus aliàs, ſi Deus voluerit.

Schotanus.

Hac ſectione continetur promiſſionis quarta repetitio in cap. xv. Gen. Iſraelis ortus cap. xvi. circumciſionis fœdus cap. xvii. Sodomorum conflagratio cap. xviii. xix.

Cap. xv. Dominus Locutus Est] Deus locutus eſt Abrahamo: במחזה id eſt ut explicat Ralbag: במראה הנבואה: *in viſione.* Vidit oblatas ſibi rerum ſpecies & Deum ſub certa ſpecie. Calvinus: *Hebraicus textus habet,* ארני יהוה (nempe ſic excepit Abraham Domini prima verba) *Ex quo colligitur, notam aliquam divinæ gloriæ inſculptam fuiſſe viſioni, ut Abram nihil de authore ambigeret. Nam quum mirus fallendi artifex ſit Satan ac tot præſtigiis ſub Dei nomine illudat: certum ac notabile diſcrimen conſtare oportuit veris ac cæleſtibus oraculis, quæ ſanctorum patrum fidem ac mentem fluctuare non ſinerent. Ergo in viſione cujus ſit mentio, patefacta fuit Abræ Dei majeſtas, quæ ad fidei ejus certitudinem ſufficeret.* Non quod Deus qualis eſt apparuerit, ſed quatenus capi poterat humano ſenſu. Sic Calvinus. Quia in viſione Deus Abrahæ apparuit, hinc colligimus θεοφάνειαν, qua ſe Moſi oſtendit, longè fuiſſe luculentiorem & alterius modi, quam qua patriarchis. Sed de hac re ſuo loco. Hæc viſio & repetitio promiſſionis ſublimior eſt prioribus oraculis. Nam 1. præfatione quadam magnitudinem & amplitudinem rerum promiſſarum & boni inde evenientis communi complexu prædicat. 2. definite explicatè lumbis Abrahami proditurum eſſe ſemen. 3. definitè tradit quam terram & quod hæreditaturum eſſet ejus ſemen. 4. utrumque firmat ſymbolis. Communis propoſitio: *Ne metuas Abram, Ego ſcutum tibi, merces*

ces tua magna valde. Hic interpretes laborant de cauſa impulſiva alloquii Divini, quia dicit *Ne metuas.* Joſephus: Ἐπαινέσας δὲ αὐτοῦ τὴν ἀρετὴν ὁ Θεὸς, ἀλλ' οὐκ ἀπολεῖς, φησὶ, μισθοὺς, οὓς ἄξιόν ἐστιν ἐπὶ ταύταις εὐπραγίαις κομίζεσθαι. Quaſi fortitudine bellica Deus delectatus Abraham prœmium pollicitus fuerit. Calvinus: *Videri poſſet rebus lætis & ex voto fluentibus ſupervacua fuiſſe hæc viſio, præſertim, quum Dominus ſervum ſuum quaſi triſtem ac metu afflictum bono animo eſſe jubeat. Ideo quidam divinant Abram reverſum à liberatione ſui nepotis aliquo incommodo fuiſſe affectum, cujus nulla fit à Moſe mentio.* Ipſe Caluinus, quia nihil tale conjicere licet ex verbis Moſis, aliam potius cauſam fuiſſe ſentit. Potuiſſe enim varias cogitationes in ejus animum ſubire. Chedorlaomer ejuſque ſocios prælio devictos quidem eſſe, provocatos tamen, ut poſſent collectis novis copiis & refectis viribus rurſus terram Chanaan aggredi. Nec ejus periculi metu vacuos incolas fuiſſe. Deinde, ut rara felicitas comitem fere invidiam ſecum trahit, multis fortè ſermonibus obnoxium fuiſſe Abraham, poſtquam victorem exercitum reduxerat in Cananæam. Siniſtram etiam ſuſpicionem oriri potuiſſe, forent mox vires ſuas, quas expertus erat adverſus exteros reges, in vicinos ſuos & hoſpites converteret. Ita honori fuiſſe victoriam; ſed formidabilem & ſuſpectum multis reddidiſſe, ac odia confeciſſe, quum ſibi quiſque illius ſucceſſu periculum fingeret. Agnoſcit etiam conjecturam hanc adeò firmam non eſſe, ut contrario vitio occurrere voluiſſe Deum videri poſſit. Verba Calvini: *Poterat enim Abram victoria elatus, ſuæ vocationis obliviſci, ut principatum ſibi acquireret & vita erratica aſſiduaque vexationis tædio appeteret meliorem fortunam & quietum vitæ ſtatum. Et ſcimus, quam proclive ſit hominibus ſecundæ & ridentis fortunæ blanditiis ineſcari. Anticipat ergò Deus & priuſquam ſancti viri mentem occupet illa vanitas memoriam illi renovat ſpiritualis gratiæ, ut illic penitus acquieſcens reliqua omnia deſpiciat.* Priorem tamen conjecturam & inde probabiliorem exiſtimat, quia verbum hoc, *ne metuas*, perinde ſonat quaſi mœrentem ac ſolicitum Deus conſolatus ſit. Breſith Rabba allegante R. Salomone, dicit: Abrahamus poſt cædem regum היה דואג ואומר שמא קבלתי שכר על כל צדקותי *Solicitus erat, cogitando fortaſſis mercedem recepi propter omnes juſtitias meas.* Solatur eum Deus promiſſo hoc, *Ego Clypeus tuus & merces tua. Clypeus*, id eſt defenſaculum adverſus incurſus, ictus, periculæ. *Merces* id eſt prœmium laborum, dolorum, moleſtiarum. Proinde Theologiæ Abrahami hæc eſt methodus & ratio, Summum bonum quod hic habere poſſumus quodque ſuppeditat doctrina Euangelii eſt Conſolatio: quæ nititur hoc promiſſo, *Ego Clypeus & merces.* Raſi dicit clypeum notare quod Deus ipſum eſſet defenſurus ne pœnam daret ob cædem regum. Mercedis vocabulo, quod præterea donaturus eum eſſet largiſſimè. Aben-Eſdras: *Ego fui tibi clypeus & eripui te è* poteſtate regum, etiam dabo tibi mercedem שנרבה רוחך להושיע בן אחך בכתי מעט ונשענת עלי Sic Judæi omnia trahunt ad terrenas benedictiones, quaſi Abrahamo nil ultra illa aut in illis promiſſum fuerit. Nam & Ralbag ita: *Dicit, quod poſt illas res Deus locutus ſit ad Abram in viſione prophetiæ & dixerit ad ipſum: Ne metuas Abram quod occurſura tibi ſit iniquitas in eo, quia ſunt mali & peccatores. Nam ego ſcutum tuum ſum ad Cuſtodiendum te ab omni malo. Nec ſatis eſt, quod non attingat te pœna, in eo quod feciſti, ſed erit Tibi merces à me magna valde, quoniam ditabo te divitiis magnis pro eo quod dediſti regi Sodomorum in honorem meum: ut ne diceret ſe ditaſſe Abramum. Et jam docebit quod hæc merces ſita ſit in poſſeſſionibus, quia jam dicit Abram ad Dominum ſuper hoc dicto, Ecce filius domus mea hæreditabit mihi* &c. Excipit Abra-

braham ad iſtam promiſſionem mercedis: *Domine Deus, quid dabis mihi. Nam ego vado orbus* ובן משק ביתי הוא דמשק אליעזר. Etiam dixit, *Mihi non dediſti ſemen & ecce filius domus mea hereditabit mihi.* Ralbag docet quod merces illa quæ Abrahamo hic promiſſa eſt, non pertineat ad futurum ſeculum, idque duabus rationibus. Harum prima eſt, quod argumentetur ſibi nil profuturam eſſe eam mercedem, quia verna ſuus eam accepturus & hæreditaturus eſſet poſt ſe quoniam ipſe liberis careret. Altera, quod merces futuri ſeculi tantum eveniat dignis. Atqui hæc poterat evenire indignis, quod abolitur Abram. Verba ejus: וכבר יורה שזה השכר הוא בקנינים כי כבר אמר אברם אלי יי׳ על זה המאמר והנה בן ביתי יורש לי ועוד שאין ראוי שיבטיחהו הש׳ על שכר עולם הבא כי השכר ההוא הוא מחויב שיגיע למי שראוי לו וימנע מהבלתי ראוי לו:

Abrahamum argumentari adverſus promiſſionem opum ut non convenientem; *Quid dabis mihi de poſſeſſionibus: Ecce vado orbus ſine liberis & præfectus* (המכונה) *Domus mea eſt Eliezer, qui eſt è Damaſco eſtque è maledicto ſemine Canaan. Ideo non quadrat mihi evenire hanc benedictionem in poſſeſſionibus, quia nulla mihi erit utilitas* (והלוקח תולעת בה) *quique inde utilitatem tracturus eſſet, hic eſt Eleiezer, qui non eſt dignus benedictione. Cum igitur res ſe ita habeat, non convenit ut mihi beneficium hoc præſtes. Porro dixit Abram: Quod ſi me hoc genere beneficii affeceris, quid mihi inde emolumenti erit*: Ecce enim filius domus meæ hæres meûs erit, quia mihi non dediſti ſemen? Duas igitur rationes Abrahamo tribuit amoliendi hanc benedictionem quia Eliezer præfectus domus inde plurimum emolumenti eſſet habiturus; quia hæres futurus eſſet verna ſuus. הוא דמשק interpretatur איש דמשק, quemadmodum, ותחזק מצרים על העם למהר לשלחם שהרצון בו אנשי מצרים: Et urgebat Ægyptus ſuper populum, feſtinando ad dimittendum eos: ſignificat, viri Ægypti, Exod. XII. 33. Exemplum hoc eſt diſſimile, quia aliud de uno homine. Thargum etiam Damaſcenum fuiſſe putat. בן משק ביתי alludit ad vocem דמשק. בן משק reddunt ממונה/ ut משק ſit שקק *diſcurrere*, quia huc & illuc ad negotia diſcurrit, qui amplæ domus curam ſuſtinet. Alii à שוק deducunt, vertuntque pocillatorem. Calvinus putat deduci à משק, quaſi filium derelictionis dicas. *Quanquam*, inquit, *non intelligo ſic dici, cui omnia relicturus ſit Abram: ſed quia non alibi reſiduam ſpem habeat. Perinde eſt (meo judicio) ac ſi vocaret filium orbitatis: quia hoc deſerta & ſterilis domus teſtimonium erat hereditatem ad hominem extraneum devolvi, qui locum vacuum & derelictum occupet.* Quidam משק volunt eſſe nomen matris Eliezeri. Non dubitatur, quin דמשק ſit gentile patriæ nomen: ſic procuratorem domus notari eruditiſſimi interpretes magno conſenſu volunt: at בן משק filius procuratoris, Vulgatus Aquila & Theodotio verterunt: Aq. ὁ υἱὸς τοῦ ποτίζοντος τὴν οἰκίαν μου; Th. ὁ υἱὸς τοῦ ἐπὶ τῆς οἰκίας μου. Druſius utrumque Chaldæum in illam verſionem putat convenire: verum lapſus eſt. Nam בן פרנסת ביתי & בר פרנסא, (quomodo Chaldæi reddunt) ſignificat procuratorem non filium procuratoris. Vulgatus habet: *Et filius procuratoris domus mea iſte Damaſcus Elieſer.* Lyra dicit Eliezeris filium Damaſcum vocitatum & ab eo Damaſci urbis nomen eſſe. Unum in utroque verſu, ſecundo & tertio notari, docti interpretes exiſtimant adverſus Ralbag ſignificat igitur Abram, Damaſcenum Eliezerem ſuum hæredem fore. Raſi teſtatur quod ſecundum Midras Aggada ſic dictus eſt quod reges uſque Damaſcum perſecutus ſit. Veroſimilius eſt fuiſſe origine Damaſcenum. *Græci & Hieronymus* (verba ſunt Merceri) *putarunt totum illud ſimul* Dammeſec Eliezer, *nomen proprium ſervi Abrahami fuiſſe, à quo Damaſcus nomen acceperit urbs & regio Syriæ. Ego Eliezer tantum nomen ejus fuiſſe crediderim cum*

omnibus Hebrais excepto Aben-eſdra, qui repetit Ben filius Dammeſec quod alii patris ejus alii matris nomen fuiſſe volunt. Ego patris ejus nomen puto quod inde eum habuerit Abraham vel quod inde eſſet oriundus &c. Item Graci משק *nomen proprium putarunt filius Maſec vernacula mea. Sed rectius nomen eſt ſubſtantivum ut verti,* filius diſcurſationis. *Sic & hodie Hebrai procuratorem œconomum ſeu diſpenſatorem appellant.* Sic Mercerus, accedens illis, qui deducunt à שקק. Nam Grammatica ſuadet משק à שקק ut מכס כסס. Aquila & Raſi à שקה minus rectè.

I. In hac reſponſione Abrahami primò occurrit vocabulum יהוה cum punctis nominis אֱלֹהִים. Rivetus: *Sed compellat Deum duobus nominibus, cujus majeſtatem in illa viſione contemplabatur: & hic primus eſt locus, ubi conjungitur nomen* Adonai *cum nomine tetragrammato, quod cum ſeparatum aſſumat nominis* Adonai *puncta & per illud à Iudais legatur, pracedente Adonai aſſumit puncta nominis* Elohim *& per illud legitur. Quod argumento eſt puncta, quibus ordinariè notatur, non eſſe illi propria.*

II. Calvinus: *Sed parum modeſte ſe gerere videtur, qui tam magnifica promiſſione poſthabita, de orbitate conqueritur & Deo obſtrepit, quia nullum hactenus dederit ſemen. Quid optabilius fuit, quam recipi in Dei tutelam & ejus fruitione beatum eſſe? Parum igitur verecunda videtur objectio, dum Abraham, quaſi oblatum illud ſibi quaſi incomparabile bonum parvi faciens, non acquieſcit, donec ſobolem habeat. Sed excuſari primum poſſet Abra libertas, quod curas, quibus angimur & moleſtias, quibus gravamur, in ſinum ſuum effundere Dominus permittit. Deinde conſiderandus eſt finis querimonia, neque enim ſimpliciter ſolitarium ſe eſſe docet: ſed quia omnium promiſſionum effectus à ſemine pendebat, non immeritò tam neceſſarium pignus dari ſibi poſtulat* &c. Deinde*: Tribuit quidem Abra Moſes affectum, qui naturaliter omnibus inſidet: ſed hoc non obſtat, quin altius ſpectarit, dum tantopere haredem appetit ex ſe progenitum. Et certè non exciderant ejus memoria promiſſiones illa,* Semini tuo dabo terram hanc. *Item,* In Semine tuo benedicentur omnes gentes*: quarum prior ſic reliquis omnibus annexa erat, ut ſublata illarum fidem labefactaret: poſterior vero totum gratuitum ſalutis pignus in ſe continebat. Ideò rite Abram quacunque promittit Deus, illic includit.* Senſus eſt, quemadmodum ſine liberis in vanum cumulantur & relinquuntur opes, præcipue ſi extraneis relinquendæ ſint ita nulla erat promiſſionum omnium vis, cadebantque in nihilum, ſine ſemine illo benedicto. Objicias mihi, An Abraham non crediderit promiſſionem illam, *Semini tuo dabo terram hanc?* In hac eſt expreſſa & diſerta ſeminis mentio. *Si crediderit, quomodo conſiſtit, quod dicit*, Filium domus ſuæ hæredem ſuum fore? Deus per gradus promiſſionem evolvit & elucidavit: Primo oraculo dixerat ſe ipſum facturum eſſe in gentem magnam. Hoc non elucidat, ſitne illa gens è ſeminio ipſius futura, an è famulitio procreante ſobolem in ædibus ipſius. Secundo & tertio oraculo ſemen diſerte promittit, quod non potuit aliunde, quam ex Abrahami corpore progigni. At necdum definite ſciebat, Anne Deus id ſemen procreatione naturali ex ipſo eſſet educturus, an è mortui corpore ſuſcitaturus. Deum enim omnia poſſe tenebat. Quemadmodum immolaturus Iſaac è Dei juſſu, credidit, teſte Apoſtolo, Deum ex cineribus Iſaac poſſe ſobolem ſuſcitare. Definierat enim jam Deus, *In Iſaac ipſi vocandum eſſe ſemen.* Hac mente poterat dicere, Quid mihi dabis, quoniam Eliezer ejuſque filius mihi hæredes erunt, cum fortaſſe poſt ſecula aliquot mihi ſis ſuſcitaturus ſemen, poſtquam emortuus non tantum ſed & in pulverem redactus fuero. Sic etiam accipi poteſt, quod Abram definite quidem ſciverit, quod Deus ipſi natura-

liter

liter ſemen daturus eſſet, ſed longæ dilationis tædio ſic locutum eſſe: Tempus ut mihi des, dies mei conſumuntur & eunt in finem, juxta omnem apparentiam, ſine liberis moriar, ut ſervus mihi hæres fiat. Qua ratione cum diffidentia luctatus eſt. Muſculus ut nimius videtur eſſe in reprehendenda abnegatione uxoris, ad cap. XII. ita in hoc loco verba Abrahami impatientiæ accuſat & tanquam ab ingenio carnis profecta. Ejus diſcurſum contractè exhibeamus: *Quid enim*, inquit, *aliud erat, quod dicebat.* Domine Deus, quid dabis mihi, ego morior ſine liberis, *quam Nihil moror omnia, quæ vel das vel dare poteris, niſi ſemen accepero? Hoc videlicet eſt ingenium carnis, quæ niſi acceperit, quod impense affectat, flocci facit omnia, tam terrena quam cæleſtia, uſque adeò ut ſi Deus ipſe ſe in ſinum illius, cum univerſo ſuo cælo effundat, cupiditati illius, haudquaquam ſatisfaciat. Sic reperias multos, quibus ipſa vita moleſta eſt, propterea, quod non aſſequuntur, vel quod amiſerunt, quod impenſius affectant, ſine quo nec præſentia nec futura placent: Eſt autem hujuſmodi ingenium carnis exuendum &c. Et illud ad ingenium carnis pertinet, quod dicit*: Et mihi non dediſti ſemen. *Non potuit dicere*: Et mihi non dabis ſemen. *Et tamen, quod ad id uſque temporis nullum ſemen acceperat perinde ipſi videbatur, ac ſi prorſus nullum eſſet accepturus unquam. Sic ſolet caro: quæ aliquandiu differuntur, in univerſum negari putat. Atqui non determinaverat illi Deus certum aliquod tempus quo daturus eſſet ſemen, ultra quod non daturus eſſet amplius* &c. *Simul & illud obſerva: Non ſimpliciter dicit*, Domine Deus, quid dabis mihi? Morior ſine liberis, non dediſti mihi ſemen: *ſed immiſcet de procuratore ſuo & palam Deo opprobrat, quod illi filium dederit, ſibi non dederit.* Procurator domus meæ, *inquit*, filium habet. *Sic caro, & invidula eſt ergà proximi fortunas & opprobratrix ac querula ergà Deum. Invidebat procuratori filium, ipſe ſterilis expoſtulabat cum Deo, quod ſibi negaſſet, cujus compotem feciſſet ſervum.* In his tribus defectibus peccatum Abrahæ conſiſtit juxta ipſum. Inculpabilem & naturalem fuiſſe affectum habendæ prolis germanique hæredis, naturæ noſtræ ſingulari providentia Dei inſitum, quem neque ſcriptura damnat, neque vera pietas tollit. Corruptorum fuiſſe affectuum, quod omnem Divinæ gratiæ benevolentiam in iſta tentatione ſuſque deque faciebat, propterea quod ſemine hæreditario deſtituebatur & quod indignè ferebat procuratoris ſui fortunam ac cum Deo illius gratia expoſtulabat. Interea tamen cavendum eſſe ne iſtas circumſtantias in Abrahamo perinde atque in reprobis damnemus. Loqui Abrahamum Deo reverenter inque ullius ſinum & conſpectum tanquam amici. ea, quæ contriſtabant, effundere familiariter, ad morem eorum, qui amicis integro corde animi ſui mœſtitiam communicant & amice cum illis expoſtulant, qualia in verbis Moſis & prophetarum multa leguntur. Calvinus autem nihil hic culpabile reperit. Ex eo autem quia Deus voto annuit, ita infert: *Hinc colligimus probatum fuiſſe Deo votum Abra. Unde etiam ſequitur illud alterum, non carnis affectu impulſum fuiſſe Abram ad hanc precationem, ſed pro ſanctoque benedictionis, quæ promiſſa erat, fruendæ deſiderio.*

III. Quidam ſic verba Abrahami interpretantur, quod ſemen promiſſum non potuerit diſtinguere fueritne in mente Dei promiſſionis naturale an adoptivum. Eoque quia videbat Loto fratris filio nullam eſſe prolem maſculam, de Eliezere mancipio adoptando cogitaſſe. Hæc ſolutio non videtur ſatisfacere, quia ſemen non videas poni pro adoptiva ſobole aut poſteritate. Sit igitur affectus habendæ ſobolis includens ardentiſſimam precationem.

Deus Abrahamo ita quiritanti vel quæritanti reſpondet promittitque illi hæredem non illum vernaculum ſed qui de ipſo Abraham fuerat exiturus. כִּי אִם אשר יצא ממעיך הוא יירשך. *Qui de viſceribus tuis egredietur, erit tibi hæres.*

heres. Hic Ralbag: ממעיך אמר זה לפי שהזרע יהיה ממות' המזון האחרון ההווה בכלי הבשול והוא חלב והכבד' וכבר נקראו האברים הפנימיים מעים בלשוננו כאמרו ותורתך בתוך מעי שהרצון בו בתוך לבי: *Dicit hoc quia ſemen eſt è reſiduo alimenti poſteriore generatum in vaſe concoctionis, quod eſt cor & hepar. Et olim vocabantur membra interiora viſcera,* מעים*| in lingua noſtra, ut dicitur :* Et lex tua in medio viſcerum meorum (Pſ. 40. 9.) *quia ſenſus eſt in eo, eſt in medio cordis mei.*

Multiplicandumque Semen Ejus] Calvinus: *Non tantum promittit illi Deus ſemen ſed ingentem populum, qui numero & multitudine, æquare poſſit ſtellas cæli.* Dicit ſcriptura Abrahamum foras eductum eſſe à Domino extra tabernaculum juſſumque oculos in cœlum attollere ut ſtellarum multitudinem conſideraret. Calvinus: *Cæterum neceſſe non eſt nocturnam fingere viſionem, quia tunc apparuerint ſtellæ, quæ interdiu oculos fugiunt. Nam quum hoc in viſione geſtum fuerit, mirabile ſpeculum habuit Abram, quod res abſconditas palam monſtraret. Itaque quamvis pedem non moverit, tamen extra tabernaculum per viſionem educi potuit.* והנה דבר יי' אליו לאמור שכבר יתן לו זרע שירשנו והוציא אותו החוצה במראה הנבואה להביט בשמים: Alii putant extra rationem ἐκστάσεως propheticæ, re ipſa, ſic factum eſſe. Conſtat Abrahamum fuiſſe נָבִיא & חוֹזֶה. Gratiam habuit quod Deus ipſi loqueretur & quod per ipſum Deus doceret & loqueretur ad alios. Sic enim nos putamus voces iſtas originariò & fundamentaliter diſtingui. Poſteaquam autem חוזים nulli aut rari eſſe cœperunt, qui non interpretarentur, hinc in voce נביאים utrique confuſi fuerunt. Quem ſenſum putamus eſſe loci. 1. Sam. IX. Samuel Videns erat, idemque propheta & quidem primus eorum, qui ab eo continuata ſerie exſtiterunt uſque poſt tempora Captivitatis & reparatum templum. Act. III. 24. *Καὶ πάντες δὲ οἱ προφῆται ἀπὸ Σαμουὴλ καὶ τῶν καθεξῆς, ὅσοι ἐλάλησαν, καὶ προκατήγγειλαν τὰς ἡμέρας ταύτας.* Ubi docemur prophetarum proprium eſſe *loqui, λαλεῖν.* Hoc prophetiæ donum à temporibus Samuelis cœpit vigere & multum eſſe, cum antehac fuiſſet rarum & infrequens I. Sam. III. 1. Abraham vocatur propheta ab ipſo Deo Gen. 20. 7. Hoc videtur innui, quod fuerit Dei miniſter & internuntius, interpres voluntatis divinæ ad hominem & pro homine apud Deum interceſſor. Diſtinguendum eſſe inter Somnium & viſionem omnes monent. Et reperio in libro Geneſeos in Somnio locutum eſſe Deum ad Abimelech XX. 3. ad Laban XXXI. 24. nuſquam obſervo veniſſe aut locutum eſſe hominibus non prophetis במחזה *in viſione.* Obſervo etiam viſionem fieri vigilanti & ſenſuum ſuorum compoti vocarique viſionem ſolum ſermonem alloquii ſine exhibitione figurarum, ut in 1. Sam. III. Nihil enim Samuel figurarum vidit, vigilabat, ſolutis omnibus ſenſibus, tantum audiit oraculum de judicio Dei in domum Eli. Id tamen vocat מַרְאָה v. 15. Unde puto מַחֲזֶה generale quidem eſſe ad ſomnium & מַרְאָה ſed ſtrictius & κατ' ἐξοχὴν pro uiſione extra ſomnium dici. Cum autem Viſio iſta poſſit evenire vigilantibus in ſenſuum pleniſſima libertate, non eſt neceſſe ut ſtatuamus cum Calvino Ralbag & Maimonide aliiſque in tabernaculo immotum jacuiſſe, cum iſta videret id eſt ea oracula acciperet. Quæ enim narrat Moſes facta eſſe reipſa arbitror, ut quod ſacrum Deo fecerit mactatione & diviſione animalium, quod ab iſtis ſegmentis abegerit aves. Valido ſopore oppreſſum jacuiſſe Abrahamum, deinde experrectum vidiſſe ardentem lampada inter iſta ſegmenta tranſeuntem. Omnino oportuit reipſa fœderis ſanciendi & firmandi cauſa pecudes cæſas eſſe. Alloquia iſta vigilantium appellabantur מראות ſive חזות/ quia in mente vel imaginatione formabantur, non in

ſonis

ſonis reapſe percuſſi aeris. Itaque non audiebantur auribus ſed mentibus. Nullus enim ſonus erat, qui aëra verberaret, cum à Deo vocaretur Samuel. Ita I. Sam. IX. 17. *Cum videret Samuel Saulum reſpondebat ipſi Dominus: Ecce, hic vir eſt, quem tibi dixi, hic ſuper populum meum regnabit.* Nullus hic ſonus fuit extra Samuelem, quem etiam audire potuiſſet Saulus, ideò in imaginatrice facultate ſonum Deus effigiabat. Et hæc ſunt alloquia prophetarum: nempe Dei ad prophetas vigilantes ſuorumque ſenſuum compotes: ab eis diſcrepabat illa inſpiratio, qua loquebantur ad alios, quaque ſcribebant. Hac inſpiratione acti loquebantur prophetæ 2. Pet. 1.21. Dehac alias. Abraham igitur ſonos in facultate imaginatrice animadvertere potuit ſui compos & ἀνάκειτος: quomodo eduxit eum Deus extra tabernaculum ut ſuis oculis nocturni cæli faciem contemplaretur. Eoque modo hujus capitis hiſtoria varias מראות alloquiorum Dei habuit, quibus etiam quædam agere juſſus eſt Abraham & reipſa egit.

Cum ſtellarum non numerabili multitudine comparatur Abrahamo promiſſa poſteritas, quæ capitis decimi tertii v. 16. compoſita eſt cum pulvere terræ. Difficultas hic eſt, quomodo ſtellarum numerus æquiparetur cum multitudine arenæ, & qui tam ingentem numerum ſtellis Deus tribuat, quaſi numerari non queat, cum à ſapientibus numerus ſtellarum definitus ſit? Ralbag dicit tempore Abrahami neminem adhuc hominum ſtellis numerum poſuiſſe eoque fuiſſe ignotum. והנה מספר הכוכבים לא היה נודע בימי אברהם' ולזה הראהו המדמה כעת הנבואה ענין רבוי הכוכבים למשל רבוי המופלג אשר ידע אותן השם ית' שיהיה בזרעו: *Et ecce numerus ſtellarum non erat notus in diebus Abrahami: ideo oſtendit ipſi aſſimilans ſecundum tempus prophetiæ rem multitudinis ſtellarum in parabolam multitudinis remotæ, quam noverat Deus ipſe excelſus futuram eſſe in ſemine ſuo.* R. Salomo ſeu Raſi, qui majorum gloſſis & allegoriis nimis adhæret: לפי פשוטו הוצאו מאהלו לחוץ לראות הכוכבים' ולפי מדרשו אמר לו צא מאצטגנינות שלך שראית' במזלות שאינך עתיד להעמיד בן אברם אין לו בן אבל אברהם יש לו בן שרי לא תלד אבל שרה תלד אני קורא לכם שם אחר וישתנה המזל ד"א הוצאו מחללו של עולם והגביהו למעלה מן הכוכבים וזהו לשון הבטה מלמעלה למטה: *Secundum ſenſum literalem eduxit eum è tabernaculo ſuo foras ut videret ſtellas, at ſecundum allegoriam dixit ipſi: Educi debes de aſtronomia tua, quam vidiſti in ſignis, quod futurum non ſit ut ſuſcites filium. Abram, non eſt ipſi filius; Abraham, eſt ipſi filius: Sarai, non pariet; Sara, pariet. Ego voco vobis nomen aliud, quod mutabit ſigna. Sermo alius: Eduxit ipſum è concavitate mundi & exaltavit præ ſtellis, atque hæc eſt ſignificatio intuitus è ſuperis deorſum.* Judæorum ſuperſtitio plurimum tribuit geneſi & aſtrologiæ. In codice Thalmudico Sabbath, Gemara Babylonica, capite 24. fol. 256. a. Rab Joſe, filius Juda ſcripſiſſe dicitur in tabulis, אפנקסיה ἐν τῷ πίνακι, R. Joſue filii Levi dierum ſeptimanæ fata. At R. Chanina regeſſit: לא מזל יום גורם אלא מזל שעה גורם: *Non geneſis diei docet, ſed geneſis horæ.* Significat non eſſe petendam fortunam à die ſeptimanæ ſed hora planetæ, in qua aliquis natus ſit. Sed utriuſque σεογνώσεως ratio petitur ferè ex operibus dierum creationis. Iſtum R. Chanina tradidiſſe מזל מחכים ומזל מעשיר ויש מזל לישראל *Cæli ratio ſive geneſis σοφίζει & πλουτίζει & eſt geneſis Iſraëli.* R. Jochanan oppoſitum dixit, אין מזל לישראל. Dicti Chaninæ ſenſus eſt, שאין תפלה וצדקה משנה את המזל:, nec precibus nec pietate mutari Geneſin, quemadmodum Johanan ſenſit, דעל ידי תפלה וזכות משתנה מזלו לטובה. precibus & meritis mutari geneſin in bonum. Id probatur è Jerem, 10. 2. Deinde ex hac eductione Abrahami è ſuo tugurio ad con-

templandum ſidera : שנ' ויצא אותו החוצה אמר אברהם לפני הקב"ה רבונו של עולם בן ביתי יורש אותי אמר לו לאו כי אם אשר יצא ממעיך אמר לפניו רבונו של עולם נסתכלתי באצטגנינות שלי ואיני ראוי להוליד בן אמר לו צא מאצטגנינות שלך שאין מזל לישראל מאי דעתיך דקאי צדק במערב מהדרנא ומוקמנא ליה במזרח והיינו דכתיב מי העיר ממזרח צדק יקראהו לרגלו, *Q. D. Et eduxit eum foras, Dicit Abraham coram Deo benedicto, Domine mundi, filius domus mea hareditabit mihi. Dicit ei, Nequaquam ſed qui egredietur de viſceribus tuis: Dicit coram eo, Domine mundi, Cognovi è Geneſi mea, quod non ſim idoneus ad gignendum filium: Dicit ipſi, Egredere è Geneſi tua, quia non eſt aſtrorum dominium in Iſraëlem. Quæ eſt opinio tua, quod Jupiter ſtet in occidente? Ego reduco eum & ſtatuo in oriente. Id eſt, quod ſcriptum* (Eſ. 41. 2.) Quis excitavit צֶדֶק ab oriente? Vocavit eum ad pedem ſuum? Gloſſator Raſi dicit צדק ſtetiſſe in occidente. Hunc fuiſſe Abrahami ſtellam & fortunæ moderatorem, qui cum ſtaret in occaſu Abrahamum frigidum & ſterilem redditum eſſe. Nam de מערב dicit, שהוא מצנן, *quod infrigidet.* Ideo Deum evocaſſe ipſum & conſtituiſſe in oriente מקום חום *loco caloris.* Quis non obſtupeſceret ad ejuſmodi ſcripturæ depravationes, qui neſciret hoc eſſe Judæis frequens & uſitatum? Manifeſtum eſt locum illum non loqui de planeta, cui ſubditus eſſet Abraham, cum loquatur de ipſo Abrahamo; quem non evocavit ex occaſu in ortum ſed ex orientis regione in occidentem. Nam ſcribitur ממזרח. Vocabat eum לרגלו, id eſt, ut ipſius ductum *κατὰ πόδα* ſequeretur, non habet eum ſenſum, quem ille gloſſator vult בשבילו *propter ipſum.* Ipſe Raſi, uti & David Kimchi locum illum de Abrahamo interpretantur evocato ex Aran & domo patria. Sic etiam explicat Thargum, מן איתי מגלי ממדנחא אברהם בחיר צדיקא בקשוט קרבה לאתריה *Quis fecit palam venire ex oriente Abrahamum, electum juſtum, in veritate medium ejus ad locum ſuum.* Locus ille loquitur de Abrahami evocatione deque ejus benedictione, qua reges ſubegit ille & poſteri ejus. Nempe Allegoricum ſenſum & פשט diſtinguentes utrumque recipiunt. In Baba Bathra fol. 15. R. Eleazar המודעי tradit אסטגנינות fuiſſe in corde Abrahami. Unde reges orientis & occidentis ſolebant mane adeſſe ad oſtium ejus. R. Simeon ben Jochai, fuiſſe è collo Abrahami ſuſpenſum lapidem pretioſum שכל חולה הרואה אותו מיד מתרפא, *unde omnis agrotus intuens eum, confeſtim ſanitatem recipiebat.* Cum autem fato concederet Abraham, ובשעה שנפטר אברהם אבינו מן העולם ſuſpendiſſe Deum eum lapidem in orbe Solari. Hinc dicere homines: אדלי יומא אדלי קצירה *Levato die levatur morbus.* R. Salomo in gloſſis in Joma fol. 28. 2. dicit Reges orientis & occidentis conveniſſe mane ad oſtium ejus משכימין לפתחו לשאול במזלות *ut fortunam aſtrorum conſulerent.* In Baba Bathra ליטל עצה ממנו, *ut conſilium ab eo caperent.* Tantus igitur aſtronomus fuit Abraham & fatis hominum eventibuſque prædicendis operam dedit. Id confirmatum eunt ex hoc loco Moſis, ubi narrat, divinitus ipſi imperatum eſſe ut ſtellas contemplaretur. Hic autem nihil de viribus ſtellarum nec de earum qualitate, ſolum numerum conſiderari jubet Deus, ut poſteritatis ſuæ auctum & multiplicationem animo conciperet. Redeamus igitur in viam, ad ſolutionem ſupra propoſitæ difficultatis. Auguſtinus de civit. Dei lib. 16. cap. 23. *Mihi magis videtur promiſſa poſteritas cæleſti felicitate ſublimis. Nam quantum ad multitudinem pertinet, quid ſunt ſtellæ cæli ad arenam terræ, niſi quis & iſtam comparationem in tantum eſſe ſimilem dicat, in quantum etiam ſtellæ dinumerari non valent? Quia nec omnes eas videri poſſe credendum eſt: Nam quanto quiſque acutius intuetur tantò plures videt. Unde & acerrime cernentibus aliquas occultas eſſe meritò exiſtimatur, exceptis eis ſideribus, quæ in alia parte orbis à nobis remotiſſima,*

ſima oriri & occidere perhibentur. Poſtremo quicunque univerſum ſtellarum numerum comprehendiſſe & conſcripſiſſe jactantur, ſicut Aratus & Eudoxus, vel ſi qui alii ſunt, eos libri hujus contemnit authoritas. Difficultas quæſtionis in eo eſt: Stellarum numerus facile inveniri poteſt, quomodo igitur ad innumerabilitatẽ denotandam aſſumuntur comparanturque cum arena terræ, cui Deus in cap. XIII. 16. ſeminis Abrahami auctum aſſimilaverat? Reſponſio I. eſt Stellas tempore Abrahami & ab ipſo Abrahamo non potuiſſe numerari. Quemadmodum non poſſunt ab ἀναςρολογήτῳ. Ita Ralbag Abrahamum adverſus ſententiam & doctrinam Thalmudicorum imperitum aſtrorum ſcientiæ facit. והנה מספר הכוכבים לא היה נודע בימי אברהם' ולזה הראהו המדמה בעת הנבואה ענין רבוי הכוכבים למשל רבוי המפלג אשר ידע השם ית' שיהיה בזרעו: *Et ecce numerus ſtellarum non erat notus tempore Abraham. Ideo oſtendit ipſi aſſimilans ſecundum tempus prophetiæ, rem multitudinis ſtellarum in parabolam multitudinis abſconditæ, quem ſciebat Deus de ſemine ejus.* Non poſſunt ſidera numerari ab homine illius ſcientiæ rudi, qui plagas limiteſque ſignorum non poteſt deſignare, quia intuenti iterum tertioque apparent ſtellæ, quas primo intuitu nõ obſervaverat. Id autem numerantem turbat. II. Stellas ſimpliciter eſſe ἀναριθμήτους, ut arenæ numerum nemo inire poteſt. Eoque doctores artis ſpernendos eſſe ob authoritatem ſacræ ſcripturæ. III. Poſſe quidem ſtellas numerari, quæ nobis conſpicuæ ſunt, & hoc factum eſſe à peritis ſcientiæ ſideralis: ſed à Deo innui numerum innumerum ſiderum in cælo collocatum eſſe, quia plurimæ non comparent & aliæ ſunt apud Antichthonas. IV. Non tam ſiderum numerum à Deo proponi Abrahamo, quàm qualitatem, ut notaret ſtellarum ſimili gentis ex Abrahamo orituræ proſpera & ſublimitatem, ſicuti arenæ comparatione depreſſionem & adverſa notaverat. Harum ſolutionum ultima aberrat à ſcopo, quia Deus de numero, non de qualitate diſertè loquitur. Allegoriis non aperitur ſcripturæ ſenſus. Tertia quoque non inſiſtit ſcripturæ verbis, quæ jubens Abrahamum numerare ſtellas, non utique alias jubet, quam videbat. Et cum earum numero componit poſteritatis multitudinem. Secunda probari non poteſt viro cordato, quia cuilibet ſapienti in ſua arte credendum eſt. Relinquitur igitur, ut recipiamus primam. In cap. XIII. v. 16. Deus cum arenæ multitudine compoſuerat illius ſemen, hic componit cum ſtellarum numero. Cap. XXII. 21. utramque comparationem conjungit. Deut. I. 10. 11. Moſes docet divinam hanc promiſſionem impletam eſſe, quantum attinet comparationem cum ſtellis, precaturque ulterius incrementum. Frequentior quidem innumerabilium compoſitio cum arena, quam omnes ſciunt eſſe extra numeri comprehenſionem. Quamvis Archytas menſorem ſe arenæ tulerit, ea tamen reapſe numerari non poteſt. Unde verè Horatius dixit eam numero carere. Eſt tamen compoſitio non numerandorum cum ſtellis è medio etiam ſumpta. Ita poëtæ quoque utramque conjungunt: Catullus:

Quam magnus numerus Libyſſæ arenæ
Laſerpiciferis jacet Cyrenis,
Oraclum Iovis inter æſtuoſi
& Batti veteris ſacrum ſepulchrum:
Aut quam ſidera multa quum tacet nox.

Item: *Ille pulvis Erythei*

Siderumque micantium
Subducat numerum prius.

Pulvis Erythrei pro *pulveris Erythrai* legit Muretus, Scaliger mavult *enthei.* Nos id nunc non diſcutimus. Ovid. 1. Triſt.

Scire meos caſus, ſiquis deſideret omnes,
Plus quam quod fieri res ſint, ille petit.
Tot mala ſum paſſus, quot in aethere ſidera lucent,
Parvaque quot ſiccus corpora pulvis habet.

Hoc verbum Dei credidit Abram, eſtque id illi incircumciſo imputatum in juſtitiam uti teſtatur Sp.S. Hoc teſtimonium Sp.S. explicat Apoſtolus in epiſtola ad Romanos cap. 4. fuſe & divine. Oſtendens in eo myſteria latere, quæ prima fronte non apparent. De eo theologi dogmatici conſulendi ſunt, Amplius locutus eſt Deus Abrahamo, promittens ipſi Cananææ hæreditariam poſſeſſionem, quod firmat ab eductione ex Ur Chaldæorum, cujus finis fuerit ut eam terram ipſi daret, hæreditariam. Deus neminem è bono, quod poſſidet, ſolet educere, niſi in amplioris boni ſpem. Petiit tamen Abraham confirmationem fidei ſuæ. *Domine, in quo cognoſcam, quod eam terram ſim hæreditario poſſeſſurus?* Non eſt id verbum diffidentis, ſed petentis à Deo, imbecillæ fidei ſuſtentaculum. Indicium id eſt fidei & teſtimonium, quia libere in ſinum Dei effundit animi auxietatem, qua premebatur & quærit remedium. Calvinus: *Abſurdum eſſe videtur, quod Abram, quia ſimplici Dei verbo fidem prius habebat, nec quæſtionem ullam movebat de promiſſionibus ſibi datis, nunc diſceptat verumne ſit quod audit ex ore Dei. Reſpondeo, Dominum hoc interdum concedere filiis ſuis, ut libere objiciant, quæ veniant in mentem.* &c. *Adde quod longior mora non parvum erat obſtaculum. Poſtquam magna vitæ parte ſuſpenſum tenuit Deus nunc ſenio confectum & nihil quam mortem & ſepulchrum ante oculos habentem de integro terræ Dominum fore pronuntiat. Neque tamen propter difficultatem reſpuit, quod videri poterat incredibile: ſed in medium profert qua anxietate intus prematur. Atque hoc fidei potius teſtimonium eſt, quam incredulitatis ſignum, quod Deum interrogat. Impii quia diverſis cogitationibus implicitos habent animos promiſſiones nullo modo admittunt: pii vero, qui ſentiunt in carne ſua impedimenta ſubmovent, ne viam obſtruant verbo Dei, & vitiis, quorum ſibi conſcii ſunt, remedium quærunt. Notandum tamen ſpeciales fuiſſe aliquos in ſanctis motus, quos nunc in exemplum trahere non liceret. Neque enim quia Ezekias & Gedeon certa miracula poſtularunt, idem nobis hodie tentandum eſt: ſufficiat confirmationem petere, quam Dominus ipſe ſuo arbitrio eligendam cenſuerit.* Aben-eſdras, R. Salomo & Judæi alii interpretes obſervant Abram non petiiſſe ſignum de promiſſione filii, qui ipſi in hæredem eſſet futurus, ſed de eo, quod ſemen illius poſſeſſurum eſſet terram Canaan: על ירושת הארץ. Addit Aben-eſdras: ועוד כי טעם שבועת השם שהיה הדבר בלא תנאי כי כלל כל נבואות הם על תנאי והנה לא חטא אברהם בעבור שבקש לכרות אתו ברית: *Et amplius, Quod ſenſus juramenti Dei quod verbum eſſet ſine conditione. Quia omnes prophetiæ ſunt ſub conditione & ecce non peccavit Abraham propterea quod quæſiverit fœdus pangere cum Deo.* Apud Raſi alius eſt ſermo: *Non petiit ſibi ſignum ſed dixit coram eo, in qua puritate confirmabitur & dixit ei in puritate ſeu merito oblationum.* Hæc unius aſſis non ſunt. Credidit Abraham priori promiſſioni de ſemine multiplicando, ſine ulla

ulla hæſitatione: at promiſſio hæreditario à ſemine poſſidendæ terræ, ut ſeparata res erat, ita ſeparato aſſenſu debuit apprehendi, ad quem fulcro indiget. Vide hic Muſculum. Ralbag Judaizans admodum dicit Abrahamum intuitu conditionatæ promiſſionis, quæ ſtabat in ſeminis meritis, petiiſſe à Deo fidem ejus, quod poſteritas digna eſſet futura, cui adhæreret השגחה Dei cura & providentia proviſura & effectura hæreditationem. Deus condeſcendit famulo ſuo, patri fidei, fœdus confirmans tranſitu inter diviſiones pecudum & avium. Ut hoc ſacrum, quo firmavit Abrahæ fidem & ſuam promiſſionem ſanxit Deus, penitius introſpiciamus hiſtoriæ partes dividamus.

I. Jubet Deus adferri ſibi triennem vaccam, capram triennem & arietem triennem, item turturem & pullum columbarum.

II. Allatis eis jubet pecudes dividi earumque ſegmenta inter ſe ex adverſo collocari. Aves ſectæ non ſunt, quamvis ita poſitæ, uti apparet ex conſequentibus.

III. Hæc ſegmenta aveſque Abram cuſtodiit ab incurſu avium.

IV. His ita paratis, ſopor irruit ſuper Abramum cum tenebris & terrore.

V. Per quietem Deus illi locutus eſt, præcinens fata poſteritatis, peregrinaturæ & reverſuræ in eam terram. Ipſum in pace obiturum eſſe.

VI. Hanc promiſſionem ſanxit Deus traductione furni fumantis & lampadis ardentis inter iſtas partes. Id factum poſt occaſum ſolis.

VII. Moſes ſubjicit, Deum promiſſioni ſuperiori adjeciſſe evolutiorem terræ Canaan promiſſionem, qua deſcribit limites populoſque quorum poſſeſſiones Semini Abrami Deus eſſet daturus.

Omnia iſta alloquia contigerunt in viſione vigilantis, præterquam quod eſt articulo quarto. Ritus & accidentia, τὰ συμβεβηκότα, conjuncta cum ſacrificio diſtingui debent à promiſſione ritibus firmata & accidentibus iſtis quaſi depicta. Conſidera benignitatem Dei & συγκατάβασιν, Verbum promiſſionis ad minimum ſepties repetit. Id firmat primò hoc ſacro; ſecundò ſacramento circumciſionis; tertiò jurejurando cap. XXII. 16. 17. Rituum & ſacri hujus finis fuit, non honor aut pacificatio numinis, ut eſt in oblationibus ad & templum pertinentibus, ſed ſanctio fœderis & promiſſionum. Unde apparet hoc genus firmandi fœderis in cæſa pecude & ſanguine fuſo ab ipſis mundi primordiis & Dei inſtituto veniſſe. Quod imitati deinde populi ſunt toto orbe. Calvinus: *Quod mactata animalia in partes ſecari jubet, credibile eſt hunc vetuſtum fuiſſe ritum in fœderibus pangendis, qui deinde ad gentes quoque tranſiit, ſive ineunda eſſet aliqua ſocietas, ſive exercitus luſtrandi. Tranſibant autem per medias partes vel ſocii vel milites, ut ſanctius in unum corpus coaleſcerent ſacrificio ſimul incluſi. Iudæis quidem uſitatum fuiſſe hunc morem teſtatur Ieremias cap. 34. 18. ubi Deum ita loquentem inducit.* Violarunt fœdus meum, quum vitulum conciderint in duas partes & tranſierint inter diviſiones ejus tam principes Juda quam proceres Jeruſalem & totus populus terræ. Doctiſſimus Muſculus: *In Ebræo eſt* מְשֻׁלֶּשֶׁת, *id eſt,* triplicatum. *Non eſt in Ebræo expreſſum, ſitne ternarius numerus ad annos aut ad numerum vel partes individuorum referendus. Chaldæus interpres ſic vertit:* עגלין תלתא ועזין תלתא ודכרין תלתא, *Sic & R. Salomo exponit. Sunt qui intelligunt mandatum eſſe Abræ, ut offerret ſibi vaccam in tres partes diviſam ſic & capram & arietem.* Deinde annotat, quod vocem Hebræam גוזל Chaldæus vertat בר יונה. R. Salomononem pluraliter intelligere תורים ובני יונה. De his poſteà. Ad rem in præſens faciunt & digna notatu ſunt, quæ ſequuntur: *Inde* inquit, *autem à temporibus Adæ ſolebant pii ſacrificare Domino per oblationem animalium mundorum, ad quæ pertinent etiam, quæ*

hic recenſentur, vacca, capra, aries, turtur, columba. Et id quoque moris obtinuerat, ut fœdera, non ſine ſacrificiis inirentur. Iuxta conſuetudinem iſtam dixit Abrahæ Dominus, Sume tibi vaccam triennem &c. Notanter autem non dixit, Sume tibi, ſed ſume mihi, ut de ſacrificio ſibi parando admoneret. Sive autem vaccam unam, capram unam arietemque unum triennem, ſive plures, tres videlicet de ſingulis generibus accipere mandarit, non eſt curioſius inquirendum. Sacrificium proprie dictum non videtur fuiſſe, quia non eſt poſitum de illis quicquam in ara, nec abſumptum igne. Sacrificium Deo dicatum ad honorem vel placamentum venit ad aram. Sacri igitur hujus ſubſtantia in mactatione & diviſione conſiſtit, quæ inſtar materiæ habuit: fuitque ſignificatio, ad devovendum ſive obſtringendum ſe ejuſmodi pœnæ aut mortis generi, ſi fallerent. Fuit tamen conjuncta invocatio numinis ut fallentem plecteret, idque per libamentum aut proprie dictum ſacrificium. Hic non fuit conjunctum ullum ſacrificium nec libamentum. Lyra: *Cauſa hujus diviſionis & partitionis eſt, quod homines adinvicem faciebant pactum vel fœdus inviolabile: ad hoc deſignandum interficiebant unum animal: & dividebant in duas partes: & tranſibant inter illas partes: ad deſignandum, quod digni eſſent morte, pactum illud ſi transgrederentur. Dominus autem hic pepigit fœdus & pactum cum Abram, ut dicitur infra eodem capite. Et ideò animalia iſta fuerunt diviſa in duas partes: & partes ſic poſitæ, quod poſſet eſſe tranſitus inter illas partes. Aves autem non diviſit, quia in confirmatione talis pacti vel fœderis, avis non occidebatur nec dividebatur, cum alias immolabatur in holocauſtum, ut habetur Levitic.* cap. 1. Deus ſolus inter partes tranſiit ſub ſymbolo furni fumantis & lampadis ardentis, quia firmatum eſt fœdus ex parte Dei, non obſtrinxit ſe Deo ex ſuâ parte Abraham. Petebat enim ſibi confirmationem. Apud Homerum lib. 3. Iliados hoc genus firmati fœderis propoſitum legimus inter Trajanos & Græcos, adjuncto libamine & expreſſa devotione, ſine tranſitu. ὅρκιον appellatur fœdus jurejurando confirmatum: item ipſæ pecudes ad firmandum fœdus percuſſæ. ὅρκια τέμνειν *fœdus ferire.* Cum ita Alexandro offerente, Menelao ſuſcipiente conventum eſſet, ut illi duo inter ſe concertarent, cæteri autem Græci amicitiam & fœdus inirent. Nam proclamaverat Hector:

Κέκλυτέ μευ Τρῶες καὶ ἐϋκνήμιδες Ἀχαιοὶ
Μῦθον Ἀλεξάνδροιο, τοῦ εἵνεκα νεῖκος ὄρωρεν.
Ἄλλους μὲν κέλεται Τρῶας καὶ πάντας Ἀχαιοὺς
Τεύχεα μὲν καλ' ἀποθέσθαι ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ,
Αὐτὸν δ' ἐν μέσσῳ καὶ ἀρηΐφιλον Μενέλαον,
Οἴους ἀμφ' Ἑλένῃ καὶ κτήμασι πᾶσι μάχεσθαι.
Ὁππότερος δέ κε νικήσῃ κρείσσων τε γένηται,
Κτήμαθ' ἑλὼν εὖ πάντα, γυναῖκά τε, οἴκαδ' ἀγέσθω.
Οἱ δ' ἄλλοι φιλότητα καὶ ὅρκια πιστὰ τάμωμεν.

Id ſuſceperat Menelaus, qui jubet ideo:

Οἴσετε δ' ἄρν' ἕτερον λευκὸν, ἑτέρην δὲ μέλαιναν
Γῇ τε καὶ ἠελίῳ. Διῒ δ' ἡμεῖς οἴσομεν ἄλλον.
Ἄξετε δὲ Πριάμοιο βίην, ὄφρ' ὅρκια τάμνῃ.

Præcipit ut Trojani duos agnos adferant maſculum & fœminam: marem album Soli, fœminam nigram Telluci. Se, id eſt, Græcos Jovi unum agnum eſſe allaturos. Sacræ igitur Deo erant ejuſmodi pecudes, licet immolatæ non fuerint. Præcones igitur miſſi, qui agnos afferent & accirent Priamum, nomine populi Tojani percuſſurum fœdus.

Κήρυκες δ᾽ ἀνὰ ἄστυ θεῶν φέρον ὅρκια πιστὰ,
Ἄρνε δύω καὶ οἶνον ἐΰφρονα καρπὸν ἀρούρης,
Ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ. φέρε δὲ κρητῆρα φαεινὸν
Κήρυξ Ἰδαῖος, ἠδὲ χρύσεια κύπελλα.

Priamus & Antenor porta Scæa evecti in campum perveniunt: ubi ad ipſos accedit Vlyſſe comitatus Agamemnon.

αὐτὰρ κήρυκες ἀγαυοὶ
Ὅρκια πιστὰ θεῶν σύναγον. κρητῆρι δὲ οἶνον
Μίσγον, ἀτὰρ βασιλεῦσιν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν.
Ἀτρείδης δὲ ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν,
Ἥ οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κουλεὸν αἰὲν ἄωρτο.
Ἀρνῶν ἐκ κεφαλῶν τάμνε τρίχας, αὐτὰρ ἔπειτα
Κήρυκες Τρώων καὶ Ἀχαιῶν νεῖμαν ἀρίστοις.
Τοῖσιν δ᾽ Ἀτρείδης μεγάλ᾽ εὔχετο χεῖρας ἀνασχών.
Ζεῦ πάτερ, Ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε, μέγιστε,
Ἠέλιός θ᾽ ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷς καὶ πάντ᾽ ἐπακούεις,
Καὶ ποταμοὶ καὶ γαῖα, καὶ οἳ ὑπένερθε καμόντας
Ἀνθρώπους τίνυσθον, ὅ τις κ᾽ ἐπίορκον ὀμόσσῃ,
Ὑμεῖς μάρτυροι ἔστε, φυλάσσετε δ᾽ ὅρκια πιστά.
Εἰ μέν κεν Μενέλαον Ἀλέξανδρος καταπέφνῃ,
Αὐτὸς ἔπειθ᾽ Ἑλένην ἐχέτω καὶ κτήματα πάντα,
Ἡμεῖς δ᾽ ἐν νήεσσι νεώμεθα ποντοπόροισιν.
Εἰ δέ κ᾽ Ἀλέξανδρον κτείνῃ ξανθὸς Μενέλαος,
Τρῶας ἔπειθ᾽ Ἑλένην καὶ κτήματα πάντ᾽ ἀποδοῦναι·
Τιμὴν δ᾽ Ἀργείοις ἀποτινέμεν, ἥντιν᾽ ἔοικεν,
Ἥ τε καὶ ἐσσομένοισι μετ᾽ ἀνθρώποισι πέληται.
Εἰ δ᾽ ἂν ἐμοὶ τιμὴν Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες
Τίνειν οὐκ ἐθέλωσιν Ἀλεξάνδροιο πεσόντος,
Αὐτὰρ ἐγὼ καὶ ἔπειτα μαχέσσομαι εἵνεκα ποινῆς,
Αὖθι μένων, εἵως κε τέλος πολέμοιο κιχείω.
Ἦ καὶ ἀπὸ στομάχους ἀρνῶν τάμε νηλέϊ χαλκῷ.
Καὶ τοὺς μὲν κατέθηκεν ἐπὶ χθονὸς ἀσπαίροντας,
Θυμοῦ δευομένους, ἀπὸ γὰρ μένος εἵλετο χαλκός.
Οἶνον δ᾽ ἐκ κρητῆρος ἀφυσσάμενοι δεπάεσσιν
Ἔκχεον, ἠδ᾽ εὔχοντο θεοῖς αἰειγενέτῃσιν.
Ὧδε δέ τις εἴπεσκεν Ἀχαιῶν τε Τρώων τε.
Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε, καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι,
Ὁππότεροι πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια πημήνειαν,
Ὧδέ σφ᾽ ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι, ὡς ὅδε οἶνος,
Αὐτῶν καὶ τεκέων, ἄλοχοι δ᾽ ἄλλοισι μιγεῖεν.

Præcones agnos illos tres contulerunt in unum, vinum effuderunt in cratera & manibus duorum regum aquam dederunt. Agamemnon educto cultro, qui hærebat in vagina ad enſem, è capitibus agnorum pilos abſcidit, quos præcones diviſerunt inter proceres Græcorum & Trojanorum. Hinc Agamemnon precatus Jovem, Solem, terram, flumina & deos inferos, qui perjuros puniunt, ut teſtes eſſent fœderis, cujus argumentum pronuntiabat, abſcidit agnorum jugulum, eoſque palpitantes in terram projecit. Tum libarunt vinum è cratere pateris hauſtum. Aliquis autem Achivorum Troumque præibat utrique aciei & populo devotionem & diras in caput fœdifragi. Juſjuran-

jurandum hoc apud Romanos Albanoſque pater patratus patrabat id eſt ſanciebat fœdus. Sic Livius lib. 1. de fœdere inter Romanos & Albanos, quod à parte Romana ſic percuſſum eſt: Fecialis regem Tullum ita rogavit: Jubesne me rex, cum patre patrato populi Albani fœdus ferire? *Iubente rege:* Sagmina, *inquit*, te rex poſco. *Rex ait:* Pura tollito. *Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit, poſteà regem ita rogavit:* Rex faciſne me tu regium nuntium populi Romani Quiritium? vaſa comiteſque meos? *Rex reſpondit:* Quod ſine fraude mea populique Romani Quiritium fiat facio. *Fecialis erat M. Valerius. Is patrem patratum Sp. Fuſium facit verbena caput capilloſque tangens. (Pater patratus adjusjurandum patrandum, id eſt, ſanciendum fit fœdus) multiſque id verbis, quæ longo effata carmine non operæ eſt referre, peragit. Legibus deinde recitatis:* Audi, *inquit*, Jupiter, audi pater patrate populi Albani, audi tu populus Albanus, ut illa palam prima poſtrema ex illis tabulis cerave recitata ſunt ſine dolo malo utique ea hic hodie rectiſſime intellecta ſunt: illis legibus populus Romanus prior non deficiet: ſi prior defexit, publico conſilio, dolo malo, tu illo die, Jupiter, populum Romanum ſic ferito, ut ego hunc porcum, hodie feriam, tantoque magis ferito, quanto magis potes polleſque. *Id ubi dixit, porcum ſaxo ſilice percuſſit. Sua item carmina Albani, ſuumque jusjurandum per ſuum dictatorem ſuoſque ſacerdotes peregerunt.* Sic igitur fœdus initum eſt Romanos inter Albanoſque, mactatus porcus à patre patrato, poſtquam jurisjurandi verba & formulam recitaſſet. Devovebat populum ſuum ad ſimilitudinem animalis percutiendum. At hic nulla porci animalis partium diviſio traductioque inter eas partes. More Judæo, qui ad jusjurandum adigebatur populus aut homo, traducebatur inter partes diviſas. In Græco ritu nulla etiam diviſio nec traductio, ſed in Græco ritu libatio, quæ in Romano abeſt. Ab illa libatione fœdera Græcis σπονδαὶ vocitata ſunt. Gloſſæ: *σπονδοφόροι Feciales*: Haud facile reperias apud autores profanos exemplum fœderis firmati, tranſitu inter partes. Nam quæ adducuntur ab aliis non conveniunt. Apud Apollodorum Bibliothecæ lib. 3. Peleus, capta urbe Jolco poſtquam occidiſſet Aſtydamiam Acaſti conjugem, *διελὼν μέλη διήγαγε δι' αὐτῆς τ̓ στρατὸν εἰς τὴν πόλιν.* Id factum contumeliæ & vindictæ cauſa nihil ad confirmationem fœderis pertinet. Supplicii enim ignominioſi genus fuit *διχοτομεῖν*, diſſecare. Ita Samuel Agag regem diſſecuit 1. Sam. 15. 33. Id ſupplicium Babyloniis uſitatum fuit Dan. 2. 3. & 3. 29. Quo alluſit Dominus in gehennæ ſupplicio deſcribendo Matth. 24. 51. *Διχοτομήσει αὐτόν.* Quod Beza malè interpretatur, *Separabit eum.* Quamvis illi accedat ſummus Caſaubonus. Hoc verbum *diſſecare διχοτομεῖν* vel ſignificat in duas partes æquas ſecare quod Latini dicunt *dirigere*, ut docet incomparabilis Salmaſius in Plinianis exercitationibus. Et diſtichon in elegia ad Mecenatem, quod vulgò ſic legitur:

Viſcera diſſecti mutavit in arietis agnum
Æetias & ſuccis omne perita ſuis.

In hunc modum ex veteri libro emendat:

Viſcera directi mutaverat arietis agno
Æetis ſuccis omniperita ſuis.

Vel ſimpliciter dividere, in fruſtra concidere, quomodo *διχοτομήματα* appellantur נתחים, fruſta victimarum Exod. 29. 17. Levit. 1. 8. Illud eſt Hebræum נתח quod Græci reddunt, *διχοτομήσεις κατὰ μέλη* Exod. 29. 17. Item *μελίσατε κατὰ μέλη*,

μίλη, Levit. 16. 6. Dirum illud ſupplicii genus, quod in Agag exſecutus eſt Samuel, quod in uſu fuit Babyloniis, non fuit ſectio in duas æquales partes, uti puto, ſed prout res ferebat. Nec Matthæus in verbis Chriſti illam in duo æqualia *διχοτομίαν* videtur ſignificare, ideò Vulgata & Eraſmus rectè reddunt *Dividet*; & Verſio Belgica vetus, *Hy ſal in ſtucken houwen.* Metaphoram hanc Matthæi in verbis Domini ſic explicat Theophylactus: *διχοτομηθήσεται, τουτέστι, γυμνωθήσεται τοῦ προσόντος αὐτῷ χαρίσματος, καὶ τότε φανήσεται οἷος ἦν.* Id loci ſenſum non exprimere quivis perſpicit. Pecudum diſpartitionem, & tranſitum illius generis, quod hic habemus, non invenimus in ullo exemplo ſacræ hiſtoriæ niſi apud Jeremiam cap. 34. 18. 19. 20. Grotius è Plutarcho citat: *Βοιωτοῖς δημοσίᾳ καθαρμός ἐστι κυνὸς διχοτομηθέντος τῶν μερῶν διεξελθεῖν.* Subjicit ipſe, *Nimirum* à Phœnicibus hoc hauſerant nati ab ipſis Bœoti. Atqui mos ille huc non ſpectat, quia non ad ſanciendum fœdus, ſed ad luſtrationem. 1. Samuelis XI. Saul *τῷ δωδεκαφύλῳ* imperat egreſſum in militiam adverſus Ammonitas, ad liberandam obſidione Jabes, urbem Galadenæ. Par boum diſſecat miſſiſque ſegmentis in omnem partem terræ, minatur hanc pœnam *ἀστρατείας*, *Sic fiet bobus ejus.* Laudat Grotius è Zenobio Molottorum morem: *οἱ μολοττοὶ ἐν τοῖς ὁρκωμοσίοις κατακόπτοντες εἰς μικρὰ τοὺς βοῦς τὰς συνθήκας ἐποιοῦντο.* Hoc ad fœderum ſanctionem, at nihil de tranſitu inter partes. Obſtringebat ſe tranſiens huic pœnæ generi, quod Deus fœdifragis & perjuris Judæis, qui hoc ſymbolo ſe adſtrinxerant, minatur, Jerem. 34. 20. *Tradam eos in manum hoſtium, & quærentium animam eorum: eorumque cadavera avibus cœli & animalibus terræ in eſcam erunt.* Scilicet ideò partes dimidiatæ aveſque occiſæ in ſolo exponebantur, tanquam in prædam avibus & beſtiis: quod malum imprecabantur fœderum ruptori. Abraham arcuit aves donec tranſiſſet Dei ſe obſtringentis ſymbolum, cum furno fumante, ardens lampas, Nihil quicquam magis mirari poſſis, quam Deum humanæ infirmitati ſe applicantem, & ſimili ratione ac ſymbolo ſanctionis ac juriſjurandi ſe obligantem.

II. Qui per ſingulas partes in hoc ſacrificio quærunt notationem allegoricam, fruſtra ſunt, cum ultra ſymbolum ſanctionis nihil fuerit in tota re. Raſi:
אין המקרא יוצא מידי פשוטו לפי שהיה כורת ברית עמו לשמור אבטחתו להוריש לבנין
את הארץ כדכתיב ביום ההוא כרת יי' את אברם ברית לאמור וגו' ודרך כורתי
ברית לחלק בהמה ולעבור בין בתריה כמה שנאמר להלן העוברים בין בתרי העגל
אף כאן תנור עשן ולפיד אש אשר עבר בין הגזרי' הוא שלוחו של שכינה שהוא אש:
Scriptura non egreditur è ſenſu literali, quoniam fœdus pangebat cum ipſo, ut cuſtodiret illius fiduciam, quod hæreditatem terræ filiis ejus eſſet daturus, ut ſcriptum eſt [cap. hoc, v. 18.] Die hoc pepigit Dominus fœdus cum Abraham, dicendo &c. *Et mos ferientium fœdus eſt, ut dividant pecudem & tranſeant inter ejus partes, Q. D.* [Jerem. 34. 18.] illis qui tranſierunt inter partes vituli: *Etiam hic fornax fumi & lampas ignis, quæ tranſit inter ſegmenta eſt legatus majeſtatis divinæ, quæ eſt ignis,* Hæc rectè dicta ſunt & rem acu tangunt, ideò ſpeculationes & דרשות ſine damno expoſitionis omitti poſſunt. Proinde ſolius Auguſtini ſpeculationes hoc loco afferam. Is de civit. Dei lib. 16. cap. 24. ita diſſerit: *Hæc omnia* (capitis XV. argumentum propoſuerat) *in viſu facta divinitus atque dicta, de quibus ſingulis enucleate diſſerere longum eſt, & intentionem operis hujus excedit. Quod ergo ſatis eſt noſſe debemus: Poſteaquam dictum eſt, credidiſſe Abraham Deo, & deputatum eſſe illi ad juſtitiam: non eum in fide defeciſſe ut diceret, Dominator domine ſecundum quid ſciam, quod hæres ejus ero? Terra*

 quippe

quippe illius promiſſa erat hæreditas. Non enim ait: Vnde ſciam, quaſi adhuc non crederet: ſed ait, Secundum quid ſciam: ut ei rei quam crediderat, aliqua ſimilitudo adhiberetur, qua ejus modus agnoſceretur. Sicut non eſt virginis Mariæ diffidentia, quod ait: Quomodo fiet iſtud, quoniam, virum non cognoſco? Quod enim futurum eſſe certa erat, modum quo fieret, inquirebat. Et hoc cum quæſiſſet, audivit: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Denique & hic ſimilitudo data eſt de tribus animalibus, juvenca, capra, & ariete, & duabus volucribus, turture, & columba: ut ſecundum hæc futurum ſciret, quod futurum eſſe jam non ambigeret. Sive ergò per juvencam ſignificata ſit plebs poſita ſub jugo legis, per capram eadem plebs peccatrix futura, per arietem eadem plebs regnatura. Quæ animalia propterea trima dicuntur, quia cum ſint inſignes articuli temporum ab Adam uſque ad Noë & inde uſque ad Abraham: & inde uſque ad David, qui reprobato Saule, primus in regno gentis Iſraëliticæ eſt domini voluntate fundatus: in hoc ordine tertio, qui tenditur ex Abraham uſque ad David, tanquam tertiam ætatem gerens ille populus adolevit. Sive aliquid aliud convenientius iſta ſignificent. Nullo tamen modo dubitaverim, ſpiritales in eo præfiguratos additamento turturis & columbæ. Et ideo dictum eſt: Aves autem non diviſit: quoniam carnales inter ſe dividuntur, ſpiritales autem nullo modo: ſive à negotioſis converſationibus hominum ſe removeant ſicut turtur: ſive inter illas degant, ſicut columba. Vtraque tamen avis eſt ſimplex & innoxia: ſignificans & in illo Iſraëlitico populo, cui terra illa danda erat, futuros individuos filios promiſſionis, & hæredes regni in æterna fælicitate manſuros. Aves autem deſcendentes ſuper corpora, quæ diviſa erant: non boni aliquid, ſed ſpiritus indicant aëris hujus, paſtum quendam ſuum de carnalium diviſione quærentes. Quod autem illis conſedit Abraham, ſignificat etiam inter illas carnalium diviſiones, veros uſque in finem ſeculi perſeveraturos fideles. Et circa ſolis occaſum, quod pavor irruit in Abraham, & timor tenebroſus magnus, ſignificat circa hujus ſeculi finem magnam perturbationem ac tribulationem futuram fidelium: de qua Dominus dixit in Evangelio: Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio.

III. Abraham à præciſarum pecudum & volucrium diviſionibus & cadaveribus arcebat avium involatum, circa autem occaſum ſolis ſopore occupatus eſt, cum terrore & caligine. Non fuit ἔκστασις, ut Græci habent ſed *ſopor,* ut habet Latinus. Eſt enim in Hebræo תרדמה quod à Symmacho verſum eſt κάρος. Proinde ſomnium ipſi oblatum eſt non viſio. Aben-eſdras dicit, hinc patere quod illa ſumptio & diviſio animalum facta fuerit, die ſequente poſt viſionem prophetiæ. Nempe nocte antecedente vidit ſtellas oſtendente Deo, ſequente die paruit mandato Dei jubentis mactare & diviſim ponere animalia. Et circa occaſum hujus diei obdormivit & locutus eſt illi Dominus. In ſomnio trepidatio & terror occupavit mentem & horribilis obtulit ſe caligo. Caligo enim Dei præſentiam indicabat, quemadmodum & trepidatio, qua inhorruit. Dominus ad Abrahamum locutus eſt de peregrinatione ſeminis Abrahami in Ægypto deque reditu in Cananæam poſt menſuram iniquitatis ſuæ ab Amorrhæis impletam.

POSTEROS IN HOSTILI SOLO PER QUADRINGENTOS ANNOS] Joſephus non intellexit hanc ſanctionem, quia putavit Abrahamum Deo ſacrificium offerre voluiſſe & hanc mactationem diviſionemque factam fuiſſe molimen & apparatum ad ſacrificium, parteſque ita poſitas antequam ara ſtructa eſſet oraculum ipſi datum antequam ara facta eſſet. Audiamus Joſephum: καὶ ὁ μὲν ταῦτα ἀκούσας, θυσίαν προσέφερε τῷ θεῷ, κελευσθεὶς ὑπ' αὐτοῦ. ἦν δ' ὁ τρόπος τῆς θυσίας τοιοῦτος: δάμαλιν τριετίζουσαν καὶ αἶγα τριετίζουσαν καὶ κριὸν ὁμοίως τριετῆ, καὶ τρυγόνα καὶ περιστερὰν κελευσθεὶς διεῖλε, τῶν ὀρνέων οὐδὲν διελών· εἶτα πρὶν στῆναι τὸν βωμόν, οἰωνῶν

οἰωνῶν ἐφιπταμένων, ἐπιθυμία τοῦ αἵματος, φωνὴ θεία παρῆν, ἀποσημαίνουσα πονηροὺς αὐτοῦ τοῖς ἐκγόνοις γείτονας ἐπὶ ἔτη τετρακόσια γενησομένους κατὰ τὴν Αἴγυπτον, ἐν οἷς κακοπαθήσαντας βελτίωσθαι καὶ κρατήσαντας πολέμῳ Χαναναίων, ἕξειν αὐτῶν τὴν γῆν καὶ τὰς πόλεις. Quemadmodum ſacrificium putavit eſſe; quod non erat, ſomnians de ara, quæ hic non habuit locum, ita non tantum peregrinationem in Ægypto ſed & bella cum Cananæis includit illis quadringentis annis, qui dicuntur verſu decimo tertio. Debet autem hic locus componi tam cum Exod. XII. 40. quam cum præſentis capitis verſu decimo ſexto. Dicit hic locus, quem ſub manu habemus, *Semen Abrahami peregrinum futurum in terra non ſua: ubi eos ſubjecturi eſſent ſervituti & affl̄icturi quadringentis annis.* Verſu decimo ſexto dicitur: *Generatione autem quarta revertentur huc.* Velitantur inter ſe interpretes & Chronologi. Exiſtimant enim alii numerum illum quadringentorum annorum & quod excedit, ſoli in Ægypto peregrinationi dandum eſſe: alii (& hæc eſt ſententia communis) inchoandum ab Abrahami vocatione aut Iſaaci nativitate, ut peregrinatio patriarcharum in Canaan ſimul includatur.

Primam ſententiam, contra receptam opinionem & conſenſum Judæorum & Chriſtianorum interpretum, defendendam ſuſcepit vir clariſſimus, Gerhardus Johannes Voſſius. Eam fuſa diſſertatione exſecutus eſt in libello de ultimis mundi antiquitaribus. Utriuſque ſententiæ firmamenta & propugnationis argumenta propoſuit, at concluſit pro prima. Quæſtionem hanc perarduam *eſſe & in qua jam ab antiquis temporibus, variè ſe torſerint doctorum hominum ingenia ac noſtro adhuc ſeculo in varias ſcindantur opiniones. Eo,* inquit, *juſtior nobis venia erit, ſi non ex amuſſim iis ſatisfaciamus, quibus aliud quam nobis videtur. Præſertim cum non ſit controverſia de re fidei, ſed quæ ſolum pertineat ad temporum doctrinam: nec agatur de veritate Scripturæ, ſed qua ratione, quæ in iis pugnare inter ſe videntur, facilius poſſint conciliari.* Difficilem eſſe quæſtionem non diffitemur & talem eſſe faſſus eſt Hieronymus, faſſi ſunt alii ſed quæſtionis & nodi difficultatem in eo non poſuerunt, in quo ponit Voſſius. Nemo enim dubitavit quin à vocatione & promiſſione ſeminis Abrahæ uſque ad exitum ex Ægypto, anni fuerint ſolum 430. ſed quæſitum eſt, quomodo cum hoc conciliari poſſit locus Gen. 15. 13. Vocare in dubium, quod certum eſſe putabant, nemo voluit nec in mentem cuiquam veterum venit, ut locum difficilem & dubium explicarent. Voſſius, quod auſus eſt & ante eum pauci, nimis audax eſſe putarunt, dicere, quod 430. annis Iſraelitæ morati ſint in Ægypto. Hieronymus in Ep. ad Galat. 3. 17. loco, quem laudat Voſſius, ſed non integrum, *Supputandi in hoc loco anni ab eo tempore, quo Dominus ad Abraham locutus eſt dicens:* Et in ſemine tuo benedicentur omnes gentes, *uſque ad legis laterem Moyſen: utrum quadringenti triginta anni ſint: vel quomodo in Geneſi ipſi Abraham Dominus polliceatur:* quod poſt quadringentes annos de terra ſervitutis filii ejus exituri ſint? *Non enim parva res eſt & à multis quæſita neſcio an ab aliquo ſit inventa.* Poſtea: *Simplex autem ſenſus, qui in hoc loco texitur, hanc vim habet, ut doceat Apoſtolus, non poſſe per legem, quæ poſtea data eſt, repromiſſiones, quæ ante factæ ſunt ad Abraham, deſtrui, & poſteriora prioribus præjudicare: cum repromiſſiones ad Abraham ante quadringentos triginta annos datæ ſint, quod benedicerentur in illo univerſæ nationes. Legis autem obſervatio, quod qui feciſſet eam, viveret in ea, poſt quadringentos triginta annos Moyſi data ſit in monte Sina.* Hic manifeſtum eſt Hieronymum à promiſſione Abrahæ facta & quidem prima (quæ data in Ur chaldæorum aut Haran) ad legem in Sina putare annos 430. Hoc tanquam indubium ponit, ſed laborat de expoſitione loci Gen. 15. 13.

 Idem

Idem cum Hieronymo ſentit Joſephus Scaliger, qui hunc locum conſtituit inter ἄπορα ſcripturarum. Nam in elencho utriuſque Chronologicæ orationis Davidis Parei ſic loquitur : *Itaque tot ac tanta in ſcriptura ἄπορα occurrunt, quot & quanta ne in omnibus quidem exotica hiſtoria ſcriptoribus animadvertere eſt. In quorum cenſum veniant illi XL anni, quos ſatis mirari non poſſum II. Sam. xv. 7. item 430. anni mora in Ægypto, Exodi XII. 40. A Iacobi enim in Ægyptum adventu, ad tempus Exodi, anguſtius eſt ſpatium, quam ut 430. annos expleat. Rurſus Geneſ. xv. 13. tempus afflictionis Hebraorum in Ægypto definitur annorum 400. Afflictionis initium ſumendum eſſet ab eo tempore, quo omnis generatio, qua cum Iacobo in Ægyptum deſcenderat, in vivis eſſe deſiit, ut diſertè concipitur Exodi primo, 6. Kaath autem fuit unus ex illis, qui cum Iacobo deſcenderant. A nativitate ergò Kaath initium afflictionis capi poteſt, ſiquidem eum extremo vita patris tempore natum fingamus, cujus anni 130. cum 80. annis Moſis componunt annos 210. afflictionis, non 400. Et ſane conſtat pauciores eſſe quam 210. quia Amram non videtur natus extremo vita patris decurſu.* At Cl. Voſſius utriuſque ſententiæ argumenta propugnationes & oppugnationes fuſe & diligenter expoſuit. Videamus, quibus firmamentis muniat primam ſententiam de mora quatuor ſeculorum in Ægypto. Primum argumentum ſumit ex loco Gen. xv. 13. 14. 15. 16. Recitatis illorum verbis addit: *Sic non loca modo ſed etiam annorum numerum expreſſerunt omnes Hebrai codices, item Onkelos & LXX, ut de errore librarii ſuſpicio nequeat oboriri. Quare ſolum hoc curandum, ne vel loca vel tempora, qua Moſes diſtinxit, confundamus. Clare enim videmus meminiſſe duplicis terra: unius, in qua viveret Abraham; alterius peregrina, qua erat Ægyptus. Vtraque conjungitur, cum ait,* Huc revertentur. *Hoc eſt ex peregrina in non peregrinam: ex Ægypto in eam, ubi ſedem ac domicilium habet. Aperte etiam tria tempora diſtinguit: illud, quo vivent in terra peregrina, ubi etiam futurum ait, ut ſerviant & affligantur: Atque hoc tempus fore ait annorum CCCC. Alterum, quo redibunt feliciter in terram patriam. Nempe poſtquam quadringentis illic annis habitarint. Tertium tempus eſt, quod pracedet peregrinationem ac ſervitutem, quando, dicit, non viſurum hac Abrahamum ſed tranquille ſuum obiturum diem. Vbi duplex ſolatium afferatur Abra: unum quod in diebus ejus nihil triſte ejuſmodi continget ei vel ſemini ejus. Alterum, quod Deus qui pradicit hac mala ejus ſemini etiam liberationem ab iis ac reductionem in terram Cananaam polliceatur ei ac ſemini illius. Exponit etiam Deus cauſam, cur tam longo tempore paſſurus ſit ut Amorrhai & alii inhabitent terram Canaan ſemini ejus promiſſam. Ait in cauſa eſſe, quod tanta ſit ſua lenitas, ut necdum velit viſitare peccata Amorrhaorum; ac tunc demum id agere cogitet, ubi illi impleverint peccatorum menſuram. Fortaſſe etiam hunc numerum ſignificat, quando addit redituros in Cananaam ſibi promiſſam generatione quarta videlicet exacta: ut ſape in numero annorum loquitur ſcriptura. Sic generationes quatuor notent totidem ſecula: quomodo γενεᾶς voce etiam utuntur Graci: ut quando Neſtor tertiam dictus vivere γενεάν: ubi ſecundum hiſtoriam quidem γενεὰ ſolum XXX. vel XXXIII notabat annos: verum Poëtis ob vocis ambiguitatem occaſio prabita eſt fingendi eum tertio demum ſeculo deceſſiſſe: unde* triſecliſenex *dictus, & ipſe apud Ovidium ait :*

Vixi bis-centum, nunc tertia vivitur ætas.

Sed de iſtiuſmodi uſu ejus vocabuli non multum contendero, quia & aliter ille locus Moſis accipi poteſt, ut poſteà oſtendam. Videlicet in eo nunc ſolum vis argumenti collocatur, quod ſemen Abraha poſt mortem ejus (imò & Iſaaci addo & exactam

actam prope omnem Iacobi ætatem, quod reticere tum Deus voluit) in Ægypto ſit peregrinaturum annis CCCC. Paulum figamus animum in verba Dei, Dicit: Peregrinum erit SEMEN TUUM. *At aliud Abraham ipſe, aliud Semen Abrahæ: ut verba illa ex vi propria potius excludant quam includant Abrahamum. Et quomodo referantur ad Iſaacum cum ille nunquam exceſſerit Cananæa? Sequitur,* IN TERRA NON SUA. *Ubi tacite opponi videntur terra Cananæa & Ægyptiaca: nempe ut Cananæa intelligatur* SUA; *Ægyptus* NON SUA. *Et quam durè Abraham Iſaac, Iacob tanto ſpatio ſerviiſſe in Canaan dicantur, qui fuerint principes terræ, cumque principum aliis fœdera contraxerint? Denique non dicitur Ægyptiaca peregrinatio ac ſervitus futura annorum CCX. vel CCX. vel CCXX, ſed CCCC. puta ad ſervitutis annos additis annis reliquæ peregrinationis in Ægypto. Nec enim omni eo tempore ſervierunt: ſed bene habiti ſunt octoginta illis annis, quibus in Ægypto poteſtas penes Ioſephum fuit.*

R. Hoc quidem primum argumentum, quod fuſe extendit & hypotypoſi latiſſima diffundit. Contendit quod omnia illa debeant ſeparari:

I. Abraham & ipſius Semen. Ad ſemen ſervitus pertinet.

II. Quod Iſaac & Jacob (magna ex parte) non peregrinati multò minus afflicti.

III. Quod Joſepho rerum gubernacula tenente (quin & aliquandiu poſt) ſervitus & afflictio non fuerit.

IV. Peregrinationem pertinere ad terram Ægypti. In quam exituri ſint è Cananæa & in Cananæam redituri.

V. Illos 400. annos non peregrinatione ſed afflictione & ſervitute finiri. Proinde ſubjectum, τὸ ὑποκείμενον, hujus enuntiati erit, Abrahami poſterorum in Ægypto, inde poſt mortem Joſephi cœpta afflictio. Prædicat de ea, quod quadringentos annos ſit duratura. Sed Cl. Voſſius συνεκδοχικῶς partem poni pro toto concedit, quia afflictio non efficit annos 400. niſi comprehenſa ſimul illa parte peregrinationis, quæ præceſſit ſervitutem. Senſus igitur eſt, Servient donec quadringentos annos in peregrinatione conſumpſerint. Vulgò ita explicatur *Semen tuum peregrinum erit in terra non ſua, & ſubjicient eos ſervituti & affligent quadringentis annis*, Id eſt ut exponit Raſi: משנולד יצחק עד שיצאו ישראל מצמרים ארבע האות שנה: A tempore quo natus eſt Iſaac ad illud, quo egreſſi ſunt Iſraëlitæ ex Ægypto ſunt anni 400. Nos ſic explicamus, ut terminum non durationem Deus indicet. Nempe hac mente: Peregrinabitur tuum ſemen in Ægypto, ſerviet, affligetur uſque ad annos quadringentos exactos circiter à filii tui naſcituri natali.

II. Argumentum depromitur ex hiſtoria Judithæ, cap. V. *Cum operuiſſet omnem terram fames, deſcenderunt in Ægyptum, illicque per CCCC. annos ſic multiplicati ſunt, ut dinumerari eorum non poſſet exercitus. Clare ait* (ſunt verba Voſſii) *per annos CCCC, ſemen multiplicatum in Ægypto, quod temere dicatur, niſi tot annis fuerint in Ægypto.* R. Voſſius hoc argumentum ipſe elidit: *At non multum adeo præſidii reperio in verbis Achioris, quæ habemus in hiſtoria Iudithæ cap. 5. Varie enim reſponderi poteſt. Suffecerint nunc duo iſta: Verba illa* PER CCCC ANNOS *etſi habeantur in editione vulgata, abeſſe tamen à LXX: nec neceſſe, ut autor libri iſta dixerit ex ſententia ſua cum loquentem inducat Achior alienigenam, qui non ſatis exactè callebat res & tempora Hebræorum. Errare igitur ille potuerit quo errante nihilominus debuerit ſcriptor bona fide exprimere Achioris verba, nec meliorem ei adfingere ſermonem, quam habuiſſet: aliter agendo non eſſet functus officio fidelis hiſtoriei. Intereà neque hic deeſt, quod pro priori opinione dicatur. Nam ſi Achior erravit, ad fidem hiſtoriæ intererat, vel*

præteriri illa verba, ut revera in LXX. omittuntur: vel verbum addi, quo oſtenderet ſcriptor, non approbari à ſe Achioris errorem. Quod ſi demus ea verba illic rectè ſcribi & ex mente ſcriptoris, nihil inde aliud efficietur, quam ipſum ſecutum eſſe & expreſſiſſe loquendi modum in Scriptura occurrentem & hunc ipſum locum, eo ſenſu, quo Scriptura exponi debet. Eam figuram ſermonis in Joſepho etiam obſervamus lib. 2. Antiq. cap. 9. tralat. Ruf. Καὶ τετρακοσίων μὲν ἐτῶν χρόνον ἐπ' αὐταῖς διήνυσαν ταῖς ταλαιπωρίαις. Eum enim locum ut refingamus in διακοσίων, adduci non poſſumus quia codices conſentiunt nec illa refictio rem efficit: certum tamen eſt Joſephum omnem in Ægypto inhabitationem ducentis quindecim annis includere. Vulgaris igitur eſt loquendi uſus quem Joſephus etiam ſecutus eſt.

Tertium argumentum à Stephani verbis Act. VII. 6. 7. ubi eadem erit noſtra reſponſio.

Quartum: Act. XIII. 16. 17. 18. 19. 20. *Surgens autem Paulus, manu ſilentio indicto, ait: Viri Iſraëlitæ & qui timetis Deum, audite: Deus plebis Iſraël elegit patres noſtros & plebem exaltavit, cum eſſent incolæ in terra Ægypti, & in brachio excelſo eduxit ex ea: & per quadraginta annorum tempus mores eorum ſuſtinuit in deſerto. Et deſtruens VII gentes in terra Canaan, ſorte diſtribuit eis terram eorum, quaſi poſt CCCCL. annos: & poſt hæc dedit judices uſque ad Samuelem prophetam. Vbi quatuor Iſraelitarum tempora memorantur; unum in Ægypto, alterum in deſerto, tertium uſque ad diviſionem terræ Cananææ, quartum poſtea conſecutum uſque ad Samuelem. Poſtremum non eſt hujus loci: quia ſolum dicitur priorum intervallum eſſe annorum, quaſi CCCCL. Vnde ſic colligitur: cum annis XL. Iſraelitæ fuerint in deſerto, & ab ingreſſu in terram Canaan ſexto demum anno terræ fuerit diviſio, ac γεωργία: ut reſultent anni quaſi CCCCL, annos requiri circiter CCCC, quibus Iſraelitæ fuerint in Ægypto. Iuſto numero ſint anni CCCCXLVI. ſed rotundo optimè quaſi CCCCL. dicuntur. Imò juſtus quoque numerus ſit, ſi aliquot annis diutius fuerint in Ægypto.*

R. Secutus eſt in hac diſtinctione & lectione Vulgatum interpretem, cum juxta Græcam lectionem aliter ſit. Audiamus Bezam in v. 20. *Variè legitur hic locus, ſervato tamen numero 430, quem ubique inveni: ſed varia & perdifficilis eſt horum annorum ſupputatio. Primum igitur de recepta ſcriptura dicemus, quam in Græcis codicibus omnibus noſtris, unico tamen excepto, comperimus. Ea certè 450. annos tribuere videtur ſpatio inchoando ab introitu populi in terram Chanaan, poſt 40. annos in deſerto peractos, quos in illa 40. annorum ſumma non comprehendi declarat iſtud* μετὰ ταῦτα, poſtea. *Quinam autem ſtare calculus iſte poſſit, quum 1. Reg. 9. 1. dicantur ab exitu ex Ægypto ad inchoatam templi ſtructuram, anni tantum effluxiſſe 480. qui numerus omninò retinendus eſt, niſi totam ſacram chronologiam ſubvertere malimus? Nam ſi iſtis 450. addiderimus annos quadraginta in deſerto conſumptos, & totidem Saulis & Davidis, & Solomonis tres, ſurgent anni 533. Quod ſi propter iſtud* μετὰ ταῦτα *illi anni 40, ut modò diximus, in iſta ſumma 450. annorum non poſſint comprehendi, multo minus audiendi ſunt qui alium calculum inſtituentes, nolunt hic ſupputari judicum tempus, ſed illud tempus quod à nato Iſaaco ad diſtributionem Cananitidos interceſſit. Eſt autem illud omnino annorum 447. quamobrem etiam volunt particulam* ὡς, *circiter, additam eſſe. Aliam igitur rurſus innuit rationem vir beatæ memoriæ, & meus ſuperioribus annis in hac Eccleſia collega, Beroaldus. Etenim ſi ſupputes annos ab ingreſſu in Cananitidem uſque ad expletum ultimi Hebr. Iudicis annum quadrageſimum, & primum Samuelis qui ſeorſim hic ponitur, ita ut à libro Iudicum ad 1. Sam. 4. 18. exprimuntur, comperies exacto calculo annos iſtos 450. Sed rurſum obſtat locus 1. Reg. 6. 5.*

Eſt

Eſt autem certiſſimum annos quibus Iſraelitæ non ſemel, prout Iudices moriebantur, ſervierunt extraneis populis, accenſendos eſſe temporibus judicum à quibus liberati ſunt, ac proinde bis numerari, ita ut revera Iudicibus tribuendi ſint tantum anni 397. ſeorſim ſupputatis annis 93. quibus Iſraëlitæ extraneis ſerviviſſe comperiuntur, ſi in unam ſummam ſubducantur. Hunc autem nodum ſic expedit noſter Beroaldus, ut dicat Apoſtolum ſimpliciter eum numerum expreſſiſſe, quem ſigillatim omnes numeri eundo per ſingula libri judicum conſtituunt. At D. Lutherus potius quam iſtud fateatur, mavult pro τετρακοσίοις, quadringentis, ſcripſiſſe Lucam τριακοσίοις, trecentis, & quoniam ſeptem anni ſuperent, (diximus enim 357. annos exacto calculo à Ioſue ad ultimum Heli annum attribui) Paulum idcirco adjeciſſe particulam ὡς, circiter, nempe rotundum (ut fit) numerum exprimere contentum. Huic verò ſententiæ ego quoque aſſentior, non modò quod facilis fuerit in his permutandis vocabulis, ſive numerorum notis, librariorum lapſus, ſed multò etiam magis quod nonnulli etiam ex doctis hiſtoriam Iudicum legentes, & annos 450. collectis particularibus numeris, confici cernentes, non comparato cum iſtis illo 1. Reg. 6. 1. loco, facile decipi, & pro trecentis quadringentos omnino ſcribendos eſſe exiſtimare potuerunt. Paulum autem id ignoraſſe minime credibile videtur, ſed has ſupputationes potius fuiſſe in ſynagogis diligenter obſervatas. Nihil tamen in recepta Græcorum codicum ſcriptura immutavi. Sed vetus Latinus interpres, ſive quòd non congruere judicum temporibus tot annos animadverteret, ſive alios Græcos codices nactus (à Græcis enim cœpiſſe hunc errorem ex Græcorum exemplarium conſenſu apparet) ſic locum iſtum interpungit & interpretatur, Sorte diſtribuit eis terram eorum, quaſi poſt 450. annos: & poſteà dedit judices, &c. id eſt, κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν, ὡς μετὰ τετρακόσια πεντήκοντα ἔτη, καὶ μετὰ ταῦτα δέδωκε κριτὰς, &c. quam ſcripturam ſi ſequamur, Paulus tempora judicum non expreſſerit, eruntque anni iſti numerandi à nato Iſaaco, ſemine videlicet Abrahami, cui promiſſa fuerat terra, qui calculus hoc modo ſubducendus eſt: A nato Iſaaco ad exitum ex Ægypto anni 400. Geneſ. 15. 13. ut expoſuimus ſupra, 7. 6. His adde quadraginta quibus commorati ſunt in deſerto, & iſtis rurſum alios ſeptem quos inter ingreſſum in Cananitidem & diſtributionis ſortitionem interceſſiſſe conſtat ex comparatione initii cap. Num. 9. cum ejuſdem libri 13. & verbis Calebi Ioſ. 14. 10. & conſurget ſumma annorum 447. pro quo numero deminuto Paulus rotundiorem ponens tribus annis ſuperantem addiderit particulam ὡς, circiter. Sic igitur conveniet calculus. Sed ita fiet ut anni quadraginta commorationis in deſerto bis hic numerentur. Deinde apparet ex recepta Græcorum codicum lectione, iſtam omnem Chronologiam hic inchoari ab exitu ex Ægypto, & ad Davidem uſque ſic perduci, ut tria tempora ſigillatim & diſtincte non temerè diſtribuantur, nempe commorationis in deſerto, gubernationis ſub Iudicibus, & principatus Saulis cum Samuele ſeorſim conjuncti: quæ diſtributio tollitur ſi receptam latinam verſionem ſequaris, ex qua emendatus vel potius depravatus quidam codex Græcus, Pariſiis editus, ſic habet contra cæterorum fidem, κατεκληρονόμησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις πεντήκοντα, καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκεν αὐτοῖς κριτὰς, &c. Arabs denique interpres, nihil alioqui à Græca recepta lectione & Syra interpretatione diſſidens, eo excepto quod quadraginta annos Samuelis & Saulis præterit, videtur Franciſco Iunio doctiſſimo viro, à quo Latinè verſa eſt illa Arabica tranſlatio, particulam ὡς accipere non pro Circiter, ſed pro ἐπειδὴ, poſtquam, & iſtos 450. annos ab exitu ex Ægypto ad annum Davidici regni octavum exeuntem, quo demum totius Iſraëlis conſenſu regnum eſt adeptus, perducere, quamvis totum hoc ſpatium annos duntaxat 445. complectatur. Sed verba ipſa non cogunt nos ad hanc explicationem, & hæc quoque ſupputatio mihi quidem videtur ſuperius adductis rationibus refelli. Hactenus Beza. Græcam igitur lectionem adverſantem

ſibi

ſibi habet Cl. Voſſius. Unum codicem Beza videtur excipere, ſtantem pro editione Latina. Græcam lectionem exhibent Syrus, item Arabs Erpenianus & qui eſt in bibliis Anglicanis. Quodſi etiam Latinam editionem ſequi placet, ut 450. anni tribuantur tempori ad ſortitionem terræ ſeu γεωργίας elapſo, inde tamen non ſequitur, quadringentorum annorum fuiſſe exilium in Ægypto. Lyranus, Salianus, Tyrinus & alii, qui Latinam editionem ſequuntur, principium illorum 450. repetunr à nativitate Iſaac. Quintum argumentum ex Exodi XII. 40. Ubi ſcribit Moſes habitationem filiorum Iſrael in Ægypto fuiſſe annorum 430. Urget autem, quod de *habitatione in Ægypto* diſerte loquatur ſcriptura & quidem *filiorum Iſrael. Quæ verba* (inquit Voſſius) *eò magis in conſiderationem veniunt, quia, ſi uſpiam exprimi clarè conveniebat, quot annis Iſraelitæ in Ægypto fuiſſent, ſane id hic ut proprio loco fieri debuit. Fusè enim eo loco deſcribitur eductio Iſraelitarum ex Ægypto: imò apud Græcos & Latinos, libro inde Exodi nomen datum fuit. Ut omnino ſatius videatur, quæ alibi breviter vel brevius dicuntur, ex hoc loco declarare, quam velle interpretari hic dicta ex iis, quæ alibi verbo ſolum attinguntur.*

Reſp. 1. Etſi habitatio filiorum Iſrael in Ægypto hic tantum exprimatur, nihil tamen vetat ſubintelligi patrum peregrinationem in Canaan, quia ſynecdoche eſſe poteſt. Sic intellexerunt Græci, qui addiderunt, in Canaan & Ægypto. 2. Terminus notatur in æra quadam, quæ hic abſolvitur. Conveniebat enim numerari annos ab Abrahami vocatione, quæ promiſſionem habebat, quam omnes in fide reſpiciebant. 3. Hoc in loco, ubi finem habitura erat diutina exſpectatio, & Deus daturus, quæ Abrahamo promiſerat, debuit vocationis & promiſſionis ſuſpenſa duratio exprimi, quot annis patres tenuerit. Finis enim eductionis erat promiſſionis implementum, ut ipſe Deus docet Moſen, quem in liberatorem vocat & conſtituit, Exod. VI. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Libro nomen eſt Exodi, non quia eductio ex Ægypto omnem libri materiam faciat, ſed quod eventus ille ſit nobiliſſimus & aditum parans ad cætera. 4. Non poteſt ratio adferri, cur habitatio Iſraelitarum hoc in loco dicatur fuiſſe annorum CCCCXXX. alibi (nempe Gen. 15. 13.) annorum ſolum 4000. Nam ſi ad Joſephi abductionem reſpici dicas, ea non poteſt habitationis filiorum Iſraël vocabulo appellari. Habitatio enim illa cœpit, ab iis quæ Geneſ. 46. narrantur & ad ea digitus hic intenditur. Unde v. 4. *Ego* אֵרֵד *deſcendam tecum* מִצְרַיְמָה *in Ægyptum: Et ego* אַעַלְךָ גַם־עָלֹה *faciam aſcendere te aſcendendo.* Ita ſcriptura initium deſcenſus filiorum Jacob ſeu Iſraelitarum in Ægyptum nunquam aliunde petit niſi à deſcenſu Jacobi. Confer etiam v. 26. 27. & cap. XLVII. 27. 28. Verſu utroque dicitur habitaſſe in Ægypto tum Iſraël tum Jacob. Voce Iſrael manifeſtè notantur Jacobigenæ.

Sextum argumentum, quo oſtendere volunt non potuiſſe 210. aut 215. annis ſeu etiam paulo pluribus fieri quod factum fuit. Nempe ſtupendam multiplicationem Iſraëlitarum in Ægypto, qui propullulârunt ab numero hominum LXX. uſque ad ſexcenta armatorum millia. In quem numerum non venere pueri, aut mulieres, fortaſſe nec calones (inquit Voſſius) nec lixæ, ſed ſolum illi, qui propriè militum loco poterant cenſeri. Cl. Voſſius fatetur ſibi id argumentum parum firmum videri. Quia negari non poteſt dicere ſcripturam, poſt exceſſum Joſeph, & eorum, qui non multò minoris ætatis cum ipſo vixiſſent, Iſraelitas propterea exoſos, quod ii tantopere eſſent adaucti, ut rex Æypti ab iis formidaret genti ſuæ, qua jam tum fortiores viderentur Exod. 1. 6. 7. 8. 9. 10. *Si tantopere* (verba hæc & diſcurſus Voſſii) *erant multiplicati non adeò multum poſt mortem Ioſephi & Levi; quid mirum, ſi*

infinitis

infinitis prope partibus major fuerit numerus ac pene incredibilis, cum excederent Ægypto? Nam ex ducentis & viginti paulo minus eſt ſpatium ab ingreſſu Iacobi in Ægyptum uſque ad mortem Levi; majus illud ab ejus morte uſque ad egreſſum ex Ægypto. Id ſic demonſtrat:

Ab adventu Jacobi in Ægyptum ad mortem ejus Gen. 47. 9. 27. ſunt anni	17.
A morte Jacobi ad mortem Joſephi (Gen. 50. 22. 25.)	54.
A morte Joſephi ad mortem Levi (Gen. 29. 34. & 30. 24. Exod. 6. 16.)	23.
Conſiunt igitur hinc anni	94.
Hoſce annos ſi auferamus ab 120. ſuperſunt anni	196.

Quod ſi tantopere (inquit) *à paucis in ſpatio minori fuere adaucti Iſraelitæ, quid non de multis putandum in ſpatio majori?* Quare non male *Auguſtino attributus liber Quaſt. in Geneſin, Qu. 37.* His (*ccxv. annis*) quantum multiplicari potuerint Hebræi ſi fœcunditas hominis conſideretur, adjuvante illo, qui eos voluit valde multiplicari, reperietur non eſſe mirum, quod in ſexcentis millibus peditum egreſſus eſt populus. *Clariſſime vero Temporario & Calviſio demonſtratum nihil abſurdi habere, ſi intra annos ſolum CCXX. vel paulo pauciores excreverint Iſraelitæ uſque ad ſexcenta millia.*

Nunc videamus argumenta ſententiæ alterius, quæ communis eſt. Hic primum eſt locus eſt Pauli ad Galat. 3. 16. 17. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus. Non dicit; Et ſeminibus, quaſi in multis; ſed quaſi in uno, Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Hoc autem dico: teſtamentum confirmatum à Deo, quæ poſt CCCCXXX. annos facta eſt lex, non irritum fecit ad evacuandum promiſſionem.* Hic conſiderari debent & initium & finis intervalli ejus, quod dicitur annorum ccccxxx. Initium ducitur à promiſſione Abrahæ facta, finem ſtatuit in lege lata. Lex lata tertio menſe poſt exitum ex Ægypto. Patet hinc ſupputatione annorum ante ingreſſum, moram in Ægypto non exceſſiſſe multum annos ducentos. Hic negant adverſæ ſententiæ patroni verba Pauli loqui de omni illo intervallo à promiſſione primitus facta ad legem: ſed capi oportere de tempore, quo poſtrema facta eſt Jacobo, priuſquam ex Canaan exiret. Cl. Voſſius ſuam reſponſionem præmunit ita: Primò, *ubi controverſia non eſt de fide ſed re hiſtorica antiquorum temporum: quorum notitia è veteris teſtamenti libris petenda: præſertim iis ex locis, ubi non obiter hiſtoria attingitur ſed ex profeſſo ac fuſe tractatur,* explicatio peti debet ex veteri teſtamento, *unde etiam quæ referunt, hauſere Novi Teſtamenti ſcriptores.* 2. Non *ſolum ex Veteris inſtrumenti libris habemus illud de Ægyptiaca habitationis annis cccc vel ccccxxx. ſed novi etiam fœderis, ut anteà vidimus.* 3. *Multis partibus facilius eſt conciliare illa Apoſtoli verba de annis ccccxxx promiſſionis ac fœderis uſque ad legem latam, cum Moſe & aliis qui totidem annos ponunt habitationis in Ægypto: quam conciliaveris illa de totidem annis à fœdere cum Abraha ſancito, uſque ad Exitum ex Ægypto.* R. I. Suſcipimus quod prima exceptione dicit, agimus gratias pro eo quod dat liberali manu. Nam contra eruditiſſimum ſummi viri filium valet & militat: adverſus, inquam, virum maximum, qui Pſeudo-Cainanem voluit à Moſe potius omiſſum eſſe quam à Luca ſimpliciter, ex opinione vulgi recenſitum. Res eſt hiſtoricæ controverſiæ quam Moſes ex profeſſo tractat. 2. Veteris teſtamenti loca, ſi ſint dubia, ſi ἐναντιοφανῆ cum aliis locis V. T. commoda expoſitione debent componi. 3. Novi fœderis loca illa, quæ in ſpeciem pugnare videntur, ex profeſſo non agunt de illo intervallo, quia id non agitur, ideò loquuntur ex communi more. 3. Poſtremam illam præmunitionem negamus. Proferat

ferat enim Cl. Voſſius ſuam conciliationem. *Hac igitur* (inquit) *ſententia eſt noſtra, Apoſtolum ad Galatas non reſtringere promiſſionem ad diem unum, ſed longum tempus ſignare. Promiſit Deus Abrahamo in Vr Chaldaorum, amplam poſteritatem, opum affluentiam, illuſtre nomen, amorem eorum, qui illum amarent, odium qui odiſſent &, quod caput eſt, omnium gentium benedictionem in ſemine ex eo naſcituro. Nec Deus ſemel contentus fuit hac dixiſſe. In Cananaa enim poſteà quater eidem inculcavit. Repetita quoque eſt promiſſio Iſaaco. Ac denique etiam Iacobo. Qua omnia clarè nobis in Geneſi memorantur. Vt nihil cauſa urgeat, cur eum Paulus dicit, promiſſionem Abraha factam, & ſemini ejus: atque addit, ex quo Deus promiſit iſta Patriarchis, uſque ad legem latam, eſſe annos ccccxxx; initium ejus intervalli ducamus ab eo tempore, quo Abraham deceſſit ex Vr Chaldaorum, vel quo Haran Meſopotamia reliquit, vel quo poſt decennium in Cananaa fœdus à Deo cum Abraha ſancitum fuit: ſed contrà tot aperta ſcriptura loca compellunt, ut ſpatium illud incipiamus ab eo tempore, quo Deus Abrahami, Iſaaci, & Iacobi, poſtremò iis promiſit. Sunt autem promiſſiones poſtrema quodammodo dua: una in Bethel, qua ἁπλῶς ultima dici nequit: attamen poſtrema poteſt vocari ex iis, qua Iacobo in Cananaa habitanti facta ſunt. De hac legere eſt Geneſ. xxxv. 11. 12. Altera vero eſt ἁπλῶς poſtrema, qua facta illi eſt in Beerſeba, cum animo jam deſeruiſſet Cananaam, atque iter faceret in Ægyptum, nihil aliud aque ſperans, & ſpirans, quam, ut ante obitum ſuum conſpicere liceret dilectum caput, filium Ioſephum, non ſuperſtitem modò, ſed etiam principem Ægypti. De hac promiſſione legas Geneſ. XLVI. 3. 4. Promiſſio illa, de qua prius dictum, facta eſt non multò ante venditionem Ioſephi: imò fortaſſe & eopſe anno, quo venditio contigit. Quod ſi eſt, ut à venditione, ſic ab illa apparitione Dei, uſque ad Iacobi profectionem in Ægyptum, anni fuerunt XXII, cum aliquot menſibus. Id ſpatium ſi addamus ad annos CCCCVII cum menſibus paucis, quibus poſt Iacobi adventum Iſraëlita fuerunt in Ægypto, habemus illos ccccxxx annos, quos Apoſtolus ſtatuit inter promiſſionem, & legem. Nam exitum ex Ægypto, & lata legis tempus, in eundem incidere annum, ſatis apertè Moſes tradit: ut qui legem dicat in monte Sinai eſſe promulgatam tertio menſe, ex quo Iſraëlita exierant ex Ægypto. Quod verò ad alteram promiſſionem, quam ἁπλῶς ultimam vocabamus, cum ea facta ſit, Iacobo jam iter in Ægyptum ingreſſo, neceſſe eſt eodem ut anno contigerit, quo Iacob in Ægyptum venit: ut ſive dicas, à promiſſione uſque ad legem latam, ſive ab adventu Iacobi in Ægyptum, uſque ad exitum Iſraelitarum, idem annorum ſpatium deſignetur.* R. Ab illa ultima promiſſione, quæ Jacobo facta eſt, Gen. 46. 3. 4. putat deducendum eſſe initium annorum 430, quos dicit Apoſtolus Gal. 3. 17. quia ſic apte conſentiat hic locus Apoſtoli cum Exod. 12. 40. Nam cum ingreſſu in Ægyptum cohæret illa ultima promiſſio. Sed 1. intuenda verba Apoſtoli, quæ diſerte ponunt promiſſionem Abrahamo factam non Jacobo. Propoſitio probanda erat, Promiſſionem Abrahamo & ſemini ejus factam (ſemen ejus Chriſtus eſt) ſtare, etiam ſuperveniente lege. Et quidem eo minus poſſe dirui, quia rata facta erat. Ita etiam non à κυρώσει ſed ipſo introitu promiſſionis annos datæ legis computat. 2. Nulla ratio permittit à Jacob inchoari promiſſionis initium aut epocham, quia nuſquam illa promiſſio Jacobo, ſemper Abrahamo appropriatur. 3. v. 19. loci laudati: *Si hereditas è lege ſit, non eſt è promiſſione:* Atqui Deus Abrahamo δι' ἐπαγγελίας κεχάρισται. Τί οὖν ὁ νόμος; τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη. Vides legis ſuperventum ad promiſſionem ita conjungi, ut medum intervallum ſit inter promiſſionem ab Abrahamo acceptam & datam legem. Nam promiſſio operata per fidem etiam Abrahamo dedit hæreditatem, quod ita uſque ad legem fuit, nec legis adjectione mutatur.

Secun-

Secundum argumentum ſumitur à conſenſu LXX, Flavii Joſephi, Rabbinorum & plurimorum veterum recentiumque Eccleſiæ doctorum. Hic regerit Voſſius primò: LXX interpretes manifeſte vim faciunt verbis Moſaicis. *Nam quid liquidius hiſce verbis Exod. 12. 40. Habitatio filiorum Iſrael? Non igitur illic ſermo eſt de Abrahamo, Iſaaco & Iacobo: utcunque hic in Ægypto etiam fuerit. At LXX. liberaliter ſatis de parentibus etiam Iſraelitarum addiderunt. Solum quoque hic dicitur de tempore, quo Iſraelitæ manſerunt in Ægypto. Ut clare excludatur tempus, quo habitarunt in Cananæa. At hoc quoque adjecerunt LXX. Niſi fortaſſe non tam eorum hæc culpa eſt, quam aliorum, qui ſic interpolarint. Sed ſive ſic LXX, ſive poſteà alii, ſic voluerunt eum locum παραφθείρειν, nihil æquè eos commoviſſe videtur, quam quod duæ ſolum generationes memorentur inter Levi & Moſen: qui numerus non videtur poſſe explere ſpatium annorum quadringentorum & triginta. Hanc quidem rationem adfert R. Salomon Iarchi in Exodi vi. Sed quo pacto huic argumento occurri poſſit ſuperius vidimus. Quare cum Iudæi infirmo admodum argumento moti ſint ad ita ſentiendum: nihil eſt, quod Ioſephi, vel Rabbinorum nos moveat autoritas ad abeundum à verbis Moſis clariſſimis. Vulgarem autem LXX codicum autoritatem ingenti agmine ſecuti ſunt Græci latinique Patres. Sed enim hoc non præjudicat Hebræis codd. vel temporibus noſtris. Sanè vetus Eccleſia ſecundum LXX annos mundi, etiam in conciliis Oecumenicis, computabat. Qua de re aliquid etiam diximus in Diſſertatione de natali anno Chriſti theſi XLV, & XLVI. Nunc tamen tum Theologi, tum Chronologi Hebræos potius codd. ſequuntur: ac Chriſtum non poſt annum mundi quinquies milleſimum & centeſimum, ſed aliquanto ante quater milleſimum, eſſe natum arbitrantur. Quod ſi in diſcrimine annorum CIↃCC diſcedere licuit à LXX interpretibus, quos Græci Latinique Patres, atque adeo Generalia Concilia, ſequi ſolerent: cur non idem liceat in diſcrimine, quod tantummodo ſit annorum circiter ducentorum? Sane gravis apud me ſemper erit auctoritas LXX interpretum; ſed tanquam interpretum: non autem quaſi præferri mereantur conſenſui codicum Hebræorum, qui ſcripti ſunt ab hominibus extra dubium θεοπνεύστως.* R. Conſenſum eum ſic diruere conatur, quod infirmo nitatur fundamento & ortum debeat autoribus infirmis rationibus fultis. Nempe LXX & Rabbinos niti eo, quod inter Levi & Moſen tantum duæ generationes memorentur, qui ſpatium 400 annorum non poſſint implere. Se illam rationem ſuperius refutaſſe. Nos mox videbimus, qualis ſit illa refutatio. LXX interpretes & Joſephum parum firma ratione ſuffultos ſequi Patres Græcos Latinoſque. Fatetur conſenſum illum magnum eſſe & diffuſum, at licere diſcedere, ut hodie Chronologi & Theologi diſcedunt à numeratione temporum primæ & ſecundæ ætatis è ſeptuaginta interpretibus deducta & magno conſenſu comprobata & obtinente apud Patres & concilia, quia putant illum conſenſum non debere præjudicare Hebræorum codicum conſenſui. De eo diſceptatur inter nos & Voſſium alioſque primæ ſententiæ ſequaces, an Hebræi codices ita velint ut illi an ut nos. Recipimus igitur contra Voſſii filium, axioma quod inculcat Pater, *Autoritatem LXX interpretum gravem eſſe, non autem quaſi præferri mereatur conſenſui codicum Hebræorum, qui ſcripti ſunt ab hominibus extra dubium θεοπνεύστως.* Exiſtimat enim ille conſenſum codicum Hebræorum, qui nunc exſtant, tanti non eſſe.

Tertium argumentum à paucitate generationum in Ægypto, quæ tanto annorum numero repugnat. Id ita Voſſius deducit: *Nam inquiunt, omne id ævum, quo fuere in Ægypto, tranſactum eſt ſub hiſce quatuor, Levi, ejus filio Cahat, nepote Amram & pronepote Aaron. Atqui Levi*

Vixit ſolum (ut eſt Exodi 6. 16) annos 137

Filius ejus Cahat (ut eſt ibidem v. 18.)	133
Cahati autem filius Amram (ut legas v. 20)	137
Amrami vero filius Aaron, (cum triennio natus ſit ante Moſen ac ante eum uno anno obierit: Moſes autem deceſſerit annos natus 120) moriens annorum ſolum fuit	133
Quod colligere eſt partim ex Exod. 7. 7. partim ex Num. 33. 38.	
Summo eſt ann.	529

Primum hinc jubent auferre 39 annos, quibus Aaron in deſerto fuit; tum 47, quos Levi habuit priuſquam ingrederetur Ægyptum. His ablatis ajunt ſolum annos ſuperfore 443. Et hactenus rectè ſine dubio Calculos ſubducunt. Addunt porrò (quod poſteà expendam) demi præterea oportere annos, quibus Levi cum Cahat, Cahat cum Amram, Amram cum Aaron vixit. Alioquin enim eoſdem annos bis in rationem venturos. Etſi vero alii aliis citius tardiuſque operam dare liberis ſoleant, non tamen iniquum ſe poſcere putant, ſi ſtatuant ſingulos cum patre annos vixiſſe XXX, antequam & ipſi patres fierent. Itaque 90 præterea annos eſſe auferendos: quos ſi reſeces ab illis 443, ſolum ſuperfore 350. Negant igitur quod de annis quatuor generationum diximus, conſiſtere poſſe cum eo, quod Iſraëlitæ in Ægypto peregrinati dicuntur annis 400; nedum in ea annis fuerint 430. Idem ſic aliter commonſtrant: Caath cum patre Levi & avo Iacobo, deſcendit in Ægyptum: ut eſt Geneſ. 46. 8.

II. Fuerit eo ipſo anno natus. At vixit, ut oſtenſum, annos	133
Amram ejus filius	137
Moſes Amrami filius, cum educeret Iſraelitas ex Ægypto erat annorum	80
Summa anni	350

At demendi ſunt anni, quibus Moſes cum Amram, Amram cum Caath vixit. Præterea nec ipſo anno exitus ex Ægypto natus fuit Caath, quia frater junior Merari & ipſe in Cananaa natus fuit: ut liquet ex Geneſ. 46. 11. Hanc rationem prolixe ſolvit Voſſius. Nos autem id totum in hac Bibliothecæ noſtræ ſupellectile repræſentabimus, quia hoc quod ille dixit diſertiſſime & laborioſiſſime propoſitum eſt & robur ſententiæ continet, quo ſoluto cadet. Sic igitur ille: *Primò hæc objectant quod quatuor illi, Levi, Caath, Amram, & Moſes, omnium annis in unum collectis, non diutius vixerint quam annos 529. ab his vero demi oporteat tum annos 47, quot habuit Levi, priuſquam in Ægyptum abiret, tum 39. quibus Aaron fuit in deſerto: quomodo reſidui ſolum erunt anni 442. Hoc totum lubentes recipimus: Progrediuntur deinde hunc in modum. Ne iidem anni bis numerentur; præterea neceſſe eſt, ut eos annos adimamus, quibus & Levi in Ægypto cum Cahad, & Cahad cum Amram, Amram cum Moſe vixit. Et hic æquum mihi poſcere videntur. Denique petunt illud ſibi dari, parentes iſtos Levi, Cahad Amram, ſaltem annos XXX. cum liberis vixiſſe: ac proinde XC. præterea de illis 443. annis auferri oportere: quomodo ſolum ſuperſint CCCC. Vnde colligunt, fieri non poſſe, ut annis in Ægypto vixerint CCCC, nedum pluribus. Sed nimium poſtulant, cum illud dari ſibi volunt, ſingulos trium illorum cum liberis ſuis annis vixiſſe XXX. Non quaſi per ſe abſurdum ſit; ſed quia nihil ſit opus hoc largiri, quod è ſcripturis evincere non poſſunt, præſertim cum adverſetur ei, quod de habitatione Iſraëlitica CCCC annorum in Ægypto clarè ait Scriptura. Nam abſque eo eſſet, nollem de iſto ſerram cum iis reciprocare. Nunc cur tam ſiniſtra ſit noſtra liberalitas? Nec enim perpetuum eſſe deceat, proavus, avus, pater, XXX annis vivent, cum ex ſe natis. Siquidem poſtumi, qui ne unum quidem annum, vel etiam diem, vixiſſe cum patre poſſunt, æque ac alii, ubi ætas maturuit, uxores ducunt, ac prolem*

lem procreant. Sed nullus ex tribus illis, Cahad, dico, Amram & Moſe, poſtumus fuerit. Nonne multi naſcuntur haut multò ante patris exceſſum, alius anno patris ultimo, alii ante mortem ejus anno quinto vel decimo, alius vigeſimo, vel præter propter? Nec diffitebor, debere etiam in conſiderationem venire, quod Levi poſt Cahad genuerit Merari: Cahad poſt Amram procrearit Iſaar, Hebron, & Oziel: Amram quadriennio poſt Aaron generarit Moſem. Sed omnes hæ generationes non ſibi neceſſario majus ſpatium requirunt, quam octennium. Quibus detractis de annis XLIII (tot enim ſupra CCCC reſidui erant) relinquuntur anni XXXV. Hoc ſpatium ſic dividamus, ſi lubet, ut poſt generationem ultimam ſingulis demus annos undecim, menſes octonos, quibus cum liberis vixerint. Sive ſi ſic malis, uni demus ternos annos, alteri denos, tertio vicenos. Imò ſi tertio ſolùm dentur anni ante mortem XII, ſic quoque ſuus calculus conſtabit ſententiæ, qua dicebamus, Iſraelitas in Ægypto fuiſſe annis CCCCVIII: atque hos annos junctis illis XXII, quibus Ioſephus ante fratres in Ægypto habitavit, conficere annos CCCCXXX: quot annis Iſraelitæ habitaſſe dicuntur in Ægypto.

Verum inquient nos ſimiles eſſe oratorum quorundam, quibus luxuriat oratio in diluendis levioribus adverſarii argumentis: cum graviora ſæpius prætereant. Nam eos, qui hanc ſententiam oppugnant, non tantum in iis, quæ retuli, fiduciæ ponere, quam duobus aliis, quæ hactenus præterii. Eorum prius eſt, quod conſtituimus Cahad eſſe genitum in Ægypto. Alterum quod genitum putamus extrema ſenectute: nec eum modò, ſed & Amram, & Aaronem cum Moſe. At prius horum manifeſte refelli à Moſe, Geneſ. XLVI. 8. Hæc ſunt autem nomina filiorum Iſrael, qui ingreſſi ſunt in Ægyptum. Ac verſ. 11. Porrò filii Levi, Gerſon, Cahad, & Merari. Propterea ajunt, ſi nos putemus ab iis clara ſcripturæ verba perverti, quibus agitur de CCCC *vel* CCCCXXX *annis habitationis in Ægypto; ſe viciſſim putare, à nobis perverti clara Moſis verba de Caatho in Ægyptum deſcendente cum avo Iacobo. Nam apertè ait, Cahad eſſe genitum in Cananæa, inque Ægyptum eſſe profectum cum patre ſuo Levi: qui in eam venit annos natus* XLIII; *inque ea habitavit annis* XCIV: *in univerſum autem vixit annos* CXXXVII: *ut eſt Exodi* VI. 16.

Magni ponderis hoc argumentum foret, niſi manifeſtè liqueret, non id ſtudio fuiſſe Moſi, ut ſolos memoraret, qui nati fuiſſent in Cananæa, cumque parente vel avo profecti eſſent in Ægyptum: ſed admiſcuiſſe etiam, qui vel ante obiiſſent, quam in Ægyptum iretur, vel poſtea eſſent nati, quam eo eſſet itum. Ac de priori manifeſtè colligitur ex his verbis verſ. 12. Filii autem Iuda, Er, & Onan, & Selah, & Peres, & Serah. Sed mortuus erat Er, & Onan in terra Canaan. De altero liquet ex verſ. XX; *ubi addit, Ioſepho in Miſraim natos, Manaſſe, & Ephraim. Sed enim, inquiunt, de his ipſa indicat Scriptura: at de Cahad, & Merari, id non dicit: eoque neque id nobis ſtatuendum. Sanè non dicendum, niſi ex aliis Scripturæ locis id conſequeretur. At hic ſuadent eam ſententiam, quæ de* CCCC *habitationis annis prodit Scriptura. Ac ne in aliis quidem Iacobi nepotibus id perpetuum puto, quod pro certiſſimo adſumunt. Prorſus enim cenſeo, ſecus eſſe in liberis Phares, Heſron, & Hamul: qui itidem Geneſ.* XLVI. 12. *referuntur, cum tamen geniti ſint, multo poſt deſcenſum in Ægyptum. Ac de Heſron, idem quoque agnoſcit Pererius ad Geneſ. cap.* XLVI. *licet non multò ultra ducentos annos, fuiſſe Iſraelitas in Ægypto arbitretur. Atque idem, etſi aliter aliis videatur, ſtatuere non dubito de liberis Benjamini. Nam ſimiliter Geneſ.* XLVI, *poſtquam v. 8. promiſſus eſſet catalogus eorum qui cum Iacob ingreſſi Ægyptum eſſent, ut in his reponuntur verſ. 11. tres filii Levi: ita in iis poſtea memorantur filii decem Benjamini. At filiorum alii, qui omnes majores natu Benjamino, ſummum referuntur liberi quini, aut ſeni: ut quod de denis Benjamini liberis dicitur, capiendum videatur non de iis ſolum, quos in Cananæa ge-*

nuit, ſed etiam illis, quos genuit in Ægypto. Hoc magis liquebit, ſi ætatem cogitemus Benjamini in Ægyptum proficiſcentis, & tempus quo illis ſeculis ſolerent matrimonio jungi. Vxorem quando duxerit Scriptura non dicit: ſed ſi majorum inſtiterit veſtigiis, vix id factum ſit ante annum ætatis XL: *quo cum Rebecca nuptias fecit avus Iſaac: ut eſt Geneſ.* XXV. *atque item patruus Eſavus uxorem demum duxit: de quo eſt Geneſ.* XXVI. *Ac Iacobus jam ſeptuagenarius erat, cum nuptum illi data Lia & Rachel. Ioſephus tamen* XXX *ſolum annorum fuit, ſi ſimulatque principatum adipiſceretur, domum duxerit Potipharis filiam, principis in On. Verum hic non tam ſponte uxorem adſcivit, quam Pharaonis arbitrio accepit. Interim eſt, ut & Benjamin tam citò matrimonium inierit. At idem in Ægyptum venit cum* X *liberis: quorum nomina hobemus Geneſ.* XLVI. *Præter tot filios etiam filias habuiſſe veriſimile eſt: utcumque ſequioris ſexus rarò ſoleat meminiſſe Scriptura. Gemellos in liberis illis fuiſſe, nuſquam dicit Scriptura. Atque ut fuiſſent deni ſic quoque, niſi ſemper gemelli fuerint, nullaque filia, decennium requirant, ut lactationi etiam tempus detur. Haccine, iis temporibus convenerint annos ſolum habenti* XXX? *At quanto id abſurdius fuerit, ſi mater Benjamini Rachel, cum Iacobo ſolum annis vixerit* XXIII; *quod à Demetrio proditum, & ex eo ab Alexandro Polyhiſtore, & ex illis ab Euſebio relotum. Sic enim nec ipſe, cum Ægyptum proficiſceretur, plurium fuerit annorum, quam viginti trium. Nam Iacob uxores ſuas duxit anno atotis* LXXXV, *ſive ineunte ſervitutis apud Labanum octavo. At anno ætatis* CXXXI *in Ægyptum venit. Diſcrimen eſt annorum* XLVI, *quorum* XXIII *cum Rachel vixit, ut à morte Rachelis non plures ſuperſint quam* XXII, *& aliquot fortaſſe menſes. At cui veriſimile ſit Benjaminum ut vel daremus eum quotannis genuiſſe prolem, eamque vitalem ſemper, & nullas in ea filias fuiſſe, nihilominus habuiſſe filios decem ante annum ætatis quartum & vigeſimum. Nec enim arbitror quemquam ſtultè adeò ſapere, ut mihi objiciat, quod legere eſt tractatu* סנהדרין פ״ח *homines quoſdam anno ætatis octavo genuiſſe liberos: illud paullo minus ridiculum, à prima pubertate cœpiſſe gignere liberos: quomodo decenninm exegerit, priuſquam exiret in Ægyptum. Addunt non eſſe mirandum ſi decennio denos genuerit, cum Iacobum conſtet intra ſeptennium procreare novenos: nempe Ruben, & Dinam, atque interjectos: imò denos, ſi Ioſephum quoque in ſecundi ſeptennii fine potius natum malimus, quam initio anni ſequentis. Sed enim quam male convenit temporum illorum moribus, ut initio pubertatis matrimonium inirent? Quodque ad Iacobum, genuit ille ſeptennio novenos, aut denos liberos, ſed è duabus uxoribus, ac totidem ancillis. At nunc ſermo nobis de liberis ex una uxore, & quam geminos edidiſſe nuſpiam dicat Scriptura.*

Alterum, quod intorquent, argumentum hujuſmodi erat, nuſpiam id dicere Scripturam, & Levi, & Cahad, & Amram, genuiſſe liberos in ſumma ſenectute: eoque, quæ de hoc protulimus, habenda eſſe pro inanibus conjecturis, ac temerè confictis. Iis qui ſic ratiocinantur, illud reſponſum velim, non eſſe pro meris divinationibus, ac vanis habendâ commentis, quæ in apertis Scripturæ verbis ſuum habent fundamentum. At quoties & quam clarè Scriptura dicit, Iſraëlitas in Ægypto habitaſſe annis CCCC, *vel etiam pluribus? Atqui eadem Scriptura inter Levi, & Moſen non ponit plures generationes, quam Cahadi, & Amrami. Vnde ex ea hypotheſi, quod ut ipſi contendunt, nullæ generationes à Moſe ſint præteritæ, clarè conſequitur, Levi, Cahad, Amram, genuiſſe filios ſuos jam centenarios, & quod excurrebat. Qui hoc non poſſunt in animum inducere, ecquid pro ſe adferre poſſunt, niſi negando illud de annis* CCCC, *quod ſubnixum eſt verbis Scripturæ clariſſimis, quæ, ut ſuſceptam hypotheſin tueantur, meo quidem judicio, mirè & miſere torquere, ac pervertere coguntur? Quod factum nolim.*

Sed

Sed enim dixeris, non tam illud eſſe mirandum, quod in ſenectute genuerint liberos, quam quod antea nullos. Nec credibile eſſe, eos in ætate vegeta viduas ſemper noctes jacuiſſe: inque admodum provecta demum operam dare cœpiſſe liberis gignundis. Atqui hoc neque nos dicimus. Nec enim ſi in ſenectute demum liberos genuerint: eo antea non curarint τῆς παιδοποιίας. Contrarium ex Abrahamo liquet. Quam enim prolem habuit, priuſquam centenarius foret. At poſtea, quam multorum eſt factus parens? Præterea non ſi Scriptura paucos ſolum liberos memoret, eo non plures fuiſſe exiſtimandum. Nam & Moſes ſæpe de compluribus liberis ſilet: ſive quia non forent capita familiarum: ſive quia non videretur operæ in tam nobili hiſtoria obſcuriorum meminiſſe; præſertim cum ex privatorum genealogiis peti poſſent. Exemplo fuerit, quod Geneſ. X. legimus, Filii Sem, Ælam, & Aſſur, & Arphaxad, & Lud, & Aram. At in Paralipom. quatuor additos habemus, Filii Sem, Ælam, & Aſſur, & Arphaxad, & Lud, & Aram, & Hus, & Aul, & Gether, & Moſach. Videmus, ut quatuor illos, qui hic poſtremo memorantur loco, præterierit Moſes. Nec cauſam, quare id factum ſit, ſcire poſſumus. Ac poſſim plura id genus referre. Cur verò Moſes non præterierit ſimiliter Cahad, vel Amram, manifeſta eſt ratio. Nam Amram parens, Cahad avus erat Aaronis, & Moſis: de quibus, primum ſi librum exceperis, tota agit Pentateuchus: quippe præcipuis Dei inſtrumentis in educendo populum ex Ægypto, ei legibus ferundis, & XL annis populum gubernando. Quid ſimile in aliis multis? quorum plurimos fortaſſe liceret vocare proletarios, quia ſola prole ſufficienda juvarent Remp. Iſraëliticam.

Illud verò vix refelli meretur, quod negant, credibile eſſe, hos, poſt annum centeſimum, genuiſſe liberos, quia jam Abrahami ætate admirationi erat, ſi gigneret centenarius. Nam quiſquis paulò penitius verba Scripturæ attenderit, facilè videbit, non mirandum eſſe viſum ratione Abrahami, ſed ratione uxoris; non quod ipſe centenarius generaret, ſed quod ex uxore gigneret nonagenaria. Nec enim ignotum, vel Abrahamo, vel Saræ erat, Theracbum, cum Abrahamus ei naſceretur, fuiſſe, non dico ſeptuagenarium, ut multi tempora computant; ſed CXXX *annorum; quemadmodum ex Moſe ipſo antea oſtendimus. Et ſi effetum ſe putaſſet, non poſt annos* XXXVII, *uxorem Ceturam duxiſſet. A qua ducta, ſaltem à Saræ obitu, annos vixit* XXXVIII. *Obiit enim annos natus* CLXXV. *Sex interim filios genuit: ut eſt Geneſ.* XXV. 1. 2. *Quæ ſententiam noſtram de Levi, Cahad, & Amram non parum firmant.*

Levi autem in ſera ætate idoneum fuiſſe procreandæ ſoboli, inde etiam veriſimile ſit, quod licet quadriennio eſſet natus ante Ioſephum; annis tamen XXIII *vixerit poſt Ioſephum. Ioſephus enim (fortaſſe vita aulica aliquantum fregerit ejus vires) ſolùm annos vixit* CX; *Levi autem* CXXXVII. *Poſt quam ætatem, ut vidimus, avus ejus Abraham novis nuptiis ſenos genuit filios. Cur igitur de Cahad & Amram, quæ minora ſunt aſpernamur. Hoc ipſum vegeti fuiſſe corporis putandum, quod Cahad* XXIII, *Amram* XXVII *ulterius vitam produxerit, quam Ioſephus. Non enim diffiteor, vires ſeræ ætate fuiſſe multum imminutas. Sed non hoc in quæſtione eſt, verum an generando ſufficerent: non dico ex conjuge prima: ſed adoleſcentulâ, quam poſtea, ſeu conjuge viva quidem, ſed jamdiu effeta, ſuperduxerint: ſeu vitæ ſociam elegerint, priore jam mortuâ; quemadmodum, ut dicebamus, Abraham, Sarâ mortuâ, jam annos natus* CXXXVII *Cethuram duxit uxorem, & inde genuit Zamran, Ieſcan, Madan, Madian, Meſboc, & Sue: ut eſt Geneſ.* XXV. 1. 2. *Nempe ſic fieri ſolet, ut quod in ſene virtuti deeſt ſeminis virilis, id in ſeminis commixtione vigore adoleſcentulæ compenſetur. Quæ res tam eſt nota, ut, quia vera eſſet etiam in proverbium apud Belgas & alios abierit.*

R. Serio agit ſummus vir. Diſputat I. Non eſſe opus, ut ſinguli trium egerint 30. annos cum ſuis filiis, poſſe fieri, ut annis paucioribus ætatem ſocia-

ſociaverint. Non requiri majus octennio ſpatium ut illi etiam geniti ſint in Ægypto qui geniti poſt fuêre. Sic anni habitationis relinquentur 435. Hoc ita diluitur, quatenus non erit cuiquam veroſimile primogenitos illos omnes extremis vitæ patrum annis natos eſſe, quod infra videndum. Quod Cahat genitus ſit in Canaan, non poſſe evinci è loco Gen. 46. 8. 11. quia & alios in illo catalogo ponit, qui in Ægypto nati ſunt, ut etiam admiſcet illos, qui ante ingreſſum in Ægyptum obierunt. Sic v. 12. *Filii autem Iuda, Er & Onan & Sale & Peres & Zare. Sed mortuus erat Er & Onan in terra Canaan*, Sic v. 20. Manaſſe & Ephraim recenſentur, qui Joſepho nati erant in Ægypto. Hic dicimus, Scripturæ ſcopum eſſe, ut oſtendat, quot & qui in domo Jacobi homines extiterint cum in Ægyptum ingrederetur cum ſobole. Id patet ex v. 26. & 27. *Omnes animæ, quæ cum Iacob venerunt in Ægyptum, ex ipſius femore egreſſa, exceptis uxoribus filiorum Iacob, erant 66. animæ. Et Ioſephi filii qui ipſi in Ægypto nati erant, erant duo: Omnes animæ domus Iacob, quæ veniebant in Ægyptum, erant 70.* Manifeſtum eſt numerare & numerum inire eorum, qui erant de ſanguine Jacob, cum in Ægyptum ille intraret. Hinc removet, primò Er & Onan, ſecundo conjuges filiorum Jacob: connumerat Joſephum & filios, in Ægypto natos ante ingreſſum. Vult enim Moſes indicare, quanto numero procreverint ex quam paucis. At hic obloquitur Voſſius & objicit Phares, Eſron & Hamul (qui habentur Gen. 46. 12.) multo poſt deſcenſum in Ægyptum genitos eſſe. Idem ſe ſtatuere de liberis Benjamini. De Eſron idem agnoſcere Pererium ad hoc caput Geneſeos. Phares fuit filius Judæ quartus, quem ætate proximè anteibat Sale. At conſtat Sale adultum fuiſſe ante quam in Ægyptum ingrederetur Jacob Gen. 38. Veroſimile autem non eſt, tanto intervallo Phares à proximè nato genitum eſſe. De Eſron & Hamul dicimus, nihil prohibere, ut dicere non poſſimus ante ingreſſum natos eſſe, quamvis pueri fuerint primæ ætatis, cum immigratio fieret. Voſſius autem hoc ſolo argumento videtur niti, quod ſera venus patrum fuerit. Nos vero hoc non fuiſſe perpetuum dicimus. Potuit igitur Benjamin, potuit Phares junior iniſſe matrimonium. E Demetrio & Alexandro Polyhiſtore apud Euſebium Benjaminem non fuiſſe majorem 23. annis. Id nos ſuo loco (ἐν τῷ ϑεῷ) diſcutiemus. 3. Quia dicimus non eſſe ſtatuendum, quod Scriptura taceat, nempe in extrema ſenectute Caath & Amram genuiſſe, regerit, id ſequi ex illis ſcripturæ locis, qui dicunt peregrinationem Iſraëlitarum in Ægypto fuiſſe annorum 400. R. Si illorum locorum mens eſſet aperta. 4. Quod autem dicimus: Non tam illud eſſe mirandum, quod in ſenectute genuerint, quam anteà nullos. Nec credibile eos in ætate vegeta viduas ſemper noctes jacuiſſe: cum incubuerint liberis gignendis in ætate provecta. Hic regerit primò, Non ſequi, quod anteà non curaverint παιδοποιΐαν, ut Abram uxoratus longo tempore ſenectute poſtrema genuit. Secundo, Fieri poſſe, quod ſcriptura quoſdam liberos ſilentio prætereierit: cum hos nominatim recenſuerit ob certas cauſas. Tertiò Levi in ſera ætate idoneum fuiſſe ſoboli procreandæ. In ſeta ætate, quia ad longum pervenit ævum, annorum 137. Idem patere in Cahath & Amram.

Sic pugnavit primò at putat & hoc poſſe concedi quod Cahath genitus ſit in Cananæa quodque ille & filius Amram juvenili ætate (Amram & Moſen) procreaverint, nec tamen argumentum premere. Verba ejus ſunt: *Eſto enim ut Caath genitus ſit in Cananæa, juvenis item genuerit Amramum, & ille Aaronem ac Moſen juvenili ſimiliter ætate procrearit. Non hiſce omnibus convellitur ſententia de annis habitationis quadringentis: niſi ex hypotheſi iſta, memorari à Moſe genera-*

generationes univerſas, quæ fuere inter Levi, & Aaronem. At eum ſic argumentantur, in re admodum incerta fiduciam ponunt. Nam omiſſos, imò & nepotes: eumque Caath Amram genuiſſe dicitur, id ita capi oportere, quod genuerit non ἀμέσως, ſed ἐμμέσως: ut qui dicitur genitus ab aliquo, is non filius intelligatur, ſed nepos: quomodo Rebecca vocatur filia Nachor, quia erat filia Bathuelis, filii Nachor. Et Geneſ. XLVI, *Gera, & Ared, dicuntur filii Benjamin, cum ille juxta* LXX, *fuerit nepos, hic pronepos.*

Et quid manifeſtius, quàm Matthæum in genealogia Chriſti, multos præterire. Ut cum ab eo dicitur Ioram genuiſſe Oziam, cum ex Regum, & Paralipomenon libris conſtet, intermedios fuiſſe Ochoſiam, Ioas, & Amaſiam. Item Ioſias dicitur genuiſſe Iechoniam; qui Ioſiæ erat nepos, & Zacharias vocatur filius Iddò, qui itidem nepos fuit. Nempe ut alibi aliis de cauſis, ita hic quidam omittuntur, quia vellet Evangeliſta numerare Chriſti genus per teſſaraſdecadas.

Illuſtre etiam exemplum habemus in Calebo. At 1. *Paralipomenon* 11. 9. & 10. *vocatur filius Eſron, qui erat filius Pharez, nepos Iudæ. Eſron Geneſ.* XLVI. 12. *refertur inter eos, qui cum Iacob in Ægyptum deſcendit. Ætatem Calebi, cum Hebrone à Ioſua donaretur indicant hæc verba ejus in Ioſuæ hiſtoria* XIV. 20.: *Iam quadraginta quinque anni ſunt ex eo tempore, quo locutus eſt Deus hanc rem ad Moſem, ex quo ambulavit Iſraël per deſertum: & nunc quidem hodie ſum quinque & octoginta annorum. Quid manifeſtius inde, quam Calebum cum Ægypto exiret, fuiſſe annorum* XL. *Ergò ſi in Ægypto habitatum annis* CCXV, *vel* CCXX, *& nulla ſit generatio intermedia inter Eſron, & Calebum, cujus verba proximè audivimus, ſequitur, ut Eſron cum eum gigneret fuerit annorum* CLXXX: *At iſtiuſmodi generationis poſt diluvium in Scripturis exemplum habemus nullum. Quare neceſſe eſt, ut cum Caleb dicitur in Paralipomenis filius Eſron, per filium intelligatur nepos. Si quærat aliquis, quod igitur fuerit nomen patris? dicam id me cognoviſſe ex Ioſuæ Cap.* XIV. 6. *ubi Caleb dicitur filius Iephonni Cennezæi. Scio doctorem Hebræum, qua loco agit de non permutandis hoſtiis in ſacrificiis, tradere Iephonni non eſſe nomen viri proprium, ſed commune ſolum, ſive, ut vocant, appellativum: ac ſignificare circumſpectum à verbo* פנה: *dicique Calebum Iephonnæ ſive circumſpecti filium, quia miſſus à Moſe ad ſpeculandum terram Canaan non conſpirarit cum iis, qui populum terrificis nuntiis turbarunt. Sed hæc tam inſulſa ſunt, ut nulli poſſint placere. Quare ſic ſtatuimus: Calebum dici filium, quia ex Eſrone deſcenderit, etſi non ἀμέσως, cum intermedius ſit Iephonnas. Ac ſic quomodocumque occurrere ſuperiori difficultati poſſint, qui ſolum annis* CCXX, *vel paucioribus ajunt eſſe habitatum in Ægypto. Nam dicunt Calebum genitum eſſe ab Iephonna nonagenario: Iephonnam item à nonagenario Eſrone. Sed qui ſtatuunt habitationem eſſe annorum* CCCC: *hi dicent non unum duntaxat præteriri, ſed complures. Sane ſic ſi doctiſſimus Andr. Maſius exiſtimabat, qui habitationem non multum extendebat ultra annos* CC, *quanto juſtius id colligunt, quibus perſuaſum eſt manſiſſe Iſraëlitas in Ægypto annis* CCCC. *Omnino autem operæ putavi adſcribere hoc loco ipſa Maſii verba ad Ioſua* c. XIV. *verſ.* 6. *Illud videamus, qui poſſit Calebus Iephonnæ filius dici: cum in Paralipomenis Heſrone natus memoretur? Certum eſt, Heſronem inter eos fuiſſe qui cum Iacobo in Ægyptum deſcenderant, annis circiter ducentis & ſedecim ante, quam Caleb quadragenarius mitteretur à Moſe ſpeculatum Chananæam. Eſtque etiam illud teſtatum ſacris litteris, Calebum inter eos Heſronis filios recenſeri debere, quos ille ex priore conjuge procreavit: non autem ex Machiris filia, quam demum ſexagenarius duxit uxorem. Planè ergò ex his confectum eſt, Calebum Heſronis quidem filium dici; at certè nepotem ex priore uxore eſſe. Alioqui enim plus quam ter quadraginta annorum fuiſſet, cum è Cades-barnea mitteretur ſpeculator. Neque verò inſolens eſt, ut nepotes inter filios adnumerentur; præſertim ſi ſint rerum geſtarum memoria clari. Rectè igitur*

filius Iephone dicitur, cum Heſronem, non patrem, ſed avum, aut fortaſſe proavum, vel abavum habuerit.

Hoc doctiſſimi Maſii reſponſum, ad aliis etiam argumentis occurrendum uſum ſuum habet. Vt quando objectant verba Moſis Numer. XXVI. 8. *Filius Pallu Eliab. Hujus filii Namuel & Dathan, & Abiron. Iſti ſunt Dathan, & Abiron, principes populi, qui ſurrexerunt contra Moſen, & Aaron, in ſeditione Core, quando adverſus Dominum rebellaverunt. Videmus, ut Ruben dicatur genuiſſe Phallu, Phallu Eliab, Eliab Dathan & Abiram, at Phallu fuit Rubenis filius ſecundo genitus, ac Gen.* XLVI. 9. *refertur inter eos, qui cum Iacobo in Ægyptum deſcenderint. Nec quo minus id propriè ſumamus, obduci ex temporum ratione, quicquam poteſt: cum Ruben quidem fuerit primogenitus Iacobi, Phallu verò inter quatuor Rubenis filios proximum à primo obtineat locum: ut ibidem videre eſt. Quare non dubium, quin natus fuerit in Cananaa. At ab eo genitus dicitur Eliabus, pater Dathanis & Abironis: quos in ſeditione Core vivos terra abſorpſit. Negant hac poſſe conſiſtere cum habitatione quadringentorum annorum: at poſſe, ſi fuerit ea annorum* CCXV, *vel circiter. Nam inquiunt, Phallu natus fuerit ultimo anno habitationis in Cananaa, ſeptuaginta annorum fuerit, cum genuit Eliabum: Eliabus item circiter ſeptuaginta cum gigneret Dathan & Abiron: hi pœnas dederint anno ætatis octogeſimo. Conſiunt anni* CCXX: *& ſi addere lubet biennium, quia perierunt altero anno ab egreſſu ex Ægypto fuerint anni* CCXXII. *Quare bene convenit is numerus annis* CCX, CCXV, *vel* CCXX: *quibus in Ægypto habitâſſe dicuntur à multis: non autem ſi habitarint in ea annis* CCCC.

Hæc quæ fusè adeò deducunt, concidunt prorſus, ſi generationes quædam à Moſe prateritæ ſint.

Aliud ſimile apponam. Phares, filius Iuda ex Thamar, genuit Heſron, ut eſt Geneſ. XLVI. 12. *Vbi reponitur in iis, qui una cum Iacobo ingreſſi in Ægyptum dicuntur. At Heſron genuit Ram, Ram Aminadab, Aminadab Nahaſſon principem filiorum Iuda: Nahaſſon autem ſive Salmon terram Canaan eſt ingreſſus, uxoremque duxit Rachab. Hic quoque, ut conſtet ſibi ſententia de annis habitationis quadringentis, non verear dicere, omiſſam eſſe unam alteram generationem.*

Aliud etiam adferam exemplum. Non videntur ſine miraculo Salmon, Booz, Obed, & Ieſſe, explere potuiſſe ſpatium annorum CCCLXV, *ſinguli enim propè centenarii genuiſſent, eoque aliquos eſſe intermiſſos credidit Lyranus, eumque ſecutus eſt Catharinus libro contra Cajetanum.*

Videmus hinc, non eſſe inſolens Scripturæ, ut in γενεαλογίᾳ aliquas prætereat generationes: hoc enim ex aliquot locis eſſe prorſus manifeſtum: & ejus rei notitia loca obſcura ſæpius illuſtrari. Cur verò alios referat Scriptura, aliis reticeat, non ſemper liquet. Interim quod reticeat, ex eo eſſe ſolet, vel quod decretum ſit certò eas numero conſtringere: ut à Matthæo factum diximus; qui per generationes quaternas ſuper denas numerare voluit; vel quod attenderetur nominis claritas: ſive id eſſet à præclaris geſtis, ſive quod aliquis foret princeps familiæ. Huc enim ſæpius ſpectare Moſem, non uno Scripturæ loco comprobatur. Vt illo Exodi XI. 14. *Iſti ſunt principes domorum per familias ſuas. Et verſ. 16. Et hæc nomina filiorum Levi per cognationes ſuas. Et verſ. 25. Iſti ſunt principes familiarum Leviticarum, per cognationes ſuas. Hac de cauſa & Henochi meminit. Num.* XXVI. 5. *Hujus filius Henoch, à quo familia Henochitarum.*

Colligam nunc paucis ſummam eorum quæ diximus. Contendunt, quia inter Caath, qui ingreſſus Ægyptum, & Moſen, qui egreſſus Ægyptum, ſolum interjectus eſt Amram; qui nec ingreſſus, nec egreſſus: conſequi, habitationem Iſraëlitarum in Ægypto non CCCCXXX, *vel etiam* CCCC *eſſe annorum, ſed ſummum* CCXV, *vel* CCXX. *His bifariam occurri diximus. Primum ſi ſtatuatur Caath natus in*

Ægypto,

Ægypto, & ſenex admodum genuiſſe Amramum, Amramus admodum ſenex Moſem. Deinde ſi ſequamur, eos qui cenſent, generationes quaſdam omitti à Moſe: qua ſi appoſita fuiſſent, longè amplior annorum numerus reſultaret.

R. Eximius virorum occurrit illi argumento de Caath nato ante introitum in Ægyptum ſubruendo hypotheſin, quâ illud argumentum fulcitur. Præſupponunt enim à Moſe omnes generationes poni, quæ toto tempore peregrinationis in Ægypto in ſeculum ingreſſæ ſunt inter Caath & Moſen. Hoc ſic eſſe dicimus. Nam ſic texuit Moſes ſucceſſiones patriarcharum Exod. VI. Quas illum interrupiſſe aut non omnes edere voluiſſe nulla ratio dederit. Verum quidem eſt, quod in recenſendis filiis, aliqui poſſint ſileri & præteriri, at non eſt, ut ſucceſſionis catena luxetur. Graduum in genealogia omiſſionem in quibuſdam locis dari concedimus, quod fit, ubi ex profeſſo ſucceſſio non deſcribitur, non ubi id agitur, ut omnis gradus haberi & ſciri poſſit. Vir eximius ita docere & probare conatur, fieri poſſe, quod aliquæ generationes interciderint omiſſæ à Moſe. 1. Filii aliquando avis ſuis aut ſuperioribus, ſine parentum mentione attribuuntur. R. In ſimplici eorum nominatione non ubi genus univerſum & ſucceſſio ex propoſito deſcribuntur. 2. Matthæus in Genealogia Chriſti multos præterit. R. Memoriæ cauſa & ut Teſteradecadas faciat, non ſcribens hiſtoriam ſucceſſionis, referens tantum & digitum intendens ad ea, quæ alibi ex profeſſo ſcribuntur. Caleb filius Eſron vocatur, (1. Paral. 2. 20. 18.) qui Eſron in Ægyptum cum Jacob ingreſſus eſt. Erat autem Caleb annorum quadraginta, cum populus ex Ægypto egrederetur. Oportet igitur in commemoratione ſtirpis præteriri aliquem progenitorum, qui medius fuerit inter Eſron & Caleb. Si enim Eſron ſub ingreſſum in Ægyptum fuerit natus, quia habitationi in Ægypto dari debent anni 215. ſequetur Eſrone genitum eſſe, habente annos 175. Cujus generationis poſt diluvium nullum occurrit exemplum. R. 1. Si unum omiſſum eſſe dicamus, conveniet numerus moræ in Ægypto 215. at plures erunt addendi (quod inſolens vel ipſo fatente Voſſio) pro annis 400. Nepos & pronepos (ut docet) poteſt tribui avo aut proavo, non igitur ulterius; exempla ſane nulla dari poſſunt. 2. Nihil abſurdi eſſet ſi diceremus genitum eſſe anno Patris 175. Voſſius dicit tale exemplum non dari poſt diluvium, oblitus ut puto Abrahami, qui poſt mortem Saræ, plures genuit, Gen. 25. Sara habebat annos 127. cum moreretur Gen. 22. 1. Abraham igitur habebat annos 137. Genuit igitur ad vel ultra annum vitæ 150. & forte ulterius, utique in extremis annis. Non longe igitur abfuit ab his annis, qui Eſroni tribuerentur. Non fuit Caleb inter primos ſed poſtremus trium filiorum Eſronis. 3. Sed concedimus aliquando avo attribui nepotem, in uno loco, ob cauſam certam, (quæ fortaſſis adoptio fuit, qua Eſron in domum ſuam induxit Caleb) quod alio in loco explicatur interpoſito vero patre, quemadmodum Cl. Voſſius agnoſcit Jephonne patrem Calebi. Sunt autem tria diſtincta loca in quibus genealogia Caath eodem modo deſcribitur Exodi 6. 15. & ſeqq. Num. 26. 58. 59. 1. Paralip. 6. 2. 3. Ut Pontificum ſucceſſio genealogica & genus evolute & accurate noſcerentur, intererat ipſorum & populi Dei. Eodem modo conatur vir magnus occurrere argumento generationum inter Phallu & Dathan Abiramque Num. 26. 8. 9. Phallu ingreſſus eſt Ægyptum cum Jacobo Gen. 46. 9. Hic ſe aliter nequit expedire, quam præteritione generationum, & oportet multas eſſe præteritas, ut integra ſit annorum 400. numeratio. Adeò pluribus locis fingere cogitur hiatum, ut numerum tantum conficiat. Non vult feram generationem admittere, quam invitus ſæpe advocat.

 vocat.

vocat. Ne cogatur advocare, confugit ultimò ad ſacram anchoram omiſſionis. Hanc, ut nemo hactenus ſtatuere auſus eſt, niſi Maſius & Lyranus locis ab ipſo productis, ita non facile ſuſcipiet prudens ſacrarum literarum interpres. Eo minus hoc loco admittemus, quia diſertè & definitè ſacra ſcriptura tantum quatuor generationes attribuit peregrinationi Ægyptiæ, Gen. 15. 26. In quem locum ita Lyranus. Generatione autem quarta revertentur huc, *id eſt, ad terram Canaan Abrahæ promiſſam. In illa enim erat Abraham actu, quando Dominus ſic loquebatur cum eo. Advertendum tamen, quod iſtæ quatuor generationes non ſunt accipiendæ ab Abraham, ſed à Iacobo, qui deſcendit in Ægyptum. Et ſi computentur generationes ab eo per lineam regiam, invenientur quatuor uſque ad reditum in terram promiſſionis: quia Iacob genuit Iudam, Iudas autem genuit Phares, Phares autem genuit Eſron, ut habetur Matth. 1. Eſron autem genuit Caleb, ut habetur 1. Paralip. 2. Et iſte Caleb, in quo completa eſt quarta generatio, fuit de intrantibus terram promiſſionis, ut habetur Num. 14. & Ioſue 10. Tranſlatio vero LXX habet: Quinta generatione revertentur huc. Et hoc eſt verum, ſi computentur generationes per lineam ſacerdotalem, quia Iacob genuit Levi, Levi autem genuit Caath; Caath autem genuit Amram; Amram autem genuit Aaron ut habetur Exod. 6. Aaron autem Eleazarum ſacerdotem. Et iſte Eleazarus, in quo completa eſt quinta generatio, fuit de intrantibus terram promiſſionis; quia ipſe & Ioſue filius Nun diviſerunt terram illam filiis Iſrael, ut habetur Ioſue 14.* Hactenus Lyranus. Sciendum quod Hebræa vox דור nunquam notet numerum definitum annorum, ſine applicatiene ad gradum in ſerie genealogica; quemadmodum Latina vox *ſeculum* & Græca *γενεὰ* ſæpe ſejunctim ab homine aut perſona certi generis certum numerum ſignificant. Hoc in loco verti poteſt, *Generatio quarta revertentur huc*, id eſt, illi, qui in quarta generatione erunt, eamque conſtituent, huc in hanc terram redibunt. In Hebræo non eſt litera ב præpoſita וְדוֹר רְבִיעִי יָשׁוּבוּ הֵנָּה. Singularis numerus verbi eſt in Samaritico: ࠅࠃࠅࠓ ࠄࠓࠁࠉࠏࠉ ࠉࠔࠅࠁ ࠄࠍࠄ ודור הרביעי ישוב הנה *Et quarta generatio redibit huc.* Quod oſtendit evidentius literæ ב nullum hic locum eſſe. Eodem modo Arabs Anglicorum bibliorum: والجيل الرابع يرجع الى هاهنا *Et generatio quarta redibit huc.* Erpenianus Arabs pluralem numerum exprimit. Nemo eſt orientalium interpretum in bibliis Anglicanis qui ב expreſſerit, non Chaldæus, non Syrus exprimit. Dixi ipſum gradum genealogicum hac voce ſignificari. Sic Deut. 23. 2. 3. גם עשירי לא יבוא לו להם aut להם *Etiam quarta generatio non introibis illi aut illis.* Judic. 2. 10. *Et etiam tota generatio* iſta congregati fuerunt ad patres ſuos & ſurrexit *alia generatio* poſt ipſum. Significat in quavis gente gradum generis ſeu progeniem, item homines, qui eadem ætate conjunctim vivunt. Et deinde ævum ſeu tempus adnexum hominibus. Non poteſt igitur elabi Cl. vir, ut explicet de ſeculo aut de tempore centum annorum, quemadmodum de temporis definito intervallo, ſine inhæſione in hominibus, nunquam ſumitur. Id igitur dicit Deus, quartam progeniem ingredientium in Ægyptum reverſuram eſſe ex ſolo peregrino in Cananæam. Non ab Abraham numerus generationum inchoandus, ſed à Jacob ſeu potius alio quovis ingreſſorum, qui è Cananæa in Ægyptum deſcenderunt. Et terminus illarum generationum eſt figendus potius in egreſſu ex Ægypto, quam introitu in Cananæam. Mireris Nicolaum de Lyra dicere quod in editione τῶν ό legatur, *Quinta generatione*: Intelligit autem locum Exod. 13. 18. ubi חֲמֻשִׁים redditur à Græcis *πέμπτη γενεᾷ.* Samariticus Anglicorum Biblicorum ࠅࠇࠌࠔࠉࠌ וחמשים *Et quinti*: quod convenit

cum

cum Editione Græca, uti etiam redditum in Anglicanis Bibliis, quamvis & aliter reddi poſſe videatur. Plerique exponunt Hebræum per חלוצים expediti, accincti.

Sethus Calviſius propugnat ſententiam de annis 430. deducendis ab Abraham non à deſcenſu Jacob in Ægyptum & quod mora in Ægypto tantum 215 annorum fuerit. Hæc illius diſputatio eſt: *A deſcenſu Iacobi in Ægyptum, quadringentos & triginta annos, uſque ad migratam Ægyptum, numerari non poſſe, oſtendit generatio Moſis. Avus enim Cahath cum Iacobo ex Canaan deſcendit in Ægyptum Gen. 46. v. 11. Sit licet vel infans vel bimulus in hoc itinere: tamen cum vixerit annos 133. Exodi 6. 18. fuiſſee in Ægypto annis 131. Parens Moſis Amram, filius Caath vixit annis 137. ibidem. Moſes erat 80. annorum cum educeret populum Iſraëliticum ex Ægypto. Exod. 7. 6. Sam-Summa anni 348, quibus vixerunt. Subducantur jam anni, quos tranſegerunt priuſquam liberos genuerunt, numerus hic multò ad minorem ſummam redigetur. Fieri igitur non poteſt ut quadringentis annis & triginta, Iſraelitæ in Ægypto poſt deſcenſum Iacobi ſervierint: Et etiamſi hi numeri corrupti eſſent: tamen inter avum Caath & Moſen tot anni intercedere non poſſent. Nam ut anni 430 complerentur, neceſſe eſſet, ut Moſes natus eſſet anno parentis ſui Amrami centeſimo ſeptuageſimo quinto circiter, & Amram itidem circà Cahathi annum centeſimum ſeptuageſimum quintum. Cum rariſſimi tum temporis ad tot vitæ annos ætatem agerent & homines centeſimo anno liberos gignere, Abrahamo miraculum eſſet. Et exempla prætereà alia in eadem hiſtoria occurrunt, ubi nepotes exeunt ex Ægypto, quorum avi cum Iacobo venerant in Ægyptum: in quibus eadem generationis præter hominum ætatem facta, inconvenientia invenitur: ut Pallu filius Ruben recenſetur inter eos, qui cum Iacobo venerunt in Ægyptum; is genuit Eliabum. Eliab vero Dathan & Abiram, qui perierunt in deſerto. Sic Core ſeditioſus, nepos fuit Cahati avi ex Iezehar. Numer. 16. 1. & 1. Paralip. 7. 37. Hæc exempla evidentiſſime demonſtrant, manſionem Iſraelitarum non duraſſe poſt deſcenſum Iacobi in Ægyptum annis 430.* Hactenus Calviſius. Hæc ſuperius latè diſputata ſunt. Omninò ſic eſt generationes patriarcharum duodecim, quæ deſcenderunt in Ægyptum & aſcenderunt ex Ægypto, oſtendunt, convenientius aſſignari ducentos quam quadringentos annos moræ in Ægypto. Poſſunt videri etiam de hac ſupputatione & generationibus Raſi & Abeneſdras in hunc locum.

Verum qui ab Abraham ordiuntur annos illos 430. Exodi XII. 40. memoratos, alii eos deducunt ab anno Abrahami 70: alii ab anno ejus 75. alii ab hac confirmatione fœderis in cap. 15. narratâ. Joſephus Scaliger & David Pareus acriter diſputarunt de principio iſtorum annorum, qui Gal. 3. 17. Exod. 12. 40. notantur. Pareus incip t à confirmatione fœderis, de qua in hoc capite agit Moſes, Scaliger communem ſententiam defendit, quæ deducit, ab anno Abraæ 75. Scaligeri defenſio hæc eſt in Elencho Davidis Parei: *Multum ſibi* (inquit) *places de nugatorio commento anni 85 ætatis Abrahami, quo ait promiſſionem à Deo factam, quia tunc pactum inter Deum & Abrahamum initum eſt: à pacto autem initium annorum 430 capiendum eſſe, quorum mentio Exodi XII, 40. Quod an conſtare poſſit, videamus. Pactum eſt* ברית *συνθήκη, ſive διαθήκη, ut LXX vertunt. Sed ſive συνθήκη, ſive διαθήκη, quæ inter Deum, & Abrahamum conventa eſt, ea nihil aliud eſt, quam ἐπαγγελία. Pſal. CV, 8. 9, 10. 11. Galat. III. 16. 18. 19. Ea quater diverſis temporibus facta eſt. Primò anno Abrahami LXXV, Geneſ. XII. 2. 3. 7. Secundo, inter LXXV, & LXXXV annum Abrahami. Gen. XV. 7. Nehem. IX. 8. convenienter loco Geneſ. XV. 18. 19. 20. 21.*

ubi ſancitur caſis & porrectis hoſtiarum, quæ Græcis τόμια ὅρκια dicuntur. Patribus autem διχοτεμήματα & eodem Cap. XV. 9. 10. *vocatur* ברית *pactum,* συνθήκη. *Tertiò inſtaurata eſt anno Abrahami* XCIX. *Geneſeos* XVII. 1. 2. 7. 8. *atque iterum vocatur* ברית, *quo nomine ibidem inſtitutum* περιτομῆς *comprehenditur. Quartò iteratur Geneſ.* XXII. 16. 17. 18. *jure-jurando adhibito. Itaque Capitib.* XV. XVII. XXII. *nihil innovatur, quominus* ἐπαγγελία *ſit* διαθήκη, *tametſi primæ inſtaurationi τόμια acceſſerint, ſecundæ inſtitutum* περιτομῆς, *tertiæ ſacrificium holocauſtum cum jurejurando Dei. Si enim illæ appendices,* τόμια *ſcilicet,* περιτομὴ, *holocauſtum cum jurejurando digna ſunt, ut ab illarum una initium eorum annorum* 430. *capiatur, prius diſceptandum fuerit* τὰ τόμια *præſtantiora ne ſint, quam ἡ* περιτομὴ, *& ἡ* περιτομὴ, *quam jusjurandum Dei, & nulla finis fuerit altercandi. Addo, quod ſequeretur res abſurda, ut pactum primo loco factum minus habeat ponderis, quam id, quod ſecundo factum eſt: quaſi quod ſemel Deus dixit, irritum ſit, niſi dictis cauſa externis cerimoniis muniatur. Igitur acceſſiones illæ* τῶν τομίων, τῆς περιτομῆς, τοῦ ὅρκου, *ſunt* ἀποκυρώματα τῆς ἐπαγγελίας *non* ἀρχή. *Ita interpretatur Paulus Apoſtolus, ita Ioſephus, ita omnes tam veteres, quam recentiores. Propterea veteres Patres, in quibus Euſebius, annum Abrahami* LXXV. *vocans* ἔτος ἐπαγγελίας, *Hieronymus annum repromiſſionis. Ab anno igitur* ἐπαγγελίας, *hoc eſt,* LXXV, *ætatis Abrahami, initium annorum* 430. *capiendum. Dupliciter igitur errat Chronologus: Primò, quod putat annorum* 430. *initium deducendum eſſe* ἀπὸ τῶν διχοτομημάτων, *quibus pactum inter Deum & Abrahamum ſancitum eſt: quia, inquit, nunquam mentio fit pacti ante* διχοτομήματα. *quaſi, hoc pactum aliud ſit ab eo, quod Cap.* XII. *factum eſt, aut aliud, quam* ἐπαγγελία. *quod diſertè exponitur ab Apoſtolo Galat,* III. 6. *uſque ad* 20. *Nam ibi reperies pactum illud nihil aliud eſſe, præter* ἐπαγγελίαν, *ubi præterea citantur verba ex tribus illis capitibus* XII. XV. XVII: *ut omnino una eademque res ſit, quæ in illis tribus tractatur: & ſatis ſit initium capere à promiſſione primo loco facta, non ab ea, quæ Cap.* XV. *habetur: quum ea nihil aliud ſit, quam* ἀποκύρωσις τῆς περιτομῆς. *Alter error eſt ridiculus, quod* τῶν διχοτομημάτων *hiſtoriam conjicit in annum* LXXXV. *Abrahami: quo ſerio triumphat, idque duobus validiſſimis argumentis ſe firmaſſe arbitratur. Primo, quod Cap.* XVI. 3. *expreſſum ſit, decimo anno, poſtquam habitavit Abraham in terra Chanaan. Secundò, quod nunquam pacti mentionem factam ait ante* διχοτόμησιν τῶν ὁρκίων. *Vtramque rationem futiliſſimam eſſe aliqua ex parte animadverti poteſt ex iis, quæ antea diſputavimus. Nam poſterior ratio confutata eſt. Prior verò conſtare non poteſt, quia ſecunda* ἐπαγγελία *facta eſt ante illud decennium, inter annum Abrahami* LXXV. *&* LXXXV. *ut antea monuimus, ita ut incertum ſit, quo anno ætatis Abrahami edita ſit,* LXXVIII. *aut* LXXX *aut alio. Certè anno* LXXXV *fieri potuiſſe non concedet, niſi qui geſta Capitis* XV. *cum geſtis* XVI. *confundere voluerit. Quam ridiculum enim putare geſta Cap.* XV. *in tempus Capitis* XVI. *convenire, quod in eo anni decimi mentio fiat, poſtquam Abraham terram Chananæorum ingreſſus eſt? Hoc modo Ioſeph Patriarcha fuerit annorum* XXX. *Geneſ.* XL. *quia Capite* XLI. 46. *totidem annorum eſt. Vana igitur eſt* καύχησις *de illo imaginario decennio.*

Judæi tenent ab Iſaac nativitate ad exodum ex Ægypto eſſe annos præciſe quadringentos, ex hoc loco, ubi dicitur, *Semen* tuum erit peregrinum. Semen dicunt non fuiſſe ante Iſaac. Nempe Iſmaël non erat in ſemine & nimis remotus eſt quam ut ab eo illi quadringenti poſſint inchoari. Eſt autem Iſaac natus Abrahamo centenario. Fuit igitur 70. annorum, cum peregrinari inciperet, & eo tempore, à quo incipiunt anni 430. qui ſunt Exod. 12.40. Inde eſt, quod quidam velint Abrahamum ex Ur exiiſſe, cum eſſet annorum 70. è Charan autem cum haberet annos 75. Ut quinquennio vixerit in Charan.

ran. Ab illa igitur prima egreſſione ex Ur Chaldæorum ad Exodum fluxerunt anni 430. Alii dicunt duas egreſſiones in Cananæam eſſe factas ab Abrahamo; primam anno vitæ 70. alteram anno 75. De poſteriori ſermonem eſſe cap. XII. de ſuperiori hoc capite. Ita eſſe ὕστερον πρότερον, ut ὅρκια τόμια priora fuerint. Quaſi adhuc triginta anni reſidui fuerint ad natalem Iſaac, cum hujus capitis res gereretur. Hanc ſententiam tenent Judæi. Si enim Abraham ſeptuagenarius cœpit in terra Canaan peregrinari & habitatio filiorum Iſraël in Ægypto & Canaan fuit 430. anni, ſic Iſaac natus erit 400. annis ante Exodum. Si 75. annos habuit cum vocaretur in Cananæam, tantum anni 25. erunt ad natalem Iſaac atque ita ſolum 425. ad Exodum. Sequi igitur ut utrobique (& Exod. 12. 40. Et Gen. 15. 13.) numerus præciſe conſtet, quod Abraham in Cananæa fuerit anno 70. Nam Peregrinationem & commorationem in terra peregrina non convenire dici de Haran & Meſopotamia. Iidem Judæi volunt Abrahamum anno vitæ 52. in Ur notitiam legis accepiſſe, quia in eum annum deſinit annus M. 2000. & finiit Vacuum תהו juxta traditionem domus Eliæ. Hæc res, quia nondum edita eſt Latino ſermone, plenius evolvenda fuerit. Sic igitur in tractatu Thalmudico עבודה זרה cap. 5. in Gemara Babylonica: תנא דבי אליהו ששת אלפים שנה הוי העולם שני אלפים תוהו שני אלפים תורה שני אלפים ימות המשיח בעונותינו שרבו יצאו מהן מה שיצאו מהן שני אלפים תורה מאימת אינימא ממתן תורה עד השת' ליכ' כולי האי דכי מעיינת בהו תרי אלפים פרטי דהאי אלפא הוא דהואי אלא מואת הנפש אשר עשו בחרן וגמירא האברהם בההיא שעתא בר חמשין ותרתי הוה כמה בצרן מרתני תנא ארבע מאה וארבעים ותמניא שנין הויא כי מעיינת ביה מהנפש אשר עשו בחרן עד מתן תורה ארבעה מאה וארבעים ותמניא שנין הוין: *Traditum domus Eliæ: Sex millia anni eſt mundus: duo millia inane; duo millia lex; duo millia dies Meſſiæ. Ob iniquitates noſtras quæ multæ ſunt, egredientur ex illis, quæ egredientur. Duo millia lex unde? Si dicamus à datione legis, uſque hoc tempus, non* efficitur tantum &c. Explicat iſta R. Salomo in commentario: *Sex millia annorum decreta ſunt mundo, ut conſiſtat ſecundum numerum dierum ſeptimanæ: in die ſeptimo Sabbatum & in ſeptimo millenario* בשבעה אלפים *quies mundi. Duo millia priora decreta ſunt ſuper eo ut ſit Inane ſine Lege: & duo millia Lex ſine diebus Meſſiæ & propter iniquitates noſtras, quæ magnæ ſunt egreſſum eſt* è duobus millibus poſtremis, quod *egreſſum eſt*. Si dicatur: à datione legis & uſque huc, uſque complementum quatuor millium creationis mundi, uti dicit, non ſunt quatuor Millia. Nam conſiderando in eo, in duobus prioribus inanis ante legam datam, duo millia & partem de millenario *tertio invenies ſc. annos 448. in eo &c.* Legem datam eſſe dicunt & exodum factam anno M. 2448. quinquennium detrahentes veritati, quia in 70. anno Abrahami ponunt primum initium promiſſionis & federis Dei cum Abraham. Sic enim ad exodum erunt 430. ſcilicet à 70 anno Abrahami uſque ad annum M. 3448. Raſi ita docet: *Egredere & computa annos cujuſque generationis, quibus vixit quilibet homo antequam naſceretur illius filius: quia annos, qui ſequuntur, dabis filio & invenies ab Adam ad Noë natum annos 1056. at Noë vixit 502. annos antequam naſceretur Sem. Q. S.* [Gen. 5. 32.] Erat Noë annorum quingentorum &c. *Cum naſceretur filius ipſius primus, fuit annorum 500. at Iapheth fuit major Chamo anno uno & Cham præceſſit Sem anno uno. Hinc annos 502. habuit Noë antequam naſceretur Sem*, Q. S. (Geneſ. 11. 10.) Filius centum annorum & genuit Arphaxad biennio poſt diluvium. *At ſi Sem anno quingenteſimo Noë natus eſſet, biennio poſt diluvium fuiſſet annorum 502.* Q. S. (Gen. 7. 11.) Et Noë filius 600 annorum & diluvium fuit &c. *Computa hos annos Noe & centum Semi uſque*

Arpha-

Arphaxad & adde ad quinquaginta ſex minoris numeri, ecce erunt 658. Et Arphaxad gennit Sale in 35, Ecce 693. Et à Sale ad Eber 30. Ecce 733. Et ab Eber ad Phaleg 34, ecce 757. Et à Phaleg ad Reu 30, ecce 787. Et à Reu ad Sarug 32. ecce 819. Et à Sarug ad Nachor 30. ecce 849. Et à Nachor ad Thare 29. ecce 878. Et à Thare ad Abraham 70. ecce 948. ſupra mille. Et ab Abraham uſque ad Iſaac 100, ecce 1048. & ab Iſaac ad datam legem 400. Quomodo? 60. ad natum Iacob & cum deſcenderet in Ægyptum ſcriptum eſt, [Gen. 47. 9.] Dies annorum peregrinationis meæ 140 anni, *ecce 190. à nato Iſaac. Et ecce Iſrael fuit in Ægypto annis 210. ecce 400. anni & 48. anni ſupra duo millia creationis mundi. Inveniemus à data lege ad quatuor millia creationis, mille quingentos quinquaginta duos.* Deinde ad ſequentia Gemaræ אלא מן ואת הנפש ita dicit: כתרגמינן דשעבידו לאורייתא Id eſt, in Chaldaica verſione Gen. 12 6. habetur *Omnem animam, quam ſubjecerant, legi.* Huc igitur reſpexit Gemara. Dicit Gemara, quod Abraham fuerit annorum 52. quum legem inciperet docere ſnos. Hos quinquaginta duos annos, docente Raſi, oportet conjungere cum 948. שהיו בידך, *qua habes, quando natus eſt Abraham: ecce 2000. Inane.* Fingunt igitur Judæi Abrahamum notitiam legis accepiſſe ſeu eam cœpiſſe docere anno M. 2000. idque ex illa traditione domus Eliæ. Adeò in puncto impleri & verum id eſſe debuit. Hinc miranda eſt eorum pervicacia, qui dies Meſſiæ ad finem quarti millenarii non volunt conjungi. Quo trahunt poſtrema verba traditionis, *Propter iniquitates noſtras egredientur* (anni) *ex illis qui egredientur.* Quaſi ſignificent differendum eſſe adventum Meſſiæ ob peccata & in ignotum tempus. Nulla tamen ratio ſuadet ſic accipere & non potius de dierum Meſſiæ duratione imminuta, quomodo acceperunt eorum majores in ipſo illo capite Gemaræ: de quo alias. Proinde juxta Thannam præcidunt annos 448. ab illis 2448. Exodi, quia conſiderant ab eo tempore, quo animas acquiſiverunt in Haran ad dationem legis annos 448. מואת הנפש breviatè dicitur pro Ab eò tempore, quo illud factum eſt, quod ſcribitur Gen. 12. 5. ואת הנפש אשר עשו. Hoc modo ad tempus, quo mundus implevit 4000. ſunt duo millia legis. Conſequenter ſic ſcribit R. Salomo: *Et hoc* [ſcilicet numerus 4000 annorum mundi] *172. annis poſt deſolationem. Quomodo? ecce uſque exitum ex Ægypto anni 448. ſupra duo millia. At ſcriptum eſt (Reg. 6. 1.)* Factum eſt in octogeſimo & quadringenteſimo anno egreſſus filiorum ex Ægypto, *uſque* & ædificavit Salomo domum: *Ecce 928. ſupra duo millia, quando ſtructa eſt: & dies domus prima 410. ecce 3338. anni: & captivitas Babel 70. anni; ecce 408: & dies domus ſecunda 418.* (vitioſe legitur in Raſi commentario תח״ך pro ת״יח) *ecce 828. Invenitur, quod 172. anni deficiant è quatuor millibus & ſic traditum eſt in Seder olam.* Hactenus Raſi. Thoſephoth in eundem locum:

תמרי דאברהם אבינו בההיא שעתא בר חמשין ותרתין שנין הוה ואף על גב דכתב
ואברהם בן חמש ושבעים שנה בצאתו מחרן שתי יציאות הוו שהרי בברית בין הבתרים
היה בן שבעים ואז היה בארץ ישראל ושוב חזר לחרן ועשה שם חמש שנים: *Abſolutè*

Abraham pater noſter fuit in hora illa quinquaginta duorum: attamen ſcriptum eſt [Gen. 12. 5.] Abraham filius 75. annorum, cum egrederetur è Charan. *Duæ egreſſiones fuerunt. Nam in fœdere inter ſegmenta erat filius ſeptuaginta annorum & tunc erat in terra Iſrael & reverſus eſt in Charan & egit illic quinque annos.* Sic ibi: quod probatur è Seder olam & cap. 1. Sabbat. Seder olam Rabba contendit Abrahamum fuiſſe 70. annorum, quando fœdus inter ſegmenta factum eſt ex eo, quia putat non aliunde poſſe deduci annos 430 [Exod. 12. 40.] quaſi tum demum inhabitatio terræ Canaan cœperit.

I V.

IV. Reddit etiam Deus Abrahamo rationem, cur ſemen illius tandiu deſtitui debeat poſſeſſione terræ promiſſæ & in peregrinatione teneri Amorrhæorum enim impietas nondum menſuram ſuam impleverat. Amorrhæos appellat nominatim tanquam gentem vaſtiſſime in his terris diffuſam, quæque præ cæteris populis cladem ſenſit & exitium ſubiit revertentibus in has oras Iſraëlitis. Dixit quoque Deus poſteritatem peregrinaturam, at Abrahamum iturum ad patres in pace. Hinc Rabbini concludunt Thare patrem Abrahami feciſſe תשׁובה pœnituiſſe à ſua idololatria, antequam vita exiret. Deus Abrahamo aperit limites terræ promiſſæ, hæreditandæ à poſteris. Primò terminos ab ortu & occaſu deinde gentes eam iſta tempeſtate poſſidentes. Termini, ab ortu ingens Eufratis flumen, ab occaſu נהר מצרים *fluvius Ægypti.* R. Salomo de flumine Eufratris לפי שהוא דבוק לארץ ישראל קראהו גדול אף על פי שהוא מאוחר בארבעה נהרות היוצאים מעדן. שנאמ' והנהר הרביעי הוא פרת: משל הדיוט עבד מלך מלך הדבק לשחור וישתחוו לך: *Quia vicinus fuit terræ Iſrael, vocat eum magnum, quamvis ſit minimus in quatuor fluminibus, quæ exeunt ex Eden, Q. D.* [Gen. 2. 14.] Et fluvius quartus eſt Eufrates. *Proverbium vulgare eſt*: Servus regis eſt rex, adjunge te præfecto & adorabunt te. Exiſtimat minimum eſſe quatuor fluviorum Paradiſi at ideo magnum dici quia proximus ſit terræ eoque digniſſimus. Jecur Judaicum! In comparatione ad flumina Syriæ & terræ Iſrael meritò maximus dicitur & quidem communiter Syriæ populis ita vocatus eſt. Eſt magnus communi teſtimonio ſcriptorum: Herodot. Clio: ῥέει δ' ἐξ Ἀρμενίας, ἐὼν μέγας, καὶ βαθὺς καὶ ταχύς. Unde & κατ' ἐξοχὴν fluvius vocatur. Pſ. LXXII. 8. Jerem. 2. 18. Orientalem terminum terræ repromiſſionis conſtituit ipſum Deus. Ita Pſalmi dicto loco regnum Salomonis extenditur à flumine ad fines terræ: qui eo loco ſunt littora maris Mediterranei & ſinus Arabici. A mari ad mare id eſt à Sinu Perſico ad Arabicum protenditur regnum. Poſt montes, quos habuerunt Amorrhæi, Ammonitæ & Moabitæ ſequebantur ſolitudines uſque ad Eufratem & Sinum Perſicum. Hi populi cum Amalecitis & Idumæis paruerunt regibus Iſrael. De flumine Ægypti dicit Aben-eſdras, הוא שחור ולא היאור. *Eſt Sichor & non* יאור. Conſtat fluenta Nili in hiſtoria ortus Moſis & plagarum Ægypti appellari יאור. Itaque Sichor diſtinguit à Nilo. Sed duplex eſt Sichor alius in tribu Aſer Joſ. 19. 26. Alius ad tribum Judæ. Hicrurſum duplex eſt ſecundum communem ſententiam: alius magnus ille Æthiopiæ & Ægypti fluvius, alius torrens iſte, qui Judæam ab Ægypti finibus diſterminat. Vocatur hic torrens נחל מצרים & eodem nomine cum Ægyptio Nilo. Nam Nilum diſertè ita vocat Scriptura Jerem. 2. 18. Maſius in Joſ. 13. 3. שיחור *Sihor, Nilum eſſe etiam Hebræi cenſent. Neque profecto ulla debet eſſe dubitatio, quando Ieremias ſic cecinit*, Quid tibi vis per viam Ægypti? ut bibas aquas Sihor? Aut quid tibi vis per viam Aſſur? ut bibas aquas Eufratis? *Nimirum qua ratione à Græcis olim is fluvius vocatus eſt μέλας, hoc eſt, niger* & inde ipſe Ægyptus μελάμβωλος, id eſt, nigrigleba, ut ſic dicam, teſte Euſtathio in Dionyſium; eadem dictus eſt & ab Hebræis שיחור. *Nam id quoque verbum nigri habet notionem: propter turbidas limo aquas videlicet. Equidem non ſum neſcius, eam pleroſque habere opinionem, ut putent alium quendam fluviolum diſcernere Ægyptiorum ditionem à Cananæa, quam Nilum. Id enim Hieronymus prodidit. Verum quando apud probatos, quod ego ſciam, coſmographos, nulla uſquam ejus fluvii, mentio eſt: Strabo autem in ea arte omnium diligentiſſimus; ſupra magnum Peluſiacum Nili oſtium, aliud parvum facit apud montem Caſium: à quo ad magnum uſque ſtudiorum tercentum ſit intervallum; idemque autor Iudæam ad Caſium uſque montem profert; à quo monte prope admodum abeſt Rhinocolura, urbs à præ-*

Q cisis

ciſis civium naribus ſic dicta; apud quam Hieronymus illum ſuum fluviolum in mare deducit: Plinius etiam Rhinocoluram Iudaeæ extimam urbem eſſe conſtituit; plane exiſtimo; non alium eſſe fluviolum illum à Nilo, ſed ab eo derivatum: atque ideo Nili hoc nomen retinere. Nam à noſtra etiam memoriæ ſcriptoribus proditum eſt, qui loca ea ipſi peragrarunt (Jodocum à Giſtella in ora ad hæc verba ponit) *itinere circiter dierum quinque à Gaza verſus Ægyptum, extimum Nili brachium à mari excipi: vulgoque Carabum vocari. Et ab eo Damiatam uſque hoc eſt Peluſium, viæ tantum intercedere, quantum horis viginti pedes queat conficere. Quod ſane Strabonis dictis conſentaneum eſſe mihi videtur. Quin R. R. Salomon & Kimchi, nihil dubitantes dicunt eundem unum eſſe terminum, qui hic per Nilum & qui capite x per Gazam deſignatus eſt. Verum putant illi hyperbolen eſſe, cum ad Nilum uſque fines Iudaeæ extenduntur.* Hactenus Maſius, qui lapſus eſt, quando Damiatam & Peluſium idem eſſe putat. Oſtium enim Peluſiacum eſt idem, quod ab hodiernis Geographis & peregrinatoribus Carabum appellari notat. Ego ſic ſentio, שיחור ille qui inter Ægyptum & Judæam diſterminat non eſſe alium à Nilo; id eſt, ejus maximè occidentali oſtio, quod Peluſiacum veteribus dictum eſt. Et hoc eſſe etiam quod hic vocatur נהר מצרים à quo diſcrimino נחל מצרים torrentem Ægypti. Nam Nilus non poteſt dici torrens, multò minus oſtium illud, quo in mare exit apud Peluſium. Torrentis Ægypti mentio eſt Joſ. xv. 3. 47. 1. Reg. 8. 65. 1. Chron. 7. 8. Eſai. 27. 12. Dicimus aliud eſſe נהר מצרים / aliud נחל מצרים. Unde Verſio Belgica corrigenda eſt, quæ confundit, ubi accuratè & ſolicite textus ſacer diſtinguit. Eſai. 27. 12. והיה ביום ההוא יחבט יהוה משבלת ער נחל מצרים׃ Hic Græci: *Καὶ ἔςαι ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, συμφράξει ὁ θεὸς ἀπὸ τῆς διώρυγος τοῦ ποταμοῦ ἕως Ῥινοκορούρων.* Symmachus: *ῥαβδιεῖ ἀπὸ ῥεῖθρου ποταμοῦ ἕως τοῦ χειμάῤῥου αἰγύπτου.* Procopius, *τῷ Συμμάχῳ ἐνδιαφωνοῦσι καὶ ἕτεροι.* Et poſt: *μέχρι τοῦ χειμάῤῥου Ῥινοκορούρων, ὅπερ ἐστὶν Αἰγύπτου μεθόριον.* Chaldæus retinet diſtinctionem in נהרא & נחלא Syrus in ܢܗܪܐ & ܢܚܠܐ. Arabs in Anglicanis Bibliis vertit من خليج النهر الى انف حكرون *à brachio fluminis ad faciem ſeu promontorium Cherun.* Hoc promontorium erit juxta Rhinocoluram; & circa id oppidum torrens Ægypti, qui diverſus eſt à flumine Ægypti, in mare deferebatur. In itinerario Antonini Rinocorura diſtat ab Oſtracena M. P. xxiv. Hinc Caſium M. P. xxvi. Proinde inter Rinocorura & Caſium montem ſpatium habetur mill. paſſ. 50. Caſius autem mons diſtat Peluſio 46. millibus paſſuum in eodem itinerario. Gaza autem à Rinocoruris M. P. 44 Strabo Caſium & Peluſium diſcriminari ſcribit trecentis ſtadiis id eſt 36. m. p. cum dimidio. Tanta igitur vicinia eſt Rinocoluræ Caſii & Peluſii. Strabo: *εἶτ' ἐπὶ Πηλούσιον* (nempe à monte Caſio) *ὁδὸς, ἐν ᾗ τά τε Γέῤῥα, καὶ ὁ Χαβρίου λεγόμενος χάραξ, καὶ τὰ πρὸς τῷ Πηλουσίῳ βάραθρα, ἃ ποιεῖ ὁ παρεκχεόμενος Νεῖλος, φύσει κοίλων καὶ ἑλωδῶν ὄντων τῶν τόπων. Τοιαύτη μὲν ἡ Φοινίκη. Inde via verſus Peluſium, in qua Gerrha & Chabriæ, quæ vocantur caſtra: ac voragines Peluſio proxima, quas facit effuſus Nilus, cum ea loca per naturam cava & paluſtria ſint. Hac uſque Phœnice.* Serbonis lacus eſt inter Rhinocolura & Caſium montem. Eum lacum ſeu paludem deſcribit Strabo. *παράλληλον πρὸς τῇ θαλάττῃ, μικρὸν δίοδον ἀπολείπουσα μέχρι τοῦ ἐκρήγματος καλουμένου, μῆκος ὅσον διακοσίων σταδίων, πλάτος δὲ τὸ μέγιστον πεντήκοντα. Τὸ δὲ ἔκρηγμα συγκέχωσται. Εἶτα συνεχὴς ἄλλη τοιαύτη ἡ ἐπὶ Κάσιον, κἀκεῖθεν ἐπὶ τὸ Πηλούσιον.* Inter Caſium igitur montem & Sirbonim paludem non fuit iſte torrens Ægypti. Non fuit etiam toto illo tractu ducentorum ſtadiorum, quo palus erat *παράλληλος τῇ θαλάττῃ.* *ἔκρηγμα* enim eruptio eſt non torrens. Propè Rinocoluram igitur fuit iſte torrens, defluens è montibus Pharan. Juxta

Rino-

Rinocolura littus hactenus in meridiem verſum, flectitur in occidentem, unde Ægyptus incipere videbatur aut ab oſtio Nili maximè occidentali.

Poſtquam limites aſſignati ſunt, Deus populos illam terram incolentes tempore Abrahami, enumerat. Recenſentur autem populi decem:

הקיני *Cenæus*: Populus in ſolitudinibus Arabiæ, Amalecitis vicinus (1. Sam. 15. 6.) oriundus à Cain (ut quidam volunt) è Num. 24. 22. Sed potius קין collectivum eſt metaplaſmo quodam pro קיני. Ex hac gente fuit Hobab, avunculus uxoris Moſis, frater Jethronis, cujus filii Cenæi in terra Canaan ſedem ceperunt in deſerto Judææ ad meridiem Harad, Judic. 1. 16. Ex hac populi Cenæi parte fuit Heber, qui à Cain [id eſt Cenæorum populo Judæam incolente] ſe ſegregaverat, fixis tentoriis uſque ad quercum in Zaanaim prope Kedes Jud. 4. 11. Cenæi ſunt antiquiores Amalecitis, Idumæis & Madianitis: ideò trium harum gentium hoc loco nulla fit mentio. Amalecitæ oriundi à filio Eſau [Gen. 36. 12.] Cenæis vicini aut eadem in regione habitarunt. Madianitæ etiam in iiſdem ſolitudinibus inter ſinum Arabicum & Babyloniæ ſeu Chaldææ montes habitarunt. Illi enim Arabiæ populi in tabernaculis degere ſolebant & latè paſcere.

2. קנזי Cenezæus: populus antiquus, originem habens à quodam Kenez. Ejus nulla mentio occurrit niſi in hoc loco. Nam Kenazi tres memorantur in ſacro codice, qui huic populo ortum non dederunt. Primus eſt nepos Eſau Gen. 36. 11. Alter Calebi vitricus Joſ. 15. 17. Jud. 1. 13. 1. Paralip. 4. 13. Tertius Calebi nepos 1. Paralip. 4. 15. Hi Cenezæi Abrahamo antiquiores ſunt.

3. קַדְמֹנִי Cadmonæus: Hujus etiam populi origo ignota eſt, ut nulla ejus in alio loco mentio.

4. חִתִּי Hetthæus. Eorum habitatio fuit circa Hebronem. Nam illic ſepulturam emit Abraham ab Hettæis Gen. 23. oriundi ſunt à filio ſecundo Canaan Gen. 10. 15.

5. פְּרִזִּי. Pherezæorum mentio ſupra cap. 13. v. 7. Inter filios Canaan Gen. 10. eorum origo non occurrit.

6. רְפָאִים, Non procul Hieroſolymis iſti gigantes habitarunt. Dictum de his ſupra eſt.

7. אֱמֹרִי *Amorrhæus*. E quarto filio Chanaan Gen. 10. 16. Latiſſime habitarunt cis & ultra Jordanem. Unde eorum iniquitas proponitur in exemplum v. 16.

8. כְּנַעֲנִי. *Chananæus*. Gens de Chananæis gentibus una, dicta ab *ἀρχηγέτῃ*. Jungitur cum Pherezæis cap. 13. 7.

9. גִּרְגָּשִׁי, *Gergaſæus*. A quinto filio Canaan, Gen. 10. 16.

10. יְבוּסִי, *Iebuſæus*, A tertio filio Chanaan, Gen. 10. 16. Hi circa Hieroſolyma incoluerunt, & eam tenuerunt urbem, ut ſuo loco videbitur.

In hoc catalogo gentium recenſentur quatuor, quarum origo non attribuitur Canaan Gen. 10. At in decimo illo capite Geneſeos v. 17. & 18. ſex gentes aliæ enumerantur, ortæ de Chanaan, quarum hic nulla eſt mentio. Sequenti circa exodum ætate Deus ſeptem gentes Cananæas promittit ſubjiciendas Iſraëlitis, commemorans Hevæos, qui hic non nominantur. Deut. 7. 1. Hi populi ſunt: Hetthæi, Gergaſæi, Amorrhæi, Cananæi, Pherezæi, Hevæi, Jebuſæi. Quod non eſt ſic accipiendum, quaſi plures populi non fuerint, at in hanc mentem, quod hi fuerint præcipui & validiſſimi. Ita etiam loco dicto pronuntiat Dei ſpiritus, eas gentes numeroſiores & potentiores eſſe populo Iſraelitarum. Movet quæſtionem Raſi: *Sunt hic*, inquit, *decem populi, at non dedit ipſis niſi ſeptem gentes: & tres Edom, Moab, Amnon: & illi Cenæus,*

Cenezæus, Cadmonæus: Futurum autem erit, ut eſſent hæreditas (ועתדים להיות יחשה לעתיד) Q. D. (Eſai. 11. 14.) Edom & Moab immiſſi manuum eorum & filii Amon obedientia eorum. Aben-eſdras Cenæos & Kenezæos & Cadmonæos dicit eſſe è filiis Canaan ויש להם שני שמות. Illud de *ἀνωνυμία* frequens confugium eſt ignorantiæ. Quis enim ignorat Kenæos non eiſe de Chananæis gentibus alio nomine dictis? Quod etiam Chananæus in catalogo ponatur, putat eſſe figuram loquendi, qua genus cum quibuſdam ſpeciebus aliquando ponitur ואחר שהזכיר הששה יאמר הכנעני על הנשארים וכן בפרשה הזאת הם עשרה בפרט ובמקום אחר בכלל וכן יהודה וישראל רבים אף על פי שיהודה מישראל הוא: *Poſtquam commeminit ſex illos, dicit Cananæus de reliquis & ſic in hac paraſcha illi decem in particulari & in loco alio complexim: Et ſic Iuda & Iſraël multi, quamvis Iuda ſit ex Iſrael.* Harum gentium terras ea adhuc tempeſtate infrequentius habitatas, Deus Abrahamó ejuſque ſemini promiſit.

Cap. XVI. Hujus capitis rerum obiter tantum meminit Sulpicius. Totum caput agit de Iſmaël, qui Abrahami filius ex ancilla Ægyptia, cui nomen Hagar. Congreſſus Abrahami cum illa ancilla, ejus gravidæ humiliatio, Iſmaëlis nativitas in iſto capite continentur. Congreſſus eſt cum ea Abraham ex uxoris petitione. Stimulabat Saram orbitas & deſiderium prolis. Matres familias ſolebant ea tempeſtate ancillas ære ſuo redemptas ſupponere maritis, ut ex iis in ſuum thalamum adſcitis ipſæ quaſi prolificarent. Sic duæ uxores Jacobi narrantur feciſſe. Diligenter notat Sp. S. Abrahamum non impulſum libidine ſua, ſed precibus uxoris inductum, cojiſſe cum ancilla, inducta ab ipſa in ſuum thalamum & ſuppoſita Abrahamo. Verba Saræ, quibus maritum compellavit: *Ecce* (הנה נא) *occluſit me Dominus, ne pariam,* (בא נא) *ingredere quæſo ad ancillam meam* אולי אבנה ממנה *fortaſſis prolificabo ex ipſa.* Ancillam illam Ægyptiam potuit Sara habuiſſe ex dono regis Ægypti, Hebræi dicunt Pharaonis filiam fuiſſe, qui cum ſigna Abramo & Saræ facta in Ægypto vidiſſet & graves ſibi propter illos inflictas eſſe plagas, ſuam filiam Saræ donarit in ancillam, addens, malle ſe eam in eorum domo ancillam eſſe, quam alibi dominam. Hinc ei datum eſſe nomen, quaſi הא אגריך / En hæc eſt merces tua, pro tua pudicitia. R. Salomo: בת פרעה היתה כשראה נסים שנעשו לשרה אמר מוטב שתהא בתי שפחה בבית זה ולא גבירה בבית אחר: *Filia Pharaonis fuit: quando videbat miracula quæ Saræ fiebant, dixit: Præſtat ut ſis ancilla, filia mea, in domo hac, quam, domina in domo alia.* Hanc in inſtrumento dotali ſeu literis contractus matrimonialis adſcriptam fuiſſe dicebat Rabbi Juda Ben Corcha וכתב לה הגר בתי לשפחה. Turbatum confuſumque uxorem reddidiſſe, dicendo ad Abramum: הרי אשתך וכל שטרי מתנותיה עמה לך אל תעמוד בארץ הזאת: *Ecce uxor tua & omnes literæ donorum ejus cum ea, vade ne conſiſtas in terra hac.* Vide Jalkut chadas in titulo Abraham è Pirke R. Eliezer. Breſith Rabba ad hunc locum ſcribit, fuiſſe שפחת מלוג id eſt ancillam peculii Saræ, quam tenebatur Abram alere neque fuit illi conceſſum eam vendere: והיה חייב במזונותיה ולא היה רשאי למכרה. Hæc fingunt occaſione ejus, quod dicatur Ægyptia, cum non legatur Pharao donaſſe aliquid Saræ ſed quæ donavit, donaſſe Abrahamo. Abrahamo obſequium annuente voluntati uxoris, Sara induxit eam in thalamum, ſub his verbis (ſi credimus Raſi) אשריך שזכית לידבק בגוף קדוש כזה *Beatam te, quæ adjungeris corporis ſancto, ut hoc eſt.* Oſtendit Moſes Abramum & Saram longæ exſpectationis tædio, in hunc lapſum fuiſſe inductos. Notat enim decennio jam toto in terra Canaan habitaſſe, antequam hæc facerent. Hic Judæi rurſus perverſa interpretatione labuntur. Aben-eſdras: העתיקו קדמונינו ז'ל שלא ישהא אדם עם אשתו יותר

יותר מעשר שנים אם לא תלד זרה הפסוק הזא כדמות אסמכתא וטוב הוא:
Tranſtulerunt priores noſtri b. m. quod non morabitur homo cum uxore ſua ſupra decem annos, ſi non pariat. Et hic textus eſt inſtar probationis, eſtque bonum. Raſi: מועד הקבוע לאשה ששהתה עשר שנים ולא ילדה לבעלה חייב לישא אחרת: *Tempus fixum mulieri, quæ commorata ſit decem annos & non pepererit marito ſuo, tenetur ducere aliam.* Idem in Baal Turim, illud autem addunt moram decem annorum cum ſterili in terra Canaan definiri, non in terra peregrina, quia hoc in loco additur, לשבת אברם בארץ כנען Hæc res fuſe docetur in codice Babylonico Jebammoth fol. 64. pag. 1. Ingreſſus eſt Abraham ad Hagar, in thalamum Saræ introductam. Volunt Rabbini hunc congreſſum unicum fuiſſe, quia uno fuerit imprægnata. Auguſtinus Abrahamum in hoc facto abſolvit ab omni affinitate criminis, Lib. 16. de civit. Dei cap. 25. *Quod autem,* inquit, *attinet ad rem geſtam, nullo modo eſt inurendum de hac concubina crimen Abrahæ. Vſus eſt ea quippe ad generandam prolem, non ad explendam libidinem, nec inſultans, ſed potius obediens conjugi, quæ ſuæ ſterilitati credidit eſſe ſolatium, ſi fœcundum ancillæ uterum, quoniam natura non poterat, voluntate faceret ſuum, & eo jure quo dicit Apoſtolus, Similiter & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier, uteretur mulier ad pariendum ex altera, quod non poterat ex ſeipſa. Nulla eſt hic cupido laſcivia, nulla nequitiæ turpitudo: Ab uxore cauſa prolis ancilla marito traditur, à marito cauſa prolis accipitur, ab utroque non culpæ luxus, ſed naturæ fructus exquiritur. Denique cum ancilla gravida dominæ ſterili ſuperbiret, & hac Sara ſuſpicione muliebri viro potius imputaret, etiam ibi demonſtravit Abraham non ſe amatorem ſervum, ſed liberum fuiſſe genitorem, & in Agar Saræ conjugi pudicitiam cuſtodiſſe, nec voluptatem ſuam, ſed voluntatem illius impleviſſe: accepiſſe, nec petiiſſe; acceſſiſſe, non hæſiſſe; ſeminaſſe non amaſſe. Ait enim: Ecce ancilla tua in manibus tuis, utere ea, quomodo placuerit. O virum viriliter utentem fœminis, conjuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter.* Epiphanius: ἑκάστου τῶν πεπιστευμένων ἐκ τοῦ σκοποῦ κρίνεται. Abrahamum non δεδουλευκέναι τῇ ἐπιθυμίᾳ. Quia uxori ejuſque precibus dedit, quod fecit. Id magis excuſari ea tempeſtate οὔτε τῆς φύσεως οὔτε νόμου τινὸς ἐγγεγραμμένου τὴν τοιαύτην πολυγαμίαν κωλύοντος. Impulſu uxoris ſterilis, factum eſſe οὐχ ἵνα τῇ ἡδυπαθείᾳ δουλεύσῃ ἀλλ' ὅπως αὐτὸς μετὰ φύσιν, αὐτοὶ ἢ διὸ κληθῶσι γεννήτορες. Rem hanc ita examinat & judicat Calvinus: *Videbat,* inquit, *ſe eſſe ſterilem & pariendi ætatem exceſſerat: Novo igitur remedio opus eſſe colligit, ut promiſſam benedictionem obtineat Abram. Conſilium verò ducendæ ſecundæ uxoris non ab ipſo Abram ſed à Sarai profectum eſſe, nominatim recitat Moſes: ut ſciamus ſanctum virum non libidine impulſum fuiſſe ad has nuptias, ſed quum nihil tale cogitaret, hortatu uxoris fuiſſe inductum. Quæritur tamen an ſobolis tantum deſiderio Sarai ancillam ſuam in locum ſuum ſubſtituerit? Id quidem nonnullis videtur, atqui mihi non eſt credibile, piam matronam earum promiſſionum, quæ toties marito repetitæ fuerant, non fuiſſe conſciam. Imo id pluſquam confeſſum eſſe debet inter omnes pios, matrem populi Dei ejuſdem cum marito gratiæ participem fuiſſe ac ſociam. Non igitur naturaliter tantum (ut fieri ſolet) prolem appetit Sarai: ſed benedictionis (quam ſciebat divinitus promiſſam eſſe) potiundæ voto conjugalem thorum ſponte alteri cedit: non quod divortium faciat cum marito, ſed quia marito alteram uxorem aſſignat, è qua liberos ſuſcipiat. Et ſanè ſi vulgari modo prolem optaſſet, potius in mentem veniſſet adoptione facere quàm dare ſecundæ uxori locum. Scimus enim quantus ſit in mulieribus zelotypiæ ardor. Ergò promiſſionis intuitu juris ſui oblita, non niſi de procreandis Abræ liberis cogitat. Memorabile exemplum ex quo non exiguus fructus ad nos redit. Sic enim laudabile fuit votum Sarai quoad finem, vel ſcopum, in quem tendebat, ut tamen in ipſo progreſſu*

greſſu non leviter peccarit, quod orbitatis impatiens, à Dei verbo diſceſſit, ut verbi effectu frueretur. Dum ſterilitatem ſuam & ſenium reputat, obrepit deſperatio, niſi aliunde liberos gignat Abram: in eo jam eſt aliquid vitii. Verum ut res eſſet deſperata, non debuit tamen quicquam aggredi niſi Dei voluntati & legitimo natura ordini conſentaneum. Deus è ſancto connubio propagari voluit humanum genus: Sarai connubii legem pervertit, lectum conjugalem, qui duobus dicatus erat, polluendo. Nec valet excuſatio, quod concubinam uxoris loco eſſe voluerit: quià fixum illud manere debuerat, mulierem viro adjunctam eſſe, ut eſſent duo in carnem unam. Tametſi jam polygamia apud multos invaluerat: legem tamen illam, qua duo inter ſe mutuò obligantur, convellere nunquam fuit in hominum arbitrio. Nec culpa etiam vacavit Abram, quòd ſtulto ac prapoſtero uxoris conſilio obſequutus eſt. Ergò ut vitioſa fuit pracipitantia Sarai, ita reprehenſione digna eſt Abra facilitas. Vtriuſque autem claudicavit fides, non in ſubſtantia quidem, ſed in medio ipſo (ut loquuntur) vel agendi ratione, dum ſobolem qua à Deo ſperanda erat, extra legitimam Dei ordinationem quarere feſtinant. Vnde etiam monemur quam non fruſtra Deus ſuos quieſcere & cum ſilentio expectare jubeat, quoties eorum vota differt ac ſuſpendit. Nam & qui ante tempus properant, non modò antevertunt Dei providentiam, ſed Dei verbo non contenti, ſe projiciunt ultra metas. Verum videtur aliud ſpectaſſe Sarai, qua non modo Abram cupit fieri patrem: ſed maternum etiam jus & honorem ſibi vult acquirere. Reſpondeo, quum ſciret in ſemine Abra benedicendas eſſe omnes gentes, mirum non eſſe ſi ſocietate generis noluerit privari: ne reſecta à corpore benedicto, quaſi putridum membrum; extranea quoque à ſalute promiſſa foret. Ad verba; Non pepererat ei. *Videtur excuſandi cauſa hoc poſitum. Et certe Moſes ſignificat non ante petiiſſe ſubſidium ab utero ancilla quàm ubi neceſſitas id facere coëgit. Et verba ejus declarant, patienter & modeſtè exſpectaſſe quidnam facturus eſſet Deus uſque dum ſpes in totum pracisa foret, quum dicit ſe ab illo concluſam ne amplius pariat. Quid igitur in ea culpa reperiemus? Nempè quod debuerat hanc curam rejicere in ſinum Dei, nec ejus virtutem alligare ordini natura, vel reſtringere ad ſuum ſenſum. Deinde quod ex praterito colligens, quid poſteà futurum ſit, non cogitat in manu eſſe Dei, vulvam quam concluſerat, rurſus aperire.* Ad verba; Si forte ædificer] *Fœtum vero, quem pariet Agar, jure dominii ſibi vendicat Sarai, quoniam ſibi non pariebant ancilla, ſicuti nec corporis ſui habebant poteſtatem. Dum autem prior maritum compellat non modo admittit concubinam, qua inſtar pellicis futura erat: ſed ingerit & obtrudit. Atque hinc apparet, ex quo homines ſibi plus ſapere permittunt, quam fas eſt, proclivem eſſe inde lapſum ad tentanda illicita media. Ex zelo fidei naſcitur affectus: ſed quia non ſubjicitur Deo, ut ejus opportunitatem exſpectet, ſtatim tranſilit ad polygamiam, qua nihil erat aliud, quam juſti conjugii corruptio.* Ad verba, Et paruit Abram: *Vacillat quidem Abra fides, quum à Dei verbo declinans, uxoris impulſu ad remedium, quod divinitus prohibitum erat,, transferri ſe patitur. Retinet tamen fundamentum; quia non dubitat, quin tandem ſenſurus ſit Deum veracem. Quo exemplo docemur, non eſſe, cur deſpondeamus animos, ſi quando fidem noſtram concutiat Satan, modo ne labefactetur in cordibus noſtris Dei veritas. Interià quum videmus Abram (qui per tot annos inſtar invicti athleta fortiter luctatus fuerat & tam ardua obſtacula tranſcenderat) nunc momento uno tentationi ſuccumbere: quis noſtrum ſibi non metuat à ſimili periculo?* Deinde ad verba v. 3. Et dedit eam Abram viro ſuo] *Quale fuerit Sarai conſilium exprimit Moſes neque enim domi ſua voluit erigere lupanar, nec ancilla ſua productrix vel mariti lena eſſe. Impropriè tamen vocatur uxor, qua prater Dei legem in alienum thorum inducitur. Quare ſciamus hunc concubitum ſic illicitum fuiſſe, ut inter ſcortationem & conjugium quaſi medius fuerit. Idem*

omni-

omnibus commentis accidit, qua Dei verbo aſſuuntur. Quamlibet enim honeſto tegantur praetextu, corruptela ſubeſt, qua à verbi puritate degenerat eamque vitiat. Hactenus Calvinus, cui conſonat Muſculus. Annotat enim:

I. In promiſſionibus Abramo factis nuſquam mentionem factam eſſe Saræ ſed omnes de ſemine ad Abramum referri. *Hinc,* inquit, *natæ ſunt Saræ cogitationes, forſan non ſic eſſe conſtitutum Domino, ut ex ipſa ſed ex alia quapiam impleretur,* quod promiſſum erat.

II. Non cogitabat futurum ut ipſa pareret cum ad ipſam uſque ſenectam ſterilis eſſe perſeveraret.

III. Longo tamen tempore exſpectavit. Nam decennio toto exacto, id eſt, cum annum ageret 75. de ſemetipſa deſperare cœpit.

IV. Credidit igitur haud mentiri divinam promiſſionem: verum de ſeipſa deſperans ad hujuſmodi conſilium inclinat.

V. Deſponſatio Hagar ex voluntate Sarai & Abræ conſenſu facta eſt.

VI. Moſi igitur *ſatis fuit* (non narratis ſolennitatibus & ritibus deſponſationis) *id, quod primarium eſt, exprimere: videlicet hanc Abrahæ & ancillæ Hagar copulam, nulla libidinis vanitate ac temeritate, qua ſcortatores ſcortis junguntur, ſed certa de cauſa, eaque honeſta: deinde voluntate ac petitione Saræ inſtitutam, ut quod fecit Abram fecerit ex illius petitione: adhac eſſe illam ad formam conjugii factam.*

VII. Noluit marito ſupponere liberam. Reſpexit Sarai ad futurum ſemen. *Reſpexit ad jus, quod habebat in ancillam, cujus erat domina.* Jure dominii pertinebat ad ipſam: ſi qua ex ancilla naſceretur proles. Nolebat conſortio futuri ſeminis, quod exſpectabatur, privari. Fuiſſet autem nihil juris in prolem ex libera natam. Dixit etiam ut ædificer ex ea.

VIII. Abraham auſcultans uxori idem init carnale conſilium; *in quo ſine verbo Dei, in cauſa Dei, aliquid propriis conſiliis tentant.*

IX. Dum adhuc ſecundum naturæ curſum ſpes prolis eſſe poterat, non progreſſa eſt huc Sarai: debuit autem ſemen promiſſum ex potentia Dei provenire. Surſum igitur oculi attollendi erant.

Muſculus iterum: Quomodo uxor erat, ſi adhuc erat ancilla: ac rurſus ſi erat uxor, quomodo adhuc erat ancilla? *Reſpondeo: duplex erat apud veteres uxorum genus. Unum eorum, quæ liberæ erant & matres familias. Hæ omnium erant bonorum conſortes & גבירות id eſt, dominæ vocabantur. Alterum earum, quæ de ſervili conditione in uxores aſſumebantur. Illæ non erant matres familias nec libertate conjugali potiebantur, ſed in ſervili conditione retinebantur. Vocabantur & ipſa quidem* [vocabulo] *אשה, id eſt,* uxores: *verum haudquaquam* גבירות *appellabantur, id eſt,* dominæ: ſed aliquando in ſcripturis פילגשים*, id eſt,* concubinæ *nominantur. Hagar hoc loco vocatur* אשה*, id eſt,* uxor. *Sic & Kethura infrà cap. 25.* uxor *nominatur.* Addidit Abraham, *inquit,* & accepit אשה, id eſt, uxorem, & nomen ejus Ketura. *Et infrà cap. 30. dicebat Rachel ad Iacob:* Ecce ancilla mea Bilha ingredere ad eam, ut ædificer ex ea, deditque Bilham ancillam in uxorem. *Et tamen Hagar & Ketura infra 25.* פילגשים *appellantur, ubi legitur Abram filiis concubinarum dediſſe munera. Et,* 1. Paralip. 1. Filii autem Ceturæ, *inquit,* concubinæ Abram, quos genuit &c. *Ergò ejuſmodi ſerviles uxores erant ſimul & uxores & concubinæ & concubinatus nomine à primo uxorum genere diſtinguebantur. Poſterius hoc genus uxorum, ſicuti Hebræi dicunt, ſine* כתובה *& ſine* קדושים *ſine dotalibus literis & ſponſalibus ritibus ducebatur. Non erant liberæ tales conjuges, licet veræ eſſent & legitimæ uxores. Non licebat illis copiam corporis facere alienis: quod ſi feciſſent, adulterii loco habebatur. Filii illarum*

illarum non erant cohæredes liberis matrum familias, ſicut in filiis Hagar & Ceturæ videre licet. Et Iacob quoque filii, qui ex ancillis nati erant, à filiis Rachel & Liæ ſic diſcriminabantur ut ab ipſis proferendæ eſſent maledictiones, ab illis vero benedictiones Deut. 27. 12. 13. Erant & ipſi quidem legitimi filii Iacob, verum quoniam ex concubinis prognati erant, hoc nomine liberis ex Rachel & Lia natis poſtponebantur. Non debemus iſta vocare in dubium, propterea quod poſtremu ſeculis inter nos Chriſtianos in uſu non ſunt, nec convenit ut ea vel damnemus in patribus vel ad imitationem uſque probemus. Ita Hagar & uxor erat Abrahæ & ſimul ancilla Saræ. à qua conditione non erat iſto conjugio liberata. Eruditiſſimus Grotius Hebræum לאשה accipit ita ut ſignificet *vice-conjugem, quomodo habent inſcriptiones veteres. Vxorem imitatur concubina ait Iulianus anteceſſor.* Nos igitur ſic rem hanc accipimus: Ipſum factum licitum fuiſſe, pro temporum captu, vel ipſo jure vel per tolerantiam Dei. At cauſam impulſivam ſeu [illegible] fuiſſe fidei præfeſtinantis tædium & lapſum. Hoc enim putamus non naturali affectu prolis habendæ ſed intuitu divinarum promiſſionum fuiſſe impulſos.

Lyranus putat ideo datam eſſe Abræ ab uxore Hagar potius quam aliam ancillam, quia ex devotione reginæ Ægypti, matris ejus, Saræ donata eſſet. Ideò eam voluiſſe honorare præ aliis mulieribus. Cauſam autem impulſivam quæſiti concubinatus eſſe, quod putaret Sara eſſe inconveniens, quod vir tam ſanctus prole careret de corpore ſuo. Ideo quia non poſſet ipſa parere filios naturales, voluit habere ſaltem per adoptionem. Audacior eſt Joſephus, qui θεοῦ κελεύσαντος Saram ſuppoſuiſſe Abramo ancillam dicit. Divina inſpiratione motam fuiſſe Saram ex Innocentio III. dicit Eſtius. Nempe putant Abrahamum ſic non aliter excuſari à peccato, quia polygamia eſt contra jus naturæ.

Concubinatus iſte dedit prolem ſed non reputandam pro ſemine: ſignificatio fuit filios promiſſionis non cenſendos eſſe è naturali procreatione, quam æquè Iſraël habuit ac Iſaac, ſed è promiſſione & fide, uti explicat Apoſtolus Rom. 9. 7. 8. 9. Gal. 4. 22. 23. 24. 25. 26.

Feſtinationem ſecutum eſt ſupplicium. Nam Hagar cum ſe concepiſſe animadverteret, Arbitrata (ut quidam volunt) ſe matrem fore benedicti ſeminis, de quo ab heris inaudierat, animum extulit & contempſit heram. Tanta (inquit Muſculus) fertilis uteri gloria erat, ea tempeſtate. Serviliter contempſit heram. Volunt Hebræi hoc ſcommate excepiſſe Saram, quod refert Raſi, אמרה שרי זו אין סתרה כגלויה מראה עצמה כאלו היא צדקת ואינה צדקת שלא זכתה להריון כל השנים הללו ואני נתעברה כביאה ראשונה; *Dicebat, Sara iſta, non eſt occultum ejus ſicut manifeſtum ejus, Species affirmat, quaſi eſſet juſta, nec juſta eſt, quod non ſit merita conceptionem omnibus illis annis at ego prægnans facta ſum ab uno congreſſu.*

Prima in lapſu fuerat Sara, prima pœnitentiam ſenſit, ipſa autem marito moleſta fuit. חמסי עליך / Raſi: חמס העשוי לי עליך אני מטיל העונש כשהתפללת להקב״ה מה תתן לי ואנכי הולך ערירי לא התפללת אלא עליך והיה לך להתפלל על שנינו והייתי אני נפקדת עמך ועוד דבריך אתה חומס ממני שאתה שומע בזיוני ושותק; *Injuria facta mihi ſuper te eſt, Ego porto pœnam; quando precatus es Deum benedictum, quid dabis mihi cum ego vadam orbus, non es precatus niſi ſuper te; cum eſſet tibi orandum pro nobis ambobus & ſum ego viſitata tecum,* Et amplius: *verba tua aufers à me, quoniam tu audis damnum meum & taces.* Græci habent, Ἀδικοῦμαι ἐκ σοῦ. Senſus eſt (ut multi volunt) tu mihi cauſa es injuriæ, quam patior. Nempe, Nimia Abrahami indulgentia factum eſſe, quod ancilla ſuperbiat.

Rabbi

Rabbi Levi Gerſomides: לא רצת שרי לענות אותה בדרך שתעתיקה מזאת התכונה אם לא ברשות אברם ולזה ספרה לו מנהג הגר עמה ונתרעמה על אברם מפני שלא היה מוכיח הגר שלא תנהג עם גבירתה כזה המנהג: *Et noluit Sarai affligere ipſam modo quo transferret eam ab hac diſpoſitione, niſi cum venia Abram. Ideo exponit ei conſuetudinem Hagar ſecum & conqueritur ſuper Abram, propterea quod non objurgaverit Hagar, ne ita cum domina ſua ageret. Iudicet*, inquit, *Dominus inter me & te.* Arridet Piſcatoris expoſitio, qui verba illa, *injuria mea ſuper te*, accipit per modum imprecationis. Injuria id eſt injuriæ meæ pœna eveniat tibi: ut Matth. 27. 25. Sanguis illius, id eſt ſanguinis pœna. Id accipio. Nimium præſumit de cauſæ ſua juſtitia & impotenti ira muliebriter elata, non dubitat cariſſimum maritum judicio Dei ſubjicere. Ipſa plus culpæ habebat in hac cauſa quam Abram. In ipſo veſaniæ ſuæ ſupplicio, non potuit animum frenare. Calvinus: *Nunc vero*, inquit, *in perſona matris fidelium oſtendit Dominus, quam violentus ſit iracundia fervor & quorſum homines abripiat: deinde quantopere cacutiant, qui ſibi indulgent in propriis negotiis, ut diſcamus nobis ſuſpecti eſſe, quoties res noſtra agitur. Aliud etiam hic notatu in primis dignum eſt, domos optimè compoſitas interdum jurgiis non carere: Imò hoc malum penetrare uſque ad Eccleſiam Dei. Nam domum Abraha qua litibus turbatur, ſcimus fuiſſe vivam Eccleſia effigiem. Quod ad rixas domeſticas pertinet, ſcimus pracipuam partem vita ſocialis, quam ſacravit Deus inter homines, in conjugio eſſe & tamen interveniunt varia incommoda, qua ſingula illud bonum velut maculis adſpergant. Ad has moleſtias devorandas ſeſe comparent fideles oportet. Ad eam rem valde proderit reputare hujus mali originem: quicquid enim moleſtiarum in conjugio ſentiunt homines, peccato imputare debent.*

Abraham permiſit uxori, ut pro poteſtate ſua ancillam humiliaret. Calvinus: *Apparet ex reſponſo Abra, quanta fuerit ejus humanitas & modeſtia. Non jurgatur cum uxore & cum optimam cauſam habeat, pertinaciter tamen eam non tuetur.* Hactenus Calvinus. Nempe corporis fructus in poteſtate heræ erat, cui accreſceret, ideo exuto maritali & paterno affectu, Hagar infeſtæ dominæ arbitrio permittit & ſpem in utero ejus conceptam quodammodo negligit. *Forte ei Deus* (inquit Eſtius) *jam dixerat, quod dixit cap. 21.* Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus. Iterum Calvinus: *Caterum hic quari poteſt, quomodo cura ſeminis benedicti ex ejus animo tunc evanuerit. Gravida eſt Agar: ſemen ex ea proditurum ſperat, ex quo promiſſa eſt mundo ſalus. Cur non poſthabita Sarai, ſuum illuc amorem ſtudiumque magis applicat? Verum hinc colligimus, omnes humanas cogitationes effluere, & abire in fumum ſimul atque gravior inciderit tentatio. Sumpta prater Dei mandatum uxore, rem bene & feliciter ceſſiſſe putat dum pragnantem videt, ac ſibi places in ſtulta audacia. Dum repente exoritur contentio, nihil habet conſilii, & ſpem totam abjicit, vel ſaltem obliviſcitur. Vt nobis accidere neceſſe eſt, quoties aliquid aggredimur prater Dei verbum, ut ad primum quenque trepidationis ventum mentes labaſcant: quarum una eſt hac ſtabilitas, Deum habere authorem. Interea fidem ſervi ſui à rubigine Deus repurgat. Suum enim & uxoris figmentum miſcendo cum verbo Dei, illam quaſi ſuffocaverat. Quare ut rurſus ad liquidum eluceat, reſecatur illud ſuperfluum. Hoc modo Deus pravis noſtris conſiliis ſe opponens, à ſocordia nos ad ſanam mentem revocat. Simplex data erat promiſſio, Semini tuo benedicam. Additamentum Sarai ſupervenerat, nullum fore ſemen niſi ſuppoſititium ex Agar. lutum hoc humana cogitationis, quo deformata promiſſio fuerat, abſtergi oportuit, ne aliter ſaperet Abram quàm ex ex puro Dei verbo.*

Sara ancillam in ordinem redegit. Cæterum ſive difficile fuerit iratæ

mulieri in reprimendæ ancillæ inſolentia modum tenere, non tam officii ſui memori quam de ulciſcenda offenſa cogitanti: Sive Hagar non tam ſævitia dominæ, quam propria contumacia impulſa fuerit; non tulit caſtigationem; *Non eſt probabile*, inquit Calvinus, *niſi pluribus & atrocibus offenſis tantopere accenſam fuiſſe Sarai: ſervilis igitur ingenii mulier & indomita ferocia, fugere maluit, quam humili culpa agnitione redire in gratiam.* Judæi in Breſith Rabba comminiſcuntur varios modos & ſpecies caſtigationis, quibus Sarai uſa fuerit. At hæc ſicuti commenta reliqua Iudæorum negligantur.

Narrat Moſes fugitivam oberraſſe juxta fontem in via Sur. Mercerus: *In via Sur, id eſt, qua itur in Sur; qua illuc tenditur. Sur loci ſeu regionis & deſerti propriè nomen, inter Iudæam & Ægyptum, pertenditque teſte, Hieronymo, ad mare uſque rubrum, non procul à Cades, ut & infra dicetur, puteum illum, ubi ipſi Angelus apparuit eſſe inter Cades & Bared. Cades, ut ſupra cap. xvi. dixi, eſt etiam in deſerto, ad Petram urbem Arabiæ. Et infra rurſum fiet mentio deſerti Sur, c. 20. item 25. ubi fines Iſraelitarum dicuntur fuiſſe ab Havila, quæ eſt in Æthiopia, id eſt, Chaulatæa, ut dixi, uſque ad Sur, tendendo Aſſyriam verſus, & illic additur, uſque ad Sur, quæ eſt è regione Ægypti. Itaque videtur Hagar fugam meditata in Ægyptum.* E vocabulo Sur, petit Mercerus originem nominis Syriæ, quo Græci & Latini magnam partem majoris Aſiæ appellarunt. Id erroneum eſt, quia certum à voce Aſſyriæ defluxiſſe. Aſſyrii enim primi hominum late regnarunt, unde Aſiæ quicquid à Tigri ad Ægyptum & Arabiam extenditur, Aſſyriæ & deinde Syriæ appellatione comprehenſum eſt. Piſcator docet Sur eſſe nomen urbis ſitæ ad deſertum è regione Ægypti Ex. 25. 18. & Exod. 15. 22. E quibus locis liquidò id colligere haud licet. Abram ea tempeſtate habitabat in Elone Mamre. Ioſephus habitationem ita deſcribit: Ἄβραμος δὲ κατῴκει περὶ τὴν ὠγύγην καλουμένην δρῦν. *Abramus habitavit circà quercum vocatam ogygen.* In via Sur, בְּדֶרֶךְ שׁוּר: Syrus in Anglicanis Bibliis ܒܐܘܪܚܐ ܕܚܓܪܐ: Arabs ibidem في طريق حجر الحجاز *In via regionis Meccana*, ut reddidit interpres. Nam Arabia Petræa vel Mecca cum urbibus vicinis ita ab Arabibus appellatur. Quod infra *v. 14.* dicitur inter Cades & Bared, id Syrus habet inter Rakem & Gedar; Arabs رقم & حرن Ad fontem invenit Hagaram Domini angelus. Eum angelum Levi Gerſonides dicit אחד מנביאי הדור ההוא *unum de prophetis iſtius ætatis.* Nos filium Dei fuiſſe exiſtimamus (1) eò quod ſibi arroget quæ divini effectus ſunt, de multiplicatione ſeminis. (2) quod ipſa Hagar fateatur Deum ſibi viſum & locutum eſſe. (3) quod Moſes eum appellet יהוה. Calvinus: *Quod Angelus facturum ſe promittit, quod unius Dei proprium erat; in eo nihil eſt abſurdi: ſatis enim uſitatum eſt, Deum inducere perſonam ſuam miniſtris, quos mittit; quo major conſtet verbo ejus authoritas. Quanquam non improbo, quod pleriſque veterum placuit; Chriſtum Mediatorem ſemper omnibus oraculis præfuiſſe: & hanc eſſe cauſam, cur Dei majeſtas angelis tribuatur.* Mercerus: *ſed quomodo cum Angelum viderit non Dominum, Dominum tamen vocat, cùm in Apocalypſi Angelus volenti ſe adorare id diſertè prohibeat: conſervus enim, inquit, tuus ſum, adoratio ſoli Deo debetur: nec iſtud quod Hagar uſurpat nomen, Angelo convenire poteſt ullo modo. Verum ſciendum in Angelo Dominum apparuiſſe, & Hagarem ac ſanctos in veteri Teſtamento, ubicunque Dei nomine compellans Angelum ſibi apparentem, magis in Angelo Deum agnoſcere & adorare. Veteres tamen noſtri doctores putarunt reverà Angelum illum, qui patribus apparuit, Angelum fuiſſe magni conſilii, Chriſtum ſcilicet, qui jam tum præludium fecerit carnis & humanitatis aliquandò à ſe aſſumendæ. Eſt enim Chriſtus Eccleſiæ ab omnibus tempo-*

tibus protector & mediator unicus Dei & hominum. Ego tamen non dubitarim, ſæpè Angelum fuiſſe ſolum, in quo majeſtas quadam major humana reluceret, ut ea patres moneret ineſſe illic Dominum. Lyranus: *Quia ille angelus in perſona Domini loquebatur ideò vocavit eum Dominum & Deum: ſicut verbum præconis, dicitur verbum regis: & eodem modo dicit beatus Gregorius de angelo, qui loquebatur Moſi in monte Sinai: quod aliquando Deus & Dominus nominatur, quia in perſona Dei loquebatur.* Muſculus: *Quod Hagar loquentem ſibi vocat* אל *id eſt, Deum, errori dandum videretur, quo angelum Dei, Deum aliquem eſſe putarit: niſi & Moſes illum vocaret Iehová, id quod errori tribuere non poſſumus. Reſpondent communiter angelum Domini propterà vocatum eſſe Iehova à Moſe & El ab Hagar, quod miſſus eſſet à Domino Deo, & illius verbum adminiſtraſſet. Sic Angelus qui Moſi loquutus eſt in deſerto, frequenter & ipſe Dominus Deus eſt appellatus. Hac ratione & Principes ac Magiſtratus in Scripturis Pſalmo 82. Dii vocantur, exponente Chriſto Ioan. 10. Sententiam hanc non improbo. Verum ſi verba Moſis expendas diligentius, apparet eum non de Angelo, ſed de ipſo Angeli Domino loqui, cum dicit: Et vocavit nomen Iehovah loquentis ad ſe, Tu Deus videns me: ipſum Dominum dicit loquutum eſſe ad Hagar, nequis in perſona Angeli hæreat. Per Angelum quidem factum eſt verbum ad Hagar, & verbum hoc non erat Angeli; ſed ipſius Domini. Quare noluit dicere Moſes, & vocavit nomen Angeli loquentis ad ſe: Sed & vocavit nomen Iehovah, Domini, loquentis ad ſe: quia ipſo reſpectus Hagar, non fuit ad Angelum apparentem, ſed ad ipſum Dominum per Angelum ſibi loquentem. Ideoque non dixit, tu Angelus Dei es videns me: ſed, Tu Deus videns me. Quid, quæſo, magni dixiſſet, ſi ab Angelo ſe viſam eſſe dixiſſet? Quod verò intelligebat ſe ab ipſo Deo cœlitus eſſe viſam ac quæſitam, id demum magni ducebat. Quare omnem hanc apparitionem non ad Angelum, ſed ad ipſum Deum referebat.* Ego miror magnos illos interpretes exiſtimare, quod de angelo condito accipienda ſint, quæ hic dicuntur, aut de eo intelligi poſſe. Nam qui ſibi arrogat generis propagationem, qui agnoſcitur ab Hagar pro Deo, qui à Moſe יהוה vocatur, Deum ipſum eſſe oportet. Cum illis tamen ſenſit Procopius Gazæus in hoc caput: *Quidam ajunt comparuiſſe eum angelum, qui præponendus erat genti, ex ipſa ceu origine proceſſura. Alii porrò affirmant illum Angelum fuiſſe Chriſtum, ſequuti authoritatem Eſaiæ prophetæ. Nam quis angelus tanta authoritate verba facit? & quis tam fauſta & tam magna pollicetur angelus? Imo Deus ipſe poſteà aperit ſe fuiſſe, qui benedixerit Iſmaëlem, inquiens: Ecce benedixi eum, &c. ubi illam, quæ Angelo accepto fertur, innuit benedictionem. Sunt porrò qui loquitur angelum, non de ſuo illa eſſe eloquutum, ſed hujuſmodi deprompſiſſe imitatum prophetas qui non ſua, ſed divina profantur oracula. Quapropter ipſum quoque Deum nuncupavit, ſicuti ex textu evincitur, qui ſic ſonat: Vocavit nomen Domini loquentis cum ea: Dominus vidit me, nimirum per eum, in quo inhabitavit, quaſi propter participationem Numinis donatus ſit authoritate; & propter inhabitantem Deum dicti ſint dii Denique & is, qui colloquebatur cum Moſe, dictus eſt angelus. Sic enim habet Scriptura ſacra: Et vocavit eum angelus Domini & dixit: Ego Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. Quantum igitur attinet ad miniſterium, angelorum ſunt iſti ſermones: ſi ſpectes virtutem à qua moventur, Dei ſunt.* Nos amplectimur Junio-Tremellianam expoſitionem, quæ de angelo hoc ita: *Chriſtus Angelus fœderis & gratiæ: qui idem Iehova eſt diciturque v. 13. & ut Iehova pro autoritate loquitur v. 10.* Impurus Enjedinus contendit non fuiſſe Deum ſub V.T. locutum per filium ex Heb. 1. 1. ideò angelum nullum qui illic apparuit, de Chriſto exponi non poſſe. At certum eſt ab apoſtolo non notari extraordina-

riam aliquam apparitionem, quia ſic etiam angelica locutio excluderetur, quam fuiſſe creberrimam ipſe non negat, ſed muneris ſtati fixique, quale erat prophetarum in veteri populo & ſolis hominibus inter homines convenire poteſt. Sane illud λαλεῖν ſumendum eſt ἐμφατικῶς pro muneris prophetici exercitio, ut 2. Pet. 1. 21. Nos tria argumenta ex hoc loco deducimus. I. Quod pro autoritate loquatur & ſibi tribuat, quæ Dei propria. Id intactum præterit hæreticus. II. Quod Moſes eum appellet יהוה v. 13. Nec hoc ſolvit, quia non ſufficit dicere, quod legatus legantis nomine appelletur & leganti tribuantur, quæ legatus ejus nomine dicit facitque. Nam hiſtorici officium eſt ſuis propriis nominibus factum & efficientem notare. Debuit igitur exprimere, quis eſſet locutus cum Hagar; dicit eſſe Dominum, at Enjedinus contendit eſſe creatum angelum. Quando hiſtoria refert Deum eſſe locutum id immediatè ad Deum referri debet. III. Deum agnoſcit ſibi viſum eſſe Hagar, non ſimpliciter eſſe locutum. Si angelus creatus viſus fuit ancillæ illi, falſo dixit, ſibi Deum conſpectum eſſe. Non poteſt dici legantem viſum eſſe illi, qui viderit legatum. Ideò enim legatum miſit, quia ipſe videri noluit. Enjedinus aëra verberat, quando multis exemplis probare contendit, cauſæ principi nempe Deo attribui, quod per alium fecit. Nam nos loquimur de narratione hiſtorica, in qua exprimi debet facies rerum, quia non aſſurgitur ad principium. Hoc doceamus exemplo unico ex iis, quæ allegat. Luc. 1. v. 45. Eliſabet beatam prædicat fidem Mariæ. *Quia illa, quæ à Domino illi dicta ſunt, implenda ſint.* Hic Eliſabeth rectà aſſurgit ad ſummum & primum principium, cui etiam à Maria fides adhibita fuit; non angelo, ut autori & fallere neſcio. At. v. 26. 28. 30. Angelus producitur ab hiſtoriæ ſcriptore, ut qui ſermocinatus ſit miſſu Domini & verba Domini ad Mariam detulerit. Quod ſi in illa hiſtoriæ narratione Lucas dixiſſet Dominum eſſe locutum cum Maria, quis angelum fuiſſe diceret, qui loquebatur? Angelus igitur eſt, qui fuit in ſinu Patris, qui præluſit ſuæ incarnationi. Pater non eſt, quia non mittitur; Spiritus S. non eſt, quia non eſt paſtor Eccleſiæ, aliquando carnem aſſumpturus. Hic Angelus collocutus eſt cum Hagar à v. 8. ad 13. Orditur ſermonem ab interrogatione: *Hagar, ancilla Sarai, unde venis? & quo vadis?* Quæ reſpondit: *A facie Sarai domina mea ego fugio.* Non quærit angelus, ut rei ignarus, quæ ipſi ignota eſſe non poterat, Raſi: מהיכן באת ידע
היה אלא ליתן לה פתח ליכנס. עמה בדברים: *Noverat, unde veniret, ſed ut det ipſi initium ad ingrediendum cum ipſa ſermonem.* Calvinus: *Non inquirit quaſi de re dubia: ſed ut nullum ſubterfugiis locum eſſe Agar noverit, præciſe objurgat ejus fugam: ac ſi dixiſſet, deſerta ſtatione tua nihil vagando proficies: quia manum Dei tandem non effugies, quæ illic te collocaverat. Fieri etiam poteſt, ut diſceſſum exprobret ab ea domo, quæ terrenum Dei tunc ſacrarium erat. Neque enim ignara erat, Deum illic peculiari modo coli.*

Angelus eam compellat vocabulo ancillæ Sarai: quo *declarat* (inquit Calvinus iterum) *tametſi è manibus dominæ elapſa foret: manere tamen ſervam: quia non furto nec plagio ſed manumiſſione pariatur libertas. Porrò hac etiam voce oſtendit Deus, ſibi probari ordinem politicum nec ejus violationem excuſabilem. Dura tunc erat ſervitutis conditio: ac gratiæ Domino agendæ ſunt, quod abolita fuerit ea barbaries & tamen Deus è cœlo pronuntiavit ſibi placere, ut ſervi jugum perferrent, ſicuti etiam per os Pauli non vocat ſervos ad pileum: nec dominos illorum uſu privat: ſed tantum benignè & liberaliter jubet tractari. Colligitur etiam ex temporis circumſtantia, non modo neceſſitate colendum eſſe politicum ordinem*

dinem ſed propter conſcientiam parendum eſſe legitimis imperiis. Nam quamvis Agar fugitiva, non vi amplius & manu ad obſequium cogi poſſet, non tamen coram Deo mutata erat ejus conditio. Eodem argumento probatur, ſiquando ſervos durius premant domini: vel qui præſunt, ſubjectos aſperius quam pro æquitate urgeant, ferendum tamen eſſe illorum rigorem, nec juſtam excutiendi jugi eſſe cauſam, licet nimis imperioſè poteſtatem ſuam exerceant. In ſumma, quoties in mentem venit aliquem fraudare ſuo jure, aut nos vocatione juſta eximere, auribus noſtris inſonet vox Angeli, ac ſi Deus injecta manu nos retraheret. Reddent olim rationem Deo, qui ſuperbè vel tyrannicè dominati fuerint: ſubjectis interea eorum ferenda eſt aſperitas, donec ſuccurrat Deus, cujus proprium eſt erigere abjectos, & oppreſſos levare. Si fiat comparatio, jus Magiſtratuum longè tolerabilius eſt quam fuerit dominium illud vetus. Patria verò poteſtas naturaliter amabilis eſt, ac favore digna. Si cohibita fuit Dei juſſu fuga Agar; multò minus vel populi feret laſciviam qui in ſuum principem proterviet, vel filiorum contumaciam qui ſe parentum obſequio ſubduxerint.

Tria ſermone Angeli continentur. 1. Jubet reverti ad dominam eique debito obſequio ſubdi. 2. Promittit numeroſam poſteritatem. 3. Prædicit fœtus, quem utero geſtat, ſexum, nomen, mores, facta & terras inhabitandas.

Ad primum: Quamvis Hagar, dicens ſe fugere ab hera, illam obliquè crudelitatis inſimulet: angelus tamen jubet reverti & ſe humiliare. *Quibus verbis* (ita Calvinus iterum docet) *primum ſignificat, nimis auſtero vel impotenti eorum, qui præſunt dominio, non ſolvi ſubjectionis vinculum: Deinde in ipſam Hagar mali culpam retorquet, quod ſe contumaciter dominæ oppoſuerat &, ſuæ conditionis immemor, inſolentiùs & ferocius, quam decebat ancillam, ſe extulerat. In ſumma, quum meritò ob ſua delicta plectatur, juſſit remedium ab eorum correctione petere. Et certè, quum nihil melius ſit, quam obſequiis & tolerantia, eorum placare duritiem, quibus in nos eſt poteſtas, ubi noſtra ſuperbia ſunt offenſi, tunc præſertim danda eſt opera, ut ad manſuetudinem humilitate flectantur.*

Ad ſecundum: Benedictionem promittit ſeminis admodum numeroſi. Conſtat in ſtupendam multitudinem illas Arabiæ gentes erupiſſe. Cum Iapeti poſteris componi poſſunt & Scythiæ populis. Judæi Turcas appellant vocabulo Iſmaelitarum. Hi enim juncti cum Saracenis id imperium condidêre. Ceturæ & Iſmaelis progenies Arabiam implevit & exundante multitudine Saracenorum nomine diffuderunt ſe poſt Mahometem in orientem & occidentem.

Ad tertium: Fœtum, quem geſtabat utero, filium eſſe ſignificat. הִנָּךְ הָרָה וְיֹלַדְתְּ. Hebræi exiſtimant vocem הרה eſſe futuri temporis & notari, quod fœtum exſtinctum recuperatura eſſet. Raſi הנך הרה כשתשובי תהרי כמו הנך הרה דאשת מנוח. Lyra: Ecce ait concepiſti: *In Hebræo habetur, ecce concipies. Et probatur per illud, quod habetur Iudic. 13. de uxore Manoe: cui Angelus apparens dixit, Ecce concipies: Et eſt ibi idem verbum Hebraicum ſicut hic. Propter quod dicunt Hebræi, quod Agar paſſa fuerit aborſum: quod potuit eſſe in pœnam contemptus dominæ ſuæ & ſuperbi receſſus ſui ab ea & ex labore itineris fugiendo: ſed cum acquievit angelo monenti de regreſſu & humiliatione, Dominus, qui reſpicit humiles, vivificavit fœtum in utero exſtinctum, & iſta vivificatio vocatur hic ab angelo conceptio de novo.* Et de hac Hebræorum expoſitione contendunt Lyra & Burgenſis. Nam Lyra ſic pergit: *Et quia iſta expoſitio eſt ſecundum literam Hebraicam, & ſatis conſona literæ ſequenti. Ideo ſecundum hoc*

poteſt exponi tranſlatio noſtra, cum dicitur: Ecce concepiſti, acſi diceret prius concepiſti ad concubitum Abraæ: nunc iterum concepiſti divina virtute fœtum extinctum vivificante. Et propter rationem hanc poteſt convenienter dici, quod prænominatus eſt ab angelo, antequam natus eſſet ſecundum miraculi facti proprietatem. Ideo ſequitur: Vocabiſque nomen ejus Iſmaël, quod interpretatur exauditio Dei: ideo ſequitur: Eo quod exaudierit Dominus afflictionem tuam in hoc, quod paſſa fueris abortum & Deus vivificavit abortivum: vel afflictionem ſuam vocat humiliationem, quià voluit reverti ad dominam. Non enim poteſt hoc intelligi de afflictione quam fecerat ſibi Sarai; quia illa fuit rationabilis & juſta, ut prædictum eſt. Hic Burgenſis: *Bene concordat in hoc tranſlatio noſtra cum Hebraica veritate. Nam non hic ponitur dictio determinatè ſignificans futuram conceptionem: ſicut Iudicum cap. 13. ubi ſecundum Hebraicam veritatem ponitur verbum futuri temporis conceptionis ſignificativum: ſed in hoc loco ponitur dictio omnino ſimilis dictioni, quæ ponitur infrà Gen. 38: ubi ponitur:* De viro, cujus hæc ſunt, concepi. *Vnde proprie etiam concorditer ad Hebraicam veritatem tranſlatio noſtra poſuit:* Ecce concepiſti. *Et ſic non oportet fingere aborſum nec revivificationem de quibus nulla ſit mentio in litera: nec hoc rationabile videtur, quod hic fieret miraculum, ſicut in aliis, qui fuerunt prænominati ante nativitatem: tum quia non fuerunt ſimiles in vita, imò valde diſſimiles; tum quia illa miracula fuerunt publicè facta ad laudem Dei & honorem natorum. Hoc autem dato, quod eſſet miraculum occultum & ſic non induceret utilitatem.* Doring Lyranum ita defendit: *Item in eodem capite, ubi poſtillator ſequens narrationem Hebræorum, ſaltem non reprobans, dicit de aborſu Agar & vivificatione fœtus in fuga &c. Dicit quod Hebræi exponunt concipies pro concepiſti. Vbi Burgenſis dicit, in Hebraica veritate non contineri ſeu haberi concipies, ſed concepiſti. De hoc non judico nec eſt magni ponderis; quia poſtillator exponit in uno ſenſu ſecundum utrunque tempus. Sed Burgenſis dicit, illum aborſum fictum per Hebræos & irrationabile eſſe, quia dicunt factum miraculum eſſe in vivificatione fœtus. Rationibus tamen Hebræorum, quas tangit poſtillator, non ſatisfacit Burgenſis. Nam non poterit dicere, quod pœna Agar per Sarai juſtè inflictam, & per Agar ſuperbè declinatam Deus reſpexerit, & conſolationem dederit; cum ei dederit reprehenſionem non conſolationem dicens:* Vade humiliare ſub manu dominæ tuæ. *Oportet igitur cum Hebræis ſentire, quod alia grandis tribulatio occurrerit ipſi Agar citra afflictionem juſtam Sarai. Propter quam viſitandam miſerit Dominus angelum promittentem multiplicationem ſeminis, ſignificantem conceptionem prolis, & nominis nondum nati, nominis inquam gratioſi, quià Iſmael interpretatur exauditio Dei, quæ omnia non poſſunt dici rationabiliter facta propter ſuperbiam Agar, quando dominam ſuam ſprevit: nec propter fugam, qua diſciplinam contemnendo declinavit. Videtur igitur quod propter anguſtias aborſus, ut dicunt Hebræi, Domino humiliata oraverit & meruerit conſolationem à Deo, qui reſpicit humilitatem, ut dicit gloſſa interlinearis. In cujus ſignum dicit angelus: Ecce concepiſti, ſcilicet, per vivificationem fœtus, de qua dicunt Hebræi. Fruſtra enim dixiſſet ei angelus, concepiſti, deſignando naturalem conceptionem Abraam, quia ſic antea novit, & illius occaſione dominam contempſit. Conſentiat igitur Burgenſis Hebræis, magiſtro hiſtoriarum, poſtillatori & aliis. Nec moveat in contrarium debilis objectio, quam facit de facto miraculo. Non enim eſt inconveniens concedere miracula fieri pro malis. Cedunt enim talia ad Dei laudem & hominum utilitatem. Erigitur enim per ea ſpes hominum, cum tanta vident & audiunt malis præſtita beneficia. Non deſperant majora ſibi, ſi voluerint poſſe præſtari. Et mirum quod Burgenſis putat propter parvam rem hanc apparitionem fuiſſe factam, quam grandſpendit* beatus Hilarius

de

de trinit. libro quarto circa medium dicens: Quia is, qui apparuit Agar magni conſilii angelus fuit nomine & natura Deus. *Hæc ille.* Burgenſis rectè reiicit illam obſervationem Hebræorum, captantium textus verba & apices in occaſionem pruriginis fabulandi. Quamvis Judic. 13. v. 5. & 7. eadem locutio reperiatur כִּי הִנָּךְ הָרָה וְיֹלַדְתְּ בֵּן in ſignificatione temporis futuri. Nam Gen. 38. 24, 25. הָרָה in notione præſentis reperitur: הִנֵּה הָרָה לִזְנוּנִים *Ecce pragnans eſt de ſcortatione:* & לְאִישׁ אֲשֶׁר אֵלֶּה לּוֹ אָנֹכִי הָרָה. *De viro, cujus hæc ſunt, ego uterum gero.* Verbum ad futurum & præſens referri poteſt, pro ratione loci. Omnes omninò interpretes in præſenti hic accipiunt.

Nomen filio naſcituro ponit Iſmael, jubens ut hoc nomine inſigniret. Sine dubio ancilla eam rem hero indicavit, qui filio nato id nomen impoſuit v. 15. Ratio nominis: Dicit angelus Deum, Hagaris *afflictionem exaudiviſſe.* Quamvis enim nullæ Hagaris diſertè narrentur preces, eam tamen ex animi anguſtia in ſolitudine Deum invocaſſe innuit & res oſtendit. Inſtituta fuit in domo Abrahami, Deum verum in fide invocavit. In Hebræo eſt שָׁמַע יְהוָה אֶל עָנְיֵךְ / ubi אֶל pro עַל videtur poni ut Pſal. 2. 7. אֶל חֹק / *ſuper decreto. Audivit dominus ſuper afflictione tua*, id eſt, te exaudivit gementem ipſiuſque opem implorantem ob afflictionem tuam. Mores vitæque modum exprimit: פֶּרֶא אָדָם ipſe erit. Samariticus codex ࠐࠓࠀ ࠀࠃࠌ. פרי ארם, Targum: מָרוֹד בְּאֱנָשָׁא, Syrus ܥܪܕܐ ܒܝܢܝ ܒܢܝܢܫܐ *onager inter homines.* Arabs in bibliis Anglicanis وحشيا من انسان *ferum animal de hominibus.* Erpenius وحشيا في انسان *ferum animal inter homines.* Meus, وحشي الانس *ferum animal homo.* Græci ἔσται ἄγροικος ἄνθρωπος. Latinus: *Hic erit ferus homo.* Raſi exponit: אוהב מדברות לצוד חיות כמו שכתוב וישב במדבר ויהי רובה קשת Sic deſignatum, quod inſtar onagri amaturus eſſet ſylvas & ſolitudines ad venationem ferarum, quemadmodum impletum eſſe narratur cap. XXI. 20. 21.

Ad mores etiam & geſta pertinet, quod ſequitur: *Manus illius adverſus omnes & manus omnium adverſus ipſum.* Id in proverbium abiit de illo, qui omnibus infeſtus nemini amicus, omnibus etiam inviſus eſt & odio.

Habitationem deſcribit: וְעַל פְּנֵי כָל אֶחָיו יִשְׁכֹּן *& ad faciem omnibus fratribus ſuis habitabit:* Idem ſequitur Gen. 25. 18. וְעַל פְּנֵי כָל אֶחָיו נָפָל, Et ad faciem omnium fratrum ſuorum cecidit. Iſmaelitarum diffuſa habitatio prætexta fuit omnium Abrahamo deſcendentium habitationi, extenſa ab Havila uſque ad Sur Ægypto propinquum. Inter Chaldæam & Ægyptum ad meridiem verſi è regione fratrum habitarunt.

Hoc Angeli alloquium ad Hagar, quem ipſa Deum eſſe agnovit & Moſes Deum fuiſſe indicat. Sic crediderunt patres non fuiſſe angelum creatum, ſed Chriſtum Dominum. Tertullianus libro de Trinitate, ſuo more acriter & acuti: *Ac ſi & Agar ancillam Sarra de domo ejectam pariter & fugatam Angelus convenit apud fontem aqua in via Sur, fuga cauſas interrogat atque accipit, & poſt hac humilitatis conſilia porrigit, ſpem praterea illi materni nominis facit, quodque ex utero ejus multum ſemen eſſet futurum ſpondet atque promittit, & quod Hiſmael ex illa naſci haberet, & cum cateris aperit locum habitationis ipſius, actumque deſcribit. Hunc autem angelum, & Dominum Scriptura proponit & Deum: nam nec benedictionem ſeminis promiſiſſet, niſi angelus & Deus fuiſſet. Quarant quid in præſenti loco haretici tractent, Pater fuit iſte qui ab Agar viſus eſt an non? quia Deus poſitus eſt. Sed abſit Deum Patrem angelum dicere: ne alteri ſubditus ſit, cujus angelus fuerit. Sed angelum dicent fuiſſe. Quomodo ergò Deus erit, ſi angelus fuit: cum non ſit hoc nomen angelis unquam conceſſum: niſi quoniam ex utro-*

que

quæ latere nos veritas in iſtam concludit ſententiam, quià intelligere debeamus Dei filium fuiſſe? qui quoniam ex Deo eſt merito Deus, quia Dei filius dictus ſit: quoniam adnuntiator, paternæ voluntatis eſt, magni conſilii angelus pronuntiatus eſt. Ergò ſi locus neque perſonæ Patris congruit, ne angelus dictus ſit: neque perſonæ angeli, ne Deus pronuntiatus ſit: perſonæ autem Chriſti convenit ut & Deus ſit, quia Dei filius eſt, & angelus ſit, quoniam paternæ diſpoſitionis adnuntiator eſt, intelligere debent contra ſcripturas ſe agere hæretici, qui Chriſtum cum dicant ſe, & angelum credere, nolint illum etiam Deum pronuntiare, quem in veteri teſtamento ad viſitationem generis humani legunt ſæpè veniſſe. Hæc Tertullianus, cui conſentit Hilarius lib. 4. de Trinitate: *Poſt multas namque Dei ad Abraham allocutiones, cum adverſum Agar commoveretur, conceptus ancillæ dominæ ſterilis invidens, cumque diſceſſiſſet à conſpectu ejus, ita de ea Scriptura loquitur:* Et dixit angelus Domini ad Agar: Redi ad Dominam tuam, & humilia te ſub manibus ejus. Et dixit ei angelus Domini: Multiplicans multiplicabo ſemen tuum & non denumerabitur à multitudine. Et rurſum: Et vocavit nomen Domini, qui loquebatur ſecum, Deus, qui aſpexiſti me. *Angelus Dei loquitur. Duplex autem in Angelo Dei ſignificatio eſt, ipſe qui eſt, & ille cujus eſt. Et loquitur non res ſecundum nomen officii ſui. Ait enim:* Multiplicans multiplicabo ſemen tuum, & non denumerabitur à multitudine. *Miniſterium angeli poteſtas multiplicandarum gentium excedit, ſed quid tandem de eo qui Dei angelus, quæ ſoli Deo propria ſunt loquebatur, ſcriptura teſtata eſt:* Et vocavit nomen Domini qui loquebatur ſecum, tu Deus qui aſpexiſti me. *Primum angelus Dei, ſecundo Dominus.* Vocavit enim nomen Domini, qui loquebatur ſecum, *Dehinc tertiò Deus:* Tu enim es Deus qui aſpexiſti me. *Qui angelus Dei dictus eſt, idem Dominus & Deus eſt.*

Hagar attonita quod Deum vidiſſet, in verba admirationis erupit אַתָּה אֵל רֳאִי *Et Deus viſionis*, id eſt, *Tu te mihi videndum præbuiſti.* ראי nomen duplici ſenſu capi poteſt: *Qui me vidiſti*, vel *qui à me viſus es.* Eſt ut malim contra pleroſque interpretes in poſteriori. Nam huc me ducit, quod ſequitur. Illic enim Moſes rationem reddit, cur ita locuta ſit & proclamaverit. Nempe ſic dicebat; *Vidi poſt videntem me.* Admirabatur Dei manſuetudinem, qui ſe conſpiciendum præbuiſſet mortali fœminæ & eam, quæ vidiſſet, ſineret vivere.

Ea autem verba, quæ ſequuntur: הֲגַם הֲלֹם רָאִיתִי אַחֲרֵי רֹאִי interpretibus crux ſunt, cum alius aliter accipiat. Samariticus codex non legit ראי ſed ראיה ࠓࠀࠉࠄ. Chaldæus habet, אַף אֲנָא שְׁרֵיתִי חָזְיָא בָּתַר דְּאִתְגְּלִי לִי *Etiam ego cœpi videre poſtquam apparuit mihi:* Syrus: ܐܦ ܚܙܘܐ ܚܙܝܬ ܡܢ ܒܬܪ ܕܚܙܢܝ *Etiam viſionem vidi poſtquam vidit me.* Arabs Anglicanorum bibliorum, رايت ههنا رحمتك بعد رؤيتي الشقاء Id redditur: *Vidi hic miſericordiam tuam, poſtquam vidi tribulationem.* Græci: Καὶ γὰρ ἐνώπιον εἶδον ὀφθέντα μοι. Latina editio: *Profectò hic vidi poſteriora videntis me.* Notabis in Hebræo non eſſe אחרי *poſteriora*, ſed אַחֲרֵי *poſt.* Rabbi Salomon exponit: הגם הלום לשון תימה וכי סבור הייתי שאף הלום במדברות ראיתי שלוחו של מקום אחרי ראי אותם בביתו של אברהם ששם הייתי רגילה לראות מלאכים. ותדע שהיתה רגילה לראותם שהרי מנוח ראה את המלאך פעם אחת ואמר מות נמות והיא ראתה ארבע זה אחר זה ולא חרדה: An etiam hic; *Verbum admirationis: An cogitaſſem, quod etiam hic in ſolitudine vidiſſem legatum Dei, poſtquam vidi eos in domo Abraham, quia illic conſueta eram videre angelos: Scito quod fueris conſueta videre eos, quoniam Manoë ſemel vidit angelum & dixit, moriendo moriemur: at hæc viderat quater hunc,*

hunc poſt illum, nec territa eſt. Abeneſdras: *Senſus eſt, etiam hic vidi Angelum Dei, poſtquam reſpexit Deus afflictionem meam* כי הוא רואי תמיד. quia ipſe me ſemper videt. Lyranus: *Dicunt expoſitores noſtri, quod ille angelus qui apparuit ſibi, ſic apparebat in ſimilitudine aſſumpta, quaſi habens faciem ab ea averſam quod autem ſic videtur, ſcilicet à dorſo, non manifeſte & determinatè cognoſcitur. Et per hoc deſignatur quod de angelo non habemus cognitionem niſi valde longinquam & remotam, non propriam & determinatam. Et ſimile habetur de Moyſe Exod.* XXXIII. *quando dixit ei Dominus:* Videbis poſteriora mea faciem autem meam videre non poteris. *Tales enim apparitiones frequenter fiunt exterius ad deſignandam diſpoſitionem hominis interius, cui fit apparitio. Secundum quod dicit beatus Gregorius de diſcipulis, quibus poſt reſurrectionem Chriſtus apparuit in peregrini effigie, & finxit ſe longius ire, ut habetur Luca* XXIII. *Hoc ergo ſimplex veritas non per duplicitatem fecit.* Sed talem ſe exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in monte. Hæc Gregorius. *Hebrai autem aliqui dicunt quod hic eſt verus textus:* Hic vidi poſt videntem me. *Et eſt ſenſus: Angelus vidit me hoc vocando & monendo, & poſtea vidi eum. Alii autem dicunt quod veritas textus eſt:* Hic vidi poſt viſum meum. *Et eſt ſenſus: Hic vidi angelum Domini in hoc deſerto poſtquam videram eum antea in domo Abraa, cujus ille angelus erat cuſtos & viſitator. Et propterea non fuit territa ad viſionem angeli, ſicut Manoë qui dixit:* Morte moriemur, quia vidimus angelum Domini, Judic. XIII. *Quia fuerat aſſueta videre angelos in domo Abraa. Nec mirandum ſi in hoc loco & aliis pluribus locis veteris teſtamenti litera pluribus modis & ſenſibus accipiatur, etiam ſecundum Hebraos doctores, quia Hebrai non habent Grammaticam ita diſtinctam & dearticulatam per declinationes nominum & verborum ſicut Latini & Graci habent. Item apud eos ſunt multa dictiones aquivoca, & propter hoc eadem littera aliquando variis ſignificationibus accipitur.* Audiamus nunc Calvinum: *Quidam vertunt,* Annon vidi poſt viſionem meam? *Verum ſic legitur ut reddidi. Porrò ſententia obſcuritas nobis varias expoſitiones peperit. Nonnulli ex Hebrais dicunt miratam fuiſſe Agar viſo Angelo: quia nuſpiam Deum conſpici putabat niſi in domo Abra. Sed hoc frigidum eſt: & Iudaos ita ſæpè ineptire cogit ſua ambitio, dum in jactanda gloria generis ſui omne ſtudium ponunt. Alii ſic accipiunt,* An ego vidi poſt viſionem meam? *hoc eſt, Adcò tardè ut videndo cacutirem? Secundum eos duplex fuit viſio Agar: prior erronea, quum in Angelo nihil cæleſte apprehenderet: altera autem vera, poſtquam tacta eſt divinitatis ſenſu. Quibuſdam videtur ſubaudienda eſſe negativa reſponſio: acſi diceret, Non vidi illum abeuntem: ut ex ſubita diſparitione colligat Agar fuiſſe Dei Angelum. In ſecundo etiam membro diſſentiunt interpretes.* Hieronymus vertit, *Poſteriora videntis me: quod multi ad obſcuram viſionem referunt: ut ſit metaphorica loquutio. Quemadmodum enim non perſpicuè agnoſcimus homines à tergo: ita dicuntur videre tergum Dei quibus non palam neque ad liquidum ſe manifeſtat: atque hac opinio communiter recepta eſt. Alii diverſa figura Moſen uſum eſſe exiſtimant: dorſum enim Dei pro ſenſu ira ejus accipiunt: ſicuti lucere nobis dicitur ejus facies; dum ſe propitium ac faventem oſtendit. Ita ſecundum eos ſenſus eſt,* Putavi me elapſam eſſe, ne amplius Dei ferulis & caſtigationi obnoxia eſſem: *ſed hic quoque mihi infenſum eſſe ſentio. Hactenus breviter retuli quid alii tradant. Quanquem autem ſingulis expoſitionibus refutandis inſiſtere conſilium non eſt: liberè tamen dico neminem horum interpretum Moſis mentem aſſequutum eſſe. Libenter quidem accipio quod afferunt quidam, Agar mirari Dei bonitatem, à quo fuerit etiam in deſerto reſpecta: Sed illud neque nihil eſt, neque totum. Primum ſe objurgat Agar, quod quum prius nimis cacuti-*

viſſet, nunc quoque nimis tardè & ſegniter oculos ad Deum cernendum aperuerit. Suum enim torporem à circumſtantia loci & temporis amplificat. Sæpius multis documentis experta erat ſe reſpici à Domino: cæcutiens tamen contempſerat ejus providentiam, acſi clauſis oculis illum ſibi coram oblatum præteriret. Nunc ſe accuſat quod non citius experrecta ſit, ſimulatque apparuit Angelus. Loci etiam notatio multum momenti habet, quod Deus, qui ſe illi adeſſe ſemper teſtatus fuerat in Domo Abræ, nunc fugitivam proſequutus ſit uſque in deſertum. Illa certè jam nimis craſſa fuerat ingratitudo, cæcutire ad præſentiam Dei: & quum ſe ab eo reſpici agnoſceret, non viciſſim ad ejus intuitum oculos tollere. Sed hæc turpior adhuc cæcitas, quum vaga & exul juſtas ſuæ pervicaciæ pœnas daret, reſpici à Domino, nec præſentem etiam tunc agnoſcere. Nunc videmus quorſum tendat objurgatio, Antehac Deum non quæſivi, nec ad eum reſpexi niſi coacta, quum prior ſuo me intuitu dignatus eſſet: nunc etiam in deſerto, ubi malis afflicta, ſaltem expergefieri debueram, meo more obſtupui: neque in cœlum unquam ſuſtuliſſem oculos niſi prius fuiſſem à Domino reſpecta. Hactenus Calvinus. Non eſt opus addere aliorum interpretum labores, tantum notetur expoſitio Junio-Tremelliana. Reddiderunt: Etiamne jam video, poſt videntem me? Annotant: Jam video: *Id eſt, lucem hanc aſpicio & vivo. Synecdoche unius functionis vitæ pro tota vita: cui ſimilis Exod. 24. 11.* [Edebant & bibebant poſtquam Deum vidiſſent.] 1.Sam. 14. 29. [Lumen receperunt oculi ejus,] *id eſt vires recepit, ubi ſinguli ſenſus recreati ſunt*] *Miratur enim ſe poſt Dei viſionem viverem, quia à conſpectu Dei aut Angeli mortem ſecuturam putabant, ut infra 32. 30. & Iudic. 13. 22.* Hanc explicationem Franciſci Junii adoptavit Piſcator & inſigni elogio proſecutus eſt Cl. Rivetus. Nos etiam in ea acquieſcimus & notamus Antiquiſſimam inde à primis temporibus viguiſſe ſententiam: *Qui Deum vidiſſet, moriturum eſſe.* Hic primò occurrit, cum eam didiciſſet Hagar in domo Abrahæ, uti videtur. Putamus, hoc velle, quod niſi prophetis Deus videntibus & vigilantibus viſibili aliqua forma ſe non ſoleret exhibere. Si cui contingeret, eum à majeſtatis illius præſentia abſumi & interire. Abrahamo, ut prophetæ familiaris erat illa viſio. Jacob eam miratur & ſibi gratulatur incolumitatem Gen. 32. 30. In ea re obſervandum eſt primò: Non ita ſenſiſſe veteres nec ita fuiſſe de viſione angeli. Nam inſpiciantur loca & perpendantur. Gen. 32. 30. *Vidi Deum facie ad faciem & anima mea ſalva eſt.* Judic. 13. 22. *Moriendo moriemur, quia Deum vidimus.* Exod. 33. 20. *Non poſſes faciem meam videre. Nam nullus homo me videbit & vivet.* Deut. 5. 26. *Nam quis eſt ex omni carne, qui vocem viventis Dei, loquentis ex medio igni, audierit ut nos & manſerit in vita?* Sic 4. 33. Judic. 6. 22. 23. *Tum videbat Gedeon eſſe angelum Dei: & ait Gedeon, Ah domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem. At Dominus ad ipſum: Pax tibi, ne timeas, non morieris.* Quamvis locus ille poſtremus de Gedeone, videatur Angelum dicere, non tamen de angelo creato quenquam id exiſtimaſſe putem. Quid enim eſt creaturam videre, quæ ſe conſervam hominis eſſe fatetur? Quando igitur Deus ſe aliqua viſibili forma præbuit conſpiciendum, ejus majeſtas & ſanctitas terrori erat: nec temere ſine hominis interitu, niſi propheta eſſet, offerebatur. Hoc igitur argumentum aliud eſt pro hujus angeli Deitate. Secundò, Θεοφάνειας ejuſmodi diſtinctam eſſe à חזון. Nam ſic oſtenditur Num. 12. 6. Igitur ejuſmodi facie ad faciem apparitione ſupra prophetiæ modum inſignis erat Moſes. Unde patet rarò etiam prophetis ejuſmodi facialem (ut ita dicam) viſionem eveniſſe. Diſtinguantur igitur חלום / חזון / פנים. Errat ergò Lyranus ad locum Judicum de Gedeone agentem ita ſcribens: *Ex hoc enim, quo ſcriptum*

ptum eſt Exod. 32. Non videbit me homo & vivet, *ſurrexit opinio inter vulgares & ſimplices* Judæorum, quod homo videns Deum *vel angelum ſibi apparentem in ſpecie aliqua ſimplici, deberet cito mori: quod non erat verum.* Nam ut vidimus, opinio illa longè antiquior eſt, nec apud vulgares & ſimplices ſolos ſed & ſapientiſſimos credita. Puteum illum vocitatum באר לחי ראי *puteum viventis, videntis me*, ſubjicit ſanctiſſimus autor. In quo nomine prima vox notat beneficium Hagaris, quæ vitam obtinuiſſet Dei benignitate, poſtquam vidiſſet Deum; altera Dei factum, qui reſpexiſſet ad afflictionem ancillæ.

CAP. XVII.

NOMEN IMMUTATUM] In cap. XVII. Geneſeos aliud colloquium Dei cum Abrahamo proponitur: Abram ea tempeſtate annum agebat nonageſimum nonum, Iſmael decimum tertium. Eodem anno ex juſſu hujus colloquii ambo ſunt circumciſi. Id colloquium factum eſt במראה. Dicit enim textus וירא יהוה אל אברם. Sic dictum cap. 12. v. 7. Non niſi in illo loco ſuperius hoc legitur. Iterum legitur in cap. ſeq. ubi exprimitur trium virorum ad Abraham adventus. Proinde ter ad minimum viſibili aliqua ſpecie Deus cum Abrahamo videtur eſſe locutus פנים על פנים. Alloquia Dei quinque fuerunt. In primo præfatur, Nominis ſui *μνημόσυνον* pro tempore promiſſionis ad fidem ſuſtentandam Abrahamo ſuggerens: אני אל שדי / *Ego Deus Omnipotens.* Debet hoc conferri cum Exodi VI. 2. Senſus hic eſt: Symbolum nominis toto illo tempore, quo caruerunt terræ promiſſæ reali donatione, patribus fuit vox שדי, ut ſe ſuſtentarent Dei omnipotentia: quemadmodum ſub vocis יהוה ſymbolo poſt ipſam præſtationem debuit agnoſci. Non dicimus nomen יהוה ante exodum Hebræorum non fuiſſe notum omnino, negamus tantum in cultu invocationis divinæ à patribus & in apparitione ab ipſo Deo fuiſſe uſitatum pro eo tempore. Hinc ante Exodum nullum nomen proprium legitur compoſitum cum voce יהוה, ut poſtea factum. Hinc Job & illius amici vix aliter Deum appellaſſe notantur, quam ſub vocabulo שדי. Poſt exodum cœpit à fidelibus, Dei mandato illo præeunte inductis frequentari nomen יהוה. Ralbag explicat: שדי במציאותי להשפיע לנמצאות השלמות האפשרי להם; *In exiſtentia mea adaffluenter ſuppeditandum creaturis perfectiones poſſibiles ipſis.* Aben-eſdras dicit: *Mundum ſtare per duo illa nomina*; adjicitque והמבין סוד השם יאמין. Raſi vitæ integritatem ipſi præcipi hoc tempore, quia nunc perfectus eſſet futurus per circumciſionis præceptum. Nam ante hæc, dum erat in præputio, fuiſſe coram Deo בעל מום cum macula. Ita contradicit loco cap. XV. 6. Præſcribit illi Deus primò, quo ſymbolo coli & agnoſci vellet: deinde mandat vitæ innocentiam. *Ambula coram me & eſto integer*: Tertiò Promiſſionem iterat: *Ponam fœdus meum inter me & te & multiplicabo te ſuprà modum.* Ad primum hoc alloquium Abraham venerabundus in faciem procidit. Secundum alloquium in v. 4. 5. 6. 7. 8. Promittit Deus, Abrahamum fore patrem multitudinis gentium: reges ex ipſo orituros. In rei promiſſæ fidem immutat ipſi nomen, ut porrò אברהם non אברם diceretur. Litera ה inſerta eſt nomini, ut ſignificet אבי המון רב *patrem magnæ multitudinis.* Se futurum in fœdere Deum ipſius & ſeminis ejus in ſuas generationes. Daturum ſe illi & ſemini ejus totam Cananæam in poſſeſſionem æternam. Non male dixit Raſi hoc fœdus eſſe ברית של אהבה וברית הארץ להורישה לך fœdus dilectionis & terræ ad eam hæreditario dandam tibi: ſed malè adjicit: על ידי

מצוה זו per hoc præceptum quaſi eſſet circumciſio meritoria terræ. Mirum igitur Judæos illius terræ exſortes tot ſeculis, quos conſtat ſemper diligentes imò ſuperſtitioſos circumciſionis fuiſſe obſervatores. Non intelligit, Sacramentum eſſe Divinæ promiſſionis, quo Deus ſe obſtringit & Abrahami fidem firmat. Quod Abraham in faciem procubuerit, id factum eſſe dicit metu, quia nondum circumciſus erat: ממורא השכינה שעד שלא מל' לא היה בו כוח לעמוד ורוח הקודש נצבת עליו וזהו שנאמר בבלעם נפל וגלוי עינים בברייתא' דברי דרבי אליעזר מצאתי כן: *E metu majeſtatis, quia quandiu incircumciſus, non fuit in eo virtus ut ſtaret & Spiritus S. ſtabat contra eum. Hoc eſt Q. D. de Balaam* [Num. 24. 4.] Qui abripitur & cui retecti ſunt oculi. *In* ברית' *R. Ecliezer ſic inveni.*

Tertio alloquio inſtituta eſt circumciſio v. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Quarto immutatum eſt nomen Sarai in Sara & ex ea promittitur filius & populorum regumque origo. v. 15. 16. Quinto, Promiſſus è Sara filius nominatim exprimitur & cum illo ejuſque ſemine fœdus Dei fore in æternum. Etiam Iſmaelem multiplicandum eſſe in duodecim duces inſigni fertilitate: at Iſaacum, è Sara naſciturum ſequente anno, eùm eſſe, cum quo fœdus eſſet ſtabiliturus v. 19. 20. 21. Hic Deus loqui deſiit.

Lex Circumcisionis Imposita Est] Hactenus ſine circumciſione fidelium eccleſiæ egerant, hinc Deus id ſacramentum inſtituit, quod quia nobiliſſimum & maximæ conſiderationis, explicatius interpretabimur. 1. Inſtituit Deus. 2. Impoſuit Abrahamo & generationibus poſterorum ejus. 3. Rei ratio & modus:

1. Circumciſio præputii in carne: hæc forma erat.

2. *Maſculus* ex ea gente, in domo Abrahamitarum, *ingenuus & ſervus*; Servus autem ſive *verna* ſive *ære emptus*. Hæc materia.

4. Adminiſtrationis tempus in recens nato, *dies octavus* ab ortu.

5. Obſervationis ſeu legis diuturnitas: *Fœdus æternum.*

6. Finis: ut eſſet ſigillum fœderis divini. Ideò obſignabat regenerationem in eccleſiam & cordis circumciſionem.

7. Pœna in eos, qui negligerent, quia Dei fœdus fregerant: נכרתה הנפש ההוא מעמיה

Ralbag ita παραφράζει in verba inſtitutionis, circumciſionis & hiſtoriæ hujus: Et ego, Ecce me, ſtatuo fœdus meum inter me & inter te & inter ſemen tuum poſt te in fœdus ſeculi. *Senſus eſt, Jugiter beneplacitum mihi erit, ut conſervent hoc præceptum* [באופן שיהיה] *in hunc modum, ut ſit hoc fœdus ſeculi, quod ego tibi in Deum & ſemini tuo dux ero: Et ecce erit hæc cauſa, qua erit dignum ſemen tuum ad poſſidendum totam terram Canaan poſſeſſione ſeculi: & tunc ero ipſis in Deum. Vult dicere, Tunc dabo ipſis legem in qua complebitur* (ישלם) *me eſſe vobis in Deum, ſicut commemoratur in lege locis compluribus*: והנה רצה השם שיתחנכו בזאת המצוה קודם מתן תורה. *Et ecce placuit Deo, ut initiarentur in hoc præcepto ante dationem legis, quod filii terræ Canaan eſſent* שטופין בזמה *immerſi ſcortatione & ecce circumciſio debilitat virtutem hujus membri, ſicuti meminit Rab More. Idque* (אצלי) *meo judicio duabus de cauſis. Una, propter ſanguinem, qui ex eo effunditur, ob rationem ſuam: Secunda, quia tectus illo addit calorem in hoc membro: Ideò invenies quod artificioſe egerit natura in multis animalibus* (מ"כח) *quod in illis vaſa generationis tecta ſint ad augendum calorem. In hoc igitur ſemen Abrahæ cuſtoditum erit, ne ſe contaminent ſcortatione terræ & erunt ab hoc magis diſpoſiti ad accipiendum legem & hæreditationem terræ.* Deinde: *Præcipit ipſi* (Abramo & ſemini) *ut circumcidat omnem marem è ſemine ſuo octo dierum & etiam natos domus eorum & acquiſitos argento id eſt ſervos quos acquiſierant, qui non è ſemine eorum.*

Præ-

Præcipit ut circumcidantur filii octo dierum. *Præceptum accipit Abraham, ut circumcidat natos domus ſuæ & poſſeſſionem argenti ſui, qui inveniebantur cum ipſo in via; ne relinqueretur in domo ejus præputiatus, niſi eſſet minor octo diebus. Et indicat ipſi Deus benedictus pœnam, qua afflicturus ſit* לגדול מהמחויבים להמול *adultum, ex iis qui tenerentur circumcidi, ſi non circumcideretur. Hæc autem eſt: Excidetur anima ejus & peribit, quoniam irritum fecit fœdus Dei & oſtendit ob hoc, quod non ſit Deus benedictus ipſi in Deum: quia circumciſio eſt ſignum fœderis, quod Deus ſit in Deum obſervantibus hoc præceptum, ut ſupra.* In ſequentibus dicit immutata Abramo & Sarai eſſe nomina, ut poſſent gignere, ut immutaretur geneſis להפך מולם לפי מה שאמרו ר׳ל בב״ר juxta magiſtros in Breſith Rabba. De hoc ſuperius dictum eſt. Subjicit: ולזה אמרו ששנוי השם מהפך גזר דינו של אדם והנה יש לזה המאמר פנים מהדראו׳ אין מבא בזכירתם בזה המקום: *Ideo dicunt, quod immutatio nominis evertat decretum judicii hominis: quo pertinet dictum:* Quantum ad modos oſtenſionum attiner, nullus *introducitur in recordatione ſua in hoc loco.* Pergit: *Et fortaſſis immutavit Deus nomen eorum, ut doceret, quod eſſent ut nova creatura,* בריאה חרשה / *ut eos tunc ingredi faceret in fœdere ſuo excelſus, quia ipſis futurus eſſet & ſemini eorum poſt eos in Deum: ideo vocat eos nomine novo.*

Judæus ille (ut omnes ſui gregis) admodum novit diſcernere inter Iſaac & Iſmael. Sic enim Abrahami interlocutionem & Dei reſponſum interpretatur ſua paraphraſi: *Ecce cum audiret Abraham hoc teſtimonium* [זה הייעוד] *gratias agit Deo excelſo & lætatur dicitque in corde ſuo. Ecce filio centum annorum ſoboles naſcetur? Et certè Sara, an quadrat ut pariat, cum ſit filia nonaginta annorum?* Ecce erit hoc miraculum magnum à Deo excelſo. *Ideo ait Abraham ad Deum, Sibi jam ſufficere, ſi ſtabiliatur ipſi ſemen ex Iſmael nec petere ab eo illa magna. Tum ait ad ipſum Deus excelſus, quod jam futurum eſſet ipſi ſemen è Sara, quæ illi impoſitura eſſet nomen Iſaac, ad docendum magnitudinem lætitiæ, quæ ipſi futura eſſet propter id, & ex eo fore ſemen electum. Quantum Iſmaelem attinet, etiam ſic exaudivi precationem tuam, ut ſtatuendum ſit tibi ex eo ſemen: fœtificabit & augeſcet ſupra modum & gignet duodecim filios: & erit eorum excellentia magna apud viros terræ, qui erunt in ea, uſque ut faciant eos principes ſuper ſe: at fœdus ſuum, quod faceret cum Abraham, ut eſſet ipſi & ſemini ejus poſt eum in Deum, ſtatuturum ſe in filiis Iſaac, quos paritura ſit Sara in anno alio, ſecundum tempus hoc. Nam ex ſemine ejus erit ſemen electum, cui Deus excelſus erit in Deum.* Hactenus ille, qui non potuit hinc videre, quod carnalis generatio non ſit cauſa princeps, in qua conſiſtat ſemen, quia è concubitu Abrahami & Iſmaelem concepit Hagar. Non gloriandum igitur in origine carnali ſed in Deo, qui voluntate ſuâ definivit ſemen Abrahæ.

Quantum pœnam attinet negligentibus poſitam ſic Aben-eſdras in cap. hoc 17. Geneſ. Senſus eſt: *Si ſit* בר מצוה *filius præcepti & non circumciderit carnem præputii ſui, eſt ſuper eo exterminium, quia præceptum pueri parvi eſt ſuper patre. At ſi pater eum non circumciderit, circumcidet ſeipſum, ubi fuerit* ברשותו *poteſtatis ſuæ. Exterminium autem eſt in manu Dei* (וכרת בידי שמים) *Errantes autem putant, quod ſi mortuus ſit puer ſine circumciſione, non eſſe ipſi partem in ſeculo futuro.* Non eſt expoſitio ית״ הנפש ſecundum ſenſum eorum, quia נפש ſicut איש: & ſenſus eſt, corpus in quo anima: Et ſic, Anima, quum peccaverit. Et quidam dicunt, [וי״א] quod exterminium ſit mors ante annum. 52. Quidam dicunt, quod exterminium ſit, cujus nomen exſcinditur in morte ſeminis ſui. Ideò dixit textus, E populis ſuis. Quia ille, cui ſunt filii, quaſi vivus eſt & nomen ejus non exſcinditur. Raſi ונכרתה הנפש exponit הולך ערירי ומת קודם

זמני *Incedens orbus & moriens ante tempus ſuum.* Idem Benedictionem Saræ eſſe dicit: quod redierit לנערותה *in adoleſcentiam ſuam*, ut dicitur היתה לי עדנה cap. 18. v. 12. Ineptus eſt, quando benedictionem interpretatur factam eſſe in ultionem dæmonum, qui in die, quo ablactabatur Iſaac id eſt ſympoſii, diffamabant Abrahamum & Saram induxiſſe in ædes אסיפי השוק expoſititium è platea. Ideo principes fœminæ quæque filium infantulum adduxerant, ſine nutrice. Saram omnibus præbuiſſe mammam, ut oſtenderet ſe verè peperiſſe. Id finxerunt occaſione dicti, in quo pluralis numerus invenitur, cap. xx. 2. Quis Abrahamo dixiſſet: *Sara lactavit filios?* Hoc vulgatus ſingulari numero expreſſit. Sed Judæi interpretes id fermè accipiunt & credunt. Nunc Lyranum audiamus: *Ad circumciſionem verò tria neceſſaria requiruntur. Primum eſt ſexus maſculinus. Secundum eſt corporis pars determinata. Tertium eſt tempus determinatum. Et quantum ad hoc dicitur:* Infans octo dierum circumcidetur in vobis. *Ratio autem iſtorum eſt, quod circumciſio ſignum fuit diſtinguens Iſrael à gentibus, in quantum habebant veram fidem & cultum unius Dei: Et datum fuit ſignum iſtud tempore legis Naturæ: & ideo debuit dari in ſexu per ſe intento à natura, qui eſt ſexus maſculinus. Secundum enim Philoſophum: Fæmina eſt mas occaſionatus. Item fides illa & cultus derivabatur tunc temporis ad alios per generationem carnalem: in quantum patres dicebant filios de talibus. In maſculino vero eſt principium generationis activum & ideò ſolus maſculis datum eſt prædictum ſignum: & eadem ratione factum eſt in membro generationis. Item ad debilitationem concupiſcentiæ quæ magis viget in illa parte. Item in deteſtationem idololatriæ, quia gentiles in ſacris Priapi partem illam honorabant & per modum cujuſdam augmenti aliqua addebant: quia Priapus propter magnitudinem membri virilis inter deos fuit reputatus à gentilibus. Propter quod etiam dicebatur Deus hortorum, propter fœcunditatem, quæ deſignatur in membro generationis. Propter quod in ſigno fidelium diſtinctivo ab infidelibus fiebat reciſio. Tempus autem octo dierum non poterat anticipari, ſicut nec animalia ante octavum diem poterant Deo offerri; quia ante ſunt quid imperfectum. Perfecta autem ſunt Deo attribuenda. Item periculum eſſet puero de vita, ſi ſtatim, egreſſus de utero matris, circumcideretur. Nec poterat ultra octo dies differri, alioqui pater pueri vel ejus tutor, ſi pater eſſet mortuus, morte debebat puniri. Ipſe etiam puer veniens ad ætatem adultam, ſi negligeret circumciſionem accipere puniendus erat morte.*

Cur in membro genitali circumciſionis ſacramentum à Deo fuerit inſtitutum, rationes dat I. Quia ibi eſt diſtinctio ſexus. II. Ad concupiſcentiæ debilitationem. III. Ad deteſtationem idololatriæ. Primam rationem admittimus, cui & illam ſubjicimus, quod origo noſtra fœditati & pollutioni doceatur ſubjacere. Proinde, quod in aliquo membrorum inſculpendum erat, in alio non poterat. Nunc, quia ſanguinis fuſio nulla locum habet, totius corporis aſperſio vel immerſio recepta eſt. Quodque in una parte uſurpatur, ad totum pertinere putatur. Maſculus autem ea tempeſtate admiſſus eſt ad ſacramenti communionem, quia cerimonialis ſervitus fœminæ immunditiem excludebat, Sed in Jeſu Chriſto nec mas nec fœmina Gal. 4. 28. Lyranus legem naturæ inculcat, ſub qua mas ſolus admiſſus fuerit, quia hic ſexus per ſe intenditur. Lex ceremonialis non eſt è natura, quamvis naturalis ratio materiam ſubſternat, quam cerimonia adoptat & charactere donat peculiari. In natura autem mas ſolus non intenditur per ſe ſed & fœmina. Nam femina è viro & vir per fœminam uti naturam interpretatur Apoſtolus: *Ὥσπερ γὰρ ἡ γυνὴ ἐκ τοῦ ἀνδρὸς, οὕτω καὶ ὁ ἀνὴρ διὰ τῆς γυναικός: τὰ δὲ*

πάντα

πάντα ἐκ τοῦ θεοῦ. Ariſt. lib. 4. de Generat. animalium cap. 1. quærit cauſam, quæ faciat ut mas aut fœmina generetur. Quidam arbitrati in ſeminibus ipſis eſſe differentiam, ἐν τοῖς σπέρμασιν εἶναι ταύτην τὴν ἐναντίωσιν εὐθύς. ut Anaxagoras & quidam Phyſicorum; γίνεσθαί τε γὰρ ἐκ τοῦ ἄρρενος τὸ σπέρμα, τὸ δὲ θῆλυ παρέχειν τὸν τόπον. Καὶ εἶναι τὸ μὲν ἄρρεν ἐκ τῶν δεξιῶν· τὸ δὲ θῆλυ ἐκ τῶν ἀριστερῶν. Καὶ τῆς ὑστέρας τὰ μὲν ἄρρενα, ἐν τοῖς δεξιοῖς εἶναι, τὰ δὲ θήλεα ἐν τοῖς ἀριστεροῖς. Hoc dicit, ſi eum capio, Anaxagoram & veteres Phyſicos, in ſeminibus ipſis conſtituiſſe originem diſcriminantem maris & fœminæ. Semina, à quibus maſculi oriantur, è dexteris partibus marium decidi, ſemina fœminea è ſiniſtris. Nam ſemen à maribus, locum eſſe in mulieribus. Et locorum muliebrium partem dexteram à natura aſſignatam eſſe maribus concipiendis gerendiſque ut ſiniſtram fœminis. Empedocles & alii utero principium diſcriminationis adſcripſerunt, eoque omne ſemen voluerunt eſſe indifferens. Τὰ μὲν γὰρ εἰς θερμὴν ἐλθόντα τὴν ὑστέραν, ἄρρενα γίνεσθαι· τὰ δὲ εἰς ψυχρὰν θήλεα. Semen in calidum uterum illapſum formari in marem; in frigidum vero, in feminam digeri. Frigoris etiam caloriſque in utero cauſas τοῖς καταμηνίοις adſcriptum ibant. Putabant autem ſemina partim è viro, partim è fœmina eſſe. Democritus Abderites, ἐν μὲν τῇ μητρὶ γίνεσθαί φησι τὴν διαφορὰν τοῦ θήλεος καὶ τοῦ ἄρρενος. οὐ μέντοι διὰ θερμότητα καὶ ψυχρότητα, τὸ μὲν γίνεσθαι θῆλυ, τὸ δὲ ἄρρεν· ἀλλ᾽ ὁποτέρου ἂν κρατήσῃ τὸ σπέρμα τὸ ἀπὸ τοῦ μορίου ἐλθὸν, ᾧ διαφέρουσιν ἀλλήλων τὸ θῆλυ καὶ τὸ ἄρρεν. Judicabat Ariſtoteles melius à Democrito ὑπεροχὴν τοῦ μέρους facere, quam ſolum calorem: Suam ſententiam ſuperioribus refutatis ſubjicit. Definit marem & fœminam. τὸ μὲν γὰρ δυνάμενον πέττειν καὶ συνιστάναι τε καὶ ἐκκρίνειν, σπέρμα ἔχον τὴν ἀρχὴν τοῦ εἴδους, ἄρρεν. Hæc maris definitio eſt. Fœminam definit: Τὸ δεχόμενον μὲν, ἀδυνατοῦν δὲ συνιστάναι καὶ ἐκκρίνειν θῆλυ. Et hinc effici, Marem fœmina calidiorem eſſe. Opponuntur τῷ δυνατῷ καὶ τῷ ἀδυνάτῳ. Idem eſſe ex quo generentur mares & fœminæ & nutriantur, hinc in ipſis ſeminibus non poſſe differentiam conſtitui: quamque partem corporis gigni ex tali materia talique excremento, cujus ſit ſuſceptiva. Deinde gigni è contrario animal. Tertiò ὅτι εἴπερ ἡ φθορὰ εἰς τοὐναντίον, καὶ τὸ μὴ κρατούμενον ὑπὸ τοῦ δημιουργοῦντος ἀνάγκη μεταβάλλειν εἰς τοὐναντίον. *Quoniam corruptio in contrarium eſt & quod non vincitur ab opifice, neceſſariò in contrarium tranſit.* Scilicet, cum mas fieri non poteſt, generatur fœmina. Ὅταν γὰρ μὴ κρατῇ ἡ ἀρχὴ, μηδὲ δύναται πέψαι δι᾽ ἔνδειαν θερμότητος, μηδ᾽ ἀγάγῃ εἰς τὸ ἴδιον εἶδος τὸ αὐτοῦ, ἀλλὰ ταύτῃ ἡττηθῇ ἀνάγκη ἐπὶ τοὐναντίον μεταβάλλειν. Contrarietatem hanc in proximo eſſe καὶ ταύτῃ ᾗ τὸ μὲν ἄρρεν, τὸ δὲ θῆλυ. Quoniam autem potentia vel vi differat, habere & inſtrumentum differens. Unde in tantum mutat. Ἑνὸς δὲ μορίου ἐπικαίρου μεταβάλλοντος, ὅλη ἡ σύστασις τοῦ ζώου πολὺ τῷ εἴδει διαφέρει. Hoc in ſpadonibus manifeſtum eſſe. Seminis virilis & muliebris hæc ratio eſt: Διαφέρει δὲ τὸ τοῦ ἄρρενος σπέρμα, ὅτι ἔχει ἀρχὴν ἐν αὐτῷ τοιαύτην, οἵαν κινεῖν καὶ ἐν τῷ ζώῳ καὶ διαπέττειν τὴν ἐσχάτην τροφήν. Τὸ δὲ τοῦ θήλεος ὕλην μόνον. κρατῆσαν μὲν οὖν εἰς αὑτὸ ἄγει· κρατηθὲν δ᾽ ἐπὶ τοὐναντίον μεταβάλλει εἰς φθοράν. Hæc Ariſtotelis diſputatio ſubtilis & acuta eſt fateor, quæ tamen videtur in eandem difficultatem incidere, quam objecit Empedocli. Nam ſolum calorem & frigus videtur aſſignare, ut diſcrimen maris & fœminæ. Mas eſt qui excernit & concoquit & conſtituit. At quæ ratio? Nempe calidior eſt. Semen igitur maris calidius quia eſt, principium motus habet. Cum calore ſuo vincere non poteſt ſemen fœminæ, ut ex eo faciat corpus maſculum, condit fœmineum. Unaquæque tamen corporis humani particula arripit, quod convenit. Tantum calore differt mas & fœmina. Poteſtne calor fabricari

corpus

corpus humanum in utero? Calor membrorum illam artificioſam ſtructuram digerit? Fieri non poteſt. Subeſſe oportet ſubſtantiam, in qua δύναμις πλαστική. Hanc autem intendere primò marem, ſi autem eò non poſſit progredi, in fœminam exire, non dixerim. Potius illam, quæ ſcientiam habet corporis virilis formandi, non poſſe ſtruere fœmineum. Semina igitur diſcriminabuntur, alia continent marem, alia fœminam: ut ova. Ariſtotelem autem ſummus ejus admirator Julius Cæſar Scaliger rejicit in hac materia. Exercit. 131. §. 4. *Propterea vero quod omnes penè philoſophi noſtri barbari dixerunt, fœminam eſſe animal occaſionatum, Latinè mutilum atque intercepta perfectionis, ſive affecta, ut ait Cicero, ut communiter dicitur, inchoata (hoc enim eſt* τὸ θρυλλούμενον *illud* πεπηρωμένον) *hoc item videndum an verum ſit. Vives quoque ita ſcripſit: Fœmina eſt mas imperfectus: quippe frigidior: ut ex inopia videatur nata fœmina: adeò craſſe ac ſupinè locutus eſt. Non enim negaverit aliquam fœminam aliquo viro calidiorem. Non igitur ortus illius cauſa vera eſt. Sed & mirum, ſi frigus mammarum ac matricis autor ſit. Sunt ſane defectiones à frigore, additamenta à calore. Mamma igitur & matrix, quæ in fœmina ſunt, in mare non ſunt & materiæ copiam & ad eam informandam caloris, qui informatricis inſtrumentum eſt, vim additam, non inopiam oſtendunt. Profectò matrix nobiliſſima ac propemodum divina Faviſſa eſt, in qua Naturæ theſauri conditi, ubi fuerit opus, depromantur: & quæ jure optimo merita ſit, ut alterum animal appelletur. Denique ſi non niſi ex maſculo & fœmella ducunt ortus ſuos animantes perfectiores: utrumque æque neceſſarium fuit in natura ſua: alterum quidem propter alterum: utrumque propter ſpecierum perpetuationem. Ridiculi profectò, qui exiſtimarint, materiam fieri à natura, quoties formam perficere nequeat. Ad Hippocratis opinionem tranſeamus. Si appetit fœmina, ut perficiatur: perficitur à calore, marem appetit: mas ergò calidior. At aliter ille ſenſit in primo* γυναικείων· γυναῖκα ἀραιοσαρκοτέραν τοῦ ἀνδρός. *Et mox:* τῆς γυναικὸς τὸ αἷμα εἶναι θερμότερον καὶ τὴν γυναῖκα ἀνδρὸς θερμοτέραν. *Fœmina vero* πήρωσιν *cum alibi, tum in ſecundo de Generatione indicat: & ait eſſe* ἄῤῥεν πεπηρωμένον. *In quarto etiam audacius. Nam poſteaquam dixit:* καὶ δεῖ λαμβάνειν ὥσπερ ἀναπηρίαν θηλύτητα φυσικήν: *adjungit verba paulò iniquiora. Cum enim monſtra dicat eſſe naturæ* παρεκβάσεις *id eſt excurſus & quaſi* πάρεργα, *aut ſi liceat nobis, prævaricationes: fœminam quoque dicit eſſe acceſſorium tale quiddam.* ἀρχὴ, *inquit,* γὰρ πρώτη παρεκβάσεων, τὸ θῆλυ γενέσθαι καὶ μὴ τὸ ἄῤῥεν. *Temperat tamen atrocem ſententiam illa caſtigatione,* ἀλλ' αὕτη μὲν ἀναγκαία τῇ φύσει. *Sane eſt perfectio quadam ſpeciei fœmineitas, quia ſexus non niſi in ſpeciebus perfectis diſtinctus eſt: de ea neceſſitate naturali ſibi convenit in ſecundo Phyſicorum. Inquit:* ἐστι τὸ ἀναγκαῖον ἐν τῇ ὕλῃ, τὸ δ' οὗ ἕνεκα ἐν τῷ λόγῳ. *Si igitur fœmina dat & locum & materiam, eſt utique ens neceſſarium non acceſſorium operis primarii.* Certum igitur eſt, non ob imperfectionem ſed ob immunditiem, quæ in ſexu eſt, excluſas fuiſſe feminas, quemadmodum & ab eſu agni Paſchalis, de quo ſuo loco. Eadem ratio ante octavum diem maſculos non admiſit. Subjiciamus nunc quæ de circumciſione obſervavit P. Cunæus lib. 3. de rep. Hebræorum cap. 5. *Nihil* inquit, *tam religioſe obſervatum ab illis eſt. Sed imitatæ tamen morem hunc etiam aliæ gentes ſunt, quæ res accuratiſſimos ſcriptores in errorem impulit: haud enim ſciverunt, ex qua ſit origine hoc ductum. Herodotus ait ſolos omnium mortalium Ægyptios Colchoſque & Æthiopas id feciſſe. Syros vera, qui in Palaſtina ſunt, hoc eſt, Iudæos ab Ægyptiis didiciſſe, neque vero dubitandum eſſe, cum hoc confiteantur illi ipſi Syri. Sed enimvero danda eſt errori huic venia. obſcura enim propter vetuſtatem ſunt rerum initia. Nos Abramum circumciſionis authorem cunctis Iudæis fuiſſe, non opinamur hercle ſed certò ſcimus. In hoc uno tamen Herodotum ſua non fefellit divinatio, quod Æthiopes*

potius

potius ab Ægyptiis, quam hos ab illis accepiſſe morem exiſtimat. Quippe primi Ægyptii Hebræos, quos ſedibus ſuis exceperant, imitati ſunt. Exinde res manavit ad finitimos, Colchos, Æthiopaſque. Quoniam de prophanarum gentium circumciſione diximus confutandus nobis eſt eruditiſſimus Rabbinus, cujus extat liber in manibus hominum, qui Aruch dicitur. Magnum atque memorabile facinus inceptat, qui in animum induxit ruſpando ventilare, quicquid errorum eſt in Rabbinicis ſcriptis. Homines enim Hebræi, egregia eruditione, ſagacique ingenio, cum ſacri Codicis ſenſa patrio ſermone evoluta nobis darent, multa feliciter repererunt, quæ aliorum nunquam aſſecuta eſſet induſtria. Sed iiſdem rurſus aut confidentia interdum aut ambitio interpretamenta quædam dictavit, quorum falſitatem incogitantibus deprehendere haud facile eſt, quia veris proxima ſunt. Non ego nunc de allegoriis myſteriiſque neque de fabulis loquor, quibus ſua ipſi ſcripta miſerum in modum infamaverunt: monſtra enim hæc ſunt, in quæ ſi Hercules incidiſſet, putaſſet ſibi tertium decimum laborem veniſſe. Sed eas dico interpretationes, quibus הפשט *, ut ipſi vocant, hoc eſt, ſimplex verborum ſententia explicatur. Hac enim parte ſoli Iudæi, ingratiis omnium gentium tenent quendam principatum. Et nobis quidem de Iudaicarum interpretationum virtutibus vitiiſque alio loco abunde dicetur: Nunc Ieremiæ recitabimus verba, ex quibus autor libri Aruch olim commentum fabricatus eſt, quod probavere amplexique ſunt hac ætate viri eruditiſſimi. Ait apud vatem Deus in capite nono:* Ecce prope adſunt dies, cum animadvertam in omnes, qui circumciſi ſunt cum præputio: *& addit, in quos animadverſurus ſit;* In Ægyptios & in Judæos, in Edomitas, & in Ammonitas Moabitaſque. *Circumciſi cum præputio ii ſunt, inquit autor libri Aruch, qui poſtquam circumciſi eſſent, præputium attraxere. Tales autem erant Ægyptii, inquit, quia circumciſi quidam erant quo tempore vivebat Ioſeph: at illo mortuo adduxerunt ſibi præputium. Nempe hoc ſentit Rabbinus, odio Iſraëlitarum Ægyptios, ut obiit Ioſeph, omiſiſſe circumciſionis ritum, quem olim, vivente illo, ab ipſis didicerant, quin & ad hanc rem arte uſos ait, quæ abſciſſam cutem repararet. noluiſſe enim eos quicquam commune habere cum ea gente, quam per ſe pridem paſtoritiæ genere inviſam, ob unius tamen Ioſephi merita hactenus, ſed ægre, hærere in parte regni ſiverant. Hæc eſt ſententia præſtantiſſimi Rabbini, qui putat Ægyptios non fuiſſe circumciſos ex qua tempeſtate relictis eorum finibus, in Palæſtinam conceſſere Iſraelitæ. Sed non ita eſt profectò. Etenim ſuo adhuc ævo Herodotus atque Strabo, &, qui diu poſt illos vixere, Hieronymus Ambroſiusque memorant. Enimvero perperam intellexit ſcriptor Hebræus verba Ieremiæ, quorum interpretatio ea mihi videtur optima, quæ eſt pervulgata. Scio equidem cum autore libri Aruch etiam ſentire V. C. Ioannem Druſium, quo ſumus magiſtro quondam uſi. Sed ille, qua fuit animi æquitate dediſſet ingenuo candori noſtro veniam. Etenim incorruptam libertatem profeſſi, ſine amore, ſine odio, quid rectiſſimè dicatur, exquirimus. Profectò, quoniam ſpiritus ſacer* incircumciſos cum præputio, *appellat primum Ægyptios dein Iudæos, interpretamentum iſtud de omiſſa ſpretaque circumciſione, ſi ad Ægyptios referatur falſum quidem eſt, ut jam oſtendi, ſed tamen colorem veri habet at ubi Iudæam ſpectas, de quibus ibidem ſermo eſt, jam nequaquam procedit commentum. Etenim is populus, & ſi ad impietatem identidem prolapſus eſt & Deum negligere, ſacra profanaque omnia polluere didicit, circumciſionis tamen ritum retinuit conſtantiſſimè, eaque re gloriatus eſt ſemper, uſque ad ineptias & eum deriſu.* Hactenus Cunæus. Locus Jerem. 9. 25. על כל מול בערלה Chaldæus. דרמן עובדיהון לעובדי ערליא: *Quarum opera ſimilia ſunt operibus incircumciſorum.* Interpretatur de Iſrael. Syrus preſſe & adverbum. Arabs & Græcus, *Circumciſum in præputiis.* Ut ſit periphraſis circumciſionis. Belgæ noſtri τὸ ב acceperunt copulative, ut vocant: *Circumciſum* & *præputium*, id eſt, præputiatum. Illum

locum id eſt duos extremos verſus capitis IX. ſic interpretatur Hieronymus: *Multarum ex quadam parte gentium, & maximè quæ Iudææ Palæſtinæque confines ſunt, uſque hodie populi circumciduntur & præcipuè Ægyptii & Idumæi Ammonitæ & Moabitæ & omnis regio Saracenorum, quæ habitat in ſolitudine & de quibus dicitur:* Super omnes *qui attonſi ſunt in Comam, habitantes in deſerto. Non igitur gloriari debet Iuda, qui mixtus eſt cum gentibus ſupraſcriptis, eo quod præputium non habeat ſed ex lege Dei circumciſus ſit, cum & alii hæc faciant, qui legis mandata non ſervant & ignorant Deum Iſrael. Nec prodeſt circumciſio quæ in ſignum data eſt: niſi mandata domini compleantur, ſicuti & coma quæ gentem ſignificant, non robora corporum & fortitudinem pugnatorum. Quodque ſequitur,* Omnes gentes habent præputium: omnis autem domus Iſrael incircumciſi ſunt corde. *hunc habet ſenſum: Cum præter Ægyptios, Idumæos, Ammonitas & Moabitas, Iſmaelitas in ſolitudine commorantes: quorum plerumque pars circumciſa eſt, omnes aliæ nationes in toto orbe incircumciſa ſint carne*, omnis domus Iſrael incircumciſa eſt corde, non carne: quæ incircumciſio ducit ad mortem. Illa enim carnis, hæc Spiritus eſt. Ab Abrahamo multæ gentes originem traxerunt: Iſmaelitæ, Ceturæ progenies, Iſraelitæ, Idumæi. Hi originis ſuæ memores circumciſionem retinuerunt. Loti poſteri & Ægyptii circumciſionem videntur admiſiſſe, admiratione & amore Abrahami aut Joſephi. Lotus cum ſua domo circumciſionem, uti videtur, recepit, mox cum audiſſet Abramo datam eſſe: de Ægyptiis, quid ſum dicturus, ignoro, ſuſceperint ne circumciſionem ab Abrahamo an à Joſepho. Conſtat multas genies circumciſionis ritum recepiſſe. Herodotus lib. 2. cap. 36. Τὰ αἰδοῖα ὦλλοι μὲν ἐῶσι ὡς ἐγένοντο, πλὴν ὅσοι ἀπὸ τούτων ἔμαθον· Αἰγύπτιοι δὲ περιτάμνονται. cap. 104. Ἀλλὰ τοῖσι δὲ μᾶλλον, ὅτι μοῦνοι πάντων ἀνθρώπων Κόλχοι καὶ Αἰγύπτιοι καὶ Αἰθίοπες περιτάμνονται ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες δὲ καὶ Σύριοι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ, καὶ αὐτοὶ ὁμολογέουσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι. Σύριοι δὲ οἱ περὶ Θερμώδοντα καὶ Παρθένιον ποταμὸν, καὶ Μάκρωνες, οἱ τούτοισι ἀστυγείτονες ἐόντες ἀπὸ Κόλχων φασὶ νεωστὶ μεμαθηκέναι. οὗτοι γάρ εἰσι οἱ περιταμνόμενοι ἀνθρώπων μοῦνοι· Καὶ οὗτοι Αἰγυπτίοισι φαίνονται ποιεῦντες κατὰ ταυτά. αὐτῶν δὲ Αἰγυπτίων καὶ Αἰθιόπων οὐκ ἔχω εἰπεῖν ὁκότεροι παρὰ τῶν ἑτέρων ἐξέμαθον. Ἀρχαῖον γὰρ δή τι φαίνεται ἐόν. ὡς δ' ἐπιμισγόμενοι Αἰγύπτῳ ἐξέμαθον μέγα μοι καὶ τόδε μαρτύριον γίνεται· Φοινίκων ὁκόσοι τῇ Ἑλλάδι ἐπιμίσγονται, οὐκέτι Αἰγυπτίους μιμέονται κατὰ τὰ αἰδοῖα, ἀλλὰ τῶν ἐπιγινομένων οὐ περιτάμνουσι τὰ αἰδοῖα. Æthiopas Ægyptios, Colchos, Syrios in Palæſtina & ad amnem Thermodontem in uſu habuiſſe circumciſionem genitalium. Phœnicum partem non uſurpare aut uſurpationem relinquere ob conſuetudinem cum Græcis. Ego malim, dicere quod ſoli Samaritæ & Judæi circumciſi fuerint in Palæſtina, non qui origine Cananæi erant. Exiſtimat circumciſionem ab Ægyptiis ad alias illas gentes eſſe derivatam, quod conceſſerim niſi de Judæis. Atqui de his dicit, ὁμολογέουσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι. Hic novimus Herodotum errare. Nam meminerat ipſos dicere patres ſuos Ægypto profugos in Palæſtinam ad veniſſe. Hinc concludebat confeſſionem de circumciſione Ægypto debita. At circumcidi ἀρχαῖον τι φαίνεται ἐόν. Id enim ab Abrahamo deductum originem debet patriarchis Judæorum.. Strabo Georgr. libr. 17. Καὶ τοῦτο τῶν ζηλουμένων μάλιστα παρ' αὐτοῖς· τὸ πάντα τρέφειν τὰ γεννώμενα παιδία· καὶ τὸ περιτέμνειν καὶ τὰ θήλεα ἐκτέμνειν: ὅπερ καὶ τοῖς ἰουδαίοις νόμιμον καὶ οὗτοι δὲ εἰσιν Αἰγύπτιοι τὸ ἀνέκαθεν, καθάπερ εἰρήκαμεν ἐν τῷ περὶ ἐκείνων λόγῳ. Ægyptii igitur id laudatiſſimum habuerunt in ſuis moribus, quod omnes natos infantes ſuſceperint, cum Græci & Romani recens editos (ſi quos tollere nollent) necarent aut exponerent. Mares circumcidebant, fœmellas excidebant. Id eos Strabo docuiſſe putat

Judæos; quos eodem cum Herodoto errore origine Ægyptios eſſe exiſtimabat. Id autem ignorare non debuit, quod Judæi non exciderent ſemellas. De populo Æthiopiæ, qui κολοβῶν nomine ob circumciſionem dictus eſt, diſertè ſcribit *κολοβοὶ τὰς βαλάνους καὶ αἱ γυναῖκες Ἰουδαϊκῶς ἐκτετμημέναι*. Nemo veterum, præter Joſephum, refert Arabas Abrahamo originem debentes circumcidiſſe genitalia, ſed id videtur è Mohamedis inſtituto patere. Nempe circumciſionem illis gentibus ſuetam religioni ſuæ adoptavit. Philo in libro de circumciſione *περιτομὴν* eſſe dicit *πρᾶγμα σπουδαζόμενον οὐ μετρίως καὶ παρ' ἑτέροις ἔθνεσι καὶ μάλιστα τῷ Αἰγυπτιακῷ, ὃ καὶ πολυανθρωπότατον καὶ πολυσοφώτατον δοκεῖ εἶναι.* Ideò non debere irriſui eſſe, quia tot ac tantis gentibus in uſu fuerit, potius inquirendum in cauſas. Non potuiſſe factam eſſe & admiſſam ſine cauſa: nempe *τοσαύτας μυριάδας καθ' ἑκάστην γενεὰν ἀποτέμνεσθαι μετὰ χαλεπῶν ἀλγηδόνων ἀκρωτηριαζούσας τά θ' ἑαυτῶν καὶ τὰ τῶν οἰκειοτάτων σώματα.* E cauſis permultis, cur ſic faciant, eſſe quatuor haſce: 1. ut morbus curatu difficilis, quem carbunculum vocant, caveatur, quia præputiatis facilius innaſcatur. 2. Ut totum corpus ſit purius, nec impediat officia ordinis ſacerdotalis: *πρὸς δὲ καὶ ξυρῶνται τὰ σώματα προσυπερβάλλοντες οἱ ἐν Αἰγύπτῳ τῶν ἱερέων. ὑποσυλλέγεται γὰρ καὶ ὑποστέλλει καὶ θρὶξ καὶ ποσθίαις ἵνα τῶν ἐφωλευόντων καθαίρεσθαι.* 3. Cordis ſimilitudinem quandam huic particulæ ineſſe, quia utrumque generandi habeat vim: *τὸ μὲν γὰρ ἐγκάρδιον πνεῦμα νοημάτων, τὸ δὲ γόνιμον ὄργανον ζώων.* 4. Præcipuam eſſe curam fecunditatis & numeroſæ ſobolis. *λέγεται γὰρ ὡς εὐοδεῖ τὸ σπέρμα, μήτε σκιδνάμενον μήτε παρεῤῥέον, εἰς τοὺς τῆς ποσθίας, ὡς ἦλθε, κόλπους. ὅθεν καὶ τὰ τεμνόμενα τῶν ἐθνῶν πολυγονώτατα καὶ πολυανθρωπότατα εἶναι.* Hæc ſe didiciſſe *ἀρχαιολογούμενα παρὰ θεσπεσίοις ἀνδράσιν, οἳ τὰ Μωσέως οὐ παρέργως διηρμήνευσαν.* His tam egregiis ſcilicet commentis adjicit ipſe duas alias cauſas 1. Eſſe ſymbolum exſcindendarum ſuperfluarum voluptatum, inter quas principatum tenet *ἡ ἀνδρὸς πρὸς γυναῖκα συνουσία.* 2. Monere quod debeat abjicere *τὴν οἴησιν* & noſſe ſeipſum: originem & generationem hominis fecunditatemque eſſe à Deo: ne homo ſe extollat adverſus Deum ipſique aſſimilet. *πονηρὰν δόξαν ἐκτμητέον τῆς διανοίας καὶ τὰς ἄλλας ὅσαι μὴ φιλόθεοι.*

Notant interpretes I. Moſen annos tredecim vitæ Abraham tranſiliiſſe, non quod interea nihil acciderit memoratu dignum: ſed quia Spiritus Dei ſuo arbitrio delegit, quæ cognitu maxime neceſſaria erant. Calvin.

II. Videtur Abraham objectu carnalis filii ab expetendo Spirituali ſemine abductum, mira Dei bonitate in ſpem novam præter opinionem & votum erigi & promitti hoc quod pene nunquam in mentem veniſſet. Id.

III. De gentium multitudine promittenda, ultrà carnalem multiplicationem reſpexit Moſes, quod ſcilicet fide inſerendæ eſſet gentes in genus Abrahæ, licet ab eo non progenitæ ſecundum carnem: cujus rei Paulus nobis fidus eſt interpres ac teſtis. Ille enim ad totum mundum extendit nomen Patris ut undique in unam Abræ familiam coaleſcant gentes alioqui extraneæ & inter ſe diſſitæ. Carnale Abræ genus in diverſos populos ſecari non potuit, quia ſtatim cenſeri inciperent alieni, quicunque ab unitate diſceſſerant. Ita Iſmaelitas, Idumæos & reliquos evomuit Eccleſia, ut pro exteris reputarentur. Non ergò Abram multarum gentium Pater ideò vocatus eſt, quod ſeparandum eſſet ejus ſemen in diverſas gentes, ſed potius quod gentium varietas colligenda ad ipſum foret. Id.

IV. Circumciſio data illis in generationibus ſuis eſt, quod ſignificat progeniem carnalem Judæorum. Ita alibi Sabbatum ipſis dari perhibetur. Generationes illæ ducunt ad mundi renovationem in Meſſia.

V. Sic igitur diſcernit Deus Abrahæ genus à reliquo mundo. Cum hoc igitur fœdus initum eſt pro tempore, reliqui deinde adjuncti. Hic nobilis diſſertatio Calvini locum habet & præteriri non poteſt, ut & ſenſum Hiſtoricum habeamus. Sic igitur ille: *Falluntur autem qui putant ſolos hic electos notari & ſine diſcrimine comprehendi omnes fideles, ex quocunque ſecundum carnem populo deſcendant. Reclamat enim Scriptura, peculiariter à Deo ſuſceptum fuiſſe Abrahæ genus ab eo progenitum. Et clara eſt Pauli doctrina de naturalibus Abrahæ filiis, quod ſint ſancti rami, quià ex ſancta radice prodierint. Sic nequis ad umbras legis id reſtringat, vel allegoria eludat, alibi diſertè tradit Chriſtum veniſſe, ut Circumciſionis eſſet miniſter. Quare nihil certius eſt quam Deum fœdus ſuum paciſci cum filiis Abrahæ, qui naturaliter ex eo gignendi erant. Siquis objiciat, hoc minimè cum proximâ ſententia congruere, ubi diximus legitimos coram Deo reputari Abrahæ filios, qui per fidem inſiti in ejus corpus domum unam efficiunt: facilis eſt conciliatio, modò certos ponamus ac diſtinctos adoptionis gradus, quos ex variis Scripturæ locis colligere licet. Initio ante fœdus iſtud par & eadem erat totius mundi conditio. Simul verò ac dictum fuit, Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te, non ſecus à reliquis gentibus diviſa eſt eccleſia atque in mundi creatione lux è tenebris emerſit. Tunc populus Iſrael quaſi grex Dei in proprium ejus ovile receptus eſt: reliquæ gentes tanquam feræ beſtiæ, per montes & ſylvas aut deſerta errarunt. Quum hæc dignitas qua excelluerunt filii Abrahæ præ gentibus, à ſolo Dei verbo penderet, gratuita Dei adoptio ad omnes ipſos communiter pertinuit. Nam ſi Gentes Deo & vita æterna privat Paulus, quia à fœdere extraneæ erant: ſequitur omnes Iſraëlitas domeſticos fuiſſe Eccleſiæ & Dei filios, & vitæ æternæ hæredes. Tametſi autem Dei gratia, non natura excellebant ſupra Gentes, & hæreditas regni Dei ex promiſſione illis obvenerat, non ex carne: dicuntur tamen interdum natura differre à reliquo mundo. Ad Galat. cap. 2. v. 15. & alibi Paulus naturaliter vocat ſanctos: quià continua ſerie proſequi volebat Deus gratiam ſuam ergò totum ſemen. Hoc ſenſu, qui fuerunt ex Iudæis increduli, filii tamen regni cœleſtis à Chriſto vocantur. Neque his repugnat, quod dicit Paulus, non omnes, qui ſunt ex Abraham, cenſeri legitimos filios: quià non ſunt filii promiſſionis, ſed carnis tantum. Nam illic promiſſio non generaliter accipitur pro externo verbo, quo Deus ſuam gratiam tam reprobis quam electis conferebat, ſed ad efficacem vocationem quam intus obſignat per Spiritum ſuum, reſtringi debet. Ac rem ita habere, nullo negotio evincitur: communis enim erat omnibus promiſſio, qua Dominus eos omnes in filios adoptaverat: in ea negari non poteſt oblatam fuiſſe omnibus æternam ſalutem. Quid ſibi ergò vult quod Paulus quoſdam promiſſionis jure filios cenſeri negat, niſi quod de oblata extrinſecus gratia non amplius diſputat, ſed de ea quam efficaciter ſoli electi percipiunt? Hic jam nobis duplex filiorum ordo in Eccleſia emergit: quià enim totum populi corpus una & eadem voce in ovile Dei colligitur, omnes ſine exceptione hoc reſpectu habentur filii, in omnes communiter competit Eccleſiæ nomen: ſed in arcano Dei ſacrario non alii cenſentur Dei filii quam in quibus fide rata eſt promiſſio. Tametſi autem diſcrimen hoc ex fonte gratuitæ electionis manat, unde etiam oritur ipſa fides: quia tamen per ſe nobis abſconditum eſt Dei conſilium, ideò fidei & infidelitatis nota veros filios à ſpuriis diſcernimus. Hæc ratio & œconomia ad promulgationem uſque Evangelii duravit: tunc autem diruta maceria, gentes æquavit Deus naturalibus filiis Abrahæ. Illa fuit ſeculi renovatio, quæ filii vocari cœperunt qui prius extranei fuerant. Quoties tamen comparatio fit inter Iudæos & Gentes, hæreditas vitæ illis tanquam legitima tribuitur: iis autem dicitur eſſe adventitia. Interim impletur oraculum illud, quo promiſit Deus Abraham multarum gentium fore patrem. Quum enim prius continuo tenore naturalibus filiis Abra-*

ha

ha ſuccederent nepotes, & benedictio ab eo exordium ſuum habens deflueret in nepotes. Chriſti adventus ordine retrogrado in ejus familiam inſeruit, qui prius à ſemine ejus diviſi erant: tandem foras ejecti ſunt Iudæi, niſi quod penes illos manet occultum electionis ſemen, ut reliquiæ ſalvæ fiant. Hæc de ſemine Abrahæ ſemel dicta eſſe oportuit, quæ nobis facilem aditum ad ea quæ ſequentur patefacient.

VI. Cur tot ſeculis hoc gratiæ ſuæ Teſtimonio carere paſſus fuerit humanum genus ratio nobis abſcondita eſt, niſi quod videmus tunc fuiſſe inſtitutum, quando unam certam ſibi gentem delegit. Id.

VII. Inciſum hac lege fuit in marium corporibus Dei fœdus, ut ejuſdem ſigni participes ſociæque forent fœminæ. Id.

VIII. Circumcidetis carnem præputii veſtri. Hic Calvinus: *Valde abſurdum prima ſpecie ac ridiculum, videri potuit hoc Mandatum. Tractatur ſacrum fœdus, quo juſtitia, ſalus & felicitas promittitur, quo diſcernatur ſemen Abrahæ à reliquis gentibus ut ſit ſanctum & benedictum. Tanti myſterii inſigne ſtatui in pudendis partibus quis conſentaneum eſſe dicat? Verum ut Abraham ſtulteſcere oportuit, quò ſe obſequentem Deo præberet: ità quiſquis ſapiet, ſobriè ſimul & reverenter ſuſcipiet quod ſtultè mandaſſe videtur Deus. Et tamen quærendum eſt, an aliqua inter ſignum viſibile, & rem ſignatam analogia hic effulgeat? Nam ſigna quæ ad levandam infirmitatem noſtram inſtituit Deus, ad modulum noſtrum aptari par eſt, ne profectu careant. Porrò duabus de cauſis probabile eſt Dominum juſſiſſe præputium circumcidi: nempe ut oſtenderet vitioſum eſſe quicquid ex homine gignitur: deinde ſalutem ex benedicto Abrahæ ſemine prodituram. Primum itaque quicquid ex ſua generatione proprium habent hominis, Deus in Circumciſione damnavit: ut oſtenſa naturæ corruptio, illos ad carnem mortificandam adduceret. Vnde etiam conficitur, pœnitentiæ fuiſſe ſymbolum. Simul tamen illic quæ in Abrahæ ſemine promiſſa erat benedictio, notata ſignataque fuit. Quod ſi cui abſurdum videtur in illa corporis parte datam eſſe tam præclaram & ſingularis gratiæ teſſeram, eum quoque ſalutis ſuæ pudeat, quæ ex Abrahæ lumbis fluxit: ſed ità infatuare mundi ſapientiam Deo placuit, quò magis ſuperbiam carnis dejiceret. Atque ita jam ſecundo loco habemus, teſtatam hoc ſigno fuiſſe Dei & hominum reconciliationem, quæ in Chriſto fuit exhibita. Qua ratione ſigillum juſtitiæ fidei à Paulo vocatur. Hoc de analogia rei & ſigni breviter attigiſſe ſufficiat.* Octavum diem circumciſionis quidam trahunt ad allegoriam, quaſi ſeptem diebus vita præſens notata fuerit. octavo die Deum juſſiſſe circumcidi infantes, ut oſtenderet meditandam quidem eſſe carnis mortificationem toto vitæ curſu ſed non niſi poſt ejus finem compleri. Auguſtinus etiam ad Chriſti reſurrectionem Deum ſpectaſſe exiſtimat, qua abolita fuit externa circumciſio & veritas figuræ exhibita. At iſta quis auſit aſſerere cum ſcriptura non exponat? Sufficiat integram ſeptimanam datam eſſe, quæ comprehenſio dierum naturalis minima eſt, poſtquam ſordes è nativitate ſiccatæ ſunt & firmior infans. Abraham promptè paruit Dei mandato. Circumciſus ipſe eſt anno ætatis 99. filius Iſmael anno. 13. Eam moram circumcidendi retinuerunt Iſmaelitæ, qui poſteà Saraceni dicti ſunt. Hi pueros ſuos ut olim ita & hodie circumcidunt anno decimo tertio. In Abrahami familia ingens numerus circumciſorum fuit. Nam vernæ & ære empti ſervi hoc præcepto comprehendebantur. Si Abraham habuit 318. vernas ætate militari, quando perſecutus eſt reges, nunc ejus generis pauciores non fuere. Et oportet numerum fuiſſe magnum emptorum. Fuerit igitur mille hominum aut, ſi vis, major. Nugantur Judæi è præputiis collem eſſe accumulatum, è ſanguinis copia fluvium manaſſe.

Cap. XVIII.

Qui Cum Duobus Angelis] Alia ἐπιφάνεια Domini facta Abrahamo eodemanno, quo ſuperior, commemoratur in iſto capite. Dominus cum duobus angelis, ſub ſpecie virorum. Tempus, quo facta eſt illa apparitio Moſi deſignatur ita: והוא יושב פתח האהל כחום היום / *καθημένου αὐτοῦ ἐπὶ τῆς θύρας τῆς σκηνῆς αὐτοῦ μεσημβρίας.* ܒܚܡܗ ܕܝܘܡܐ Syro in Anglicanis Bibliis. Samaritana verſio ࠊࠇࠌࠏ ࠉࠅࠌࠄ כחתע יומה Sic habent Anglicana Biblia, ſi non ſit legendum ✡ pro ס, id eſt, ח pro ע. Nam רְתַח Chaldaice & Syriace notat fervorem & æſtum. Chaldæus hic habet במחם יומא Arabs in iſta bibliorum editione عند حر النهار *apud æſtum Diei.* Ubi notari poteſt نهار ſignificare diem in oppoſito ad noctem. Omnes interpretes diei tempus medium accipiunt, quo ſol ardentiſſimus urget. Non fuit eo tempore diei in horas diſtributio, quæ poſt longum tempus inde inventa eſt. Diem naturaliter non artificialiter noverant diſcriminare, ideo nec in quatuor æquas partes, ut poſt horarum inventionem. Sic diem diſtribuebant in בקר, צהרים, ערב Pſ. 55. 18. uſque ad quartam ferme diei horam pertinebat matutinum tempus; inde medius dies, ferme ad octavam: hinc igitur veſpera diei. Alias ערב ſignificat etiam primam partem noctis quemadmodum & בקר ultimam. Nam inter illas media eſt הצות לילה Pſ. 119. 62. כחם היום ſignificat diei tempus ob æſtum in illo climate inutile rebus agendis & itineri faciendo. Quo notatur neceſſitas divertendi ad aliquem ſub tectum. Dimiſſi ab Abrahamo Sodomam intrarunt ſub principium noctis 19. 1. R. Salomo Ephraim in כלי יקר ad verba illa textus ſic commentatur: הוה שכב׳ צדדים היה ראוי לראות פני השכינה האחד הוא שיש בפתח האהל לראות אם יבואו אורחים ובזכות הצדקה האדם זוכה ורואה פני השכינה שנאמר אני בצדק אחזה פניך ובזה מושב כ״ף של כחום היום כי הוה לי למימר בחום היום אלא שעשה כמעשה חום השמש המצפה לעשות צדקה שנאמ׳ שמש צדקה ומרפא בכנפיה כי בחסדי הש״י השמש זורחת כמ״ש לעושה אורים גדולים כל״ח׳ ב׳ מצד שישב בחום היום לבקש שמש מרפא בכנפיה על כן היה מן הראוי להגלות אליו כבוד ה׳ לבקר את החולה:

Docet quod ob duas rationes dignus fuerit videre faciem שכינה. *Prima eſt, quod ſederit ad oſtium tabernaculi, ad videndum ſi venirent viatores & in merito pietatis homo meretur & videt faciem* שכינה Q. D. [Pſ. 17. 15.] Ego in juſtitia videbo faciem tuam. *Et ideo poſitum eſt* ב *in* בחום היום; *quia eſſet dicendum* בחום היום *niſi quod faciat ſecundum opus caloris ſolis ſpeculantis ut faciat pietatem Q. D.* [Malach. 4. 2.] Sol juſtitiæ & ſanatio in alis ejus: *quia in benignitatibus Dei benedicti ſol oritur, ut docet Q. D.* [Pſ. 136. 7. Facienti lumina magna, quia ejus miſericordia in ſeculum. *Secundò, propterea quod ſederet in calore diei ad quærendum ſolem & ſanationem ſub alis ejus, ideo fuit ex convenienti ut appareret ipſi gloria Dei ad viſitandum ægrotum.* Sediſſe Abrahamum in æſtu diei, ut obſervaret viatores, & quia ex circumciſione (ut ipſi volunt) æger erat, remedium quæreret. Vide Judaicum morem interpretandi ſacras literas, quo venantur ex verborum apicibus fabularum diverticula. Alluſit huc Raſi, qui ad אליו abbreviatè dicit: לבקר דחולה. Quod in Hebræo eſt כ notat temporis circumſtantiam ut ſolet. In Brachoth Babylonico de tempore interpretantur & quidem de ששה שעות ſex horis ſeu ipſo meridie. Recte Raſis notat ſediſſe ad oſtium tabernaculi: לראות אם יש עובר ושב ויכניסם בביתו. Res oſtendit,

Non

Non ſediſſe in aprico, in ipſo ſole, ſed intus in tabernaculo, ut foras oculos circumferret. Illud, quod in antecedenti capite dictum eſt, Abrahamum & Iſmaelem omneſque ſervos tum domi natos, tum ære emptos eodem die eſſe circumciſos valde exaggerant. Nempe Deum inſigniter confirmaſſe manum Abrahami, ut ſe, ut filium, ut tantum mancipiorum numerum circumcideret. Quaſi neceſſe eſſet Abrahami manu omnes circumcidi. Nam, quod dicitur, Et circumcidit v. 23. ita ad Abrahamum referri poteſt, ut illius præcepto & ductu factum ſit. Potuerunt enim alius alium circumcidere, donec per omnes obambulatum eſt. Quaſi ſit neceſſe uno die cœptam & peractam eſſe circumciſionem. Phraſis בעצם היום הזה poteſt ſignificare initium continuatæ circumciſionis & ſi in poſterum diem & ſequentes duraverit. Ægrum tamen factum eſſe è ſua circumciſione, quia poſt omnes ſeipſum circomciderit. Placet ipſis, quod hæc apparitio facta fuerit tertio die poſt circumciſionem. Id Autor כלי יקר diſputat: נראה שבעל מדרש זה סובר שאברהם נימול ביה"כ כמו שלמדו מן פסוק בעצם היום הזה ואם כן על כרחך לא נראה אליו ה' ביום ראשון למילה כי אברהם עשה סעודה למלאכים והאכילם וגם בני בנתו ועשו מלאכה ביום ההוא שהרי למ"ד פרוס הפסח היה והאכילם מצות אם כן ודאי לא רצה להעבירם מעל מצות ה' ואת"ל שיום זה היה יום ראשון של פסח מכל מקום הרי מבשלים בי"ט לצורך גוי והוא היה מסופק שמא הם ערביים ואיך בשלו להם ואיך האכילם כי שמא הם צדיקים אלא וודאי שביום ראשון למילה לא נגלה אליו ה' ואם כן קשה למה לא נגלה אליו ביום ראשון אלא ודאי שעדיין אין הכאב גדול כל כך וא"כ גם כן בשני לא נגלה אליו כי אם ביום ג' כי אז הכאב גדול כמו שאמרו ויהי ביום השלישי בהיותם כואבים אבל מסברא הייתי אומר שגם ביום ראשון. בקרו אף על פי שאין הכאב גדול כל כך אלא ממה שיום ראשון היה יום כפור או פסח אנו למדין שהקפיד דווקא על יום שהכאב גדול בו ביותר: *Videtur, quod autor Midras hujus putaverit quod Abraham circumciſus ſit in die expiationis, ſecundum quod diſcunt è textu, in ipſo die: & ſi ſic, invito te, non viſus eſt illi Deus in die primo circumciſionis, quia Abraham fecit convivium angelis & cibavit eos & etiam domeſtici ejus coxerunt & fecerunt opus in die iſto. Quod nunquid illi qui dicit, terminus Paſchalis erat & cibavit eos infermentatis? Si ſic, profecto non voluit transferre eos de azymis Deus. Et ſi poſſis dicere, quod dies iſte fuerit dies primus Paſchatis, attamen ecce coquunt in die feſto in uſum gentilium: hoc erat incertum, fortaſſis erant Arabes. Quomodo coquunt illis & quur cibat illos? fortaſſis erant juſti. Sed certum, quod in die primo circumciſionis non ſit viſus ipſi Deus & ſi ſic, quari poteſt, cur non apparuerit eidem die primo: ſed certum ſecundum quod non fuit dolor magnus uſque adeo: & ob id in ſecundo non apparuit ei ſed in tertio, quia tunc dolor magnus, Q. D. (Gen. 34. 25.)* Et factum eſt in die tertia quum eſſent dolentes. *Profectò opinans fui, dicens quod etiam in die primo viſitaverit eum, quamvis dolor non fuerit magnus uſque adeò: ſed quod dies primus fuerit dies expiationis aut* פסח (Sic legendum uti puto) *nos diſcimus quod ſolicitus ſit ſimpliciter de die, quo dolor ſupra modum magnus fuerit.* Judæi igitur præſupponunt Abrahamum viſitari debuiſſe à Deo in doloribus circumciſionis & hanc cauſam apparitionis eſſe. Hinc connectunt hoc caput immediatè cum antecedenti. Quod tam infirmo fundamento nititur, quomodo firmum & certum eſſe poteſt? Raſi dicit *Deum Solem eduxiſſe è theca ſua, ut fatigaret viatores, cumque videret eum anguſtiari, quod nulli viatores venirent, adduxit angelos ad eum in ſimilitudine virorum.* Locus etiam exprimitur, in Elone Mamre. Volunt Judæi honori iſtius viri hoc datum eſſe, quod in illo loco Deus ſit Abraham viſus. Autor כלי יקר: *Viſus eſt illi*

illi in Elone Mamre quia ſecundum ſententiam Raſi, ille erat, qui ipſi conſilium dederat ſuper circumciſione, & videtur, quod diſcat hoc ex eo, quod dicatur באלוני ממרה numero plurativo. Nunquid fuit hac vice in multis quercubus? Erat dicendum in quercu Mamre. Nam quamvis Mamre multas quercus habuerit & Abrahami tabernacula fuerint extenſa in omnibus illis, tamen fuit ſufficiens, ut diffunderetur lux ſplendoris שכינה Dei benedicti in illo tabernaculo, in quo ipſe Abraham habitabat. Sed vere quod fuerit Mamre aliquod meritum & portio in præcepto circumciſionis propterea viſus eſt Dominus in omnibus ejus quercubus & ſenſu hoc dictum etiam eſt ſic וירא אליו. Vt ne dixeris fortaſſis omnes nati domus Abraham fuerunt in illis quercubus & omnes illi circumciſi ſunt, ideò oriebatur lux Domini ſuper omnibus illis & non propter Mamre [ת'ל] textus docet וירא אל'ו'ה, ſubtrahendo omnes natos domus & acquiſitos argento: & ideò certum eſt quod meritum Mamre cauſa ſit dicti. Et quadrat dicere, באלוני non ſignificat planitiem ſed locum in quo fuerunt quercus Mamre. Probat id quod dicitur [v. 4.] & innitimini ſub hac arbore, quia fuerunt illic quercus multæ. Dicunt magiſtri noſtri b. m. Vnde circumſioni? quod ſit in illo ipſo loco dicto præputium in arboribus & dicto præputium hic? quid ulterius? locus qui facit fructus, etiam circumciſio in loco, qui facit fructus. Et ſic invenimus in Medras, quod fuerit Abraham ambiguus, è quo circumcideretur, ex ore, an pelle, an corde &c. propterea viſa eſt lux Domini ſuper omnes quercus, ſecundum ſpeciem loci dicendo, intellige in his arboribus & diſces ab illis, quia fundamentum ortus gloriæ Domini eſt ſuper locum, qui facit fructus: & ex hoc diſce ſimilitudinem quam videbis: Deus è carne tua è parte loci ſimilis arboribus. Attamen non ſolvitur quare memoret ſcriptura quod fuerint quercus Mamre & porro quomodo fecerit Abraham antequam orіretur ſuper eum gloria Domini. At certum, quod Mamre dederit ipſi conſilium hoc, putans, quod circumciſio in loco, qui facit fructus & שכינה Domini per manum ejus, juxta quod viſa eſt ipſi gloria Domini in Elone Mamre. In hoc totum compoſitum eſt venè, quia eſt pretioſa expoſitio. Liber Tanchumà: Cur in Elone Mamre? Benedictum ſit nomen Dei benedicti, qui non amputat mercedem ullius hominis. Tres diligebant Abrahamum, Aner Eſcol & Mamre. Poſtquam dixiſſet Deus benedictus Abrahamo, ut circumcideretur, contulit ſe ad captendum conſilium ab illis. Ibat ad Aner, dicebat ipſi ſic & ſic dixit mihi Deus benedictus. Reſpondebat ipſi Aner [בעל מום] profanus: Vis tu tibi facere ut ſint propinqui regum, quos levi momento occidiſti, & occidant te & non poteris fugere à facie ipſorum. Tum contulit ſe ad Eſcol, dixitque ad ipſum: Sic & ſic præcepit mihi Deus benedictus. Reſpondet Eſcol: Tu ſenex, ſi circumcidaris, egredietur ſanguis, nec poteris ferre & morieris. Tum contulit ſe ad Mamre: Cui dixit, Sic & ſic dixit mihi Deus benedictus, Quid ſuades? Excipit Mamre: In verbo hoc tu quæris conſilium? Nonne ille eſt, qui te eripuit è fornace ignis & fecit tibi miracula & eripuit te à regibus. Niſi illius robur & potentia fuiſſent, occidiſſent te: Eripuit 248. membra, quæ in te ſunt & præcidit unum membrum, tu quæris conſilium? Fac ſecundum præceptum illius. Dixit Deus benedictus, Tu qui dediſti conſilium, ut circumcideretur, non apparebo ipſi niſi in ſpatio tuo (בתחומך) Autor libri dicti כלי יקר etiam in eo quærit myſterium, quod non exprimatur hoc in loco nomen Abraham, cum dicatur וירא יהוה אל /אליו לא נאמר אברהם לפי ששמו ועצמותו הם שני הפנים diſtincta fuiſſe ωσώπω, nomen Abraham & ipſum. Nempe nomen Abraham notare patrem multitudinis gentium, inque eo eſſe indicium על השררה וההתנשאות ſuper principatu & evectione. At עצמותו fuiſſe manſuetudinis & humiliationis, quia dixit eſſe ſe cinerem & pulverem. Deum igitur nunc illi apparere מצד מהות עצמותו/ non ex modo & reſpectu quod eſſet pater multitudinis gentium. Deum ipſi ſe mani-

manifeſtare ob merita propria. Hinc eſſe quod Rabbini dicant: אין הקדוש ברוך הוא משרה שכינתו כי אם על חכם גבור עשיר ועניו *Non facit Deus benedictus habitare ſpiritum* (majeſtatem) *ſuum niſi ſuper ſapiente, forti, divite & manſueto.* Nempe ideò Deum illi prius in nomine Abraham viſum eſſe, quia patrem ſe præſtabat Ramo, eos ingredi faciendo תחת כנפי השכינה. Sub hoc igitur reſpectu, non proprio, quia erat ערל ובעל מום / nunc circumciſo etiam מצד עצמותו. Nec hoc Judæi omittunt ſine animadverſione & inveſtigatione occaſionum fabulis, quod Abraham ſediſſe dicatur & quidem ſine ו in ישב. Non tantum ſtultus ſed & operoſus eſt labor ineptiarum.

Cum Moſes, in primo commate ita ſummam hiſtoriæ notaſſet à perſona quæ apparuit, cui, quando, qua occaſione, rem ipſam deſcribit. Nam tres viri viſi ſunt Abrahamo, inter quos Deus erat. In argumentum Deitatis aſſumi non poteſt, quod Abraham illos, quos homines eſſe putabat, adoratione ſalutaverit. Hic enim honor & cultus civilis erat in oriente uſitatus השתחוה, quod Græci dicunt προσκυνεῖν. Curtius circumſcribit lib 8. cap. 12. *Itaque more Perſarum Macedonas venerabundos ipſum ſalutare proſternentes humi corpora.* Æmilius Probus in Conone: *Neceſſe eſt enim ſi in conſpectum veneris, venerari te regem, quod προσκυνεῖν illi vocant.* Ælianus lib. 1. variæ Hiſtoriæ narrat Themiſtoclem, cum in conſpectum regis Perſarum perveniſſet, detractum digito annulum abjeciſſe in terram ante pedes ſuos, ita tamen ut nemo adverteret. Et ſtatim demiſſo capite, quaſi regem veneraretur, annulum humo ſuſtuliſſe ac ſpeciem quidem venerantis præbuiſſe regi, nihil tamen feciſſe, quod eſſet indecorum & apud Græcos flagitioſum. Græci eum modum venerationis ſolis diis exhibebant. Unde apud Herodotum in Polyhymnia de Lacedæmoniis ita narratur: Ἐνθεῦτεν δὲ ὡς ἀνέβησαν ἐς Σοῦσα καὶ βασιλῆϊ ἐς ὄψιν ἦλθον, πρῶτα μὲν τῶν δορυφόρων κελευόντων καὶ ἀνάγκην σφι προσφερόντων προσκυνέειν βασιλῆα προσπίπτοντας, οὐκ ἔφασαν, ὠθεόμενοι ὑπ' αὐτῶν ἐπὶ κεφαλὴν, ποιήσειν ταῦτα οὐδαμά. οὔτε γάρ σφι ἐν νόμῳ εἶναι ἄνθρωπον προσκυνέειν, οὔτε κατὰ ταῦτα ἥκειν. Cæterum in oriente venerationis illa ſpecies alia civilis erat, alia religioſa. Id rectè Matthæus Raderus ad Curtium annotavit: *Eximendus tamen* (inquit) *ſcrupulus hic videtur de regum adoratione. Sæpe enim ſunt aulicæ duntaxat elegantiæ & ritus gentium non damnati. David certè ab idolorum cultu vel maximè abhorruit & tamen pronus adoravit Saulem regem, & conjux Davidis, Salomonis mater etiam ipſum Davidem eodem ritu venerabunda coluit: & hoc genus* προσκυνήσεως *plures in ſacris literis cognoſces: ut mihi mirum ſit illum cultum à Mardochæo Amani negatum, ne videretur transferre Dei cultum in homines. Atque hoc alii fecerunt ex Iudæis, ut dixi, & ſine nota idololatriæ. Videtur Mardochæus divinitus cognoviſſe Amanis Divinitatem affectantis inſolentiam eoque negaſſe illi impenſum ab aliis quamvis uſitatum cultum.* Calvinus: *Hoc reverentiæ ſymbolum in communi uſu fuit apud Orientales. Quod vetuſti quidam ſcriptores hinc myſterium elicere conati ſunt, Abraham unum ex tribus quos viderat, adoraſſe, ideoque tres in uno Deo perſonas fide eſſe intuitum, quia frivolum eſt & obnoxium, ſannis ac calumniis, omittere ſatius eſt. Ante enim diximus, ſic exceptos fuiſſe Angelos à ſancto viro ut officium præſtare hominibus voluerit, quod autem ejus benignitatem ornavit Deus & hac mercede dignatus eſt ut angelos illi hoſpites offerret, id non ante agnovit, quam ſe in fine prandii patefeciſſent. Humanus eſt igitur ac civilis honor, quem illis exhibet. Quod autem unum peculiariter ſalutat, probabile eſt ideò factum eſſe, quia præ aliis duobus excelluerit.* Rurſum de Abrahami hoſpitalitate. *Angelos nominat viros, quia humanis corporibus induti nihil aliud præ ſe ferebant quam ſe homines eſſe. Idque factum eſt conſultò ut eos tanquam homines*

Abeneſdras ut oſtendat angelos illos tres non fuiſſe tres perſonas ſacroſanctæ Trinitatis ſic argumentatur in editione Baſilienſi Buxtorfiana : הנה קצת אמרו כי השם ג׳ אנשים הוא אחד והוא ג׳ ולא יתפרדו׳ והנה שכחו ויבאו שני המלאכים סדומה ומפרשים אמרו שהשם נראה אליו במראות נבואה ואחר כן נשא עיניו וראה ג׳ מלאכים האחד בא לבשר שרה והשנים הלכו לסדום האחד להשחית והשני להציל את לוט: Hic Mercerum audiamus : *Sed hic difficultas eſt, quomodo ei dicatur Dominum apparuiſſe, cum mox dicat ipſi tres viros tantum viſos. Hebræorum plerique hic duplicem apparitionem fecerunt, unam Domini, alteram trium virorum, quos quidam illorum tres prophetas eſſe putarunt licet duo angeli initio ſeq. cap. dicantur fuiſſe, qui Sodoma ſint profecti, quod angeli nomen pro propheta interdum ſumatur. Sed magnam faciunt Scripturæ vim. Quomodo enim hominibus conveniet, id quod hic dicent angeli ſe veniſſe ad perdendum Sodoma? Reſpondet Abeneſdras id non videri debere mirum, cum tot prodigia facta tribuantur in Ægypto Moſi & Aharoni, quæ Dominus per illos faciebat. Sed hoc aliud eſt : nuſquam enim illi angeli leguntur vocati, ac ſi quando legati Domini, id eſt,* מלאכים *leguntur dicti prophetæ, illud ex contextu apertiſſimum eſt. Hic nihil tale dici poteſt. Sed nonnihil forſan illos movit, quod noſtrorum quidam ex hoc loco perſonarum trinitatem in Divinitate, ſimulque unitatem collegerunt, maxime ex eo quod Abraham cum tres viros videret, unum initio compellavit: Unde ut hoc amolirentur, varia ſunt commenti ut eſſe hic hyſteron proteron. Vide Raſi & Abeneſdra. Alii hæc omnia quæ hic narrantur, in viſione geſta putarunt, non revera, ut alia pleraque, ut Ramban, quem meritò hic multis verbis alias carpit. Sic ſane tota ſcriptura eluderetur. Iniquior eſt hic nobis Aben-eſdras, nos vocans errantes ſpiritu, etſi id in poſtrema edit. Venet. temperatum ſit & pro* תוי׳ חח אמרו] *poſitum* אמרי קצת] dixerunt quidam, *quod tres hos viros dicamus unum eſſe Deum trinum & unum, qui non dividatur.* At obliti ſunt, *inquit*, initii ſequentis capitis ; ubi duo tantum dicuntur profecti Sodoma, ubi aperte eſt diviſio. *Sane noſtros oportuit in trinitate hinc colligenda cautiores eſſe, ne ſe ita adverſariis deridendos exhiberent. Et ego velim ſolidiora & apertiora adverſum illos loca ex ſcripturis pro trinitate afferri, quibus illi urgeantur. Nos ſciamus unam eſſe & eandem hanc viſionem, quæ primum quidem generaliter proponatur Dominus ipſi apparuiſſe, ratio mox addatur, qua hoc ſit factum, nimirum in tribus viris, qui erant Angeli, etſi initio Abraham, ne Angelos quidem eſſe ſcierit, tantum abeſt, ut Dominum eſſe, qui ſibi appareret. Atque hoc etiam aperte ex epiſt. ad Hebræos 13. colligitur, ubi hoſpitalitatem commendat, quod per eam quidam patrum inſcii angelos exceperint, non dubium quin de Abraham & Lot intelligat. Vides illos initio ignoraſſe eſſe Angelos. Inconſideratè ergò nimium vulgò ex hoc loco dici ſolet, quod Abraham tres viderit, unum adorarit, quaſi unitatem in trinitate agnoverit, quia adorandi verbum hic ut mox dicetur ad ſalutationem externam non internam eſt referendum, quod illi non adverterunt. Duo ex his Angelis qui viri dicuntur, Sodomam pergunt, relicto uno cum Abrahamo, qui tamen vocabitur Dominus, apud quem Abraham pro Sodomis intercedit. Sed nomen Domini Angelo tribuitur qui illius erat Legatus, & in illo Abraham Dominum qui illum miſerat, agnoſcit & compellat, ſicut & ſupra 16. cap. Hagar Dei nomen Angelo à ſe conſpecto tribuit, quod in illo Dei præſentiam cognoſceret, ut & de Manoë, & ejus uxore in Iudic. 13. dicitur, Dominum vidimus cum Angelus eſſet. Haud dubiè Domini præſentiam in Angelo cognoverunt. Veteres putarunt Chriſtum fuiſſe, qui præludens humanitati quondam à ſe aſſumendæ, interim per diſpenſationem humana figura apparuerit patribus ad tempus. Quod ego etſi alibi prorſus nolim rejicere, (quanquam malim totam fuiſſe divinitatem qua corpus aſſumpſerit interdum, ut familiarius cum patribus*

V 2

tribus ageret &c.) hic tamen Chriſtus non potuit eſſe unus ex illis tribus, ut quidam noſtrorum putarunt quem inter tres compellàrit Abraham, ut egregiè tam Auguſtinus quàm Euchertus confutant; quià cum ex tribus Angelis unus cum Abrahamo remanſerit, duo ſint profecti Sodoma, illos duos Lot interdum compellat ſingulariter, colligunt unum illum quem compellat Abraham, eſſe Chriſtum, erit ergò & Chriſtus is, quem ex duobus compellat Lot. Id alienum eſt, corpus hominis duobus locis conſtituere, ut Chriſtus homo duobus ſimul fuerit. Sed quid ad ea ſit dicendum cur plures ſingulariter illi compellarint, infra dicemus. Ad verſum tertium Mercerus ita commentatur: Hic ſcribitur, inquit, Adonai nomen, quod in ſcriptura Deo ſolet attribui & per Kamets etiam, ut ſolet ſcribi de Deo: unde videntur Hebræi, qui puncta adjecerunt, putaſſe, quod Abraham eos agnoverit eſſe angelos, quod de nomine mittentis eos Domini appellet; unicum alloquens, cujus illi ſcilicet legationem obirent, & tum ארני eſſet ſanctum. Alii profanum eſſe volunt licet per Kamets ſcribatur, quod quidem alibi non invenias. Infra quidem cap. ſeq. in Lot rurſum Adonai invenias homini dici & profanum eſſe, ſed per pathach, quod alias non fit, ſunt & qui hic per pathach legunt, ſed repugnant exemplaria. Quidam illorum inquiunt infra per Camets poni de profano, ubi Lot loquitur ob ſoph-paſuc. Omnino autem hic profanum eſſe neceſſe eſt, quia Abraham eos non agnovit angelos nec dominum ex ſe. Verum Hebræi, quia in illis erat Dominus eos mittens, per Camets non deſierunt ſcribere. Interim perinde eſt ac ſi dixiſſet Adonai per pathach, quod ita efferri ſolet, ubi homo compellatur ut differat à nomine Domini, quod per Camets ſcribitur dignitatis cauſa, pro pathach, ut inquiunt; quod camets dignitatem quandam oſtendat, ut hic Behai & R. Iſaac Carus docent fuſius, multa de punctis & literis notatu digna afferentes, ut infra eod. cap. Sara vocat Abraham ארני. Alioqui ארני per pathac aut Camets ſub נ ſonat Domini mei, id eſt Domine mi: quia etiam de domino profano loquuntur ſingulariter, ארנים קשה, ut initio hujus libri dixi in dictione אלהים. Sed quum tres ſint, quomodo unum tantum compellat? Inde ſatis leviter noſtri, ut ſupra dixi, unitatem in trinitate perſonarum colligunt, quod jam confutavi. Quid ergò dicemus? Vel juxta Ramban tres alloquens, unumquemque eorum, ut in lingua fieri ſolet, compellat, vel ad eorum unumquemque ſigillatim ita locutus eſt, vel, quod magis cum aliis probarim, inter illos tres unum inſigniorem animadvertit aut putavit omnium maximum ut plane facturi eſſent quod ille faceret; ſi prateriiſſet, prateritur i, ſi remanſiſſet, remanſuri. Muſculus etiam putavit angelos illos tres creatos angelos fuiſſe nec inter illos Chriſtum. Concedimus illi, quod illud argumentum ab appellatione, in qua eſt nomen ארני ſit nullius momenti, ſed ſunt alia, de quibus poſteà. Auguſtini ſententiam merito reiicit. At malè reiicit ſententiam Tertulliani. Auguſtinus in hunc modum lib. de civit. Dei 16. cap. 29. ſcribit: Item Deus apparuit Abrahæ ad quercum Mambræ in tribus viris, quod dubitandum non eſt angelos fuiſſe, quamvis quidam exiſtiment unum ex eis fuiſſe Dominum Chriſtum, aſſerentes eum etiam ante indumentum carnis fuiſſe viſibilem. Eſſe quidem Divinæ poteſtatis & inviſibilis incorporalis, incummutabiliſque naturæ, ſine ulla ſui mutatione etiam mortalibus aſpectibus apparere: non per id quod eſt, ſed per aliquid, quod ſibi ſubditum eſt. Quid autem illi ſubditum non eſt? Veruntamen ſi propterea confirmant horum trium aliquem fuiſſe Chriſtum: quia cum tres vidiſſet, ad Dominum ſingulariter eſt locutus, ſic enim ſcriptum eſt? Et ecce tres viri ſtabant ſuper eum, & videns procurrit obviam illis ab oſtio tabernaculi ſui, & adoravit ſuper terram, & dixit: Domine, ſi inveni gratiam ante te, & catera, cur non etiam illud advertunt duo ex eis veniſſe, ut Sodomitæ delerentur,

eum

cum adhuc Abraham ad unum loqueretur Dominum appellans, & intercedens: ne ſimul juſtum cum impio in Sodomis perderet? Illos autem duos ſic ſuſcipit Loth, ut etiam ipſe in colloquio ſuo cum illis ſingulariter Dominum appellaret. Nam cum eis pluraliter dixiſſet: Ecce domini declinate in domum pueri veſtri: & cætera quæ ibi dicuntur: poſtea tamen ita legitur: Et tenuerunt angeli manum ejus & manum uxoris ejus, & duarum filiarum ejus, in eo quod Dominus parceret illi. Et factum eſt mox ut eduxerunt illum foras, & dixerunt: Salvam fac animam tuam; ne reſpexeris retro, nec ſteteris in tota regione: in monte ſalvum te fac ne quando comprehendaris. Dixit autem Loth ad illos: Oro Domine, quia invenit puer tuus miſericordiam ante te: & quæ ſequuntur. Deinde poſt hæc verba ſingulariter illi reſpondit Dominus, cum in duobus Angelis eſſet, dicens: Ecce miſertus ſum faciem tuam, & cætera. Unde multò eſt credibilius, quod & Abraham in tribus, & Loth in duobus viris Dominum agnoſcebant, cui per ſingularem numerum loquebantur, etiam cum eos homines eſſe arbitrarentur. Neque enim aliam ob cauſam ſic eos ſuſceperunt, ut tanquam mortalibus humana refectione indigentibus miniſtrarent: Sed erat profecto aliquid, quo ita excellebant, licet tanquam homines, ut in eis eſſe Dominum, ſicut eſſe aſſolet in Prophetis, hi qui hoſpitalitatem illis exhibebant, dubitare non poſſent: atque ideò & ipſos aliquando pluraliter, ut dominos aliquando ſingulariter ut in eis Dominum appellabant. Angelos autem fuiſſe Scriptura teſtatur, nec ſolum in hoc Geneſis libro ubi hæc geſta narrantur, verumetiam in epiſtola ad Hebræos, ubi cum hoſpitalitas laudaretur: per hanc, inquit, etiam quidam neſcientes hoſpitio receperunt angelos. Per illos igitur tres viros, cum rurſus filius Iſaac de Sara promitteretur Abrahæ divinitus datum eſt etiam tale reſponſum ut diceretur: Abraham erit in magnam gentem & multam, & benedicentur in eo omnes gentes terræ. Et hic duo illa breviſſimè pleniſſiméque promiſſa ſunt, gens Iſraël ſecundum carnem, & omnes gentes ſecundum fidem.
Tertullianus de iſtis angelis ita diſſeruit libro de trinitate in conſequentia ad illa quæ ſuperius allegavimus: *Adhuc adjicit Moyſes, Abrahæ viſum Deum apud quercum Mambræ ſedente ipſo ad oſtium tabernaculi ſui meridie. Et nihilominus cum tres conſpexiſſet viros, unum ex illis Dominum nuncupaſſe: quorum cum pedes laviſſet, cineritios panes cum butyro, & ipſius copia lactis offert, & ut hoſpites retenti veſcerentur, hortatur. Poſt quæ & quod pater futurus eſt eſſet, audit: & quod Sarra uxor ejus paritura ex ipſo filium eſſet, ediſcit: & de exitu Sodomitarum, quæ merebantur pati, recognoſcit: & quod propter clamorem Sodomorum Deus deſcendiſſet, addiſcit. Quo in loco ſi patrem volunt videri tunc fuiſſe, cum angelis duobus hoſpitio receptum, patrem viſibilem hæretici crediderunt. Si autem Angelum, cum ex Angelis tribus unus Dominus nuncupatur, cur quod non ſolet; angelus Deus dicitur: niſi quoniam ut Deo patri inviſibilitas propria reddatur, & angelo propria mediocritas remittatur, non niſi Dei filius qui & Deus eſt, Abrahæ viſus & hoſpitio receptus eſſe credetur. Quod enim erat futurus meditabatur in ſacramento Abrahæ factus hoſpes apud Abrahæ filios futurus: cujus filiorum pedes ad probationem quod ipſe eſſet, abluit, reddens in filiis jus hoſpitalitatis, quod aliquando illi fœneraverat pater. Unde & ne qua eſſet dubitatio quin iſte Abrahæ hoſpes fuiſſet, in Sodomitarum exitu ponitur: quoniam pluit, Deus ſuper Sodomam, & Gomorram ignem, & ſulphur à Domino de cœlo. Sic enim & Prophetes ex perſona Dei: Subverti vos (inquit) ſicut ſubvertit Deus Sodomam, & Gomorram. Dominus ergò Sodomam ſubvertit, id eſt, Deus Sodomam ſubvertit: ſed in ſubverſione Sodomorum Dominus pluit ignem à Domino. Hic autem Dominus viſus eſt Abrahæ Deus: Deus autem hic hoſpes eſt Abrahæ, viſus utique quia tactus: ſed cum pater qua inviſibilis, nec tunc utique viſus ſit,*

viſus eſt, & hoſpitibus receptus, & acceptus eſt, quia ſolitus eſt tangi, & videri: hic autem filius Dei, Deus à Domino pluit ſuper Sodomam & Gomorram ſulphur atque ignem. Hic autem Dei verbum eſt: verbum Dei caro factum eſt, & habitavit in nobis. Hic autem Chriſtus eſt, non pater: igitur apud Abraham hoſpes, ſed Chriſtus fuit, nec tunc pater viſus eſt, ſed filius, viſus autem eſt Chriſtus. Merito igitur Chriſtus, & Dominus & Deus eſt, qui non aliter Abrahæ viſus eſt, niſi quia ante ipſum Abraham ex patre Deo, Deus ſermo generatus eſt. Adhuc, inquit, idem Angelus & Deus eandem Agar fugatam de domo Abrahæ cum puero conſolatur, & viſitat. Nam cum illa in ſolitudine expoſuiſſet infantem, quia aqua defeciſſet ex utre, cumque puer ille clamaſſet, fletum & planctum levaſſet, & audivit (inquit Scriptura) Deus vocem pueri de loco ubi erat. Cum Deum eſſe qui vocem infantis audivit retuliſſet, adjecit: & vocavit Angelus Domini ipſam Agar de cælo, angelum referens eſſe quem Deum dixerat, & Dominum pronuntians eſſe quem angelum conlocarat, quinque angelus & Deus adhuc ipſi Agar promittit majora ſolatia, dicendo: Ne timueris, exaudivi enim vocem pueri de loco ubi erat. Surge, ſume puerum, & tene: in gentem enim magnam faciam eum. Hic angelus, ſi angelus tantum eſt, cur hoc ſibi vendicat ut dicat: In gentem enim magnam faciam eum: cum hoc utique genus potentiæ Dei ſit, angeli eſſe non poſſit? Ex quo etiam confirmatur Deus eſſe qui hoc poteſt facere: quoniam ut hoc ipſum comprobetur, adjicitur per Scripturam ſtatim: & aperuit Deus oculos ejus, & vidit puteum aquæ vivæ, & abiit, & implevit utrem de puteo, & dedit puero, & erat Deus cum puero. Si ergò hic Deus erat cum puero qui aperuit oculos Agar, ut videret puteum aquæ vivæ, & hauriret aquam propter urgentem ſitis neceſſitatem: hic autem Deus è cælo illam vocat angelus dictus: cum ſuperius vocem audiens clamantis pueri Deus eſſet potius, non alius intelligitur quam angelus eſſe pariter & Deus. Quod cum patri competens & conveniens eſſe non poſſit, qui tantummodo Deus eſt: competens autem poſſit eſſe Chriſto, qui non tantummodo Deus, ſed & angelus pronunciatus eſt, manifeſte apparet, non patrem ibi tunc loquutum fuiſſe ad Agar, ſed Chriſtum potius cum Deus ſit, cui etiam Angeli competit nomen: quippe cum magni conſilii angelus factus ſit: angelus autem ſit, dum exponit ſinum patris, ſicut Ioannes edicit. Sed enim ipſe Ioannes hunc eundem qui ſinum exponit patris, verbum dicit carnem factum eſſe, ut ſinum patris poſſit exponere: merito Chriſtus non ſolum homo eſt, ſed angelus, nec angelus tantum, ſed & Deus per Scripturas oſtenditur, & à nobis hoc eſſe creditur: ne ſi non Chriſtum tunc loquutum ad Agar voluerimus accipere, aut angelum Deum faciamus, aut Deum patrem omnipotentem inter angelos computemus. Juſtinus Martyr Dialogo adverſus Tryphonem: Μωσῆς οὖν ὁ μακάριος καὶ πιστὸς θεράπων θεοῦ μηνύων ὅτι ὁ ὀφθεὶς τῷ Ἀβραὰμ πρὸς τῇ δρυῒ τῇ Μαμβρῇ θεὸς, σὺν τοῖς ἅμα αὐτῷ ἐπὶ τὴν Σοδόμων κρίσιν πεμφθεῖσι δύο ἀγγέλοις ὑπὸ ἄλλου τοῦ ἐν τοῖς ὑπερουρανίοις ἀεὶ μένοντος καὶ οὐδενὶ ὀφθέντος, ἢ ὁμιλήσαντος δι' ἑαυτοῦ ποτὲ, ὃν ποιητὴν τῶν ὅλων καὶ πατέρα νοοῦμεν· οὕτω γάρ φησιν, Ὤφθη δὲ αὐτῷ ὁ θεὸς πρὸς τῇ δρυῒ τῇ Μαμβρῇ, καθημένου αὐτοῦ ἐπὶ τῇ θύρᾳ τῆς σκηνῆς, μεσημβρίας. ἀναβλέψας δὲ τοῖς ὀφθαλμοῖς εἶδε, καὶ ἰδοὺ τρεῖς ἄνδρες εἱστήκεισαν ἐπάνω αὐτοῦ· καὶ ἰδὼν συνέδραμεν εἰς συνάντησιν αὐτοῖς ἀπὸ τῆς θύρας τῆς σκηνῆς αὐτοῦ καὶ προσεκύνησεν ἐπὶ τὴν γῆν καὶ εἶπε καὶ τὰ λοιπὰ μέχρι τοῦ, Ὤρθρισε δὲ Ἀβραὰμ τῷ πρωῒ εἰς τὸν τόπον οὗ εἱστήκει ἐναντίον κυρίου, καὶ ἐπέβλεψεν ἐπὶ πρόσωπον Σοδόμων καὶ Γομόρρας καὶ ἐπὶ πρόσωπον τῆς γῆς τῆς περιχώρου καὶ εἶδε καὶ ἰδοὺ ἀνέβαινε φλὸξ ἐκ τῆς γῆς ὡσεὶ ἀτμὶς καμίνου. Καὶ παυσάμενος λοιπὸν τοῦ λέγειν ἐπυθόμην αὐτῶν εἰ συνενοήκεισαν τὰ εἰρημένα. Juſtinus diſputans cum Tryphone & ejus ſodalibus Judæis de pluribus in Deo perſonis, quod ex hac hiſtoria voluit demonſtrare, prælegebat partim & partim oſtendebat totum caput decimum octavum Geneſeos & hinc decimum nonum uſque ad v. 29. Tum interrogat

Judæos an dicta ſeu recitata intellexiſſent. Hinc jam: Οἱ δὲ ἔφασαν νενοηκέναι μὲν, μηδὲν δὲ ἔχειν εἰς ἀπόδειξιν τοὺς λελεγμένους λόγους, ὅτι Θεὸς ἢ κύριος ἄλλος τίς ἐστιν, ἢ λέλεκται ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος, παρὰ τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων. Κἀγὼ πάλιν, ἃ λέγω, πειράσομαι ὑμᾶς πεῖσαι νοήσαντας τὰς γραφὰς, ὅτι ἐστὶ καὶ λέγεται Θεὸς καὶ κύριος ἕτερος ὑπὲρ τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων, ὃς καὶ ἄγγελος καλεῖται, διὰ τὸ ἀγγέλλειν τοῖς ἀνθρώποις ὅσαπερ βούλεται αὐτοῖς ἀγγεῖλαι ὁ τῶν ὅλων ποιητὴς, ὑπὲρ ὃν ἄλλος Θεὸς οὐκ ἔστι. καὶ ἀνιστορῶν πάλιν τὰ προλεχθέντα, ἐπυθόμην τοῦ Τρύφωνος, δοκεῖ σοι ὀφθῆναι ὑπὸ τὴν δρῦν τὴν Μαμβρῆ ὁ Θεὸς τῷ Ἀβραὰμ, ὡς ὁ λόγος λέγει; Κἀκεῖνος, μάλιστα. Καὶ εἷς ἐκείνων ἦν τῶν τριῶν οὓς ἄνδρας ἑωρᾶσθαι τῷ Ἀβραὰμ τὸ ἅγιον προφητικὸν πνεῦμα λέγει; Κἀκεῖνος, οὔ, ἀλλὰ ὤφθη μὲν αὐτῷ ὁ Θεὸς πρὸ τῆς τῶν τριῶν ὀπτασίας, εἶτα οἱ τρεῖς ἐκεῖνοι οὓς ἄνδρας ὁ λόγος ὀνομάζει ἄγγελοι ἦσαν, δύο μὲν αὐτῶν πεμφθέντες ἐπὶ τὴν Σοδόμων ἀπώλειαν, εἷς δὲ εὐαγγελιζόμενος τῇ Σάρρᾳ ὅτι τέκνον ἕξει, ἐφ' ᾧ ἐπέπεμπτο, καὶ ἀπαρτίσας ἀπήλλακτο. Πῶς οὖν, εἶπον, ὁ εἷς τῶν τριῶν γενόμενος ἐν τῇ σκηνῇ, ὁ καὶ εἰπὼν, Εἰς ὥρας ἀνακάμψω πρός σε, καὶ τῇ Σάρρᾳ υἱὸς γενήσεται, φαίνεται ἐπανελθὼν γενομένου τῇ Σάρρᾳ υἱοῦ, καὶ Θεὸν αὐτὸν ὄντα ὁ προφητικὸς λόγος κἀκεῖ σημαίνει. ἵνα δὲ φανερὸν ὑμῖν γένηται ὃ λέγω, ἀκούσατε τῶν ὑπὸ Μωσέως διαῤῥήδην εἰρημένων· ἔστι δὲ ταῦτα, Ἰδοῦσα δὲ Σάρρα τὸν υἱὸν Ἄγαρ τῆς παιδίσκης τῆς Αἰγυπτίας, ὃς ἐγένετο τῷ Ἀβραὰμ, παίζοντα μετὰ Ἰσαὰκ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς, εἶπε τῷ Ἀβραὰμ, ἔκβαλε τὴν παιδίσκην ταύτην καὶ τὸν υἱὸν αὐτῆς· οὐ γὰρ κληρονομήσει ὁ υἱὸς τῆς παιδίσκης ταύτης μετὰ τοῦ υἱοῦ μου Ἰσαάκ. σκληρὸν δὲ ἐφάνη τὸ ῥῆμα σφόδρα ἐναντίον Ἀβραὰμ, περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. εἶπε δὲ ὁ Θεὸς τῷ Ἀβραὰμ μὴ σκληρὸν ἔστω ἐναντίον σου περὶ τοῦ παιδίου καὶ περὶ τῆς παιδίσκης· πάντα ὅσα ἂν εἴπῃ σοι Σάρρα, ἄκουε τῆς φωνῆς αὐτῆς, ὅτι ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα. Νενοήκατε οὖν ὅτι ὁ εἰπὼν τότε ὑπὸ τὴν δρῦν ἐπαναστρέψαι, ὡς προηπίστατο ἀναγκαῖον εἶναι τῷ Ἀβραὰμ συμβουλεῦσαι ἅπερ ἐβούλετο αὐτὸν Σάρρα, ἐπανελήλυθεν ὡς γέγραπται, καὶ Θεός ἐστιν ὡς οἱ λόγοι σημαίνουσιν οὕτως εἰρημένοι, Εἶπε δὲ ὁ Θεὸς τῷ Ἀβραὰμ μὴ σκληρὸν ἔστω ἐναντίον σου περὶ τοῦ παιδίου καὶ περὶ τῆς παιδίσκης; ἐπυνθανόμην. Καὶ ὁ Τρύφων ἔφη, μάλιστα· οὐκ ἐκ τούτου δὲ ἀπέδειξας ὅτι ἄλλος ἐστὶν ὁ Θεὸς παρὰ τοῦτον τὸν ὀφθέντα τῷ Ἀβραὰμ, ὃς καὶ τοῖς ἄλλοις πατριάρχαις καὶ προφήταις ὤφθη, ἀλλ' ἡμᾶς ἀπέδειξας οὐκ ὀρθῶς νενοηκότας, ὅτι οἱ τρεῖς οἱ ἐν τῇ σκηνῇ παρὰ τῷ Ἀβραὰμ γενόμενοι, ὅλοι ἄγγελοι ἦσαν. καὶ πάλιν ἐγὼ, εἰ οὖν καὶ ἀπὸ τῶν γραφῶν μὴ εἶχον ἀποδεῖξαι ὑμῖν, ὅτι εἷς τῶν τριῶν ἐκείνων καὶ ὁ Θεός ἐστι, καὶ ἄγγελος καλεῖται, ἐκ τοῦ ἀγγέλλειν ὡς προέφην ἅπερ βούλεται αὐτοῦ ὁ τῶν ὅλων ποιητὴς Θεὸς, τοῦτον τὸν ἐπὶ τῆς γῆς ἐν ἰδέᾳ ἀνδρὸς ὁμοίως τοῖς σὺν αὐτῷ παραγενομένοις δυσὶν ἀγγέλοις φαινόμενον τῷ Ἀβραὰμ, τὸν καὶ πρὸ ποιήσεως κόσμου ὄντα Θεὸν, τοῦτον νοεῖν ὑμᾶς εὔλογον ἦν, ὅπερ τὸ πᾶν ἔθνος ὑμῶν νοεῖ. Καὶ πάνυ, ἔφη. οὕτως γὰρ καὶ μέχρι τοῦ δεῦρο εὐχόμεθα. Κἀγὼ πάλιν εἶπον, ἐπὶ τὰς γραφὰς ἐπανελθὼν, πειράσομαι πεῖσαι ὑμᾶς, ὅτι οὗτος ὁ, τι τῷ Ἀβραὰμ, καὶ τῷ Ἰακὼβ, καὶ τῷ Μωσεῖ ὦφθαι λεγόμενος Θεὸς, ἕτερός ἐστι τοῦ τὰ πάντα ποιήσαντος Θεοῦ, ἀριθμῷ λέγω, ἀλλὰ οὐ γνώμῃ. Οὐδὲν γάρ φημι αὐτὸν πεπραχέναι ποτὲ, ἢ ἅπερ αὐτὸς ὁ τὸν κόσμον ποιήσας ὑπὲρ ὃν ἄλλος οὐκ ἔστι Θεὸς, βεβούληται καὶ πρᾶξαι καὶ ὁμιλῆσαι. Καὶ ὁ Τρύφων, ὅτι οὖν καὶ ἐστιν ἀπόδειξον ἤδη, ἵνα καὶ τούτῳ συνθώμεθα. οὐ γὰρ παρὰ γνώμην τοῦ ποιητοῦ τῶν ὅλων φάσκειν τι ἢ πεποιηκέναι αὐτὸν, ἢ λελαληκέναι λέγειν σε ὑπολαμβάνομεν. Κἀγὼ εἶπον· ἡ γραφὴ οὖν ἡ προλελεγμένη παρ' ἐμοῦ τοῦτο φανερὸν ὑμῖν ποιήσει. ἔστι δὲ ταῦτα, Ὁ ἥλιος ἐξῆλθεν ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ Λὼτ εἰσῆλθεν εἰς Σηγώρ. καὶ ὁ κύριος ἔβρεξεν ἐπὶ Σόδομα θεῖον καὶ πῦρ παρὰ Κυρίου ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ κατέστρεψε τὰς πόλεις ταύτας, καὶ πᾶσαν τὴν περίοικον. Καὶ ὁ τέταρτος τῶν σὺν Τρύφωνι παραμεινάντων, ἔφη, ὃν οὖν ὁ λόγος διὰ Μωσέως τῶν δύο ἀγγέλων κατελθόντων εἰς Σόδομα, καὶ Κύριον ἕνα ὠνόμασε, παρὰ τοῦτον, καὶ τὸν Θεὸν αὐτὸν τὸν ὀφθέντα τῷ Ἀβραὰμ λέγειν ἀνάγκη.

Οὐ διὰ τοῦτο, ἔφην, μόνον. ὅπερ ἦν ἐκ παντὸς τρόπου ὁμολογεῖν ἔδει, ὅτι καὶ παρὰ τὸν νοούμενον ποιητὴν τῶν ὅλων ἄλλος τις κυριολογεῖται ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος οὐ μόνον δὲ διὰ Μωσέως, ἀλλὰ καὶ διὰ Δαβίδ. Καὶ γὰρ καὶ δι' ἐκείνου εἴρηται, λέγει ὁ κύριος τῷ

κυρίῳ

κυρίῳ μου, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου, ὡς προείρηκα. Καὶ πάλιν ἐν ἄλλοις λέγεις, Ὁ θρόνος σου ὁ θεὸς εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος· ῥάβδος εὐθύτητος ἡ ῥάβδος τῆς Βασιλείας σου· ἠγάπησας δικαιοσύνην, καὶ ἐμίσησας ἀνομίαν· διὰ τοῦτο ἔχρισέ σε ὁ θεὸς, ὁ θεός σου ἔλαιον ἀγαλλιάσεως παρὰ τοὺς μετόχους σου. Εἰ οὖν καὶ ἄλλον τινὰ θεολογεῖν καὶ κυριολογεῖν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον φατὲ ὑμεῖς παρὰ τὸν πατέρα τῶν ὅλων καὶ τὸν χριστὸν αὐτοῦ, ἀποκρίνασθέ μοι, ἐμοῦ διαδεῖξαι ὑμῖν ὑπισχνουμένου ἀπ' αὐτῶν τῶν γραφῶν, ὅτι οὐχ εἷς τῶν δύο ἀγγέλων τῶν κατελθόντων εἰς Σόδομα ἐστὶν ὃν ἔφη ἡ γραφὴ κύριον, ἀλλ' ἐκεῖνον τὸν σὺν αὐτοῖς καὶ θεὸν λεγόμενον ὀφθέντα τῷ Ἀβραάμ.

Καὶ ὁ Τρύφων, ἀποδείκνυε· καὶ γὰρ ὡς ὁρᾷς, ἤτι ἡμέρα προκόπτει, καὶ ὑμεῖς πρὸς τὰς οὕτως ἐπικινδύνους ἀποκρίσεις οὐκ ἐσμὲν ἕτοιμοι, ἐπειδὰν οὐδενὸς οὐδέποτε ταῦτα ἐρευνῶντος, ἢ ζητοῦντος, ἢ ἀποδεικνύντος ἀκηκόαμεν· Καί σου λέγοντος οὐκ ἂν ἠνεσχόμεθα, εἰ μὴ πάντα ἐπὶ τὰς γραφὰς ἀνῆγες· ἐξ αὐτῶν γὰρ τὰς ἀποδείξεις ποιεῖσθαι σπουδάζεις, καὶ μηδένα ὑπὲρ τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων εἶναι θεὸν ἀποφαίνῃ.

Κἀγὼ, ἐπίστασθε οὖν, ἔφην, ὅτι ἡ γραφὴ λέγει, καὶ εἶπε κύριος πρὸς Ἀβραάμ, τί ὅτι ἐγέλασε Σάρρα λέγουσα, ἆρά γε ἀληθῶς τέξομαι· ἐγὼ δὲ γεγήρακα· μὴ ἀδυνατεῖ παρὰ τῷ θεῷ ῥῆμα; εἰς τὸν καιρὸν τοῦτον ἀναστρέψω πρὸς σὲ εἰς ὥρας, καὶ τῇ Σάρρᾳ υἱὸς ἔσται. καὶ μετὰ μικρὸν, Ἐξαναστάντες δὲ ἐκεῖθεν οἱ ἄνδρες, κατέβλεψαν ἐπὶ πρόσωπον Σοδόμων καὶ Γομόρρας· Ἀβραὰμ δὲ συνεπορεύετο μετ' αὐτῶν συμπέμπων αὐτούς. Ὁ δὲ κύριος εἶπεν, οὐ μὴ κρύψω ἐγὼ ἀπὸ Ἀβραὰμ τοῦ παιδός μου ἃ ἐγὼ ποιῶ. Καὶ μετ' ὀλίγον πάλιν οὕτως φησὶν, Εἶπε κύριος, κραυγὴ Σοδόμων καὶ Γομόρρας πεπλήθυνται, καὶ αἱ ἁμαρτίαι αὐτῶν μεγάλαι σφόδρα· καταβὰς οὖν ὄψομαι εἰ κατὰ τὴν κραυγὴν αὐτῶν τὴν ἐρχομένην πρὸς με συντελοῦνται· εἰ δὲ μή, ἵνα γνῶ. Καὶ ἀποστρέψαντες οἱ ἄνδρες ἐκεῖθεν, ἦλθον εἰς Σόδομα. Ἀβραὰμ δὲ ἦν ἑστηκὼς ἔναντι κυρίου, καὶ ἐγγίσας Ἀβραὰμ εἶπε, μὴ συναπολέσῃς δίκαιον μετὰ ἀσεβοῦς; καὶ τὰ ἑξῆς. οὐ γὰρ γράφειν πάλιν τὰ αὐτὰ τῶν πάντων προγεγραμμένων δοκεῖ μοι, ἀλλ' ἐκεῖνα δι' ὧν καὶ τὴν ἀπόδειξιν τῷ Τρύφωνι καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ πεποίημαι, λέγειν ἀναγκαῖον. Τότε οὖν ἦλθον ἑξῆς, ἐν οἷς λέλεκται ταῦτα, Ἀπῆλθε δὲ κύριος ὡς ἐπαύσατο λαλῶν τῷ Ἀβραάμ, καὶ ἀπῆλθεν εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ· ἦλθον δὲ οἱ δύο ἄγγελοι εἰς Σόδομα ἑσπέρας. Λὼτ δὲ ἐκάθητο παρὰ τὴν πύλην Σοδόμων καὶ τὰ ἑξῆς ὁμοίως μέχρι τοῦ, Ἐκτείναντες δὲ οἱ ἄνδρες τὰς χεῖρας, ἐπεσπάσαντο τὸν Λὼτ πρὸς ἑαυτοὺς εἰς τὸν οἶκον. καὶ τὴν θύραν τοῦ οἴκου προσέκλεισαν. καὶ τὰ ἑπόμενα μέχρι τοῦ, καὶ ἐκράτησαν οἱ ἄγγελοι τῆς χειρὸς αὐτοῦ, καὶ τῆς χειρὸς τῆς γυναικὸς αὐτοῦ, καὶ τῶν χειρῶν τῶν θυγατέρων αὐτοῦ ἐν τῷ φείσασθαι κύριον αὐτοῦ. Καὶ ἐγένετο ἡνίκα ἐξήγαγον αὐτοὺς ἔξω, καὶ εἶπον, σῶζε τὴν σεαυτοῦ ψυχήν, μὴ περιβλέψῃ εἰς τὰ ὀπίσω, μήδε στῇς ἐν πάσῃ τῇ περιχώρῳ· εἰς τὸ ὄρος, σῶζου, μήποτε συμπαραληφθῇς· εἶπε δὲ Λὼτ πρὸς αὐτοὺς, δέομαι κύριε. ἐπειδὰν εὗρεν ὁ παῖς σου ἔλεος ἐναντίον σου, καὶ ἐμεγάλυνας τὴν δικαιοσύνην σου, ὃ ποιεῖς ἐπ' ἐμὲ τοῦ ζῆν τὴν ψυχήν μου· ἐγὼ δὲ οὐ δύναμαι διασωθῆναι εἰς τὸ ὄρος μὴ καταλάβῃ με τὰ κακὰ καὶ ἀποθάνω· ἰδοὺ ἡ πόλις αὕτη ἐγγὺς τοῦ καταφυγεῖν ἐστὶν ἐκεῖ μικρά, ἐκεῖ σωθήσομαι, ὡς μικρά ἐστι, καὶ ζήσεται ἡ ψυχή μου. καὶ εἶπεν αὐτῷ, ἰδοὺ ἐθαύμασά σου τὸ πρόσωπον, καὶ ἐπὶ τῷ ῥήματι τούτῳ τοῦ μὴ καταστρέψαι τὴν πόλιν περὶ ἧς ἐλάλησας· σπεῦσον τοῦ σωθῆναι ἐκεῖ. οὐ γὰρ δυνήσομαι ποιῆσαι πρᾶγμα ἕως τοῦ εἰσελθεῖν σε ἐκεῖ· διὰ τοῦτο ἐκάλεσε τὸ ὄνομα τῆς πόλεως Σηγώρ. Ὁ ἥλιος ἐξῆλθεν ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ Λὼτ εἰσῆλθεν εἰς Σηγώρ· καὶ ὁ κύριος ἔβρεξεν εἰς Σόδομα καὶ Γομόρρα θεῖον καὶ πῦρ παρὰ κυρίου ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. καὶ κατέστρεψε τὰς πόλεις ταύτας, καὶ πᾶσαν τὴν περίοικον. Καὶ πάλιν πεπαυμένος ἐπέφερον. καὶ νῦν οὐ νενοήκατε φίλοι, ὅτι ὁ εἷς τῶν τριῶν ὁ καὶ θεὸς καὶ κύριος τῷ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ὑπηρετῶν, κύριος τῶν δύο ἀγγέλων; προσελθόντων γὰρ αὐτῶν εἰς Σόδομα, αὐτὸς ὑπολειφθεὶς προσωμίλει τῷ Ἀβραὰμ τὰ ἀναγεγραμμένα ὑπὸ Μωσέως· οὗ καὶ αὐτοῦ, ἀπελθόντος μετὰ τὰς ὁμιλίας, Ὁ Ἀβραὰμ ὑπέστρεψεν εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ. οὗ ἐλθόντος, οὐκέτι δύο ἄγγελοι ὁμιλοῦσι τῷ Λὼτ, ἀλλ' αὐτός, ὡς ὁ λόγος δηλοῖ, καὶ κύριός ἐστι, παρὰ κυρίου τοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ, τουτέστι τοῦ ποιητοῦ τῶν ὅλων, λαβὼν τὸ ταῦτα ἐπενεγκεῖν Σοδόμοις καὶ Γομόρροις, ἅπερ ὁ λόγος καταριθμεῖ, οὕτως εἰπών, κύριος ἔβρεξεν ἐπὶ Σόδομα

καὶ

καὶ Γόμοῤῥα θεῖον ϗ πῦρ παρὰ κυρίου ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Quidam arbitrantur angelos illos fuiſſe prophetas, nempe ex illorum temporum prophetis, ut fuerunt Sem Eber & alii. In hac ſententia fuit Ralbag (ר"ל) וישא עיניו וירא׳ *Vult dicere, Et jam ſuſtulerat oculos ſuos antehac & vidit tres viros & illi erant propheta* (כאלו תאמר) *quales fuerunt* [ac ſi dicas] *Sem & Eber.* Dicit vocatos eſſe angelos apud Lot non apud Abraham, quia apud Abraham appellantur viri. Rationemque affert, quia non ſint miſſi ad Abrahamum. Cur autem? כי היה נביא הוא quia ipſe propheta erat: Nempe ad prophetam non ſolebat mitti propheta. Id etiam liquere, quia id quod notificant de negotio partus Saræ היתה בשורה טובה לשרה לא לאברהם fuit bonum nuntium Saræ non Abrahamo. Ideo ad Abrahamum dixiſſe, antequam hoc proponerent, *ubi eſt Sara uxor tua*, quia ad eam erant iſta verba. *Porrò apud Abrahamum non erant digni ut vocarentur angeli:* לפי שלא הגיעה להם הנבואה פעמים רבות עד שיהיה ראוי שיתוארו אצל אברהם בשהם מלאכים וזה כי אברהם לגדל מעלתו הגיע לו הנבואה פעמים רבות׳ ולזה לא יתכן שיתואר אצלו הנביא בשהוא מלאך אם לא הגיע לו הנבואה פעמים רבות כמו שלא יאמר באדם שהוא עבד פלוני לפני שעבד אותו פעם אחת או שתי׳ אבל יאמר בו שכבר עבר אותו ואולם יתואר בשהוא עבדו בשעבד אותו תמיד · ואולם אצל לוט שלא הגיעה לו הנבואה כלל יתואר הנביא בשהוא מלאך אם לא הגיע לו הנבואה פעמים רבות כי אם פעם אחת או שתי׳ *Secundum quod non attigerat eos prophetia multis vicibus, donec eſſet conveniens ut denominarentur apud Abraham, angelorum forma & hoc quia Abraham ob majeſtatem ſua excellentia ſæpius attigiſſet prophetia. Ideo non quadrat ut denominaretur apud eum propheta ab angeli forma, niſi attigiſſet ipſum prophetia ſæpius: ſicuti non dicitur de homine, quod ſit ſervus τοῦ N. propterea quod miniſtraverit ipſi ſemel aut bis, ſed dicetur de eo, qui olim ſervierit ipſi: Et verè denominabitur in eo ſervus quando ſervierit ei jugiter. Et profectò apud Lot, quem omnino non attigerat prophetia, denominatur propheta in forma angeli: ſi non attigerit ipſum prophetia ſæpius, etſi ſemel aut bis.* Judæi, qui diligenter conſiderant verba, quum Spiritu vertiginis agantur, inanes ſpeculationes eruunt. Moſes angelos illos prius vocavit *viros*, deinde in progreſſu hiſtoriæ, ubi de Loto agitur, vocat *angelos*; hinc eruunt dignitatem Abrahæ ſupra Lotum. Nempe apud Abrahamum hoc nomine indignos fuiſſe, quia major ipſis eſſet Abraham. Nam Abrahamum ſæpius prophetia fuiſſe correptum, hos non item. Neminem alicujus ſervum dici, niſi qui jugiter ſerviat; non dici, qui ſemel atque iterum. Sic nuntium Dei non vocari, qui ſemel atque iterum miſſus fuerit per prophetiam. Attamen apud hominem, cui nunquam aut ſemel tantum iterumque prophetia contigerit, prophetam unius correptionis angeli dignationem & nomen accipere. Lotum nullam aut vix ullam prophetiam habuiſſe. Nos dicimus loqui ad faciem, quæ viſa eſt Abrahamo, deinde ex rei proprietate. Progreditur à rei externa ſimilitudine ad veritatem. Quemadmodum primò Deum inter viros involutum poſteà evolvit, ita poſt aſſumptæ ſpeciei aſſimilationem angelorum naturam propriam oſtendit. Apud Abrahamum eos primò videntem proponit, quòd Abrahamo apparuerat: Non potuerunt eſſe homines, qui Pentapolin ignibus è cælo demiſſis combuſſerunt. Ejuſmodi negotium & opus homini demandari non poteſt. Quod dicit ad Abraham non eſſe miſſos iſtos ſed ad Saram, falſum eſt. Aben-eſdra tamen illius ſententiam non impugnat: ומפרשים אחרים אמרו כי אלו׳ג׳ אנשים נביאים היו ואם טען טוען והלא אברהם נביא היה ואיך בא נביא אל נביא רק אם היה הגדול ממנו בנבואה כמו משה ואהרון ותשובתם שלו באו לאברהם רק לשרה וכן אמרו איה שרה אשתך והשנים הלכו אל סדום ואל׳ תתמה על מלת כי משחיתים אנחנו כי כן כתוב

ומשה ואהרן עשו את כל המופתים והשם עשאם וסמכם אליהם בעבור שנעשו עליהם:

Interpretes alii dicunt quod hi tres viri propheta fuerint : quod ſi aliquis objiciat, Nonne Abraham propheta & quomodo venit propheta ad prophetam, duntaxat, ſi ſit major eo in prophetia, ut Moſes & Aaron? Reſponſio eorum eſt, quod non venerint ad Abraham, ſed tantum ad Saram. Et ne mireris ſuper dicto, quia nos perditumimus. Nam ſic ſcriptum eſt, Et Moſe & Aaron fecerunt omnia prodigia, cum Deus illa fecerit & retulerit ea ad ipſos, quia facta ipſorum miniſterio. Nos dicimus longe diverſam eſſe rationem, quia homines, quando ejuſmodi prodigia faciunt, precibus, verborum imprecationibus, extenſa manu aut baculo indicium ſolummodo faciunt rei faciendæ, ipſi quieſcentes; hic autem angeli immediatè faciunt, ſine ejuſmodi interveniente ſigno. Quæ videtur eſſe diſtinctio inter miracula hominum miniſterio facta & illa quæ facta ſunt miniſterio angelorum. Quod Aben-eſdras diſcernat inter miracula perdentia & procreantia nihil eſt, quia ejuſmodi perditio, quæ fit ſupra naturæ ordinem, æqualis magnitudinis eſt cum generatione. Hi angeli operantur ipſi majora quam pro humano modo. Lotum eripiunt è manibus multitudinis, ſævientis & concitatæ, conſtituunt eum cum uxore & filiabus extra urbem. Ipſi ſe in perdenda regione ut cooperantes vi ſua cauſas ſiſtunt geruntque. Hinc communis apud Judæos expoſitio tenet angelos fuiſſe.

Secunda igitur ſententia eſt, angelos illos omnes fuiſſe angelos creatos. ita Judæi & quidam alii. Judæi è Gematria docent angelorum iſtorum nomina fuiſſe Michaelem, Gabrielem, Raphaelem. Baal Turim:

והנה שלשה בגמטריא אלו מיכאל גבריאל רפאל:

Tertia opinio eſt eorum, qui in iſtis angelis viſam eſſe putarunt Trinitatem, ut ex Auguſtino intelleximus. Non putavit Auguſtinus angelos iſtos fuiſſe tres perſonas Trinitatis: ſed in illis numero tribus intimatam Trinitatem unius Dei. Illius ſenſum ſimelius & fuſius nobis velimus exhiberi, ſequentia legantur, lib. 2. de Trinit. cap. 10. & ſeq. 3. *Neque hic ergo evidenter apparet* (ſcil. Gen. 12; 7.) *Vtrum aliqua ex Trinitate perſona, an Deus ipſa Trinitas, de quo uno Deo dictum eſt*, Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies, *viſus ſit Abraha. Sub ilice autem Mambra, viros vidit, quibus & invitatis hoſpitioque ſuſceptis & epulantibus miniſtravit. Sic tamen ſcriptura illam rem geſtam narrare cœpit, ut non dicat viſi ſunt ei tres viri, ſed, viſus eſt ei Dominus. Atque inde conſequenter exponens, quomodo ei ſit viſus Dominus, contexit narrationem de tribus viris, quos Abraham per pluralem numerum invitat, ut hoſpitio ſuſcipiat, & poſteà ſingulariter ſicut unum alloquitur, & ſicut unus ei de Sara filium pollicetur, quem Dominum dicit ſcriptura, ſicut in ejuſdem narrationis exordio*, Viſus eſt, *inquit*, Dominus Abrahæ. *Invitat ergò & pedes lavat, & deducit abeuntes tanquam homines, loquitur autem tanquam cum Domino Deo, ſive cum ei promittitur filius, ſive cum ei Sodoma imminens interitus indicatur. Non parvam neque tranſitoriam conſiderationem poſtulat ille Scriptura locus. Si enim vir unus illi viſus fuiſſet, jam illi qui dicunt & priuſquam de virgine naſceretur per ſuam ſubſtantiam viſibilem filium, quid aliud quam ipſum eſſe clamarent, quoniam de Patre, inquiunt, dictum eſt Inviſibili ſoli Dei? Et tamen poſſem adhuc quærere, quomodo ante ſuſceptam carnem, habitu eſt inventus ut homo, quandoquidem ei pedes loti ſunt, & humanis epulis epulatus eſt? Quomodo iſtud fieri poterat: cum adhuc in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſſe æqualis Deo? Nunquid enim jam ſemetipſum exinanierat, formam ſervi accipiens, in ſimilitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo? quum hoc quando fecerit per partum virginis noverimus? Quomodo igitur antequam hoc feciſſet, ut vir unus apparuit Abrahæ? an illa*

forma

forma vera non erat? Poſſem iſta quærere, ſi vir unus apparuiſſet Abrahæ, idemque Dei filius crederetur. Cum verò tres viri viſi ſunt, nec quiſquam in eis vel forma vel ætate vel poteſtate major cæteris dictus eſt, cur non hic accipiamus viſibilem Trinitatis æqualitatem, atque in tribus Perſonis unam eandemque ſubſtantiam? Nam ne quiſquam putaret ſic intimatum unum in tribus fuiſſe majorem, & eum Dominum Dei filium intelligendum, duos autem alios angelos ejus, quia cum tres viſi ſint, uni Domino illic loquitur Abraham, ſancta ſcriptura futuris talibus cogitationibus atque opinionibus contradicendo non prætermiſit occurrere, quando paulo poſt duos angelos dicit veniſſe ad Loth, in quibus & ille vir juſtus qui de Sodomorum incendio meruit liberari, ad unum Dominum loquitur. Sic enim Scriptura ſequitur dicens, Abiit autem Dominus poſtquam ceſſavit loqui ad Abraham, & Abraham reverſus eſt ad locum ſuum. Venerunt autem duo angeli in Sodomis veſpere. *Hic attentius conſiderandum eſt, quod oſtendere inſtitui. Cum tribus certè loquebatur Abraham, & eum Dominum ſingulariter appellavit. Fortè, inquiet aliquis, unum ex tribus agnoſcebat Dominum, alios autem duos angelos ejus. Quid ſibi ergò vult, quod conſequenter dicit Scriptura*, Abiit autem Dominus poſtquam ceſſavit loquens ad Abraham, & Abraham reverſus eſt ad locum ſuum. Venerunt autem duo angeli in Sodomis veſpere. *An fortè ille unus abſceſſerat, qui Dominus agnoſcebatur in tribus, & duos angelos, qui cum illo venerant ad conſumendam Sodomam miſerat? Ergò ſequentia videamus.* Venerunt, inquit, duo angeli in Sodomis veſpere. Loth autem ſedebat ad portam Sodomorum. Et cum vidiſſet Loth ſurrexit in obviam illis, & adoravit in faciem ſuper terram & dixit, Ecce Domini, divertite in domum pueri veſtri. *Hic manifeſtum eſt & duos angelos fuiſſe, & in hoſpitium pluraliter invitatos, & honorificè appellatos Dominos, cum fortaſſe homines putarentur. Sed rurſum movet, quia niſi angeli Dei cognoſcerentur, non adoraret Loth in faciem ſuper terram. Cur ergò tanquam tali humanitate indigentibus, & hoſpitium præbetur & victus? Sed quodlibet hic lateat, illud nunc quod ſuſcepimus exequamur. Duo apparent, angeli ambo dicuntur, pluraliter invitantur. Tanquam cum duobus pluraliter loquitur donec exeatur è Sodomis. Deinde ſequitur Scriptura & dicit*, Et factum eſt poſtquam eduxit eos foras, dixerunt, Salvans ſalva animam tuam ne reſpexeris retrò neque ſtes in hac univerſa regione. In montem vade & ibi ſalvaberis, ne fortè comprehendaris. Dixit autem Loth ad eos, Rogo Domine, quoniam invenit puer tuus ante te miſericordiam &c. *Quid eſt hoc quod dixit ad eos, Rogo Domine, ſi jam ille diſceſſerat, qui Dominus erat, & angelos miſerat, Cur dicitur, Rogo Domine, & non rogo Domini? Aut ſi unum ex eis voluit appellare, Cur ait Scriptura*, Dixit autem Loth ad eos, Rogo Domine, quoniam invenit puer tuus ante te miſericordiam? *An hic intelligimus in plurali numero duas perſonas? Cum autem iidem duo tanquam unus compellantur, unius ſubſtantiæ unum Dominum Deum? Sed quas duas perſonas hic intelligimus? an Patris & filii, an Patris & Spiritus Sancti, an Filii & Spiritus Sancti? Hoc fortè congruentius quod ultimum dixi, miſſos enim ſe dixerunt, quod de filio & de Spiritu Sancto dicimus. Nam Patrem miſſum nuſquam Scripturarum nobis notitia occurrit.* Lib. 3. adverſus Maximinum epiſcopum cap. 26. *Viſum eſſe Deum Abrahæ negare non poſſumus. Scriptura quippe fideliſſima apertiſſimè hoc loquitur dicens*, Viſus eſt autem illi Deus ad quercum Mambræ. *Sed neque hic expreſſum eſt, utrum Pater an Filius, cum autem narraret ſcriptura, quomodo ei viſus ſit Deus, tres viros illi apparuiſſe declarat, in quibus magis ipſa Trinitas, quæ unus eſt Deus intelligi poteſt. Denique tres videt & non Dominos, ſed Dominum appellat, quoniam Trinitas tres quidem perſonæ ſunt, ſed unus Dominus*

Deus. Sic autem narratur quod vidit Abraham: Reſpiciens *inquit*, oculis ſuis vidit, & ecce tres viri ſtabant ſuper eum, & videns procurrit in obviam illis ab oſtio tabernaculi ſui & adoravit ſuper terram & dixit, Domine, ſi inveni gratiam ante te, ne prætereas ſervum tuum. *Hic videmus tres viros apparuiſſe, & unum Dominum Deum dici, unumque Dominum rogari ne prætereat ſervum ſuum, quoniam Deo congruit viſitare famulos ſuos. Deinde tres perſonas pluraliter alloquitur dicens*, Sumatur nunc aqua & lavem pedes veſtros, & refrigerate ſub arbore: & ſumam panem & manducate, & poſtea tranſibitis in viam veſtram, propter quod declinaſtis ad ſervum veſtrum. *Manifeſtum eſt eos tanquam homines invitari. Non enim tale illis præberetur obſequium, quo indigentia reficerent corpora, niſi homines putarentur: & Scriptura pluraliter eos reſpondiſſe commemorat, ait enim*, Et dixerunt, ſic fac quemadmodum dixiſti, *non ait, & dixit: ſed, dixerunt. Deinde cum eſſet parata refectio, dicit Scriptura*; Et appoſuit ante illos, & ederunt. *Non ait, appoſuit ante illum, & edit. Sed ubi ad id ventum eſt, ut Abrahæ filius promitteretur ex Sara, quia divinum offerebatur beneficium, non ut hominibus humanum exhibebatur obſequium, unum narrat Scriptura dicentem:* Ubi eſt Sara uxor tua? *Non, ait, Dixerunt autem ad illum,* Ubi eſt Sara uxor tua? *Quis autem hoc dixerit, poſtea manifeſtat, ubi cum riſiſſet Sara, ait eadem Scriptura, & dixit Dominus ad Abraham*, Quare riſit Sara in ſemetipſa? *Et cætera uſque in finem, & tanquam unus Dominus ſingulariter loquitur, ac poſt hæc, ut homines pluraliter abire narrantur: Et dicitur*, Exſurgentes autem inde viri, conſpexerunt in faciem Sodomorum & Gomorræ, Abraham verò ambulabat cum illis deducens. *Rurſus autem redit Scriptura ad ſingularem numerum, ac dicit*, Dominus autem dixit, nunquid celabo ego puero meo Abraham quæ ego facio? *Deinde promittitur Abrahæ præclara & copioſa poſteritas, & Sodomorum denuntiatur interitus, ſequens autem Scriptura dicit*, & converſi inde viri, venerunt in Sodoma, Abraham autem erat adhuc ſtans ante Dominum: & appropians Abraham dixit, Ne ſimul perdas juſtum cum impio: Et, erit juſtus tanquam impius. *Et poſt collocutionem Domini atque Abrahæ, ſequitur Scriptura & dicit*, Abiit autem Dominus & deſiit loqui ad Abraham. Et Abraam regreſſus eſt in locum ſuum. Venerunt autem duo angeli in Sodoma ad veſperam. *Hi ſunt de quibus paulo ante dixerat, converſi inde viri venerunt in Sodoma. Sed duos eſſe non expreſſerat, cum ab initio tres viros dixiſſet apparuiſſe Abrahæ, & hoſpitaliter ab illo eſſe ſuſceptos, quos & abeuntes deduxit, ambulans cum eis. Fortaſſis ergò jam pronuntiare feſtinans unum in eis Dominum Ieſum qui ſingulariter promittebat & reſpondebat Abrahæ, duos verò illos angelos, qui venerunt in Sodoma, tanquam miſſi angeli à Domino Deo ſuo? Sed expecta, quid properas? Conſideremus omnia diligenter, ac prius intueamur verba Domini loquentis Abrahæ*, Clamor Sodomorum, *inquit*, & Gomorræ multiplicatus eſt, & peccata eorum magna valdè. Deſcendens ergò videbo, ſi ſecundum clamorem ipſorum venientem ad me conſummant. *Hic ſe ipſum deſcenſurum dixit in Sodoma, quo abiit ut loqui deſiit ad Abraham, Abraham autem regreſſus eſt in locum ſuum.* Venerunt autem, *ſicut dictum eſt*, duo angeli ad veſperam in Sodoma. *Quid ſi & in illis duobus angelis unus Dominus invenitur, qui ſecundum verbum ſuum in ipſis angelis deſcendit in Sodoma? Nonne manifeſtum erit in tribus illis unum Dominum viſum fuiſſe, ubi quid aliud quam ipſa Trinitas figurata eſt? Sed videamus utrum nobis ſancta Scriptura demonſtret, etiam in illis angelis duobus ut dixi, unum Deum inventum, ne fortè hoc ex noſtro corde affirmare videamur.* Venerunt ergò duo angeli in Sodoma ad veſperam, Loth verò ſedebat, *ut ſcriptum eſt*, juxta portam Sodomorum. Videns autem

tem

tem Loth, ſurrexit in obviam illis, & adorauit in faciem in terram, *vides nempe hic à juſto viro angelos adoratos & tu non vis adorari Spiritum Sanctum, quem vos quoque omnibus angelis ſine ambiguitate præponitis? Sed dicturus es, homines eſſe credebat. Nam in hoſpitium tanquam homines invitavit. Hoc magis eſt contra te, qui dicis non adorari Spiritum ſanctum, omnibus angelis præferendum: cum videas & homines inferiores angelis à juſtis hominibus adorari. Sed adhuc dicturus es Deum adoravit. Et quippe in duabus illis, quos putabat eſſe homines, tanquam in Prophetis eſſe cognovit. Iam ergo probatum eſt, quod me per Scripturam ſanctam demonſtraturum eſſe promiſeram, eundem Deum, qui dictus fuerat abiiſſe ut ceſſavit loqui ad Abraham, in illis duobus angelis deſcendiſſe in Sodoma ſicut dixerat, & in eis ab homine juſto agnitum fuiſſe. Exhibuit itaque hoſpitalitatem quomodo ſanctis hominibus Dei; in quibus Deum eſſe cognovit, cum eos ſicut etiam ipſe Abraham angelos eſſe neſciret. Hi enim Patriarchæ ſunt ſignificati in Epiſt. ad Hebr. ubi de hoſpitalitate loquens ait*, Per hanc quidam neſcientes hoſpitio receperunt angelos. *Receptis ergò eis Loth, neſciens quod angeli eſſent, cognoſcens tamen ſicut ipſo Domino demonſtrante cognoſcere potuit, quis in eis eſſet, ut ea quæ interea facta ſunt, taceam*, Exiit *cum eis è Sodomis quod antequam fieret, ſicut Scriptura loquitur*, Dixerunt viri ad Loth, ſunt tibi hic generi, aut filii, aut filiæ, aut ſi quis tibi alius eſt in civitate, educ de loco hoc, quoniam perdemus nos locum hunc: quia exaltatus eſt clamor eorum ante Deum, & miſit nos Dominus conterere eum. *Ecce ubi apparet illud incendium Sodomorum per angelos factum, quos miſit Dominus, in quibus tamen ipſe erat, neque enim ſic mittit ſuos ut recedat ab eis. In his ergò deſcendit in Sodoma, quod ſe facturum eſſe prædixerat quando cum Abraham loquebatur: quod poſtaaquam fecit, abiiſſe ipſe dictus eſt & angelos veniſſe in Sodoma ad veſperam. Deinde paulo poſt, mox ut eduxerunt illum foras & dixerunt ſicut eadem Scriptura narrat*, Salvam fac animam tuam ne reſpexeris retrò, ne ſteteris in tota regione: in monte ſalvum te fac, ne quando comprehendaris. Dixit Loth ad illos, Oro Domine, quia invenit puer tuus miſericordiam ante te &c. *Quæ cum finiſſet loquendo & elegiſſet ſibi civitatem puſillam in qua ſalvaretur, ſequitur Scriptura, & ei dicit eſſe reſponſum*, Ecce miſeratus ſum faciem tuam, & ſuper verbum hoc ne everterem civitatem de qua locutus es, feſtina ergò ut ſalvus ſis tibi. Non enim potero facere verbum, donec tu in illam introëas. *Quis hoc illi reſpondit, niſi ille cui dixerat, ora Domine? Hoc autem ad ambos dixerat, non ad unum, ſicut apertiſſime ſcriptum eſt*: Dixit autem Loth ad illos, Oro Domine. *Agnovit ergò Loth unum Deum in angelis duobus ſicut Abraham unum agnovit in tribus. Non eſt cur dicatur, ille aberat qui Dominus erat & cum Abraham locutus erat, duo verò angeli ejus erant, qui in Sodoma illo abeunte venerunt. Omnes enim tres viri dicti ſunt qui apparuerunt Abrahæ, ſicut Scriptura ſolet viros etiam angelos nuncupare. Nec eorum alicui uni promptius & humilius Abraham obſecutus eſt, quam duobus, ſed æqualiter omnibus pedes lavit, æqualiter omnibus epulas miniſtravit. Ergò in omnibus Deum videt. Propter quod Scriptura prædixerat, quod viſus fuerat Deus Abrahæ ad quercum Mambræ, ſub cujus umbra arboris tres viros pavit, quos oculis corporeis vidit: in eis vero Deum, non corporis ſed cordis oculis vidit: id eſt, intellexit atque cognovit: ſicut Loth in duobus, cum quo non pluraliter, ſed ſingulariter loquebatur, eique reſpondebat etiam ipſe tanquam unus. Primò quippe Abraham per tres viros illum audivit, poſtea per unum, qui duobus in Sodoma euntibus manens locutus eſt cum eo, Loth autem per duos, tamen & ipſe unum Deum quem pro liberatione ſua rogabat, & qui ei reſpondebat: cum ambo, id eſt, & Abraham & Loth homines putarent eos qui angeli erant: Deum verò in eis intelligerent qui*

erat, non putarent eſſe qui non erat. Quid ſibi ergò vult iſta viſibilis Trinitas & intelligibilis unitas, niſi ut nobis inſinuaretur: quod ita tres eſſent pariter, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, ut tamen ſimul non tres dii & Domini eſſent, ſed unus Dominus Deus? Tu autem dixiſti, Hic Deus viſus eſt Abrahæ, ſciens te legiſſe quod ſcriptum eſt, viſum eſſe Deum ad quercum Mambræ: & volens quaſi probare Dominum Filium viſum eſſe illi Patriarchæ, declinaſti ab illis tribus viris, & eos omnino tacuiſti, in quibus narrat Scriptura Deum viſum fuiſſe Abrahæ: ne tu ipſe nos admoneres unius eſſe ſubſtantiæ trinitatem Deum ſicut unius erant ſubſtantiæ tres viri quos vidit Abraham: cum prædixiſſet, Viſus eſt Deus Abrahæ, nec tamen tres Deos eſſe, quia & viſus eſt Deus dictum eſt, non viſi ſunt dii, & ipſe Abraham tres vidit, & unum adoravit. A quo præteriri noluit, ab uno reſponſum Divinitatis accepit.. Nec aliquos duos eorum, duos eſſe Deos ſenſit, ſed unum in omnibus, quia & Loth duos vidit, & tamen unum Deum agnovit. Vbi mihi videntur per angelos ſignificari filius & Spiritus ſanctus, quoniam ſe illi angeli miſſos eſſe dixerunt. Et de trinitate quæ Deus eſt, Pater non legitur miſſus: leguntur autem miſſi & filius & Spiritus ſanctus quorum non ideò eſt diverſa natura. Nam & illi viri per quos ſignificati ſunt, unius erant ejuſdemque naturæ. Hanc ergò Scripturam quæ convinci poſſes, aſtuto ſilentio devitaſti. Et cum dixiſſes, Hic Deus viſus eſt Abrahæ, volens filium ſolum viſum putari in eo quod in Geneſi legitur, viſum eſſe Deum Abrahæ, quomodo ſit viſus, dicere noluiſti, ne ibi non ſolus filius, ſed trinitas agnoſceretur Deus. Dixiſti autem, Si vis credere, quià filius viſus eſt Abrahæ, utique ipſe unigenitus in ſancto affirmavit Evangelio dicens ſic, Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum & vidit & gaviſus eſt. *O diſputare, ô probare promiſſa, quaſi dixerit Dei filius, Abraham pater veſter concupivit me videre, & vidit, & gaviſus eſt. Quamvis & hoc ſic adhuc poſſit intelligi, quod ſanctus patriarcha oculis cordis viderit Dei filium, non oculis carnis: unde inter nos vertitur quæſtio. Sed cum dixerit Chriſtus,* Abraham concupivit videre diem meum, & vidit, & gaviſus eſt: *cur non diem Chriſti intelligimus tempus Chriſti quo erat venturus in carne, quod & Abraham ſicut & alii Prophetæ in Spiritu potuit videre atque gaudere? Neque hic igitur quod propoſueras & pollicitus fueras, probare potuiſti.* Hactenus Auguſtinus. Ex his ſatis patet, quæ fuerit ſententia Auguſtini. Nempe tres angelos creatos in ſpecie humana Abrahamo viſos eſſe, deque ea viſione dici, quod Dominus Abrahæ viſus ſit. Quia Abrahamus in illis agnovit Dei præſentiam, in quolibet Deum & in omnibus ſimul. Angelos Dei perſonam ſuſtinuiſſe & exhibuiſſe. Hinc adoraſſe & Domini vocabulo appellaſſe, quos in ſe homines eſſe putabat. Cl. Forbeſius inſtructionum hiſtorico theologicarum lib. 1. cap 14. non cepit mentem Auguſtini, quia exiſtimavit Auguſtinum rationibus haud contemnendis contendere, eam fuiſſe manifeſtationem Trinitatis Dei. Cui interpretationi non videatur favere textus Apoſtelicus, dicens Angelos hoſpitio exceptos à non opinantibus. Atqui non negat Auguſtinus fuiſſe Angelos, cum in angelis Dei exhibitionem agnoverit. Ipſum enim Apoſtoli textum adducit, quo probat fuiſſe angelos: at in angelis ſingulis notam fuiſſe putavit repræſentatæ deitatis. Eandem cum Auguſtino ſententiam Ambroſius & Paſchaſius Diaconus, quos adducit Forbeſius, videntur tenuiſſe. Hanc quoque Expoſitionem tenent Lyranus & Burgenſis, ut infra repræſentabimus. Nam communior eſt. Quarta proinde ſententia eſt eorum, qui perſonas SS. Trinitatis ſe manifeſtaſſe arbitrantur ſub nominibus angelorum & humana ſpecie. Angelos non fuiſſe creatos nec homines, ſed propriis ſub ſymbolis, quæ non erant de genere creaturarum rationalium, apparuiſſe.

Quinta ſententia fuit Tertulliani, Hilarii, Chryſoſtomi, aliorumque, qui arbitrati ſunt, è tribus angelis unum fuiſſe Dei filium, duos angelos creatos ei comites. Horum fundamentum eſt, quod unus de angelis peculiariter vocetur יהוה, & Dei propria ſibi arroget. Hic appellatur ſive deſignatur ſingulari numero, in quo unus de angelis ad Abraham ſive Lot loqui introducitur. cap. XVIII. 10. XIX. 17. 21. Nam ſingularis numerus voce יהוה explicatur, XVIII. 13. 14 17. 20. 22. 26. 33. Chryſoſtomus: *Nam ſic quidem in tabernaculo Abrahæ & angeli & eorum dominus, per idem tempus viſi; poſtea verò illi quidem ut miniſtri miſſi ſunt ad ſubverſionem illarum civitatum, Dominus autem manſit & quaſi amicus amico juſto communicabat, quænam facturus eſſet.*

Lyrani & Burgenſis annotata ſubjiciam: Capitis XVIII. duo membra ſunt, Primum ab initio ad verſum decimum ſextum, ubi narratur, quomodo tres illi angeli diverſati ſint apud Abrahamum: alterum habet ſermonem Dei & Abrahami in itinere. De primo membro ita Lyranus: *Circà primum ſciendum, quod aliter exponitur à doctoribus Catholicis aliter ab Hebræis. Utraque tamen expoſitio conſona eſt fidei noſtræ, & ideò utramque intendo ponere: & primo expoſitionem Hebraicam, reciſis tamen quibuſdam frivolis, quæ ab ipſis interſeruntur. Dicunt igitur, quod deſcribitur hic duplex apparitio. Prima eſt ipſius Dei, cum dicitur:* Apparuit autem ei, id eſt, Abrææ, Dominus in valle Mambre &c. Sedenti: *Hic dicit quædam gloſſa Hebraica; quod Abraham voluit ſurgere ex reverentia divinæ apparitionis, ſed Dominus dixit ei:* Sede, tu es enim in ſignum filiis tuis. Futurum eſt enim ut filii tui ſedeant tanquam judices in concilio & ego ſtem. *Quæ gloſſa fidei noſtræ eſt conſona: quia hoc fuit adimpletum, quando Salvator noſter verus Deus & verus homo ſtetit coram principibus ſacerdotum, ſedentibus in concilio ad judicandum ipſum, ut deſcribunt quatuor Evangeliſtæ: quod ſuſtinuet pro ſalute electorum, qui ſunt veri filii Abrææ. Contingit enim aliquando, quod præter intentionem loquentis Divina virtute hoc faciente, aliquod verbum ſic profeſeratur, ut eſt conſonum fidei Catholicæ, licet pronuntians illud verbum hoc non intelligat, ſed aliud: ſicut Caiphas dixit de Chriſto:* Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo &c. *Ut habetur Ioh. XI. Et Evangeliſta ſubdit:* Hoc autem à ſemetipſo non dixit, &c. *Intendebat enim Caiphas ſolummodo dicere, quod melius erat Chriſtum mori, licet non haberetur cauſa ſufficiens contra eum, quam quod occaſione populi credentis in eum, venirent Romani & deſtruerent locum & gentem: ſed à Deo factum eſt, ut hanc ſententiam per talem modum loquendi proferret Caiphas, ut illa locutio ſignificaret mortem Chriſti futuram pro redemptione generis humani; ſicut plenius dixi, exponens hoc verbum Caiphæ, ſcribendo ſuper Iohannem. Sic dico in propoſito: quid enim intellexerit iſte gloſſator neſcio, ſed manifeſtè patet, quod ſic gloſſam prædictam protulit vel ſcripſit, quod verba gloſſæ prædictæ conſonent fidei noſtræ.* Hanc gloſſam Raſi ita proponit: בקש לעמוד אמר לו הקדוש ברוך הוא שב ואתה סימן לבניך שעתיד אני להתיצב בעד' הדיינים והן יושבים: *Quæſivit* aut voluit *ſtare, dicit ei Deus benedictus, Sede: Tu ſignum eris filiis tuis, quod futurum ſit ut ego conſiſtam in concilio judicum & illi ſedeant.* Apparet hanc gloſſam ſubtiliter procuſam eſſe è verbis Pſalmi 82. 1. ubi judicum conſeſſibus ſe intereſſe præſentem Deus profatur. Unde ſicuti ineptè huc accommodata ſunt à gloſſatore, ita frigidè à Lyrano arrepta, ut Chriſtianæ fidei teſtimonium dent. Pergit Lyranus: In oſtio tabernaculi *ad videndum, ſi tranſirent viatores, quos poſſet ad menſam recipere, quia hoſpitalitatem diligebat.* In ipſo fervore diei] *cum enim incipit dies ferveſcere, tunc eſt hora, qua viatores ſolent ad domum aliquam cauſa refectionis declinare.* Cumque elevaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri &c. *Cum enim Deus videret affectum ejus ad opus hoſpitalitatis,*

& non

& non venirent aliqui homines, fecit tres angelos apparere in ſpecie virorum, ut eis exhiberet hoſpitalitatis beneficium. Dicunt etiam Hebræi, quod cum hoc alia de cauſa apparuerunt: quia unus veniebat ad nuntiandum Saræ conceptum, alius ad ſubvertendum Sodomam & alias quatuor civitates; & tertius ad ſanandum Abraam, qui de novo erat circumciſus & liberandum Lot de ſubverſione Sodomorum. Abenesdras ita trādit: האחד בא לבשר שרה והשנים הלכו לסדום האחר להשחית והשני להציל לוט: *Vnus venit ut euangelizaret Saræ; duo iverunt Sodomam, unus ad perdendum, alter ad eripiendum Lot.* Raſi: אחד לבשר את שרה ואחד להפוך את סדום ואחד לרפאת את אברהם שאין מלאך אחד עושה שתי שליחות תדע לך שכן כל הפרשה הוא מזכירן בלשון רבים: *Vnus ad Euangelizandum Saræ, alter ad ſubvertendum Sodomam, tertius ad ſanandum Abraham, quia unus angelus non facit duas legationes. Scias, quod ita ſit, ubicunque meminerunt in numero plurali.* Raphaelem volunt ſanaſſe Abrahamum & liberaſſe Lotum. Michaelem nuntiaſſe conceptum, Gabrielem ſubvertiſſe Sodoma. Hæ ſpeculationes ſunt inanes, quibus tamen Hebræi quærunt effugium ut evadant vim ſingularis numeri. Ideo enim appropriant huic & illi angelo ſuam peculiarem legationem. Quod autem in ſingularibus iſtis appropriationibus nomen יהוה loquenti facientique tribuatur, id dicunt fieri, quod legatus legantis nomine indui ſoleat. Pergit Lyranus: *Dicunt etiam, quod apparitio fuit tertia die, poſtquam fuerat Abraam circumciſus: & iſta apparitio angelorum eſt ſecunda. Expoſitores autem Catholici dicunt, quod à principio capituli uſque huc, & in toto capite ſequenti fuit una apparitio tantum: ita quod Dominus non apparuit in ſe, vel in aliqua ſimilitudine ipſum immediatè repræſentante, ſed tantum in angelis, quos fecit apparere, quorum unus poſteà locutus eſt in perſona ipſius Dei.* Ita Lyranus breviter de apparitione, juxta Chriſtianos & Judæos. Non defendit nec præfert expoſitionem Chriſtianam. Paulus Burgenſis eam annotationem ut nimis tenuem reprehendit. *Diſcuſſio*, ait, *ſeu examinatio harum duarum expoſitionum circa apparitionem Abraæ factam in hoc loco non eſt ſic ſuperficialiter tranſeunda ſicut in poſtilla. Communiter enim tenet eccleſia in hoc loco Abraæ fuiſſe factam revelationem de trinitate divinarum perſonarum, & unitate divina eſſentiæ. Vnde Eccleſia communiter cantat, quod Abraam tres vidit & unum adoravit. Sed diligenter advertenti ſatis comprobatur veritas ex littera catholica expoſitionis ex multis. Primo, quia ſi hic eſſent duæ apparitiones, prima eſſet omnino ſuperflua, cum enim dicitur;* Apparuit ei Dominus &c. *non exprimitur quod aliquid dixiſſet Dominus Abraæ, nec contrà. Statim ſubdit*, cum elevaſſet oculos. *Ex quo patet quod proceſſus ſeu forma illius viſionis conſiſtebat in apparitione illorum trium virorum: Et ſic exponit Rab. Moy. in ſuo libro de deductione perplexorum, ſcil. quod apparitio Domini in hoc loco facta Abraæ exprimitur per hoc quod ſequitur*: Cumque elevaſſet &c. *Item quia angelo loquente cum Abraam de annunciatione Saræ, & ipſa ridente Deus locutus eſt Abraæ continuando locutionem angelicam ſine aliqua interruptione, quaſi eſſet idem angelus, ſcil. qui loquebatur, & Deus. Vnde dixit*: Dixit autem Dominus &c. *Quod non eſt intelligendum de identitate eſſentiali, ſed de identitate repræſentativa, ſcil. quod ille angelus tunc loquebatur in perſona divina, quam in illa apparitione repræſentabat. Item dictum angeli, ſcil.* Revertens veniam ad te &c. *non legitur impletum niſi in hoc quod dicitur infra, xxi. Cap:* Dominus autem &c. *in quo apparet, quod ille angelus, qui dicit ſe reverſurum, & Dominus viſitans accipiuntur in hoc loco pro eodem modo prædicto. Item hoc patet de adoratione Abraæ, qui poſtquam vidit tres, unum adoravit: quod intelligendum eſt de adoratione latriæ, dicit enim*: Et adoravit in terra. *Quod unum ab ipſo adoratum Adonai vocavit, ut patet in littera Hebraica. Item hoc patet ex obſequio Abraæ prædictis*

viris

viris ſeu angelis impenſo, tum in locutione, cum ſe vocat ſervum, ut cum dixit: Ne tranſeas ſervum &c. *Tum in hoc, quod ea, qua ad convivium paraverat per ſe ipſum cum magna diligentia ſeu feſtinatione faciebat, ut cum dicitur:* Feſtinavit Abraam in tabernaculum &c. Ipſe verò ad armentum cucurrit &c. quin feſtinavit &c. Tulit quoque butyrum &c. & poſuit coram eis. *Vnde Origen.* Conſidera protinus ſenem Abraam impigrum & alacrem in officiis. *Item quia ipſis recumbentibus dicitur;* Ipſe verò ſtabat juxta eos, *quaſi non audens conſidere cum eis, nec etiam illi ipſum ad hoc invitabant, Quæ omnia attenta dignitate Abraæ & ejus ſenectute irrationabiliter fierent, niſi hæc apparitio eſſet ſibi repræſentativa divinorum, & Abraam hoc Spiritu prophetico cognoviſſet. Vnde Ambroſ. in lib. de Abraam.* Vide porrò fidei myſterium: Deus illi apparuit & tres aſpexit, cui Deus refulſit trinitate, non ſine filio Patrem ſuſcipit, nec ſine Spiritu ſancto Filium confitetur: *Hæc ille. Ex quibus ac aliis ad hoc correſpondentibus in littera contentis, ſi attentè conſiderentur, manifeſtè patet, quod hæc fuit una apparitio incedens ab hoc, quod dicitur,* Apparuit autem ei Dominus, *in principio hujus capituli XVIII. uſque ad principium ſequentis capituli, ſcil. XIX. ubi dicitur:* Abiit Dominus poſtquam ceſſaverat loqui Abraæam. *Et ideò cum angeli receſſiſſent abeundo Sodomam, interponitur:* Abraam verò adhuc ſtabat coram Domino, *continuando prædicta dicendis ſub eadem apparitione, in qua Abraæ (poſtquam à Deo audivit,* Ambula coram me & eſto perfectus &c. *prout ſupra fuit dictum in additione, in cap. immediatè præcedenti:* Et recepit pactum Domini in carne ſua in fœdus æternum &c. *ſcil. ad æternitatem ducens, ut in gloſſ.) ſtatim fuit ſibi facta apparitio trium divinarum perſonarum cum unitate divinæ eſſentiæ repræſentativa: ut ille qui pater multarum gentium conſtituebatur à Deo in verâ fide, ultimum terminum in quem fides tendit, ſaltem ænigmaticè ſeu repræſentativè videret, & conſequenter oſtenderetur eſſe interceſſor pro delinquentibus etiam alienigenis tanquam pater multarum gentium, ut patet in facto Sodomorum, quæ eſt ſecunda pars poſt principalem hujus apparitionis. Vnde rectè conſideranti hæc expoſitio eſt vera apud Catholicos & literæ magis conſona, licet fortè apud infideles diſtinctionem perſonarum in divinis non recipientes poſſet irrationabiliter declinari: de quo Catholicus exponens curare non debet; prout declaratum fuit in quæſtione ſuper prologum art. V. Et notandum, quod licet in exordio creationis mundi, & deinceps ſæpe pluralitas perſonarum divinarum cum eſſentiæ unitate innuatur, non tamen numerus determinatus divinarum perſonarum explicitè oſtenditur uſque ad tempus Abraæ, in hac apparitione, ex qua dignitas Abraæ demonſtratur, præſertim in his quæ ad fidem pertinent.*

Abrahami promptitudo fuit, qui advolat conſpectis hoſpitibus, quos non viderat advenire, ſed adveniſſe & ex adverſo conſiſtere. Videntur ſub arborum umbra ſtetiſſe, ut æſtum declinantes. Adorat civili adoratione, quem cultum duliæ vulgò vocant. Unum præ reliquis compellat: Rogat, beneficii locò ſe habiturum ſi ſinant ſibi officia hoſpitalitatis fieri; Pedum lotionem offert, uti & Lotus cap. 19. 2. Pedes pulvere contaminatos & ſudore, abluebant & hoc refrigerio recreabant hoſpites. Officii illius frequens occurit mentio & commendatio. Ineptum eſt quod Raſi commentatur è Baba Metſia, veritum Abrahamum ne Arabes eſſent, qui pulverem pedum adorabant, hac oblatione officii voluiſſe explorare, ne idolum in domum ſuam introduceret. Subjicit lotioni השענו תחת העץ / Chaldæus, אסתמכו תחות אילנא / Vulg. Recumbite ſub arbore. Solebant recumbere innixi brachio ſiniſtro. Lyranus è tribus medium fuiſſe Michaelem ex Hebræis adfert. Hoc igitur modo conſiſtentibus cognovit Abraham, quis eſſet dignior aut ſuperior. Veniſſe hunc

ad nuntiandum Saræ conceptum. Addit Lyranus: *Quia hoc erat principale negotium: eo quod Meſſias, id eſt Chriſtus, erat inde naſciturus: & interpretatio nominis conſonat. Michael enim interpretatur*, Quis ut Deus. *Gabriel autem venerat ad ſubvertendam Sodomam, & interpretatio conſonat. Interpretatur enim fortitudo Dei. Raphael autem venerat ad ſanandum Abraham, & interpretatio conſonat, quia interpretatur, medicina Dei.* Burgenſis: *De nominibus autem eorum trium angelorum non videtur temere aliquid aſſerendum: ſed videtur veroſimiliter eſſe dicendum: quod ille, qui venerat ad denuntiandum Saræ conceptum, à quo Chriſtus ſecundum carnem naſciturus, erat Gabriel. Ipſe enim denuntiavit Danieli tempus adventus Chriſti, Dan. 9. Similiter & Zachariæ conceptum præcurſoris ipſius Chriſti, Luc. 1. Et finaliter beatæ virgini Chriſti conceptionem Luc. 1.* Omninò rejiciendæ ſunt Judaicæ fabulæ de nominibus & diſtincta legatione angelorum in hoc loco. Nihil enim magis falſum, quam miſſum eſſe unum de illis ad ſanandum Abrahamum: de eo nihil in textu: nec eſt vero ſimile Abrahamum ad januam ſediſſe, cum in dolore eſſet, multò minus currere potuiſſe & feſtinare ad officia hoſpitalitatis. Illi audent fingere ſanguinem illum Abrahami meritorium fuiſſe poſteris. Judæi contendunt אֲדֹנָי eſſe חול in ſalutatione Abrahami, quia omnes pluraliter compellaverit: aut eſſe קֹדֶשׁ, nempe והוא אומר להקב״ה להמתין לו עד שירוץ ויכנים את האורחים ואף על פי שכתוב אחר האמירה קודם לכן היתה ודרך המקראות לדבר כן *fuit dicens Deo benedicto ut præſtolaretur donec curreret & introduceret viatores: Et quamvis ſcriptum ſit poſtea hoc dictum, ante fuit, & mos eſt ſcripturarum ſic loqui.* Exiſtimat verſum 3. præponendum eſſe verſus ſecundi parti poſtremæ. Nempe Viſis hoſpitibus dixiſſe Domino Abrahamum, ut præſtolaretur. Hoc dicto feſtinabundum excurriſſe ad hoſpites. Nolunt enim Judæi Deum fuiſſe apud Abrahamum ante adventum angelorum, manſiſſe cum angeli adeſſent & poſtquam diſceſſiſſent. Inde eſſe quod Dei alloquium interſeratur: nomen autem יהוה ad tertium ex angelis non pertinere. Abeneſdras (r) in אדני putat indicium eſſe ſeu expoſitionem, quod ille eſſet propheta Domini. Nempe *in illis libris ubi invenitur.* Profitetur ſeu oſtendit ſæpius non inveniri cum (r). אינו קדש רק חול כמו רבותי על כן פתח הנון ולא נקמץ ובספרים שהוא קמוץ יהיה פירושו נביא השם) Sua opinione *(ita ſubjicit)* Abrahami verbum fuiſſe cum eximio angelorum & deinde cum omnibus. Invenimus quod propheta vocetur angelus apud Haggæum. Alii dicunt, quod veniam petierit ab שכינה. Alii, quod ſit ὕστερον πρότερον. Illam hyſterologiam ita explicat וכן הוא ושא וכבר נשא עיניו ועשה כך וכך ואחר כך נראה אליו השם ואמר המכסה אני מאברהם גם זעקת סדום וגו׳ Connectit primum verſum cum v. 17. Intermediam illam angelorum apud Abrahamum diverſationem ante contigiſſe, quam Deus Abrahamo videretur. In verſu primo igitur ſummam eſſe eorum quæ à v. 17. ad finem capitis habentur. Poſtquam ſummam conſcripſiſſet Moſes, inſeruiſſe angelicam quæ præceſſerat apparitionem. Ita Deum tantum locutum eſſe cum Abrahamo de interitu & clamore Sodomorum, cætera ad angelos pertinere. Arborem illam ſub qua tentorium Abrahami erat, terebinthum fuiſſe volunt, quæ, Hieronymo teſte, ad Conſtantium uſque in illis regionibus oſtendebatur. הָעֵץ cum ה. δεικτικῷ ſignificat certam arborem. Nam introduxit eos in tabernaculum, quia umbram & auram quærebant, fortaſſe etiam veritus ne feſtinantes moraretur. Buccellam panis offert ad refectionem, inde non futurum moræ. Panis buccellam obtulit, cupedias præſtitit v. 6. 7. 8. Nam cum hoſpites annuiſſent de exigua refectione, opimam exhibuit. Proverbium eſt. הצדיקים אומרים מעט ועושים הרבה רשעים אומרים הרבה

ואפילו מעט אינם עשים: *Iuſti dicunt parum & faciunt multum: ſed improbi dicunt multum, nec etiam parum faciunt.* Uterque & Abraham & Sara occupati ſedulo fuerunt in apparando prandio. Abraham mandat Saræ, ut feſtinanter è tribus ſatis ſimilæ placentas coqueret: E bubili ipſe vitulum tenerum bonumque ſumpſit, quem tradidit parandum famulo. Inde butyrum & lac cum vitulo appoſuit hoſpitibus. Ipſe adſtat prandentibus. Inter prandendum quæſiverunt angeli, ubi Sara eſſet: Dominus autem partum filii è Sara pollicetur & prædicit. Hæc verba Sara riſu incredulitatis excepit, quia mariti ſuumque ſenium & decrepitam ætatem intuebatur. Dominus riſum Saræ objurgavit, & promiſſum prædictionemque iteravit. Exhibeamus hic legentium oculis Judæorum nugas, ſuper hac hiſtoria, quas congeſſerunt in בבא מציעא Gemara cap. 7. fol. 86. b. & 87. a. R. Johanan filius Mathiæ filio ſuo juſſerat, ut conduceret operarios: qui ivit convenitque cum ipſis de alimento. Cum ad patrem rediret, dicit ipſi pater: Fili mi etſi tu faceres ſecundum convivium Salomonis, non egredereris debitum ipſis, quia ſunt filii Abraham, Iſaac & Jacob. At prius quam incipiant operari, exi & dic ipſis: Ea lege ut à me non niſi buccellam & legumen. Sic eſt in Miſna, quæ explicat & diſputat Gemara & occaſione convivii Salomonis, cujus mentio injecta erat, de Abrahami hoc prandio loquitur, quo excepit angelos. Nempe innuitur, Abrahami convivium tale fuiſſe, quo dignè poſſent excipi Abrahamidæ, non autem Salomonium. Unde quæritur, An Abrahami convivium Salomonio majus & præſtantius fuerit? Primò narrat magnitudinem Salomoniæ menſæ è 1. Reg. 4. eamque explicat extenſione mirifica, inde ſubjicit ואילו גבי אברהם כתב ואל הבקר רץ אברהם ויקח בן בקר רך וטוב ואמר רב יהודה אמר רב בן בקר אחד רך שנים וטוב שלשה התם תלתי תורי לתלתי גברי הכא לכל ישראל ויהודה שנ' יהודה וישראל רבים כחול אשר על שפת הים: *Cum de Abraham ſcriptum ſit* (Gen. XVIII. 7.) Et ad boves currit Abraham & accipit filium bovis tenerum & bonum. *Dixit Rab Iuda, quod dixerit Rab: filium bovis, unum; tenerum, duos; & bonum, tres: Hic tres boves in tres viros, illic toti Iſraeli & Iuda,* Q. D. [1. Reg. 4. 20.] Juda & Iſrael multi ſicut arena, quæ eſt ad litus maris. Sic igitur Abrahami cibatio ſuperat Salomoniam, quia non potuit Salomonius apparatus cuilibet viro ſufficere bovem, ut fuit in Abrahameo. Poſteà ואל הבקר רץ אברהם אמר רב יהודה אמר רב בן בקר אחד רך שנים וטוב שלשה ואיכא חד כדאמרי אינשי רכך וטב אם כן לכתוב רך טוב מאי וטוב ש"מ לדרשה אימא תרי מדוטוב לדרשה לך נמי לדרשה מתיב רבה בר עולא ואיתימא רב הושעיא ואיתימא רב נתן ברבי הושעיא ויתן אל הנער וימהר לעשות אותו כל חד וחד יהביה לנער חד ויקח חמא' וחלב ובן הבקר אשר עשה ויתן לפניה' דקמא קמא דמטא אייתו לקמיהו ולמה לי תלתא תסגי בחד אמר רב חנן בר רבא כדי להאכילן שלש לשונות בחרדל אמר רבי תנחום בר חנילאי לעולם לא ישנה אדם מן המנהג שהרי משה עלה למרום ולא אכל לחם מלאכי השרת ירדו למטה ואכלו לחם אכלו סלקא דעתך אלא אימא נראו כמי שאכלו ושתו אמר רב יהודה אמר רב כלמה שעשה אברהם למלאכי השרת בעצמו עשה הקב"ה לבניו בעצמו וכל שעשה אברהם אל ידי שליח עשה הקב"ה לבניו על ידי שליח ואל הבקר רץ אברהם ורוח נסע מאת ה' ויקח חמאה וחלב הנני ממטיר לכם לחם מן השמים והוא עומד עליהם תחת העץ הנני עומד לפניך שם על הצור ואברהם הולך עמם לשלחם וה' הולך לפניהם יומם יוקח נא מעט מים והכית בצור ויצאו ממנו מים ושתה העם ופליגא דרבי חמא בר חנינא וכן תנא דבי רבי ישמעאל בשכר שלשה זכו לשלשה בשכר חמאה וחלב זכו למן בשכר והוא עומד עליהם זכו לעמוד הענן בשכר יוקח נא מעט מים זכו לבאר' של מרים יוקח נא מעט מים ורחצו רגליכם אמר רבי ינאי ברבי ישמעאל אמרו לו ובי בערבים חשדתנו שהם משתחוים לאבק רגליהם כבר יצא ממנו ישמעאל וירא אליו ה' באלוני

בגמרא והוא יושב פתח האהל כחום היום מאי כחום היום אמר רבי חמא בר חנינא
אותו היום יום שלישי של מילה של אברהם היה ובא הקב״ה לשאול באברהם הוציא
הקב״ה חמה מנרתיקה כדי שלא יטריח אותו צדיק באורחים שדריה לאליעזר למיפק
לברא נפק ולא אשכח אמר לא מהימנא לך היינו דאמרו תמן לית הימנותא בעבדי נפק
איהו חזיה להקב״ה דקאי אבבא היינו דכתיב אל נא תעבור מעל עבדך כיון דחזא דקא
אסר ושרי אמר לאו אורח ארעא למיקם הכא היינו דכתיב וישא עיניו וירא והנה
שלשה אנשים נצבים עליו וירא וירץ לקראתם מעיקרא אתו קמו עליה כי חזיה דהוה
ליה צערא אמרו לאו אורח ארעא למיקם הכא מן נתחו שלשה אנשים מיכאל וגבריאל
ורפאל מיכאל שבא לבשר את שרה רפאל שבא לרפא את אברהם גבריאל אזל למהפכיה לסדום והא כתיב ויבאו שני המלאכים סדומה בערב דאזל מיכאל בהדיה לשזביה
ללוט דיקא נמי דקתני ויהפך את הערים האל ולא כתב ויהפכו שמע מינה מ״ש לגבי
אברהם דכתיב כן תעשה כאשר דברת ומאן שנא לגבי לוט דכתב ויפצר בם מאד אמר
רבי אלעזר מכאן שממרבין לקטן ואין מסרבין לגדול כתיב ואקחה פת לחם וכתיב ואל הבקר רץ
אב רחם אמר רבי אלעזר מכאן שצדיקים אומרים וכו׳ Deinde כתיב קמח וכתיב סולת
אמר רבי יצחק מכאן שהאשה צרה עינה באורחים יותר מן האיש כתיב לושי ועשי
עוגות וכתיב ויקח חמאה וחלב ובן הבקר ואילו לחם לא איתי לקמיהו אמר אפרים
מקשאה תלמידו של ר״מ משמיה דרבי מאיר אברהם אבינו אוכל חולין בטהרה היה
ושרה אמנו אותו היום פירסת נדה ויאמרו אליו איה שרה אשתך ויאמר הנה באהל
להודיע ששרה אמנו צנועה היתה אמר רב יהודה אמר רב ואיתימא רבי יצחק יודעים
היו מלאכי השרת ששרה אמנו באהל היתה אלא מאי באהל כדי לחבבה על בעלה רבי
יוסי ברבי חנינא אמר כדי לשגר לה כוס של ברכה תני משום רבי יוסי למה נקוד על איו
שבאליו למדה תורה דרך ארץ שישאל אדם באכסניא שלו והאמר שמואל אין שואלין
בשלום אשה כלל על ידי בעלה שאני אחרי בלותי היתה לי עדנה אמר רב חסדא אחר שנתבלה
הבשר ורבו הקמטין נתעדן הבשר ונתפשטו הקמטין וחזר יופי למקומו כתיב ואדוני זקן וכתב
ואני זקנתי דלאו מותיב הקב״ה כדקאמרה איהי תנא רבי ישמעאל גדול שלום שאפילו הקדוש
ברוך הוא שנה בו שנאמר ותצחק שרה בקרבה וגומר ואדוני זקן וכתיב ויאמר ה׳ אל אברהם
וגומר וכו׳: Et ad boves cucurrit Abraham: *Dixit Rab Iuda, quod dixerit Rab: Filius bovis, unus, tener, duo; & bonus, tres. Dixerim, unus, ut vulgò loquuntur homines* רכך וטב mollis & bonus? *Si ita, ſcribendum eſſet*, רך טב. *Quid* וטב*. intellige ex eo ad ſublimius diſſerendum. Dicerem duos? Quia* וטב *infert ſublimiorem ſenſum, etiam* רך *infert. Inſtat Rabba bar Vla; aut, ſi ita vis dicere, Rab Hoſaia, aut, ſi ita dicere placet, Rab Nathan à Ribbi Hoſaja:* Et dedit puero & feſtinavit parare eum. R. *Vnumquemque dedit puero uni.* Et accepit butyrum & lac & filium bovis quem paraverat & appoſuit ante eos. R. *Quod prius, prius quod aſſatum erat, adduxit ante ipſos.* O, *Et quid mihi Tres, ſufficit de uno?* R. *Inquiebat Rab Hanan filius Raba; ut eos cibaret tribus linguis in muſtarda. Dicebat Rabbi Thanchum bar Hanlai: Nunquam homa mutabit de conſueto more. Nam Moſes aſcendit in altum, nec edit panem, angeli miniſterii deſcenderunt deorſum & ederunt panem. Ederunt? Idne putas? Quin dic: Viſi ſunt, quaſi ederent & biberent. Inquiebat Rab Iuda, quod dixiſſet Rab: Quicquid fecit Abraham angelis miniſterii per ſe, fecit Deus benedictus filiis ejus per ſe: Et quicquid fecit Abraham per miniſtrum, fecit Deus benedictus filiis ejus per miniſtrum:* Et ad boves cucurrit Abraham; *ſic* (Num.XI. 31. profectus eſt à Domino: Et accepit butyrum & lac; *ſic* [Exod. XVI.4.] Ecce me pluentem vobis panem è cælo: Stabat juxta ipſos ſub arbore; *ſic* (Exod.XVII.6.) Ecce me ſtantem coram te illic ſuper rupe: Et Abraham ibat cum ipſis ad deduceudum eos; *ſic* (Exod.XIII.21.) Et Dominus ibat ante ipſos interdiu. Accipiatur quæſo parum aquæ; *ſic* (Exod.XVII.6.) Et percuties rupem,

rupem, & egredientur aquæ ex ea & bibet populus. *Et diſſentit Rab Hama bar Hanina, quia dixit Rabbi Hama bar Hanina & ſic traditio eſt domus Rabbi Iſmael: In mercede trium meriti ſunt trina: In mercede butyri & lactis meriti ſunt mannam: In mercede,* Ipſe ſtabat apud eos, *meriti ſunt ut ſtaret nubes: In mercede*, Accipiatur quæſo parum aquæ, *meriti ſunt puteum Maria.* Accipiatur quæſo parum aquæ & lavate pedes veſtras. *Dixit Rabbi Iannai à Rabbi Iſmael: Dixerunt ei* (angeli Abrahamo) *Nunquid nos putas eſſe Arabas, quia illi adorant pulverem pedum: olim exiit ab eo Iſmael.* Et viſus eſt illi Dominus in Elone Mamre & ipſe ſedebat ad oſtium tabernaculi ſecundum æſtum diei: *Quid eſt* ſecundum æſtum diei? *Dixit Rabbi Chama bar Chanina: Ipſe dies erat tertius circumciſionis Abrahami, ibatque Deus benedictus ad quærendum de Abrahamo. Duxit Deus benedictus Solem è theca ſua, ne moleſtus eſſet ipſi juſtus viatorum. Miſit* (Abraham) *Eleazarum ut foras iret; Ibat, non inveniebat. Dixit* (Abraham) *Non credo tibi. Id eſt, quod dicunt ibi:* Nulla fides ſervis. *Exiit ille* (Abraham) *vidit Deum benedictum; qui ſtabat ad fores. Hoc eſt, quod ſcriptum eſt:* Ne quæſo tranſeas à ſervo tuo. *Poſtquam videt* (Deus) *quod* (Abraham) *ligaret & ſolveret, dixit; Non eſt moris, hic ſtare. Hoc eſt, quod ſcriptum.* Et ſuſtulit oculos ſuos & vidit; & ecce tres viri ſtantes apud ipſum: vidit & accucurrit in occurſum eorum. *Primo venerunt, ſteterunt apud eum: quando viderunt quod ipſi eſſet dolor, dixerunt, Non eſt moris ſtare hic. Qui fuerunt tres viri? Michaël, Gabriel & Raphael. Michael, qui venerat ad euangelizandum Sara: Raphael, qui venerat ad ſanandum Abrahamum: Gabriel, qui venerat ad ſubvertenda Sodoma. At ecce ſcriptum eſt.* Et venerunt duo angeli Sodoma veſperi? R. *Quoniam iverat Michaël una ab liberandum Lotum. Subtiliter etiam explicatum eſt, quod ſcriptum:* Et ſubvertit urbes Deus [Gen. 19. 29.] *Et non ſcriptum* ſubverterunt. *Intellige ex eo. Quid mutavit apud Abrahamum? Quod ſcriptum ſit,* Quemadmodum locutus eſt, facito: [18. 5.] *Et quid mutavit apud Lotum? Quod ſcriptum* (19. 3.) urſit apud eos valde. *Dixit Rabbi Eleazar; Hinc quod denegant parvo, non denegant magno. Scriptum eſt,* Et accipiam buccellam panis: *item ſcriptum,* Et ad boves cucurrit Abraham? *Dixit Rabbi Eleazar, Hinc quod juſti dicunt &c.* Deinde: *Scriptum* קמח & ſcriptum סלת? *Dixit Rabbi Iſaac, Hinc quod mulieris oculus arctior ſit præ viro. Scriptum,* Depſe & fac placentas; *& ſcriptum:* Et accepit butyrum & Lac & filium bovis, *at panem non attulit coram illis? Dixit Efraim è Caſa diſcipulus Rabbi Meir, è nomine R. Meir: Abraham pater noſter edit profana in puritate: at Sara mater noſtra eo ipſo die ſeparaverat ſe ob menſium fluxum. Et dicunt ei, Vbi Sara uxor tua: qui dixit, Ecce in tabernaculo, ut indicarent, quod Sara mater noſtra eſſet caſta. Dixit Rab Iehuda, quod dixiſſet Rab; aut, ſi ita vis dicere, Rabbi Iſaac: Sciebant angeli miniſterii, quod Sara mater noſtra in tabernaculo. Sed quid, in tabernaculo? Ad amorem ejus in maritum* (indicandum). *Rabbi Ioſe à Rabbi Chanina dixit, ut* (Abraham) *mitteret ei poculum benedictionis. Traditum eſt nomine R. Ioſe: Cur punctatum eſt ſuper* (literas) אין *in voce* אליו? *Docet lex modum agendi communem, quo quærit homo in hoſpitio ſuo. At dixit Samuel, Non quæritur de pace mulieris omnino? R. Per maritum ejus, aliud eſt.* Poſtquam ego ſenio confecta fuit mihi voluptas: *Dixit Rab Chaſad: Poſtquam ſenio corruptum eſt corpus meum & multiplicatæ ſunt rugæ, ſpecioſum factum eſt corpus meum & rugæ explicatæ & rediit pulchritudo in locum ſuum. Scriptum eſt:* Et Dominus meus conſenuit [v.12.) *At ſcriptum* [v. 13.) Et ego conſenui [ſc. non repetitis illis verbis, quæ Sara de mariti ſenio conjunxerat] *Quia non repetit Deus benedictus; quod illa dixerat?* R. *Traditum eſt domus Iſmael:*

Magna res eſt pax. Quia etiam Deus benedictus mutavit ob eam, Q. D. Et riſit Sara in corde ſuo &c. Et dominus meus conſenuit. *Et ſcriptum.* Dixit Dominus ab Abraham &c. Hucuſque Thalmud. Fingunt Saræ eo ipſo momento, quo inchoaverat farinam parare, menſium fluxum rediiſſe & corporis vigorem. Hinc abſtinuiſſe manus à cibo, eoque panem nullum appoſitum dici hoſpitibus, quamvis ſint appoſita cætera. Ab Abrahamo quæſiviſſe angelos ubi Sara eſſet, non quia ignorarent, ſed ut ipſi Abrahamo ad animum revocarent, quod eſſet in tabernaculo. Hoc enim quod in tabernaculo foret, hanc habuiſſe Emphaſin, quod caſta & verecunda eſſet, ut quæ ſe domi contineret. R. Juda aut alius quiſpiam voluit, eo ipſo Abrahamo in mentem revocatum eſſe amorem Saræ erga maritum; R. Chanina admonitionem Abrahamo fuiſſe, ut mitteret ipſi poculum benedictionis. Obſervant à viro quærendum eſſe de ſalute uxoris, non ab alio, ut Angeli ab Abrahamo Saræ ſalutem. Quantum ad riſum Saræ attinet, cum dicunt Judæi non eſſe ortum ab incredulitate ſed admiratione quia non tantum videret menſes & juventam rediiſſe, ſed & ſentiret viſcera commoveri & lac in mammas, ut Raſi ait. Si enim panis ideo illatus non eſt in menſam, quia Saræ menſes fluere cœperant; antequam pranderet effluvium illud initium habuit. Philoſophantur ad omnia textus dicta & omiſſa.

Deus (Angelus conſilii) in convivio aperit Saram ſequente anno edituram eſſe filium, quando vel in quo ipſe rediturus eſſet. In Hebræo eſt כעת חיה; Raſi: כעת הזאת לשנה הבאה ופסח היה ופסח הבא נולד יצחק מדלא קרינ' כעת אלא כעת חיה כעת הזאת שתהא חיה לכם שתהיו כלכם שלמים וקימים; *Secundum tempus hoc anni venientis. Paſcha autem erat & Paſchate ſequente natus eſt Iſaac. Quia non legimus, ſecundum tempus, ſed ſecundum tempus vitæ, ſecundum tempus hoc quod erit vita vobis, qui eritis omnes ſalvi & conſiſtentes.* Revertendo revertar: Hic Raſi: לא בשר המלאך שישוב אליו אלא בשליחותו של מקום אמ' לו כמו ויאמר לה מלאך יי' הרבה ארבה והוא אין בידו להרבות אלא בשליחותו של מקום אמר לו כן בר' *Non annuntiat angelus ſe reverſurum ad eum ſed in legatione Dei dicit ipſi ſicut* (cap XVI. 10.) Et dixit Angelus Domini illi: Multiplicans multiplicabo: *at non erat in poteſtate ipſius multiplicare: ſed in legatione Dei loquitur illi, ſic in Breſith Rabba.* Effugium antitrinitariis commune. Ralbag aliam expoſitionem addit, quod ipſe ille propheta eſſet rediturus, poſtquam Sara peperiſſet, de qua expoſitione dicit: והביאור השני הוא יותר נכון Deus ingeminavit promiſſum ad rei certitudinem. In Sara autem matre Eccleſiæ notare licet, incredulitatis riſum & mendacium loco ingenuæ confeſſionis.

De eſu angelorum apud Abrahamum.

Angeli & filius Dei, angelorum princeps, ubi in corporibus aſſumptis & Dei potentia conditis apparuerunt ſub ſpecie humana leguntur comediſſe, ut in hac hiſtoria. Judæi, quod ſupra intelleximus, apparenter ediſſe non in veritate exiſtimant. Eadem ſententia eſt Joſephi: οἱ δὲ δόξαν αὐτῷ παρέσχον ἐσθιόντων. Et Theodoreti qu. 69. in Geneſin, καὶ ἡ αὐτὴ λέγει γραφὴ ὅτι ἄνδρας εἶδεν Ἀβραὰμ εἰ τοίνυν γυμνῷ προσεκτέον τῷ γράμματι, ἄνδρες οὐκ ἄγγελοι ἔφαγον· εἰ δὲ τὸν νοῦν ἀναπτύσσωμεν, ὡς ὤφθησαν, ἔφαγον. ὥσπερ γὰρ ἀσώματον ἔχοντες φύσιν, καὶ αὐτοὶ καὶ ὁ τούτων δεσπότης, σώματα ἔχειν ἔδοξαν, οὕτως γὰρ ἑωράθησαν. οὕτως ἐσθίοντες ὤφθησαν, οὐ σώματι καὶ χειρὶ τὴν τροφὴν προσενεγκόντες· οὔτε γὰρ εἶχον σώματα: ἀναλώσαντες δὲ αὐτὴν ὡς ἠθέλησαν. ἀνοίας γὰρ ἐσχάτης τὸ πολυπραγμονεῖσθαι τῶν ἀρρήτων τὸν τρόπον. Et eadem ſcriptura dicit, Abraam vidiſſe viros. *Si ego nuda*

litera

litera adhæreamus, viri, non angeli comederunt. Si autem mentem explicemus, ut viſi ſunt, ederunt. Quemadmodum, cum ſint natura incorporea, & ipſi & eorum Dominus, corpora habere putabantur : Sic enim ſunt conſpecti : Ita edere viſi ſunt, non illato cibo in os aut ventrem (neque enim habebant corpora) ſed conſumpto ut voluerunt. Extrema enim dementia modum arcanorum curioſè indagare. Calvinus: *Quod autem dicit Moſes Comediſſe angelos, quæſtionem parit. Sunt qui exponant comedentium ſpeciem tantum præbuiſſe; quod commentum ex alio errore illis in mentem venit, quia non veris corporibus ſed tantum ſpectris imaginantur fuiſſe indutos. Atqui longe aliter (meo judicio) res habet. Primum, non fuit hæc prophetica viſio, ubi oculis ingeruntur rerum abſentium imagines ſed reipſa venerunt angeli in domum Abrahæ. Quare non dubito, quin Deus, qui totum mundum ex nihilo condidit & quotidie mirus eſt in formandis creaturis artiſex corpora illis ad tempus dederit in quibus injunctum ſibi munus peragerent. Sicuti autem verè ambularunt, locuti ſunt & perfuncti aliis officiis: ità verè comediſſe ſtatuo: non quod eſurirent, ſed ut laterent uſque ad tempus revelationis. Cæterum, ut Deus, quæ in uſum temporalem creata erant corpora, extemplo in nihilum redegit, ita nihil abſurdi erit, ſi dicamus conſumptum fuiſſe cibum unà cum corporibus: Quemadmodum autem has quæſtiones attingere utile eſt, nec ulla religio vetat: ſic rurſum nihil melius quam ſobria ſolutione nos eſſe contentos.* Auguſtinum in eadem ſententia cum Calvino fuiſſe patet. Sic enim docet de civit. lib. 13. cap. 22. *Corpora ergò juſtorum, quæ in reſurrectione futura ſunt, neque ullo ligno indigebunt, quo fiat, ut nullo morbo vel ſenectute inveterata moriantur: neque ullis aliis corporalibus alimentis, quibus eſuriendi aut ſitiendi qualiscunque moleſtia devitetur: quoniam certo & omni modo inviolabili munere immortalitatis induentur, ut non, niſi velint, poſſibilitate, non neceſſitate, veſcantur. Quod angeli quoque viſibiliter & tractabiliter apparentes, non quia indigebant, ſed quia volebant & poterant ut hominibus congruerent, ſui miniſterii quadam humanitate fecerunt. Neque enim in phantaſmate angelos ediſſe eredendum eſt, quando eos homines hoſpitio ſuſceperunt: quamvis utrum angeli eſſent ignorantibus, conſimili nobis indigentia veſci viderentur. Vnde eſt, quod ait angelus in libro Tobiæ: Videbatis me manducare ſed viſu veſtro videbatis: id eſt, neceſſitate reficiendi corporis, ſicut vos facitis, me cibum ſumere putabatis. Sed ſi forte de angelis aliud credibilius diſputari poteſt: certè fides Chriſtiana de ipſo Salvatore non dubitat: quod etiam poſt reſurrectionem jam quidem in ſpiritali carne, ſed tamen vera, cibum ac potum cum diſcipulis ſumpſit. Non enim poteſtas ſed egeſtas edendi ac bibendi talibus corporibus auferetur: Vnde & ſpiritalia erunt: non quia corpora eſſe deſiſtent, ſed quia ſpiritu vivificante ſubſiſtent.* Hactenus ille. Cum igitur ſtatuamus eos vere non apparenter ediſſe, difficultas oritur: Qui comedere potuerint, cum comeſtio ſit actio propria animalis ab illius vita & forma? Viguerius in inſtitutionibus Chriſtianæ Theologiæ: *Sequitur etiam ex illa immaterialitate, quod angelus non poteſt eſſe actus ſive forma intrinſeca corporis, nec uniri materia aut corpori intrinſecè & eſſentialiter, hoc eſt, communicare ei ſuum eſſe exiſtentia & fieri unum ſuppoſitum cum illo: & per conſequens nec exercere opera vitæ ſenſibilis aut vegetabilis, quæ ſunt videre corporaliter, audire, guſtare, & alia hujuſmodi. Quamvis ex aere aut alia materia jam exiſtenti poſſit formare corpora fantaſtica, quibus poteſt dare formam & figuram accidentalem, ſed non ſubſtantialem. In quibus corporibus ſic aſſumptis poteſt aliqua opera ſimilia operibus vitæ exercere. Vnde Raphael dicebat, cum eſſem vobiſcum per voluntatem Dei, videbar quidem manducare & bibere: ego autem cibo & potu inviſibili utor.* Quæ laudat è libro Tobiæ, in Græco ita ſonant cap. 12. 19. Πάσας τὰς ἡμέρας ὀπτανόμην ὑμῖν· καὶ

οὐκ

οὐκ ἔφαγον οὐδὲ ἔπιον· ἀλλ᾽ ὅρασιν ὑμεῖς ἐθεωρεῖτε. Tertullianus de carne Chriſti: *Angelos creatoris*, inquit, *converſos in effigiem humanam aliquando legiſti & credidiſti & tantam corporis geſtaſſe veritatem, ut & pedes eis laverit Abraham & manibus ipſorum ereptus ſit Sodomitis Lot: conluctatus quoque homini angelus toto corporis pondere dimitti deſideravit, ab eo, à quo detinebatur. Quod ergò angelis inferioribus Deo licuit, uti converſi in corpulentiam humanam, angeli nihilominus permanerent hoc tu potentiori Deo aufers, quaſi non valuerit Chriſtus verè hominem indutus Deus perſeverare? Aut nunquid & angeli illi phantaſma carnis apparuerunt? ſed non audebis hoc dicere? nam ſi ſic apud te angeli creatoris, quemadmodum & Chriſtus: ejuſdem ſubſtantiæ eris Chriſtus, cujus angeli: angeli tales, qualis & Chriſtus. Si ſcripturas opinioni tuæ reſiſtentes, non de induſtria alias rejeciſſes, alias corrupiſſes, confudiſſet te hinc euangelium Iohannis, ſpiritum columbæ corpore lapſum deſediſſe ſuper dominum. Qui ſpiritus, cum hoc eſſet, tam verè erat columba, quam & ſpiritus: nec interfecerat ſubſtantiam propriam aßumpta ſubſtantia contraria. Sed quæris columbæ ubi ſit reſumpto ſpiritu in cœlum: æque & angelorum & eadem ratione interceptum eſt, qua & editum fuerat. Si vidiſſes, cum de nihilo proferebatur, ſciſſes cum in nihilum ſubducebatur. Si non fuit initium viſibile nec finis. Tamen corporis ſoliditas, quo momento corpus videbatur, non poteſt non fuiſſe, quod ſcriptum eſt.* Tertullianus diſputat, quia angeli aſſumpſerunt corpora & Chriſtum corpus atque humanam naturam induere potuiſſe, ubi minus conſideratè dictum eſt, Spiritum S. & columbam fuiſſe & Spiritum. Nam nec corpora angelorum, quæ aſſumpſerant, nec columba, qua ſe oſtendit Sp. S. ὑποστατικῶς unita fuerunt. Ita, quod videbatur, non erat angelus, nec tertia perſona SS. Trinitatis, quemadmodum quod viderunt homines erat filius Dei & ſecunda perſona in carne conſpecta. At quod dicit angelos eſſe converſos in corpulentiam humanam, id ita accipiendum eſt, ut ſe ipſe interpretatur, aſſumpſiſſe ſubſtantiam aliam non interfecta propria. *Deus* [verba ejus ſunt] *in omnia converti poteſt & qualis eſt perſeverare.* Converti id eſt aſſumere. Nam non fuit ejus opinio Chriſtum eſſe converſum in carnem ea mente, qua Mennoniſtæ. Ita enim explicat ſuam mentem: *Ita utriuſque ſubſtantiæ cenſus hominem & Deum exhibuit: hinc natum, inde non natum: hinc carneum inde ſpiritalem: hinc infirmum, inde præfortem: hinc morientem, inde viventem.* Marcion ferebat in phantaſmate Chriſtum veniſſe, tanquam de aliquo circulatorio cætu & magicis ludibriis, non carnem veram aſſumpſiſſe. Apelles, Marcionitarum eccleſiæ & diſciplinæ deſertor, confitebatur Chriſtum verè habuiſſe corpus verum, verum non ex virgine & ejus utero, quia de ſideribus & ſubſtantiis ſuperioris mundi mutuatus ſit carnem. Illi argumentabantur, *Non eſſe mirandum corpus ſine nativitate, cum & apud nos angelis licuerit nulla uteri opera in carnem proceſſiſſe.* Reſpondet: *Qui carnem Chriſti ad exemplum proponunt angelorum, non natam dicentes ſcilicet carneam, comparent velim & cauſas tam Chriſti, quam & angelorum, ob quas in carnem venerunt. Nullus unquam angelus ideò deſcendit ut crucifigeretur* &c. Deinde: *Atqui tum quoque inter illos angelos ipſe Dominus apparuit Abrahæ ſine nativitate, cum carne ſcilicet, pro eadem cauſa diverſitate. Sed vos hoc non recipitis, non eum Chriſtum recipienses, qui jam tunc & adloqui & liberare & judicare humanum genus ediſcebat in carnis habitu, non natæ adhuc, nondum moriturae, niſi prius & nativitas ejus & mortalitas adnuntiarentur.* Paulò poſt: *Conſtat angelos carnem propriam non geſtaſſe, ut puta naturæ ſubſtantiæ ſpiritalis & ſi corporis alicujus, ſui tamen generis: in carnem autem humanam transfigurabiles ad tempus, ut videri, ut congredi cum hominibus poſſent. Igitur cum relatum non ſit, unde ſumpſerint carnem, relinquitur intellectui noſtro non*

dubitare,

dubitare, hæc eſſe proprium angelica poteſtatis ex nulla materia corpus ſibi ſumere, quantò magis, inquit, ex aliqua certum eſt, ſed nihil de eo conſtat, quia ſcriptura non exhibet. Inde: *Sed ſi de materia neceſſe angelos ſumpſiſſe carnem, credibilius utique eſt de terrena materia: quam de ullo genere cœleſtium ſubſtantiarum: cum adeo terrena qualitatis exſtiterit, ut terrenis pabulis paſta ſit. Fuerit nunc quoque ſiderea, eodem modo terrenis pabulis paſta, quando terrena no eſſet, quod terrena caleſtibus paſta eſt, quando caleſtis non eſſet (legimus enim manna eſui populo fuiſſe: Panem, inquit, angelorum edit homo) non tamen infringitur ſemel ſeparata conditio dominica carnis ex cauſa alterius diſpoſitionis.* Adverſus Marcionem lib. 3. *In iſta quaſtione qui putaveris opponendos eſſe nobis angelos creatoris, quaſi & illi in phantaſmate putativa utique carnis egerint apud Abraham & Lot & tamen verè ſint & congreſſi & paſti & operati quod mandatum eis fuerat: primò non admitteris ad ejus Dei exempla, quem deſtruis. Nam & quanto meliorem & perfectiorem Deum inducis, tantò non competunt illi ejus exempla, quo niſi diverſus in totum, non erit omninò melior atque perfectior. Dehinc ſcito nec illud concedi tibi ut putativa fuerit in angelis caro ſed vera & ſolida ſubſtantia humana. Si enim difficile non fuit illi, putativa carnis veros & ſenſus & actus exhibere multò facilius habuit veris & ſenſibus & actibus veram dediſſe ſubſtantiam carnis, vel qua proprius autor & artifex ejus. Tuus autem Deus, eo quod carnem nullam omninò produxerit, meritò fortaſſe phantaſma ejus intulerit, cujus non valuerat veritatem. Meus autem, qui illam de limo ſumptam, in hac reformavit qualitate, nondum ex ſemine conjugali & tamen carnem, aque potuit ex quacunque materia angelis quoque aſtruxiſſe carnem, qui etiam mundum ex nihilo, in tot & talia corpora & quidem verbo adificavit. Et utique ſi Deus tuus veram quandoque ſubſtantiam angelorum hominibus pollicetur:* Erunt enim *inquit* angeli: *cur non & Deus meus veram ſubſtantiam hominum angelis accommodarit? Vnde ſumptam? Quia nec tu mihi reſpondebis, unde apud te angelica ſumatur, ſufficit mihi hoc definire, quod Deo congruit, veritate ſcilicet ejus rei quam tribus teſtibus ſenſibus objecit, viſui, tactui, auditui. Difficilius Deo mentiri, quam carnis veritatem unde producere licet non nata. Caterum & aliis hareticis definientibus carnem illam in angelis ex carne naſci debuiſſe, ſi verè fuiſſet humana, certa ratione reſpondemus qua & humana verè fuerit & innata. Humana verè propter Dei veritatem à mendacio & fallacia extranei: & quia non poſſent humanitus tractari ab hominibus niſi in ſubſtantia humana. Innata autem, quia ſolus Chriſtus in carnem ex carne naſci habebat, ut nativitatem noſtram nativitate reformaret: atque ita mortem noſtram morte ſua diſſolveret, reſurgendo in carne, in qua natus eſt ut & mori poſſet. Ideoque & ipſe cum angelis tunc apud Abraham in veritate quidem carnis apparuit, ſed nondum nata, quia nondum moritura ſed diſcentis jam inter homines converſari. Quo magis angeli neque ad moriendum pro nobis diſpoſiti, brevem carnis commeatum non debuerunt naſcendo ſumpſiſſe, quia nec in moriendo depoſituri eam fuerant, ſed inde ſumptam & quoquo modo dimiſſam, mentiti tamen non ſunt. Si creator facit angelos ſpiritus & apparitores ſuos ignem flagrantem: tam verè ſpiritus, quam & ignem idem illos verè fecit & carnem: ut nunc recordemur & hareticis renuntiemus ejus eſſe promiſſum, homines in angelos reformandi quandoque, qui angelos in homines formarit aliquando.* Hactenus Tertullianus. Utinam Tertullianus ſciviſſet diſcrimen inter angelos aſſumentes corpora & Chriſtum naſcentem! Angeli non ſunt homines, Chriſtus apud Abrahamum non eſt factus homo, ut in plenitudine temporis. Qui vectant corpora non naſcuntur ſed quibus corpus pars eſt eſſentialis. Hæretici tempore Tertulliani docuerunt angelorum carnem, id eſt, illa corpora, quæ circumferebant, non fuiſſe carnem verè humanam. Membra illa corpulentiæ

humanæ divinitus condita non fuerunt ejuſdem originis. Quod ſi Deus in principio plures creaſſet homines (qui ad eandem ſpeciem pertinerent) homines fuiſſent, ad idem genus (ut puto) referendi, quamvis origine diſpares. Si Deus ex nihilo condat aurum, id tamen aurum erit. Exiſtimarunt gentiles, tam philoſophi, quam poëtæ, homines alios in aliis terris è ſolo natos eſſe, qui tamen hominem ab homine ſpecie diſtare non putarunt. At Angeli non fuerunt homines, corpora tamen fuerunt humana aliquatenus. Caro & ſanguis & oſſa & venæ, eadem conformatio, habitus, ſitus. Defuit forma hominis, nulla ibi actio vere humana. Non fuit phantaſma aut viſio, ut Marcionitæ & Judæi volunt. Marcion aliquando videtur crediđiſſe, quod res fuerit non ſola apparentia in illis corporibus eorumque actibus, ſed eo relapſus eſt ut phantaſma eſſe ſtatuerit. Tertullianus in lib. de Carne Chriſti, ſtatuit angelos ſibi corpora condere potuiſſe & è nihilo, quod tamen lib. 3. adverſus Marcionem videtur negare. Nos dicimus ad viſum tactumque carnem & oſſa, ſanguinem, venas & omnia ejuſmodi fuiſſe in illis corporibus angelicis. Fuiſſe Hippocratis illa tria; ἴσχοντα, ἰσχόμενα ϗ ἐνορμῶντα, animam tamen vegetabilem & ſenſibilem non fuiſſe. Actiones corporum viventium vel conſiſtunt in motu ſive concuſſione partium vel facultatis emanatione ſine motu, perficiuntur. Secundi generis ſunt, ſentire, audire, audire, guſtare, nutriri. Primi deambulatio, locutio, palpebrarum motus, riſus. Secundi generis actiones non efficit angelus in corporibus, quia in emanatione conſiſtunt: quantum ad alterius generis actiones, illarum ſubſtantia eſt in motu partium ſive membrorum. Hæ ab angelis effici poſſunt, quantum ad ſubſtanriam motus, non autem per modum, quo à vivente proficiſcuntur. Hine faciunt opera ſimilia vitæ, non eadem.

Abrahæ interceſſio pro Sodomitis.

PRandio finito, cum annuntiatus Saræ eſſet conceptus & partus *Iſaaci filii*, tres illi viri ſurgentes abiere Sodomam verſus, quos deduxit Abraham. Dominus inde dimiſſis duobus angelis Abrahamo rem indicat, quam per angelos pararet. Cauſam revelationis duplicem allegat. I. Quia Abraham futurus eſſet pater numeroſæ gentis & omnes populi in eo benedicendi. II. Quia noſſet eum ut fidum filiorum & domus ſuæ magiſtrum ad obſervandam legem Domini, faciendum juſtitiam & judicium. Qua via promiſſionis implementum ſtabiliretur. Quis miretur gentem ſuperbiſſimam Judæorum, cæcitate & duritie famulantibus merita Abrahami patris ſui extollere? In Thanchuma: *Dixit Rabbi Iuda à Rab: Veniam petebat Moſes, ut Miſna etiam eſſet in ſcripto. At videbat Deus Benedictus, quod futurum eſſet ut populi interpretarentur legem eamque legerent Græce: dicerentque* אנו הן ישראל, nos de Iſraele ſumus. *Dicebat igitur illi Deus benedictus: Scribam locos legis meæ. At ſi ſic, tanquam extranei reputati ſunt. At quare? Quia Miſna habet myſteria Dei benedicti: at nulla deſciplina myſteriorum Dei niſi juſtis Q. D.* [Pſ. 25. 14.] Arcanum Domini timentibus eum. *Et ſic ſimile invenitur, etiam in tempore, quo offenderant Sodomitæ Deum benedictum & quærebat eos evertere non iniit conſilium niſi cum Abraham.* Q. D. Et Dominus dixit, An occultaturus ego eſſem ab Abraham, quod facturus ſum. *Et ſcriptum eſt* [Prov. 3. 4.] Inveni gratiam & bonam intelligentiam in oculis Dei & hominum] *Quia nullus eſt homo qui ſit gratus regi, non autem gratus aulicis ejus: & quando dilectus eſt aulicis ejus non ſit dilectus regi. Iuſti dilecti ſunt Deo & angelis & hominibus* &c. Varias rationes producit,

ducit, quare Deus Abrahamo retegere voluerit exitium Sodomorum, producens ſententias magiſtrorum, inter quos fuit R. Juda bar Levi, qui narrabat parabolam de rege, cui eſſet Paradiſus. *Eum dedit amico ſuo in donum. Poſt aliquot dies, opus habuit ſpinarum quinque ſcutellis ex illo. Inquiebat rex, Quamvu ſit à me, dederimque eum amico meo, non tamen jus eſt, ut ex eo quicquam ſuccidam, donec amicum meum conſuluerim Sic etiam Deus ſanctus, poſtquam aſcendit Abram in terram Iſrael, dixerat ipſi: Attolle oculos tuos & vide è loco, in quo es, verſus Septentrionem & auſtrum, ortum & occaſum, quia univerſam terram, quam vides, dabo tibi. Ideo, cum vellet quinque urbes diruere, dixit, non diruam eas ſine conſenſu Abrahami. Quod ſi dicas non fuiſſe è terra Canaan, attende quid ſcriptum ſit:* Et fuit terminus Cananæi ab Sidone donec venias Gerar uſque Gazam; donec venias Sodomam & Gomorrham, Adamam & Seboim uſque Laſe. *Ideo, cum eas everſum iret, conſuluit Abrahamum.* Dicunt meritum circumciſionis in Abrahamo fuiſſe inſigne. Nam à circumciſione etiam pelli Sabbatum: גדולה מילה שדוחה את השבת. Si puer natus ſit veſpera Sabbati, eum in Sabbato circumcidi &c. Ideo Abrahamo ita è circumciſionis vi apparuiſſe Deum, ut ſolet à cultu ſacrificiorum. In כלי יקר Abrahami hoſpitalitatem dicunt aperuiſſe & occaſionem dediſſe colloquio Dei cum Abrahamo, quia illi virtuti contraria vitia Sodomis. Ezech. 16. 49. Raſi alludit ad ſenſum parabolæ, additque קראתי אותו אברהם אב המון גוים ואשמיד את הבנים ולא אודיע לאב שהוא אוהבי: Et Medras Aggada ex hoc loco, זכר צדיק לברכה, quia recordantes Abrahami eum laudabunt ſeu benedicent. Simplex ſeu literalis ſenſus, *Nunquid ab eo occultare poſſim cum dilectus ſit coram me, ut ſit in gentem magnam, & ut benedicantur in eo omnes gentes terræ.* Verbum ידיעה ſignificationem diligendi habet. Unde ita idem Raſi: לשון חבה: ידעתיו, ut Ruth 2. 1. מודע לאישה & v. 20. מודעתנו & Exod. 33. 17. ואדעך בשם. Veritatis verba ſunt quæ adjicit: ואמנ' עיקר לשון כלם אינו אלא לשון ידיעה שהמחבב את האדם מקרבו אצלו ויודעו ומכירו: *Et verè fundamentum ſignificationis eorum omnium nullum eſt niſi ſignificatio dilectionis, quod diligat hominem è corde: diſtinguunt inter* ידע *&* מכיר. Sed amoris Divini originem putant eſſe è bonis operibus, hæc penes hominem. In Hebræo eſt כי ידעתיו למען אשר יצוה את בניו וגו' Voculam למען putant abundare, אין למען נופל על הלשון Raſi. Ideò interpretantur לפי שהוא מצוה את בניו. Effectorum Dei cauſæ ſunt, uti & divini amoris, nullæ cauſæ ipſius amoris. Effecit Deus, quæ Abrahamo promiſerat, ideò quod Abrahamus filios ſuos ad juſtitiam & cultum Dei erudíturus eſſet. Sed non erudiit filios ſuos, niſi dono & inſpiratu Dei. Approbat talem Deus, ut ad cætera promoveatur, ſed hoc ipſum & cætera illa divini amoris munere habet & habiturus eſt. Calvinus: *Quod Deus quaſi de re dubia conſultat* [An ego celabo Abraham] *id facit in hominum gratiam, quid enim facturus eſſet jam ante decreverat. Sed voluit Abraham hoc modo ad reputandas excidii Sodomæ cauſas reddere magis attentum. Duas autem rationes affert, cur ſuum conſilium, antequam exſequatur, patefacere ei velit: Prior eſt, quod jam ipſum dignatus ſit ſingulari honoris privilegio: ſecunda, quod ad poſteros erudiendes, id futurum ſit utile ac frugiferum. Ergò hoc verbo revelationis ſcopus & uſus breviter notatur.*

Admoniturus & præcepturus erat Abraham filiis ſuis, ut cuſtodirent viam Domini ad faciendum juſtitiam & judicium, ut Dominus adduceret ſuper Abraham, quod ſuper eo locutus erat. Hic notat Raſi: על בית אברהם לא נאמר אלא על אברהם למדנו כל המעמיד בן צדיק כאלו אינו מת: *Super domum Abraham non dictum eſt ſed ſuper Abraham, docet nos, omnis qui excitat filium juſtum, quaſi non moreretur.* Calvinus: *Ergò ut perpetuò nobis duret, ac poſteris*

etiam

etiam ſuperſit donorum Dei poſſeſſio, cavendum eſt ne torpore noſtro intercidant. Falſo tamen hinc quiſpiam colligeret ſua diligentia efficere fideles ut mereri, ut Deus quæ promiſit impleat. Trita enim loquendi ratio eſt Scripturæ hac voce Ut, *conſequentiam magis notare quam cauſam. Etſi enim ſola Dei gratia ſalutem noſtram inchoat & abſolvit: quia tamen Dei vocationem ſequendo curſum noſtrum peragimus, dicimur etiam hoc modo ſalutem à Deo promiſſam conſequi.*

Poſt hanc præfationem de cauſis revelationis faciendæ, Deus dicit clamorem Sodomorum & Gomorrhæ id eſt ingentem & gravem peccandi licentiam ſe velut exciviſſe cælo, ut cognoſceret, an juxta illam in ſublime elatam accuſationem commiſſum eſſet. Raſi: למד דיינין שלא יפסקו דיני נפשות אלא בראיית הכל כמו שפירשתי בפרשת הפלגה: *Docet judices, quod non determinabunt judicia capitalia, niſi in probatione omnium, ſicut expoſui in loco de confuſione linguarum.*

Hinc ſequitur v. 22. *Et reſpexerunt inde viri & abierunt Sodomam: & Abraham adhuc ſtabat coram Domino.* Evidenter indicatur, Dominum inter illos viros fuiſſe. Hos autem poſtquam ea, quæ ſuprà dicta ſunt, commemoraſſet Dominus, progreſſos eſſe Sodomam, Domino reſtitante apud Abrahamum. Hi viri duo fuerunt uti in cap. 19. 1. patet. Cum Abrahamus Dominum videret ſolum, acceſſit & familiarius, quamvis magna cum reverentia apud eum egit. Non memorat Scriptura, unde & quando Abraham cognoverit, unum ex illis viris eſſe Dominum. Id tantum puto liquere quod indiciis quibuſdam ſe manifeſtaverit in convivio. Unde cognitum duos angelos veniſſe cum Domino. Raſi: Et *annon, non abiit ad ſtandum coram eo, ſed Deus benedictus venit apud eum, & dixit ipſi clamorem Sodomæ & Gomorrhæ magnum eſſe? Et ſcribendum erat,* Et Dominus adhuc ſtabat apud Abraham, ſed תקון סופרים *eſt, quia verterunt hoc magiſtri noſtri beatæ memoriæ ad ſcribendum ſic.* Octodecim locos jactitant Hebræi, qui ſint immutati à ſcribis. Ex eis hunc eſſe unum. Indecens enim viſum dici de Deo, quod ſteterit coram Abrahamo: ut recto ſermone ſcribendum fuiſſet: quia non Abraham ad Dominum ſed Dominus ad Abraham venit & Abraham, ut illi volunt, rogarat ab initio capitis, ut exſpectaret donec ad illos tres viros invitandos abiiſſet. Ita miſerè hiſtoriam turbant. Contextus planus eſt nec eget immutatione: Nam ſignificatur interim dum Angeli duo Sodoma proficiſcerentur, Abrahamum cum tertio angelo, id eſt, apud Dominum remanſiſſe, ut pro Sodomitis deprecaretur. Calvinus: *Primum dicit Moſes, viros ulterius progreſſos eſſe, ſignificans ſermone finito valedixiſſe Abrahæ, ut domum rediret. Deinde ſubjicit, Abraham ſtetiſſe coram Domino, ut ſolent qui dimiſſi non ſtatim abeunt, eo quod aliquid adhuc dicendum vel agendum reſtet.* Sic puto mentem Sp. S penetrari, perſpicaci acumine. Stabat adhuc Moſes, quaſi remoraturus ſuis precibus Dominum cum Sodomorum miſeratione tangeretur. Ita angeli abierunt, Deo ſe ab Abrahamo ſinente ſiſti & quaſi ſibi manum injici, ut moram faceret. Acceſſit ad Dominum Abraham; Deum parſurum eſſe ob juſtos civitatibus illis ex æquo & pro miſericordia ſua (maximè autem agit de urbe Sodomorum) ſi quinquaginta, ſi quadraginta quinque, ſi triginta, ſi viginti, ſi decem juſti invenirentur. Reverentiſſime procedit, Deo ipſo quaſi invitante & Abrahamo fidei familiaritatem exprimente. Timide à priori inquiſitione ad ulteriorem exit & cum ſumma demiſſione. A quinquaginta incipit, in decem deſinit. De Quinquaginta, quod dicit, id Raſi ſic accipit: עשרה צדיקים לכל כרך וכרך חמשה מקמות יש ואולי לא יצילו הצדיקים את הרשעים למה תמית הצדיקים:
Videtur Abraham quærere de omnibus urbibus Pentapoleos, quem Deus adſtringit ad Sodomam. Nam profitetur, ſi Sodomis invenirentur quinqua-

quinquaginta juſti ſe urbi illi condonaturum. In Hebræo eſt תשאתי לכל המקום בעבורם. Poſſet exponi, toti loco, id eſt, Pentapoli univerſæ parcam, ſi Sodomis quinquaginta juſti. Raſi dicit exprimi Sodomam שסדום היתה מטרפולין וחשובה מכולם תלה בה הכתוב; *Quia Sodoma fuit metropolis & digniſſima omnium, ſuſpendit in eo ſcriptura.* *An perdes propter quinque?* Si de numero, quem dixiſti, deficiant quinque, perditum ibis? Raſi exponit: *Annon ſic facies omni civitati & tu juſtus ſeculi turbidè ages cum illis?* Quemadmodum de Sodomis dixiſti te parſurum, annon & eandem clementiam reliquis facies? De Quadraginta, triginta, decem ſubjicit: ubi Raſi: *Eripientur quatuor civitates & ſic triginta eripient tres ex illis aut viginti duas aut decem unam.* Exiſtimat in qualibet civitate novem ad minimum juſtos debuiſſe reperiri, ut liberaretur ab exitio. Quaſi numerus quinquagenarius & eo proximè minos ita poſitus eſſet, ut de eo minui non poſſet. Putat enim Deum Sodomam expreſſiſſe, ob celebritatem, ſed intellexiſſe ſynecdochicè omnes, ut Sodomæ voce Pentapolim totam capere oporteat: Si in tota Pentapoli invenientur quinquaginta aut quadraginta quinque parcam illi. Fundamentum hujus expoſitionis non eſt, quod ex majorum traditione, nullus cœtus ad precationem minor poſſit eſſe denario. Ex quo fundamento Abeneſdras rejicit illorum opinionem, qui decem volebant ſpargi per totam Pentapolin, ut cuilibet civitati duo juſti eſſent. Hanc ſententiam Abeneſdras rejicit, quia ſermo eſt de ſola Sodoma. Nempe Sodoma in exemplum reliquarum ponitur, cum quibus ſimiliter eſſet agendum. Igitur diverſa eſt ſententia Aben-eſdræ à ſententia Raſi. Nam Raſi vult Sodomam συνεκδοχικῶς totam ſignificare Pentapolin, ita ut unicuique civitati decem aut novem eſſent juſti. Abrahamum autem, quod dixerat Deus univerſe, deducere ad ſingulas quæſtione tertia: ut conſervaretur quævis civitas decem aut novem habens juſtos, nec id conjunctum ſolummodo valeret, aut privilegium eſſet unius Sodomæ, ideò nominatim expreſſæ. Raſi dicit de minore numero quam decem non quærere Abrahamum, quia noverat octo homines diluvii generationem non eripuiſſe, de novenario cogitaſſe, quod ſit quinta pars numeri 45. De qua jam ſecunda interrogatione על ידי צירוף quæſierat. Sic enim putat numerum novenarium diſtribui cuilibet civitati per quadraginta quinque. Poſt eum numerum non univerſè quæſiviſſe Abrahamum ſed partitè. Si triginta in tribus, viginti in duabus, decem in una fuerint. Quodſi quis objiciat, Cur quærit ad decem, qui ſciebat non eſſe in qualibet novem juſtos, ut jam quæſitum erat? Hic Rabbi Salomonis Judaica ſubtilitas eſt, Tres quæſtiones de univerſa pentapoli ſeu omnibus urbibus conjunctim agere, tres poſteriores ſeparatim de ſingulis. An ſcilicet Deus, tribus, duabus, uni ſigillatum parcere vellet? Obſervant, Judæi poſt quæſtionem primam imminuere Abrahamum decima, nona, quarta, tertia parte primi numeri. Inde ad decem deſcendere, quo non poſſet minorem ponere. Abeneſdras putat illos quinquaginta juſtos, ob quos Deus voluit remittere pœnam, debuiſſe timentes Dei eſſe בפרהסיא/ *palam.* Id ex eo, quia dicitur, *intra urbem.* Simile haberi Jerem. 5. 1. Ubi Deus jubet in plateis Hieroſolymæ obſervari, an aliquis juſtum faceret & veritatem quæreret. Id ſolidum non eſt. Exiſtimem etiam potius de Sodomis ſolis, quam de cæteris urbibus in hoc colloquio agi, aut à Sodomis fortunam aliarum urbium pendere. Quod autem Deus dicit ſe condonaturum pœnam & meritum exitium Pentapolitanis propter decem homines juſtos, ſciendum eſt liberam Deo judicandi eſſe poteſtatem, ideò non ſemper æquabilem hac in parte modum ſervat. *Qui Sodoma* (inquit Calvinus) *parſurus erat pro-*

pter decem juſtos hanc ſe veniam Ieroſolymæ daturum negat: Sciamus ergo Deum hic ſibi neceſſitatem non imponere, ſed ideò ſic loqui, ut melius teſtatum faciat, ſe non leviter proſilire ad perdendam urbem, cujus nulla portio ſincera reſtabat. Quod Abraham paulatim ex primo numero diminuens uſque ad ſextam interrogationem procedit, id putat Calvinus animi perturbati fuiſſe indicium, qui cum anxie pro Sodomitis laboraret, nihil omittit, quod ad ſuam ſolicitudinem placandam faciat. Deus illi comiter reſpondet: unde patet nullius preces rejecturum eſſe Deum, qui Abrahamum uſque ad ſextum votum, pro Sodomitis deprecantem placidè exaudivit. Abrahamus ex humanitate eò propendet, ut in magna turba latere putet aliquos probos, quàmvis Sodomam fœdiſſimis corruptelis refertam eſſe ſciret. Eſt enim hoc horribile portentum, ſic per totum corpus ſcelerum colluviem ſerpſiſſe, ut nullum membrum purum maneat. Exemplum hoc eſt, quam impotenter invaleſcat peccati dominatio, ubi ſemel per rimam illapſa eſt. Nec certe mirum eſt, ex hominum in vitia prona lubricitate, alios ab aliis corrumpi, donec ad ſingulos ſerpat contagio. Cum alloquium eſſet finitum, abiit Deus & Abraham rediit in locum ſuum. Hic Raſi: כיון שנשתתק הסניגור הלך לו הדיין Cum obticuiſſet advocatus, ivit judex: נסתלק הדיין נסתלק הסניגור והקטיגור מקטרג לפיכך ובאו שני המלאכים סדומה להשחית: Sublato judice & advocato accuſator accuſat: ideo duo angeli venerunt Sodomam ad perdendum. Philo è tribus illis viris tertium Deum eſſe exiſtimabat lib. de Abrahamo. Deum nempe τὸν πρὸς ἀλήθειαν ὄντα. Qui voluerit bona per ſe mala, mala per miniſtros efficere. Hæc ſuo loco producemus.

Cap. XIX.

Inde Sodomam Missi Angeli] Deus ſubſtitit apud Abraham, donec poſteà in conſortium trium (ut volunt) ſe redderet. Cum ipſo meridie tres illi Abrahamo ſe obtuliſſent, & pranſos dimiſiſſet Abrahamus, veſperi duo Sodomam advenerunt: quæ educto Loto conflagravit. In ſcriptura vocantur angeli quia jam Dei majeſtas cum ipſis non eſſet amplius. Sic Judæi quidam.

In Porta Sedentem: Hinc colligi nequit judicem fuiſſe electum ut Raſi refert. In porta ſolebat eſſe hominum frequens conventus. Illic hoſpites Lot obſervabat, aut cauſam aliam habuit, cur conſideret.

Hospitio Receptos] Cum videret hoſpites, quia jam ſerum erat diei & nox ingruebat, invitavit domum ſuam. Ægre autem, poſt longam & moleſtam invitationem acquieverunt. Calvinus: *Non ſtatim aſſentiuntur angeli, quo melius ſancti viri affectum explorent. Neque enim præbenda tantum cœnæ cauſa domum eos erat ducturus ſed ut à civium vi & injuriis tuendos ſuſciperet. Perinde ergò agunt angeli, ac ſi tutum eſſet in via publica dormire; atque ita perditam totius populi nequitiam ſecrete diſſimulant. Nam ſi ideò clauduntur urbium portæ ut ferarum hoſtiumque incurſus arceatur, quam indignum eſt atque abſurdum gravioribus periculis intus eſſe expoſitos, qui illic degunt? Ergò ad exaggerandum populi ſcelus ita loquuntur angeli. Lot autem angelos cogendo ad ſe venire, ut à communi gentis petulantia eos protegat, melius oſtendit, quantæ ſibi curæ ſunt hoſpites, nequid probri aut injuriæ patiantur.* Lyranus: *Videtur, quod mentiti ſint angeli, quia intendebant ad Domum ejus inclinare? Dicendum quod non: quia licet intenderent finaliter illuc ire tamen non intendebant immediatè ire, ad petitionem primam ipſius Lot: ut per hoc declararetur magis pietas ipſius Lot & daretur aliis exem-*

exemplum hoſpitalitatis. Sane angelorum conſilium erat pro rei præſentis ſtatu, niſi operoſius urgerentur, in platea pernoctare, at mutato ſtatu per ejus inſtantem invitationem, conceſſere. Quod igitur dixerant, Nequaquam ſed in platea pernoctabimus, non eſt prædictio rei futuræ ſed ſignificatio præſentis conſilii. Nulla igitur eſt æquivocatio, nec ullum mendacium, quia indicant ſui conſilii in præſenti veritatem. Vide Rivetum in hoc loco. Hinc non poteſt excuſari Angeli apud Tobiam (cap. 5. 13.) verbum, dicentis ſe eſſe Azariam filium Ananiæ: Ἐγὼ Ἀζαρίας Ἀνανίου τοῦ μεγάλου τῶν ἀδελφῶν σου. Fruſtra eſt Clariſſimus Druſius, comparatione cum his angelicis apparitionibus, purgare ſtudens eam fabulam mendacii. Nam eſto, quod *ſpecies rerum appellentur de nominibus rerum ipſarum*, juxta Canonem Auguſtini, non tamen interrogatus aliquis de ſuo genere, ſine mendacio Angelus ſe dixerit eſſe humani generis, de tali proſapia. Hiſtoricè appellantur res ejus ſpeciei vocabulo, cujus videntur eſſe, at cum de rei natura & ſua ſpecie inquiritur, dicendum eſt quod res eſt in ſe. Non ſolent hiſtorici dicere, de angelo aliquo hoc aut illud individuum hominis eſſe licet illi individuo ſimilem figuram gerat.

Coenatosque] Dicitur in textu Lotum ipſis feciſſe משתה ſymposium & coxiſſe azyma: angeloſque comediſſe. De Azymis quærunt interpretes. Judæi hinc prob re conantur fuiſſe Paſcha, quo ex Moyſis inſtituto infermentata edi debebant. Sic R. Salomo, פסח היה. Lyranus: *Ex hoc loco dicunt Iudæi, quod tempus erat Paſchale in quo præcipitur in lege, quod Iudæi comedant azymos panes ſeptem diebus: & quod Lot iſtam obſervationem didicerat in domo Abraæ. Sic enim aliqua alia cerimonialia ante dationem legis obſervabantur, ut de circumciſione dictum eſt cap. 17. Et de obſervatione Sabbati cap. 2. Ita dicunt hic de obſervatione Paſchali. Sed hoc videtur falſum, quia Exodi duodecimo, ubi agitur de exitio filiorum Iſrael de Ægypto dicitur, quod exierunt nocte Paſchali. Et cauſa, quare tunc comederint panes azymos, aſſignatur: quia non poterant, tunc aliquid fermentare, eò quod Ægyptii cogebant eos exire. Ex quo manifeſtè patet, quod non habebant azyma comedere ex aliqua obſervatione prius inſtituta, ſed ex hoc quod in illo exitu fuerunt coacti uti azymis, inſtitutum eſt ut de cætero in ſolennitate Paſchali azymis uterentur in memoriam ſui exitus de Ægypto. Hoc etiam videtur ex nomine Paſcha, quod tranſitus interpretatur: eo quod illa nocte angelus Domini tranſiit per Ægyptum, Ægyptios percutiens & filios Iſrael ſalvans: & quod eadem nocte filii Iſrael inceperunt exire de Ægypto ſe diſponendo ad exeundum in mane, ut videbitur Exodi 13. ut tranſirent ad terram promiſſionis, propter quod non videtur, quod eſſet anteà aliqua obſervantia Paſchalis: & ideò quando dicitur: coxit Azyma, hoc eſt, quod tales panes citò poſſunt fieri hoſpitibus advenientibus.*

Juventus Improba Ex Oppido] Textus dicit: *Viri urbis, viri Sodom, vallaverunt domum illius, à puero ad ſenem, omnis populus, ab extremo.* Lyranus: *Synecdoche eſt locutio.* Sic *dicitur: Tota civitas currit ad tale ſpectaculum, licet aliquando major pars remaneat. Non enim eſt veriſimile, quod totus populus unius civitatis eſſet circa domum Lot.* Burgenſis: *Iſte paſſus non videtur exponendus hyperbolice. Non enim dicitur hic ſolùm, quod* tota civitas ſeu viri civitatis vallaverunt domum Lot: *ſed ſuper hoc addit:* à puero uſque ad ſenem. *Et adhuc ultra dicit:* Omnis populus ſimiliter. *Vnde datur intelligi, quod omnes fuerint ibi propriè loquendo. Nec debet pro non veriſimili reputari, quod populus valde numeroſus ſit circa unam domum vel caſtrum. Quia dato, quod non omnes ſint prope, ſed aliqui prope ſint & aliqui remote, omnes tamen ſunt circa caſtrum, qui longè vel prope circumdant & intendunt id vallare. Quæ quidem conſideratio in hoc loco non eſt ſine myſterio. Dixerat enim Dominus Abrahæ ſupra 18. cap.* Deſcendam

& vi-

& videbo utrum clamor &c. *Ubi Deus loquens more humano, ut dictum eſt, oſtendit, quod volebat ſe habere in hoc facto Sodomorum ad modum volentis aliquid experiri vel tentare: ſuprà quod conceſſum fuit à Deo, quod ſi inventi fuiſſent decem juſti, quod non delerentur, ut ibidem. Nunc autem in proſecutione facti ſcriptura nos docet, quod non ſolum non erant ibi decem juſti, ſed nec unus præter Lot: & ideò exprimitur in litera, quod à puero uſque ad ſenem omnis populus fuit in iſto facinore. Q. D. Deus fideliter ſe habuit cum Abraam, quia non exercuit ultionem ſuam in Sodomitis, donec per angelos ſuos repertum fuit, quod omnes ſimul à puero uſque ad ſenem, nullo juſto, conveniebant in crimine. Unde Ambroſius in lib. de Abraam:* Audi ſcripturam teſtificantem, circumdederunt domum, ab infante uſque ad ſenem totus populus. Nulla ætas culpæ immunis &c. Hic replicat hyperaſpiſtes Lyrani: *Burgenſis ſe opponit, dicens, propriè debere intelligi: quia omnes prope erant ibi ſicut participes in crimine, & ſolus Lot juſtus ibi repertus eſt. Sed hæc Burgenſis expoſitio ſimpliciter eſt falſa. Pueris enim præcepti non capacibus ſecundum beatum Auguſt. xxi. De civit. Dei, cap. 16. illud facinus imputari non poteſt.* Si enim propriè intelligi debet, *ſicut vult Burgenſis, mulieres ſunt de populo. Et ſic oportuit omnes utriuſque ſexus adeſſe: imò & vagientes in cunabulis, quia ſequitur in litera:* Eos, qui foris erant, percuſſerunt cæcitate à minimo uſque ad maximum. *Eſt igitur hyperbole & quod dicitur à puero uſque ad ſenem oportet accipi excluſive non incluſive propter prædicta. Nec valet argumentum Burgenſis, quia ſolus Lot fuit juſtus, igitur omnes alii fuiſſent ibi in obſidione: & ſic filiæ Lot & uxor ejus cum aliis fuiſſent participes in crimine & ſocietate in obſidione: quod falſum eſt & contra literam. Stat enim ibi neminem præter Lot juſtum fuiſſe & tamen in illo crimine non participaſſe. Et illud beati Ambroſii, per Burgenſem allegatum, quod* ibi nulla ætas erat culpæ immunis, *intelligi debet de ætate præcepti capace ſecundum beatum Aug. ubi ſuprà. Vel dicatur, quod loquitur de peccato originali.* Cl. Rivetus: *Moſes diligentiſſime omnia percurrit, quæ ad judicii Dei & vindictæ neceſſitatem demonſtrandam faciunt: inter quæ prima occurrit, peccantium univerſalitas, ut quiſque videat non mirum eſſe, ſi Deus civitati non pepercerit, in qua omnes ſe iniquitati mancipaverant &c. Ubi primum in genere viros dicit, quos poſtea ſecundum differentias ſpecificat, à minimo uſque ad maximum, ita ut non juvenes pudor, non ſenes ætas abſterruerit, à nefando crimine; non ex uno aliquo civitatis loco, ſed ab extremitatibus, ex quibus accurrunt undique velut ſigno dato. Cum autem deſcribitur Sodomæ deplorata corruptio, ab unius crimine de cæteris civitatibus eodem judicio obrutis judicandum. Nam quia erat velut metropolis, ab ejus moribus de aliis facilis eſt conjectura. Benè notat Ambroſius lib. 1. de Abrahamo patriarcha. cap. 6.* Præſtrui his verbis Divini judicii æquitatem, ne forte quis diceret, quid peccaverunt pueri, ut omnes exitio involverentur? ita nullus ibi juſtus fuit? Audi ſcripturam teſtificantem: Quia circumdederunt domum ab infante uſque ad ſenem, totus populus pariter. Nulla ætas erat culpæ immunis & ideò nullus fuit immunis exitii. Qui poſſibilitatem perpetrandi criminis non habuit, habuit affectum, effœtæ vires ſenum, ſed mens plena libidinis. *Hæc tamen extendi non poſſunt ad infantes uſu rationis carentes, qui tamen eodem judicio juſtè fuerunt involuti. Habuerunt in ſe corruptionis ſemina & jure ſublati ſunt, ne ſuorum exemplo & ductu in idem crimen inciderent: quæ ratione tolerabilior fuit eorum damnatio, quibus non licuit parentum terere veſtigia.* Raſi putat ſic univerſam civitatem intelligi conveniſſe aut participem fuiſſe quod nemo impediverit aut quod nullus juſtus inter illos fuerit. Apparet univerſim corruptam fuiſſe Sodomorum civitatem, & ex una conjicias de reliquis civitatibus. Mirum autem in tam perdita civitate virum juſtum potuiſſe com-

commorari. Teſtatur Petrus, dum in ea degeret, cum gemitu & dolore ætatem egiſſe καταπονούμενον ὑπὸ τῆς τῶν ἀθέσμων ἐν ἀσελγείᾳ ἀναστροφῆς. Βλέμματι γὰρ καὶ ἀκοῇ ὁ δίκαιος ἐγκατοικῶν ἐν αὐτοῖς, ἡμέραν ἐξ ἡμέρας ψυχὴν δικαίαν ἀνομίοις ἔργοις ἐβασάνιζεν. 2. Per. 2. 7. 8.

De ſceleribus Sodomorum.

NOVOS HOSPITES AD STUPRUM] In textu eſt: *Vbi ſunt viri, qui venerunt ad te nocte? Educ eos ad nos ut cognoſcamus eos.* Verbum cognoſcendi ambiguum eſt, ideò Calvinus hoc ſenſu accipit, *quaſi dicerent, Volumus ſcire, quoſnam tu hoſpites in urbem noſtram inducas. Scriptura enim rem pudendam modeſte hoc verbo notare ſolet. Petulantius ergò de nefando concubitu loquuti eſſent Sodomitæ, verum tegendæ ſuæ nequitiæ cauſa hic imperioſè cum ſancto viro expoſtulant, quod auſus fuerit recipere homines ignotos.* Vulgo de flagitatione ad ſtuprum accipitur, idque patere videtur ex oblatione filiarum quam faciebat Lot, qui accurata reſponſione eam objectionem diluiſſet. Joſephus: Οἱ δὲ Σοδομῖται θεασάμενοι τοὺς νεανίσκους εὐπρεπεία τῆς ὄψεως διαφέροντας καὶ παρὰ λώτῳ καταχθέντας ἐπὶ βίαν καὶ ὕβριν αὐτῶν τῆς ὥρας ἐτράπησαν: Raſi: במשכב זכור כמו אשר לא ידעו איש, *Venus præpoſtera, ſicut,* (infra) *quæ non cognoverunt virum.* Aben-eſdras: כנוי לשכיבה. Palam poſcunt ad ſtuprum, ſine ullo pudore, homines flagitioſi. Peccata Sodomorum celebrata in poſteritatem. Apud Eſaiam cap. 1. 10. *Principes Sodomitarum, populus Gomorrhæ,* de ſummè impiis. Cap. 3. 9. *Agnitio vultus eorum reſpondit eis, & peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt.* Significat eos pudore depoſito flagitia ſua prædicaſſe: ita depuduerant. *Ego illum periiſſe puto, cui quidem periit pudor* dicebat ille. Prima duritia oris eſt aſſiduitate flagitioſæ vitæ contracta: quam poëta in quodam notat.

Depuduit, profuguſque pudor ſua ſigna reliquit.

ALtera & major quum flagitia prædicantur. Certum eſt, quod Seneca dixit, *plures pudore peccandi quam bona voluntate prohibitis abſtinent.* Ubi igitur aliquis κεκαυτηριασμένος τὴν συνείδησιν [1. Tim. 4. 2.] & ἀπηλγηκὼς (Epheſ. 4. 18.) bona maxima & reliquias imaginis divinæ depoſuit, profuſe in omnem impietatem ruet. Crimen enim ſuum voluptati erit ipſi, lætabitur adulterio furto & omne genus flagitiis ſceleribuſque. Ezech. 16. 40. *Hæc erat iniquitas ſororis tuæ Sodomæ: Superbia, ſaturitas panis & abundantia & otium ipſius & filiarum ejus: & manum egeno & pauperi non porrigebant. Et elevatæ ſunt & fecerunt abominationes coram me & abſtuli eas ut vidi.* Joſephus; Οἱ Σοδομῖται πλούτῳ καὶ μεγέθει χρημάτων ὑπερφρονοῦντες, εἴς τε ἀνθρώπους ἦσαν ὑβρισταὶ καὶ πρὸς τὸ θεῖον ἀσεβεῖς, ὡς μηκέτι μεμνῆσθαι τῶν παρ' αὐτοῦ γενομένων ὠφελειῶν, μισόξενοι καὶ τὰς πρὸς ἀλλήλους ὁμιλίας ἐκτρέπεσθαι. Judæi valde amplificant Sodomorum iniquitatem ex aliis locis Scripturæ, quæ de illis non loquuntur. Vide in Pirke R. Eliezer cap. 23. Fingunt Sodomitas edictum promulgaſſe, Si quis pauperi & peregrino fruſtum panis dediſſet, vivicomburio puniendum. Pelothit igitur Loti filia nupta cuidam de magnatibus afflicti miſerta, quem ad tempus aluerat, cum res cognita eſſet, comprehenſa eſt ut eo ſupplicio afficeretur. Cum igitur educeretur, clamabat: Deus mundi fac judicium & ſententiam meam à viris Sodomæ. De eo clamore locutum eſſe Deum ad Abrahamum cap. 18. 21. *Videbo, an ſecundum clamorem ejus, qui ad*

A a me

me venit. Hujus ſc. puellæ. Quia in Hebræo fœmininum ſingulare affixum eſt, הַכְּצַעֲקָתָה הַבָּאָה אֵלַי. Cum mentio facta anteceſſerit duarum civitatum, hic tamen refertur ad unam clamor. Sed affixum hoc accipiendum eſt, ut ajunt, diſtributivè, id eſt, *cujuſque earum.* Alii edictum hoc dicunt cauſam fuiſſe hujus confluxus ad ædes Loti. Nam Lotum, cum non auderet interdiu ob metum ſupplicii ex hoc edicto domum deduxiſſe hoſpites. Id viſum à puero & propalatum totam civitatem concivit. Flagitarunt igitur, ut Lotus viros iſtos produceret, ſuæque libidini exponeret. Calvinus quæſtionem injicit & ſolvit: *Hic tamen (*inquit*) oritur quæſtio: nam ſi hoc modo ſolebant quoſlibet hoſpites vexare Sodomitæ, quid aliis factum fuiſſe dicemus? Lot enim non tunc primum hoſpitalis eſſe cœperat, illi autem ſemper fuerant libidinoſi. Filias ſuas probro exponere paratus eſt Lot, ut hoſpites eripiat: quoties jam eas proſtituere neceſſe fuerat, ſi non alio remedio placari poterat eorum rabies, qui viros ad ſtuprum flagitabant? Iam verò ſi tale inſtare periculum Lot noviſſet, hortandi potius erant hoſpites, ut ſe maturè ſubducerent. Meo quidem judicio, tametſi Lot urbis mores noverat, minime tamen ſuſpicatus eſt, quod accidit, ut impetum in ædes ſuas facerent: atque id videtur novum fuiſſe. Sed oportuit ſcilicet cum ad habendum de populo illo examen miſſi eſſent angeli, in hoc deteſtabile facinus omnes prorumpere. Sic impii, poſtquam diu in malitia ſua ſecurè exſultarunt, tandem furioſe ruendo, exitium ſuum momento accelerant. Voluit ergò Deus, cum ad judicium vocaret Sodomitas, quaſi extremum ſceleratæ vitæ actum edere: & ſpiritu vertiginis eos in ſcelus impulit, cujus atrocitas loci interitum longius differri non ſineret. Quemadmodum enim ſancti viri Lot hoſpitalitas inſigni præmio ornata fuit, quod neſciens angelos hominum loco excepit & convivas habuit domi ſuæ: ita Deus graviore pæna ultus eſt obſcœnam aliorum libidinem, qui dum ſtuprum angelis inferre conati ſunt, non tantum in homines fuerunt injurii ſed ſacrilego furore cæleſtem Dei gloriam violarunt, quantum in ſe erat.* Philo egregie diſſerit de iniquitate Sodomitarum, libro de Abrahamo: Ἡ Σοδομιτῶν χώρα μοῖρα τῆς Χαναανίτιδος γῆς, ἣν ὕστερον ὠνόμασαν Σύροι Παλαιστίνην, ἀδικημάτων μυρίων ὅσων γεμισθεῖσα καὶ μάλιστα τῶν ἐκ γαστριμαργίας καὶ λαγνείας ὅσα τε μεγέθη, καὶ πλήθη ἐπιτειχίσασα, ἤδη παρὰ τῷ δικαστῇ τῶν ὅλων κατέγνωστο. Αἴτιον δὲ τῆς περὶ τὸ ἀκολασταίνειν ἀμετρίας ἐγένετο τοῖς οἰκήτορσιν ἡ τῶν χορηγιῶν ἐπάλληλος ἀφθονία. Βαθύγειος γὰρ καὶ εὔυδρος οὖσα ἡ χώρα, παντοίων ἀνὰ πᾶν ἔτος καρπῶν εὐφορίᾳ ἐχρῆτο. Μεγίστη δὲ ἀρχὴ κακῶν, ὥς εἶπέ τις οὐκ ἀπὸ σκοποῦ, τὰ λίαν ἀγαθὰ, ὧν ἀδυνατοῦντες φέρειν τὸν κόρον, ὥσπερ τὰ θρέμματα, σκιρτῶντες ἀπαυχενίζουσι τὸν τῆς φύσεως νόμον, ἄκρατον πολὺν καὶ ὀψοφαγίας καὶ ὀχείας ἐκθέσμους μεταδιώκοντες. Οὐ γὰρ μόνον θηλυμανοῦντες ἀλλοτρίους γάμους διέφθειρον, ἀλλὰ καὶ ἄνδρες ὄντες ἐπιβαίνοντες, τὴν κοινὴν πρὸς τοὺς πάσχοντας οἱ δρῶντες φύσιν οὐκ αἰδούμενοι, παιδοσποροῦντες, ἠλέγχοντο μὲν ἀτελῆ γονὴν σπείροντες· Ὁ δ' ἔλεγχος πρὸς οὐδὲν ἦν ὄφελος ὑπὸ βιαιοτέρας νικωμένων ἐπιθυμίας. εἶτ' ἐκ τοῦ κατ' ὀλίγον ἐθίζοντες τὰ γυναικῶν ὑπομένειν τοὺς ἄνδρας γεννηθέντας, θήλειαν κατεσκεύαζον αὐτοῖς νόσον, κακὸν δύσμαχον. Οὐ μόνον γὰρ τὰ σώματα μαλακότητι καὶ θρύψει γυναικοῦντες, ἀλλὰ καὶ τὰς ψυχὰς ἀγεννεστέρας ἀπεργαζόμενοι, τόγ' ἐπ' αὐτοῖς ἧκον μέρος, τὸ σύμπαν γένος ἀνθρώπων διέφθειρον. εἰ γοῦν Ἕλληνες ὁμοῦ καὶ βάρβαροι συμφωνήσαντες ἐζήλωσαν τὰς τοιαύτας ὁμιλίας, ἠρήμωντο ἂν ἑξῆς αἱ πόλεις ὥσπερ λοιμώδει νόσῳ κενωθεῖσαι. Λαβὼν δὲ ὁ Θεὸς οἶκτον, ἅτε σωτὴρ καὶ φιλάνθρωπος τὰς μὲν κατὰ φύσιν ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν συνόδους γινομένας ἕνεκα παίδων σπορᾶς, ηὔξησεν ὡς ἔνι μάλιστα· τὰς δ' ἐκφύλους καὶ ἀθέσμους διαμισήσας, ἔσβεσε, καὶ τοὺς ὀργῶντας ἐπὶ ταῦτα προβαλόμενος, οὐχὶ τὰς ἐν ἔθει, καινουργίας δ' ἐκτόπους καὶ παρηλλαγμένας τιμωρίας ἐπετιμωρήσατο. Hæc Sigiſmundus Gelenius in hunc modum eſt interpretatus: *Sodomitarum regio, pars Chananaa terræ, quam nunc Syri Palæſtinam nominant, infinitis iniquitatibus referta,*

præci-

præcipuè propter ventris, libidinum, cæterarumque voluptatum ſtudia, jam divino calculo judicata, fuerat. Immodicus autem civium luxus è ſuperflua rerum copia habuerat originem. Accedente enim ad bonitatem agri, aquarum commoditate, omnis generis fructuum quotannis proventus erat maximus. Eſt autem ingens malorum initium, ut quidam, non male conjectans, dixit, nimia bonarum rerum copia, quarum ſatietatem quidam non ferentes, tanquam jumenta laſciviunt, à cervice excuſſis naturæ legibus, verſi ad meracas potiones, cibos opiparos & nefarios concubitus. Non ſolum enim in fœminas inſaniendo corrumpebant alienos thalamos ſed & cum maſculis rem habebant maſculi, nil reveriti naturam communem patrantibus & patientibus & irritam genituram ferentes nulla ſecutura progenie. Nec quicquam proficiebat reprehenſio violentis concupiſcentiis coacta cedere. Atque ita paulatim aſſuefacti viri pati muliebria, effæminatum morbum ſibi conciliaverunt inſanabilem. Recepta enim in corpus fœminea mollitie animos etiam reddiderunt ignaviſſimos, quantum in ipſis erat totum corrumpentes genus hominum. Nam ſi Græci una cum barbaris hos imitati conſpiraſſent in tales coitus, deſertæ fuiſſent omnes deincepscivitates, tanquam ex hauſtæ peſtilentia. Tum Deus ſervator & amator hominum, miſeratione tactus, naturales quidem virorum ac mulierum propter gignendam ſobolem conventus, auxit ut cum maxime, immanes autem illos & nefarios coitus exoſus abolevit, & rabidos eorum patratores aggreſſus, non vulgari aliquo ſed novo mirandoque affecit ſupplicio. Hæc fuit Sodomitarum pravitas, quam nefandam libidinum impotentiam & rabiem puniturus Deus, objicit impudicis formam præſtantium juvenum in angelis: qua irritati (Nam ſine dubio per civitatem rumor eam deprædicaverat) ruunt in ſcelus quo in ipſo facto obruerentur.

De Loti interceſſione pro ſuis hoſpitibus.

LOT PRO HOSPITIBUS FILIAS OFFERENS, NON ACQUIESCENTIBUS] Cum Sodomitæ impotenter & protervè flagitarent hoſpites ad ſtuprum, ſumma anxietate & diligentia interceſſit Lotus. Calvinus: *Quod Lot foras egreditur, ſeque periculo opponit, hinc apparet quanta fide coluerit ſanctum jus hoſpitii. Rara ſanè virtus, quod hoſpitum ſalutem & honeſtatem præfert ſuæ vitæ, quia ſemel protegendos ſuſcepit: hæc tamen animi magnitudo requiritur à filiis Dei, ne ſibi parcant, ubi agitur officium & fides. Quamvis autem jam graviter obſeſſa domo ſua læſus foret, blanditiis tamen mulcere ſtudet feroces animos, dum ſuppliciter rogat, ſcelere ſuperſedeant & fratrum titulo eos dignatur. Apparet autem quam truculenta fuerit illorum immanitas & quam violentus libidinis furor, dum tanta manſuetudine nihil flectuntur. Huc vero tendit tam belluini furoris deſcriptio, ut ſciamus non ante ſumptam fuiſſe de illis pœnam, quam ad extremum ſcelerum progreſſi eſſent.* Joſephus: Τοῦ δὲ λώτου παραινοῦντος σωφρονεῖν καὶ μὴ χωρεῖν ἐπ' αἰσχύνῃ τῶν ξένων, ἀλλ' ἔχειν αἰδῶ τῆς παρ' αὐτῷ καταγωγῆς· εἰ δὲ ἔχουσιν ἀκρατῶς, τὰς θυγατέρας αὐτοῦ ὑπὲρ ἐκείνων ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτῶν λέγοντος παρέξειν, οὐδ' οὕτως ἐπείσθησαν. *Cum autem Lotus eos moneret ſe continerent neque ruerent ad probrum hoſpitum, ſed hoſpitio ſuo non nihil honoris haberent: aut ſi temperare ſibi nequirent, filias ſe pro illis illorum libidini exhibiturum: ne ſic quidem parere voluerunt.* Lot ad tumultuoſius agentes egreſſus eſt foras, oſtio poſt ſe occluſo, ad ſecuritatem ædium & hoſpitum. Blandis verbis eos mollire conatur: *Nolite, quæſo, fratres mei, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quæ needum cognoverunt virum: educam eas ad vos & abutimini eis, ſicut vobis placuerit, ſolummodo viris iſtis nihil mali faciatis, quia ingreſſi ſunt ſub umbra culminis mei. At illi dixerunt: Recede iſtuc. Et rurſus, Ingreſſus es, inquiunt,*

ut advena, nunquid ut judices? te ergo ipſum magis quam hos affligemus. Vimque faciebant Lot vehementiſſime. jamque propè erant, ut effringerent fores. Quod Lot obtulerit filias pro hoſpitum defenſione, in eo oſtendit, quantum pro eis laboraret, at quæritur quam recte id medium adhibere voluerit? Judæi in ilammedenu Lotum improbis aggregant: quaſi cum ab Abrahamo ſegregaretur eligeretque planitiem Pentapolitanam [Gen. 13. 10. 11.] inductus eorum malitiæ amore eò conceſſerit. Ita hic ex perditorum morum imitatione filias obtuliſſe. Nos ſcimus Lotum juſtitiæ ſuæ & Abrahami cauſa eſſe ereptum. Ideò interpretes de hujus facti ratione quærunt, in quantum excuſabile aut damnabile ſit. Lyranus: Habeo duas filias &c. *Hoc dixit ut evitaretur majus malum, ſcilicet vitium contra naturam, & violentia hoſpitum ſuorum: de jure enim naturali eſt conſervare hoſpites, & patet litera. Hic quærendum eſt; Vtrum Loth peccavit offerendo filias illis luxurioſis? Et videtur quod non, quia de duobus malis minus malum eſt eligendum. Sed magis malum eſt vitium contra naturam, quam defloratio virginum per ſtuprum, Ergo &c. Item Moyſes permiſit dare libellum repudii, quod erat illicitum: ſecundum quòd dicit Salvator* Matth. XIX. Ad duritiam cordis veſtri *&c. Et hoc ad evitandum majus malum ſcil. uxoricidium: Vnde dicit Glo. ibidem: Permiſſum eſt eis ut uxores dimitterent, ne eas occiderent: Et tamen Moyſes ſanctus fuit nec in hoc peccavit: Ergo & ipſe Loth potuit concedere filias ſuas ad evitandum vitium contra naturam & violentiam hoſpitum ſuorum. Item licitè permittuntur meretrices in civitatibus, ne omnia turbentur libidinibus, ſecundum Aug. Contrarium videtur perdictum Auguſtini quod Loth turbatus dixit hoc; quia tales commutationes non ſunt faciendæ. Dicendum quod illicitum fuit ſibi concedere abuſum filiarum ſuarum. Charitas enim eſt ordinata, & ideo nullus debet committere aliquid inordinatum quoad ſe, ut præcaveat majori peccato alterius. Vnde ſecundum Aug. libro contra mendacium, etiam ad præcavendum homicidium non eſt mentiendum. Loth autem non potuit offerre filias ſuas modo prædicto, quando conſentiret in re, quod erat peccatum de genere: Non ſolum veniale ſicut mendacium officioſum, ſed etiam mortale. Tamen exoneratus fuit à tanto, etſi non à toto, tum ratione perturbationis mentis in qua erat, tum quod vitio peſſimo in ſuis concivibus, & violentia in ſuis hoſpitibus occurrere intendebat. Ad primum in contrarium dicendum, quod verum eſt in corporalibus, ſed quod homo faciat peccatum quodcunque minimum ad vitandum majus in alio, non eſt licitum, non enim facienda ſunt mala ut veniant bona: Secundum quod dicit Apoſtolus. Ad ſecundum dicunt aliqui, quod Moyſes non conceſſit ex ſe, quia peccaſſet, ſed ex auctoritate Domini, qui poteſt matrimonium conjungere & diſſolvere, prout ſibi placet. Nec illi, qui ſic uxores dimittebant peccabant, quantum erat ex ipſa dimiſſione: ſicut nec filii Iſraël peccaverunt ſpoliando Ægyptios auctoritate Domini, qui poteſt prout vult uni auferre & alteri dare. Poterat tunc eſſe peccatum in dimittentibus ex alia cauſa, ſcil. ſi injuſte odiebant uxores vel hujuſmodi. Sed hoc dictum non videtur conſonum verbo Salvatoris. Mat. XIX. & Marc. X. Quod ſi quis dimiſerit uxorem niſi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur, & qui dimiſſam duxerit moechatur. Quod non eſſet verum, ſi primum matrimonium eſſet diſſolutum, & ideo aliter poteſt dici, quod repudium uxoris fuit permiſſum, quia non puniebatur in lege, non per hoc quod foret licitum, ſicut dare ad uſuram extraneo, ut habetur Deut. XXIV. ubi de hoc planius dicetur. Ad tertium dicendum, quod lex humana permittit meretrices in quantum non punit talem fornicationem, quia non poteſt omnia punire. Sed aliqua rationabiliter permittit Dei judicio punienda. Non tamen licitum eſt legiſlatori ad meretricium vel fornicationem inducere, etiam pro majori malo vitando. Quod autem inducitur, quod de jure naturali*

naturali eſt conſervare hoſpites ſuos &c. *Dicendum, quod quilibet, tenetur hoſpites tueri in quantum poteſt per modum licitum, non tamen debet peccare ad eorum tuitionem propter ordinem charitatis, ut dictum eſt.* Præiit Auguſtinus quæſt. 42. *Quod ait Sodomitis Lot ſunt mihi duæ filiæ, quæ nondum noverunt viros, producam illas ad vos, utimini illis, quomodo placuerit vobis, tantum in viros iſtos, ne faciatis iniquum: quoniam proſtituere volebat filias ſuas hac compenſatione, ut viri hoſpites ejus nihil à Sodomitis tale paterentur, Utrum admittenda ſit compenſatio flagitiorum vel quorumcunque peccatorum, ut nos faciamus mali aliquid, ne alius gravius malum faciat, An potius perturbationi Lot non conſilio (ſic lege) tribuendum ſit, quia hoc dixerit, meritò quæritur? Et nimium periculoſè admittitur hæc compenſatio. Si autem perturbationi humanæ tribuitur & menti tanto malo permotæ, nullo modo imitanda eſt.* Calvinus: *Sicuti non vulgarem laudem meretur conſtantia Lot, quod caput ſuum prohoſpitum defenſione oppoſuerit: ita nunc admixtum fuiſſe defectum narrat Moſes, qui tantam ejus virtutem aliqua macula aſperſit. Conſilio enim deſtitutus (ut in rebus perplexis fieri ſolet) illicitum remedium excogitat. Filias enim ſuas ad ſtuprum proſtituere non dubitat, ut compeſcat indomitum populi furorem. Atqui mille potius mortes obeundæ erant, quam ineunda talis ratio. Sic tamen ferè ſunt ſanctorum opera: quia nihil ab ipſis tam abſolutum exit, quod non aliqua in parte claudicet. Urgetur quidam Lot extrema neceſſitate, nec mirum eſt, quod filias ſtuprandas offert, dum videt ſibi rem eſſe cum feris beſtiis: inconſideratè tamen mali unius remedium quærit ex altero malo. Quod ejus culpam quidam extenuant facilè patior: reprehenſione tamen non caret, quod malum compenſat.* Deinde: *Alii diverſo prætextu Lot excuſant, quod filias ſuas ſciverit minimè expeti. Ego autem non dubito, quin effugium, quod illi primum occurrit, quærere volens à via deflexerit.* Iterum: *Si quis abſurdum eſſe objiciat totum populum duos viros ad ſtuprum captaſſe: reſpondeo, quia crimen illud conſuetudine & uſu ſibi licitum eſſe fingebant, paucis inſtigantibus turbam fuiſſe concitatam; ſicuti contingit ubi nullum habetur recti & injuſti diſcrimen.* Ego exiſtimo, ſi Lot prodidiſſet hoſpites, fuiſſentque homines, uti apparebant eſſe, Sodomitas ſimile quid facturos fuiſſe horrendo facinori Gabaenſium, de quo Judicum XIX. Calvinus porrò: *Quod Lot tam durè cum ſuis precibus repellitur, quibus tamen ad ſedandam eorum proterviam nihil aptius adduci poterat: hinc apparet quam indomitus fuerit hujus gentis faſtus. Ac primò quidem minantur, ſi intercedere pergat, pejus mulctatum iri, quam quos defendit. Deinde exprobrant, quod homo extraneus judicis partes ſibi ſumat. Singulis autem verbis demonſtrant, quæ turgeant ſuperbia. Unum opponunt multitudini, ac ſi dicerent, Quo jure tu ſolus imperium tibi vendicas in totam urbem? Deinde ſe indigenas eſſe gloriantur, illum verò inquilinum.* Non meminerant Abrahami, non beneficii ab Abrahamo toti urbi ob hunc inquilinum præſtiti. Unius enim hujus incolatus, ſalutem urbi dederat, quum eſſent incolæ & bona eorum omnia direpta ab hoſtibus, quæ eripuit reddiditque Abraham, ob cognatum ſuum, expeditione ſuſcepta. At quomodo non eſſent ingrati in homines, qui Dei jugum & naturæ leges abjecerant? Sulpicius noſter, dicit ab Sodomitis ipſum *Lotum ad ſtuprum fuiſſe tractum.* Id ſcriptura non exprimit, nec interpretes annotant.

Sodomitæ ſcotomate percuſſi.

Quum Angeli] Cum Loto vim intentarent improbi Sodomitæ, angeli eum properè intrà ædes ad ſe raptum ab injuria vendicant. Tum Sodomitas percutiunt ſcotomate, qui palpantes & laborantes janua aberrarunt.

Dicuntur percuſſiſſe viros à parvo ad magnum. בַּסַּנְוֵרִים, *cæcitate.* Raſi מכת עורין. Aben-eſdras: פירושו מחשך העין והלב *obtenebratio oculorum & cordis.* Calvinus: *Quod dicit Moſes,* Percuſſos fuiſſe homines cæcitate, *non ſic accipias, quaſi oculis privati vel capti fuerint: ſed ita hebetatos fuiſſe eorum viſus, ut nihil diſcernerent. Illuſtrius autem fuit hoc miraculum, quam ſi eruti prorſus illis vel confixi fuiſſent oculi: quia apertis oculis non ſecus ac cæci palpitant, videndoque non vident. Simul exprimere voluit Moſes, quam ferrea f[illegible]t illorum obſtinatio: januam Lot non inveniunt: ſequitur in ea quærenda laboraſſe: atqui hoc modo furioſè cum Deo bellum gerunt.* Muſculus: *Sunt autem Sonverim confuſi oculorum radii, quibus turbatus fit, ut nihil perſpicuè, ut in ſe eſt, videatur. Quod ſimplex eſt, putatur eſſe geminum: quod propinquum, remotum: quod rectum diſtortum; quod infernum ſupernum: quod dextrum, ſiniſtrum; quod ſiniſtrum, dextrum. Hujuſmodi confuſione radiorum percuſſi Sodomitæ, januam etſi videbant, neque tamen qualis erat neque eo loco, quo erat, videbant.* Quare, *inquit,* fatigabantur, *vel ſi mavis,* laborabant ad inveniendum eam. *Hoc genus cæcitatis prorſus eſt mirabile & impiis hominibus convenientiſſimum. Vident & non vident; quærunt cum labore & non inveniunt. Quod ſi prorſus cæci fuiſſent, à labore quærendi ceſſaſſent.* Deinde: *Poterant angeli efficere, ut etſi januam inveniſſent effringere tamen non poſſent. Verum id erat præclarius, ut ne invenire quidem poſſent, quam effringere volebant, quantumvis ad illam appropinquaſſent.* Lyranus: *Non taliter, quod nihil viderent* (ſc. cæcitate percuſſi ſunt) *ſed quia non videbant ea, quæ quærebant & volebant videre: & vocatur talis cæcitas acriſia: ab α quod eſt ſine & κρίσις, quod eſt, judicium: & taliter percuſſi fuerunt illi, qui quærebant Heliſæum, ut habetur 4. Regum. 6. cap.* Auguſtinus ſuper Geneſin quæſt. 43. *Viros verò, qui erant ad oſtium domus, percuſſerunt cæcitate. Græci habent ἀορασίᾳ quod magis ſignificat, ſi dici poteſt, ovidentia, quæ faciat non videri, non omnia, ſed quod non opus eſt. Nam meritò movet, quomodo potuerunt deficere quærendo oſtium, ſi tali erant cæcitate percuſſi, ut omninò nihil viderent. Sic enim ſua calamitate turbati hac, ulterius oſtium non requirerent.* Ἀορασίᾳ *& illi percuſſi ſunt, qui quærebant Eliſæum. Hanc & habuerunt, qui Dominum poſt reſurrectionem cum illo ambulantes in via non cognoverunt: quamvis non ſit ibi hoc poſitum, ſed res ipſa intelligatur.* Ita etiam Joſephus (ſicuti videtur) intellexit: ὁ δὲ θεὸς ἀγανακτήσας αὐτῶν ἐπὶ τοῖς τολμήμασι, τοὺς μὲν ἠμαύρωσεν ὡς μὴ δυνηθῆναι τὴν εἴσοδον, τὴν εἰς τὴν οἰκίαν, εὑρεῖν. Σοδομιτῶν δὲ κατέκρινε πάνδημον ὄλεθρον. *Deus autem indignatus ob eorum audaciam, hos quidem excæcavit, ut non poſſent in ædes introitum invenire, Sodomitarum autem populum univerſum exitio adjudicavit.* Ἀμαυρόω *obſcurare*, ſenſum duplicem habet, quia obſcuratur, quod amittit effectum item quod amittit facultatem. Dixi eos ſcotomate punitos eſſe, quod non intelligo de affectu illo, qui eſt cum vertigine, Gal. de locis affectis lib. 3. cap. 8. Τὸ σκοτωματικὸν καλούμενον πάθος εὔδηλον κἀξ αὐτῆς τῆς προσηγορίας ὁποῖόν ἐστι. Σκοτοῦνται γὰρ ἐπὶ σμικραῖς προφάσεσιν οἱ πάσχοντες, ὡς καὶ καταπίπτειν ἐνίοτε, μάλιστα μὲν ὅταν αὐτοί που ἐν κύκλῳ περιστραφῶσιν. ὅπερ γὰρ τοῖς ἄλλοις ἐπὶ πολλαῖς περιστροφαῖς συμβαίνει, τοῦτ᾽ ἐκείνοις ἐπὶ μιᾶς· κἂν ἕτερον δὲ ἵνα περιστρεφόμενον ἴδωσι, σκοτοῦνται, κἂν τροχὸν ἤ τι τοιοῦτον περιδινούμενον, αὐτίκα τε τὰς καλουμένας δίνας ἐν τοῖς ποταμοῖς. Συμβαίνει δ᾽ αὐτοῖς τοῦτο μᾶλλον ἐὰν ἡλιωθῶσιν, ἢ πως ἄλλως θερμανθῶσι τὴν κεφαλήν. Σκοτόδινος & σκότωμα Unum ſunt. Alterum nomen eſt à vertigine, alterum ab obtenebratione. Nam, quibus obtenebrantur oculi ab illo affectu, vertigo in cauſa eſt; hic autem ſine vertigine obtenebratio fuit. Deus oculis offudit vel intus vel extus nebulas ſive alienas imagines, quia facultatem videndi ademiſſe certum eſt, nec etiam caliginem rebus obduxiſſe. Simul perturbatum judicium, ut

non

non animadverterent ſe videre, quod videbant putarentque videre quod non videbant.

• *De eductione Loti extra Sodoma.*

INde aperiunt angeli, qui eſſent, quid veniſſent. In apparitione apud Abrahamum non exprimit Moſes, quando prodiderint ſe, quamvis Joſephus poſt riſum Saræ id eſſe factum putet: *οὐκέτι κατέσχον λανθάνοντες ἀλλ' ἐμήνυσαν ἑαυτοὺς ὄντας ἀγγέλους τοῦ θεοῦ, καὶ ὅτι πεμφθείη μὲν ὁ εἷς σημαίνων περὶ τοῦ παιδὸς, δύο δὲ σοδομίτας καταστρεψόμενοι.* Nempe hæc reſpiciunt ad cap. 18. v. 17. Dixit Dominus, An celabo Abrahamum? Dicebant igitur Loto: *Habes hic quempiam tuorum generum aut filsos aut filias: omnes, qui tui ſunt, educ de urbe hac. Delebimus enim locum iſtum, eò quod increverit clamor eorum coram Domino, qui miſit nos, ut perdamus illos.* Rogant Lotum de iis, quos extra domum haberet, ad familiam ſuam pertinentes. Hic illud venit notandum, quod Angeli rogent Lotum de filiis, cum filium nullum habuerit. Judæi dicunt ex hoc, quod intelligantur nepotes ex filiabus duabus, quæ enupſerant. בני בנתיך הנשואות. Sic Raſi. Aben-eſdras autem אם יש לך חתן או בנך או חתנים שהם כבנך או כבנתך/ An, eſt tibi gener aut filii? aut generi qui ſunt ſicut filii aut filiæ. Vult igitur Abeneſdras literam præfixam ſimilitudinis ſignificativam deeſſe. Mercerus in illa etiam ſententia eſt, quod Lot duas alias filias elocaverit generis, qui cum generis perierint Sodomis. Nam non putat veroſimile, quod filias deſponſatas oblaturus fuerit in ſtuprum. Ejus igitur & Judæorum opinio eſt filias duas Loti periiſſe, duas ſervatas eſſe. Quo etiam facere videtur, quod v. 15. dicatur in exeuntium recenſione: Tolle uxorem tuam & duas filias הנמצאות/ quæ tibi in promptu ſunt, quas domi habes. q. d. Omitte immorigeras, quia feſtinandum eſt. Nos tamen putamus illam phraſin לוקחי בנותיו/ non poſſe verti, qui acceperant, ſed qui accepturi erant. Quod Lot filias deſponſatas obtulerit, id gravat peccatum, ſimulque oſtendit magnitudinem perturbationis. Raſi & Abeneſdras inter vocem חתניו & לוקחי בנותיו diſtinguendum eſſe putat: החתניו notare generos, qui poſſidebant & acceperant alias duas majores filias Loti, alterum ſponſos, שאותן שבבית ארוסות/ להם quod ipſæ quæ in domo, eis eſſent deſponſatæ. Sponſæ enim virgines in ædibus parentum uſque ad nuptias. Ego puto id datum Loto, quod ipſe & familia ſervati ſunt. Deum etiam præveniſſe ne viri ſanctiſſimi filiæ impiis jungerentur, quamvis ſe & patrem graviſſimo poſteà facinore involverint. Quod dicitur הנמצאות accipio oppoſite ad maritos, ſive ſponſos. Lyranus: *Ex hoc dicunt Hebræi, quod Lot habebat duas filias maritatas in civitate, quarum filii hic filii Lot vocantur. Sed hoc non videtur verum, quia infra dicitur, quod Lot ivit ad generos ſuos, qui accepturi erant filias ſuas, ut eos ſalvaret: & multò fortius ſi habuiſſet in civitate filias maritatas & nepotes, citius iviſſet ad ſalvandum eos.*

PROPERE CUM UXORE ET FILIABUS] Loti verba generis ſeu ſponſis indicantis imminens exitium & ſuadentis exitum ludibrio fuêre. Ipſe etiam propere non eſt egreſſus ſed eductus cum moras necteret. Quamvis admonuiſſent angeli Lotum ſerio, ut excederet, tamen tergiverſatione & mora coëgit angelos manus injicere & extrahere tardantes. Duo igitur angeli, ſub virorum ſpecie, apprehenſis manibus Loti uxoriſque & duarum filiarum eos educunt ſtatuuntque extra urbem, coram Domino. Quod innuere videtur ſingularis numerus XIX. 17. & ſeqq. Id factum ſub auroram v. 13.

Domini colloquium cum Lot. Cap. xix. v. 17. 18. 19. 20. 21. 22.

DEus Lotum ſuoſque affatur: non fuit Angelus, qui his locutus eſt. Belgica verſio ad hoc ſignificandum majuſculam literam H ſcribit in voce Hy: *So ſeyde Hy.* Non eſſe Dominum, qui ſic ſingulari voce ſignificatur, ex eo putant indicari, qui aliter ſentiunt, quoniam. I. de Loto reſpondente ſeu excipiente dicitur, quod locutus ſit אלהם *ad ipſos.* 2. quia ille, qui loquitur, dicit ſe non poſſe quicquam facere, antequam Lotus in locum refugii perveniſſet. Id enim non videri eſſe Domini pro arbitrio agentis, ſed angeli mandati argumento adſtricti. Reſponderi poteſt, ad I. inter illos duos angelos adfuit tertius Dominus, poſtquam Abraham reliquerat, quia videtur extra urbem, dum angeli duo ſua apud Lotum exſequuntur, eumque educunt, ſubſtitiſſe, progreſſus ad eum locum poſt abitum Abrahami. Qui unum è tribus alloquitur: è tribus idem agentibus, eandemque legationem adminiſtrantibus, de re legationis, omnes alloqui videtur. Loti ſane oratio eſt directa ad unum. Id etiam agnoſcit Raſi: אחד מהם היה שליח להצילו וחברו להפוך סדום לכך נאמר ויאמר המלט ולא נאמר ויאמרו *Vnus ex illis fuerat miſſus ad eruendum Lotum, alter ad ſubvertendum Sodomam, ideò dictum* ויאמר *non* ויאמרו. Hoc falſum eſt, uti patet ex ſuperioribus, ubi dictum de perditione כי משחיתים אנחנו ſicuti hoc eodem verſu, de quo agimus, ſuper liberatione, מוציאם אותם. Utrumque igitur & ſervare Lotum & perdere Sodomam, in legatione utriuſque fuit. Unde corruit hypotheſis Judaica, Unum angelum ad unam ſolummodo legationem ſeu rem mitti. Ad 2. ſeipſum per ſuam benignitatem Deus ad hoc alligaverat, qui ab alio ligari nequit. Quod fuerit Deus, Patet. 1. alloquitur eum unicum voce אֲדֹנָי. De quo idem Raſi: רבותינו אמרו ששם זה קודש שנאמר בו להחיות את נפשי מי שיש בידו להמית ולהחיות ותרגומו בבעו כען יי׳ *Magiſtri noſtri dicunt, quod hic ſit ſacrum, quia dicitur de eo vivificare animam meam: quis eſt, in cujus manu ſit occidere & vivificare? Thargum ejus eſt, in obſecratione Domini.* כען in Thargum non invenitur. At Aben-eſdras: *Profanum eſt, at* [נקמץ] *notatur cum Camets, ob* (סוף פסוק) *finem verſus.* Dixit autem *R. Samuel Hiſpanus princeps* (הנגיד) *b. m. quod* אל נא *ſit ex ordine* הואל, *at juxta ſententiam eſt idem ac* לא, *quia poſtquam dixerant ipſi (verſus montem eripere) reſpondet: Non ita domini mei: Et loquitur uni ex illis* (ſcil. in ſequentib. [עבדך] *ſervus tuus, quia patebat in oculis ſuis,* quod iſte *magnus: etiam inter angelos ſunt principes.* 2. quod attribuantur ei propria Dei, In vita conſervare & occidere. Veniam facere petitionis pro ſuo arbitrio.

Dominus præcipit Loto: *Eripitor, propter animam tuam, ne reſpicito retrò, verſus montem Eripitor, ne pereas. Propter animam tuam*: Hinc eliciunt Judæi, quod Lot moram fecerit ob divitias eo in loco relinquendas, Raſi: דייך להציל נפשות אל תחום על הממון *Sufficit tibi ſalvare animas, ne cura angat te opum.* Lotum, qui Dei miſericordiam admiratus & ſolicitus fuit de vita, non putaverim cogitaſſe, in tanto diſcrimine & ſtupore de bonis. Deus monet vitæ periculum eſſe ſi motetur. Deinde interdicit, ut ne retrò reſpiciant inter abeundum. *Ne reſpicito*, ſingularis pro plurali. Tu & omnes qui tui. Raſi: אתה הרשעת עמהם ובזכות אברהם אתה ניצול אינך כדאי לראות בפורענותם ואתה ניצול: *Tu impie egiſti cum illis & merito Abraham ſalvaris: Non eſt tibi ſatis ut intuearis pœnam eorum & eripiaris.* Putat Lotum non ſua pietate ereptum ſed ob meritum Abrahami. Nempe cum Sodomitis peccaviſſe eorum impietate ſeductum. Ideo illi vetitum retrò oculos reflectere, ut intueretur in judicium eorum. Tanti igitur meriti non fuiſſe, qui admitti potuerit ſpectatum pœnas.

pœnas. Dominus Jeſus Luc. XVII. 31. 32. videtur interpretari de rerum relictarum deſiderio. Qui vocatur à Deo è mundo, animum à ſeculi rebus abſtrahat, nec retrò reſpiciat. Qui vocatur ad cæleſtium & ſalutis fruitionem, non debet animum reflectere ad terrena & interitura ac interitum afferentia. Calvinus: *A tergo autem reſpicere vetatur Lot, ut ſentiat peſtiferum ſe domicilium relinquere. Primum, ne quo ejus deſiderio titilletur: deinde ut melius reputet quam ſingulari Dei beneficio ex inferis emerſerit. Prius retulit Moſes, quam fœcunda eſſet ac opima illa planites: inde migrare Lot jubetur, ut ſentiat quaſi è medio naufragio ſe fuiſſe liberatum. Tametſi autem Sodomæ habitans cor ſuum aſſidue excruciabat, fieri tamen vix potuit, quin ex profunda ſcelerum colluvie aliquid ſordis contraheret: nunc itaque à Domino purgandus deliciis privatur, in quibus ſibi nimium placuerat.*

Addit Dominus: Ne ſteteris in tota hac planitie, donec evaſeris in montem. Univerſa illa planities Jordanis, per quam Jordanes fluit, relinquenda erat illa parte. Raſi putat impoſitum ipſi eſſe ut in montem fugeret, in quo erat Abraham. Nam de Abraham dictum eſt [Geneſ. 12. 8.]. quod ſe tranſtulerit ad montem, qui inter Bethel & Ai. ואף עכשו היה יושב שם שנאמר אל המקום אשר היה שם אהלו בתחלה ואף על פי שכתוב ויאהל אברם וגו' אהלים הרבה היו לו תמשכו עד חברון: *Et etiam nunc ſedebat illic.* Q. D. (XIII. 4.) Ad locum ubi fuerat ejus tabernaculum primò. *Et quamvis ſcriptum ſit* [XIII. 18.] Et erigebat tabernaculum &c. *Multa tabernacula habuit, quæ extendebantur uſque Hebron.* Quam hoc ineptum eſt dicere, quod Abrahami tentoria protenſa fuerint à monte juxta Bethel uſque Hebronem? Non enim ſequitur, ſi Abraham ex Ægypto reverſus ad montem Bethel redierit, quod noluerit relinquere montem illum, ita ut tranſlatio manſionis in Elone Mamre nihil ſit aliud quam protenſio & multiplicatio tentoriorum uſque ad Elone Mambre. Montem inter Bethel & Ai nimis remotum eſſe à Zoar & planitie maris mortui, quam ut illuc evadere jubeatur Lotus, dicit res ſituſque loci. Et ut eò uſque ab Hebrone tetendetit Abraham, delirium eſt.

Lotus trepidatione plenus, cum metueret humanum ad illicita deſiderium, petiit à Deo hanc, ad ſuperius beneficium, gratiam: concederet evaſionem in proximum oppidulum. Id dicebat parvum eſſe. Unde loco illi factum eſt nomen צער, cum prius Bela appellaretur. Deus illius rei veniam dat, dicitque feſtinandum eſſe, quia antequam Lotus in eum locum perveniſſet, nihil aggredi poſſet. Docemur Zoar, oppidulum, Aſphaltiti proximum, juxta torrentem Cedron, qui eo loco in lacum illum influit, haud procul Sodomis abfuiſſe. Nam Lotus, qui media, nocte fuerat eductus è Sodomis Sole oriente id oppidum eſt ingreſſus. Lotus dicebat id oppidulum eſſe propinquum & parvum. *Hinc argutantur Judæi: Parvum appellari, quia ejus ſcelera minora eſſent ob paucitatem incolarum ut poſſet illi condonari. עונותיה מועטין ויכול אתה להניחה. Si igitur illi parceret angelus, in ea Lotum ſalvari poſſe. Nos exiſtimamus oppiduli illius eandem fuiſſe impietatem & idem meritum, cui Deus gratiam fecerit ob Loti deprecationem. At quod dicit קרבה/*propinqua*, hinc nugantur ejus conditum recentiorem eſſe Sodomorum conditu: quaſi vox ea non ſitum loci, ſed ætatem notaret. At quanto fuit oppidum id recentius? Anno uno. Unde hoc? Dixit Lot נא אמלטה נא, נא in Gematria quinquaginta & unus. Tot igitur annos habebat hoc oppidum. Sed Sodoma habebat annos quinquaginta duos. Id ſic eruunt: Extremo anno Phaleg condita eſt Sodoma, quia eo anno evenit confuſio linguarum & diſperſio gentium. Ab illa igitur habitatione terrarum cœpit condi Sodoma. Phaleg mortuus eſt anno Abrahami 48. Hinc ad annum ejus nonageſimum no-

num ſunt 52. Ita Raſi in hunc locum. In codice Sabbath cap. 1. fol. 10. pag. 1. Raſi etiam obſervat, quod angelus dicat: *Non potero quicquam facere.* Dicit hanc eſſe pœnam angelorum, qui dixerant nos perditum imus ותלו הדבר בעצמו *& rem de ſe ſuſpenderant: ideo inde* non diſceſſiſſe donec eſſent purgati, dicendo, quod res ea non eſſet ſui arbitrii. In oppidum hoc ſe evadere optat, quia exiguum eſſet oppido exiguo parcere, quia propinquum, cum mons longius diſſitus eſſet, in quem, ſine tranſgreſſione præcepti, de non reſpectando, vix poſſet elabi. Ineptum igitur eſt, quod Judæi dicunt: Abrahami inhabitationem in hoc monte eum metuiſſe, quia cum apud Sodomenos eorum comparatione juſtus Deo viſus eſſet, apud Abraham poſſet videri injuſtus. Alii dicunt metuiſſe ruinam montis, quia proxima poſitione eſſet. Vel quia ſenex erat, ne frigore conficeretur.

• *De uxore Loti in ſtatuam ſalis converſa.*

IN MOLEM CONVERSA] In ſcriptura: *Et reſpexit uxor ejus poſt eum & facta eſt ſtatua ſalis.* Obſervat Mercerus illud מאחריו ſic eſſe accipiendum, ut intelligamus Lotum præeuntem comitatam fuiſſe ejus uxorem, quæ pone reſpexerit. *De poſt eum* ſonat litera. Cum ipſa pone ſequeretur inde reflexit oculos verſus Sodoma. Cauſam reſpiciendi hanc fuiſſe conjiciunt, quod eſſet è Sodomitanis oriunda & quod amore bonorum relictorum & patriæ teneretur: ſive quod curioſitate impulſa fuerit. Exiſtimat Mercerus, quod ſatis procul à marito in via reſtiterit, non recta & diligenter eum ſecuta. *Alioqui ſi prope maritum fuiſſet mirum ni & ille eadem plaga correptus fuiſſet ſed videtur ille jam perveniſſe in Sogor, ubi erat ſervandus, cum illa adhuc in via eſſet & plaga jam cœpiſſet: itaque comprehenſa eſt ſulfure & igne cælitus depluente, quo aër erat refertus: ut ita cælitus percuſſa nihil mirum ſi obriguerit in ſtatuam ſalis, ejus oſſium compage abeunte; qui cum ſulfure, ut dixi conjunctus erat & ad ſulfuris naturam accedit: non quod forſan totum ejus corpus in ſal abjerit, ſed quod ſalis ſpeciem extrinſecus habuerit, ita obrigens vi tempeſtatis. Nec debet hoc alienum profanis hominibus videri. An non videmus ita eorum, qui fulmine tacti ſunt, corpora obrigeſcere?* Quidam putant vocem *ſalis* ſignificare perpetuitatem, ut *fœdus ſalis* Hebræis dicitur, id eſt firmum & perpetuum, Num. 18. 19. Sed illic *locutionem eſſe figuratam* (Riveti verba ſunt) *liquet, quia pactum cum ſit actio relativa inter duos, non poteſt in ſalem converti: poteſt tamen ſale adhibito ſanciri, quemadmodum olim ſacrificia fuerunt ſale condita. Intelligimus itaque corpus illius mulieris in ſalis ſtatuam eamque duriſſimam, concreviſſe intus & foris, in perpetuam rei memoriam; ſicut propriè intelligendum apud Moſes Deut. 29. 23.* Sulphure & ſale exurendam terram, *ad exemplar Sodomi &c. Vnde etiam locus, in quo fuerunt civitates incenſa,* mare ſalis *appellatur. Itaque non eſt improbabile, Deum id effeciſſe vi ignis & ſulfuris cæleſtis, quo miſera illa fœmina, quaſi fulmine tacta, obriguit & quaſi in calcem verſa eſt. Quicquid de eo ſit id eſt de modo res ipſa explorata eſſe debet.* Potuit Dei manus, materiæ corporis, antea humani, aliam formam conciliare. Potuit baculum Moſis in ſerpentem convertere. In natura videmus, quæ æque admiranda ſunt. Si lubet hic miraculum agnoſcere à potentia Dei, agente ſupra vim & ordinem naturæ, in natura tamen ſimilia videmus. Eſt enim omnium rerum naturalium, quæ ex elementari materia conſtant, ſua quædam ſubſtantialis forma, quem ſpiritum appellare poſſumus, à quo omnis proprietas omniſque operatio. Hæc corpora fabricatur, ut in corporibus facultatum omnium actionumque origo eſt. Spiritum lapidificum Phyſici obſervarunt, qui corpora apprehenſa in lapidum duri-

tiam

tiam convertit. Eum aquis alicubi ineſſe Plinius annotavit lib. 2. cap. 103. *In Ciconum flumine & in Piceno lacu Velino lignum dejectum lapideo cortice obducitur, & in Surio Colchidis flumine, adeo ut lapidem plerumque durans adhuc integat cortex. Similiter in flumine Sylaro, ultrà Surrentum, non virgulta modo immerſa verum & folia lapideſcunt, aliàs ſalubri potu ejus aquæ.* Scaliger exercitat 59. 12. *Singularis nunc miraculi ſubtexenda hiſtoria eſt, ubi de aquis agimus. Allata eſt Franciſco regi optimo maximo concha non admodum magna, cum avicula intus bene perfecta, alarum faſtigiis, roſtro, pedibus hærente extremis oris oſtraci. Viri docti, quorum ille pius parens fuit ſimul & munificentiſſimus obſervator atque etiam conſervator, mutatum in aviculam ipſum oſtreum exiſtimarunt.* Qui ſpiritum lapidificum norunt, dicent potius aviculam mutatam eſſe in lapidem. In corporibus animalium lapides naſcuntur è materia ſuccoque ſpiritum & ſeminalem vim lapidum continente. Sennertus ex Aventino refert, anno 1343. è terræ motu plures quam quinquaginta ruſticos, cum vaccis, quas mulgebant, exſtinctos & corpora in ſalis ſtatuas converſa eſſe. Eſt igitur Spiritus in ſalis ſpecie, qui in lapidem convertit. Spiritum ejuſmodi ſalis Deus immittere potuit ex aëre, ſalis & ſulfuris referto, quo mulieris corpus obriguit. Species ſalis, in quem converſa eſt, fuit duriſſimi non friabilis, ut lapidis ſpeciem habeat. Joſephus: *Ἡ δὲ Λώτου γυνὴ παρὰ τὴν ἀναχώρησιν εἰς τὴν πόλιν συνεχῶς ἀναστρεφομένη καὶ πολυπραγμονοῦσα τὰ περὶ αὐτὴν, ἀπηγορευκότος τοῦ θεοῦ τοῦτο ποιεῖν εἰς στήλην ἁλῶν μετέβαλεν. Ἱστόρησα δ' αὐτήν. ἔτι γὰρ καὶ νῦν διαμένει.* De illa ſtatua veteres multa. Viſam à ſe eſſe dicit Joſephus, de forma nihil habet. Alii lineamenta muliebria retinere imo mulieris naturam oſtendere. Irenæus lib. 4. cap. 51. *Et cum hæc fierent Uxor remanſit in Sodomis, jam non caro corruptibilis ſed ſtatua ſalis ſemper manens & per naturalia ea, quæ ſunt conſuetudinis hominis oſtendens, quoniam & Eccleſia, quæ eſt ſal terræ, ſubrelicta eſt in confinio terræ, patiens quæ ſint humana. Et dum ſæpe auferantur ab ea membra integra perſeverat ſtatua ſalis, quod eſt firmamentum fidei, firmans & præmittens filias ad Patrem ipſorum.* Dixerat prius: *Qui reliquit in confinio uxorem ſuam ſtatuam ſalis uſque in hodiernum diem.*

Cyprianus ſive Tertullianus:

Namque comes conjux, heu me, male tum quoque legis
Fœmina non patiens, divina ad munera cæli
Audaces oculos nequicquam ſola retorſit;
Non habitura loqui, quod viderit & ſimul illic
In fragilem mutata ſalem, ſtetit ipſa ſepulchrum,
Ipſaque imago ſibi formam, ſine corpore ſervans;
Durat adhuc etenim nuda ſtatione ſub æthram,
Nec pluviis dilapſa, ſitu, nec diruta ventis:
Quin etiam ſi quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet.
Dicitur & vivens alio jam corpore ſexus,
Munificos ſolito diſpungere ſanguine menſes.

Sedulius:

Lot Sodomæ fugiente chaos, dum reſpicit uxor,
In ſtatuam mutata ſalis ſtupefacta remanſit,

Ad pœnam converſa ſuam: quia nemo retrorſum
Noxia contempti vitans diſcrimina mundi,
Reſpiciens ſalvandus erit, nec debet arator
Dignum opus exercens, vultum in ſua terga referre.

Brocardus in deſcriptione terræ ſanctæ: *A Iericho quinque ſunt leucæ contra Auſtrum, ad oppidum Segor, ſub monte Engaddi poſitum, inter quem montem & mare mortuum eſt ſtatua ſalis, in quam uxor Lot fuit converſa: pro qua videnda multum ſubii laboris ſed incaſſum. Nam averterunt me Saraceni, dicentes locum non carere periculo, propter ſerpentes, vermes & feroces beſtias ibi habitantes: ſed poſteà comperi rem non ita ſe habere.* Lyranum nunc audiamus: *Dicunt autem Hebræi, quod hoc fuit, quia nocte præcedenti peccaverat in ſale, ut ſic pœna correſponderet peccato. Petenti enim Lot ſal pro condimento cibi angelorum, quos homines credebat, ipſa renuit apportare: quia ſecundum modum Sodomorum, inter quos habitabat, affectum ad hoſpites non habebat. Noſtri autem expoſitores dicunt, quod factum ſit in figura. Sal enim condimentum eſt ciborum, & ideò uxor Lot reſpiciens retrò verſa eſt in ſtatuam ſalis; quia punitio ejus dat condimentum ſapientiæ pœnitentibus: ne ad priſtina peccata revertantur. Propter quod & ipſe Dominus dixit Lucæ 17.* Memores eſtote uxoris Lot. *Et iſta expoſitio licet myſtica videatur, poteſt tamen dici literalis. Prophetæ enim ſancti qui prophetabant ſpiritu Domini, aliquando prophetabant verbis: ſic Ieremias deſtructionem prædixit urbis Hieruſalem, Hierem. 35. Aliquando autem prophetabant factis. Sic idem Hieremias poſuit catenas ligneas in collo ſuo (Hieremiæ 27.) ad deſignandum: quod ſic ducerentur catenati in Babylonem. Et eodem modo dicendum, quod ipſe Dominus, cujus ſpiritu locuti ſunt prophetæ, aliquando inſinuat futura verbis,* ut patet quaſi innumerabilibus exemplis in ſcriptura aliquando factum: ſicut in hoc loco de uxore Lot & pluribus aliis. In כלי יקר ſcribitur quod juxta verba magiſtrorum נעשית נציב מלח לפי שחטאה במלח: quia non dediſſet pauperi eleemoſynam è divitiis ſuis & in ipſos hoſpites angelos avara fuiſſet. Quia legitur in maſculino אפה מצות quod Lot non uxorem cibis parandis ſignificetur occupatos fuiſſe. Hinc בתוך ההפכה הגדולה ההיא in tanta ſubverſione; anxia fuit de opibus, non eo fine, quod caperet facere צדקה. Inde כי במלח ממון חסר חטאה ובמלח נדונה Philo in libro legis Allegoriarum: Πολλαῖς γὰρ ψυχαῖς μετανοίᾳ χρῆσθαι βουληθείσαις οὐκ ἐπέτρεψεν ὁ θεός, ἀλλ' ὥσπερ ὑπὸ παλιῤῥοίας εἰς τοὔμπαλιν ἀνεχώρησαν. τρόπον τινὰ καὶ Λὼτ γυναικὸς τῆς λιθουμένης διὰ τὸ Σόδομαν ἐρᾶν καὶ ἐς τὰς κατεσκαμμένας ὑπὸ τοῦ θεοῦ φύσεις ἀνατρέχειν. *Multis enim animabus pœnitentiam expetentibus non conceſſit Deus, ſed tanquam æſtu reſluo abreptæ ſunt retrorſum: quemadmodum & Lot uxor in ſaxum verſa eſt propter adamata Sodoma & quia ad naturas à Deo ſubverſas recurreret.* Dicit uxorem Loti λιθουμένην in lapidem converſam, ut ſignificet ſalis duritiem.

De interitu Sodomorum & regionis vicinæ.

CUm Lotus Segor intraſſet, ſub ortum Solis, divina ultio effundi cœpit. Dicit Scriptura: *Pluit Dominus à Domino ignem & ſulphur ſuper Sodomam & Gomorrham.* Judex & autor vindexque mali Deus eſt, qui malum culpæ malo pœnæ punit. At eſt in textu יהוה מיהוה Quod Raſi urget eſſe nominis repetitionem loco pronominis, dicitque דרך במקראות לדבר כן alii tamen emphaſim ineſſe ſtatuunt, doceri que judicium cæleſte coiiſſe cum terreno. Sed de hoc alias.

Tempus punitæ Pentapoleos fuit ortus Solis. De quo ita Raſi בעלות השחר כמו שנאמר וכמו השחר עלה שעה שהלבנה עומדת ברקיע עם החמה לפי שהיו מהם עובדין לחמה ומהם ללבנה אמר הקב״ה אם אפרע מהם ביום יהיו עובדי לבנה אומרים אילו היתה לבנה מושלת לוא היינו חרבין מלתו ואם אפרע מהם בלילה יהיו עובדי החמה אומרים אילו היה ביום כשהחמה מושלת לא היינו חרבין לכך כתוב וכמו השחר עלה ונפרע מהם בשעת שהחמה והלבנה מושלים: *In aſcenſu auroræ ſicut dictum eſt v. 15:* cum aurora aſcenderet. *Hora, qua Luna ſtabat in firmamento cum Sole quia quidam eorum ſolem colebant, alii Lunam, dicebat Deus bened. Si ultionem ſumam de ipſis, interdiu, dicent cultores Lunæ, ſi Luna dominaretur, non interiremus omnes: Et ſi noctu, dicent cultores Solis, ſi eſſet dies, quando Sol dominatur, non interiremus. Ideo ſcriptum eſt: Cum aſcenderet aurora: Et ultio ſumpta de illis eſt, cum Sol & Luna dominarentur.* Hæ nugæ non conſiſtunt, quia ſcriptura diſtinguit tempus ſeu articulum, quo angeli Lotum de exitu urgebant, ab articulo, quo ingreſſi ſunt Segor. Cum urgerentur exire & egrederentur, aſcendebat aurora, cum Segor ingrederentur, ortus erat Sol. Rectè hinc elicitur tantam diſtantiam fuiſſe Sodomæ & Segor, quantam conficere potuerunt eo tempore, quod fuit inter auroræ & Solis exortum. Quod ſpatium non adeò longum eſt: quamvis feſtinabundi majus ſolito ſpatium peregerint. Id tantum Moſes notare voluit, non eſſe exitium Sodomis illatum antequam ſaluti Loti conſultum eſſet.

Moſes hunc interitum ita deſcribit: *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem a Domino de cœlo: & ſubvertit civitates has* &c. Igne & ſulphure de cœlo immiſſis perierunt. Sal videtur addi Deuteron. 29. 23. Ignis injectus eſt, qui conſumeret, ſulphur, materia alendo igni, ſal ad perpetuam ſterilitatem, cui demnata erat regio. Ita perierunt quatuor urbes Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim cum vicis ſubjectis, totaque regione, hominibus omnis ætatis & ſexus, animalibus & ſtirpibus, communi exitio abſorptæ. Fingunt Judæi, quod immiſit Deus, primò pluviam fuiſſe, in deſcenſu mutaſſe in ſulfur & ignem, בתחלה מטר נעשה גפרית ואש. Hoc Judaicum ſine autoritate Scripturæ figmentum eſt. Quia in Hebræo eſt vocabulum ויהפך quod ſubvertendi habet ſignificationem, qua etiam voce ſolet hujus cladis memoria repræſentari, hinc fingunt in una rupe quatuor urbes conditas fuiſſe, cujus ſubverſione tali, qua pars inferna facta ſit ſuperna, everſio contigerit. Hæc etiam Raſi, qui libenter majorum deliria ſequitur: ארבעתם יושבות בסלע אחד והפכן מלמעלה למטה שנאמר בחלמיש שלח ידו וגו. Exiſtimat eò alluſum eſſe Jobi 28. 9. Non fuit in rupe ſed in fertiliſſima camporum planitie iſtarum urbium poſitus, ut Moſes ipſe teſtatur, qui ככר appellat. Appellata fuit vallis Siddim Gen. 14. 3. Nam in valle fuit regio, montibus Judææ & Arabiæ cincta niſi qua à Septentrione Jordanes influit & vallis continuatur uſque ad Libani fines. Hanc enim vallem univerſam Jordanes permeat, donec lacu Aſphaltite hauriatur. Joſephus eam everſionem ita deſcribit ὁ δὲ θεὸς ἐνσκήπτει βέλος εἰς τὴν πόλιν, καὶ σὺν τοῖς οἰκήτορσι κατέπρησε, καὶ τὴν γῆν ὁμοίᾳ πυρώσει ἀφανίζει, ὥς μοι καὶ πρότερον λέλεκται τὸν Ἰουδαϊκὸν ἀναγράφοντι πόλεμον. *Deus autem telum jaculatur in urbem & cum habitatoribus comburit, terramque eadem immiſſione ignis exterminat, ut mihi & prius dictum eſt Judaïcum conſcribenti bellum.* Phraſin Joſephi carpit Salianus, quod ethnicos potius imitatus ſit, quam Moſen. βέλος ἐνσκήπτειν Homerica imitatione dictum eſſe videri poſſit: Sic Ιλ. α.

Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσι. Et:

Αὐτὰρ ἔπειτ᾽ αὐτοῖσι βέλος ἐχεπευκὲς ἐφιεὶς
βάλλ᾽.

Nempe Apollini arcum & ſagittas tribuunt poëtæ. Sed Apollinis eſt morbos & mortalitatem immittere, hic autem de jactu fulminum, quem Jovi dant accipiendus eſt Jophus: Horatius:

Dextera ſacras jaculatus arces
terruit urbem.

Joſephum ἑλληνίζειν in quibuſdam verum eſt. Quo & illud pertinet, quod de eadem clade dicit lib. 5. ἁλώσεως: Τὰ μὲν δὴ περὶ τὴν Σοδομῖτιν μυθεύεται, πάντων ἔχει πίστιν ἀπὸ τῆς ὄψεως. Similiter loquebantur Græci de originibus & antiquitatibus, quæ poëticis potius decoræ fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis tradebantur. Amat loqui cum gentilibus & profana illa fabularum deliramenta comparare quodam modo cum divinis certæ veritatis primordiis. Philo conjungit diluvium & incendium Pentapoleos lib. 2. de vita Moſis: Διὸ καὶ τοὺς ἀφθόνων μὲν ἀγαθῶν ἀξιωθέντας, ὅσα καὶ εὐεξίας σωμάτων καὶ τὰς περὶ πλοῦτον καὶ δόξαν καὶ τὰ ἄλλα ἐκτὸς εὐτυχίας, ἀρετῆς δὲ ἀφηνιάσαντας, καὶ οὐκ ἀνάγκῃ, γνώμῃ δὲ ἑκουσίῳ πανουργίαν καὶ τὰς ἄλλας κακίας, ὡς μέγα ὄφελος, τὴν μεγίστην ζημίαν ἐπιτηδεύσαντας· καθάπερ οὐκ ἀνθρώπων ἐχθροὺς ἀλλὰ τοῦ σύμπαντος οὐρανοῦ τε καὶ κόσμου τὰς ἐν ἔθει τιμωρίας οὔ φησιν ὑπομεῖναι, ἀλλὰ καινοτέρας καὶ παρηλλαγμένας, ἃς ἐμεγαλούργησεν ἡ πάρεδρος τῷ θεῷ μισοπόνηρος δίκη τῶν δὲ παντὸς δραστικωτάτων στοιχείων ἐπιθεμένων, ὕδατος καὶ πυρός, ὡς καιρῶν περιόδοις, τοὺς μὲν κατακλυσμοῖς φθαρῆναι, τοὺς δὲ καταφλεχθέντας ἀπολέσθαι. Πελάγη μὲν ἀρθέντα καὶ ποταμοὶ μετεωρισθέντες αὐθιγενεῖς τε καὶ χείμαρροι, τὰς ἐν τῇ πεδιάδι πόλεις ἁπάσας ἐπέκλυζον καὶ κατέσυρον· τὰς δὲ κατὰ τὴν ὀρεινὴν αἱ μεθ᾽ ἡμέραν καὶ νύκτωρ συνεχεῖς καὶ ἀδιάστατοι ὄμβρων φοραί. Χρόνῳ δ᾽ ὕστερον ἐκ τῶν ὑπολειφθέντων, πάλιν τοῦ γένους συναυξηθέντος καὶ εἰς πολυανθρωπίαν ἐπιδόντος ἐπειδὴ τὸ περὶ τοὺς προγόνους πάθος οἱ ἀπόγονοι μάθημα σωφροσύνης οὐκ ἐποιήσαντο, πρὸς δὲ ἀκολασίας ἐτράποντο, ζηλωταὶ χαλεπωτέρων ἐπιτηδευμάτων γενόμενοι, πυρὶ τούτους ἀναλῶσαι διενοήθη. Τότ᾽ οὖν ὡς μηνύει τὰ λόγια, κεραυνοὶ ῥυέντες ἐξ οὐρανοῦ τούς τε ἀσεβεῖς κατέπρησαν καὶ τὰς πόλεις αὐτῶν. Id eſt vertente Gelenio: *Quapropter eos, qui in ſumma proſperitatum affluentia, valetudinis, divitiarum, gloria cæterorumque bonorum externorum, deflexerunt à virtutis regula, non coacti ſed verſutia propria, perniciosa vitia complexi, tanquam res egregias, ceu hoſtes non tam hominum, quam cæli mundique totius, pænis narrat afflictos non vulgaribus ſed novis inuſitatiſque quibus Divina juſtitia magnifice declaravit, quanto malos proſequatur odio, nunc aqua nunc igne ſæviens per intervalla temporum & alios diluvio perdens, alios incendio. Siquidem maria tumentia fluviique aucti, torrentes ſimul & perennes, civitates cunctas in campeſtribus regionibus ſitas inundarunt ſubverteruntque: in editioribus autem locis habitatas imbres continuati, non interdiu, non noctu intermiſſi ſubruerunt funditus. Deinde poſt aliquot ætates, rurſus multiplicato numero hominum, quia nec majorum ſuppliciis admonita poſteritas ſapere didicerat, ſed permiſſa libidini licentia in deterius profecerat ultricibus flammis hos deleri decretum eſt juſto Dei judicio. Tunc, ut in ſacra ſcriptura legitur, fulmina imbrium in morem de cælo ruentia, concremaverunt homines impios una cum eorum urbibus.* Idem de Abrahamo: Κελεύσει γὰρ ἐξαίφνης τὸν ἀέρα νεφωθέντα, πολὺν ὄμβρον, οὐχ ὕδατος ἀλλὰ πυρὸς ὕειν, ἀθρόας δὲ νιφούσης ἀδιαστάτῳ καὶ ἀπαύστῳ ῥύμῃ φλογὸς, ἐκαίοντο μὲν ἀγροὶ καὶ λειμῶνες καὶ λάσια ἄλση καὶ ἕλη δασύτατα δρυμοί τε βαθεῖς. ἐκαίετο δὴ πεδιὰς καὶ ὁ τοῦ σίτου καὶ τῶν ἄλλων σπαρτῶν ἅπας καρπὸς, ἐκαίετο δὲ καὶ ὁ τῆς ὀρεινῆς δενδροφόρος, στελεχῶν ῥίζαις αὐταῖς ἐμπιπραμένων. Ἐπαύλεις δὲ καὶ οἰκίαι καὶ τείχη καὶ ὅσα ἐν οἰκοδομαῖς ἰδιωτικὰ καὶ δημόσια πάντα συγκατεπίμπρατο καὶ ἡμέρᾳ μιᾷ αἱ μὲν εὐανδροῦσαι πόλεις τάφος τῶν οἰκητόρων ἐγεγένηντο, αἱ δὲ ἐκ λίθων καὶ ξύλων κατασκευαὶ τέφρα καὶ λεπτὴ κόνις.

Ἐπὶ

Ἐπεὶ δὲ τὰ ἐν φανερῷ καὶ ὑπὲρ γῆς ἅπαντα κατηνάλωσεν ἡ φλὸξ ἤδη καὶ τὴν γῆν αὐτὴν ἔκαιε κατωτάτω διαδῦσα καὶ τὴν ἐνυπάρχουσαν ζωτικὴν δύναμιν ἔφθειρεν εἰς ἀγονίαν παντελῆ, ὑπὲρ τοῦ μηδ᾽ αὖθις ποτὲ καρπὸν ἐνεγκεῖν ἢ χλοηφορῆσαι τὸ παράπαν δυνηθῆναι καὶ μέχρι νῦν καίεται. Interpres ille: *Inductis enim ſubito nubibus, juſſit eas imbrem, non aquæ ſed ignium pluere. Cumque in morem nivis denſiſſima indeſinenter flamma deorſum ferretur magno impetu, ardebant arva cum pratis & condenſa ſaltuum, paluſtris quoque materies & intima nemorum. Vrebantur eodem incendio campeſtria, ſegetes cum ſuis frugibus: conflagrabant & arbuſta montium, trunci una cum ſuis radicibus: urbana quoque & ruſtica ædificia, mœnia cæteraque opera publica non minus quam privati parietes. Atque ita unus dies frequentiſſimas civitates vertit in buſta ſuorum civium, ſtructuras verò lapideas & ligneas in cinerem & minutiſſimum pulverem. Vbi vero ſuprà terram flammis abſumpta fuerunt omnia terram ipſam vorabat incendium, ita ut exuſtis penitus vitalibus nihil ſupereſſet, unde vel fructus vel herba germinaret, in hodiernum uſque malo durante.* Florídiſſimo dicendi genere deſcribit illam cladem, in poſtremo loco: in primo obſervat Moſis legem tanquam muniri documentis cladium, quia judicii ſui ſeveritatem oſtenderit Deus potiſſimum diluvio & Pentapolitana ſubverſione. Antiqua tempora documento poſteritatis Deus eminentiſſimis juſtitiæ exemplis decoravit, quo eſſent monumenta judicii univerſalis in conſummatione mundi. Huic enim Deus ſervat & mirifica longanimitate perfert ſcelerum in orbe exundantiam, quamvis enormia non evadant præſentem animadverſionem. Illo tempore τῆς δικαιοκρισίας erit retegenda, cujus imaginem exhibuit Sodomitarum exitium. Dicit docetque Judas Apoſtolus: Ὡς Σόδομα καὶ Γόμοῤῥα καὶ αἱ περὶ αὐτὰς πόλεις, τὸν ὅμοιον τούτοις τρόπον, ἐκπορνεύσασαι καὶ ἀπελθοῦσαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας, πρόκεινται δεῖγμα, πυρὸς αἰωνίου δίκην ὑπέχουσαι. Judas fidei & pacis Chriſtianæ perturbatoribus objicit exemplum Sodomorum. Eas urbes palam poſitas eſſe δεῖγμα, divini judicii, in igne æterno futuri. Dicit eas ſuſtinere ſupplicium ignis æterni, quod non poteſt referre ad externum terræ habitum oſtendentem vim & efficaciam perpetuam ignis, quo conſumptæ ſunt ſemel; quia nunquam ignis terrenus quantæcunque ſit efficaciæ vocatur æternus. Ipſi incolæ urbium æterni ſupplicium ignis perferunt, non loca ubi urbes fuere. Sic propoſitæ ſunt δεῖγμα loco veſtigia ſupplicii corporalis retinente & oſtendente æternum. De hac clade autor libri de mirabilibus ſcripturæ in hunc modum: *Magno deinde temporis intervallo peracto, in confinio Arabiæ & Palæſtinæ, quinque civitates poſitæ, Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim & Segor, fœcundiſſimi ſoli habitatione & rerum omnium abundantia perfruentes, in convenientè luxuriæ cupidine, contractione convincti, dominicæ vindictæ aditum præbuerunt, ita ut imbribus ignis & ſulphuris ſuperfuſa tota cum habitatoribus ſuis & animantibus & urbibus regio flagrans arderet. Hoc namque modo conveniebat, ut qui communi ſtudio Deum offenderunt, communis vindictæ impetu eodem perirent: & qui contrà conſuetudinem hominum intemperatæ concupiſcentiæ perpetratione exarſerant, contrà conſuetam hominum mortem, non terrena vindicta ſed cæleſtium ignium infuſione arderent: & qui peccatum ſuum non ſolum faciendo ſed etiam prædicando palam fecerant, infamem vitam famoſa pœna conſumerent. Quæ vindicta & hactenus eorundem terram non deſeruit, dum quali pœna, qui talia agunt ſubjacebunt, oſtendit. Inter iſtas verò duas primarias in ſeculo pœnas, diluvii ſcilicet & Sodomitanam, talis differentia deprehenditur, quod una aqua (Terra) altera igni punita videatur: una cæli rore & abyſſi unda diluitur, altera igneo imbre & ſulphuris ſuperfuſione damnatur. Anni una circulo unius permanente terra retegitur, per alteram adhuc ſine ceſſatione maceratur. In una naturale ſcelus in hominibus punitur, per alteram adinventio*

ventio concupiſcentiæ contra conſuetudinem facta vindicatur. In iſta vero Sodomitana pœna nil contra naturam, Deus facere cernitur, cum deſuper aëreo ignito illo ſpatio, inſoliti deſiderii ardor inflammatur. Calvinus docet illam repetitionem, qua Dominus à Domino dicitur pluiſſe, fuiſſe emphaticam: *quod non* (inquit) *uſitato naturæ ordine tunc Dominus pluerit ſed tanquam exſerta manu palam fulminaverit præter ſolitum morem: ut ſatis conſtaret nullis cauſis naturalibus conflatam fuiſſe pluviam illam ex igne & ſulphure. Verum quidem eſt, nunquam fortuitò aërem turbari, ac Deum minimæ cujuſque pluviæ agnoſcendum eſſe authorem, nec excuſabilis eſt Ariſtotelis profana ſubtilitas, qui quum tam acutè in Meteoris diſputet de ſecundis cauſis, Deum alto ſilentio ſepelit. Moſes tamen hic diſertè extraordinarium Dei opus nobis commendat, ut ſciamus non ſine aperto miraculo deletam fuiſſe Sodomam.* Iterum: *Succinctè ſic Moſes verbiſque admodum ſubmiſſis excidium Sodomæ perſtringit atque aliarum urbium. Rei atrocitas longe aliam amplitudinem, imò tragicos verborum ſonitus poſcebat: ſed Moſes ſimpliciter more ſuo Dei judicium recitans, quæ verbis ſatis vehementer exprimere non poterat, meditanda lectoribus relinquit. Noſtrum igitur eſt omnes ſenſus in illam horribilem vindictam intendere: quæ quum non ſine ingenti cæli & terræ concuſſione acciderit, meritò ad ſolum ejus nomen expaveſcimus; ideoque tam frequens ejus mentio in Scripturis occurrit. Noluit autem Deus ſolo terræ hiatu abſorberi urbes illas: ſed quo illuſtrius eſſet judicii ſui ſpecimen, à cælo ignem & ſulphur jaculatus eſt.* Scripturæ frequentem mentionem hujus cladis in comminatione & commemoratione judicii divini faciunt Deut. 29. 23. Eſai. 1. 9. & 13. 19. Ezech. 16. 50. Hoſeæ 11. 9. Amos 4. 11. Sophon. 2. 9. In N. T. Matth. 10. 15. & 11. 23. 24. Judæ v. 8.

Deſcriptio Sodomeni lacus & veſtigiorum divinæ ultionis.

Exſtant hujus hiſtoriæ veſtigia apud profanos autores, qui non tantum agnoſcunt terræ faciem, ſed & effectum eſſe hoc Divinæ Nemeſis & veſtigium. Id patebit in deſcriptione loci quam ex variis ſcriptoribus cumulabimus: Autor lib. Sapientiæ, qui Salomonis dicitur: Αὕτη δίκαιον ἐξαπολλυμένων ἀσεβῶν ἐῤῥύσατο, φυγόντα πῦρ καταβάσιον Πενταπόλεως· Οἷς ἔτι μαρτύριον τῆς πονηρίας καπνιζομένη καθέστηκε χέρσος, καὶ ἀτελέσιν ὥραις καρποφοροῦντα φυτά. *Hæc* [ſapientia] *juſtum pereuntibus impiis liberavit, evadentem ignem, qui deſcenderat, Pentapoleos: Quibus in teſtimonium malitiæ fumans conſtitit tellus, & imperfectis tempeſtatibus fructifica planta.* Eſdras ſuppoſititius lib. 4. (ut vocatur) cap. 2. *Væ tibi Aſſur, qui abſcondis iniquos penes te. Gens mala memorare, quid fecerim Sodomæ & Gomorrhæ: quorum terra jacet in piceis glebis & aggeribus cinerum, ſic dabo eos, qui me non audierunt, dicit Dominus omnipotens.* Philo dicit (lib. de Abrahamo) καὶ μέχρι νῦν καίεται, ſignificans illius ignis ultorii effectum durare. Subjicit: Τὸ γὰρ κεραύνιον πῦρ ἥκιστα σβέννυται, μένον ἢ νέμεται ἢ ἐντύφεται. πίστις δὲ σαφεστάτη, τὰ ὁρώμενα. Τοῦ γὰρ συμβεβηκότος πάθους σημεῖόν ἐστιν ὅ, τι ἀναδιδόμενος ἀεὶ καρπὸς, καὶ ὃ μεταλλεύουσι θεῖον. Interpres dictus: *Nam fulmineus ignis nunquam exſtinguitur, aut ſerpit aut vaporat: quod oculis ipſis creditur. Exſtant enim argumenta cladis veteris, fumus exhalans perpetuo & ſulfur, quod ibi foditur.* lib. 2. de vita Moſis. Καὶ μέχρι τοῦ νῦν μνημεῖα τοῦ συμβεβηκότος ἀλέκτου πάθους δείκνυται κατὰ Συρίαν ἐρείπια, καὶ τέφρα καὶ θεῖον καὶ καπνὸς καὶ ἡ ἔτι ἀναδιδομένη φλὸξ ἀμαυρὰ, καθάπερ διασμυχομένου πυρός. *Exſtant in hodiernum uſque monumenta cladis illius inenarrabilis oſtenduntúrque ruinæ in Syria mixtæ cineri, fumo, ſulfuri, lambentibus hæc interdum flammis tenuibus, ſicut fit in reliquiis incendii.* Tertullianus de Pallio: *Patitur & continens de cælo aut de ſuo: Aſpice ad Palæſtinam, qua Jordanis amnis, finium arbiter, vaſtitas ingens & orba regio & fruſtra ager. Et urbes retrò & populi frequentes & ſolum audiebat. Dehinc ut Deus cenſor eſſet, impietas ignium meruit imbres: hactenus Sodoma &*

ma & nulla Gomorrha & cinis omnia, & propinquitas maris juxta cum ſolo mortem bibit. In carmine, quod Tertulliano attribuitur:

Tota rogus regio eſt, hinc atro horrore favillæ,
Hincque cavo ſitu cineres incendia ſignant
Semiperempta; etiam, ſi qua illic jugera lætas
Autumni conantur opes, facilè optima quæque
Promittunt oculis pyra, perſica & omnia mala,
Donec carpantur. Nam protinus indice tactum
Solvitur in cinerem, fit vana favillaque pomum.

Strabo lib. 16. Ἡ δὲ Σιρβωνὶς λίμνη πολλὴ μέν ἐστι· καὶ γὰρ χιλίων σταδίων εἰρήκασί τινες τὸν κύκλον· τῇ μέντοι παραλίᾳ παρεκτέτεται μικρῷ τι πλέον τῶν διακοσίων σταδίων μῆκος ἐπιλαμβάνουσα, ἀγχιβαθὴς βαθύτατον (βαρύτατον) ἔχουσα ὕδωρ, ὥστε μὴ δεῖν κολυμβᾶν, ἀλλὰ τὸν ἐμβάντα καὶ μέχρις ὀμφαλοῦ προβάντα, εὐθὺς ἐξαίρεσθαι. Μεστὴ δ' ἐστὶν ἀσφάλτου αὕτη. Ταύτην δ' ἀναφυσᾶται κατὰ καιροὺς ἀτάκτους ἐκ μέσου τοῦ βάθους μετὰ πομφολύγων, ὡς ἂν ζέοντος ὕδατος· κυρτουμένη δ' ἡ ἐπιφάνεια λόφου φαντασίαν παρέχει. Συναναφέρεται δὲ καὶ ἄσβολος πολλή, καπνώδης μέν, πρὸς δὲ τὴν ὄψιν ἄδηλος· ὑφ' ἧς κατιοῦται καὶ χαλκὸς καὶ πᾶν τὸ στιλπνὸν μέχρι καὶ χρυσοῦ. Ἀπὸ δὲ τοῦ κατιοῦσθαι τὰ σκεύη γνωρίζουσιν οἱ περιοικοῦντες ἀρχομένην τὴν ἀναβολὴν τοῦ ἀσφάλτου καὶ παρασκευάζονται πρὸς τὴν μεταλλείαν αὐτοῦ, ποιησάμενοι σχεδίας καλαμίνας. Ἔστι δ' ἡ ἄσφαλτος γῆς βῶλος ὑγραινομένη καὶ διαχεομένη· πάλιν δὲ μεταβάλλουσα εἰς πάγον ἰσχυρὸν ὑπὸ τοῦ ψυχροῦ ὕδατος, οἷόν ἐστι τὸ τῆς λίμνης ὕδωρ, ὥστε τομῆς καὶ κοπῆς δεῖσθαι· εἶτ' ἐπιπολάζουσα διὰ τὴν φύσιν τοῦ ὕδατος, ἣν ἔφαμεν, μηδὲ κολυμβᾶν δεῖσθαι μηδὲ βαπτίζεσθαι τὸν ἐμβάντα ἀλλὰ ἐξαίρεσθαι. Προσπλεύσαντες δὲ ταῖς σχεδίαις, κόπτουσι καὶ φέρουσι τῆς ἀσφάλτου ὅσον ἕκαστος δύναται. Τὸ μὲν οὖν συμβαῖνον τοιοῦτον. Γόητας δὲ ὄντας σκήπτεσθαί φησιν ἐπῳδάς, ὁ Ποσειδώνιος τοὺς ἀνθρώπους καὶ οὖρα καὶ ἄλλα δυσώδη ὑγρά, ἃ περικαταχέαντας καὶ ἐκπιάσαντας, πήγειν τὴν ἄσφαλτον, εἶτα τέμνειν. εἰ μή τις ἐστὶν ἐπιτηδειότης τῶν οὔρων τοιαύτη, καθάπερ καὶ ἐν ταῖς κύστεσι τῶν λιθιώντων καὶ ἐκ τῶν παιδικῶν οὔρων ἡ χρυσόκολλα συνίσταται. Ἐν μέσῃ δὲ τῇ λίμνῃ τὸ πάθος συμβαίνειν εὔλογον, ὅτι καὶ ἡ πηγὴ τοῦ πυρὸς καὶ τῆς ἀσφάλτου κατὰ μέσον ἐστὶ καὶ τὸ πλῆθος. Ἄτακτος δὲ ἡ ἀναφύσησις, ὅτι καὶ ἡ τοῦ πυρὸς κίνησις οὐκ ἔχει τάξιν ἡμῖν φανεράν, ὥσπερ καὶ ἄλλων πνευμάτων πολλῶν. Τοιαῦτα δὲ καὶ τὰ ἐν Ἀπολλωνίᾳ καὶ ἠπειρώτιδι. Τοῦ δ' ἔμπυρον τὴν χώραν εἶναι τὰ ἄλλα τεκμήρια φέρουσι πολλὰ καὶ γὰρ πέτρας τινὰς ἐπικεκαυμένας δεικνύουσι τραχείας, περὶ Μωασάδα, καὶ σήραγγας πολλαχοῦ, καὶ γῆν τεφρώδη. σταγόνας τε πίσσης ἐκ κλεισάδων (ita Xylander legit) λειβομένας καὶ δυσώδεις πόρρωθεν ποταμοὺς ζέοντας, κατοικίας δὲ ἀνατετραμμένας σποράδην· ὥστε πιστεύειν τοῖς θρυλλουμένοις ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων, ὡς ἄρα ᾠκοῦντό ποτε τρισκαίδεκα πόλεις ἐνταῦθα, ὧν τῆς μητροπόλεως Σοδόμων σώζοιτο κύκλος ἑξήκοντά που σταδίων· ὑπὸ σεισμῶν καὶ ἀναφυσημάτων πυρὸς καὶ θερμῶν ὑδάτων ἀσφαλτωδῶν τε καὶ θειωδῶν ἡ λίμνη προπέσοι καὶ πέτραι πυρίληπτοι γένοιντο, αἵ τε πόλεις αἱ μὲν καταποθεῖεν, ἃς δ' ἐκλείποιεν οἱ δυνάμενοι φυγεῖν. Ἐρατοσθένης δέ φησι τἀναντία· λιμναζούσης τῆς χώρας, ἐκρήγμασιν ἀνακαλυφθῆναι τὴν πλείστην, καθάπερ τὴν θάλασσαν. Xylander vertit: *Sirbonis lacus permagnus eſt, cujus ambitum nonnulli mille ſtadiorum tradiderunt: propter maritimam oram extenditur, longitudine paulò amplius cc ſtadiis: profunda & graviſſima eſt ejus aqua, ut urinatores in eo locum non habeant: nam qui tenus umbilico in eum procedit, mox extollitur. Plenus eſt bitumine, quod è medio fundo, temporibus non certis, cum bullis quaſi ferventis aqua efflatur, ac tum ſuperficies paludis curvata collis ſpeciem præbet, favilla multum emittit, fumoſa & quæ viſum fallit: æri, argento & nitidis ac terſis omnibus*

 rubi-

rubiginem inducens, dempto ſolo auro: cum æruginem contrahunt, jam accolæ intelligunt, bituminis eruptionem appetere ac ſeſe arundineis ratibus ad id inquirendum accingunt. Bitumen eſt terræ gleba, quæ à calore liquefacta, efflatur atque diffunditur, rurſumque in ſolidum corpus aquæ frigore coit, qualis eſt lacuum aqua: unde & ſectione & inciſione habet opus. Id poſteà in ſummo fluitat propter aquæ naturam, quam diximus, ingredientem nec urinari nec immergi poſſe ſed attolli. Ratibus autem adnavigantes quantum quiſque poteſt referunt. Ac de bitumine quidem hæc diximus. Poſidonius narrat accolas, præſtigiis deditos homines incantationibus quibuſdam uti & lotia & alios hujuſmodi fœtidos humores inſpergere atque exprimere, quibus bitumen coaguletur: poſteà incidere niſi forte aliqua vis lotii eſt, qualis in veſica eorum, qui calculo laborant. Nam etiam ex pueri lotio chryſocolla conficitur. In medio autem lacus iſta evenire conſentaneum rationi eſt. Ignis enim & bituminis fons & copia in medio eſt: quod autem non ſtato efflatur tempore, cauſa eſt, quia ignis motus ordinem non habet nobis manifeſtum: quemadmodum & multorum aliorum flatuum. Talia etiam apud Apolloniam Epiroticam eveniunt. Eſſe autem ignem in ſolo ejus regionis multis etiam aliis ſignis docent. Nam & petras aſperas exuſtas circà Moaſada oſtendunt: & multis in locis exeſas cavernas & terram cinerulentam & picis guttas è petris deſtillantes & flumina fœtore eminus edito effervetia: & habitationes paſſim everſas: ut iis fides haberi poſſe videatur, quæ ab indigenis prædicantur: in hoc loco 13. urbes olim habitatas fuiſſe, quarum caput Sodoma adhuc 60. ſtadiorum habeat ſuperſtitem ambitum: terræ autem tremoribus & ignis aquarumque calidarum & bituminoſarum ac ſulphurearum eruptione exſtitiſſe lacum, ſaxa ignem concepiſſe, urbium alias abſorptas, alias ab iis, quicunque fugere potuerunt, derelictas. Eratoſthenes contra ſentit, regionem ſtagnis intus conceptis ſubductam, maxima ejus parte factis eruptionibus retectam fuiſſe, quemadmodum & mare. Xylandri iſta verſio in quibuſdam caſtigationem poſcit, quam nos lectori committimus. Strabo & Eratoſthenes credunt urbes Pentapoleos interiiſſe, ſed non exprimunt, forte an divinitus: quemadmodum fulminum jactus & pluviam ſulfuris ſaliſque ignorant aut admittere nolunt. Exiſtimant enim è naturalibus cauſis infernè erumpentibus cladem iſtam eſſe illatam. Strabo incendium ortum eſſe, quod probat ex veſtigiis & natura ſoli: Eratoſthenes, in locos occultos exedentibus aquis ſubſediſſe terram. Diodorus Siculus ἀσφαλτίτην λίμνην ita deſcribit, lib. 19. Κεῖται γὰρ κατὰ μέσην τὴν σατραπείαν τῆς Ἰδουμαίας, τῷ μὲν μήκει παρεκτείνουσα σταδίους μάλιστα που πεντακοσίους· τῷ δὲ πλάτει περὶ ἑξήκοντα. τὸ δὲ ὕδωρ ἔχει διάπικρον καὶ καθ᾽ ὑπερβολὴν δυσῶδες, ὥστε μήτ᾽ ἰχθὺν δύνασθαι τρέφειν, μήτ᾽ ἄλλο τῶν καθ᾽ ὕδατος εἰωθότων ζώων. ἐμβαλλόντων δ᾽ εἰς αὐτὴν ποταμῶν μεγάλων τῇ γλυκύτητι διαφόρων, τούτων μὲν περιγίνεται κατὰ τὴν δυσωδίαν. ἐξ αὐτῆς δὲ μέσης ἐκφυσᾷ κατ᾽ ἐνιαυτὸν ἀσφάλτου στερεᾶς μέγεθος, ποτὲ μὲν μεῖζον ἢ τρίπλεθρον, ἔστι δ᾽ ὅτ᾽ οὐ πολὺ λειπόμενον πλέθρου. ἐφ᾽ ᾧ δὴ συνήθως οἱ περιοικοῦντες βάρβαροι τὸ μὲν μεῖζον καλοῦσι ταῦρον, τὸ δ᾽ ἔλασσον μόσχον. Ἐπιπλεούσης δὲ τῆς ἀσφάλτου πελαγίας, ὁ τόπος φαίνεται τοῖς ἐξ ἀποστήματος θεωροῦσιν οἱονεὶ νῆσος. τὴν δ᾽ ἔκπτωσιν φανερὰν συμβαίνει γίνεσθαι πρὸ ἡμερῶν εἴκοσι. κύκλῳ γὰρ τῆς λίμνης ἐπὶ πολλοὺς σταδίους ὀσμὴ τῆς ἀσφάλτου προσπίπτει πνεύματος μοχθηροῦ. καὶ πᾶς ὁ περὶ τὸν τόπον ἄργυρος καὶ χρυσὸς, καὶ χαλκὸς ἀποβάλλει τὴν ἰδιότητα τοῦ χρώματος. ἀλλ᾽ αὕτη μὲν ἀποκαθίσταται πάλιν, ἐπειδὰν ἀναφυσηθῆναι συμβῇ πᾶσαν τὴν ἄσφαλτον. ὁ δὲ πλησίον τόπος ἔμπυρος ὢν καὶ δυσώδης ποιεῖ τὰ σώματα τῶν περιοικούντων ἐπίνοσα καὶ παντελῶς ὀλιγοχρόνια. Ἀγαθὴ δ᾽ ἐστὶ φοινικόφυτος &c. τὴν δ᾽ ἐκπίπτουσαν ἄσφαλτον οἱ περιοικοῦντες ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν τὴν λίμνην διαρπάζουσι, πολεμικῶς διακείμενοι πρὸς ἀλλήλους, ἄνευ πλοίων ἰδιάζοντες τὴν κομιδὴν ποιούμενοι. Παρασκευασάμενοι γὰρ δέσμας καλάμων εὐμεγέθεις ἐμβάλλουσι εἰς τὴν λίμνην ἐπὶ δὲ τούτων ἐπικάθηνται οὐ πλείους τριῶν, δύο μὲν ἔχοντες

προσ-

προσδεδεμένας πλάτας κωπηλατοῦσιν, οἷς δὲ φορῶν τόξα τοὺς προσπλέοντας ἐκ τοῦ πέραν ἢ βιάζεσθαι τολμῶντας ἀμύνεται. Ὅταν δὲ πλησίον γίνωνται τῆς ἀσφάλτου, πελέκεις ἔχοντες ἐπιπηδῶσι καὶ καθάπερ μαλακῆς πέτρας ἀποκόπτοντες γεμίζουσι τὴν δέσμην, εἶτα ἀποπλέουσιν εἰς τοὐπίσω. Ἂν δέ τις αὐτῶν ἀποπέσῃ τῆς δέσμης διαλυθείσης, μὴ δυνάμενος νεῖν, οὐ καταδύεται, καθάπερ ἐν τοῖς ἄλλοις ὕδασιν ἀλλὰ ἐπινήχεται τοῖς ἐπισταμένοις ὁμοίως. Φύσει γὰρ τοῦτο τὸ ὑγρὸν παραδέχεται βάρος, ὃ συμβαίνει μετέχειν αὐξήσεως ἢ πνεύματος ἔξω τῶν στερεῶν, ἃ τὴν πυκνότητα δοκεῖ παραπλησίαν ἔχειν ἀργύρῳ καὶ χρυσῷ καὶ μολύβδῳ καὶ τοῖς ὁμοίοις. Καὶ ταῦτα μὲν πολὺ βραδύτερον καταφέρεται τῶν ἐν ταῖς ἄλλαις λίμναις ῥιπτουμένων. Ταύτην δ' ἔχοντες οἱ βάρβαροι πρόσοδον, ἀπάγουσι τὴν ἄσφαλτον εἰς τὴν Αἴγυπτον καὶ πωλοῦσιν εἰς τὰς ταριχείας τῶν νεκρῶν. Μὴ μιγνυμένης γὰρ ταύτης τοῖς λοιποῖς ἀρώμασιν, οὐ δυνατὸν γενέσθαι τὴν τῶν σωμάτων φυλακὴν πολυχρόνιον. Hæc Diodorus, quorum verſione opus non eſt, quia partim è ſuperioritus partim è dicendis patebunt. Diſcernit inter Sirbonim & Aſphaltitin paludes diſſitas locorum magna intercapedine & diverſiſſimas. De Sirbonide dixerat lib. 1. eſſe in medio Syriæ cavæ & Ægypti, hanc ponit in Idumæa: Sirbonin latitudinis eſſe per quam anguſtæ, longitudinis ad ducenta ſtadia, eoque ταινίᾳ παραπλησίαν, Aſphaltitin ad quinquenta ſtadia in longitudinem extendi, ſexaginta in latitudinem patere. Strabo utrumque lacum confudit & in Sirbonidis deſcriptione immiſcuit Aſphaltiten, quia unum non duos lacus eſſe putavit. Ducenta ſtadia in longum protendi, mille ambitu comprehendere, ſecundum littus maris procurrere, τῇ παραλίᾳ παρεκτείνεσθαι, ad Sirbonin pertinent, cætera ad Aſphaltitin. Antigonus narratione mirabili 166 è Zenophilo: Ζηνόφιλον δὲ ἐν μὲν τῇ (λίμνῃ) πλησίον Ἰόππης οὐ μόνον ἐπιδέχεσθαι πᾶν βάρος, ἀλλὰ καὶ παρὰ τρίτον ἔτος φέρειν ὑγρὰν ἄσφαλτον· ὅταν δὲ γίγνηται τοῦτο παρὰ τοῖς ἐντὸς τριάκοντα σταδίων οἰκοῦσιν μεοῦσθαι χαλκώματα. Caſaubonus è Strabone μεοῦσθαι corrigit in κατιοῦσθαι aut ἰοῦσθαι & verè. Euſtathius in Hexaemero cum retuliſſet οὐρανίῳ πυρπολήσει punitam eſſe Sodomorum impietatem, addit: Καὶ ἔτι καὶ νῦν κεκαυμένα αὐτῆς τὰ ἴχνη φαίνεται. Ἔστι γὰρ ἰδεῖν πέντε πόλεων σκιάς, ἐν αἷς βλαστάνει καρπὸς, ὃς φαίνεται μὲν ἔξωθεν παραπλήσιος τοῖς ἐδωδίμοις, ληφθεὶς δὲ ταῖς χερσὶν εἰς τέφραν καὶ καπνὸν ἀναλύεται. γειτνιᾷ δὲ ταύτῃ ἡ ἀσφαλτῖτις λίμνη, ἣ πρότερον μὲν ἦν κοιλὰς φρέατα ἔχουσα ἀσφάλτου, ἀφανισθείσης δὲ τῆς χώρας λίμνη γεγένηται, ἥτις καὶ νεκρὰ θάλασσα προσαγορεύεται. Καὶ ἔστι μὲν πικροτάτη φύσει καὶ ἄγονος. Κοῦφον δὲ τὸ ὕδωρ κέκτηται, ὡς τῶν ἐν αὐτῇ ῥιπτομένων βαρέων, λίθου ἢ σιδήρου, τυχὸν μὴ καταδύνειν εἰς τὸν βυθὸν ἀλλὰ αὖθις ὥσπερ ὑπὸ πνεύματος ἀναφυσᾶσθαι καὶ ἐπιπλεῖσθαι. ῥιφέντες γὰρ ἐπ' αὐτῇ ζῶντες ἄνθρωποι ἀναβλυστάνουσι, νεκροὶ δὲ καταδύνουσι· καὶ λύχνοι δὲ καιόμενοι ἐπιφέρονται, σβεσθέντες δὲ καταποντοῦνται. Ἀναφέρει δὲ ἄλλως πικρὸν καὶ συντηρείαν καὶ τῆς ἀσφάλτου μελαίνας βώλους, ὡς ἐοικέναι τούτους ταύροις ἀκεφάλοις τὸ μέγεθος. Καὶ οἱ ναῦται τὰς βώλους ταύτας δρασσόμενοι, πληροῦσι τὰ σκάφη καὶ ἕλκουσιν ἐπὶ τὴν χέρσον. Προσπήγνυται δὲ τῷ ξύλῳ τοῦ πλοίου ἡ ἄσφαλτος καὶ ἀποξυλοῦται ὡς μὴ δύνασθαι ἄλλως ἀποκολληθῆναι, εἰ μὴ βραχθείη οὔροις καὶ γυναικείοις ἐμμηνίοις. Τούτοις γὰρ εἴκειν μόνοις πέφυκεν. Ἀλλάττειν δέ φασι ἡμέρας τρεῖς τὸ ὕδωρ καὶ ποικιλίαν ὄψεως ἐκπέμπειν πρὸς τὴν ἀκτῖνα τοῦ ἡλίου ἀνταυγοῦσαν. Nunc ſubjiciamus ſcriptores Latinos. Plinius lib. 2. cap. 103. *Nihil in Aſphaltite Iudaa lacu, qui bitumen gignit, mergi poteſt.* lib. 5. cap. 16. *Aſphaltites nihil prater bitumen gignit: unde & nomen: nullum corpus animalium recipit: tauri cameliqne fluitant: inde fama nihil in eo mergi. Longitudine excedit centum millia paſſuum, latitudine maxima, xxv. implet, minima ſex.* Solinus cap. 35. Polyhiſtoris: *Aſphaltites gignit bitumen, animal non habet, nihil in eum mergi poteſt: tauri etiam cameliſque impunè ibi fluitant.* Paulò poſt: *Longo ab Hieroſolymis receſſu triſtis ſinus panditur, quem de cælo tactum teſtatur humus nigra & in cinerem ſoluta.*

Duo ibi oppida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrhum, apud quæ pomum, quod gignitur habeat licet ſpecimen maturitatis, mandi tamen non poteſt: nam fuliginem intrinſecus favillaciam ambitio tantum extimæ cutis cohibet, quæ vel levi preſſa tactu fumum exhalat & fatiſcit in vagum pulverem. Solinus putavit ſupereſſe Sodomum & Gomorrum & juxta ea gigni poma in ſpeciem bona ſed intus corrupta. Quæ ſupina ignorantia eſt: quam non admirabitur, qui ejus ſtolidam ſine judicio compilationem conſideraverit. Juſtinus lib. 36. *In ea regione lacus eſt, qui propter magnitudinem & aquæ immobilitatem* mortuum mare *dicitur: Nam neque ventis movetur, reſiſtente turbinibus bitumine, quo aqua omnis ſtagnatur; neque navigationis patiens eſt, quoniam omnia vita carentia in profundum merguntur: nec materiam ullam ſuſtinet, niſi quæ alumine illinatur.* Tacitus hiſtor. lib. 4. *Lacus immenſo ambitu, ſpecie maris ſapore corruptior, gravitate odoris accolis peſtifer, neque vento impellitur, neque ſuetas aquis volucres patitur. Incertæ undæ ſuperjacta, ut ſolido feruntur; periti imperitique nandi perinde attolluntur. Certo anni bitumen egerit: cujus legendi uſum ut ceteras artes experientia docuit. Ater ſuapte natura liquor & ſparſo aceto concretus innatat: hunc manu captum, quibus ea cura, in ſumma navis trahunt. Inde nullo juvante influit, oneratque donec abſcindas nec abſcindere ære ferrove poſſis: fugit cruorem veſtemque infectam ſanguine, quo feminæ per menſes exſolvuntur. Sic veteres autores. Sed gnari locorum tradunt, undantes bitumine moles pelli manuque trahi ad littus: mox ubi vapore terræ, vi ſolis, inaruerint ſecuribus cuneiſque ut trabes aut ſaxa diſcindi. Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes magniſque urbibus habitatos, fulminum jactu arſiſſe: & manere veſtigia terramque ſpecie torridam, vim frugiferam perdidiſſe. Nam cuncta ſponte edita aut manu ſata, ſive herba tenus aut flore ſeu ſolidam* (ita Salmaſius emendat pro *ſolitam*) *in ſpeciem adolevere, atra & inania velut in cinerem vaneſcunt. Ego ſicut inclitas quondam urbes igne cæleſti flagraſſe conceſſerim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi ſuperfuſum ſpiritum, eoque fetus ſegetum & autumni putreſcere reor.* Non poſſumus in hac ſcriptorum accumulatione Africanum & Joſephum omittere. Africanus apud Euſebium Scaligeri: Συνέβαλλον δὲ περὶ τὴν θάλασσαν τὴν ἁλυκὴν, ἢ καλεῖται νῦν θάλασσα νεκρά. Ἐν ταύτῃ πλεῖστα τῶν θαυμασίων τεθέαμαι. ζῶον γὰρ οὐδὲν ἐκεῖνο τὸ ὕδωρ φέρει. καὶ νεκροὶ μὲν ὑποβρύχιοι φέρονται, ζῶντες δὲ οὐδ᾽ ἂν ῥᾳδίως βαπτίσαιντο. Λύχνοι μὲν καιόμενοι καὶ ἐπιφέρονται, σβεννύμενοι δὲ καταδύουσιν. Ἐνταῦθα δέ εἰσιν αἱ ἀσφάλτου πηγαὶ, φέρει δὲ συνήθειαν καὶ ἅλας ὀλίγον τι τῶν ἄλλων διαφέροντα. πικρά τε γάρ ἐστι καὶ διαυγῆ. Ἔνθα δ᾽ ἂν καρπὸς ὡρισθῇ καπνοῦ πλέον οὐδὲν εὑρίσκεται θολερωτάτου. τὸ δὲ ὕδωρ ἰᾶται τοὺς χρωμένους αὐτῷ· λέγει δὲ πάντα ὕδατι πικρὸν ἐναντία· εἰ δὲ μὴ Ἰορδάνην εἶχε τὸν ποταμὸν ὡς περ φύρας διατρέχοντα καὶ ἐπιπολὺ ἀντίχοντα, ἔληξεν ἂν θᾶττον ἢ φαίνεται. Ἔστι δὲ περὶ αὐτὴν πάμπολυ τοῦ βαλσάμου φυτόν. ὑπονοεῖται δὲ ἀναπτερᾶφθαι ὑπὸ τοῦ θεοῦ διὰ τὴν τῶν περιοικούντων ἀσέβειαν. Joſephus de bello Judaico lib. 5. cap. 5. Latino: Ἄξιον δὲ ἀφηγήσασθαι καὶ τὴν φύσιν τῆς Ἀσφαλτίτιδος λίμνης, ἥτις ἐστὶ μὲν ὡς ἔφην, πικρὰ καὶ ἄγονος, ὑπὸ δὲ κουφότητος καὶ τὰ βαρύτατα τῶν εἰς αὐτὴν ῥιφέντων ἀναφέρει, καταδῦναι δὲ εἰς τὸν βυθὸν καὶ τὸν ἐπιτηδεύσαντα οὐ ῥᾴδιον. Ἀφικόμενος γοῦν καθ᾽ ἱστορίαν ἐπὶ αὐτὴν Οὐεσπασιανὸς ἐκέλευσέ τινας τῶν νεῖν οὐκ ἐπισταμένων, δεθέντας ὀπίσω τὰς χεῖρας, ῥιφῆναι κατὰ τοῦ βυθοῦ, καὶ συνέβη πάντας ἐπινήξασθαι καθάπερ ὑπὸ πνεύματος ἄνω βιαζομένους. ἔστι δ᾽ ἐπὶ τούτῳ καὶ ἡ τῆς χρόας μεταβολὴ θαυμάσιος. τρὶς γὰρ ἑκάστης ἡμέρας τὴν ἐπιφάνειαν ἀλλάσσεται καὶ πρὸς τὰς ἡλιακὰς ἀκτῖνας ἀνταυγεῖ ποικίλως. Τῆς μέντοι ἀσφάλτου, κατὰ πολλὰ μέρη, βώλους μέλανας ἀναδίδωσιν· αἱ δὲ ἐπινήχονται τό τε σχῆμα καὶ τὸ μέγεθος ταύροις ἀκεφάλοις παραπλήσιαι. Προσελαύνοντες δὲ οἱ τῆς λίμνης ἐργάται καὶ δραττόμενοι τοῦ συνεστῶτος ἕλκουσιν εἰς τὰ σκάφη· πληρώσασι δὲ ἀποκόπτειν οὐ ῥᾴδιον, ἀλλὰ δι

ἐυγ-

ἐντερίων προσηρτηται τῷ μηρύματι τὸ σκάφος, ἕως ἂν ἐμμηνίῳ γυναικῶν αἵματι καὶ οὔρῳ διαλύσωσι αὐτήν, οἷς μόνοις εἴκει. Καὶ χρήσιμος δ' οὐ μόνον εἰς ἁρμονίας νεῶν, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἄκεσιν σωμάτων. εἰς πολλὰ γοῦν τῶν φαρμάκων παραμίσγεται. Ταύτης τῆς λίμνης μῆκος μὲν ὀγδοήκοντα καὶ πεντακόσιοι στάδιοι, καθὸ δὲ μέχρι Ζοάρων τῆς Αραβίας ἐκτείνεται. εὖρος δὲ πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. Γειτνιᾷ δ' ἡ Σοδομῖτις αὐτῇ, πάλαι μὲν εὐδαίμων γῆ, καρπῶν τε ἕνεκα καὶ τῆς κατὰ πόλεις περιουσίας, νῦν δὲ κεκαυμένη πᾶσα. Φασὶ δὲ ὡς δι' ἀσέβειαν οἰκητόρων κεραυνοῖς καταφλεγῆναι. Ἔστι γοῦν ἔτι λείψανα τοῦ θείου πυρὸς καὶ πέντε μὲν πόλεων ἰδεῖν σκιάς, Ἔστι δὲ κἀν τοῖς καρποῖς σποδιὰν ἀναγεννωμένην, οἳ χρόαν μὲν ἔχουσι τοῖς ἐδωδίμοις ὁμοίαν, δρεψαμένων δὲ χερσὶν εἰς καπνὸν διαλύονται καὶ τέφραν. Ex illis colligamus axiomata, quæ complexim & diſtincte nobis rem univerſam repræſentent.

I. Vallis inter montes aquis Jordanis irrigua, in quibus putei bituminis paſſim è terra exæſtuantis, viſebantur, dicebatur Vallis Siddim.

II. Hæc converſa eſt in lacum, cum Deus incendio cæleſti campos concremaſſet.

III. Lacum illum Hebræi vocant ים המלח *mare ſalis*, quia ſalſi amarique ſaporis aquam habet. Mortuum alii vocant ob aquæ immobilitatem.

IV. Aquæ ſunt ſaporis ingrati, amarum vocant ſcriptores. Sapor eſt qualis è bitumine, ſale, alumine aquam inficit. Et hinc odor exiſtit ingratus. Siculus: καθ' ὑπερβολὴν δυσώδης.

V. Ἄγονος eſt, nullum animal gignit nec patitur ſuetas aquis volucres. Hegeſippus: *Denique neque piſces neque aſſuetas aquis & latas mergendi uſu patitur aves.*

VI. Viventia non facile immerguntur. Ita quos Veſpaſianus nandi ignaros præcipitari juſſerat, manibus poſt terga revinctis, refert Joſephus & ex eo Hegeſippus, ilico ſupernataſſe quaſi Spiritu quodam levatos & ad ſuperiora vi magna repulſos reſiliiſſe. Vita carentia corpora animalium ſubito mergi dicunt. Juſtinus dicit & inanima omnia mergi, unde navigandi impatiens lacus ſit, niſi navigia alumine illinantur. Diodorus Siculus omnia attolli docet niſi quæ auro argento plumbo ſimilem denſitatem habent. Euſtathius igitur fallitur qui nec illa metalla mergi putavit. Quam famam inanem eſſe Plinius videtur indicare lib. 5. cap. 16. Alio tamen loco, libro ſc. 12. cap. 103. diſerte affirmat nihil in eo mergi, quod Solinus ſolita imprudentia credidit. Ferunt etiam lychnos ardentes innatare, exſtinctos demergi.

VII. Colorem aquæ ad ſolis radios ter quotidie immutari. Eſt autem in ſe obſcurior cæteris aquis & aduſtæ præferens ſimilitudinem.

VIII. Saluber tamen uſus eſt. Hinc de Herode Hegeſippus: *Aſphaltites lacus pleriſque medicabilis, ſine ullo profectu ægrum tenebat.*

IX. Egerit ſalem amarum, alumen & potiſſimum bitumen. Bitumen egeri dicit Strabo ἀτάκτως ἀναφυσᾶσθ, Tacitus *certo anni*, κατ' ἐνιαυτὸν Diodorus.

X. Cum illud tempus advenit halitu quodam inficiuntur in proxima regione vaſa metallica, qui abit, poſtquam egeſtio deſiit.

XI. E profundo tanquam fonte ſuo vel fontibus ebullire videtur, ater ſuapte natura liquor, qui in ſummo ex aëris ambientis frigore concreſcit: maximè autem inareſcit) vapore terræ, & vi ſolis, poſtquam manu captum & in littus extractum eſt.

XII. Avide appetitur ab accolis, quia bonos dat reditus, ob uſum in medicinis & ad compages navium.

XIII. Hoc potiſſimum obſervandum eſt, quod adverſus ſententiam hodie communem, urbium quatuor ſubverſarum ſolum in lacum non ſubſederit. Hoc non ſolus Joſephus teſtatur, ut putabat Cl. Rivetus, ſed cum eo omnis vetuſtas. Vallis illa in lacum converſa eſt, ſed ſolum oppidorum in ſicco manſit. Joſephus diſerte dicit γειτνιᾷ δὲ Σοδομῖτις αὐτῇ (Ἀσφαλτίτιδι λίμνῃ) πάλαι μὲν εὐδαίμων γῆ, νῦν δὲ κεκαυμένη. Terra illa olim felix, nunc aduſta, prope Aſphaltiten lacum. Tacitus non minus diſertè: *Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magniſque urbibus habitatos &c.* Haud procul à lacu, quem deſcripſit, campi illi poſiti ſunt. Solinus etiam lacum *Aſphaltiten* diſtinguit *à triſti illo ſinu, quem dicit haud procul Hieroſolymis pandi, quem de cœlo tactum teſtetur humus nuda, ubi gignantur, poma cute ambitioſa fallacia.* Diodorus: ὁ δὲ πλησίον τόπος ἔμπυρος καὶ δυσώδης: quæ intelligenda ſunt de humo Sodomena. Suppoſititius Eſdras Sodomitarum *terram jacere dicit in piceis glebis & aggeribus cinerum*, non igitur aquis tectam. Tertullianus etiam Sodomorum regionem rogum eſſe dicit, non paludem. Hegeſippus: *Longitudo lacus uſque ad Zoara Arabiæ dirigitur ſtadiis quingentis octoginta, uſque ad vicina Sodomorum, qui quondam ſaluberrimam regionem inhabitabant: abundantem fructibus, diſtinctam quoque urbibus ſplendidiſſimis.* Strabo apud illum lacum monſtrari & videri dicit, rupes exuſtas πέτρας κεκαυμένας, item γῆν τεφρώδη & καπνικίας ἀναπεπαρμένας σποράδην. Ita uno conſenſu tota vetuſtas urbium ſolum ad lacum non in lacu eſſe aſſerit. Errant igitur mappæ Geographicæ vulgares & Judaica Amſtelodami edita, quæ in ipſo lacu urbes illas hauſtas eſſe monſtrant.

XIV. In ea regione, quæ oppida iſta olim tulit, incendii veſtigia ſuperſunt, in rupibus & facie ſoli.

XV. Notandum autem ſubverſarum urbium rudera antiquitus conſpicua fuiſſe. σκιὰς τῶν πόλεων, dicit Joſephus. Hegeſippus: *Quinque ita urbes incenſæ, quarum umbra quædam & ſpecies in favillis videtur.* Strabo: ὧν τῆς μητροπόλεως Σοδόμων σώζεσθαι κύκλον ἑξήκοντά που σταδίων. Rudera Sòdomorum, ambitum ejus urbis oſtendebant: ſexaginta ferè ſtadiorum. Apud Sodomum & Gomorrum naſci poma ambitioſa cute fuliginem favellaceam cohibentia Solinus dixit: cum rudera earum urbium dicere debuiſſet.

XVI. Cæleſtis iræ id maximum indicium eſt, quod in fructibus cinis renaſcatur. Hegeſippus ſic: *Ardent terra, ardent aqua, in quibus cæleſtis ignis reliquia recognoſcuntur, atque adhuc manent. Spectes illic ad ſpeciem poma viridantia, formatos uvarum racemos, ut edendi generent ſpectantibus cupiditatem: Si carpas fatiſcunt ac reſolvuntur in cinerem fumumque excitant, quaſi adhuc ardeant.* Eo igitur in loco ſupereſt judicii divini veſtigium, quin & indicium ignis gehennalis, quo impii in æternum torquebuntur. Brocardus: *dextris & ſiniſtris hujus maris montes ſteriles & aridi cernuntur. Nam quocunque vapor à mari illo aſcendens impellitur, ibi terra naſcentia non ſecus, quam ſi à pruina fuiſſent tacta emoriuntur. In quo diſtrictum Dei judicium nobis ob oculos ponitur, qui tam ſeverè grandia illa Sodomorum peccata uſque in hodiernum diem non deſinit punire. Nec niſi viſa ſic ſcribo.* Hic igitur os Tartari eſt, non quærendum alio in loco. Os appello, quod ejus figuram, ipſo ſpiritu ſancto docente, geſtat.

De

De oppidulo Zegor, in quo Lot evaſit.

DIſcrimen ſciri debet inter Zoara Arabiæ,· quæ fuit ad extremitatem auſtralem maris mortui, & hanc Zegor [Joſepho *ζωώρ.* Hebr. צער] quam Deus donavit Loto, ut in ea ſalvus eſſet. Hæc enim fuit ad extremitatem ſeptentrionalem, apud Engaddi. Nonnulli hanc poſt abitum Loti putant interiiſſe. Ita Pſeudo-Hegeſippus dixit *Quinque urbes eſſe incenſas*. Procopius Gazæus de ea ſententia diſputans, *τὸ πρῶτον ψεῦδος* id eſt opinionis fundamentum pandit: Timuit habitare in Segor, *quamvis & de hac dicatur:* propter te immunis ab excidio erit. *Quapropter quidam autores perhibent, Sogor incolas non igne eſſe evaſtatos, ſed hiatu terra obrutos ſubſediſſe. Hinc ei nomen datum eſt* Balac, *quod ſonat, ſi dictionem interpreteris*, abſorpta. *Huic teſtimonium ferunt filia Loti. quod auſa fuerunt adeò immane committere nefas, quaſi nullo nec in Segor nec Sodomis incolumi. Nam ſi ſalutem ſperaßet ſe inventurum in illo oppidulo haud in montem celeri fuga ſe proripuiſſet. Alibi idem oppidulum etiam* Zoar *vocatur. Sed Syrus legit* Zaar id eſt Bala. *Submerſi enim nec igne conſumpti ſunt illius oppiduli cives. Ex Zoar enim neceſſaria & commeatus ſubvehebantur in montem. Vnde enim omnibus deſtructis & igne devoratis potuiſſet quam ex illo oppidulo habere vinum. Sed Hebraus ſic loquitur de Segor:* uſque ad ſubſidentem. *Niſi enim terra hiatu fuiſſet tandem obtecta, quo ore auſa fuiſſent dicere filia Loti. Nemo eſt ſuper terra, qui ingrediatur ad nos.* Argumenta igitur tria fuerunt. 1. Timuit Lot illic remanere. At timor Loti veritatem eventus non docet. Falſo timuit, trepidatione & horrore plenus, quia imaginem triſtiſſimi ſupplicii animo non potuit deponere II. arg. Filiæ Lot exiſtimarunt univerſum orbem interiiſſe, quod non potuiſſent putare, niſi Zoar putaſſent fuiſſe ſubmerſum. R. Exiſtimarunt totum orbem illa ruina eſſe involutum, quod vanum dictamen erat nimii timoris. Non magis vera de Zoar ſubmerſa opinio illis fuit. III. arg. è nomine Bela, nemo ſuſceperit, quia conſtat id nominis antiquitus habuiſſe (Gen. 14. 2.) antequam Pentapolis interiret. Zoar dici cœpit poſt illam ſubverſionem. Lyranus hæſit in eadem ſententia. Adverſus ea argumenta iſta obſervari poſſunt. I. Angelus dicit eam eſſe conſervandam ab interitu ob Loti preces. Non dicit interituram eſſe à Loti ex ea diſceſſu. II. Lotus diſceſſit ex ea ob metum, quem ſibi ipſi fecerat nullo indicio minarum Dei. Id ita narrat ſanctus ſcriptor, ut cauſam diſceſſus indicet non aliam fuiſſe quam metum. Si non alia cauſa, non ſuberat rei futuræ veritas. III. Nomen mutavit poſt illum eventum, quod non fuiſſet, ſi ea tempeſtate, aut paulò poſt interiſſet. IV. Moſes hiſtoriam ſcribens poſt Exodum, dicit quæ olim dicta fuit Bela, eſſe Zoar, ſignificans ſupereſſe cum eo vocabulo. V. Deut. 29. 23. Moſes tantum quatuor civitates reliquas ſubverſas eſſe narrat, quas nominatim exprimit. VI. E Gen. XIX. 29. ubi dicitur: *Factum eſt cum Deus ſubverteret urbes planitiei, recordatus eſt Abrahami: eduxitque Lot è medio hujus ſubverſionis, ſecundum ſubverſionem earum urbem in quibus Lot habitaverat*, Abeneſdras elicit Zooram remanſiſſe: גם זה הפסוק יורה שנמלטה צוער גם כן אמר המלאך:. Nam ſubverſionem reſtringit ad tempus eductionis Loti è Sodomis. Ideò non eſt fingenda ſubſequens alia ſubverſio. VII. diſerte teſtantur maximi autores pluribus ſeculis poſteà id oppidulum ſtetiſſe. Joſephus: *ζωὼρ ἔτι καὶ νῦν λέγεται.* Philo lib. de Abrahamo: *Τῆς δὲ περὶ τὴν χώραν παλαιᾶς εὐδαιμονίας ἐναργέστατον ἀπολέλειπται δεῖγμα, πόλις μία, καὶ ἡ ἐν κύκλῳ γῆ: πολυάνθρωπος μὲν ἡ πόλις, εὔχορτος δὲ καὶ εὔσταχυς καὶ συνέ-λως*

λως καρποφόρος ἡ γῆ, πρὸς ἔλεγχον δίκης γνώμῃ θείᾳ δικασθείσης. Illam urbem reſiduam, teſtari illius planitiei ſeu camporum antiquam ubertatem & judicium Dei, qui reliquerit in hoc oppidulo ejuſque ſuburbanis, quam corrupit in reliquis, felicitatem. Id quomodo conciliandum cum Brocardi narratione? Brocardus enim ita: *Scribit patriarcha Hieroſolymitanus, qui ſæpe locum illum inviſit, mare illud ſemper fumum reddere & nebulam in modum camini infernalis: unde tota illa vallis, quæ aliquando ob ſui fecunditatem & amœnitatem illuſtris dicta fuit, ad ſpatium dimidiæ diætæ ſterilis & inutilis reddita eſt, ita ut nec ullum germen proferat per ſpatium quinque leucarum, niſi juxta civitatem Iericho, ubi horti irrigantur à fonte Eliſæi.* In illis, quæ ſequuntur, docet ipſos montes, quibus à dextris & ſiniſtris mare cingitur, aridos eſſe ob iſtum vaporem, eo uſque progredientem. Inter Jericho & montem Engaddi incumbentem planitiei erant quinque leucæ. Ad Engaddi ſtabat Segor, quoderat ad mare mortuum. Nam iterum Brocardus: *A Segor ſupra mare mortuum ad unam leucam eſt aſcenſus montis Engaddi, ubi David aliquando latitavit, quum à Saul hoſtili animo quæreretur.* Non poſſum aliter conciliare, quam lapſu temporis mutatum eſſe habitum loci. Crediderim fecunditatem Segor degeneraſſe poſtquam ipſa Cananæa univerſa maledictioni data eſt, cum vicinis partibus. Nam ab orientali parte fecunditatem fuiſſe in regione Moabitarum certum eſt ex Eſai xv. Aquæ Nimrim & herbida paſcua ejus tractus celebrantur in eo loco.

Abrahami ſolicitudo de Sodomis.

Abraham ſummo mane ſequentis diei ad eum locum, ubi coram Domino ſteterat, reverſus, oculos curioſa aut potius ſolicita mente flexit verſus vallem Sodomenam, viditque fumum tanquam fornacis aſcendere in cælum. כבשן / Raſi: חפירה ששורפין בה את האבנים לסיד וכן כל כבשן שבתורה. *Fovea* in qua comburunt lapides in calcem & ita omne כבשן in lege. Aben-eſdras exponit מקום אש דולקת תמיד / *locus* ignis ſemper ardentis. Videbat igitur Pentapolin fumare ex recenti incendio. Regionis combuſtæ partem humiliorem implevit Jordanes, in ſublimioribus licuit contemplari rudera & buſta everſarum urbium. Oportet brevi tempore factam eſſe conflagrationem, quia ſummo mane eò loci penetraverat Abraham, & jam Sol ortus erat, cum angeli ſupplicium Divinitus mandatum inferre cœperunt. Abraham feſtinabundus in exitu rei indicatæ voluit reſpicere, ut ſciret, an in urbe Sodomorum decem eſſent juſti reperti, ob quos commerita pœna poſſet inhiberi. Hujus Abrahami merito dicitur data eſſe liberatio Loti. Unde Hebræi eliciunt inter bonos vix potuiſſe numerari, ut quem non ſuum ſed Abrahami meritum ſalvum fecerit. Non verentur dicere fuiſſe עם הארץ / hominem plebejum & rudem. Philo lib. 2. de vita Moſis: *ἐν ᾧ τούτῳ συνέβαινε τούς τε ἀσεβεῖς ταῖς εἰρημέναις τιμωρίαις κολάζεσθαι καὶ τοὺς καλοκαγαθίας διενηνοχότας εὖ πάσχειν, ἀρετῆς ἐπαξίων ἄθλων τυγχάνοντας. Ἐν μέντοιγε τῇ φορᾷ τοῦ κεραυνίου πυρός, οἰκήτορσιν αὐτοῖς ὅλης χώρας ἐμπιπραμένης, εἷς μόνος ἀνὴρ μέτοικος ἐπιφροσύνῃ θείᾳ σώζεται, διότι τῶν ἐγχωρίων παρανομημάτων οὐδὲν ἠσπάσατο, τῶν μετοίκων εἰωθότων ἀσφαλείας ἕνεκα τὰ ξενικὰ τιμᾶν, ἐπεὶ τοῖς ἀτιμάζουσι κίνδυνος ἐκ τῶν αὐτοχθόνων ἕπεται. Καίτοιγε οὐκ ἐπ' ἄκρον ἥκε σοφίας, ὡς διὰ τελειότητα τῆς ἐν αὐτῷ φύσεως τοσούτου γέρως ἀξιωθῆναι, ἀλλ' ὅτι μόνον τοῖς πολλοῖς οὐ συνηνέχθη πρὸς τὸ ἁβροδίαιτον ἀποκλίνασι, καὶ πάσας μὲν ἡδονάς, πάσας δ' ἐπιθυμίας χορηγίαις ἀφθόνοις ἀνάψασιν, ὥσπερ φλόγα θείῳ καὶ κεχυμένῃ ὕλῃ.* Lotum hoc habuiſſe, quod communi labe vitiorum & luxus ſe abripi

non

non ſit paſſus. Id eo notabilius fuiſſe, quod hoſpites indigenarum mores amplecti & laudare ſoleant, ne exprobrare videantur. Ad ſummum ſapientiæ non perveniſſe. Lyranus: *Ex quo patet, quod Lot non ſolum liberatus fuit pro juſtitia ſua ſed principaliter pro precibus Abraa.* Duæ cauſæ ad eundem effectum potuerunt concurrere. Deus liberationem Loti, quod corporale beneficium fuit, pro ſumma ſua benignitate non ex merito proprie dicto Abrahami, dedit precibus Abrahami, quamvis & ipſius optimi viri ea eſſer probitas, quam in exemplum diſcriminis eximi conveniret è communi exitio. Raſi dicit, quia Lot non retexerat in Ægypto cum eſſent quod Sara uxor Abrahami eſſet, ideo ſervatum eſſe, At maneamus intra ſcripturæ terminos.

De Loti inceſtuoſo cum filiabus concubitu.

LOt è Sodomorum interitu ſalvatus, ob horrorem loci in vicinia poſiti, inde abiit in montem. Joſephus hunc ejus diſceſſum è Zoor in montem prætcriit, quaſi in ipſo oppido inceſtus eſſet commiſſus. Ita non quadrat, quod dicit filias *πᾶν ἠφανίσθαι τὸ ἀνθρώπινον ὑπολαβεῖν.* Nam in oppido homines erant. Sed Joſephus *ζώωρ* dicit fuiſſe *βραχὺ χωρίον*, quod interpretantur, *ruſculum quoddam parvum.* Oppidum fuit, ut exprimit Scriptura v. 20. 21. 23. Lotus, referente Moſe, prius evaſit in oppidum Zoor, deinde in montem conceſſit, conſeditque in ſpecu. Hic igitur dormitavit Joſephus. Antrum autem illud pernicioſius fuit Loto quam inhabitatio Sodomorum. Si manſiſſet in Zoor, ubi Dei os tutum effugium promiſerat, in hanc calamitatem non incidiſſet, ſecutus trepidationem ſuam, non conſulto Deo, in ſpecu fœde lapſus eſt. Nam *filiæ, exiſtimantes humanum genus interiſſe concubitum inebriati patris appetiverunt.* Ita breviter ſummam rei complexus eſt Sulpicius. Cauſa impulſiva, quæ adegit patris concubitum appetere, fuit, quia putabant genus humanum periiſſe: סבורות היו שכל העולם נחרב כמו בדור המבול Ita Raſi è Breſith Rabba: *univerſum mundum* ut in diluvio vaſtatum eſſe. Similiter Aben eſdras. Vinum unde in antro? Hebræi putant miraculo Divinitus factum eſſe. Non opus eſt, dicere, quod Deus miraculo procuraverit occaſionem ad inceſtum. Potuerunt domo portaſſe ſecum, quia angelis præmonentibus ad exitum è Sodomis ſe præparaverunt & ſibi de neceſſariis proſpexerunt. Refert textus non cognoviſſe Lotum, acceſſum aut diſceſſum filiarum. At qui rem habere potuit, ſi non cognovit, mulierem ſibi adeſſe? Lyranus: *Dicunt Hebræi & videtur verum, quod impoſſibile eſt ipſum Lot cognoviſſe carnaliter mulierem & maxime virginem, quales erant filiæ ſuæ (ut ſupra dictum eſt in hoc capitulo) & non advertere de concubitu cum muliere: & ideò dicunt quod Lot evigilans de nocte, benè advertit mulierem juxtà ſe, & quod cognovit eam carnaliter: ſed quod eſſet ſua filia forſitan ignoravit: quia calefactus vino non recoluit quod uxor ſua eſſet mortua: & ideo credebat ſe eſſe cum ea. Sed per hoc Lot totaliter non excuſatur, quia in craſtino non cavet ſibi de ſimili. Et propter prædicta ſcriptura non dicit, quod Lot non ſenſit, quando cognovit mulierem vel filiam: ſed quod* non ſenſit quando accubuit filia, *id eſt, quando lectum intravit cum eo:* nec quando ſurrexit, *id eſt, quando exivit lectum juxta eum: quia ipſo dormiente intravit & poſt impragnationem, patre iterum dormiente, exivit: & eodem modo dicendum eſt de alia filia.* Eſtius è Bonaventura: *Ita vino fuit conſopita ejus ratio, ut more brutorum nihil cogitans cum qua miſceretur, ad coitum moveretur præſente fœmina, de uxoris morte vel omnino de uxore nihil cogitans: imò nec poſtridie ſciens ſe cum muliere concubuiſſe: quomodo aliqui qui*

homicidium committunt ex ebrietate, poſtridie neſciunt ſe id feciſſe. Non ſenſit id eſt non diſcrevit. Hebræa ſcriptura punctum habet in voce ובקומה. Hieronymus juxta Hebræos ſui temporis id punctum exponit, quaſi rem mirari & admirandam notet, aliquem non ſentientem congredi, quod natura non fit. Alii myſterium exponunt, quod leviter ſenſerit & tamen rurſum ſe paſſus inebriari, nocte inſequente nihil ſenſerit. Ideo eandem vocem poſtea ſine ו ſcribi. Raſi : נקוד לומר שבקומה ידע ואף על פי כן לא נשמ׳ ליל שני מלשתות Alii ו ideò deficere volunt, ut ſignificerur quod circà horam noctis ſextam ad patrem acceſſerit. Ut incertum eſt; quandiu Lot Soaris egerit, ita etiam, quanto tempore in antro. Inverecundior & appetentior fuit primogenita. Hæc rei primam injecit ſermonem. Hæc, cum ipſa concubuiſſet, juniorem incitavit ad noctem ſequentem. Hæc auſa eſt in filii nati nomine profiteri ſcelus, cum minor reverentius ſuum gnatum appellaverit tacito patris nomine. Verba Moſis, quibus narrat cauſam filias Loti moventem, ita habent : *Et nullus virorum remanſit in terra.* Terræ voce vel orbem terrarum vel regionem iſtam ſignificarunt. Si priori modo (inquit Eſtius) excuſabilius fuiſſet puellarum factum: ſed quoquomodo: debuiſſent prius inquirere an *ſupereſſent viri.* Hieronymus tradit. in Geneſin : *Quæritur, quare cum primum fugæ montis Segor prætulerit & eam in habitaculum ſuum voluerit liberari, nunc de Segor. rurſum ad montem migret? Reſpondebimus veram eſſe illam Hebræorum conjecturam, quod frequenter terra motu ſubruta, Bale primum & poſteà Saliſſa appellata ſit : timueritque Lot, dicens: Si cum cætera adhuc urbes ſtarent, ipſa ſæpe ſubverſa eſt : quanto magis nunc in communi ruina non poterit liberari? Et hanc occaſionem infidelitatis, etiam in filias coitus dediſſe principium. Qui cum cæteras videret ſubrui civitates & hanc ſtare, ſeque Dei auxilio erutum: utique de eo, quod ſibi conceſſum audierat, ambigere non debuit. Illud igitur quod pro excuſatione dicitur filiarum, eo, quod putaverint defeciſſe humanum genus & ideò cum Patre concubuerint, non excuſat Patrem.* Chryſoſtomus & filiorum & Loti factum nititur purgare ab omni crimine. Liberat filias, quia ſcopum habuerunt bonum. *Hæc enim* (inquit) *erat priſcorum maxima cura, quomodo genus ſuum filiorum ſucceſſione dilatent: proinde dicit, Ne & noſtri generis tota fiat abolitio, præſertim jam ſenio patre confecto: & nullus inveniatur vir, qui nobis jungatur, ut poſſimus extendere & relinquere ſeminis noſtri propagationem.* Hic I. cum Eſtio dicimus debuiſſent diligentius inquirere an ſupereſſent aliqui homines. II. Non videntur putare, quod humanum genus fuerit deletum, cum terræ vocem potius ſumpſiſſe dixerimus de regione ſua : aut ſi de toto orbe velint intelligi, hoc tantum putant, ſibi nullum poſſe evenire maritum, ſecluſis ab hominum conſortio. Nam primò Segor vicina erat, ſciebant aut ſcire poterant, non interiiſſe, ſecundò, cum mons ille eſſet integer, ſciebant hinc univerſum orbem igne non conflagraſſe. 3. Angelorum verba hærebant aut hærere debuerunt animo, qui civitates vallis illius exitio eſſe devotas dixerant, non orbem totum. Et cauſa fugæ in montem erat, quod extra illam vallem ſe tutius agere putarent. 4. Non potuerunt ignorare, Abrahamum, virum juſtum, ſupereſſe & incolumem degere in Cananæa. 5. Manifeſto opponunt ſe ſuumque ſtatum, mori per orbem recepto. Rectè igitur ex his concludimus cum Calvino & Cl. Riveto : Id tantum reſpicere videntur, quod cum parens ſolitudinem hanc elegiſſet, quaſi vellet ſe ab omni hominum conſortio ſeparare, ſe etiam deinceps in cælibatu victuras eſſe. Proinde providendum ne exſtingueretur genus. Quia in illa ſolitudine & latebris degebant, putarunt nihil amplius ſibi fore cum hominibus commercii. Cum enim filiæ virgines non ut filii

condi-

conditionem ſibi quærere poſſint, magis arctabantur. Scopus bonus non poteſt factum in bonitatis plenitudine collocare. Sunt hic multa quæ illas damnant. 1. Ipſæ contra ſe teſtimonium ferunt, quia ſciunt patrem non eſſe conſenſurum. 2. Quod non alia ratione, niſi per inebriationem pervenire ſe poſſe ſciant ad id, quod intendunt. 3. Quod à ſe potius conſilium petunt, quam à Deo, per gemitus preceſque. 4. Ubi autem pudor virginalis, qui jubet curam matrimonii parentibus relinquere? Excuſantur à tanto, quia non libidine ſed quærendæ ſobolis deſiderio impulſas ſe eſſe oſtendunt, unico concubitu quærentes ſolitudini, à morte parentis futuræ, ſolatium.

Lotum defendit Chryſoſtomus, quia inſcius præter voluntatem per ebrietatem commiſerit factum: quia myſterium hic præfiguret divina providentia. *Conſidera dilecte*, inquit, *quod totum factum fuerit divina diſpenſatione, ſicut & Protoplaſto evenit. Nam ſicut illic ex dormientis latere portio ſumpta eſt, eo non ſentiente: ſed qui finxerat latus illud, inde uxorem Adæ produxit, ita ſimili modo & nunc. Nam cum coſtæ ablatio, exceſſu mentis à Deo immiſſo, abſque illius ſenſu fuit, multò magis & quod nunc eſt factum. Nam id, quod dixit illic divina ſcriptura, quod immiſit ecſtaſin in Adam & dormivit: hoc & hic ſignificavit, dicendo, Neſcivit, quando vel accubuerit vel ſurrexerit.* Ea tempeſtate putat magis licitum fuiſſe, ut quæreretur memoriæ per generis ſucceſſionem conſervatio, *quoniam origo & initia erant.* Nunc, *quia per gratiam Dei religio majora ſumpſerit incrementa, & figura hujus mundi prætereat*, bona opera agendo memoriam noſtri relinquendam eſſe. Quantum ebrietatem attinet, non poteſt ut vim vini ignoraverit, qui liberalis fuerat in tractandis hoſpitibus. Nec ſi licuit liberalius ſe adſpergere flore vini, pro temporis ratione, ut cordis triſtitia pelleretur, indulgendum fuit ebrietati: maximè cum recens Dei judicium & (quod magis eſt) præcedens delictum pœnitentiam poſceret. Quod per ebrietatem voluntariò contractam commiſſum eſt, voluntati imputatur. Cur enim mentis uſum ſciens volenſque externavit? Myſterium longè petitur & ſummæ imprudentiæ eſt, Deum autorem facere facinoris per ebrietatem commiſſi. Non Dei ſed Bacchi ſpiritus virum ſoporavit. Ecſtaſis non immittitur ad ſcelera & inceſtum. Derelictus fuit à Deo, quia Deum dereliquerat. Ita permiſſu Dei impulit Satan de facinore priore in ſubſequens, qui obnubilavit animum, ut cum muliere bis coiret, non æſtimata facti circumſtantia totaque ratione. Quidam autem per medicatam potionem, jam ante præparatam & in promptu, Loto inductam fuiſſe eam externationem exiſtimant. Illis non accedam. Calvinus benè: *Hic prodigium narratur à Moſe, quod lectores merito obſtupefacere debet. Qui enim venire in mentem poteſt filiabus Lot inceſtus concubitus, cum adhuc pene in oculis eſſet horribilis Dei vindicta in Sodomitas, cujus præcipuam fuiſſe cauſam ſciebant fœdas nefandaſque libidines? Etſi autem non tam libidinis ardore, quam ſtulto propagandæ ſobolis deſiderio impulſæ ſint ad tale flagitium, nimis tamen cæcus fuit furor, quam natura dictat modeſtiam puderemque abjicere & belluino more confundere omne turpis & honeſti diſcrimen.* Iterum: *Tametſi Lot non peccavit ſciens: quia tamen illi ebrietas ſtuporis cauſa fuit, levatur quidem utrumque ejus culpa: imò dubium non eſt, dominum hoc pœnæ genere ultum fuiſſe ejus intemperantiam. Eſt enim hoc rarum & prodigii ſimile ita potu hebetari omnes hominis ſenſus, ut libidinem quaſi mortuus profundat. Ego quidem ita omninò ſtatuo non tam vino fuiſſe obrutum, quam propter ſuam intemperiem divinitus percuſſum ſpiritu ſtuporis.* Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum Manichæum cap. 43. 44. 45. egregiè totam rem diſcuſſit & ſimiliter (quo ad ſummam rei) Calvino iiſque quæ dicta ſunt, decidit. Poſtquam figuram

hic eſſe dixerat, nec tamen excuſari factum: *Proinde,* inquiens, *illud factum, cum in ſancta ſcriptura narratur prophetia eſt: cum vero in illorum vita, qui hoc commiſerunt, conſideratur, flagitium eſt.* Hinc dicit cap. 43. *Nec rurſus tanta reprehenſione atque accuſatione digna res eſt quantam in eam Fauſtus inimicus & cæcus evomuit. Conſulitur enim æterna lex illum ordinem conſervari jubens, perturbari vetans & non ita de hoc facto judicat, ac ſi ille in filias nefaria libidine exarſerit, ut earum inceſtato corpore frueretur, aut eas haberet uxores: ſed nec de illis feminis, ac ſi in ſui patris carnem execrabili amore flagraſſent. Ratio quippe juſtitiæ non tantum quid factum ſit verum etiam quare factum ſit intuetur, ut ex cauſis ſuis facta pendentia libramento æquitatis examinet. Cum igitur illæ ad conſervationem generis prolem quærerent, qui utique in eis humanus erat & naturalis affectus; nec ſe crederent invenire poſſe alios viros velut exuſto illa conflagratione orbe terrarum (neque enim diſcernere poterant, quo uſque ignis ille ſævierit) miſcere ſe patri voluerunt. Et potius quidem nunquam eſſe matres, quam ſic uti patre debuerunt* &c. cap. 44. *Quapropter culpandus eſt quidem non tamen quantum ille inceſtus, ſed quantum ulla meretur ebrietas* &c. Quia filiæ illum ab illo opere abhorrere ſcientes, id ſe impleturas eſſe non credebant, niſi ejus ignorantiam procurarent. Tum: *Nam & hanc* (ebrietatem) *lex æterna condemnat, cibum quia & potum ad ordinem naturalem non niſi gratia conſervandæ ſalutis admittit. Quamvis ergò inter ebrioſum & ebrium plurimum interſit (nam nec ebrioſus ſemper eſt ebrius, nec quiſquis aliquando ebrius, conſequenter ebrioſus eſt), tamen in homine juſto, hujus ipſius & ſi non ebrioſitatis, at certè ebrietatis cauſa quærenda eſt. Quid enim tandem cogebat, ut filiabus ſuis crebra vina miſcentibus, aut fortaſſe nec mixta crebrò porrigentibus conſentiret aut crederet: An ad hoc filias nimiam triſtitiam fingentes ita voluit conſolari, ut illius deſtitutionis & materni luctus dolor de cogitatione mentis ebriæ fugaretur, etiam ipſas tantundem bibere exiſtimans & aliqua fraude agentes ne biberent? Sed etiam talem triſtibus ſuis adhibere conſolationem, quomodo virum juſtum decuerit non videmus. An aliqua Sodomitarum arte peſſima etiam paucis poculis ſic inebriare potuerunt, ut illud peccatum cum ignorante vel potius de ignorante committerent? Sed mirum ſi hoc ſcriptura Divina tacuiſſet vel ſervum ſuum Deus ſine aliquo voluntatis ejus vitio perpeti ſineret.* Cap. 45. *Nos tamen ſcripturas ſanctas, non hominum peccata defendimus. Non ſic autem de hujus facti purgatione ſatagimus, quaſi hoc Deus noſter aut fieri juſſerit aut factum approbaverit: aut ita juſti homines in libris appellentur, ut ſi voluerint peccare non poſſint. Cum ergò in literis quas iſti reprehendunt, Deus huic facto nullum juſtitiæ teſtimonium perhibuerit, qua dementia temeritatis hinc illas literas accuſare contendunt, cum aliis earum locis apertiſſimè inveniantur Divinis præceptis iſta prohiberi? Unde in illa re geſta de opere filiarum Lot narrata iſta ſunt non laudata: quædam vero enuntiato judicio Dei, quædam tacito narrari oportuit; ut quando promitur, quid inde judicaverit Deus, inſtruatur noſtra imperitia: quando autem tacetur vel exerceatur peritia, ut quod alibi didicimus, recolamus: vel excutiatur pigritia, ut quod nondum novimus inquiramus. Deus ergo, qui novit de hominum opere malo facere opera bona, gentes, quas voluit, ex illo ſemine* propagavit: *non ſcripturas ſuas ſanctas propter hominum peccata damnavit. Prodidit quippe iſta non fecit: & cavenda admonuit, non imitanda propoſuit.*

SULPITII SEVERI

HISTORIÆ SACRÆ

LIBER PRIMUS.

Caput Septimum.

PEr idem tempus ferè, cum Abraam eſſet etiam centum annorum, Iſaac filius natus eſt. Tum ancillam, de qua Abraam filium ſuſceperat, Sarra expulit: quæ habitaſſe in deſerto, unà cum filio & præſidio Domini defenſa traditur. Non multum poſt, Dominus Abraæ fidem tentans, immolandum ſibi à patre Iſaac filium poſcit. Quem ille non cunctatus offerre, cum aræ puerum ſuperpoſuiſſet, gladiumque educeret, vox miſſa de cælo eſt, puero ut parceret: victimæ aries præſto fuit. Conſummatoque ſacrificio, Abraæ Dominus locutus eſt, promittens ea, quæ jam ſpoponderat. At Sarra, cum ſeptimum & viceſimum ſupra centeſimum annum ageret, deceſſit: corpus cura viri ſepultum in Hebron, Cananæorum oppido. Etenim illic Abraham commorabatur.

Drusius.

Cum Abraham Esset Etiam Centum Annorum] Si in ea ſententia fuit, ut exiſtimarit Iſaacum natum eo anno, quo promiſſio facta eſt Abrahamo, fallitur. Nam promiſſio facta eſt, cum annum ageret nonageſimum nonum: ut diximus, Iſaac autem natus fuit, cum eſſet annorum centum. Græca editio nihil juvat Sulpicium, quem ita ſenſiſſe colligo ex particula etiam.

Tum Ancillam] Hagar: unde Hagareni, qui & Iſmaelitæ & Arabes & Saraceni: non à Sara, ut quidam arbitrantur, ſed à verbo סרק, quod perſpicuum ex ſcriptura סרקאין in Geneſi magno, *Tabernacula Saracenorum, qui vagantur ſive vagi ſunt & è loco ſuo transferuntur.* Recte ſane. Eſt enim genus hominum vagum καὶ νομαδικὸν & latrociniis etiamnum hodie victitans. Porrò *Hagareni* Ebraice הגרים dicuntur, quorum memoria uſurpatur in odis Davidicis.

Quæ Habitasse In Deserto] Primum erravit in deſerto Berſabee: poſt habitavit cum filio in deſerto Pharan, ubi uxorem Ægyptiam filio dedit, Gen. 21. 21. Ex qua is duodecim filios procreavit: Unde fere gentes Arabum.

Præsidio Domini Defensa Traditur] Nam indicabat ei puteum aquæ cum extrema ſiti afficeretur in deſerto.

Non Multum Post] Cicero dixiſſet potius, *non multo poſt.* Sic *multo ante, multo aliter, paulo poſt.*

Immolandum Sibi à Patre Isaac Filium Poscit]

Agebat tum Iſaac annum 37. qui erat annus mundi conditi 2085. Natus enim eſt anno 2048, ut Salmanticenſis annotavit: quibus ſi addas 37, emergit numerus, quem dixi.

Cum Aræ Puerum Superposuiſſet] Ara hæc exſtructa fuiſſe traditur in monte Moria, ubi poſteà templum ædificatum fuit. Salmanticenſis: *Ligatus fuit Iſaac pater noſter in monte Moria: traditio autem eſt in manu omnium, locum hunc eſſe aream Areunæ Iebuſæi, in quo David & Salomo ædificarunt. In eodem loco Abraham exſtruxit altare in quo filium ſuum ligavit* (Ebraice עקד. Hinc עקידת יצחק ligatio Iſahaci: de qua liber eſt apud Ebræos peculiaris, quem nondum videre mihi contigit) *in eodem loco Noë ex arca egreſſus aram erexit, ibique tam Cain, quam Abel obtulerunt. Similiter obtulit in eo* primus homo oblationem, cum creatus eſſet. Quin inde *creatus fuit. Autor Moſes Ægyptius capite ſecundo, in iis quæ de domo electa compoſuit.* Hucuſque Judæus ille.

In Hebrone Cananæorum Oppido] Mortua eſt in oppido Arbe, quod à Græcis πόλις Ἀρβὸκ vocatur & alio nomine Hebron ſive Chebron dicitur: ſepulta vero in ſpelunca Machphela, quam Abram emerat ab Ephrone Hetthæo. Hiſtoria refertur Gen. 23. Hæc urbs metropolis erat Judææ, condita ſeptem annis ante urbem Ægypti quæ Tanis nuncupatur. Dicitur & Cariath Arbe: à viro quodam Arbe dicto, non à quatuor patriarchis ibi ſepultis ut Hieron. opinatur. Diſtat ab Ægypto, teſte Gerundenſe, itinere ſeptem dierum.

Chananæorum Oppido] Gen. 23. 1. ipſa eſt Chebron in terra Chanaan. Moſes Gerundenſis ait eſſe vicinam Chananææ. Utrumque ſimul verum eſſe poteſt. Nam anguſtè ſumptum hoc nomen uſurpatur de una è ſeptem gentibus, cum latè acceptum omnes ſeptem comprehendat. Sane Chananæa etiam terra ſeptem gentium appellatur.

Schotanus.

Capitis XX. Geneſeos hiſtoriam Sulpitius præterit, quæ geſta eſt eodem anno cum hiſtoria duorum antecedentium capitum, nempe ſub finem anni 24. adventus in Chananæam. Abraham fixam habitationem conſtituerat in Elone Mamre, apud Hebronem. Hinc conceſſit peregrinatum in regionem Gerarorum. Scriptura dicit profectum eſſe ארצה הנגב / *verſus terram auſtri.* Græci, εἰς γῆν πρὸς λίβα. Chaldæus: לארע דרומא. Syrus: ܠܐܪܥܐ ܕܬܝܡܢܐ. Terram auſtralis plagæ quoad Judææ clima. Regionem, in quam conceſſit, appellat Gerar, quam collocat inter Sur & Cades. Hæ ſunt duæ ſolitudines in ſacris nominatiſſimæ. Sur vicina Ægypto, montibus, qui à Caſio ad ſinum Arabicum currunt ab una parte, ab altera parte montanis Pharan intercepta longiſſime patet. Montana Pharan incipiunt ab extremis Simeonitarum. Quicquid igitur inter duo illa juga montium extenditur camporum, Sur nomine venit: imo deſerta illa planities, quæ circa littus maris mediterranei Joppen uſque patet, hoc nomine dici videtur. Abrahami enim tempore, nondum condita erant oppida eorum locorum. Ita Gerar, quæ poſita erat ad torrentem Boſor, ab occidente habuit illam patentiſſimam ſolitudinem. Cades vocatur altera ſolitudo, quæ montem Seir terminat. Nam montana Seir incipiunt in hac ſolitudine ſupra Gerar procurruntque ad linguam auſtralem maris mortui. Unde ſolitudo Cades montibus illis prætexitur ab auſtrali parte verſus orientem ſupra mare mortuum. Solitudo Pharan eſt

inter.

inter Cades & Sur. Gerar igitur fuit in auſtrali termino Cananææ. Bered non procul diſſita fuit ab Gerar, de qua ſupra. Syrus τὸ Cades appellat. ܪܩܡ, Arabs رقيم. Sur Syro appellatur ܚܓܪܐ Arabi Anglicano الجفار. Eidem Arabi Gerar dicitur الخلوص *Chaluſa:* at in Syro Anglicano eſt ܓܕܪ pro ܓܪܪ uti puto vitioſa ſcriptione. Eodem nomine Gedar Syrus ſupra Bered expreſſit.

Cum Abraham Hebrone habitaverit longo ſpatio temporis, toto ferme, poſtquam redierat Ægypto, ubi periclitata fuerat Sara, (qui anni fuerant pluſquam viginti) quæritur quæ ipſum cauſa illinc diſcedere adegerit? Gravem cauſam ſubeſſe oportuit. Judæi dicunt, כשראה שחרבו הכרכים ופסקו העוברים והשבים נסע לו משם ד״א להתרחק מלוט שיצא עליו שם רע שבא על בנותיו: *Cum videret vaſtatas eſſe urbes & deficere commeantes, abiit. Alius ſermo: ut longe eſſet à Loto, de quo infamia egreſſa erat, quòd cum filiabus rem habuiſſet.*

Homines ignotos & malitiam eorum metuens vetus peccatum renovavit, jactans Saram ſororem eſſe: ita bis ad eundem impegit ſcopulum. Hic magis admirabile videtur, tantam Saræ conſtitiſſe formæ gratiam, cum eſſet nonagenaria, proque re incredibili ipſa habuiſſet annuntiatum divinitus conceptum. Fieri poteſt, quod vigor reddita fecunditate redierit. Exiſtimavit Salianus nontam ob formam quam ob affinitatem contrahendam ab Abimelech Saram expetitam eſſe. Id non convenit, quia; ſi Abrahami amicitia expeteretur, non fuit metuere injuriam. Abrami factum multi conantur excuſare, quod imperite aut pertinaciter & contentioſe cum faciant, magni non eſt faciendum. Raſi dicit Abrahamum invita Sara, dixiſſe eam ſororem hac vice; quia prius, cum conſentiret, malè ceſſiſſet. Abimelech rex Gerarorum erat, quem metuebat Abraham. Multi ea tempeſtate reges fuerunt, uti in ſuperiori hiſtoria patet. Singulæ enim urbes ſuis regibus parebant in oriente. In terris nomen imperii id primum fuit & oriens ab ultima memoria & origine ſub regibus fuit. Narrat Eutychius duodecim reges coiiſſe ad Melchiſedec cum de illius dignitate inaudiviſſent. Hos recenſet: Fuerunt enim Abimelech rex Gerar, Marcal rex Zogar, Arius rex Deſtar, Jardaomer rex Ilam, Targali rex Zaglai, Baaz rex Gailath, Iaez rex Sodomorum, Sebath rex Edom, Banbu rex Damaſci, Bactar rex Alraba, Sanaam rex Amorrhæorum. Hos rogaſſe Melchiſedecum, ut ſecum iret. Quod cum negaſſet, quia ab illo loco non poſſet diſcedere, reges conſilio inito urbem condidiſſe, cui regem dederunt Melchiſedecum. Urbem eam à Melchiſedec appellatam eſſe Hieroſolymam. Machulum etiam regem Taimani ſalutaſſe Melchiſedecum. Adeo omnibus honoratum & in veneratione fuiſſe, ut regum patrem. Hæc commenta chartis illevit ex fabularum vetuſtarum communi rumore. Abimelech Saram in domum ſuam acceſſivit: ſed non permiſit Deus ut eam vitiaret. Nocte enim quadam per Somnium minatur mortem & exitium, ob raptum mulieris maritatæ. Deus igitur in ſomnio locutus eſt Abimelech regi: homini, ut apparet, aliquam Dei cognitionem habenti. Quidam fidelem fuiſſe volunt, non tantum civili & externa converſatione juſtum. Vide Salianum. Somnium divinitus immiſſum, in quo oraculum Dei aut viſum offerebatur non faciebat prophetam. Abimelech oracula per ſomnium habet, Abraham prophetæ nomine ita afficitur, ut id donum & munus ei proprium, non commune cum Abimelech eſſe ſignificetur v. 7. Deus dicitur eſſe locutus cum Abimelech, id de Angelo exponit Raſi. Cum propoſitum ſuum purum eſſe adulterii, excuſaret Rex, Deus illi veniam dedit, juſſitque uxorem marito reddere. Significavit etiam eum virum

rum eſſe prophetam, qui uxore recepta, oraturus eſſet pro vita regis & ſanatione plagæ Divinitus immiſſæ. Cum evigilaſſet Rex, aperit miniſtris ſuis præteritæ noctis oraculum, qui contremuerunt rei novitate. Tum vocatum Abraham acribus verbis objurgavit, quod ſe regnumquè ſine ullo ſuo merito, in diſcrimen graviſſimi delicti conjeciſſet. Cauſamque ſciſcitatur facti. Huic reddidit Abraham: Metu adactum feciſſe, quia locum Dei timore vacuum eſſe ſuſpicaretur. Ex vero etiam ſororem eſſe, ex eodem patre non matre eadem. Cum primum à Deo vocaretur, ita inter ipſum conjugemque conveniſſe, ut dicerent fratris ſororiſque alter alterum appellatione. Abrahamum igitur reddita uxore donatumque mancipiis utriuſqus ſexus, ovibus & bobus opulentiſſima largitione dimiſit. Conceſſitque omni loco regni conſidere & paſcere. Saram ita allocutus eſt: Fratri tuo donavi mille argenteos. Hic ſit tibi velamen oculorum: cautior eſto. Abrahamus Deum precibus ſuis placavit: Sanavit enim regem uxorem & ancillas.

Ea tempeſtate mulierem liberam aſſumere in thalamum vitio non erat, quid igitur peccavit Abimelech, cum crederet affirmationi eorum, quibus credendum erat, Saram liberam eſſe? Nos dicimus Deum in homine quolibet juſtas cauſas puniendi habere: hic autem ideo immiſiſſe plagas, ut prohiberetur & præveniretur delictum. Quod ſi Abimelech Abrahami conjugem, non interveniente interpellatione violaſſet, in mortem dari potuiſſet in exemplum & documentum quanto odio apud Deum adulterium ſit, qui etiam ſine propoſito & per errorem commiſſum puniat. Fortaſſis non ita inquiſivit in rei veritatem, ut oportuit factum eſſe ad cautelam laudabilis innocentiæ. Abimelech de ſua innocentia apud Deum proteſtatur: *Domine, An etiam gentem juſtam* (innoxiam) *occides?* Raſi malè אם הוא צדיק תהרגנו שמא כך דרכך לאבד אומות חנם כך עשית לדור המבול ולדור הפלגה אף אני אומר שהרגתם על לא דבר כשם שאתה אומר להרגני: *An etiam ſi juſtus ſit, eum occides? Eſt tibi mos perdendi populos immerito: ſic feciſti ætati diluvii & diviſionis: Etiam ego dicam, quod eos ſine cauſa occideris ut tu dicis de me occidendo.* Non eſt litigantis aut exprobrantis ſed de ſua innocentia confidentis, quem occidere non conveniat divinæ juſtitiæ. Joſephus narrat prius morbo affectum fuiſſe Abimelech & mulieres, quam Deus in ſomnio ipſum alloqueretur. Sic enim narrat: Ὃς καὶ αὐτὸς ἐρασθεὶς τῆς Σάῤῥας φθείρειν οἷός τε ἦν, εἴργεται δὲ τῆς ἐπιθυμίας ὑπὸ νόσου χαλεπῆς αὐτῷ προσπεσούσης ἐκ θεοῦ, καὶ τῶν ἰατρῶν ἀπεγνωκότων, ὑπνώσας ὄναρ ὁρᾷ μηδὲν ὑβρίζειν τὴν τοῦ ξένου γυναῖκα. Cum igitur Saram adductam in aulam ſecum haberet, cognoſcere non potuit morbo correptus. Id convenit. Nam morbo aliquo regem detentum fuiſſe innuit Moſes, quia dicit Abrahami precibus ei ſanitatem eveniſſe. Deinde & longius aliquod ſpatium interceſſerit, quia ſterilitas deprehenſa fuit ejusque ſanatio. Quod dicitur in v. 9. *operæ, quæ non fient*, id eſt, fieri debent, Raſi ſic interpretatur: *Plagam quæ non* ſolet venire ſuper hominem; venientem per occluſionem omnium foraminum ſeminis excrementorum item aurium & narium. Hæc omnia voce רחם putant intelligi. Alii non ipſum Abimelech vitio ſeu morbo laboraſſe volunt, ſed ſanatum eſſe in uxore & ancillis. Copulativam ו ἐξηγητικῶς accipiunt. Quia Abraham dicit, inter ſe & uxorem de hoc conveniſſe, cum patria exirent, ut ubique ita dicerent, ita amolitur à ſe invidiam quaſi Gerarenſes pejores aliis populis eſſe arbitratus ſit. Sororem ejus eſſe Saram ex alia matre, id Hebræi & Joſephus de Haranis filia accipiunt: quia Haran fuerit ex alia matre.

Dii

Dii me fecerunt errare. Hic vocem אלהים de angelis quidam accipiunt, quia pluralis etiam eſt in verbo adjecto: quod tamen parum habet firmitudinis. Joſephum carpit Salianus, quod non ſatis fidelem ſe hiſtoriæ Moſis interpretem exhibuerit. 1. Quia morbo regem putavit eſſe affectum. 2. Regem amicis indicaſſe rem, cum meliuſcule habere cœpiſſet: atqui Moſes ſtarim ſummo mane dicit factum eſſe 3. Quia regem non objurgaſſe ſed blanditum eſſe regi aſſerat &c. De mille ſiclis ſciendum, quod Saræ dati ſint, præter donum Abrahami. Quod Saræ loquitur Abimelech de velamento oculorum, diverſimode accipitur, quod in ἐξηγήσει ſcriptura diſcutiendum.

Cap. XXI.

ISAAC FILIUS NATUS EST] Implevit Deus promiſſum, deſiderata & promiſſa proles naſcitur. Proles fidei potius quam naturæ. Veritas divinæ promiſſionis oſtenditur, licet diu dilatæ & in multam conjugum ſenectutem, ut res eſſet admirabilior & avidius exciperetur. Poſt varias tentationes, illamque poſtremam & graviſſimam de Saræ raptu: ubi periculum erat, ſi conciperet juxta Dei promiſſionem ne fœtus videretur ex Abimelech non Abraham. Quæſtionem habet Chronologia præcedentis capitis, de qua Calvinus. *Nam ſi poſtquam gravida erat Sara in terram Gerar conceſſit Abraham & antequam naſceretur Iſaac totum hoc, quod narravit Moſes, impletum eſt: qui fieri poteſt, ut tam exiguo tempore apparuerit ſterilitas? Si dicamus judicium Dei modo nobis incognito, tunc fuiſſe perſpectum, non male quadrabit reſponſio. Neſcio tamen an inverſa fuerit Hiſtoria ſeries. Et certe hoc forte magis probabile videri queat, jam tunc Abraam in terra Gerar habitaſſe, quum illi promiſſus fuit Iſaac: ſed partem hanc (caput xx.) quæ prius omiſſa fuerat, à Moſe nunc eſſe inſertam. Siquis excipiat Abraham uſque ad ruinam Sodomæ habitaſſe in Mamre: nihil abſurdi erit, ſi fateamur, quod hic demum narrat Moſes prius contigiſſe. Ego tamen quia ad fidei ædificationem parum facit temporis notatio, utramque opinionem in medio relinquo.* Mercerus putat poſt tres à promiſſo menſes Saram concepiſſe & intermedio illo trium menſium ſpatio hiſtoriam viceſimi capitis contigiſſe, eoque non eſſe ὕςερον πρότερον. Abraham nomen circumciſo filio poſuit, quod Deus juſſerat, quod excepit comprobatione puerpera, quæ & lactandi munus cum partu conjunxit, in tanto ancillarum lactantium numero. Qua ratione matris implevit officium. *Neque enim* (verba Calvini) *Dominus liberis, priusquam naſcantur, alimenta in matrum uberibus fruſtra præparat; Sed quas matrum honore dignatus eſt, hoc modo nutrices conſtituit: & quæ fœtus ſuos alere gravantur, ſacrum naturæ vinculum, quantum in ſe eſt, abrumpunt; ſi morbus vel aliud quidpiam impediat juſta eſt excuſatio: ſed puerperas ſponte & per delicias fugere lactandi moleſtiam, ut dimidia tantum ſint matres, turpis eſt corruptela.* Nomen puero à *riſu* datum eſt. Nam ad annunciationem nativitatis uterque parens riſerat & juſſerat Deus id imponi nomen (Gen. 17.19.) Sara autem rationem aliam nominis εὐφημισμῷ quodam futuri reddidit: *Deus mihi riſum fecit & quicunque audierit, mecum ridebit*, id eſt *gaudebit*. TUM ANCILLAM] Convivium magnum fecit Abraham, cum ablactaretur Iſaac. Quod non legatur id feciſſe natali vel circumciſionis die, factum ex more regionis, uti arbitror. *Quod argutè* (inquit Calvinus) *philoſophatur Auguſtinus, celebrari Diem ablactationis, ut diſcamus ejus exemplo, non eſſe pueri ſenſu, nimis coactum eſt. Nihilo etiam magis conſentaneum, quod alii dicunt, Abraham ne gentium mores imitaretur, diem ſumpſiſſe qui tunc in*

communi uſu non erat. Fecit convivium magnum id eſt, extraordinarium, quia non ſolebat quotidie tam ſplendide inſtruere menſam. Fuit copia, quæ minimè in luxum diffluerct. Lautitias convivii non refert Moſes in malam partem: *Non enim adeo auſterè* (inquit Calvinus iterum) *Deus nobiſcum agit, quin liberalius interdum amicos excipere permittat. Nempe nihil prohibet, quominus ſancti homines amicos ad lætitiam communem invitent, ut Deo ſimul gratias agentes ſolito hilarius epulentur.* Colenda tamen *ſemper eſt temperantia & ſobrietas, dandaque opera, ut tam apparatus ipſe ſit frugalis, quam modeſti convivæ.* Nugantur Judæi reges magnoſque ejus ætatis cumque iis Og gigantem fuiſſe exceptos: Raſi: שהיו שם גדולי הדור שם ועבר ואבימלך E Breſith Rabba affertur Ogum adſuiſſe cyclopicè protervientem. Raſi dicit ablactatum fuiſſe poſt viginti quatuor menſes. Hanc ablactationis ſolennitatem futuræ indicium eſſe volunt in Peſachim cap. 10. fol. 119. b. In qua nec Abraham, nec Iſaac, nec Jacob, nec Moſen, nec Joſue auſuros eſſe, ut ſuſcipiant poculum benedictionis, ad benedicendum peracto convivio. At Davidem ſuſcepturum & benedicturum, vi loci, qui eſt Pſ. 116. 11. Sequitur Hagaris expulſio cum abdicatione Iſmaelis. Abdicatus enim Iſmael eſt, ut ſolus Iſaac legitimi filii & hæredis locum teneret. Myſterium hoc eſt, ut docet Apoſtolus Gal. 4. 21. Nam pater fidelium omnium filium primogenitum divinitus abdicare juſſus eſt. Iſmael ejuſdem circumciſionis particeps, in alienam gentem tranſit, ne amplius in ſemine benedicto cenſeatur, in ſpeciem laceratur eccleſiæ corpus, ut dimidia tantum pars maneat. Sara abdicat ancillæ filium, è qua & per quam ipſa ædificari gaviſa erat. Non enim Iſmaelem pro concubinæ filio ſimpliciter æſtimare debemus, ſed quem Sara ipſa pro legitimo adoptaverat. Hic igitur Deus interceſſit, ſignificans non carnis ſed promiſſionis filium habendum eſſe pro ſemine Abrahami. Qui naturæ fecunditate & vigore è puella natus erat; non cenſetur pro ſemine, ſed quem Dei manus ſupra naturæ vim dederat. È libera non ex ancilla natus, pro hærede habendus erat. Ita Judæa gens ſerviens per legem in Sina datam, naturæ & carnis ſoboles, non eſt habenda pro Abrahami ſemine, ſed qui è Deo nati Abrahameæ fidei veſtigiis incedunt.

Cauſa προκαταρκτικὴ expulſionis, qua inter nothos relegatur Iſmael fuit in riſu ſeu irriſione. Ea autem anne immediatè cohæſerit cum ablactatione, an tempore diſcreta fuerit, diſquiri poteſt. Non fuiſſe procul remotam ipſa res indicat; quia puer erat Iſmael & quidem tenellus ut apparet è v. 15. 16. 17. 18. Calvinus exiſtimat ideò hujus convivii ſpecialem mentionem fieri quia tunc deprehenſus fuit riſus Iſmael. *Neque enim* (inquit) *eorum conjecturæ aſſentior, qui putant novam hiſtoriam texi & cum hac moleſtia luctatam fuiſſe quotidie Saram: Donec tandem ejecto impio deriſore, domum ſuam purgavit. Probabile quidem eſt, aliis quoque diebus ſimili petulantia elatum fuiſſe Iſmael: non tamen dubito, quin diſerte exprimat Moſes ejus ludibria in ſolenni illo conventu Saræ apparuiſſe & ex eo tempore fuiſſe traducta.* Quidam Hebræorum etiam ad convivium referunt hunc riſum, & indignatum dixiſſe, cur ob puerum hunc potius, quam ob ſe convivium tantum factum eſſet. Mercerus poſt convivium Iſaac jam grandiuſculo factum putat, cum inter ſe pueri colluderent. An in ipſo convivio ſubſannatio Iſmaelis potiſſimum apparuerit & inde Sara apud maritum agere cœperit, ut expelleret Hagar cum filio, non liquet. Hoc tamen conjicere licet eam fuiſſe ætatem Iſaac, in qua ejuſmodi ſubſannatio locum habere potuerit & intellecta animum aliqua ratione penetrare; quia Apoſtolus perſecutionem appellavit, *διωγμὸν*, niſi de-

cendum ſit quod potius oſtenderit matri quam infantulo, quem geſtaret animum in puerulum. Hebræi quidam dicunt puerilem fuiſſe velitationem verborum inter Iſaac & Iſmaëlem, ut eſt apud autorem Ilammedenu ad principium cap. 22. ומה דברים היו שם שהיה ישמעל אומר ליצחק אני גדול ממך שאני מלתי בן יג׳ שנה וסבלתי את הצער ואתה מלת בן ח׳ ימים ולא ידעתה בצער אפילו הדה שוחטך לא היית יודע אלו היית בן יג׳ שנה לא היית מקבל הצער׃ אמר ליה יצחק אין זה דבר אלו היה אומר הקב״ה לאבי שחוט את יצחק בנך לא הייתי מעכבה *Et quæ verba fuerunt quæ fuit Iſmael loquens Iſaaco: Ego major te, quia circumciſus ſum, annorum 13. & portavi dolorem, at tu circumciſus es, octo dies natus, nec noveras dolorem; Etiamſi pater mactaviſſet te, neſciviſſes, ſi fuiſſes tredecim annorum, non ſuſcepiſſes dolorem. Reſpondebat Iſaac: Hæc res non eſt: ſi Deus benedictus diceret patri meo: Macta Iſaacum filium tuum, ego non eſſem in mora.* Habetur in principio capitis ſequentis, *Poſt hæc verba*: hinc ſuo inepto more eliciunt verba inter Iſmael & Iſaac: aut potius verba captant, ut ineptiis ludant. Quo quis in ejuſmodi argutiis excogitandis ſubtilior eſt, eo habetur melior interpres. His enim Midraſim exultant vani ἐν τῇς ἑαυτῶν διαλογισμοῖς, quamvis nuſquam פשוט audeant excludere.

In Hebræo habetur מצחק quæ vox & in bonam & in malam partem ſumi poteſt. Ab eadem enim origine Iſaac nomen deductum eſt. Mercerus puerilem riſum fuiſſe exiſtimat: ut levi de cauſa ſæpe ob filios ſuos, præſertim quos cariores habent, matres iram concipiunt. Ita & Hebræos quoſdam affirmat dicere, Saram vidiſſe ridentem Iſmaelem, & ut ſuſpicioſi ſunt ſenes, ſe putaſſe ab illo rideri. Alii (qui judicio Merceri nimis gravant aut aliena dicunt in Iſmaelem) imponunt illi, quæ propoſuit breviter Raſi: לשון ע״ז. כמו שנאמר ויקומו לצחק ד״א לשון גלוי עריות כמה דתימ׳ לצחק בי׳ ד״א לשון רציח׳ יקומו נא הנערים וישחקו לפנינו וגו׳ הזה מריב עם יצחק על הירושה ואומר אני בכור ונוטל פי שנים ויוצאים בשדה ונוטל קשתו ויורה בו חצים כד״א כמתלהלה היורה זקים וגו׳ ואמר הלא מצחק אני׃ *Notio idolatriæ, ſecundum quod dictum eſt* [Exod. 32. 6.] Et ſurrexerunt ludere: *Alius ſermo: Notio libidinis ſecundum quod dicebat* [Gen. 39. 17.] ad illudendnm mihi. *Sermo alius: Notio homicidii* (2. Sam. 2. 14.) Surgant pueri & ludant coram nobis &c. *Litigabat cum Iſaac ſuper hæreditate; dicebatque. Ego primogenitus ſum & auferam duplam portionem: cumque egreſſi eſſent in agrum, ſumpto arcu jaculatus eſt in eum ſagittas: Secundum ſermonem alium:* (Prov. 26. 18.) Ut qui inſanum ſe ſimulat, qui jaculatur malleolos &c. Et dicit Annon ego ludo? Hæc ſunt Judæorum commenta ſed conſtat ex Apoſtolo Gal. 4. quod perſecutio quædam fuerit Iſmaelis in Iſaac: ſive illa incluſa ſit verbo מצחק, ſive res ſit diſtincta, hic non commemorata. Ut hic tantum commemoretur ultima occaſio, poſt quam patienter longo tempore petulantia Iſmaelis eſſet tolerata. Joſephus unam cauſam odii in Iſmaele narrat eſſe editum filium proprium. *τὸ μὲν πρῶτον ἔστεργεν αὐτὸν οὐδὲν ἀπολείπουσα τῆς ὡς πρὸς ἴδιον εὐνοίας. ἐτρέφετο γὰρ ἐπὶ τῇ τῆς ἡγεμονίας διαδοχῇ.* Deinde nato Iſaac noluiſſe cum eo educari Iſmaelem qui major eſſet & nocere poſſet. Ita & hic non inſiſtit narrationi Moſis. Multa igitur tolerata ſint quæ prius animadverſa erant ſigna infenſi in Iſaacum animi. Dicunt etiam Hebræi, quod verita ſit Sara ne Iſaac corrumperetur exemplo perditorum morum. Tandem igitur accenſa Sara maritum adiit: Ejice ancillam & filium ejus: Non enim erit hæres cum Iſaac filio meo. Abraham cum id grave putaret & aſperum, adduci non potuit ut ita faceret, donec monitus eſt oraculo, ut acquieſceret. Dicebat illi Deus: *In Iſaac appellabi-*

tur tibi ſemen. Joſephus: ὁ δὲ κατὰ μὲν ἀρχὰς οὐ προσίετο τὴν αὐτῆς γνώμην, οἷς ἡ Σάῤῥα ἐσπουδάκει, πάντων ὠμότατον ἡγούμενος εἶναι παῖδα νήπιον καὶ γυναῖκα ἄπορον τῶν ἀναγκαίων ἐκπέμπειν. ὕστερον δὲ, καὶ γὰρ ὁ θεὸς ἠρέσκετο τοῖς ὑπὸ τῆς Σάῤῥας προσταττομένοις, πεισθεὶς &c. Oraculum Dei abdicari Iſmaelem juſſit, quamvis & ideò in gentem magnam multiplicandum, quod Abrahami ſemen eſſet. Ubi innuit ſe curam pueri quamvis abdicati habiturum eſſe, ut Abrahamo ſolicitudinem demat. Raſi: הוה אברהם טפל לשרה בנביאות, *Aſſenſus eſt Saræ per propheſiam*: Abraham quamvis acerbum animo vulnus inflixiſſet divini mandati duritia, quo primogenitum filium & viſcera ſua ejicere jubebatur, paruit fide, ſubegitque paternum amorem. Calvinus: *Hæc vera eſt fidei & pietatis probatio, quum eo uſque ſe abnegare coguntur fideles, ut ipſos quoque primæ naturæ affectus qui per ſe mali non ſunt nec vitioſi reſignent Dei arbitrio. Non dubium eſt, quin variis curis æſtuaverit tota nocte, ſecum variè luctatus fuerit ac pertulerit ingentes cruciatus: ſurgit tamen mane ut orbitatem ſuam maturet, quoniam ita placere Deo novit.* Panem & utrem aquæ impoſuit Hagaris humeris, eamque cum puero abire mandat. Joſephus: παραδίδωσι τὸν Ἰσμάηλον τῇ μητρὶ, μήπω δι' αὐτοῦ χωρεῖν δυνάμενον, ὕδωρ τὸ ἐν ἀσκῷ καὶ ἄρτον φερομένην ἐκέλευσεν ἀπιέναι ὁδηγῷ τῇ ἀνάγκῃ χρωμένην: *quo Deus & neceſſitas ducerent.* Non addidit ſeruum, qui miniſtraret, non aſinum qui veheret, non aurum argentumque. Calvinus: *Cur non aſinam ſaltem onerat mediocri annona? cur non comitem addit unum ex ſervis, quorum ſuppetebat domi copia? Atqui vel oculos illi Deus clauſit, ne veniret in mentem, quod pluſquam libenter facturus erat: vel eo conſilio reſtrinxit viaticum, ut non procul à domo ſubſiſterent. Optaſſet enim procul dubio habere ſibi vicinos, ut quibus opus eſſet officiis ipſos juvaret. Interim voluit Deus, ut tam dura & triſtis eſſet Iſmaelis abdicatio: ut ejus exemplo terrorem ſuperbis incuteret, qui præſentibus donis ebrii, gratiam, cui debent omnia, ſuo faſtu conculcant. Ideò ad miſerabilem exitum eos deduxit* &c. Rupertus apud Salianum, recurrit ad myſticum ſenſum: Theodoretus firmitudinem fidei in Abrahamo de promiſſione Dei circa curam pueri cauſam aſſignat qu. 72. in Geneſin: οὗτοι δὲ ταῖς θείαις ἐπαγγελίαις ἐπίστευσεν ὅτι οὐ παῖδας οὐ παιδίσκας, οὐ χρυσὸν οὐκ ἄργυρον δεδωκὼς ἀπέλυσε τῆς οἰκίας τὸ παιδίον ἀλλ' ἄρτους ὀλίγους καὶ ἀσκὸν ὕδατος καὶ τὴν μητέρα· ᾔδει γὰρ ὡς ἀψευδὴς ἡ τοῦ προστεταχότος ὑπόσχεσις. ὑπέσχετο δὲ αὐτῷ ὁ θεὸς εἰς ἔθνος μέγα ποιήσειν αὐτὸν ὅτι δὲ τῆς αὐτοῦ γεωργίας ἠξιωμένον. *Quidam Hebræorum* (inquit Mercerus) *inquiunt ſervum illudentem hero aut heræ capite plectendum & tamen Saræ ſatis fuiſſe ut ejicerentur.* Ipſe exiſtimat, ſi copioſius proviſum fuiſſet ejectionem non fore: Et oportuiſſe eos pœnas inſolentiæ ferre. Non tamen defuiſſe neceſſaria, ut devenirent in locum deſtinatum & conſtitutum ab Abrahamo. Raſi: ולא כסף וזהב לפי שהיה שונאו על שיצא לתרבות רעה *Non argentum neque aurum, quia odiſſet ipſum, quod egrederetur ad multiplicationem malitiæ.* Salianus: *Addiderim tamen cum Abulenſe, mox à diſceſſu eorum, Abrahamum eis copioſe neceſſaria ſubminiſtraſſe; idque propter loci vicinitatem facile fuiſſe & propter naturæ conjunctionem oportuiſſe. Quod videtur Torniellus ſine cauſa negaviſſe. Non enim ſi puer penè ſiti defecit à principio & Deus ei per angelum providit, propterea deinceps Abraham ſe patrem eſſe & maritum oblitus fuerit: & qui in alienos ignotoſque benignus erat, in ſuos factus ſit ferreus. Nec ſi in eis dimittendis cum tantulo commeatu Deus probare voluit obedientiam Abrahæ, ideò etiam voluit eum in reliqua eorum cura eſſe negligentem & angelico eis miniſterio quotidiè famulari.* Abeneſdras: *Et multi mirantur de Abraham, quomodo expulerit filium ſuum etiam dimiſerit filium cum matre ſua gratis & ubi ſpontaneum cordis ejus: & admiratio de illis eſt, quia admirantur, quod Abraham*

ham fecerit in omnibus quæ præcepit ei Dominus: at ſi dediſſet divitias Hagaræ, quod non erat in voluntate Saræ, non obſervaſſet præceptum Dei: at ecce poſteà poſt mortem Saræ dedit munera filiis Iſmaelis. Subjicit quod Abraham ideò ſufficientem commeatum dederit, quia Berſabe, quo contendebat aut deſtinata fuit, in propinquo erat cum ipſe eſſet Geraris; ſed errore viæ factum eſſe, quod defecerit Iſaac. Carus voluit Iſmaëlem (cum abire nollet) humeris Hagar alligatum eſſe, Raſi impoſitum eſſe humero Hagar שהכנים' בו שרה עין רעה ואחזתו חמ' ולא יכול לילך ברגליו: at eas opiniones genuit cum ambiguitas aut mala diſtinctio in oratione Moſis; tum vanitas Judaica.

In deſerto Berſabe aberravit. Fortaſſis Ægyptum verſus iter inſtituit, at à via per errorem deflectens in penuriam incidit, antequam ad loca habitata & puteis inſtructa perveniret. Conſumpto igitur utre aquæ ingenti ſiti cum puero laborare cœpit. Hebræi in Jalcut errorem, quem dicit Scriptura, de errore in animo intelligunt. Dicuntque dum manſit in cultu Dei ſuffeciſſe aquam, defeciſſe autem cum ad idololatriam deflectere inciperet. Sed hoc argutum nec quadrat phraſi & contextui. Abeneſdras: *Et ecce ipſa abiit & non noverat viam & aberravit & filius ejus æger eſſe cœpit à defectu aquarum: & poſtquam ſumpſiſſet eum ſinu videretque animam ejus egredientem præ ſiti, abjecit eum.* Sub arbore depoſuit eum, & receſſit ad ſpatium jactus ſagittæ, ne efflantem animam intueretur. תַּחַת אַחַד הַשִּׂיחִים Græci, *ὑποκάτω μιᾶς ἐλάτης.* Sic etiam Joſephus *ὑπ' ἐλάτῃ τινί.* At שִׂיחַ eſt frutex ſive arbor generatim, ut apud Chaldæum: תחות חד מן אילניא. Sub arboris umbra, ut æſtus vim minorem ſentiret. Mater anxia conſedit (Joſephus dicit *ϖροσῆει ϖοῤῥωτέρω*) ejulans: ejulabat & puer, cujus vocem dicitur exaudiviſſe Deus. Raſi dicit precationem ægrotantum eſſe ſpecioſiorem & gratiorem Deo, quam aliorum pro iis. Angelus Dei (qui eſt Jeſus Chriſtus) ſecundò conſolatus eſt Hagar: è cælo alloquitur: Quid tibi eſt Hagar, noli metuere. Nam audiit Deus è cælo vocem pueri בַּאֲשֶׁר הוּא שָׁם. Hic Raſi: לפי מעשים שהוא עושה עכשיו הוא נדון ולא לפי שהוא עתיד לעשות לפי שהיו מלאכי חשרת מקטרגים ואומרים רבונו של עולם מי שעתיד להמית בניך בצמא אתה מעלה לו באר והוא משיבם עכשיו מה הוא צדיק או רשע אמרו לו צדיק אמר להם לפי מעשיו של עכשיו אני דנו וזהו באשר הוא שם והיכן המית את ישראל בצמא כשהגלם נבוכדנצר שנא' משא בערב וגו' לקראת צמא התיו מים וגו' כשהיו מוליכן אותן אצל ערביי' היו ישראל אומ' לשבאי' בבקשה מכם הוליכונו אצל בני דודינו ישמעאל וירחמו עלינו שנאמ' אורחות דודנים אל תקרי דודנים אלא דודים ואלו יוצאים לקראתם ומביאין להם בשר מליח ונודות נפוחים כסבורים ישראל שהם מלאי' מי' וכשמכניסו לתו' פיו ופותחו הרוח נכנסת בגופו ומת: *Secundum opera, quæ facit nunc ipſe judicatur & non ſecundum quod faciet: ut angeli miniſterii accuſabant dicebantque, Domine mundi, illi, qui interfecturus eſt filios tuos ſiti tu excitas puteum? Quibus reddidit: Nunc eſtne juſtus an impius: illi dicunt juſtus. Tum Deus: Secundum opera ejus quæ nunc ſunt, ego illum judico. Et hoc eſt* באשר הוא שם. *At ubi enecavit Iſraëlem ſiti? Cum Nebucadneſar eos in exilium deportaret Q. D.* [Eſai. 21. 13.] Prophetia de Arabia &c. obviam venite ſiticuloſo cum aquis &c. *Cum eos adducerent apud Arabas, dicebant Iſraëlitæ venientibus ad exactionem tributi: adducite nos apud filios patrui noſtri Iſmaëlis, qui miſerebuntur noſtri* Q. D. viæ Dodanim; *ne legito* Dodanim *ſed* Dodim: *Illi egrediebantur obviam, adferebantque eis carnes ſalitas & utres inflatos. Cum putaret Iſrael, quod eſſent pleni aquis & quando intromittebat in os & aperiebat, Ventus ingreſſus eſt in corpus ejus, unde obiit.* Lyranus: *Iſmael autem jam erat viginti annorum vel plus: quia jam quatuordecim an-*

norum erat quando Iſaac fuit natus: & ideo videns ſe in periculo mortis, de malis ſuis præteritis doluit & Dominum rogavit pro vita ſua prolonganda & fuit exauditus: Vnde ſequitur verbum angeli: Exaudivit enim &c.] *ac ſi diceret, attendit Deus* pœnitentiam *quam nunc habet in hoc loco, in quo jacet: non autem malitiam, quam exercuit in aliis locis.* Non ſignificat tempus ſed locum. In eo loco, ubi eſt & ejulat, deus ejus vocem exaudivit. Hæc Dei miſeratio communis, qui eſt σωτὴρ omnium hominum. Suſcipit à patre & matre abjectum. Addit Angelus: *Surge eleva puerum, prehende manum. Nam ego eum ponam in gentem magnam.* Qui id poteſt & id ſibi tribuit, Deus eſt. Ralbag putat fuiſſe prophetam ejus ætatis aliquem: quod non poteſt ſubſiſtere, quia dicitur Angelus ille Dei clamaſſe de cælis. Joſephus angelum fuiſſe putat propriè dictum, ſed non refert promiſiſſe ſeſe effecturum, ut in gentem magnam evaderet: at prænuntiaſſe *μεγάλα γὰρ αὐτὸν ἀγαθὰ περιμένειν ἐκ τῆς Ἰσμαήλου σωτηρίας.* Aperuit Deus mulieri oculos, quos cum attolleret, puteum vidit. Non dicitur eum puteum miraculo depreſſum & factum eſſe, tantum apertos ei oculos ut videret. Fuerit illa *ἀορασία*, qua non potuit videre quod erat, alio verſa mente & intentione, aut offuſis nebulis: prius malo. Calvinus: *Matribus quidem natura præſcribit, quid filiis debeant: ſed quemadmodum, nuper attigi, conciderant omnes ſenſus Agar, niſi Deus nova fiducia eam recreaſſet, ut collecto vigore ſe accingeret ad exſequendum maternum munus. Quod ad fontem pertinet, quidam exiſtimant repente emerſiſſe. Sed quum dicat Moſes apertos fuiſſe oculos Agar, non autem apertam vel perfoſſam fuiſſe terram: in hanc ſententiam magis inclino quod prius dolore attonitæ, quod expoſitum erat oculis non cernebat:* nunc autem demum, poſtquam illi viſum reſtituit Deus, videre incipiat. Atque hoc imprimis notatu dignum, ubi nos ſua gubernatione deſtituit gratiamque ſuam ſubmovit Deus, ſubſidiis omnibus etiam quæ ad manum ſuppetunt, non ſecus nos privari, quam ſi procul remota eſſent. Itaque rogandus eſt non tantum ut nobis largiatur quæ nobis uſui ſunt, ſed ſimul utendi prudentiam conferat: alioqui clauſis oculis tabeſcere inter medios fontes continget. Ex hoc puteo utrem replet, datque potum puero. Joſephus: Ἡ δὲ ἐθάῤῥησε τοῖς προκατηγγελμένοις, καὶ συμβαλοῦσα ποιμέσι, διὰ τὴν ἐξ αὐτῶν ἐπιμέλειαν διαφεύγει τὰς ταλαιπωρίας. Moſes dicit Deum fuiſſe cum puero, id eſt ei benedixiſſe corporali beneficio ut feliciter adoleſceret, ſucceſſuſque rerum proſperi ipſi evenirent. Ex hoc non poteſt argui primis adoleſcentiæ aut juventæ annis Dei pium cultorem fuiſſe. In ſolitudine Pharan degebat, haud procul ab Abrahamo, quem illi proſpexiſſe Judæi volunt è propinquo. Cum enim ad viciniam ablegaſſet, ideo viatico tenui inſtruxiſſe, ut ad eum locum brevi perventuros, in quo neceſſaria abunde ſuffecturus erat filio, וַיְהִי רֹבֶה קַשָּׁת. Hoc Chaldæus והוה רבי קשתא Raſi ad רובה interpretatur יורה חצים בקשת: ad קשת dicit: על שם האומנות כמו חמר גמל צייד לפיכך השין מדגשת: Q. D. Jaculator arcuarius. Nam Dages habent nomina artem notantia, ita חַמָּר *aſinarius* גַּמָּל *camelarius*, צַיָּד *venator*. Ita docet Raſi.

In Pirke R. Eliezer fabulantur Judæi Iſmaelem primo uxorem habuiſſe è campeſtribus Moab, cui nomen erat Hiſcha. Poſt triennium Abraham viſitaturus filium juravit Saræ ſe non deſcenſurum è camelo in loco ullo dominii Iſmael. Cum ad ædes Iſmaelis perveniſſet abſens erat cum matre. Uxor autem neque pane neque aqua refecit Abrahamum. Reverſus Iſmael cum id cognoviſſet eam cum matre ædibus expulit. Inde uxorem ſumpſit è domo Patris, cui nomen Pithoma. Eodem ſub juramento poſt alterum triennium

ennium viſitante filii ædes Abrahamo abſente etiam Iſmaele, uxor ſocerum refecit: qui ipſius domui fuſis precibus benedixit.

Raſi non facit mentionem primæ uxoris ſed ex Ægypto illi à matre datam conjugem, quia mater eſſet Ægyptia. Id factum eſſe juxta proverbium. היינו דאמרי אינשי זרוק חוטרא אעיקריה קאי: *Hoc eſt, quod homines dicunt: Projice baculum in aëra verſus principium ſuum recidet.* Partem nempe graviorem unde procrevit. In ſolitudine cum degeret, latrocinando victum toleraſſe מלסטים את העוברים. quia dictum eſt, *Manus ejus contra omnes.*

Abraham Geraris diſceſſit in ſolitudinem Berſabe, incertum, ante an poſt natum & ablactatum Iſaacum. In hanc ſolitudinem ad ipſum venerunt Abimelech & Phicol, princeps militiæ ejus, facturi cum ipſo fœdus. Popoſcit Abimelech: uti juraret ſe non mentiturum, illi, filio & nepoti ejus: at eam benignitatem illi ejuſque regno relaturum, in quo peregrinabatur Abraham. Cur petiit de ſe filio & nepote? Probabilis ratio, quod non eſſet veroſimile ulterius vitam fore ipſi Abrahamo. Abraham conſentit in fœdus, promittitque ſe juraturum at ne qua ſimultas ſinceritati obeſſet, expoſtulat prius de accepta à regiis paſtoribus injuria, qui puteum quem foderant Abrahamei, per vim illis ademerant. At Abimelech negat ſe autorem culpæ aut conſcium, imò ad jus cuique reddendum paratum ſi res ad eum delata fuiſſet. Excuſationem admittit Abraham, & ut oſtenderet querelam non ex rancore animi ſed juſtitiæ zelo eſſe profectam: memor regiæ liberalitatis, oves & boves liberaliter regi elargitur. Ita fœdus factum eſt. Seorſim autem conſtituit ſeptem agnas, quas voluit regem è manu ſua accipere, in teſtificationem, quod Abraham illum puteum effodiſſet. Hinc puteus dici cœpit באר שבע *puteus juramenti*, quia apud eum fœdus inter Abraham & Abimelech juramento firmatum eſſet. Tum in Palæſtinam reverſis Abimelech & duce militiæ ipſius Abraham in loco apud puteum remanſit. Narratur autem illic nemus conſeviſſe & invocaſſe nomen Domini, Dei æterni. De nemore iſto Raſi: רב ושמואל חד אמר פרדס להביא ממנו פירות לאורחים בסעודה וחד אמר פונדק לאכסניא ובו כל מיני פירות: *Rab & Samuel; unus dicit Paradiſum; at ex eo produceret fructus viatoribus in convivio: alter diverſorium hoſpitibus, in quo erant omnia genera fructuum.* In Suta fol. 10. pag. 1. אמר ריש לקיש מלמד שעשה פרדס ונטע בו כל מיני מגדים ר' יהודה ור' נחמיה חד אמר פרדס וחד אמר פונדק בשלמא למאן דאמר פרדס היינו דכתב ויטע אלא למ"ד פונדק מאי ויטע כדכתב ויטע אהלי אפדנו וגו' ויקרא שם בשם ה' אל עולם אמר ר"ל אל תקרי ויקרא אלא ויקריא מלמד שהקריא אברהם אבינו לשמו של הקב"ה בפה כל עובר ושב כיצד לאחר שאכלו ושתו עמדו לברכו אמר להם וכי משלי אכלתם משל אלהי עולם אכלתם הודו ושבחו וברכו למי שאמר והיה העולם:

Dicebat Res Lakis; Docet, quod fecerit Paradiſum & plantaverit in eo omnes ſpecies nobiliſſimorum fructuum: R. Iuda & R. Nehemias; unus dicebat Paradiſum, alter pandochæum: Sane illi, qui dixit Paradiſum, hoc eſt, quod ſcripſit ויטע *ſed illi, qui dixit* πανδοχεῖον *quid* ויטע? *Secundum quod ſcripſit* [Dan. xi. 45.] *Et plantavit tentoria Apadno &c.* Et invocavit illic nomen Domini Dei æterni: *Dicebat R. L. Ne Legas* ויקרא [& invocavit] *ſed* ויקריא [fecit invocare] *docens quod invocari fecerit Abraham pater noſter nomen Dei benedicti in ore omnis viatoris. Nempe poſtquam ederant & biberant, ſtabant ut illi grates agerent: tum eis Abraham: Nunquid de meo ediſtis? de eo, quod eſt Dei æterni ediſtis: celebrate & laudate & gratias agite illi, quo dicente factus eſt mundus.*

Abraham dicitur plantaſſe אֵשֶׁל; quod Chaldæo redditur אִילָנָא, Græco ἄρουρα,

ἄρουρα, Latino *nemus*. Iterum ea vox invenitur 1. Sam. 22. 6. & 31. 13. Eorum locorum primo: ושאול יושב בגבעה תחת האשל ברמה *Et Saul conſidebat in colle ſub* [האשל] *in Rama*. Græci ἐκάθητο ἐν τῷ βουνῷ ὑπὸ τὴν ἄρουραν τὴν ἐν Ῥαμᾷ. Altero dicuntur Jabeſitæ Saul & filiorum oſſa ſepeliiſſe ſub (האשל) in Jabes. Et hic Græci ὑπὸ τὴν ἄρουραν. Joſephus de primo loco ita: ἐπὶ τοῦ βουνοῦ, ὃ τὸ βασίλειον εἶχε, καθίσας ὑπ' ἀρούρης, τόπος δ' ἦν τις οὕτω προσαγορευόμενος &c. In altero lòco: θάπτουσι τὰ σώματα ἐν τῷ καλλίστῳ τῆς χώρας τόπῳ, ἀρούρης λεγομένῳ. Chaldæus in 1. Sam. 22. 6. תְּחוֹת אֶשְׁלָא: 31. 13. תְּחוֹת אֵשְׁלָא Ita diverſimode punctavit Buxtorfius. Syrus in hoc loco Geneſeos ܢܨܒܬܐ Arabs Anglicanus نصبا. Uterque in duobus locis 1. Samuelis habet, לוז; ܠܘܙܐ, اللوز, *Amygdalus*. Illa vox vel ſignificat agrum vel arborem. Agri ſignificatione acceperunt Græci, quia ἄρουραν verterunt. Non recte, quia ager arvus non plantatur, cum fiat arando & ſemen injiciendo. Græci videntur ambiguitate nominis lapſi eſſe, quia אתל in Chaldaiſmo funem notat: funibus autem agri menſurabantur. Ἄρουρα notat certum agri modum. Arborem igitur ſignificat vox iſta: at quæritur, ſignificet ne ſingularem, an conjunctam in hortum nemus ve? Hic interpretes diſſident. Nam quidam unam notare arborem putant: & quidem alii generaliter, alii certam ſpeciem. Amygdalum Syrus Arabſque. R. Jona (notante Cl. Druſio & Mercero) *Poteſt fieri* (inquit) *ut ſit arbor, quam Arabes* אתל *vocent: cui ſimilis Italorum tamarix*. Si fuit collectio arborum (ut Cl. Druſius, vocem Græcam ἄλσος hinc fluxiſſe conjicit) ea communis vel ſacra fuit. Communem Hebræi fuiſſe putant, alii ſacram Deo. Spiritus S. uſum ſacrum videtur ſignificare; quia, ut alibi apud aram, ita hic ad nemus conditum vel arborem ſatam invocat Dei nomen. Si arbor una fuit, opaca & amæna, Deo etiam conſecrata eſſe potuit. Ac nota inquit Mercerus, *quod nunc primum, ſedem ſtabilem in Berſeba fixerit regia authoritate & fœdere cum eo inito locum illum poſſidens. Ideo primum illic lucum plantaſſe, quod antehac feciſſe non legitur. Nam in Elone Mamre, ubi etiam diu fixas ſedes habuit, jam conſitas habebat arbores & inter alias arborem inſignem, quam terebinthum fuiſſe putant, ſub qua angelos hoſpites excepit*. Cabaliſtæ ex tranſpoſitione literarum, אשל in שאל, eruunt, quod Abraham ex ea arbore hoſpitibus dederit, quicquid petiiſſent. Ex ſingularum literarum expoſitione, אכילה שכיבה לויה eſum, cubationem, deductionem, id eſt tria officia ab Abrahamo peregrinis præſtari ſolita. Ralbag exponit אשל in hunc modum. אילן להיות ממנו צל על הבאר ולאכול תחתיו כי כן היה אילן סמוך לאהלו באלוני ממרא לאכול החתיו בעת החום כאמרו והוא עומד להם תחת העץ ויאכלו / ואמנם זכר זה כי לא קבע לו מקום לדירה בארץ פלשתים אבל בבאר שבע קבע דירתו לפי שאז היה במקום נבחר אל שדבק בו השפע האלוהי: *Arbor, ut eſſet ab ea umbra juxta puteum, utque ederent ſub ea, quia ita fuit arbor vicina tabernaculo in Elone Mamre; ut ederent ſub eo tempore æſtus, ut dicitur* (Gen. XIIX. 8. Et ipſe ſtabat juxta eos ſub arbore & edebant. *Et profecto, indicium eſt hoc quod non fixerit ſibi locum habitationis in terra Palæſtinorum ſed in Beerſeba fixit habitationem, quia tunc erat in loco electo Dei, cui adhærebat influentia Divina*. Non lego Hebræum interpretem, qui lucum ab Abrahamo conſecratum eſſe voluerit, Chriſtiani etiam communiter de plantatione communi. Nempe ſignum fuiſſe tranquillæ fixæque habitationis, majori quiete data poſt initum fœdus: cum non legamus prius vel arbuſtum unum plantaſſe. Calvinus: *Quantum ad Dei invocationem ſcimus Abraham, quocunque venerat nunquam ceſſaſſe ab hoc pietatis officio. Nec vero periculis deterritus eſt, quia ſe veri Dei cultorem veri*

profiteretur, quum hoc nomine vicinis invìſus foret. Verum prout aucta illi erat habitandi cõmmoditas, in profitendo Dei cultu animum collegit. Et quia ſub regis tutela ſecurius jam degebat, forte ex profeſſo teſtari voluit, hoc ſe Deo acceptum ferre. Et hac de cauſa videtur adſcriptum epitheton Dei æterni: *ac ſi diceret Abraham, ſe non tranſiiſſe in fidem regis terreni, nec ſe novo fœderi confidere ut à Deo æterno diſcederet.* In terra Palæſtina longo tempore eſt peregrinatus. Raſi: *Plures* [dies] *quam in Hebron. In Hebron egit annos 25, & hic annos 26. Nam 75. annorum erat cum egrederetur ex Haran. Eodem anno venit & conſedit in Elone Mamre, quia non invenimus, quod conſederis antehac, at in omnibus locis fuit tanquam viator, caſtra metans, proficiſcens & ambulans.* Q. D. [Gen. XII. 9. 10.] Et tranſiit Abraham & fixit inde & fuit fames & deſcendit Abram in Ægyptum. *At in Ægypto non egit niſi tres menſes, quia dimiſit Pharao confeſtim & ivit itineribus ſuis. Venit conſeditque in Elone Mamre, quod in Hebron. Illic conſedit uſque ad ſubverſionem Sodomorum. Eveſtigio inde profectus eſt Abraham propter pudorem Loti, venitque in terram Palaeſtinorum. Erat autem annorum 99., cum in tertio die poſt circumciſionem ejus venerunt angeli.* En anni 25. Et hic ſcriptum, Dies multos plures præ prioribus: *At non venit ſcriptura ad occludendum ſed explicandum ſi fuerint plures ſupra illos duo anni aut magis fuiſſet explicaturus: Invito te, non abundarunt magis quam uno anno. En anni 26. Confeſtim exiit inde & reverſus eſt in Hebron. Et ille annus præceſſit ligationem Iſaaci annis duodecim, ut habet Seder Olam.*

CAP XXII.

NON MULTUM POST] Inter ſuperiorem hiſtoriam & hanc (ut intelleximus) interponit Raſi ex Seder olam duodecim annos. Scriptura ita loquitur: *poſt hac verba*, id eſt res ſuperius memoratas. Raſi: *Sunt ex magiſtris noſtris, qui dicunt, poſt verba Satan; qui accuſabat dicebatque è toto convivio, quod fecit Abraham, non obtulit coram te unum bovem aut arietem unum. Reſpondebat ei, Nihilne fecit niſi cauſa filii? Si dicerem ei, macta eum coram me, non eſſet in mora. Alii dicunt: Poſt verba Iſmaëlis, qui fuerat gloriatus adverſus Iſaac, quod circumciſus anno ætatis decimo tertio, non prohibuerit: reſpondit ei Iſaac, in uno membro tu; dico ego, Si diceret mihi Deus benedictus: Macta te coram me, non eſſem in mora.* Primus ſermo eſt Thalmudicus R. Johanan à R. Joſi Ben Zimra, in codice Sanhedrin cap. 10. fol. 89. pag. b. Si duodecim anni interjecti fuerunt inter Abrahami diſceſſum è Berſabe & hanc hiſtoriam, oportet eam factam eſſe anno Abrahami 137. Iſaaci ætatis 37. Nam 99. anno venit Abraham in Palæſtinam, ubi habitavit ex definitione Raſi 26. annos; his adjiciantur duodecim, erunt dicti anni 137. Sic eodem anno evenerit obitus Saræ, quod & Judæi volunt. Sic ſentit Thanchuma, ſic Seder olam. Ab hac tamen ſententia diſcedit Abeneſdras, qui Abrahamo in Berſabe habitante eveniſſe putat ligationem Iſaaci. ורבותינו ז״ל אמרו שהיה יצחק כאשר נעקד בן שלשים ושבע שנים ואם דברי קבלה נקבל ומדרך סברא אין זה נכון שהיה ראוי שתהיה צדקת יצחק גלויה ויהיה שכרו כפול משכר אביו שמסר עצמו ברצונו לשחיטה ואין בכתוב מאומה על יצחק ואחרים אמרו שהיה בן חמש שנים גם זה לא יתכן שנשא עצי העולה והקרוב אל הדעת שהיה קרוב לי״ג שנים והכריחו אביו ועקדו שלא ברצונו והעד שאביו הסתיר הסוד ואמר אלהים יראה לו השה כי אילו אמר לו אתה העולה יתכן שיברח: *Et magiſtri noſtri dicunt, quod fuerit Iſaac, quando ligabatur, triginta ſeptem annorum: at ſi verba*

 cabba-

cabbala admittimus & per modum opinionis, non eſt hoc firmum: quis conſequeretur, quod juſtitia Iſaaci foret revelata, eſſetque ejus merces duplicata præ mercede patris ſui, quia tradiderit ſemetipſum voluntate ſua in mactationem, nec eſt in ſcriptura quicquam de Iſaac. Alii dicunt quod fuerit quinque annorum. Etiam id non convenit, quia bajulavit ligna holocauſti. Conveniens eſt vero ſecundum ſententiam meam, quod fuerit fermè 13. annorum: coëgit & ligavit eum pater, quod non eſſet in voluntate ejus: cui teſtatur hoc, quod pater ejus occultaverit ſecretum ab eo, dixeritque, Deus providebit ſibi pecudem, quaſi dixiſſet ipſi, tu holocauſtum es veroſimile erat eum aufugiturum eſſe. Joſephus: Τῦ δ' Ἰσάκε πέμπτον καὶ εἰκοστὸν ἔτος ἄγοντος, *Iſaco autem quintum & viceſimum annum agente.* Ego calculum meum adjecerim Aben-eſdræ, quia argumenta ejus pondus habent; quamvis de mercede quod dicit, ſano ſenſu accipi debeat. Fuit puer, qui bajulare humeris potuit ligna ad holocauſtum, nec tamen ita grandis ut ejus conſenſus à patre requiri debuerit. Ætas illa, curæ parentum commendabilior & gratior. Abraham poſt ligationem Iſaaci habitavit adhuc in Berſabe, ut habetur hoc capite 22. v. 19.

ABRAÆ FIDEM TENTANS] Judæi Abrahamo decem tentationes à Deo propoſitas fuiſſe prædicant:

1. Præcepit ei Deus, ut è patria & cognatione diſcederet.
2. Ob famem novus Cananææ incola proficiſci in Ægyptum cogitur.
3. Saræ pudicitia illic in diſcrimen venit.
4. Reges ad Lotum liberandum perſequitur.
5. De prole deſperans Hagar ancillæ jungitur.
6. Ea gravida aufugit, quod ſubdi nollet heræ.
7. Senex circumciditur.
8. Secundò rapitur Sara ab Abimelech.
9. Juſſus eſt Iſmaelem cum matre eiicere.
10. Præceptum accipit de immolando filio.

Alii aliter enumerant & diſponunt. Quanquam in omnibus præceptis & afflictionibus animus hominis & fides tententur explorenturque, hic tamen in ultima, quam vocant, tentatione, proprie & peculiariter dicta tentatio eſt, quia Deus præcipit, quod impleri noluit, eo tantum finè, ut obedientiæ promptitudo & fides pateſcerent. Mandat Deus rem factu difficillimam non viribus corporis & robore egentem (quia corporis virium exploratio non intendebatur) ſed efficiendam animi fortitudine, affectu tenerrimo naturæ victo domitoque, ut cederet Dei voluntati in obſequium. Rem etiam, quæ pugnare cum ratione & æquitate videbatur. Nam cum affectu ratio Dei præceptis ſubdi debet. Cum ex Dei promiſſionibus in hunc filiolum ſpes definita eſſet graviſſima lucta fidei fuit, eum cedere & tanquam ex manibus ſpei materiam dimittere. Deus intimos ſenſus cordium exploratos habet, nec quicquam illi incognitum eſſe poteſt. Non igitur ut ſciret ipſe, ſed ut univerſo mundo maximè fidelibus vis fidei innoteſceret, difficillimæ obſervationis & duriſſimum præceptum dedit Abrahamo. Proinde Joſephus craſſe & ignoranter locutus eſt ὡς διὰ τὸ πεῖραν αὐτῦ βουλόμενος λαβεῖν τῆς περὶ αὐτὸν θρησκείας. Explicat horum verborum ſenſum in ſequentibus: βοᾷ μὲν ὀνομαστὶ τὸν Ἄβραμον, εἴργων τῆς τῦ παιδὸς σφαγῆς. ὐ γὰρ ἐπιθυμήσας αἵματος ἀνθρωπίνυ τὴν σφαγὴν αὐτῷ προστάξαι τῦ παιδὸς ἔλεγεν, ὐδὲ ὗ πατέρα ἐποίησεν αὐτὸν ἀφελέσθαι τῦτον βουλόμενος μετὰ τοιαύτης ἀσεβείας, ἀλλὰ δοκιμάσαι θέλων αὐτῦ τὴν διάνοιαν εἰ καὶ τοιαῦτα προσταττόμενος ὑπακούει. μαθὼν δ' αὐτῦ τὸ πρόθυμον καὶ τὴν ὑπερβολὴν τῆς θρησκείας, ἥδεσθαι

ἥδεσθαι μὲν οἷς παρέσχεν· οὐκ ὑστερήσειν δὲ αὐτὸν ἀεὶ πάσης ἐπιμελείας &c. *Inclamat quidem nomine Abramum, prohibens à pueri cæde. Non enim deſiderio humani ſanguinis cædem illi imperaſſe dicebat pueri, neque per tantam impietatem, privare cupientem illo, cujus ipſum patrem fecerat, at explorare animum ipſius, ſi & talia imperata danti obediret. Cum autem cognoverit ipſius promptitudinem & eximiam pietatem, gaudere iis, quæ ipſi beneficia præſtitiſſet, non defuturum autem omni cura &c.* Οὐχ ὑστερήσειν δὲ αὐτὸν πάσης ἐπιμελείας καὶ γένους ἀξιοῦντα, interpres reddidit: *Non defuturam autem nec in poſterum ſuam providentiam tam ipſi quam ejus generi.* Verterim, *Non deſiturum eſſe ipſum omni cura & genere dignum habere.* Errat Ioſephus, qui ἀσέβειαν à Deo præceptã eſſe Abrahamo putat. Ἀσέβεια enim non eſt, quam Deus jubet facere. Quod Deus præcipiebat, per ſummam pietatem impletum fuiſſet, ſi Deus non revocaſſet Abrahamum. Non fuiſſet parricidium, ſed ſacrificium ſi non fuiſſet revocata manus Abrahami. Humanam victimam nullo modo litabilem eſſe putat ſacerdos. Fatemur, Deus in uſu eſſe noluit, quamvis animam hominis alia victima non poſſe redimi certum ſit. Ægyptiorum primogeniti occiſi redemerunt gentem per familias, Iſraelitarum Deo ſacri Levitarum conſecratione & oblatione liberabantur, donec Dei primogenitus, qui univerſam populi ſui familiam redimit, præfiguratam ab illis devotionem in cruce ſubiret. Nullius niſi θεανθρώπου victima idonea eſt, quem Deus pater unicum gnatum & cariſſimum noxæ dedidit. Id in Iſaco adumbratum eſt, quem pater quaſi redivivum ex morte recipit. Quod Deus tentaverit Abrahamum videtur durius dici. Hinc Abeneſdras: *Sunt, qui dicant Samech eſſe pro Sin & He pro Alef, at ſenſus totius textus refutat eos; tantummodo* נסה *eſt ſecundum literalem vocis auditionem. Viri prudentes* (אנשי שקול הדעת) *dicunt quod duo ſenſus ſint: Unus ſenſus futuri, antequam eſſet; alter præſentis; Et hæc expoſitio* נסה *etiam in eo Nunc novi. Et Gaon dicit, quod dictio* נסה *valeat ad oſtendendum juſtitiam ejus filiis Adam: etiam dictio* ידעתי *ſecundum ſenſum vocis* הודעתי. *An non novit iſte Gaon, quod in tempore, quo ligavit filium ſuum, nec adfuerunt ſervi ejus. Alii dicunt quod expoſitio dicti:* והעלהו שם לעולה, *ſit quod ducturus eſſet ipſum in montem & hoc imputandum fuiſſe ipſi pro holocauſto: at Abrahamum non noviſſe arcanum prophetiæ & feſtinaſſe, ut ipſum mactaret: tum Deum ipſi dixiſſe, Non requiſivi hoc. Alii dicunt: oſtenta quod oblaturus ſis ipſum in holocauſtum ſicut* (Jerem. 35. 2.) Et bibendum da illis vinum [Id eſt, oſtenta quod bibere debeant vinum] *Neceſſe eſt illis Gaonim ad expoſitionem horum, quod dicant: Non quadrare, poſtquam Deus præcepit præceptum, ut dicat poſteà non facies ſic. At ecce non animadvertunt de primogenitis, quod mutaverit ea Levitis poſt annum.* Raſi Rabbinos illos ſequitur, qui vocem והעלהו exponunt de abductione in montem, reputanda pro עולה. Ideo non eſſe dictum שחטהו, *macta eum.* Exiſtimat Aben-eſdras quæſtionem hanc decidi ex eo, quod dictum ſit, Deum tentaſſe Abrahamum. Verum eſt, vocem tentationis indicare, quod præceptum hoc datum non fuerit ut impleretur. Theodoretus qu. 73. in Geneſin: Εἰ πάντα ὁ θεὸς προγινώσκει, τίνος ἕνεκα τὸν Ἀβραὰμ ἐπείρασε; *Si Deus* omnia prænoſcat, quare Abraham tentavit? R. οὐχ ἵνα αὐτὸς ἅπερ ἠπίστατο μάθῃ· ἀλλ' ἵνα τοὺς ἀγνοοῦντας διδάξῃ, ὡς μάλα δικαίως τὸν πατριάρχην ἠγάπησε. τούτου χάριν ἐν τρισὶν ἡμέραις καὶ τοσαύταις νυξὶ τὸν θεῖον ἐβασάνιζε πόθον. Μέσος γὰρ ὢν ὁ πατριάρχης φύσεως καὶ πίστεως καὶ νυττόμενος ἑκατέρωθεν, ἔδωκε τῇ πίστει τὰ νικητήρια. ὁ δὲ θεὸς δείξας αὐτοῦ τὴν εὐσέβειαν, τὴν θυσίαν ἐκώλυσεν. *Non ut ipſe, quæ ſciebat, diſceret, ſed ut ignorantes doceret, quam juſta de cauſa patriarcham diligeret. Hac de cauſa tres dies & totidem noctes amoris Divini periculum in eo fecit. Nam patriarcha medius inter*

naturam conſtitutus & fidem, cum utrinque ſtimularetur, fidei dedit palmam victoriæ. Deus autem patefaciens ejus pietatem, ſacrificium cohibuit. Poſteà: Ὁ τοίνυν τῶν ταῦτα τολμώντων κατηγορῶν, πῶς ἂν αὐτὸς ἠνέσχετο δέξασθαι παῖδα μονογενῆ παρὰ πατρὸς προσφερόμενον; ἀλλὰ γὰρ ταῦτα σκιὰ ἦν τῆς ὑπὲρ ἡμῶν γεγενημένης οἰκονομίας. ὑπὲρ γὰρ τῆς οἰκουμένης τὸν ἀγαπητὸν υἱὸν ὁ πατὴρ προσενήνοχε. Τύπος γὰρ τῆς θεότητος ὁ Ἰσαὰκ, τῆς δὲ ἀνθρωπότητος ὁ κριός. Καὶ αὐτὸς δὲ ὁ χρόνος ἰσάριθμος. τρεῖς γὰρ ἡμέραι καὶ νύκτες τρεῖς, καὶ ἐνταῦθα κἀκεῖ. *Qui igitur talia auſos accuſat, quomodo ipſe ſuſciperet filium unigenitum à Patre oblatum? Sed hæc umbra erant diſpenſationis factæ pro nobis. Nam pater pro orbe dilectum filium obtulit. Iſaac enim typus eſt Deitatis, humanitatis autem aries. Et ipſum tempus æqualis numeri eſt. Tres enim dies & tres noctes & hic & illic.* Cedrenus in λεπτογενέσει narrat haberi, quod *Maſtiphat*, princeps dæmoniorum, acceſſerit ad Deum, dicens: Si te diligit Abraham, immolet filium ſuum. Oblatum eſſe (ſcilicet patris obſequio) anno ætatis 25. in monte Sion. Auguſtinus lib. 1. Quæſt. ſuper Geneſim, qu. 56. Et tentavit Deus Abraham. *Quæri ſolet, quomodo hoc verum ſit, cum dicat in epiſtola ſua Iacobus, quod Deus neminem tentet: niſi, qua locutione ſcripturarum dici ſolet, tentat pro eo, quod eſt probat. Tentatio vero illa, de qua Iacobus dicit, non intelligitur, niſi, qua quiſque peccato implicatur. Unde Apoſtolus dicit*, Ne forte tentaverit vos, is qui tentat: *Nam & alibi ſcriptum eſt*, Tentat vos Dominus Deus veſter. ut ſciat, ſi diligitis eum: *etiam hoc genere locutionis, ut ſciat dictum eſt ac ſi diceretur*, ut ſcire vos faciat, *quoniam vires dilectionis ſuæ hominem latent, niſi divino experimento etiam eidem innoteſcat.* Qu. 58. *Vox angeli de cælo ad Abraham*, Ne iniicias manum in puerum, neque facias ei quicquam. Modo enim cognovi, quoniam times Deum tu. *Etiam iſta quæſtio ſimili locutiono ſolvitur. Hoc eſt enim*, Nunc cognovi, quoniam times Deum tu, *quod ſignificat*, nunc te feci cognoſcere. *In conſequentibus autem hoc genus locutionis evidenter apparet, ubi dicitur*, Et vocavit nomen Abraham loci illius, Dominus vidit: ut dicatur hodie, in monte Dominus apparuit. Vidit *pro eo, quod eſt* apparuit: *Hoc eſt* vidit *pro eo, quod eſt*, videri fecit*: ſignificans per efficientem, id quod efficitur, ſicut* frigus pigrum, *quod pigros facit.* De civit. Dei lib. 16. cap. 32. *Inter hæc, quæ omnia commemorare nimis longum eſt, tentatur Abraham de immolando dilectiſſimo filio ſuo Iſaac, ut pia ejus obedientia probaretur: ſeculis in notitiam proferenda non Deo. Neque enim omnis eſt culpanda tentatio, quia & gratulanda eſt, quæ fit probatio. Et plerunque aliter animus humanus ſibi ipſi innoteſcere non poteſt, niſi vires ſuas ſibi non verbo ſed experimento tentatione quodammodo interrogante reſpondeat: ubi ſi Dei munus agnoverit, tunc pius eſt, tunc ſolidatur firmitate gratiæ, non inflatur inanitate jactantiæ. Nunquam ſane crederet Abraham, quod victimis Deus delectaretur humanis: quamvis Divino intonante præcepto obediendum ſit non diſputandum. Veruntamen Abraham confeſtim filium ſuum, cum fuiſſet immolaturus* [l. immolatus] *reſurrecturum crediſſe laudandus eſt. Dixerat namque illi* &c. *Hanc ergò promiſſionem pater pius fideliter tenens, quia per hunc oportebat impleri, quem Deus jubebat occidi: non hæſitavit, quod ſibi reddi poterat immolatus, qui dari poterat non ſperatus. Sic intellectum eſt & in epiſtola ad Hebræos* &c. *Nunc enim ſcivi, quia times Deum tuum & non pepercisti filio tuo dilecto propter me. Nunc ſcivi dictum eſt, id eſt nunc ſcire feci: ita hic Dominus vidit, pro eo, quod eſt, Dominus apparuit, hoc eſt videri ſe fecit.* Tentat Deus, ut aliis oſtenderet in exemplum Abrahami fidem & obedientiam: illud autem, *Nunc cognovi*, exponendum, Nunc expertus ſum. Non ignorabat Deus, quid eſſet in Abrahamo, ante tamen, quam præcepto dato obediret Abrahamus, non erat expertus. Calvinus: Tentavit, *id eſt adduxit ad ſe-*

rium

rium examen, ut fidei experimentum in ſervo ſuo caperet. Iterum: Nunc cognovi quod times: *Coacta eſt Auguſtini expoſitio,* Feci te cognoſcere. *Sed quomodo aliquid Deo innoteſcit, cui ſemper omnia fuerunt præſentia? nempe hominum moribus ſe conformans, quod experimento probavit, ſibi nunc dicit eſſe cognitum. Neque enim pro immenſa ſua ſapientia ſed pro noſtra infirmitate nobiſcum loquitur. Simpliciter autem intelligit Abraham re ipſa teſtatum eſſe, quam ſeria Deum timeret. Quæritur tamen annon multa ſua pietatis Documenta ante jam dederit? Reſpondeo, quando huc uſque eum progredi volebat Deus, tunc vera demum probatione, quæ in aliis multò levior ſufficeret defunctum eſſe. Sicut autem Abraham Deum ſe timere oſtendit, proprio & unigenito filio non parcens: ita ejuſdem timoris commune à piis omnibus teſtimonium exigitur in abnegatione ſui.*

Immolandum Sibi A Patre Isaac Filium Posoit] Inclamaſſe Deus Abrahamum ſignificatur, vigilantem ut puto. Reſpondit Abraham הנני. Raſi: כך היא ענייתם של חסדים לשון ענוה הוא ולשון זמן: Sic eſt reſponſio piorum; eſt ſignificatio manſuetudinis & zimmon. Deus mandatum imponit Abrahamo, in quo tria facere jubet circà filium: Tollere, ducere in terram Moria & offerre. Objectum trium filius eſt, quem Deus affectuoſe depingit. 1. Filium tuum. 2. Unicum tuum. 3. Quem diligis. 4. Iſaac. In ſingulis pondus additur tentationi ad affligendum imò obruendum parentis animum, quæ non animadvertit Joſephus. Nam deſcribit quidem amabilitatem Iſaaci & cauſas diligendi ejus, ex hiſtorici perſona, ſed non narrat, quomodo Deus Abrahamum adortus ſit. Cum Deus ea propoſuerit, quæ Abrahami fidem percutere idonea eſſent & valentia, ut ipſius robur exploratum redderetur, Joſephus Deo adſcribit orationem perſuaſoriam, qua Abrahamum inducere nitebatur, ut mandati æquitati obſequium præſtaret. Sic enim hiſtoriam narrat: Ἴσακον δὲ ὁ πατὴρ Ἄβραμος ὑπερηγάπα μονογενῆ ὄντα καὶ ἐπὶ γήρως κατὰ δωρεὰν αὐτῷ τοῦ θεοῦ γενόμενον, προσεκαλεῖτο δὲ εἰς εὔνοιαν καὶ τὸ φιλεῖσθαι μᾶλλον ὑπὸ τῶν γονέων, καὶ αὐτὸς ὁ παῖς ἐπιτηδεύων πᾶσαν ἀρετὴν, καὶ τῆς τε τῶν πατέρων θεραπείας ἐχόμενος καὶ περὶ τὴν τοῦ θεοῦ θρησκείαν ἐσπουδακώς. Ἄβραμος τε τὴν ἰδίαν εὐδαιμονίαν ἐν μόνῳ τούτῳ τῷ υἱῷ καταλιπὼν ἐξελθεῖν τοῦ ζῆν ἐτίθετο. Τούτου μέντοι κατὰ τὴν τοῦ θεοῦ βούλησιν ἔτυχεν, ὃς διὰ τὸ πεῖραν αὐτοῦ βουλόμενος λαβεῖν τῆς περὶ αὐτὸν θρησκείας, ἐμφανισθεὶς αὐτῷ καὶ πάντα, ὅσα εἴη παρεσχημένος, καταριθμησάμενος, ὡς πολεμίων τε κρείττονα ποιήσειε καὶ τὴν παροῦσαν εὐδαιμονίαν ἐκ τῆς αὐτοῦ σπουδῆς ἔχῃ. τὸν υἱὸν ἴσακον, ᾔτει τοῦτον αὐτῷ θῦμα καὶ ἱερεῖον παρασχεῖν, ἐκέλευε δὲ εἰς τὸ Μώριον ὄρος ἀναγαγόντα ὁλοκαυτῶσαι. οὕτως μὲν ἐμφανίσειν τὴν περὶ αὐτὸν θρησκείαν, εἰ καὶ τῆς τοῦ τέκνου σωτηρίας προτιμήσειε τὸ ὦ [l. τῷ] θεῷ κεχαρισμένον. &c. *Iſacum autem pater Abramus admadum diligebat, ut unigenitum & in ſenectute, dono Dei natum ipſi. Accendebat autem magis ad benevolentiam & amorem à parentibus & ipſe puer, amni virtuti deditus & tam parentes quam Deum colens. Abramus etiam ſuas fortunas, huic ſoli filio relicturus exitum vitæ ſibi propoſuerat. Hunc Dei voluntate nactus erat, qui quod periculum facere vellet pietatis Abrami in Deum, apparet ipſi, omnibuſque enumeratis, quæ contulerat, ut de hoſtibus victoriam præſentemque felicitatem largitus eſſet. Filium Iſaac poſcit hunc ſibi victimam & ſacrificium offerre. Iubebat autem in Morium montem eductum in holocauſtum offerre. Sic oſtenſurum eſſe religionem in ſe, ſi etiam filii ſaluti anteponeret, quod Deo placeret.* Intueamur vim tentationis propoſitæ: Raſi diverſis oraculis Abramo indicatum eſſe putat, quem filium Deus poſceret. Nam cum Deus dixiſſet, *Filium tuum*, reſpondebat Abrahamus: שני בנים יש לי / *duos habea filios.* Tum Deus: Unicum tuum, את יחידך. Iterum Abrahamus: זה יחיד לאמו וזה יחיד לאמו *Tam hic quam ille unicus à matre eſt.* Porro Deus: *Quem diligis:* Nec hoc rem penitus apetiebat, ideò Abra-

hamus

hamus tertio interrogat: שניהם אני אוהב. Hic Deus: *Iſaacum.* At cur non aperuit illi à principio, שלא לערבבו פתאום ותזוח דעתו עליו ותטרף וכדי לחבב עליו את המצוה וליתן לו שכר על כל דבור ודבור: Lyranus huc reſpexir: *Dicunt hic* (inquit) *Hebræi: quod hæ fuerunt plures revelationes & præcepta ſucceſſive facta ipſi Abraæ. quia primò dixit ei dominus:.* Tolle filium tuum: *& ipſo reſpondente paratus ſum obedire*, ſed duos filios habeo, *de quo præceptum intelligitur? Dominus ſecundo dixit*: Unigenitum. *Et ipſo reſpondente*, Quilibet eſt unigenitus matri ſuæ, *Dominus tertiò dixit*; Quem diligis. *Et ipſo reſpondente*, utrumque diligo, *Dominus dixit quartò*, Iſaac. *Et factum eſt hoc, ut dicunt Hebræi, ut ex pluribus reſponſionibus ad obediendum majorem haberet mercedem. Doctores autem noſtri dicunt, quod fuit unicum præceptum ſimul factum, ut ſimul & ſubitò omnia proponerentur, quæ poſſent ipſum retrahere ab impletione præcepti, ut per hoc magis appareret obedientia Abraæ: & ideo totum dictum eſt ſibi in eodem contextu.* Judæorum argutiæ ſunt, hic divellentium quod Sp. S. unius & ejuſdem oraculi continuæque orationis eſſe ſignificat & ut tale propoſuit. Calvinus benè expreſſit vim exagerationis: item præcepti circa eum filium dati: luctam carnis imò arreptæ promiſſionis & fidei in hac tentatione. *Si Deus*, inquit, *tantum dixiſſet moriturum, pluſquam atrociter animum ejus vulneraſſet hic nuntius. Quicquid enim gratiæ à Deo ſperare potuit in hac ſola promiſſione incluſum erat: In Iſaac vocabitur tibi ſemen. Vnde neceſſario colligebat ſuam & totius humani generis ſalutem perire, niſi Iſaac maneret incolumis. Nam eo verbo edoctus erat Deum ſine mediatore non eſſe hominibus propitium. Etſi enim illud Pauli nondum ſcriptum erat, omnes Dei promiſſiones in Chriſto eſſe Etiam & Amen: erat tamen cordi Abrahæ inſculptum. Vnde autem ſperaſſet niſi ex Iſaac? Eò igitur res recidit, ut appareat Deum nihil quam luſiſſe. Atqui illi non tantum nuntiatur mors filii ſed jubetur eum ſua manu occidere: ac ſi non modo abjiceret ſed conſcinderet vel projiceret in ignem ſalutis ſuæ ſyngrapham: ac nihil ſibi reliquum faceret præter mortem & inferos. Sed quæritur, quomodo duce fide ad filii immolationem deſcenderit, quum illi propoſitum ſit contra verbum Dei certamen, cui fidem inniti neceſſe eſt? Huic quæſtioni reſpondet Apoſtolus Heb. 11.19. ideò non fuiſſe à verbo abreptum, quia Deum ſperavit ex mortuis cineribus promiſſam benedictionem poſſe excitare. Duriter quidem ejus animum quaſſari & violenter percelli oportuit, quum intus confligerent Dei mandatum & promiſſio. Sed poſtquam ſtatuit, Deum quocum ſibi negotium eſſe certus erat, ipſum ſibi non poſſe adverſari: quamvis non ſtatim modum inveniat tollendæ repugnantiæ, ſpe tamen ſua conciliat cum promiſſione mandatum: quia indubiè perſuaſus Deum eſſe fidelem, ejus providentiæ relinquit ſucceſſum, quem ignorat. Intereà quaſi clauſis oculis pergit, quo jubetur: Hunc honorem meretur Dei veritas, non tantum ut alte emineat, ſupra humana media, vel ſola abſque mediis ſufficiat: ſed etiam ut obſtaculis omnibus ſit ſuperior. Hic jam melius perſpicimus ſpeciem temtationis, quam notavit Moſes. Difficile ac moleſtum Abrahæ fuit, oblivisci ſe eſſe patrem ac maritum & exuere omnes hominis affectus, ſubire coram mundo fœdæ ſævitiæ infamiam, quod filii carnifex fuiſſet. Sed iſtud alterum longè gravius & magis horribile, quod Deum ſibi ac verbo ſuo adverſum eſſe concipit: deinde, quod ſpem promiſſæ benedictionis excuti ſibi cogitat, dum ex complexu rapitur Iſaac. Quid enim illi amplius cum Deo, ubi tollitur unicum gratiæ pignus? Sed quemadmodum prius ſemen ex effæto corpore ſuo exſpectans, ſpe ſua tranſcenderat, quod ſperandum videbatur: ita nunc dum in morte filii apprehendit vivificam Dei potentiam, ut benedictionem ſibi ex filii cineribus promittat, ex tentationis labyrintho emergit: nam ut Deo pareret mordicus promiſſionem tenere neceſſe fuit, qua collapſa excidit fides. Promiſſio autem apud eum ſemper viguit: quia & amorem, quo ſemel eum*

Deus

Deus complexus fuerat, mordicus retinuit & ejus potentiæ ſubjecit, quacunque ad turbandum ejus animum erigebat Satan. Promiſſionis verò implendæ modum ſenſu ſuo metiri noluit, quem ſciebat ab incomprehenſibili Dei virtute pendere. Deinde: Unicum tuum, quem dilexiſti. *Quaſi non ſatis eſſet filii mactationem uno verbo imperare, velut repetitis ictibus ſancti viri animum altius transfigit.* Unicum vocando *vulnus refricat nuper inflictum alterius abdicatione: deinde reſpicit etiam in futurum tempus, quod nulla ſpes ſobolis gignendæ ſuperſtes eſſet. Si primogeniti filii luctuoſa mors eſſe ſolet, qualis eſſe debuit Abrahæ luctus? Singula verba, quæ ſequuntur, emphatica ſunt ad exaſperandum dolorem.* Occide, *inquit,* quem tu unicè amas: *nec paternum modo amorem deſignat, ſed qui ex fide oriebatur: Amabat filium ſuum Abraham, non tantum ut fert natura & vulgò ſolent patres filios habere in deliciis, ſed quia in eo paternum Dei amorem intuebatur: denique erat Iſaac vitæ æternæ ſpeculum & bonorum omnium pignus. Quare non tam in paternum Abrahæ amorem videtur Deus impetum facere quam ſuam ipſius benevolentiam calcare pedibus. Non minor ſubeſt emphaſis in nomine Iſaac, quo admonebatur Abraham nuſquam alibi gaudium ſibi reſtare. Certe quum aufertur, qui in materiam lætitiæ datus erat, perinde eſt ac ſi Deus ipſum ad æternos cruciatus damnaret. Semper enim memoria tenendum eſt, non fuiſſe Iſaac ex communi filiorum ordine, ſed in cujus perſona promiſſus erat mediator.* Vade in terram Moria: *Hac circumſtantia non parum crevit doloris acerbitas. Non vult eum Deus ſtatim filii mactatione defungi ſed cogit toto triduo carnificinam iſtam in animo alere: ut ſe comparans ad mactandum filium, ſenſus omnes ſuos gravius excarnificet. Adde, quod neque locum nominat ubi dirum illud ſacrificium offerri velit.* Super unum montium *(inquit)* quem tibi oſtendam. *Sic prius quum jubebat ex patria migrare, ſuſpenſam ejus mentem tenuit. In hoc autem negotio minus tolerabilis fuit mora, quæ ſanctum hominem, quaſi equuleo impoſitum ſæviſſimè torquebat. Duplex autem ſuſpenſionis hujus uſus fuit. Nihil magis proclive nobis eſt, quam ſapere ultra menſuram. Ergo ut nos ſibi Deus verè dociles ac morigeros habeat, deſtitui nos proprio conſilio utile eſt: & nihil eſſe reſiduum, niſi ut nos ejus arbitrio circumagendos tradamus: deinde ad perſeverantiam hoc valuit: ne ſubito tantum motu ſe obſequentem Deo præberet. Nam dum iter non reflectit nec varia conſilia agitat: hinc apparet ſtudium ejus tali fuiſſe conſtantia firmatum, ut nulla varietate flecteretur.*

[ארץ המוריה] Quidam nomen à viſione deducunt [ראה] alii à Myrrha. Plurium conſenſus à ירה vel ירא, ut ſignificet doctrinam vel timorem. Ab timore vel doctrina ideò. quod eam terram Deus cultui & ſacrificiis in arcano ſuo conſilio deſtinaverat. Videtur eſſe nomen appellativum ut vocant, quia præfixa eſt litera ה. Ita Chaldæus לארעא פלחנא. Syrus Anglicanus habet ܠܐܪܥܐ ܕܐܡܘܪܝܐ In terram Amorrhæorum. Arabs ſecutus Chaldæum الي بلد العبادة Samariticus אל ארץ המוראה. Illud Samariticum videri poteſt à ראה deſcendere, ut מראה ſit nomen ſubſtantivum timorem ſignificans. Græci *εἰς γῆν τὴν ὑψηλήν.* Terra Moriæ videtur dicta fuiſſe regio & tractus in quo Salem oppidum condiderat Melchiſedec. Liber כלי יקר dicit ex iſto loco ſumptum eſſe lutum terrei altaris. In dictione Moria abundare ſyllabam יה, ut nomen ſit Mor. Ideo autem addi, quod illic ſit locus lapidis שתיה, è quo fundata fuerunt duo ſecula, quæ creata in nomine יה. Quia illic eſt porta cæli & illic perfectum eſt conjugium inter Deum benedictum & Iſraelem, ſecundum copulationem mariti cum uxore ſua, quam illic poſuit inter eos Dominus & pronuntiavit ſuper eo canticum quindecim graduum, qui fuerunt de auxilio virorum ad auxilium mulierum pro numero nominis יה. Et hoc ipſum eſt ſtructura ſanctuarii, quod ædificatum in eo

poſt

poſt quindecim ætates ab Abrahamo ad Solomonem. Hæc conjungi poſſunt cum illis, quæ in voce שחוח in Lexico Thalmudico annotavit Buxtorfius.

Quem Ille Non Cunctatus] Summo mane ſequentis diei, aſino ſtrato, ſumptiſque duobus ſervulis & Iſaco filio, item ſciſſis lignis holocauſti, dedit ſe itineri. Calvinus: *Innumeræ cogitationes venire poterant ſancto viro in mentem, quarum ſingula ejus animum mole ſua obruerent. Nec dubium eſt quin Satan, inter noctu tenebras ingentem curarum acervum illi congeſſerit. Luctando paulatim eas vincere, heroica virtutis fuit. Illis vero ſuperatis ſtatim ſe accingere ad explendum Dei mandatum, imò mane ſurgere miraculo non caret.* In Breſith Rabba אמר רש׳ בן יוחאי אהבה מקלקלת את השורה ושנאה מקלקלת את השורה; Amor & odium turbant ordinem: ideò ſummo mane operi ſe accinxiſſe Abrahamum. Anne rem indicaverit Saræ conjugi, an occultam habuerit, non indicat Sp. S. Si conjecturæ locus eſſet, ſiluiſſe & occultaſſe videri poſſit, ne & ſe & mulierem conturbaret. Dei mandatum ſine mora & indubitanter faciendum eſt; & removenda vitandaque obſtacula, quæ retardare poſſent. In Pirke R. Eliezeris dicitur duos iſtos ſervos fuiſſe Iſmaelem & Eliezerem, quod tomentum ſimilis audaciæ & improbabilitatis eſt enim cæteris.

Tertio die vidit locum eminus, Dei indicio. Nam Deum indicaſſe ei oportuit, ſive jam ante ſive modo. Si modo id eſt hoc ipſo tempore indicaverit, id indicium factum cum vel ſine ſigno. Scriptura non indicat. Judæi volunt vidiſſe in monte זו שכינת הקב״ה *ſplendorem Majeſtatis Divinæ.* Ut ſplendorem ſolis de proximo intueri non poteſt oculus hominis. Id educunt è voce מקום. Nam Deus vocatur מקומו של עולם *locus mundi*: Latius Tanchuma & in Pirke R. Eliezer qui etiam locum, unde conſpexere Sophim appellat. Juſſit Abraham ſervulos illic loci conſidere, donec ipſe cum filio Iſaac oratum in montem conceſſiſſet. Solebant orare & venerari Deum in montibus & locis ſolis. At quomodo ſine ſimulatione & mendacio, dicere potuit: *ubi adoraverimus, revertemur*, cum ſolus redire ſtatuiſſet immolato filio & ſacro peracto? Calvinus. *Quidam putant vocem hanc propheticè ab eo fuiſſe emiſſam: ſed quia certum eſt, quod de ſemine in Iſaac ſuſcitando promiſſum erat; nunquam illi fuiſſe elapſum: fieri poteſt ut in Dei providentia recumbens; ſuperſtitem filium in morte ipſa ſibi propoſuerit: ac ſicuti clauſis oculis ad occidendum filium pergebat, ita nihil abſurdi eſt, ſi confuſe in re obſcura loqutum fuiſſe dicamus.* Poteſt locutio defendi per σύλληψιν ſine κοινωνίας, etſi altius ſpectaſſe nolimus: malumus tamen altius quiddam ſapere, quia fidem Abrahami tantopere prædicat Apoſtolus.

Abrahamus filii humeris imponebat ligna, quibus concremari debuit, ut quidem Abrahamus exiſtimabat. Ipſe manu geſtat ignem & machæram. Ita pater & filius, miſerrimum ſpectaculum, ſi cui notum fuiſſet, quid pararetur. At inter eundum novum tormentum erigit Deus. Linguam enim Iſaac tum ad blandam appellationem tum ad interrogationem divinitus directam eſſe quis negat, nequid ad doloris atrocitatem deeſſet? *Pater mi: Quid eſt fili? Ecce ignis & ligna, & ubi pecus in holocauſtum?* Abrahamus cohibitis omnibus affectibus, ne quid adverſus Dei voluntatem moveretur, prudentiſſimo reſponſo inſolubilem nodum explicavit: *Deus providebit.* Diſtincta duo alloquia Iſaac & reſponſa Abrahami fuerunt: Primò Iſaac ſolummodo inclamat Parentem: אבי. Hic rurſum nugantur Judæi in כלי יקר. לא אמר לו יצחק עדיין כלום אלא קראו אבי ושתק לפי שהתח״ש יצחק שרצן אביו להעלותו עולה וחשב אם כן אינו מרחם עלי כרחם אב על בנים ונהפך לו לאכזר כי לא ידע עדיין שזה רצון בוראו על כן קראו אבי

אבי לנסיתו אם יענו עדין קבוע בלבו שהוא אביו או אם כבר הסיחו מלבו כאילו אינו בנו כי בזה רצה לידע מי יהיה הנשחט וכאשר ענה לו הנני בני והורה לו שעדיין כל נעטעו אליו א״ל אם כן איה השה לעולה וא״ל אלהים יראה לו השה לעולה בני לא אני בחרתי בך כי אם אלהים ואני ואתה שנינו חייבים בכבודו אז וילכו שניה׳ יחדיו בכוונה אחת לאפוקי עד הנה היו חלוקים בדעת׳. *Non dixit ipſi Iſaac tunc quicquam, niſi quod eum vocaverit Patrem & ſiluit: quia ſenſit Iſaac, quod propoſuiſſet Pater eum offerre in holocauſtum, cogitabatque, ſi ſic; non miſerebitur ſuper me, ut miſeretur pater filiorum eſtque converſus in crudelem, quia tunc non ſciebat, quod hoc eſſet beneplacitum creatoris. Ideo appellavit eum* Pater *mi, ut tentaret eum: Si reſponderet ipſi (tunc certum in animo ſuo, quod ipſe eſſet pater ſuus) aut ſi olim amoviſſet eum è corde ſuo, quaſi non eſſet ejus filius: Nempe in hoc voluit ſcire, quis eſſet mactandus. Cum autem ipſi reſpondiſſet,* Ecce me fili mi, *& docuiſſet quod tunc omnes ejus oblectationes in ipſo eſſent: dixit ipſi, ſi ita eſt,* ubi pecus *in holocauſtum: reſpondit ipſi: Deus providebit ſibi pecudem in holocauſtum: fili mi, Ego non elegi te ſed Deus: At ego & tu, ambo nos tenemur ad gloriam ejus. Tunc, quod ſequitur, fuerunt ambo pariter in eadem intentione: at uſque huc fuerant animis diviſi.* Sacer textus rectius explicatur de modeſti animi in Iſaac ſignificatione per ſimplicitatem interrogante, quam de divortio & mala ſuſpicione. Nec eſt in textu, quod indicet Abrahamum filio ſuo tunc rem aperuiſſe. Dictum hoc, *Deus providebit*, voluit Iſaaci cogitationem aliò avertere non aperire, quid ageretur. Conſona huic Judæo habet liber Thanchuma, qui uti & Eliezer in capitulis indicatum eſſe Iſaaco volunt hoc dicto, quod ipſe mactandus eſſet. Aliter ſentit Abeneſdras cum interpretum noſtrorum communi conſenſu.

Cum ad locum ventum eſſet, *Abraham aram ſtruit, ligna diſponit; filium vincit, lignis in ara imponit. Hinc cultrum ſtringit.* Hæc Moſes mirifica quadam hypotypoſi, ut rem oculis quaſi ſpectandam exhibeat. Calvinus: *Summa huc redit Abraham ubi ad feriendum filium ventum eſt, ſemper fuiſſe ſibi ſimilem, tantamque fuiſſe animi ejus fortitudinem, ut ſenilis manus ad peragendum Sacrificium ſufficeret, cujus ſolo aſpectu, totum corpus liqueſcere ac diffluere potuit.* Voluntarium fuiſſe Iſaaci Sacrificium, id eſt Iſaacum ſe promptum volentemque permiſiſſe Patri, animum dediſſe Deo, dubitari non poteſt. Calvinus iterum audiatur. *Ubi meminit altaris conſtructi continuò poſt addit, Ligatum fuiſſe Iſaac. Atqui ſcimus, tunc media fuiſſe ætatis, ut vel patre eſſet robuſtior, vel ſaltem par ad reſiſtendum ſi viribus certandum eſſet, quare vim reluctanti & invito allatam fuiſſe non arbitror, ſed potius ultrò ipſum ceſſiſſe. Atqui vix fieri potuit, ut ſe ad mortem offerret, niſi Divini oraculi certior jam factus: ſed hoc ſermone præterito tantum recitat Moſes, fuiſſe ligatum. Si quis objiciat ſupervacuum fuiſſe ligari, qui voluntarius ad mortem oppetendam foret: reſpondeo, Sanctum hominem ita obviam iviſſe periculo, nequid in medio actu accideret.* Joſephus non in via (ut illi *μυθολόγοι* Judæorum, quos adduximus) ſed poſtquam ara ſtructa eſſet ligna (*σχίζαι*) impoſita, omnia parata, allocutum Abrahamum eſſe longo ſermone filium, quo animum ejus ad voluntariam mortem diſponeret: *Ὦ παῖ μυρίαις εὐχαῖς αἰτησάμενός σε γενέσθαί μοι παρὰ τοῦ θεοῦ, ἐπεὶ παρῆλθες εἰς τὸν βίον, οὐκ ἔστιν ὅ τι μὴ περὶ τὴν σὴν ἀνατροφὴν ἐφιλοτιμησάμην, οὐδ' ἐφ' ᾧ μᾶλλον εὐδαιμονήσειν ᾤμην, ὡς εἰ σὲ ἴδοιμι ἠνδρωμένον καὶ τελευτῶν διάδοχον τῆς ἀρχῆς τῆς ἐμαυτοῦ καταλείποιμι. ἀλλ' ἐπεὶ θεοῦ τε βουλομένου σὸς πατὴρ ἐγενόμην καὶ πάλιν τοῦτο δοκοῦν ἀποτίθεμαί σε, φέρε γενναίως τὴν καθιέρωσιν. Τῷ θεῷ γὰρ παραχωρῶ ταύτης, ἀξιώσαντι παρ' ἡμῶν τῆς τιμῆς, ἀνθ' ὧν εὐμενὴς γέγονέ μοι παραστάτης καὶ σύμμαχος νῦν*

ἐπιτυχεῖν. Ἐπειδὴ γεννηθεὶς ἐπιθανοίη, οὐ τὸν κοινὸν ἐκ τοῦ ζῆν τρόπον ἀλλ' ὑπὸ πατρὸς ἰδίου θεῷ τῷ πάντων πατρὶ νόμῳ θυσίας προπεμπόμενος, ἄξιον οἶμαί σε κρίναντος αὐτοῦ μήτε νόσῳ μήτε πολέμῳ, μήτε ἄλλῳ τινὶ τῶν παθῶν, ἃ συμπίπτειν πέφυκεν ἀνθρώποις, ἀπαλλαγῆναι τοῦ βίου, μετ' εὐχῶν δὲ καὶ ἱερουργίας ἐκείνου ψυχὴν τὴν σὴν προσδεξομένου καὶ παρ' αὐτῷ καθίζοντος. ἔσῃ τε μοι εἰς κηδεμόνα καὶ γηροκόμον, διὸ καί σε μάλιστα ἀνετρεφόμην τὸν θεὸν ἀντὶ σαυτοῦ παρεσχημένος. Ἴσακος δὲ, πατρὸς γὰρ ἦν οὐ τοιούτου τετυχηκότα γενναῖον ἔδει τὸ φρόνημα εἶναι, δέχεται πρὸς ἡδονὴν τοὺς λόγους. καὶ φήσας ὡς οὐδὲ γεγονέναι τὴν ἀρχὴν ἦν δίκαιος εἰ θεοῦ καὶ πατρὸς μέλλει κρίσιν ἀπωθεῖσθαι καὶ μὴ παρέχειν αὑτὸν τοῖς ἀμφοτέρων βουλήμασιν ἑτοίμως ὅτι καὶ μόνου τοῦ πατρὸς ταῦτα προαιρουμένου μὴ ὑπακούειν ἄδικον ἦν, ὥρμησεν ἐπὶ τὸν βωμὸν καὶ τὴν σφαγήν. Hæc Geleniana verſio ita reddidit: *Fili, mille votis te expetitum, poſtquam in hanc vitam veniſti ſumma cura ac ſolicitudine educavi, nihil beatius exiſtimans, quam ſi te virum videre daretur & tandem heredem meæ ditionis relinquere. Sed quoniam Deo viſum eſt, ut te ſuſciperem ac nunc rurſum ut te amittam, fer generoſè hoc ſacrificium. Cedo enim Deo, qui à nobis hunc honorem repoſcit, pro perpetuo favore, quo nos belli ac pacis tempore eſt proſecutus. Nunc lege naturæ natus cum ſis, ut moriaris, non vulgarem habebis vitæ exitum, ſed à proprio patre petri univerſorum Deo ſacrificio rectè oblatus: ipſo, ut credere par eſt, indignum te cenſente qui aut morbo aut bello aut alia quapiam humana calamitate, de vita decedas: ſed inter precamina & ſacra animam tuam exceptam apud ſe collocabit: ubi memor, cur te potiſſimum educaverim, ſenectutem meam ſuſtentabis, non quidem per teipſum, ſed Deum, mihi curatorem tuo loco relinquens. Tum Iſacus, haudquaquam à tanto patre degener, libenter hæc verba accepit, negans ſe dignum qui unquam natus eſſet, ſi tam Dei quam Patris decreto reluctans, non alacriter ſe præberet utriuſque placitis. Quandoquidem etiam ſi pater ſolus ita vellet, nefas eſſet non obſequi.* Verſio non ſatis exacte quadrat & in aliis, at in eo potiſſimum aberrat, quod verba ſequentia ἔσῃ τι μοι εἰς κηδεμόνα καὶ γηροκόμον, διὸ δὴ σε μάλιστα ἀνετρεφόμην, τὸν θεὸν ἀντὶ σαυτοῦ παρεσχημένος, ita reddiderit, *Vbi memor cur te potiſſimum educaverim, ſenectutem meam ſuſtentabis, non quidem per te ipſum ſed Deum mihi curatorem tuo loco relinquens.* Quæ ita verſa accipi poſſunt, quaſi Abrahamus ſperaverit à filio, ut in cælo poſitus Deum ſibi curatorem ſenectutis conſtitueret. Verti debent, ſine verbo *memor*, *Præbebiſque mihi Deum loco tui in procuratorem & ſenectutis ſuſtentatorem, ob quod etiam te potiſſimum educabam.* Q. D. Ego in eam ſpem te potiſſimum educavi, ut ſenectuti meæ eſſes ſuſtentamini & defenſioni, ad quam curam hoc merito Deum excitabis, ut illi rei, loco tuo præſit. Utroque igitur intento, patre ad faciendum, filio ad ſubeundum ſacrum, cum pater extentam manum admoviſſet ſeceſpitæ, ut hanc hoſtiam jugularet, è cælo Deus facinus ſeu effectum inclamando impedivit. Qui de cælo clamavit, vocatur à Moſe Angelus Dei. At ille Angolus attribuit ſibi, quæ Deo conveniebant. Deo non angelo præcipienti Abraham filium immolare voluit. Hinc etiam Joſephus Deum ipſum fuiſſe dicit, qui Abrahamum revocavit: Καὶ ἐπράχθη τὸ ἔργον μὴ στάντος ἐμποδὼν τοῦ θεοῦ. Βοᾷ μὲν ὀνομαστὶ τὸν Ἅβραμον εἴργων τῆς τοῦ παιδὸς σφαγῆς. Si fuit angelus Dei qui Abrahamum inclamavit, cur tu Deum vocas, ô bone? Si fuit Deus, cur Moſes eum appellat angelum Dei? Eſt igitur Angelus Dei, qui eſt ipſe Deus. Philo ſe facile expedit, quià λόγον ſuum producere potuit quamvis ſimpliciter Deum dixit, ut Joſephus. Si nobis licuiſſet cum Philone inter vivos agente colloquia ſerere, facili ad veritatem via Chriſtianum facere potuiſſemus. Angelus ille Deum ſe facit. I. *Non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* II. Promittit multiplicationem ſeminis & ejus felicitatem. III. Suam eſſe vocem dicit, cui

Abra-

Abraham obediverit. Duplex fuit alloquium angeli illius. In primo, quod habetur v. 11. 12. inclamavit nomine Abrahamum, *Abraham, Abraham.* Qui reſpondit: *En me.* Tum Angelus: *Ne immittas manum tuam in puerum. Nunc ſcio, quod timens Dei ſis, quia filium tuum unicum tuum, mihi non denegaſti.* Hic ſtetit primum alloquium. Frivolum eſt, quod dicit R. Iuda in capitulis R. Eliezer Iſaci animam, gladio cervicem attingente, effugiſſe: mox rediiſſe emiſſa voce inter Cherubinos: Ne immittas manum tuam: Iſacumque ſolutum & in pedes erectum adſtitiſſe. Cognoviſſe reſurrectionem mortuorum & demonſtraſſe in lege. Apoſtolus dicit Heb. xi. 18. 19. Per fidem Abraham, cum tentaretur, Iſacum obtulit, & qui promiſſionem acceperat, unigenitum obtulit, Ad quem dictum erat, In Iſaac vocabitur tibi ſemen. Reputans quod etiam è mortuis ſuſcitare potens eſt Deus. Unde etiam ipſum, ἐν παραβολῇ recepit. Breſith Rabba: *Tempore quo miſit Abraham pater noſter manum ſuam, ut acciperet cultrum ad mactandum filium ſuum fleverunt angeli miniſterii. Hoc eſt, quod ſcriptum eſt* (Eſ. 33. 7.) Ecce fortiſſimi eorum clamant foris. De ligatione Iſaaci multa Judæi. Cum promptus paratuſque eſſe animo, tamen voluiſſe ipſum ut ligaretur, ne gladii elatio terrorem incuteret. Debuerunt victimæ ligari & conſtringi, idem factum in Iſaaco. Raſi deſcribit: ידיו ורגליו מאחריו הידים והרגלים ביחד היא עקדה והוא לשון עקודים שהיו קרסוליהם לבנים. *Manus pedeſque junctim colligare & conſtringere quadrupedem, ut ſolent animalia immolanda, conſtringi, ſignificatur voce* עקדה. Contra Joſephum & alios diſputat Lyra: *Non eſt intelligendum, quod invitum eum ligaverit. Iſaac enim jam erat 35. annorum, ut dicit Ioſephus & per conſequens Abraam jam erat 135. annorum; quod centum annorum erat, quando Iſaac natus eſt, ut dictum eſt cap. præcedenti: & ſic erat fortior patre, qui erat valde ſenex. Hoc etiam patet, quod portavit ligna holocauſti aſcendendo montem & tamen erat onus unius aſini, ut patet ex prædictis. Oportebat enim quod tantum eſſet ibi de lignis, quot ſufficerent ad incendendum & incinerandum corpus unius hominis: & ideò ſuper hunc locum dicit Ioſephus: quod ædificato altari & omnibus paratis Abram dixit filio ſuo, quomodo magnis precibus impetratus erat à Deo & quomodo conceptus miraculoſe & quomodo natus gaudioſe: & quomodo ſibi Dominus præcepit eum immolari; ſibi adjungens, quod credebat Deum eum nolle mori ægritudine vel peſte vel gladio in bello, ſed quod cum precibus devote Deo offerretur: & ſic Deus acciperet ſecum animam ejus perpetuo: & ex hac obedientia Deus regeret ſenectutem Abrahæ loco filii. Quibus auditis Iſaac voluntariè acceſſit, ut immolaretur ad implendum voluntatem Dei & patris ſui. Licet autem Dictum Ioſephi ſit verum, quantum ad hoc quod Iſaac voluit immolari, non tamen videtur verum, quantum ad hoc quod Abraham immolaret eum credens quod anima ejus de cætero eſſet cum Deo & amplius inter homines non viveret. quia ſupra 17. cap. dixit Deus Abrææ de Iſaac.* Reges orientur ex eo: *Et cap. 21. In* Iſaac vocabitur tibi ſemen. *Et firmiter credebat verbum Dei eſſe verum: & ideò melius dicitur: Abraam immolare volens Iſaac credidit quod ipſum à mortuis ſuſcitaret Deus ut compleret in eo ſuum promiſſum. Et hoc eſt quod dicit Apoſtolus ad Heb. xi.* Fide obtulit Abraam Iſaac cum tentaretur: & unigenitum offerebat in quo ſuſceperat promiſſiones. Ad quem dictum eſt: Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen, arbitrans, quod à mortuis ſuſcitare eum potens eſt Deus. *Et hoc ſignificavit Abraam filio ſuo Iſaac: & tunc voluntarie acceſſit ad obediendum, in hoc ſignificans Chriſtum, de quo ſcriptum eſt.* Eſ. 53. Oblatus eſt, quia ipſe voluit. *Advertendum eſt, quod Abraam ligavit Filium, non propter hoc quod timeret eum fugere vel rebellare, ut patet ex prædictis: ſed ut immolaret eum ſicut & animalia, quæ offerebantur in holocauſtum, quæ ligata offerebantur:*

bantur: & ut per hoc Chriſti ligatio ſignificaretur ante immolationem ipſius in Cruce. Si autem quæratur, quomodo Abraham voluit filium ſuum immolare, cum occiſio innocentis ſit horribilis & illicita. Sciebat etiam quod homo non eſt animal immolatitium. Dicendum, quod revelatio illa fuit facta taliter, quod dubitare non poſſet, quin eſſet ſibi præceptum à Deo, ut plenius declaravi in quadam quæſtione de quolibet. Ipſe enim ſciebat, quod quilibet quantumcunque juſtus eſt debitor mortis ipſi Deo, pro peccato primi parentis: & ideo ipſe Deus poteſt illud debitum repetere quando vult & quomodo vult: & ideo bene obedire voluit. Secus autem eſſet de præcepto alterius, qui non ſic eſſet dominus vitæ & mortis. Burgenſis Iſacum puerum & quaſi invitum eſſe ligatum putat. Argumenta hæc: Primum: *Si Iſaac fuiſſet 35. annorum tempore immolationis, ut dicit Ioſephus: & ſic fuiſſet fortior patre & tamen voluntariè acceſſit & ligari ſe conſenſit, ut immolaretur ad implendam voluntatem Dei & patris ſui, videtur maximè admirandum, quomodo in litera non attribuitur ipſi Iſaac meritum immolationis ſicut ipſi Abraæ. Non enim minus merebatur quam pater ſed forte amplius.* Amicabilia enim quæ ſunt ad ſe præponuntur amicabilibus quæ ſunt ad alterum: *ut in Ethicis dicitur. Non enim minus rationabiliter diceretur ipſi Iſaac, quia feciſti rem hanc & te obtuliſti ſponte, quam ipſi Abraam.* Alterum argumentum ab eo quod vocetur puer. *Non habetur in ſcriptura, quod homo triginta annorum & ultra puer dicatur.* Hinc quoſdam Hebræorum dicere, quod fuerit quindecim annorum, & quod quaſi invitus acceſſit ad immolationem. Reſpondet ad argumentum Lyrani de portatione lignorum: *Poteſt eſſe quòd illa ligna non erant onus unius aſini: quia non erant tanta, quod ſufficerent ad totum holocauſtum, ſed erant quædam pauca ligna ſicca & forte odorifera: quibus erant addenda ligna alia, de his quæ erant in monte ut citius incenderentur & ſuavius redolerent.* Doring replicat ad argumentum primum: *Reſpondetur primo: Quia Abraam accepit mandatum à Deo & obedivit non Iſaac, ideo fit memoria de merito illius non iſtius. Secundò poteſt dici, quod Abraam obedivit Deo, Iſaac autem homini ſcil. Patri: tertiò poteſt dici, quia Iſaac obedientia cum agonia fuit procedens ex voluntario mixto non ſine terrore & timore, obedientia autem Abraæ ex fide abſoluta, ut dicitur ad Hebræos xi. Quartò quia agens præſtantius eſt paſſo. In hac autem obedientia Abraam ſe habuit, reſpectu oblationis ut agens. Ideo de Abraam dicitur,* quia feciſti rem hanc, *&c. Sed ſi reſpicere voluerimus literam, Benedictio & meritum huic obedientiæ correſpondens reſpicit Iſaac ſicut & Abraam.* Dicitur enim, quia feciſti rem hanc & non peperciſti filio tuo unigenito, propter me, benedicam tibi & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli &c. *Hoc ſecundum refertur ad Iſaac, ſecundum illud ſuprà 21.* In Iſaac vocabitur tibi ſemen. *Et ſequitur hic benedictio Iſaac,* Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes. *Vnde quamvis Abraam ea omnia ſibi meruerit, non tamen pro ſe ſolum, quia in ſua perſona non vidit effectum ſed & pro ſuo ſemine.* Ad argumentum alterum: *Quicquid autem ſit de his, non valet quod Burgenſis addit pro confirmatione ſui propoſiti, quod Iſaac nominatus eſt puer: quaſi in ſcriptura viros fortes pueros vocari, non ſit conſuetum, cum tamen* de pueris David fortiſſimis *multa dicantur 2. Reg. 1. & 2. cap. Et de Ioſue duce belli dictum eſt* puer Exod. 33. *Rex Aſſuerus quoque fecit convivium* pueris fortiſſimis Perſarum, *Heſter 1. Et Chriſtus dixit diſcipulis poſt reſurrectionem,* Pueri nunquid pulmentarium habetis? Joh. 21. *Et Act. 4. Apoſtoli dixerunt principes conveniſſe adverſus* puerum Jeſum. *Et Burgenſis melius recollectus idem dicit circa xi. cap. 3. lib. Regem.* In voce *Puer* præſidium nullum eſſe pro teneritudine ætatis exiſtimat Doring & multi cum eo, quia id vocabuli etiam viris fortiſſimis tribuitur. Ego dico: Hoc nomen aliquando ætatis eſſe,

ali-

aliquando relativum pro ſervis & militibus. Quando ætatis nomen eſt, ut hic inferiorem ætatem notat, quamvis in magna latitudine. Hic circumſtantiæ videntur ætatem puerilem notare, in qua oblectabat parentes & tenerrime diligebatur. In ipſa prima origine videbatur ſpes amputari. Medium amplector, ut declinem alterum argumentum de bajulatione lignorum. Puer 15. aut 16. armorum illius roboris & valentiæ eſſe poteſt ut ferat magnum pondus lignorum. Eum tamen à Patre inſtructum eſſe puto, idque ſub extremum, ante vel poſt colligationem, ut volens ſe ſubjiceret. De Merito, quod loquuntur, quamvis Iſaac in ætate grandiore fuerit, erat tamen filius familias & ſub patria poteſtate. Minorennitas non definiebatur viginti quinque annis, ſed liberius ex voluntate patris. Gal. 4. 2. Hinc Pater ipſum Deo dare & elargiri potuit, eoque mercri (ſane accepta voce) non filius, qui ſui juris non erat.

Bis autem ab Angelo vocatus eſt Abraham. In primo alloquio, uti diximus, Deus probat factum Abrahami, non addicit præmium. Prædicat eum ירא אלהים. Judæi in Sota obſervant, quod fuerit ירא אלהים è dilectione, מאהבה, ut Eſai. 61. 8. non è יראת פורענות.

VICTIMÆ ARIES PRÆSTO FUIT] Cum Abraham cæleſti oraculo inhibitus à neceſilii attolleret oculos, vidit arietem, hærentem dumis, cornibuſque implicitum, quem immolavit. Nugantur Judæi multa de hoc ariete & de aſino Abrahami. Ariete illo implevit Deus vaticinium fatidicæ linguæ. Nam ſic ſibi de pecude proſpexit. Eum arietem Abraham immolavit תחת בנו. Simplex ſenſus eſt. At Raſi quærit aut videre ſe putat, quod non eſt. *In omni* inquit, *operatione, quam fecit, precabatur Deum, dicebatque Eſto voluntas, ut hoc ſit, quaſi factum eſſet in filio meo: quaſi filius meus eſſet mactatus quaſi ſanguis ejus ſparſus: quaſi filius meus eſſet excoriatus quaſi adoleverim, quaſi in cinerem redactus.* Ratio eſt, quia mandatum offerendi in voce והעלהו accipi vult de ducendo in ſublimem montem, non de immolando. Hinc illud תחת innuere hanc conſecrationem. Ex hoc eventu Abraham locum appellavit יהוה יראה. Ita igitur dici cœpit mons ille, quem montem Moriæ à regione in qua ſitus eſt ſcriptura alias appellat. Contractè vocatur יראה. Hinc nomen factum urbi, quia pomœriis ſuis complexa fuit oppidulum Salem & montem *Iere*. Cum Jebuſæi, functo Melchiſedec, rerum illic loci potirentur, condita urbe, ambitu mænium junxerunt mortem Sion, Jere & Salem. Urbi nomen dederunt יבום à conditore gentis ſuæ. David capta urbe ejectiſque Iebuſæis, antiquum loco nomen reſtituit, ut ex duabus partibus, quas comprehendebat, diceretur יְרוּשָׁלֵם, aut יְרוּשָׁלַיִם. Hæc vera eſt originatio nominis in urbe clariſſima totius orbis. In proverbium abiit eventus, ut diceretur בהר יהוה יראה. *In monte Domini providebitur.* Ubi rei dubiæ & in diſcrimine poſitæ benignus exitus exſpectatur, in ipſo puncto & extremo periculo. Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς: Lyranus: *Quando enim Iudæi ſunt in anguſtia conſtituti dicunt, In monte Dominus videbit, id eſt, ſicut in monte vidit afflictionem Iſaac eum liberando. ſic nos liberet.* Judæi dicunt Abrahamum hac appellatione montis (imò ipſo reſponſo, quod Dei inſtinctu filio interroganti dederat) ſignificaſſe, quod Deus eſſet viſurus כסף הכפורים / aut בית המקדש. Quod poſterius potiſſimum illis arridet, quia proverbium ſic exponunt, *In mente Dominus videbitur.* In codice Brachoth fol. 62. b. At in Iccarim Joſephi Albo, orat c. 2. cap. 28. *Et ſic invenitur, quod Abraham vocaverit nomen loci* ה' יראה / *quia viſum fuit in eo opus docens de Deo, quod videat & curet*
ועל זה הדרך הוא שיקרא הכתוב לשכינה או לכבוד הנראה או המושג במראות הנבואה
יכ׳ :

:'יי *Et ſecundum hunc modum eſt, quod Scriptura ſechinam aut honorem, qui videtur aut apprehenditur voces* 'יי. Diſputat late, quod Scriptura nomen Dei communicet rebus aliis, etiam quæ ſenſu apprehenduntur, quia de Deo ſignificent aut doceant. De hoc alibi. Raſi ſecundum Thargum: *Simplex ſenſus* (ה' יראה) *eſt ſecundum thargum ejus, Dominus eliget & providebit ſibi locum hunc, ut illic faciat habitare ſuam* שכינה, *ut offerantur oblationes.* Nempe in monte iſto viſum iri Dowinum. Sed מדרש אגדה, ſubtilior & mystica interpretatio, *Dominus videbit hanc ligationem ad condonandum Iſraeli quotannis & eripiendum ipſos è pœnis, ut quod dicitur hodie in omnibus generationibus futuris in monte Iſaaci ejus videbitur collectus & conſiſtens in expiationem.* Hi homines cum Socinianis alienam ſatisfactionem & imputatam juſtitiam in Meſſia impugnant, at arietem pro Iſaco reputatum, ejuſque immolationem pro immolatione Iſaaci habitam, ad condonationem peccatorum valere arbitrantur, unde & orant Dei pacem & auxilium propter colligationem Iſaaci.

CONSUMMATOQUE SACRIFICIO ABRAÆ DOMINUS LOCUTUS EST] Secundò Angelus ille Dei Abrahamum allocutus eſt. v. 15. Hic Angelus eſt ipſe Dominus. Sulpitius addit: *Promittens ea, quæ jam ſpoponderat.* Juramento (annuntiatu angeli) Deus promiſſiones iteratas confirmavit. Confirmationem per tranſitum inter partes intelleximus è cap. 15. hic eſt fœderis ſanctio per juramentum. De quo Heb. 6. 13. Et hoc fideles in precibus ſæpe aſſumunt. Promiſſionum implendarium cauſam aſſumit hanc mirabilem Abrahami obedientiam: quæ quidem Divinam voluntatem non movit, ſed rem, quam Deus voluit, & cui procurandæ hanc cauſam conſtituerat, procuravit, conciliavitque illi implementum. Benedicturum ſe Abrahamo admodum, quæ benedictio adjunctam habebit inſignem multiplicationem & ſeminis multiplicandi multiplicatique victorias & occupationem ſoli hoſtici. In fine ſubjungitur: Et in ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Id hactenus explanatè dictum non erat. His peractis Abraham cum filio reverſus ad ſervulos, domum repetivit, quæ erat in Berſabe. At R. Salomo, qui jam duodecim annos Abrahami manſionem ſecundam fixam fuiſſe in Hebrone dixerat, putat fuiſſe brevem commorationem in Berſabe, quam hic fecerit Abraham. Id non eſt veroſimile nec cum hiſtoriæ ratione quadrat. Moſes notat diligenter, mutationem habitationis. In fine capitis antecedentis ad Hiſtoriam immolationis Iſaaci ſe accingens, dicit Abraham multis diebus habitaſſe in Berſabe, hic Hiſtoriam claudens narrat reverſum eſſe in Berſabe.

Poſt hæc auditam & intellectam eſſe Abrahamo narrat procreationem ſobolis datam fratri Nachor. In quo ſane eſt aditus ad ſequentem cap. 24. hiſtoriam. Sic igitur cap. 22. hiſtoriam expoſuimus & defuncti eſſe videri poſſumus, nos autem addere voluimus diſſertationes, primam Proſperi Aquitanici, alteram Pauli Burgenſis, tertiam Philonis Judæi. Ita bibliothecam ab ſolutam exhibuerimus.

Proſper Aquitanicus de promiſſ. & prædict. part. 1. cap. 17. Summam rei comprehendit. *Tentavit Deus Abraham, dicens: Abraham. Et dixit, Ecce ego. Et Dominus, Accipe filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac & vade in terram excelſam & offer ibi eum holocauſtum, ſuper unum montium quem tibi dixero. Eum ſibi jubet offerri holocauſtum, in quo ſemen Abraha, ut ſtellas multiplicari & in eo gentes benedici, tot jam oraculis divinitus ipſe promiſerat. Non tamen cunctatur pater in filio implere quæ juſſa ſunt ſciens, ut Paulus dicit, quod etiam ex mortuis, poſſet eum Dominus excitare, ſed ejus, qui tentatur in filio non tan-*

tum

tum collata fidei virtus demonſtratur, quantum etiam nobis imitanda proponitur: & ut præcepti novi ex Euangelio maneret authoritas: Qui amat patrem aut matrem ſuper me, non eſt me dignus: aut qui amat filium aut filiam plus quam me, non eſt me dignus. *Nam cum eum necdum proli ſciret idoneum, Deo tamen jubenti ea intentione paruit Abraham, qua ſciebat Deum nec immemorem promiſſionum ſuarum & myſticum quoddam futuræ paſſionis Dominicæ geri ſacramentum: illum reſpiciens diem noſtræ redemptionis, de quo Dominus in Euangelio increpans Iudæos dicit:* Abraham pater veſter concupivit videre Diem meum & vidit & gaviſus eſt. *Diem ſcilicet paſſionis filii Dei in ſuo filio figuratum vidit Abraham: quod unico filio non pepercit: quod velut ad aram crucis triduo cum inſonti victima convolavit; quod patiens ac ſine voce, ſimilis agno coram tondente ſe, filius patri, ut percuteret, pia colla præbuit: quod ſe ligno, quod portaverat ipſe ſuſpendi Iſaac non reluctatus eſt: quod aries cornibus in vepre detentus ſpinis coronatum Chriſtum oſtendens, pro Iſaac immolandus apparuit: quod ideo Iſaac immolatus non eſt, quia reſurrectio filio Dei ſervata eſt. Hæc omnia credens Abraham videre meruit per figuram, quæ nos per gratiam impleta eſſe cognoſcimus.* In cap. 18. de numero multiplicandi ſeminis ita: *Multiplicatum quidem ſemen Abrahæ atque ad grandem numerum perveniſſe liber numerorum oſtendit. Non tamen ſcimus eſſe innumerum. Promiſſio verò Dei ut ſtellas cæli & ut arenam maris, quæ numerari nequeunt, continet: quam in Chriſto per fidem gentium, quarum pater eſt Abraham, benedictionem eſſe ſuppletam & ipſe rerum ordo demonſtrat: ſimul & oracula prophetarum, quæ filios Abrahæ non tantum ex ſemine carnis, ſed fide vocari ad infinitum numerum, per David cæteroſque teſtantur.*

Paulus Burgenſis promiſſionem, quæ hic fit, diſcuſſit in addit. 5. ad poſtillam Lyræ in hoc caput. 22. *In hac promiſſione facta Abraham non ſolum repetuntur ea, quæ alias fuerunt ſibi promiſſa, ſeu magis explicantur & etiam Divino juramento confirmantur: ſed etiam de novo majora ſibi promittuntur. Unde Ambroſius in lib. de Abraam.* Hæc benedictio præſtitit ſuperioribus. In illis enim promiſſionem ſeminis futuram promittit, in hac autem ait: Et benedicentur in ſemine tuo &c. *Ad cujus declarationem ſciendum, quod licet ea, quæ in primo loco continentur in hac promiſſione ultimo facta Abraæ, ſunt quaſi quædam repetitiones præcedentium promiſſionum: quod autem ultimo continetur,* Et benedicentur &c, *quod proprie intelligitur de Chriſto, qui deſcendit de ſemine Abrahæ ſecundum carnem, ſine quo nullus conſequitur ſalutem, promiſſio nova eſt, quæ non continetur in præcedentibus: quod ſic patet. Nam nunquam Abraæ fuit facta promiſſio, quæ huic quodam modo aſſimilaretur, niſi ſupra 12. cap. ubi dicitur:* Atque in te benedicentur omnes cognationes terræ &c. *Quæ quidem benedictio, in illa promiſſione contenta, non poteſt intelligi de benedictione ſpirituali, quæ pertinet ad gratiam, cujus Chriſtus eſt auctor & cauſa efficiens. Non enim dicit ibi,* Benedicentur in ſemine tuo, ſed benedicentur in te. *Conſtat autem quod Abraam non fuit auctor hujuſmodi gratiæ. In hac autem ultima promiſſione non dicitur:* Et benedicentur in te, ſed benedicentur in ſemine tuo *ſc. in Chriſto. Unde & Apoſt. ad Gal. 3. iſtam ultimam auctoritatem allegat ad probandum, quod in Chriſto benedicentur omnes gentes, non autem allegavit primam auctoritatem, eo, quod eſt ad ſuum propoſitum impertinens, ut patet in auctoritate Ambroſii, ſupra allegata. Quod etiam ipſa litera teſtatur apud eos, qui in lingua Hebraica ſunt periti. Nam licet tranſlatio noſtra hic & ibi dicat indiſtincte:* Et benedicentur, *non tamen modica differentia eſt inter verbum Hebraicum ibi poſitum & verbum, quod hic ponitur: Verbum enim, quod ibi ponitur, non aliud ſignificat, niſi quod imprecantes benedictionem alicui dicant:* Talem te

faciat

faciat Deus, ſicut fecit talem. *Eo modo, quo infra 48. dicitur:* In te benedicetur Iſrael atque dicetur, faciat tibi Deus ſicut fecit Ephraim &c. *Vbi maniſeſte patet, quod illa benedictio non fundatur, in ipſo principali, tanquam in auctore principali ſeu cauſa efficiente ipſius benedictionis.* Et ſimile verbum omninò ponitur ſupra 12. cap. ubi dicitur. Atque benedicentur in te univerſæ cognationes terræ &c. Sed in hoc loco in Hebraico ponitur quoddam verbum ſignificans, quod ille in quo alii benedicuntur, ſit cauſa principaliter effectiva illius benedictionis: quod nulli puræ creaturæ poteſt convenire. *Vnde in pſalmo,* Deus judicium &c. *loquens de Chriſto ad literam, ubi dicitur:* Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ &c. *ponitur verbum benedictionis omnino ſimile huic quod hic ponitur, non autem ponitur ſicut in cap. XII. ſupradicto. Similiter Eſai. LXV. tractans de Chriſto ad literam dicit:* In quo qui benedictus eſt ſuper terram benedicetur, in Domino amen. *Vbi verbum omnino ſimile ponitur: ſicut hic cum dicitur:* Et benedicentur in ſemine tuo &c. *non autem ſicut benedicentur; quod ponitur ſupra in cap. XII. Concordat etiam prædictis, quod Deus in aliis promiſſionibus Abraæ factis nunquam interpoſuit juramentum aliquod, ſed ſolum in hoc loco tantum dicit:* Per memet ipſum juravi dicit Dominus &c. *quod non ſolum denotatur, ut ſimplex juramentum, ut ſi dixiſſet, Iuravi dicit Dominus, ſimpliciter, ſed ad majorem ſolennitatem addidit, per memet ipſum; ſicut ille qui jurat tangendo ſacra, ut crucem vel evangelia & potius corpus Chriſti, ſolemnius jurat quam ille, qui ſimpliciter juramentum præſtat ſine tactu talium; In quo oſtenditur quod inter alia promiſſa hoc eſſet maximum: Quod etiam conſuevit facere ſcriptura in quibuſdam aliis locis: ſed præſtare divinum juramentum ſolenne ſuper his qui ad myſteria ſacra Chriſti venturi pertinebant, ſicut cum agitur de ſacerdotio Chriſti æterno Pſalmiſta pſal. CIX.* Dicit: Juravit Dominus & non pœnitebit eum tu es ſacerdos in æternum; *ut intelligatur ſolennis firmitas hujus juramenti, non ſolum dixit, Iuravit Dominus, ſed addidit, & non pœnitebit eum. Hoc idem patet in Pſalmo: Memento Domine David &c. ubi cum de regno Chriſti agitur ex ſemine David venturi, Pſal. dicit:* Juravit *Dominus David veritatem &c. Iuxta illud Evangelii:* Dabit illi Dominus Deus &c. *Vbi non interpoſuit juramentum ſimpliciter ſed ad ſolenniorem firmitatem addidit,* Et non fruſtrabitur eum: *quod ſatis conſonat prædictis, ut patet intelligenti. Vnde hæc auctoritas bene intellecta multum facit ad concludendum contrà Hebræos in hoc, quod in Chriſto ab Abraam deſcenſuro omnes gentes habebunt recipere Benedictionem.* Verba illa Hebræa, de quibus loquitur, ſunt נברכו in Niphal & התברכו in Hithphael. Duodecimo capite habetur Niphal, hoc autem in loco Hithphael. Mercerus etiam urget diſcrimen, quamvis non exiſtimet in duodecimo cap. aliam id eſt corporalem benedictionem intelligi. Deus enim promiſit quod ſpirituale eſt, quamvis ſignificantibus involucris terreſtrium rerum tectum. התברכו ſignificat, Benedicent ſe, id eſt optabunt credentque ſibi felicitatem in ſemine Abrahami. Non ut eo modo multiplicentur, ſed ut ex eo, qui caput ſeminis & felicitatis eſt, ſalutem habeant & vitam. Abſonum eſt ut omnes voveant ſibi multiplicari inſtar ſeminis Abrahami, cum ſæpe infelicitatis ſit & prole carere præſtet. Burgenſis etiam quærit, quare Angelus promiſſionem de Chriſto non fecerit primo alloquio, ad Iſaaci oblationem, cum dederit ad oblationem arietis: Reſpondet in oblatione filii eſſe meritum, at in oblatione arietis Chriſti paſſionem melius figurari. Id nimis argutum eſt nec majoris æſtimandum, quam quod nomen montis putet poſſe legi Maria. Verba ejus ſunt poſt longam de eo nomine digreſſionem: *Item nota, quod in Hebræo non ſcribitur Moria, in hoc loco cum, vocali o, ſed ſcribitur*

taliter quod prope poteſt legi Maria. Vnde non inconvenienter dicitur quod ille mons ſanctiſſimus intitularetur à beatiſſima virgine: quæ ibidem ſcilicet in templo filium ſuum obtulit Deo & deinde juxta illum locum propriis oculis aſpexit filium ſuum immolari, ſtans juxta aram crucis, ut Ioh. 19. Hic Doring: *Burgenſis facit magnam vim de nomine Moria. In quo reprehendit B. Hieronymum, ſed quia ejus digreſſio eſt in favorem fidei, tranſeat, potiſſimum, quia non eſt contra poſtillationem ſed quod addit ſe legiſſe in Hebraico Maria pro Moria, quia ex auctoritate ſacri canonis aut ſanctorum non habet evidentiam, ea facilitate contemnitur, qua probatur: maxime, quia communiter omnium interpretationes imò & ipſius Burgenſis ſonant in contrarium.*

Philo Judæus admodum accuratè & eleganter deſcripſit & depinxit Abrahami obedientiam univerſamque hiſtoriam oblationis, quam hic legi velim: Περὶ μὲν οὖν τῆς ἐπιφανείσης ὄψεως καὶ τῆς ἀοιδίμου καὶ μεγάλης ξενίας, ἐν οἷς δοκῶν ἑστιᾶν ὁ ξενοδόχος εἱστιᾶτο, καθόσον ἐφικτὸν ἦν ἀκριβοῦσιν ἡμῖν τὰ περὶ τὸν τόπον δεδήλωται. Μεγίστη δὲ πρᾶξις ἀξία ἀκοῆς οὐχ ἡσυχαστέον. ὀλίγου γὰρ δέω φάναι πάσας, ὅσαι θεοφιλεῖς, ὑπερβάλλει. λεκτέον δὲ τὰ καίρια περὶ αὐτῆς. Υἱὸς ἐκ τῆς γαμετῆς γίνεται τῷ σοφῷ, γνήσιος, ἀγαπητὸς καὶ μόνος, τό τε σῶμα κάλλιστος καὶ τὴν ψυχὴν ἄριστος. ἤδη γὰρ τελειοτέρας τῆς ἡλικίας ἐξέφαινεν ἀρετὰς ὡς τὸν πατέρα μὴ πάθει μόνον εὐνοίας φυσικῆς ἀλλὰ καὶ γνώμης, καθάπερ ἠθῶν δικαστὴν ἰσχυρᾷ τινι κεχρῆσθαι φιλοστοργίᾳ. Διακειμένῳ δ᾽ οὕτως ἐξαπιναίως θεσπίζεται λόγιον οὔποτ᾽ ἐλπισθὲν, σφαγιάσαι τὸν υἱὸν ἐπί τινος ὑψηλοτάτου κολωνοῦ, πορρωτάτω πόλεως ἀποστάντα τριῶν ὁδὸν ἡμερῶν. ὁ δὲ καίτοι πόθῳ ἀλέκτῳ τοῦ παιδὸς ἐκκρεμάμενος, οὔτε τὴν χρόαν μετέβαλεν, οὔτε τὴν ψυχὴν ἐκάμφθη, γνώμῃ δ᾽ ἀνενδότῳ καὶ ἀρρεπεῖ διέμενεν ἀκλινὴς οἷος καὶ πρόσθεν ἦν. Ἔρωτι δὲ θείῳ δεδαμασμένος, ἀνακρατῶς ἐνίκα πάντα ὅσα συγγενείας ὀνόματα καὶ φίλτρα, καὶ μηδενὶ τῶν ἔνδον ἐξειπὼν τὸ λόγιον ἐκ πολυανθρώπου θεραπείας οἰκετῶν δύο τοὺς πρεσβυτάτους καὶ μάλιστα φιλοδεσπότους παραλαβὼν, ὡς ἕνεκά τινος ἱερουργίας τῶν ἐν ἔθει τέταρτος ἐξῄει σὺν τῷ παιδί. Τὸν δὲ προσταχθέντα χῶρον ὥσπερ ἀπὸ σκοπιᾶς ἰδὼν ἐκ μακροῦ, τοῖς μὲν θεράπουσι κελεύει καταμένειν, τῷ δὲ παιδὶ πῦρ καὶ ξύλα δίδωσι κομίζειν. Αὐτὸ δικαιώσας τὸ ἱερεῖον τὰ πρὸς θυσίαν ἐπαχθίσασθαι, κουφότατον βάρος. Βαδίζοντες δ᾽ ἰσοταχῶς, οὐ τοῖς σώμασι μᾶλλον ἢ ταῖς διανοίαις ὁδὸν τὴν ἐπίτομον, ἧς ἡ ὁσιότης τὸ τέλος, ἐπὶ τὸν προσταχθέντα τόπον ἀφικνοῦνται. Καὶ ὁ μὲν πατὴρ συνεκόμιζε λίθους ἵνα δείμαιτο βωμόν: ὁ δὲ υἱὸς τὰ μὲν ἄλλα ὅσα πρὸς ἱερουργίαν, ὁρῶν εὐτρεπῆ, ζῷον δὲ μηδὲν, ἀπιδὼν τὸν πατέρα, Ἰδοὺ τὸ πῦρ, ἔφη, καὶ τὰ ξύλα πάτερ· ποῦ τὸ ἱερεῖον; Ἕτερος μὲν οὖν, ἃ δρᾶν ἔμελλεν εἰδὼς, καὶ τῇ ψυχῇ συσκιάζων, ὑπὸ τοῦ λεχθέντος κἂν συνεχύθη καὶ δακρύων πληρωθεὶς ἔμφασιν τοῦ γενησομένου παρέσχεν, ἐκ τῆς περιπαθήσεως ἡσυχάζων. ὁ δ᾽ οὐδεμίαν ἐνδειξάμενος τροπὴν οὔτε κατὰ τὸ σῶμα οὔτε κατὰ τὴν διάνοιαν, σταθερῷ μέντοι τῷ βλέμματι, σταθερωτέρῳ δὲ τῷ λογισμῷ πρὸς τὴν πεῦσιν ἀποκρινόμενος, Ὦ τέκνον, ἔφη, ὁ θεὸς ὄψεται ἱερεῖον ἑαυτῷ καὶ εἰ ἐρημία πολλὴ, δι᾽ ἣν ἴσως ἀπογινώσκεις εὑρεθήσεσθαι, πάντα δ᾽ ἐστὶ θεῷ δυνατὰ καὶ ὅσα ἐν ἀμηχάνῳ καὶ ἀπόρῳ κεῖται παρὰ ἀνθρώποις· καὶ ταῦθ᾽ ἅμα λέγων, ἢ τάχιστα τὸν υἱὸν ἐξαρπάσας, ἐπιτίθησι τῷ βωμῷ καὶ σπασάμενος τῇ δεξιᾷ τὸ ξίφος, ἐπέφερεν ὡς ἀναιρήσων. Φθάνει δὲ ὁ σωτὴρ θεὸς, ἐν ἀέρος φωνῇ μεσολαβήσας τὸ ἔργον, ἣ προσέταττεν ἀνέχειν καὶ μηδὲ ψαῦσαι τοῦ παιδὸς, ὀνομαστὶ καλέσας δὶς τὸν πατέρα, ἵνα ἐπιστρέψας καὶ ἀντισπάσας, διακωλύσῃ τὴν σφαγὴν ἐργάζεσθαι· καὶ ὁ μὲν διασώζεται, τὸ δῶρον ἀντιχαρισαμένου τοῦ θεοῦ, καὶ τὸν φέροντα ἐν οἷς εὐσέβει, ἀντιτιμήσαντος: τῷ δὲ ἡ πρᾶξις, εἰ καὶ μὴ τὸ τέλος ἐπηκολούθηκεν, ὁλόκληρος καὶ παντελὴς, οὐ μόνον ἐν ταῖς βίβλοις ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς τῶν ἀναγινωσκόντων διανοίαις ἀνάγραπτος ἐστηλίτευται. Gelenii verſio ſic habet: *Hactenus de illa celebrata viſione, relataque cumulate hoſpitii gratia, quam diligenter potuimus: ſupereſt haudquaquam ſilendum, quod mihi videtur inter omnes narrationes pene maximum, id dicetur compendio. Naſcitur illi ſapienti ex uxore filius legitimus, dilectus, unicus, elegantiſſimo cor-*

pore, animo optimo. Iam enim maturioris ætatis dabat ſpecimen, ut à parente, non tam ob, naturalem affectum, quam ob probatos mores vehementer diligeretur. Huic repente oraculum inſperatum redditur, ut mactaret filium in quodam editiſſimo tumulo, qui trium Dierum itinere aberat. Ille quamvis majore, quam dici poteſt, teneretur filii deſiderio, nec colorem mutavit, nec animum flexit, ſed conſtantiſſimè perſtitit in eadem ſententia: quippe qui amore Dei ſubactus, fortiter vincebat omnes cognationis affectus & omnia nomina: & cum nemine domeſticorum communicato oraculo, duos ex tam numeroſo famulitio, natu maximos ſibique fidiſſimos aſſumpſit, quaſi ſacra ex more facturus, atque ita quartus profectus eſt cum filio; cumque locum deſtinatum procul conſpexiſſet tanquam ex ſpecula, famulis ibi manere juſſis, ignem ſimul atque ligna ferenda dedit filio: æquum cenſens, ut ipſa victima deportaret res, quas poſtulabat ſacrificium, leviſſimam ſarcinam. Nihil enim eſt pietate gnavius, nihil magis induſtrium. Ibi pari gradu, unoque conſenſu celeriter peracto, qua proximum erat, itinere, cujus finis erat ſanctitas, ad montem oraculo indicatum perveniunt; pater lapides congerit, ut aram exſtruat. Tum filius videns cætera parata ſacrificio, nullum vero animal, verſus ad patrem, Ecce ignis, inquit, & ligna pater, ſed ubi victima? Hic alius arcani conſilii ſibi conſcius offuſa menti caligine, ad hæc verba turbatus & lachrymans aperuiſſet propoſitum, affectum continere non valens. At ille nihil mutatus vel corpore vel animo, conſtanti vultu, ratione conſtantiore ad interrogationem reſpondet. Fili, inquit, Deus ſibi providebit de victima & ſi nihil præſto ſit quod te fortaſſe facit anxium. Sed Deo poſſibilia ſunt omnia, etiam quæ non poſſunt expediri ab hominibus. Et cum dicto celeriter correptum filium aræ imponit, ſimul ſtrictum librat gladium. Tum Deus ex aëre increpans, facinus impedit, jubens injuriam abſtinere à puero & bis patrem inclamans nomine, ut averſus & retractus cædem omitteret. Atque ita puer ſervatus eſt Deo remunerante pietatem & certante cum amico mutuis officiis. Facinus tamen hoc quamvis effectu caruit, nihilominus pro integro abſolutoque, non modo in ſacris refertur voluminibus ſed & in lectorum inſculptum eſt mentibus. Eo modo Philo extollit Abrahami factum, quod nos fatemur ingens eſſe, & multò ſublimius, quam Philo capere potuit. Non enim ſolummodo luctatus eſt cum affectu naturali, ſed & fides promiſſionum divinarum, quam Philo ignoravit, ſibi ipſi materiam certaminis inſtruxit, quod maximus Calvinus propoſuit. Philo igitur, qui Abrahami & ſuæ gentis in illo gloriam exaggerare voluit, in affectu cohibendo ſedandoque attribuit Abrahamo, quod reipſa laudem imminuit. Stoicum enim finxit & immoto pectore, qui obduraverat: qui trunci inſtar ἀπαθὴς fuerit non ratione affectuum naturalem effervescentiam repreſſerit. Multus eſt in defendenda Abrahami laude adverſus gentiles, ſuorum æqualia facta jactantes. πολλοὺς γὰρ καὶ ἄλλους φασὶ τῶν πάνυ φιλοικείων καὶ φιλοτέκνων ἐπιδοῦναι τοὺς αὐτῶν παῖδας τοὺς μὲν ὑπὲρ πατρίδων σφαγιασθησομένους λύτρα ἢ πολέμων ἢ αὐχμῶν ἢ ἐπομβρίας ἢ νοσημάτων λοιμικῶν γενησομένους· τοὺς δ' ὑπὲρ νενομισμένης εὐσεβείας, εἰ καὶ μὴ πρὸς ἀλήθειαν οὔσης. Apud Græcos, non ſolum privatos cives ſed & reges, ex ſenatorum immolatione hoſtiles deleviſſe copias, ſuos ſervaſſe exercitus. Barbaras gentes, quas & Moſes increpat, ſobolem ſuam immolaſſe. Indorum gymnoſophiſtas ea tempeſtate quoque, ſub initium morbi diutini & incurabilis rogo ſe dare cremandos: eorumque mulierculas cum maritorum adamatis cadaveribus, lætas exultanteſque comburi. Ad ea reſpondet: Eos feciſſe primo ex more recepto. Ἐγχρονίζον γὰρ ἔθος ἐξισοῦται τῇ φύσει πολλάκις, ὡς καὶ τὰ δυσυπομένητα καὶ δυσκαρτέρητα ἐπελαφρίζειν τὰς ὑπερβολὰς τῶν φοβερῶν ἐξαμαυριζόντων. Secundò, quia magna mala à civibus ſuis aliter arcere nequeant.

queant. Et hoc partim invitos, partim cupidine gloriæ famæque motos concedere. Qui metu aliorum, aut timore Dei iræ & calamitatum compulſi faciant, nullam laudem mereri ἕνεκα δέους ἀποδιδόντων ἔπαινον οὐδείς. ὁ γὰρ ἔπαινος ἐν ἑκουσίοις κατορθώμασι χαίρεται. Abrahamum autem, nec more, nec honore nec timore impulſum, habuiſſe animum immolandi filii. Morem immolandi liberos, illic terrarum non fuiſſe receptum, ubi Abrahamus vitam egerat & unde oriundus erat. ἔθος μὲν οὖν τὸ ἐπὶ παιδοκτονίᾳ Βαβυλὼν καὶ Μεσοποταμία καὶ τὸ Χαλδαίων ἔθνος οὐ προσδέχεται. Nec metum ullum fuiſſe ab hominibus, neque oraculi juſſum cuiquam alii notum fuiſſe. Nullam publicam calamitatem preſſiſſe, cui morte probatiſſimi filii remedium quæreret. Laudis cupidine aut famæ duci non potuiſſe, eamque captare in ſolitudine, ubi nemo erat applauſurus, data opera longè à tergo relictis etiam duobus famulis, ne ſe coram teſtibus oſtentare videretur.

Cap. XXIII.

At Sarra Cum Septimum Etc.] Sara defuncta ſpatiis ævi ſui, diem obiit. Ævum fuit illi centum & viginti ſeptem annorum. Scriptura dicit: ויהיו חיי שרה מאה שנה ועשרים שנה ושבע שנים שני חיי שרה *Et fuit vita Sara centum anni & viginti anni & ſeptem anni: anni vita Sara.* De Abraham autem dicit cap. 25. 7. ואלה ימי שני חיי אברהם אשר חי מאת שנה ושבעים שנה וחמש שנים: *Hi dies annorum vita Abraham, quibus vixit centum anni, & ſeptuaginta anni & quinque anni.* Judæi, qui literas captant, in Fundamentis Joſephi Albo orat. 4. cap. 21. obſervant: *Ad indicandum, ſi mors ſit naturalis ut eſt mors juſtorum, ſicuti dicunt magiſtri b. m. quod Deus benedictus ſedeat & numeret annos juſtorum* &c. *Nempe volunt, quod ipſe numeret annos eorum ne abbrevientur, neque per modum pœna neque modum accidentis, ſed ut ſint anni convenientes ipſis; ut ſint ſecundum naturam eorum & compoſitionem temperamenti eorum & humidum radicale, quod in ipſis à principio formationis eorum & hoc quod dicit ſcriptura de Sara:* Anni vitæ Saræ, *poſtquam dixiſſet,* Et fuit vita Saræ centum annorum & viginti annorum & ſeptem annorum, *ut doceat, quod 127. anni, quos vixit, fuerint anni qui fuerunt anni vitæ ſecundum naturam ejus & humidum radicale, quod in ea à principio formationis ejus, nec abbreviati fuerint dies ejus ſicut abbreviati fuerunt anni vita Abraham, quemadmodum dicunt magiſtri noſtri b. m. quod fuerit illi vivendum annis 180. ut vixit Iſaac, cum non vixerit niſi 175. annis: quia abbreviati ſunt dies ejus quinquennio, ne videret egredientem Eſau ad multiplicandum malum: & ad indicandum hoc dictum eſt de eo,* Et hi dies annorum vitæ Abraham, quibus vixit, *q. d. Hi anni, quibus vixit, non quod fuerint anni vita ſecundum naturam temperamenti ejus & humidum radicale, quod in eo erat, ſicut fuerunt anni vita Sara:* Raſi notat illam repetitionem vocabuli שנה ad ſingulas partes: לכך נכתב שנה בכל כלל לומר לך שכל אחד נדרש לעצמו: Unamque particulam ſeparatim exponi debere ſcilicet Saram cum eſſet centum annorum fuiſſe ſicut virginem viginti annorum, item ſeptem annorum, pulchritudine & caſtitate. Sara diem ſuum obiit in Cariath-Arbe, quæ eſt Hebron. Quidam inde dictam eſſe volunt, quod illic fuerint quatuor Enacim, Achiman, Seſai, Thalmai & pater eorum: Alii על שם ד' זוגות שנקברו שם איש ואשתו אדם וחוה אברהם ושרה יצחק ורבקה יעקב ולאה: Quatuor paria conjugum illic ſepulta fuiſſe Adamum & Hevam, Abrahamum & Saram, Iſaacum & Rebeccam, Jacobum & Leam. Id dicit R. Iſaac in Erubin. fol. 53. a. In Breſith Rabba aliæ nominis rationes aſſignantur.

tur. Quia in textu dicirur ויבא אברהם hinc Raſi & Aben-eſdras aliique Judæi putant ex alio loco veniſſe, nempe è Berpabe vel è Moria vel aliunde & non adfuiſſe morienti. Sed hæ nugæ contemnendæ ſunt quia nihil aliud notat quam ingreſſum Abrahami in ipſum tabernaculum Saræ, ubi funus erat. Raſi: ונסמכה מיתת שרה לעקדת יצחק לפי שעל ידי בשורת העקידה שנזדמן בנה לשחיטה וכמעט שלא נשחט פרחה נשמתה ומתה: / *Conjuncta eſt mors Saræ cum colligatione Iſaac, quia per nuntium colligationis quod filius ejus deſtinatus eſſet mactationi & paulò poſt, quod mactatus non eſſet, defecit anima ejus & mortua eſt.* In Geneſi magna dicit R. Levi, quod Abraham venerit à ſepultura Thare, an R. Joſi contradicit, quia ſepultura Thare biennio præceſſit mortem Saræ; ideò ipſe arbitratur veniſſe è Moria monte: ומתה שרה מאותו צער / Quia Sara mortua eſt ex illo mœrore. Ingreſſus eſt ad planctum לספד inter exſpirationem & planctum intercedere debuit curatio funeris, cui adeſſe virum ſeu maritum non conveniebat. Ea igitur re perfecta intravit tabernaculum Abraham. Mariti enim & uxoris tabernacula diverſa erant, quemadmodum Iſaac Rebeccam narratur introduxiſſe in tabernaculum vacuum defunctæ matris Gen. 24. 67. In Ros haſſana fol. 16. b. R. Abin, dicit, כל המוסר דין על חבירו הוא נענש תחילה. Idem verbum eſt R. Hanan in Baba Kama fol. 93. a. Id probant è collatione locorum Gen. 16. 5. Mea injuria ſuper te & Gen. 34. 2. Abraham ingreſſus eſt ad plangendum Saram. Hoc ſignificat Abrahamum nòn reſpexiſſe ad eam imprecationem, quia ei condonata fuerit. Defunctis fiebat planctus, pollinctura, ſepultura. Sepultura de neceſſitate fuit, duo reliqua ex voluntate ultima defuncti omitti potuerunt, ut docetur in Sanhedrin, fol. 46. 2. ספידה Judæorum ab ipſis fiebat proximis defuncti, ab amicis & ære conductis, qui quæve circumeuntes in urbe canebant leſſum, Eccleſ. 12. 5. Rab Seſeth in Brachoth 6. 2. dicit אגרא דהספדא דלוי / *optimum in planctu eſt exaltatio* ſc. vocis. In eodem codice 62. a. כשם שנפרעין מן המתים כך נפרעין מן הספדנין ומן העונים אחריהן: *Sicut ultio ſumitur de mortuis ita & de lamentatoribus & reſpondentibus poſt eos.* Vide Lexicon Thalmudicum Cl. Buxtorfii. Abrahamum in tabernaculo apud funus conjugis ejulatum & planctum definito tempore, quod in more poſitum erat, inſtituiſſe cognoſcimus, priuſquam de ſepultura curaret. Inde Abraham à facie mortui ſui ſurrexit, curaturus ſepulturam. Filii Het ea loca poſſidebant, ab iis igitur petiit אחוזת קבר / id eſt, interprete Raſi: אחוזת קרקע לבית הקברות Aben-eſdras: אין לי מקום שיהיה לי אחוזה כמו נחלה או מקום שאקנה אותו בכסף להיות קבר למתי: / *Non eſt mihi locus, qui ſit mihi poſſeſſio, ſicut hæreditas, aut locus quem poſſideam argento, ut ſit ſepultura meo mortuo.* Illi comiter obtulerunt Abrahamo, ut in monumentis ſuis, ubicunque vellet, funus reponeret. Eſſe enim ipſum נשיא אלהים inter ipſos. Hoc Aben-eſdras idem eſſe putat quod נביא. Tum Abraham populum veneratus, rogat, uti pro ſe intercederet apud Ephronem filium Sohar de ſpelunca, quæ erat in termino agri ipſius. Eam cupiebat emere pleno pretio in poſſeſſionem ſepulchri. Moſes dicit Abrahamum veneratum eſſe. Aben-eſdras: השתחויה שישוח ראשו וזה משפט הנותן שבח לאחר וגם משה השתחוה לחותנו: Spelunca iſta appellatur מְעָרַת הַמַּכְפֵּלָה id eſt ſpelunca Macphelæ, ſeu duplicationis, quia ה præfixum eſt. Exponunt Hebræi ita dictam eſſe, quia in ea erat בית ועליה על גביו: / *domus & cænaculum ſupra eam.* Aliàs quod כפולה בזוגות: duplicata paribus conjugum ſepultorum: Chaldæus habet מְעָרַת כְּפֵלְתָּא appellativè etiam accepto vocabulo. Utraque expoſitio R. Salomonis habetur in Erubin fol. 53. a. רב ושמואל חד אמר שני בתים זה לפנים מזה וחד אמר בית ועליה על גביו בשלמא למאן דאמר זה על גב

זה

זה היינו מכפלה אלא למ״ד שני בתים זה לפנים מזה מאי מכפלה שכפולה בזוגות:
Rab & Samuel pugnant במשמעות לשון מכפלה *de ſignificatione vocis*. Quorum unus duplicatam ſpeluncam fuiſſe arbitratur, quia primo alterum erat ſuperimpoſitum; hoc in voce contineri: cæterum, qui duo cava μονόστεγα interpretantur, non poſſe hoc habere niſi ex eo quod paria conjugum in iis poſita fuerint. Cavum nempe ante cavum non facit מכפלה. בית Hebræis dicitur οἶκος ἐπίπεδος ſeu τὸ ἐπίπεδον, quod de plano aditur, עליה autem eſt τὸ ὑπερῷον. Abeneſdras מערה בתוך מערה. Argentum plenum offert Abraham, Raſi שלם כל שויה וכן דוד אמר לארונה בכסף מלא: De Ephrone dicit Scriptura ועפרן ישב בתוך בני חת / Ephron conſidebat (vel habitabat) in medio filiorum Heth. Ipſe Hetthæus inter eos habitabat. Raſi dicit: אותו היום מנוהו שוטר עליהם מפני חשיבותו אל אברהם שהיה צריך לו עלה לגדולה: / *Eo die conſtituerunt eum præfectum ſuper ſe propter æſtimationem Abrahami, quia ejus opus habebat, in magnitudinem aſcendit*. Judæi ubique fabulas cumulant. Hetthæus erat, ſed forte ex alio loco Hetthæorum regionis. Hic ad Abraham in porta oppidi Hebron ubi ſenatus haberi ſolebat & concio & contractus ac fœdera publicè iniri, audientibus omnibus qui egrediebantur & ingrediebantur oppidum: Non ita, mi domine, agrum dono tibi & ſpeluncam in eo: coram filiis populi mei dono tibi, ſepeli mortuum. Abraham autem ut ante veneratione exhibitâ in conſpectu populi voluit ſibi pretium indicari, ut in eo loco empto (quod certum illi erat) uxori monumentum strueret. Ephron igitur pretium dixit agri, quadringentos ſiclos argenti: quos Abraham appendit ſolvitque. Hic v. 16. in voce עפרן deeſt Vau, unde Judæi firmant proverbium vulgò jactatum de Ephrone, qui cum magna pollicitus eſſet, parvum non præſtitiſſet. Siclos illos exponit שקלים גדולים / qui ſunt קנטרין *centenarii*. Scriptura loquitur: וישקל אברהם לעפרן את הכסף אשר דבר באזני בני חת ארבע מאות שקל כסף עובר לסוחר: Id interpretatur Raſi de magnis ſiclis: שנאמר עובר. לסוחר שמת קבלים בשקל בכל מקום ויש מקום ששקליהם גדולים שהן קנטרין צעטנארש בל״ע Siclos iſtos fuiſſe centenarii pondere ex eo argumentatur, quia dicitur, quod in mercatorem tranſiverint id eſt omni loco & regione fuerint recepti atqui in quibuſdam locis Siclum hoc pondere fuiſſe. Numini uſum admodum antiquum fuiſſe Hiſtoria Moſis docet. In capite decimo tertio v. 2. Abrahamum divitem fuiſſe dicit pecudis auri argentique. In Græca verſione habetur χρυσίου καὶ ἀργυρίου, quod aurum argentumque ſignatum ſignificat, χρυσὸς καὶ ἄργυρος rude. In cap. 20. v. 16. Abimelech donat Saræ mille ſiclos argenti אלף כסף: hic emit agrum quadringentis ſiclis. Non fuit permutatio, quia non datur merx pro merce, quomodo edulia & vinum aut pecudes veſtimentaque id eſt, ea quæ poſcit teritque uſus quotidianus inter ſe permutata fuiſſe oportet antequam nummus inveniretur aut auri argentique in pretium pro mercibus æſtimatio. Argentum numerat Abimelech, quia mille argenti dicitur. Numeratio non fuit niſi æqualium pondere particularum, quia ex pondere æſtimatio fuit. Ejuſmodi particulæ dictus שקלים / quia in his ille uſus primo fuit, inde in partes ſectio, in majores ſummas additio æſtimata eſt. שקל igitur eſt primum pondus in uſu haberi cœptum ad pretia mercium. Anne hujuſmodi particulæ nota aliqua ſignata fuerint cauſæque an rudes maſſæ non invenio. Id tantum video appenſas fuiſſe non ſimpliciter numeratas. Argentei nummi id eſt particulæ ejuſmodi argenteæ hic uſum video de auro liber Geneſeos non oſtendit. Promittit ſolvitque pretium quadringentorum ſiclorum argenti, quos appendit: מאות שקל כסף עובר לסוחר *centum pondo argenti tranſeuntis in mercatorem*. Quia utraque vox & כֶּסֶף & שֶׁקֶל maſ-

 culina

culina eſt, neſcimus quò referenda ſit adjectio עובר לסחר. Si ad argentum referas, eum ſenſum habet argentum probum fuiſſe, quod mercatores reciperent: ſi ad ſiclum pondus ſignificatur. Utrumque videtur notari, maſſa rudis & pondere & materia proba, qualem mercatores, qui circumeunt vaganturque emendarum & vendendarum mercium gratia admitterent. Nam in omni regione & loco valebat. Ejuſmodi particularum uſus fuit ante nummum ſignatum, quia ſignum poſteà inventum impreſſumque fuit publicum ut ponderis & materiæ probitas indicaretur. In ejuſmodi autem nummis, qui ſic propriè appellantur, non ita neceſſaria fuit ponderatio & appenſio. Non enim fides ſolventis & ignotum pondus inquiſita ſed ut oſtendatur malam manum nihil abſtuliſſe. Si ſignum aliquod additum cum primo uſu argenti in emendo & vendendo id publicum non fuit, ſed addidit ille, qui argento dives in ejuſmodi particulas diviſit ad uſum. Aurum argentumque ex terra effodi cœpit, inde in pretio haberi ut rerum pretia illis æſtimarentur. Hoc adeò antiquum eſt ut primam originem ſuo articulo temporis aſſignare nequeamus. Ante diluvium abſque dubio hæc nota & in uſu fuere, propagata à filiis Nöe in ætatem ſecundam. Apud Romanos æris uſus primus fuit, apud Aſiaticos argenti in emendo vendendoque. Utriuſque æſtimatio non eſt à natura ſed recepta publicitus conſuetudine quam commoditas invexit. Merces enim mercibus commutari ultrà uſum in cibo potuque veſtimentis & utenſilibus item pecude & mancipiis quotidianum non procedit: quæ nimium accumulari quorſum facit? At aurum argentumque habere copioſum, quia eo rerum omnium pretia æſtimantur, potentem validumque facit. Cum enim pecunia omnia comparentur, eam omnes appetunt pariter ita operam hominum & rerum pretia divites in arca poſſident & includunt. Aptitudo igitur auri & argenti eſt ad ejuſmodi uſum, uſus inventus receptuſque à cupidine & prudentia humana. Aptitudinem facit illorum metallorum ſplendor, durabilitas, tum raritas ſed non nimia. Raritas pretium rebus dat, ſi tamen ut in gemmis nimia ſit, uſum quotidianum non patitur. Materiam etiam expetibilem facit durabilitas & ſplendor. Quod caducum eſt, inter manus perit deſtituitque poſſeſſorem. Quod gratiam non habet in ſplendore, communiter in pretio haberi non poteſt. Hæc igitur aurum & argentum commendant in uſum nummorum, pro aliis metallis. Mercatores deferunt merces eò loci, ubi raræ & expetibiles, ita emunt venduntque & ſibi accumulant divitias in nummorum abundantia. Ariſtoteles de republ. lib. 1. cap. 9. diſputat καπηλικὴν non eſſe è natura, utpote partem τῆς χρηματιστικῆς· ὅσον γὰρ ἱκανὸν αὐτοῖς, ἀναγκαῖον ἦν ποιεῖσθαι τὴν ἀλλαγήν. Cum aliis abundarent, neceſſe fuit permutationem facere ad uſum ſufficientem. Igitur familiis jam multiplicatis & frequentibus μετάδοσις fuit τῶν δεόντων, quia una quævis familia iiſdem utitur, & communicat. ὧν κατὰ τὰς δεήσεις ἀναγκαῖον ποιεῖσθαι τὰς μεταδόσεις, καθάπερ ἔτι πολλὰ ποιεῖ καὶ τῶν βαρβαρικῶν ἐθνῶν κατὰ τὴν ἀλλαγήν· αὐτὰ γὰρ τὰ χρήσιμα πρὸς αὐτὰ καταλλάττονται, ἐπὶ πλέον δ' οὐθέν· οἷον οἶνον πρὸς σῖτον διδόντες καὶ λαμβάνοντες καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων ἕκαστον. Communicabant alii aliis neceſſaria in uſum quotidianum, & quantum quiſque opus habebat, neceſſaria neceſſariis permutantes, vinum pro tritico. Non ut abundarent copia, ſed ut uſui haberent ſufficientia. ἡ μὲν οὖν τοιαύτη μεταβλητικὴ, οὔτε παρὰ φύσιν, οὔτε χρηματιστικῆς ἐστιν εἶδος οὐδέν. εἰς ἀναπλήρωσιν γὰρ τῆς κατὰ φύσιν αὐταρκείας ἦν. Hactenus igitur quæſtuaria nulla fuit, quia naturæ neceſſitatem quærebant. Ἐκ μέντοι ταύτης ἐγένετ' ἐκείνη κατὰ λόγον. ξενικωτέρας γὰρ γενομένης τῆς βοηθείας εἰσάγεσθαι ὧν ἐνδεεῖς καὶ ἐκπέμπειν ὧν ἐπλεόναζον ἐξ ἀνάγκης ἡ τοῦ νομίσματος ἐπο-

ρίσθη

εἰσήχθη χρῆσις· οὐ γὰρ εὐβάστακτον ἕκαστον τῶν κατὰ φύσιν ἀναγκαίων, διὸ πρὸς τὰς ἀλλαγὰς τοιοῦτόν τι συνέθεντο πρὸς σφᾶς αὐτοὺς διδόναι καὶ λαμβάνειν, ὃ τῶν χρησίμων αὐτὸ ὂν εἶχε τὴν χρείαν εὐμεταχείριστον πρὸς τὸ ζῆν, οἷον ὁ σίδηρος καὶ ἄργυρος, κἂν εἴ τι τοιοῦτον ἕτερον. Ex illa antiqua *μεταβλητικῇ*, quæ permutabat neceſſaria neceſſariis, ortam eſſe quæſtuariam. Cum enim diſſitæ regiones eſſent ex quibus exportandæ & in quas importandæ merces eſſent id eſt ſubſidia vitæ, nec omnia *χρήσιμα* eſſent *εὐβάστακτα*, communi conſenſu ejuſmodi genus ſubſidiorum *ἐκ χρησίμων* receptum eſt, quod facilius poſſet tractari. Tale eſſe aurum & argentum & ſimilia. Hanc philoſophus inventi uſus auri argentique ad *ἀλλαγὴν* originem fuiſſe putat. Ego autem neſcio, quomodo inter *χρήσιμα* metallorum illæ ſpecies numerari queant, cum non vaſa ex iis, quibus utimur, ſed nummi inſerviant *τῇ ἀλλαγῇ*? Cæterum cum omnibus hæ ſpecies rerum placere cœpiſſent, quid factum eſt? *τὸ μὲν πρῶτον ἁπλῶς ὁρισθὲν μεγέθει καὶ σταθμῷ, τὸ δὲ τελευταῖον καὶ χαρακτῆρα ἐπιβαλλόντων ἵνα ἀπολύσῃ τῆς μετρήσεως αὐτούς· ὁ γὰρ χαρακτὴρ ἐτέθη τοῦ ποσοῦ σημεῖον.* Rudes igitur maſſæ primo fuerunt magnitudine & pondere definitæ, inde ſignum additum, ut ponderationis moleſtia evitaretur, *τὸ γὰρ νόμισμα, στοιχεῖον καὶ πέρας τῆς ἀλλαγῆς ἐστι*, Nummus inde elementum & terminus permutationis factus eſt, adeoque in eo pretium rebus.

Abraham igitur acquiſivit hanc poſſeſſionem in Cananæa, cum antehac nullum in ea veſtigium proprium habuiſſet, Illius factus eſt ager cum ſpelunca, & quicquid in eo agro arborum erat. In illa ſpelunca funus uxoris condidit, in conſpectu Mambre. Elone Mambre, Mambre & ager ille diſtinguuntur. Mambre dicitur eſſe Hebron, quæ eadem eſt Gariath-arbe. Aben-eſdras: *Hinc ſtabilitus eſt ager in poſſeſſionem ſepulcri ipſi & ſemini ejus* וזאת הפרשה נזכרה *Et hæc paraſa commemorata eſt ad indicandam excellentiam terræ Iſrael præ omnibus terris pro viventibus & mortuis & amplius ad firmandum verbum Domini Abrahamo, quod eſſet ipſi futura hæreditas.*

SULPITII SEVERI

HISTORIÆ SACRÆ

LIBER PRIMUS.

Caput Octavum.

TUm Abraam Iſaac filium juvenilis ætatis videns, ſiquidem tum quadrageſimum annum ætatis agebat, ſervo ſuo imperavit, uxorem ei quæreret: ex ea tamen tribu atque terra, de qua ipſe oriundus videbatur: modo ut inventam puellam in regionem Cananæorum deduceret, nec putaret eum cauſa conjugii in ſolum patrium rediturum. Atque ut ea

ſtrenuè

ſtrenuè mandata exſequeretur, contacto domini femine, ſacramentum dedit. Ita ſervus profectus in Meſopotamiam, ad oppidum Nachor, Abraami fratris devenit: ſucceſſitque in domum Bathuelis Syri, Nachore patre geniti: hujus filiam Rebeccam ſpecioſam virginem, popoſcit atque ad dominum adduxit. Poſt id Abraam accepit uxorem, Ceturam nomine, quæ in Paralipomenis concubina dicitur: ſuſcepitque ex ea filios. Sed Iſaac Sarra edito ſubſtantiam tradidit: his autem quos ex concubinis ſuſceperat, dona diſtribuit, atque ita ab Iſaac ſeparati ſunt. Abraham diem functus eſt, impletis annis centum & quinque & ſeptuaginta: corpus ſepulchro Sarræ uxoris appoſitum.

DRUSIUS.

QUADRAGESIMUM ANNUM ÆTATIS AGEBAT] Scriptum hoc disertè Gen. 25. 30. Duxit ergo uxorem tertio anno à matris obitu, quæ deceſſerat anno ætatis ipſius 37. Apud Joſephum lib. 1. Cap. 16. περὶ τεσσαράκοντα. Sed περὶ redundat, ut alibi ſæpe, & aliquando in hâc hiſtoria (ad).

SERVO SUO] quem domi ſeniorem tum habebat, nomine Eliezer, ut Lyra & Jonathan annotarunt.

DE QUA IPSE ORIUNDUS VIDEBATUR] è Meſopotamia, ubi commoratus fuerat, & fratrem reliquerat, patre ibidem ſepulto. Et bene dicit videbatur; quia revera oriundus erat è terrâ Chaldæorum.

IN SOLUM PATRIUM] Carras in patriam Abrahami, quæ ei patria erat commorationis, non ortus. Sic Chriſtus tres patrias habuit, Bethlehem, in quâ natus: Nazareth, in qua educatus: & Capharnaum, ubi aliquot annos verſatus fuerat. Conſule libellos meos, ſi habes.

EX EA TAMEN TRIBU] In Græco codice φυλῆ legitur, quod ſecutus eſt Sulpitus, ſed in Ebræo, ממולדתו ex cognatione mea. Tribus שֵׁבֶט dicitur. Id per משפחה exponit Abenezra Jeſ. 19. 13. Interpretes familiam reddunt. φυλὴ etiam pro natione vel gente ponitur Eſther. 13. 4. *In omnibus per orbem tribubus.* Igitur ex *eadem tribu*, id eſt, ex eadem gente. Sed melius, *ex eadem cognatione.*

CONTACTO DOMINI FEMINE] femore alii, ut Græci μηρόν. Hic mos antiquus admodum, ut jurantes manum femori ſupponerent ejus cui jurabant. Notatum ab Aloyſio Lippomano Indos hodieque iſto ritu uti in jurando. Quod an verum ſit a liis diſquirendum relinquo.

SACRAMENTUM DEDIT] id eſt juravit ſolenniter. Cicero ita dixit, *jusjurandum dare.* Eſt autem ſacramentum ſolenne jusjurandum, ſive, ut ait Feſtus, quod jurisjurandi ſacratione interpoſita geritur.

AD OPIDUM NACHOR] Carras, ubi Nachor cum patre habitaverat. Ita Sion vocatur civitas David. Sed cur non potius dicitur oppidum Thare? An quia Nachor ibidem ſedem fixam habebat. Nam pater ante abitum Abræ objerat.

NACHOR] vel Nahor. Sic Rachab & Rahab. Hujus filius Bathuel, nepos Laban, qui tamen filius Nachor appellatur. Gen. 29. 5. Sed novum non eſt, ut filius pro nepote ponatur. Gerundenſis notat hunc Nachorem, patre in Chaldæam concedente, manſiſſe in Haran, hoc eſt Carris, ubi etiam natus creditur: vel è Chutha inde tranſlatus, quæ inde aberat itinere ſex dierum duntaxat. Hæc ille Gen. 11. in fine.

BA-

BATHUELIS SYRI] Sic *Laban Syrus*. Quod autem in Græcis codicibus, *Doeg Syrus*, error eſt legentium Res pro Daleth, hoc eſt ארמי Syrus, pro אדמי Idumæus.

REBECCAM] ex Græco *ῥεβέκκα* quod hodiè legunt Ribca. Sonat autem *σιτιστεῖον*, id eſt, *ſaginarium* locum in quo vituli ſaginantur. Sic uxor quædam Davidis nominatur Egla, id eſt, *vitula*. Cujuſmodi nomina mulierum ſunt Rachel, *ovis*: Sebia, *caprea* (unde Tabitha in actis Apoſtolorum. Nam Syri S. Sade cum Teth permutant) *Iaala*, *ibex*, *rupicapra*: aut, ut Davidi Camio placet, *hyrcus ſylveſtris*.

POPOSCIT] plenum eſſet, *popoſcit in matrimonio*, ut infra cap. 9. *eamque ſibi in matrimonio à patre poſtulans*.

CETURAM] ſic emendavimus. Prius erat Cethura. Nam eſt Teth in ſcriptura Ebraica. Id Hieronymus expreſſit ſemper per, ſimplex. Nam aſpirato Thau reſpondet potius. In editione Græca *χεττούρα*, & apud Joſephum *χατούρα*. Malim *κεττούρα*, Cetura Cettura, ut Meſias Meſſias, Habacuc Habbacuc, Debora Debbora.

IN PARALIPOMENIS] 1. Paralip. 32. 1.

CONCUBINA DICITUR] rectè. Nam uxor erat illegitima, quoniam cum viro convenerat abſque ſcripto & cerimoniis legitimis: unde filii ejus hæreditatem patris non adibant, tantum accipiebant munera.

FILIOS] ſex Gen. 25. 2.

SARRA EDITO] hoc participium tam de fæminis quam de maribus dicitur. Tacitus: *Vbi Agrippina noviſſimo partu Iuliam ediderit. Cicero: editus Iovis ſatu.* Plerique ſcribunt æditus cum Diphthongo, nempe quia prima in hoc verbo, quando extra ſeu foras dare ſignificat, longa eſt. Quod etiam fecerunt in ſæculum. Quanquam à ſequendo dictum concedunt. Sæpius occurrit, *edere in lucem*. Cicero, *qui naſcitur in lucem edi dicitur*.

SUBSTANTIAM] bona, facultates. Subſtantia Græcè *οὐσία*, *ὕπαρξις*. Quintilianus, *ut plus ſubſtantiæ filio relinquerem*. Lexicon Græco-Latinum vetus, *Οὐσία*, *patrimonium*, *res familiaris*: *ὕπαρξις*, *ſubſtantia*, *opes*.

EX CONCUBINIS] Hagar & Cetura.

SEPARTI] amandati orientem verſus.

DIEM FUNCTUS] Diem obiit cum compleviſſet annos 175. Dicunt Ebræi Abrahamum cepiſſe anno ætatis tertio, compleviſſe autem ſcientiam ſuam anno 48. cum vidiſſet diviſionem linguarum. Nam eo anno Abrahami diviſio facta eſt. Dicunt etiam, *Anno quinquageſimo ſecundo cæpit inquirere in legem anno ætatis ſeptuageſimo venit in fœdus inter ſegmenta, & rediit in Haran: anno verò ſeptuageſimo quinto dictum ei eſt, Exi è terra tua, &c.* Salmanticenſis: *erat modeſtus, minimèque invidus, ſpiritu depreſſo, animoque humili & munificus admodum. Beatus ipſe & beati filii ejus poſt eum.*

SCHOTANUS.

Hujus capitis res habentur Gen. 24. toto & parte prima 25. ad. v. 19.

IUVENILIS ÆTATIS] Quod ſcriptura dicit annum quadrageſimum habuiſſe Iſacum, cum pater de conjungio illi proſpiceret, id ita accipiendum non eſt, quaſi ſera magis ætas juventæ acceſſerit, ut quidam arbitrantur, ſed quod vigor iſte in longius tempus & plures annos conſtiterit. Pubertas igitur fuit eodem ſpatio quo nunc, in aliis prius, in aliis ſerius, contracta,

at vigor non ita cito in ſenium defluxit. Hinc more receptum fuit ſeram venerem admittere & maturius ævum dare matrimonio, tanquam oneri ferendo robuſtius; quia feſtinare non jubebat brevitas ævi, quæ ſæpe liberis educandis non ſufficit.

Servo Suo] Hic erat Eleazar Damaſcenus: זקן ביתו המושל בכל אשר לו Senior domus, præfecturam habens in omnibus, quæ poſſidebat. Id eſt quem rebus ſuis præfecerat. זקן ביתו Raſi: זקן נקוד דבוק לפי שהוא / Quia conſtructum eſt, punctatur זְקַן. Ioſephus: πρεσβύτατον τῶν οἰκετῶν. Huic univerſam ſuam domum & ipſum filium ſubeſſe voluit. Nam ea tempeſtate de jure Hebræorum filii familias ſubjecti erant curatoribus, uſque ad tempus à patre definitum, Gal. 4. 2. Mandat ſervo ut filio ſuo procuret conjugium. Non legimus Iſacum conſultum, aut in illius voluntate poſitum, ut ſibi conjugem legeret, pater ſui arbitrii rem facit, imper atque ſervo, quid fieri velit. Mercerus: *At veriſimile eſt etiam Iſaacum, cum hac agerentur, accerſitum, ut præſens audiret omnia &c.*

Scriptura deſcribit Abrahami ætatem & rem lautam, in qua erat, cum filio conditionem quæreret, וזקן בא בימים ויהוה ברך את אברהם בכל:. Idem de ſenio utriuſque & Abrahami & Saræ expreſſum cap. 18. 11. ante annum quadrageſimum. Hinc Iudæis argutiarum materia. In Sanhedrim. cap. xI. fol. 107. b. *Donec ſenium non erat Abrahamo* כל דחזי לאברהם אמר האי יצחק כל דחזי ליצחק אמר האי אברהם: *omnes videns Abrahamum dicebat ecce Iſaac: omnis videns Iſaacum dicebat, ecce Abraham.* Petiit igitur Abraham, ut ſenium ipſi accideret בעא רחמי דליהוי ליה זקנא. Hinc dictum, quod hic de ejus ſenio dicitur. Deum illi benedixiſſe in omnibus ſcriptura refert: hinc obſervatur in Thalmud Baba Bathra fol. 17. quod hoc in loco de Abrahamo dicatur בכל, ut de Iſaco מכל Gen. 27. 33. ואוכל מכל / De Jacobo כל Gen. 33. 11. כי יש לי כל. Ideo magiſtri dixerunt tres guſtum habuiſſe ſeculi futuri, תנו רבנן שלשה הטעימן ברוך בעולם הזה מעין העולם הבא אלו הן אברהם יצחק ויעקב אברהם דכתיב ביה בכל יצחק דכתיב ביה מכל יעקב דכתיב ביה כל: Arguunt etiam de *illis* eodem in loco ex iiſdem כי לא שלט בהן יצר הרע, quod iſtis figmentum *malum* non fuerit dominatum. Quin & non imperaſſe ipſis מלאך המות angelum mortis. Quomodo igitur mortui ſunt? Reſpondet Raſi in gloſſa אלא מתו בנשיק' על פי שכינה, ſed mortui ſunt oſculo ad os Domini. Genus mortis placidiſſimæ & tranquilliſſimæ appellatur, vocabulo נשיקה. Quo genere obiiſſe Moſen dicunt, quia deut. 34. 5. habetur, *Mortuus eſt* על פי ה' Tres autem patriachas ex eo probant ita obiiſſe, quia in בכל מכל כל, contineatur omnis gloria & omnis defectus excludatur. Sic enim in gloſſis Raſi: בכל מכל כל לא חסרו שום כבוד:. Ad locum Deuteronomii de Moſe ingens nugarum cumulus in Debarim Rabba & longa diſceptatio de morte Moſis qui ſolvi noluit nec potuit ab angelis; tandem Dominus eum oſculatus eſt ונטל נשמתו בנשיקת פה. Illos qui ſic moriuntur, à vermibus ajunt non abſumi, quia vermes ſunt ex amara gutta, quæ ſtillat è gladio angeli mortis. Nam Mar dixit ex ea mortem, fœtorem & pallorem vultus eſſe. Dicunt Magiſtri in codice Brachoth 903. ſpecies mortis eſſe, è quibus leniſſima ſit, quæ dicitur נשיקה / ut hæc ſit illa εὐθανασία, quam ſibi optabat Auguſtus. Verum εὐθανασίαν non magis notam habent Judæi quam ille. Duriſſimam eſſe אסכרא *Aſcara.* Tot ſpecies mortis eſſe docet Cabbala per Gematriam, Q. D. (Pſ. 68. 21.) ולמות תוצאות אסכרא הרא רמיאכ אנבבא דעמרא דלחורי נשרא איכא דאמרי כפטורי בפי ושט נשיקה דמיא כמשחל בניתא מחלבא: *Aſcara ſimilis eſt ſpina velleris lana quæ retro trahitur: ſunt qui dicant inſtar rudentum in anguſto foramine* &c. De Abrahamo in hoc

loco

loco nihil niſi quod opibus mundi magnus fuerit, ut expetendæ eſſent nuptiæ cum ejus filio unico.

IMPERAVIT] Tria ſervo imperavit circa conjugium filio quærendum I. Non è Chananæis, inter quos agebat. II. E terra & tribu ſuæ cognationis unde ipſe erat oriundus. III. Uxorem illam in Cænanæam adducendam eſſe. E. Chananæis, id eſt populis terram Canaan incolentibus noluit filio eſſe matrimonium. Aben-eſdra monet de vocabulo Cananæus: כלל לעשתי עשר גוים *univerſale nomen undecim populorum.* Primum ob metum idololatriæ, ſecundum, quia exitio devoti erant & ſubjectioni ſub poſteris Abrahæ. Semen igitur dominaturum à ſubigendis & ſervituti eorum ſubjiciendis ſeparari debuit. Metus idololatriæ cauſa fuit legis, quæ alienigenarum matrimoniis interdixit, quamvis etiam exteris miſceri noluit Deus gentem benedictam. Abraham nec ſepultura jungi voluit ſe ſuoſque cum Chananæis. E terra & cognatione ſua, quia in ea Eccleſiæ Dei, quamvis contaminatæ reliquiæ, fere remanſerant. Noluit, ut cauſa conjugis in Meſopotamiam rediret filius quia remanere debuit cum ſua poſteritate in illa terra, quam illi Deus aſſignaverat, nec reverti eò, unde erat evocatus. Subtilius eſt, quod Raſi & Aben-eſdras diſtinguant; בית אבי de Haran, ארץ מולדתי de Ur Chaldæorum exponentes. Jurare jubet ipſum in nomine Dei cæli & terræ, quia ſervus in domo Abraham cultum Dei edoctus fuit. Excipiebat autem, ſi forte mulier nollet inde in Cananæam ire, anne filium eò eſſet reducturus: quod abnuit Abraham. Filium eo regredi noluit; ubi ſubjicitur oratio Abrahami, quæ vel vaticinatur vel precatur: malim precari. *Dominus Deus cæli, qui acceptum me extulit Domo patris & terra cognationis meæ: quique locutus eſt & juravit mihi: Semini tuo dabo terram hanc, mittat angelum ſuum ante te, ut filio meo inde uxorem capias.* Maluit matrimonium filio ex Cananæis, quam reditum in Meſopotamiam. רק את בני לא תשב שמה: Subtile eſt nec quadrat quod Raſi: filius meus Iſaac non revertetur illuc אבל יעקב בן בני סופו לחזור. *At tandem Iacob filius filii mei eò revertetur.* Non quadrat, quia non videtur hoc loco vaticinari, quaſi prædiceret Iacobum nepotem eò remigraturum. Deinde nec remigravit Iacob, ut ſedem fixam illic loci conſtitueret, ſed ut inde pro ſe haberet matrimonium, animum ſemper habens in Cananæam ſe transferendi cum uxore & familia. Voluit enim Deus populum ſuum in Canaan figi. R. Salomo Ephraim in כלי יקר diſſerit: Ob metum idololatriæ noluiſſe Abrahamum ut filius è Cananæis uxorem acciperet, aut in Meſopotamiam iret ad conjugis domum. Utrique idololatræ erant. A conjuge autem ad idololatriam maritum pertrahi, ſi ſit in cognatione, non autem ſi conjux ipſum ſecuta alio. Tum enim potius maritum ſequi. Idololatriam eſſe בשכלו של אדם ideò non propagari, ut quæ à materia pendeant opera.

CONTACTO DOMINI FEMINE] Abeneſdra de eo ritu juramenti: *Eſt, qui dicit, indicium eſſe circumciſionis. Si ita eſſet, fuiſſet jurandum in fœdere circumciſionis, non in Deo. At conſentaneum mihi videtur, quod fuerit ritus eo tempore, ut poneret homo manum ſub femore; is qui erat in ejus poteſtate. Senſus eſt: Si tu in poteſtate mea es, pone manum ſub femore meo. Sedebat autem Dominus eratque femur ſuper manum. Significabatur: Ecce manus mea ſub poteſtate tua, ut faciam voluntatem tuam. Et hic mos hactenus eſt in terra India.* Notat R. Salomonem, qui id de circumciſione dixerat. Argumentum hoc filii Eſdræ non procedit. Si enim manus ſubjectio ſub femur ſymbolum quoddam rei ſignificatæ fuit in ſolennem ritum, inde non ſequitur per eam rem jurari. Solent in juramento ritus quidam ſolennes uſurpari: ut elevata manu jura-

vit

vit Abraham cap. 14. hic Eliezer ſuppoſita manu femori herili. Libro Euangeliorum contacto jurant Chriſtiani, alii alios ritus habent, qui ſignificationes ſuas continent. Auguſtinus contactum femoris putavit originem Meſſiæ notare. Nempe in carne, quæ ex illo femore trahebatur venturum eſſe. Hoc ponit inter certa indicia prænuntiatæ veritatis. Joſephus ἐγγυασάμενος μεγάλαις πίστεσι. γίνονται δὲ αὗται τοῦτον τὸν τρόπον· ὑπὸ τοὺς μηροὺς ἀλλήλοις τὰς χεῖρας ἐπαγαγόντες ἐπικαλοῦνται τὸν θεὸν μάρτυρα τῶν ἐσομένων. Hic tamen non meminit textus, quod Abraham viciſſim Eliezero ſuppoſuerit. Id fortaſſis factum cum mutuam fidem jurarent, at hic nihil promittit nec aſſerit Abraham. Sacramento præſtito Eliezer cum decem camelis iter ingreſſus eſt. Scriptura: *Accepit ſervus decem camelos de camelis heri ſui.* Raſi: ניכרין היו משאר גמלים שהיו יוצאין זמומין מפני הגזל מפני שלא ירעו בשדות אחרים: *Noſcibiles erant è reliquis camelis, quia egrediebantur capiſtrati propter rapinam, ne paſcerentur in agris alienis.* In Breſith Rabba, quem librum Raſi libenter ſequitur, ut Thalmudicos, גמליו של אברהם אבינו היו ניכרים בכל מקום שהיו יוצאים: *Cameli patris noſtri Abrahami erant agnoſcibiles in omni loco, quocunque egrediebantur.* Quare autem? יוצאים זמומים / *Egrediebantur capiſtrati.* Ubique præſto eſt argutia. Hoc laudis Abrahamo tribuunt, quod prohibuerit pecudes & jumenta ſua ne damnum darent in agris vicinorum. Id credo, ſed unde ea hic allegant? Gloſſæ in Breſith R. ריק מדכתיב מגמלי אדניו:. Subtiliter animadverſum ex eo, quod ſcribitur *è camelis heri ſui.* Quaſi non eſſet manifeſtum notari ſimpliciter, quod eſſent è grege & numero reliquorum. Lyranus ſequitur Raſi ſuo more: *Iſti enim cameli erant ab aliis diſtincti: quia erant inroſtrati, ut non poſſent blada aliorum comedere, quando per viam ducebantur.*

Scriptura: וכל טוב אדניו בידו / *omne bonum domini in manu ejus.* Non ſignificatur omnia heri in manu & poteſtate ejus fuiſſe, ſed omnis generis bona & eximia, quæ herus in tantis habuit opibus, illi tradita fuerunt, ut deferret ad petitam. Rabbi Chelbo in Breſith Rabba דיאתיקי זו. Gloſſator exponit שטר מתנה. Raſi: שטר מתנה כתוב ליצחק על כל אשר לו כדי שיקפצו לשלוח לו בתם *Litera donationis ſcripta Iſaaco de omnibus quæ habebat, ut annuerent ad mittendum illi filiam ſuam.* Lyra: Ex omnibus &c. *Quia portavit de auro ejus & argento & pecunia & jocalibus dandis puellæ & ejus amicis: ut habetur infra eod. cap. In Hebræo habetur:* Omnia bona ejus portans ſecum. *Dicunt enim Hebræi quod portabat Chartam de donatione, quam fecerat Iſaac filio ſuo, donans ei omnia bona ſua mobilia & immobilia: quia aliis filiis dedit munera & ſeparavit eos ab Iſaac, ut habetur ſequenti capite. Et illam chartam portabat ad inclinandum parentes puellæ & ipſam puellam, quam quærebat in matrimonium ipſius Iſaac.* Joſephus ἔπεμπε δὲ καὶ δῶρα τοῖς ἐκεῖ διὰ τὸ σπάνιον ἢ μηδόλως ἐπιχωριάζειν, *Miſit autem etiam dona illis, qui illic erant, quia rara aut penitus nulla provenirent*, ejuſmodi ſcilicet, quæ mittebat.

Devenit in Meſopotamium, in urbem Nachor, ut textus dicit, & ex eo Sulpicius. Scriptura ויקם וילך אל ארם נהרים. R. Iſaac in Br. R. voluit eodem die perveniſſe in Meſopotamiam, quo iter ingreſſus erat. Joſephus putat multum tempus fuiſſe impenſum: οὗτος ἀπερχόμενος χρόνῳ, διὰ τὸ εἶναι χαλεπὴν ὁδεύεσθαι τὴν μεσοποταμίαν, χειμῶνι μὲν ὑπὸ πηλῶν βάθους, θέρους δ' ὑπὸ ἀνυδρίας, ἔτι δὲ καὶ λῃστηρίων ὄντων ἐν αὐτῇ, ἃ διαφυγεῖν οὐκ ἐνὸν μὴ προνοοῦσι τούτου τοῖς ὁδεύουσι, εἰς πόλιν ἀφικνεῖται Χάρραν. *Hic profectus,* poſt *longum tempus, quia difficile iter eſt per Meſopotamiam, hyeme ob profundum cœnum, æſtate ob penuriam aquarum, præterea cum latrocinia illic ſint, quæ incautis viatoribus effugere non datur, in urbem devenit Carran.*

Cum

Cum in ſuburbio eſſet, inclinavit camelos circa puteum, die adveſperaſcente. Quomodo Rebeccam agnoverit, ſucceſſeritque in domum Bathuelis, ita explicat Joſephus: καὶ γενόμενος ἐν τοῖς προαστείοις, παρθένοις ἐντυγχάνει πλείοσιν, ἐφ' ὕδωρ βαδιζούσαις, εὔχεται σὺν τῷ θεῷ ῥεβέκκαν, ἣν τῷ παιδὶ Ἅβραμος μνηστευσόμενος ἐξαπέσταλκεν, εἰ κατὰ νοῦν ἐστὶν αὐτοῦ, μέλλει ὁ γάμος οὗτος συντελεῖσθαι, ἐν ἐκείναις εὑρεθῆναι, γνωρισθῆναί τε αὐτὴν, τῶν μὲν ἄλλων αἰτοῦντι ποτὸν ἀρνουμένων, ἐκείνης δὲ αὐτῷ παρασχούσης. Καὶ ὁ μὲν ἐπὶ ταύτης ὢν διανοίας, ἐπὶ τὸ φρέαρ παραγίνεται, καὶ παρακαλεῖ τὰς παρθένους ποτὸν αὐτῷ παρασχεῖν. Τῶν δὲ ἐκτρεπομένων καὶ χρῃζουσῶν οἴκαδε κομίζειν ἀλλ' οὐκ ἐκείνῳ παρασχεῖν καὶ γὰρ οὐδ' εὔληπτον εἶναι τὸ ὕδωρ· μία ἐξ ἁπασῶν ἐκείναις τε τῆς πρὸς τὸν ξένον ἐπιπλήττει δυσκολίας τινὸς (ἀλλ' οὐ κοινωνήσειν πρὸς ἀνθρώπους αὐτάς ποτε, αἳ μηδὲ ὕδατος μεταδώσουσι) λέγουσα, παρέχει [l. παρέχειν] αὐτῷ φιλοφρόνως. Ὁ δὲ ἐν ἐλπίδι μὲν τῶν ὅλων γενόμενος, βουλόμενος δὲ ἀλήθειαν μαθεῖν, ἐπῄνεσε τῆς εὐγενείας αὐτὴν καὶ τῆς χρηστότητος, ὅτι καὶ μετ' οἰκείου πόνου τοῖς δεομένοις ἐπαρκεῖν οὐκ ἔφυγεν· ἐπυνθάνετό τε τίνων ἂν εἴη γονέων, καὶ κατεύχεται αὐτοῖς γέννησιν τοιαύτης παιδός, καὶ νυμφεύσειάν φησιν, ὡς αὐτοῖς ἐστι κεχαρισμένον, εἰς οἶκον ἀνδρὸς ἀγαθοῦ παῖδας αὐτῷ τεξομένην γνησίους. Ἡ δὲ οὐδὲ τούτων ἐφθόνησεν αὐτῷ βουλομένῳ μαθεῖν, ἀλλὰ καὶ τὸ γένος ἀπεσήμαινε, καὶ Ῥέβεκκα μέν φησι καλοῦμαι, πατὴρ δέ μοι Βαθουῆλος ἦν, ἀλλ' ὁ μὲν ἤδη τέθνηκε, Λάβανος δὲ ἀδελφός ἐστιν ἡμέτερος, τοῦ τε οἴκου παντὸς σὺν τῇ μητρὶ προνοούμενος καὶ τῆς ἐμῆς παρθενίας ἐπιμελούμενος. Τούτων ἀκροασάμενος ἔχαιρέ τε τοῖς γεγονόσιν καὶ τοῖς εἰρημένοις, τὸν θεὸν οὕτως ὁρῶν αὐτῷ τῆς ὁδοῦ σαφῶς συλλαμβανόμενον. Καὶ προκομίσας ὁρμίσκον τέ καί τινας κόσμους, οὓς εὐπρεπὲς φορεῖν παρθένοις, ἀνεδίδου τῇ κόρῃ ἐπὶ τῷ πιεῖν χάριτος ἀμοιβὴν εἶναι λέγων, καὶ γέρας δίκαιον τοῦτο αὐτὴν τυγχάνειν, ἀγαθὴν παρὰ τὰς τοσαύτας παρθένους γενομένην. Ἠξίου τε παρ' αὐτοῖς καταχθῆναι. Οὐ προσωτέρω χωρεῖν τῆς νυκτὸς αὐτὸν ἀφαιρουμένης. Κόσμον τε φέρων γυναικεῖον πολυτελῆ αὐτὸν πιστεύειν οὐκ ἀσφαλεστέροις ἔφασκεν ἢ τούτοις, οἷς αὐτῆς ἐπειράθη. Τεκμαίρεσθαι δὲ καὶ τὴν τῆς μητρὸς καὶ τἀδελφοῦ φιλανθρωπίαν αὐτῆς ἔλεγεν, ὡς οὐ δυσχερανοῦσιν, ἐκ τῆς περὶ αὐτὴν ἀρετῆς: οὐδὲ γὰρ ἔσεσθαι βαρὺς μισθὸν τῆς ξενίας τελέσας καὶ δαπάναις ἰδίαις χρησάμενος. Ἡ δὲ περὶ μὲν τῆς τῶν γονέων φιλανθρωπίας αὐτῆς ὀρθῶς εἰκάζειν αὐτὸν εἶπεν, ἐμέμφετο δὲ ὡς μικρολόγους ὑπειληφότα, πάντων γὰρ ἀμισθὶ μεθέξειν. Δηλώσασα μέντοι Λαβάνῳ πρότερον τἀδελφῷ, συγχωροῦντος ἄξειν αὐτὸν ἔλεγεν. Ὡς οὖν τούτου γενομένου παρῆγε τὸν ξένον, τὰς μὲν καμήλους αὐτοῦ παραλαβόντες οἱ Λαβάνου θεράποντες, ἐπεμέλοντο, αὐτόν τε δειπνήσοντα ἠγάγετο σὺν αὐτῷ. *Cumque eſſet in ſuburbanis incidit in multas virgines ad hauriendum aquam euntes. Precatur igitur Deum ut Rebecca, quam ambiturus ſuo filio Abramus ipſum ablegaverat, ſi ſecundum mentem ejus hæ nuptiæ perficiendæ eſſent, inter eas inveniatur, & indicio pateſiat iſto: Aliis quidem potum petenti negantibus, hoc autem prabente. Hac igitur mente ad puteum accedit rogatque virgines uti potum dent. Quæ cum abnuerent dicerentque domum ſe ferre nec illi conceſſuras eſſe: Cum nec hauſtu facilis ſit aqua: Vnam ex omnibus eas redarguiſſe ob moroſitatem quandam erga hoſpitem (Nequaquam vero hominibus ſe ipſas communicaturas eſſe qua neque aquam conceſſerint dicentem) Et prabuiſſe ipſi humaniter. Ille vero in ſpem univerſæ rei erectus & cognoſcendæ veritatis avidus laudabat eam de generoſitate & benignitate, quod etiam cum labore ſuo indigentibus ſubminiſtrare non renuiſſet: Rogatque quibus parentibus orta eſſet eiſque gratulatur procreationem talis filiæ. Et deſpondeant, inquit, ut ipſis gratum eſt, in donum viri boni, parituram ipſi natos genuinos. Hac etiam illa non occultat ſcire cupientem, ſed genus indicat, Et Rebecca, inquit, vocor, pater mihi Bathuelus erat, qui obiit, frater autem noſter Labanus eſt, univerſæ Domui præpoſitus cum matre, meaque virginitatis curam habens. His auditis gaviſus eſt ob facta & dicta, videns Deum tam evidenter iter ſuum ſuſcepiſſe. Cumque protuliſſet monile & ornamenta*

quadam quæ geſtare virginibus decorum eſt, tradidit puella, dicens remunerationem eſſe ob potum, & æquum tale eam munus nanciſci, quæ tot virginibus præſtaret. Simul petit uti liceat apud ipſos diverſari, cum nox ulterius ire prohiberet; cumque mundum muliebrem pretioſum portaret ſecum, non credere ſe certioribus, quam illa eſſent, quorum in ipſa experimentum haberet. Conjecturam etiam facere ex ipſa de fratris matriſque humanitate, ut non difficilibus, ex ea, quæ circa ipſam eſſet, virtute. Grave enim non fore, mercedem hoſpitii dare & proprio ſumptu vivere. Illa vero dixit ipſum de parentum humanitate rectè conjicere: increpabat autem, quod ſordidos eſſe arbitraretur: omnibus enim ſine mercede potiturum. Attamen fratri Labano prius indicata re, cumque concederet, ducturum eſſe dixit. Hoc igitur facto, adducit hoſpitem, Labani ſervi ſuſceptis camelis proſpiciunt. Ipſe autem cænaturus cum ipſo ducebatur. Hæc in ſcriptura continentur à v. 11. uſque ad 33. quæ Ioſephus ſuo more παραφράζει, omittens, immittens, quæ facere aut non facere ad rem videbantur. Lyranus: *Sciendum quod Eliezer non quæſivit ſignum per modum augurii aut divinationis, quod eſt illicitum, ſed præmiſſa oratione petivit à Domino ſignum in quo perciperet, quod angelus Domini direxiſſet ejus viam ſicut prædixerat ei Abraham: & ideò non peccavit petendo ſignum hoc modo.* Lyranus exiſtimat fuiſſe vaticinium non precationem in verbis commatis ſeptimi. Fidem in hoc vaticinium ſibi ſigno firmari Eliezer petit, idque in re ejuſmodi quæ dirigeret præſentem neceſſitatem. Augurium ſeu omen petitur ab homine tanquam è rei Divinitus poſitæ ſignificatione. Nempe in talibus putabant hærere ſignificationem ex divina & fixa ordinatione. Hic autem Eliezer in re nihil ineſſe per ordinationem putat, ſed petit ut Deus hoc velit eſſe ſignum. Calvinus abſolvit Eliezerem ab omni lapſu, quia divino inſtinctu id petiiſſe ſignum putat. *Servus*, inquit, *conſilio deſtitutus, ad preces ſe confert. Neque tamen ſimpliciter petit conſilium à Domino: ſed puellam, quam deſtinavit uxorem Iſaac, ſibi offerri cum certa nota, unde colligat ſibi divinitus oblatam eſſe. Quod in re tam confuſa non ſtupet quaſi attonitus, ſed in preces collecto animo erumpit, pietatis & fidei ſignum eſt. Sed divinatio, qua utitur, cum vera orandi regula, non ſatis videtur congruere. Primum ſcimus neminem rite precari, niſi qui vota ſua Deo ſubjicit. Quare nihil minus conſentaneum, quam noſtro arbitratu quicquam Deo præſcribere. Vbi igitur ſervi religio, qui pro ſuo deſiderio legem Deo imponit? Deinde nihil in precibus noſtris ambiguum eſſe debet: certitudo autem non niſi ex verbo petenda. Tamquam ſibi divinationem fingat ſervus, videtur perperam à legitima orandi modeſtia diſcedere: quum enim eum deficiat promiſſio de re tota nihilominus fieri certus cupit. Atqui Deus votum ejus exaudiens, ipſo eventu demonſtrat ſibi gratum fuiſſe? Itaque ſciendum eſt quamvis ſpecialis promiſſio in promptu non exſtaret, ſervum tamen non temere nec pro carnis libidine ſic fuiſſe precatum ſed arcano Spiritus inſtinctu. Neque enim obſtat lex communis, qua devincti ſunt omnes pii, quin Dominus, ubi aliquid extraordinarium dare conſtituit, illuc quoque ſervos ſuos impellat: non quod eos abducat à verbo ſuo, ſed tantum quia in forma orandi ſingulare aliquid concedit. Summa autem eſt; Domine ſi occurret puella, quæ rogata, ut potum mihi præbeat, etiam benigne & comiter offerat camelis meis, hanc ego petam uxorem Domino meo Iſaac, ac ſi mihi abs te de manu in manum tradita foret. Videtur, quidem dubiam conjecturam arripere, ſed quia in Dei providentiam recumbit, certò perſuaſus eſt ſibi indicium iſtud inſtar oraculi fore: quia Deus quem expeditionis ſuæ præſidem habet eum errare non ſinet. Interim hoc notatu dignum, quod ſignum notitia non procul accerſit, ſed ex re præſenti ſumit. Nam quæ ignoto hoſpitiſitam humana erat, ſuo officio ſpecimen dabat proba natura.* Hoc ideò obſervare convenit, ne curioſi homi-

nes

nes hoc exemplum ad vana præſagia trahant. Joſephus diſcrepat à Scriptura. I. Eliezerem definite ſibi offerri Rebeccam petere vult: atqui ſi Rebeccam definite petat, potuit quærere de domo Nachor aut Bathuelis, non opus erat divino indicio. Petit divinitus ſibi oſtendi illam puellam, quam Deus Iſaaco conjugem deſtinaſſet, Hoc enim exprimitur v. 14. II. Symbolum vel teſſera non fuit, uti rogata potum Eliezeri ſoli offerat, ſed ſimul camelis. Rogata enim ut ipſi, ſimul ſe camelis potum præbituram eſſe reſpondet. Hoc indicium Eliezer petierat. III. Scriptura dicit, vix finita precatione Rebeccam ſe obtuliſſe, primam & ſolam rogatam eſſe: Joſephus, poſt alias negantes Rebeccam humaniter obtuliſſe, increpita difficultate aliarum virginem. IV. Addit quædam rei repræſentandæ: alia, quæ habentur, præterit. Quod Deo gratias egerit inclinato capite, de proſperato itineris ſcopo & precatione exaudita præterire non debuit. Rebecca adfuit, antequam extremam precationem compleviſſet. Hic Calvinus: *Contextus Moſis ſatis oſtendit non ſtulte conceptum fuiſſe votum. Ipſa etiam celeritas raram Dei indulgentiam oſtendit, quod hominem non patitur Deus diu cum anxietate luctari. Domo quidem prius exierat Rebecca, quam ille precari inciperet, ſed tenendum eſt, Dominum penes quem & temporum momenta ſunt & hominum greſſus, ſic utrinque temperaſſe omnia, ut providentiam ſuam clare teſtatam faceret.* Nam interdum deſideria noſtra longius ſuſpendit &c. In v. 21. narratur ſervum prompta & ad votum reſpondente Rebeccæ, quam primam rogaverat, reſponſione attonitum hæſiſſe, obſervantem ſilentio, an in hoc Deus annuiſſet. Dubitatio illa non fuit, nec vitium fidei quia animum potius obſervationi cum admiratione divinæ benignitatis & curæ intendit.

Ornamenta muliebria Rebeccæ circumdedit v. 22. atqui v. 23. 24. 25. ex ea quærit & intelligit ejus genus & domum. Obſervant interpretes eſſe *ὕστερον πρότερον*, ita ut v. 22. cum 28. immediatè debeat connecti quæque interſeruntur commata ante v. 22. collocari. Nam cum poſt promptam humanitatem de genere, & domo hoſpitioque rogaſſet, eaque reſpondiſſet tum vero actis Deo gratiis virgini ornatum injecit, tanquam herili ſponſæ, quam Deus monſtraſſet. Calvinum hic iterum audiamus: *Quod pretioſis monilibus ornat puellam, fiduciæ ſignum eſt. Nam quum multis documentis conſtet probum & frugi miniſtrum fuiſſe, non projiceret ſine delectu opes Domini ſui. Scit igitur non malè collocari munera illa, vel ſaltem bonitate Dei fretus, quaſi futuri conjugii arrham fideliter diſpenſat: Sed quæritur an Deo probentur ejuſmodi ornamenta, quæ non tam ad munditiem quam ad pompam ſpectant: reſpondeo, non ſemper referri in Scripturis quæ imitari conveniat. Quicquid generaliter præcipit Dominus, pro inflexibili regula habendum eſt, particularibus quidem exemplis inniti, non modo periculoſum eſt, ſed etiam ineptum & abſurdum. Iam in cultu corporis quantopere Deo non faſtus tantum, vel ambitio, ſed omnis luxuries diſpliceat ſcimus. Ut abſit interior cordis cupiditas, damnat immodicum & ſuperfluum nitorem: qui in ſe multorum vitiorum continet illecebras. Iam verò ubi pura cordis ſinceritas in ſplendido ornatu reperietur? Raræ certè hoc eſſe virtutis omnes agnoſcunt. Noſtrum quidem non eſt, præcisè quolibet ornatu interdicere: quia tamen prava aliqua vanitate corruptum eſt quicquid frugalem uſum excedit: præſertim verò quia hac in parte inexplebilis eſt mulierum cupiditas: non tantum mediocritas colenda eſt, ſed etiam abſtinentia quoad fieri poteſt. Et clanculum obrepit ambitio, ut ornatus paulò nitidior mox in ἀταξίαν ebulliat. Quantum ad inaures & armillas Rebeccæ ſpectat, ſicuti non dubito tunc in uſu fuiſſe apud divites, ita ferebat ſeculi integritas, ut parcè & frugaliter illis uterentur: & tamen vitium non excuſo. Nos quidem nihil juvat exem-*

plum

plum vel ſublevat, ſi pravas libidines, quas etiam ſublatis fomentis reſtinguere, pluſquam difficile eſt. titillamus & magis accendimus: quæ auro fulgere appetunt mulieres, corruptelæ ſuæ prætextum quærunt in Rebecca. Cur non igitur ad auſterum illud vitæ genus, & ruſticum laborem ſe perinde conformant? Sed quemadmodum jam dixi, falluntur qui ſanctorum exempla contra communem Dei legem, ſibi poſſe ſuffragari putant. Siquis objiciat, hoc ab honeſta caſtaque puella verecundia abhorrere, quod ab homine extraneo, & nunquam prius viſo inaures & armillas recepit: primum fieri poteſt ut multos ſermones Moſes prætereat ultrò citroque habitos, quibus adductam fuiſſe probabile eſt ut recipere auderet. Poteſt etiam fieri ut priore loco narret quod ordine erat poſterius. Sequitur enim paulò poſt in contextu, ſervum Abrahæ ſciſcitatum, cujuſnam eſſet filia. Simul reputanda nobis eſt ſeculi illius integritas. Vnde fit ut puellam urbe ſolam egredi probroſum non eſſet, niſi quod tunc mores hominum adeo ſeveram pudicitiæ cuſtodiam non requirebant? Ex contextu quidem apparet, ornatum illi non turpis lenocinii cauſa datum eſſe: ſed quem parentibus proferret, quo facilior ad ſponſalia eſſet ingreſſus. De pretio non conſentiunt interpretes. Inaures æſtimat Moſes dimidio ſiclo, armillas decem ſiclis. Hieronymus pro dimidio poſuit duos ſiclos. Ego genuinum ſenſum eſſe exiſtimo, quod armillæ decem ſiclos valuerint: frontale verò vel inaures dimidium hoc eſt quinque ſiclos. Nam quum nihil poſt vocem בקע *addatur, relatio eſt ad majorem numerum. Alioquin minime concinna eſſet proportio inter armillas & ornatum capitis. Porrò ſi pro quatuor Atticis drachmis ſiclum accipimus leve pretium erit. Itaque pondus auri notari puto; quod multo majorem ſummam conficeret quam nummus.* Dedit Rebeccæ ornamentum capitis & ornamenta brachiorum [v. 22.] *Accepit vir ille* נזם זהב בקע משקלו / Nezem auream pondere dimidii ſicli. ושני צמדים על ידיה עשרה זהב משקלם / *Et duas armillas ſuper manus ejus, quarum pondus erat decem* (ſiclorum) *auri.* ויקח accepit, id eſt accepta dedit, ut Pſ. 68. 19. *Dona arrepiſti inter homines.* נזם *inauris.* Fuiſſe enim in auribus hoc ornamenti genus, patet è Gen. 35. 4. At Ezech. 16. 12. datur faciei, auribus autem עגילים. Sed על אנך. Capiti עטרת tribuitur. Viris etiam ornamentum illud geſtatum fuit, quia Jobi 42. 11. dicuntur fratres ſororeſque & amici, quiſque unam קשיטה & נזם זהב אחד unam auream nezem donaſſe, gratulantes ipſi reſtitutionem. Gen. 35. 4. legitur באזניהם in auribus ipſorum. Imo Judic. 8. 25. in præda cæſorum exutorumque Madianitarum ingens cumulus fuit ejuſmodi ornamentorum. Expreſſe dicitur Iſmaelitas illa de auro geſtaſſe. Quaſi aliarum nationum ex eo metallo infrequentiores fuerint. Exod. 32. 2. in auribus uxorum, filiorum & filiarum dicuntur fuiſſe. Illæ inaures videntur inſculptam habuiſſe figuram falſorum numinum, apud idololatras, quod apparet in purgatione domus Jacob loco dicto Geneſeos 35. 4. Geſtarunt igitur in frontibus & auribus viri mulieresque. Nam v. 47. refert Eliezer ſe faciei Rebeccæ impoſuiſſe: Eſai 3. 21. נזמי האף appellantur. *ἐνώτιον* ſemper habet Græca verſio vulgata, etiam ubi faciei erat. Chaldæus ſemper reddit קְדָשָׁא, ſive faciei ſive auribus tribuatur: videtur tamen ea vox aurium ornamentum proprie notare; quia & עגיל ita redditur Num. 31. 50. Sic conſentiunt Græcus & Chaldæus. At Græcus τὸ עגיל vertit *περιδέξιον* in Numerorum loco dicto, *τροχίσκον* in loco Ezechielis, Arabs τὸ נזם vertit سنف pl. اسناف: quam vocem non applicat verbo עגיל. Orientales, potiſſimum feminæ, omnia membra, quæ non tegebant, ornamentis onerabant. Sic fuit olim & in uſu eſt hodie. Sed illud mirum quod nezem illa tantum dimidii ſicli pondus habuerit; nihil de gemma, quam fuiſſe in ea & tantum pependiſſe dicitur in Breſith Rabba. Interpretes exiſtimant

ſiclum majoris ponderis fuiſſe ea tempeſtate: at reputandum eſt grave pondus incommodum fuiſſe & in facie & in naribus. Drachmæ duæ auri exiguum pretium erat pro tantis facultatibus, quia nullius gemmæ mentio eſt. Armillæ decem ſiclorum id eſt quadraginta drachmarum erant. Vide ævi ſimplicitatem. At quomodo בקע eſt dimidium ſicli, ſi unam drachmam valuerit ut reddunt Lxx? R. Lxx. duas fuiſſe inaures volunt, quarum ſingulæ drachmam pendebant: ita duæ pependerunt dimidium ſiclum. Quærebat ſervus à Rebecca, an in ædibus ipſorum diverſandi commoditas eſſet: Cui illa reſpondit: Eſſe multum ſtraminis & pabuli & locum divertendi. Necdum enim ſervus aperiebat quis eſſet & quid veniſſet. Apparet diverſoria publica & cauponas non fuiſſe in uſu nec jus hoſpitii, ut apud Græcos & Romanos poſtea receptum: hoſpitales erant homines, quemadmodum & rogandi hoſpitii confidentes: quia illa mutua libertas & liberalitas erat. Quamvis ſervus ille à Rebecca de genero ſuo quæſiverit, non tamen illam viciſſim ab illo cujas eſſet, quæſiviſſe patet. Nam tanquam ad ignotum excurrit Laban & domum ſuam deducit. Non dubitavit Eliezer Dei nutu hanc herili filio uxorem deſtinari, ideò ornamenta iſta tanquam pignus futuri matrimonii donavit. Ignara puella erat, quid rei gereretur, nec fuit virginalis pudoris ab hoſpite inquirere quo genere, unde domo eſſet.

Laban & Bathuel fuerunt fratres Rebeccæ. Bathuel non erat pater ejus, (quod putat Chryſoſtomus) ſed minor frater. Joſephus diſerte affirmat defunctum jam fuiſſe parentem ejuſque loco Labanum domus curam geſſiſſe: quod tota ſeries Moſaicæ narrationis aperte confirmat: uti recte Salianus obſervavit. Cujus argumenta ſunt 1. Quia v. 30. indecore poſtponeretur filio mater. 2. Convenientius erat alioqui ut diceretur Rebeccam adiiſſe domum patris ſui quam matris v. 28. 3. Illi ipſi Laban & Bathuel mox fratres appellantur (v. 27.) aut eſſe indicantur v. 59. 60. 4. Quia ſeorſim nominatur mater, pater nuſquam, cujus tamen primariæ in hoc negotio partes fuiſſent. 5. Eliezer puellæ dat munera, fratri, matri, nulla mentione patris. 6. Eodem dimiſſionem petente fratres reſpondent & mater, pater mutus eſt. 7. Illa diſcedente fratres precantur proſpera ſorori ſuæ. Pater nuſquam comparet. Salianus igitur rectè aſſentitur Joſepho, quia ejus ſententia nihil abſurdi habeat, imò omnibus abſurdis medeatur. Abeneſdras putat ob prudentiam, Labanem locutum eſſe & agere. Scilicet & ſapientia & honore patri fuiſſe prælatum. Hoc nihili eſt. Raſe nihilo felicius conjicit aut aſſerit proſiliiſſe ut verba faceret ante Patrem eoque præſente. Mercerus ob grandem ætatem non eſſe donatum, quia juvenilis ætas talibus capitur: nec ſolere patres donari ratione nuptiarum. Illud tamen obſervari quoque oportet, quod Labano ſoli, præter matrem & ſponſam data ſint munera. Mirum quod non Bathueli, ſi & ille inter frates fuerit. Dicendum forte præter ſponſam illis data munera, qui poteſtatis aliquid in domum familiamque & ſponſam haberent. Laban primogenitus domum curabat, quamvis aſſenſum dederit Bathuel. Gen. 22. ſub finem octo filii tribuuntur Nachori, quorum omnium natu minimus fuit Bathuel. Bathuelis nulla nominatim recenſetur poſteritas, niſi ſola filia Rebecca. Inde elici non poteſt nullam illi aliam prolem fuiſſe, quia Rebeccæ ſolius mentio eſt, quod Iſaaco in matrimonium ceſſerit. Ita inferius cognoſcitur cap. XXXI. 1. Labano filios mares fuiſſe: at nemo illorum nomine proponitur: quamvis filiæ duæ Lea & Rachel nominentur, quæ Jacobi conjugium inierunt.

In ædes Bathuelis, quæ ſub cura Laban erant, deductus eſt Eliezer à Laban, qui ad verba ſororis extra urbem progreſſus erat, eumque invitaverat hac ſalu-

ſalutatione: *Ingredere, Benedicte Domini.* Cameli recinctæ ſunt & pabula ipſis appoſita: aquæ lavandis pedibus Eliezeris & comitum ejus. E numeroſo enim famulitio Abrahami, ſervulos multos uſui ſuo comites habuit. Inde invitatus eſt Eliezer ad appoſitam cœnam, quam attingere noluit priuſquam mandatum expoſuiſſet v. 33. Lapſus enim eſt Joſephus, qui poſt cœnam expoſuiſſe putat. Narrat igitur ab ovo ablegationis cauſam & à quo miſſus eſſet, quidque circà fontem ad oppidum Deus oſtendiſſet, Rebeccam petiit herili filio conjugem. Agnoverunt virginis fratres, rem eſſe à Deo, prompteque addixerunt. Tum Eliezer, adorato Deo, aurea & argentea cimelia, item veſtes Rebeccæ donavit: & fratri matrique munera dedit. Joſephus in narratione Eliezeris, dicit Nachoren fuiſſe *ἀδελφὸν Ἀβράμου ὁμοπάτριον ὄντα καὶ ὁμομήτριον.* Deinde Iſacum eſſe Abramo *γνήσιον καὶ μόνον ἐπὶ τοῖς πᾶσι τεθραμμένον ὃ τῶν μετὰ ἐκεῖ δυνατὸν αὐτῷ τὴν εὐδαιμονεστάτην λαβεῖν, οὐκ ἠξίωσεν ἄγεσθαι, τιμῶν δὲ τὸ γένος τ' γάμον πολιτεύσει τοῦτον.* De muneribus nihil Joſephus, in Hebræo textu Moſes כלי כסף וכלי זהב ובגדים / vaſa *argentea & aurea & veſtes.* Hæc data Rebeccæ. Interpretes ſub generali nomine כלים mundum muliebrem accipiunt, *ἀργυρώματα καὶ χρυσώματα aurum argentumque factum.* Labano & matri מִגְדָּנֹת datæ. Raſi: לשון מגדים שהביא עמו מיני פירות של ארץ ישראל. Exiſtimat fuiſſe munera de fructibus terræ Iſrael. Abeneſdras aut ita aut ſignificare veſtes honoratas ut Nun ſit radicalis. Occurrit vox præterea Eſdr. 1. 6. & 2. Chron. 32. 23. Rectè Mercerus exiſtimat pretioſa omnis generis ea voce notari. Sane his poſterioribus locis de fructibus accipi nequit. LXX. Vulgata editio, Syrus & Samaritana verſio in Anglicanis Bibliis ſimpliciter *dona* exponunt. Nam Syrus habet [illegible], Samaritana verſio [illegible]. Arabs ibi habet طرائف, quod ſignificat res elegantes & nitidas. Arabs Erpenianus قراني *aromata:* Meus فاكهات *fructus.*

Fratres Rebeccæ & mater non exuerant penitus cultum Domini: quia Abrahami ſervum appellant Benedictum Domini & agnoſcunt rem hanc eſſe à Domino. Dicunt in v. 50. *Ecce Rebecca coram te eſt tolle eam & proficiſcere & ſit uxor filii Domini ſui, ſicut loquutus eſt Dominus.* Sic loquuntur: Intelligunt autem decretum Dei, quod ex indiciis intelligitur. Quamvis adeò prompti conſenſerint nutum Dei ſequentes, tamen petierunt ut puella aliquandiu in domo paterna remaneret. Ob hoc nugantur Hebræi Bethuelem eſſe à Domino interemptum: quia cum primum aſſenſus eſſet, poſteà remorari diſceſſum voluiſſet. Alii fabulantur interiiſſe veneno, quod ſervo Abrahami comparaverat. Nam ſervum, cum id perſentiſceret, diſtuliſſe cœnam cumque benedixiſſet Dei nutu tranſlatum eſſe in eam partem cui accumbebat Bathuel: Hanc ejus ignominioſam mortem non exponi à Moſe. Judæi ſemper nugas in litera ſcripturæ fundant. Cum ſervus in expoſitione caſus, qui acciderat Dei nutu ad fontem dixerit ואבא היום אל העין *Veni hodie ad fontem*, hinc faciunt hunc ſenſum: Quod eodem die profectus è Cariath-Arbe venerit Haran, quod iter ſit ſeptendecim dierum. Tribus horis id iter confeciſſe. Ideo admiratum toto corde dixiſſe: היום יצאתי והיום באתי. Additur in Jalcut, Voluiſſe Deum benignitatem facere Iſaaco, miſſoque angelo, ſubſiliiſſe viam ante eum; filiam regum, quæ toto rempore vitæ non ſolita fuiſſet exire ad hauriendam aquam, ea hora exiiſſe: Et puellam, quæ non noviſſet qualis vir eſſet Iſaac, ejus conjugium ſuſcepiſſe. Cum ſummo mane ſervus ſurrexiſſet, vidit angelum Domini, ſtantem eumque operientem foris, ideo dixiſſe, *Ne remoremini me.* Tum ne ſervus conjungeretur cum puella per noctem, terram commotam eſſe ante eum, &

tribus

tribus horis veniſſe Hebronem, tempore precationis: cum egreſſus eſſet Iſaac ac orandum תפלת מנחת הערב orationem minchæ veſpertinæ. Suſpectum fuiſſe ſervum, ideò non niſi explorata & cognita Rebeccæ virginitate Iſaacum eum ea conjugium iniiſſe. Deum fidei Eliezeris retribuiſſe beneficium, quia regem eum fecit. Hunc eſſe Og regem Baſan. Bathuelis domum, cum videret armillas aliaque ornamenta, cædem cogitaſſe, at, ubi viderunt eum duabus manibus duas camelos transportare torrentem deſperata cæde venenum præparaſſe. ובזכות אברהם נתחלפה הקערה ואכל בתואל ממנה ומת / *At merito Abrahami ſcutella commutata eſt, edit Bathuel & mortuus eſt.* Venenum hoc eliciunt ex v. 33. ויושם לפניו לאכול / quaſi in voce ויושם ſignificaretur סם *venenum.* Id enim vocant סם המות. Ideo autem mortuum eſſe, quod eſſet rex Meſopotamiæ: Fuiſſe autem in more poſitum, ut ſponſam omnem prima nocte rex defloraret, quæ deinde ad maritum veniret. Coiiſſe omnes proceres & dixiſſe; Si non faciat filiæ ſuæ, ut fecit filiabus noſtris, nos eum ejuſque filium è medio tollemus. Ideò mortuum eſſe, ut Rebecca evaderet. Scriptura dicit: Eliezerem hilariter epulatum eſſe ea veſpera cum ſponſæ matre & fratribus: poſtridie ſummo mane abitum paraſſe. Hic petiiſſe Laban & matrem, uti puella apud eos remaneret ימים או עשור. In codice Chetuboth fol. 57. a. Miſna dicit: *Dant virgini duodecim menſes, à quo requiſivit eam maritus ad procurandam ſemetipſam: & ſicuti dant mulieri ſic etiam viro ad procurandum ſeipſum, at viduæ dant triginta dies.* Raſi in gloſſis dicit: *Dant virgini tempus ad ingreſſum in thalamum à die, quo requiſivit eam maritus; uſque dum ſanctificet eam* [לאחר שקדשה] *ut admoneant eam propter negotia thalami ut paret mundum muliebrem.* Quemadmodum enim (id ſubjicit) ſponſa debet parare mundum muliebrem, ita ſponſus neceſſaria convivii & thalami. Viduæ ſolummodo triginta dies conceduntur, quia jam poſſidet illa, quæ ad mundum muliebrem pertinent. A requiſitione מן התביעה / non à deſponſatione duodecim menſium ſpatium dari volunt. Hanc traditionem firmant ex hoc loco, ubi ימים notat annum, juxta magiſtros; עשור / decem menſes. ימים abſolute poſitum, pro שנת ימים / ideò ſignificat annum ſolarem. Sic Levitic. 25. 28. ימים תהיה גאולתו: Sed ſi duodecim menſium ſpatium requirebatur, cur dicunt annum aut decem menſes, cum decem menſes ſpatium conveniens non impleant? Decem menſes ſufficere poſſunt feſtinantibus. At cur non dicunt, conſideat decimeſtre aut annum? R. Raſi: *Non eſt conſuetudo petentium, ut petant minus, & ſi non placet, da nobis majus.* In Jalcut dicitur: dies notare ſeptiduum luctus ob Bathuelem: at עשור duodecim menſes ſignificare, qui virgini conceduntur ad curam mundi muliebris. Tanto tempore commoratus fuiſſet Eliezer apud Bathuelem. Urget dimiſſionem, quia Deus iter & negotium ſuum proſperaviſſet. Convenit, ut Rebeccæ ipſi deferretur, Velletne ejus temporis moram facere, an hoc die cum Abrahami ſervo diſcedere ad ſponſum? In Jalcut dicitur puellam ideò rogatam eſſe: מכאן שאין משיאין את הקטנה אלא על פיה / *Quod non deſpondeant minorem niſi ad os ipſius*; ex ipſius conſenſu. Rebecca dixit ſe ire velle: על כרחכם שלא בטובתכם / *Invitis ipſis, ſi non liceat cum gratia & pace.* Sic in Jalcut & Raſi מעצמי ואף אינכם רוצים *me etiam vobis non volentibus.* In ſcriptura non comparet talis elatio. Sic dimiſſa eſt cum nutrice ſua, ex more antiquorum, uti dicit Aben-eſdras. Benedicunt ipſi. In Jalcut כלה בלא ברכה אסורה לבעלה כנדה שלא טבלה / *Sponſa ſine benedictione, vetita eſt marito ſuo ut menſtruata quæ non lavit.* Benedictionis morem ex hoc loco petunt, Benedicunt ad multiplicationem & victoriam hoſtium, qualis eſt Abrahamo dicta cap. 22. v. 17. Quaſi mens eſſet ſecundum Judæos, Petere

ſe ut Deus eam ſuam benedictionem ex hac muliere non alia deduceret. Ita Raſi docet. Obſervatur in Jalcut, hanc benedictionem nihil effeciſſe, quia non pepetit antequam precatus eſſet Iſaac, cap. 25. 21. שלא יהו אומות העולם אומרים תפלתנו עשתה פירות אלא ויעתר יצחק ליי ברכת אובד עלי תבא זה לבן ארמי ומ׳ *Ne populi mundi dicerent, oratio noſtra facit fructus: Sed (quod dictum) & precatus eſt Iſaac Dominum, Benedictio Pereuntis veniat ſuper me. Hic eſt Laban Syrus.* Rebecca cum puellis miniſtris camelos aſcendit & cum Eliezer ad Iſaacum profecta eſt. Dicuntur Rebecca & ancillæ ipſius equitaſſe poſt ſervum Abrahami. Manoë (Judic. XIII. 11.) ivit poſt uxorem. Hic fuit juxta R. Nachman עם הארץ homo plebejus. Nam כעור לאיש לחיות מהלך אחרי אשה / *Turpe viro* incedere poſt mulierem. Excuſant Manoë, דלמא אחר דבריה ואחר עצתה / *Poſt verba & conſilium ejus.* Iſaac ea tempeſtate commorabatur in terra auſtrali, quo Judæi eum conceſſiſſe commentantur, ut adduceret ad Abrahamum Hagar, quam eandem eſſe volunt cum Cetura. Mercerus: *Ipſe autem habitabat, tunc ſcilicet, in terra auſtrali. Vbi ergò erat Abraham: Mirum eſt hic nullam ejus fieri mentionem, nec quod ad illum ſit Rebecca adducta. Vulgò putatum Iſaacum ſeorſum à patre habitaſſe, cum pater in Hebron ageret ubi Saram ſepelierat & ubi mortua fuerat, Iſaac vero in Beerſeba. Forſan maturè pater filium voluit regenda ſeorſim familia aſſueſcere & ideirco ei aliquam facultatem & familia partem reliquerat. Quidam ſeparationem factam putant, quod Abraham aliam uxorem duxiſſet, quod forſan nondum fecerat. Videtur autem illac fuiſſe iter faciendum Eliezero, ubi tum erat Iſaac, priuſquam ad Abrahamum veniret, ideo Iſaaci nunc tantum fieri mentionem: ſed poſtea non dubito & mox adductam ad Abrahamum. Forſan autem ſeorſum à patre adhuc agebat Iſaac ſed tantum eò miſſus fuerat ad certa negotia conficienda, id quod probabilius videtur.* Aben-eſdras: *Locus dictus eſt duobus nominibus in hoc loco:* Alii *dicunt*, Venit מבא *id eſt* מבפנים: *& ſic exponunt* [Eſ. 24. 10.] Clauſa eſt omnis domus מבוא. Hanc ſententiam ipſe approbat.

Ita Deus rem direxit, ut Iſaac eo ipſo tempore fuerit egreſſus in agrum quo adveniebat ſponſa. Calvinus; *Apparet Iſaac ſeorſim à patre habitaſſe: vel quod nimis copioſa erat familia: vel quod ita ferebat uſus. Et forte jam aliam uxorem induxerat ut fugiendis jurgiis viſum fuerit commodius illum uti proprio domicilio ſic magnæ opes ſuis moleſtiis permixtæ ſunt. Certe inter terrenas* Dei *benedictiones nulla fuiſſet Abrahæ dulcior, quam ſimul agere cum filio. Ejus quidem conſuetudine & uſu privatum fuiſſe non arbitror. Nam qua pietate fuit Iſaac, omnibus procul dubio officiis erga patrem defungi ſtuduit, hoc tantum defuit, quod non eodem uſi ſunt domicilio. Narrat autem Moſes; quomodo factum ſit, ut Iſaac incideret in uxorem, priuſquam illa domum veniret. Dicit eum ſub veſperam egreſſum eſſe meditandi vel orandi cauſa. Vtroque enim modo verbum Hebraicum* שוח *exponi poteſt. Credibile eſt, feciſſe id ex more & receſſum precibus fuiſſe quæſitum, quo mens omnibus avocamentis ſoluta liberius Deo vacaret. Sive autem meditationi ſive precibus dare operam voluerit, Dominus læto iſto occurſu præſentiæ ſuæ ſignum illi dedit.* Raſi de iſto vocabulo שיח ita: לשון תפלה כמו ישפך שיחו: *Significatio precationis, ut* [Pſ. 102. 1.] *effundet orationem ſuam.* In Jalkut, אין שיחה אלא תפלה: Aben-eſdras: ללכת בין השיחים / *ut ambularet inter virgulta*, animi recreandi gratia. Lyranus exiſtimat ſiderum contemplationi incubuiſſe, quod exagitat Burgenſis, Doring defendit. Tempus, quo hoc factum eſt, לפנות ערב / id eſt ut interpretatur Aben-eſdras קרוב כביאת השמש / *juxta occaſum ſolis.* Sublatis oculis videt adventare camelos. Calvinus: *Conjicere facile licet, Iſaac conſpectis camelis in eam partem flexiſſe iter, viſenda*

ſponſa

ſponſa deſiderio. Hinc data ſciſcitandi occaſio Rebeccæ. Audito vero reſponſo mox honoris cauſa ex camelo deſilit, ut ſponſum ſalutaret. Nam quod metu perculſam decidiſſe quidam putant, nullo modo convenit. Longius iter confecerat, quam ut debuerit multis comitibus protecta, tantopere expaveſcere ad unius hominis conſpectum. Falluntur autem interpretes illi, quia in verbis Moſis non expendunt rationem poſteà reddi: ut ſit ſenſus, Rebecca quum vidiſſet Iſaac, deſcendit ex camelo: quia ex ſervo quæſierat, quiſnam eſſet: ille autem dixerat eſſe filium domini ſui. Neque enim de quolibet homine obvio ſciſcitari in mentem veniſſet: ſed quia jam admonita fuerat non procul abeſſe domum Abrahæ, unum ſaltem quempiam ex domeſticis eſſe ſuſpicatur. Dicit etiam Moſes velum ſumpſiſſe: quod pudoris & pudicitiæ ſignum fuit. Nam & inde nubendi verbum deductum eſt; quod ſponſas maritis velatas dare ſolebant. Eundem quoque ritum à Patribus ſervatum fuiſſe non dubito. *Quo turpior* & minus excuſabilis eſt ſeculi noſtri laſcivia, in quo ſponſarum ornatus data opera ad proſtituendum pudorem componitur. Dicunt Judæi in Jalkut vidiſſe Rebeccam, quod Iſaaci manus שטוחה בתפלה *expanſa in oratione eſſet.* Dicunt honoris cauſa inclinaſſe ſemet & demiſiſſe è camelo. Alii fabulantur: Iſaacum prodiiſſe ex horto Eden, cum in campo obvius fieret. Cecidiſſe Rebeccam è camelo, quia prævidebat in Spiritu, naſciturum ex ſe eſſe Eſau: Lapſam genitalia ligno impacto læſiſſe. Hinc effluxiſſe ſanguinem virginitatis [דם בתולים] Deum autem imperaſſe Gabrieli, uti ſanguinem illum cuſtodiret integrum, ne vitium aliquod contraheret, Cum igitur Iſaac in primo congreſſu virginitatem in eo non inveniret ſuſpectum habuit Eliezerem. Quærit è Rebecca cauſam amiſſæ, quam ab ea expoſitam admittere noluit. Cum igitur juramento veritatem verbo aſſereret, itum eſt in rem præſentem. Conſpexere ſignum in palo: quod cum agnoſceret Iſaac, agnovit eam eſſe puram. Rogat igitur Deum, אמר הקב״ה מה אעשה לעבד שהיה חשוד אמר למלאכי השרת הכניסוהו חי בגן עדן: *Decebat, Benedicte Deus. quam faciam ſervo, quem ſuſpectum habui. Præcepit Deus angelis miniſterii, ut eum viventem in paradiſum introduceret.* Hunc Eliezerem dicunt fuiſſe filium Nemrodi. והוא תמיהה גדולה יצחק יצא מגן עדן חי ואליעזר נכנס בגן עדן חי: *Eſtque res admiranda; Iſaac vivens egreſſus eſt ex horto Eden, Eliezer vivens ingreſſus eſt in hortum Eden.* Portentoſa nugamenta fabularum, quibus ſtolidiſſima gens euanuit. Argutiæ immenſæ quibus voces captant in fabularum occaſiones. Nihil in ſacra eſt hiſtoria, quod non contaminaverint ſordibus & fœtido ſtercore, quo paſcitur miſera gens, poſtquam veritatem repudiavit. Salomo & Eſdræ filius agnoſcunt, quod ſe ſponte demiſerit, uti etiam habet Thargum & eandem expoſitionem in Ialkut probant Judæi. Non attigiſſe ipſum terræ ſolum ולא הגיעה עד הקרקע/ dicit Raſi: Iſaac primò Rebeccam ſponſam ſuam deduxit in tabernaculum matris, deinde accepit in uxorem. Calvinus: *Qua verborum ſerie legitimum nuptiarum morem à barbarie diſcernit Moſes. Et certè hoc poſtulat conjugii ſanctitas, ne ſe, pecudum inſtar, miſceant vir ac mulier: ſed fide mutuò data & invocato Dei nomine ſimul habitent. Præterea notandum eſt Iſaac, non tyrannico patris imperio coactum fuiſſe ad ducendam uxorem: ſed poſtquam animum ad eam adjecit liberè ſumpſiſſe & ex animo fidem conjugalem dediſſe.* Ex Breſith Rabba notatur in Jalkut & à Raſi, Rebeccam in tabernaculo Saræ, quæ diu ſiluerat à morte ejus, reduxiſſe induſtriam ſocrus, eamque repræſentaſſe: ut eam rediiſſe putares שכל זמן ששרה קיימא היה נר דלוק מערב שבת לערב שבת וברכה מצוה בעיסה וענן קשור על האהל ומשמתה פסקו וכשבאתה רבקה חזרו בר״ר. *Omni tempore quo erat in vivis Sara fuit lucerna accenſa à veſpera Sabbati ad veſperam ſabbati & benedictio*

inventa

inventa in maſſa farinacea & nubes ligata ſuper tabernaculum; quæ ea defuncta ceſſarunt: ingreſſaque Rebecca repetita ſunt. Credendum, quod piæ matronæ officia repetiverit, imitata Saram: ſed hoc non poteſt elici ex textu, qui loquitur ſine caſu contracto, per ellipſim שרה [ſubint. אהל] האהלה. Nec poteſt ex eo, quod Iſaac eam induxerit in tentorium matris, deduci, quod viderit eam matri ſimiliter omnia agere. Suavi è conſortio ſolatium habuit & vicit dolorem, quem è matris habebat morte. Colligitur hinc quam vehemens mœror fuerit ex obitu matris, quia triennium effluxerat, antequam matrimonium iniret. Tenero igitur & molli affectu amavit matrem. Calvinus: *Nec verò mœrorem Iſaac prorſus excuſo: tantum admoneo, quod eſt humanitatis non debere prorſus damnari. Etſi autem id vitioſum fuit non poſſe dolorem abſtergere ex animo, donec prævaleret oppoſita conjugii lætitia: Moſes tamen hoc in Dei beneficiis numerat, quod qualecunque remedium ſervo ſuo adhibuit.* Raſi: *Conſuetudo terræ, omni tempore, quo mater hominis vivit,* אצלה הוא כרוך *| alligatus eſt apud eam; poſtquam obiit, conſolationem habet in uxore ſua.* Rabbi Joſi in Jalcut dicit מכאן אתה למד עד שלא לקח אדם אשה אהבתו הולכת אחר הוריו לקח אדם אשה אהבתו הולכת אחר אשתו שנאמ׳ על כן יעזב איש את אביו וגו׳ וכי יעזב איש את מצות כבד אלא שאהבת נפשו חבקת אחרי אשתו שנאמר ודבק באשתו: *Hinc diſcito; hominis nondum conjugati amor vadit poſt ſuos progenitores; ut ubi conjugem duxit, vadit ejus amor poſt uxorem ſuam Q. D.* Ideò relinquet vir patrem ſuum &c. *Nunquid relinquet præceptum honorandi: Quin dilectio animæ adhærebit poſt uxorem ſuam Q. D:* Et adhærebit uxori ſuæ, R. Joden docuit ex hac hiſtoria, conſuetudinem terræ eſſe, quod ſi cui defuncta ſit uxor, è qua habeat liberos grandes, prius quam aliud matrimonium ineat, eos eſſe collocandos matrimonio: ut Abraham uxorem filio dedit antequam duceret Ceturam.

CAP. XXV.

POST ID ABRAAM ACCEPIT UXOREM CETURAM] Hanc eſſe Hagar dixit R. Juda, quod admiſit Raſi. Infirmum hujus, ut omnium aliarum nugarum fundamentum eſt, quia apud fontem Lachai Roi, quem illi & Iſmaeli Deus oſtenderat Iſaac obvius datus eſt Rebeccæ. Quaſi non potuerit ob aliam cauſam ſe illuc loci contuliſſe, niſi ad Hagar reducendam in thorum patris. Varias autem rationes comminiſcuntur mutati aut dati hujus nominis. Cetura, quia nomine differt in hiſtorica narratione, aliam eſſe ab Hagar nullum eſt dubium. Deinde filii ejus & poſteritas, à poſteritate Hagar diſerte diſcriminantur. De Ceturæ filiis & poſteritate v. 2. 3. de Hagar & Iſmaëlis ſobole v. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. Sic etiam diſtinguuntur I. Chronič. 29. 30. 31. 32. 33. Bene igitur Aben-eſdras & hic ſe oppoſuit איננה הגר כי כתוב ולבני הפלגשים ופירוש פילגש שפחה וזה השם איננו נופל על זכר ונוכל לפרש על פילגשים נשים *Non eſt Hagar quia ſcriptum* (v. 6.) *Et filiis concubinarum: Significat autem* פילגש (concubina) *ancillam. Hoc nomen non cadit in marem & exponi tantum poteſt de concubinis mulieribus.* Raſi dicit פילגשם defectivè ſcribi, quia duo tantum nomina unius concubinæ ſint. Vide de his Lyranum.

Diſcrimen inter uxores, & concubinas quod illæ בכתובה hæ בלא כתובה: de quo aliàs. Sed illud admiratione dignum, quod Abraham in ſenectute effœta genuiſſe dicatur & velut miraculo, quum eſſet centenarius; hic autem poſt

poſt mortem Saræ quum anni circiter quadraginta præterea tranſacti eſſent & ætas tantò provectior, dicatur genuiſſe ſex filios è Cetura. Primum excuſandus eſt à libidine, cum deſiderio propagandæ poſteritatis & implendæ divinæ benedictionis impulſum ductaſſe pronuntiandum ſit. Quia in Iſaac appellandum erat ſemen, legitimam uxorem noluit ducere: ne hæreditati propagandæ ſoboles immiſceretur. Quidam ut admirationi & difficultati reſpondeant, arbitrantur hyſterologian eſſe, ut vivente Sara, poſtquam admiſiſſet Hagar, prout facilis tranſitus ad ulteriora patet perfracto limite, Ceturam adjecerit. Immanis illa hyſterologia eſt & ſine ratione, unde ab interpretum conſenſu rejecta. Deinde non poteſt admitti, quia quæro ſitne ante Iſaçum natum anne poſt eum natum Cetura aſſumpta? Si ante Iſaac natum eoque & datam circumciſionem: ex ea nati debuerunt circumcidi: atqui prima circumciſione tantum circumciſi ſunt Abraham, Iſmael & ſervi Gen. 17. 26. 27. Poſt natum Iſaac, ejecta eſt Hagar cum filio, ut domus Abrahæ pura eſſet à ſpuriis. Sara indicat ſatis cap. 21. 10. ſe nolle ut cum filio in ædibus ſuis illegitimum ſemen cohabitaret. Unde liquet vivente Sara non intraſſe Abrahamum in thorum mulieris alienæ. Qui etiam Hagar non adſciviſſet cum nondum ullam prolem haberet, niſi Saræ impulſu. Moſes etiam expreſſe ſatis indicat poſt Saræ mortem aſſumptam eſſe Ceturam ויסף אברהם ויקח אשה. Hæc cohærent cum narratione de morte Saræ. Nemo autem miretur reſtitutum eſſe vigorem Abrahamo, cum & forma & vigor Saræ redierint. Unde è juvencula gignere potuit. Si poſt mortem Saræ ducta eſt Cetura, non poteſt eſſe eadem cum Hagar, quam oportuit tum ad annum fermè ſeptuageſimum perveniſſe. Ceturæ & Hagaris progenies in unum locum conjuncta proponitur, quæ poſt longum inde tempus prognata eſt. Ceturæ filii ſex fuerunt. Zamran, Jacſan, Madan, Madian, Jesboc & Suê. Non exiſtimem Abraham ex illis filiis nepotes vidiſſe. Moſes recenſet è duobus Jecſan & Madian. Jecſan genuit Saba & Dadan. Ex illo Dadan procreati ſunt Aſſurim, Latuſſim, Laomim. Madian, quinque filios habuit: Epha, Epher, Henoch, Abida, Eldaa.

Iſmael genuit duodecim filios, è quibus duodecim φυλαὶ & φυλάρχας in illa gente. Nomina filiorum Iſmael: Nebajoth, Cedar, Adbeel, Mabſan, Maſma, Duma, Maſſa, Hadad, Thema, Jetur, Naphis, Cedma.

Joſephus concubinam appellat χαιτούραν: γαμεῖ δ' αὐτὸς χαιτούραν ὕστερον, ἐξ ἧς αὐτῷ παῖδες ἓξ γίνονται, πρόστε πόνους καρτεροὶ καὶ δεινοὶ συνιέναι. Nomina eorum in Hebræo זִמְרָן יָקְשָׁן מְדָן מִדְיָן יִשְׁבָּק שׁוּחַ. Joſephus concipit ζεμβράνης ἰαζάρης [leg. ἰαξάνης] μαδάνης, μαδιάνης, λουσούβακος [l. ἰουσούβακος] σοῦος. Joxan genuit סְבָא & דְּדָן. Joſephus hic, Σοὺ μὲν σαβακάνης γίνεται καὶ δαδάνης. Reformaverim: Ἰουσούβακε μὲν σαβᾶς γίνεται κ. δ. Dadane nati אשורים ולטושים ולאמים; Joſephus λατούσιμος, ἄσουρος, λουούρης [l. λουούμης] Inde: Μαδάνου (leg. Μαδιάνου) δὲ ἧφας (f. ἧφας) ,ὤφρης, ἄνοχος, ἔβιδας, ἐλδᾶς. Idem Joſephus autor eſt ab illis Troglodytin & Arabiam Felicem habitatas eſſe. Τούτοις ἅπασι τοῖς παισὶ καὶ τοῖς υἱωνοῖς Ἄβραμος ἀποικιῶν στόλους μηχανᾶται καὶ τήν τε τρωγλοδῦτιν καταλαμβάνουσι καὶ τῆς εὐδαίμονος ἀραβίας ὅσον ἐπὶ τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν καθήκει. Sed de his poſteà.

Iſmaëlis duodecim filii à Joſepho appellantur: Ναβαιώθης, κήδαρος, αὐδδήλος, ἠδουμᾶς: μάσσαμος μαίμασσος, μάσμησσος & χόδαμος, θεμανὸς, ἰέτουρος, νάφαισος, κάλμασος. Quatuor priora ut ἰέτουρος & θέμανος & νάφαισος benè concepta eſſe puto ex mente Joſephi, at μάσσαμος corrigo in Μάψαμος; χόδαμος in χόδαρος; Κάλμασος in καδμασος. Reſtant in Hebræo מִשְׁמָע & מַשָּׂא, quæ in duobus reliquis corruptè latent. Joſephus: οὗτοι πᾶσαν τὴν ἀπ' εὐφράτου καὶ

καθή-

καθήκουσαν πρὸς τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν κατῴκησαν. Ita exprimere voluit, quod in ſacro textu v. 18. *Habitabant ab Havila uſque Sur, quod è regione Ægypti, venire te in Aſſyriam,* בֹּאֲכָה אַשּׁוּרָה; Græci, *ἕως ἐλθεῖν πρὸς Ἀσσυρίους.* Hevila (Gr. *Εὐιλὰτ*) Aſſyriæ finitima fuiſſe videtur. Hi igitur medii habitarunt inter Ceturæ poſteros & Iſaci. Hoc fortaſſis vult Sp. S. על פני כל אחיו נפל / *κατὰ πρόσωπον πάντων τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ κατῴκησε.* Regionem univerſam appellatam eſſe Ναβατηνὴν Joſephus teſtatur. In eo ſequitur: *Εἰσὶ δὲ οὗτοι οἱ τῶν ἀράβων ἔθνος καὶ τὰς φυλὰς ἀπ' αὐτῶν καλοῦσι, διά τε τὴν ἀρετὴν αὐτῶν καὶ διὰ τὸ Ἀβράμου ἀξίωμα.* Locus in mendo cubat, uti apparet: ego autem fateor me non videre emendationem. Gentem Arabum ob eorum virtutem & dignationem Abrahami in duodecim tribus diviſam eſſe, quæ ab illis nomen habeant. Scriptura videtur ſignificare è duodecim filiis duodecim populos prodiiſſe, qui nomen à ſuis progenitoribus tulerint. Ita duodecim ipſis erant נשׂאים / pro numero populorum. Sed Joſephus Alexandri Polyhiſtoris narrationem è Melone ſequitur. Eam infrâ adducemus. Fuiſſe illis ſua palatia & vicos חצריהם וטירותם. *Hæc ſunt nomina eorum in palatiis & vicis eorum.* Græci: *ταῖς σκηναῖς αὐτῶν καὶ ταῖς ἐπαύλεσιν αὐτῶν.* Chaldæus בפצחיהון ובכרכיהון. Rabbi Salomo voce priori dicit ſignificari oppida ſine muris. Sur in Chaldæo redditur חגרא. Aben-eſdras טירת interpretatur ארמנים.

Abraham hæredem habuit Iſaac, filiis concubinarum diſtribuit dona dimiſſis ſe vivente in orientem. Aben-eſdras, ממון נתן להם. Raſi, פירשו רבותינו שם טומאה מסר להם. In codice Sanhedrin fol. 61. a. ita fabulantur Judæi: *Aliquando venerunt filii Iſmael & filii Ceturæ ad diſceptandum cum Iſraele coram Alexandro Macedone, dicentes, Terram Canaan ipſorum & Iſraelis eſſe communem, quia ſcriptum ſit, Hæ generationes Iſmaelis filii Abraham, ut ſcriptum, Hæ generationes Iſaac filii Abraham. Dicit Gebiha filius Pheſiſa ſapientibus, Date mihi poteſtatem, ibo & diſceptabo cum ipſis coram Alexandro Macedone: Si ſuperent me, dicite; idiotam inter nos, viciſtis: Et ſi ego ſuperem eos dicite: Lex Moſis magiſtri noſtri ſuperavit vos. Dederunt ipſi poteſtatem, ivit & diſceptavit cum ipſis. Dicebat ipſis, Vnde afferetis probationem? qui dixerunt, è lege. Tum ipſe, Etiam ego non afferam aliam probationem, niſi è lege: Q. D. Et dedit Abraham, quicquid ipſi erat, Iſaco, at filiis concubinarum, qui Abrahamo erant, dedit dona. Pater qui dedit codicillos filiis ſuis, dum vivit & ſeparavit hunc ab illo, Eſt ne aliquid iſti contra iſtum? Quid ſunt dona? Dixit R. Ieremia filius Aba, Docet, quod tradiderit ipſis nomen pollutionis.* Abraham dedit filio Iſaac כל אשר לו hic Judæi argutantur; R. Juda dicit בכורה R. Nehemias ברכה. Magiſtri קבורה ודייתיקי. R. Levi à R. Hama filio Hanina, non benedixit ſed dedit dona. Exemplum de rege, cui Paradiſus erat, quem tradidit hortulano. In eo erant duæ arbores [כרוכים זה לזה] junctæ inter ſe, una [של סם חיים] aromatis vitæ, alteræ (של סם מות] aromatis mortis. Dicebat hortulanus. Si ego irrigem hanc aromatis vitæ, iſta aromatis mortis (חי עמו) recreabitur cum illa: Et ſi non irrigem iſtam aromatis mortis, cum ea aromatis vitæ vivet? חזר ואמר אנא ארים אנא מה דהני למריה דפרדסא למעבד יעבר לידה.

Iterum dixit, ſeu ad ſe reverſus dixit: Ego ſum hortulanus, quid ad me? Quod commodum eſt domino facere faciat. Ita dicebat Abraham: Si benedicam Iſaac filio meo, nunc, Iſmael & filii Ceturæ comprehenſim (בכלל) Et ſi non benedicam Iſmaeli & filiis Ceturæ, quomodo benedicam Iſaco? Colligens ſe dixit, Ego hortulanus, ſed quod Deus benedictus in ſeculo ſuo facit, faciat. Igitur mortuo Abrahamo Deus apparuit Iſaac filio ejus & illi benedixit. Hæc è Jalkut legis. Raſi dicit ideo Abrahamum non benedixiſſe

dixiſſe Iſaco quia viderat Eſau ex eo natum eſſe: at hoc reſignaſſe Deo. Scilicet ita argutantur ex eo quod non legatur Abraham Iſaco benedixiſſe, cum legatur v. 11. Poſt mortem Abrahami Deus Iſaco filio ejus benedixit. Quaſi hæc eſſet precatio boni humana cum ſit divina collatio. Deus enim Iſaco benedixit ut parenti benedixerat in Cananæa peregrinanti. Ideo rectè exponitur à Lyrano, Augmentavit eum in ſpiritualibus bonis & temporalibus. Abraham obiit anno ætatis ſuæ 175, id eſt, quindecim annis poſt natos nepotes Jacob & Eſau. Scriptura ſingulis partibus ſummæ ævi centum & ſeptuaginta & quinque, in enuntiando vocem anni adjecit. Hoc non potuit ſine argutiis Judaicis prætermitti, ut ſupra de Sara: quaſi ſenſus eſſet: cum haberet centum annos, item ſeptuaginta annos, quod purus & integer fuerit, ut puer quinque annorum. Sepelierunt Abrahamum duo filii Iſaac & Iſmael in ſpelunca illa, quam Abraham emerat ab Ephrone, apud conjugem Saram. Hoc eſt, quod dicit Sulpicius: CORPUS SEPULCRO SARRAE UXORIS APPOSITUM. Iſmael erat 89. novem annorum, cum moreretur Abrahami, cui ſupervixit annis 48. Nam Iſmael diem ſuum obiit cum annos haberet 137. Iſmaelis obitum Scriptura conjunxit cum brevi illa narratione poſteritatis, quam hoc loco complexus eſt, non iterum de eo locutura, ut ſine offenſa & digreſſione deinceps (quod præcipui propoſiti erat) ad Iſaaci hiſtoriam pergeret. Cum Iſmaël è vita exiret, Iacob habebat annum centeſimum viceſimum quartum, filii ſexaginta quatuor annorum erant. Ideoque in cap. 28. v. 9. adhuc in vivis erat Iſmael, cujus filiam duxiſſe traditur Eſau. Jacob è Meſopotamia redierat in Cananæam antequam vita excederet Iſmaël. Ita temporis ratione cohæret mors Iſmaelis cum cap. 35. Cæterum Judæi arguunt Iſmaelem reſipuiſſe ex his argumentis: Primò honorem habuit patri mortuo, quem cum Iſaac ſepeliit: deinde præpoſuit ſibi Iſaac, qui à Moſe primo loco memoratur in narratione de ſepultura v. 9. Tertiò mortem Iſmaelis deſcribit per vocem גוע quam & de Abrahamo effert. Hanc enim non dici niſi de obitu juſtorum. Iſaac eâ tempeſtate habitabat apud puteum Lachai Roï, videtur autem patre defuncto habitatum conceſſiſſe in Mambre ex collatione cap. 25. v. 11. & cap. 35. v. 27.

Quæ externi ſcriptores de Abrahamo prodiderint?

INſigne hic eſt fragmentum Alexandri Polyhiſtoris, apud Euſebium lib. 9. præparat. cap. 27. Is ἐν τῇ περὶ Ἰουδαίων συντάξει, ita ex Eupolemo ſcripſit: Εὐπόλεμος δὲ ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων, τῆς Ἀσσυρίας, φησὶ, πόλιν Βαβυλῶνα πρῶτον μὲν κτισθῆναι ὑπὸ τῶν διασωθέντων ἐκ τοῦ κατακλυσμοῦ· εἶναι δ' αὐτοὺς γίγαντας· οἰκοδομεῖν δὲ τὸν ἱστορούμενον πύργον· πεσόντος δὲ τούτου ὑπὸ τῆς τοῦ θεοῦ ἐνεργείας, τοὺς γίγαντας διασπαρῆναι καθ' ὅλην τὴν γῆν. Δεκάτῃ δὲ γενεᾷ, φησιν, ἐν πόλει τῆς Βαβυλωνίας Καμαρίνῃ, ἥν τινας λέγειν πόλιν Οὐρίην· εἶναι δὲ μεθερμηνευομένην Χαλδαίων πόλιν (ἐν τρισκαιδεκάτῃ) γενέσθαι Ἀβραὰμ γενεᾷ, εὐγενείᾳ καὶ σοφίᾳ πάντας ὑπερβεβηκότα· ὃν δὴ καὶ τὴν ἀστρολογίαν καὶ χαλδαϊκὴν εὑρεῖν, ἐπί τε τὴν εὐσέβειαν ὁρμήσαντα. εὐαρεστῆσαι τῷ θεῷ. Τοῦτον δὲ διὰ τὰ προστάγματα τοῦ θεοῦ, εἰς Φοινίκην ἐλθόντα κατοικῆσαι καὶ τροπὰς ἡλίου καὶ σελήνης καὶ τὰ ἄλλα πάντα διδάξαντα τοὺς Φοίνικας, εὐαρεστῆσαι τῷ βασιλεῖ αὐτῶν. Ὕστερον δὲ Ἀρμενίους ἐπιστρατεῦσαι τοῖς Φοίνιξι· νικησάντων δὲ καὶ αἰχμαλωτισάντων τὸν ἀδελφιδοῦν αὐτοῦ, τὸν Ἀβραὰμ μετ' οἰκετῶν βοηθήσαντα, ἐγκρατῆ γενέσθαι τῶν αἰχμαλωτισαμένων καὶ τῶν πολεμίων αἰχμαλωτίσαι τέκνα καὶ γυναῖκας. Πρέσβεων δὲ παραγενομένων πρὸς αὐτὸν, ὅπως χρήματα λαβὼν ἀπολυτρώσῃ ταῦτα, μὴ προελέσθαι τοῖς δυστυχοῦσιν ἐπεμβαίνειν, ἀλλὰ τὰς τροφὰς λαβόντα τῶν νεανίσκων, ἀποδοῦναι τὰ αἰχμάλωτα, ξενισθῆναι

τι αὐτὸν ὑπὸ πόλεως ἱερὸν, Ἀργαριζὶν, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον ὄρος ὑψίστου. Παρὰ δὲ τοῦ Μελχισεδὲκ ἱερέως ὄντος τοῦ θεοῦ καὶ βασιλεύοντος λαβεῖν δῶρα. Λιμοῦ δὲ γενομένου τὸν Ἀβραὰμ ἀπαλλαγῆναι εἰς Αἴγυπτον πανοικίᾳ, κἀκεῖ κατοικεῖν, τήν τε γυναῖκα αὐτοῦ τὸν βασιλέα τῶν Αἰγυπτίων γῆμαι, φάντος αὐτοῦ ἀδελφὴν εἶναι. Περισσότερον δ' ἱστόρησεν, ὅτι οὐκ ἠδύνατο αὐτῇ συγγενέσθαι καὶ ὅτι συνέβη φθείρεσθαι αὐτοῦ τὸν λαὸν καὶ τὸν οἶκον. Μάντεις δὲ αὐτοῦ καλέσαντος, τοῦτο φάναι, μὴ εἶναι χήραν τὴν γυναῖκα· τὸν δὲ βασιλέα τῶν Αἰγυπτίων οὕτως ἐπιγνῶναι ὅτι γυνὴ ἦν τοῦ Ἀβραὰμ καὶ ἀποδοῦναι αὐτὴν τῷ ἀνδρί. Συζήσαντα δὲ τὸν Ἀβραὰμ ἐν Ἡλιουπόλει τοῖς Αἰγυπτίων ἱερεῦσι, πολλὰ μεταδιδάξαι αὐτοὺς, καὶ τὴν ἀστρολογίαν καὶ τὰ λοιπὰ τοῦτον αὐτοῖς εἰσηγήσασθαι. Φάσκων Βαβυλωνίους ταῦτα καὶ αὐτὸν εὑρηκέναι, τὴν δὲ εὕρεσιν αὐτῶν εἰς Ἐνὼχ ἀναπέμπειν καὶ τοῦτον εὑρηκέναι πρῶτον τὴν Ἀστρολογίαν οὐκ Αἰγυπτίους. Βαβυλωνίους γὰρ λέγειν πρῶτον γενέσθαι Βῆλον, ὃν εἶναι Κρόνον. Ἐκ τούτου δὲ γενέσθαι Βῆλον καὶ Χαναάν· τοῦτον δὲ τὸν Χαναὰν γεννῆσαι τὸν πατέρα τῶν Φοινίκων. Τούτου δὲ Χοὺμ υἱὸν γενέσθαι, ὃν ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων λέγεσθαι Ἄσβολον, πατέρα δὲ Αἰθιόπων, ἀδελφὸν δὲ Μεστραὶμ, πατέρα (l. πατρὸς) Αἰγυπτίων. Ἕλληνας δὲ λέγειν τὸν Ἄτλαντα εὑρηκέναι ἀστρολογίαν· εἶναι δὲ τὸν Ἄτλαντα τὸν αὐτὸν καὶ Ἐνώχ. Τοῦ δὲ Ἐνὼχ γενέσθαι υἱὸν Μαθουσάλαν, ὃν πάντα δι' ἀγγέλων θεοῦ γνῶναι καὶ ἡμᾶς οὕτως ἐπιγνῶναι. Hactenus Alexander ex Eupolemo, inde ex Artabano; Ἀρτάβανος δέ φησιν ἐν τοῖς Ἰουδαϊκοῖς τοὺς μὲν Ἰουδαίους ὀνομάζεσθαι Ἑρμιοὺθ, ὃ εἶναι μεθερμηνευθὲν κατὰ τὴν Ἑλλάδα φωνὴν, Ἰουδαῖοι· καλεῖσθαι δὲ αὐτοὺς Ἑβραίους ἀπὸ Ἀβραάμου. Τοῦτον δέ, φησι, πανοικίᾳ ἐλθεῖν εἰς Αἴγυπτον, πρὸς τὸν τῶν Αἰγυπτίων βασιλέα Φαρεθώθην, καὶ τὴν Ἀστρολογίαν αὐτὸν διδάξαι· μείναντα ἔτη ἐκεῖ εἴκοσι, πάλιν εἰς τοὺς κατὰ Συρίαν ἀπαλλαγῆναι τόπους· Τῶν δὲ τούτῳ συνελθόντων πολλοὺς ἐν Αἰγύπτῳ καταμεῖναι, διὰ τὴν εὐδαιμονίαν τῆς χώρας. Ἐν δὲ ἀδεσπότοις [Neſcio an eadem hæc apud Artabanum habeantur, an ipſe Polyhiſtor ex illis libris ſine certo autore deſcripſerit] εὕρομεν τὸν Ἀβραὰμ ἀναφέροντα εἰς τοὺς γίγαντας, τούτους δὲ οἰκοῦντας ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ, διὰ τὴν ἀσέβειαν ὑπὸ τῶν θεῶν ἀναιρεθῆναι, ὧν ἕνα Βῆλον ἐκφυγόντα τὸν θάνατον, ἐν Βαβυλῶνι κατοικῆσαι, πύργον τε κατασκευάσαντα, ἐν αὐτῷ διατρίβειν· ὃν δὴ ἀπὸ τοῦ κατασκευάσαντος Βήλου, Βῆλον ὀνομασθῆναι. Τὸν δὲ Ἀβραὰμ τὴν ἀστρολογικὴν ἐπιστήμην παιδευθέντα, πρῶτον μὲν ἐλθεῖν εἰς τὴν Φοινίκην, καὶ τοὺς Φοίνικας ἀστρολογίαν διδάξαι, ὕστερον δὲ εἰς Αἴγυπτον παραγενέσθαι. Deinde ex Melone idem Polyhiſtor: ὁ δὲ τὴν συσκευὴν τὴν κατὰ Ἰουδαίων γράψας Μόλων, κατὰ τὸν κατακλυσμόν φησιν, ἀπὸ τῆς Ἀρμενίας ἀπελθεῖν τὸν περιλειφθέντα ἄνθρωπον μετὰ τῶν υἱῶν, ἐκ τῶν ἰδίων ἐξελαυνόμενον ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων· διανύσαντα δὲ τὴν μεταξὺ χώραν, ἐλθεῖν εἰς τὴν ὀρεινὴν τῆς Συρίας οὖσαν ἔρημον. Μετὰ δὲ τρεῖς γενεὰς Ἀβραὰμ γενέσθαι, ὃν δὴ μεθερμηνεύεσθαι πατρὸς φίλον· ὃν σοφὸν γενόμενον τὴν ἐρημίαν μετελθεῖν. Λαβόντα δὲ δύο γυναῖκας, τὴν μὲν ἐντόπιον, συγγενῆ, τὴν δὲ Αἰγυπτίαν θεράπαιναν· ἐκ μὲν τῆς Αἰγυπτίας γεννῆσαι υἱοὺς ΙΒʹ οὓς δὴ εἰς Ἀραβίαν ἀπελθόντας διελέσθαι τὴν χώραν, καὶ πρώτους βασιλεῦσαι τῶν ἐγχωρίων. ὅθεν ἕως καθ' ἡμᾶς δώδεκα εἶναι βασιλεῖς Ἀράβων, ὁμωνύμους ἐκείνοις. Ἐκ δὲ τῆς γαμετῆς υἱὸν αὐτῷ γενέσθαι ἕνα, ὃν ἑλληνιστὶ Γέλωτα ὀνομασθῆναι. καὶ τὸν μὲν Ἀβραὰμ γήρᾳ τελευτῆσαι· Γέλωτος δὲ καὶ γυναικὸς ἐγχωρίου υἱοὺς ἕνδεκα γενέσθαι καὶ δωδέκατον Ἰωσὴφ καὶ ἀπὸ τούτου τρίτον Μωσῆν. Hæc Polyhiſtor, quibus poſt alia ſubjungit: Μετ' οὐ πολὺν δὲ χρόνον τὸν θεὸν τῷ Ἀβραὰμ προστάξαι, Ἰσαὰκ τὸν υἱὸν ὁλοκαρπῶσαι αὐτῷ. Τὸν δὲ ἀναγαγόντα τὸν παῖδα ἐπὶ τὸ ὄρος, πυρὰν νῆσαι καὶ ἐπιθεῖναι τὸν Ἰσαάκ· σφάζειν δὲ μέλλοντα, κωλυθῆναι ὑπὸ ἀγγέλου, κριὸν αὐτῷ πρὸς τὴν κάρπωσιν παρασχόντος. Τὸν δὲ Ἀβραὰμ τὸν μὲν παῖδα καθελεῖν ἀπὸ τῆς πυρᾶς, τὸν δὲ κριὸν καρπῶσαι. Verſus quoſdam è Philone ſeniore producit Euſebius, loquentes de Abrahami ſacrificio. Ille enim ſcripſit τὰ περὶ τὰ Ἱεροσόλυμα. Verſus illi ſunt ex illius operis libroprimo:

Ἔκλυον ἀρχεγόνοισι τὸ μυρίον ὥς ποτε θεσμοῖς
Ἀβραὰμ κλυτοηχὲς ὑπέρτερον ἅμματι δεσμῶν
Παμφαὲς, πλήμμυρε, μεγαυχήτοισι λογισμοῖς,

Ου-

Θεοφιλῆ θέλγητρα. λιπόντε γὰρ ἀγλαὸν ἕρκος
Αἰνοφύτων, ἐκκαυμα βελήπτος ἀινετὸς ἴχων.
Ἀθάνατον πόνησεν ἰλεὼ φάτιν, ἐξ ὅτ᾽ ἐκείνε
Ἔγγονος, ἀινογόνοιο πολύμνιον ἔλλαχε κῦδος.

Poſtea:

Ἀρτίχειρος θηκτοῖο ξιφηφόρον ἐντυπόντος
Λήμμαλι, καὶ σφαραγοιο παραχλιδὸν ἀθροισθέντος
Ἀλλ᾽ ὁ μὲν ἐν χείρεσσι κερασφόρον ὤπασε κριόν.

Horum verſuum interpretationem deſpero, poſui tamen, ne mea bibliotheca hac in parte deficeret. De Ceturæ poſteritate Polyhiſtorem eundem & Euſebius & Joſephus producunt ſed Euſebius è Joſepho, Joſephus ita: Λέγεται δὲ ὡς οὗτος ὁ Σώφρης (apud Euſebium ὁ Ἀφρὴν) στρατεύσας ἐπὶ τὴν Λιβύην, κατέσχεν αὐτὴν, καὶ οἱ υἱωνοὶ αὐτῦ κατοικήσαντες ἐν αὐτῇ, τὴν γῆν ἀπὸ τῦ ἐκείνε ὀνόματος Ἄφρικαν (apud Euſebium Ἀφρικὰ) προσηγόρευσαν. Μαρτυρεῖ δέ μου τῷ λόγῳ (καὶ) Ἀλέξανδρος ὁ πολυΐστωρ, λέγων οὕτως· Κλεόδημος δέ φησιν ὁ προφήτης ὁ καὶ Μαλχὸς (Euſ. Μαλχᾶς) ὁ ἱστορῶν τὰ περὶ Ἰουδαίων, καθὼς καὶ Μωυσῆς ἱστόρησεν ὁ νομοθέτης αὐτῶν, ὅτι ἐκ Χατύρας (E. χετθύρας). Ἀβραάμου ἐγένοντο παῖδες ἱκανοί· λέγει δὲ αὐτῶν καὶ τὰ ὀνόματα, ὀνομάζων τρεῖς, Ἄφεραν, Συρείμ, Ἰάφραν, (Euſ. Ἀφὲρ, Ἀσὺρ, Ἀφράν) ἀπὸ Συρεὶμ (E. καὶ ἀπὸ Ἀσὺρ) μὲν τὴν Ἀσσυρίαν κεκλῆσθαι [abeſt ab Euſebiana allegatione) ἀπὸ δὲ τῶν δύο, Ἀφρᾶ τε καὶ Ἰάφρα (E. Ἀφὴρ) πόλιν τε Ἄφραν καὶ τὴν χώραν Ἄφρικαν (E. ἄφρικα) ὀνομασθῆναι. Τούτους δὲ Ἡρακλεῖ συστρατεῦσαι ἐπὶ Λιβύην καὶ Ἀνταῖον. γήμαντα δὲ τὴν Ὄφραν (E. Ἀφρὰ) θυγατέρα Ἡρακλέα, γεννῆσαι υἱὸν ἐξ αὐτῆς Δίδωρον (E. Διόδωρον) τούτου δὲ γενέσθαι Σοφῶνα [E. Σοφωνᾶν] ἀφ᾽ οὗ τοὺς βαρβάρους Σόφακας (Euſ. Σοφὰς) λέγεσθαι. Delıis ſcriptoribus, qui veritati ſtuduerunt at uſquequaque litare non potuerunt, Joſephus prudenter judicat ὁ μέντοι Φαληρεὺς Δημήτριος καὶ Φίλων ὁ πρεσβύτερος καὶ Εὐπόλεμος, οὐ πολὺ τῆς ἀληθείας διήμαρτον, οἷς συγγινώσκειν ἄξιον. οὐ γὰρ ἐνῆν αὐτοῖς μετὰ πάσης ἀκριβείας τοῖς ἡμετέροις γράμμασι παρακολουθεῖν. Obſervari in tranſitu poteſt uſus vocis παρακολουθεῖν, qualis eſt apud Lucam Euang. cap. 1. 3. παρηκολουθηκότι πᾶσιν ἀκριβῶς. Eupolemus igitur Abrahamum natum eſſe dicit Camarinæ in Chaldæa? Aſtrologiam inveniſſe eamque docuiſſe Phœnicas & Ægyptios. Idem & Artapanus docent, Natum eſſe decima generatione, Melon aberrans tertiam ponit. Eupolemus ab Armeniis liberatum eſſe ab Abrahamo Lotum narrat, innuens hiſtoriam, quæ Geneſeos cap. 14. ſcripta eſt. Melchiſedecum ſacerdotem fuiſſe in Αργαριζὶν id eſt חר גריזים & ibi templum Dei fuiſſe. Quæ hauſta ſunt è lacunis Samaritarum, à quibus edoctum eſſe Eupolemum inde patet. Ex iiſdem fontibus eſt, quod Hieronymus Salem illam hujus Pontificis urbem in agro Sicimenſium collocet, uti ſuperius vidimus. Ab iiſdem forte Samaritis eſt, quod Heliopolicum ſacerdotibus ſit congreſſus eoſque matheſin docuerit. Enochum aſtrologiæ parentem fuiſſe è fabulis eſt, uti quod Mathuſalas ad angelis eam ſit edoctus. Cæterum Babylonio ſermone tradit hanc Chami genealogiam: Belus primus, cognomento Saturnus genuit Belum alterum & Canaan. E Canaan dicit natum eſſe partem Phœnicum. Hujus patris Phœnicum filios fuiſſe Chus & Meſtrain è quibus Ægyptii & Æthiopes prodierint. At in veritate hiſtoriæ non fuere nepotes ſed fratres Canaan. Belus alter fuerit Nembrod, primus autem Cham. Idem videtur dicere Polyhiſtoris narratio ex Anecdotis, qui Belum (intellige ſecundum) turris Babylonicæ conditorem facit. Nemrod fuit nepos non filius Chami. Sed magna hic eſt confuſio. Abrahami ſacrificium Melo pleniſſimè narrat: at Abrahami confundit ſobolem.

lem. Iſmaelem confundit cum Abrahamo, quia ſcribit Abrahamum ex Ægyptia muliere duodecim filios genuiſſe. Jacobum in Iſaco omittit, quia γέλωτα id eſt Iſacum narrat è conjuge duodecim filios procreaſſe, quorum minimus fuerit Joſephus. Cleodemus propheta Judaica conſcripſit, hic dicit, è Ceturæ filiis Afer & Afran Africam condidiſſe, ut Aſſur Aſſyriam. Falſum eſſe novimus, quod dicit de Aſſur: Afer autem & Afran Madianis filios cum Hercule Ægyptio in Lybiam profectos eſſe & Africæ nomen edidiſſe quis pro vero admiſerit? Quamvis Herculis & Antæi ætatem convenire non abnuam. Judæi & gentiles ſcriptores (qui à Judæis & Samaritis acceperunt) attribuunt Abrahamo ſideralis ſcientiæ peritiam. Inde Lyranus illam egreſſionem Iſaaci in agrum, cum adveniret Rebecca, exponit de contemplatione ſiderum. *Hebræi*, inquit, *dicunt ad orandum: quia circa tempus veſperarum conſuetudo eſt Iudæis orare. Vel forſitan egreſſus fuerat ad videndum diſpoſitionem ſtellarum, quæ incipiebant apparere: quia edoctus erat in aſtronomia à Patre, qui primus docuit aſtronomiam in Ægypto.* Circa hanc conjecturam, digladiantur Paulus Burgenſis & Doring. Nam Burgenſis eam ita impugnat: *Dicere, quod Abraam fuit edoctus in Aſtronomia & quod primus eam docuit in Ægypto, nullum fundamentum habet in ſacra ſcriptura nec etiam rationi videtur conſentaneum. Primum patet: Non enim in hiſtoria propria ipſius Abraæ, quæ habetur in hoc libro Geneſeos; nec etiam in pſalmis ſive prophetis, ubi quandoque fit mentio de Abraam, hoc invenitur ut eſt manifeſtum diſcurrenti. Secundum patet tum quia etiam Apoſtoli qui fuerunt à Deo maximè illuminati: In tantum quod eis dicitur* Joh. XVI. Docebit vos omnem veritatem. *Non exponitur communiter quod fuerint illuminati de veritatibus mathematicis ſeu aſtronomicis, ſed de his quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria: multo minus hoc dicendum eſt de Abraam, quem Scriptura commendat de fide & timore Dei & de operibus virtuoſis, nunquam tamen de aliqua ſcientia vel arte quæ humanitus poteſt inveniri. Tum quia ſcientia Ægyptiorum in Scriptura reprobatur, tanquam divinatio ſuperſtitioſa. Vnde Eſai. XIX. Cap. dicitur Ægyptiis quaſi increpando:* Ubi nunc ſunt ſapientes tui? annuncient tibi & judicent &c. *Tum quia ex hoc daretur occaſio infidelibus ſeu hæreticis, qui ea, quæ Deus operatur miraculosè pro ſanctis ſuis ſeu per eos, attribuunt malicioſè influentiis cæleſtibus ſeu dæmoniis: modo, quo Chriſto dicebatur Matth. XII. cap.* In Beelzebub principe Dæmoniorum ejicit dæmonia. *Et multò fortius de Abraam tales perverſi dicerent, quod ea quæ Deus pro eo facit circa Pharaonem & Abimelech, & hujuſmodi, eſſent perpetrata per virtutes ſeu influentias aſtrorum, cujus oppoſitum etiam fatebantur pagani, unde ſupra Cap. XXI. Alimelech & Principes exercitus ſui dicebant Abraæ.* Deus eſt tecum in omnibus quæ operaris &c. *Vnde nec etiam videtur dicendum de Iſaac, quod erat edoctus in aſtronomia à patre, rationibus jam dictis. Sed potius cum de eo dicitur, quod egreſſus fuerit ad meditandum in agro, intelligendum eſt de meditatione contemplationis & hujuſmodi, prout pertinet ſanctis viris, qui in lege Domini meditantur die ac nocte, præſertim autem Iſaac, qui fuit Deo oblatus in ſua pueritia, hoc pertinebat. In aliis verò libris dicitur: Et egreſſus fuerat ad exercendum in agro, quod per literam Hebraicam in hoc loco poſitam etiam ſic poteſt intelligi: & eſt ſenſus, quod egreſſus fuiſſet ad exercendum ſe corporaliter in agro tempore veſpertino, cum jam inclinata eſt dies & æſtus fervor mitigatus.* Hic replicat Doring: *Item cap. eodem circà illum paſſum: Quomodo Iſaac fuit egreſſus ad meditandum in agro, Poſtillator dicit, quod forte ad videndam diſpoſitionem cæli, quia didicit à patre ſcientiam aſtrorum, prout dicit Ioſephus: Abraam etiam docuiſſe Ægyptios. Hoc Burgenſis valdè ægre ferens, dicit, Nullum fundamentum habere in ſacra Scriptura, nec etiam rationi conſonum ex multis quæ infert. Sed Burgenſis quo ad primum*

mum ſe facit familiarem argumento Huſſitarum refutato in magno concilio Conſtantiæ, videlicet: Non habetur expreſſe in ſacra ſcriptura; igitur credi non oportet, vel falſum eſt. Locus enim ab auctoritate negativè non tenet. Sed quod ad ſecundum, videntur impertinentia, quæ infert Burgenſis. Nam non videtur verum, quod Aſtronomia diſtrahat à virtute, fide & timore Dei. Sed dicitur in ſingularem commendationem, quod Abraam fuerit Aſtronomus, nec eſt deteſtandum in Abraam, quod Ægyptios artem bonam docuerit, quam per abuſum verterunt in ſuperſtitionem, & aſtronomiam in aſtrologiam, ſæpe enim bonarum ſcientiarum fit abuſus, quinimò hæretici evangelio & ſacra Scriptura abutuntur. Et ſi ſancti ejuſmodi ſcientias bonas & demonſtrativas ſciverunt, ex eo non datur occaſio infidelibus malè ſentiendi de ſanctis, ſed ſi inde occaſiones ſumpſerint, ſinendi ſunt ut cæci & duces cæcorum. Unde Ioſephus dicens: Abraam docuiſſe in Ægypto Aſtronomiam, non intendebat hoc vitium imponere Patriarchæ, quod uſus fuiſſet in doctrina vel opere mathematicorum & aſtrologorum ſuperſtitione ſecundum ipſum, ſed quod docuit ea quæ artis ſunt. Et quid mirum ſi filium ſuum docuiſſet id ipſum? ut in factura Dei delectari potuiſſet. Hanc traditionem de aſtronomica eruditione Abrahami firmat Philo ex ipſo nomine viri. Dictum enim eſſe patrem excelſum, quia cœleſtia ſcrutabatur. Ὁ γοῦν Ἀβραὰμ μέχρι μὲν διατρίβων ἦν ἐν τῇ Χαλδαίων γῇ τε καὶ δόξῃ πρὶν ἂν μετονομασθῆναι καλούμενος Ἀβρὰμ, ἄνθρωπος οὐρανοῦ, τὴν τε μετάρσιον καὶ τὴν αἰθέριον φύσιν διερευνῶν καὶ τὰ τε συμβαίνοντα καὶ τὰς αἰτίας ἢ εἴ τι ἄλλο ὁμοιότροπον φιλοσοφῶν, οὗ χάριν καὶ προσρήσεως, οἷς ἐπετήδευσε, τετύχηκεν οἰκείας. Ἀβρὰμ γὰρ ἑρμηνευθεὶς πατήρ ἐστι μετέωρος &c. Inde factum eſſe hominem Dei meliuſque nactum nomen. Καλεῖται γὰρ πατὴρ ἐκλεκτὸς ἤχους ἑρμηνευθεὶς Ἀβραάμ.

Nutricem Rebeccæ Delboram vocant, quod in quibuſdam codicibus vulgatæ editionis (teſte Lyrano) adjectum fuit. Id è fabulis hauſtum in textum Latinum irrepſit, & benè ejectum eſt, ut in nullis hodie editionibus compareat.

SULPICII SEVERI

HISTORIÆ SACRÆ

LIBER PRIMUS.

CAPUT NONUM.

AT Rebecca diu ſterilis, aſſiduis mariti ad Dominum precibus, à die matrimonii viceſimo ferè anno geminos edidit: qui in matris alvo exſultaſſe ſæpius traduntur, dictumque reſponſo Domini eſt, duos in his populos prænuntiari & majorem minori ſubdendum eſſe principio. Sed prius editus aſper ſetis Eſau vocatus, minori Iacob nomen fuit. Ea tempeſtate gravis annonæ inopia terras inceſſerat. Qua neceſſitate Iſaac in Geraris ad regem

 Abi-

Abimelech ceſſit, admonitus à Domino, ne in Ægyptum deſcenderet: eidemque univerſæ illius terræ poſſeſſio promittitur: ibique benedicitur: multiplicatuſque pecore atque omni ſubſtantia, agente invidia, ab incolis pellitur: pulſus apud puteum juramenti conſedit.

DRUSIUS.

VIGESIMO FERE ANNO] Iſaac quadragenarius duxit uxorem Gen. 25. 20. Sexagenarius ex ea ſuſcepit geminos, ibid. Abundat igitur adverbium *ferè*. Sunt, qui poſt annum à die matrimonii vigeſimum Rebeccam peperiſſe ſcribunt, in queis Lyra & Sigonius. Verba Lyræ: *Fuit cum Rebecca uxore ſua viginti annis antequam pateret.* Sigonii: Poſt vigeſimum annum Rebecca, precibus Iſaac ad Deum geminos peperit. Notatum in Johaſin ex Siphri (liber eſt ejus nominis) niſi fallor, Rebeccam cum Iſaaco nuberet egiſſe annum decimum quartum. Unde ſequitur, cum geminos ederet, fuiſſe annorum 34. Sed hac in re autores variant. Geminos edidit] Id accidit anno Abrahami centeſimo ſeptuageſimo, videlicet, quinque annis ante mortem ipſius: aut ut Cajetanus putat decem & quinque.

GEMINOS] duos uno partu.

EXSULTASSE SAEPIUS] ἐσκίρτων exponitur *exſultabant ſæpius.* Locus eſt Geneſ. 25. 22. In editione Romana eſt, *exultabant*, Quo verbo uſus eſt Ambroſius in libro de Iſaac, cap. 4. & interpres vulgatus pſalm. 113. Auguſtinus prætulit, *geſtiebant*. Hieron. in tradit. Hebraicis: *& movebantur filii ejus in ea. Pro motione LXX. interpretes poſuerunt ἐσκίρτων, id eſt, ludebant ſive calcitrabant, quod Aquila tranſtulit, conſtringebantur. Symmachus verò διέπλεον, id eſt in ſimilitudinem navis in ſuperficie ferebantur. Pro conſtringebantur*, in fragmentis à me collectis invenio, *confringebantur*, quod genuinum eſſe puto. Nam רצץ *quaſſo*, concutio & eſt apud Græcos verbum διαπάλλω, quod eodem modo exponitur. Cui affine quod apud Scholiaſten ex Symmacho *διεπάλαιον colluctabantur*. Unde in fragmentis meis ויתרצצו Symm. διεπάλαιον. Redeamus eo unde digreſſi ſumus, Lexicon Græcolatinum vetus, σκιρτῶ *exulto*. Sic Luc. 1. ἐσκίρτησεν ἐν ἀγαλλιάσει τὸ βρέφος, *exultavit lætitia fœtus.* Nos olim vertimus, *colliderant ſeſe.*

DICTUMQUE RESPONSO DOMINI EST) Rebecca enim ſuper ea re Dominum conſuluit, qui reſpondit duas gentes eſſe in utero ejus, duos populos diverſos inde orituros.

SUBDENDUM PRINCIPIO) cur adjecit, *principio?* nam ſi adverbialiter accepit, falſum eſt quod hic dicit. Non enim principio ſubditus fuit major minori. Sed tunc primum cum David dumæos tributarios feciſſet. Quod accidit multis annis poſt hæc tempora. Forte principio poſuit pro principatu, ut dicat majorem futurum aliquando ſubminoris dominio. Sic principium ſumitur, Pſal. 109. 3. *tecum principium in die virtutis.* Nam in Græco eſt ἀρχὴ lexicon vetus, ἀρχὴ *imperium, magiſtratus; magiſterium, præſidatus, principium.*

ASPER SETIS] δασὺς ὡσεὶ δορὰ eſt in edit. τῶν ὁ. Lexicon vetus, δασὺς, *hirſutus, piloſus.* Hieronymus, *totus in morem pellis hiſpidus.* Veritas Ebraica. *ſicut pallium villoſum.* Siquidem אדרת pallium, quod δορὰ interpretantur vocis affinitate decepti. Nam pellis אדרות dicitur. Porro ſeta eſt pilus craſſior, rigidiorque, aut erectus, qualem ſues habent.

ESAU)

Esau) dictus ita ἀπὸ τοῦ עשה facio, perficio. Nam perfectior erat quam pueri ſolent, utpote pilis inſtructus. R. Salomo, *Omnes vocabant eum Eſau eo quod eſſet factus & abſolutus pilis ſuis, ut qui multos annos habent.* Abenezra, *qui videbant, vocabant eum Eſau. Id ſonat opus per ſe, ſive fœtus per ſe. Erat autem partus iſte mirabilis, quia omnis homo prodit in lucem cum ſecunda, quæ ipſum tegit. Et ecce duæ iſtæ ſecundæ fractæ ſunt momento uno.*

Jacob] ἀπὸ τοῦ עקב calcem teneo ſeu prehendo, non ſupplanto. Nam ſupplantat propriè, qui pede ſuppoſito aliquem in terram dejicit, quod Græci dicunt ὑποσκελίζειν. Utrumque ſignificat decipio, quo ſignificatu & πτερνίζω uſurpatur. Sed πτερνίζω etiam ſupplanto. Huc reſpexit Eſau frater Gen. 27. 38. cum ait, *rectè vocatum eſt nomen ejus Iacob, decipit enim jam me ſecundo.* Ebraicè eſt עקב quod à propria ſignificatione contumelioſè detorquet ad tranſlatam. Non enim à decipiendo ſic appellatus eſt, ſed ab eo quod calcaneum ejus manu apprehenderit. Res clara ex textu Moſis. Quo circa miror eos qui Jacob ſupplantatorem interpretantur. Nam πτερνιστὴς non tam ſupplantator, quam qui calce ferit aut contingit aliquem. Sed quia etiam ſupplantatorem denotat, veteres plerique omnes Etymologiæ ignari, ita olim expoſuerunt. Irenæus lib. 4. cap. 38. adverſus hæreſes. Origines hom. 12. in Geneſin & hom. 11. in Exodum. Hieronymus in hom. de Matthæo, & Epiſt. ad Heb. Auguſtinus ſermon. 40. de verbis Domini. Arnobius in Pſal. 32. & alii. Sunt interpretes viri docti, qui nomen Jacob compoſitum eſſe putent ex Jad nomine manum ſignificante, & ex verbo Acab calcem prehendo: ſed meo judicio falluntur. Nam Jod in principio adhibetur ad conficienda nomina propria. Quale eſt in Iſaac; & in Tetragrammato, quod vocant Jod, He, Vau, He: Et in Iſrael. Hoc notum, vel ex grammatica jam ipſis pueris.

Terras Incesserat] malim, *terram inceſſerat*, nam innuit regionem illam, in qua habitabat, hoc eſt Chananæam, non regiones alias Gen. 16, Fuit autem fames in terra, ἐν τῇ γῇ; ſive, ut LXX. ἐπὶ τῆς γῆς.

In Geraris] Sigonius corrigit, *in Gerara*, Quomodo locutus eſt interpres noſter Gen. 26. 1. Idem tamen 20. 1. *peregrinatus eſt Abraham in Geraris.* Scire licet veteres promiſcuè uſos hac propoſitione. Cicero in primo de Oratore, *ut ſe abjiceret in herba.* Cæſar de bello Gallico lib. 6. *aut ſe in Menapiis abderet.* Terentius Eunucho, *deinde illam in lecto illæ collocant.* Hæc omnia pugnant contra canones Grammaticorum.

Cessit] conceſſit, profectus eſt.

Ad Regem Abimelech] ad Abimelech regem Palæſtinorum ſive Philiſthæorum, quem Græci βασιλέα Φυλιστιείμ, qui & Rex Geraræ dicitur. Hos Palæſtinos iidem Græci etiam Ἀλλοφύλους: quorum rex communi nomine Abimelech dicebatur, ſi credendum Davidi Camio homini Ebræo ad Pſal. 34. 1. ita ſcribenti. *Abimelech nomen fuit olim commune regibus Palæſtinorum, ut Agag Amalecitarum.* Vide ſis Baſilium hom. 59. in Pſalmos: Hieronymum Ezech. 29. Procopium in Geneſin pag. 158. Gloſſam Græcam & Lippomanum in catena in Gen. fol. 280.

Agente Invidia] hoc alibi dixit, *impellente invidia*, & alio loco *ſtimulante invidia.*

Apud Puteum Juramenti] ita ſcribendum cum majuſculo P. Nam eſt loci nomen. Locus iſte ab Ebræis Berſabee nuncupatur. Id Græci reddunt Φρέαρ τοῦ ὅρκου, Gen. 26. 23. Verba ſunt, Ἀνέβη δὲ ἐκεῖθεν, ἐπὶ φρέαρ τοῦ ὅρκου: ubi Latinus interpres, quem vulgatum appellitant, *aſcendit autem ex*

illo

illo loco in Berſabee. Quanquam cenſent eam urbem, ſic appellatam non à juramento, quod ſebua dicitur, ſed à ſeptem agnis, quorum ibi memoria uſurpatur. Septem enim Ebeæi ſabee dicuut, id eſt, שבע / quod nunc legunt ſeba.

SCHOTANUS.

HOc caput petitum eſt è Geneſ. 25. & 26. Incipit enim in cap. 25. à v. 19. finitur fine cap. 26. Huc pertinet Joſephi antiquitatum lib. 1. caput decimum octavum.

REBECCA DIU STERILIS] Placuit Deo Iſaci ſpem & fidem ſuſpendere. In eo enim vocandum erat ſemen idque cum patientia exſpectandum. Iſaac deſiderio expetiti ſeminis ob dilationem magis accenſus ardenter Deum precatus eſt. Lyranus: *In Hebræo habetur contra uxorem ſuam: quia ſicut Hebræi dicunt & eſt veriſimile; ipſa Rebecca orabat Dominum ex una parte & Iſaac ex altera: ut daret eis Dominus liberos. Sed quia Iſaac erat perfectior, ideo ejus oratio fuit efficacior.* Nugantur Iſaac non Rebeccæ preces eſſe exauditas, quia dicitur ויעתר לו non לה. In Hebræo eſt לנכח אשתו / quod Raſi exponit: זה עומד בזוית זו ומתפלל והו עומדת בזוית זו ומתפללת:

Ideò autem exauditam fuiſſe orationem Iſaci non Rebeccæ, quia juſtus filius juſti potius exauditur, quam juſtus natus impio. Vide de his codicem יבמות fol. 64.a. Ubique captat literas Judaica περιεργία, cujus ubi nullum apparere veſtigium putes illi inveniunt indicia ingentis obſervationis. Judæi Rebeccam triennem fuiſſe conjiciunt, cum duceret eam Iſaac. Nam de illa intellexit Abraham cum à Moria rediret, quando Iſaac erat 37. annorum quo etiam tempore Sara obiit. Non duxit Rebeccam niſi poſt triennium המתין לה עד שתהא ראויה לביאה שלש שנים ונשאה Ex ſpectavit triennium, donec eſſet nubilis. Hæc futilitate ipſa vaniora ſunt: Nam quæ de Rebecca dicta & narrata ſunt in præcedenti capite arguunt fuiſſe puellam grandem, quæ ita prudenter diſſerere, quæ aquam haurire & urnam humeris portare poterat. Quamvis Abrahamo non ante reditum è Moria ejus nativitas innotuerit, potuit tamen prius nata eſſe. Nec eſt verum, quod reditus è Moria cum morte Saræ connexus ſit. Id etiam eſt è Judæorum figmentis. Quæ nuntiata illic Abrahamo ſunt totam continent Nachoris proſapiam. Quia ſcriptura dicit: *Hæ ſunt generationes Iſaac filii Abraham: Abraham genuit Iſaac*, repetitione, uti videtur, inutili. Si enim Iſaac filius Abrahami fuit, Abrahamus eum genuit. Ideo comminiſcuntur Judæi, Sp. S. ſignificare ſimilitudinem inter Abrahamum & filium. Cum enim profani homines dicerent Iſacum eſſe filium Abimelechi, ex eo genitum cum Saram rapuiſſet, Dominum in facie Iſaaci impreſſiſſe effigiem Abrahami, ut omnes Iſacum intuentes dicerent; Abraham genuit Iſaac. Mercerus rectè eam argutiam rejicit, quia mos ſcripturarum eſt, genealogiam à primo autore repetere. Cum vellet enim Sp. S. Iſaaci poſteritatem narrare, uti de Iſmaële fecerat, à generis autore exordium ſumpſit. In prioribus verbis; Hæ ſunt generationes Iſaac filii Abraham, tranſitus eſt, in ſequentibus orditur narrare.

Patria Rebeccæ vocatur Paddan Aram פַּדַּן אֲרָם. Hoc non eſt urbis nomen, quæ Syriæ ſeu ארם adjectionem habeat ſed tractus & regionis. Nam urbs dicebatur Haran. פדן interpretes exponunt duplici modo. Raſi: על שם ששני ארם הו ארם נהרים וארם צובא קורין אותו פדן לשון צמד בקר תרגום פדן תורין ויש פותרין פדן ארם כמו שדה ארם שבלשון ישמעאל קורין לשדה פדן: *Ideò quia duæ Syriæ ſunt, Syria interamnis & Syria Soba, vocant Paddan; ſigni-*

fica-

ficatione, qua jugum boum in Chaldæo dicitur פדן תורין*: alii exponunt Paddan Aram, tanquam campum Aram quia in Lingua Iſmaelitarum, ager ſeu campus vocatur Paddan.* Poſteriorem expoſitionem probat Aben-eſdras.

Totis autem viginti annis non peperit Rebecca: Cum Judæi velint patientiam mariti de uxore ſterili in terra Canaan ultra decennium non extendi, ideo Abrahamum poſt tot annos duxiſſe Hagar, hic objicitur Iſaac, qui viginti annos duravit. Reſpondent ipſum Iſaac ſterilem fuiſſe, idque apparere ex eo, quia dicitur precatus לנכח אשתו non על אשתו / ut doceatur, utrumque ſterilem fuiſſe. Si hic objiciatur, ſcribi ויעתר לו non להם / magiſtralis ſubtilitas dicit, Iſaaci preces præpolluiſſe ut juſti juſto nati, אמר ר' יצחק מפני מה היו אבותינו עקורים מפני שהקב"ה מתאוה לתפלתן של צדיקים א"ר יצחק למה נמשלה תפלתן של צדיקים כעתר מה עתר זה מהפך התבואה ממקום למקום כך תפלתם של צדיקים מהפכת מדותיו של הקב"ה ממדת רגזות למדת רחמנות: *Dixit R. Iſaac: Quare fuerunt patres noſtri ſteriles? Quoniam Deus deſiderat precationem juſtorum. Dixit R. Iſaac: Quare aſſimilata eſt precatio juſtorum cum pala? Quid pala? Transfert frumentum de loco in locum, ita preces juſtorum transferunt proprietates Dei è proprietate iracundiæ in proprietatem miſericordiæ.* Hæc in loco dicto Iebamoth. In Thoſephoth proponitur, quod nec Iſaac ultra decennium exſpectaverit. Id efficiunt hac ſupputatione: Rebecca nata eſt, cum Sara decederet. Duxit eam Iſaac triennem. Nam moriente matre erat 37. annorum, cum Rebeccam duceret annorum quadraginta erat. Non eſt puella matura ante annum ætatis duodecimum. Ita habuerat eam in matrimonio decenninm antequam ad maturam ætatem perveniret. Hinc ipſi exſpectandum decennium alterum ad explorandam ſterilitatem aut fecunditatem. Habemus igitur annum Iſaaci 60. quo genuit Eſau & Jacob. Reſpondetur וי"ל דמדרשים חלוקים. Eſſe diverſas expoſitiones. Et hinc obſervant, quod ætatibus antiquis maturitas ad generandum fuerit longè prior: שדורות הראשונים היו ראוין להוליד הרבה קודם הזמן הזה:

Liber Thanchuma dicit Abrahamo & Iſaaco eadem eveniſſe, לפני אחת מוצא כל מה שהגיע לאברהם הגיע ליצחק אברהם כתיב בו זקנה שנאמר ואברהם זקן וביצחק כתיב בו זקן יצחק:

Cum Deus preces exaudiviſſet, imprægnata eſt Rebecca ויתרוצצו בנים בקרבה colliſi ſunt infantuli in utero matris, non communi illa ſubſultatione, ſed graviore & præternaturali; quod Rebeccam conturbavit. Raſi oſtendit in ſignificatione concuſſionis verbum à quibuſdam interpretibus accipi: Nempe cum prægnans tranſibat oſtia legis Semi & Eber, Jacob concutiebat movebatque ſe ad exitum: cum præteribat oſtium idoli, Eſau movebat ſe ad egreſſum. Quidam exponunt, teſte eodem, contendentes de hæreditate duorum ſeculorum. Conſuluit igitur Deum de iſta inſolita concuſſione. ותלך לדרוש את יהוה quod Raſi exponit: לבית מדרשו של שם / *in domum expoſitionis, in ſcholam Semi.* להגיד לה מה תהא בסופה / *ut indicaret, quid futurum eſſet.* Reſpondit Dominus; ſcilicet על ידי שליח לשם / *per nuntium Semi.* Per ſpiritum S. locutus eſt. Abenſdras putat oraculum editum eſſe per prophetam aliquem alium, aut ipſum Abrahamum, qui quindecim annis ſupervixit. Ralbag: *Ivit ad conſulendum verbum Dei à ſervis ſuis prophetis, qui erant ea tempeſtate, ut Sem & Eber & diſcipuli eorum* מה יהיה אחרית הדבר *quis eſſet exitus ſeu ſumma rei.* In Pirke R. Eliezer ex R. Juda dicitur Iſacum, poſt viginti annorum ſterilitatem in Rebecca uxore, cum ea profectum eſſe in montem Moriæ, in locum, ubi colligatus fuerat; ibi fuſis precibus impetraſſe à Deo ſobolem: Gravidam, ob tormina, precatam eſſe loco puro. Auguſtinus lib. 1.

Quæſt. ſuper Geneſin. qu. 72. Quod de *Rebecca ſcriptum eſt, quia venit interrogare Dominum, cum geſtirent puerperia in utero ejus, quæritur, quo jerit. Non enim erant tunc prophetæ aut ſacerdotes ſecundum ordinem tabernaculi vel templi Domini. Quo ergò jerit meritò movet, niſi forte ad locum ubi aram conſtituerat Abraham. Sed illic quomodo reſponſa dentur, omninò tacet ſcriptura, utrum per aliquem ſacerdotum, quod incredibile eſt, ſi erat, non fuiſſe nominatum & nullam omnino factam eſſe mentionem. An forte ibi cum orando allegaſſent deſideria ſua, dormiebant in loco ut per ſomnium monerentur? An adhuc vivebat Melchiſedec, cujus tanta fuit excellentia, ut à nonnullis dubitetur utrum homo an angelus fuerit? An erant aliqui tales etiam illo tempore homines Dei, in quibus poſſet Deus interrogari? Quicquid horum eſt & ſiquid aliud, quod me & forte ne commemorarem, præterierit, mentiri tamen Scriptura non poteſt, quæ dixit Rebeccam iiſſe ad interrogandum Dominum eique Dominum reſpondiſſe.* Calvinus: *Hic emergit quæſtio, qualiter Rebecca Deum conſuluerit. Multorum conſenſu recepta opinio eſt ſciſcitatam ex aliquo propheta eſſe, quidnam hoc eſſet monſtri. Et videtur innuere Moſes aliquò profectam eſſe, ut oraculum audiret. Sed quoniam divinatio illa nihil habet coloris, magis in diverſam partim inclino, quod receſſu quæſito intentius oraverit ut revelationem è cælo haberet. Nam eo tempore, quoſnam præter maritum & ſocerum, prophetas in mundo, nedum in vicinia reperiſſet? Deinde video tunc fere Deum voluntatem ſuam patefeciſſe oraculis. Tertiò, Si rei magnitudinem expendimus, arcanum illud, ore Dei magis, quam hominis teſtimonio manifeſtari decuit. Noſtra ratio diverſa eſt. Nam neque talibus miraculis hodie res futuras Deus portendit & in regendo vitæ curſu abunde nobis ſufficit legis & prophetarum & Evangelii doctrina, quæ perfectam ſapientiam complectitur.* Lyranus: *Dicunt Hebræi, quod ivit ad Melchiſedec, qui erat ſacerdos Dei excelſi: & ad Heber, qui habebat ſpiritum prophetiæ. Uterque enim adhuc vivebat: quod patet, ſi computentur anni eorum. De Melchiſedec enim ſupra dictum eſt, quod erat Sem filius Noë. De quo ſcribitur ſuprà xi. cap. quod biennio poſt diluvium genuit Arphaxad & poſtquam genuit Arphaxad vixit quingentis annis. Si autem computentur anni à diluvio uſque ad nativitatem Iacob & Eſau non inveniuntur tot anni. A diluvio enim uſque ad nativitatem Arphaxad fluxerunt duo anni, ut jam dictum eſt. Arphaxad autem cum eſſet ann. 35 genuit Sale. Sale vero cum eſſet annorum 30, genuit Heber: & Heber cum eſſet 34 annorum genuit Phaleg. Et Phaleg annorum 30. genuit Reü. Et Reü 32 annorum genuit Sarug. Et Sarug 30 annorum genuit Nachor. Et Nachor 29 annorum genuit Thare. Et Thare ſeptuaginta annorum genuit Abraam. Et iſta habentur ſupra xi. cap. Abraam autem cum eſſet centum annorum genuit Iſaac ut habetur ſupra cap. xxi. Iſaac autem erat 60. annorum quando nati ſunt Eſau & Iacob, ut habetur infra eod. cap. Si autem prædicti anni à diluvio uſque ad nativitatem Iacob ſimul conjungantur, faciunt annos 452. Ex quo patet quod Melchiſedec vixit ultrà quinquaginta annos.*

2	30
35	29
30	70
34	100
30	60
32	289
163	163
	452

Quod autem Eber ſimiliter viveret, pateſt ſimiliter probari, accipiendo ex una parte

omnes

omnes annos vitæ ejus & ex altera computando annos à nativitate Heber, uſque ad nativitatem Iacob & Eſau. Ita Lyranus. Sem, quem putat eſſe Melchiſedec, vixit 500. annos poſt diluvium, ideo huic tempori non ſupervixit, ultra ſed ad 50. annos. Burgenſis addit. 4. ad hoc caput 25. *Quidam expoſitores Hebræorum dicunt, & eſt magis conſonum literæ, quod non ivit ad aliquem prophetam, ſed ad aliquem locum devotum & ſecretum, in quo quietius oraret Deum. Cui conſonat gloſſa noſtra & etiam verbum, quòd hic ponitur in Hebræo, ubi dicitur:* Ut conſuleret Dominum *&c. Idem enim verbum ponitur hic & in pſ. ubi dicitur:* Exquiſivi Dominum &c. *quod non ſignificat conſultationem tantum, ſed etiam orationem. Vnde ſequitur, Qui reſpondens ait*: duæ gentes &c. *Ipſe enim Deus, quem exquiſiverat per orationem, reſpondit ei per angelum vel occultam inſpirationem. Nec mirum, cum Hagar Ægyptia & ancilla Saræ propheticas revelationes habuit per angelos, ut ſuprà cap. 16. & 21.* Dominus dicitur conſultus eſſe à Rebecca; quod intelligendum videtur de loco precum & conventus ſacri, ubi præſentiam ſuam Deus ſolebat exhibere. Melchiſedecum in Salem conſultum eſſe multi volunt, Pererius tamen & Delrio (teſte Saliano) ſecretum orationis locum, (in loco habitationis ſuæ) intelligi malunt. Quibus accedit Salianus. Neque enim (inquit) admodum credibile eſt Rebeccam, cum magna moleſtia ferentem uterum tridui iter ſuſcepiſſe & arduum montem aſcendiſſe: cum locus nullus adhuc eſſet, cui tabernaculum Dei eſſet affixum. Theodoretus etiam, opinionem de Melchiſedeco minus prababilem eſſe putat: *Ἐπειδὰν δὲ εἰώθεισαν οἱ πατριάρχαι καὶ θυσιαστήρια τῷ θεῷ κατασκευάζειν ἐν οἷς ἐσκήνουν χωρίοις, εἰκὸς παρ' ἓν τούτων ἀπελθοῦσαν αὐτὴν ἱκετεῦσαι τὸν τῶν ὅλων θεὸν καὶ γνωρίσαι τὰ συμβησόμενα.*

DUOS IN HIS POPULOS] utero gemellos eam gerere reſponſo Domini annuntiatum eſt: & illa colliſione ac lucta infantium nondum editorum, ſignificari populorum propagandorum ab illis diſcordiam. In qua major minori eſſet ſubjiciendus. *Duo populi ab utero ſeparabuntur*: Inde ab utero diſcordibus inſtitutis & moribus agent: Inimiciſſimæ gentes duæ ab his capitibus ortæ, figuram habuerunt carnis & Spiritus, Eccleſiæ falſæ & veræ, civitatis Dei & Satanæ. Mercerus: *Eſau carne & natura major cedit Iſraëlitis junioribus. Id quod primum politia externa & regni forma factum eſt. Habuit enim uterque populus Idumæorum & Iſraelitarum ſuas ſeorſim leges ac reſp. ac ditiones, item religionis formam diverſam. Vera eccleſia apud Iſraëlitas fuit, larva quadam duntaxat apud Idumæos, qui cum forſan aliquandiu, ut pater Eſau circumciſionem retinuiſſent, & aliqua patris Iſaac & Abrami inſtituta de Dei timore & cultu, mox tamen reſilierunt; & à puritate cultus & verbi Dei poſtmodum ſucceſſu temporis receſſerunt. Ac Idumæi diu Iſraëlitis ſervierunt & tributarii fuerunt, ut Davidis tempore & regum ſubſequentium, uſque ad Ioram regem Iuda, cum jugum excuſſerunt. Poſteà etiam ſub Machabæis fuerunt in poteſtate Iudæorum. Sed juxta Spiritum Chriſti Eccleſia imperium habet in adverſam & Satanicam Eccleſiam, licet externè aliter appareat. Edom antichriſtum adumbrat. Ac hujus loci myſterium quia latiſſimè patet, explicat Paulus cap. ad Rom. 9. & ad Hebr. 12. quo te remitto, ne hic ſim prolixior. Docet ex nativitate eorum duorum puerorum Paulus, gratuitam Dei electionem ab initio, ſine meritis & operibus præcedentibus: cum juxta Malachiam, quem illic citat Paulus ſit dictum ante nativitatem eorum*, Jacob dilexi, Eſau odio habui. Auguſtinus de hoc agit de civit. lib. 16. cap. 35. Et in Geneſ. q. 73. Agnoſcit hiſtoricam proprietatem & ſpiritalem intelligentiam. De priori ſic: *Sed etiam hiſtorica proprietate hoc reſponſum invenitur eſſe completum, ubi populus Iſrael, hoc eſt Iacob minor filius, ſuperavit Idumæos, hoc eſt, gentem,*

quam propagavit Eſau eóſque fecit tributarios per David: quod diu fuerunt uſque ad regem ſcilicet Ioram, ſub quo Idumæi rebellaverunt & jugum Iſraelitarum à cervice ſua depoſuerunt: ſecundum prophetiam ipſius Iſaac; quando minorem pro majore benedixit: hoc enim dixit & de majore cum & ipſum poſteà benediceret. Secundum ſpiritalem intelligentiam ita docet. *Spirituali intelligentia carnales in populo Dei ſignificantur per majorem filium & ſpiritales per minorem &c. Solet & ſic intelligi, hoc quod dictum eſt, ut in Eſau figuratus ſit major populus Dei hoc eſt Iſraelita ſecundum carnem: per Iacob autem figuratus ſit ipſe Iacob ſecundum ſpiritalem progeniem.* Accuratè hoc myſterium diſcuſſit Calvinus. Ejus igitur diſſertatio, pro parte & contracta, hic compareat: Sic ille ad hunc locum: *Primò reſpondet Deus, quod inter ſe pugnant gemelli fratres, longius patet quam ad eorum perſonas. Hoc enim modo oſtendit, quod inter eorum poſteros futurum erat diſſidium. Emphatica autem eſt locutio, cum dicit duas eſſe gentes: nam quum fratres eßent & gemelli, adeoque unus ſanguis: non putabat mater ita disjunctum iri, ut diverſos populos efficerent: Deus tamen inter eos, qui conjuncti erant natura, diſceſſionem fore pronuntiat. Deinde exprimitur diverſa conditio, quod victoria penes unum populum futura ſit: quandoquidem hinc tumultus; quod pares eſſe non poterant, ſed altero rejecto alter eligebatur: Nam quum ægre cedant reprobi, neceſſe eſt Dei filios pro ſua adoptione multas moleſtias & certamina ſubire. Tertiò Dominus affirmat, inverſo naturæ ordine natu minorem, qui inferior erat, fore victorem. Nunc videndum eſt, quorſum pertineat hæc victoria. Qui ad terrenas divitias vel opes hoc reſtringunt, frigidè nugantur. Neque enim dubium eſt quin hoc oraculo edocti fuerint Iſaac & Rebecca, fœdus ſalutis non fore duobus populis commune, ſed tantum in poſteris Iacob conſervatum iri. Initio generalis erat in ſpeciem promiſſio, quæ totum ſemen comprehenderet: nunc ad partem unam reſtringitur. Hæc ratio conflictus, quod Deus ſemen Iſaac, cujus par & eadem videbatur eſſe conditio dividit, ut partem unam adoptet, alteram abdicet: pars una nomen & jus eccleſiæ obtineat, reliqui extranei cenſeantur: penes unam partem reſideat benedictio, qua priventur alii ſicut poſteà contigit. Scimus enim Idumæos fuiſſe abſciſſos ab eccleſiæ corpore: fœdus autem gratiæ in familia Iacob fuiſſe depoſitum. Si cauſa diſcriminis quæritur, non reperietur in natura: nam eadem eſt utriuſque populi origo. Non reperietur in meritis, quia adhuc ambo capita in utero matris incluſa erant, quum exortum eſt diſſidium. Quin etiam voluit Deus, ut carnis ſuperbiam humiliaret detrahere ipſis hominibus omnem fiduciæ & gloriæ materiam. Poterat priorem educere Iacob ex utero: atqui primogenitum alterum conſtituit, qui inferior tandem futurus erat. Cur ita poſitum à ſe ordinem conſultò invertit, niſi ut ſciamus, poſthabito dignitatis reſpectu, gratuitò electum eſſe Iacob, qui promiſſæ benedictionis hæres foret? Summa eſt igitur, quod Deus prætulit Iacob fratri Eſau, ut pater eſſet Eccleſiæ, hoc non fuiſſe redditum ejus meritis vel induſtria quæſitum, ſed profectum à mera ipſius Dei gratia. Sed cum de toto populo agatur, non arcana, quæ in paucis rara eſt electio, ſed communis notatur adoptio, quæ tam late patet, quam prædicatio externa verbi.* Hactenus Calvini verba, qui in ſequentibus diſputat de Paulina allegatione. Nam cum hic locus agat de generali electione ſeu adoptione omnium poſterorum Jacobi ad externam confœderationem in verbo & ſacramentis, Apoſtolus diſputat de ſpeciali, quæ ſingulorum eſt ad vitam æternam & fidem. Cum enim Judæi jactarent ſe eſſe gentem Deo electam & ad ſe pertinere omnia, fieri igitur non poſſe, ut exciderint, reſpondet Apoſtolus non eſſe omnium communiter ſalutem, ſed eorum quos Deus elegit: quia non carni ſed promiſſioni & voluntati Dei alligata ſit aſſumptio ad gratiam. Dei quidem verbum non eſſe abolitum nec in vanum excidiſſe, at non eſſe omnes Iſraël, qui ex Iſraële eſſent. Non

eſſe

eſſe Abrahami filios, qui ſemen eſſent. Probat id primò: In Iſaac vocabitur tibi ſemen. Scilicet filium promiſſionis id eſt filium Saræ legitimum filium eſſe. Ita etiam in Rebeccæ imprægnatione, quæ erat ab uno Iſaaco, nondum natis pueris, cum nihil dum nec boni nec mali egiſſent, dictum eſſe major ſerviet minori. Ita concludit non originem nec perſonæ meritum, ſed Dei propoſitum, quem velit, inſerere ſaluti & Iſraëli. Sequentes theſes rem elucidabunt.

1. Colluctatio infantium in utero, divinum ſignum eſt & omen eventus futuri in utroque & ſobole utriuſque olim propaganda.

2 Nam duas gentes utero contineri.

3. Quarum disjunctio & diviſio futura eſſet in ἀρχηγέταις inde ab utero.

4. Unam alteri prævalituram.

5. Majorem ſeu primogenitum ſubjiciendum eſſe minori.

6. Prælatio non tantum dominium ſed & ſucceſſionem in fœdere Abrahami complectitur.

7. Hic eſt hiſtorica ratio & ſpiritalis intelligentia.

8. Hiſtorica ſeu externa ratio præcipuè viguit & illuſtris fuit ante Chriſtum.

9. Eccleſia reſedit in poſteritate Jacob.

10. Idumæi Iſraelitis ſervire coacti ſunt.

11. Fuit tamen ingens reniſus & colluctatio.

12. Spiritalis intelligentia carnis filios à filiis divinæ electionis & prælationis diſtinguit. Quomodo inter Jacobi poſteros non omnes Iſraelitæ ſunt, ſicuti ex Iſaac genitorum, unum aſſumpſit, alterum repudiavit Deus.

Hanc Spiritalem intelligentiam aſſumit Apoſtolus, quia in ἀλληγορουμένοις ſub externis ſpiritalia latent. Auguſtinus pro parte vidit veritatem, in prima expoſitione. Altera enim, qua Judaicum populum ut hodie eſt, per Eſau, Chriſtianum per Jacob deſignari putat, non conſiſtit, quia ad externam adoptionem ſeu aſſumptionem relabitur. Apoſtolus vidit & notat deſignari ab eadem origine diſparitatem, qua filii ſolius carnis ſeparantur à filiis divinitus electis, quibus Deus jus primogenituræ, ab eo, cujus erat, interverſum, contulit pro ſua libera voluntate. Chriſtiani non ſunt ejuſdem originis cum iſto populo Judaico, ſed extrinſecus aſſumpti, ut per fidem oleæ inſecerentur. Quæ diſputari ſolent de exemplis Eſau & Jacob, ut ab Apoſtolo adferuntur, alii loco reſervamus. In hiſtorico implemento ſeu externa figura Lyranus comprehendit imperii Romani ſubactionem per Chriſtum. Ita enim loquitur, Major ſerviet minori] *Hoc impletum eſt tempore David, ut habetur 2. Reg. 8. Et perfectius impletum eſt in Chriſto, cui colla gentium & principum terra ſubdita ſunt: & maximè imperium Romanum, quod Iudai dicunt ſignificari per Eſau.* Id increpat Burgenſis: *Romanum imperium Iudai aſſerunt eſſe unum & idem cum regno Chriſti ſeu Eccleſia; quod tamen manifeſte eſt falſum & ab eis miraculoſe fictum, ut ex hoc quarta beſtia in revelatione Danielis contenta, accipiatur pro regno Chriſti & ſic exſpectetur deſtructio ejus fienda per Meſſiam ſuum, quem inaniter exſpectant. Falſitas autem hujus fictionis patet in additione ſuper Danielem cap. ſupradicto. Secundum tamen catholicam veritatem tempore legis ante adventum Chriſti per Eſau intelligitur gens, quam propagavit Eſau, prout gloſſa in hoc loco teſtatur, ſicut per Iacob intelligitur gens ab ipſo Iacob ſecundum carnem deſcendens: ſed poſt Chriſti paſſionem populus Eccleſia per Iacob intelligitur & plebs Iudaorum per Eſau: unde major tempore, ſcilicet plebs ſynagoga ſervit minori ſcilicet populo Chriſti anorum, prout in alia gloſſa in hoc loco habetur. Quod autem plebs Chriſtianorum nuncupetur nomine Iacob vel Iſrael ſatis eſt conſonum rationi, cum ipſi Iacob ſeu Iſrael ſuccedat in fide, qua eadem eſt, antiquorum & modernorum. Sed qua ſit ratio, quare plebs Iudaorum intelligatur*

per Eſau, cum ab ipſo non deſcendant ſecundum carnem nec ei ſuccedant in fide, in libro Abdia propheta, qui de Idumæis principaliter tractat, Domino concedente oſtendetur. Raſi duos populos exponit per Gematriam de Antonino & Rabbi, ſedita ut legatur גיים pro גוים; Id è codice Brachoth fol. 57. b. Hæc tantum παρῳδία eſt Judæis doctoribus in Thalmud uſitata. לאום non dici aſſerit niſi de regno. Separatos eſſe ab utero זה לרשעו וזה לתמו *hunc in impietatem, illum in integritatem. Prævalebit populus populo,* exponit: *Non erunt æquales majeſtate, uno ſurgente cadet alter: Et ſic ille dicit, implebor deſerta eſt. Non eſt impleta Tyrus niſi à vaſtatione Hieroſolymæ.* Plura ad Gematriam ex גיים pro גוים in Baal Turim. Ecce gemini in utero ejus reperti ſunt] Id non ita debet accipi; quaſi (ut Mercerus vult) indicetur, nulla ſagacitate id animadverti potuerit, quod res ipſa manifeſtavit. Eſt reſpectus ad oraculum datum: ita eveniſſe, ut Deus indicaverat: geminos utero habuiſſe & edidiſſe: In Hebræo contractè ſcribitur תומם/ cum de Thamar legatur infrà תאומים. Rationem comminiſcuntur, quod Thamar duos juſtos pepererit, cum Rebecca unum juſtum, alterum impium.

P R I U S E D I T U S A S P E R S E T I S] Ruber fuit toto corpore, אדמוני/ non illa, quam afferunt infantes à matre, communi rubedine, alia erat peculiaris. Raſi dicit indicium fuiſſe ſanguinarii hominis. Pallii inſtar totum hiſpidum fuiſſe dicit ſcriptura. Raſi: Plenus pilis ut pallium de Lana, quod vulgò Ploquira dicitur. פלית pallium eſt, quali Judæi utuntur, impoſito tempore precum. Mercerus: *Pili quidem cernuntur in fœtus capite, ſed non fere toto corpore, ut hic. Hoc autem non ſine diſcrimine gravida fiebat: Ajunt enim piloſum fœtum in utero crebros gravida vomitus & alia ſtomachi vitia ciere.* Hunc Eſau appellarunt עשו incerta originatione & vocis vi. Primus iſte prodiit ex utero, at alter egredientis plantam fratris tenebat manu.

J A C O B N O M E N F U I T] quia plantam tenebat fratris. Mercerus: *Quod dicit,* poſtea *non intellexerim cum noſtro interprete, protinus. Ita enim ſtatim, ut primus prodiit, prodiſſe alterum tenentem manu calcaneum fratris non putarim. Scimus enim fœtus non ita ex materno utero exire manu præcedente ſed capite, alioqui id in diſcrimen vitæ & matrem & fœtum adduxiſſet. Sed exiſtimo jam inde ab utero deprehenſum ab obſtetricibus, ut cum jam penè totus exiſſet Eſau, teneret Iacob manu ejus calcaneum, ac jam etiam manum exeruerit, velut fratrem prærepturus & remoraturus ne prior exiret, verum obſtetricem hoc conſpecto manum ei retraxiſſe in uterum matris, ut poſtea debito & conſueto ordine exiret, primo capite. itaque aliquanto poſt ſic prodiſſe, licet non longo, ut credibile eſt, intervallo. Hebræorum hic nugas afferam, ut videas quam illi in carne ſibi placeant, cum hoc totum myſterium Eſau & Iacob non in carne, ſed in ſpiritu conſiſtat, & Dei ſpeciali electione contra carnis judicium & externam faciem. Raſi putat etiam Iacob in utero genitura & formatione primum fuiſſe, licet poſterior prodierit, ut revera etiam natura, primogenitus fuerit, ut ſcilicet prima gutta ſeminis ad eum formandum in materno utero exierit. Sed id quomodo ſcire poſſunt? Affert experimentum de calamo vacuo, vocant* שפופרת/ *in quem ſi duo lapides injiciantur, qui prior eſt immiſſus, poſterior ſit exiturus, contra qui poſterior prius egreſſurus. Sic Eſau volunt licet poſterius conceptum, prius exiſſe, Iacob licet prius formatum in utero, poſterius prodiſſe. Sed hoc ſubtilius eſt. Virtus primogenitorum non in hoc poſita fuit, quod primo gigneretur aut naſceretur juxta carnem, licet & genitura Eſau juxta Scripturam priorem putarim; ſed in eo quod Iacob à Deo eſſet electus, ut oſtenderetur Deum in ſpiritalibus non ſubjacere ordini naturæ & externo judicio, &c. Eſt & in hoc partu admirabile & præter communem uſum, ut notat*

tat Ab. Ez. quod cum fœtus quiſque ſuam habeat ſecundinam ſeu membranam, qua involutus prodeat, hic ſuam membranam rumpat Iacob, ut manu exerta fratrem altera membrana involutum apprehendat. Quod non ſine myſterio eſt, quaſi mitetur impedire voluiſſe & præripere ac invadere ejus primogenituram: unde & cum regnare vellet Eſau, turbatum eſt ejus regnum à Iudæis. Sic juxta Spiritum, ubi ſe maximè regnare putabit Antichriſtus, diſturbabitur per Chriſtum & evertetur tandem ejus regnum. Illa apprehenſio ſignum fuit ſupplantationis, quam olim facturus erat per interverſionem πρωτοτοκίων. Raſi: *Audivi Midras aggada, exponentem ſecundum literalem ſenſum, in judicio fuit apprehendens eum ut eum retardaret: Iacob fuit formatus è gutta prima, Eſau autem è ſecunda. Exi & diſce à fiſtula, cujus os breve eſt. Pone in ea duos lapides, alium ſuper alium: qui ingreſſus eſt prior, egredietur poſterior, & qui ingreſſus eſt poſterior, egredietur prior: Inventum eſt Eſau formatum eſſe poſterius, egreſſus eſt prius: Et Iacob, qui formatus eſt prius egreſſus eſt poſterius.* In calcaneo Eſau: *Signum, quod iſte non ſufficiat conſummare regnum ſuum, donec iſte ſtet & tollat illud ab eo: & Iacob venit ad impediendum eum, ut eſſet primus in partu ſicut primus in formatione* & aperiret matricem & tolleret primogenituram de jure. Aben-eſdras: ופליאה גדולה היתה זאת הלידה בעבור שכל בן אדם יוצא בשליא שהוא מכסה עליו והנה שתי השליות נפתחו ת״ע אחד׃

Magnum fuit miraculum hic partus, quia omnis homo egreditur in ſecundina, quæ tegit eum & ecce duæ ſecundæ apertæ ſunt uno momento. Notat Scriptura Iſacum ſexaginta annos habuiſſe, cum naſcerentur duo filii Eſau & Jacob. Raſi: *decem anni ex quo duxit eam, uſque dum facta eſt tredecim annorum & apta conceptui, & decem annos, quibus exploravit & exſpectavit illi ſecundum quod fecerat pater ejus Sara. Poſtquam non eſt impregnata cognovit eam eſſe ſterilem & precatus eſt ſuper ea, at non placuit illi ducere ancillam, quia ſanctificatus erat in monte Moria, ut eſſet integra hoſtia.* Ratiocinia Raſi iſta ſunt ut ſupra dictum: *Nata eſt* Rebecca, quo anno obiit Sara. Non deſpondit eam ſibi Iſaac, niſi poſt triennium. Quia prius non erat ראויה לביאה. Hinc decennium elabitur ad annum decimum tertium, quo eſt virgo matura viro, ut concipere poſſit. Alterum decennium exſpectandum explorandæ fecunditati. Triennem igitur duxit in thalamum. Vide abſurditatem nugarum. Iſacum fuiſſe Deo ſacrum ideò non potuiſſe conjungi cum alia muliere, præter unam conjugem. Ego vero non admitto ſanctiorem fuiſſe patre. Sed hæc habuerunt futuri myſterium. Cum pueri iſti creviſſent diſparibus ſtudiis egerunt. Raſi: *Omni tempore; quo fuerunt parvuli non fuerunt agnoſcibiles in operibus ſuis nec quiſquam eos accurate obſervabat, quiſnam eſſet eorum ſtatus; poſtquam autem facti ſunt tredecim amorum, alter ſe ſeparabat ad ſcholas* [לבתי מדרשים] *alter ad idola.* Scriptura mores utriuſque & vitæ conditionem deſcribit. De Eſau dicit איש יודע ציד איש שדה. De Jacob איש תם יושב אוהלים. Calvinus iſta ita interpretatur: *Nunc breviter amborum mores nobis Moſes deſcribit. Nec verò Iacob ab eximiis & præclaris dotibus commendat, quæ laude & memoria digna ſint, ſed tantum dicit fuiſſe ſimplicem.* תם *quidem pro integro & ſincero ut plurimum accipitur, ſed hic referri debet ad antitheſin. Poſtquam Eſau robuſtum fuiſſe, & venationi addictum, virumque agreſtem retulit: ingenium Iacob opponit manſuetum, quia domi quietem coleret, ut potuerit videri ignavus: ſicuti Græci οἰκούρους appellant qui domi reſides, induſtriæ ſuæ ſpecimen non proferunt. In ſumma, tantundem valet comparatio, acſi Moſes Eſau à ſtrenuitate laudaret: Iacob autem diceret otio domeſtico fuiſſe deditum: talem fuiſſe prioris indolem, qui virum animoſum fore promitteret: hujus verò qui nihil haberet commendatione dignum.*

Quum

Quum cæleſti decreto ad Iacob delatus jam foret primogenituræ honor, cur illum Deus in tugurio jacere, & inter cineres torpere ſinit: niſi quia electionem ſuam interdum ad tempus vult latere, nequid ſuis præparationibus tribuant homines. Salianus iſta de moribus & vitæ generibus in hunc modum diſputat: *Itaque Eſau,* inquit, *natura atque ingenio ferus & ruſticanus à pueritia ruri multus erat, & capiendis avibus feriſque capiebatur, facileque reperiebat famulos ad ſua ſtudia obſequentes, Iſaaco primum diſſimulante, qui ſciret nihil invita Minerva dicendum faciendumque nec violentum quidquam diuturnum eſſe poſſe; deinde etiam approbante, illumque eo nomine diligente.* Iſaac enim, *teſte Moſe*, amabat Eſau, eo quod de venationibus illius veſceretur. *Quæ fuerunt ei præludia, ut olim Nemrodo, & poſtea Davidi & Cyro, & aliis militaris artis.* Et Rebecca diligebat Jacob, *quia mite ingenium mulieri magis congruebat.*

Iacob ergò natura mitis ac placidus, mitiora ſtudia, occupationeſque frequentabat, domi aſſiduus: propterea enim dicitur habitaſſe in tabernaculis, *quum id Eſau quoque conveniret, ſed in iis erat infrequens. Iacob autem parentum voluntati morem gerens, quo ſua ipſum ferebat indoles, animo magis excolendo, quam corpore exercendo occupabatur. Quod autem ſimplex à Moyſe dicitur in vulgata, videtur D. Auguſt. interpretari, quaſi hominem minimè malum, ſed non ſatis acutum, ut ait Tullius, unde locum habet ipſius dubitatio.* Quod Græce inquit dicitur ἄπλαςος, hoc Latini ſimplicem interpretati ſunt: propriè autem ἄπλαςος non fictus: unde aliqui Latini interpretes, ſine dolo, interpretati ſunt, dicentes, erat Jacob ſine dolo, habitans in domo: ut magna ſit quæſtio, quomodo per dolum acceperit benedictionem, qui erat ſine dolo. *Sic ipſe, recurritque ad myſticos ſenſus. Sed facilis eſt, & expedita reſponſio, ipſum non ſuo, ſed materno dolo benedictionem intervertiſſe.*

Et hæc ſimplicitas opponitur calliditati, eamque non malè convenire Iacobo, fuiſſeque hominem opportunum fraudibus, ſatis declarat commutata uxor primo die nuptiarum, & ejus merces à Laban decem vicibus immutata; utique fraude potius quam per vim apertamque injuriam. Et verò erat de filiis lucis, quibus filii hujus ſeculi prudentiores ſunt. &c. Quod autem dicitur habitaſſe in tabernaculis, aliter exponunt Hebræi, qui nomine tabernaculorum intelligunt ſcholarum loca, in quibus manebat Iacob, addiſcens ſapientiam, & Dei timorem; ut referunt Lyranus & Abulenſis, qui ex iiſdem ajunt fuiſſe duo hujuſmodi tabernacula, alterum Melchiſedechi, qui erat ſapiens, & ſacerdos Dei Altiſſimi. Alterum Heberis, qui erat Propheta, & res divinas docebat; apud quem Iacob quatuordecim annis habitavit, aut ex Chronologia noſtra ad decimum nonum. Chaldæus Paraphraſtes huc alludens, Iacob, *inquit*, erat vir integer, & miniſter domus doctrinæ. *Ludum enim literarium Hebræi, vocant domum doctrinæ. Bolducius hæc tabernacula ædes ſacras interpretatur, ordinatas ad orandum & ſacrificandum, in quibus Rebecca conſuluerit Dominum, & Iacob fuerit quaſi æditus dum eſſet adhuc Iuvenis. Quæ ut non improbo, juxta ea quæ dixi ſupra, exiſtimo tabernacula hoc loco numero multitudinis uſurpata, tria illa comprehendere, domum privatam, domum doctrinæ, & ædiculam ſacram ſive Oraculum, ut appellatur à Ioſepho, orationi deſtinatum. Verum parum probabile eſt grandævum Heberem, ſi ad hanc ætatem pervenit, puerili inſtitutioni operam dediſſe, neque probare poſſunt Hebræi, Heberem cum Abrahamo aut Iſaaco habitaſſe; aut omnino Euphratem tranſiſſe. Hoc ſi eſt verum, ait Del Rio, habes Scholarum & Gymnaſiorum antiquitatem. Nec repugnat Pererius. Fateor tam antiquos Rabinos mihi ſuſpectos videri. & à Rabinis inferioribus excogitatos ad honorificandum, & antiquitate donandum miniſterium ſuum. Nec video quos illi potuerint habere doctores; crediderimque Iacobum*

non

non alium à parente habuiſſe præceptorem. Partim igitur mores, partim vitæ genus narrat & exprimit Moſes. Jacobum Bolducium laudat ſæpe Salianus in opere de Eccleſia ante legem. Quem tamen in eo improbat, quod Melchiſedecum fuiſſe eundem cum Semo arbitretur. Ipſe enim cum communi doctorum ſententia facit. Nempe Chananæum fuiſſe. Idem Bolducius exiſtimat Iſaacum ſacerdotio Melchiſedeciano ab Eber initiatum eſſe, cum Iſaac eſſet ſeptuagenarius, Jacob decimum annum ageret, idque tributum cum aliis Iſaaci virtutibus tum maximè ejus continentiæ. *Quæ* (inquit Salianus) *non videntur carere difficultate.* Verba ejus poſt hoc dictum ſequuntur ejuſmodi: *Si tamen Melchiſedeci ſacerdotio ſucceſſit Eber, nemo erat in vivis hoc tempore, quod quidem ſit memoria proditum qui Iſaaco eſſet ab Eber præferendus: eam tamen ſacerdotii tranſlationem nolim ante annum Iſaaci undeoctogeſimum contigiſſe, ne duos ſummos ſimul pontifices, toto fere decennio, Eccleſiæ demus, id eſt, uni ſponſæ ſponſos duos, uni corpori geminum caput.* Nos didicimus ab Apoſtolo Melchiſedecum nec principium nec finem dierum habere, ideoque ſacerdotium illius eſſe ἀδιάδοχον & ſine ſucceſſore. Solus Melchiſedec in iſto ordine picturam geſſit, qua expreſſit Dominum, quia alius gerere non potuit, in hoc genere. Si enim tradidit, pictura excidit.

Scriptura narrat parentes diviſis ſtudiis Iſacum Eſavo, Rebeccam Jacobo deditos fuiſſe. Calvinus: *Quo melius oſtenderet Deus ſatis in ſua electione eſſe firmitatis, ut aliunde nullo adminiculo juvetur, imò ad ſuperanda quævis obſtacula ſatis eſſe validam, paſſus eſt Eſau fratri ſuo patris amore & judicio præferri, ut figura quadam rejectitii hominis in Iacob exſtaret. Quum ergò tot circumſtantiis clare demonſtret Moſes, in ſolo Dei beneplacito fundatam fuiſſe adoptionem Iacob, minimè ferenda eſt eorum improbitas, qui eam ſuſpendunt ab hominis arbitrio: vel partem ad media (ut loquuntur) & præparationes tranſcribunt. Sed qui fieri potuit, ut pater oraculi non ignarus, propenſior tamen in primogenitum foret, quem divinitus rejectum ſciebat: pietatis enim & modeſtiæ fuiſſet affectum potius ſuum ſubigere, ut Deo pareret. Priores amoris partes ſibi naturaliter primogenitus vendicat: ſed qui in ordinem coactus erat Dei oraculo, eum ſupra fratrem extollere, patri liberum non fuit. Multo etiam magis pudendum, & ſancto Patraircha indignum, quod mox ſubjicit Moſes, guſtu carnis ferinæ fuiſſe illectum, ut filium Eſau magis amaret. Tantumne valuiſſe apud eum palati delicias, ut oblitus oraculi, contemneret in Iacob Dei gratiam: ad eum verò quem Deus rejecerat, animum præpoſterè applicaret? Eant nunc Iudæi, & in carne glorientur: quum Iſaac pluris cibum faciens, quam deſtinatam filio hæreditatem gratuitum Dei fœdus, quantum in ſe erat, perverterit. Neque enim excuſationi locus eſt, quin cæco, vel ſaltem inconſiderato amore primogeniti filii alterum poſthabuerit: an adverſo vitio laboraverit mater, incertum eſt: Sic enim plerumque videmus ſcindi parentum ſtudia, ut ſiquem ex filiis amari videt uxor à marito, contrariâ æmulatione in alterum magis inclinet. Amavit Rebecca filium Iacob præ Eſau. Si vaticinium ſecuta, rectè: ſed fieri poteſt ut fuerit etiam incompoſitus amor. Atque in hac parte nimium ſe prodit naturæ corruptela. Nullum ſanctius conjugio vinculum eſt mutui conſenſus, accedunt etiam novi nexus in liberis, atqui diſſidii occaſionem ſæpè præbent. Quia tamen paulo poſt videmus Rebeccam præcipuè in Dei benedictionem intentam fuiſſe, probabilis conjectura eſt, Dei authoritate fuiſſe inductam ut primogenito minorem præferret: intereà ſtultus patris amor adoptionis divinæ gratiam magis illuſtrat.*

Cauſa amoris Iſaac, quo prætulit, quem Deus poſtpoſuit, in ſcriptura exprimitur. *Nam venatio erat* בפיו. Hic Raſi audiendus qui ad verba יודע ציד ita commentatur: *Noverat venari & decipere patrem ſuum ore ſuo. Nam interrogabat:*

rogabat: אבא האך מעשרין את המלח האך מעשרין את התבן. *Pater quomodo decimatur ſal; quomodo decimatur ſtramen? Vnde putavit pater,* שהוא מדקדק במצות *quod ipſe attenderet præceptis.* Ex adverſo Jacobum fuiſſe ſimplicem: אינו בקי בכל אלא כלבו כן פיו מי שאינו חריף לרמות קרוי תם:

Non erat exercitatus in omnibus ſed ſecundum cor ejus erat lingua ejus. Ille qui non eſt acer ad decipiendum vocatur תָּם. Quantum vocabulum פיו attinet, ſecundum Thargum, referri ad Iſaac, ſecundum Midras ad Eſau שהיה צד אותו ומרמהו בדבריו *quod patrem venaretur & deciperet verbis ſuis.* Aben-eſdras ad יודע ציד ait: עשו לעולם מלא מרמות כי רוב החיות בדרך מרמה יתפשו: ויעק׳ הפך כי הוא איש תם גם עשו איש שדה ויעקוב יושב אהלים ויתכן לחיות פירושו כמו יושב אהל ומקנה. Agnoſcit, ut communiter omnes & Raſi partim mores partim vitæ genera deſcribi & opponi. Eſavum moribus acrem & exercitatum fuiſſe ad circumducendum. **Een politijck man / die met menſchen wiſt om te gaen /** ut vulgò loquimur. Nam circumducere, blandis verbis factiſque & in ſpeciem benignis delinire & decipere noverat. Id eum didiciſſe ex vitæ genere & artificio, quod exercebat. Plerumque enim feras arte capi. Jacobum autem ad ejuſmodi mores rudem fuiſſe & ſimplicem. Vitæ genus in Eſau fuiſſe venationem (nempe avium ferarumque uti exprimit Raſi) in Jacob etiam per id quod habitaſſe tentoria dicitur, vitam paſtoritiam & nomadicam notari, ut ea phraſis notat Gen. 4.20. Id ſanè rectum eſſe videtur: Quod autem Aben-eſdras illud ציד בפיו interpretatur היה מביא ציד בפיו: Fuit inducens venationem in os ejus ſc. Patris, illud apparet eſſe coactum, Belgæ interpretes optimè: **Het wildbraed was nae ſijn mondt.** Nempe id ſignificat Sp. S. Iſaacum ſuaviter veſci ſolitum venatione, atque ita pertractum in dilectionem Eſau. Simplicem Jacob fuiſſe concedimus, ut fuit Job. Rectè Lyranus: *Iacob autem vir ſimplex, id eſt, ſine plica doloſitatis non autem dicitur ſimplex propter defectum induſtriæ.* Malè idem Judaicam expoſitionem de tabernaculis ad divina & divinum cultum refert: *Habitabat in tabernaculis; dicunt Hebræi, quod iſta tabernacula fuerunt tabernacula Melchiſedec: ubi vigebat cultus Dei, cum eſſet ſacerdos Dei excelſi: & tabernaculum Heber qui fuit propheta & docebat venientes ad ſe de Divinis. Ex quo patet, quod occupatio Iacob erat principaliter circà Divina. Vnde dicunt Hebræi, quod ipſe habitaverit in tabernaculo Heber quatuordecim annis.* Quænam fuerit cauſa ob quam mater Jacobum dilexerit, non exprimit Scriptura. Lyra: *Cauſa autem erat quod per revelationem Divinam habuerit, quod ipſe debebat fratri ſuo præferri.* Hoc tenetur communiter.

Hinc narrat ſcriptura jus primogenituræ venditum ab Eſau, quod emit Jacob. Cum forte Jacob pulmentum coxiſſet quod manibus geſtantem videbat Eſau, è venatione domum revertens & oppidò laſſus ac famelicus, petit à fratre, ad reficiendam animam. Negabat autem Jacob ſe daturum, niſi jus primogenituræ reſignaret. Eſau verniliter & profanè ſpreta prærogativa, ſumpſit ea conditione edulium. Hebræi fingunt eodem die obiiſſe Abrahamum, ne videret Eſaui impietatem multiplicari. Divinitus ipſi detractum fuiſſe quinquennium, quo eum ſuperavit Iſaac, tanquam beneficio quodam. Si ita ſit quod Abraham ea ipſa tempeſtate mortuus fuerit, quindecim annorum pueri hanc emptionem & venditionem fecerunt. At alii ad maturiorem ætatem iſta referunt. Ego illis aſſentirer, qui impietatem Eſau, quam Sp. S. ſeriò condemnat, majoribus annis & maturiori judicio attribuunt. Deinde videtur Eſau illud vitæ genus diutius exercuiſſe ex indicio ſcripturæ, quam iſtis annis poſſit convenire. Jus primogenituræ in octo rebus Abulenſis conſtituit.

I. Primogenti erant ſacerdotes. Objicitur Abel, cum primogenitus non eſſet, ſacrificaſſe tamen. R. Pererius conjunctum fuiſſe ſacerdotium cum primogenitura à tempore diluvii.

II. Primogenitus reliquos antecedebat in menſa & lautius excipiebatur.

III. Cœteri fratres à primogenito benedicebantur & illi benedictionem cum humili corporis inflexione recipiebant Gen. 27. 29.

IV. Veſte pretioſa in feſtivitatibus & actionibus ſolennioribus utebantur. Quo pertinet illud ex eodem capite, de veſtimento Eſau.

V. Dominium quoddam in fratres quaſi principes exercebant. *Eſto Dominus fratrum tuorum.* Item *Dominum tuum illum conſtitui.* Sic Iacob benedicens Ruben, primogenitum ſuum, *priorem in domo* vocat, *majorem in imperio.*

VI. Duplices partes in hæreditate conſequebantur. Hinc eſt, quod cum primogenitura à Ruben tranſlata eſſet in Judam & Joſeph, ille imperio in fratres donatus eſt, iſte princeps duarum tribuum factus eſt.

VII. Septimo, primogeniti redimebantur quinque ſiclis, quaſi ſpeciali ratione ad Deum pertinentes.

VIII. Octavo, à parentibus morientibus benedicebantur, ut ſic gubernationi domus, quaſi patresfamilias quodammodo initiarentur: quo pertinet illud Iſaaci ad Eſau primogenitum: Ut benedicat tibi anima mea, antequam moriar. Hoc ex Abulenſi Salianus.

Abulenſis non diſtinguit inter primogenituram à patre eamque quæ eſt à matre. Primogenitura à matre ab Exodo cœpit & ad eam pertinet ſeptimum caput. Aben-eſdras Primogenituræ prærogativam potiſſimum collocat in פי שנים / duplici portione hæreditatis. Alios autem dicere לבכור לעולם מעלה על הצעיר לקום מפניו ולשרתו כבן לאב: *Primogenito ſemper excellentiam fuiſſe ſupra minorem, ut ſtaret coram ipſo & miniſtraret ſicut filius patri.* Lenticulam coxit Iacob. Auguſtinus in Pſ. 46. *Lenticulam invenimus cibum eſſe Ægyptiorum. Nam ibi abundat in Ægypto. Vnde magnificatur lenticula Alexandrina & venit uſque ad terras noſtras, quaſi hic non naſcatur lenticula. Ergo deſiderando cibum Ægyptiorum, perdidit primatum. Ad quem cum veniſſet Eſau de agro laſſus, ait, da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò laſſus ſum.*

Videtur Iacob eſſe inſidiatus occaſioni, aut ſuggeſſit mater. Obviam igitur factus eſt fratri. Frater laſſus & famelicus, deſiderio accenſus ex contuitu cibi grati (fortè & guloſus erat & natura appetens cibi ejus generis) exclamavit *de ruſo, de rufo.* Nimium deſiderium verba amputabat: ut tantum exprimere poſſet affectum. Iacob negavit, donec homini profano exprimeret venditionem τῶν πρωτοτοκίων. Deſpuit ſuprà modum, qui vilem eſcam nobiliſſimo privilegio antepoſuit. Dei manus & directio fuit. Calvinus: *Parum à luſu puerili differt hæc hiſtoria. Coquit Iacob pulmentum: redit ex venatione frater laſſus ac famelicus, cibum primogenitura redimit. Qualis, obſecro, iſta conventio? Inedia fratris ultro ſuccurrere debebat Iacob. Quum rogatus negat, quis non inhumanitatis eum damnet? Quod jure primogenitura cedere cogit, illicita eſſe videtur ac frivola pactio. Sed in re non magni momenti probavit Deus ingenium Eſau: & rurſum ſpecimen exſtare voluit pietatis Iacob: vel (ut magis propriè loquar) quid lateret in utroque patefecit. Falluntur quidem multi, dum hinc cauſam electionis Iacob ſuſpendunt, quod aliquam in eo dignitatem præviderit Deus: & Eſau ideo reprobatum eſſe putant, quod futura ejus impietas Dei adoptione indignum reddiderit priuſquam naſceretur. Paulus gratuitam electionem ſtatuens, quærendum eſſe diſcrimen negat in hominum perſonis: ac primo quidem illud axioma ſumit, Quum perditum ſit à ſua origine humanum genus, & exitio addictum,*

 qui-

quicunque ſalvi fiunt, non niſi mera Dei gratia ab interitu liberari. Ideoque non præferri alios aliis proprio merito: ſed cum peræque omnes gratia indigni ſint, ſervari, quos ſuo arbitrio Deus elegit. Deinde altius conſcendit, Quum Deus mundi ſit opifex ſuo jure ita eſſe vitæ & mortis arbitrum, ut ratio non ſit ab eo exigenda: ſed ejus voluntas ſit cauſa cauſarum, ut ita loquar. Neque verò hoc modo Paulus tyrannidem Deo affingit, ſicut ſophiſtæ de abſoluta ejus poteſtate nugantur: ſed cum habitet lucem inaceſſam, & judicia ejus omnes abyſſos ſuperent, prudenter jubet Paulus in ſolo ejus propoſito acquieſcere, ne ſi homines nimis curioſi eſſe appetant, immenſum illud chaos omnes illorum ſenſus abſorbeat. Stultè ergò ex hoc loco æſtimant quidam, cum ex duobus fratribus alterum Deus elegit, altero poſthabito, prævisa fuiße utriuſque merita. Nam ut differret Iacob ab Eſau, neceſſe fuit ipſum à Deo diſcerni: alioqui fratris non diſſimilis futurus erat. Et ſemper illud Pauli memoria tenendum eſt, neminem præ altero excellere ſua induſtriâ ac virtute, ſed ſola Dei gratia. Cæterum quamvis pares eſſent natura ambò fratres, in Eſau tamen perſona quaſi ſpeculum Moſes nobis repræſentat, quales ſint omnes reprobi qui ſuo ingenio relicti, à Spiritu Dei non gubernantur. In perſona autem Iacob oſtendit non eſſe otioſam adoptionis gratiam in electis quià Dominus eam ſua vocatione efficaciter obſignat. Vnde ergò fit ut venalem habeat primogenituram Eſau; niſi quia Spiritu Dei privatus terram duntaxat ſapit? Vnde fratri Iacob ut ſe proprio victu fraudans inediam patienter ferat, niſi quia S. Sancto duce ſupra mundum ſe attollit & ad cæleſtem vitam adſpirat? Proinde diſcamus quoſcunque Spiritus ſui gratia non dignatur Deus, animales eſſe ac brutos, & uſque adeò deditos caducæ vitæ, ut de ſpirituali Dei regno non cogitent: quos verò Deus regendos ſuſcepit, non ita teneri implicitos carnis illecebris quin ſupernæ vocationi intenti ſint. Vnde ſequitur reprobos omnes manere demerſos in corruptelis carnis: electos verò Spiritu Sancto renovari, ut ſint Dei figmentum ad bona opera creati. Siquis excipiat poſſe Deo partem culpæ aſcribi, qui ſtuporem & pravas cupiditates reprobis ingenitas non corrigit: ſolutio in promtu eſt, conſcientiæ ipſorum teſtimonio, quo damnare ſe coguntur, Deum abſolvi. Quare nihil aliud ſupereſt, niſi ut à facie Domini ſileat omnis caro, ac totus mundus ſe obnoxium eſſe confitens ejus judicio, humilietur potius quam ſuperbè litiget. Lyranum de hoc negotio audiamus: Ad intellectum literæ ſequentis, hic primò quæritur, Quomodo Iacob, qui erat ſanctæ vitæ, ut prædictum eſt, petiit ſibi vendi primogenituram; quia tempore legis naturæ, quæ tunc currebat, primogeniti erant ſacerdotes & ſacerdotium ſupra fuit reputatum quod ſacrum, & ideò videtur Simoniam commiſiſſe? Item de jure primogenituræ erat, quod haberet duplicem partem in bonis paternis reſpectu aliorum, propter quod Ioſeph cui Iacob dedit primogenituram, inter alios fratres habuit duas ſortes & duas tribus inter alios filios Iſrael, ſcil. tribum Ephraim & tribum Manaſſe. Cum igitur Iſaac pater eorum haberet multa bona, ſequitur etiam quod primogenitura in bonis temporalibus multum valebat, & ſic videtur Iacob feciſſe magnam fraudem & deceptionem in hoc quod pro re tam modica, ſcil. eſu pulmenti acquiſierit ab Eſau jus primogenituræ. Ad primum dicendum quod jus primogenituræ erat ipſius Iacob jure, quod ex determinatione divina, ut prædictum eſt, quia minor fuit præpoſitus majori. Propter quod Malach. 1. dixit Dominus. Jacob dilexi, Eſau autem odio habui. Et Apoſtolus ad Roman. ix. dicit quod hoc dictum eſt de ipſis antequam nati fuiſſent ex divina electione, & ſic patet quod ex divina ſententia debebatur ipſi Iacob jus primogenituræ & iſtud fuit ſibi revelatum à matre. Eſau verò de facto primogenituram poſſidebat, & ideò licitum erat Iacob prædictum jus ad ſe retrahere cautè; quod fecit, quando vidit ipſum Eſau ità laſſum venientem de agro, quod timebat mori, propter quod minus appretiabatur jus primogenituræ, ſic ut dixit: En morior, quid mihi proderunt primoge-

mogenita? vidit etiam concupiſcentem & petentem pulmentum quod præparaverat & per conſequens tunc vidit tempus conveniens, in quo jus primogenituræ ſibi debitum per modum emptionis retrahere ad ſe poterat, quod & fecit: nec in hoc peccavit, quià non intendebat emere rem ſacram, ſed redimere vexationem ſuam. Eſau autem peccavit, non ſolum peccato gulæ inordinatæ, cibum appetendo, ſed etiam peccato Simoniæ, rem ſacram vendens intendendo. & ſic patet ad primum. Ad ſecundum patet ex dictis, quia ex quo ſuum erat de jure, poterat pro nihilo accipere, & ideo in modico pretio nulla fuit deceptio à parte ejus. Veruntamen, quia non eſt veriſimile, quod rem tanti valoris pro tam modico pretio vendere peteret, nec alius vellet vendere, ideo dicunt hic Hebræi, quod cibus iſte, de quo hic agitur non fuit pretium emptionis primogenituræ, ſed ultra pretium datus fuit à Iacob per modum curialis conſuetudinis, quæ in tranſlatione rei notabilis recipiens ultra pretium ſolvit vinum, per quod intelligitur prandium unum. Et hoc videtur ex littera cum dicitur: Juravit Eſau *& vendidit primogenita, ſed quantum fuit pretium Scriptura non determinat, ſicut nec in multis aliis. Et ſic accepto pane &c. pro avantagio ultra pretium ſecundum conſuetudinem vendentium. Si autem contrà hoc arguatur per illud quod dicit Apoſtolus ad Heb. x i i.* Nequis fornicator *aut prophanus, qui propter unam eſcam vendidit primogenita, poteſt dici ſecundum iſtam opinionem quod li propter non notat pretii quantitatem, ſed ſolum cauſam motivam, quia illa eſca fuit cauſa motiva ad tractandum de venditione, ut dictum eſt.* Parvipendens *quod primogenita vendidiſſet. Erat enim fortior viribus ipſo Iacob, & intentus cautelis mundanis per quas cogitabat retinere jus primogenituræ, non obſtante venditione & juramento.*

Primogenituræ jus aſpernatus pro re contemptibili commutavit, nulla neceſſitate coactus, non adactus vi famis. Nam in tolerantiæ exiguæ proxima certitudine ædium paternarum copia, non tantum ſedare latratum ventris & faucium poterat, ſed & hilaritati ſufficere. Mollis non tam impatientia, quam abſona & abſurda pretioſiſſimæ rei vilitas illi fuit. Ideò ab Apoſtolo audit βέβηλος, à Chryſoſtomo γαστρίμαργος. Thargum Hieroſolymitanum ab eo ſpretum eſſe ait futurum ſeculum.

Videns Lenticulam rufam, dixit הלעיטני נא מן האדום האדום הזה. Guſtandum mihi da de rufo, rufo. Inde tulit nomen Edom. Raſi urget הלעיטני ſignificare ingeſtionem cibi in os: quaſi Eſau præ famis impatientia diceret; *Aperiam os, ingere affatim.* Quo laudat dictum è codice Sabbat fol. 155. 2. *Non ſaginant camelum ſed guſtandum dant.*

At cur potius lenticulam coxit, quam aliud edulium? Abrahamum eo ipſo tempore aut die obiiſſe dicunt: Morem fuiſſe ut lugentibus lenticula eſui apponatur. Inſtituerunt id Judæi poſteris temporibus è quibus rei ante geſtæ explicationem petunt. Lentem à lugentibus ſumi placuit, quod ſit rotunda, ut ita ſignificetur luctum redire in orbem & omnibus communem eſſe. Raſi: ובשל יעקב עדשים להברות את האבל ולמה עדשים שדומות לגלגל שהבלות גלגל שחוזר בעולם: *Coxit Iacob lentes ad cibandum lugentem. At cur lentes? Quod ſimiles ſint orbi, quoniam luctus ut orbis, qui redit in ſeculo.* In Baba Bathra, cap. 1. fol. 16. b. dicunt Thalmudici quod ſcriptura dicit, Deum benedixiſſe Abrahamo in omnibus, id intelligendum eſſe ſic, quod non habuerit filiam; alii quod habuerit filiam; R. Eleazar Modeenſis, quod Aſtronomia fuerit in corde ejus: R. Simeon ben Jochai, lapidem pretioſum collo ejus appenſum fuiſſe, cujus intuitu omnes ægri ſanarentur; Alii non rebellaſſe Eſau, donec ipſe in vivis erat; Alii, Iſmaëlem egiſſe pœnitentiam in diebus ejus. *At unde hoc,* quod Eſau non rebellaverit vivente Abrahamo? Scriptum

eſt. *Veniebat Eſau ex agro eratque laſſus. Traditum autem eſt: Eo ipſo die* obiit [נפטר] Abraham pater noſter & fecit Jacob pater noſter coctụram è lentibus ut conſolaretur Iſaac patrem ſuum. Dicunt in occidente, à Rabba bar Domini ſui: Quid eſt illa lens? Non eſt illi os, Etiam luctui non eſt os. Alius ſermo: Quid eſt lens? Eſt rotunda: etiam luctus volvitur & redit in venientes in mundum. R. Jochanan dicit impium (Eſau) eodem illo die quinque delicta perpetraſſe. Ingreſſum eſſe ad puellam deſponſatam, homicidium commiſiſſe, negaſſe fundamentum, negaſſe reſurrectionem mortuorum, vendidiſſe primogenituram. Ea omnia conantur elicere ex verbis textus in v. 29. 32. Nam primò ſcriptum eſt: *Et venit Eſau ex agro.* Cum dicatur de raptu Deuteron. 22. 27. *In agro invenit eam.* Deinde Occidit animam, quia dicitur עיף / at ſcriptum alio loco (Jerem. 4. 31.) *Væ mihi quia feſſa eſt anima mea* להורגים *ob percuſſores.* Tertiò. hic dicitur, למה זה לי: at alio loco (Exod. 15. 2.) זה אלי ואנוהו. Contraria igitur abnegatio Eſaui Moſaicæ confeſſioni. Reſurrectionem mortuorum negaſſe ex eo arguuut, quia dixit: *Ecce ego vado ad moriendum.* Hinc igitur & ab hoc die cœpit Eſaui improbitas quam ne videret Abraham, rapuit eum Deus ante diem.

Quod Eſau dicit, *Quorſum mihi illud privilegium, cum ad mortem eam?* Id convenientius exponitur de præſenti famis periculo. Aben-eſdras autem putat exponi poſſe, de vitæ genere, in quo erat Eſau: Quotide in periculo mortis fuiſſe, quando egrediebarur venatum, ne forte à feris periret: ויתכן שימות קודם אביו / Veroſimile eſſe, quod ante patrem moriturus ſit. Deinde quod Eſau venditis πρωτοτοκίοις & venditionem juramento firmaverit, fueritque ſecurus animi, quaſi rem nihili abjeciſſet; notat ſcriptura. *Edit & bibit & ſurrexit & abiit & ſprevit Eſau primogenituram.* Hic Aben-eſdras ideò primogenituram ab eo eſſe contemptam dicit, quod videret Patri ſuo non eſſe opes. Quod multi mirantut, cum Abraham ipſi magnas reliquerit: quaſi non viderent ipſum ditem fuiſſe cum adoleſcens eſſet & juvenis, ſenem autem incidiſſe in paupertatem. Argumento eſſe, quia Iſaac dilexerit Eſau ob neceſſitatem ſuam: Deinde ſi fuiſſet panis copia in domo patris, eaque in oculis Eſau venerabilis non vendidiſſet primogenituram ſuam ob edulium. Si etiam pater quotidie lautis epulis fuerit uſus, cur dixit, Infer mihi venationem? Et cur non fuerunt Jacobo veſtes pretioſæ? Et quare non dedit ipſi mater argentum & aurum in via? Cum ipſe dixerit: Et dederit panem ad edendum & veſtem ad induendum? Et cur non miſit ſubſtantiam, cum eam diligeret, ut coactus ſit pecudes cuſtodire? Ad paupertatem delapſum eſſe Iſaacum tot argumentis diſputat. Contrarium teſtatur ſcriptura cap. 26. 12. 13. 14. Illa autem ad priores annos & ætatem robuſtiorem reſtringere nolim, quaſi Deus ſenem & effetum defectumque viribus ad anguſtias prolabi ſiverit. Quod filium Jacob vacuis manibus dimiſerint in Meſopotamiam, ratione non caret: Non enim miſere ad nuptias, ſed uti illic loci degeret & labore ſuo victum quæreret, miniſtrando avunculo. Enimvero non fuit iſte modus, ut otioſi vitam conſumerent. Ætas exercenda fuit duris laboribus, ut patriarcharum ævum habuit. Non poteſt ex contemptu Eſau demonſtrari opum paternarum anguſtia, cum profanitatem ſcriptura oſtenſum eat. Raſi ea verba, quibus ſe ad mortem ire dicit Eſau, ita exponit: מה טיבה של עבודה זו אמר לו כמה אזהרות ועונשין ומיתות תלוין בה כאותה ששנינו אלו הן שבמיתה שתויי יין ופרועי ראש אמר אני הולך למות על ידה אם כן מה חפץ לי בה: *Quid boni eſt huic cultui? Dicit ipſi, Quot admonitiones & pœnæ & mortes ſuſpenſa ab ea, ſecundum hoc quod docemus: Hi ſunt, qui in morte ſunt, poti vino & nudati capite:*

pite: Dicit: Ego vado ad mortem per eam. Si ita, quam in eo delectationem habere poſſum? Primogenituram, in qua ſacerdotium & cultus Dei continebâtur, ſprevit, quia doctrina pietatis minas mortis contineret. Ad verba ſcripturæ ויבז עשו / ita dicit: העיד הכתוב על רשעו שבזה עבודתו של מקום / *Teſtatur ſcriptura de impietate ejus, quoniam ſprevit cultum Dei.* Thargum Hieroſolymitanum in ea verba וקם ואזל ובזי עשו ית בכורתא ואפס חולקיה בעלמה ראתי וכפר בתחית מתיא: *Erſurrexit & abiit & ſprevit Eſau primogenituram & ſprevit portionem in ſeculo futuro & abnegavit reſurrectionem mortuorum.* Quamvis Eſau in primogenitura Deum ſpreverit & Dei promiſſiones ac fœdus, non tamen Iacob per Simoniam emit: quamvis hoc jus emiſſe iſto edulio certum ſit. At difficiles nodi, qui in hac facto continentur, ratione Iacobi, ut ſolvi poſſint aut non & quatenus abſolvi Iacob, egregie diſputat Cl. Rivetus; cujus diſſertationem hic repræſentare placet. Ita autem habet: *Sed hic exurgit difficilior quæſtio de Iacobo, an in totâ hac agendi ratione cum fratre ſe ita geſſerit, ut expers culpæ haberi poſſit? Non videtur enim juſta & laudabilis fuiſſe conventio. Primum, videtur captata occaſio parum convenire honeſtati & humanitati, cum videret fratrem fame premi & cibum appetere, inde occaſionem ſumpſiſſe de tam arduâ venditione cum eo agere. Secundò, nec æquum videtur, rem magnam & inæſtimabilem pro vili & quaſi nihili pretio accipere. Tertiò, parum etiam congruere cum charitate, quod fratrem nihil tale cogitantem ad id impulerit tentatione ſuâ, & in hoc peccatum inſtigatione ſua præcipitarit. Non enim veniebat Eſau ferens venalem primogenituram, vel ſponte offerens. Quartò, poſſit videri affine factum ei quod in Simone Mago damnatum fuit, Actor. 8.* Qui donum Dei pecuniis acquiri poſſe exiſtimavit. *Exiſtimavit enim Iacob, ſe poſſe acquirere primogenituram, quæ maximum erat Dei donum, vili lenticulâ; in quo præter injuſtitiam, videtur etiam admixta fuiſſe profanatio rei tantæ. In ſummâ, difficultas eſt in eo non exigua quomodo qui vendit, qui jurat, qui pretium accipit, multis modis peccet; abſolvatur autem ab omni culpâ, qui ad vendendum inſtigat, qui juramentum exigit, & qui pretium offert viliſſimum, pro re pretioſiſſimâ?*

Hic certè non habemus regulas communes quibus hæ Iacobi actiones defendi poſſint, de quibus non poſſumus favorabile ferre judicium, niſi ab eventu; quia non legimus in Scriptura illum propterea in aliquam Dei reprehenſionem incurriſſe. Sed id tamen ante omnia ſtatuendum eſt; hoc factum non trahi debere in exemplum. Nam quod quidam hoc axioma afferunt, volenti non fit injuria, *ut probent non fuiſſe iniquam ſtipulationem, non ſufficit: quia inductus fuit ad id volendum, preſſus neceſſitate, nec propterea univerſaliter verum eſt, volenti non fieri injuriam. Siquis enim imprudens malum ſuum velit, non propterea prudens ei debet infligere. Ergò lex illa non debet abſolutè intelligi de nulla injuria, ſed comparatè, quia non tanta fit volenti, quanta nolenti & reluctanti. Non ſatisfacit etiam, quod Iacobo decreta fuerat primogenitura. Reſponderi enim poteſt, vel id Iacobo notum fuiſſe, & tunc contentus debuit eſſe authoritate divinâ, quæ ſatis eſſe debuerat, ut expectaret executionem ab eo qui deſtinaverat; vel ignotum fuit, & tum rem alienam appetivit. Quod alii dicunt, Eſavum fuiſſe occupatorem juris fraterni, idque notum fuiſſe Iacobo, qui propterea jus ſuum poterat repetere, ſed oblato pretio voluit vexationem redimere, id etiam dilutum videtur. Certè Eſau jus illud non injuſtè occupaverat, qui illud à natura habuit. Et ridiculum mihi videtur, quod Cajetanus ſcribens in ſecundam ſecundæ, quæſt. 100. artic. 4. dicit Iacobum, petentem ut Eſau venderet primogenita ſua, hunc ſenſum intellexiſſe,* Da mihi primogenita, quæ verè ſunt mea, ſed quià non vis gratis dare, offero prandium, &c. *Non ſatisfacit etiam, quod eum ab inhumanitate excuſat, quia ſciebat petitionem Eſau non proficiſci à*

magna

magna neceſſitate, ſed ex gula intemperantia, Contrarium enim videtur verum, quia judicavit, in tali neceſſitate induci melius poſſe ad id concedendum, quod aliàs non feciſſet. Minus etiam quod idem ſumit pro confeſſo, Iacobum non ideo poſſe accuſari, quia rem pretioſam emit viliſſimo pretio; quià non uſus eſt propriè venditionis nomine, ſed cum rem ipſam ſciret eſſe ſuam, non eam reipſa emebat, nec putabat ſe pretium rei dare, tantum propter malitiam & ignorantiam Eſau abutebatur verbo vendendi; cum tamen venditio locum habere non poſſet in re aliena, qualis erat primogenitura, in manu Eſau.

Hæc & talia ab eis cogitata, qui ſe nihil ignorare præſumunt, & ad omnia ſe poſſe reſpondere putant, rem magis implicant quam explicant. Nulla enim eſt ex his reſponſionibus, ex qua non poſſit oriri nova difficultas. Præſtat igitur rem totam Deo relinquere, & quæ ſunt extraordinaria, ad exemplum non trahere: ubi regulas non habemus in lege Dei nobis præſcriptas. Agnoſcenda eſt Dei providentia, qui iſta omnia ſic diſpoſuit, ut Eſau defatigatus à venatione rediret, impenſeque eſuriret: Iacob coctionem ſuam coqueret, & hanc ille avidiſſimè expeteret, & occaſionem hanc Iacob arriperet, ut primogenituram, ipſo Eſau eam rejiciente, conſequeretur. Ergò quod præcipuum eſt in hac hiſtoria, ſufficere nobis debet, Deum hac ratione, utriuſque fratris ingenium & quid in utroque lateret ratione dignitatis illius, voluiſſe detegere, unum, nempe Iacobum, magno illius deſiderio ductum fuiſſe, alterum verò, animo profano, contempſiſſe. Hoc ſatis perſpicuum eſt. Natura dederat Eſavo principatum cui gratia denegaverat ſignificatum. Eadem natura negaverat Iacobo ſignum, cui Deus indiderat rei deſiderium & rem ipſam deſtinaverat. Hæc quæ latebant his actionibus protruduntur, & in aperto ponuntur: itaque non eſt opus, ut quæ à Iacobo fiunt & dicuntur ad vivum reſecemus, aut ſeverè examinemus. Id tantum ad rem facit, quod magno tenebatur deſiderio prærogativæ fœderis, quod à Deo fuiſſe non dubitandum. Si in re procuranda admixta fuit infirmitas, eo major fuit gratia Dei, quod indulſerit tam benignè, ut oſtenderet totum id ab electione pendere, non ab operibus, quod unus alii præferretur. Et certè non poſſum adduci ut credam, quod inter duos fratres actum fuit per ſe vim aliquam habuiſſe; juſque illud fuiſſe hac actione in Iacobum tranſlatum vel in ſe, vel Dei ratione. Talis enim venditio, ne inter homines quidem in rebus hujus ſeculi rata haberetur. Quid enim ſi frater hoc tempore jus primogenituræ fratri venderet pro re nihili, an propterea, cum ad herciſcundam familiam ventum erit, judex potiorem partem minori aſſignabit? Imo in venditionibus inter eos factis qui juris ſui ſunt, ſiquis dimidia pretii parte fraudatur, id eſt, minus accipit quam ultrà juſti pretii dimidium, poteſt rem ſuam repetere reddito pretio. Ergò non exiſtimandum tranſactionem iſtam per ſe fuiſſe ratam, aut Iacobum verè emiſſe, quod gratis à Deo fuit ipſi donatum; ſed ad hoc profuit, ut omnes intelligerent Eſavum tanta prærogativa fuiſſe indignum, ne ipſe haberet, unde conquereretur ſe privatum fuiſſe ea dignitate, quam adeò profane contempſerat.

Annotatio in Cap. XXVI. Geneſ.

IN hòc capite commemoratur commoratio Iſaaci in Geraris & Berſabe: quæ duo membra ſunt. Primum ab initio uſque ad v. 23. Alterum inde ad finem.

verſ. 1. ERAT FAMES IN TERRA] Caritas annonæ expulit ipſum in aliam terram. Calv. *Eodem ferè tentationis genere, quo probatus bis fuerat Abraham &c. Moleſta jam & aſpera erat illa conditio, quod Deus ſervos ſuos in terra, quam ſe illis daturum promiſerat, hoſpites volebat eſſe, qui ſubinde in novas ſedes migra-*

migrarent, ſed hoc minus tolerabile videtur, quod ne illic quidem peregrinari ac inſtabilem motoriamque (ut ita loquar) vitam agere paſſus eſt, ſed propemodum fame confecit &c. Verum ita ſanctos patres exercuit Deus, ut eorum exemplu edocti non ſimus in tentationibus nimis effœminati & molles. Quod ad verba pertinet, quamquam duplex fuit ſterilitas tempore Abraha, Moſes tamen non niſi unius meminit, cujus recentior erat memoria.

Ad Abimelech] Fueritne idem an ejus ſucceſſor ſub communi nomine non dijudicaverim.

verſ. 2. Visus Est] Cauſæ redditio (uti Calv. putat) cur ſe potius Iſaac in eam regionem contulerit quam profectus ſit in Ægyptum. Cæleſti oraculo retinuit eum Deus. Ne deſcendas] R. Salomo Jarchi: שהיה דעתו לרדת מצרימה כמו שירד אביו בימי הרעב: Mandat Deus in ea terra conſideat, quam ipſi eſſet dicturus. Ita in ipſo initio itineris vel procinctu Deus jubet eum ad os ſuum iter dirigere. Plane uti mandatum Abrahamo in exitu ex Ur.

verſ. 3. Inhabita Terram Hanc] Iſaacum Deus prohibuit ab Ægypti acceſſu, quo patrem ejus deſcendere paſſus fuerat. Nempe illud iter magis periculoſum filio. Poterat hunc æqualiter corroborare ne eum Ægypti fœcunditas & deliciæ corrumperent: at cum non vellet infirmitatem ſanare, diſcrimini eam objicere noluit. Hæc verior ratio eſt, quam illa eſt, quam Raſi dedit & ex eo Lyra, ſcilicet Iſaacum ſanctificatum fuiſſe in hoſtiam puram, ideo non debuiſſe eò ire.

Nam Ero Tecum &c.] Repetit Deus benedictionum promiſſa ad hanc terram pertinentia: quæ dicta erant Abrahamo. Dicit enim I. In perſona Iſaaci & ſemine firmaturum ſe Abrahamo dicta & juramento ſtabilita. II. Repetit promiſſa, quæ ſunt 1. benedictio & proſperitas. 2. multiplicatio ſeminis. 3. omnium populorum terræ in hoc ſemine benedictio. Quamvis ad juramentum provocet Deus, inde tamen non ſequitur, eam ſolam promiſſionem intelligi, quæ poſt tentationem immolandi Iſaaci facta eſt. Confirmatio enim univerſarum promiſſionum veritatem obſignat.

verſ. 5. Eo Quod Obediverit Abraham] Fruſtrà Raſi obedientiam reſtringit ad tentationem de mactando filio. Generalis enim eſt, uti patet è ſubjuncta explicatione. Subtilis admodum eſt Raſi in exponendo diſcrimine vocum, quibus objectum obedientiæ deſcribitur. וישמור משמרתי id eſt: גזרות להרחקה על אזהרות שבתורה כגון שניות לעריות ושבות לשבת. *Decreta elongationis ſuper admonitionibus, quæ ſunt in lege, ut ſecunda à congreſſu illicito, & ſtatutum Rabbinicum de Sabbato.* Rabbini enim fecerunt גזרות / quibus extendunt Dei præcepta; אזהרות hoc eſt expreſſe poſitas leges; ut hominem à tranſgreſſione arceant per vicinorum ſeu affinium interdictionem, להרחק מן עבירה. Ita de interdictis gradibus de Sabbato. Inde tres voces ponuntur. מצותי חקותי תורתי: Vocem מצותי: Res, quæ ſi ſcriptæ non eſſent, dignæ tamen eſſent, quæ præciperentur, ut rapina & effuſio ſanguinis. חקותי דברים שיצר הרע ואומות העולם משיבים עליהם כגון אכילת חזיר ולבישת שעטנז שאין טעם בדבר אלא גזר המלך חקותיו על עבדיו: *Verba quæ figmentum malum & populi ſeculi adducunt ſuper ſe, uti eſus porcinæ, & veſtitus heterogenei; ubi non eſt ratio in re, ſed decrevit rex ſtatuta ſuper ſervis ſuis.* תורתי: להביא תורה שבעל פה הלכה למשה מסיני: *Ad introducendum legem oralem, jus Moſis è Sinai.* Cerimoniales leges indicium eſſe ſtatuit ſervorum, quo diſtinguuntur ab alienis. Id non rejicit Apoſtolus, quatenus fuit medium interſepiens inter populum Dei & gentes. At ſimul arguunt de peccato & adumbrant Chriſtum. Cum igitur Deus ſit non tantum Judæorum ſed & gentium Deus & Chriſtus

Oo adve-

adveneriт umbrarum implementum, neceſſe eſt intergerinum ſeptum dirui &umbras evaneſcere. In vulgata editione Latina habetur: *Et cuſtodierit præcepta & mandata mea & cerimonias legeſque ſervaverit.* Mandata & præcepta Lyra explicat: *Illa ſunt, quæ ſunt de dictamine rectæ rationis & ſervanda etiamſi nulla lex eſſet de hoc poſita, ſicut redditur depoſitum ipſi deponenti & ſimilia.* Iſta conveniunt cum expoſitione Raſi ſuper מצוות. Inde חקות cerimonias explicat: *Iſta ſunt, quæ pertinent ad modum colendi Deum.* Leges ita: *Iſta ſunt, quæ non obligant niſi quia ſunt à Deo inſtituta & præcepta.* Poſt iſta ſubjicit: *Ex iſtis patet, quod ante legem Moyſi datam plurima fuerint obſervata de illis, quæ tempore Moyſi fuerunt ſcripta.* Hinc tamen non ſequitur univerſam legem Moſis obſervatam eſſe Abrahamo. Scripturam ullam fuiſſe eo tempore non legimus: quomodo igitur memoria retineri potuerunt Præcepta, Cerimoniæ, Leges, quæ multa erant, ut ex hoc loco patet? Nos arbitramur induſtria patrum eſſe conſignata, memoria juvandæ cauſa, non tamen illam ſcripturam ſed verbum Dei ἄγραφον regulam fidei fuiſſe & morum. Ideo verbum Dei ſuo ſenſu tantum ἄγραφον erat, quia non in Sp. conſcriptum. Propter iſtam pietatem Abrahami Deus (ut ipſe loquitur) eas benedictiones Iſaco promittit. Hic Lyra: *Hoc additur, ne crederetur Iſaac ſimpliciter perfectior ipſo Abraam: ideò in promiſſione ſibi facta fit memoria de juſtitia ipſius Abrahæ.* Hæc ratio non quadrat, melius dicitur & verius Dei benignitate ordinatum eſſe, ut decretæ benedictionis effectus per hanc viam incederet.

verſ. 8. ABIMELECH REX PHILISTIM PROSPICERET בעד החלון] Cum ſoli eſſent & in loco ſolo vidit Abimelech duos conjuges liberius ludere. Id è feneſtra intuitus eſt.

מצחק] Lyra. *Dictio, quæ hic ponitur, æquivoca eſt ad ludum & ad coitum, ut ſupra dictum eſt cap. 21. Et quod hic debeat capi in ſecundo ſenſu, videtur per illud, quod ſubditur.* Raſi eodem modo ראהו משמש מטתו. Dixerat de conjuge ſua eam eſſe ſororem ſuam, quia ob ejus ſpeciem ſibi metuebat apud homines ignotos. Longum tempus exegerat in Geraris, antequam Abimelech illud animadverteret. Hic Lyra: *Ex hoc videtur, quod ſe habuit ad uxorem ſicut ad ſororem continendo ab ea, quo uſque expertus fuit quod propter ejus pulchritudinem non moleſtabant eam & tunc rediit ad exercendum actum conjugalem. Alii dicunt, quod vidit eum amplexantem vel oſculantem Rebeccam, quod non faciebant viri niſi cum uxoribus propriis.* Obſervat Calvinus integritatem vitæ Iſaaci Abimelecho injeciſſe cogitationem de matrimonio potius quam ſcortatione cum Rebecca Iſaaci. Addit: *Addendum tamen eſt illud quoque quod poſterius attigi, non ita vulgatas & profuſas illo tempore fuiſſe libidines ut de hoſpite non improbo obliqua ſuſpicio animum regis ſubiret. Quare ſibi facile perſuadet Rebeccam uxorem eſſe non ſcortum. Inde etiam probatur ſeculi illius caſtitas: quod familiarem luſum Iſaac cum Rebecca pro conjugii indicio accepit Abimelech. Non enim de coitu loquitur Moſes ſed de aliquo liberiori geſtu, qui vel diſſolutæ laſciviæ vel conjugalis amoris teſtis eſſet. Nunc eo perrupit licentia ut mariti diſſolutos uxorum cum alienis luſus taciti ferre cogantur.* De Abrahami facto dici poteſt, quod falſum non dixerit, quamvis verum, ubi conveniebat dici, reticuerit, at Iſaac falſum dixit. Nullo enim modo Rebecca erat talis ſoror ejus. Lata ſignificatione pro cognata, non quadrat & æquivocatione uſus eſt. Quamvis ſatis teneret matris pudicitiam bis fuiſſe in magno diſcrimine, ob patris temeritatem vel inconſultum timorem, unde mirabiliter Dei manu erepta foret, ad eundem tamen impingit lapidem. Duo delinquit. Primò ad æquivocationem mendacio non abſimilem confugit; deinde uxorem à fide conjugii abſol-

abſolvens, alienis proſtituit. *Deus tutatus eſt Rebeccam, quam non eſt paſſus eripi è gremio Iſaac, ſed excitavit regem profanum, qui ſtultitiam ejus placide & ſine moleſtia corrigeret.*

verſ. 10. QUID HOC FECISTI NOBIS?] Increpat Iſaaci factum, quo expoſuerat adulterio uxorem, crimini populum Abimelecho ſubditum. De populo ſuo, cui ipſum Deus præfecerat, tantum meminit: quia violationem alieni thori grande delictum eſſe agnoſcit & cæleſti vindicta dignum, à quo regno ſuo metueret. Deus non permiſit Iſaacum delabi in eas anguſtias, in quas pater devenerat, ut tamen reprehenſio plus haberet verecundiæ, cenſorem illi deſtinat hominem gentilem.

verſ. 11. ET PRAECEPIT ABIMELECH] Edicto munit Iſaac & conjugem adverſus vim & injuriam capitali pœna denuntiata, ſiquis attingeret. Verbum *attingendi* ſignificat minimam injuriam fuiſſe ſub ea pæna prohibitam. Dei manus regum corda flectit in propenſam benevolentiam erga fideles, ubi ita Dei gloriæ & ſaluti piorum conſultum eſſe videtur.

verſ. 12. ET SEVIT ISAAC IN TERRA ISTA] Raſi ad בארץ ההיא ita commentatur: אף על פי שאינה חשובה כארץ ישראל עצמה כארץ שבעה גוים *Quamvis non reputaretur ut terra Iſaël erat robuſta tanquam terra ſeptum gentium.* Hanc rationem affert fecunditatis. Mira Judæi fabulantur de fertilitate ſoli Cananææ, de quibus aliàs. Solatus eſt Deus peregrinationem triſtem & ſolicitam. Cum Abimelech eum muniiſſet adverſus vim & injuriam colendæ terræ dedit operam. Scriptura dicit, בשנה ההיא / & ad id Raſi: *Quamvis non eſſet* כתקנה / *ſecundum rectum habitum, quia fuit annus famis.* In terra illa; in anno illo; *quo ſignificatur, terram fuiſſe duram ſive difficilem & annum.* Cum multum tempus egerit Iſaac in iſta regione, antequam Abimelech obſervaſſet Rebeccam eſſe illius uxorem, non videtur veroſimile, quod eodem anno quo advenerat, ſementem fecerit Iſaac. Nec dicit ſcriptura ſterilitatem & famem incubuiſſe in Gerarorum tractum: videtur potius eum tractum immunem dicere, quia eo ob annonæ caritatem conceſſit Iſaac. Dicitur in anno illo inveniſſe מאה שערים *centum æſtimationes.* Id, uti puto, ſimpliciter centuplum fœnus meſſis ſignificat. Abeneſdras: *Majores noſtri* [קדמונינו] *b. m.* ; שיעור *æſtimatio, quia invenit centum ex æſtimatione ſeminis. Eſt autem deductum à verbo* שער כי כמו שער בנפשו / *quia tanquam æſtimabat ſecum.* Raſi: *Quando menſurabant eam, quantum conveniens eſſet facere, faciebat ſuper unam, quam menſurabant, centum: at magiſtri noſtri dicunt, Menſurabat iſte ſecundum decimas.* Quocunque genere menſuræ metiretur ad ſeminandum, centuplum inveniebat in meſſe. Rabbini menſum eſſe dicunt ad decimas, quarum illi cura erat. Sed cui dare potuit, niſi velis ea tempeſtate Melchiſedecum fuiſſe ſuperſtitem? Calvinus ita in hunc locum commentatur: *Hic Moſes narrare pergit, quomodo Iſaac manifeſtum fructum perceperit promiſſæ ſibi à Deo benedictionis. Dicit enim quum ſeminaſſet proventum centuplo fuiſſe majorem: quæ rara eſt etiam in illis terris ubertas. Addit etiam fuiſſe divitem pecoris, habuiſſe amplum famulitium. Horum verò omnium laudem tribuit Dei benedictioni: ſicut etiam habetur in Pſalmo,* Dominum ſuis dormientibus affatim ſuggerere quod illis ſufficiat. *Quæritur tamen quomodo ſerere potuit Iſaac, quem Deus tota vita peregrinari jubebat. Sunt qui putant agrum aliquem emiſſe, & ita vocem* קנה *interpretantur Poſſeſſionem, ſed contextus eorum errorem coarguit: quia paulò poſt nulla venditio ſanctum virum morata eſt quominus vaſa aliò transferret: deinde quum ejus vocationi, Deique mandato agrorum emptio contraria eſſet, hoc proculdubio tam notabile vitium non præteriiſſet Moſes. Adde quod ſtatim fit ex-*

 preſſa

preſſa mentio tabernaculi, hinc colligimus, quocunque veniſſet, hoſpitis more precario habitaſſe. Ergò tenendum eſt, ſationem hanc in agris conductitiis eſſe factam. Quanquam enim pedem non habebat propriæ poſſeſſionis, ut tamen officium boni patrisfamilias præſtaret, familiæ ſuæ victum parare debuit; & fortè ejus ſedulitatem ac induſtrian acuit fames, ut ſibi impoſterum diligentius proſpiceret. Memoria tamen repetere convenit quod nuper attigi, abundantiam, quam ſuo labore adeptus eſt, Dei gratiæ ferri acceptam. Iſaacum in ea regione non emiſſe agros patet, quia omnis propria poſſeſſio diligenter annotata eſt à Moſe. An conduxerit, neſcio: poſſis exiſtimare, in ea paucitate colentium, campi multum vacuum jacuiſſe, qnod in culturam concedi potuit ab Abimelecho. עֲבֻדָּה & עבודה differunt in Hebraiſmo, ut notant Judæi. Nam, ut loquitur Raſi, עבודה אחת עבודה משמע פעולה רבה *Aboda ſignificat unum opus, Abudda opus multum.* Ideoque non de famulitio accipiunt ſed de opere, ut Græci γεώργια πολλά. Aben-eſdras de famulitio exponit. Opes Iſaci non in auro & argento, ſed in pecude & terræ proventu collocantur. Unde eſt proverbium: זבל פרדותיו של יצחק ולא כספו וזהבו של אבימלך / Fimus mularum Iſaaci melior eſt, quam argentum & aurum Abimelech.

verſ. 15. Et Omnes Puteos] Puteos eorum tractuum, quos foderant paſtores Abrahami, obruerunt æquaruntque Palæſtini. Raſi putat id factum antequam in has partes adveniret Iſaac, mox poſt mortem Abrahami. Rationem oppletionis fuiſſe quod metuerent hoſtiles turmas in eis ſe occultaturas. Alii interpretes invidiam Palæſtinorum in Iſaacum creſcentem & diteſcentem cauſam fuiſſe putant obſtructionis.

verſ. 16. ויאמר אבימלך] Secundum pleroſque hic ſenſus eſt, quod Abimelech invidia ſuorum impulſus, juſſerit diſcedere Iſaacum. Cum ſcilicet illi indignati peregrinum nimis augeſcere ejus præſentiam ferre nequirent. Diſcedere jubet, quia opulentior evaſiſſet, quam ipſi eſſent Palæſtini. Ita numeroſum pecus & famulitinm agros coarctabat ipſis indigenis.

verſ. 18. Cum Reversus Esset} Iſaac Geraris relictis conſedit in valle proxima. Nam de valle potius quam torrente accipio. Illic puteos, olim à famulis patris effoſſos, & à Palæſtinis poſt mortem Abrami obſtructos, repurgavit, appellavitque iiſdem nominibus, quibus eos pater appellaverat. Puteis & fontibus nomina poſita fuerunt illic terrarum ob eorum æſtimationem in terra ſiticuloſa & aquarum indigente. וישב יצחק ויחפר verterum, *Refodit Iſaac.*

verſ. 17. Servi Isaac In Illa Valle Fodientes] Non tantum expurgarunt puteos Abrahameos, ſed & depreſſerunt novos. De duobus in quibus venæ perennium aquarum apertæ erant, contenderunt paſtores Gerarenſium. Hinc illis nomina Iſaac poſuit *Eſec* עֵשֶׂק & *Sitna* שִׂטְנָה.

verſ. 22. ויעתק משם *Et fixit illinc*] Hinc ſe tranſtulit cum gregibus ipſe & paſtores ejus, alioque effoſſo puteo, quietem habuerunt quia ſatis amplum ſpatium in medio vacuum reliquiſſet. Hinc puteo nomen fecit רחבות *Rehoboth.*

verſ. 23. ויעל משם באר שבע *Et aſcendit inde Berſabe.* Auctus opibus pecude & famulitio.

verſ. 24. Et Visus Est Dominus] Deus illi noctu viſus eſt, per ſomnium. De illis apparitionibus monet Calvinus: *Tenendum memoria eſt, quod alibi diximus, dilucidam & minimè ambiguam notam Dei viſionibus fuiſſe inſculptam, unde eos à fallaciis certò diſcernerent fideles, ne fides eorum in ſuſpenſo foret.* בלילה ההוא. Id interpretantur, Eadem nocte, qua in Berſabe advenit,

nit, ipſi viſum eſſe Dominum. Præfatur in oraculo Dominus, ſe eſſe illum, qui cum Abrahamo patre illius fœdus pepigiſſet. Ideoque ne metuat, ſe ipſi affore & benedicturum: & propter Abrahamum multiplicaturum eſſe ſemen ipſius.

verſ. 25. Et Struxit Illic Aram] In memoriam oraculi divini, quo locus videbatur eſſe conſecratus, aram ſtruxit & cultui Dei locum dedicavit. Cumque illic conſediſſet famuli puteum effoderunt. Calvinus: *Mirum eſt, cum loco jam impoſitum eſſet nomen à puteo, Iſaac rurſus aquam illic quærere, præſertim quum ejus pater Abraham ſibi & poſteris è rege emiſſet. Adde, quod difficilis & laborioſa fuit effoßio.* Neque enim fruſtrà dicit Moſes, veniſſe poſteà ſervos, qui nuntiarent inventam eſſe aquam. Ego itaque non dubito, quin ubique inter illius homines regionis inita fuerit conſpiratio, ut ſanctum hominem aquarum inopia expellerent, ut hic quoque puteus Seba *fraude obſtructus fuerit* &c.

verſ. 27. Cur Venistis Ad Me] Iſaco illic conſidente advenerunt Abimelech cum amico Ahuzath & principe militiæ Phicol, ut feriret cum Iſaaco fœdus. Iſaac dicit ſe mirari, cum injurioſi fuiſſent & odium exprompſiſſent. Itaque nec illis fidem haberi poſſe ſignificat. Illi reſpondent ſe ipſum in pace & illæſum dimiſiſſe, videre autem propenſam in eum Dei benignitatem. Appellant eum ברוך יהוה. Hoc docet cultum Dei veri apud eos nondum evanuiſſe. Benedictus Domini, non habebat metuere ipſorum vim & injuriam: idque ipſum eorum animos deliniverat & reverentia ergà eum imbuerat.

verſ. 30. Fecit Ipsis Convivium, Ederunt Et Biberunt] Fœderis feriendi hic mos erat: poſtquam in formulam conventum erat & mutua promiſſio facta, epulas iniere. Inde juramento ſancitum ibant fœdus. Hoc ipſo die ſervis regiis nuntiatum eſt puteum eſſe effoſſum. Hunc puteum appellavit שִׁבְעָה Siba, ut videtur à juramento. Non enim admittimus vulgatum, qui vertit *abundantiam*. Ita locus ille ab ſecunda jam cauſa Berſabe dici cœpit. Abeneſdras: נקרא כן על ב׳ דברים או היה עיר אחרת. *Ita dicta eſt ob* duas cauſas, aut fuit alia urbs.

verſ. 34. Esau, Cum Esset Quadraginta Annorum] Eſaui conjugium cum uxoribus Hettæis (duas enim duxit inconſultis Iſaco patre & matre Rebecca) Judith & Baſemath, cruciamen Iſaco & Rebeccæ fuit. Hoc narrat Moſes, aditum faciens ſequenti narrationi, de ablegatione Jacobi in Meſopotamiam. E Judith non legitur Eſau progenuiſſe. Hæc erat filia Beeri בארי Hetthæi. Baſemath filia erat Elonis Hettæi. Videri poſſet Rebecca odiſſe mulieres ἐγχωρίους, & hanc cauſam fuiſſe averſionis ab Eſau at jam inclinabat in Jacob antequam matrimonia iſta iniiſſet Eſau. Cæterum contumacia iſtarum mulierum cauſa fuit, quod Iſaac Jacobo mandaverit conjugium è ſua familia & gente. Cum & Deus aliàs benedictum ſemen maledictæ genti noluerit commiſceri. Nomen uxoris fuit יהודית. Unde videtur vocabulum יהודה hac etiam tempeſtate notum fuiſſe, nec ה eſſe partem vocabuli Tetragrammati. Niſi aliquis dicere velit Chananæas gentes ita id coluiſſe & frequentaſſe, ut filios & filias ex eo denominaverint. Raſi ideo cruciamini ſoceris fuiſſe ait, quod idola colerent. Raſi: *Eſau aſſimilatus eſt porco Q. D.* (Pſ. 80. 14.) Aper è ſylva eam eruit. *Aper* (ſive porcus) *fuit iſte, quia ſicut ille cubans explicat ungulas ſuas, quaſi diceret, Videte me mundum eſſe; ſic raptores & violenti, qui ſe ipſos oſtentant integros. Quadraginta annis Eſau venatus erat maritatas eaſque compreſſerat: cum eſſet quadraginta annorum, dicebat*

 (אַבָּא)

(אַבָּא) *Quadragenarius uxorem duxit, ita & ego.* Abba eſt illa compellatio, qua filii patrem appellant unde eam Apoſtolus in lingua ſua reliquit Rom. 8. 15. ἀββᾶ. Ut Iſaac quadragenarius uxorem duxit, ita patrem imitatus Eſau eodem anno duxit, ſed ut Hebræi, ſuæ gentis & patriarchæ amore ad deprimendum Eſau, volunt, adulteriis ſe inquinavit, ſeque purum & continentem venditavit; quoniam uxorum perfidia & illegitimi partus, conjugii & nuptiarum velamine occultantur. Jacobum continuiſſe ſe uſque ad annum quo in Meſopotamia Liam & Rachel in matrimonium accepit.

Collatio cum Joſepho in parte prima cap. 18. lib. 1. antiquitatum.

Μετὰ τὴν Ἀβράμου τελευτήν] Falſum eſt quod poſt Abrami mortem conceperit & pepererit Rebecca.

Τῆς γαστρὸς ἐπὶ μεῖζον ὀγκουμένης] Tumor ventris inſolitus non fuit cauſa conſulendi oraculi ſed portentoſa infantium ſubſultatio.

ἀπὸ κεφαλῆς ἐπὶ τοὺς πόδας δασὺ περισσῶς ἦν] Inſtar pallii villoſi hirſutus erat, ut loquitur Moſes.

Ἠσαῦ καὶ ἐπωνυμίαν τῆς τριχώσεως ἑβραῖοι γὰρ τὸ σήειρον τρίχωμα λέγουσιν] Ut עשׂו hiſpiditatis ſignificatione ab עשׂה duci poſſit non video: quod tamen Moſes videtur dicere. Joſephus putat hanc mentem Moſi eſſe, quod Seir cognomen inde nactus ſit, non nomen Eſau.

Κατὰ ξενίαν καὶ φιλίαν τοῦ Ἀβράμου] Fieri poteſt, non exprimit Moſes. Abrahamus, ante non multos annos fato conceſſerat.

εἰς τὴν λεγομένην φάραγγα χωρίον οὐ μακρὰν Γεράρων] Hebr. נחל גרר. Ita Joſephus confirmat vallem ſignificari non torrentem.

σύενναν]. leg. σίτενναν. שטנה.

Ἀβιμελέχου ποιμένες] Non dicit Moſes regios paſtores fuiſſe, Gerarenſes dicit.

Καὶ αὐτοῦ φύσασθαι] Cauſam quærendi novi ſeu renovandi fœderis antiqui, cum Abrahamo olim initi, fuiſſe, quod ſibi metuerent ab opibus creſcentis Iſaaci, qui, cum intraret Palæſtinam, invalidus fuiſſet, creviſſet in Palæſtina, nunc autem ſupra modum auctus eſſet.

Ἄδαν τὴν Ἥλωνος καὶ Ἠλιβάμην τὴν Ἐσεβέωνος] conferri debet cap. 36. v. 2. quo reſpexit Joſephus. Parentes iſtarum mulierum vocat ἄνδρας δυναστεύοντας ἐν Χαναναίοις. Deinde illud Eſauo imputat: ἑαυτὸν ποιήσας τῆς περὶ τὸν γάμον ἐξουσίας κύριον, καὶ μηδὲ τῷ πατρὶ συμβουλευσάμενος. Seipſum poteſtatis circa nuptias dominum faciens, neque patris conſilium quæſivit. Pater non fuiſſet permiſſurus, ſi ſui arbitrii res fuiſſet, ut cui non eſſet voluntati affinitatem jungere cum indigenis: noluit tamen iram concitare filio, reſcindendo, ideò decrevit ſilere.

SULPICII SEVERI HISTORIÆ SACRÆ

LIBER PRIMUS.

Caput Decimum.

IGitur annis gravior, luminibus obductis, cum Eſau filium benedicere pararet, conſilio Rebeccæ matris, Iacob ſe benedicendum pro fratre obtulit. Ita Iacob adorandus principibus & gentibus fratri præponitur. Queis rebus Eſau accenſus fratri necem moliebatur. Quo metu Iacob, hortante matre, in Meſopotamiam confugit: admonitus à patre, ut ex domo Laban, fratris Rebeccæ, uxorem acciperet. Tanta illis cura fuit, cum in alienis terris conſiſterent, genus tamen intra familiam ſuam ducere; Ita Iacob profectus in Meſopotamiam, per ſoporem Dominum vidiſſe traditur: atque ob id locum ſomnii ſacratum habens, lapidem ex eo ſumpſit: vovitque ſi rebus proſperis revertiſſet, titulum ſibi domus Domini futurum decimaſque omnium, quæ acquiſita ſibi forent, Domino daturum. Inde ſe ad Laban fratrem matris contulit: quem ille ſororis filium agnitum, in hoſpitium benigne recepit. Erant Laban duæ filiæ, Lia & Rachel. Sed Lia oculis deformior, Rachel pulchra fuiſſe traditur. Cujus ſpecie Iacob captus, amore virginis conflagrabat: eamque ſibi in matrimonio à patre poſtulans, ſeptem annorum ſervitio ſe mancipavit. Sed impleto tempore Lia ei ſupponitur: ac rurſum ſeptem in ſervitio ſubditur, atque ei Rachel traditur. Sed hanc diu ſterilem, Liam fecundam fuiſſe accepimus. Filiorum, quos ex Lia Iacob habuit, hæc ſunt nomina; Ruben, Simeon, Levi, Iudas, Iſſachar, Zabulon, Dina. Ex ancilla vero, Liæ, Gad & Aſer. Ex ancilla Rachel, Dan & Nephthalim nati ſunt. At Rachel deſperato jam partu Ioſeph edidit.

Drusius.

Luminibus Obductis] Cum tenebræ obduxiſſent lumina id eſt oculos, ſive, cum luminibus tenebræ obductæ eſſent. Significat autem caliginem & hebetem viſum; vel ſi placet, cæcutientiam, Nam præ ſenio cæcutiebat. Erat enim *annis gravior*, hoc eſt ætate provectior. Sic dicimus, natu gravior, ætate gravis &c.

Cum Esau Filium Benedicere Pararet] Cum ei benè precari vellet. Benedicit Latino ſermone, qui bona exoptat ut bona eveniant precatur. *Cic. Cui benedixit unquam bono?* Benedicere filium, ut benedicere Deum. Nam ſic Græci loquuntur, *εὐλογεῖν τὸν θεόν*. Græcos imitati ſunt

ſunt interpretes antiqui vetereſque Theologi Latini, qui vix aliter loquuntur. Apulejus in Aſclepio, editione Aldina, ſi modo interpres Aſclepii eſt Apulejus, de quo ego ſane dubito: *Reſtat hoc ſolum nobis, ut benedicentes Deum or anteſque ad curam corporis redeamus.*

ADORANDUS PRINCIPIBUS] Gen. 27. 29. *προσκυνησάτωσάν σοι ἄρχοντες*, adorent te principes, ubi tamen in Hieron. *adorent te tribus.* & in fonte ſacro, לאמים *nationes, populi.*

EX DOMO LABAN] Ex familia Laban, qui erat filius Bathuel nepos Nachor fratris Abrahæ, & frater Rebeccæ, matris Eſau & Jacobi. Quod autem Gen. 29. 5. Vocatur *filius Nachor*, eo in loco filius nepotem denotat, ut alibi ſæpè. Nam juxta proverbium Ebræorum, *Filii filiorum tanquam filii ſunt.* Notior enim erat Nachor, inquit Gerundenſis: ideòque pro Bathuele nominatur, qui minus notus erat.

GENUS TAMEN INTRA FAMILIAM SUAM DUCERE] Quo impolluta ſanguinis ſinceritas ſervaretur in Chriſto, qui ex ſemine Judæ oriturus erat. Vide caput ultimum in Numeris.

LOCUM SOMNII SACRATUM HABENS] In hoc loco putant quidam templum poſteà exſtructum fuiſſe: ſed falluntur meo judicio. Nam templum exſtructum fuit in area Ornan Jebuſæi, in monte Moria, locus autem hic, qui prius Luza dicebatur, vicus erat in duodecimo ab Ælia, id eſt, Jeroſolyma lapide, ut Euſebius author eſt.

LAPIDEM] Lapidem unum ex lapidibus illius loci, quo uſus fuerat pro cervicali.

TITULUM] Cippum, ſtatuam, ſtelen.

DOMUS DOMINI] eſt cur malim *Domus Dei:* Dei, inquam non Domini. Nam ſic utique legimus Gen. 28. 22. Lapis iſte quem in cippum ſive titulum erexi, Domus Dei erit. Hic eſt Elohim in Ebræo, licet locus ille Ebraicè Bethel nominetur. Eſt autem Bethel domus ſive locus Dei. Nam El Deus, idem videlicet quod Elohim. Etymon tamen diverſum. Nam El à robore quaſi Deus fortis: Elohim quaſi vindex & judex. Vide libellum meum de hoc nomine. Porro novum non eſt ut Deus pro Dominus & contra Dominus pro Deus ponatur. Amant enim interpretes iſta confundere.

FRATREM MATRIS] id eſt, avunculum.

LIA] vel Lea *Λεία*, Lea vel Lia, ut *Δαρεῖος* Dareus vel Darius. Sic Augiæ ſtabulum, quod & Augeæ dicitur. Critici Ebræorum, cum apices adderent, ſcripſerunt לֵאָה, id eſt, *Λεία*, Lea. Videtur ita dicta, inquit Mercerus, *quod eſſet debilis nec benè habita, quaſi laſſa ex debilitate conſtitutionis. Unde nihil mirum ſi oculos quoque debiles habuit.*

RACHEL] Scribi poſſet Rahel, ſed in antiquis tantum Rachel, unde nihil innovandum, ſonat autem ovis fœmina, quanquam, in LXX. *ἀμνὸς*, & in Hieron. *agnus*, Ieſ. 43. 7.

OCULIS DEFORMIOR] deformes oculos Liæ mollis ſive teneros Moſes dicit: Hieronymus lippos, Græci *ἀσθενεῖς*, id eſt, debiles, infirmos. Ex tribus Chaldaicis editionibus una, videlicet Onceli, habet pulchros. Altera quæ Jeroſolymitana vocatur, molles. Tertia vocem uſurpat, quam Juſtus Nathanus in Lexico ſuo Thalmudico exponit de iis qui ſinum oculorum rotundum habent. Hic tamen aliud ſignificare videtur.

CUJUS SPECIE JACOB CAPTUS] *pulchritudo enim corporis*, ut Cicero ait, *apta compoſitione membrorum, movet oculos & delectat hoc ipſo, quod inter ſe omnes partes lepore quodam conſentiunt.*

RA-

'RACHEL TRADITUR) Poſt ſeptem dies nuptiarum, non poſt ſeptennium alterum, ut quidam voluit.

HÆC SUNT NOMINA) quæ mater eis impoſuit, ut mos erat veterum. Aliquando pater nomen imponebat: rarius affines aut vicini vicinæve.

RUBEN) Hieron. interpretatur *filius viſionis*. Male. Sonat ut ſi dicas, *videte filium* q. d. ecce filium peperi, non filiam. Notum ut ראה *vide* pro adverbio *ecce* ponatur.

SIMEON) Libri Græci συμεων, quod non ita ſe probat mihi: contractum eſt Simon, quod ſcribunt סימן/ Sin in Samech verſa: aut eſt Græcum Σιμών, ut ſidici poſſit Latine Simo. Πλατων, Plato. Appellatio ab eo quod mater exaudita fuerit à Deo cum eum pareret quem aſſiduis precibus ab eo petierat.

LEVI) Etymon habetur Gen. 29. 34. in verbis illis, *nunc vice hac vir meus mihi copulabitur*, id eſt, ילוה, quod alius vertit *adjungetur:* Aquilas, *applicabitur*. In libro nominum *Levi*, *additus*. Quid ſi, *additamentum*? Sed additamentum לויה dicitur. Verbum Ebræum ſignificat etiam deducere & proſequi aliquem honoris cauſa. Hieronymus, *Vbi nos legimus, apud me erit vir meus* (ſic Græci πρὸς ἐμοῦ ἔσαι ὁ ἀνήρ μου) *quod Ebraice dicitur illave. Aquila interpretatus eſt applicabitur mihi, & à doctioribus Ebraeorum aliter tranſfertur, ut dicant proſequetur me vir meus, &c.*

JUDAS) Mater enim dicebat, *hac vice confitebor Domino*. In libro nominum, Juda, *confeſſio*, *laudatio*. Confeſſio, ἐξομολόγησις. Laudatio, αἶνος. Significat etiam ἐξομολογῶ, gratias ago, ut ibi, *confiteor tibi Pater Deus cæleſtis ac terra*. Certè à Joſepho Judas exponitur εὐχαριστία. i. gratiarum actio. Hieron. *Confeſſio hic pro gratiarum actione, ſeu pro laude accipitur, ut frequenter in Pſalmis & Evangelio.* In textu Biblico ſemper ſcriptum יהודה Jehuda, quod interpretes contraxerunt, Juda ſcribentes, abjecta litera He, id eſt, יהדה. Id repertum mihi in More Nebuchim cum Aleph in fini, *Dicit Samuel filius Iuda* ברידא.

ISSACHAR] Nomen ex mercede factum, quod Joſephus dixit, ἐκ μισθοῦ γενόμενον. Nam Sachar, merces, Gen. 30. 18. Ισαχὰρ ὅ ἐστι μισθός. Deeſt aliquid ut ſit ὅ ἐστι Ἐστὶ μισθὸς. Quod eſt, ſignificat, *eſt merces:* יש *eſt*, שכר *merces* in libro nominum *Iſachar, eſt merces.*

ZABULON] ἀπὸ τοῦ zabal, habitavit, quod mater diceret, *hac vice habitabit mecum vir meus.* Gen. 30. 20. Hieron. in tradit. Ebraic. *Vbi nos poſuimus habitabit mecum* (nota vulgatum interpretem habere, *mecum erit:* quod in Latio ſignificat, *rem habebit*, Plautus, *hac nocte mecum fuit juſſu hoſpitu*) *& LXX. interpretati ſunt, diligit me, in Ebraeo habetur Izbeleni & eſt ſenſus, quia ſex filios genui Iacobo, propterea jam ſecura ſum: habitabit enim mecum vir meus. Vnde & filius meus vocatur habitaculum.* Cum venia, Hieronyme, zebul eſt habitaculum, non zabulon; quod ſcribunt זבלן vel זבולן zebulun. Sed Græci legerunt Ζαβυλών.

DINA] דינה Δῖνα vel Δεῖνα. Nam libri variant. Hieron. *Hoc transfertur in cauſam, quam ſignificantius Græci δίκην vocant. Iurgii enim in Sicimis cauſſa extitit.* Fabulam redolet, quod in antiquitatibus Philonis; Jobum, occiſo, Sichem priore ipſius marito, Dinam in matrimonio habuiſſe, ex eaque liberos multos procreaſſe. Si liberè licet, antiquitatas illæ mihi nimium ſuſpectæ ſunt: quas ideò rarius in his notis cito aut laudo.

EX ANCILIA LIÆ] Zelpha.

GAD] Joſephus τυχαῖον interpretatur, id eſt, fortuitum, potius fortu. nam denotat, hoc eſt, τύχην. In libro nominum *Gad, fortuna.* Dicebat enim Lia בָּגָד quod ſcribunt בגד, & legunt באגד *venit fortuna.* Thargum Jeroſolymitanum, *fortuna bona.* Jonathan *ſydus bonum*, quod idem cum ἀγαθῇ τύχῃ. Nos diceremus *affulſit benignius aſtrum & influentis fortunæ donum.* Sic ferè Judæi, Græci & Latini veteres, cum apices abeſſent, legerunt בגד ἐν τύχῃ. in fortuna, ideſt, εὐτυχῶς, fortunatè, feliciter. Quod poſtremum invenie s in Hieronymo. Apud Theodoretum, in Geneſin, quæſt. 86. εὐτύχηκα, *bona fortuna uſa ſum.*

ASER] in hoc nomine ſignificatio eſt beatitudinis. Vide Gen. 30. 13. Malè igitur in antiquis codicibus edit. Lxx. Ἀσὴρ ὅ ἐστι πλοῦτος. Nam divitiæ Oſer dicuntur, quod ſcribunt עֹשֶׁר prima Ain. Diſcrimen eſt primum in vocalibus, deinde in litteris conſonantibus. Nam Aſer ſcribitur Aleph in principio אָשֵׁר. Hieronymi verba hac de re ſunt, *Aſer ergò non divitiæ, ſed beatus dicitur, duntaxat in præſenti loto. Nam in aliis ſecundum ambiguitatem verbi poſſunt & divitiæ ſic vocari.* Neſcio quid velit. Nam in אשר nulla eſt ambiguitas, niſi cum latine ſcriberetur Aſer vel Oſer. Nec Aſer eſt ambiguum, ſed Oſer. Nam ſi prima fuerit Ain ſignificat divitias; ſi verò Aleph, ſignificat beatitudinem aut felicitatem. Nihil verius.

EX ANCILLA RACHEL] Balha ſive Bala.

DAN] à judicando, unde & Daniel. Joſephus, Δὰν, θεόκριτον ἄν τις εἴποι κατὰ τὴν ἑλλήνων γλῶτταν. Hoc eſt, à Deo judicatum vel Dei judicio electum θεόκριτος ut θεόκτιστος, à Deo conditus. In libro nominum, *Dan, judicium vel judicans.* Judicium, id eſt, דִּין judicans דָּן, qvod rectum puto. Rachel enim, cum eum Bala peperiſſet, dixiſſe traditur, *judicavit me Deus* Id Ebraicè dicitur Dananni: *propterea nominavit eum Dan*, Gen. 30. 6.

NEPHTALIM] Νεφθαλεὶμ ſive Νεφθαλίμ. Huic ſcripturæ adverſatur conſuetudo Ebræa; ſed & Græca. Nam ut Auſonius canit. *Vocibus in Grajis nunquam ultima conſpicitur M.* Quocirca in libris melioribus eſt Νεφθαλεί, ſive Νεφθαλί, quod hodiè Naphtali. Similis varietas in Nephtha & Naphtha, Melchi-ſedec, & Malchi-ſedec.

SCHOTANUS.

Hæc continentur Geneſ. capp. XXVII. XXVIII. XXIX. & XXX. ab initio ad v. 25. Joſephus illa perſequitur lib. 1. cap. 18. Græco à verbis, γηραιὸς δ' ὢν &c. uſque ad cap. 19. verba τῶν ἀπάντων τὸν χρόνον &c. In cap. XXVII. benedictionem Eſauo à patre paratam, matris aſtu intercipit Jacob: unde Eſau necem illi minatur. Facta hæc ſunt & cap. 28. anno Jacob. 77. Nam Jacob obiit 17 annis poſt ingreſſum in Ægyptum cum annos haberet 147. Gen. 47. 28. Habebat annos 130. cum in Ægyptum eſſet ingreſſus Gen. 47. 9. Quo tempore Joſeph agebat annum 39. ut patet ex Gen. 41. v. 46. 47. cum 45. v. 8. Hos 36. annos ſi demas annis Jacob 130, relinquetur annus Iacobi 91. quo natus eſt Ioſeph. Atqui ſexennio poſt natum Ioſeph è Meſopotamia Iacob ad patrem Iſaac in Cananæam remigrat Gen. 30. 25. & 31. 41. inter ſe collatis. Viginti autem annos egit apud Laban ut patet ex ultimo loco. His ſubtractis de 97. (quo Iacob in Cananæam redit) remanet annus 77. quem dixi. Iſte fuit annus poſt vocatum Abrahamum 162. Nam 25. fuerunt ab Abrahami vocatione ad natum Iſaac: Iſaci 60 natus eſt Jacob. Adde 77, ut illum numerum efficias. Cap. 27. hæc membra ſunt: Iſaac Eſauo benedicere parat v. 1. 2.

3. 4. 5. Rebecca inſtruit Jacobum 6--17. Qui benedictionem aufert 18. 29. Eſau ad patrem benedicendus accedit, reperitque præceptam benedictionem 30-40. Ideo iratus Jacobo mortem minatur, quam ſtudet Rebecca avertere, 41 ad fin.

Cap. XXVII.

Luminibus Obductis] Ætas gravis & debilitas virium admonent ſenem de abitu, ut ſe paret & ſarcinas colligat. Agebat enim annum 137. Viſus illi defecerat in qua oculorum caligine egit annos 43 antequam vitæ finis adveniret. Raſi teſtatur ſententiam quorundam eſſe, quod è fumo idololatriæ uxorum Eſau hebetatus fuerit viſus: alios putare quod ex dolore, quia videbat Iacobum Eſavo prærepturum eſſe benedictionem. Hæc nihili ſunt quemadmodum & aliæ nugæ in libro Thanchuma: divino beneficio oculis eſſe captum, ne videret in ædibus ſuis idololatriam Cananæarum quas Eſau duxerat. Ipſa Scriptura ſenium allegat. Omninò cæcum fuiſſe ſignificat Joſephus, τὰς ὄψεις εἰς τὸ παντελὲς ἠφανισμένος.

Cum Esau Filium Benedicere] Advocato ad ſe Eſau dicit ſe conſenuiſſe & ignorare diem mortis. Raſi: *Dicit R. Ioſue ben Corcha; ſi attigerit homo terminum patrum ſuorum, anxius erit quinquennio ante & quinquennio poſt. Iſaac cum eſſet 123 annorum, dicebat, fortaſſe ad terminum matris meæ perveniam, quæ mortua eſt anno 127. ecce in quinquennio propinquat terminus ejus. Ideo neſcio diem mortis meæ, fortaſſis ad terminum matris, fortaſſis ad terminum patris.* In horum capitum hiſtoria ante adventum Iacobi, infercit totos quatuor decim annos, quos egerit apud Eber. Recens ira, potiſſimum metuenda erat, quæ lapſu temporis ſeneſcit & remittitur. Joſephus: καὶ τὸ γῆρας ὑπάρχων, ὡς καὶ δίχα τῆς πηρώσεως ἐκ τῆς κατὰ τὰς ὄψεις πάθους ἐμποδὼν εἶν αὐτῷ θεραπεύειν τὸν θεόν. Ipſam ſenectutem etiam ſine illo defectu viſus impedimento eſſe, ut non poſſet miniſtrare Deo. Quaſi Eſauo traditurus Iſaac eſſet ſacerdotium. Benedictioni aditum parari vult per ſuavis edulii gratum palato ſaporem & illam εὐφροσύνην, qua animum (materialiter tantum) præparabat. Sive hoc ſive alio modo animus ſe haberet, nihil hoc prodeſſe poterat להגרות הנבואה ad attrahendam prophetiam. Sic tamen animum diſpoſitum eſſe oportuit huic hoſpiti excipiendo. Joſephus epulas in id parari vult, ut poſt eas, cum benedictione divini nominis bene precaretur filio. ἵνα μετὰ τοῦτο (δεῖπνον) ἱκετεύσῃ τὸν θεὸν, σύμμαχον αὐτῷ καὶ συνεργὸν εἰς ἅπαντα παρέχειν τὸν βίον. Non intellexit ſolennis benedictionis, patriarchis tanquam prophetis & dominis ſimul in ſuam poſteritatem conceſſæ negotium. Aliud eſt ex charitate & affectu bene precari, aliud Dei nomine fata canere. Inde addit: τοῦ δὲ τοῦτο βούλεσθαι λέγων τὸν θεὸν ταῖς εὐχαῖς ταῖς ὑπὲρ αὐτοῦ παρακεκλημένον. Exiſtimat igitur nihil hoc eſſe aliud, quam numen precibus vocare in proſperos ſucceſſus & fortunationem cœptorum. Ideò benedictionem iſtam malè ἱκετείαν & εὐχὰς appellat, cum fuerint θεσπίσματα, χρησμοὶ καὶ κλῆροι, *ſortes*. Quas in manibus & mentibus parentum Deus poſuit. Lyranus: *Quia filius recipiens benedictionem debebat prius facere obſequium & ſervire in menſa.* Ita nihil erit aliud quam debitum à benedicendo præſtandi officii. Rivetus: *Si* quid conjectura poſſum aſſequi, exiſtimarem, quemadmodum poſteà nonnulli prophetæ, cum reſpondere vellent Dei nomine, petierunt anteà, ut aliquod muſicum inſtrumenum pulſaretur, quo excitatiores ad munus propheticum redirent, quod de Eliſæo legitur 2. Reg. 3. 15. *Sed nunc aſſumentes adducite mihi fidicinem: ſic fuit, cum pulſaret fidicen, ut adeſſet manus Domini.* Sic etiam Iſaacum voluiſſe *anteà cibo aliquo delicatiore recreari, ut poſteà alacriori animo benedictionem illam propheticam*

enuntiaret. Quamvis enim in talibus ſpiritu Dei agerentur ſancti illi viri, ſentiebant nihilominus ad id non eſſe inutilem aliquam organorum diſpoſitionem & alacritatem quandam, ex ſenſuum excitatione, ſive per guſtum ſive per auditum.

Benedictio alia eſt communis charitatis, alia eminentis autoritatis: de priori Dominus: *Benedicite iis, qui devovent vos.* Luc. 6. 28. de poſteriori intelligi debent verba Apoſtoli Heb. 7. 7. *Sine omni controverſia, id quod minus eſt, ab eo, quod majus eſt, Benedicitur.* Hæc duplex eſt. Una ordinaria & ſacerdotalis, qua olim miniſtri Dei precabantur populo Divinam benedictionem ex Dei mandato Num. 6. 23. Talis fuit Melchiſedeci benedictio erga Abrahamum Gen. 14. 16. Etiam Principum eſt in ſubditos, ut parentum in filios 1. Chronic. 29. 18. 29. Extraordinaria non tam apprecatio eſt, quam aſſertoria prædictio rerum futurarum felicium & adverſarum. Talis tantum modo prophetico ſpiritu afflatis contingit. Ut fuit in patriarchis ante Exodum, in eos ſolos, qui de ipſis eſſent progignendi. Sic autem fata attemperavit Deus ut dependerent ex meritis in parentes. Hinc intelligimus non tantum ab ea mente filii manus epulas ſuaves voluiſſe ſibi adminiſtrare, uti alacrior eſſet ad enuntiandam divinam voluntatem & ordinationem, ſed etiam ut animus ſuus in propenſionem tanquam erga benè meritum filium provocaretur. Ita igitur differt prophetica (ita ſimpliciter appellata) prædictio à patriarchali: prophetæ non ex meritis erga ſe diſpenſabant ſed Dei ſolo impulſu eventura dicebant, patriarchæ honorem erga ſe parentes renumerabantur. Ideò etiam primogenitis ex lege naturæ favebant, niſi impietate prærogativam benedictionis avertiſſent. Voluit igitur Iſaac benedicere Eſauo, tanquam majori, benedictionis privilegium minori Rebecca voluit tradi. Iſaac putabat non eſſe id meritum Eſavum ut primogenituræ jure excideret, Rebecca meritum eſſe judicabat, ut qui illud ipſum jus ſprevisset & matrimonia ineundo Cananæarum moleſtiam parentibus creaſſet, ſimulque miſcuiſſet benedictum ſemen cum maledicta progenie. Judicium Rebeccæ, quanquam amore in Jacob, averſatione Eſavi directum & gubernatum approbavit Deus. Ideò ſucceſſit artificium matris, deceptus eſt Iſaac. Ex his fundamentis paulo aliter reſponderim ad quatuor quæſtiones, quas Cl. Rivetus proponit & ſolvit. Illum prius audiamus: *Quid igitur* inquit, *ſi Iſaacus ſine mora & priuſquam Rebecca de voluntate mariti aliquid reſciviſſet, Eſau benedixiſſet eique eadem verba applicuiſſet, qua ſe putabat in Eſavum proferre, an id ratum fuiſſet apud Deum? An talis fuiſſet in verbis virtus, ut cui Deus non deſtinaverat benedictionem, pater eam contuliſſet? Minimè certè. Sed hoc etiam fieri non poterat, quia Deus nunquam hoc permiſiſſet: qui tamen cum immediatè potuiſſet voluntatem Iſaaci flectere in Iacobum, permiſit eum falli, & benè uſus eſt artibus matris & filii, ut ab Eſavo averteret benedictionem, quam volebat Deus eſſe ratam in alio. Cur autem ita faceret Deus, habuit ſuas rationes, quas noſtrum non eſt curioſè ſcrutari. Fortaſſe in ea re voluit conſulere ſancto ſeni Iſaaco, ne ſi ſciens & volens tranſtuliſſet benedictionem in minorem, odium illud, quo flagravit ferox ille animus in fratrem, in parentem, tanquam facti autorem, fuiſſet converſum, eique reliquo vitæ tempore moleſtus fuiſſet. Cum autem videret hoc fuiſſe factum aſtu fratris, & Deum id habuiſſe ratum, nulla fuit cauſa, cur in patrem excandeſceret, ne quidem prætextus; cum poſteà ſentiret, parentem audita fraude ea feciſſe & dixiſſe, ex quibus ſatis colligere potuit, non defuiſſe ipſi voluntatem & inclinationem. Sed Deum aliter rem direxiſſe, cujus voluntati debuiſſet acquieſcere, quod feciſſe Iſaacum extra dubium ponimus.*

At verò gravis eſt quæſtio de Iſaaco, annon peccaverit, qui animo deſtinaverat benedictionem illam Eſavo impertiri, eademque Iacobum privare, contra ordinatio-

nem divinam, cujus tantum organum erat & miniſter. Etſi enim id fieri non potuerit, nec re ipsâ Deus permiſerit fieri, dubitari tamen non poteſt de Iſaaci animo & intentione, cujus etiam verba ferebantur in Eſavum, quem credebat præſentem. Certè ſunt eruditi Interpretes, quibus hoc factum Iſaaci minimè probatur, nec dubitant ei dicam eo nomine impingere. Calvinus inter alios, cum agnoviſſet in bono ſene generale fidei principium, cum filio benedicens, jus hæreditatis ſibi divinitus promiſſa, duce S. Sancto conſignavit; mirè tamen fuiſſe implicitam fidem notat, ſtultum in eo & inconſideratum ſuiſſe carnis affectum; cæcum non ſolum corpore, ſed & animo raptum fuiſſe in amorem primogeniti filii, & eum oraculo Dei fuiſſe luctatum. Hinc Pareus triplex in eo peccatum Iſaaci cognoſcit. 1. Affectum præpoſterum, quo nimium amavit filium deteriorem negligens meliorem. 2. Injuriam in Iacobum, quem voluit privare benedictione, quam illi deſtinarat Deus. 3. Ignorantiam, vel neglectum oraculi, de præſtantia Iacobi.

Alii planè Iſaacum à peccato eximunt, & Calvini verba, aut Parei judicium blaſphemiæ arceſſunt. Inter quos is, quem nuper nominavi, Fevardentius. Quid diceret de Ruperto Tuitienſi Abbate, qui Iſaacum requirentem cibum ex venatione, ut benediceret filio ſuo, ſecundum carnem quidem majori, at ſecundum virtutem & coram Deo longè inferiori, quam Iacob, vult perſonam geſſiſſe eorum, qui propter commoda, vel obſequia, favorabiliter aliquos ordinare & promovere contendunt? Litis hujus diremptio pendet ab antecedentibus nonnullis, quæ prout variè accipiuntur, ſic in facto Iſaaci judicia partiuntur. Qui præſupponunt, Iſaacum non potuiſſe ignorare ſenſum oraculi divini, ratione diſparitatis, non duorum tantum populorum, ſed etiam duorum fratrum; imò ſcire potuiſſe in particulari, primogenituram fuiſſe Iacobo aſſignatam à Deo; illi certè non potuerunt aliter judicare, quam judicarunt Calvinus, Pareus & alii. Deum voluiſſe Iacobum Eſavo præferri certiſſimum eſt. Non poteſt in dubium vocari Iſaacum voluiſſe contrarium, & quantum in ſe fuit, procuraſſe. Si igitur novit voluntatem Dei, & adverſus ejus ordinationem auſus eſt contendere, imò oraculum, quantum in ipſo fuit, irritum reddere. Hoc qui facit, meritò notatur præpoſteri affectus, injuria in Iacobum, & neglectus oraculi de Iacobi prærogativâ. Id autem ſuppoſuerunt Calvinus, Pareus, alii, non latere ipſum potuiſſe, quid Deus pronuntiaſſet, antequam naſcerentur; ſciviſſe primogenitum eſſe repudiatum, &c. Hoc ſi verum ſit, quiſquis vellet excuſare repugnantiam Iſaaci, dum ſancti honori conſulere vellet, ſacrilegii ſe reum faceret.

Quærendum ergò, an id ſciverit Iſaac. Id exiſtimat Calvinus, hoc argumento, quod ab uxore certior factus fuerit cæleſtis reſponſi. Sed inde non videtur ſequi, notam ei fuiſſe prærogativam minoris filii. Nam hoc tantum in oraculo fuit, major ſerviet minori, nempè major populus, quem notavimus ibi multum dictum fuiſſe in textu. Ex his autem verbis non potuit, ſine alia explicatione, dici, Iacobum debuiſſe præferri Eſavo; quia tantum dictum fuerat, duos populos in utero Rebeccæ contendere, quorum unus prævaleret, minor, nempè multo. Qui igitur ſciebat, quinam futurus eſſet multus ille populus? deinde ſi inter populos hæc debuit eſſe diſcrepantia, potuit ignorare eandem incepturam à capitibus. Proinde non poſſum adduci, ut credam, ita intellexiſſe Iſaacum ſenſum oraculi, ut ex eo ſcire potuerit decretam Iacobo prærogativam; quod ſi fuiſſet, non ullo prætextu ejus inobedientia poteſt excuſari; carnalis enim affectus omnis eſt deponendus, ubi Deus loquitur. At, ſaltem in eo culpandus eſt quod cæleſtis reſponſi ab uxore certior factus, de ſuo officio non inquiſivit, quæ fuit inexcuſabilis ignavia. Pareus ignorantiam & neglectum appellat; vult autem fuiſſe ignorantiam affectatam, cum eſſet (inquit) à Deo patefactum, & vulgò notum in familia, Eſavum vendidiſſe ſuam primogenituram, ſed non puto evulgatum fuiſſe apud domeſticos oraculum. Ad primo-

geni-

genituræ venditionem quod ſpectat, potuit Iſaacus exiſtimare rem fuiſſe ludicram, nec apud Deum eſſe ratum, quod inter duos fratres ex tam levi occaſione factum erat. Imò potuit res illa Iſaaco diſplicuiſſe, myſterium explicitè neſcienti, quod junior frater, à majore auſus fuiſſet, tam vili pretio petere primogenituram venditionis jure. Itaque nondum video, vel affectatam, vel ſupinam fuiſſe myſterii illius in Iſaaco ignorantiam, imò puto, Deum noluiſſe ipſi mentem aperire, ut ulterius videret, ne voluntati & affectui patris tribueretur prælatio Iacobi. Hoc cum ità mihi videatur, etſi non caruerit Iſaacus quibuſdam infirmitatibus; putarim nihilominus, alienum fuiſſe ab omni voluntate repugnandi decreto Dei ſibi noto. Hoc enim malim, quam tali & tanto viro, vel inobedientiam manifeſtam vel ignorantiam ſupinam tribuere. Erravit ergò Iſaacus in circumſtantia perſonæ, etſi non erraverit in re, id eſt, in ſubſtantia benedictionis. Notat Eucherius lib. 2. in Geneſ. cap. 27. numero. 52. Plura eſſe quam exemplis probari debeat, Sanctos viros & Deo charos, ea tantum ſciſſe, quæ eis à Domino revelata ſunt; ignoraſſe verò quæ revelata eis non fuerunt. Sicut & Iſaac vir juſtus errore benedixit. Unde, *inquit*, non mirum eſt & Iſaac in ſua maximè utilitate neſciſſe quid faceret; quum magis eo tempore erraret, qui filium ſanguinarium, & deditum voluptati, & eum qui poſteà vellet fratrem occidere, prætermiſſo illo, qui innocenter habitababat domi, vellet efferre, & ſuam magis, quam Dei voluntatem facere. Unde diſpenſationis divini judicii fuit, ut oculis privaretur. *Hæc ille ſub Eucherii nomine, quiſquis fuerit, ſive Anglus collector, ut vult Sixtus Senenſis, ſive alius. Qui in eo quod dicit, Iſaacum ſuam magis, quam Dei voluntatem facere voluiſſe, neceſſariò intelligendus eſt de objecto voluntatis occulto, id eſt, re volitá; non autem de voluntate Dei cognitá & revelata: cum idem dixerit, ignoraſſe ſanctos viros, quæ eis revelata non fuerunt. Quò ſenſu contra voluntatem Dei faciebant fratres illi fideles Tyrii, qui Paulo ſuadebant, ne aſcenderet Ieroſolymam, Act. 21. verſ. 4. nec tamen in eo peccabant, quia neſciebant Deum aliter decreviſſe.* Ad primam quæſtionem dicendum, quod in manu Patris fuerit filio bene merenti, maximè primogenito locum ſuum retinenti, benedicere. Si excidiſſet verbum in Eſau, ratum fuiſſet abſque omni dubie ſecundum ordinem, quem Deus conſtituerat. At ne caderet in ipſum providit Deus, ideò ſucceſſum habuerunt artes muliebres. Etiam dicamus, Spiritum Dei præſto fuiſſe ſuo tempore & animum moviſſe, cujus motus præſenſit Iſaac. Atqui animus fuit de Eſau, licet verba exceperit Jacob. Potius ad mentem, quam corporalem præſentiam valuiſſent verba, ſi in ipſorum arbitrio erat benedictio? R. Præſenti dedit licet ſub aliena ſpecie. Unde ipſe agnoſcit irritum non poſſe fieri quod dixerat.

Ad ſecundam. Non tantum fuit peccatum in Iſaaco. Error judicii erat de merito filii. Non tenebatur oraculum reſpicere quod etiam, ſi forte non ſatis intellexit. Ferebatur quidem contra oraculi mentem, ſed oraculo non erat poſitus modus ipſius poteſtati. Oraculum dixerat, quid futurum eſſet, non præceperat. Nos autem præceptis non prædictionibus eventuum gubernamur. Sciebat Jeroboam à propheta ſibi eſſe prænuntiatum regnum decem tribuum, peccavit tamen invadendo. Quod enim Deus ſignificat futurum eſſe, ſæpe exorbitantes implemus. Providendum igitur ne via aberremus Deo curæ ſit eventus ſecuturi procuratio.

Ad tertiam. Non tamen omni errore caret Iſaaci factum. Culpam habet non ab oraculo ſed nimia lenitate in impietatem filii.

Ad quartam. Non opus eſt anxiè diſputare, An cognoverit oraculum, an Re-

an Rebecca ipſi occultum eſſe voluerit? Cum uxore una fuiſſe, cum Deum conſuleret, fieri poteſt, ſi non fuerit cum ipſa, Rebeccam occuluiſſe credi par non eſt. Cur enim rem tantam quæ ad communes liberos pertineret, quæ erat oraculum Dei de rebus ſtatum futurum Eccleſiæ delineantibus, ſiluiſſet? Si ſiluerit, peſſimè fecit. Iſaac ſcire debuit & ſcivit abſque omni dubio, quia pars erat magna verbi ἀγράφου, quo Eccleſia regebatur pro illo tempore. Sed nec Rebecca ſecuta eſt intuitum oraculi, nec illi obluctatus eſt Iſaac: quia præjudicium de filiorum meritis reſpiciebant in ferenda benedictionis prærogativa. Oraculum hoc indicativum erat futuri eventus, non præceptivum officii.

Theodoretus duplicem cauſam in Eſavo fuiſſe putat, qua voluit dare benedictionem Eſavo. 1. κατὰ τὸν νόμον τῆς φύσεως. πρωτότοκος γὰρ ἦν 2. ηὔξησε δὲ καὶ ἡ θεραπεία τὸ φίλτρον, *obſequium etiam amorem auxit.* ἡ γὰρ θήρα αὐτοῦ βρῶσις αὐτῷ ἦν ἱκανὴ δὲ ἡ θεραπεία καὶ τοὺς ὠμοτάτους ἐκμειλίξασθαι. Rebeccam ut Theodoretus ſic communiter tenetur fiducia oraculi, quod ipſa intelligeret non Iſaac, impulſam fuiſſe. Nos non negamus divinum inſtinctum impuliſſe Rebeccam ut tam ardenter & conſtanter laboraret ad avertendam ab Eſau benedictionem: quamvis non exiſtimem modum à Sp. Dei eſſe ſuggeſtum. Theodoretus quærit, quare Deus Iſaaco voluntatem ſuam non patefecerit? Reſpondet: Ἵνα ἐναργὴς ᾖ ἡ τοῦ θεοῦ περὶ Ἰακὼβ κηδεμονία. Curam Dei pro Jacob in eo patefactam eſſe, quod Iſaaco ſtudente modis omnibus dare Eſauo benedictionem, eam tamen Deus direxerit in Jacob. Eam Dei curam agnoviſſe & ipſum Iſaacum, quia non indignatus ſit Jacobo, qui ſe patrem deceperat; οὐκ ἐχαλέπηνεν ὡς παρὰ παιδὸς ἐξαπατηθεὶς, ἀλλὰ τὸν θεῖον ἔγνω σκοπὸν, καὶ ἣν ἔδωκεν βεβαίωσεν εὐλογίαν. Exiſtimant igitur ignorantia oraculi lapſum eſſe Iſaacum in Eſau. Ralbag dicit Rebeccam amaſſe Jacob, *quia indicatum erat ipſi de negotiis eorum.* Et ita expetiſſe benedictionem: לדעתה כי ברכת הנביא לא תשוב ריקם *Quod putaret benedictionem Propheta non excidere in vanum.* At aliud eſt è caritatis affectu precari, aliud Propheticè vaticinari: quod jam diximus. Notandum eſt, quod Apoſtolus dicit ad Hebr. 11. 20. Πίστει, περὶ μελλόντων εὐλόγησεν Ἰσαὰκ τὸν Ἰακὼβ καὶ τὸν Ἡσαῦ. Si fide benedixit, accepta à Deo oracula protulit, poſtquam ea accepiſſet & cognoviſſet: hinc impulſus fide protulit & in Sp. Cum Jacobo oracula diceret, credidit ea illi filio, quem apud ſe habebat eventura. Nam Sp. Dei dictabat de præſenti filio & hoc credidit Iſaac, quod autem de ſuo interpretationem adjecit. *Hic filius qui mihi adeſt Eſau eſt*, in eo aberravit. Ne mireris igitur non eſſe iratum Jacobo, quia agnoſcebit Dei Spiritum, illum voluiſſe. Judæi captant verba Iſaaci, ad Eſau: *ſume arma tua*: שא in ſignificatione Thalmudica acuendi. Q. D. Acue probe gladium, ut diligenter mactes: שלא תאכילני נבלה, *ne mihi proponas* Nebela, id eſt non rite jugulatum. *Venare mihi*: id eſt מן ההפקר ולא מן הגזל: *E licito non rapto.*

Consilio Rebeccæ Matris] Subauſcultaverat enim marito jubenti, ut Eſau venationem, gratam palato ſubminiſtraret ſibi; quo benedictionem eliceret. Refert hoc filio Jacob. Dicit Iſaacum dixiſſe: *Benedicam tibi in conſpectu Domini.* Hoc non eſt in Moſis de Iſaco præmiſſa narratione pertinetque ad rei modum denotandum. Mercerus: *Sententiam ferè ſcripturæ ſermonum, ut moris eſt in hiſtoriis, magis refert quam ipſa verba: ſic ut à mente loquentis ne latum quidem unguem diſcedatur. Sive ergò dixerit, ſive non dixerit Iſaac, expreſſit nunc Rebecca, ut magis incitet filium ad parendum ſibi, quod hæc ſolennis fuerit cerimonia, qua coram Domino, velut eo teſte, præ-*

ſente

ſente & ſpectante ageretur: forſan etiam, ut quidam recentiorum putant, ſacrificio ei facto, certè invocato ſolenniter Domino, & ita ut ab illo fauſta omnia orarentur, optarentur & denuntiarentur ei, qui benedicebatur. Raſi: ברשותו שׂסבים על ידי *in poteſtate ejus, quam concedet per manus meas.* Apud eundem Rebecca traducit mandatum à marito Eſavo datum. Nempe illi injunctum eſſe, qui ſi licitum non inueniat, de rapto ſit ſumpturus. Hæc mens videtur eſſe, quod minus cauſe maritus Eſauo præceperit afferri ferinam aut venationem quamcunque quia Eſavo tuto credi nequeat ob nequitiam. Si non inveniat conceſſa, de alieno rapturum & allaturum parenti. Se prævenire velle hoc periculum & per Jacobum de grege ad maritum mittere parata ad palatum: quæ ſine inquinamento & injuria eſſent. Quaſi Rebecca non ita decipere maritum voluerit, quam præcipere aut ſupprimere periculum. Duos hædos è grege, שני גדיי עזים טובים Jacob à matre juſſus afferre, ut ex eis cœnam, marito delectabilem, pararet, qua guſtata benediceret filio. Raſi iterum argutatur è Breſith Rabba: Nempe de ſuo Rebeccam hædulos ſumpſiſſe, ne raptum offerret marito. Raptum non eſſe, quod in inſtrumento dotali maritus Iſaacus uxori Rebeccæ ſcripſiſſet. In ejus inſtrumento dotali [בכתובתה] Iſacum dediſſe Rebeccæ hædos binos dietim. Quærunt etiam ſubtiles magiſtri, cur duos hædos apparaverit? Raſi וכי שני גדיי עזים היו מאכלו של יצחק אלא האחד הקריב פסח בו ביום והאחד עשה בפרק' דר' אליעזר: *Nunquid duo hædi fuerunt cibus Iſaaco? Imo unum quod attinet, obtulit Phaſe in eo, iſto die; alterum apparavit.* Duas rationes de hædis duobus affert Mercerus. Primam, ut poſſet Iſaac eligere, quæ melius ſaporet, alteram, ut Jacob narrandi haberet occaſionem de felici ſucceſſu venationis. Ideo hædinam elegit Rebecca, ut tectius falleret, quia hœdina proxima eſt ferinæ, Raſi: כי טעם הגדי כטעם הצבי. Quia ſapor hœdinæ ſimilis eſt ſapori carnis capreæ.

Jacob trepidat audito matris conſilio. Trepidationis ſuæ rationes affert. Inter ſe & Eſau noſcibile diſcrimen eſſe, quum Eſau hirſutus eſſet, ipſe glaber. Fieri poſſe ut pater contrectaret ipſum. Ita detectis fallaciis gravem offenſam incurſurum, qua molimen quæſitæ benedictionis in maledictum verteret. Ego hic in Jacobo, ut interpretes multi, non damno fidei imbecillitatem. Ubi enim promiſſio erat de præoccupanda feliciter benedictione? Emerat hoc jus: ſed non licuit poſſeſſionem involare: damno potius quod pravum conſilium & medium à matre ſubminiſtratum non damnet ab impietate, ſed à metu mali eventus. Conſilium hoc & aſtum muliebrem quis abſolverit? Fruſtra interpretes de excuſatione laborant. Ab eventu factum probare aut improbare temerarium eſt: nec malè Poëta.

——— careat ſucceſſibus opto
Quiſquis ab eventu facta notanda putet

Deus ſua decreta ſæpe efficit per defectus quin & prava hominum facta. Quod ſi dicas pios bonoſque fuiſſe, reſpondeo, Non omnia tamen eorum facta ſine macula fuerunt, quædam etiam toto genere improbanda. Bonum finem peſſimo medio Rebecca conſequi nixa eſt & ſucceſſit. In Rebecca & Jacob major exorbitantia eſt, quam in Iſaaco, licet ſecus videatur quibuſdam interpretibus. Nam & finis malitia non apparebat & media Iſaci erant probanda, cum in mediis ad bonum finem illi deliquerint. Iſacus enim benedictionem parabat Eſau. Licuit & multa ſuadebant: quamvis alia præponderarent, quorum robur Iſaac non animadverteret. Teſtamento primogenituræ jus in Jacob transferre, minorem natu, adverſus le-

gem naturæ, grave erat: non videbatur id eſſe meritus Eſau. Rebecca propendebat in Jacob, quia videbat & ſentiebat fratris impietatem, minus marito notam: qui ideò erravit. At error quo eligitur aliquid bonis mediis obtinendum minus reprobabilis eſt quam opera malis mediis conſultò impenſa ut finem bonum aſſequare.

Rebecca ardenter admodum id agebat, ſine dubio impulſa Divinitus. Impulſa ut ardenter ageret, non admonita ut ſic ageret. Reſpondet igitur [v. 13,] *Tua maledictio ſit in me, fili mi: audi tantum vocem meam, vade & cape mihi.* Aben-eſdras: *Ne metuas, ut maledicat,* ſi maledicat, ſit ejus maledictio ſuper me & non ſuper te: וזה משפט דברי הנשים | *Ita mulieres loqui amant. At Gaon exponit, ſuper me ad removendam maledictionem tuam.* Expoſitio Gaon hoc vult: *Non erit maledictio: hoc ego, quod erit, libenter ſuſceperim in me.* Addit tertiam interpretationem: Sunt qui dicant, *Abſit, ut propheta mentiatur, tantum ille ſic:* uti nempe Deus ejus imponit ori. Mercerus tanquam prophetiſſam locutam eſſe putat: *Sed ego non dubito*, inquit, *illam, ut prophetiſſa erat & mulier inſignis fide ſuffulta, ob oculos poſuiſſe felicem eventum, ut maledictionem, quam alioquin non verebatur non dubitaret præſtare filio.* Ralbag ferè ſimiliter conjicit, aut prophetiam habuiſſe, aut Dei auxilio confiſam de maledictione nihil metuere. Quia Deus eſſet cooperaturus, quoniam Jacob dignior eſſet benedictione. Ego vero arbitror eam ardore hoc abuti ad carnis conſilium.

Cum igitur Jacob matris conſilio acquieſceret, cumque hædos attuliſſet, Rebecca parat cupedias. Inde Jacob induit veſtibus Eſaui, eundemque pellibus hædorum affabrè aſſutis in hirſutiem Eſaui efformat. De veſtibus illis multa nugantur Judæi. Dicunt enim eas Nimrodo occiſo obtinuiſſe, uti notat Raſi. Mercerus: *Fabulantur Hebrai has veſtes fuiſſe primi hominis, quas cum fera omnes & beſtia vel truculentiſſima viderent, exhorreſcerent & ſeſe ſubjicerent, qua poſteà ipſi Nemrod, inſigni venatori in poſſeſſionem ceſſerunt, has poſteà cum deſideraſſet Eſau, occiſo Nemrod, eos rapiiſſe.* Apparet has veſtes fuiſſe in ædibus parentum. Raſi: *Nonne habuit quaſdam uxores? Cur igitur depoſuit apud matrem? Nempe expertus erat earum opera & ſuſpectas eas habebat.* Quidam putant (ut prudens erat & in omnes occaſiones intenta) ſtudio apud ſe aſſervaſſe. Veſtes habuit pretioſiores, quam erant Jacobo. Hæ erant primogenitorum propriæ, ut eminerent. Sacerdotales fuiſſe volunt Hebræi quia ante legem primogeniti ſacerdotes erant & ſacrificabant. Mercerus putat, non fuiſſe primogenitorum ut ſacrificarent, niſi defunctis patribus. Res ſic ſe habet: Patres familias ſacrificabant in & pro ſuis familiis, & hoc jus cum eis habuerunt primogeniti. Sacerdotalis veſtitus peculiaris non videtur eo ævo fuiſſe: ſi fuit quem ad ſacrificandum induerent, hic locum non habuit: fuitque profanatio. Hoc igitur non admitto. Non exiſtimo Eſauum commiſiſſe matris fidei veſtes illas honoratas: ſed ex more in ædibus parentum fuiſſe cuſtoditas.

Cum Jacob ad patrem introjiſſet rogat pater quis eſſet? Excepit ille אנכי עשו בכורך | *Ego Eſau primogenitus tuus.* Hoc primum mendacium erat. Addit: *Feci ſicut præcepiſti mihi.* Item *Ede de venatione mea.* Unda undam pellit & inſerviendum erat ſcenæ: Cum enim admirabundus Iſaac quæreret: Unde tam cito inveniſti, ſubjicit; Dominum, Deum parentis obtuliſſe. Hæc conantur excuſare à mendacio Judæi & noſtri. Quod ad primum, Abeneſdras ita: מ׳ שאנכי ועשו בכורך: *Ego ſum, quem tu rogas: Eſau autem eſt primogenitus tuus.* Addit: *Quidam dicunt, quod* בנחת | *ſubmiſſe dixerit Ego, at vocem extulerit in dictione Eſau primogenitus tuus: & hæc ſunt verba ſpiritus. Nam*

 propheta

propheta diviſi ſunt in duas diviſiones. Prima diviſio legatus in præceptis; altera diviſio, propheta futuri: Et ſi opus eſt dicererem, quæ non eſt ex decoro, non dabit damnum, tantum legatus non quadrat ut mentiatur omninò. Etiam ecce David, ſcriptum eſt de eo, Vir Dei, *& dixit* [2. Sam. 23. 2.] Spiritus Domini locutus eſt per me, *conturbavit verba ſua cum Achimelech* (1. Sam. 21. 4.) & fuerunt vaſa juvenum ſancta, *ad neceſſitatem horæ. Etiam Eliſa, qui dixit Hazaeli* [2. Reg. 8. 10.] Vade, dic ipſi, vivendo vives; *quamvis expoſitio ejus ſit, vivendo vives è morbo hoc, at oſtendit mihi Dominus, quod occidetur. Sic Michaas dixit* (תפלת שוא) *ironicam orationem* (1. Reg. 21. 15.) Aſcende & proſperè ages, *per modum caſtigationis. Et ſic Dániel* (Dan. 4. 19.) Domine mi, Somnium tuis oſoribus, cum eſſet coram Domino, *pee modum Dras. Et ſic dicit Abraham & etiam verificavit illud,* [Gen. 22. 5.] adorabimus & revertemur. Senſus hujus orationis eſt, quod Dei Spiritu inſpirante iſta protulerit non mendacia, quamvis ad normam officii non quadrantia. Debuiſſet enim ad mentem parentis interrogantis reſponſi ſui verba applicuiſſe. Raſi etiam dividit iſtas voces, quaſi. *Ego* pertineret ad Jacobum, qui loquebatur, duo ſequientes ad Eſau. *Ego ſum qui introduxi tibi hoc, Eſau eſt primogenitus tuus.* Judæi generis ſui patriarcham (hæc eſt eorum ſuperbia!) conantur liberare ab omni crimine. Non miror ipſos ſed Chriſtianos in re aperta & nuda quærere nodos. Chriſtiani enim æquivocationes Iacobo homini ſimplici attribuunt. Theodoretus etiam ita in primo dicto ipſum abſolvit, Πριάμενος ἦν τὰ τῆς πρωτοτοκίας πρεσβεῖα, ἀληθεύων τοιγαροῦν ἑαυτὸν ἀπεκάλει πρωτότοκον. Mercerus: *Hic tam Hebræorum, quam noſtrorum plerique conantur eum à mendacio excuſare, ut quod ait* אנכי *ſeorſim legatur. Ego ſum ſcilicet, qui ſum qui tibi cibum attuli, Eſau eſt primogenitus tuus: vel Ego ſum loco Eſau primogeniti tui, quia jam Eſau primogenituram vendiderat nec jam erât primogenitus &c. Sic quod ſequitur, Feci quod juſſiſti, volunt ad alia, quæ alias juſſerat, referri non ad præceptum de ferina, ne mendax deprehendatur Iacob. Nam etſi ille, ut ipſi volunt, ſic accipere potuit, at patrem tamen fallebat, cujus erat alia mens, & juxtà cujus opinionem non aliter hæc verba, quam ut ſonant, accipi poſſunt. Quod ſi ſe primogenitum dixiſſet, tolerari poterat, ſed quod ſe dicit eſſe Eſau: item quod de ferina mea dicit, ferina non erat, licet ita à matre parata, ut ferinam ſapore mitaretur, defendi non poteſt omnino: verum hæc omnia ad divinam providentiam, qua hæc regebantur, ſunt referenda, ut non deſierit Spiritus Domini hac ratione in ſpeciem reprehendenda, per hæc inſtrumenta, decretum & judicium ſuum ab æterno conſtitutum exſequi de primogenitura Iacob. Cum enim jam in æterno Dei conſilio, primogenitura abdicatus eſſet Eſau, potuit in ejus locum ſubſtitui Iacob, licet quod ad modum attinet, ſine dubio mentitus & inſigniter mentitus fuerit: nec tamen ideò valere deſiit & efficax eſſe ipſius Iſaac benedictio, licet eluſi: quod ejus autor & dux eſſet Spiritus Domini, qui eam in Iacob dirigere ſtatuebat, licet Iſaac putaret ſe eam in Eſau dirigere: de qua re infrà. Factum plane admirandum, nec tamen in conſequentiam trahendum, niſi ubi ſpecialis eſſet revelatio. Spiritu Divino hæc omnia ſunt directa, licet externe aliter videatur & nihil hic niſi temerè actum & ſtulte. Sed ita ſtultitia juxta mundum eſt apud Deum ſapientia. Sic oſtendere voluit & paſſim oſtendit ſe præter naturæ ordinem & hominum judicium agere &c.* Primam partem Mercerianæ diſputationis probo, Jacobum inſigniter mentitum eſſe, nec poſſe excuſari: alteram improbo. Nnlla revelatione, nullo ductu Sp. Dei impelli poteſt homo ad peccatum. Ita Jacob deliquiſſe arbitror, ut ne quidem fides oraculo adhibita hic partes ſuas proximè egerit. Vulgo enim

arbi-

arbitrantur, Jacob certum fuiſſe de benedictione primogeniti conſequenda licet in eo peccaverit quod talibus fallaciis adjuvandam eſſe putaverit Dei veritatem, eoque ad benedictionem patris occupandam fraude obrepſerit. Simpliciter Calvinus detegit Iacobi lapſum: *Prius timidus & anxius erat Iacob, nunc depoſito metu audacter & ſecure mentitur. Quo exemplo docemur, ubi quis ſemel legitimos officii fines transgreſſus eſt nullum eſſe licentiæ modum. Quare nihil melius, quam ut ſe quiſque contineat, intra cancellos ſibi divinitus præſcriptos, nec plus tentando quam fas eſt, januam Satanæ aperiat. Quod benedictionem fraude petit, ſeque mendaciter inſinuat, prius admonui, quatenus id cum fide pugnet. Neque enim obſtitit hoc perticulare vitium & deflexio à recta via, quin tamen fides ex oraculo ſemel concepta curſum utcumque teneret. Quod reditus celeritatem excuſans, feram ſibi à Deo oblatam dicit, appoſite ad regulam pietatis loquitur: peccat nihilominus, quod ſacrum Dei nomen ſuis mendaciis permiſcet. Ita, ubi à veritate diſceſſum eſt, quæ Deo in ſpeciem defertur reverentia, nihil aliud eſt quam gloria ejus profanatio. Quod proſperum ſucceſſum habuerit venatio, Dei providentia tribui æquum eſt, ne quod imaginemur fortuitum bonum: ſed cum ejus boni, quod ſibi non contigit, falſo Deum eſſe authorem obtendit Iacob, idque ad captionem ſuam tegendam, perjurii culpa non caret.* Hactenus Calvinus. Fidem ex oraculo conceptam dicit, nempe ſe fore primum ſubjectum benedictionis. Hoc tantum oraculum ſignificavit, ipſum fore ſuperiorem. Non ſignificat, quod paterna benedictio ipſi eſſet ore patris pronuntianda: quamvis id ſibi perſuadere potuerit Jacob. Deus primogeniti benedictionem potuit reſtringere & ſignificare, intervenientibus delictis transferendam eſſe quamvis primò & immediatè Eſavo diceretur & ejus eſſet. Jacob putavit ex illa emptione ſibi deberi primogenituræ jus & patris benedictionem. Univerſam rem accuratiſſimè diſtinxit & evolvit Cl. Rivetus, niſi quod illam oraculi fidem Jacobo putet dare primogenituram & benedictionem prima & immediata Poſitione. Prolixus ſermo eſt, at bibliothecam noſtram exornabit. *Fuerunt ergo*, inquit, *qui cum non viderent iſtiuſmodi diſtinctiunculis nodum illum ſolvi, exiſtimarunt ſecandum eſſe, ita ut faterentur admiſſum quidem eſſe à Iacobo mendacium, ſed tamen in eo nullum fuiſſe peccatum, quia ſupponunt id ab eo factum fuiſſe jubente Deo, quæ ſententia fuit Innocentii* III. *titulo de divortiu, cap.* Gaudemus, *ubi cum affirmaſſet adverſus polygamos*, non licuiſſe unquam ulli plures ſimul uxores habere, niſi cui fuit divina revelatione conceſſum: per quam, inquit, ſicut Jacob à mendacio, Iſraelitæ à furto, & Samſon ab homicidio, ſic & Patriarchæ & alii juſti viri, qui plures leguntur ſimul habuiſſe uxores, ab adulterio excuſantur. *Sic etiam Gabriel Biel. in 3. ſent. hujus reſponſi meminit.* Si falſum (*inquit*) dixerunt non oportet concedere in illo falſo dicto peccaſſe eos; poterant enim ſic dicere ex familiari conſilio Spiritus Sancti. *Hoc idem proponit Petrus Alliacenſis in 1. ſententiarum ſub finem quæſt. 12. Hanc ſententiam graviter refutat, & meritò, Ieſuita Pererius, miraturque eam nonnullis ex ſuis Catholicis non indoctis in mentem veniſſe, aut ſaltem probabilem fuiſſe viſam; 1. quia mendacium eſt actus intrinſecè malus moraliter, & per ſe peccatum eſt diſplicens Deo, unde rectè infert, non poſſe à Deo præcipi, aut ſuaderi; 2. ab abſurdo, quia qui aliquid præcipit fieri, aut vehementer ſuadet, vel autor eſt, ut fiat, id facere etiam dicitur; unde ſequeretur, Deum eſſe autorem mendacii, & mendacium poſſe dicere. Sic nutaret tota Scriptura fides.*

Supereſt igitur, ut ſimpliciſſimam ſententiam amplectamur, quæ ſtatuit, Iacobum non poſſe excuſari à mendacio. Quæ ſententia ut etiam fatetur Barneſius in diſſer-

tatione contra æquivocationes, liberat à variis moleſtiis ſacrum textum explicandi, abſolvitque curto ſermone reſponſionem ad argumenta æquivocatorum, qui non poſſunt inde ſubſidium quærere fallaciis ſuis, cum mentitus ſit non ſanctè, vir ſanctus; nec ſequatur mentiendum de jure, ſi alicui, alioqui pio viro, accidit mentiri de facto. Quod factum voluit Spiritus Sanctus, ut alia multa, nobis in Scripturis innoteſcere, non ad efflagitandum à nobis illius imitationem, ſed ut agnoſcamus, neminem in hac vita eximi à neceſſitate, quam dilectus Apoſtolus ſibi etiam applicat, 1. *Ioan.* 1. *v.* 8. *veritate nos vacuos eſſe, & à nobiſmet ipſis ſeduci,* ſi dixerimus peccatum nos non habere. *Aloiſius Lippomanus in catenâ in Geneſ. cap.* 27. *obſervat, tria in prædictis verbis contineri mendacia*; nam nec erat Jacob Eſau; nec quod Iſaac præceperat, dicendo, ſume pharetram & arcum, fecerat, nec ei, ſed Eſau pater locutus fuerat. *Excipit autem contra aliorum excuſationes,* Non obſtat quod hæc omnia peccata & mendacia figuræ fuerint futurorum; *nam magnus Dominus adeò potens & bonus, ut ſolus ſciat ex malis quoque bona elicere. Scotus etiam in* 3. *ſent. diſt.* 38. *poſtquam dixiſſet,* aliquos conari multum ſalvare, Jacob & aliquos Patres Veteris Teſtamenti non fuiſſe mentitos; *ſubjunxit,* hoc non videri multum rationabile. *Lyranus inſuper in Cap.* 27. *Geneſ. poſtquam nonnulla adduxit ad excuſandum mendacium, de quibus anteà dictum fuit;* Sciendum, *inquit,* tamen quod non videtur mihi magna neceſſitas excuſandi Patres Veteris Teſtamenti à mendacio, maximè officioſo.

Præter allata ad hanc ſententiam argumenta, quæ aliis refellendis inſervierunt, illud etiam addendum eſt; ex tota Moſis narratione ſatis conſtare Iacobum, cum factis, tum verbis, id toto conatu egiſſe, ut patri ſuo perſuaderet ſe eſſe illum ipſum Eſavum, quem pater venatum miſerat. Hoc autem falſum fuiſſe, & contra ipſius Iacobi mentem atque ſenſum, nemo poteſt ignorare. Ad hæc, cum narratio Moſis, ratione dictorum & factorum ejus, non ſit parabolica, ſed planè hiſtorica, non ſecus ac narrationes aliæ, tam capitum præcedentium; quam ſequentium, non dubium eſt verba accipi debere propriè, & ut in vulgari ſermone ſolent uſurpari. Quo modo accepta, falſum & mendacium proferre, ne quidem ii negant, qui ad figuratas locutiones recurrunt. Denique ubi ſenſus litteralis & obvius ex propriâ verborum ſignificatione, nihil abſurdum continet, non neceſſe eſt ad obſcuras & inuſitatas figuras recurrere. Hic autem ſi dicamus Iacobum fuiſſe mentitum & fraude aliqua eſſe uſum, nihil derogatur gloriæ Dei, quæ potius inde illuſtratur, nec neceſſe eſt ab omni peccato Iacobum excuſare. Si enim omnes Sanctos & Sanctas *(inquit Auguſt. lib. de Nat. & grat.)* cum hic viverent congregare poſſemus, & interrogare, utrum eſſent ſine peccato, quantalibet eſſent ſanctitatis excellentia, una voce clamarent; Si dixerimus, quià peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus.

Nec ipſe Pererius, qui autoritate potius quam ratione ab hac ſententia ſe retrahi profitetur, negat, ſe non ſolùm eam probabilem cenſere, verum etiam cum ſacra hiſtoria (quod attinet ad literalem ſenſum narrationis Moſaicæ, quæ traditur hoc loco) maximè congruentem eſſe fatetur. Qui quamvis ad eorum ſententiam defendendam, qui per interpretationem figuratam Iacobum abſolvunt, ea afferat quæ poteſt; tamen cum ad ea argumenta deventum eſt, quæ petuntur ab his verbis, Feci ſicut præcepiſti mihi. *&c. Item,* Comede de venatione mea, *etſi ea afferat commenta, quæ ab aliis ſunt excogitata, tandem nihilominus concludit.* Haud ſcio, an iſta reſponſa ſatis expletura ſint lectoris animum. Ego non diſſimulabo ſenſum animi mei: nam ut non inficior dictum illud, Ego ſum Eſau, in quo uno ad verum intellectum interpretando, purgandoque à mendacio, Doctores laborarunt, ſatis commodè in verum ſenſum redigi poſſe, ita fateor duo alia ejuſdem Jacobi dicta: Feci ſicut præcepiſti mihi, &, Comede de venatione mea, difficulter ad veritatis ſententiam accommodari poſſe. *Hæc illc.*

ille. Qui etiam affirmat, Deum non revelaſſe vel Iacobo, vel Rebecca, nec fuiſſe ut mendacium illud diceretur, ſed tantum revelaſſe Rebecca jus & dignitatem primogenituræ ab Eſau ad Iacobum tranſlatum iri. Nec Rebeccam, cum id ſuaderet Iacobo, mandatum Dei, aut aliquam revelationem prætexuiſſe, ſed ſuum tantum conſilium & judicium commendaſſe: ex quibus conſtat in his factis & dictis prophetiam non fuiſſe; ſed conſilia humana, non ſine infirmitatum adjunctione, fuiſſe in hoc negotio ab iis uſurpata, quibus tamen, etſi in ſe non bonis, Deus pro miſericordia ſua uſus eſt benè.

Hanc quam amplexi ſumus ſententiam, probat etiam Marius Colonienſis Profeſſor, in nuperis commentariis in Pentateuchum editis; Quod aliqui, *inquit,* Jacob ab omni peccato excuſant, timeo ut verba illius ſubtilius interpretentur, quam ipſe intenderit; & Jacobum à ſimplicitate commendatum, nobis inducant minus ſimplicem. *Item,* Non oportet verba, tam ſecundum quaslibet limitationes, quam ſecundum Jacobi intentionem accipere; ſcopus autem illius erat, Iſaaco perſuadere, non quod ipſe erat Jacob quoad jus, ſed quoad perſonam, & quidem ille ipſe, cui Iſaac paulò ante venationem præceperat, &c. *Non igitur ſolus Calvinus in Iacobi factis & dictis peccatum agnoſcit, quod illi etiam ex Scripturæ narratione eruunt, qui Calvino minimè favent. Quod autem dicunt peccatum fuiſſe veniale, quomodo peccata venalia ſolent diſtinguere, quæ ſuâ naturâ mortem non merentur, id quidem falſum eſt, quia nulla peccata talia ſunt, ſed id de mendacio negat expreſſè David Pſ. 5.* Perdes omnes qui loquuntur mendacium. *Vnde autor Sapientiæ cap. 1. verſ. 11.* quod os quod mentitur, occidit animam. *Fuit ergo veniale in Iacobo, & alia omnia peccata in electis ex eventu per miſericordiam Dei. Quamvis concedamus, comparatione aliorum mendaciorum, quæ pernicioſa ſunt, minus fuiſſe peccatum: ſatis enim concedimus, hoc facto Iacobum alienam benedictionem non uſurpaſſe cum injuria proximi, cum benedictio ejus tantum potuerit eſſe, cui eam deſtinaverat Deus.*

Cum Jacob ingreſſus eſſet ad Iſaac, dixit patri: *Surge, ſede & comede.* Notat Raſi, vocem שבא eſſe vocem accubitus ad menſam: לשון מסב על השלחן לכך מתורגם אסתחר:

Quia in orbem accumbere vel aſſidere menſæ ſolerent hinc vox מסבה pro poſitu hominis ad menſam. Notetur autem non accubuiſſe ſed aſſediſſe Jacobum, niſi vox ſurgendi & ſedendi ſignificet erectionem ad ſeſſionem in lecto, qualis eſt accumbentium & innitentium brachio ſiniſtro. Scilicet in eam poſitionem ab totius corporis porrecto decubitu.

Dubitavit Iſaac, quia vox ipſius auribus inſonans Jacobum indicare videretur. Credibile eſt vocem mutaſſe quantum potuerit: at non potuit fallere. Simulatum enim diſtat à nativo. Contrectat igitur ipſum juſſum accedere. Decipi enim noluit. Mercerus: *Ego non dubito, quin vel de matris conſilio vocem, quantum poſſet, attemperârit ad vocem Eſau, licet non ita potuerit vocem diſſimulare, quin id Iſaac perſentiſceret ſed ita providentia Domini factum eſt, ut dum in duobus hæret ſenſibus in unum, quem certiorem putabat, conſenſerit, potius quam in alterum: maluit tactui quam auditui acquieſcere. Tactum non ita falli poſſe credebat, nec unquam putaſſet ita ſibi aut ab uxore aut à Iacob impoſitum iri. Hebræorum quidam notant eum quinque ſenſibus voluiſſe explorare certò, eſſetne Eſau: ac primum cum viſu id non poſſet, quia caligabant oculi, tranſiſſe ad auditum: ubi cum ſe hallucinari videret & perplexum eſſe, voluiſſe de cæteris tribus ſenſibus judicium facere: Tactum certum cognovit, item guſtum, quia de venatione guſtavit, ut ſequitur. Item olfactum cum veſtes filii olfecit. Itaque cum hi tres ſenſus velut teſtes concurrerent, maluiſſe tribus ſenſibus, quam*

uni auditui fidem habere &c. Hebræi illud Vox quidem vox Iacob, manus autem manus Eſau, *proverbii loco uſurpant, ubi cujuſpiam ſermo & vox factu non reſpondent.* Non conſuluit alios ſenſus quam tactum & auditum, quia guſtus venationis & olfactus veſtium non poterat diſcrimen perſonarum oſtendere. Cumque guſtaret & odoraretur, perſuaſus jam erat. Non credidit ſoli tactui adverſus auditum, ideò ſecundò & tertio interrogat, *Tune es filius meus Eſau?* Ad eam interrogationem intrepida reſponſio animum ejus confirmavit, omni exempta dubitatione. Sic enim vocem אני intellexit: in cujus expoſitione Iudæi ludunt uti in ſuperioribus verbis Iacobi à veritate diſcordantibus. Ferinam igitur, quam putabat, paneſque afferri præcipit, ut recreatus cibo benedictionem eloqueretur. Comèdit, adjecit vini potum. Cum ſe ad benedicendum accingeret, oſculum poſcit, ושקא לי. Abeneſdras: נשיקה *cum Lamed, in manu, humero, collo: at cum Beth in ore.* Mercerus: *Sed confundi invenio ac puto ſic quoque Iſaacum oſculum Iacobo præbuiſſe in os.* Inter ritus benedictionis fuiſſe oſculum haud eſt ambigendum. Dum oſculatur filium, gratus odor & fragrantia veſtium nares implevit. Mirantur Hebræi, unde bene olere potuerit Iacob qui è caula caprini pecoris & exierat hædinis pellibus indutus. Raſi: והלא אין ריח רע משטף העזים אלא מלמד שנכנסה עמו ריח גן עדן. *Nullus odor pejor eſt ablutione hircorum ſed docetur, quod cum eo ingreſſus ſit odor paradiſi.* Fragrantiam mutatoriarum veſtium Eſavi è paradiſo veniſſe, quæ vicerit fœtorem pellium hædis detractarum. Fieri poteſt ex ſe fragrantem fuiſſe materiam & addidiſſe Rebeccam fragrantia & odorata, uti vinceret hircos & maritum ſuaviter afficeret, tam ad olfactum quam guſtum.

Bona fragrantia conjuncta cum hilaritate, quam cibus potuſque effecerant, aperuit os patriarchæ ad benedictionem. In qua filio *donat agri munera; imperium in populos & fratres; & uti bene ſit faventibus, male adverſantibus.* Hæc teſtamentaria, ut ita dicam, benedictio. Ex odore bono veſtium de agri proventu ex rore cæli & terræ ſumine promittendo occaſionem ſumit. Per fidem in iſto odore ſenſit (כבמראה) fragrantes agros in poſſeſſione poſterorum Iacobi. *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri, cui benedixit Dominus.* Dominationem attribuit illi amplam, qua imperet populis & tribubus humiliter venerantibus. Fratribus imponit dominum id eſt cognatis ex utroque parente. Tertia & palmaria benedictio fontem eum conſtituit benedictionum. In his tribus continetur, quicquid Abrahamo promiſſum fuerat. Commodum abſolverat Iſaac, cum ſupervenit Eſau. Divina manus omnia direxit. Nugantur Iudæi in libro Thanchuma Satanam turbaſſe & detinuiſſe Eſavum, ut interim Iacobo ſpatium daretur auferendæ benedictionis: כיון שיצא עשו לצוד שלח הקב״ה עליו שטן ולא הניחו לצור עד שיבא יעקב ויטול את הברכות ועל עשו נאמ׳ הפקד עליו רשע ושטן יעמוד על ימינו כיצא הוה עשו רץ וצד צבי וקושרו ומניחו ורץ ותופ׳ אחר וקושרו ומניחו והשטן מתיר ומבריחן והיה עשו בא ולא היה מוצא אחד מהן וכך עשה שנים או שלושה פעמים וכן הוא אומר לא יחרך רמיה צדו והיה מגלגל בשעות עד שבא יעקב ונטל את הברכות:

Probat ex pſalmo 109. 6. Satan obſtitiſſe Eſavo, donec Iacob benedictionem occupaſſet. Cum enim egreſſus eſſet Eſau, inventam capram venatus eſt, irretivit & repoſuit, cucurrit, cepit aliam eamque alligavit & repoſuit. Satan eas expedivit & anſugere ſivit. Cum rediret Eſau nullam invenit. Eo modo fecit iterum ac tertio: & ſic, dicit, *Comburetur doloſus venator ejus*, & fuit circumiens in illis horis, donec Iacob tolleret benedictiones. Cum introiret in ædes patris, in egreſſu fuiſſe Iacobum, זה יצא וזה נכנס. Proverbium eſt.

eſt, qui eſt poſitus in luce, non videt illum qui eſt in tenebris; at qui eſt in tenebris, videt illum qui eſt in luce. Eſau è platea veniens non videbat Iacob, qui intus intra ædes erat: at Iacob ex ædibus illum videbat ונטמן אחורי הדלת latuit poſt fores, donec Eſau introijſſet. Illo ingreſſo exijt. Tam præciſam circumſtantiam non oſtendit Scriptura.

Ingreſſus Eſau cum parato edulio ferinæ, ait ad patrem יקום אבי ויאכל מציד בנו *Surgat Pater & edat.* Obſervant hanc orationem fuiſſe ferociorem בזדון *cum ſuperbia quadam*; בלשון קנטוריא in ſignificatione ferociæ. Iacob enim dixerat: קום נא שבא *Surge quæſo, ſede.* Pater audita hac compellatione & invitatione ad eſum & benedictionem, rogat, Quis eſſet. Tum Eſau: *Ego filius tuus, primogenitus tuus, Eſau.*

Hic Iſaac, qui ſe Eſavo benedixiſſe putabat, ſupra modum expavefactus eſt. Raſi ad verbum Scripturæ ויחרד, ita loquitur כמשמעו לשנו תמיה ומדרשו ראה גיהנם פתוחה מתחתיו:

Quaſi viderit juxta allegoricum ſenſum dehiſcentem filio tartarum, qui primogenituram, ut rem alterius ſeculi repræſentativam ſpreverat, quemadmodum ſpem æternitatis (ut cum Hilario loquar) Jacob emerat. Imò vero, ut oſtendit Thanchuma, cum Eſau ingreſſus eſt, apertus eſt tartarus ut cum Jacobo ingreſſus erat bonus odor paradiſi. Significabat Iſaac benedictionem occupatam eſſe ab alio, qui edulium obtuliſſet, ante reditum Eſau. Tum Eſau conſternatus irrupit in vehementem clamorem & lachrymas. Sera pænitentia. Cum venderet dato jurejurando, ut vile mercimonium abjecerat, hic cum magno deſiderio requirit. *Benedic etiam mihi, Pater mi.* Regerit parer, Veniſſe germanum ejuſque benedictionem præoccupaſſe. Fraude Iacobi præreptam eſſe dicit, nec tamen indignari videtnr, ſibi eſſe impoſitum. Mercerus: *Quidam ajunt poſteà punitum Iacob ob hanc fraudem, qua patri illuſerat, cum ei mentiti ſunt filii de Ioſeph. Sed cum hac divino ſpiritu dirigerentur, hoc ei non puto alioqui imputatum fuiſſe. Nec Iſaac ſe benedictionem ob fraudem revocaturum ait, neque in illum excandeſcit, ut facturus erat, ſi pernicioſum dolum & præter aut contrà judicium Domini eſſe putaſſet. Sed ſanctus vir planè hic ſuum ipſe errorem agnoſcit: unde etiam dixit ac confirmavit benedictum fore Iacobum ac infra etiam rurſum abſente aut non interpellante Eſau ſuam benedictionem confirmat ipſi Iacob, ut ſcias efficacem planè fuiſſe primam benedictionem licet fraude & dolo Rebeccæ & Iacobi præreptam.* Hactenus Mercerus. Iſaac agnovit benedictionem fuiſſe à Spiritu Dei: quem non erraſſe in perſona certum habebat. Itaque arbitrabatur ſuum errorem non poſſe obeſſe Iacobo, nec ſuæ poteſtatis eſſe ut eam revocet, ideò approbat conſequente aſſenſu Dei decretum. Q. An Iacob benedictionem dolo acquirens bona conſcientia & ex fide eam accipere potuerit: an accepta eidem prodeſſe. Cl. Rivetus reſpondet, dolum & mendacium ſeparandum eſſe à fide. *Non enim,* inquit, *ideò accipit benedictionem quia talibus erat uſus artibus, nec fide iis incumbere potuit ſed veritati Divinæ. Hoc fecit, fides Iacobi, etſi cum fide admixti fuerint ex alia parte errores, quorum non dubitamus pænituiſſe ſanctum virum. Igitur bona conſcientia accepit benedictionem ſibi promiſſam etſi non bona conſcientia dolum & mendacia meditatus ſit. Si jus nullum aliud habuiſſet in rem, niſi quatenus artibus ſuis eam à patre abſtulerat, non poterat ea frui legitimè vel ex conſcientia. Sed quando agnovit eam ſibi, alioquin indigno, gratis fuiſſe à Deo collatam, in eo fides & conſcientia pura locum habuit. Quid quod benedictionis accepta natura talis eſt, quæ fidem & bonam conſcientiam neceſſariò ingeneraret in eo, qui ea eſſet deſtitutus? Nam cum fœderis Divini prærogativam talis benedictio*

dictio includeret, neceſſariò etiam fidem & conſcientiam puram ſtipulabatur, ut valida eſſet & rata. Talem autem fuiſſe conſtat ex eventu, unde non relinquitur locus dubitandi de fide ſuſcipientis. Dico ego, Credidit Jacob ſibi deberi ex emptione jus primogenituræ. Id eum animavit & matrem, ut hanc viam inirent qua à decepto & circumvento ſene extorquerent benedictionem. Credidit non poſſe ab Eſau jure capi & admitti. An Iſaac habuerit notam hanc venditionem, non liquet. Si noverit, in eo peccavit, quod voluerit venditori rem venditam aſſerere. In Græco textu expavefactio Iſaaci exprimitur ita: *ἐξέστη ἔκστασιν μεγάλην σφόδρα.* Inde Auguſtinus lib. 1. qu. ſuper Geneſ. 80. putavit propheticam revelationem factam eſſe Iſaaco, qua admoneretur, ut confirmaret benedictionem ſuam filio minori. Cui inquit, *potius iraſcendum fuit, quod feſellerit patrem.* Hanc ſententiam Lyra communem facit doctoribus catholicis, ut Hebræis, quod Iſaac habens in animo retractare, apertam gehennam viderit atque ita expavefactus benedictionem confirmaverit. Hactenus vidimus Iſaci, Rebeccæ, Jacobi facta *ἀνώμαλα* & in ea diligenter inquiſivimus: quo laborc ſeſe eximunt, qui iſta figurata fuiſſe volunt, aut à Spiritus Divini inſtinctu. At utraque ſententia licet vulgata ſit, ferri tamen non poteſt, ne ſcripturam evacuemus aut Sp. S. peccati auctorem conſtituamus. Eſau vero amens debacchatur in Jacob. Eum dicit primogenita ante, nunc benedictionem ſurripuiſſe. Mercerus: *Quaſi vero, ô Eſau, benedictio alii cedat quam primogenito? Mentitus in primo. Tu tuam ſponte ei primogenituram venditione ceſſeras & contempſeras ſecurè, nunc abjectam velles recipere. Non potes. Pluris offulam momento oblectantem & gulam reficientem æſtimaſti, quam æternum & incomparabile bonum. Culpa tua eſt non ipſius Iacob. Iam cum primogenituram fratri ceſſeris, miraris quod benedictionem primogenituræ debitam retuleris? Cæcutis planè. Hæc non divelluntur.* Raſi: *Thanchuma: Cur expavit Iſaac? Dicebat, Quæ iniquitas eſt in me, quod benedixerim minori ante majorem & mutavi ordinem generis* (חרוס) *Incepit Eſau elamare: Supplantavit me iſte duabus vicibus. Dicit Pater, Quid fecit tibi? Dicit ei: Primogenituram meam acquiſivit: Tum Pater: Siccine vendidiſti; Et expavit: Fortaſſis tranſgreſſus ſum ordinem juris* [שורת הדין] *Nunc primogenito benedixi, etiam benedictus erit.* Quia reſcindi ſemel dicta benedictio non poterat, petit ſibi aliam. Habuerunt patriarchæ, quod ſuis filiis vaticinarentur, cæterum prælatum non potuerunt ſubjicere ſubdito & immutare quod poſitum eſſet. Dicebat Iſaac: *Ecce Dominum illum Tibi conſtitui & omnes fratres ſuos ſervituti ejus ſubjugavi. Frumento & vino & oleo ſtabilivi eum: Et tibi poſt hæc fili mi, ultrà quid faciam?* Hebræi benedictionem Jacobo datam ſubtiliter explicant & valde extollunt & in multas benedictiones ſecant. Ita in Baal Turim obſervatur in verſu 28. eſſe decem voces at duodecim benedictiones Jacobo datas eſſe. In univerſa benedictione voces eſſe viginti ſex, quia benedictio facta ſit in nomine יהוה in quo eſt numerus iſte. השתחו ſcribi cum defectu literæ ו, quia ſex ſint generationes à David ad Joram, ſub quo Idumæi ſervitutem exuerunt. Raſi dicit, ſeptimam Jacobi benedictionem eſſe, quam in repetitione Iſaac primam commemorat; quia inutile redderetur per eam, quicquid concederetur Eſavo: מה שקנה עבד קנה רבו. *Quicquid poſſidet ſervus accreſcit hero.* Urgente Eſau lachrymis & magno ejulatu, aliam benedictionem Iſaac promit. In qua non continetur gratiæ fœdus. Non enim dicitur, Tuis amicis bene, tuis adverſariis malè erit. Terræ fecunditatem largitur ſub his verbis: *In pinguedine terræ & rore cæli deſuper erit habitatio tua.* Deinde: *Bello & gladio vitam ſuſtentaurum. Serviturum fratri: ſed & eventurum, ut jugum excutiat.* Hic quæritur, Quomodo Eſavo attribuatur pinguedo terræ,

terræ, cum Idumæam ſterilem fuiſſe arguat locus, qui eſt Malach. 1. 3. *Diſpoſui montes ejus deſolationi & poſſeſſionem ejus draconibus deſerti.* Hic Cl. Rivetus: *Reſpondendum, vel non intelligi debere verba Malachiæ, de prima terræ illius conſtitutione, quam poſſederunt poſteri Eſau in multum tempus commodè excultam, & longius protenſam verſus mare Erythræum; ſed de conditione qualis fuit, poſtquam à Regibus Babyloniæ ſubacti & exacti, deſerta planè fuit, & ſentibus ac vepribus obſepta. Vel etiam comparatè accipiendà eſſe, quià etſi terra illa fuerit ſatis fœcunda, & montoſa regio ſuam habuerit pinguedinem, & paſcua uberrima, non tamen accedebat ad fertilitatem terræ promiſſæ, maximè ſi* abundantiam frumenti & muſti ſpectemus, *quæ expreſſa fuit in benedictione Iacobi, in iſtâ autem Eſavi ſuppreſſa. Et certè quod verſ. 40. ait,* In gladio tuo vives, *ſatis oſtendit, neque firmam pacem Idumæis fuiſſe promiſſam, neque eam vitæ rationem, quæ ex cultura terræ proventus omnes eis redderet ad ſuſtentationem ſuam neceſſarios.* R. Salomo ſecundum Medras exponit איטליא של יון *Italia Græcia.* Quid eſt Italia Græciæ? Teſtatur Cl. Buxtorfius Eliam ſcribere, ſe à quodam Cardinale didiciſſe id de Calabria intelligendum. Cardinalis ille ſine dubio id reſpexit, quod ea pars Italiæ olim Magnæ Græciæ vocabulo appellata fuerit. In Beth Iſrael, in Megilla cap. 1. è Thalmud producitur אמר עולא איטלא של יון זה כרך גדול של רומי *Dixit ula: Italia Græcia: hæc eſt magna urbs Roma.* Ejus magnitudinem portentoſam fabuloſe deſcribit. Inde originem ejus hanc fuiſſe dicunt Iudæi: Cum imago introduceretur in templum, deſcendiſſe Gabrielem & fixiſſe arundinem in mari: ſuper ea increviſſe agrum, in quo condita ſit Italia Græciæ. Quod Ezech. 27. 7. ſcribitur מאיי אלישא id Chaldæus vertit ממדינת אטליא. At quod verſu antecedente habetur מאיי כתים reddit ממדינת אפוליא. Quod igitur Elias vult de Calabria non procedit juxta Thargum. Ego poſſem concedere apud antiquiſſimos Judæorum, per Italiam Græciæ intellectam eſſe Calabriam ſeu magnam Græciam: ſi tamen adeò antiqua ſit illa appellatio, ut naſcentis Romæ cunabulis ſit æqualis: quando Magnæ Græciæ nomen in uſu fuit. At Thalmudici appellatione איטליא של יון accipiunt Romam, quemadmodum R. Salomonem accepiſſe arbitror. Quemadmodum Chriſtiani allegoricè per Jacob intelligunt populum Chriſtianum per Eſau autem Judæos (nempe poſt tempora Chriſti) ſecundum Tertullianum, Auguſtinum & alios patrum, ita Judæi per Edom capiunt Romanos & Chriſtianos (quia id confundunt) ut Jacobi nomine ſuum populum.

Aben-eſdras, homo veritati Chriſtianæ infenſiſſimus, circa hanc hiſtoriam benedictionis interverſæ quaſdam quæſtiones proponit & ſolvit. Quam illius diſſertationem, Latinè verſam, exhibeo. *Sunt,* inquit, *in his benedictionibus quædam quæſtiones difficiles.* Si benedictio iſta fuerit *prophetia, qui non novit eum, cui benediceret? Reſpondent ſapientes ætatis: quoniam Deus dixit illi, cum veniret Iacob, benedic illi. At ſi fuit ita: dixiſſet Iſaac Eſavo, Deus mihi præcepit. Porrò, cur benedixit illi, proptereà quod flevit? Alii dicunt nec Iſaac fuiſſe prophetam, nec ejus benedictionem firmam eſſe. Hi etiam errant; quoniam ſcriptura dicit:* [cap. XXVI. 2.] Et viſus eſt Dominus ipſi. *Etiam dicit David* [Chronic. 16. 22.] Ne malum faciatis meis prophetis. *At alii dicunt: Quæ utilitas eſt in verbis, quoniam cogitatio ejus fuit ſuper Eſau. At res fuit in dubio apud eum: quia ſic dicit:* Vox eſt vox Jacob: *Et benedixit, quicunque eſſet de ipſis, ambo cum eſſent ejus filii.* Et ſunt qui dicunt, *Sicut dixit Deus,* Et major ſerviet minori, *Etiam ita dixit Iſaac:* Et fratri tuo ſervies. *Gaon impellit hanc quæſtionem* (objectionem) *calamo fracto, quia invenit:* (Gen. 36. 6.)

6.) Et ivit ad terram aliam à facie Jacob fratris ſui. *At ecce oblitus eſt, q d.* (Gen. 33. 3.) Et adoravit ad terram ſepties. *Certum eſt judicio meo, quod benedictio prophetæ inſtar orationis ſit. Et Deus audivit ejus orationem, quia fundamentum hujus benedictionis eſt ſuper ſemine eorum.* At dormientes, qui non evigilant *è ſomno ſtultitiæ putant quod nos ſimus in captivitate Edom: ſed non eſt ita: tantum Edom fuit ſub manu Iudæ & ſic ſcriptum eſt* [2. Reg. 8. 22.] *Defecit Edom à manu Iudæ. Etiam Ioab excidit omnem maſculum in Edom. Propterea, quia fuerunt ſub manu Iudæ; lætati ſunt* tempore cladis noſtræ; *dixeruntque Babylonii* [Pſ. 137. 7.] Nudate, nudate, uſque ad fundamentum in ea. *Magiſque grave fuit Iſraëli opprobrium; quo eos afficit Edom ob mala ipſorum. Sic capiendum* [Lament. 4. 21.] Gaude & lætare filia Edom. *Et* [Obad. 12.] Non fuiſſes lætatus propter filios Juda. *Etiam tempore Hyrcani majoris, poſiti ſunt in præſidio Hieroſolymorum, fecitque eos ingredi fœdus circumciſionis. Etiam tempore Agrippæ, quando capta eſt Ieruſalem, venerunt turmæ Idumæorum in auxilium Iudæ. Roma autem, quæ in exilium nos egit, eſt è ſemine Chettæorum. Sic dicit Chaldæus paraphraſtes* [Num. 24. 24.] Et naves è littore Chittim. *Hoc eſt regnum Græciæ inſe, ut expoſui in libro Danielis. Et fuerunt viri, homines raſi, qui crediderunt in virum, quem poſuerunt Deum; ſicut credere cœpit Roma tempore Conſtantini, qui innovavit legem & poſuit in vexillo ſuo effigiem hujus viri. Nec erant in ſeculo, qui cuſtodirent legem illam novam præter paucos Idumæos.* Ideo Roma vocata eſt Regnum *Edom. Sic etiam Iſmaelitæ vocantur hodie viri Ægypti & Saba & terræ Elam, quamvis nemo inter eos ſit è ſemine Iſmaelitarum præter paucos homines.* Exiſtimat Apoſtolos & primos Chriſtianos raſis capitibus id eſt monachos fuiſſe. Nam מְסַפֵּר ita accipio. Eoſdem fuiſſe Idumæos. Ab his didiciſſe Conſtantinum, qui Romanum imperium fidei Chriſtianæ adſcripſit. Joſephus attribuit Iſaco preces non prophetiam: eaſque reformat pro ſuo arbitrio & ignorantia. Nam neque vim neque partes benedictionum intellexit. Eſau ob præreptam benedictionem cogitavit mortem Jacobo. Ita dicit Scriptura: יקרבו ימי אבל אבי ואהרגה את יעקב אחי׃ In animo habet occidere fratrem. Cæterum quorundam expoſitio eſt, ut ו ſit cauſale: at Cl. Rivetus (cum doctiſſimis interpretibus Judæis & Chriſtianis) temporis relativum facit. Cujus verba ſunt: *Premebat itaque quantum poterat altum corde dolorem, donec adveniſſent dies luctus patris ſui, quos in proximo eſſe, ex parentis ætate & ſenectutis incommodis conjiciebat. Per* dies *enim* luctus, *non intelligimus luctum ipſius parentis, quaſi diceret, Appropinquabunt dies, quibus lugebit parens, poſtquam occidero Iacobum fratrem: quem ſenſum nonnulli ex Ebræis huic loco applicuerunt, ac ſi hoc voluiſſet; Quandoquidem pater meus noluit recantare, & acquievit in benedictione data fratri meo Iacobo, poſt dies non multos faciam, ut lugeat; occidam enim eum qui jam gaudet benedictione paternâ. Sed* ימי אבל אבי dies luctus patris, *non intelligi debent activè, quibus lugere debebat pater; ſed paſſivè, quibus à ſuis erat lugendus. Itaque eleganti periphraſi,* dies luctus, *dicuntur pro diebus mortis, quibus aliquis moritur, & decedens, luctus materiam præbet. Alioqui, etiam activè ſumitur eadem phraſis, Eſa. 60. verſ. 20. Itaque* completi erunt dies luctus tui, *id eſt, ceſſabunt. Sed hic accipitur eodem ſenſu quo Eccleſ. c. 22. v. 12. dicitur, luctus mortui ſeptemdialis, id eſt, luctus pro mortuo: per id autem quod ſequitur, denotatur antecedens, id eſt, per luctum, mors.* Mercerus ſerio monet, ne accipiamus ita, quaſi parricidio fratris patri mœrorem facere velit.

Quamvis illas minas non elocutus eſſe ſed dixiſſe in corde id eſt cogitaſſe refe-

referatur, reſcivit tamen eas Rebecca. Judæi ſpiritum prophetiæ dilectis ſuis liberaliter largiuntur. At fieri potuit, quod enuntiaverit. Scriptura dicit ויגד לרבקה *Indicatum eſt Rebeccæ* non quadrat de prophetica revelatione. Rectè igitur Aben-eſdras: יתכן שגלה סודו לאחד מאוהביו ויש אומרים על דרך נבואה היה והראשון קרוב: Mercerus: *Hebræorum plerique, quin & noſtrorum etiam veterum, propheticè per Sp. S. id eam ſciviſſe putant & ipſi revelatum, quia matres propheti*ſſ*æ fuerunt. Ego tamen cum aliis credibilius putarim propter verbum Hebraicum* ויגד *permiſiſſe Dominum, ut electos ſua admiranda prudentia tueri ſolet ab impiorum inſidiis, ut Eſau præ ulciſcendi ſtudio non potuerit reticere, quod animo conceperat, quin in familiarium vel uxorum ſinum effunderet; ſic intumeſcens adhuc & inſoleſcens apud illas, quaſi fraudulentia eſſet & dolo extorta nec vera benedictio illa Iacob & rem id comprobaturam &c. Potuerunt autem quidam ejus familiares, ut fit, à quibus ille non metuebat, rem totam forſan per imprudentiam Rebeccæ aperire.* Phraſis in corde dicere ſignificat apud ſe ſtatuere & decernere; quæ uti non includit enuntiationem ſermonis, ita nec excludit.

Rebecca accerſito filio, ſive in latebris ageret, ſive fratrem acquieviſſe patri putaverit, ait. frater tuus tibi minatur mortem, quæſo audi me, effuge ad Laban fratrem meum in Haran. Cede furori. Aliquanto tempore illic age, donec ira detumuerit. Ubi videro tutum eſſe, te revocabo. Videmus Rebeccam voto potitam, quia filium minorem maritus benedixerat, in perplexas prolapſam eſſe anguſtias. Agnoſcere cogitur culpa ſua & fraude factum, quod fratres inter ſe commiſſi eſſent: unum ablegandum eſſe ne ſcelere alterius interiret. Quorſum illa benedictio, quæ domo protruderet, cum domi remaneret ad res ejus procurandas, quem illo facto plurimum offenderat, quem ipſa minus diligeret, moroſum & difficilem, matrimoniis Cananæarum implicitum, gravibus moleſtiſque? Eligendum erat urgendumque dilecti exilium ut inviſum à facinore prohiberet: quo utrumque amiſſura eſſet. Iram & odium Eſavi ſic exprimit: מתנחם לך להרגך Raſi: *Pœnitebit ſuper fraternitate, ut cogitet cogitationem aliam, ut alienus tibi ſit, teque occidat. Midras Aggada: Iam tu mortuus es in oculis ipſius & bibit propter te poculum conſolationis. Etiam litera ſignificationem conſolationis habet: conſolationem capiet ſuper benedictionibus in tui occiſione.* Aben-eſdras: *Hac erit conſolatio ejus, ſi te poſſit occidere.* Solicita eſt pro Eſavi vita & incolumitate, quamvis minus ipſi carus eſſet, למה אשכל גם שניכם יום אחד:

Mercerus: *Cur orbabor ſeu orba eſſem, fierem, utroque veſtrum, uno die,* id eſt, *eodem tempore, ſimul? Nempe ſi vel ille te occidat: ipſi migrandum erit, ut Caino, aut pœna capitali puniendus ex lege Domini propoſita ad Noë & filios ejus: vel ſi tu illum in te inſurgentem forte occidas, impune non abibis, ejus filiis ulturis cædem patriam. Vide maternum affectum in filios etiam ambos. Saltem ſolatii loco ſibi fore ducebat ablegato Iacob relinqui Eſau. Sic turbas domeſticas prudens femina mature componere voluit. Hinc ſubtilius colligunt Hebræi eodem die utrumque mortuum aut certe ſepultum eſſe, ut ſimul nati fuerant: de qua re vide quæ hic fabulentur in Mizrahi. Succeſſu temporis tandem ſciebat iram placari in benè compoſitis hominibus.* Utramque expoſitionem & literalem & ſubtilem habet Raſi, qui dicit Rebeccam propheta*ſſ*e, de eo quod ambo eodem die morituri eſſent. ורוח הקדש נזרקה בה והתנבאת שביום אחד ימותו כמו שמפורש בהמקנא לאשתי:
Et Sp. Sanctus ſparſus eſt in illa & prophetavit, quod eodem die eſſent morituri.

Cum autem non poſſet ablegari ſine patris voluntate, apud eum aliam cauſam prudens & pia uxor prætexuit: moleſtiam à nuribus Hettæis, Eſavi conjugibus. Noluit enim marito propoſitum Eſau detegere. Ne ipſi ægre

faceret inque filium patrem irritaret: item ne ipſa redargueretur ob machinationem doli, quo fratrum diſſidium effecerat. Si, inquit, Jacob uxorem acceperit de ſtirpe hujus terræ למה לי חיים. Vulgatus id interpretatur, *Nolo vivere.* Si Eſau ſtatuerit fratri parcere donec pater in vivis eſſet, cur timet Rebecca vivente Iſaac? Non vult Jacobum exponere furori Eſau, cujus animum perſpectum habebat. Tutius erat mature ablegare & periculum prævenire quam conſpectu Jacobi memoriam injuriæ quotidie renovare.

Cap. XXVIII.

ADMONITUS A PATRE] Sequitur cap. Geneſ. 28. In quo duo: diſceſſus Iacobi è domo Patris v. 1--10. Viſio ſcalarum. Iſaac ab uxore admonitus de conjugio filii, advocat Jacob: Interdicit Cananæarum conjugio, jubet in Meſopotaniam ire, contrahendi matrimonii cauſa ad domum Bathuelis eumq; cum benedictione dimittit. In benedictione duo precatur aut vaticinatur filio (ego precationem & votum hic eſſe malim) multiplicationem ſeminis & hæreditatem Cananææ. Cananæam igitur ipſi adjudicatam demit Eſavo. Multiplicatio ſeminis ſemper includit ſemen benedictum τῆς ἐπαγγελίας, ut loquitur Apoſtolus: at hæreditatem Cananææ appellat ברכת אברהם. Nam hæc Abrahamo & ſemini promiſſa erat: Ideo Jacobo & ſemini eam apprecatur. In terram peregrinam abituri animum revocat domum. Hac apprecatione firmat benedictionem ſuam, petens à Deo uti ratam haberet. Eſau, cum intelligeret Iacobum cum voto dimiſſum & ſeria ſignificatione paternæ voluntatis, abominantis & interdicentis conjugium cum Cananæa muliere, duabus Hettæis ſuperinduxit filiam Iſmaelis, patrui ſui. Hæc vocatur Maheleth, ſoror Nebajoth. Atqui ea cap. 36. 3. appellatur Baſmath, de quo in eo loco. Ita (ut loquitur Raſi) הוסיף רשעה על רשעתו שלא גרש את הראשונות: *Addidit impietatem impietati, quia priores non expulit*, Hic Judæi aſſumunt Iſmaelem in vivis fuiſſe eo tempore, & ipſo illo anno obiiſſe quaſi non potuerit duci filia defuncti. וילך עשו אל בית ישמעאל ut בית בתואל *ad domum Iſmaelis, ad domum Bathuelis.* Exprimitur ſororem fuiſſe Nebajoth, quia ille primogenitus curabat domum, planè ut Laban *frater* Rebeccæ ſolus nominatur Geneſ. 24. 29. Et Rebecca ſoror Laban dicitur, alio fratre non expreſſo Geneſ. 25. 20. Fingunt autem Iſmaelem obiiſſe קודם נשואין. Scriptura dicit, Maheleth filiam Iſmael, filii Abraham, ſororem Nabajoth.. Hic Raſi: *E litera* [ממשמע] *Q. D.* filia Iſmaelis, *non cognoſco, quod ſit ſoror Nebajoth, ſed docet me, quod ſit mortuus Iſmael à quo promiſſa eſſet* [משיעדה] *Eſavo, ante ſponſalia. Elocavit eam Nebajoth frater. Etiam docemur, quod Iacob eo tempore fuerit 63. annorum. Nam Iſmael erat 74. annorum cum naſceretur Iacob. Quatuordecim annos Iſaco major erat, & Iſaac 60. annorum erat, cum naſcerentur duo illi. Hi ſunt 74. anni: Anni autem illius fuere 137. ut dicitur*: Et hi anni vitæ Iſmaël &c. *Invenitur Iacob cum moreretur Iſmael, 63. annorum fuiſſe. Hinc ultra docemur, quod latuerit in domo Eber quatuordecim annis & poſtea profectus ſit Carras. Nam egit in domo Laban ante natum Ioſeph tantum quatuordecim annis,* Q. D. Servivi tibi quatuordecim annis propter duas filias tuas, ſex annis propter gregem. *At merces gregis fuit, à quo natus eſt Ioſeph, Q. D.* Et fuit quum peperiſſet Rachel Joſeph &c. Et *ſcriptum*, Et Joſeph triginta annorum cum regnaret. *At hinc donec Iacob in Ægyptum deſcendit anni novem. Septem anni ſaturitatis & duo famis. Dicebat autem Iacob Pharaoni*, Dies annorum peregrinationis meæ centum triginta anni.

anni. *I & computa; quatuordecim, qui ante nativitatem Ioſeph; & triginta ipſius Ioſeph; & novem, à quo imperavit, uſque ad tempus, quo venit Iacob: ecce quinquaginta tres. Cum ſecederet à Patre fuit ſexaginta trium annorum. En centum & ſexdecim: at ipſe dicit, Triginta & centum anni: deficiunt igitur quatuordecim anni. Vnde diſcis, quod poſtquam accepit benedictiones, quatuordecim annis latuerit in domo Eber.* Hactenus Raſi. Univerſa iſta ratiocinatio nititur falſa hypotheſi, quod Iſmael tum in vivis fuerit. Scriptura dicit, *Ivit ad Iſmael.* Iſmael pro Iſmaelis domo quam regebat primogenitus Nabajoth, ut ipſe textus oſtendit. Moſes etiam ſignificat rectà è Berſabe (ubi parentes & domum paternam reliquit) Charras & domum Laban petiiſſe. v. 20. Non agnoſcit Joſephus, qui iter à Chananæa Charras ad Laban deſcribit, nulla Eberi facta mentione. Hic antem, ut paſſim verba textus captant ad nugas Judæi. Nam quomodo non extollerent iter patriarchæ ſui? Dicit Scriptura: Egreſſus eſt Jacob è Berſabe & ivit Haranem. Ergo, inquiunt, uno die è Berſabe Charras pervenit? Atqui in intermedio loco dormivit? Eadem felicitate & celeritate reverſus eſt, in locum orationis, quem incogitanter prætererat. In codice Sanhedrin fol. 95. a. *Tradiderunt magiſtri: Tres ſunt, quibus ſubſultavit terra. Eliezer, ſervus Abraham, Iacob pater noſter & Abiſai filius Saruja. Ecce quod diximus: Eliezer ſervus Abraham, Q. S.* Et veni hodie ad fontem. *Dicendum, quod eodem die Iacob pater noſter egreſſus ſit, quia ſcriptum:* Et egreſſus eſt Jacob è Berſabe & ivit Haran. *At ſcriptum, Et pervenit in locum illum & pernoctavit illic, quia occiderat ſol? Cum perveniſſet in Haran, dixit, Forte præterii locum, in quo patres mei precati ſunt at ego precatus non ſum. Quærebat reverti. Poſtquam ſerio propoſuiſſet reverti, ſubſiliit ipſi terra confeſtim & attigit locum illum. (Alius ſermo: Nil eſt* ופגיעה *niſi* תפלה *oratio. Q. D. [Ierem. 7. 18.]* Tu ne preceris pro populo iſto: & ne ſuſtuleris pro ipſis clamorem aut orationem neque acceſſeris me) *Et pernoctavit illic. Poſtquam precatus eſſet: quæſivit reverti. Dicebat Deus benedictus: juſtus ille venit in hoſpitium meum, dimittetur ſine pernoctatione? Mox occidit ſol. Id eſt Q. S. [Gen. 32. 31.]* Exortus eſt ipſi ſol. *Nunquid ipſi ſolum exortus eſt & non toti mundo? Sed dicit R. Iſaac: Sol qui occidit propter ipſum, ortus eſt propter ipſum.* Hanc Thalmudicam fabulam non admittunt ſapientiores. Raſi verò וילך חרנה exponit יצא ללכת חרן [profectus eſt uſque in Charras] & ויפגע ת׳ per precationis notionem, notatque doceri: שתקן תפלת ערבית / *quod diſpoſuerit orationem veſpertinam.* Ideo autem mutari ſcripturam: Quia ſubſultaverit ipſi terra. Id haberi in codice קדשים cap. גיד׳ הנשה. Aben-eſdras: *Dicit Haggaon, quod* וילך חרנה *ſignificet* ללכת. *Hoc non eſt ita, duntaxat ſecundum,* משמעו; *quia redit ad exponendum, quid occurrerit in via. Non ivit uno die, quia in itinere pernoctavit. Quod pathach ſit ſub* ב / *in voce* במקום / *ſignificatur eſſe verba Moſis: Nempe in loco noto hodie &c.* Raſi Thalmudicæ doctrinæ nimium addictus vult eodem die perveniſſe Haranem ſed inde rediiſſe, adjumento ſubſilientis terræ in montem Moriam. Utrumque rejicit Aben-eſdras ſenſui ſimplici & literali addictior. Hoc impingit illi Haggaon quod literam videatur relinquere. Et ſimpliciter de Bethel exponit. ויפגע במקום non poſſe exponi [על דרך הפשט] acceſſit ad Deum, quia מקום in ſcriptura nuſquam legatur pro Deo. Scriptura dicit: *Pernoctavit illic, quia occiderat ſol.* Non dicit, Et *occubuit ſol & pernoctavit illic.* Id Raſi è Thalmud ita accipit, quod Sol ante horam occubuerit, ut illic Jacob pernoctaret. Somnium Jacob conſideretur ſecundum duas circumſtantias. I. Quis ille locus fuerit? II. Quomodo Jacob decubuerit? Quod dicatur במקום / ב cum Phathach, eruunt fuiſſe montem Moriam, tanquam locum nobilem. *ἐν τῷ τόπῳ* apud Græcos poteſt idem

ſignificare quod ἐν τόπῳ τινὶ ut notiſſimum. Lyranus: *Licet non ſit expreſſum nomen loci illius dicunt tamen doctores Hebræi & Catholici, quod iſte locus fuit mons Moria.* Ibi enim *Abraham avus ſuus obtulerat Iſaac patrem ſuum & propter hoc reputabat locum illum ſacrum. Propter quod ibi declinavit, ut ibi vigilaret in oratione per partem noctis: ſperans ibi Divinam revelationem habere, quod & factum eſt.* At locus ille fuit Bethel, ut infrà dicitur cap. 35. v. 7. Quomodo decubuerit aut ſe compoſuerit cubitum, notat ſcriptura: Tulit de lapidibus illius loci ac poſuit cervicalia ſua. Pulvini loco ſibi lapidem ſuppoſuit. Sub dio igitur, in agro decubuit. Joſephus; καὶ διὰ τὸ μῖσος τοὺς ἐπιχωρίους μῖσος παρ' οὐδενὶ μὲν ἠξίου καταχθῆναι: ὑπαίθριος δὲ ηὐλίζετο, τὴν κεφαλὴν λίθοις ὑπ' αὐτοῦ συμφορουμένοις ἐπιθείς. *Et ob odium ergà indigenas, apud neminem voluit diverti, at ſub dio egit, capite lapidibus congeſtis impoſito.* Nuſquam lego Abramum aut Iſacum ullius tecto ſuccedere. Nempe non tantum matrimonia ſed & commune tectum cum Cananæis refugiebant. Quid de menſa dicam, cum Iſaac epulis exceperit Abimelech eoſque qui cum ipſo erant cap. 26. 30. Lapides congeſtos ſuppoſuiſſe capiti dicit Joſephus, in Hebræo eſt מאבני: quod Abeneſdras exponit אחת מאבני המקום / unum de lapidibus illius loci. Sic etiam Ralbag: Accepit unum de lapidibus loci illius & poſuit cervical ſuum להגביה ראשו בעת השינה כמשפט: *ut ſuffulciret caput per ſomnum ex more.* In verſu 18. *Sumit lapidem, quem in cervical poſuerat*: Et de uno illo lapide v. 22. Quia igitur prius de lapidibus locuta erat Scriptura, nunc de uno loquatur, fabulandi occaſionem arripuerunt Judæi. Plures lapides in unum coaluiſſe fingunt. R. Salomo:
עשאן כמין מרזב סביב לראשו מפני חיות רעות התחילו מריבות זו עם זו זאת אומרת עלי יניח
צדיק את ראשו וזאת אומרת עלי יניח צדיק את ראשו מיד עשאן הק'בה אבן אחד והן
שנ' ויקח את האבן אשר שם מראשתיו וגו':

Fecit eos [lapides] ſecundum ſpeciem tubi, circum caput ſuum, propter feras beſtias: cæperunt litigia iſte adverſus iſtum. Hic dicebat, ſuper me juſtus faciet requieſcere caput ſuum; & iſte dicebat, ſuper me reclinabit juſtus caput ſuum: Mox fecit eos Deus benedictus lapidem unum. Id eſt, Q. D. Et accepit lapidem illum &c. Recubuit igitur & dormivit in loco iſto. Id ſignificari putat Raſi, quod noctu quatuordecim illis non dormiverit annis, quibus ſub Eber in lege operabatur. Lyranus nimis facilis eſſe ſolet in Hebræorum fabulis admittendis iiſque accommodandis ad Chriſtianam veritatem: Unde & hic: *Dicunt Ebræi quod accepit lapides, & ſatis videtur ex textu, quod accepit plures ex eo, quia dicitur* de lapidibus. *Et quando evigilavit, invenit, quod illi tres lapides facti erant unus lapis. Et hoc videtur, per literam ſequentem infra*: Tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo. *Et dicunt quod hoc fuit in ſignum quod Dominus uniretur cum eo aſſociando eum. Nos autem melius poſſumus exponere, quod hoc fuit in ſignum unitatis eſſentiæ in Deo, & trinitatis perſonarum, de cujus apparitione hic agitur. Vel in ſignum trium naturarum in Chriſto, ſc. corporis & animæ & Deitatis in unitate perſonæ: quia de benedicta incarnatione fuit hæc revelatio facta ipſi Iacob.* Abſque omni dubio Deus eum hoc ſomnio conſolari voluit, adverſus illas ærumnas, odium & perſecutionem fratris, exilium, multa mala & labores tot annis perferendos. Eo & ὄνειρα & χρησμὸς ſpectabant. Viſio ſignum & figuram rerum habuit, quæ patriarchæ ſolatio eſſe debebant. Hic variant interpretes in congerendis ſignificationibus & ad allegorias quidam liberrimè exſpatiantur. Mercerus: *Myſtica quidem erat & myſteriis plena ſcalarum viſio, ſed vocem Domini accedere oportuit, ut magis confirmaretur. Hujus ſcalæ myſteria omnia apud Hebræos & noſtros longum fuerit & nimis operoſum exponere, & pleráque ſanè præſertim Hebræorum*

com-

commenta licet profundiſſima, argutiores tamen habent ſpeculationes, ut & quædam noſtrorum in hunc locum. In pauca tamen conferam quæ utrique hic afferunt. Hebræi ferè ad Dei providentiam referunt, quæ ex alto res has inferiores gubernat & adminiſtrat, decretis è cælo velut in hæc ima demiſſis per Angelos eorum adminiſtros & executores; quos & ad hæc ima perluſtranda, ut eſt in Zacharia, mittit: & rurſum ſurſum regreſſi ſuam legationem exponunt Domino, & remittuntur pro Dei arbitrio & decreto; vel etiam ad orationem piorum, ut hic ipſius Iacob, quæ in cælos per angelos defertur, & ſalutem quæ res illa per angelos ipſos mittitur, qua tota in re princeps & dux ſit Deus ſcalæ deſuper innitens. Alii Angelos aſcendentes volunt eos eſſe, qui Iacobum per terram deduxiſſent, deſcendentes illos, qui extra terram erant deducturi. At nondum erat egreſſus terram Canaan, ut aſcenſu ſe in cælum recipere neceſſe fuerit Angelos terræ Iſraël, ut volunt, deſtinatos, & alteros deſtinatos locis extra terram Iſrael deſcendere. Bethel non eſt in fine terræ Canaan: etſi eſſet in fine tribus Benjamin, ſupererant aliquot loca uſque ad Iordanem, licet alioqui non procul ab illo ſit Bethel. Miſſo quod Cabalicè סלם ס vel סולם addito ו exponunt סיני montem Sinai ubi danda erat Iſraëlitis ejus poſteris Lex, vel סמל ſimulachrum, quo viderit ſuos poſteros Deum irritaturos, vel ממון opes, & עוני paupertatem, quod Deus veluti gradibus quibuſdam ſcalæ, quos vult, extollat, quos vult deprimat. Longè certius eſt & inſignius, quod Hebræi ignorant, id quod à noſtris ex autoritate Chriſti ipſius optimi hujus loci interpretis affertur, ſcalam eſſe Chriſtum, qui divina humanis conjungit, & cæleſtia terrenis conciliat: huic miniſtrant Angeli, ſicut & ipſe de ſe huc alludens ad Nathanaëlem Iohan. 1. dixit, Amen dico vobis, videbitis cælum apertum & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis, & alias ei miniſtraſſe Angeli in Evangelio dicuntur. In capite ſcalæ ſtat Dominus, Deus pater, ex quo eſt Chriſtus. Licet alii per ſcalam conjunctionem illam cæleſtium & terreſtrium intelligant, & Chriſti incarnationem, inſigne myſterium, ubi in ſummitate ſit Chriſtus Angelorum princeps & caput, Angelus, ut Græci vocarunt, magni conſilii. Ego non dubito Chriſtum diverſis viſionibus patribus apparuiſſe, ſive externa & corporali figura, ſive ſpecie quadam divinæ majeſtatis, atque hic hac viſione non dubitarim Chriſtum myſteria magna ipſi Iacob exhibuiſſe, quaſi medio ſuo & per ſe è cælo Angeli ultro citroque commeantes per ſcalam è cælo in terram in uſum & miniſterium ipſius Iacob & totius Eccleſiæ mitterentur, cujus ille eſt typus: nam totam haud dubiè poſteritatem ſuam & Eccleſiam hic Iacob adumbrat. Ad Deum autem per gradus aſcenditur ex fide in fidem, &c. idque omnino per Chriſtum, per quem ſolum ad patrem pervenitur, non per alium. At Chriſtus ſurſum Deum patrem habet à quo deſcendit, & ad quem rurſum aſcendit poſt myſterium ſalutis peractum in terris, deorſum habet velut lumbos Iacob, ex quibus natus eſt juxta carnem. Ita Chriſtus Deus & homo exhibetur hic Iacobo, qui ei ſit affuturus, ab omni diſcrimine in itinere ſervaturus, ut mox ei pollicetur, & hunc puto, ad ipſum hic loqui, licet dixerimus in ſummitate ſcalæ Deum patrem eſſe, ſed filius propriè fuit, qui vel per quem Pater patriarchas alloquebatur & ſolabatur. Nec alienum eſt per ſcalam, & per Deum in ſumma ſcala Chriſtum accipi, niſi ſcalam eſſe velis myſterium incarnationis quo humana divinis conjunguntur & ſalutis quam è cælo impertitur Chriſtus electis in terra: nam & lapidem, ſuper quem reclinabat Iacob, quidam Chriſtum veram petram accipiunt. Singula enim anxiè accommodare difficile fuerit. Sed ſatis eſt rei ſummam & viſionis ſignificationem ac cauſam tenere, quod per ſcalam Iacob humana cæleſtibus jungenda ſignificarentur Angelorum miniſterio, per unicum Mediatorem Chriſtum, qui ex Iacob juxta carnem ſit oriturus. Per eum & ipſi Iacob & toti Eccleſiæ ſalus à Deo patre confer-

tur.

tur, non enim alia fuit veterum ſalus quam noſtra, ſed eadem per Chriſtum. Lyranus: *Iſta autem ſcala, quæ ex multis gradibus conſtituitur, ſignificat gradus generationum, per quos Chriſtus ſecundum carnem deſcendit ab Abraham uſque ad virginem Mariam, quæ ipſum peperit. Et gradus hos ſcalæ numerat Matthæus in principio Euangelii ſui.* Liber generationis Jeſu Chriſti &c. *Duo latera ſcalæ ſunt juſti & peccatores: quia ex utriſque deſcendit ſecundum carnem, & pro utriſque natus eſt & paſſus. Quia autem Dominus dicitur innixus ſcalæ, deſignat, quod ipſa Deitas eſt innixa carni à patribus deſcendenti in Chriſto. Quia autem pes ſcalæ terram tangebat & cacumen ejus cœlum, deſignatur per hoc, quod ipſe Chriſtus ſecundum humanitatem convenit cum hominibus terrenis, in natura, abſque peccato; ſed per Deitatem convenit cum Deo patre, ut ſic verus mediator Dei & hominum dicatur. Per angelos Dei deſcendentes, intelligendum eſt, quod myſterium incarnationis de voluntate Dei fuit hominibus revelatum; primò patriarchis & poſteà prophetis clarius, & tertiò miniſtris N. T. clariſſimè. Per angelos aſcendentes intelligitur fides & devotio ſanctorum, in quolibet ſtatu prædicto Deo repræſentata per angelos, ſecundum quod Angelus Raphaël dixit Tobiæ 12. cap.* Quando orabas cum lachrimis & ſepeliebas mortuos, ego obtuli memoriam orationis tuæ coram Domino. *Et iſta cognovit Iacob futura licet non ſint hic expreſſa. Quia myſterium incarnationis non erat adhuc ſic publicandum. Exprimitur tamen hic qualiter Deus promiſit ipſi Iacob promiſſiones factas Abraæ & Iſaac. In quibus continetur implicitè myſterium Chriſti. Et quod Iacob habuerit hujuſmodi notitiam de prædictis patet per hoc, quod dixit:* Vere Dominus eſt in loco iſto. *Quia beneficia & myſteria divina erant ibi complenda.* Et ego neſciebam: *quia per iſtam revelationem de myſterio Chriſti pleniorem habuit notitiam, quam ante.* Hanc allegoricam expoſitionem rejicit Burgenſis qui aliam è Gregorio magno adoptat: *Secundum hanc conſiderationem poſtillatoris prius debuiſſent nominari angeli deſcendentes quam aſcendentes. Cujus oppoſitum eſt in litera. Vnde aliter exponitur à Gregorio in primo paſtorali, ubi ſic dicit:* Jacob aſcendentes & deſcendentes angelos vidit; quia ſcilicet prædicatores recti non ſolum ſurſum caput eccleſiæ, videlicet Chriſtum contemplando appetunt; ſed deorſum quoque ad membra illius deſcendunt, *Hac ille, quod videtur pertinere ad allegoriam. Sunt autem alia expoſitiones ſanctorum in hoc loco ut in gloſſa, quæ cuaſſa brevitatis ſunt omittenda & etiam, quia magis pertinent ad ſenſum myſticum, ſecundum ſanctum Thomam ſecunda ſecundæ qu. 11. Per hoc quod Iacob vidit angelos in ſcala aſcendentes intelliguntur angeli beati continuè aſcendentes ſecundum Dei contemplationem: qui ſunt deſcendentes, eò quod quandiu mundus durat adminiſtrationi inferioru creaturæ intendunt, nunquam tamen deſerentes interuam contemplationem.* Replicat Doring. *In cap. 28. poſtillator habet pulchram conſiderationem de angelorum aſcenſu & deſcenſu: Sic quod dicit aſcenſum præcedere aſcenſum: ſed Burgenſis dicit contrarium: & movetur per ordinem literæ, quæ prius narrat aſcenſum non attendens ſæpe per anticipationem literam ordinari: ſicut Ioh. 12. dicitur, Maria unxit pedes & extersit & lavit lachrymis; quod per oppoſitum factum eſt. Igitur per anticipationem dicitur. Nec Burgenſis aliquam aliam ponit literalem expoſitionem ſanctorum aut doctorum: & gloſſa ordinaria expoſitionem dicit ad myſticum ſenſum pertinere. Finaliter adducit ſanctum Thomam exponentem aſcenſum de contemplatione in Deo, deſcenſum de adminiſtratione ad inferiora: ſed nec illa literalis eſſe poteſt: quod ſi eſſet, neceſſe eſt deſcenſum præcedere, ſicut actio contemplationem ſecundum ſanctos doctores exemplificantes, Iacob prius Liam quam Rachel nupſiſſe. Nec oportuit Iacob de his inſtrui ſed ſolum de myſterio incarnationis ſignificatæ per immixtio-*

mixtionem ſcala, qua eidem Deus innitebatur. Exigebat hac revelatio primum omnium fidem: ad quam quarendam oportuit angelos deſcendere nuntiando myſteria & exigendo fidem à ſanctis patribus. Ita deſcendit miſſus Gabriel angelus ad Mariam virginem, ſalutando, nuntiando, exigendo: quia tunc exacta fide & habita regreſſus aſcendit. Hanc conſiderationem confirmat beatus Auguſtinus in ſermone de nativitate virginis, in quo poſt deſcenſum angeli & virginis datam fidem atque conſenſum dicit: Nec mora; revertitur nuntius & virginalem thalamum ingreditur Chriſtus. Raſi ad hoc; Aſcendentes & deſcendentes: *Aſcendentes prius & poſteà deſcendentes. Angeli, qui eum comitantur in terra non egrediuntur extra terram: at aſcendunt in firmamentum & deſcendunt angeli extra terram, ut ei comites ſint.* Aben-eſdras: *Et ſi dicas à Rab Samuele, qui miſcuit ſomnia filiorum Adam cum ſomnio propheta & modum* סלם *eſſe ut ſit* סמל *aut juxta numerum Sinai, eſt Dras. Et ſi R. Salomo Hiſpanus dicat, quod ſcala ſit indicium anima excelſa & angeli Dei cogitationes ſapientia. Vt dixit R. Ieſua, quod ſignificatio ſcala, quod in ea aſcendat precatio & deſcendat ſalus è cœlo. Hi interpretes non reſpiciunt prophetiam Zacharia, Amos & Ieremia. Senſus eſt per modum ſimilitudinis, quod nulla res à Deo ſucciſa ſit & res inferiores pendeant à ſuperioribus & quaſi ſcala ſit inter eas; in qua aſcendunt angeli, ut notificent res, qua obverſantur in terra: Etiam ſic ſcriptum eſt quod angeli alii deſcendunt ad implendum condonationes Dei: quomodo ſe rex habet cum miniſtris ſuis.* Ralbag: *Puto eſſe ſignificationem* [שהרמז] *in hac ſcala, ad exiſtentiam hanc (τὸ πᾶν) univerſaliter ſecundum gradus ſuos. Et eſt quod forma & facultates qua ſunt in his rebus, omnes deſcendant à Deo excelſo ſecundum gradus ſuos, donec attingant ad infimam formarum: Illa etiam per ſe aſcendunt; nempe quia alia ſunt propter alias ac ſi diceres, quod forma inferior ſit propter illam, qua ſe ſuperior eſt. Et ſic non deſiſtet donec conſummet negotium tandem ad formam primam qua eſt Deus excelſus. Hoc exponitur in Metaphyſicis. Et ecce ſecundum magiſtros b. m. &c.* Philo ita ἀλληγορεῖ lib. de ſomniis: Τὸ μὲν δὴ προοίμιον τῆς θεοπέμπτου φαντασίας ὧδε ἔχει, τρέπεται δ᾽ ἐπ᾽ αὐτὴν καιρὸς ἤδη καὶ τῶν ἐμφερομένων ἀκριβοῦν ἕκαστον. Καὶ ἐνυπνιάσθη, φησὶν οὖν. καὶ ἰδοὺ κλίμαξ ἐστηριγμένη εἰς τὴν γῆν, ἧς ἡ κεφαλὴ ἀφικνεῖτο εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ ἀνέβαινον καὶ κατέβαινον ἐπ᾽ αὐτῆς. Κλίμαξ τοίνυν ἐν μὲν τῷ λεγομένῳ κόσμῳ λέγεται συμβολικῶς ὁ ἀὴρ, οὗ βάσις μέν ἐστι γῆ, κεφαλὴ δ᾽ οὐρανός. Ἀπὸ γὰρ τῆς σεληνιακῆς σφαίρας, ἣν ἐσχάτην μὲν τῶν κατ᾽ οὐρανὸν κύκλων ἀναγράφουσιν οἱ φροντισταὶ τῶν μετεώρων, ἄχρι γῆς ἐσχάτης ὁ ἀὴρ πάντη ταθεὶς ἔφθασεν. Οὗτος δέ ἐστιν ψυχῶν ἀσωμάτων οἶκος, ἐπειδὴ πάντα τῷ ποιητῇ τὰ τοῦ κόσμου μέρη καλὸν ἔδοξεν εἶναι ζώων ἀναπλῆσαι. Διὰ τοῦτο γῇ μὲν τὰ χερσαῖα ἐγκατεσκεύασε, θαλάττῃ δὲ καὶ ποταμοῖς τὰ ἔνυδρα. οὐρανῷ δὲ τοὺς ἀστέρας· καὶ γὰρ ἕκαστον τούτων, οὐ μόνον ζῶον, ἀλλὰ καὶ νοῦς ὅλος δι᾽ ὅλων ὁ καθαρώτατος εἶναι λέγεται· ὥστε καὶ ἐν τῷ λοιπῷ τμήματι τοῦ παντὸς ἀέρι ζῶα γέγονε, εἰ δὲ μὴ αἰσθήσει καταληπτὰ, τί τοῦτο· καὶ ψυχὴ γὰρ ἀόρατος. καὶ μὴν εἰκός γε ἀέρα γῆς μᾶλλον καὶ ὕδατος ζωοτροφεῖν. Διατί ὅτι καὶ τὰ ἐν ἐκείνοις οὗτος ἐψύχωσεν. ἐποίει γὰρ αὐτὸν, ὁ τεχνίτης ἀκινήτων σωμάτων ἕξιν. κινουμένων δὲ ἀφαντάστως φύσιν, ἤδη δὲ ὁρμῇ καὶ φαντασίᾳ χρῆσθαι δυναμένων ψυχήν. οὐκ ἄτοπον οὖν δι᾽ οὗ καὶ τὰ ἄλλα ἐψυχώθη, ψυχῶν ἀμοιρεῖν; διὸ μηδεὶς τὴν ἀρίστην φύσιν ζώων τοῦ ἀέρος τοῦ περιγείου ἀέρος ἀφαιρείσθω· οὐ γὰρ μόνος ἐκ πάντων ἔρημος οὗτος ἀλλ᾽ οἷα πόλις εὐανδρεῖ. πολίτας ἀφθάρτους καὶ ἀθανάτους ἔχων ψυχὰς, ἰσαρίθμους ἄστροις. τούτων τῶν ψυχῶν, αἱ μὲν κατίασιν ἐνδεθησόμεναι σώμασι θνητοῖς, ὅσαι προσγειόταται καὶ φιλοσώματοι· αἱ δ᾽ ἀνέρχονται διακριθεῖσαι πάλιν κατὰ τοὺς ὑπὸ φύσεως ὁρισθέντας ἀριθμοὺς καὶ χρόνους· τούτων αἱ μὲν τὰ σύντροφα καὶ συνήθη τοῦ βίου ποθοῦσαι, παλινδρομοῦσιν αὖθις· αἱ δὲ πολλὴν φλυαρίαν αὐτοῦ καταγνοῦσαι, δεσμωτήριον μὲν καὶ τύμβον ἐκάλεσαν τὸ σῶμα, φυγοῦσαι δ᾽ ὥσπερ ἐξ εἱρκτῆς ἢ μνήματος, ἄνω κούφοις πτεροῖς πρὸς αἰθέρα ἐξαρθεῖσαι, μετεωρο-

περιπολοῦσι τὸν αἰῶνα, ἄλλαι δ᾽ εἰσὶν καθαρώταται καὶ ἄρισται, μειζόνων φρονημάτων καὶ θειοτέρων ἐπιλαχοῦσαι, μηδενὸς μὲν τῶν περιγείων ποτὲ ὀρεχθεῖσαι τὸ παράπαν, ὕπαρχοι δὲ τοῦ πανηγεμόνος, ὥσπερ μεγάλου βασιλέως ὀφθαλμοὶ καὶ ὦτα, ἐφορῶσαι πάντα καὶ ἀκούουσαι· ταύτας δαίμονας μὲν οἱ ἄλλοι φιλόσοφοι, ὁ δὲ ἱερὸς λόγος ἀγγέλους εἴωθε καλεῖν, προσφυεστέρῳ χρώμενος ὀνόματι· καὶ γὰρ τὰς τοῦ πατρὸς ἐπικελεύσεις τοῖς ἐκγόνοις, καὶ τὰς τῶν ἐκγόνων χρείας τῷ πατρὶ διαγγέλλουσι· παρ᾽ ὃ καὶ ἀνερχομένους καὶ κατιόντας αὐτοὺς εἰσήγαγεν, οὐκ ἐπειδὴ τῶν μηνυσόντων ὁ πάντη ἐφθακὼς εἰδέναι δεῖται θεός, ἀλλ᾽ ὅτι τοῖς ἐπικήροις ἡμῖν συνέφερε μεσίταις καὶ διαιτηταῖς λόγοις χρῆσθαι, διὰ τὸ πεπηγέναι καὶ πεφρικέναι τὸν παμπρύτανιν, καὶ τὸ μέγιστον ἀρχῆς αὐτοῦ κράτος, οὗ λαβόντες ἔννοιαν, ἐδεήθημέν ποτε τινος τῶν μέσων λέγοντες, λάλησον ἡμῖν, καὶ μὴ λαλείτω πρὸς ἡμᾶς ὁ θεός, μὴ ἀποθάνωμεν. οὐ γὰρ ὅτι κολάσεις, ἀλλ᾽ οὐδὲ ὑπερβαλλούσας καὶ ἀκράτους εὐεργεσίας χωρῆσαι δυνάμεθα ἅς ἂν αὐτὸς προτείνῃ δι᾽ ἑαυτοῦ, μὴ χρώμενος ὑπηρέταις ἄλλοις. παγκάλως δ᾽ ἐστηριγμένος ἐν τῇ γῇ διὰ συμβόλου κλίμακος καὶ δεικνύμενος φαντασιοῦται τὸν ἀέρα. τὰς γὰρ ἀναδιδομένας ἐκ γῆς ἀναθυμιάσεις λεπτυνομένας ἐξαεροῦσθαι συμβέβηκεν· ὥστε βάσιν καὶ ῥίζαν ἀέρος γῆν εἶναι, κεφαλὴν δ᾽ οὐρανόν. λέγεται γοῦν, ὅτι σελήνη, πλῆμα μὲν ἄκρατον αἰθέρος οὐκ ἔστιν, ὡς ἕκαστος τῶν ἄλλων ἀστέρων, κρᾶμα δ᾽ ἐκ τε αἰθερώδους καὶ ἀερώδους οὐσίας, καὶ ποτὲ ἐμφερόμενον αὐτῇ μέλαν, ὃ καλοῦσί τινες πρόσωπον, οὐδὲν ἄλλο εἶναι ἢ τὸν ἀναμεμιγμένον ἀέρα, ὃς κατὰ φύσιν μέλας ὢν ἄχρις οὐρανοῦ τείνεται. ἡ μὲν οὖν ἐν κόσμῳ συμβολικῶς λεγομένη κλίμαξ τοιαύτη τίς ἐστι, τὴν δ᾽ ἐν ἀνθρώποις σκοποῦντες, εὑρήσομεν τὴν ψυχήν, ἧς βάσις μὲν τὸ σωματοειδές, ὡσανεὶ γεῶδές ἐστιν, αἴσθησις, κεφαλὴ δὲ ὡς ἂν τὸ οὐράνιον, ὁ καθαρώτατος νοῦς· ἄνω δὲ καὶ κάτω διὰ πάσης αὐτῆς οἱ τοῦ θεοῦ λόγοι χωροῦσιν ἀδιαστάτως, ὁπότε μὲν ἀνέρχοιντο, συναναςπῶντες αὐτὴν, καὶ τοῦ θνητοῦ διαζευγνύοντες, καὶ τὴν θέαν ὧν ἄξιον ὁρᾶν μόνον ἐπιδεικνύμενοι, ὁπότε δὲ κατέρχοιντο, οὐ καταβάλλοντες· οὔτε γὰρ ὁ θεός, οὔτε λόγος θεῖος ζημίας αἴτιος· ἀλλὰ συγκαταβαίνοντες διὰ φιλανθρωπίαν καὶ ἔλεον τοῦ γένους ἡμῶν, ἐπικουρίας ἕνεκα καὶ συμμαχίας, ἵνα καὶ τὴν ἔτι ὥσπερ ἐν ποταμῷ τῷ σώματι φορουμένην ψυχὴν, τὰ σωτήρια ἀναπνέοντες, ἀναζωώσωσι. ταῖς μὲν δὴ τῶν ἄκρως ἐκκεκαθαρμένων διανοίαις ἀψοφητὶ μόνος καὶ ἀοράτως ὁ τῶν ὅλων θεὸς καὶ ἡγεμὼν ἐμπεριπατεῖ· καὶ γάρ ἐστι χρησθὲν τῷ σοφῷ θεοπρόπιον, ἐν ᾧ λέγεται, Περιπατήσω ἐν ὑμῖν, καὶ ἔσομαι ὑμῶν θεός. τῶν δὲ τῶν ἔτι ἀπολουομένων, μήπω δὲ κατὰ τὸ παντελὲς ἐκνιψαμένων τὴν ῥυπωθεῖσαν καὶ κεκηλιδωμένην σώμασι βαρέσι ζωὴν, ἄγγελοι λόγοι θεῖοι, φαιδρύνοντες αὐτὰς τοῖς καλοκἀγαθίας δόγμασιν· ὅσα δ᾽ ἐξοικίζεται κακὰ κἀκ τῶν εἰκη πόρων στίφη, ἵνα εἰς ἀγαθὰ εἰσοικίσηται, δῆλόν ἐστι. σπούδασον οὖν ὦ ψυχὴ θεοῦ οἶκος γενέσθαι, ἱερὸν ἅγιον, καὶ ἰσχυρὰ μὲν ἐξ ἀσθενεστάτης, ἐκ δὲ ἀδυνάτου δυνατή, καὶ συνετὴ μὲν ἐξ ἀφραινούσης, εὐλογιστοτάτη δὲ ἐκ παραπαιούσης. ἴσως δὲ καὶ τὸν ἑαυτοῦ βίον ὁ ἀσκητὴς φαντασιοῦται κλίμακι ἐοικότα. φύσει γὰρ ἀνώμαλον πρᾶγμα ἄσκησις, ποτὲ μὲν προϊοῦσα εἰς ὕψος, ποτὲ δ᾽ ὑποστρέφουσα πρὸς τοὐναντίον, καὶ ποτὲ μὲν καθάπερ ναῦς εὐπλοΐᾳ, ποτὲ δὲ δυσπλοΐᾳ χρωμένη. ἐζευγμένος γὰρ, ὡς ἔφη τις, τῶν ἀσκητῶν ὁ βίος, ἄλλοτε μὲν ζῶν καὶ ἐγρηγορώς, ἄλλοτε δὲ τεθνεώς, ἢ κοιμώμενος, καὶ τάχα οὐκ ἀπὸ σκοποῦ τοῦτο λέγεται, σοφοὶ μὲν γὰρ τὸν ὀλύμπιον καὶ οὐράνιον χῶρον ἔλαχον οἰκεῖν, ἄνω φοιτᾶν ἀεὶ μεμαθηκότες, κακοὶ δὲ τοὺς ἐν ᾅδου μυχοὺς· ἐξ ἀρχῆς ἄχρι τέλους ἀποθνήσκειν ἐπιτετηδευκότες, καὶ εἰς γῆρας ἐκ σπαργάνων φθορᾶς ἐθάδες ὄντες· οἱ δ᾽ ἀσκηταὶ μεθόριοι γὰρ τῶν ἄκρων εἰσὶν· ἄνω καὶ κάτω πολλάκις ὡς ἐπὶ κλίμακος βαδίζουσιν, ἢ ὑπὸ τῆς κρείττονος μοίρας ἀντιλαμβανόμενοι, ἢ ὑπὸ τῆς χείρονος ἀντικροτούμενοι, μέχρις ἂν ὁ τῆς ἁμίλλης καὶ διαμάχης ταύτης βραβευτὴς θεὸς ἀναδῷ τὰ βραβεῖα τάξει τῇ βελτίονι, τὴν ἐναντίαν εἰς ἅπαν ἀνελκών. ἐμφαίνεται δ᾽ ἔτι, καὶ τοιοῦτον εἴδωλον, ὅπερ οὐκ ἄξιον ἡσυχάσθαι. τὰ ἀνθρώπων πράγματα, κλίμακι πέφυκεν ἐξομοιοῦσθαι, διὰ τὴν ἀνώμαλον αὐτῶν φοράν. ἡ μία γὰρ ὡς ἔφη τις, ἡμέρα, τὸν μὲν καθεῖλεν ὑψόθεν, τὸν δ᾽ ἦρεν ἄνω, μηδενὸς ἐν ὁμοίῳ πεφυκότος μένειν τῶν περὶ ὑμᾶς, ἀλλὰ παντοίας μεταβαλλόντων τροπάς· ἢ οὐκ ἄρχοντες μὲν ἐξ ἰδιωτῶν, ἰδιῶται δὲ ἐξ ἀρχόντων, πένητες δὲ ἐκ πλουσίων, καὶ ἐκ πενήτων πολυχρήματοι, καὶ ἔνδοξοι μὲν ἐξ ἠμελημένων, ἐπιφανέστατοι δ᾽ ἐξ ἀδόξων ἀεὶ γίνονται, διαίτημα κάλλιστον; ἴσως γὰρ ἴσως ὅτι ὁ

κόσμος

κόσμος ἅπας, καὶ οὐ οἰκοδεσποτῶν χρήσεις ἐπιμελούμενοι τῆς ἰδίας οἰκίας, ὡς ἀνερκεστάτη καὶ ἀπήμων αἰωνία διαφυλάττοιτο. καὶ ὁδός τις ἡ δ' ἐστὶν ἄνω, καὶ κάτω τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων, ἀστάτοις, καὶ ἀνιδρύτοις χρωμένη συντυχίαις, ὧν τὸ ἀνώμαλον οὐκ ἀδήλοις ἀλλὰ σαφέσι τεκμηρίοις ὁ φιλοψευδέστατος ἐλέγχει χρόνος. ἐμελλεν δὲ τὸ ὄναρ ἐστηριγμένον ἐπὶ τῆς κλίμακος τὸν ἀρχάγγελον κύριον. ὑπεράνω γὰρ ὡς ἅρματος ἡνίοχον, ἢ νεὼς κυβερνήτην, ὑποληπτέον ἵστασθαι τὸ ὂν, ἐπὶ σωμάτων, ἐπὶ ψυχῶν, ἐπὶ πραγμάτων, ἐπὶ λόγων, ἐπὶ ἀγγέλων, ἐπὶ γῆς, ἐπ' ἀέρος, ἐπ' οὐρανοῦ, ἐπ' αἰσθητῶν δυνάμεων, ἐπ' ἀοράτων φύσεων, ὅσαπερ ἀθέατα καὶ θεατά. Τὸν γὰρ κόσμον ἅπαντα ἐξάψας ἑαυτοῦ καὶ ἀναρτήσας, τὴν τοσαύτην ἡνιοχεῖ φύσιν. μηδεὶς δ' ἀκούων ὅτι ἐπεστήρικτο, νομιζέτω συνεργὸν εἶναι τὸ θεῖον πρὸς τὸ παγίως στῆναι, ἀλλ' ἐκεῖνο λογιζέσθω, ὅτι τὸ δηλούμενον, ἴσον ἐστὶ τῷ, στήριγμα καὶ ἰσχυρότης καὶ βεβαιότης ἁπάντων, ὁ ἀσφαλὴς θεός ἐστιν, ἐνσφραγιζόμενος οἷς ἂν ἐθέλῃ τὸ ἀσάλευτον. ἐπερειδόμενος γὰρ καὶ συστηριζόμενος αὐτῷ, μένει τὰ συσταθέντα ἀσάλευτα κραταιῶς.

Philo varias allegorias comminiſcitur. Primo, ſcalam interpretatur de aëre, quem animis plenum eſſe, qui corporari poſſunt, item ſpiritibus, quos angelos dicimus. Eos eſſe *μεσίτας* hominum ad Deum. Secundò, de anima hominis, in qua diſcurrunt οἱ τοῦ θεοῦ λόγοι. Meditationem quoque ſcalam eſſe. Quartò, Res humanas habere naturalem quandam ſcalæ imaginem, propter curſum inæqualem & inconſtantem. Cum una dies alium de faſtigio dejiciat, alium in altum tollat. Deum inſiſtere ſcalæ & res humanas gubernare & firmare. Tertullianus in libro de perſecutione: *Hæ enim ſcala, quas ſomniat Iacob, aliis aſcenſum in ſuperiora, aliis deſcenſum ad inferiora demonſtrantes*. Perſecutionem, cum ſcalis comparat, aut hac ipſas eſſe dicit. Proſper de promiſſ. & prædict. Dei part. 1. cap. 23. *Hic lapis angularis* (lapidem ſignificat capiti Jacobi ſuppoſitum) *Nathanaeli venienti ad ſe ſomnium, quod Iacob viderat, expoſuit:* Videbitis, *inquit*, cælos apertos & angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ad filium hominis. *Chriſtus* ipſe *eſt & qui* aſcendit ſuper omnes cælos, ut adimpleret omnia, *Scalam vero anguſtam viam ponens, quæ ducit ad vitam.* Nunc veniamus ad ſeveriores interpretes. Hic nobis Muſculus, Calvinus, Rivetus inſtruant menſam. Muſculus: *Gemina eſt hujus viſionis conſideratio: literalis & myſtica. Literali admonemur de providentia Dei, qua electos & fideles ſuos veluti in mundo peregrinantes, per miniſtros ſuos angelos moderatur, ducit & tutatur. Hoc innuebatur illa viſione. Angeli non egent ſcala, qua vel deſcendant vel aſcendant: nec Deus ſcala, angelos ſuos mittendo innititur, ſed figuram hanc ad captum & intellectum Iacobi attemperavit &c.* Et ecce Dominus ſtabat ſuper eam: *Intellige univerſum miniſterium angelorum, quo terrena pariter & ſpiritualia* diſpenſantur, Deo non ſolum mandante ſed & ſpectante & curante diſpenſari. Quod myſticam hujus viſionis conſiderationem attinet, ſcala hæc Chriſtus eſt. *Scala mediatrix eſt & conciliatrix loci inferni & ſuperni. Chriſtus mediator & conciliator unicus eſt inter Deum & homines* &c. *Sic exponit hanc figuram Apoſtolus ad Coloſſ. 1. dicens,* Quoniam in ipſo complacuit omnem plenitudinem Divinitatis inhabitare & per eum reconciliari omnia in ipſum; pacificanti per ſanguinem crucis ejus &c. *Et Chriſtus ipſe:* Ego, *inquit*, ſum via, veritas & vita. Nemo venit ad patrem niſi per me. *Scala iſta innitentem ſupernè Deum patrem habet quaſi ex illo ſit producta & inferne telluri innititur. Chriſtus ſupernè ex Deo patre, inferne ex lumbis Iacob, cui hæc viſio oſtenditur, verus Deus & verus homo humanitati divinitatem unitate perſonali conjunxit. Quod angeli per hanc ſcalam aſcendunt & deſcendunt, admonet nos de miniſterio angelorum, quo electis ſervitur in terra exiſtentibus, conſtare illud non in novo duntaxat ſed & veteri teſtamento per Chriſtum utriusque teſtamenti mediatorem &c. Regnum Chriſti perpetuum quidem eſt in ſe, verum in novo teſtamento clarius*

ſeſe ſplendor illius , quam in veteri exſeruit. Hujus miniſtri ſunt angeli, quorum aſcenſus ac deſcenſus cum ſupra Chriſtum, tanquam caput, tùm ſuprà electos, tanquam illius membra, frequentiores in novo ſunt quam V.T. declarati. Per hanc ſcalam ad cœleſtia conſcendunt omnes electi. Parata eſt ad finem uſque mundi. Per hanc via eſt ad lignum vitæ. Nec uni tantum terræ loco innititur, ſed baſis illius ſic eſt dilatata, ut quocunque totius orbis loca conſiſtas copiam illius ad aſcendendum habeas. Aſcendimus per illam ad Deum ſupernè illi innitentem. Aſcendimus primum corde per fidem, quo aſcenſu fit ut converſatio noſtra ſit in cœlis. Aſcendimus deinde gemitibus, ſuſpiriis ac precationibus, quas ad cœleſtia per Chriſtum deſtinamus, dum patrem in illius nomine invocamus. Aſcendimus tertio ſpiritu, quando corpore hoc mortali liberati, ſpiritum Deo patri reddentes Chriſto conjungimur, &c. Aſcendemus tandem & corpore & ſpiritu, quando à mortuis excitati rapiemur in nubibus obviam Chriſto in aëra. Calvinus : *Hic narratur ſermo viſionis, quæ ad rem maxime pertinet: quod Deus ſe oſtenderit ſcalæ inſidens, cujus extremi fines cœlum & terram tangebant, & quæ angelos vehebat ut commearent è cœlo in terram. Quod à quibuſdam Hebræis ſcala accipitur pro figura providentiæ Divinæ, quæ cœli & terræ gubernationem complectitur, id quadrare non poteſt : aliud enim ſignum aptius dediſſet Dominus. Nobis vero, qui principium hoc tenemus, in Chriſto fundatum fuiſſe Dei fœdus & Chriſtum eundem æternam fuiſſe imaginem Patris, in qua ſanctis patribus ſe patefecit , nihil in hac viſione perplexum eſt vel ambiguum. Nam quum per peccatum alienati ſint homines à Deo , quamvis ipſe omnia impleat ſua virtute & ſuſtineat , à nobis tamen non percipitur illa communicatio , quæ nos viciſſum ad ipſum alliciat, quin potius tale diſſidium eſt, ut eum à nobis averſum eſſe putantes, eum viciſſim fugiamus. Porro angeli, quibus mandata eſt humani generis cuſtodia , tametſi in ſuum munus ſtrenuè incumbunt non tamen mutuò communicant nobiſcum, ut familiaris ſit & quaſi ſenſibilis eorum propinquitas. Solus ergò Chriſtus eſt, qui cœlum terræ conjungit: hic ſolus eſt mediator , qui pertingit à cœlo uſque ad terram: ille idem eſt, per quem omnium bonorum cœleſtium plenitudo deorſum ad nos fluit, noſque viciſſim ad Deum conſcendimus. Idem cum ſit caput angelorum , efficit ut membris ſuis terrenis miniſtrent. Itaque (ut legimus Ioh. 1. 51.) hunc ſibi honorem vendicat, quod poſtquam manifeſtatus fuerit mundo Angeli aſcendent ac deſcendent. Ergo ſi ſcalam dicimus eſſe Chriſti effigiem , hæc expoſitio nihil habet coactum. Nam ſcalæ ſimilitudo optimè convenit mediatori, per quem miniſterium angelorum juſtitia & vita omneſque Sp. S. gratiæ gradatim ad nos deſcendunt. Nos etiam , qui non tantum defixi eramus in terra, ſed in maledictionis abyſſo , ipſiſque inferis demerſi ad Deum uſque conſcendimus. Scalæ autem inſidet Deus exercituum: quia in Chriſto habitat plenitudo: & hinc etiam fit ut ad cœlum uſque pertingat. Tametſi enim humanæ etiam ejus naturæ data eſt à Patre omnis poteſtas, non tamen fidem noſtram verè fulciret, niſi eſſet Deus in carne manifeſtatus. Nec obſtat, quod Chriſti corpus finitum eſt, ut cœlum & terram minimè impleat : quia ubique diffuſa eſt ejus gratia & virtus &c. Qui particulam* עָל *vertunt* propè *totum ſenſum corrumpunt. Exprimere enim voluit Moſes plenam Deitatem reſidere in mediatoris perſona. Nec vero Chriſtus tantum ad nos acceſſit ſed induit naturam noſtram , ut nos unum ſecum efficeret. Quod autem ſcala ſymbolum fuerit Chriſti , hæc etiam ratio confirmat , quia nihil magis conſentaneum fuit, quam ut Deus in filio ſuo fœdus æternæ ſalutis ſanciret ſervo ſuo Iacob.* Penitius & fuſius illa diſcuſſit Cl. Rivetus : *Non eſt de nihilo , quod Hebræi penè omnes & ex Chriſtianis interpretibus non pauci hanc ſcalæ viſionem ad divinam providentiam referunt , quia Deus aliàs infinitus & omnia implens, Domicilium tamen ſibi elegit in cœlo & de ſuperis inferiora hæc regit & gubernat, ita ut ne minima quidem res ſubducat ſe divinæ gubernationi , ſine qua ne quidem*

dem res eſſet &c. Hac cogitatio maxime fuit neceſſaria Iacobo, quo tempore ab omnibus velut derelictus & externa facie miſerrimus cum eſſet; potuit ei talis ſuboriri tentatio, quaſi Deus hæc inferiora non curaret, cum bonis male, malis verò bene eſſe videretur. Itaque non abs re applicatur hæc viſio doctrinæ de providentia &c. Ideò pingitur hæc ſcala à ſummo ab imum deſcendens, quia ſapientia Dei pertingit à fine uno ad alterum ſortiter & diſponit omnia ſuaviter. *Sap. 8. v. 1. Itaque cælum terræ conjungit, intermedia ſcala voluntatis ſuæ & decretorum, quibus obſequentes angeli eunt & redeunt: tanquam per gradus aliquos, de quibus tamen non exiſtimamus ſolicite inquirendum, quinam illi ſint & quot? Nec enim ideo objecta eſt ſcala, ut inquiramus in omnia quæ ſcalam componunt, & unicuique parti ſcalæ ſuam aſſignemus ſignificationem, quod ſolidè fieri non poteſt, ut patebit ſiquis inſpiciat eorum qui ſubtilius id definire voluerunt. περιεργίαν. Quid enim hoc eſt, varios gradus ſignificare multiplices vias, & multiformes rationes, varioſque modos, quibus res à ſe conditas variè regit ac gubernat quia alii gradus ſunt ſuperiores, alii inferiores? Multiplicem illam adminiſtrationem pro varietate rerum, in dubium revocare impium eſſet; ſed eam his gradibus ſignificari, nugatorium putamus; ratio eſt, quia in omni Angelorum adminiſtratione quæ fit in terrâ, cujuſcunque generis ſit, hoc poſito, ſcalam ſignificare gubernationem divinam, neceſſarium eſt, ut Angeli aſcendentes & diſcendentes, gradus omnes à ſummo ad imum dimetiantur. Ideo etiam hæc minuta in ſcalæ deſcriptione non attinguntur, quià ad rem non faciunt. Nec etiam inhærendum eſt lateribus ſcalæ, quibus utrimque infiguntur gradus, ut in iis duas virtutes divinæ providentiæ agnoſcamus,* fortitudinem, *nempe,* & ſuavitatem *illam, cujus meminit liber Sapientiæ. Cur enim potius quam* veritatem & miſericordiam? *Si enim ſemel aperiatur porta conjecturis, quilibet habebit unde ſuas, non minori cum probabilitate confirmet.*

His igitur omiſſis, nihil aliud in ſcala conſiderandum putamus præter id, quod cœli & terræ diſtantia, quamvis maxima, non impeditura eſt, quo minus Deus Angelorum ſuorum miniſterio hæc inferiora gubernet, & ſuorum ſingularem curam gerat, Angeliſque ſuis præcipiat de illis, ut conſervent eos in omnibus viis ſuis, ambabus ulnis ſuſtineant eos, ne offendant ad lapidem pedem ſuum, *Pſal. 91. verſ. 11. & 12. Et quia ſcala apparuit Iacobo ſingulariter, quo tempore confirmatione & conſolatione opus habuit, extremumque unum ſcalæ, id eſt imum, ſibi proximum vidit, non dubitarim hanc providentiæ Dei rationem peculiariter hac viſione ejus uſibus fuiſſe applicatam, & ea ſignificaſſe, quæ Deus, ei nominatum promittit expreſſis verbis. Itaque ei indicatum fuiſſe, Deum iter ejus moderaturum, cujus providentia Iacob à parentibus abſtrahebatur, ut in itinere conſervaretur, atque reduceretur. Hæc, etſi vera ſint, non tamen putarem cum doctiſſimo Iunio, ſcalam eſſe iter Iacobi, & aſcenſum ac diſcenſum Angelorum, ſignificare ejuſdem Iacobi abitum & reditum. Generalius enim quid utrumque ſignificare mihi videtur, nempè propter ſummitatem illam ſcalæ ad cælum uſque pertingentem, & Dei in ſummitate præſentiam. Nam ſi duo termini ſcalæ Duos itineris terminos ſignificarent, cur repræſentaretur Deus innixus uni termino, non alii: cur unus cœli, alter verò terræ nomine diſtingueretur? Deinde aſcenſus & deſcenſus Angelorum, cum manifeſtiſſimè ſignificet res diverſas, nempe eorum adminiſtrationem apud homines, & reditum ad Deum, vel ut executionis mandatorum rationem reddant, vel ut nova capeſſant; quomodo hæc differentia, quadrare poſſet deductioni Iacobi euntis & redeuntis per Angelorum cuſtodias, quaſi Angeli dicerentur in cælum aſcendere, eum deducebant Iacobum in Meſopotamiam; & in terram deſcendere, cum eum reducerent ad parentem: cum potius contrarium dicendum eſſet, ſi aliqua analogia obſervaretur in hac parte; ratione abitus & reditus. Res*

igitur in ſe veriſſima eſt, quod promiſſi fuerunt Iacobo Angeli cuſtodes & ductores in via ſuâ, & in tota peregrinatione, ſed hoc etiam verum manet, per ſcalam, & aſcenſum & deſcenſum Angelorum, ſignificatum fuiſſe, Deum è cælis ſuorum curam gerere, & ſuos Angelos mittere in terram uſque ut eis præſto ſint, qui in hoc miniſterio mandata Dei exequuntur ex ſupremo ſolio omnia regentis, & hæc inferiora ita curantis, & gubernantis, ut ſuorum ſingularem habeat rationem. Proinde hac viſione fuiſſe confirmatum Iacobum, ut qui in terra nihil videret, unde ſpem ſuam ſuſtentaret, cælum verſus ſpectaret; Deum præ oculis haberet tanquam moderatorem vitæ ſuæ, expectaretque in toto vitæ ſuæ curſu communicationem illam divinam & ſingularem protectionem Angelorum opera & miniſterio. Sed quia novimus ad nullum Angelorum unquam dictum fuiſſe, Sede ad dextram meam, uſque dum poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum: *ſed* omnes eſſe miniſtratores ſpiritus, qui miniſterii cauſa mittuntur, propter eos qui hæredes erunt ſalutis, *Ebr. cap. 1. verſ. 17. & 14. duo hic ſunt animadvertenda. Primum, etſi Deus in communis ſua providentiæ diſpenſatione, etiam aliquando miniſterio Angelorum utatur, nunquam tamen in Scriptura ſacra, Διακονίαν eorum ad alios referri, quam ad fideles & ſalutis hæredes futuros. Quicquid enim Angelis tribuitur aliorum ratione, ut quod aliquando in imperiorum & regnorum gubernatione Deus aliquos præfecit Angelos, id ſemper relationem aliquam habet ad Eccleſiam, cui inſerviunt Angeli. Hinc ſequitur ſecundum; Cum nullus fiat hæres regni cæleſtis, niſi per eum* quem conſtituit hæredem omnium *Ebr. 1. verſ. 2.*

Nam ſi filii etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, *Rom. 8. verſ. 17. Item*, Quod ſi vos eſtis Chriſti, nempè Abrahami ſemen iſtis, & ſecundum promiſſionem hæredes, *Galat. 3. verſ. 29. Id neceſſariò conficitur miniſterium Angelorum hæredibus à Deo deſtinatum, ad eos tantum qui ſunt in Chriſto pertinere; in eorum gratiam tantum deſcendere ex mandato Dei, & ab iis ad Deum conſcendere, qui uniti ſunt ei, quem* cum Deus in orbem terrarum induceret, dixit, Et adorent eum omnes Angeli Dei, *Ebr. 1. v. 6.*

Hæc conſideratio viam aperit myſticæ interpretationi, quam inſinuat ipſe Chriſtus, Ioan. cap. 1. v. 42. Amen, Amen dico vobis, *inquit*, deinceps videbitis cœlum apertum, & angelos dei aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis. *Nam etſi alii aliter hunc locum interpretentur & plerique id referant ad externam aliquam apparitionem Angelorum. quam vel viderint, vel videre debeant homines oculis corporeis, vel in baptiſmo Chriſti, vel in transfiguratione, vel in aſcenſione, vel demum in futuro judicio, certum tamen eſt, Chriſtum alluſiſſe ad hanc ſcalæ Iacobi hiſtoriam, ubi de* Angelis aſcendentibus & deſcendentibus per eam. *Id quidem verum eſt, aſcendendi & deſcendendi verba explicare Angelorum miniſterium: ſed aſcendere & deſcendere ſuper aliquem nunquam legitur pro eo quod eſt alicui inſervire aut miniſtrare. Quorſum enim* aſcendere *ſuper aliquem, ut ei ſerviat? Angeli quidem ad Deum aſcendunt, tanquam ad Dominum ſuum, obedientiam præſtituri, ſed nunquam dicuntur* Super Deum aſcendere, *nec etiam* ſuper homines deſcendere. *Cum igitur dicantur aſcendere & deſcendere ſuper filium hominis, conſentaneum eſt, ut filius habeatur pro illo, qui medius inter Deum & homines ſtans, & ad extrema duo ſolus pertingens, Angelis aſcendentibus & deſcendentibus viam præbet, eoſque in miniſterio ſuo ſuſtinet, ut exequantur mandata divina apud fideles, quibuſcum nullum commercium haberent niſi Deus per Chriſtum nos ſibi reconciliaſſet & hæredes effeciſſet. Ad hoc autem non opus eſt ut recurramus ad viſibilem aliquam aperti cæli apparitionem. Dicitur enim cælum aperiri, quum manifeſtius ſe lux divini-*

tatis

tatis aperit in ſuis operibus. Quia cum in operibus gratia maximè revelata fuerit, ideo tunc ſingulariter aperti fuiſſe cœli dicuntur, tum aparuit gratia Dei ſalutifera omnibus hominibus: quo tempore, etſi miniſterium Angelorum in electorum gratiam minus viſibile fuerit quam antea, quum adhuc venturus expectabatur Meſſias, multo magis efficax fuit & magis diffuſum in Eccleſia univerſalis uſum, ex omnibus nationibus collecta. Quarum ratione ſe adhuc continebant Angeli in cœlo nec ad eos deſcendebant, quia nondum ſcala illius extremitas eas attigerat; cum eſſent alienæ à Repub. Iſraelis, ſine Chriſto, extraneæ à pactis promiſſionis ſpem non habentes, *&c. Epheſ. 2. verſ. 12. Donec Chriſto exhibito, ſcala etiam hac fuit admota, ut Angeli ad gentes deſcenderent, & eorum ſalutem juvarent.*

Hanc interpretationem inſinuavit Auguſt. Serm. 40. de verbis Domini, ubi agit de nomine veri Iſraelita à Chriſto Nathanaëli indito. Vult enim in illo completum fuiſſe ſomnium, in quo apparuit ſcala, ei, cui poſtea Iſraelis nomen inditum eſt. Ex verbis enim Ioannis, oſtendit neceſſarium eſſe in cœlo & in terra. Quomodo (*inquit*) Si deſcendunt ad cœlum, hic eſt; ſi aſcendunt ad cœlum, ſurſum eſt? ſi autem ad illum aſcendunt, ad illum deſcendunt, & ſurſum eſt, & hic eſt: nullo pacto fieri poteſt ut ad illum aſcendant, & ad illum deſcendant, niſi & ibi ſit quo aſcendunt, & hic ſit quo deſcendunt. *Hinc eſt, quod Scalam ad Chriſti incarnationem referant, qua Deus factus eſt homo, verbum caro; cœlum terræ conjunctum eſt, nec inſcitè. Sed tamen in applicatione & partium collatione, qui exacti nimis eſſe volunt, ea etiam afferunt, quæ rigidum examen ferre non poſſunt. Mitto quorundam Vbiquitariorum commentum, qui duo ſcalæ latera faciunt duas in Chriſto naturas, ut ex ſpatio quod à ſcala occupatur, earum ubiquitatem inferant. At inde ſequeretur naturarum æqualitas, & vel utraque finita eſſet per ſua extrema, vel infinita, ſi extremorum non haberetur ratio, ſed exæquationis. Minus quidem periculosè aberrant, ſed tamen rem non tangunt, qui in duobus lateribus quærunt miſericordiam & veritatem, in gradibus autem Chriſti genealogiam, quaſi gradus fuerint omnes genealogiæ, aut generationes quæ memorantur ab Euangeliſtis. Quomodo enim probabunt per illos gradus aſcendere vel deſcendere Angelos? His igitur minutiis valere juſſis, hanc viſionem referimus ad perpetuam regni Chriſti adminiſtrationem in terris; ut ſcala, quemadmodum diximus, Chriſtus ſit, qui capite attingit cœlum, quia æternus eſt cum patre Deus, & in terra conſiſtit, quia humanam naturam aſſumpſit. Continuitas ſcalæ à cœlo ad terram, oſtendit ſublatam eſſe ſeparationem & Chriſtum, qua mediator eſt, conjungere Deum cum hominibus. Idcircò ſe præbet pater videndum quaſi ſcalæ innixus, quia Deus erat in* Chriſto, mundum reconcilians, & non imputando eis peccata ipſorum, *2. Cor. 5. verſ. 19. Hanc ob cauſam cœlum apertum dicitur apud Iohannem, quod alioqui peccatoribus clauſum eſt. Angeli aſcendentes & deſcendentes, ſignificant ſpecialem Dei curam ergà Eccleſiam, indicantque Angelos nobiſcum in eandem ſocietatem ſub uno capite Chriſto conveniſſe, &* acceſſiſſe nos ad montem Sion, & civitatem, Hieruſalem cœleſtem, & myriadas Angelorum, conventum & concionem primogenitorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, & judicem univerſorum Deum, & Spiritus juſtorum conſecratorum & ad novi teſtamenti mediatorem Jeſum, *&c. Ebr. cap. 12. verſ. 22. & 23.*

Id ergò ante omnia ſtatuendum eſt, fœdus Dei fundamentum ſuum habere in Chriſto, qui cum fuerit æterni patris imago, in qua ſe ſanctis patribus patefecit, maximè in hac viſione nobis eſt contemplandus. Quamvis enim Deus ſua virtute omnia impleat & ſuſtineat, ut qui verè πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει à nobis tamen non percipitur communicatio qua nos viciſſim ad ipſum alliciat, quamdiu peccata

obſtant,

obſtant, quæ nos à Deo disjungunt, ita ut ab eo fugere potius eligamus, quia nobis averſum apprehendimus. Neceſſarium ergò fuit, ut humana & divina natura admirando fœdere in perſona Chriſti copulatæ, talem mediatorem conſtituerent, qui genus humanum Deo & cælum terræ rurſus conjungeret. Quam mirandam copulationem & ejuſdem effecta pro redemptione generis humani ipſi Angeli deſiderarunt introſpicere *1. Pet. 1. verſ. 12. Qui ſuum caput agnoſcentes, ipſius juſſu membris ejus terrenis libenter miniſtrant. Itaque ſcalæ ſimilitudo optimè convenit mediatori Chriſto, per quem non ſolum Angelorum miniſterium, ſed etiam juſtitia & vita, omneſque ſpiritus ſancti gratiæ, gradatim ad nos deſcendunt; ut nos tandem etiam per eundem mediatorem in cælum conſcendamus.*

Probare non poſſumus illorum ſententiam, qui per angelos aſcendentes & deſcendentes intelligunt homines; ſive eos, qui in Eccleſia miniſterio funguntur, ſive fideles univerſos, quibus liber aſſenſus ad Deum patet, qui per orationes ſuas ad Deum aſcendunt; deſcenduntque onuſti benedictionibus. Id quidem verum eſt Chriſtum nobis ſua interceſſione liberum acceſſum obtinuiſſe, ut cum παῤῥησίᾳ conſcendamus uſque in conſpectum Dei, & ab eo per filium obtineamus omnis generis benedictiones. Sed talis fuit Angelus ipſe Iacob, à quo tamen non dubium eſt diſtinctos fuiſſe Angelos aſcendentes & deſcendentes, qui eorum perſonam in hac viſione non referunt, qui ſibi aliquid procurant & accipiunt; ſed qui aliis miniſtrant, ut diximus. Eſt enim metaphorica miniſtrorum deſcriptio, qui cum Regi miniſtrant, expeditos alios videmus per ſcalam aſcendentes, ferentes vel fercula vel aliud quidpiam, alios contra deſcendentes eademque referentes. Vt ſit deſcriptio cæleſtis Regiæ, unde omnia ad has terras mandata, omnia edicta proficiſcuntur; unde omnis pendeat, maximè autem ſpecailis illa in Chriſto ad ſalutem priorum.

His ita intellectis per ſe corruit Platonteumillud, quo nonnulli in Papatu abutuntur; cum angelos inter Deum & homines ita medios conſtituunt, ut velint homines indignitatis ſuæ conſcios, per Angelos ad Deum accedere, quomodo per aulicos reliqui ſubditi ad Regem recedunt. Adverſus quos Autor comment. in Epiſt. ad Rom. ſub Ambroſii nomine tom. 5. cap. 1. hic eleganier diſputat, ſolent pudorem paſſi neglecti Dei, *inquit*, miſera uti excuſatione, dicentes per iſtos poſſe ire ad Deum, ſicut per comites pervenitur ad Regem. Age nunquid tam demens eſt aliquis, aut ſalutis ſuæ immemor, ut honorificentiam Regis vindicet comiti; cum de hac re ſiqui etiam tractare fuerint inventi, jure ut rei damnantur majeſtatis? & iſti ſe non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino conſervos adorant, quaſi ſit aliquid quod plus reſervetur Deo. Nam & ideo ad Regem per comites & tribunos itur, quia homo utique eſt Rex, & neſcit quibus debeat Rempub. credere. Ad Deum autem (quem utique nihil latet, omnium enim merita novit) promerendum, ſuffragatore opus non eſt, ſed mente devota. *Hæc ille ſed ex hoc ipſo Geneſeos loco, ex quo de ſubſidio Angelorum hominibus neceſſaria informantur, habemus argumentum ſolidiſſimum, adverſus conſequentiam, quam inde texunt, qui cultum Angelorum invehere conantur. Diſcimus enim Angelos à Deo demiſſi tanquam miniſtros: ad homines deſcendere, & ad Deum conſcendere, id eſt, miniſterium ſuum exereere per ſcalam, per quam deſignatur Chriſtus mediator, qui Deum & homines attingit. Vt ergò fruamur miniſterio Angelorum, non ſunt illi compellandi, qui ſervi ſunt aſcendentes & deſcendentes pro divinâ voluntate, ſed Deus cui obediunt, & mediator, qui nos etiam attingit; & unicuique noſtrum propè eſt, tunc etiam experiemur, quod in eandem ſententiam affert Auguſt. de vera Religione, cap. 55.* Quem non optimum ſibi conciliet, qui hoc unum colit, quod omnis optimis diligit?

Cate-

Cæterum non omittendum eſt ut apud Ethnicos reperiuntur alia quædam veritatis veſtigia, ſed obſcurata tenebris ignorantia quâ detinebantur; ſic hujus etiam myſterii, quatenus ad Dei providentiam refertur, veſtigium aliqued legi apud Homerum Iliad. 8. Vbi Iupiter Homericos Dees Deaſque omnes compellat, oſtenditque ſi catena aurea de cale ſuſpendatur, qua terram pertingat, non poſſe tamen omnes conjunctis viribus trahere Iovem è calo in terram. Se autem inmiſſa è calo aurea catena, poſſe eam ad ſe trahere una cum ipſa terra & mari, eaque omnia ad verticem olympi alligata ſuſpenſa tenere. Quæ quidem fabuloſa ſunt, ſed ex aliqua veritate ortum habuerunt. Sed de ſcala allegoria, pro inſtituti ratione ſatis. Hactenus Cl. Rivetus. Ego ita recolligo: Interpretatio diſtingui debet ab allegoria ſeu ſimili hinc mutuato. Nulla enim res tam diſſimilis eſt, quæ in aliquo ſimilis non ſit. Ideò omni generi rerum ſcala Jacobi, ut multa alia in ſacris literis occurrentia, poteſt applicari. Et delectat reficitque auditorem, ſi ad alia cogitatio abducatur, nec tamen aberret aut avertatur à re propoſita. Interpretatio autem mentem propriam propoſiti loci intuetur & inquirit, quæ unica eſt. Hunc ſenſum literalem appellamus & hiſtoricum: in quo aliquando figura rem operit & involucro quodam tegit. Ubi id contingit ſenſus componitur è figura & re. Si quæras ſimplicemne in hoc loco an compoſitum ſenſum eſſe arbitremur, dicimus compoſitum eſſe, quia litera indicat plura quam dicit: ut hoc ipſum, quod geſtum eſt, litera primò oſtendit: hoc autem ſignum & documentum eſt rei ulterioris quam voluit Deus in litera non oſtenſam, in cogitationem tamen venire. Hic igitur interpretatio aperiet menti rem, quam præter literam, obſervare debet. In ſomnio ſcalæ, finem eſſe Jacobi conſolationem adverſus ærumnas occurſuras nemo ambigit: at medium conſolationis quodnam in ſcala iſta oſtenſum eat Deus, quæritur? Alii Phyſicam ſignificationem in ordine naturæ, adeoque fatnm Phyſicorum; alii providentiam Dei notari. Qui alia dicunt, allegoriis potius ludere, quam verum ſenſum inquirere videntnr. Phyſicam notationem non convenire, facile apparet conſideranti, Deum id egiſſe, ut conſolationem haberet Jacob: quæ non in Phyſico motu, ſed in providentia Dei recumbit. Non potuit enim Jacob bonum animum habere, quatenus videbat naturæ mirificam harmoniam & ſtabilem ordinem: quia iſta rerum humanarum curſum nihil concernunt. Cum autem notaret quod Dei nutui & voluntati, ſedentis in rerum verſandarum culmine, angeli commeantes & remeantes obſequerentur, firmo pectore in adverſum ivit agmen obvenientium calamitatum. Providentia alia communis eſt toti hominum generi, alia electis peculiaris in Chaiſto mediatore. Hanc notari dubium nullum eſt. Muſculus & Rivetus hunc eſſe myſticum ſenſum dicunt literalem autem de generali providentia. Quæ neſcio quomodo admitti poſſint? Nam literalis ſenſus hoc in loco myſticus eſt. Et literalis ſenſus, ut diximus, continet in ſui complexu prima facie hiſtoricam ſomnii narrationem, ſub qua myſterium eſt providentiæ ſpecialis in fœderatos. Cum Calvino igitur ſentio providentiam illam Dei commùnem non notari, ſed gratiam in Chriſto; quamvis illius prouidentiæ putamine, ut ita dicam, nucleus gratiæ includatur. Scala igitur non eſt ordo, quem Dei decretum conſtituit rebus & angelorum miniſteriis, ſed Chriſtus mediator, qui effectu cælum terræ, unione perſonali hominem Deo conjungit. In quam expoſitionem plerique ſeveriorum inrerpretum conſpirant, & egregia enodatione differit Cl. Rivetus.

Cœterum quod poëticum Homeri figmentum de aurea catena ex hac ve-

ritate emanaſſe putet prudentiſſimus Theologus, nolim & miror factum. Imitatus eſt viros maximos, quorum nominibus non cedere ſuperbiæ & contiumaciæ eſſe videatur. Hi enim quaſi conſpiraſſe videntur, ut omnia gentilium fabularum portenta referant ad eandem è ſacra veritate originem. Ita ſæpe arripitur inepta accommodatio, qui luſus eſt non ſerius ſermo. Arbitranrur hiſtoriæ patriarchicæ Geneſeos univerſam memoriam ſub integumentis fabularum ſupereſſe. In nugis aliquid ineſſe veri. Nam in ea hærent opinione, Chriſtianæ veritati id optimum patrocinium apud errantes eſſe ſi ipſæ fabulæ teſtimonium dicant. Ego in contraria ſum hæreſi; Ipſam per ſe veritatem ſatis firmam & validam, nihil iſto auxilio ad educendos ex errore gentiles indigere nec inde initium convincendi ſumi oportere. Admoneam eos ut tranſeant à mendacio ad veritatem. Pudet ipſos errantes, ubi oculos attollere incipiunt, nugarum, quas & quidam Philoſophorum & homines prudentiores apud gentes riſere. Non poſſum diffiteri in fabulis eſſe quædam, quæ ſpeciem habeant eandem cum veris Moſis hiſtoriis, unde tamen non ſequitur, famam veritatis ſeneſcentis ea retinuiſſe. Nam qui mentitur & ſermones Mileſios longo ordine ſerit, inter multa effutiet quædam, quæ cum aliarum gentium veris rebus ſimilitudinem habent, quamvis de iis nunquam cogitaverit. Sunt igitur fabulæ gentilium, nugacia commenta, quæ evenit aliquam ſpeciem ſimilem in quibuſdam oſtendere, veræ hiſtoriæ Moſis. Ira natis fructibus in agro Sodomeno ſpecies eſt eorum, quæ protulit Paradiſus. Quomodo autem catena Homerica ſcalis Jacobi applicari poteſt? Non dixit Homerus catena aurea cælum terræ connecti & per eam catenam demitti dona Dei. Jovem inducit jactantem eminens robur ſuum & vires, quibus reliquos deos ſuperaret. Ille hoc aſſumpto indicio dicit; ſi ab alto demiſſa cælo catena aurea dependeret, quam traheret ab una parte ſolus Jupiter, ab altera omnes dii deæque: poſſe Jovem ab imo telluris in altum cæli cum ipſa terra deos deaſque extrahere; illos autem omnibus viribus connixos Jovem unum, è cœlo in terram, (quem tamen pronum eſſe lapſum putat & ſuo pondere illuc Jovem ferri) detrahere non poſſe. Provocat ipſos ad experimentum:

Γνώσετ' ἔπειθ' ὅσον εἰμὶ θεῶν κάρτιστος ἁπάντων.
Εἰ δ' ἄγε πειρήσασθε, θεοί, ἵνα εἴδετε πάντες,
Σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες·
Πάντες δ' ἐξάπτεσθε θεοὶ πᾶσαί τε θέαιναι.
Ἀλλ' οὐκ ἂν ἐρύσαιτ' ἐξ οὐρανόθεν πεδίον δὲ
Ζῆν ὕπατον μήστωρ' οὐδ' εἰ μάλα πολλὰ κάμοιτε.
Ἀλλ' ὅτε δὴ καὶ ἐγὼ πρόφρων ἐθέλοιμι ἐρύσσαι,
Αὐτῇ κεν γαίῃ ἐρύσαιμ' αὐτῇ τε θαλάσσῃ·
Σειρὴν μὲν κεν ἔπειτα περὶ ῥίον οὐλύμποιο
Δησαίμην· τὰ δέ κ' αὖτε μετήορα πάντα γένοιτο.
Τόσσον ἐγὼ περί τ' εἰμὶ θεῶν, περί τ' εἴμ' ἀνθρώπων.

Cognoſcet deinde, quantopere deorum fortiſsimus ſim.
Sin verò, age periculum facite, dii, ut videatis omnes,
Catena aurea de cælo ſuſpenſa:
Omnes autem adhæreſcite dii deæque.
Enimverò non traxeritis è cælo in terram

Jovem

Jovem ſummum conſiliarium, neque ſi plurimum laboretis.
Sed ſi ego cupidus velim trahere,
Cum ipſa terra traxerim ipſoque mari:
Catenamque porrò ad verticem olympi
Alligaverim: ipſa verò ſuſpenſa hæreant omnia.

Non ponitur neque à poëta neque à Jove, catenam quandam eſſe, quæ cælo terram adnectat, ſed dicitur, ſi experimentum capere velint dii virium Jovis, eant ſuſpendant catenam: qua Jovem conentur cælo deducere. Fruſtraneum laborem fore, deorum id annitentium, Jovem autem, ſi velit, cum ipſa tellure omnes deos deaſque in altum poſſe extrahere & è catena illa, alligata cacuminibus olympi, ſuſpendere. Non narrat igitur eſſe talem catenom, ſed, ſi daretur, experiri poſſe. Non minus ex Homero poëtarum interpretes & Stoici eruunt commenta, quam Judæorum magiſtri è ſacra ſcriptura. Hinc Platonici philoſophi, maximè mediæ ætatis, qui Ariſtotelem, Platonem, Homerum commiſcebant, poſuerunt ejuſmodi catena cælum terramque uniri. Nihil igitur hic eſt veræ antiquitatis & traditionis patriarchicæ, quia commentum eſt interpretum de ſuo afferentium & inferentium Homero, quod ille nunquam ſomniavit. Scholia ad verba, *Σειρὴν χρυσείην*] ἅλυσιν. *χρυσῆν δὲ προσέθηκε, βουλόμενος τὸ πρᾶγμα ποιητικῶς δεῖξαι. Καὶ οἱ μὲν κυρίως οὕτως· οἱ δὲ ἀλληγορικῶς, τὸν ἥλιον.* Interpretatio alia *κυρία*, alia *ἀλληγορικὴ*. Allegoria oppoſita literæ eſt id eſt פשוט & מדרש. Docet igitur aut fatetur ſcholiaſtes à proprietate literæ diſcedere, qui illam allegoriam aureæ catenæ invenerunt. Macrobius in ſomn. Scipionis lib. 1. *Secundum hac ergò cum ex ſummo Deo mens, ex mente anima ſit; anima vero & condat & vita compleat omnia, quæ ſequuntur, cunctaque hic unus fulgor illuminet & in univerſis appareat, ut multis ſpeculis per ordinem poſitis vultus unus; cumque omnia continuis ſucceſſionibus ſe ſequantur, degenerantia per ordinem ad imum meandi: invenietur preſſius intuenti a ſummo Deo uſque ad ultimam rerum fecem, una, mutuis ſe vinculis religans & nuſquam interrupta connexio. Et hæc eſt Homeri catena aurea, quam pendere de cælo in terras Deum juſſiſſe commemorat.* Faſtigio ſcalæ inſidebat Deus, qui Jacobum allocutus. Se eſſe dicebat Dominum, Deum patris ejus Abrahami & Deum Iſaaci. Hanc apparitionem digito tangit Deus Cap. 31. 13. & 35. 1. Et ipſe Jacob, 48. 3. Quo ultimo loco Jacob eum appellat שדי. Placuit Deo, ſe Deum appellare non tantum Abrahami ſed & Iſaaci, ut ſciat fœdus pertinere & deſcendere ad poſteros. Raſi è libro Thanchuma obſervat Deum ſe appellare de nomine juſtorum viventium in ſacris literis non inveniri, שיחד הקב״ה שמו על הצדיקים בחייהם. Hoc, quia non confidit in ſanctis ſuis. Hic tamen יחד שמו על יצחק *Unit nomen ſuper Iſaac.* Rationem hanc comminiſcuntur: Jam caligabant Iſaaco oculi & defecerant in domo, deſieratque figmentum malum, ut fuerit tanquam mortuus. Non obſervant quod in textu dicat Deus: *Abrahami patris tui*; non autem. *Iſaaci patris tui.* Ego hanc rationem eſſe puto, Quod à capite generis id eſt πατριᾶς Deus incipiat, quod id aliquando vocabulo patris deſignatur. Quando enim penitus diviſæ erant generum propagines (*πατριαὶ* appellatæ) novi patriarchæ dividebantur: Eo ſenſu Laban appellatur filius Nachor, id eſt, *ἐκ τῆς πατριᾶς τοῦ Ναχώρ.* Nachor & Abraham diſtinctarum πατριῶν origines erant.

Divinæ promiſſiones hoc alloquio comprehenſæ: Prima, Terram hanc, in qua cubas, tibi & ſemini tuo dabo. Secunda ſeminis multiplicationem in

omnes cæli cardines habet. Tertia, quod in eo & ejus ſemine omnes nationes ſint benedicendæ. Quartò ea omnia promittit Jacobo, quæ Abrahamo & Iſaaco promiſerat, quia hic erat ultimus patriarcharum, à quo nulla deinde ſeminis diviſio ſecutura erat. Duodecim tribuum patriarchæ æquali jure ad hanc domum, & fœdus Dei in ea, pertinuerunt. Eo in iſta domo ſub patriarcha ultimo coëunt. Deinde poſt illas communes benedictiones ſeu promiſſiones peculiariter Jacobo in hoc iter auxilium ſuum addicit. Se illi adfore eumque reducturum in Cananæam. Se illi manus præbiturum, donec implevisset, quod locutus eſſet. Raſi hunc ſermonem, quem Deus ſe eſſe impleturum promittit, refert ad illud, Abrahamo dictum, in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Illic haberi in Iſaac fore ſemen non ipſum Iſaac illud ſemen eſſe. Simplicius ad præſens promiſſum de ipſo protegendo & reducendo in Canaam, ibique multiplicando referatur.

Jacob de ſomno evigilans dixit: *Profecto Dominus eſt in loco iſto, quod ego neſciebam. Pavenſque, quam terribilis eſt, inquit, locus iſte: Non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cæli.* Raſi: *Ego neſciebam. Quod ſi ſciviſſem in loco ſancto, ſicut eſt, non dormiviſſem.* Fingunt enim Judæi (idque ex iſtis verbis) Jacobum totis quatuordecim annis, quibus Deo miniſtravit ſub Eber legi noctu diuque vacantem, non dediſſe ſemet quieti: nunc inſcium ſanctitatis ejus dormiviſſe in hoc loco. Raſi iterum: *Dixit R. Eliezer in nomine R. Ioſe filii Zimra: Scala iſta ſtabat in Berſabe & ejus declivitas attingebat coram domo ſanctuarii, quoniam Berſabe ſtabat in auſtrali tractu Iudaa & Ieruſalem in ſeptentrionali, in termino, quod inter Iuda & Benjamin. At Bethel erat in ſeptentrionali tractu terra Benjamin in termino inter Benjamin & filios Ioſeph. Hinc deprehenditur, quod pedes ejus in Berſabe & caput in Bethel pertigerit, medium declivitatis ejus coram Ieruſalem. At contra quod magiſtri noſtri dicunt, dixiſſe Deum benedictum, Hic juſtus venit in hoſpitium meum; an dimitteretur ſine pernoctatione? Amplius dicunt Iacob vocavit Ieruſalem Bethel: & hac eſt Luz non autem Ieruſalem. Sed unde dicunt ſic eſſe dicendum? Ego dico, tranſlatum eſſe montem Moria & huc veniſſe. Et hac eſt ſubſultatio terra in mactatione Cholim: Veniſſe domum ſanctuarii in occurſum ejus uſque Bethel: Et hoc eſt. Q. D* ויפגע במקום *At quando Iacob tranſierit prater domum ſanctuarii, cur illic non eſt moratus? Ipſe non dederat in cor ejus ad orandum juxta locum, ubi precati erant majores: at è cœlo remoraturi erant eum. Ipſe uſque Haran ivit, ſicut dicunt in capite* גידהנשא *& probat ſcriptura,* וילך חרנה *quia inferius dicit,* לחרן. *Dicebat, fortaſſis tranſiit locum, in quo precati ſunt patres mei, dedit in mentem ejus reverti, reverſus eſt uſque in Bethel, tum ſubſultavit ipſi terra huc uſque.* Igitur ex mente Hebræorum magiſtrorum, quos ſequitur Raſi, Bethel & Jeruſalem diſtincta loca ſunt: & uſque Bethel ipſi obviam factus eſt mons Moria. Scilicet loco illi tam inſignem viſionem & tale elogium nolunt dari, ut Moriam extollant. Verba hæc, Non eſt hic aliud niſi domus Dei, Lyranus exponit: *Vidit enim futurum, quod ibi fundaretur templum, & quod ibidem poſteà offerendus eſſet dominus noſter Ieſus Chriſtus, ut habetur* [Luc. 2.] Porta cœli *quia in quodam loco propinquo paſſus eſt Chriſtus, cujus paſſio cœlum aperuit.* Poſteà dicit: *Locus ille, ubi dormierat Iacob, tunc erat extra urbem, ſed poſtea incluſus eſt & ſic vocavit urbem Bethel &c. Ad pleniorem autem intellectum hujus paſſus conſiderandum, quod iſta civitas, de qua hic ſit mentio, ſecundum omnes doctores communiter, exponentes paſſum iſtum, eſt Hieruſalem: qua legitur plura nomina habuiſſe: & continetur in his verſibus ſubſcriptis:*

Solyma, Luza, Bethel, Hieroſolyma, Hiebus, Helia,
Vrbs ſacra Hieruſalem dicitur atque Salem

Ver-

Verſus iſti ultimam olent barbariem. Solyma & Salem idem nomen in duas voces deformatum ſonant: item Hieruſalem & Hieroſolyma. Nomina urbis fuerunt, Salem, Jeruſalem, Jebus, Ælia. Bethel & Luz aliena ſunt. Lyranus igitur transformat R. Salomonis & Thalmudicam fabulam de Jacob & tranſpoſitione Moriæ in Bethel: quia Jacob uſque Jeruſalem perveniſſe putat & Bethel atque Luz ſacræ urbis eſſe appellationis. Ita elogium loci huc accommodat. Portam cœli vocat, quod inde preces in cœlum commearent, ſed quia illic ſe Deus manifeſtaverat & commeantes ultrò citroque angelos oſtenderat: aut etiam, quod orationi locus ſacrandus eſſe videretur & cultui Divino. Raſi Medras eſſe dicit, quod domus ſanctuarii, quæ ſurſum eſt, ſit poſita juxta domum ſanctuarii, quæ infra eſt. Ita erat מקום נבחר *locus electus.* At certo loco cultum ſuum Deus nondum adfixerat. Aben-eſdras ad verba: Vere Dominus eſt &c. *Senſus eſt, propterea quod inveniſſent loca & viderent illic miracula: at non poſſum exponere, Cur iſte. quia myſterium abſconditum eſt.* Ita igitur locum ſacratum habuit, uti loquitur Sulpicius.

Lapidem ex eo] Surgens è loco, quem Deus ſacraverat, lapidem, quem pro cervicali habuerat, ſub capite erexit in מַצֵּבָה. Ch. וְשׁוִּי יָתַהּ קָמָא Græci: στήλην. Latinus, *titulum.* Atqui vetuit Deus in lege מצבה ſtatuere Levit. 26. 1. Hic reſpondet Abeneſdras: Non vetuit Deo erigere מצבה ſed aliam quam odit. Nam & Moſes duodecim ejuſmodi מצבות conſtituit. Civilem uſum non prohibuit Deus, religioſum prohibuit per legem. Lapidem iſtum erectum oleo inunxit: aut, ut loquitur Scriptura, *lapidi oleum affudit:* ויצק שמן על ראשה. Aben-eſdras hoc factum ab eo dicit להכירה בשובו ut poſſet eum internoſcere; in reditu. Memoriæ & monumenti cauſa erigebantur tituli ſive cippi. Hic voluit Deo aram ſtatuere in reditu. Mercerus: *Hoc* (affuſionem olei) *quidam Hebræorum ab eo factum volunt tantum, ut locum in reditu agnoſceret. Sed ego non hoc tantum nomine, verum & miniſterii cauſa feciſſe eum puto, qui ritus non ab eo primum inſtitutus ſed jam olim à patribus acceptus fuerit. Libamen fuit vini aut olei, quod non ſacrificiis tantum ſed & extra ſacrificia, ubi quid conſecrabatur & ſanctificabatur & Domino dicabatur adhiberi ſolebat, ut id oleo aut vino perfunderetur. Vnctio conſecrationem & Sp. S. gratiam adumbravit. Sed unde viatori? Sunt qui è Luza, vicina urbe, petitum volunt, alii, quod credibilius puto, è viatico, quod ſecum ſumpſerit, ut laſſitudini conſuleret & eo ſubinde membra refocillaret. Fingunt Hebræi è cœlo illi delapſum, ſed nimis libenter miracula comminiſcuntur. Non magno opus fuit oleo ad caput erecti lapidis perfundendum.* Inunctio aut perfuſio facta oleo conſecrabat lapidem in titulum & monumentum ædificandi altaris. Significabatur enim Deum illic viſum eſſe ſeu in viſione ſeu in ſomnio, eoque ex recordatione & memoria ejus viſionis illic colendum & invocandum. Ita erat מקום נבחר. Grotius exiſtimat Jacobum ita feciſſe ex conſuetudine loci. *Mos illorum locorum*, inquit, *qui & ad Græcos devenit:* rectius Mercerus, à patribus illum ritum acceptum eſſe, quem eorum imitatione adhibuit Jacob. Grotius patriarchas ſe accommodaſſe gentibus & vulgatæ conſuetudini temerè pronuntiavit. Nam nos eos θεοδιδάκτους fuiſſe novimus. Hunc morem emanaſſe ad gentilium cultum mirum non eſt, cum diabolus, qui ut Deus coli voluit, imitatus ſit inſtituta ſacri cultus, quæ patriarchæ à Deo habuerunt. Gentes autem effigiatos & unctos lapides ſtipiteſque adorarunt. Clemens lib. 7. Stromat. οἱ αὐτοὶ γὰρ οὗτοι πᾶν ξύλον καὶ πάντα λίθον, τὸ δὴ λεγόμενον, λιπαρὸν προσκυνοῦντες, Ipſi illi omne lignum & omnem lapidem, quod dici ſolet, unctum adorantes. In admonitione ad

gentes: *Καὶ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων οἱ ἔτι παλαιότεροι ξύλα ἱδρύοντο περιφανῆ καὶ κίονας ἵστων ἐκ λίθων· ἃ δὴ καὶ ξόανα προσηγορεύετο, διὰ τὸ ἀποξέσθαι τῆς ὕλης. Et aliorum hominum adhuc antiquiores, ligna ſtatuebant inſignia & columnas erigebant ex lapidibus; quæ etiam ξόανα appellabantur, quod expolirentur è materia.* Superſtitionem gentilium perſtringunt autores paſſim, qui lapides unctos, columnas & ligna effigiata in ſpeciem humanam inter viam adorabant. Narrat Clemens loco poſteriore ligna ſæpe poſita fuiſſe rudia & ſine forma loco imaginum. In Icaro Dianæ *ἄγαλμα ξύλον ἦν οὐκ εἰργασμένον lignum rude, non elaboratum.* Cithæronia Juno in Theſpia *πρέμνον ἐκκεκομμένον, truncus exciſus. καὶ τὸ τῆς Σαμίας Ἥρας, ὥς φησιν Ἀέθλιος, πρότερον μὲν ἦν σανίς, ὕστερον δὲ ἐπὶ Προκλέους ἄρχοντος, ἀνδριαντοειδὲς ἐγένετο.* Samiæ Junonis ſtatuam teſte Aethlio, primò fuiſſe tabulam, deinde, prætore Procleo, humanam ſpeciem accepiſſe. Romæ, *Ἄρεως τὸ ξόανον, Martis ſtatuam*, ut ſcribit Varro, antiquitus fuiſſe haſtam. Apulejus florid. 1. *Neque enim juſtius religioſam moram viatori objecerit, aut ara floribus redimita, aut ſpelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata: vel enim colliculus ſepimine conſecratus, vel ceſpes libamine humigatus vel lapis unguine delibutus. Parva hæc quippe & quanquam percontantibus adorata, tamen ignorantibus tranſcurſa.* Enumerat etiam ſuperſtitionis multas ſpecies in prima apologia: *Nam ut audio percenſentibus iſtis, qui iſtum novere, nulli Deo ad hoc ævi ſupplicavit, nullum templum frequentavit: ſi tamen aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia, manum labris admovere. Iſte vero nec diis rurationis, qui eum paſcunt ac veſtiunt, ſegetis ullas, aut vitis aut gregis primitias impertit; nullum in villa ejus delubrum ſitum, nullus locus aut lucus conſecratus. Et quid ego de luco aut delubro loquar? Negant vidiſſe ſe, qui fuere, unum ſaltem in finibus ejus aut lapidem unctum aut ramum coronatum.* In Minutii Felicis octavio: *Cæcilius ſimulacro Serapidis denotato, ut vulgus ſuperſtitioſus ſolet, manum ori admovens, oſculum labiis preſſit. Tunc Octavius ait: Non boni viri eſt, Marce Frater, hominem domi foriſque lateri tuo inhærentem, ſic in imperitia vulgaris cæcitate deſerere, ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere, effigiatos ſane & unctos & coronatos.* Arnobius. lib. 1. *Si quando conſpexeram lubricatum lapidem & ex olivi unguine ordinatum, tanquam ineſſet vis præſens, adulabar, affabar, & beneficia poſcebam nihil ſentiente de trunco.* Summa eorum omnium, quæ diximus, eſt gentes oleo dedicaſſe lapides ut religioſe colerentur, aut in ipſis habitantia numina. Id fuit in illo ſuperſtitionum cumulo obſervatum ab illis, qui eſſent *δεισιδαιμονέστεροι*. Unde illud proverbium notatum Clementi: *πάντα λίθον λιπαρὸν προσκυνεῖν. omnem lapidem pinguem adorare.* Id uſurpatum, ut apparet in nimis ſuperſtitioſos, uti benè notavit Hadrianus Junius, quamvis malè putet transferri poſſe in moroſa judicia, hominem leviter doctum & oſtentantem Eraſmi plumulas anteferentia viris ad miraculum ſolidiſſimè eruditis. *λιπαρὸν* reddit nitidum & politum, cum unctum & pinguem ſonet. Etiam ex Dei ordinatione & patriarcharum more lapides inungi ſolebant; quo locus ille aræ ædificandæ conſecrabatur. Gentiles illos lapides adorabant ut numinis habitacula aut ipſos deos deaſque. Theodoretus errat, qui exiſtimat oleum à Jacobo Deo datum eſſe tanquam munus gratitudinis. Ipſe enim indicat mentem facti in voto. Theodoretus qu. in Gen. 84. *Οἷς εἶχε τὸν μεγαλόδωρον ἠμείψατο κύριον. Ὀρθώσας γὰρ τὸν λίθον, ὃν ὑπέθηκε τῇ κεφαλῇ, κατέχεεν αὐτοῦ ἔλαιον. τοῦτο δὲ καὶ νῦν ἐστιν εὑρεῖν παρὰ πολλῶν γυναίων τῶν τῷ κυρίῳ πεπιστευκότων γινόμενον· εἰώθασι γὰρ ἐν τοῖς θείοις σηκοῖς ἐλαίῳ χρίειν τὰς τῶν ἀνακτόρων κιγκλίδας, καὶ τῶν ἁγίων μαρτύρων τὰς θήκας. δηλοῖ δὲ τοῦτο τῆς ψυχῆς τὴν εὐγένειαν. δέχεται δὲ καὶ τὰ σμικρὰ ὁ φιλάνθρωπος κύριος,*

ἀπο-

ὑποδεχόμενος τὸν τῶν γινομένων σκοπόν. Cl. Rivetus de hac conſecratione & locorum ſanctitate diſtinctè & accuratè: *Ergo, inquiet aliquis, ſunt quædam loca ſancta, & in quibus ſingulariter habitat Deus: Vnde inferunt etiam Pontificii, immerito nos conqueri, quod locis nonnullis ſanctitatem affingant, ea frequentens, peregrinationes ſuſcipiant, & in iiſdem orationes fundant. Reſpondemus, nunquam nos negaſſe loca quædam in Scripturis dici ſancta & etiam ſuo modo: Sed negavimus ſanctitatem aliquam eſſe locis inhærentem, quia quæcunque eis tribuitur ſanctitas, eſt relativa. Ea autem eſt vel ordinaria, vel extraordinaria. Ordinaria, cum locus aliquis inſervit cultui divino, & quandiu inſervit. Extraordinaria, cum Deus in loco aliquo præſentiam ſuam declaras, divina operatione: Quæ operatio duplex eſt; vel enim eſt apparitio, ut hic, & in rubo; vel effectus aliquis miraculoſus, ut cum Chriſtus liberavit dæmoniacum in ſepulchretis. Iam concedimus loca cultus divino deſtinata, & ad uſus ſacros comparata, quamdiu uſibus ſanctis inſerviunt, ſancta eſſe non quidem interna aliqua ſanctitate, ſed externa & relativa propter uſum, quem non ſanctificant, ſed qui ea ſanctificat. Eadem eſt ratio relationis extraordinariæ. Quamdiu Deus in aliquo loco ſe manifeſtat, locus ſanctus eſt, ſed cum ceſſat ibi ſe manifeſtare, communis eſt; cum in eodem falſus cultus ſubſtituitur profanus eſt. Itaque propter aliquod miraculum loca non contrahunt perpetuam ſanctitatem, ut patet ex multis locis, in quibus Chriſtus miracula patravit, quæ propterea non fuerunt poſtea pro ſanctis habita niſi quatenus Deus voluit ea conſecrari in uſum ſanctum, quod de Bethele factum eſt, quæ tamen poſtea, cum falſus cultus ſucceſſiſſet, vocata fuit Bethaven. Addendum id, ſub pædagogia Veteris Teſtamenti aliquod fuiſſe locorum diſcrimen, quod nunc ceſſavit, ceſſantibus immediatis non ſolum revelationibus; ſed præſertim poſtquam Chriſtus, quemadmodum oſtendis* in quavis gente acceptum eſſe ſibi, quemvis qui Deum timebat, *Act. 10. verſ. 35. ſic ea tempora adduxit, quando neque* in monte *Garizim*, neque Hieroſolymis, adoraturi erant patrem *fideles* ſed veri adoratores adoraturi erant in ſpiritu & veritate, *Ioan 4. verſ. 23. Quibus vult Sp. S. per Apoſtolum 1 ad Tim. 2. verſ. 8.* viros precari in quovis loco, puras manus attollentes. *At inquiunt Pontificii, Merito de locis quos Deus noſtro tempore miraculis nobilitavit exclamamus, quod Iacob de loco illo; hæretici verò quia reverentiam præſtare nolunt, blaſphemant: Sic enim Marius in hunc locum. Addit autem, Quod ſi reſpondeant, neſcire ſe an Deus illis locis adſit, fors verum dicunt, ſed neſciebat etiam id Iacob. Diſcant igitur cum Iacobo, Dei eſſe, nobis manifeſtari per operationem, & cum tot quotidiè miracula videant, excuſent cum Iacobo priorem Ignorantiam, novaque pietate eam compenſaturi exclament*, verè hic locus ſanctus eſt. *Hæc ille.* Mitto quod *de* hæreticis *& de* blaſphemia, *calumniatur. Ad rem reſpondeo 1. De locis illis nos non dicere*, neſcire an Deus in illis adſit; *nam ſi de præſentia gratioſa ſit quæſtio, novimus Deum longiſſimè ab iis abeſſe. Novimus Dei præſentiam nobis manifeſtari per opera, ſed falſum eſt nos ſingulis diebus videre miracula in locis quæ tanquam ſancta pontificii commendant. Quæ ſi videremus, cum ſciamus idololatriam in illis vigere, talia miracula non à Deo inhabitante fieri diceremus; ſed eſſe Pſeudoprophetarum & Antichriſti ſigna & miracula, quibus electos conantur ſeducere, ſiquidem id fieri poſſet. Alia planè fuit Iacobi ratio, qui nullam habuit rationem dubitandi. Nec tamen Iacobus putavit locum illum homines ſanctificare etſi eo tempore viveret, quo Deus (ut diximus) delectum locorum habere voluit; à quo proinde ad noſtrum, conſequentia non valet. Addo & illud, Deum locum illum non elegiſſe poſtquam populus introductus fuit in terra Canaam, ut in eo, tabernaculo & arcæ teſtimonii pararetur domicilium. Quinimo, cum poſteri Iacob ſtulta æmulatione Dominum in Bethel colerent præter Dei mandatum, ſeverè (ut diximus) in illum cultum invecti*

ſunt

ſunt prophetæ; quos neſcio an adverſarius blaſphemiæ reos facere velit, qui terribilem illum locum, portam cœli, auſi ſunt tandem Bethaven *appellare. Horum nos veſtigiis inſiſtentes ipſam Hieroſolymam, in qua patrata fuerunt miracula, eodem nomine cenſemus, loca omnia, olim quidem ad tempus ſancta, ſed jam omni Idololatriæ genere polluta, ſine blaſphemia, abominamur.*

Locum iſtum, prius dictum Luz, ipſe cepit appellare & inſtituit ut appellaretur Bethel בית אל *domus Dei.* Domus Dei notat ingreſſum & communicationem Dei cum hominibus. Ea tempeſtate in proximo fuiſſe urbem Luzi nomine colligi videtur ex verbis Moſis: quam non eſt ingreſſus Jacob, quia noluit introire ad profanos & occaſus ſolis eum occupaverat. Luzi aut vicini loci nomen factum eſt Bethel. LXX hic habent: καὶ οὐλαμλοὺζ ἦν ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον, In Hebræo ואולם לוז שם העיר לראשונה *Et ſanè Luz erat nomen prius.* Hinc Lxx fecerunt οὐλαμλοὺζ, quod in quibuſdam codicibus, corrupta lectione οὐλαμμαοὺζ. Vide Hieronymum in quæſtionibus Hebraicis in Geneſin. Auguſtinus Quæſt. ſuper Gen. lib 1. quæſt. 84. 85. *Quod ſtatuit Lapidem Iacob, quem ſibi ad caput poſuerat & conſtituit eum titulum, & perfudit illum oleo, non aliquid idololatriæ ſimile fecit, Non enim vel tunc vel poſtea frequentavit lapidem adorando, vel ei ſacrificando, ſed ſignum fuerat in prophetia evidentiſſima conſtitutum, qua pertinet ad unctionem, unde Chriſti nomen à Chriſmate eſt. Et vocavit Iacob nomen loci illius domus Dei, & Vlamaus erat nomen civitati ante. Iuxta civitatem dormiſſe ſi intelligatur, nulla quæſtio eſt. Si autem in civitate, mirum videtur quomodo potuerit illum titulum conſtituere. Quod autem vovit votum ſi proſperaretur eundo & redeundo, decimaſque promiſit domus Dei futuræ in loco illo, prophetia eſt domus Dei: ubi & ipſe rediens Deo ſacravit non illum lapidem Deum appellans, ſed domum Dei, id eſt, quia in illo loco futura erat domus Dei.* Quod Grotius aliique hujus hiſtoriæ memoriam putent eſſe in fabula Saturni, qui pro filio lapidem βαίτυλον ſive βαιτύλιον devoravit, ridiculum eſt. Plinius lib. 37. cap. 9. *Sotacus & alia duo genera facit Ceraunia, nigras rubenteſque ac ſimiles eas eſſe ſecuribus: per eas, quæ nigra ſunt ac rotunda, urbes expugnari & claſſes eaſque batulos vocari: quæ vero longa ſunt ceraunias.*

Jacob ſanctum Deo votum facit: Si Dominus iter meum proſperaverit & in meo hoc exilio neceſſaria panis & veſtium ad victum & amictum conceſſerit: ſique proſpere revertar ad patrias ædes, Dominus mihi in Deum erit, Hic lapis Domus Dei vocabitur. Et omnium quæ dederis mihi tibi decimas dabo. Raſi ſubtiliter ſingulas partes precationis applicat partibus oraculi à Deo ad ſcalas dicti: proſperum reditum explicat: *Salvus à peccato, ut non diſcam è viis Laban.* Hæc aliena ſunt & longè petita. Hæ quidem ſunt הבטחות & promiſſiones, quibus credidit Jacob: at non eſt neceſſe, ut expreſſa contineantur omnia in promiſſo quæ vovet. Applicat enim generalia ad ſpeciales circumſtantias inſtantis temporis. Ut veſtimentum intelligat de veſtitu ſacerdotali ob benedictionem Iſaaci & primogenituræ ſuæ ad ipſum pertinente non convenit. Modeſtia Jacobi petit neceſſaria, Dei benignitas divitias accumulavit ipſi, ut in reditu agnoſcit cap. 32. Quod promittat יהוה ſibi fore in Deum, res eſt, cui è fœdere gratiæ & parentum tenebatur: ſed ſe fortius libero voto adſtringit. Raſi exponit: שיחול שמו *Permanebit nomen ejus ſuper me à principio ad finem, quia non invenietur profanum in ſemine meo, ſicut quod dixit:* Quod locutus ſum tibi: *Et* הבטחה *hanc* הבטיח *Abrahamo*, Q. D. fore ipſi in Deum & ſemini illius poſt ipſum. Dicit Raſi ו in והאבן ſic eſſe exponendum: אם תעשה לי את אלה ואף אני אעשה זאת *Si facies mihi illa, etiam ego faciam tibi hoc.* Iterum in eo loco cippum ſtatuit cui libamen & oleum affudit

dit cap. 35. 14. Hinc exiſtimari poſſit non tam conſecrationis eſſe ſignum, quod oleum affudit, quam in cippo cultum & ſacri morem. Ioſephus: *φαιδρύνει τοὺς λίθους ὡς τηλικούτων ἀγαθῶν ἐπ' αὐτοῖς προῤῥήσεως γεγενημένης.* Aben-eſdras domum Dei & decimas interpretatur ita: *Senſus eſt, Erit domus Dei, locus ordinatus precationi & ad offerendum illic decimas ex omnibus, quas dabis mihi, divitiis: ut eas* dem, illi, qui fuerit idoneus ad accipiendum in honorem Domini: ולהזות לוי עשירי דרך דרש כי אין בתורה שיתן האדם מעשר בניו רק מעשר בקר וצאן והתבואה: *Levi fore decimum eſt per modum Dras: quia non habet lex ut homo decimas det filios ſuos, tantum boves & oves & proventum.* Nempe putant quidam Hebræorum Iacobum promiſiſſe decimas ex filiis ſc. Levi. Nam ſi è quatuordecim filiis Iacob (connumeratis Manaſſe & Ephraim) demantur quatuor matrum primogeniti, decem remanebunt è quibus conſecraverit Levi. Id coarguit Aben-eſdras, quia lex id genus decimas ignoret. Imperat enim decimas non è filiis, ſed è frumento, bubus & ovibus. Quidam putant eum has decimas Semo vel Eber dediſſe, qui ſacerdotes illic agerent. Mercerus: *Ego non dubito, quin intelligat ſe in uſus rerum ſacrarum altaris & rerum ad cultum Dei neceſſariarum & doctrinam verbi decimas de ſuis rebus Domino daturum. Domino enim dat, qui in uſum ſacrorum ejus dat. Et hoc tam pro ſe quam pro poſteris ſuis vovet.*

Cap. XXIX.

Iacob in Meſopotamiam advenit & diverſatur apud Laban, à v. 1. ad v. 14. Conjugium init cum Rachel & Lea. 14-30. Leæ fecunditas. Mercerus: *Quæ hoc cap. deſcribuntur, in ſpeciem levia, vilia & ſordida plerumque videntur: ut de eo, quod amori operam dederit Iacob, uxorem quærens prope jam ſenex, quod pecus paverit: vulgaria hæc videntur & pene indigna, in quibus tandiu immoretur ſacra ſcriptura. Ac in his verboſiorem pene Moſen videas, quam in rebus ſublimioribus, quas videtur ſæpe in tranſcurſu tantum commemorare. Sed ſciendum ſcripturam etiam vilia hæc alioquin ſanctorum opera afferre, idque ſedulo circumſtantiis etiam curioſe adjectis plerumque ut eos oſtendat in omnibus à Dei ſpiritu fuiſſe directos & ſingulari ejus providentia: ut quicquid agerent, non niſi fere deo gratum eſſet: quod ſi quid in ſpeciem leve aut indecorum videretur à Deo converſum in bonum, ut omnia illis benè ceſſerint.* &c. *Ac in rebus ſæpe vilibus magis ſunt admirandi ſancti quam magni heroes à fœdere Dei alieni in operibus heroicis* &c.

verſ. 1. Sustulit Pedes Suos] Cor ejus, inquit Raſi, pedes ejus extulit, ut prompte & alacriter ambularet. Nempe animos addiderat illa viſio.

verſ. 2. Vidit Puteum In Agro] Laſſus longo & moleſto itinere, incidit in puteum, apud urbem Haran. De puteo iſto multa *ἀλληγοροῦσιν* Hebræi & noſtri. Meſopotamia ad Eufratem irrigua, circa Haran ſiticuloſa fuit. Unde puteus ille ſaxo impoſito cuſtodiebatur: ne facile à quovis inquinaretur. Illic inveniebat tres ovium greges, qui opperirentur tempus adaquandi. Nam mos erat (aut flagitabat ſaxi gravitas) ſimul omnibus coactis puteum gregibus aperiri.

v. 4. Dixitque Ad Pastores] Quærit de Laban, utrum eum noſſent: & cur non adaquarent greges, cum adhuc multus dies eſſet, nec tempus ad caulam cogendi pecoris. Adaquarent & paſtum dimitterent. Hi reſpondent noſſe ſe Labanem, ejus filiam paſcere gregem & adventare. Non poſſe ſe adaquare, antequam greges univerſi coierint. Tum lapidem devolvi

& gteges admitti. Vel mos ita obtinuit vel adoleſcentium non etant iſtæ vires, qui ideo conjunctis operis ſaxum amoliri debuerunt.

9. RACHEL VENIEBAT] Mercerus: *Obſerva, ut licet ex ampliſſima eſſet & nobili familia ovibus tamen paſcendis adhibita fuerit. Sic fuit illorum temporum mos, non puellas in luxu, otio & mollitie educare, ſed mature operibus domeſticis aſſuefacere. Major Lea, forſan, quod jam eſſet nubilis domi manere jubebatur, vel quod teneris eſſet, ut dicetur, oculis, ne à ſole offenderetur. Hæc habitu corporis robuſtior, necdum nubilis, gregi paſcendo eſt adhibita. Alius hic mos fuit, quam Ex. 2. ubi ſeptem filiæ omnes paſcunt patrias oves, cum eò Moſes perveniſſet &c. Pater ſacerdos aut princeps erat Madianitarum. Hic forſan non ita magnus erat grex Laban, quin ab una cuſtodiri poſſet &c.*

Cum vidiſſet Jacob conſobrinam ſuam & oves Laban, amoto lapide adaquavit gregem. Viribus valens & amore ſaxum amolitur. Nam robur corporis illi inſigne fuiſſe oportet, qui potuerit ſolus facere, ad quod conjunctæ operæ omnium requirebantur. Propinqui ſanguinis caritas & ſpecies puellæ alacritatem addiderunt. Dicunt Hebræi admodum levi opera amoviſſe ſaxum: כארם שמעביר הפקק מעל פי צלוחית להודיעך שכחו גדול *ut homo qui removet operculum ex ore amphoræ, ut oſtenderet tibi quod ejus robur magnum.* Oſculum illi tulit ſive ante ſive poſt adaquatum gregem & colloquium de genere utriuſque. Nam quod v. 12. dicitur præceſſiſſe putant quidam interpretes. Oſculandi uſus frequentiſſimus erat. Aliud eſt oſculum amoris inter conjuges & amantes: aliud ſalutationis inter amicos & propinquos: Hic feminas non diſſuaviabantut niſi ſanguine aut affinitate conjunctas. Huc pertinet oſculum illud fraternitatis φίλημα τῆς εἰρήνης in primitiva Eccleſia. Aliud ſubjectionis de quo Pſ. 2. *Oſculamini filium.* Cum oſculo Jacob flevit præ gaudio & ex tenero affectu, alte ſublata voce. Fleviſſe dicunt Judæi, quod videret in Spiritu ſancto non eſſe eam cum ipſo ſepeliendam. Aliter: *Quod veniret manibus vacuis. Dicebat enim, Eliezer ſervus avi mei* (אבי אבא) *habuit in manibus ſuis* נזמים וצמידים ומגדנות. *At in manibus meis nihil eſt. Perſecutus erat eum Eliphaz filius Eſau ex præcepto patris ſui, ut eum occideret. Qui eum aſſecutus eſt. Quoniam autem enutritus erat Eliphaz in ſinu Iſaac, protraxit manum ſuam dixitque ipſi, quid faciam ad juſſa patris mei? Cui dixit Iaacob: Aufer, quod in manibus meis eſt, quia pauper reputatur pro mortuo.*

QUEM ILLE SORORIS FILIUM] Cum Rachel patri annuntiaſſet adventum Jacobi, eum domum deduxit & benigne excepit. *Tu* (ita dicebat) *os meum & caro mea es.* Quo ſignificat propinquitatem ſanguinis. Sic 2. Sam. 5. 2. Ioſephus ptolixè extendit & ῥητορικῶς è ſuo ſenſu format mutuos ſermones Jacobi, Rebeccæ, Labanis.

LIA OCULIS DEFORMIOR עיני לאה רכות. Lxx: *οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ Λείας ἀσθενεῖς.* Vulg. *Lippus erat oculis.* Mercerus: *Generalius videtur accipiendum, quod non eſſent vivaces oculi, quales χαροπὰς Græci dicunt. Eſt autem magna pulchritudinis pars in oculis poſita:* Joſephus τὴν ὄψιν οὐκ εὐπρεπῆ. Chaldæus: ועיני לאה יאן / quod eſt oppoſitum. Niſi velis ad ſolos oculos referri, & notari quod Rachel tota fuerit pulchra. Nugantur Hebræi oculos ſuos multo fletu corrupiſſe, quia metueret ne Eſavo majori ipſa major filiarum Laban in matrimonium traderetur. Nugæ. Matrem Rachel ante hac obiiſſe putant, quia nulla ejus mentio. Nam patri Rachel de Jacobi adventu annuntiat: cum Rebecca ad matrem iviſſe dicatur in cap. 24. At eſt diverſa ratio. Patri, qui in vivis eſſet, debuit annuntiare: at ubi nullus erat, ad matrem eundem erat. Fabulantur etiam Labani promptitudinem, qua ivit in occurſum, fuiſſe ex opinio-

opinione divitiarum, quas ſecum attuliſſet, quia meminerat ſervum illuc adveniſſe cum decem camelis, quas opum ſarcinæ oneraverant. Poſtquam ad Jacob advenerat יחבק לו *amplexus eſt illum.* Judæi dicunt, cum nihil comitatus & opum videret, amplexum eſſe, quia cogitaret ſecum: שמא זהובים הביא והנם בחיקו: *fortaſſis nummos aureos attulit, quos habet in ſinu.* Inde & oſculatum eſſe, quia ſic reputaret, fortaſſis attulit מרגליות / margaritas, quas in ore geſtat. Hæc Raſi affert: Mercerus: *Sed ita Hebræi, quæcunque cogitant, mera alioqui commenta, ita ut ſomniant, acta putant. Ego revera eum ſaltem ab initio ſimulatè ipſum excepiſſe puto, cum omni officio, etſi avarus eſſet alioquin, tenax & fraudulentus, ut ſe poſteà detexit ſed principio ſaltem hoſpitalem & humanum exhibere debuit in nepotem.*

Cum Jacob divertiſſet ad Laban, expoſuit ipſi itineris cauſas. Joſephus: Μετὰ δὲ οὐ πολλὰς ἡμέρας ὁ λάβαν χαίρειν μὲν ἐπὶ αὐτῷ παρόντι μειζόνως ἢ ὡς τῷ λόγῳ δηλώσειεν ἔλεγε· τὴν δ' αἰτίαν δι' ἣν ἀφῖκται μητέρα καὶ πατέρα πρεσβύτας καταλιπὼν καὶ θεραπείας τῆς παρ' αὐτοῦ δεομένους ἀνεπυνθάνετο, παρέξειν μὲν γὰρ αὐτῷ καὶ πρὸς ἅπασαν ἀπαμείνων χρείαν. Ἰάκωβος δὲ πᾶσαν τὴν αἰτίαν αὐτῷ διηγεῖτο λέγων Ἰσάκῳ γενέσθαι παῖδας διδύμους αὐτόν τε καὶ Ἠσαῦν· ὃν ἐπεὶ τῶν τοῦ πατρὸς εὐχῶν διήμαρτε σοφίᾳ τῆς μητρὸς εἰς αὐτὸν γενομένων ἀποκτεῖναι ζητεῖν αὐτόν, ὡς ἀφῃρημένον τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ βασιλείας καὶ ἀγαθῶν ὧν ὁ πατὴρ ηὔξατο. Ταύτην τε εἶναι &c. Scriptura dicit eum expoſuiſſe כל הדברים האלה *omnia iſta verba.* Ea quæ fuerint, Joſephus latè exponit, odii fraterni cauſas, matris præceptum parentiſque de abitu in Meſopotamiam. Sperare ſe, quod præſidium in rebus anguſtis reperturus eſſet in avunculo. Fortaſſis etiam viſionem in itinere factam narravit. Joſephus expoſitionem cauſarum exilii factam eſſe putat poſt illos dies manſionis, quos ſcriptura menſe dierum terminat. Scriptura expoſitionem illam ponit in primo adventu. A primo adventu menſem integrum agens apud Laban, ſedulus paſcendo gregi operam impendit, nullam mercedem ſtipulatus. Admiſſum eſſe dicit Raſi, ab eo dicente: *Nunc nihil eſt ob quod te recipiam domum,* לאספך הביתה / *quandoquidem non eſt in manu tua quicquam, ſed propter propinquitatem ſociabor tibi menſe dierum. Sic fecit & hoc etiam non gratis, quia fuit paſtor ovium.* Nimis premunt Labanem tanquam avariſſimum Euclionem. Menſem igitur totum apud ſe habuit Laban, tanquam hoſpitem; qui interim ipſi inſerviit. Laban igitur deinceps pro familiæ parte habiturus Jacob, iniquum eſſe dicens, ut ſine mercede ſerviret ob hoc, quod cognatus eſſet (paulò aliter Joſephus) paciſcitur de Rachel filia ipſi in matrimonium collocanda poſt ſeptennii ſervitium. Id obtulit Jacob, accepit conditionem Laban. Jacob enim ſpecie virginis captus erat. Judæi & hic ſubtiliter argutantur, ideo Jacob nuptias filiæ ſtipulatum eſſe, quod noviſſet avaritiam hominis. Filiam ob quam ſe ſerviturum eſſe promittit, deſcribit ברחל בתך הקטנה. Judæi dicunt ideò Rachelis nomen expreſſiſſe, quia aliam nollet: addidiſſe, *filiam minorem.* Ne Labani aſtutia nominis permutationem faceret. Quidam putant Jacobum tot annos de induſtria obtuliſſe, ut ſpatium commorationis elongaret quod citò reverti timeret, dum nondum fratris ira reſederat. Joſephus dicit à Iacobo ſimpliciter injectam eſſe mentionem matrimonii concedendi in mercedem operæ. Labanem autem excepiſſe: Sibi non poſſe optatiorem generum evenire. εἰ μέντοι παρ' αὐτῷ μένοι τινὰ χρόνον τοῦτο ποιήσειν: *Si aliquanto tempore apud eum remanere ſuſtineret.* Se enim in Chananæam non eſſe ablegaturum filiam. Μεταμέλειν γὰρ αὐτῷ καὶ τοῦ τῆς ἀδελφῆς κήδους ἐκεῖ συναφθέντος. Ita Jacob ſuſcepiſſe & conventum eſſe de ſeptennio. Jacobum etiam in tam diuturnum tempus conſenſiſſe, ut apud avunculum ſpecimen ſui daret. Τόσονδε γὰρ αὐτῷ κἀκέλευε θητεῦσαι τῷ πενθερῷ ἵνα τῆς ἀρετῆς πεῖραν δοὺς ἐπιγνωσθῇ μᾶλλον τίς εἴη. Jacob

cob

cob pulchritudine & ſpecie Rachelis captus, eam præfert Leæ primogenitæ: Non pudet Labanem filiam ſuam velut mancipium viro pro mercede addicere. Fraudulenta etiam & captioſa eſt reſponſio: *Melius eſt ut eam tibi dem, quam alteri, mane apud me.* Nihil obiicit de Leæ primogenitura & de conſuetudine, quam poſteà adduxit. Quamvis ipſe dixiſſet & palam eſſet confeſſus iniquum videri, ut homo liber ſine mercede ſerviret, tamen ſordidiſſimè filiam collocat. Volenti vulgo dicunt non fieri injuriam. At affectu abuti non debuit, quo videbat Jacobum correptum eſſe. Jacob agebat annum circiter 76. aut 77. cum ad Laban adveniret. Ideo volunt quidam poſt factam ſtipulationem datam fuiſſe ei uxorem in anteceſſum. *Tempus* enim *impletum*, quod dicitur (v. 21.) referunt ad annos ætatis; quod non convenit; ideoque non recipitur à conſenſu interpretum. Septennium laboris commendat Jacobi temperantiam & continentiam, item fidem & conſtantiam. In eadem habitabat familia, in qua deſponſata erat, non legitur molitum eſſe ut præverteret tempus. Quamvis in ſenium vergeret, non dubitat tamen de ſemine divinitus multiplicando nec feſtinat. Notat Moſes non fuiſſe ei grave nec moleſtum tempus. *Videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine.* Atqui ita comparatum, ut admodum deſiderata ſerius accedere ſemper videantur. Nam *Spes protracta ægrum afficit animum; arbor autem eſt vitæ deſiderium adveniens* Prov. 14. R. Cl. Rivetus: *Opinio illa brevitatis non referenda eſt ad ipſum tempus per ſe, ſed ad moleſtiam ſervitutis comparatam cum ſperata fruitione Rachelis: ut ſit ſenſus: Quia amabat Rachelem impenſiſſimè, qua exacto ſeptennio ſe potiturum ſperabat, ideò ſervitutis moleſtiam alacriter devoravit, quæ ideo ei brevis viſa eſt.* Id eſt, ut Chryſoſtomus loquitur, *exſpectatione & ſpe fructus ali.* Q. An ſatis ordinatus fuerit amor Jacobi, qui pulchritudine incenſus, juniorem ſororem præfert, & ſe duræ & diuturnæ addixit ſervituti? R. Mercerus: *Pulchritudo donum Dei paſſim in ſcriptura celebratur: neque hanc in uxore deligenda conſectari vitioſum eſt, dum quæ præcipua ſunt, non negligas. Moleſtias alioqui multas in matrimonio devorandas & onera gravia ferenda levat uxoris forma & amabiliorem reddit viro, ut jucunda & ſuavis ſit cum illa conſuetudo & concordia ad propagandam ſobolem, quod conjuges ſpectare debent.* Rivetus: *Quærendum igitur an peccaverit in amandi modo? Primum in modo peccat, qui pulchritudinem in uxore quærit & amat, ut in ea majori cum voluptate libidinem explere poſſit, quod vitium nimis quam frequens fuit & nunc eſt in pleriſque, qui nihil aliud ſibi proponunt. A quo vitio alieniſſimum fuiſſe Iacobum ſatis liquet ex tam diuturni temporis continentia &c. Secundò non probantur, qui pulchritudinem ita in uxore quærunt, ut de moribus non ſint ſoliciti, præferuntque pulchram minus pulchræ, non expenſis aliis donis, quæ in eis poſſunt eſſe inæqualia. Itaque ſi Iacob notas habuiſſet in Lea eminentes virtutes, ſupra ſororis ſuæ mores vix excuſari poſſet electio à præcipiti & immodico affectu. Sed cum primo aſpectu, quo eam vidit, animadvertiſſet in ea modeſtiam, comitatem & prudentiam, mirum videri non debet, ſi poſtea non mutarit &c. Potuit ergo elegantia formæ, ſine ullo vitio, paribus cæteris præferri, præſertim ubi agitur de honeſta & diuturna ſocietate, qualis eſt conjugalis, in qua non paucæ ſunt devorandæ moleſtiæ; libentius enim vivit cum pulchra uxore, ſi moribus ſit commodis & virtute prædita, maritus: qui cum per ſe amabilem habeat uxorem, hac ratione ab omni mala concupiſcentia aliena retrahitur, ac jucundiorem cum ea ſocietatem fovet &c. Sed prætereà id notandum eſt, in conjugiis ineundis etiam inter eos, qui non præcipites ruunt, ſed maturo conſilio deliberant & prudenter ſe gerunt eſſe naturalem quendam & ſecretum affectum & velut συμπάθειαν, amorem illum conciliantem; qui initio Iacobum movit &c.*

Q. Cum

Q. Cum poſſet Iacob de alia mercede paciſci & ambire cognatæ matrimonium alio titulo, cur id non potius fecerit, quam ſibi injecerit laqueum ſeptennii: præſertim cum honorificum magis fuiſſet tam ei quam puellæ, ſi eam tanquam ingenuus ingenuam accepiſſet: ut & conqueruntur filiæ cap, 31. v. 15. Rivetus reſpondet iterum. *Animadvertendum ergò, morem illum fuiſſe apud Orientales, ut ex utraque parte tam mariti quam uxoris dos aliqua numeraretur. & marito præſertim hoc fuiſſe impoſitum.* Cujus rei duo habemus clariſſima exempla. Affert exemplum Sichemi Gen. 34. 12. & Davidis 2. Sam. 3. 14. *Ex quibus*, inquit *apparet parentibus fuiſſe datam dotem & munera à futuro marito: ſed viciſſim dabatur etiam dos marita à parentibus nomine puellæ. Imò ex querela filiarum Labanis, dos data à marito videtur debuiſſe ſervari uxori. Alioquin non juſte conquererentur de patre, quod pretium illud, quo velut coëmpta fuerant, dilapidaſſet aut in uſum ſuum convertiſſet. Hic mos contrahendi etiam apud Romanos in uſu fuit, qui coëmptio dicebatur: in qua ſe mutuò coëmebant maritus & uxar. Non tamen videtur eadem ratio exemplorum, quæ adduximus: ubi quicquid dicunt uxores Iacobi poſteà, munus illud ſponſalitium dabatur parentibus, & in poteſtate parentum manebat etſi dos vacaretur. Quid enim uxori Davidis cum Philiſtæorum præputiis? Apud Romanos mutua fuit coëmptio inter maritum & uxarem, per quam alter in alterius bona & communionem omnium tranſibat: at inter* Orientales, emebant ſibi uxores mariti, non contra. Non erat tamen emptio propriè; quia non ſolvebatur juſtum pretium rei, ſed recognitio quædam & velut honorarium dabatur. Itaque etſi non fuerit *plane contra morem*, ut Iacob aliquid obtulerit & Laban acceperit: fuit tamen contra morem; imò jus & æquum, quod à conſanguineo tum inope & exule, tot annorum *ſit ſtipulatus ſervitutem pro uxore.*

LIA SUPPONITUR] Impleto tempore, Iacob poſcit uxorem. מלאו ימי. Raſi: *Quos dixit mihi mater mea. Porrò, Impleti ſunt dies mei, quia ego ſum annorum 84. & quando conſtituam duodecim tribus? & hoc eſt quod dicitur, ut ingrediar ad eam. Et nonne levis, qui inter leves eſt, non loquitur ſic? Sed ad procreandum generationes ſic loquitur.* Putant urſiſſe lecti conſortium & ita indecenti ſermone locutum eſſe, quia prolis deſiderio flagraret. Impletos eſſe dies dicit. Petit uxorem ſuam: Ita appellat ratione ſponſaliorum non matrimonii conſummati.

Omnibus loci viris coactis convivium facit Laban. Nuptiale convivium: εὐωχίαν τ͂ γάμου, ut loquitur Ioſephus, משתה *συμπόσιον* in Hebræo. Nocte illa Laban ad Iacobum introduxit Liam, cui ancillam dat appellatam Zelpham. Ad eam cum Iacob fuiſſet ingreſſus, facto mane agnovit eſſe Liam. De qua re cum ſocero expoſtulat: quia pactus erat de Rachel. Diſcimus noctu ad ſponſum introduci ſolitas eſſe ſponſas: qua ratione earum pudori fuit conſultum. Videtur Scripturam innuere, quod ipſe pater introduxerit. Mercerus: *Quid, interimne tacere potuit Rachel, rei non ignara? Sed eam moleſtiam autoritate patris devorare coacta eſt; ſicut & Lea præter ſpem, quod id ex ejus uſu eſſet alias locabilis, huc adducta eſt mandato patris, nec recuſans, quantum credibile eſt. Magnam tum oportuit patriam poteſtatem in filias fuiſſe, ut Rachel ſe continere potuerit in tam aperta fraude ſibi & chariſſimo (non dubito) ſponſo facta. Imo Hebræi inquiunt eam veritam ne ſoror erubeſceret & ignominia perfunderetur, ſi eam Iacob nocte cognoſceret, ei tradidiſſe ſigna ſua quæ ſibi Iacob dederat. Sed quomodo tota iſta nocte tacere potuit & non vel aliqua emiſſa voce ab eo dignoſci: qui utramque tot jam annis noviſſet?* Mercerus ad hanc quæſtionem à ſe propoſitam reſpondet: Non dubium eſt à patre tacere juſſam, aut ſi maximè urgeretur

loqui rogata à Iacob, ſimulare quantum poſſet ſororis vocem. Hebræi tribuunt Iacobi verecundiæ, qui modeſtè contentus fuerit opus conjugale exſequi abſque vocis irritamentis. Hoc non improbat Mercerus & admittit quod alii de noſtris volunt, ita intentum fuiſſe & velut externatum mente, ut non animadverterit, quod in manibus erat. Idem eveniſſe Loto, inceſtum committenti cum filiabus ſuis, extra ſe velut conſtituto ob recentem mœrorem cladis Sodomenæ. Ioſephus tribuit nocti & ebrietati: *συνελθὼν δ᾽ ἐκεῖνος ὑπὸ μέθης ϗ σκότους.* Addi poteſt non fuiſſe ſuſpicatum fraudem à ſocero & in domo ſoceri. Hebræi etiam vidiſſe aut contrectaſſe volunt סימנין / quæ à Iacobo ſuæ Racheli data, ipſa tradiderit ſorori.

An peccavit Iacob, qui non ſuam cognovit? Non peccavit, quia ignorans peccavit poſt diligentiam debitam, è qua moraliter certus eſſe poterat. Quia debuit credere hactenus ſocero, nec tenebatur candelam accendere. Lyranus de his quæſtionibus ita: *Sed quæratur ſic, quare non cognovit eam de nocte? quia ad vocem vel ad tactum potuit eam cognoſcere, cum jam per ſeptem annos manſiſſet in eadem domo? Hic dicendum, quod in hoc oſtenditur laus ipſius Iacob: primò, quod nocte illa forſitan non tetigit, ſed continens ab ea orationi vacavit, ſicut & de Thobia legitur. Secundo quod ſi tetigit eam carnaliter, oſtenditur hic, quod non quæſivit in uxore ſua blanditias meretricias in tactibus & verbis, ſed magis ea uſus eſt in caſtitate maritali. Si autem quæratur per hoc an inter ipſum & Lyam fuit matrimonium? Dicendum quod non, quià ad matrimonium neceſſariò requiritur conſenſus, ipſe autem tum conſenſerat in Rachelem nec peccavit ſi cognovit tunc non ſuam, quià fuit per ignorantiam facti, quæ excuſat ex toto, adhibita tamen diligentia ſufficiente, quod & fecit Iacob, quià in talibus non requiritur magna perſcrutatio, & maximè, quia Iacob non habebat cauſam dubitandi de fraude.* Meritò expoſtulavit cum ſocero, homine avaro & veteratore, Ille enim ut Iacobum retineret, filias ambas vendidit. Abuſus Iacobi amore illi addixit Rachelem, pro qua ſuppoſuit Liam, ut aut dilecta careret, aut ſeptennium alterum ſerviret. Rivetus: *Iacob videbat ſe fruſtratum ſpe: Cognatam virginem amiſſa pudicitia à ſe etſi rei ignaro, in eo ſtatu poſitam eſſe, in quo nec eſſet vera & legitima uxor; nec alterius nuptias poterat exſpectare, Dilectam ſuam Rachelem, alteri fortaſſis ſervari & ita labores ſuos fruſtra exantlatos conquerebatur.* Laban defendit ſe loci conſuetudine, quam cum paciſceretur & hactenus ſiluerat, ut illum illaquearet. Ea conſuetudo, ex communi velut naturæ dictamine, paſſim obtinuit & obtinet, fortaſſis in eo loco ſtrictius obſervata. At debuiſſet Laban indicare, qui ſciret conſenſum in matrimonio requiri & rem eſſe voluntariam, conjugium, ſi ulla ſit. Non peccavit igitur Iacob petendo ſed Laban promittendo contrà loci conſuetudinem, quam ſciebat & hic urget in ſuum commodum. Perfidia erat hic, qua mercedem intervertit, deinde proſtituit filiam eamque adducit in periculum perpetui opprobrii. Alteram filiam matrimonio privat. Iacobum ſtupri peccato, quantum in ſe erat, involvit.

Laban autem, ut Iacobum retineret, filiamque tueretur, poſcit alterum ſeptennium pro Rachel: qua ratione duas ſorores eidem marito copulare annititur ex dictamine ſordidiſſimæ avaritiæ. Muſculus: *Hic aperit conſilium fraudis ſuæ plane iniquum & proprii emolumenti ſordide ſtudioſum. Si dixiſſet, Et dabitur tibi etiam iſta pro ſervitute, qua ſerviiſti mihi ſeptem annis præteritis, videri poterat fraude hac nihil egiſſe aliud, quam ut & morem loci ſervaret & Leæ majori filiæ conſuleret. Iam verò ubi imponit Iacobo ſeptem adhuc alios annos, quibus ſibi pro Rachele ſerviat: manifeſte prodit, quod commodis non fili-*

arum ſed ſuis etiam iniquis rationibus conſulere voluerit. Scriptura dicit ſeptimanam hujus v. 27. Id alii intelligunt cum vulgato de ſeptimana annorum alii de ſeptimana dierum feſti nuptialis. Ex Iudic. enim cap. 14. colligitur, hunc morem fuiſſe uſitatum, ut per ſeptem dies agitaretur ſolennitas nuptiarum: hebdomadæ annorum in ſcriptis tantum propheticis locum habent. Hac ratione Laban voluit Iacobum ligare & confirmare matrimonium, quod ſciebat de jure non valere: niſi accedente conſenſu poſt errorem agnitum. Ioſephus: *ἅμα μεθ' ἡμέραν γνοὺς ἀδικίαν ἐπεκάλει Λαβάνῳ· ὁ δὲ συγγνώμην ᾐτεῖτο τῆς ἀνάγκης, ὑφ' ἧς ταῦτα πράξειεν. οὐ γὰρ κατὰ κακουργίαν αὐτῷ τὴν Λείαν παρασχεῖν, ἀλλ' ὑφ' ἑτέρας μείζονος νενικημένον. Τοῦτο μέντοιγε οὐδὲν ἐμποδίζειν πρὸς τὸν ῥάχηλος (f. ῥαχήλας) γάμον, ἀλλ' ἐρῶντι δώσειν ταύτην μετ' ἄλλην ἑπταετίαν. Πείθεται δὲ ὁ Ἰάκωβος. οὐδὲν γὰρ ἕτερον αὐτῷ ποιεῖν ὁ τῆς κόρης ἔρως ἐπέτρεπε. Καὶ διελθούσης ἄλλης ἑπταετίας τὴν ῥαχήλαν παρέλαβεν.* De annis ſeptem accepit aut confudit (in Scripturæ lectione) ſeptennium ſervitutis cum ipſis nuptiis. In eadem ſententia fuit Chryſoſtomus. Hieronymus in quæſt. Hebraicis: *Poſtquam Leam Iacob fraude deceptus pro Rachel uxorem acceperat; dicitur ei à ſocero Laban, ut ſeptem dies poſt nuptias ſororis prioris expleat: & ſic accipiat Rachel pro qua iterum ſeptem annis alius ſerviturus ſit. Non igitur, ut quidam malè exiſtimant, poſt ſeptem annos alios Rachel accepit uxorem; ſed poſt ſeptem dies nuptiarum uxoris primæ.* Auguſtinus quæſt. ſuper Geneſin, 89. *Si parum advertatur rei hujus narratio, putabitur quod poſteaquam Iacob Liam duxit uxorem, deinde ſervivit alios ſeptem annos pro Rachel, & tunc eam duxit. Veruntamen non ità eſt, ſed Laban ei dixit, Conſumma itaque ſeptimanam iſtius, & dabo tibi & hanc pro opere quod operaberis apud me adhuc ſeptem annos alios. Quod itaque ait,* Conſumma ſeptimanam iſtius: *ad nuptiarum celebrationem pertinet, qua ſeptem diebus celebrari ſolet. Hoc itaque ait; Imple dies nuptiarum ſeptem pertinentes ad iſtam quam duxiſti, & dabo tibi & hanc pro eò, quod operaberis apud me adhuc ſeptem annos alios. Deinde ſequitur, Fecit autem Iacob ſic, & implevit ſeptimanam ejus, id eſt, ſeptem dies nuptiarum Liæ, & dedit illi Laban Rachel filiam ſuam ipſi uxorem. Dedit autem Laban filiæ ſuæ Rachel Balam ancillam ſuam ei ancillam, & intravit ad Rachel. Dilexit autem Rachel magis quam Liam, & ſervivit illi ſeptem annos alios. Utique apparet, quia poſteaquam duxit Rachel, tunc ſervivit pro ea ſeptem annos alios. Nimis enim durum & valdè iniquum fuit, ut deceptum adhuc differret alios annos ſeptem, & tunc eam traderet quam primo debuit. Septem diebus ſolere nuptias celebrari, etiam liber Iudicum oſtendit in Samſone quando fecit potum ſeptem diebus. Et addidit Scriptura, quod ſic ſolerent facere juvenes; fecit autem hoc propter nuptias ſuas.* Raſi ad verba גם את זאת ſic ſcribit: מ״ד לאחר ז׳ ימי המשתה ותעבור לאחר נשואה Mox poſt ſeptem dies convivii & ſervies poſt nuptias &c. Id etiam ex Thalmud Ieroſolymitano docet haberi. Mercerus, quamvis שבוע de ſeptennio intelligat tamen mox datam eſſe Rachel concedit, idq; è ratione chronologiæ. Diſſertatio ejus iſta eſt: *Ambiguus eſt & obſcurus hic locus: Hebdomadam hujus, dubium eſt ad utram pronomen referatur Leamne an Rachelem. Item cum hebdomas Hebraice & dierum ſit & annorum, ut in Daniele; ubi hebdomadas tractat cap. 9. ſunt annorum hebdomades: in lege ubi ſeptem hebdmada à paſcha ad pentecoſten ſtatuuntur, dierum ſunt id eſt 49. dies: dubium eſt utrum hic ſit intelligendum. Hebræi & fere noſtri de ſeptem diebus nuptiarum Lea accipiunt, quod tempus nuptiis præſcriptum fuiſſe apparet ex Iud. 14. de Samſone, & Iob. 11. ſic ut & luctus fuere ſeptem dies deſtinati, ut infra credo ex luctu Iacob & Ioſeph ſub finem libri colligitur. Volunt ergò jubere Labanem ut prius 7. dies nuptiarum Lea expleat, ſicut noſter interpres vertit,* hebdomadem dierum hujus copulæ, *& Græci*

ἑβδομὰς

ἑβδομὰς πάντης, licet Gracè quoque ſit ambiguum: poſt illos expletos dandam ei etiam Rachelem: ſeorſim nuptiis ejus celebrandis, ne gaudium gaudio permiſceatur, ut hinc Hebrai colligunt, & ex alio loco cum Salomon 7. dies dicationi templi & 7. feſto tabernaculorum ſeorſim aſſignavit. Ramban putat quià deerat Iacobo aliquid de primo ſeptennio, Labanem hortari, ut id quod erat reliquum prius abſolvat, quo ſciatur unde poſteà initium ſit ſumendum ſecundi ſeptennii, quo pro Rachele ſit ſervit urus, cum prius ſeptenninm pro Lea fuerit juxta regionis conſuetudinem, qua non patitur minores elocari ante majores, verum nos ſupra in illud מלאו ימ׳ *aliter ſenſimus. Ego ex toto loci progreſſu non exiſtimo colligi poſſe de alio ſeptenario quam annorum fieri hic mentionem. Itaque expono, exple ſeptenarium iſtius, Rachelis ſcil. & quod per ſeptenarium intellexerit 7. annos, oſtendit mox ſe declarans, pro ſervitute quam ſervies apud me aliis rurſum 7. annis. Hic eſt ſimpliciſſimus ſenſus. Haud tamen velim eum diſtuliſſe ei dare Rachelem ad finem uſque ſeptennii poſterioris, quod nimium iniquum & durum fuiſſet cum jam ſeptennio primo toto pro illa & illius reſpectu ſerviſſet; exigere ab illo & expletionem poſterioris, licet hoc verba Laban ſonare videantur. Facilè enim potuit ei dare ante illud expletnm Laban, quia cum jam Leam haberet, & Rachelem impenſius amaret, non timebat ne ille abiret, quià ligatus erat; aut Rachelem ſecum abduceret, quod in externa regione illa non ſucceſſiſſet. Et hoc etiam videtur indicare Laban cum ait, & dabimus &c. pro ſervitute quam ſervies, quam teneberis ſervire pro ipſa quam tibi propediem daturi ſumus: nam exiſtimo vel eodem anno vel non multo poſt Leam, datam ei fuiſſe Rachelem, & id omnino arguit quod de provocatione liberorum ex utraque infra dicetur, quià invidit Rachel fœcunditati ſororis ſe videns ſterilem, quod non feciſſet, ſi in fine tantum ſecundi ſeptennii, id eſt, 14. annorum nupſiſſet Iacobo: nam & antè Ioſephum natum in fine haud dubiè poſterioris ſeptennii, ancillam Bilham dederat Iacobo, in ſupplementum ſui. Itaqne omninò cogimnr dicere ante ſeptennium ſecundum abſolutum junctam & traditam Rachelem Iacob, licet 7. rurſum annis pro ea ſervierit, quos explere teneretur, licet eam duxiſſet. Et ſane illis 7. annis poſterioribus oportuit duodecim liberos naſci, quod non potuit fieri ſi Rachel non niſi in fine eorum nubat, nec tota temporum ſupputatio conſtabit, ſicut nec ſi jam inde à primo ſeptennio dices ductam Leam cum Rabbi Levi. Quomodo enim nondum nupta Rachel ſororis fœcunditati invideat, & quomodo ſe ſterilem deprehendat, ſi viro non jungatur, niſi in principio ſecundi ſeptennii hoc cognoſcens aliquot congreſſibus cum marito dolet de fœcunditate ſororis prioris ſeptennii.* Hactenus Mercerus. Duabus cauſis maximè adductum fuiſſe Iacob, ut Leam admitteret, ſcribunt interpretes: quas ita Cl. Rivetus explicat: *Dua fuerunt cauſa qua* optimum virum induxerunt, ut Labano obtemperaret; quarum prima fuit metus: cum enim in Meſopotamia ſolus eſſet in avunculi poteſtate, qui amicis & clientelis plus valebat, videbat ſe vix evadere poſſe, niſi ſe ejus voluntati ſubmitteret in Lia ducendâ. *Addi potuit conſideratio ablati pudoris in cognata, etſi non ſine ejus culpâ, qua fraudi conſenſerat. Ille tamen cum apud ſe cogitaret, à ſe fuiſſe defloratam, & forte gravidam factam, adductus fuit ad eam retinendam, ſed præcipuam rationem fuiſſe puto, quod eâ lege promitteretur ipſi Rachel, in quam ferebatur affectu non vulgari. Quod ſiquis quarat, an debuerit ex conſcientia retinere Leam, & eam uxorem accipere? Certum eſt, ad id nullo jure potuiſſe cogi, quia non intervenerat conſenſus, quem error in perſona excludit, & per conſequens excludit matrimonium. Ergo ſi eam rejeciſſet, non peccaſſet adverſus divinas vel etiam humanas leges, nec id potuiſſet Laban ab eo ex jure exigere. In hac igitur quaſtionis parte, vix eſt aliqua controverſia. Alia ſupereſt, an peccaverit eam retinendo; vel ut de actione non loquamur, quia etiam aliàs licita actio poteſt vitiari per circunſtantias; an aliqua*

qua

qua ratione id facere potuerit, nempè in Lea tanquam uxore acquieſcere ſine peccato? Negent viri docti, & apertè pronuntiant, peccaſſe retinendo Leam, nec potuiſſe retinere cenſent, poſt ſororem deſponſatam. Facilis eſſet reſolutio ſi quæreretur ſimpliciter, an qui erravit in perſona, poſtea errore agnito, poſſit contrahere cum ea ſine peccato. Hoc enim extra dubium eſt, errore nempe perſeverante, conjugium fuiſſe nullum? ſed conſenſu ſuperveniente, factum fuiſſe legitimum. Hic circumſtantia perſonarum & præcedentium actuum, difficultatem auget. Contraxerat Iacob cum Rachele, nec erat ei animus, cum ſororem ejus retinebat, prius illud pactum reſcindere. Cum ergò maneret conſenſus in Rachelem, & conjugalis affectus, liber non erat, ut cum aliâ matrimonium iniret, niſi id licuerit per polygamiam, de qua antea pluribus à nobis dictum eſt in caput quartum, ubi actum fuit de primo polygamo & ea occaſione de polygamia patrum, Exercitatione vigeſimâ ſextâ; ubi inclinavimus in ſententiam eorum, qui polygamiæ conſuetudinem ſub Veteri Teſtamento, inter ſanctos illos Patres, peccati rationem non habuiſſe putant, etſi ſub Novo Teſtamento expreſſè fuerit prohibita. Non quidem quod ab initio regula communis non fuerit, de duobus in una carne, ſed qua tamen exceptionem habuerit ad tempus in populo Dei, per divinam diſpenſationem, quod ideò concedendum judicavimus, quià alioqui non poſſent ſanctiſſimi Patres à graviſſimo peccato excuſari, in quo quia ad finem uſque perſeverarunt ſine pœnitentia non video, quomodo pro ſanctis haberi poſſent, niſi eos Deus abſolviſſet à communis legis ſententia, ſublata obligatione ejus quantum quidem eos ſpectabat. Quo poſito poteſt etiam excuſari polygamia Iacobi, nec ejus ſanctitati derogabit, quod plurium uxorum factus eſt maritus, non ut libidinem expleret, ſed ut in ætate jam provecta, ad quam non pervenerat cælebs ſine continentiæ Teſtimonio, liberis ita operam daret, ut tempore quod ipſi ſupererat, familia ejus multiplicaretur abundè. Hactenus Cl. Rivetus Iacobi polygamiam defendit & reliquorum patrum. Conſtat in principio Deum creaſſe hominem marem unum & feminam unam. Ita lex eſt in ipſa creatione poſita & obſervata donec eam Lamech violaret. Conſtat raram fuiſſe patrum polygamiam & non legi ante hoc factum Iacobi, quo eum neceſſitas induxit. Non legi ut aliquis plures uxores duxerit, quamvis concubinæ aſſumptæ fuerint, uxorum voluntate non arbitrio maritorum. Id factum in Hagar, in Balha & Zelpha ancillis uxorum Iacobi. Lex igitur fuit naturalis monogamiæ cæterum ſecundaria quadam ratione, ut quidam volunt. Hanc Deum in patriarchis peculiari ratione laxaviſſe, arbitratur Rivetus. Nam de polygamia diſſerit exercitatione in Geneſin 45. ubi poſt fuſam aliarum ſententiarum enarrationem ita ipſe concludit: *Quid igitur, dicemusne cum patribus pleriſque Deum ſpecialiter polygamiam Patribus permiſiſſe? Si* permiſſio *ſumatur pro ſimplici tolerantia, non excuſat eos à peccato, quia Deus etiam maximos peccatores tolerat; Si verò intelligamus nomine* permiſſionis, *licentiam facti, qua Deus liberat homines ab obligatione legis alicujus, tunc peccati ratio tollitur. Talem igitur permiſſionem interveniſſe cenſemus, qua notaris carentiam obligationis, & fuerit licentia faciendi utrumlibet, ſeu multas uxores ducendi, ſeu unicam ſibi conjungendi. Deum igitur dicimus, in prima quidem conjugii inſtitutione ſanciviſſe quid communiter conveniens eſſet, & in perpetuum ab omnibus ſervari vellet, & quaſi regulam generalem propoſuiſſe, cui exceptionem aliquam dare non fuerit in hominis poteſtate. Peccaſſe itaque Lemechum id attentando, non accepta à Deo licentia, ſed ſua ductum libidine. At, quia Abrahami ſemen multiplicari volebat Deus, Deum circa legem illam exceptione uſum fuiſſe probabile cenſemus, & à communis legis obligatione Iſraëlitas abſolviſſe, licentiamque conceſſiſſe, plures uxores ducendi, quod cum facerent, non peccabant, ſublata à Deo legis obligatione, quantum quidem eos ſpectabat.*

ctabat. Quod niſi concedatur, vix poteſt excogitari valida ratio, qua poſſint patres excuſari à graviſſimo peccato, & perſeverantia in illo.

Sunt qui ut probent non ſolum permiſſionem illam, ſed aliquando neceſſitatem & mandatum Polygamiæ, producunt legem illam quæ habetur Deut. 25. verſ. 5. Quando habitaverint fratres ſimul, at unus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui. *Ex quo ſic argumentantur, Quod Deus fieri vult & præcipit, peccatum intrinſecè non eſt, ſed tantum ratione prohibitionis poſitivæ. At Deus Polygamiam voluit & præcepit. Ergò Polygamia, ſublata ratione & obligatione Legis poſitivæ, quod fit per permiſſionem vel mandatum, peccatum non eſt. Argumentum valeret ſi oſtendi poſſet, non aliter poſſe ſuſcitari ſemen defuncti, quam per eum qui jam alteri uxori eſſet alligatus. Sed ut benè notavit Beza, loquitur lex de fratribus una habitantibus, id eſt, qui nondum diſtinctas habent familias, & videtur intelligi debere ſuſcitatio ſeminis facienda ab eo, qui nondum ſibi uxorem aſſumpſerat. Quod enim objicitur de Booz, qui duxit Ruth, uxorem relictam ab Abimelecho cognato ſuo, non evincit quod volunt, quià etſi ibi dicatur Booz habuiſſe filias, proinde fuiſſe aliquando conjugatum, tamen viduus tunc eſſe potuit. Ad id ergo probandum, Deum aliquando in ea lege indulſiſſe, non opus eſſe cenſemus alio argumento, quam facto Sanctorum, benedictione divinâ, ſilentio Prophetarum, & ſimilibus rationibus, quas adduximus.* Auguſtinus antequam tranſeat ad allegorias literalem ſenſum in facto Jacobi defendit contra Fauſtum Manichæum lib. 22. cap. 47. & 48. *Iam verò*, inquit, *filio ejus Iacob, quod pro ingenti crimine quatuor objiciuntur uxores, generali prælocutione purgatur. Quando enim mos erat crimen non erat: & nunc propterea crimen eſt quià mos non eſt. Alia enim ſunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cum ità ſint, quod tandem criminis eſt, quod de pluribus ſimul habitis uxoribus objicitur ſancto viro Iacob? Si naturam conſulas, non laſciviendi ſed gignendi cauſa illis mulieribus utebatur. Si morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur. Si præceptum, nulla lege prohibebatur. Nunc verò cur crimen eſt, ſi quis hoc faciat, niſi quia & moribus & legibus non licet? Quæ duo quiſquis contempſerit, etiam ſi tantummodo cauſa generandi uti poſſit fœminis pluribus, peccat tamen, & ipſam violat humanam ſocietatem, cui neceſſaria eſt propagatio filiorum. Sed quia homines aliter ſe habentibus jam moribus & legibus, non poſſunt delectari uxorum multitudine, niſi libidinis magnitudine: ideò errant, & putant haberi omninò non potuiſſe uxores multas, niſi flagrantia concupiſcentiæ carnalis, & ſordidæ voluntatis. Comparantes enim non alios, quorum animi virtutes prorſus noſſe non poſſunt, ſed, ſicut ait Apoſtolus, ſemetipſos ſibimet ipſis non intelligunt. Et quià ipſi etiam ſi unam habuerint, ad eandem non ſolum generandi officio ducti, viriliter accedunt, ſed ſæpè coeundi ſtimulo victi, enerviter pertrahuntur: quaſi veraciter ſibi videntur conjicere, quam majore hujuſmodi morbo, per multas alii captiventur, quando ſe vident in una temperantiam non poſſe ſervare. Verum nos eis, qui hanc virtutem non habent, ita de ſanctorum virorum moribus judicium committere non debemus, ſicut de ciborum ſuavitate ac ſalubritate judicare febrientes non ſinimus: potiuſque illis ſanorum ſenſu & præcepto medicamine, quam ex eorum ægritudine alimenta præparamus. Proinde iſti ſi volunt, non falſa atque adumbrata, ſed vera ac ſolida pudicitiæ capere ſanitatem, divinæ ſcripturæ tanquam libris medicinalibus credant: non fruſtra tam magnum honorem ſanctitatis tributum quibuſdam viris, etiam plures uxores habentibus, niſi quià fieri poteſt, ut imperator carnis animus tanta temperantia poteſtate præpolleat, ut genitalis delectationis motum inſitum naturæ mortalium, ex providentia generandi, leges impoſitas non permittat excedere. Alio-*

quin

quin poſſunt iſti maledici potius calumniatores, quam veridici judices, etiam ſanctos Apoſtolos accuſare, quod non voluntate generandi filios vita æterna, ſed cupiditate laudis humana, populis tam multis Evangelium prædicaverint. Neque enim deerat Evangelicis illis patribus per omnes Chriſti eccleſias fama præclara, tot linguis laudantibus comparata: imò verò tanta aderat, ut major hominibus ab hominibus honor & gloria deferri non debeat. Hanc in eccleſia gloriam perverſa voluntate Simon perditus concupivit, quando ab eis pecunia voluit cæcus emere, quod illi divina gratia eademque gratuita meruerunt. Hujus avidus gloriæ fuiſſe intelligitur, quem ſe volentem ſequi, Dominus in Evangelio revocat, dicens: Vulpes foveas habent, & volucres cæli diverſoria: filius autem hominis non habet, ubi caput ſuum reclinet. Videbat enim eum doloſa ſimulatione tenebroſum, & ventoſa elatione jactatum, non habere fidei locum, ubi ſe inclinantem doctorem humilitatis exciperet: quià in diſcipulatu Chriſti non illius gratiam, ſed ſuam gloriam requirebat. Hoc amore gloriæ corrupti erant, quos Paulus Apoſtolus notat quod per invidiam & contentionem non caſtè Chriſtum annunciarent: quibus tamen prædicantibus gaudet Apoſtolus, ſciens fieri poſſe, ut dum illi ſectantur humanæ gloriæ cupiditatem, tamen his auditis fideles naſcerentur: non ex eorum invida cupiditate, qua ſe volebant vel æquari vel anteponi Apoſtolicæ gloriæ: ſed per Evangelium, quod etiam ſi non caſtè annunciabant, ut de malo illorum Deus operaretur bonum. Sicut fieri poteſt, ut homo ad concubitum non ingrediatur voluntate generandi, ſed luxuriandi libidine rapiatur. & tamen naſcatur homo, bonum Dei opus de fæcunditate ſeminum, non de turpitudine vitiorum. Sicut ergò ſancti Apoſtoli auditoribus admirantibus doctrinam ſuam, condelectabantur, non aviditate conſequendæ laudis, ſed paritate ſeminandæ charitatis: ità ſancti Patriarchæ conjugibus excipientibus ſemen ſuum, miſcebantur non concupiſcentia percipiendæ voluntatis, ſed providentia propagandæ ſucceſſionis: ac per hoc nec illos ambitioſos multitudo populorum, nec illos libidinoſos multitudo faciebat uxorum. Sed quid de viris loquar, quibus excellentiſſimum teſtimonium divina voce perhibetur, cum ipſas fœminas ſatis eluceat nihil aliud in concubitu appetiſſe, quam filios: quippè ubi ſe minimè parere viderunt, famulas ſuas dederunt viro ſuo, ut illæ matres facerent carne, ipſæ fierent voluntate.

Inde Jacob ſuis uxoribus cohabitat. Polygamiæ malum, maximè inter ſorores (quod Deus ideò in lege vetuit) æmulatio fuit. Jacob primo magis inclinavit in ſuam Rachel; quam jam olim delegerat, quamvis & Leæ nec affectum nec officium conjugis videatur denegaſſe. Poſſumus enim in æque devinctorum amore ſatis facere, & ſi animus in hunc illumve magis propendeat. Deus temperamentum adhibuit, qui occluſa Rachele Leæ uterum fecundavit. Quatuor igitur filios ordine peperit, cum Rachel ſteriles annos conſumeret. Hæc ideò æmulatione accenſa Iacobo cauſam ſuæ ſterilitatis impatienter objecit. Uti traditur in principio cap. xxx. Viro igitur ſuppoſuit ancillam ex qua duos filios ſuſtulit Dan & Naphthali. Leæ uterus interim poſt primos quatuor filios conquieverat, ideoque ſororem imitata & ſuam ancillam marito ſubjecit, quæ peperit Gad & Aſer. Hebræi Rachel imitatione Saræ ancillam marito dediſſe dicunt. Et matres prophetiæ Spiritu noviſſe, quod duodecim tribus è quatuor uxoribus eſſet editurus. Unde & Leam edito tertio filio, exultaſſe nomine Levi, quod ſuam portionem jam haberet. Quamvis & alias nominis rationes reddant. Nam & Gabrielem deſcendiſſe narrant & illi dediſſe כ״ר מתנות כהונה. Fortuita autem ſororum contentio, aut muliebris luſus, quo mandragoris filii ſui Ruben, proximam noctem (Racheli ex ordine debitam) Lea redemerat, ortui Iſſachar locum fecit. Poma illa (ut interpretes habent) mandragoræ Hebraicè דודאים appellantur. Recte Cl. Druſius

ſius antiquam verſionem retinendam eſſe cenſuit, nec ad etymon vocis reſpiciendo, immutandam contra veterum conſenſum: quamvis nimis acerbus fuerit in virorum optime meritorum & doctiſſimorum impugnatione. Sententiam Druſii etiam comprobat Nicolaus Fullerus Miſcellan. ſacr. lib. 6. cap. 6. *Vocabulum* דודאים *|* inquit, *Gen. 30. 14. R. Salomon herbam deſignare tradit, qua lingua Iſmaëlitica ſive Arabica* יסמין *appellatur. Ieſemin autem Arabicè dicitur* λευκοΐον, *id eſt*, Alba viola; *ut monet Matthæus Sylvaticus. Violam verò palam eſt florem eſſe ſpectatiſſimum, ob eximiam pulchritudinem, & adorem gratiſſimum. Idirco eum, tanquam florem præcipuum inter* στεφανωματικοὺς *ſeu coronarios Theophraſtus apud Athenæum numerat: additque* λευκοῖον πρῶτον τῶν ἀνθέων ἐκφαίνεσθαι. *Idem teſtatur quoque Plinius, nempe*, Violam albam primam florum Ver nunciantium emicare. *Ac ſtatim ſubjungit*, eandem è cæteris maximè durare. *Hoc ergò, quod attulimus, an ſatis ſit cauſa ad efficiendum, ut aut generatim Viola, aut privatim Viola alba* דודאים *habeantur, eruditis dijudicandum relinquo.*

Septuaginta tranſtulerunt μανδραγόρας, *ſive* μῆλα μανδραγορῶν, *hoc eſt, Mandragoras, vel Mala mandragorarum. Quam expoſitionem non ſolum vetus Latinus ſed doctiſſimi etiam Hebræorum Interpretes Aben Ezra, Kimchius, Paraphraſtes Chaldæus, alii, ſuffragiis ſuis comprobarunt. Omnes enim* יברוחין *verterunt, vocabulo Arabico uſi Iabroa, vel Iabroh, ſive Iabroc, quod Mandragoram denotat, ſicuti monet Matthæus Sylvaticus. Et paucis illis Scripturæ locis, ubi vox* דודאים *reperitur, ſatis rectè convenire exiſtimetur. Primum enim illud animadverti velim (quod eſt à Dioſcoride annotatum) Mandragoram* φίλτρους, *vel Amoris illecebris, idoneum habitum fuiſſe à veteribus. Nam & nomen Hebræum* דודאים *| perinde ſonat, acſi dicas* φίλτρα *vel* Amatoria. *Unde Mandragoras, & cupidiſſimè appetivit Rachel, & ægerrimè eidem conceſſit Lea. Illa, nequid ſorori ſuppeteret, quo mariti à ſe amor ad eam transferretur; hæc, nequa re careret, cujus beneficio conciliari poſſet idem amor, atque confirmari. Huc accedit Mandragoræ vis* ὑπνωτικὴ, *id eſt, ſomnifica: quæ vel hanc ob cauſam Veneri grata eſt & amica, quod retinendi ſeminis facultatem vulvæ conferat, ut docent Medici. Præterea purgando ad conceptum prodeſſe Mandragoram monent rerum naturæ periti. Licet Aben-Ezra profiteatur ſe neſcire quomodo id fieri queat. Indeque credibile eſt emanaſſe cognomentum quoddam Veneris apud Heſychium, ut Mandragoritis appellaretur. Tradit porrò Dioſcorides, Mandragoræ mala alicubi eſitari ſolita à paſtoribus: qualis erat Iacobus una cum ſuis omnibus uxoribus, liberis, ſervis. Neque mirum eſt Rubeni, ſicut & Mulierculis, arriſiſſe mala illa, quippe quæ amabilia eſſent (ut ait Lemnius) blanda, odorata, pulchra denique, nempe gallinacei ovi vitello ſimilia, hoc eſt, colore tanquam aurea. Sic Dioſcorides teſtatur, eadem* κροκίζοντα τῇ χροιᾷ, *ideoque oculis grata eſſe: Et* εὐώδη μετὰ βάρους τινὸς, *hoc eſt moderatè, non vehementer fragrantia: Idcirco naribus item non injucunda. Quod objicitur de Mandragora tardius matureſcente, facilè diluit regionum cœlique permagna varietas. Et tempora meſſis triticeæ, præſertim prima, ſatis præcocia erant apud populos illos Orientales.* Auguſtinus de his mandragoris ita contra Fauſtum Manichæum lib. 22. cap. 56. *Eſt vero quidam Liæ filius ex beneficio Rachel editus, cum virum ſuum ſecum debita nocte cubiturum, acceptis à filio Liæ mandragoricis malis, cum ſorore cubitare permittit. De hoc autem pomi genere opinari quoſdam ſcio, quod acceptum in eſcam, ſterilibus fœminis fœcunditatem paret: ac per hoc putant omnimodo inſtitiſſe Rachel, ut hoc à filio ſororis acciperet cupiditate pariendi: quod ego quoque arbitrarer, ſi tunc concepiſſet. Nunc verò cum poſt Liæ duos alios ab illa nocte partus, Dominus eam prole donaverit, nihil eſt cur de mandragora tale aliquid ſuſpicemur, quale in nulla fæ-*

mina

mina experti ſumus. Dicam ergò quid ſentiam, dicent hic fortè meliora doctiores. Cum enim hac mala ipſe vidiſſem, & propter iſtum ipſum ſacra lectionis locum id mihi obtigiſſe gratularer, rara enim res eſt, naturam eorum diligenter, quantum potui, perſcrutatus ſum: non aliqua à communi ſenſu remotiore ſcientia, qua docet virtutes radicum, & poteſtates herbarum: ſed quantum mihi & cuilibet homini renunciabat viſus & olfactus & guſtus. Proinde rem comperi pulchram & ſuavè olentem, ſapore autem inſipido: & ideo cur eam mulier tantopere concupiverit, ignorare me fateor, niſi forte propter pomi raritatem, & odoris jucunditatem. Raſi: דודאים' שגלי עשב הוא ובלשון ישמעאל יסמן. Abeneſdras: *Thargum dicit* יברוחן & *ſic vocant in lingua Iſmael, eſtque ipſis odor bonus: quomodo ſcriptum*; Dudaim dant odorem. *Suntque in forma hominis: quia ipſis eſt forma capitis & manuum. At ego non novi quomodo facere poſſint ad conceptionem* בעבור שתולדתם קרה / *quum natura eorum ſit frigida.* Lyranus: Dicunt aliqui, quod iſta poma accepta in eſcam adjuvant in mulieribus virtutem concipiendi. Unde & radix habet ſimilitudinem *humanam: & eſt ibi arbor maſculina cujus radix habet hominis ſimilitudinem & feminina, quæ habet femininam figuram.* Nomina filiorum Jacob, qui geniti intrà ſeptennium è quatuor uxoribus, ita interpretatur Joſephus:

1 Ruben: Ῥούβηλον ὀνομάζει, τὸν υἱὸν, διότι κατ' ἔλεον αὐτῇ τοῦ θεοῦ γένοιτο, τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ ὄνομα.
2 Simeon: Ἀποσημαίνει τὸ ὄνομα, τὸ ἐπήκοον αὐτῇ τὸν θεὸν γεγονέναι.
3 Levi: Κοινωνίας οἷον βεβαιωτής.
4 Juda: Ἰούδας, εὐχαριστίαν τοῦτο δηλοῖ.
5 Dan: Θεόκριτος.
6 Nephthali: Εὐμηχάνητος.
7 Gad: Τυχαῖος.
8 Aſer: Μακαριστής.
9 Iſſachar: Ἐκ μισθοῦ γενόμενος.
10 Zabulon: Ἠνεχυρασμένος εὐνοίᾳ τῇ πρὸς αὐτήν.
11 Dina: Non interpretatur.
12 Joſephus: προσθήκη.

His omnibus matres, uxores non concubinæ (nequidem, quos illi pepererunt) impoſuerunt nomina, non à cognatis ſed ab eventu & caſu. Quærunt cur permiſerit Jacob, ut mulieres duodecim tribubus nomina ponerent? Hoc enim ipſorum ſuperbiæ intolerandum eſſe videtur. Reſpondent mulieres iſtas Jacobi uxores fuiſſe præditas Sp. prophetico. Alii Jacobi conſilio & monitu nomina poſuiſſe ferunt.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ

LIBER PRIMUS.

CAPUT UNDECIMUM.

RAchel deſperato jam partu, Joſeph edidit. Tum Jacob redire ad patrem cupiens, cum ei Laban ſocer partem pecorum mercedem ſervitii dediſſet, ob quæ parum ſibi eum æquum gener Jacob ratus, dolum ab eo ſuſpectans, clam profectus eſt viceſimo primo fere anno, quam advenerat. Rachel, viro inſcio, patris idola furto abſtulit: qua injuria Laban generum perſecutus, non repertis idolis, pace facta, regreſſus eſt; multum obteſtatus generum, ne uxores filiabus ſuperinduceret. Inde digreſſus Iacob vidiſſe angelos & caſtra Domini traditur. Sed cum præter regionem Edom, quam Eſau frater incolebat, iter deſtinaret, miſſis prius legatis & muneribus fratrem exploravit. Tum ille obviam fratri proceſſit: nec tamen Jacob ſe ultra fratri credidit. Sed pridie, quam inter ſe fratres convenirent, Dominus humana ſpecie aſſumpta, colluctatus cum Iacob refertur. Et cum adverſus Dominum prævaluiſſet, tamen non eſſe mortalem non ignoravit: benedici ſe ab eo flagitabat. Tum à Deo illi immutatum nomen eſt, ut ex Iacob Iſrael diceretur. Sed cum viciſſim à Domino nomen Domini quæreret, Non eſſe quærendum (quia admirabile eſſet) reſponſum eſt. Ex colluctatione autem, latitudo femoris Iacob obtorpuit.

DRUSIUS.

DESPERATO JAM PARTU] *cum jam partum non amplius ſperaret.*

JOSEPH EDIDIT] *nomen ex futuro quale Iareb, Græce* Ἰωσήφ. *Qui exponunt* Joſeph, addens, *arbitrati ſunt eſſe nomen ex Benoni, quos refellit plenior ſcriptura* יהוסף *Iehoſeph. Pſ. 81. 6. In libro nominum,* Joſeph augmentum. *Veritas interpretationis* Joſeph, addet. *Nam dicebat,* addet mihi Dominus filium alterum. *Dictus ergò non quod ipſe eſſet additus, ſed quod ſperaret alium addendum, aut quod addi optaret alterum. Nicolaus de Lyra,* ex deſiderio habendi ſecundum nominavit primum. *Natus fuit Ioſeph Iacobo annum agente nonageſimum primum, cum jam finiti eſſent anni quatuordecim, quibus ſervierat pro Rachele & Lia. De cæteris filiis Iacobi nihil conſtat. Qua de re Salmanticenſis in Iohaſin,* Jacob pater noſter, natus eſt anno ſexageſimo Iſaaci, qui erat annus mundi conditi bis milleſimus centeſimus octavus. *Et mox,* Quod filios ejus attinet, neſcimus quando nati fuerint, Joſepho excepto, qui patre Ægyptum ingreſſo, agebat annum trigeſimum nonum. Conſtat autem ex teſtimonio veritatis, minimè

nimè dubiò, Jacobum tunc habuiſſe annos centum triginta. Proinde Joſephum genuit anno nonageſimo primo ætatis ſuæ. Porro tum finiti fuerint anni quatuordecim, quibus ſervierat pro Rachel & Lea. Coniicimus autem Levi natum fuiſſe quum Jacob ageret annum 86. quinque videlicet annis ante Joſephum, & hoc apparet ex verbis ſapientum, quorum fauſta ſit memoria. A tempore quo editus fuit Joſeph, Jacob pavit oves Labani ſex annos: ecce 97. Idem cum Sichem verſus tenderet hæſit in Sochoth annum cum dimidio, ut R. Salomo ſcribit. Quod ſi verum eſt anno 99. Jacob venit in urbem Sichem, ac tum Levi filius erat annorum tredecim. Quo conceſſo natus eſt anno Jacobi 86. qui eſt mundi 2193. obiit autem anno 2331. Nam vixit 130. annos. Caath vixit 133 annos. Amram 130, ut avus ipſius Levi. *Hucuſque Salmanticenſis.*

PARTEM PECORUM] *Græci τὰ διάσημα, quibus ſignum vel nota impreſſa erat Chaldai* בכיריא *pecudes primores vel primi temporis, ut vertit Hieronymus. Alii, compactas. E contrario τὰ ἄσημα cedebant Labano; quas alii ſerotores pecudes; alii aliter interpretantur.*

DOLUM AB EO SUSPECTANS] *nam quià dolo eum circumvenerat, verebatur nè par pari referret: tum etiam ne uxores ſibi eriperet. Ergo etiam vim ſuſpectabat.*

CLAM PROVECTUS] *Inſcio ſocero, qui tum domo aberat ad tonſuram ovium profectus.*

VIGESIMO PRIMO FERE ANNO] *uſus eſt adverbio fere, ut ſupra pag. 12.* Vigeſimo ferè anno geminos edidit. *Nam utrobique redundare videtur. Vide Gen. 41. 4.*

PATRIS IDOLA] *τὰ εἴδωλα LXX. Alii aliter. Aquila μορφώματα Symmachus θεραφείν, quæ terminatio Chaldaica eſt, pro θεραφίμ. Sunt qui opinantur fuiſſe Deos penates ipſius, cui opinioni favet Ioſephus Orig. Iudaic. lib. 1. c. 19. appellando τοὺς τύπους τῶν θεῶν, οὓς σέβειν πατρίους ὄντας νόμιμον ἦν, id eſt*, ſigilla deorum patriæ religionis, *ut interpretatur Gelenius. Ut ut ſit, vocat* deos ſuos, *infra verſ. 30. Quocirca melius redditur idola, quam imagines aut ſimulachra. Nam licet εἴδωλα Græce ſonet, ſi interpretari velis Latinè,* ſimulachra, *tamen eccleſiaſtici Scriptores uſurpant peculiariter de iis ſimulachris, quæ numen aliquod repræſentant, aut quæ pro diis habentur. Notatum autem has imagines figuram humanam habuiſſe, quod colligunt ex hiſtoriâ Davidis. Vide ſodes, Sam. 19. 14. R. David*, Theraphim ſunt imagines in quibus futura vident. *Abenezra*, Sunt qui dicunt eſſe inſtrumentum æneum factum ad cognoſcendum partes horarum, hoc eſt, horologium: alii dicunt aſtrologos eà vi pollere, ut poſſint facere certis horis imaginem quæ loquatur: cui probando citant, & *Theraphim locuti ſunt vanitatem*: ſed aliter is locus exponi debet. Cæterum opinio mea eſt, quod imagines iſtæ fuerint forma humana factæ ad recipiendam vim ſive virtutem ſuperiorum, quam non valeo enarrare. *Vide ſequentia. Verbis his facem allucet Marſilius Ficinus, de vita cælitus producenda, cap. 20. ità ſcribens*, Arabes & Ægyptii tantum ſtatuis & imaginibus attribuunt arte aſtronomica & magica fabricatis, ut ſpiritus ſtellarum in eis includi putent. Spiritus autem ſtellarum intelligunt alii quidem mirabiles cœleſtium vires, alii verò dæmones etiam ſtellæ hujus illiusve pediſſequas. Spiritus igitur ſtellarum qualeſcunque ſint, inſeri ſtatuis & imaginibus arbitrantur, non aliter ac dæmones ſoleant humana nonnunquam corpora occupare, perque illa loqui. Similia quædam per imagines facere ſtellarum ſpiritus arbitrantur.

FURTO ABSTULIT] *Vt patrem ab idololatria revocaret, Theodoretus: ne per ea cognoſceret, qua via Iacob fugiſſet, Abenezra ob pretium materiæ unde facta erant, vel quod illa marito deberi putaret, alii: utcumque ſit, hoc factum Rachelis excuſari non poteſt. Qui furtum committit, quocunque prætextu hoc faciat, peccat in legem illam,* Non furaberis. *Quæ tam latè patet, ut etiam alienationem qualemcunque rei alienæ per eam vetari perhibeant.*

LABAN GENERUM PROSECUTUS] *Quum Iacob diſcederet, aberat domo Laban, ut diximus. Triduo poſt nuntiatum ei fuit quod acciderat. Tum advocatis amicis, generum quem deos ſuos furto abſtuliſſe ſibi perſuadebat, perſecutus eſt ſeptem dierum viam, eumque aſſecutus eſt in monte Galaad, ubi & fœdus cum eo pepigit. Hinc eruimus Carras inter & Galaad montem, in quo generum comprehendit, intervallum eſſe ſeptem dierum.*

NE UXORES FILIABUS SUIS SUPERINDUCERET] *item ne filias ſuas durius haberet.*

ANGELOS ET CASTRA DOMINI] *Vidit caſtra Dei, & occurrerunt illi Angeli Dei: Sic Græci. Occurrerunt illi Angeli Dei, & dixit, Caſtra Dei hæc ſunt: Ebræi, Chaldæi:* Fuerunt ei obviam Angeli Dei, quos cum vidiſſet, ait, caſtra Dei ſunt hæc: *Hieronymus. Vnde locum appellavit Mahanaim, id eſt, Caſtra. Id Græci reddiderunt παρεμβολαὶ, licet in uſu majore ſit παρεμβολή.*

PRÆTER REGIONEM EDOM] *infra 24.* Sed cum ob interjectum ſinum rubri maris præter terram Philiſtiim via duceret.

MUNERIBUS] *Munera erant capræ & oves ducenæ, hirci & arietes viceni: cameli lactantes cum ſuis pullis triginta: vaccæ quadraginta, juvenci decem: aſini viginti & pulli aſinorum decem Gen. 32. 14. & 15. Hæc munera miſſa placandi animum fratris, quem iratum ſibi putabat.*

DOMINUS HUMANA SPECIE ASSUMTA] *Deum fuiſſe, qui colluctatus eſt cum Iacob nullum omnino dubium eſt. Humana autem ſpecie apparuiſſe vel ex eo patet quod Moſes eum virum appellet. Ioſephus φάντασμα, id eſt, aſpectum vocare maluit, & poſt θεῖον ἄγγελον. Forſan ex ambiguo nominis Elohim, quod & Deum & Angelos denotat: imò etiam angelum. Nam ſi de ſolo Moſe dicitur & de uno idolo, cur non etiam accipi poſſet de uno angelo? Cæterum quem Dei angelum vocat Ioſephus, eum poſſumus intelligere, qui Angelus fœderis aut magni conſilii Angelus vocatur. Neque novum in libris ritualibus Ebræorum ut idem & Deus vocetur & Angelus. Deus, inquam, Elohim, & interdum Adonai vel Iave. Ne longè abeam, ecce locus inſignis Hoſ. 12. 3. & 4.* De principatu contendit cum Deo: De principatu, *inquam* contendit cum Angelo & prævaluit. *Vbi hunc ipſum virum, qui Iacobo apparuit, & Deum vocat & Angelum. In nomine Iſrael vocatur etiam Deus, ſed Deus El, non Elohim. Obſervant Cabbaliſtæ præceptorem Iacobi fuiſſe Raphaelem, ut Ioſephi Gabrielem, & Abrahami Sadkielem: gentis autem Iſraeliticæ angelum perhibent fuiſſe Michaelem, de quo alias.*

ADVERSUS DOMINUM] *id eſt, Deum. Nam eſt Elohim in fonte. Sed familiare huic ſcriptori Dominus uſurpare pro Deus, ut cap. 1. & cap. 10. 14. Sic interpretes aliquando κύριος cum θεὸς confundunt, & contra θεὸς cum κύριος.*

NON ESSE MORTALEM NON IGNORAVIT] *pro eo habendum ac ſi dixiſſet, ſcivit eſſe immortalem, hoc eſt Deum aut Angelum, ideo ſibi abs eo benedici voluit.*

ISRAEL DICERETUR] *compoſitio nominis ex Sara, de principatu contendit, & El Deus. Eo reſpexit Propheta Hoſeas cum ait,* de principatu contendit cum Deo & prævaluit. *Nugantur Patres cum Iſrael exponunt* vir videns Deum: *aut* rectus Dei. *Nam ut* Is *ſignificet virum, &* JASAR *rectum, tamen in hoc nomine*

mine Iod format nomen proprium, quale in Iacob & Iſahac & ſimilibus.

A DOMINO NOMEN DOMINI QUÆRERET] *nomen loco pronominis. Nos diceremus*, à Domino nomen ipſius quæreret. *Talia ſunt*, pluit Dominus à Domino; dixit Moſes ſocero Moſis: dixit Dominus aſcende ad Dominum. *Adhibe libellos meos.*

QUIA ADMIRABILE ESSET] *Hæc parentheſi circumcludenda. Non enim habentur in codicibus Ebræorum, nec etiam in Græcis emendatioribus. Nihil dico, ſi non abſunt in Hiſpanico & Romano. Olim etiam aberant in Exaplo, ut Græca ſcholia notant. Sumpta vel potius tranſſcripta videntur ex Ieſa.9.6. aut magis ex Iud. 13. 18. Cæterum exemplaria, unde hæc hauſit Sulpicius, non per omnia conſentiunt. Nam in Aldino & Baſileenſi,* ὅ ἐςι θαυμαςὸν: *Vidi etiam ubi ſcriptum eſſet,* καὶ τοῦτ' ἔςι θαυμαςόν: *& hoc eſt mirabile.*

LATITUDO FEMORIS] *latum os coxa, quod ex contactu Angeli loco ſuo motum claudicandi occaſionem præbuit. Latitudo femoris,* τὸ πλάτος τοῦ μηροῦ. *Sic Oncelos & Ionathan. Apud Ioſephum eſt* τὸ νεῦρον τὸ πλατύ. *Qui latum nervum videtur dixiſſe* τὸ νεῦρον τὸ συνέχον τὴν κοτύλην πρὸς τὸν μηρόν. *A Græcis* ἰσχίον *appellatur, id eſt, coxa vel coxendix.*

SCHOTANUS.

CAput hoc Sulpicii XI in ſacris Moſis originibus exponitur à v. 25. cap. XXX. uſque ad cap. XXXIII. v. 17. Joſephus narrat lib. 1. parte cap. XIX.

TUM JACOB REDIRE] Cave illam particulam ita accipias, quaſi nativitati Joſephi adhæſerit profectio. Nam ſerviit ſexennio poſt natum Joſephum. Sulpicius ſatis diſcernit: partem pecorum datam & inde parum æquum ſocerum factum eſſe. Joſephus tamen hiſtoricus ita accepit, quia Rachelis nuptias ad annum ſervitutis, decimum quartum retulit: ut ſupra vidimus. Ideoque illa, quæ de pactione mercedis ſecunda, poſtquam quatuordecim anni ſervitii exſpiraſſent, narrat Moſes in cap.30. à v.25. uſque ad finem putat καθ' ὑστερολογίαν dici, ut ante Joſephi ortum facta. Eorum igitur meminit περιέργως in expoſitione verborum Jacob, non in ſerie temporum & hiſtoriæ. Ideò autem nato Joſeph de diſceſſu & dimiſſione ſocerum compellat, quia annos ſervitii impleverat. Raſi ineptè animum ſumpſiſſe dicit, quia adverſarius Eſavo natus eſſet; quia dictum Obad. 1. 18. *Et erit domus Iacob ignis & domus Ioſeph flamma & domus Eſau ſtipula.* Ignem ſine flamma non dominari in id quod diſtat. Ab eo tempore, quo Ioſeph natus eſt, confiſum fuiſſe in Domino & voluiſſe domum reverti. Dixit igitur Laban; *Dimitte me, ut vadam in locum meum & terram meam.* Da mihi uxores meas & filios meos, ob quos tibi inſervii. Raſi *Nolo ire,* כי אם ברשות *| niſi tua voluntate & pace. Noſti enim qualis mea fuerit apud te ſervitus.* Hic excepit Laban, נִחַשְׁתִּי, quaſi diceret per magicam artem cognovi, interpretes Hebræi deducunt à voce נחש: quaſi artem magicam aut augurium notet. At reddendum *experimento cognovi.* Cognoverat uti poterat ſine augurio aut aruſpicum diſciplina (quam neſcio an ille) quamvis Gentilis eſſet (noverit aut habuerit in uſu) propter Iacobum ſuæ domui & poſſeſſionibus ampliter benedictum eſſe. Thargum reddidit נסיתי. Græci, εἰ εὗρον χάριν ἐναντίον σου, οἰωνισάμην ἄν. *Si inveni gratiam coram te, augurer* (ſcilicet me fortunatum fore) Fatetur & Iacob & celebrat, apud ſocerum Dei benedictionem, qua in numeroſum pecus, exiguus ante numerus eruperit. Benedixit tibi Dominus לְרַגְלִי ad pedem meum. Nunc autem quando etiam domui meæ operabor? לְרַגְלִי exponit Raſi:

בשביל כיארת תלי בארת אצלך הברכה. Auguſtinus Ep. 44. explicat Punicam phraſin, quæ Hebræa erat: In ea enim epiſtola reſpondet Maximo Madaurenſi Grammatico, qui objicit Chriſtianus in Africa, quod numinibus antiquitus receptis (nominatim exprimit Romana numina) præferant martyres, inter quos memorat Mydonem, Sanaem, Namphanionem. Auguſtinus ita reponit. *Neque enim uſque adeò te ipſum oblivisci potuiſſes, ut homo Afer, ſcribens Afris, cum ſimus utrique in Africa conſtituti, Punica nomina exagitanda exiſtimares. Nam ſi ea vocabula interpretemur, Namphanio quid aliud ſignificat quam boni pedis hominem, id eſt, cujus adventus afferat aliquid felicitatis: ſicut ſolemus dicere, ſecundo pede introiiſſe, cujus introitum proſperitas aliquà conſecuta ſit. Quæ lingua ſi improbatur abs te, nega Punicis libris, ut à viris doctiſſimis proditur, multa ſapienter eſſe mandata memoria. Pœnitet te certè ibi natum, ubi hujuſmodi linguæ cunabula recalent. Si vero & ſonus nobis non rationabiliter diſplicet & me bene interpretatum illud vocabulum recognoſcis, habes quod ſuccenſeas Virgilio tuo, qui Herculem veſtrum ad ſacra, quæ illi ab Euandro celebrantur, invitat hoc modo:*

Et nos & tua dexter adi pede ſacra ſecundo.

Secundo pede optat ut veniat. Ergo venire Herculem optat Namphanionem, de quo tu multum nobis inſultare dignaris. Samuel Petitus Namphanio emendat in Namphamo: quaſi è נעם פעמו quod approbant Samuel Bochartus & Andr. Rivetus. Rivetus agnoſcit ex hiſtoriarum comprobatione quoſdam hominum mire felices eſſe quaſi eos manus Dei comitaretur, ut quicquid ſuſcipiant proſpere cadat: alios rurſus in cœptis ſuis & tota vita infelices eſſe. Hoc intelligendum de hujus vitæ moderamine & curſu, non de animæ ſalute & ad vitam alterius ſeculi. Hanc felicitatem aut infelicitatem, quam Deus adeſſe juſſit, fortunæ gentes adſcribunt: Genethliaci & aſtrologi fato & aſtrorum viribus. Rivetus: *Nos aliam cauſam ex verbo Dei novimus, Deum nempe omnium dominum, qui ſingulis ſua diſpenſat, prout vult. Qui quemadmodum ingenium, opes, ſanitatem, formam &c. quibuſdam largitur; alios ſtupidos, deformes, pauperes; morbidos &c. reddit; ſic etiam ſpeciali ſua providentia, etiam ubi eſt prudentia & laborum æqualitas, vel ubi prudentiæ & laborum in uno eſt exuperantia, in aliis defectus, unum tamen fortunatum facit & aliquando qui minus induſtrius eſt, alium infortunatum, ad illud cauſas ſecundas flectendo & attemperando.* Alia ſunt bona animi, alia corporis, fortunæ alia, ut vulgo diſtinguunt. Deinde curſus rerum evenientium temperatur Dei manu. Hujus diſpenſationis cauſas quatuor ponit. 1. Ut oſtendat ſe omnium abſolutè eſſe Dominum. 2. Ut diſpares hominum gradus & eventus in hoc univerſo, ad decorum faciant ſua varietate. 3. Ut homines non ſuæ induſtriæ & prudentiæ fidant ſed omnium, quæ adhibent & aggrediuntur, meminerint ſucceſſus optatos eſſe à Deo & ab eo poſtulent. 4. Ut proſperis eventibus, quibus eveniunt, ad Dei utantur gloriam, & ſileant in improſperis ad Deum, noſcantque in his paratam eſſe materiam ſuæ patientiæ & modeſtiæ. Exiſtimo aliud eſſe, dici fortunatum aut infortunatum communi vitæ curſu: aliud in certo objecto adverſantem aut ſecundantem ſentire Dei manum. Illi, quos perpetuo tenore ſucceſſus proſperi comitantur, non ubique felices ſunt: nec ubique infelices, quos cum adverſo fato luctari voluit Deus. Patriarchas Deus ſuis caſibus exercuit, at benedictionem in opum & ſeminis cumulatione promiſerat. Solet Deus benedicere laboribus piorum eorumque miniſteriis, quamvis eos nolit inconcuſſa proſperitate incedere. Cum inſtaret Laban mercedem pollicitus, quo ſibi ſuæque Iacob proſpiceret, domui, conditionem

nem propoſuit Iacob, in quam conventum eſt. Exiſtimavit enim Iacob Labani ſocero, nimis urgenti, acquieſcendum eſſe: & melius fore ſi anteà familiæ ſuæ aliquid acquireret, nec inops & omnium egenus in patriam rediret. Id procul dubio ei ſuggerente Domino, qui promiſerat ſe illi adfore & benedicturum, cap. 28. v. 15. Conditio fuit iſta: Cum natura comparatum ſit, ut ſimiles ex ſimilibus naſcantur, petit Jacobus, ut poſtquam ſeparaviſſet unicolores oves capraſq; à variegatis, ſibi unicolores paſcendas committat diverſicoloribus aliò traditis. Hinc quicquid diverſicolor, ſibi pro mercede ceſſurum, quicquid autem unius coloris ederetur, Labani fore. Laban iſtam conditionem lætus arripit: *Gratum Habeo quod petis.* Ita hic ſenſum bene expreſſit Vulgatus, הן לו יהי כדברך. Suſcepta itaque conditione gregem recenſuit: unicolores ſeparavit Jacobo. Mercerus. *Totus hic locus (a v. 32.) ad finem uſque capitis difficilis eſt & obſcurus: à 70. Interpretibus parum fideliter, ut Hieronymus notat, redditus, nec à Latinorum quoquam aut noſtrorum, juxta eundem ſatis explicatus: addam nec pene ab Hebræis, aut recentioribus ex noſtris. Erit tamen facillimus, ſi vocum naturam accurate intellexeris & totum locum propius inſpexeris.* Voces notandæ: שה pecus minus, ovium caprarumque utriuſque ſexus. נקוד de minoribus, טלוא de grandioribus maculis dicitur. De ovibus & capris ſigillatim loquitur ſcruptura in v. 32. Mercerus: *Hic tres colores poni videntur, punctatum, varium & fuſcum: duo priores in univerſum tam in capris, quam in ovibus: Fuſcus ſpecialiter in ovibus, & rurſum duo priores ſpecialiter in capris. Hoc Hebræos valde torquet & maximè quendam Abuhab, qui hic prolixior eſt, ut Ramban cum R.* Solomone conciliet, quomodo ſit de his tribus coloribus ſentiendum. Merceri hæc ſententia eſt, in pacto, tam in genere caprarum quam ovium tres colores contineri, ut petat Jacob tam oves quam capras punctatas varias & fuſcas: quicquid uno trium horum colorum tinctum fuerit eximi è reliquo grege; *Cur ergo in capris ſpecialiter duorum tantum meminit, in ovibus unius? Jam ſane primo loco punctatum & varium in genere dixerat, ſub quo & חום fuſcum volebat contineri. Sed quoniam in ovibus magis & ſpecialiter fuſcum invenitur, haud ferè in capris, ideò fuſcum in ovibus ſpecialiter dixit, ita tamen ut interim velit & in ovibus quicquid punctatum aut varium fuerit retineri. Sic quia in capris punctatum & varium magna ex parte reperitur, horum in his tantum colorum meminit, ſed ita tamen, ut ſi fuſcum forte in illis inveniatur velit intelligi eſſe in conventione. Ita locus planus erit, ne colores ita alioqui diſtinguas in capris & ovibus. Noſter interpres rectè ſimul hac permiſcuit. Sed ex Hebrais nihil immutandum cenſeam, ut peculiares utriuſque generis colores intelligantur & notentur: Græci pro utroque colore punctato & vario unum poſuerunt φαιὸν: cum hoc ſit potius חום in agnis vel ovibus; verum ordinem contextus ut facile videre licet perverterunt, נקוד & טלוא convertentes in διάλευκον & ῥαντόν. Primum itaque quod generale erat omiſerunt, duo poſteriora ſpecialia tantum ponentes.* Et erit merces mea: *Hoc etiam obſcurum eſt: nam videtur pro mercede petere, quicquid horum trium: nam videtur pro mercede petere quicquid horum trium colorum in capris aut ovibus ſeparatione facta inventum fuerit: quod ſanè plurimum eſſet & ſibi ipſe repugnaret, qui profeſſus eſſet ſe nihil petere de rebus, quas ille nunc haberet. Quid ergo ſibi vult? Niſi hoc per ſequentia declarares difficile eſſet. Sed ex ſequentibus intelligimus eum loqui de eo, quod in poſterum ex ſibi relictis ovibus naſceretur varium, ſeparatis inde Labani fuſcis maculoſis & verſicoloribus.* Et erit merces mea, *ſcilicet omne fuſcum, maculoſum aut varium, quod ex unicoloribus albis ſc. aut pure nigris mihi relictis naſcetur. Quanquam ego propriè ipſa alba tantum relicta puto, ut nigra ſub fuſcis contineantur, quod purè nigra ſine maculis,*

fere in ovibus aut capris non inveniantur. Lyranus: *Hic ponitur pactio grata. Ad cujus intellectum conſiderandum, quod iſta fuit petitio Iacob, quod de gregibus ovium & caprarum ipſius Laban, quæ erant ſub cura Iacob, auferrentur omnia animalia rufa & maculam aliquam in vellere habentia & traderentur filiis Laban cuſtodienda: Illa autem, quæ eſſent totaliter alba vel totaliter nigra, remanerent ſub cuſtodia Iacob: & fetus, qui naſcerentur ex eis totaliter albi vel totaliter nigri eſſent ipſius Laban, cum animalibus, ex quibus naſcebantur; quæ ſimiliter erant totaliter alba vel totaliter nigra: fetus autem; qui eſſent maculoſi vel rufi, eſſent ipſius Iacob: & iſtud pactum fuit gratum ipſi Laban; quia quod fetus nigri naſcerentur ex nigris & albi ex albis, erat ſecundum conſuetum curſum naturæ: & ideo Laban habuit gratam iſtam pactionem tanquam ſibi utilem. Talis autem fuit pactio ſecundum omnes expoſitiones Catholicorum & Hebræorum. Et ideò ſecundum hoc exponenda eſt ſequens ſcriptura, quæ eſt ſatis obſcura duplici de cauſa. Vna eſt, quod breviter & ſuccincte loquitur & plura intelliguntur, quæ non exprimuntur. Alia cauſa eſt, quia tranſlatio noſtra hic multum diſcrepat à litera Hebraica.* Burgenſis ita judicat de hac expoſitione Lyrani: *Generaliter conſideratum videatur eſſe illud quod poſtillator expoſuit & ſic communiter tenetur, litera tamen in particulari conſiderata non totaliter conſonat, ſed in multis diſcrepat. Vnde Hieronymus:* In hoc paſſu multum apud Lxx confuſus eſt ſenſus, & uſque hodie nullum potui invenire noſtrorum, qui hunc locum planè exponeret. *Hæc Hieronymus, quod etiam inter Hebræos expoſitores contingit.* Hieronymus qu. ſeu tradit. in Geneſin: *Multum apud Lxx interpretes confuſus eſt ſenſus: & uſque in præſentem diem nullum potui invenire noſtrorum, qui ad liquidum, quid in hoc loco diceretur, exponeret. Vis, inquit Iacob, me ſervire tibi etiam alios ſeptem annos: fac, quod poſtulo. Separa omnes diſcolores & varias, tam oves quam capras & trade in manus filiorum tuorum. Rurſumque ex utroque grege alba & nigra pecora, id eſt unius coloris da mihi. Si quid igitur ex albis & nigris, quæ unius coloris ſunt, varium natum fuerit, meum erit; ſi quid verò unius coloris tuum.* Exiſtimari potuiſſet ſtolida petitio aut præſumptuoſa. A ſtoliditate eam vindicat Jacob, appellans Dei juſtitiam, quæ hoc modo juſtitiæ Jacob ſit teſtimonium præbitura, ſi præter naturam Jacob ditetur. Ita enim cum Lyrano, Mercero, aliiſque accipio verba v. 33. *Ita juſtitia mea, die craſtini* (id eſt tempore futuro) *mecum teſtabitur.* Hieronymus interpretatur ſenſum: *Rem non difficilem poſtulo. Tecum facit natura pecorum, ut alba ex albis & nigra naſcantur ex nigris: mecum erit juſtitia mea: dum Deus humilitatem meam reſpicit & laborem.* A præſumptione aut Dei tentatione liberatur ex eo, quod habetur in cap. 31. 11. Quamvis enim illic tantum ex poſtfacto Deus adſit, ſignificat tamen non ſine inſtinctu ſuo Jacob eam Labano conditionem obtuliſſe, abſolvitque eum à temeritate. Rivetus eam difficultatem ita ſolvit: *Hic quæri poteſt an prudenter egerit Iacobus in hac pactione, qua ſe obligavit ſocero ſub conditione mercedis incertæ, cum potuiſſet de certo aliquo ſtipendio paciſci. Et hæc certè cauſa videtur fuiſſe cur poſtea Labanus toties mutaverit conditiones, cum enim incertus eſſet eventus hominum ratione, videretque creſcere pretium mercedis ſupra ſpem ſuam invertebat conditiones pacti, nuſquam acquieſcendo, quod potuiſſet prævertere Iacobus ſi petiiſſet conditionem definitam. Quodſi dicamus Iacobum rem ſuam Deo commiſiſſe exſpectaſſeque ab eo incrementum tale, quo abunde compenſaretur labor ſuus, poſſet quis inſtare, annon id eſſet Deum tentare, cum quis ita poteſt cum hominibus agere, ut ab initio & certa mercede conveniat, rem caſui committere & exſpectare mercedem, quam vocant, caſualem; videtur enim quaſi ſorte agere, quam quidem legitimè uſurpatam Deus non improbat eamque*

guber-

gubernat; ſed non videtur uſus ejus eſſe legitimus, niſi quando aliter non poteſt res terminari. Solutionom horum dubiorum ex pracedentibus ſumi debere exiſtimamus. Id ergò primò natandum eſt, hactenus Labanum egiſſe cum Iacobo mala fide ejuſque laboribus fœde fuiſſe abuſum. Non potuiſſe igitur Iacobum ei fidere & ita de certa mercede paciſci, quæ aliunde, quam ex proventu ovium veniret, ut ſperare poſſet à Labano ſibi eſſe reddendam ſine contentione, cujus antea expertus erat duritiem. Cum igitur in eo loco eſſet in quo omni humano auxilio deſtitutus erat, voluit ſe Deo committere ſine medio &c. Nempe nulli judices erant, quos adire poterat & contendere cum ſocero inconveniens eſſe videbatur. Si certum numerum petiiſſet, id fraudi obnoxium erat, & difficilis fuiſſet in præbendo. Igitur petiit incertam & facilem, in oculis Labani mercedem, ſed Deo rem commiſit. Ita non tentabat Deum, ſed pro ſua prudentia eligebat unicum medium fugiendæ contentionis, confiſus promiſſionibus, quas Deus in Bethel ipſi præter Abrahamo & Iſaaco datas, ediderat.

Laban ſeparatis maculoſis, id eſt iis ovibus capriſque, quas ex pactione ſegregare debuit, eas quidem filiis ſuis (id perperam de filiis Jacob, nepotibus Laban admodum adhuc parvulis, quidam accipiunt) tradidit, unicolores reliquit Jacob. Tridui ſpatium inter utroſque ſeparatum eſt, ne quid fraudis aut contentionis ex vicinitate naſci poſſet.

Iacob autem in exſecutione pacti triplici artificio uſus eſſe legitur. Nam arborum virgas in macularum varietatem decorticatas adhibuit. Arborum genera tria hic enumerat, Moſes: quæ obvia & utilia maximè huic negotio, quamvis & aliis uſus eſſe poſſit. לבנה *populus*, Styracem interpretantur Lxx, לוז *corylus* Vulg. *Amygdalus*: ערמון / Vulg & Lxx *platanus*; alii *caſtanea*; Chald. דלוב. Eam vocem Chaldaicam Fagius per caſtaneam interpretatus eſt, Druſius platanum ſignificare contendit. De his generibus arborum inquiremus alias. Nunc enim feſtinamus. Has virgas appoſuit ad aqualiculos, ut cum incaleſcerent oves & inirentur, ex illo intuitu, fœtui ſimilis color imprimeretur. Hoc primum genus artificii erat. Alterum erat, Agnellos recens natos, qui varii nati eſſent, in unum gregem redactos oppoſuit ex adverſo gregibus Labani unicoloribus. Ita nempe ut variæ pecudis grex antecederet, ſequeretur unicolor. Proinde poſteriores in admiſſione, antecuntem gregem oribus obverſis intuebantur. Tertium: tempore certo virgulas adhibuit, certo non adhibuit. Adhibuit in prima fœtura. in poſteriore non adhibuit. Hinc factum, ut primæ fœturæ robuſtiores fœtus ſibi acquireret, cum ſeram & debiliorem relinqueret Labano. Noluit univerſum gregem ſibi parere, reliquit Labano partem. Martii ſeu Niſan fœturam acquirens, autumnalem in menſe Septembri ſeu Tiſri permiſit ſocero. Naturales cauſæ erant, quibus tamen Deus benedixit peculiari modo, ut per viſionem capitis ſequentis Iacobo eſt indicatum. Hieronymus: *Itaque Iacob novam ſtropham commentus eſt & contrà naturam albi & nigri pecoris naturali arte pugnavit. Tres enim virgas, populeas & amygdalinas & mali granati; quanquam Lxx, ſtyracinas & nucinas & plataninas habeant, ex parte decorticans varium fecit colorem, ut ubicunque in virga corticem reliquiſſet, antiquus permaneret color, ubi vero tuliſſet corticem color candidus panderetur. Obſervabat ergò Iacob & tempore, quo aſcendebantur pecora & poſt calorem diei, ad potandum avida pergebant diſcolores virgas ponebat in canalibus: & admiſſis arietibus & hircis, in ipſa potandi aviditate, oves & capras faciebat aſcendi: ut ex duplici deſiderio, dum avide bibunt & aſcenduntur à maribus, tales fœtus conciperent, quales umbras arietum & hircorum deſuper aſcendentium*

in aquarum ſpeculo contemplabantur. Ex virgis enim in canalibus poſitis, varius erat etiam imaginum color. Nec mirum hanc in conceptu feminarum eſſe naturam, ut quales proſpexerint ſive mente conceperint in extremo voluptatis æſtu, qua concipiunt, talem ſobolem procreent: cum hoc ipſum etiam in equarum gregibus apud Hiſpanos dicatur fieri: & Quintilianus in ea controverſia, in qua accuſabatur matrona, quod Æthiopem pepererat, pro defenſione illius argumentetur, hanc conceptus eſſe naturam, quam ſupra diximus. Et ſcriptum reperitur in libro Hippocratis, quod quadam ſuſpicione adulterii fuerat punienda, cum pulcherrimum peperiſſet, utrique parenti generique diſſimilem, niſi memoratus medicus ſolviſſet quæſtionem: monens, quærere ne forte talis pictura eſſet in cubiculo: qua inventa mulier à ſuſpicione liberata eſt. Vide & Aug. quæſt. 93. in Geneſin. Iſidorum Hiſpalenſem Etymolog lib. 12. cap. 1. Plinium lib. 7. hiſt. nat. cap. 12. Conſtat Deum benedixiſſe artificio, inde tamen concludi nequit Deo placuiſſe: Nam naturalium cauſarum vires conſervat excitatque & fortunat ſæpe in malis hominum actibus, ut ſi ſerat agricola in agro alieno, ſi ex adulterio ſoboles procreetur. Rivetus: *Ferunt matrem Petri Lombardi, qui magiſter ſententiarum vulgo vocatur, & Gratiani collectoris decreti & item Petri Comeſtoris, auctoris Hiſtoriæ Scholaſticæ, tres illos filios ſuſcepiſſe ex illicito concubitu. Quæ cum in extremis peccatum ſuum confiteretur & confeſſor redargueret crimen perpetrati adulterii, & ad pœnitentiam ſeriam eam hortaretur, reſponderit, Scire quidem ſe adulterium peccatum magnum eſſe, ſed cum conſideraret quantum bonum inde ſecutum eſſet, cum iſti ejus filii eſſent magna luminaria in Eccleſiis, non poſſe pœnitere. Illa nolebat diſtinguere inter cauſas morales & cauſas naturales & ex eventu commodo de moralis facti qualitate judicabat.* Aliud igitur, quod Iacobum excuſet quæri debet. Significaverat Iacob ſe contentum fore proventu naturali ovium unicolorum & provocaverat ad Dei judicium per benedictionem ſecuturam & tamen arte flectebat naturam ad emolumentum ſuum. Contractus etiam verba ita intellecta eſſe à Laban, ut artem excluſerit, dubitari non poteſt. Quidam reſpondent; licuiſſe Iacobo uti dolo tali uteretur, quo artem arte deluderet: quia ſæpius defraudatus à Laban, non erant judices, ad quos poſſet confugere. At cum injuſte nobiſcum agitur, nunquam ex adverſo certare licebit pari malitia. Id enim januam aperiret confuſioni & ultionem, quam ſibi & judicibus Deus reſervavit, arriperet homo. Melius igitur dicitur, Iacobum primò ſimplicitur egiſſe, quod ſuadet ejus fides & nota ſimplicitas, deinde cum tam ſæpe mutaſſet Laban & fraude multiplici generum circumveniſſet, tandem Dei monitu & revelatione Iacobum hac arte uſum eſſe. Id oſtendunt primò familiaritas illa Dei cum Iacobo, ſecundò collatio verſuum 7. 8. 9. 10. 11. 12. tertiò, inſolita benedictio: de qua Chryſoſtomus: *Hæc faciens juſtus non à ſeipſo movebatur, ſed ſed inſpirante mentem ejus divina gratia. Non enim juxta naturæ ordinem erat, quod fiebat, ſed valde admirandum & naturæ modum tranſcendens, ut juſtus compertam haberet ergà ſe Dei providentiam & Laban liquido cerneret, quantam Dei gratiam haberet Iacob.* Non facit ad ſcopum hunc, quod Theodoretus dixit qu. 89. Τὰς ῥάβδους ἐλέπισεν οὐ ποικίλους θρεμμάτων ἀλλὰ τὴν θείαν ἐπικουρίαν προσμένων. Nam quemadmodum ſobolem quærens uxores duxit (ut loquitur Theodoretus) οὐκ ἐν γάμῳ δὲ εἶχε τὴν ἐλπίδα τῆς παιδοποιΐας ἀλλ' ἐν τῷ τοῦ γάμου νομοθέτῃ θεῷ. Vult igitur ſuo conſilio ad ſcopum augmenti naturale medium adhibuiſſe cui Deo confiſus non affixerit mentem. Ob hanc fidem, dignatum eum eſſe Deum iſta viſione capitis ſequentis.

Cap. XXXI.

Parum sibi æquum] Duo prodebantur indicia indignantis Labani & parum æqui: Verba filiorum Laban, qui erant fratres uxorum Iacobi. Nam habuit filios mares Laban, præter Leam & Rachel, ut patet ex 20. 35. Illi autem oculis ægris aſpiciebant Iacobi greges in tantum numerum & gloriam erupiſſe, in quem fermè univerſus Labani proventus conſumptus eſſet. Vultum etiam Laban videbat triſtem averſumque, qualis non fuiſſet ante hac. Cum igitur conſilium animo volveret abeundi, Deus id oraculo confirmavit. Advocat igitur ad ſe in campum, ubi paſcebat, duas uxores, clam ſocero. Ioſephus dicit eo conſcio tentatum, ut advocarentur, ſed impeditum ab illo. Notat Raſi in ſcriptura (v. 4.) nomen Rachel nomine Leæ præponi: שה׳א היתה עקר חבית שבשבילה נזדווג יעקוב עם לבן / *quod ipſa eſſet domus fundamentum quia propter* eam conjunctus Iacob eſſet *per affinitatem cum Laban*. Eodem modo, qui Ruthæ felicia precantur exemplo harum mulierum Rachelem præponunt Ruth. 4. 11. Mulierum animum explorat: Commemorat conſilium, ejuſque cauſas. Patrem iniquum, ſæpius fraude & dolo ipſum circumveniſſe, nunc etiam infenſo animo eſſe: Deum ſibi adfuiſſe: cum decies Laban fideliter ſervienti mutaſſet modum mercedis, eo ſemper inclinaſſe benedictionem. עשרת מנים dicit, id Raſi interpretatur ita quaſi centies immutaſſe narretur: אין מנים פחות מעשרה cum מנים decies ad minimum ſignificet. Id argutum & dilutum. *Dices*, numerus finitus pro indefinito, id eſt ſæpius. Quærunt igitur fruſtrà, quomodo toties fieri potuerit intra illud ſexennium à nato Ioſeph. Hieronymus ſolvit: Nam oſtenſo, quod non poſſit ea vox (ut Lxx. habent) agnos ſignificare, ſic infert: *Denique & ex conſequentibus hic magis ſenſus probatur, quod per ſingulos fetus ſemper Laban conditionem mutaverit. Si videbat varium naſci pecus, poſt fœtum dicebat, volo ut in futurum mibi varia naſcantur. Rurſum cum vidiſſet unius coloris naſci pecora (Iacob quippe hoc audito virgas in canalibus non ponebat) dicebat, ut futuros fœtus, unius coloris ſibi pecora procrearent. Et quid plura? uſque ad vices decem ſemper à Laban pecoris ſui ſive Iacob mutata conditio eſt. Et quodcunque ſibi propoſuerat, ut naſceretur, in colorem contrarium vertebatur. Ne cui autem in ſex annis decem pariendi vices incredibiles videantur: lege Virgilium, in quo dicitur. Bis gravidæ pecudes. Natura autem Italicarum ovium & Meſopotamiæ una eſſe traditur.* Inde Iacob narrat, in ſomnio angelum Dei ſibi oſtendiſſe, illos unicolores hircos, qui greges inibant, in varii velleris pecora eſſe mutatos. Adjeciſſe autem: Vidi quæ Laban tibi fecit. Exiſtimat Raſi è gregibus Laban ab angelis traductos eſſe illos hircos admiſſarios: at in viſione hoc oblatum, quod in re non erat. Non enim per ſomnium noctis greges inibantur. Repræſentari eventum Deus voluit non rem. In hujus ſomnii viſione occurrit vox ברדים quam in ſuperioribus, cum recenſeret ſpecies colorum, ſcriptura non enumeravit. Significat maculis inſtar grandinis ſparſum pecus. Belg. Hagel-bleckighe. Raſi ſomniat de filo Labanis: חוט של לבן מקיף את נטפו סביב חברבורות שלו פתוחה ומפלשת מן אל זן:

Angelum Dei ſe vocaſſe refert: & annuenti dixiſſe: Ego ſum Deus Bethel, ubi titulum inunxiſti & votum feciſti. Surge, proficiſcere è terra hac & revertere in terram tuæ cognationis. Superius dictum quod oleum affuderit ſuper caput erecti lapidis, hic inunxiſſe dicitur. Raſi להיות משוחה למזבח / *ut eſſet unctio ſeu conſecratio in aram. Quod voveris illic: Neceſſe eſt, ut facias quod dixiſti,*

ſti. Erit domus Dei: ut offeras illic oblationes. Non annotant recutiti, Angelum Dei, qui hic dicitur, diſcriminari debere, ab illis angelis, qui per ſcalas aſcendebant & deſcendebaut. Qui hic angelus dicitur, ſe appellare Deum illic יהוה Deum Abrahami & Iſaaci. Se benedictiones afferre & ſemen multiplicare, ad ſuum nutum obſequi debere Jacob, ut diſcedat inde in terram Canaan reverſurus. Theodoretus: *Ἐπισημήνασθαι δὲ προσήκει ὡς ἄγγελον εἰρηκὼς τὸν ἄνω ὀφθέντα, ἔδειξεν τὸν αὐτὸν καὶ θεόν. Ἐγὼ γάρ εἰμί φησιν ὁ ὀφθείς σοι ἐν τῷ ἰδῷ. εἶδε δὲ ἀγγέλους μὲν ἀνιόντας καὶ κατιόντας διὰ τῆς κλίμακος, τὸν δὲ κύριον ἄνω ἐστηριγμένον. Τοῦτον ἐνταῦθα καὶ ἄγγελον ὠνόμασε καὶ θεόν. θεὸν μὲν τοῦτο τὴν φύσιν ὄντα, ἄγγελον δὲ ἵνα γνῶμεν ὡς οὐχ ὁ πατήρ ἐστιν ὁ ὀφθείς, ἀλλ' ὁ μονογενὴς υἱός. Τίνος γὰρ ἄγγελος ὁ πατήρ; ὁ δὲ υἱὸς καὶ θεὸς καὶ μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, Αὐτὸς γὰρ ἡμῖν ἐπήγγειλε τοῦ πατρὸς τὰ μυστήρια. ἃ γὰρ ἤκουσα φησὶ παρὰ τοῦ πατρός μου ἐγνώρισα ἡμῖν οὕτω καὶ τὸν κεκληκότα τὸν Ἀβραὰμ καὶ ἄγγελον ὠνόμασε καὶ θεόν.* Hic cæcus eſt Philo, qui non recurrat ad Deum ſuum ſecundum, cum videat Angelum eundem vocari, qui ſuprà Deus vocatus erat. Hoc enim hic ſe obſervare putat *τοὺς θεοπέμπτους ὀνείρους ἀναγράφει ὁ θεῖος λόγος, οὐ μόνον τοὺς κατὰ τὸ πρεσβύτερον τῶν αἰτίων προφαινομένους ἀλλὰ καὶ τοὺς διὰ τῶν ὑποφητῶν αὐτοῦ καὶ ὀπαδῶν ἀγγέλων, οἳ θείας καὶ εὐδαίμονος μοίρας πρὸς τοῦ γεννήσαντος ἠξίωνται πατρός.* Nec animadvertit Joſephus, enim, quem iſto loco ipſe ſcripſit *θεὸν ἐναργῶς αὐτῷ φαινόμενον*, hic angelum Dei appellari.

Jacob, inquiunt nonnulli, uxoribus non refert artificium ſuum, ſed dicit Deum ſubſtantiam ſoceri ſui ad ſe avertiſſe. Hic ſimpliciter agit nulla diſſimulatione: quia ita aperit totum illud ſuiſſe directionis Divinæ.

Uxores Jacob cum abitum admitterent (*ἐχουσῶν ἡδέως* Ioſ.) quia patrem ſecum tanquam cum alienis egiſſe dicerent, quas vendidiſſet, quarumque pretium conſumpſiſſet. Nam cum nullam de ſuo dotem dediſſet, mariti laboribus creviſſe. Deinde, quod à ſocero avertiſſet Deus in Iacob, ſuum ſuorumque liberorum eſſe. Raſi: *Nonne alienæ reputatæ ſumus ipſi: etiam tempore, quo mos eſt hominum dare* נדוניא *dotes filiabus ſuis, tempore* נישואין *nuptiarum, egit nobiſcum ut cum alienis, quas vendidit tibi pro mercede operis.* Cum & alias inter fratres non eſſet filiabus hæreditas. Parat igitur ſe itineri, feminas liberoſque imponit camelis. Pecus ſuum ſeparatum à gregibus ſoceri agit [Ioſ. *ἐπήγετο δὲ Ἰάκωβος καὶ τῶν βοσκημάτων τὴν ἡμίσειαν*] ut intret iter in Cananæam ad parentem Iſaac. Fugit inſcio Laban, quod eo facilius potuit, quia ad greges ſuos, triduo inde ſegregatos, tondendi cauſa diſceſſerat RACHEL, VIRO INSCIO, PATRIS] IDOLA Rachel abſtulit *Theraphin* patris ſui. Quid ſit Theraphim quærunt interpretes? Incerta eſt originatio & res. Conſtat fuiſſe idola, quia Laban Deos ſuos vocat. Hic prima imaginum expreſſa mentio, quamvis ante Abrahamum cultum externum fuiſſe certum ſit, ex Joſ. 24. 15. Et infrà v. 53. Joſephus: *ῥαχήλα καὶ τοὺς τύπους τῶν θεῶν, οὓς σέβειν πατρίους ὄντας νόμιμον ἦν, συγκατελομένη.* Poſteà, *ἱερά τε πάτρια βαστάζεις.* Inde *ἱερώματα* appellat. Aben-eſdras ita uti allegavit Druſius. At ſubjicit Aben-eſdras: *Et argumentum eſt, quod ita ſint Theraphim, illa Theraphim, quæ poſuit Michal filia Saul in lecto, ut putarent cuſtodientes domum quod illa eſſent David. At verſus, qui dicit, quod non Ephod neque Theraphim, habet duas expoſitiones. Una non eſſe regem neque principem in Iſrael, quia Deus non elegit regem niſi de familia David: Ideò dicit in verſu ſecundo, Et quærent Dominum Deum ſuum & David regem ſuum: Et non fuit victima neque ſtatua idolo, neque Ephod, quia erant cultores Baal, facientes Ephod ſecundum ſimulitudinem Ephod Moſis. Ideò dicit* אפוד *non autem* האפוד / *ut* adduxit האפוד. Et Ephod deſcendit in manu ejus, *non fuit* Ephod, *quam fecerat Moſes:*

Moſes: & in loco ſuo id exponam argumentis perfectis (אם גמר השם עלי') *At altera expoſitio eſt, quod neque Deo neque idolo cultum ſint exhibituri. Ecce Laban Theraphim vocat Deos ſuos. Quidam dicunt Rachelem ea furatum eſſe, ut patrem ſuum ab idololatria abduceret.* (Sic ſanè Raſi docet) *Si ita eſt, cur ea ſecum abduxit, nec potius in itinere abſcondit? Ego arbitror, quod Laban aſtrorum ſcientiam habuerit, unde metuit ne pater laboraret intelligere ex aſtris, qua via fugeret.* In domo Davidis fuerunt Theraphim, quos fuiſſe dicere penates & lares, in domo Davidis abſonum eſt. Senſit ita Genebrardus comment in Pſ. 73. Longe aliter & rectius Ribera in Hoſ. 3. *Quàm ſtatuam poſuit; certè non idoli alicujus neque enim idola erant in domo Davidis ſed nec alterius modi ſtatua eſſent apud Davidem: non imagines aſtronomicæ, ut quidam putant; non imagines factæ ad ſuſcipiendam virtutem ſuperiorum quod R. Abraham magus huic loco conſentaneum eſſe dixit: quæ omnia Iudæi detestabantur. Sed fecit Michal ex variis hinc inde rebus ſtatuam homini ſimilem, quales tauris objici ſolent in circo aut in hortis poni ad aves terrendas: veſtibus ſcilicet virilibus, aut palea aut ligno aut pannis oppletis & humani corporis membra ſimulantibus: aut certè quales tumulis imponi ſolent, cum abſentium funera fiunt. Unde addit pellem piloſam caprarum poſuit ad caput ejus videlicet ut rufos Davidis capillos imitaretur.* Obſervatur Theraphim etiam apud Lxx. verti per κενοτάφιον 1. Sam. 19. 13. 16. quo Ribera reſpexerit. Mercerus putavit privatim ſuperfuiſſe reliquias in Iſrael quamvis publice idololatria eſſet expurgata. Conſtat autem à longo tempore nihil imaginum idololatricarum & publice & privatim reliquum fuiſſe. Hieronymus qu. in Geneſin: *Ubi nunc idola legimus, in Hebræo* תרפים *ſcriptum eſt, quæ Aquila* μορφώματα *id eſt figuras vel imagines interpretatur. Hoc autem dico, ut ſciamus, quid in Iudicum libro Theraphim ſonet.* Lyranus: Rachel furata eſt idola patris ſui: *Non ad colendum ſed ad ſubtrahendum patrem ſuum ab idololatria: & ideò non fuit furtum propriè loquendo. Conſiderandum, quod ubi tranſlatio noſtra habet idola, in hebræa habeatur theraphin, & dicunt aliqui quod ſint imagines factæ partim per aſtronomiam, & partim per necromantiam, quæ dant reſponſa. Hebræi dicunt quod eſt caput alicujus pueri primogeniti, interfecti & ſacrificati Dæmoni, & iſtud caput præciſum ſalſatur & aromatibus conditur, ut poſſit diu ſtare, & ſupra linguam ejus, in lamina aurea, ponitur nomen Dæmonis, & ſic dat ibi reſponſa. Hoc autem interpoſui, quià alibi in Scriptura ſacra fit mentio de Theraphim. Certum eſt tamen quod talia non habent virtutem reſponſa dandi, niſi in quantum Deus permittit, & frequenter propter peccata hominum credentium talibus, & quià demerentur ut talibus deceptionibus capiantur, Deus talia permittit.* Burgenſis certè obſervat Theraphim alias eſſe generalis ſignificationis pro quavis imagine, etiam uſus civilis: alias religioſæ. *Theraphim*, inquit, *in Hebræo imagines ſignificat ſemper vel ſimulachra, prout Hieronymus dicit ſuper Eſa. 2. cap. Sed attendendum quod non ſemper ſignificat ſimulachra facta ad quærendum reſponſa Dæmonum, vel ad idolatrandum, quia 1. Reg. xix. ubi dicitur, quod accepit Michal ſtatuam, ſcil. ad ponendum in lecto loco David, in Hebræo habetur: Accepit Michal Theraphin, quod non eſt dicendum, quod in domo David & uxoris ejus eſſent ſimulachra vel ſtatuæ aliquæ idololatricæ, ſeu facta ad quærendas reſponſiones Dæmonum: ſed erant ibi ſolum ad aliquas licitas repræſentationes. Iudicum verò xvii. & xviii, reperitur ſæpè hæc dictio Theraphim, ubi ſignificat aliquid idololatricè factum, ut ibidem patet. Similiter ubi dicitur Oſea 3. Et ſine Ephod & Theraphim, Theraphin eſt ejuſdem ſignificationis, & ſic in multis aliis.* Quod Lyranus dicit è primogeniti pueruli, occiſi capite, confici imaginem, quam Theraphim vocabulo appellent, è capitulis R. Eliezeris hauſtum eſt. Nos videmus hæc tria doceri poſſe è ſacris literis.

I. Fuiſſe Theraphim ſpecie humana ſimulachra.
II. Deorum cultui adhibita.
III. Quæ reſponſa dabant.

Primum patet ex eluſione, qua evaſit David. 1. Sam. 19. Alterum quia Deos ſuos appellat Laban. Tertium ex eo, quia dictum eſt *Theraphim loquuntur mendacium*. An autem ad aſtrologicam ſcientiam & mathematicorum horas; accedente vi magica, influxiſſe à cælo ſideribuſque motum loquelamque ſtatuam, hæreo.

Rachel à quibuſdam accuſatur, ab aliis excuſatur furti, uti ex parte intelleximus. Quidam feciſſe volunt ut patrem ab idolorum cultu abſtraheret: alii cupidine materiæ è qua conflata erant: quidam, ut patrem placaret, ſi forte perſequens ipſos aſſequeretur. Sic Joſephus: καταφρονεῖν μὲν τῆς τοιαύτης τιμῆς τῶν θεῶν διδάξαντος αὐτὴν Ἰακώβου, ἵνα δ' εἰ καταληφθεῖεν ὑπὸ τοῦ πατρὸς αὐτῆς διωχθέντες, ἔχῃ τούτοις προσφυγοῦσα συγγνώμης τυγχάνειν. Nempe, ſi deorum genibus advoluta, veniam peteret. Pars ut impediret notitiam fugæ ex illis idolis. Sunt qui ſtudio idololatriæ, τῇ διακειμένῃ περὶ αὐτά. Primam ſententiam ſequuntur plures, quam tamen rejicit Aben-eſdras. Hæc excuſat Rachelem à ſcopo, medium tamen illud non habebat omnimodam excuſationem. Quid enim, an licuit filiæ imaginem parentis removere? Non magis, quam privato licitum ſit publicè ſtantes imagines dejicere, ſine autoritate magiſtratus. Et potuit, inquit Mercerus, alias fabricari, niſi avaritia hominem impeditura fuiſſet. Iacob jam amnem Eufratem agmen trajecerat, iter faciens verſus montes Galaad, poſt triduum (Joſephus malè μεθ' ἡμέραν μίαν) ipſi nuntiatum eſt Iacob cum filiabus aufugiſſe. Id cum ægre ferret, aſſumptis fratribus (id eſt fœderatis ſociiſque) Joſ. μετὰ δυνάμεως ἐπειγόμενος) ſeptimo die aſſequitur in montibus Galadenæ. Quis autem annuntiavit Labani? Id cum ſcriptura ſileat, unde haberi poteſt? Judæorum ſubtilitas invenit per Gematriam, fuiſſe Amalec. Nam כי ברח idem quod עמלק. Cum ſeptimo die aſſecutus ſit eum, qui cum gravi agmine & impedimentis triduo præceſſerat,: decimo die ab abitu è Charris Iacob in Galadenam advenit. Subtiliorem calculum nihil moror. Hebræi (Raſi) eum ſic accipiunt, quaſi Iacob toto triduo abfuerit à ſtatione Laban & tanto propinquior ad Eufratem, quo iter inſtituendum erat. Cum igitur nuntius è loco Iacobi ad Laban perveniret, idque triduo, jam ſex dierum itinere à Carris & Labano aberat Jacob. Proinde, cum ſeptimo die aſſecutus ſit Jacobum, oportet ut uno die tantum itineris confecerit quantum Jacob diebus ſeptem. Malè numerum ſeptenarii refert ad Jacobi iter, cum pertineat ad inſecutionem Labani. Sub veſperam (ut vult Joſephus) aſſecutus eſt hoſtem, quam noctem quieti voluit dare: Noctu in ſomnio Deus Labani interminatus eſt, ſi Jacobo moleſtiam crearet. Joſephus addit præcepiſſe, ut cum ipſo fœdus faceret: quod quidem ſecutum eſt, ſed non tradit ſcriptura eſſe injunctum. Die inſequenti igitur provocat Jacobum ad colloquium, reprehendit ob clandeſtinum abitum: quo non licuiſſet eum proſequi feſtivo gaudio, tympanis & citharis: nec filias nepoteſque cum oſculo dimittere & fauſtis comprecationibus. Joſephus ſua beneficia addidiſſe narrat, qui exulem egenumque Jacobum ædibus & menſa ſuſceptum filiarum matrimoniis & magna opum vi beaviſſet. Scriptura ſubjicit: In manu mea eſſet tibi malum reddere: ni Deus patris tui interdictum interpoſuiſſet. Deum vocat Iſaaci, quia ſe alium Deum non illum colere ſignificat. Mirum tamen ita loqui, cum Dei ſupremi cultum exuiſſe non putem. Niſi agnoſci potuit, quum tamen non coleretur nec admitteretur pro numine cui

cui cultum vellent præſtare ſeque addicere? Magnum id argumentum profuſæ idololatriæ. De imaginum furto valde exaggerat Joſephus: Ἱερὰ πάτρια βαστάζοις οἴχοι φερόμενος, ὑπό τε τῶν ἐμῶν τιμηθέντα προγόνων καὶ ὑπ' ἐμοῦ θρησκείας τῆς αὐτῆς ἐκείνοις ἀξιωθέντα. Hæc nec hoſtes bello victores facere, quæ cognatus, ſororis filius, filiarum maritus. hoſpes καὶ ἐφέστιος domus ſuæ fecerit. Accuratè ea refutat Jacob libera oratione Joſephi at, ut Scriptura habet, excuſatione clandeſtini diſceſſus à metu, ne filias Laban detineret. De furto inquiſitionem permittit & nimis vehemente ſpiritu mortem ei pronuntiat penes quem idola inventa fuerint. Joſephus tantum dicit ἐκέλευεν ἐρευνᾶν πᾶσαν, nihil de pronunciatione ſententiæ mortis. Vide quo hominem fiducia abripit: in dilectiſſimam uxorem ignorans, crudeliſſimam ſententiam, pronuntiat: quam nec Laban voluiſſet exſequi. Significat tamen nulli licere ut idola ex alienis ædibus ſurripiat maxime parentis aut heri. Fiducia innocentiæ ſuorum cum tamen ſe non ſuos omnes continere poſſet dictum protruſit tam improvidum. Raſi dicit eſſe diras à quibus inter viam mortua ſit Rachel. Jacob potuiſſet ſuos omnes ſigillatim producere eoſque adjurare: quibus fortaſſis non credidiſſet Laban. Nam non contentus tam animoſa Jacobi deteſtatione tabernacula ſcrutatus eſt. Tabernacula tria commemorantur, Jacob, Leæ, & duarum ancillarum. Poſtea commemorata de Leæ & Rachelis tabernaculis ſeparatim dicitur. Obſervant Judæi tabernaculum Jacob & Rachel unum fuiſſe, cum Lea ſeparetur: ita & unum fuiſſe duarum ancillarum. Subjicitur quidem ſeparata mentio tabernaculi Rachel, ſed & illic de Lea repetitur. Aben-eſdras elliptica locutione duabus ancillis non unum duabus ſed utrique ſuum attributum eſſe debere intelligi. Sane id requirebat res. Quomodo enim introire ad unam potuit, ubi altera præſens erat: niſi dixeris tantum ſemel iterumque cum ancillis congreſſum eſſe, quoties heræ in ſuum thalamum eas induceret. Exprimitur in textu, Laban ingreſſum eſſe tabernaculum Jacob, tabernaculum Leæ, tabernaculum ancillarum: deinde additur è tabernaculo Leæ in tabernaculum Rachel veniſſe. Fortaſſis bis Leæ tabernaculum ſcrutatus eſt. Ultimò omnium Rachelis tabernaculum introiit. Manifeſtum eſt diſtincta Iacob & Rachelis tabernacula fuiſſe, ut gynæceum ſeparatum eſſe oportuit. Rachel pertinax in retinendis imaginibus, ſive amore deorum, quibus nondum ſatis renuntiaverat, cum ſuperſtitio à parentibus tradita difficulter emigret & domum Iacob ab idolis non fuiſſe puram conſtet ex cap. 35. 2. ſive materiæ cupidine nimia (quod non videtur, quia non exiſtimo tanti pretii fuiſſe) ſive metu mortis, quam Iacob denuntiaverat; ſive etiam infamiæ, clitellis ſive ſtragulis cameli ſacra abſcondit, iiſque corpus ſuum ſuperimponit. Scrutanti autem patri excuſat ſe, quod muliebri fluore detenta non poſſet conſurgere ut ſcrutinio locum faceret. Ioſephus: Ῥαχήλα συνθεμένη, κατατίθησι τοὺς τύπους εἰς τὴν σάγην τῆς φερούσης αὐτὴν καμήλου, ἐκαθέζετο δὲ φάσκουσα τὴν κατὰ φύσιν κάθαρσιν αὐτῆς ἐνοχλεῖν· καὶ Λάβανος μὲν ἀφίσταται τῆς ἐπιπλεῖον ἐρεύνης, οὐκ ἂν οἰηθεὶς τὴν θυγατέρα μετὰ τοιούτου πάθους τοῖς τύποις προσελθεῖν. בכר הגמל / Chaldæus בעביטא דגמלא. Raſi explicat interpretationem Chaldaicam: והוא מרדעת העשויה כמין כר ובעירובין שנינו הקיפוה בעביטין והן עביטי גמלים בשטו בלעז. *Significat clitellas factas in modum pulvini, quod in Erubim diſcimus, cingunt in* עביטין. *Vocantur autem vernaculè Baſto.* Aben-eſdras, ſubtilius illa diſcutit, exiſtimatque Rachel in tabernaculo non fuiſſe cum inſideret clitellis.

Cum igitur Laban omnia utenſilia intus & foris tabernaculorum perluſtraſſet & contrectaſſet, aſtu muliebri deluſus nihil invenit. Dei providentia

dentia ipſis lapſibus & criminibus ſe interponit, ut ne piis Dei cultoribus obſit. Si res emanaſſet tragicum tumultum Rachelis dediſſet temeritas, at Deus Rachelem à periculo vitæ, Iacobum ab infamia, univerſum agmen à conflictu & ſtrage tutatus eſt. Quid enim non feciſſet hominis truculenti, avarique jam olim indignata & modo incenſa violentia, habentis ante oculos quod agere ferre poſſet quodque toties ægerrimè tulerat ſibi decedere. Rachel mandragoris noctem vendiderat; hic furto univerſa gravi periculo implicuit. Mandragoræ muliebrem animum ſuo odore & ſpecie traxerunt. Ioſephus: δι' ἐπιθυμίας τοῦ βρώματος γινομένη. Auguſtinus: *Tanquam Iacob non recuſante noctem Liæ, ut Rachel pomis ſuaveolentibus & clare nitentibus potiatur.* At quid in idolis, niſi ſuperſtitio aut avaritia (ſuperſtitionem fuiſſe veroſimilius dixerim) quod ea tantopere appetibilia fecerit.

Non Repertis Idolis Pace Facta] Iacob, cum videret omnia tam avide diſcuti & contrectari, tantaque cum fiducia, quaſi minimè dubius eſſet haberi & abſcondita latere; cumque ſe ſuoſque puras habere manus haudquaquam ambigeret; incenſus etiam ſuperioris vexationis omniumque injuriarum & hoſtilis hujus perſecutonis contemplatione vehementius efferbuit. Nam & mitis animus ſæpius læſus frangi poteſt. Erupit igitur in altercationem, quam hic omiſſam Ioſephus ex parte ſuperioribus inſeruit. Quod commiſſum aut peccatum meum eſt, quem hoſtiliter inſecutus es. Omnia mea contrectaſti: quid inveniſti? Iudicent tui meique ſodales. Viginti annos tibi inſervii: nullus abortus gregis tui fuit: de tuo non comedi. Laniata & rapta ſolvere debui: diei æſtus torruit me, noctis frigus aduſſit: inſomnes noctes egi. Viginti annos apud te fui, quatuordecim annos pro uxoribus ſervitutem ſervivi, ſex inſequentes pro mercede. At hoc ſexennio decies modum mercedis inmutaſti. Niſi Deus è cœlo, Deus patris Abrahami, pavor Iſaaci, mei fuiſſet miſertus, ſuamque benedictionem mediam interpoſuiſſet, vacuis manibus dimiſſus eſſem. Deus recordatus ærumnarum, quas tuli & laboris, heſterna nocte te conterruit. Ad tam acrem objurgationem ſilentio tranſmiſſam, ut qui non haberet, quod reponere poſſet, magnus ſimulandi & diſſimulandi artifex, in alium ſe habitum compoſuit. Suas filias, ſuos nepotes, ſuum peculium & ſua eſſe omnia, quæ videret. Non ſuſtinere ut vel minimum læderet. Fœdus petere ſanciri. נכרתה ברית/ *Percutiamus fœdus.* Fœdera vulgò Grammatici dicunt à feriendo appellari, quod ita non eſt, dicuntur potius à fide, id eſt ἀπὸ τοῦ πείθεσθαι, quia ipſis fides fit variis ritibus & cerimoniis. πίστος *fœdus.* Hebræum ברית venit à ברה quod eſt edere: quia ſolemnibus epulis confirmari ſolebant. Ut factum hic & inter Iſacum & Abimelech. Dicebant tamen fœdera ferire aut cædere ob animalium mactationem, quæ conjuncta erat. Fœdus hoc futurum erat לעד ביני וביניך in teſtem aut teſtimonium. Raſi vocabulum עד ad Deum vult referri. Eum in teſtem fore: id coactius videtur eſſe. Reſpicit potius ad monumenta, quæ ſolebant & ipſe volebat eo loco erigi, unde & loco nomen. Diſtinguendæ conditiones fœderis à monumento, ſacramento & epulis. Conditiones I. Alterum ad alterum non eſſe tranſiturum præter hoc monumentum in malum. Nam liquit לפרקמטיא negotiorum & commercii cauſa. II. Filiabus Laban Iacobum non eſſe aliam uxorem ſuperinducturum. Joſephus. ποιεῖται δὲ ὅρκους πρὸς Ἰάκωβον μηδενὸς αὐτῶν μνησικακήσειν τῶν γεγονότων. ἀλλὰ κἀκεῖνος ἀγαπήσειν αὐτοῦ τὰς θυγατέρας. Rem non tangit. Monumentum fuit primò lapis aut columna erecta à Jacobo. Porrò filii Laban cumulum lapidum congeſſerunt Iacobi juſſu & hortatu. Cl. Rivetus exiſtimat cumulum illum lapi-

lapidum eundem eſſe מַצֵּבָה quod ita non eſt ut Joſephus rectè diſtinxit: גל & מצבה diſtincta ſunt. Cumulus in circuitu columnæ aggeſtus eſt. Hic lapidum cumulus ab utroque dictus eſt acervus Teſtimonii. Nam Laban lingua Syra יגר סהדותא / Jacob Chananæo (nos Hebræum appellamus) ſermone גלעד vocavit. Utrumque vocabulum idem ſonat. Altero vocabulo locus dictus eſt המצפה (à voce צָפָה) quia invocaverant Deum ut curæ ipſi eſſet & intueretur, ſi quid in occulto ab abſentibus adverſus conditiones delinqueretur. Sacramentum, quò invocabat uterque Deum ſuum, ut judicaret & provideret, Laban invocat Deum patrum Thare, Nachor, Abrahami; Jacob pavorem patris Iſaaci. Bis epularum mentio fit. Primò in verſu 46. Ubi ſuper cumulo recens aggeſto Jacob epulatus eſſe dicitur cum fratribus ſuis. Secundò in v. 54. ubi facta mactatione in monte, invitaſſe fratres narratur, ad edendum panem: eoſque ſimul pernoctaſſe in monte. Si primæ epulæ fuerint Jacobi ſodalium ſolorum, ſecundæ ſane partium ambarum fuere. Ego exiſtimo in utriſque epulis ambas partes adfuiſſe: ut ſancirent fœdus & amicitiam poculis & libaminibus. Fortaſſis primis epulis ſacratus eſt tumulus, in uſum fœderis faciendi. Joſephus: Καὶ τὰς πίστεις, τὰς ἐπὶ τύποις ἐποιήσαντο ὑπὲρ ὄρους τινῶν, ἐφ' οἷς στήλην ἀνέθηκαν κατὰ βωμοῦ σχῆμα. Ὅθεν γαλάδης λέγεται ὁ βουνός. Ἀφ' οὗ καὶ νῦν γαλαδηνὴν καλοῦσι τὴν γῆν. ἑστιαθέντων δ' ἐπὶ τοῖς ὅρκοις, ὁ μὲν Λάβανος ἀνέζευξεν. Quid hoc eſt ὑπὲρ ὄρους τινῶν? Video verſionem habere *in monte quodam.* Hoc eſſet ἐπὶ ὄρους τινός. Verto, *ſuper quibuſdam indicibus*, ut accipiam congeſtos illos lapides, ſuper quibus erecta eſt στήλη. Quos lapides ſive ὅρους in colle fuiſſe indicat. Columnam illam aræ figuram habuiſſe narrat quæ ſuper lapidibus ſtabat. Laban videtur Jacobo exprobrare defectionem à religione avita, cum Deum ſuum vocat, Deum Abram Nachor & Thare. Ter repetit vocem אלהים; ideò dicit Raſi de primo אלהים juncto cum nomine Abraham קדש de duobus aliis חול. Nachor enim & Thare deos alienos coluerunt. At cur Jacob Deum ſuum appellat פחד יצחק. Ridiculum eſt dicere, quod Deus viventium non appelletur. Nec convenit referre ad colligationem Iſaac; quamvis Pavor Iſaaci recte exponatur, ille, quem metuit Iſaac. Abeneſdras ויש אומרים זה הפחד רמז ליום העקידה ואיננו רחוק:

Sunt qui dicant hunc pavorem indicium eſſe diei ligationis, à quo nos alieni non ſumus. Bis dicit Jacob, *Timorem Iſaac*, v. 42. & 53. Audiamus Burgenſem ad v. 42. *Quærendum videtur, quare non fecit mentionem de Abraam & Iſaac eodem modo dicendo: Deus patris mei Abraæ & Deus patris mei Iſaac, vel timor patris mei Abraam, & timor patris mei Iſaac, quià non minus poteſt dici de Abraam quod timuerit Deum, quam de Iſaac. Ad hoc dicitur à quibuſdam Hebræis quod Deus non nominatur Deus alicujus ſingularis perſonæ, niſi poſtquam eſt extra fluxibilitatem hujus vitæ, eo quod homines dum in hac vita ſunt poſſunt mutari de ſtatu gratiæ, in quo ſunt filii Dei, ad lapſum, in quo potius filii iræ ſecundum Apoſtolum dicuntur; & quià quando hæc verba dixit Iacob, Abraam diu jam ante deceſſerat, ſed Iſaac adhuc vivebat; quià duravit uſque ad decennium poſt venditionem Ioſeph, ut habetur in poſtilla: idcirco de Abraam qui jam erat in ſecuro, dixit, Deus Abraam; ſed de Iſaac, qui adhuc erat in vita, dixit, Timor Iſaac, id eſt, quem timet Iſaac, quod poteſt dici de quolibet juſto timente Deum ſecundum præſentem ſtatum. Quidam verò dicunt quod timor Iſaac hic dictus intelligitur de timore quem paſſus eſt tempore immolationis: Ad quod inducunt illud quod infra ſequitur eodem capite. Iuravit Iacob per timorem patris ſui Iſaac &c. Solent enim homines jurare per aliqua terribilia ſicut per horam mortis & hujuſmodi.* Hactenus Burgenſis. Per horam mortis aut alia terribilia jurare, non poteſt

alium ſenſum habere quam Deum vindicem falſi determinate invocare in pœnam ejus generis.

Q. De mactatione, quam fecit Jacob, an ſacrificium ex ea inſtitutum fuerit? Oſtendit textus finem mactationis fuiſſe epulas, ויזבח ויקרא. Si holocauſtum obtuliſſet, debuiſſet inſtitui alia mactatio; quia ab holocauſto nihil relinquitur ad epulas. Hic autem tantum una mactatio narratur, conjuncta cum epulis. Si igitur obtulit fuit זבח/ id eſt ejus generis ſacrum, è quo pars epulis relinquebatur. Atqui non licuit idololatras admittere ad ſacras epulas. Sacri igitur nulla hic eſt mentio. Atqui de hoc fœdere dicitur כרת/ percutere, cædere. Quod non poteſt ratione fœderis impleri in cædendis ſimpliciter animalibus ad epulas: quia ſanctio fœderis cæſa in eum finem animalia ſacrabat. Sacræ quidem hæ epulæ fuerunt quatenus fœderi confirmando adhibitæ ſunt, verum ante tales epulas fœdus ictum fuit. Juramentum enim poſt ictum fœdus adhibetur: & hic poſt juramentum ſunt epulæ. Oportet igitur ipſius fœderis connexum ritum omiſſum eſſe à Moſe, quia quæ hic narrantur aut antecesſerunt aut conſecuta ſunt.

Locus dictus eſt Galaad, nempe univerſus ille tractus montanæ regionis. Hieronymus de his locis: *Galaad mons, ad quem ſeptimo die profectionis à Charris Iacob profugus venit. Eſt autem ad tergum Phœnices & Arabia, collibus Libani copulatus: extenditurque per deſertum uſque ad eum locum, ubi trans Iordanem habitavit olim rex Seon Amorrhaeorum. Cecidit ſupradictus mons in ſortem filiorum Ruben, Gad & dimidia tribus Manaſſe. Sed & Ieremias loquitur: Galaad tu mihi initium Libani. A quo monte & civitas in eo condita ſortita eſt vocabulum, quam & cepit de Amorrhaeorum manu Galaad filius Machir, filii Manaſſe. Maſpha in tribu Gad ſeparata Levitis. Eſt autem & alia nunc Maſpha in finibus Eleutheropoleos contra ſeptentrionem pergentibus Æliam, pertinens ad tribum Iuda.* Igitur in tribu Gad fuit locus hujus monumenti: nec procul ab eo monumento Mahanaim. Iterum Hieronymus: *Manaim in tribu Gad ſeparata Levitis.* Præter iſtas Maſphas Hieronymo annotatas fuit & alia de qua Judic. 20. 1.

Cum ſermone diverſo locuti ſint Jacob & Laban, quæri poteſt: Cum Laban ex eadem familia fuerit, è qua ortus eſt Abrahamus, an Abrahamus etiam, cum in illis locis ageret eo ſermone uſus ſit? Affirmat Scaliger, communiter autem exiſtimatur, Abrahami tempore in familia & ſtirpe Thare Hebræum (quem vocamus) ſermonem purum adhuc fuiſſe, eumque conſervatum eſſe in Abrahami domo, neglectum in domo Nachor, è qua Laban. Cœperunt igitur Nachoridæ loqui ſermone loci, Abramidæ ſtudioſi linguæ majorum & Eccleſiæ, antiquum primumque ſermonum retinuerunt. Cedrenus refert è parva Geneſi: Angelum domini Abrahamum docuiſſe ſermonem Hebræum. Id ipſum Angelum Moſi expoſuiſſe. Scaligeri ſententia eſt patriarchas locutos eſſe ſermone terræ in qua habitabant. Sermonem Meſopotamiæ Abrahamo in uſu fuiſſe cum illic degeret, mutaſſe eum Cananæo, poſtquam eò tranſlatus fuit. Eoque quem Hebræum dicimus id eſt trans Eufratenſem malè ita appellari, quia patrius fuerit Cananæorum, à quibus eum Abramidæ acceperunt & ſuis ſcriptis inviolatum ad poſteros tranſmiſerunt. Quia igitur poſteris temporibus ſermo Cananææ antiquæ apud ſolos Hebræos inventus fuit, hinc ab eis dici cœpit. In Ægypto, per annos 215, Hebræi Cananæum ſermonem conſervarunt, cum Abraham tam cito tranſierit è Syro in Cananæum, quia una familia aut domus facile traducitur, genti autem ſeparatè habitanti, in alieno ſolo, ſuus ſermo remanet: ut res & hiſtoriæ docent.

Cum Jacob hoc loco, cum Abram Gen. 21. Iſaac Gen. 26. fœdus inierint cum

cum idololatris per idola jurantibus memoria refricatur quæſtionum, quas Auguſtino propoſuit Publicola ep. Aug. 153. Ille varias difficultates nectit de uſu juramenti & rerum cuſtoditarum à Barbaris in hoc per dæmones ſuos jurantibus. Tandem in fine Epiſtolæ addit; *Sane de juramento vel de idolis, ut laborem non patiaris in requirendo, quæ ut Dominus donavit invenimus, ante oculos tuos volui proponere: ſi quid autem aliud apertius aut melius in ſcripturis inveneris, dignare mihi ſignificare. Vnde quæ invenimus hæc ſunt, ubi Laban dixit ad Iacob: Deus Abraham & Deus Nachor: quem autem Deum non ſignificavit ſcriptura. Et iterum Abimelech, quando venit ad Iſaac: ubi juravit vel qui cum illo erant: ſed quale juramentum non ſignificavit ſcriptura. Iterum de idolis* &c. Ad hæc reſpondet Auguſtinus, triplicem quæſtionem ſeparans: *Movet te certe, utrum ejus fide utendum ſit, qui ut eam ſervet per dæmonia juraverit. Vbi te volo prius conſiderare, utrum ſi quiſpiam per deos falſos juraverit ſe fidem ſervaturum, & eam non ſervaverit, non tibi videatur bis peccaſſe? Si enim tali juratione promiſſam cuſtodierit fidem, ideo tantum peccaſſe judicaretur, quià per tales deos juravit. Illud autem rectè nemo reprehenderit, quià fidem ſervarit. Nunc verò qui & juravit per quos non debuit, & contrà pollicitam fidem fecit quod non debuit, bis utique peccavit: ac per hoc qui utitur fide illius quem conſtat juraſſe per Deos falſos, & utitur non ad malam rem, ſed ad licitam & bonam, non peccato ejus ſe ſociat, quo per dæmona juravit, ſed bono pacto ejus, quo fidem ſervavit. Neque hic eam fidem dico ſervari, qua fideles vocantur, qui baptizantur in Chriſto. Illa enim longè alia eſt longeque diſcreta à fide humanorum placitorum atque pactorum: Verumtamen ſine ulla dubitatione minus malum eſt per Deum falſum jurare veraciter, quam per Deum verum fallaciter. Quanto enim per quod juratur magis eſt ſanctum, tanto magis eſt pœnale perjurium. Alia ergo quæſtio eſt, utrum non peccet qui per falſos Deos ſibi jurari fecit, quia ille, qui ei jurat, falſos Deos colit. Cui quæſtioni poſſunt illa teſtimonia ſuffragari, quæ ipſe commemoraſti de Laban & Abimelech, ſi tamen Abimelech per deos ſuos juravit, ſicut Laban per Deum* [Jacob.] *Hæc, ut dixi, alia quæſtio eſt, quæ me meritò fortaſſis moveret, niſi illa exempla occurriſſent de Iſaac & Iacob, & ſi qua alia poſſint inveniri. Si tamen illud non adhuc movet, quod in novo Teſtamento dictum eſt, Ne omninò, juremus? Quod quidem mihi propterea dictum videtur, non quià verum jurare peccatum eſt, ſed quià pejerare immane peccatum eſt: à quo nos longè eſſe voluit, qui omninò ne juremus admonuit. Sed tibi aliud videri ſcio, unde nunc diſputandum non eſt, ut illud potius agamus, unde me conſulendum putaſti. Proindè ſicut non juras, ita nec alium ſi hoc places, jurare compellas, quamvis dictum ſit ne juremus: Nuſquam autem in Scripturis ſanctis legi meminerim ne ab alio jurationem accipiamus. Alia verò quæſtio eſt, utrum eâ pace debeamus uti, quæ inter alios invicem jurantes facta eſt. Quod ſi noluerimus, ubi vivamus in terris, neſcio utrum invenire poſſimus. Neque enim tantummodo limiti, ſed univerſis provinciis pax conciliatur juratione Barbarica. Vnde & illud ſequatur, ut non fruges tantum, quæ ab eis cuſtodiuntur, qui per Deos falſos juraverunt, ſed ubique inquinata ſint omnia, quæ ipſa pace muniuntur, quam juratio illa confirmat. Quod ſi abſurdiſſimum eſt dicere, nec illa te moveant, quæ movebant.* Publicola non potuit expediri ex difficultatibus iſtis donec retineret opinionem illam falſam & periculoſam, quod omne juramentum homini ſit illicitum. Si enim illicitum eſt jurare, etiam non licet ab alio juramentum exigere. At ſi juramentum ſit licitum, ſic reſpondendum & ſolvendum, ut facit Cl. Rivetus: *Plena ſunt omnia exemplis piorum, qui inierunt fœdus pacis cum hoſtibus Idololatris, in quibus fœderibus, ab utraque parte juratum eſt. Sic Machab. cum Romanis inierunt fœdus pacis; ſic etiam Imperatores & Reges Chriſtiani cum infidelibus; exacto etiam juramento, ſine quo non exiſtimaſſent illi*

teneri

teneri ſe ad fidem ſervandam. Sed tamen id concedimus, tantum juramentum religioſum ità exigi poſſe ab infideli, ut non liceat exigere juramentum per Deum alienum, aut per creaturam explicitè, ſed generaliter tantum ut juret. Quod ſi ille per Idola aut per creaturam juret, imò etiamſi ſciat qui juramentum petit eum per idola juraturum, non peccat tamen qui juramentum exigit & recipit. Hæc hujus rei affertur ratio, quod juramentum religioſum ad veritatis confirmationem, homines ſibi mutuò debent ex jure convivendi. Qui igitur juramentum exigit ab Idololatrâ ex causâ juſtâ, jure ſuo utitur. Ex quo diſcrimen ſtatuitur, cur aliquis poſſit compellare Idololatram ut juret; non autem ut idolo ſacrificet, nec magum ut curet eum per magicam artem quià hæc non pertinent ad uſum communis humanæ converſationis & ſocietatis, quam autor naturæ indulget. Hinc etiam patet, ſiquis audiret Idololatram jurantem ſibi per verum Deum, quem tamen non coleret, & ideò putaret ipſum non jurare, poſſe inſtare ut alter verum juramentum adhibeat ex ſenſu ſuo, etſi jurationem rejiciat, quæ fiebat per verum Deum, alia autem ſecutura ſit per Idolum.

Sed id non exiſtimo locum habere, cum aliquis rem habet cum Pontificio, qui per Deum jurat. Quamvis enim compertum ſit minus religioſum eſſe apud eos tale juramentum ſimplex, quam illud quod fit ſuper ſancto, ut loquuntur, ſacramento, non tamen licebit fideli reformato inſtare, ut tales adhibeantur ceremoniæ, quià profitetur etiam Pontificius ſe credere in verum Deum. Vt rem contrahamus, Eadem eſt ratio acceptationis ſive etiam exactionis juramenti ab eo quem per Idola juraturum novimus. Sicut enim exigit mutuum, qui id petit, uſuram autem permittit & tolerat: ſic etiam, ab infideli juramentum tantum exigitur; permittitur autem & toleratur, quod per eos, qui dii non ſunt jurat. quod ſi fiat ob juſtam cauſam & neceſſariam, culpari non debet in eo qui exigit. Alioqui, mutuum dare, & jurare, tales ſunt actiones, quæ fieri poſſunt ſine peccato Qui igitur exigit non petit ut peccet, etſi alter per malitiam ſuam talem actionem non faciat ſine peccato. Id tantum obſervandum eſt, ne pii imitentur impios in jurando, ſed Iſaaci exemplo, ità diſtinguant, ut nulla poſſit ſuboriri ſuſpicio, quaſi in gratiam hominum, vellent ſuperſtitionibus connivere.

Cap. XXXII.

INDE DIGRESSUS JACOB VIDISSE ANGELOS] Principio cap. 32. confirmatur Jacob angelicarum copiarum occurſu. v. 1. 2. Legatos mittit ad Eſau 3--6. Parat ſe & conſtituit agmen ad occurſum, Eſau 7--21. Luctatur cum Deo. Digreſſo igitur à Laban & tendenti per Petræam Iordanem verſus angelorum caſtra occurrunt. A quo occurſu loco nomen Mahanaim מחנים. Ex ipſo contextu & verbis apparet non per viſionem ſed videnti foris ad oculum oblatum eſſe quod occurrebat. Cl. Rivetus: *In ſomno probabile eſt factam eſſe* (viſionem) *non quia nulla interceſſit locutio Angelica (nam anteà locuti ſunt Iacobo angeli in ſomno) ſed quia aliæ viſiones hactenus narratæ in ſomnis ei fuerunt objectæ.* Imò vero viſio non fuit ſed viſus. Moſes non ſcribit, *Vidit angelos ſed angeli Dei occurrerunt.* Sequitur: *Iacob dicebat, ſimul ac videret eos.* Plerique viſionem in prophetia fuiſſe volunt. At cum, ut apparet, ipſius comitatus dubitaret & trepidaret, Jacob primo intuïtu rem, quid eſſet, dijudicare potuit. Joſephus: Ἰακώβῳ δὲ εἰς Χαναναίαν προϊόντι φαντάσματα συνετύγχανεν ἀγαθὰς ἐλπίδας ὑπαγορεύοντα περὶ τῶν εἰς ὕστερον. Duo ſomnia Jacobi in ſuperioribus notata ſunt, ſemel Deus ei locutus eſt cap. 31. v. 3. hic foris offeruntur ſpectra boni ominis. Scire enim debuit Jacob angelos Dei, quorum princeps & Dominus cum ipſo poſteà luctatus eſt, ipſum tueri & gratulaturos ob reditum in

Cana-

Cananæos procedere. In hiſtoriis obſervatur ſpectra angelorum bonorum malorumque futuri ſæpe omen attuliſſe. Apud Pontificios, qui humanas mentes ſuperſtitionibus & fabulis occupare laborant, in meſſem opimam quam fert ager purgatorii, colludit Satan quotidianis apparitionibus ſe immiſcens regno tenebrarum: at patribus ex intervallis longè diſtantibus viſa angelorum omen præbuerunt. Ralbag: ופגעו בו קצת מנביאי הדור או נראו לו מלאכים בנבואה *occurrunt ipſi quidam de prophetis ejus ætatis aut viſi ſunt angeli Dei in prophetia.* Moſes evidenter & ἐναργῶς loquitur. Cum Iacob pergeret in itinere, iter facienti occurriſſe angelos; unde locus ab occurſu appellatus eſt. Et ipſe, cum primo intuitu ſignificatur dijudicaſſe, quid videretur. Ralbag ſolet, quicquid de angelis dicitur, ad prophetas trahere. Ioſephus verè judicavit fuiſſe Φαντάσματα, obvia facta in itinere. Raſi: Angeli terræ *Iſrael obviam venerunt* ללותו לארץ *ut ipſum deducerent in terram.* Aben-eſdras: *In auxilium ipſius in via & ipſe ſolus vidit.* Non exprimit Moſes ipſum ſolum vidiſſe: videtur ſignificare quod & ſui viderint ויאמר יעקב כאשר ראם. *Dixit Iacob, cum eos videret.* Locum appellavit duali numero *Mahanaim*, vel ob amplitudinem & excellentiam copiarum Domini vel quod duæ acies eſſent.

Quanquam divinitus confirmatus eſſet de protectione cœleſti & proſpero rerum ſucceſſu, diligenter tamen incumbit curæ debitæ & ſolicite rerum ſuarum ſatagit. Mittit legatos in regionem Seir, non quod præter regionem Edom (ut loquitur Sulpicius) iter deſtinaret, neque (ut alii) quod per Edom ad Iſaac proficiſci vellet ſed uti propitium ſibi faceret fratrem, ejuſque iram præveniret. Nam cum Cananæa proxima eſſet Seir ſeu Idumææ, & illic inter peregrinos ageret manente diſſidio conjunctis Cananæis & Eſavi viribus, facilis fuiſſet oppreſſio Iacobi. Aben-eſdras: *Ecce novimus, quod terra Edom ſit inter Haran & terram Iſrael & hac reſponſio adverſus Gaon, qui dicit, quod Sinai & Seir & Pharan ſint contermini. Hi autem nuntii* (מלאכים) *fuerunt ejus ſervi.* Ineptum eſt dicere, quod dicit Iſaac Carus, laudante Mercero, angelos præſides terræ extra Cananæam, qui ad fines Cananææ Jacobum deduxerant, ab illo miſſos eſſe ad Eſau. Nec eſt verum, quo Edom inter Haran & terram Iſrael ſita fuerit. Cum Jacob Carras proficiſceretur prope Bethel tranſiit Jordanem, nullo tum metu arcente à finibus Edom, quominus breviſſimo itinere tenderet. Cum Iſraëlitæ ex Ægypto per Arabiam ambularent, univerſos Idumææ fines circumierunt, hinc Moab & Ammon ſiti erant, per quos orientalis terminus Canaan & Jordanes quærendi fuêre. Carræ ad orientem à terra Iſrael. Diſcimus igitur in Seir non contuliſſe ſe Eſau, antequam Jacob è Meſopotamia rediret. Atqui legimus cap. 36.6. 7. à facie Jacob è Cananæa abiiſſe cum familia & pecoribus, idque ideo, quod ambos eadem terra non poſſet alere. Audiamus ſolutionem Cl. Riveti (in comment. cap. 36.) qui verſionem Tremellianam firmat: *Hunc nodum ſolvendi varias rationes ex cogitarunt interpretes, quas ut omnes expendamus non eſt neceſſe. Sufficit, ſi quas maximè probabiles exiſtimamus, paucis aperiamus. Si verba Moſis ita accipiamus, ut de præterito perfecto intelligantur* tulit & abiit, *&c. nempe tum cum receſſit à Iacobo fratre ſuo, commodiſſima videtur expoſitio, qua ex Rabbi Moſe ben Maimon affertur, & quam Auguſtinus etiam amplexus eſt, nempe quod Eſau quidem, priuſquam ex Meſopotamiâ Iacob rediiſſet, relicta domo paterna abierit in terram Seir, & in ea habitaverit ut ex præcedenti hiſtoria liquet, ſed tamen quòd ibi nondum fixiſſet certas ſedes, ſed expectaſſet, donec mortuo parente, videret quonam ſibi eſſet migrandum. Rediiſſe ergo in terram Canaan cum ſuis ſub tempus obitus parentis & ibi aliquandiu egiſſe ut res ſuas componeret; Quo facto, cum videret difficulter fieri poſſe ut in eadem regione cum fratre*

commodè habitaret, rediſſe in terram Seir ſpe conceptâ, fore ut Horraos montana inhabitantes paulatim ſubigeret, & in munita regione fixas ſibi ſedes acquireret, quod commode non poterat in iis terræ Canaan locis, à pluribus occupatis, in quibus habitaſſet precariò & tanquam extraneus. Quò referendum eſt id quod dicitur verſ. 7. non ſuſtinuiſſe eos terram peregrinationis eorum, præ multitudine gregum. *Nam terra Canaan alioqui ſatis capax erat, ſi jam domini fuiſſent. Sed cum eſſent peregrini, quicquid in ea poterant occupare, ſub aliorum imperio tenebant: & paſcua Hebron, ubi tum agebat Iſaac, anguſta fuiſſe conſtat ex terræ ſanctæ topographiâ.*

Malim cum Tremellio & Iunio verba illa, וילך ויקח *vajelech vaiccach, &c. interpretari in præterito pluſquam perfecto, ut referatur ad id quod jam antea factum erat, priuſquam Iacob ex Meſopotamiâ rediret. Iam enim tum migraverat Eſau, & ſibi ſedem illam delegerat atque ita fratri ſuo habitationem terræ Canaan reliquerat. Sed non probo quod quidam putent, id factum fuiſſe eâ intentione ut cederet fratri, poſtquam intellexiſſet terræ Canaan poſſeſſionem relictam ei fuiſſe ex benedictione paternâ, quâ de re eum cogitaſſe probabile non eſt. Nec tamen placet Tremellii & Iunii phraſis explicatio illius* מפני יעקב mippene Iacob, *à facie Iacob, id eſt,* ante adventum Iacobi fratris ſui. *Nam, etſi* facies, *pro adventu aut* præſentiâ, *poſſit accipi; phraſis tamen* à facie *non poteſt intelligi, pro eo quod eſt* ante faciem, *id eſt,* antequam adveniſſet, *ſine violenta admodum & dura catachreſi. Retineo igitur communem verſionem,* à facie fratris ſui, *id eſt,* à conſpectu, *vel remotus à fratre ſuo: quod ſic intelligo, non quaſi in animo habuiſſet Eſau cedere fratri ſuo, ſed ut indicetur eventus ex divinâ ordinatione & providentiâ. Nam non dubito, Eſavum utilitatis ſuæ ſtudio, & libertatis amore, conceſſiſſe in Seir, non ut fratri cederet, vel ut ejus emolumentis conſuleret, ſed quia ita rebus ſuis ſe conſulturum ſperaret. Quod autem additur,* Divites enim erant valdè, & ſimul habitare non poterant, *non refero ad cauſam quæ id conſilium elegerit; ſed ad rationem, cur commodum fuerit, & penè neceſſarium, ut ita eveniret, ne ſi ambo in eodem loco habitaſſent, ſibi mutuò eſſent oneri & incommodo, & indè orirentur rixarum occaſiones. Itaque hæc omnia refero ad divinum conſilium, quod ita arcana providentia direxerat animum Eſavi, ut jam, antequam rediiſſet Iacob, terram Canaan reliquiſſet, ut vacua ſaltem à parte illius qui de hæreditate alioqui contendere potuiſſet, reſervaretur Iacobo redeunti, cui divinitus deſtinata erat, quemadmodum ſæpè accidit, ut impii ignari conſiliorum Dei, præter animi ſui ſententiam piis etiam tum proſint, cum tamen præſentibus ſuis commodis intenti, nihil minus ſibi proponant, quàm aliorum emolumenta promovere, quod tamen Deus cogitat, & exequitur etiam eorum operâ, qui ea libenter remorarentur.*

Itaque nulla eſt ratio, cur verba verſ. 7. Divites erant valdè, *&c. referantur ad Iſaacum & Eſavum, qui unà propterea non potuerint habitare; cum antea in hoc capite, nulla mentio facta fuiſſet Iſaaci, ſed tantum duorum fratrum, inter quos fit comparatio. Totum igitur hunc locum, ut nihil ſit quod lectorem implicet, ſic παραφράζω:* Aſſumpſerat autem Eſau uxores ſuas, & filios ſuos & filias ſuas, omneſque domeſticos ſuos, pecus quoque ſuum & omnia ſumenta, denique autem poſſeſſionem ſuam quam acquiſierat in terra Canaan, in qua antea habitaverat cum parentibus, & abierat in regionem Seiris, atque ita à fratre ſuo opportune ſeparatus eſt, ut remotus ab eo, viveret extra finem terræ promiſſæ: alioqui, niſi à Deo proviſum anteà fuiſſet redeunti Iacobo, non potuiſſent una habitare ſine gravi utriuſque incommodo & diſſidiorum periculo, propter utriuſque peculium ita auctum, ut pars illa terræ, in quâ tanquam peregrini habitaſſent, non potuiſſet illud continere. *Sic mihi videtur ſenſus commodè fluere: Itaque non exiſtimo Eſavum veniſſe ad funus patris cum omnibus ſuis, animo manendi, ſi locus fuiſſet opportunus, & conſilium capiſſe redeundi, tum*

cum

cum videret non poſſe habitationem illam, utramque familiam capere; ſed jam habuiſſe fixas ſedes, in quibus ſua omnia reliqueras, & ad qua redire deliberaverat, procurato parentu funere & acceptis bonis, qua ipſi ex patris obitu debebantur.

Vulgaris eſt conciliatio, quam malè attribuit Maimonidæ, cum ſit Nachmanidæ, ut habet Mercerus, è quo didicit Cl. Rivetus. Quidam Eſau putant ante fugam Iacob diſceſſiſſe ut locum faceret Iacobo. Atqui nullum pecus habuit Iacob ante ſuum in Meſopotamiam abitum. Alii mox poſt diſceſſum abiiſſe. Volunt enim parentes utrique hæreditatem diviſiſſe & pro Jacob abſente ex jure primogenitnræ duplicem portionem retinuiſſe: quod magis ipſum Eſau irritaſſet. Non poteſt dici ſeceſſiſſe Eſau poſt reditum Iacob quia in Seir habitabat, cum rediret. Ideò Mercerus putat Ramban pulchre nodum ſolvere & omnia explicare. Ante reditum Iacob Eſau aliquando in iſtam regionem (quam Horæi tenebant) immigraſſe ex plorandæ terræ cauſa, relictis interim rebus ſuis magna ex parte in Canaan, donec certas alicubi ſedes delegiſſet, & tunc cum ſe nondum patem videret Horæis, in campis Seir non in monte egiſſe, qui munitior eſſet, quam ut ea tempeſtate eum poſſet obtinere. Ideo cap. 32. 33. terram Seir dici non montem: montem dici in cap. 36. 8. Quia poſt patris obitum, expugnato monte, vacuam Cananæam ceſſiſſet fratri. Ea conciliatio ingenioſe difficultates tollere videtur.

Cum humana trepidatione miſit nuntios. Lyranus: *Licet enim eſſet confortatus ab angelo in receſſu, & in proceſſu ab angelis occurrrentibus, tamen ſicut homo timuit de fratre ſuo, per cujus terram habebat tranſire: tum quia ſciebat eum offenſum contra eum propter primogenita & benedictiones: tum quia habitaverat cum Laban idololatra diu: ex cujus cohabitatione poterat aliquam offenſam incurriſſe, Et ideò timebat, quia tales divina promiſſiones communiter intelligenda ſunt ſub conditione: ſcilicet ſi ille, cui fiant, faciat debitum ſuum ergà Deum, de quo formidabat Iacob. Et ideo quia non poterat tranſire terram ſine ſcitu fratru ſui, miſit nuntios ad placandum eum & captandum ejus benevolentiam.* Certa cum fide recubuiſſe in Dei promiſſiones & proſperum eventum, dubium nullum eſt, interim de mediis ſategit & particulares circumſtantias metuit. Legatos mittit ſalutatum & annuntiatum reditum ſuum. Jubet ſalutari Dominum ſuum: גרתי ואחר עד עתה *Peregrinatus ſum & moram traxi uſque ad hoc tempus.* Raſi: Non *ſum factus princeps aut in aliqua dignitate* [שר וחשוב] *ſed inquilinus. Non eſt ut me oderis ob benedictiones patris: quod benedixit mihi, Eſto dominus fratribus tuis, non conſtat in me. Alius ſermo:* גרתי *per Gematriam* תריג / *quaſi dicat: Cum Laban impio peregrinatus ſum, attamen 613. pracepta cuſtodivi, nec didici ab operibus impiorum.* Non eſt credibile, quod patris benedictionem depreſſerit: Gematria nihil habet ſolidi. Subjicit Raſi: Et mihi bos & aſinus] *Pater dixerat mihi è rore cali & ex adipe terra: hoc non eſt è cælo neque è terra.* Annotat etiam ex conſuetudine loquendi communi ſingularem pro plurali uſurpari (דרך ארץ) *Homo dicit ſocio ſuo nocte:* קרא התרנגול / non קראו התרנגולים. Se miſiſſe, ut gratiam inveniret in oculis ipſius. Id eſt interprete Abeneſdra, Miſiſſe ad nuntiandum, quia propoſuiſſet facere, quæ Eſau eſſet præcepturus. Sic enim ſenſum eſſe ejus quod dicitur, *Ad inveniendum gratiam.* Legati renuntiarunt Eſavum in occurſum ſe accingere cum quadringentis viris. Sive opes ſuas oſtentare voluerit, ſive animum lædendi habuerit. Hinc ingenti pavore correptus Jacob, ut qui nil læti exſpectaret: ut omne potius malum ab ejus aſpero & exulcerato animo. Parat in occurſum ſe ſuaque. In duo agmina dividit homines, ovillum bubulumque pecus & camelos. Ita

enim cogitabat, ſi in unum agmen irruat Eſavus, interim elabendi tempus alteri dabitur. Raſi putat animum habuiſſe armis eum ſuſtinendi, donec evaſiſſet alterum agmen: ego cedendo potius vincere animum Eſavi & mitigare voluiſſe arbitror. Aben-eſdras, ad illa verba, Reliquum agmen evadet, ita: *Fortaſſis erit ut effugiant, aut ſedabitur æſtus fratris mei percutiendo agmen unum, aut ſpatium & liberatio erit.* Et ita hoc, Q.D. [2.Sam.10.11.] Si prævaluerint Syri, tu eris mihi in ſalutem. *Illud, quod dicit Magiſter noſter Salomo, quod futurum ſit in evaſionem, invito Eſau, eſt per modum Dras. Et ſi Deus dixit ipſi, erit ſemen tuum tanquam pulvis terræ, tamen non ſciebat an de illis an de aliis. Nam ecce Ioſeph, quando vendebatur, erat Iacob in vivis, nec ipſe id ſciebat. Quia propheta non novit abſcondita niſi revelet ei Deus. Ita Eliſa dicebat:* Et Dominus *abſcondit à me. Hæc etiam reſponſio erit interrogantibus, Qui metuit Iacob, cum Deus eum in fiduciam erexerit & dixerit: Ero tecum, quod etiam exponitur, benefaciam tecum? Convenire, ut ipſe eriperetur ſolus. Porrò novimus, quod omnis iniquitas parva & magna ſit ſecundum facientem. Propterea iniquitas levis magno vocabitur magna. Et Iacob metuit: fortaſſis peccatum aut errorem in reputatione ejus eſſe & ideo Deum non eſſe cum ipſo. Et ne mireris. Nam ecce Moſes, quo nemo fuit ſuperior, ipſum miſerat ad educendum populum, at propter errorem ejus miſit angelum, qui eum occideret.*

Raſi dicit Jacobum ſe ipſum diſpoſuiſſe ad tria: לדורן למלחמה ולתפלה: *Ad munus, bellum & precationem.* De bello nihil conſtat neque apparet. Precatio habetur v. 9. 10. 11. 12. Deum compellat cognominatione avi & patris, item præcepti dati in Haran de reditu in Cananæam promiſſioniſque de bene faciendo. Confitetur inſignem benedictionem, qua ſolo ſcipione armatus Jordanem ante viginti annos tranſiiſſet, nunc in duo agmina fuſus reverteretur. Supplicat de defenſione. Ne mater cum filiis opprimatur. Tandem firmat ſe promiſſis de benefaciendo & multiplicando ſemine. Hæc omnia patent, à Judæis autem ſuis argutiis inquinantur, quæ hic prætervehimur. Eo loci noctem egit. Ingens autem munus expediit, ad placandum fratrem: ducentas capras cum hircis viginti, item ducentas oves cum arietibus viginti: Triginta camelos feminas cum pullis ſuis, quos uberibus alerent: quadraginta vaccas, decem tauros, viginti aſinas & pullos earum decem. Hæc in quinque greges diviſit, intermiſſis ſpatiis in longum proceſſuros ante præcipuum agmen in duas acies diviſum. Præfectos illis juſſit ſumma veneratione adulantes ſigillatim, quenque gregem Eſavo, ſi forte accederet, offerre, ut animum ejus demulceret.

Notant in v. 14. ubi de pecore ovium & caprarum in munus conſtituto omnes voces in ם deſinere, cui ſimilis occurrit Num. 29. Unde argutias ſuo more nectunt v. 13. ויקח מן הבא בידו. Raſi: In poteſtate ſua. *Et ſic* (Num. 21.26.) Abſtulit terram è manu illius. *Et Midras Aggada, Ex eo quod veniebat in manu ſua, lapides pretioſos & margaritas, quæ homo colligat in faſciculo & portat ea in manu ſua.* A. S. *E profanis, quia ſuſtulerat decimas, juxta illud, quod dixerat,* Quæ dederis mihi decimando decimabo tibi, *& rurſus acceperat Mincha.* Annotat deinde ducentas capras opus habuiſſe viginti hircis & ita omnes mares additos pro neceſſitate fœminarum. In Breſith Rabba exhinc ex poſitiones procudi (quas Draſoth appellant) ad debitum conjugale præceptum in lege: הטיילן otioſis quotidie, operariis bis in ſeptimana, aſinis ſemel in ſeptimana, camelis ſemel intra triginta dies, nautis ſemel intra ſex menſes. *At ego* (inquit Raſi) *non poſſum accuratè diſponere hoc midras, tantum videtur mihi, quod hinc diſcamus, officium conjugale non eſſe æquale in omni homine*

ſed

ſed ſecundam onus ipſi incumbens; quia invenimus ſic, quod tradiderit cuilibet hirco decem capras & ſic cuilibet arieti. Quia illi vacui ab opere, modus eorum eſt ad multiplicandum coitum, & impregnandum decem fæminas: & beſtia impregnata marem non admittit. E bobus occupatis in opere mari tantum quatuor feminas:. aſino, qui vadit longe duas feminas mari:. camelis, qui ambulant ulterius, feminam unam mari. Aben-eſdras annotat in minori pecude denas feminas mari, quaternas in bubulo genere, in aſinino duas attribuiſſe כי ידע תולדתם.

Quodlibet genus pecudum diſpoſuit לעצמו per ſe. Raſi notat ſpatiis magnis ſeparatos greges ut oculos paſceret Eſavi & donum commendaret. Noctis mentio in v. 13. & 21. habetur. Quidam eandem fuiſſe putant, alii diſtinguunt. Trajecit torrentem, uxores, ancillas, liberos. Deinde univerſum agmen. Veſpera præcedente munera præmiſſa fuiſſe videntur. Notatur, quod ſcriptura tantum commemoret undecim filios (v. 72.) nulla mentione Dinæ. Ideò fingunt arcæ incluſam ne Eſau in eam oculos conjiceret. Ideo punitum eſſe Jacob, quia eam prohibuit à fratre שמא תחזירנו למוטב cum forte eum lenire potuiſſet. Ideò cecidiſſe eam in manum Sichem.

ו. DOMINUS HUMANA SPECIE] Nobilis illa lucta Jacobi, cum Deo, nunc ſequitur unde illi mutatum eſt aut additum nomen Iſraël. Omnibus ſuis, univerſo agmine trajecto torrentem Jabboc, ſolus in ulteriori ripa conſtiterat v. 24. Hebræi volunt, omnibus trajectis cum & ipſe tranſiſſet, vaſa olearia & aquaria oblitum ob ea rurſum in aliam ripam ſe ipſum contuliſſe. Quia prius, in fine v. 22. dictum ויעבור את מעבר יבק. Raſi שבח פנים קטנים וחזר עליהם:. Lyranus rediiſſe putat, *duplici de cauſa, una ut videret; ne aliquid de rebus ſuis ex oblivione remanſiſſet: ſecunda, ut ſolitarius melius orationi vacaret, Vt eum Dominus eriperet de periculo, quod timebat. Ego puto*, inquit Mercerus *cum primum vadum fluminis exploraſſet, quo commode transvadari poſſet, primum omnia ſua trajeciſſe id eſt ut Hebræi exponunt trajici juſſiſſe hoc aut illo modo & ipſum etiam adjuviſſe ad trajiciendum, ipſum interim ultra flumen à parte montis Galaad, conſtitiſſe donec omnia eſſent trajecta: tandem omnibus trajectis illic ſolum remanſiſſe, ubi vir aut Angelus cum eo ſit luctatus &c.* ויאבק איש עמו עד עלות השחר: *Luctatus eſt vir cum eo uſque ad aſcenſum auroræ.* Lucta hæc ad aliquot horas extenſa fuit, quia temporis productionem notat ſermo iſte Scripturæ. Etiam notandum eſt noctis tenebras non diei lucem luctæ accommodatam divinitus, quæ pugnæ modum aggravaret. Solum enim apprehendi, ultra torrentem in alieno ſolo, ſeparatum diviſumque à ſuis medio torrente, nocte intempeſta terrori augendo faciebat. Raſi: *Menahem exponit* ויתעפר איש / *ſignificatione* אבק *pulveris, quia pulverem pedibus ſuis excitabant ob agitationem ſuam: mihi autem videtur, quod ſit ſignificatio* ויתקשר / *ſermonis Syri.* Inde producit Teſtimonia hujus ſignificati: אביק ליה מיבק & בתר דאביקו ביה/ notione connexionis. *Quod ſic*, inquit, *modus ſit duorum qui corpora nectunt* [מתעצמין] *ut ſternat alter alterum*, שחובקו ואובקו בזרועותיו / *qui amplexibus ſe mutuo cingunt & pulvere adſpergunt.* Aben-eſdras, מגזרת אבק *deductum à pulvere: donec pulvis inter eos aſcenderet.* Uſque dum aſcenderet aurora: Abeneſdras: *donec diſcederet nigredo noctis:* alii dicunt, quod שחר ſit ſimilitudo lucis, quæ videtur in nubibus ante ortum ſolis. Sic dictum eſt: [Eſ. 8. 20.] non erit aurora.

verſ. 24. *Cum videret ſe non poſſe prævalere, tetigit acetabulum femoris ejus; unde acetabulum femoris Iacob luxatum eſt, cum luctaretur cum eo.* Raſi: ותקע: *divulſum eſt loco ſuo.* Tale eſt [Jerem. 6. 8:] Ne anima mea abſtrahatur à te, *ſignificatione receſſionis.* Et in Miſna: לקעקע ביצתן לשרש שרשיהן.

26. Dimiſſionem petit, quia aurora illuxiſſet. Raſi: וצריך אני לומר שירה. *Et opus eſt ut carmen auroræ dicam.* Hebræi dicunt angelos mane Deo hymnos canere ob beneficium conditi ſolis, quem orbi ſingulis diebus producit. Quod producunt è loco. Job. 38 7. Ita hunc angelum voluiſſe ad officium ſuum redire. Nunc dimiſſa Hiſtoriæ externa conſideratione ſeparata, rem & nucleum potius eruamus, cui expoſitioni Hiſtoria innexa erit. Bibliotheca noſtra exhibeat interpretationem Lyræ, illuſtratam annotationibus, quas aliorum ſcripta eruditorum conferent.

Poſtilla Lyrani in Hiſtoriam luctæ
Iacobi patriarchæ cum angelo.

verſ. 24. Ecce Vir Luctabatur Cum Eo] *Dicunt Hebræi, quod iſte fuit angelus Eſau in ſpecie viri, qui volebat eum impedire à tranſitu, ne obtineret benedictiones & primogenita ipſius Eſau: ſed Dominus dedit tantam fortitudinem ipſi Iacob, quod angelus non potuit ei prævalere: propter quod angelus videns, quod non poterat eum ſuperare.*

verſ. 25. Tetigit Nervum Femoris Ejus] *Vt ſic evaderet de manu Iacob per talem læſionem; non tamen ſic potuit evadere, ideo ſubditur:*

verſ. 26. Dixitque Ad Eum] *Quaſi diceret tempus eſt, ut cantem Dei laudes cum aliis angelis, ſecundum illud Iob 38.* Ubi eras cum me laudarent aſtra matutina & jubilarent omnes filii Dei? *Et ideo non debes me amplius tenere & impedire à laude Dei.*

Responeit &c] *Id eſt niſi confitearis, quod benedictiones, quas quærebas pro Eſau, meæ ſunt de jure: & eſt ſimilis modus loquendi.* Eſai. 36. Facite mecum benedictionem *id eſt ſubjicite vos mihi.*

verſ. 27. Ait Ergo] *Neceſſitate compulſus.*

verſ. 28. Nequaquan Inquit] *Id eſt, non dicetur, quod ex ſupplantatione & fraude obtineas benedictiones.*

Sed Israel] *Quod interpretatur directus à Deo, vel princeps cum Deo: quia juſte & ex Dei ſententia obtinebis.*

Si Contra Deum Fortis Fuisti] *Id eſt contra angelum. Hoc nomen Deus hic accipitur participative & repræſentative.*

Quanto Magis &c] *Id eſt contra Eſau & filios ejus.*

verſ. 29. Cur Quæris Nomen Meum] *Ac ſi diceret fruſtrà quæris, quia ego & alii angeli, in miniſterum miſſi, non habemus nomina fixa & ſtabilia: ſed diverſa ſortimur nomina ſecundum legationes ad quas mittimur. Exemplum de angelo Eſai. 6. quod magis declaratur in eod. cap.*

Quod Est Mirabile] *non eſt de textu.*

Et Benedixit Ei] *Id eſt confeſſus eſt ei benedictiones eſſe ſuas.*

verſ. 30. Vidi Dominum Facie Ad Faciem] *Id eſt angelum in corpore aſſumpto.*

Et Salva Facta Est Anima Mea] *Quia non prævaluit mihi ſed è converſo.*

Hæc eſt igitur expoſitio Hebræorum. Et ſecundum hoc exponitur illud quod ſcribitur Oſe. 12. de Iacob: Invaluit ad angelum & confortatus eſt: flevit & rogavit. *Ita quod li* flevit, *refertur ad angelum: eo quod Eſau, cujus erat angelus, perdebat benedictiones: ſecundum illud* Eſai. 33. Angeli pacis amare flebunt: & rogavit eum, *ſc. ut eum dimitteret. Iſta expoſitio Hebræorum duo ſupponit. Primum eſt, quod Deus ad horam dedit tantam virtutem ipſi Iacob, quod poſſet reſiſtere angelo & prævalere: vel virtutem angeli ad horam debilitavit, ſicut virtutem*

tem ignis ſuſpendit in camino trium puerorum. Secundum eſt, quod angelus Eſau, licet bonus fuerit, neſcivit tamen divinam ſententiam diffinitivam, quod jus primogenituræ & benedictiones eſſent ipſius Iacob de jure, uſque quo vidit per hoc: ſc: quod Deus tantam virtutem contulit ipſi Iacob. Et tamen ante fuerat hoc revelatum ipſi Rebeccæ & Iſaac poſito in ecſtaſi, ut ſupra dictum eſt cap. 27. Et ſic tertium quod hic ſupponitur, eſt, quod aliquæ revelationes factæ ſint hominibus, etiam aliquibus angelis ignorantibus. Quæ tria quaſi ex hypotheſi vel ſuppoſitione dicta, ſunt ſatis dubia. Catholici vero doctores aliter exponunt hanc literam de angelo & de Iacob. Sed dicunt aliqui, quod fuit tantum ſpiritualis lucta, quia Iacob per efficaciam ſuæ orationis retinebat eum ne elongaret ſe ab eo, ſed eum defenderet in via: ut videtur ſententia Hieronymi ſuper Eſai. 49. ubi dicit ſic: Cum angelo Iacob oratione non manibus luctabatur. *Sed contrarium videtur ex textu, ubi dicitur quod in illa lucta angelus tetigit nervum femoris Iacob & quod ex tactu emarcuit: & in tantum, quod Iacob poſtea claudicabat: & ideò dicunt alii, quod fuit lucta ſpiritualis & corporalis. Ad cujus intellectum conſiderandum, quod licet Iacob non fuerit diffiſus totaliter de Dei adjutorio, tamen parum confidit & nimis timuit Eſau: maximè cum prius dixiſſet ſibi angelus quod ſecure reverteretur ad terram ſuam: & quod eſſet cum eo ad eum protegendum, ut ſupra dictum eſt cap. 31. In via enim fuerunt ei obviam angeli, quaſi caſtra ipſum defendentia, ut dictum eſt in principio hujus capitis. Et ideo orante Iacob ſolo in ripa fluminis & nimis timente propter prædicta & minus debito de Deo confidente apparuit ei angelus, qui fuerat ei protector in via & finxit, quod vellet eum dimittere propter parvitatem ſuæ confidentiæ. Sicut Dominus poſt reſurrectionem ſuam apparens duobus diſcipulis in via finxit ſe longius ire, ut habetur Luc. 24. propter parvitatem & tarditatem fidei ipſorum. Tamen nec ibi nec hic fuit mendacium vel falſitas, quia tales apparitiones, ſunt communiter ſecundum diſpoſitionem mentis illorum, quibus fiunt hujuſmodi apparitiones, ut ſupra dictum eſt 18. cap. Iacob autem inſtantia orationis fervida rogabat eum ne ab eo diſcederet, ſed ad ejus protectionem ſecundum ſuum promiſſum maneret. Et in hoc fuit lucta ſpiritualis. Et poſteà cum videret angelum, quaſi volentem recedere, ex familiaritate recepit eum manibus, ad retinendum, quia frequenter cum eo loquebatur. Sicut & Maria Magdalena poſt reſurrectionem Chriſtum ſibi apparentem voluit tangere, Ioh. 20. Et ſic fuit lucta corporalis, quia Iacob volebat eum detinere in illa apparitione, ita quod non diſpareret, donec haberet benedictionem ejus, quam habuit. Et illa etiam lucta corporali figurabatur ei, quod non debebat timere Eſau, cum prævaluiſſet ad angelum. Et ſecundum iſtam expoſitionem illud, quod ſupra inductum eſt de Iacob oſee 12.* Invaluit ad angelum & confortatus eſt, flevit & rogavit eum, *aliter eſt exponendum quam ſupra: ſc: referendo* flevit & rogavit *ad Iacob, qui flevit, quando vidit angelum quaſi volentem eum deſerere: & rogavit eum ne recederet, donec dediſſet ei benedictionem. Et licet hic non ſit ſcriptum, quod fleverit, ſed tantum quod rogaverit, tamen tenendum eſt de utroque, eo quod exprimitur in oſee, quod hic eſt omiſſum. Huic autem ſenſui poteſt de facili litera applicari ab illo loco:* Et ecce vir] *id eſt angelus ipſius Iacob apparens in ſpecie viri.* Luctabatur cum eo] *ſpiritualiter & corporaliter, ut jam expoſitum eſt.* Qui cum videret quod eum ſuperare non poſſet] *id eſt nollet: eo modo loquendi, quo dicitur de Chriſto Matth. 13.* Et non poterat ibi virtutem aliquam facere, *id eſt nolebat,* propter incredulitatem eorum. Et angelus *hic nolebat ſuperare Iacob; quia per illam luctam volebat ei oſtendere, quod prævaleret ipſi Eſau, ut ſequens litera oſtendit.* Quoniam ſi fuiſti fortis contra Deum &c. Tetigit nervum femoris ejus] *ad puniendum eum de ſua diffidentia irrationabili. Et propter hoc ſequitur, quod Iacob claudicabat: ut per hoc oſtenderet, quomodo claudicaverat in mente,*

mente, confidendo parum de Deo. Jam aſcendit aurora] *id eſt dies incipit clareſcere, & ideò alii non ſunt digni ut videant me in iſta effigie.* Nequaquam, *inquit*, Jacob vocabitur &c. *Tunc non fuit nomen ejus mutatum ſed angelus prædixit ſibi mutandum à Domino in cap. 35.* Cur quæris nomen meum] *Ac ſi diceret nomen meum & aliorum angelorum, qui mittuntur in miniſterium, mutantur ſecundum diverſas legationes, ad quas miſſi ſunt. Inde Eſai. 6. Vbi angelus, qui miſſus fuit ad purgandum labia Eſaiæ, per calculum ardentem, vocatus eſt Seraph pro officio incendendi, licet non eſſet de ordine Seraphico.* Et benedixit ei] *Hic propriè accipienda eſt benedictio, prout major benedixit minori, ut habetur Hebr. 7.* Vocavit nomen illius loci Phanuel] *Id eſt facies Dei. Cujus cauſa ſubditur:* Vidi Dominum facie ad faciem] *Id eſt angelum in ſpecie corporali.* Et ſalva facta eſt anima mea] *quia conſolatus eſt me & benedixit mihi contra timorem de fratre meo Eſau.*

Annotata in Lyranum.

IN Hebræorum expoſitione ſecutus eſt Raſi: ופי׳ רבותינו שהוא שרו של עשו
Exponunt magiſtri noſtri, quod ſit princeps Eſau. Benedixeris mihi, Raſi:
:הודה לי על הברכות שברכני אבי שעשו מערער עליהן / *confitere mihi ſuper benedictionibus, quibus me benedixit pater meus, de quibus Eſau litem movet.* Non Jacob, Raſi: לא יאמר עוד שהברכות באו לך בעקבה ורמיה כי אם בשררה וגלוי
פנים וסופך שהקב״ה נגלה עליך בבית אל ומחליף שמך ושם מברכך ואני שם אהיה
ואודה לך עליהם וזה שכתוב וישר אל מלאך ויוכל בכה ויתחנן לו המלאך ומה נתחנן
לו ביתאל ימצאנו ושם ידבר עמנו המתן לי עד שידבר עמנו שם ולא רצה יעקב ועל כרחו
:הודה לו וזהו ויברך אותו שם שהודה מתחנן להמתין לו ולא רצה *Non dicetur amplius, quod benedictiones venerint tibi ſupplantatione & fraude, ſed ex prævalentia & aperta facie & tandem, quod Deus benedictus tibi manifeſtatus ſit in Bethel & mutaverit nomen tuum & illic tibi benedixerit. Et ego illic adero & confitebor tibi de illis. Et hoc eſt quod ſcriptum eſt* [Hoſ. 12. 5.] heroice ſe geſſit adverſus angelum & prævaluit: flevit & deprecatus eſt eum. *Quid precatus eſt eum?* Bethele inveniet nos & illic loquetur nobiſcum. *Exſpecta mihi, donec loquatur illic nobiſcum. Noluit autem Iacob: & ingratiis confeſſus eſt illi de illis. Hoc eſt, quod habetur:* Et benedixit illi illic. *Quia illum deprecatus erat, ut exſpectaret nec voluerat.* Et cum hominibus, Raſi. *Eſau & Laban.* Cur hoc petis? Raſi: *Non eſt nobis nomen fixum, mutantur nomina noſtra* :לפי מצות עבודת השלחות שאנו משתלחים / *ſecundum præceptum operationis legationis, ad quam ablegamur.* Et ortus eſt ipſis, Raſi: *Ad indigentiam ejus, ad ſanandum ejus claudicationem, ſecundum illud, quod dictum* [Mal. 4. 2.] Sol juſtitiæ & ſanatio ſub alis ejus. *Et ipſas horas quas feſtinaverat ad mergendum propter ipſum dum egreſſus eſſet è Bethele, feſtinavit ad oriendum propter ipſum. Ipſe autem claudus erat cum oriretur ſol.* Et ortus eſt ipſi ſol; Raſi: *Sermo communis eſt, cum pervenimus ad locum N. illuxit nobis aurora. Hic eſt ſenſus ſimplex.* Lyranus ob tria poſtulata expoſitionem Hebræorum rejectaneam eſſe dicit, quaſi rationes validiores deeſſent. Nos explicabimus rem per ſua capita.

I. Quæri primò video, Geſtumne ſit hoc propheticè, an ipſo actu? Theodoretus ſomnium fuiſſe putat. Διέμεινε δὲ, dicit, καὶ μετὰ τὴν ἐγρήγορσιν ὁ μηρὸς ναρκῶν καὶ ὑποσκάζων, ἵνα μὴ φαντασίαν ὑπολάβῃ τὴν ὄψιν, ἀλλ᾽ ἀκριβέστερον γνῷ τοῦ ἐνυπνίου τὸ ἀληθές. Ralbag etiam ſomnium fuiſſe diſputat. Non fuiſſe ſomnium aut viſionem docemur manifeſtis rebus. Moſes enim hiſtoriam ſcribens nullam

lam injicit mentionem ſomnii aut viſionis, quod ab hiſtorico factum eſſe oportuit. Et quæ ratio ut accipiam quod tactus femoris res fuerit, cætera ſomnium: cum ſimiliter geſta eſſe narret Moſes? Nec ullo verbulo indicet, quod hoc aliter geſtum fuerit quam ſuperiora. Ideò plerique rem eſſe malunt.

II. At ſi prophetia non fuerit. Quæri poteſt, an fuerit æſtuoſarum cogitationum conflictus ſpiritualis (ut loquuntur) quem corporali repræſentatione deſcribat Moſes? Nos quidem negare non poſſumus, quin gravi certamine cogitationum animus inter ſpem metumque efferbuerit in quo fides promiſſionum divinarum manus conſeruit cum carnali & naturali affectu timoris, cæterum hanc jactationem ſignificavit Moſes, per illam trepidationem, cujus tam mirabiles effectus tamque humilem ſubjectionem ſub fratre deſcripſit. Poëtæ eſt non Hiſtorici rebus inanimatis corpora & motus dare. Non ſolet Moſes depingere internos animi motus, quos potius divinandos relinquit ex factis externis, quæ propoſuit.

III. Quæritur autem tertio loco, quis cum Jacob luctatus ſit? Angelum fuiſſe humana ſpecie non dubitatur. Angelum creatum quidam alii increatum. Angelum creatum Judæi aliter quam Chriſtiani. Judæi enim volunt fuiſſe angelum Eſaui, ſive bonum ſive malum. Bonum plerique, quia Deo hymnum canere matutinum officium ipſi erat. Judæorum commentum nullo ſcripturæ nititur argumento præterquam quod evertatur ſi doceamus Deum fuiſſe non angelum qui hic apparuit. Chriſtiani etiam angelum, qui dictus ſit Deus participative & repræſentative. Mercerus: *Nullum autem diſcrimen facio ſive angelum ſive Deum fuiſſe dicas, qui cum Iacob ſit luctatus, quia in Angelo Deus erat & in angelo ſine dubio Dei majeſtatem patres agnoverunt.* Hanc ſententiam Merceri D. Rivetus ſine difficultate eſſe putat. Si nempe ſpeciali modo in Angelo Deum fuiſſe dicamus. *Vbi non eſt intelligendum*, inquit, *in Angelo Deum fuiſſe, quemadmodum ubique eſt, enter, potenter & præſenter, ut loquuntur, ſed aſſiſtentia & præſentia ſpeciali. Quam diſtinctionem negare non poterunt adverſarii, quia Deus ipſe manifeſtiſſimè diſtinguit inter præſentiam ſuam, quæ ſit angelorum miniſterio mediatè; & eam in qua immediatè ipſe ſe populo manifeſtat. Sic enim ille Moſi Exod.* 33. 2. Mittam angelum præcurſorem ante te & eiiciam Cananæum &c. *Non enim* aſcendam tecum, quia populus duræ cervicis es. *Cui reſpondet Moſes* v. 35. Si tu ipſe non præcedas, ne educas nos ex loco iſto. *Poſteà promittit Deus* v. 17. *ſe id facturum*, Etiam, *inquit*, hanc rem, quam dixiſti, faciam. *Ex quibus liquet, cum facies Dei præcedebat etſi vel unus angelus vel plures aſſiſterent, ibidem tamen fuiſſe ſpecialem & immediatam Dei præſentiam: cum manifeſta ponatur diſtinctio & oppoſitio, inter ejectionem hoſtium per angelum & ipſam Dei faciem, id eſt, præſentiam in populo ſuo.* Quamvis illa ſententia orthodoxiam ſuam tueatur, veriorem tamen puto & remotiorem à periculo ac convenientiorem omnibus modis, ut illam faciem & præſentiam Dei viſibilem, quæcunque tandem ſit, non dicamus indui ab angelo creato, ut eum repræſentet ſed ad Deum immediatè terminari, qui ſuam præſentiam in ſe non in angelo velit intelligi. Hic dicimus ipſum Deum immediatè ſe exhibuiſſe ſub illa aſpectabili viri ſpecie. Nam Deus appellatur, nuſquam angelus. Et Jacob admiratur ſe ſalvum & & incolumem vivere, qui Deum vidiſſet, id de angeli creati præſentia non fuiſſet admiratus. Ejus enim tanta ſublimitas non eſt: quia ſunt conſervi noſtri. Et mirum Judæos id non animadvertere, qui juſtos majores eſſe dicunt angelis miniſterii, ut de Jacob obſervant, cui tanquam ſuperiori angelorum copiæ obviam profectæ fuerunt. Hinc in libro Tanchuma, fol. 14. 2. בא ללמדך שגדולים הצדיקים יתר ממלאכי השרת תדע לך

שבשעה שאמר ישעיה כי איש וגו' ut legatus legantis nomen habeat dignitatem, majeſtatem, haudquaquam convenit. Repræſentare igitur Angelus Deum non poteſt, poteſt autem Deus induere ſibi, in quo immediatè vult agnoſci. Patres igitur rectè hic filium Dei angelum creatorem intellexerunt. Recte igitur è repetita appellatione Dei, Item nomine ſublimi quam ut poſſet indicari. Et quia ſibi arrogat immutare Jacobo nomen cum re. Quodque Jacob tantopere urget ab eo benedici. Ex his, inqnam Theodoretus concludit, διὰ τούτων γὰρ πάντων μανθάνομεν, ὡς ὁ μονογενὴς ὑὸς θεῦ καὶ θεὸς ἐπεφάνη κἀνταῦθα τῷ Ιακώβ. Concluſit hoc igitur quatuor argumentis. I. Dei nomen aliquoties reperitur, nuſquam angeli appellatio comparet. II. Nómen quærenti non indicat. Διὰ τοῦτο καὶ ἐρωτήσας τινὰ προσηγορίαν ἔχει, οὐ μόνον διαμαρτάνει τῆς αἰτήσεως ἀλλὰ καὶ ἐπιπλήττεται ὡς ὑπερβὰς τὰ μέτρα τῆς φύσεως. ἵνα τί, γὰρ ἐρωτᾷς φησι τὸ ὄνομά μου; Καὶ τοῦτό ἐστι θαυμαστόν. III. Jacobo nomen mutat in quo ipſi victoriam pollicetur. IV. Γνοὺς δὲ τοῦ ἐπιφανέντος τὴν δυνάμιν, τὴν εὐλογίαν αἰτεῖ. Nos addimus illam admirarionem Jacobi, qui poſt eam cum Deo communicationem ſalvus & incolumis viveret. Tertullianus libro de carnę Chriſti, angelum ſimplicem fuiſſe putat: *Conluſtatus quoque homini angelus toto corporis pondere dimiſſi deſideravit ab eo, à quo detinebatur.* Hoc argumentum Judæi etiam objiciunt, quibus regerimus, An igitur exiſtiment, angelum humanis viribus ſuperari poſſe? Illi ſane mirè prædicant robur corporis, quod in Jacobo fuerit, qui ingentem lapidem erexit in cippum, os putei ſaxo liberaverit ſolus: quod opus multorum hominum erat. Eſto, ridiculum tamen eſt, hominis vires cum angelico robore comparare. Hic etiam oſtenſum ab illo luctatore, quod Jacob non tam viribus, quam fidei virtute ab illo ſubminiſtrata eum vicerit & detinuerit. Ideo enim tactu levi luxat femur, & ſignificat nihil eſſe vires Jacobi, ubi ſe ipſum verbo ſuo & fidei verbo adhibitæ non alligat. Tertullianus idem libro contra Praxean angelum illum Deum fuiſſe agnoſcit. *Vidi, inquit Iacob, Deum facie ad faciem & ſalva facta eſt anima mea.*

IV. Luctam Jacobi corporalem fuiſſe exiſtimamus, ſed adjutam fide. Alia fuit lucta cogitationum, ut diximus.

V. Attigit nervum Jacobi. Cujus rei multæ ſolent aſſignari cauſæ. Ut Jacobo oſtenderet ſuam potentiam; uti faſtum ejus, hoc monumento, retunderet. In pœnam diffidentiæ factum eſſe Lyranus exiſtimat. Figuram tantum Burgenſis cum quibuſdam Hebræis (ut dicit) fuiſſe putat claudicationis & læſionis, quam Eſaui poſteri Iacobi poſteris, de ejus femore egreſſuris, eſſent illaturi. Qui enim benedictionem meruit non potuiſſe puniri ob diffidentiam. Aliud etiam argumentum producit: *Ob hanc cauſam non comederunt filii Iſrael nervum, qui emarcuit in femore Iacob. Si enim hac claudicatio ipſius Iacob fuiſſet propter punitionem ejus in pœna diffidentiæ, prout alii dicunt, non habuiſſent filii Iſrael abſtinere à comeſtione hujus nervi, cum illa pœna ſolum reſpiceret perſonam Iacob, quæ quidem pœna jam tranſiverat in præteritum.*

Illud admirere, quomodo Iacob contendere potuit cum Deo, quem Deum eſſe ſciebat? Id volunt interpretes, neſciviſſe, quod cum Deo rem haberet, quia ſub forma & ſpecie viri ſe gerebat, donec tactus femoris indicium faceret. Sed nec à tactu femoris, cum Deum eſſe cognoſceret, abſtinuit: quia & rogantem dimitti detinuit, donec benedictionem extorſiſſet. Qui ſingula minutatim evolvere potuit in illa contracta narratione qua ſacra ſcriptura uſa eſt? Illud pateſcere videtur ex loco Hoſeæ, Jacobum ſic luctatum eſſe, ut lachrymas & ejulatum motibus membrorum & manuum admiſcuerit: Quod non includo ultimæ dimiſſioni poſt luxatum femur, ſed puto extendi

extendi ad univerſum colluctationis ambitum. Ille ipſe, qui in aſſumpto corpore luctabatur cum Jacobo, eidem vires ſubminiſtrabat ſuæ deitatis ſpiritu. Quas etiam ab ipſo antagoniſta Jacob implorabat. Ita ſe habent juxta hanc formam, omnia certamina fidelium. Deus certamen objicit, temperat, armat certantem inſtruitque & deducit ad victoriam.

Jacob claudicaſſe dicitur poſtquam locum illum tranſiſſet orto jam ſole. Quod ita exponit Mercerus, non ſenſiſſe quod læſus eſſet, dum lucta erat, præ intentione animi & corporis & vi agonis: ut fit in ipſo ardore, donec inde exceſſit. Aben-eſdras calore ſolis dolorem auctum eſſe putat ut ambiens aër & naturalis caloris receſſus in parte affecta gignunt ſenſum doloris. Et ſæpe in tentatione in ipſa vi illius, membrorum dolorem extrà nos rapti non ſentimus, ſed poſtea remiſſa intentione.

Loco nomen fecit Phanuel, quia illic Deum vidiſſet. Joſ. θεοῦ πρόσωπον interpretatur. Locus erat juxta torrentem Jaboc, ut textus indicat & Hiſtoria; in ripa ejus quæ verſus ſeptentionem & orientem. Jacob luctando meruit nomen Iſrael, quia cum Deo & hominibus ſe fortiter geſſiſſet. Joſephus: σημαίνει δὲ τοῦτο κατὰ τὴν ἑβραίων γλῶτταν τὸν ἀντιστάντα ἀγγέλῳ θείῳ. Hieronymus: *Ioſephus in primo antiquitatum libro Iſraelideo appellatum putat, quod adverſus angelum ſteterit. Quod ego diligenter excutiens, in Hebræo penitus invenire non potui. Et quid me neceſſe eſt opiniones quærere ſingulorum, cum etymologiam nominis exponat ipſe, qui poſuit?* Non vocabitur, *inquit*, nomen tuum Jacob, ſed Iſrael erit nomen tuum. *Quare interpretatur Aquila,* ὅτι ἦρξας μετὰ θεοῦ: *Symmachus* ὅτι ἦρξω ἰσχυρὸς θεοῦ: *Septuaginta & Theodotion,* ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ θεοῦ. שרית Saritha *enim quod ab Iſrael vocabulo derivatur, principem ſonat. Senſus ſic itaque eſt. Non vocabitur nomen tuum ſupplantator hoc eſt Iacob, ſed vocabitur nomen tuum princeps cum Deo, hoc eſt Iſrael. Quo modo enim princeps ego ſum, ſic & tu, qui mecum luctari potuiſti, princeps vocaberis. Si autem mecum, qui Deus ſum ſive angelus (quoniam plerique variè interpretantur) pugnare potuiſti: quanto magis cum hominibus hoc eſt cum Eſau, quem formidare non debes. Illud autem, quod in libro nominum interpretatur Iſrael* vir videns Deum *ſive* mens videns Deum, *omnium penè ſermone detritum, non tam vere quam violenter mihi interpretatum videtur. Hic enim Iſraël per has literas ſcribitur, Iod, Sin, Res, Aleph, Lamed: quod interpretatur princeps Dei ſive directus Dei hoc eſt* εὐθύτατος θεοῦ. *Vir vero videns deum ſic literis ſcribitur, Aleph, Iod, Sin, ut dicatur* איש *Is, Videns vero ex tribus Res Aleph, He,* ראה *Roë. Porro* אל *ex duabus, Aleph & Lamed, & interpretatur, Deus ſive fortis. Quamvis igitur grandis autoritatis ſint & eloquentia & ipſorum umbra nos opprimat, qui Iſrael virum ſive mentem videntem Deum tranſtulerunt, nos magis ſcriptura & angeli vel Dei autoritate ducimur, quam cujuſlibet eloquentiæ ſecularis.* Hactenus Hieronymus. Hieronymi ſententia eſt, quod vox Iſraël componatur è שר & אל / vel ex ישר & אל. Rectè oppugnat communem illam ſententiam ex libro nominum, quæ exponit Vir vel mens videns Deum. Nam vir videns Deum, diceretur אִישׁרָאֵהָאֵל Ioſephum, quod ad originationem non benè impugnat. Nam Ioſephus τὸ שָׂרָה rectè vertit ἀντιστῆναι, id eſt, obſiſtendo locum tenere, ſeu vincere. אל ipſi eſt ἄγγελος θεῖος & θεός. Exiſtimat enim angelum poſſe appellari Deum, & ſic hic accipi de neceſſitate, quia non intelligit Deum luctari poſſe cum homine multò minus luctando ſuperari. Eſt enim in ea opinione Deum nullo ab homine vinci poſſe certando: quaſi angelus ab homine ſuperari poſſit. Philo lib. de temulentia, poſtquam textum Græcæ verſionis τῶν ό, qui aliter habet, recitaſſet, dicit ipſe: ὅρασιν γὰρ θεοῦ μηνύει τοὔνομα. Errat igitur Philo, rectè interpretatur ſcriptor antiquitatum

Ioſephus: Ille enim ita: Ἰάκωβος ὑπολελειμμένος φαντάσματι συντυχὼν διεπάλαιεν ἐκείνου προκατάρξαντος τῆς μάχης. Ἐκράτει δὲ τοῦ φαντάσματος. Ὃ δὴ καὶ φωνῇ χρῆται καὶ λόγοις πρὸς αὐτόν. χαίρειν τε πρὸς τοῖς γεγενημένοις παραινοῦν καὶ μὴ μικρῶν κρατεῖν ὑπολαμβάνειν, ἀλλὰ θεῖον ἄγγελον νενικηκέναι καὶ σημεῖον ἡγεῖσθαι τοῦτο μεγάλων ἀγαθῶν ἐσόμενον, καὶ τοῦ μηδέποτε τὸ γένος ἐκλείψειν αὐτοῦ, μηδ' ὑπέρτερόν τινα τῶν ἀνθρώπων τῆς ἰσχύος ἔσεσθαι τῆς ἐκείνου. ἐκέλευε τε καλεῖν αὐτὸν Ἰσράηλον &c. Ταῦτα μέντοι προὔλεγεν, Ἰακώβου δεηθέντος. Αἰσθόμενος γὰρ ἄγγελον εἶναι θεῖον, τίνα μοῖραν ἕξει σημαίνειν παρεκάλει. Καὶ τὸ μὲν φάντασμα ταῦτ' εἰπὸν, ἀφανὲς γίνεται. *Iacobus derelictus, cum ſpectro luctatur, eo initium faciente pugnæ. Superat autem Spectrum. Quod voce utebatur & verbis ad ipſum: adhortans ob facta uti gauderet, neque exiſtimaret ſe exigua ſuperaſſe & hoc ducere ſignum magnorum bonorum: quodque nunquam ejus genus deſiturum eſſet, neque ullum mortalium illius robore ſuperiorem fore. Iubebatque uti nomen ipſi eſſet Iſrael &c. Hæc prædicebat, ad Iacobi petitionem. Cum enim ſentiret divinum angelum eſſe, rogabat ut fatum ſuum explicaret. Spectrum, cum iſta dixiſſet, evanuit.* Ignorantiam ejus vide: Angelum inter angelos eminentem robore corporis victum eſſe à Iacobo. Id omen eſſe, invictum fore ipſum & poſteros: quaſi neſciret vim Romanam ſubegiſſe & oppreſſiſſe gentem Iudæorum: Iacobum futuri avidum conſtrictum tenuiſſe angelum, tanquam Protea, qui fata evolveret. Benedictionem ſic explicavit, quod Iacob petierit, ut ipſi fata ſua diceret. Aberravit etiam in hiſtoria legationis ad Eſau, affingens mandatum à Iacobo datum, quod ut non habetur, ita alienum eſt. Putat Iacobo animum fuiſſe armis ſe defendendi, ſi Eſau nec donis nec humili demiſſione mitigari poſſet. In tractatu Cholim fol. 92. a. aſſeritur Iacobum angeli שר ita fuiſſe, uti victus fleverit petieritque cum lachrymis uti dimitteretur: Ioſephus aliter: nempe Iacobum precibus ab angelo obtinuiſſe ut fata ſua diceret. Tactu angeli læſum eſt femur Jacobi. Nempe luxatus eſt nervus, ut Scriptura teſtatur. Ioſephus è luctatione dolorem narrat, non meminit luxationis: Καὶ γινομένου διὰ τὴν μάχην ἀλγήματος αὐτῷ περὶ τὸ νεῦρον τὸ πλατὺ, αὐτός τε ἀπέχεται τῆς τούτου βρώσεως καὶ δι' ἐκεῖνον οὐδ' ἡμῖν ἐστιν ἐδώδιμον. Moſes ſcribit גיד הנשה nervum luxatum. Os femoris coxendici inſeritur hæretque nervis & muſculis qui luxati dolorem dederunt & claudicationem. Aben-eſdras: *Notum quomodo tranſtulerint majores noſtri b. m. Nec eſt in eo dubium,* כי אם *niſi deſtitutu mente & natura, qui exponunt de membro genitali, & deducunt* הנשה *à* נשים *juxta hanc rationem.* Ralbag: *Et ipſe claudicabat ob femur ſuum ob illud, quod ipſi evenerat. Ideò præceptum acceperunt filii Iſaaël in monte Sinai, ne comederent partem è nervo luxato, qui eſt ſuper volam femoris, ſed illud quod eſt ab eo præter locum hunc, non eſt vetitum ipſis edere. Hoc autem præceptum datum eſt in memoriam hujus prophetiæ mirabilis, qua apprehendit Iacobum. Cui ob magnitudinem luctæ cum angelo hunc eventum habuit. Et hoc quoniam confirmatio in prophetia hac fuit antequam daretur lex. Et profectò dicimus nos, quod Iſraël de eo præceptum acceperit in monte Sinai, quia lex non eſt data* פעמים *per vices, ſicut dicunt magiſtri b. m. in cap.* גיד הנשה *& jam hujus cauſam expoſuimus in enarratione* פריה ורביה *in ſect.* בראשית &c. Partem nervi in femore, nempe circa volam ejus non edunt, at nervi iſtius alias partes extra illum locum edunt. Ita femore abſtinent, donec exemptus ſit nervus. Vide de eo velitantes inter ſe magiſtrorum traditiones in cholin fol. 91. b. Referunt hunc morem inter præcepta legis, ideò id eſſe à Deo Moſi traditum volunt in monte Sinai. Legem enim per partes non eſſe traditam. Fuiſſe igitur obſervationem ſine præcepto antequam lex à Moſe daretur. Inconveniens omninò eſt dicere partem aliquam cultus divini à Deo

non

non eſſe preceptam & priusobſervaſſe homines, quam Deus mandaret. Repetita igitur & collecta à Moſe talia multa ſimul quæ olim præcepta erant. Hoc autem inſtitutum de non edendo nervo femoris, non fuit religionis ſed politicæ obſervationis. Ab antiquo in memoriam hujus caſus abſtinuit poſt Jacobum univerſa poſteritas, nulla opinione cultus aut neceſſitatis præcepti divini: tantum ſic receperunt, ut monumentum politicum eſſet in poſteritatem ejus eventus, qui ſui generis patriarchæ contigerat. Eſto, quod à Deo præceptum fuerit, aut divino inſtinctu à Jacobo inſtitutum, res tamen religionis non fuit. Chryſoſtomus de hac re ita ſentit Homil. 58. in Geneſin: *Quoniam enim* (inquit) *juſtus impletis vitæ ſuæ annis emigraturus erat ex hâc vitâ: oportebat autem providentiam Dei in illum, & tantam Dei dignationem, omni hominum generi manifeſtari: Ideo inquit, Non comedunt filii Iſrael nervum latitudinis femoris, quod emarcuit. Sciens eorum magnam ingratitudinem, & quod obliviſcantur Dei beneficia, perpetuo artibus quibuſdam inducit eos, ut habeant memoriam eorum, quæ à ſe facta ſunt, taliaque excogitat monimenta per illas obſervationes, id quod per Scripturam totam invenies. Hæc enim maxima cauſa eſt plurimarum obſervationem, & quod vult perpetuò futuras generationes meditari beneficia Dei, & non oblivione unquam oblitterantes ad ſuos errores recurrere. qui mos fuit Iudæorum genti peculiaris maximè. Nam qui in beneficiis ſæpe ſummam præ ſe tulerunt ingratitudinem, multò magis niſi hoc fuiſſet factum, omnia quæ à Deo in ipſos facta ſunt, è mente ſua abjeciſſent.*

Cap. XXXIII.

verſ. 1. Sustulit Oculos] Eſau excipitur à Iacob eumque excipit benigne & humaniter 1--11. Excuſat ejus comitatum Iacob 12--16. Cum è Phanuel moviſſet, videt Eſau advenientem cum quadringentis viris. Ut igitur eum exciperet quatuor uxores cum filiis ſuis ſeparatim ire juſſit; primas ancillas, inde Leam, ultimam Rachelem. Hæc diſpoſitio non tantum ordinis decorum ſed & periculum reſpexit. Nondum enim fratris metum depoſuerat, quamvis fortaſſe eſſet confirmatior. Poſteriores enim conſtituit, qui eſſent chariores. Rachelem habuit præcipuæ uxoris loco. *Præterea,* inquit Mercerus, *cum matribus liberos prudenter collocavit, ut miſericordia ductus Eſau,* imbellibus liberis & mulieribus parceret, (addo) eorumque intuitu patri. Joſephus: *πλησίον δ' ἤδη τὸν ἀδελφὸν πυνθανόμενος, κελεύει προϊέναι τῶν γυναικῶν ἑκατέραν καθ' αὑτὴν μετὰ τῶν θεραπαινίδων, ἵνα πόῤῥωθεν ἀφορῷεν τὰ ἔργα τῶν ἀνδρῶν μαχουμένων, εἰ τοῦτο θελήσειεν ἠσαῦς.* Exiſtimat ſeorſim conſtitutas mulieres cum imbelli agmine, ut in tuto aſpicerent, ſi pugna ineunda eſſet. In quot turmas diviſerit imbelle agmen diſputatur, alii enim in duas, alii in tres. Hieronymus: *Non ut plerique exiſtimant, Tres turmas fecit, ſed duas. Denique ubi nos habemus diviſit, Aquila poſuit ἡμίσευσεν id eſt dimidiavit; ut unum cuneum faceret ancillarum cum parvulis ſuis & alium Lea & Rachel, quæ liberæ erant cum filiis earum, primaſque ire faceret ancillas ſecundas liberas. Ipſe autem ante utrumque gregem fratrem adoraturus occurreret.* Joſephus videtur duas turmas facere pro numero legitimarum uxorum. Qui tres faciunt ancillas conjungunt.

verſ. 3. Adoravit Septies] Appropinquante Eſau, progreſſus ante agmen, eum ſalutavit. Septies proſtrato in terram corpore veneratus eſt fratrem, donec ad ipſum accederet. Joſephus ſimpliciter dicit *προσεκύνει δ' αὐτὸς τὸν ἀδελφὸν ἐγγὺς αὐτῷ γενόμενον.* Mercerus: *Sunt qui finitum numerum pro infinito poni velint, id eſt ſæpius. Sed potuit hic mos in oriente tum fuiſſe ut hoc nu-*

mero quis aliquem magnum principem aut ſuperiorem ſalutaturus procederet. Hae adoratio non Deo, ut quidam recentiorum putant, eſt exhibita, ut toties aut ſæpius Deum oraret, ei ſe ſummittens & procidens, donec ad fratrem accederet propius. Manifeſte contextus hoc de fratris adoratione dicit, quam ei exhibuit; non qualis Deo exhibetur: ſed ut magnis fieri ſolet, ut & ſupra de Abraham dictum eſt cap. 23. cum adoravit populum terræ. Hac tam crebra proſtratio eo ſpectabat, ut fratris animum conciliaret magis, ubi fratrem vidit ita ſe ſibi ſubmittere. Interim non derogat ſuæ in illum prærogativæ & benedictioni, quam animo retinet, externa hæc libenter fratri cedens, dum ad majora adſpirat, ſicut & impiis magiſtratibus rectè honos debetur, aut alioquin impiis in magnitudine conſtitutis. Alioquin autem non leges Iacob unquam aut ejus poſteros ipſi Eſau aut Idumæis juxta hiſtoriam ſerviiſſe &c. Civilis demiſſio ad habendum fratri honorem non inſert ſervitutem. Honor, ut vulgò dicitur, eſt honorantis non honorati. Salutare & venerari fratrem ad mitigandam offenſam, non indicat ſubjectionem. Ita evaſit periculum, in quo erat & laudem animi moderati ac cedentis meritus eſt. Septies, poſtquam in conſpectum venerat, in terram ſe proſtavit, uſque dum ad fratrem perveniret. Rivetus: *Hoc etiam ſolent, qui ad magnates, præſertim ad reges accedunt. Nam in ipſo cubiculi ingreſſu, aut ſi alibi eis occurrunt, antequam propius accedant, ſæpius ſolent ſe inclinare, priuſquam ad eorum pedes procedant. Potuit etiam hic mos in oriente fuiſſe, ut ad aliquem principem accedentes, hoc numero ſalutaturi ad eum accederent.* Arbitror ſane morem iſtum obtinuiſſe, ut officioſe ſalutaturi ita facerent: officioſa ſalutatio fratris perſonam non poterat dedecere. Mercerus obſervat de collocatione Rachel poſt cæteros: *Porrò*, inquit, *quod Rachelem & ejus unicum filium Ioſephum pluris facit Iacob, quam Leam cum tot ejus filiis, nondum norat Iudam ex filiis Leæ principatum inter fratres habiturum, ut poſteà prophetice prævidit & filiis ſuis moriens aperuit infrà cap. 49. Fuit & magnus Ioſephus* &c.

verſ 4. AMPLEXATUS EST EUM] Quem metuebat ut ſibi infenſiſſimum, is mirifica Dei providentia peramanter & benigniſſimè in collum ejus fuſus, ipſumque amplexus oſculatur. Anne tempore mitigatus animus reſederit, aut quia opibus mundi polleret, benedictionis vanitatem ſpreverit: anne potius hac ipſa tempeſtate eum immutaverint dona & ſubjectio, dicere non habemus. Scriptura depingit ejus amicam exceptionem: *Accurrit in occurſum, amplexatur, in collum ruit, eum oſculatur & illachrymat.* Vocabulum וישקהו punctibus quibuſdam ſupernè inſignitum eſt: Quod varie exponitur.

Inde Eſau interrogat de agmine imbelli & ſalutatur ordine, ab ancillis, à Lea, à Rachel, eorumque liberis. Notant interpretes de ſolis liberis reſpondiſſe Jacobum, cum de toto agmine quæreret Eſau: Inde facilè poterat Eſau colligere eos eſſe ex his mulieribus & has eſſe fratris uxores. Poſt hæc rogat de agminibus pecorum in munus deſtinatorum, quod obvium habuerat, priuſquam in conſpectum veniſſet. Præmiſſi igitur cum muneribus non videntur ea Eſavo obtuliſſe. Tantum oſtenſa fuerunt ut offerrentur ab ipſo Jacob in conſpectum Eſavi veniente. Atqui præcipit, ut fratri offerant cap. 32. 18. Fortaſſis recuſavit, nunc autem quærendo mentem ex ipſo fratre vult intelligere & coram renuere. Jacob igitur humiliter offert & urget, donec admitteret. Eſau talium ſibi abunde eſſe profitetur. Deus enim largè rem illius auxerat & ſupra modum (uti videtur) ipſius Jacobi. In Jacobi inſtantis ſermone legitur v. 10. *Vidi faciem tuam, quaſi viderem vultum Dei.*

Videamus Hebræorum in his ϖεαργίαν. In ſalutatione mulierum & puerorum,

rorum, præponuntur matres filiis, at in ſalutatione ordinis ultimi Joſeph ſuæ matri. Cauſam magiſtri reddunt: אמר אמי יפה תואר שמא יתלה בה עיניו אותו רשע אעמוד כנגד׳ ואעכבנו מלהסתכל בה: *Dicebat* [Joſeph] *mater mea pulchra ſpecie eſt, fortaſſis ipſe impius in eam defiget oculos, ſtabo ex oppoſito & impedimento ero ipſi, ne eam intueatur.* Addit Raſi ideò obtinuiſſe benedictionem עלי עין Gen. 49. 22. Erat ſex aut ſeptem annorum puer, in quem iſta cogitatio non cadit. Mercerus: *Ego vim* in ordine non fecerim, niſi quod quia unicus erat Rachelis natus, forſan ideò eum præpoſuit. Etiam notant in v. 8. quæri de ductoribus agminis, ſecundum ſimplicem & literalem ſenſum: Midras autem ejus eſt: *Catervis angelorum occurrebat, qui impulerunt ipſum & viros ipſius: dicebant enim, cujus eſtis vos? qui cum regeſſiſſent, ab Eſau, tum dicebant, cædite cædite. Illi autem dicebant, filius Iſaac eſt. Ad hoc etiam non attendebant. Filius filii Abrahami eſt: nec hoc curabant. Frater Iacobi eſt: tum dicebant. Si ſic, à nobis vos eſtis.* In v. 9. dicebat Eſau, *Sit tuum, quod eſt tibi.* Id Raſi dicit eſſe confeſſionem quod benedictionem de jure obtinuerit. In v. 10. *Vidi faciem tuam ut faciem Dei.* Raſi: *Sufficiens & decorum tibi, ut accipias munus meum, eo quod vidi faciem tuam & ecce reputata eſt mihi ſecundum viſionem faciei angeli, quem vidi principem tuum. Porrò, Eo quod reconciliatus es mihi, ad condonandum peccatum meum. Cur autem meminit ipſi viſionis angeli? ut territetur & cogitet ſecum: Vidit angelos & ereptus eſt, ego non potero exhinc ſuperior eſſe illo.* Quaſi Jacob injecerit mentionem angeli, ut terreret Eſau. Nempe angelum Eſau ipſi viſum & ſuperatum, ideo non eſſe indecorum ut ab eo munus capiat.

Noſtros de hoc poſtremo audiamus: Auguſtinus lib. 1. qu. 105. in Geneſin; *Quid ſibi vult, quod Iacob ait fratri ſuo. Propter hoc vidi faciem tuam, quemadmodum cum videt aliquis faciem Dei? Vtrum paventis & perturbati animi verba uſque in hanc adulationem proruperunt, an ſecundum aliquem intellectum ſine peccato dicta accipi poſſunt? Fortaſſis enim, quia dicti ſunt & gentium dii, quæ ſunt dæmonia, non præjudicetur ex his verbis homini Dei. Non enim dixit, quemadmodum ſi viderem faciem Dei: ſed cum videt aliquis. Ipſe enim aliquis quem ſignificare poſſit incertum eſt: atque ita fortaſſe temperata ſunt verba, ut & ipſe Eſau ſibi delatum tantum honorem gratè acciperet & qui hæc etiam aliter intelligere poſſunt, eam à quo dicta ſunt, nullo crimine impietatis arguerent. Quod etſi benigno animo dicta hæc verba fraterna ſunt, quoniam & poſt bonam ſuſceptionem metus ipſe tranſierat, potuit ſic dici, quemadmodum & Moyſes Pharaonis Deus dictus eſt, ſecundum quod dicit Apoſtolus:* Et ſi ſunt, qui dicuntur dii ſive in cælo ſive in terra, quemadmodum ſunt dii multi & domini multi: *maximè, quia ſine articulo in Græco dictum eſt, quo articulo evidentiſſimè ſolet Dei veri unius fieri ſignificatio. Non enim dixit* πρόσωπον τοῦ θεοῦ, *ſed dixit* πρόσωπον θεοῦ. *Facile autem hoc intelligunt, qua diſtantia dicatur, qui Græcum eloquium audire atque intelligere ſolent.* Mercerus: *Quia Dei faciem libenter videmus, cum nobis favet: non quod faciem ipſam Dei id eſt Deum ipſum quis in ſua majeſtate videre poſſit, ſed juxta phraſin ſcripturæ, faciem Dei intelligo, cum favet, ut avertere faciem dicitur cum eſt iratus. Iacob ergò in vultu Eſau agnoſcens eum reconciliatum ſibi eſſe, agnoſcit & Dei vultum hilarem ac placidum; ut videns Eſau placatum, Deum videre ſe judicet hujus placationis autorem. Sic ubi quis conciliatum aliquem videt, in eo Deum agnoſcit autorem ejus rei, qui corda immutat & flectit quo vult. Hinc in veteri teſtamento jubentur Iſraëlitæ non ſine munere aut inanes coram Deo comparere: quod ut in hominibus ſic in Deo munera animi gratitudinem teſtentur & animos concilient. Sic Deus ab illis munera recipiebat &c.* אלהים *alii pro angelo ſumunt,*

munt, alii ut in Chaldæo, pro magnatibus & proceribus רברביא *ut ſæpe ſumitur, Vt cum quis* magnorum faciem videt. *Sed malo, ut ſonat, pro Deo, Deum ipſum mihi videre viſus ſum te conſpiciens & mihi id longè gratiſſimum fuit & jucundiſſimum.* Calvinus: *Inſtat tamen Iacob nec finem rogandi facit, donec impetret, ut recipiat frater: hoc enim quaſi pignus erat reconciliati animi. Porrò ut perſuadeat fratri teſtatur hoc ſibi fore magni beneficii loco, ſi ille non recuſet accipere quod datur. Neque enim libenter accipimus, niſi quod certò ſcimus liberaliter & hilari animo nobis offerri. Quia autem fieri non poteſt ut pronemus ex animo, niſi quos diligimus, dicit Iacob ſe non aliter lætatum eſſe fratris conſpectu, quam ſi Deum vel angelum vidiſſet. Quibus verbis ſignificat non modo ſe verè amare fratrem ſed etiam in pretio habere. Sed videtur Deo facere injuriam, quem reprobo homini comparat: deinde videtur mentiri: quia ſi data fuiſſet optio, nihil magis optaſſet quam vitare fratris occurſus. Vtriuſque nòdi facilis eſt ſolutio. Trita Hebræis eſt loquendi forma, divinum vocare, quicquid excellit. Et certè Eſau ſic mutatus non obſcura erat gratiæ Dei imago: ut meritò dixerit Iacob in illa amica & fraterna receptione ſe perinde exhilaratum ac ſi Deum vel angelum vidiſſet, hoc eſt acſi Deus ſignum aliquod dediſſet ſua præſentia. Nec verò fictè loquitur vel aliud ſimulat, quam habet in animo, ipſe enim, omni odio vacuus ac purus, in præcipuis votis habebat, quibuſcunque poſſet officiis ergà fratrem defungi, modò viciſſim ille fratrem ſe præſtaret.* Sic Calvinus cum Mercero conſonat & utrique in notis ſuis Franciſcus Junius. Rem igitur paucis habe. I. Trita fuit conſuetudo loquendi, qua nomine Dei adjuncto celebratur & divinum, quod in ſuo genere eſt eximium & valde eminet. *Cedri Dei* id eſt proceræ. *Ninus magna Domino*, id eſt ſuprà modum. Ita & angelo comparabant, 2. Sam. 14. 17. *Sicut Angelus Dei, ſic Dominus meus rex.* Ita exhilarari ſe ſupra modum Jacob dixit & pro re Divina habere, vultum placidum fratris intueri. II. Ne ſupra modum aſſurgere putes, ſciendum faciem Dei pro præſentia illius ſumi. III. Jacobum in votis ſemper habuiſſe fratre amico & placato uti poſſe. Quid enim homini pio gratius eſſe poſſit amicitia fraterna? Ea poſt caritatem conjugium & parentum reliquorum hominum vincula ſupereminet.

Offert Eſau fratri comitatum, quem modeſte abnuit Jacob, quia diffidere videtur. Nam licet non timeat inſidias, nec putet ſub amicitiæ prætextu latere perfidiam, in homine tamen ſuperbo & præferoce præcavet novas offenſas. Et fortaſſis modum exceſſit ejus anxietas & fuit ſuſpecta illa inſolita liberalitas. Sic Calvinus. Verba excuſationis ſunt: *Dominus meus ſcit, quod pueri teneri ſunt: & pecudes & boves fœta ſunt mihi, ſi pulſaverint eas die una morientur omnes pecudes. Tranſeat quæſo Dominus meus ante ſervum ſuum & ducam me pedetentin ad pedem gregis, qui eſt ante me & ad pedem puerorum, donec veniam ad Dominum meum in Seir.* Videtur promittere, quod fratrem lento greſſu ſequuturus eſſet uſque in Seir, quo tamen non eſt profectus, uti apparet ex collatione v. 17. Eſau offert partem populi ſui in comitatum, quod etiam Jacob non admiſit. Calvinus: *Vera quidem ſunt, quæ excuſandi cauſa obtendit Iacob: non tamen ſine mendacio hos colores inducit: niſi forte, quia nolebat gravis ac moleſtus eſſe fratri. Sed quum aliò poſteà convertat iter, apparet aliud finxiſſe, quam habebat in animo.* Eandem ſolutionem Martyr non rejicit. Auguſtinus autem lib. 1. qu. 106. in Geneſin: *Quæritur, Vtrum mendaciter promiſerit Iacob fratri ſuo, quod ſequens pedes ſuorum in itinere propter quos ſi moraretur, venturus eſſet ad eum in Seir? Hoc enim ſicut ſcriptura deinde narrat non fecit, ſed eo perrexit ex itinere quo dirigebat ad ſuos. An forte veraci animo promiſerat ſed aliud poſtea cogitando delegit?* Hanc ſolutionem accipit Lyranus, non improbat

probat Mercerus nec Martyr: qui non abhorrere putat, ut dicatur à Domino monitum eſſe ut Magi aderſum Herodis machinationes. Alii reipſa veniſſe in Seir putant; quia vere teconciliati eranr. Videtur omninò odium depoſitum eſſe ab Eſau & poſteà vos concordibus animis inter ſe egiſſe: ſicuti communi opera patrem ſepelierunr. Cl. Rivetus diſputat pro hac ſententia: Si expreſſe negaretur Jacobi in Seir profectio ſe mutationem conſilii admiſſurum eſſe, ut iſtam ſolutionem præferret. At, inquit, *cum non negetur, ſentio feciſſe quod dixerat & rectà in Seir, ad fratrem profectum eſſe, etſi id Scriptura expreſſe non memoret, niſi in antecedense intelligatur conſequens. Quod autem poſtea de Succoth & Sichem memoras, id fit quià fuerunt ſtationes & habitasiones fixa familia Iacobi; de cujus commoratione in Seir, non meminit, quià tantum per occaſionem, ut fratrs gratificaretur, ad paucos dies ibi manſit, non ut in familia propria, ſed velut fratrù hoſpes. Eadem certè Scriptura non memorat Iacobum veniſſe ad parentes ſuos, niſi poſt Dina raptum & direptionem Sichemis, id eſt, decennio circiter poſtquam rediiſſet ex Meſopotamiâ. At quis credet illum tamdiu diſtuliſſe parentes viſitare? Sed quià non diu haſit apud eos, nec prius venerat cum universa familiâ, idcirco Scriptura non memorat alias viſitationes officii cauſa ſuſceptas. Nam quod objiciunt, Iacobum non debuiſſe ſe committere fratri reconciliato, nec prudenter facturum fuiſſe, ſalva eorum pace, non exiſtimo prudenter dictum. Nulla enim fuit ratio. cur de fide & voluntate fratris dubitare debuerit, poſtquam eum expertus eſſet tam facilem. Sed præſertim cum id à Deo factum fuiſſe non dubitaret, in cujus manu ſunt hominum corda, non video, cur, vel Charitas in eo de fratre debuerit deinceps eſſe ſuſpicax; vel fides de Dei protectione, poſtquam ſenſerat ſe inter quadringentos à fratre fuiſſe exceptum. Addo, quantum quidem judicari poteſt, imprudentia merito attribui debuiſſe, ſi poſtquam fratris amicitiam per deputatos ſuos ambierat, eamque precibus à Deo obtinuerat, & omnibus officiis à fratre redemerat, eandem poſteà adeò vili habuit ut nova offenſa animum fratris à ſe alienare non ſit veritus. Quis enim dubitet, ſi fratrem, contra promiſſionem, præterierit, cauſam fuiſſe datam nova offenſionis? At non debuit ei fidere, inquiunt. Debuit fidere Deo, & interim præſtare, quod promiſſum fuerat, & pergere de fratre benè mereri. Nam quod dicunt; ſalutem ſuam & ſuorum non debuiſſe ei credere, non video, quod hâc ratione potuiſſet periculum vitare. Cum enim neceſſe eſſet ut ad communes parentes irent, nec tam longum eſſet iter uſque ad habitationem quam ſibi elegerat Iacob, ut paucorum dierum ſpatio, cum armatâ manu ad eum non potuiſſet venire Eſau, ſi infenſo adhuc fuiſſet animo, non vitabat Iacobus periculum, deflectendo à viâ. Itaque cum poſtea conſtet, utrumque conveniſſe ad ſepulturam patris, exiſtimo ratam inter eos fuiſſe reconciliationem, & ſæpius ab illo tempore inter ſe communicaſſe, & mutuò inviſiſſe, etſi ſingularia quaque non commemorat Scriptura, poſitis fundamentis, quibus reliqua poſſunt ſuperſtrui.*

Igitur poſt illa verba verſ. 16; Reverſus eſt itaque illo die Eſau itinere quo venerat in Seir, *exiſtimo ſubintelligendum, ſubſecutum fuiſſe paulatim Iacobum ſequentibus diebus, & veniſſe ad fratrem, ſed ibi non ſubſtitiſſe, quia aliter ſtatuerat Deus, nec erat è re eorum, ut ſimul habitarent. Itaque ſibi alias ſedes delegit Iacob ad habitandum, de quibus verſ. 17.*

Hebræi aut mendacio aut æquivocatione uſum eſſe ſtatuunt. Raſi: מרחיב לו הדרך שלא היה דעתו ללכת אלא עד סוכות אמר אם דעתו לעשות לי רעה ימתין עד בואי אצלו והוא לא הלך ואמתי ילך בימי המשיח שנ' ועלו מושיעים בהר ציון לשפוט את הר עשו ומדרשי אגדה יש לפרשה זו רבים: *Dilatat ſibi viam, quia non erat mens ejus ire niſi in Sochoth. Cogitabat; Si mens ejus eſt mihi facere malum, exſpectet donec veniam ad eum. Ipſe igitur non ivit. Quando autem ibit? in diebus*

Meſſiæ Q. D. [Obad. 21.] Et aſcendent ſalvatores in monte Sion ad judicandum montem Eſau. *Et Midraſim aggada in hunc verſum plures ſunt.*

verſ. 16. ET REDIIT IN ILLO DIE ESAU IN VIAM SUAM, SEIR VERSUS] Ineptè hinc aliquis inferre vellet, eodem die perveniſſe in regionem Seir. Nam textus tantum indicat, quando abierit retro ab Jacob; ſcilicet eodem die, quo advenerat. Relinquit in medio, quantum tempus inſumpſerit uſque ad Seir. Ita etiam Iudæi ex eo, quod de ſolo Eſau textus loquatur, malè colligunt, quadringentos illos, qui eum comitati fuerant, dilapſos eſſe, ut Eſau ſolus tandem fuerit, cum à Iacob domum diſcederet. Hoc autem ipſis divino beneficio retributum eſſe temporibus Davidis; quando quadringenti Amalecitæ illius victrices manus effugere (1. Samuel. 30. 17.) quaſi ſatellites illi Eſavi, Amalecitæ fuerint.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ

LIBER PRIMUS.

CAPUT DUODECIMUM.

IGitur Iſrael declinans fratris domum promovit agmen in Salem Sicimorum opidum: atque ibi loco pretio accepto, tabernaculum ſtatuit ſibi. Huic opido Emor Chemoreus princeps, preerat: hujus filius Sichem, Dinam filiam Iacob ex Lia genitam ſtupro ſubdidit. Quo comperto Simeon & Levi, Dinæ fratres omnes in oppido ſexus virilis dolo peremerunt, ac impigrè ulti ſunt injuriam: oppidum à filiis Iacob direptum, prædaque omnis eſt abducta. Id factum ægrè admodum tuliſſe Iacob traditur. Mox à Domino monitus, Bethleem petit, ibique altare Domino ſtatuit. Inde in parte turris Gader tabernaculum fixit. Rachel ex partu obiit, puer Benjamin vocatus eſt. Iſaac deceſſit annos natus centum & octoginta.

DRUSIUS.

FRATRIS DOMUM] *montem Seir aut Idumæam.*

IN SALEM SICIMORUM OPPIDUM] Sic Græci εἰς Σαλὴμ πόλιν Σικίμων. *Hieronymus quoque, in* Salem urbem Sicimorum. *Sicima nomen eſt urbis. Quomodo igitur Salem Sicimorum urbs? An* urbs Sicimorum *ita dicitur, ut* urbs Roma, herba lapathi, *& quæ prætereà Grammatici annotarunt? Videtur. Nam Salem eadem cum Sicima, ſi modo Salem eſt nomen urbis hoc in loco, de quo dubitari video. Nam poteſt eſſe nomen appellativum, ut dicat Iacobum ſalvum*

vum & incolumem perveniſſe ad urbem Sichem εἰς Σίκιμα, χαναναίων δ' ἐστὶν ἡ πόλις, *inquit Ioſephus. Hanc ſententiam expreſſerunt interpretes Chaldæi, Oncelos & Ionathan, quam & R. Salomo approbare videtur. Priorem ſequuntur ferè Chriſtiani. Vnde legimus apud Euſebium*, Salem civitas Sicimorum, quæ eſt Sichem, *Scribunt eadem Hieronymus Epiſt. CXXVI. Primaſius Epiſt ad Hebræos. Eucherius in Geneſin pag. 145. Eucherii verba ſunt*, Salem quæ nunc pro Sichem nominatur ſonat conſummatam atque perfectam, illa verò quæ poſtea Jeruſalem dicta eſt pacificam. Utrumque enim accentu paululum declinato hoc vocabulum ſonat. *Non intelligo quod ait*, accentu paululum declinato. *Nam idem accentus in Salem, quando eſt nomen urbis & quando appellativè ſignificat perfectum, incolumem, ſalvum. Nam pacificum nunquam ſignificat, quod ſciam, niſi fortè Salem legerunt pro* שֶׁלֶם *Selem, ut Habel pro Hebel; quod ſacrificium pacificum deſignat Amos 5. 22. cujus pluralis in frequenti uſu* שלמים *pacifica. Hæc forma nominis accentum gerit in penultima. Puto Eucherium hoc voluiſſe.*

PRETIO ACCEPTO] *Quem pretio emerat. Quod intelligentiam habet ex illo, qui eum pretio acceperat, id eſt, emerat: Nam qui emit, accipit ab alio quod emit. Contra tradere idem quod vendere. Nam qui vendit, tradit emptori quod vendidit. Emiſſe autem centum agnis Moſes ait, ſive nummum agni effigie ſignatum intellexerit ſive ex antiqua conſuetudine permutabatur. locus ille cum centum agnis quos pro eo Iacob tradebat. Vide quæ ſcripſimus Miſcell. cent. 1. cap. 7. Quibus addo æs primum ſignatum fuiſſe ovium boumque effigie. Quod de Servio rege Plinius aſſerit, hiſtor. nat. lib. 18. cap. 3.*

EMOR CHEMORAEUS PRINCEPS] *Locus corruptus. Suſpicor legendum*, Hemor, Chorræus princeps, *vel certè* Hemor Hevæus, *Sed* χορραῖος *vocatur. Gen. 34. 2. in editione quam Aldus impreſſit, & poſt eum Baſileenſes Typographi. Forte alterutrum horum nominum ſupereſt à gloſſemate. Nihil adfirmo: tamen fieri poteſt ut Severus initio ſcripſerit* Hemor princeps. *Sane Hemor dicimus & Chemor, ut Horeb & Choreb. Ab Hemor Ioſephus declinavit Hemorus ſic Chemorus. Quod ex eo notatum (ita conjicio) in margine, ut fit, inde poſtea in contextum irrepſit, depravatum in Chemoreus. Iudicent, qui has res intelligunt.*

EMOR] *aſpirandum eſt ut ſit Hemor. Hoc nomen Græci & Ioſephus cum duplici μ ſcribunt* Ἐμμὼρ *cui ſimile eſt Debora & Debbora. Sic Habbacuc, Meſſias, & alia non pauca.*

PRINCEPS] *Rex Ioſepho. Perinde eſt: nam Rex in Ebraiſmo princeps, dux, comes: quos Regulos Latini authores appellant.*

SICHEM] *minus rectè alii Sychem ex Græco* Συχὲμ: *quod &* Σιχὲμ *ſcribunt, unde &* Σίκιμα *civitas: ab hoc Sichem appellata eſt, ſi credimus Euſebio, cujus hac de re verba clara ſunt in libro locorum.* Sed & filius Hemor appellabatur Sichem, à quo & locus nomen accepit. *Alii putant Sichem ab urbe ſua nominatum. Gerundenſis*, Sichem filius Chemor de nomine urbis ſuæ vocatus fuit. *Prius verius videtur.*

DINÆ FRATRES] *uterini, quos ideo* ὁμομητρίους τῆς κόρης. *Ioſephus appellat. Vide, ſi otium eſt, & ſi vis.*

Addenda.

S*upra* [annot. penult.] *omiſſum quod jam notabo. Sicimorum oppidum eſt Sichem. In libro nominum*, Sicimorum, humeri: Ipſa eſt quæ & Sichem. *Eam poſterior ætas Neapolin dixit. Hieronymus de locis ex Actis Apoſtolorum*, Sichem civitas Iacob, nunc Neapolis dicta, juxta ſepulchrum Ioſeph, qui à filio Hemor ſui Regis

 voca-

vocabulum ſumpſit. *Thanchuma, qui & Ilmedenu* Sichem hæc eſt Napoli, *id eſt Neapolis. Nequid celem, in Ebræo codice ſcriptum Napolin cum Nun in fine. Euſebius in locis,* Sichem & Salem, quæ latine & Græcè Sicima vocata eſt, civitas Jacob, nunc deſerta eſt. Oſtenditur autem locus in ſuburbanis Neapoleos *(Naploza hodiè)* juxta ſepulchrum Joſeph, quam ſubvertit Abimelech, & ſeminavit in ea ſalem, ſicut in libro Judicum ſcriptum eſt. Poſteà verò inſtaurata eſt à Jeroboam, ut regnorum narrat Hiſtoria, & ſita eſt in finibus tribus Ephraim. *Et mox*, Fuit autem & altera Sichem in monte Ephraim, civitas fugitivorum. *In Evangelio Ioh. vocatur Sichar,* ubi, nunc Eccleſia fabricata eſt, *inquit Hieronymus*, in latere montis Garizin. *Locus eſt Iohan.4.5. Ioſephus autor Alexandri Macedonis tempore Samaritas Metropolin habuiſſe Sicimam,* πόλιν κειμένην πρὸς τῷ Γαριζὶν ὄρει, καὶ κατῳκημένην ὑπὸ τῶν ἀποστατῶν τῶν Ἰουδαίων ἔθνους. *Maſius in Ioſuam*, Ruinæ Sichem, nunc Iſthac vocantur. Nam Neapolis non eodem ſolo ſubſtructa nunc viſitur. *Hac addenda erant: pergamus nunc ad alia.*

Bethleem Petit] *ſequentia docent legendum* Bethel petit. *Nam ibi altare Domino ſtatuit, non in Bethleem.*

In Parte Turris] *Senſus eſt, in tractu illo ubi turris Gader erat. Malè Victor, in parte aliqua turris, & fruſtra Sigonius Severum hic reprehendit, quem non intellexit. Græca verſio,* ἐπέκεινα τοῦ πύργου Γαδέρ, *id eſt, trans aut ultra turrim.*

Gader] *vel Ader. Ea vox gregem ſonat: Vnde apud Hieronymum,* trans turrim gregis. *Euſebius de locis Ebraicis:* Gader turris; ubi, habitante Jacob, Ruben patris violavit thorum: quæ abſque G. litera in Ebræo Ader ſcribitur. *In parte turris Gader Ebræi dicerent* בחלק. *Sic alibi civitas,* in parte Juda. *Nam pars in ea lingua pro agro ſumitur. Syri* חקל *dicunt inverſis litteris, unde Haceldema,* ager ſanguinis.

Benjamin Vocatus Est] *Id ſonat* filius dexteræ. *Ita pater eum vocavit, ut apparet, boni ominis cauſa, cum prius à matre Benoni nominatus fuiſſet, quod Græce interpretantur* υἱὸς ὀδύνης μου, *id eſt, filius doloris mei.*

Benjamin] *compoſitum ex nomine Ben,* filius *& Iamin* dextra. *Quidam* filius auſtri: *nam auſter dextera vocatur, id eſt,* ימין / *quia qui reſpicit orientem, auſtrum habet ad dexteram. Sed quare* filius auſtri? *An quia natus in terra Canaan, quæ auſtralis eſt reſpectu Meſopotamiæ; Vnde profectus fuerat, & ubi reliquos filios genuerat?*

Schotanus.

Hoc caput extenditur à v. 17. cap. xxxiii. uſque ad finem cap. xxxv. Joſephus iſta habet in fine lib. i. antiquitatum, nempe parte ultima cap. xix. & capite xx.

Declinans Fratris Domum] Sulpicius exiſtimare videtur Jacobum evitaſſe de induſtria, regionem Seir, ne in fratris inſidias incideret. Adeò amica ſua promiſſione ipſi illuſiſſe. Jacob profectus eſt ad locum, qui ex eventu illo nomen obtinuit. Nam Jacob in eo ſibi domum & pecoribus ſuis (ut Hieronymus ſtatuit) tabernacula exſtruxit. Hinc locus dictus eſt סכות Succhoth vel Sochoth. *Eſt autem* (inquit Hieronymus) *uſque hodie civitas trans Iordanem hoc vocabulo, in parte Scythopoleos, de qua in libro locorum ſcripſimus.* In iſto libro ſic: *Scena id eſt tabernacula, locus in quo habitavit Iacob regreſſus de Meſopotamia, qui lingua Hebraica appellatur Sochoth.* Diſtinctus hic locus eſt ab altero, qui fuit prima manſio Iſraelitarum ex Ægypto egredientium.

tium. Joſephus, Ἰάκωβος δὲ ἀφίκετο εἰς τὰς ἐπὶ τῶν σκηνὰς λεγομένας. Ultra Iordanem in tribu Gad fuerunt Phanuel & Sochot, quorum locorum incolas perdidit Gedeon. Iudic. 8. Iacobo non licuerat poſt diſceſſum è Carris ſedem figere ullibi. Aliquot tantum diebus potuit alicubi agere, ut in monte Galaad ob fœdus cum Labane, alibi etiam ob impedimenta ſed non diu. Hinc in propinquo terræ Canaan, defunctus metu à fratre ſtruit ſibi in hoc loco & familiæ & pecori. Hebræi putant hic egiſſe octodecim menſibus. Nempe una hyeme in domo, duabus æſtatibus in tabernaculis. Sed, inquit Mercerus, *ſtatuere difficile fuerit, Vnane hyeme an duabus & una æſtate illic manſerit. Itaque ſimpliciter domum eum ſibi & umbracula pecori paraſſe puto. In Bethel autem volunt eum manſiſſe ſex menſibus. Quandiu egerit utroque loco, incertum eſſe puto, aliquandiu tamen egiſſe non dubitarim. In Sichem autem, de qua mox, longe diutius per quinque, aut ſex annos ad minimum.*

In Salem Sicimorom Oppidum] Hebræi (cumque eis Ioſephus) nomen שלם pro adjectivo accipiunt & cum illis reformati fere, quamvis Mercerus malit cum Græca & Latina verſione ac Patribus accipere pro nomine proprio urbis, quæ eadem dicta fuerit Sichem, aut Sichemi urbs. Raſi: *Salvus in corpore ſuo quod ſanatum fuerat à claudicatione: ſalvus in facultatibus, quia nihil deficiebat ex omni dono, ſalvus in lege quia non fuerat oblitus doctrinam in domo Laban.* Quidam putant ex hac voce ſanatam jam fuiſſe claudicationem. Sic quidam Iudæi. Alii tota vita exiſtimant claudicaſſe. Notat ſalvum adveniſſe ſcriptura è Paddan Aram: id ſignificat (interprete Raſi) ac ſi quis ſocio ſuo diceret, *Egreſſus eſt iſte, è medio duorum leonum & advenit ſalvus; etiam hic advenerat ſalvus è Paddan Aram, à Laban & Eſau, qui ei in via juncti fuerunt.* Abeneſdras: *Nomen thoar & ſignificat, quod illi nullus caſus evenerit: quia hinc incipit narrare caſum Dinæ.* Idem fermè dicit R. Ibag. Chaldæus quoque vertit שלים *ſalvus* ſeu *incolumis*. Veroſimilius ſenſum hunc eſſe, quod ſalvus pervenerit Sicimam, quæ dicitur urbs Sichemi, vel à conditoris ſeu poſſeſſoris nomine vel appoſitive. Si Salem velis eſſe nomen urbis proprium non debet confundi cum ea Salim de qua Joh. 3. 23. Prope quam Johannes baptizabat. Nam in Samaritarum regione Iohannes baptiſmum & miniſterium ſuum non obiit. Salem in iſto loco Geneſeos de urbis nomine interpretari favet Samaritis, qui hic Melchiſedec fuiſſe voluerunt. Ideò etiam in textu Samaritano Bibliorum Anglicorum legitur ࠔࠋࠅࠌ שלום, cum in Iudaico & legitimo ſit שלם. Arabica verſio habet سالما الى قرية نابلس *Salvus in civitatem Neapolin.* De ſuperiori loco iſta verſio ولذلك اسمي الموضع عرشا هو سكوت *Ideò appellavit locum Arſa, quæ eſt Socboth.*

Loco Pretio] Hæc prima urbs in Cananæa, ideo Scriptura notat, perfecto itinere, huc ſalvum adveniſſe, in terram promiſſam, in qua patribus peregrinandum erat. Juxta illud oppidum tetendit. Emit illic locum in quo fixit tabernaculum. Pretium exprimitur בְּמֵאָה קְשִׂיטָה. Quod Chaldæus vertit במאה חורפן, centum agnis: Græci ἑκατὸν ἀμνῶν: Latinus *centum agnis.* In tractatu Ros Haſſana, Gemara capit. 3. *Dicit R. Aquiba, Cum iter facerem in Africam, vocabant obolum* [מעה] *Ceſita. Quid inde utilitatis? Ad explicandum centum Ceſitas, quod eſt in lege.* Ros Haſſana fol. 26. a. Lapſum memoriæ notamus in Raſi: Nam verba illa Thalmudica malè allegat: quaſi R. Aquiba dixerit ſe profectum ad oppida maris cum illud animadverteret. Ad oppida maris cum iret, intellexit aliud ut ibi ſequitur in Thalmud. Ralbag: קשיטה, Eſt [מעה] *obolus*: ut explanarunt magiſtri noſtri b. m. Et olim erant ex illis ſex in denario. והנה קנה אותה בדמים מעטים כמו שתראה כי לא היו כי אם ד' סלעים

מעורת: סלעים וד' *Ex igno pretio comparatum eſſe agrum, quia non faciant iſti centum ceſita ultra quatuor ſiclos & quatuor obolos.* Ita viginti quatuor oboli, quatuor autem denarii ſiclum conſtituunt. Hoc ſane exiguum pretium indicat ſpatia camporum ejus tempeſtatis pro numero incolarum: cum venderentur, quæ in vicinia eſſent vicorum & oppidorum, campi autem ab ædificiorum conjunctione remotiores ad paſcua & ſata pro indiviſo frequentarentur. Inde in ſequenti capite dicunt Hemor & filius ejus Sichem, latis ſpatiis agros jacere, ut Jacobi numeroſum pecus ad latifundia admitti poſſet. Aben-eſdras: *Meminit hujus ſcripturæ, ut indicaret magnam eſſe dignitatem terræ Iſrael. Et ille, cui eſt pars in illa, reputatur tanquam portio ſeculi futuri.* Eo in loco aram ſtruit Jacob & aræ nomen fecit אל אלהי ישראל. Hic Raſi: *Non quod altare vocatum fuerit Deus Iſrael ſed quia Deus benedictus cum eo eſſet eumque eripuiſſet, vocavit nomen altaris propter miraculum, ut encomium Dei commemoraretur in appellatione nominis quaſi diceret, Quis ille? Deus eſt: Deus benedictus eſt. In Deum mihi. quia nomen meum eſt Iſraël. Et ſic invenimus de Moſe: Et appellavit nomen ejus* יי נסי *Dominus vexillum meum. Non quod altare vocaretur Dominus ſed propter miraculum appellavit nomen, ut in memoriam vocaret laudem Dei benedicti: Dominus eſt vexillum meum. Magiſtri* (דרשו) *allegorice exponunt, quod Deus benedictus appellaverit Iacob Deum. Ac verba legis, tanquam malleus qui rupem diffringit* (Jerem. 23. 29.) *dividunt ſe in multos ſenſus. At ego ad ſtatuendum ſimplicem ſenſum ſcripturæ ivi.* Abeneſdras: *Et dicit gaon, quod* (Appellavit id, Deus Iſraël) *habeat expoſitionem, quod invocaverit Deum ad nomen. At hoc certum, quod ſic fuit nomen altaris: Et ſic altare Moſes vocavit nomine* (Dominus vexillum meum) *propter ſignum quod fecerat Deus in loco illo. Et ſic ubi reverſa fuerit* שכינה *ad Ieruſalem, vocabitur* Dominus illic. *Et ſic quoniam Deus opem tulerat Iacob, vocavit nomen altaris ubi operatus fuerat Deus,* Deum, Deum Iſraël. *Et eſt ſenſus, quod ipſe ſit fortis & validus: Deus Iſraël, quia eripuerat eum in via & venerat incolumis in terram Canaan: quia illic Sochoth & Sichem. Et ſecundum ſententiam meam oportet eum in urbe Sichem multos annos commoratum eſſe. Quia Dina fuit tantum ſeptem annorum, Simeon etiam & Levi parvuli erant.* Ralbag: *Vult dicere ut exiſtimo. quod olim evenerit ipſi: quia contigerat illi iſthic prophetia à Deo excelſo, qui eſt Deus Iſrael. Hoc ſenſu: fortaſſe occurret Dominus mihi obviam. Et ex eo docet, quod locus ille, in quo ædificabat aram, ſit certus, quod illi adhæreat influentia divina. Et ecce non exſtat memoria hujus prophetiæ, quia forte in ea non fuerit res nova: aut eſt illa prophetia, de qua meminit poſteà, quod ipſi illic loci evenerit. Et hoc eſt quod illi dixit Deus excelſus* (Gen. 35. 1.) Surge aſcende Bethel. *Et fortè, quod ſit ſignificatio in eo, quod ipſe vocaverit nomen altaris, Deum Deum Iſrael ſicut Moſes vocavit nomen altaris, Dominus vexillum meum. Et ſicut vocavit nomen, Deus Bethel, in eo, quod poſteà commemoratur. Et hic eſt expoſitio ſapientis Aben-eſdræ. At prior explanatio eſt præſtantior, ut ego exiſtimo, quia non invenies ſtructuram aræ, niſi, quia attigerat illic prophetia, ut etiam attingat in futuro, ſicut anteà. Et poſſibile eſt ſecundum hanc intentionem, quod ſit expoſitio* [Et vocavit Deum, Deum Iſrael]. *& olim evenerat illi quod attigiſſet ipſum prophetia à Deo excelſo, & ideò ædificavit illic aram,* Exiſtimat Ralbag, in nullo loco aram conditam eſſe niſi in memoriam habitæ prophetiæ, utque porro eveniret: quia Dei Spiritum propheticum locis ſuis affixum eſſe putat. Aben-eſdras & Raſi, Deum invocatum illic eſſe ob memoriam præcedentium beneficiorum, quamvis in eo loco ipſo facta non eſſent. Ob hanc ſententiam, quam hic ponit Ralbag, quidam putarunt caput triceſimum quartum & omnem hiſtoriam de

even-

eventibus in Sichem tempore poſteriora eſſe capite trigeſimo quinto. Putant enim congruum eſſe, uti illuc prius iret, ubi illam nobilem in itinere abitus habuerat viſionem ut eum reſalutaret in reditu ante omnia, qui tanto cum ſolamine in abitu dimiſerat. Vident etiam Dinæ caſum non pertinere ad primum adventum in Cananæam. Scriptura tamen diſertè ſatis ſignificat primum terræ Canaan locum, quem adiit, fuiſſe Sichem.

CAP. XXXIV.

QUinque capitis membra ſunt. I. Dina violata. 1--7. II. Deſpondetur Sichemo. 8--19. III. Ex pacto circumciduntur Sichemienſes. 20--24. IV. A filiis Jacob, trucidatis incolis, Sichem diripitur. 25--29. V. Ob id Jacob filios increpat. 30, 31.

EMOR. CHEMOREUS PRINCEPS] Hevæus in textu dicitur, qui oppido & tractui illi præerat נשיא הארץ Fortaſſis ille Hemor filins fuit cujuſdam viri qui & ipſe Sichem dictus eſt. Ejus filius Dinam, quæ exierat in urbem filias viſitatum (feſtum fuiſſe dicit Joſephus Σικιμιτῶν ἑορτὴν ἀγόντων) rapuit & vitium virgini obtulit. Cumque eam deperiret, patri perſuaſit, ut nuptias paciſceretur. Joſephus: παρῆλθεν εἰς τὴν πόλιν, ὀψομένη τὸν κόσμον τῶν ἐπιχωρίων γυναικῶν. Θεασάμενος δ' αὐτὴν Συχέμης ὁ Ἐμμώρου τοῦ βασιλέως υἱὸς φθείρει δι' ἁρπαγῆς. Καὶ διατεθεὶς ἐρωτικῶς ἱκετεύει τὸν πατέρα λαβεῖν αὐτῷ πρὸς γάμον τὴν κόρην. In Hebræo: ויקח אותה וישכב אותה ויענה. Ad vocem וישכב notat Raſi כדרכה/ ad ויענה autem שלא כדרכה. At Aben-eſdras ad ultimam: כדרכה בעבור היותה בתולה:

Cum ea res ad Jacobum eſſet delata, ægerrimè tulit. Rem tamen animo per ſilentium tenuit, donec filii qui paſcendis pecoribus aberant domum rediiſſent. In textu dubium eſt an Jacob è patre juvenis compellante de matrimonio reſciverit rem, an cognoverit prius & aliunde. Si ex parente cognoverit, differt reſponſum uſque ad reditum filiorum cum iis conſilia communicaturus. Ut autem filiis vindictæ autor fuerit, diſſuadet impotentia in alieno ſolo, inter Cananæos, & viri exercitata patientia. Cl. Rivetus: *Mirum autem videri poteſt, cum filia parentem ſuum haberet, totam iſtius negotii adminiſtrationem tribui fratribus Dinæ, filiis Iacobi: illi ſpondent etiam affinitatem ſub conditione circumciſionis. Credibile non eſt, hæc omnia ab iis facta fuiſſe clam patre: quinimò probabile eſt, ſanctum ſenem hoc propoſuiſſe impedimentum: Sed crederem illum non ulterius proceſſiſſe niſi ut ſignificaret ſe non poſſe bonâ conſcientiâ conſentire in tales nuptias. Nam ut credam Iacobum Sichemitis impoſuiſſe talem neceſſitatem, obſtat, quod cum fuerit fœderis ſigni profanatio, in gente planè à fœdere excluſâ, non poſſet à peccato excuſari Iacob, ſi ſub conditione tali filiam ſpopondiſſet; præſtitiſſet enim eam relinquere Sichemo incircumciſo, quàm totam illam gentem ad circumciſionis communicationem vocare, quæ profana, extra communionem populi Dei. Itaque probabile eſt Iacobum graviter conqueſtum fuiſſe de injuriis apud patrem Sichemi, & affinitatem offerenti reſpondiſſe id fieri non poſſe ob rationem allatam, filios autem poſteà, cum animadverterent viros ad quaſvis conditiones eſſe paratos, dummodo conjugium illud coaleſceret, tam ſuo, quam patris nomine, illoque inſcio, conditionem addidiſſe, ut eos dolo circumvenirent. Exiſtimant alii, ut Mercerus, Iacobum etiam cum aliis filiis conſenſiſſe in dolum, ut homines iſtos ad circumciſionem promoverent, non quidem ut eos poſteà trucidarent, quod Simeon & Levi cogitabant; ſed tantum, ut illis hac arte debilitatis, poſſent ſine periculo Dinam abducere, Sichemitis in eo ſtatu exiſtentibus, in quo non poſſent reſiſtere. Hæc ſi verum ſit, etſi Iacob excuſetur à maximo*

mo illo & crudeli facinore, non poteſt tamen planè abſolvi à peccato, ſi abuſus ſit circumciſionis Sacramento, in eum finem ut ſua repeteret, etſi noſſet illud futurum inutile in talibus.

Factum hoc ita narrat Joſephus: Ὁ δὲ πεισθεὶς ἧκε πρὸς τὸν Ἰάκωβον, δεόμενος τῷ παιδὶ αὐτοῦ Συχέμῳ συζεῦξαι Δείναν κατὰ νόμον. Ἰάκωβος δὲ οὔτ' ἀντιλέγειν ἔχων διὰ τὸ ἀξίωμα τοῦ παρακαλοῦντος, οὔτε νόμιμον ἡγούμενος ἀλλοφύλῳ συνοικίζειν τὴν θυγατέρα, ἠξίωσεν ἐπιτρέψαι αὐτῷ βουλὴν ἀγαγεῖν περὶ ὧν παρεκάλει. Ἀπῄει μὲν οὖν ὁ βασιλεὺς, Ἰάκωβον ἐλπίζων παρέξειν τὸν γάμον. Ἰάκωβος δὲ δηλώσας τοῖς παισὶ τήν τε φθορὰν τῆς ἀδελφῆς καὶ τοῦ Ἐμμώρου τὴν δέησιν, ἠξίου βουλεύεσθαι τί δεῖ ποιεῖν. Οἱ μὲν οὖν πλείους ἡσύχαζον γνώμης ἀποροῦντες, Συμεὼν δὲ καὶ Λευῒς ὁμομήτριοι τῆς κόρης ἀδελφοὶ πρὸς ἀλλήλους συντίθενται τοιάνδε τινὰ πρᾶξιν, Οὔσης ἑορτῆς καὶ τῶν Συκιμιτῶν εἰς ἄνεσιν καὶ εὐωχίαν τετραμμένων νύκτωρ πρώτοις ἐπιβαλόντες τοῖς φύλαξι κτείνουσι κοιμωμένους, καὶ παρελθόντες εἰς τὴν πόλιν ἀναιροῦσι πᾶν ἄρρεν καὶ τὸν βασιλέα σὺν αὐτοῖς καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ, φείδονται δὲ γυναικῶν. Πράξαντες δὲ ταῦτα δίχα τῆς τοῦ πατρὸς γνώμης ἐπανάγουσι τὴν ἀδελφήν. Textus ſacer ſolos Jacobi filios non parentem cum Sichem & Hemor locutos eſſe narrat. Ego igitur ita puto: Antequam filii à pecoribus domum veſperi rediiſſent, compellavit Sichem patrem de nuptiis & adunatioue utriuſque gentis (ſive ante jam Jacob ſtuprum cognoverit, quod puto, ſive ex ipſo Sichem & Hemor reſciverit) Iacob eos diſtulit ad filiorum adventum. Filii autem cognito ſtupro & indignati, ſeorſim & amoto patre fraudulenter cum Hemor & Sichem collocuti circumciſionis conditionem impoſuerunt. Videbant enim ex oblatione juvenis deſiderium. In textu narratur dixiſſe Sichem v. 13. Maximam imponite dotem & munus; dedero pro arbitrio veſtro, ſi puella potiri liceat. מֹהַר idem quod כתובה ut Raſi. Conventum igitur eſt illa conditione quam pollicebantur & effectam dedere in oppidanis Hemor & Sichem. In porta enim (ubi conciones haberi ſolebant) propoſuerunt rem: Hi viri pacifici ſunt, commorentur igitur in noſtra hac regione & mutua commercia habeamus. Regio enim latè patens capaxque eſt. Coaleſcamus cum ipſis in gentem unam, mutuis connubiis. Hanc autem petunt conditionem: Si circumcidamur, in unum nobiſcum populum conjungi cupiunt. Eo modo ipſorum opes, pecudes, ſubſtantiæ noſtra erunt. Exiguum erit, ſi ipſis in eo pareamus, ut tanto bono potiamur. Joſephus aliter narrat: Nullam conventionem eſſe, nullam conditionem impoſitam, ſed dum fluit tempus deliberandi, quod Jacob petierat, Simeonem & Levi, obſervantes feſtum diem, cæſis cuſtodibus incolas oppreſſiſſe. Videt lector eum emollire facinus. Pejus enim eſt pacto inito, dum in conditionibus implendis occupantur, perfidè ſævire, quam durante tempore deliberationis. Aben-eſdras alio modo excuſat factum. Nam Jacobi filios conveniſſe de filiabus dandis ſumendiſque: Hemor autem & Sichem, civibus promiſiſſe poſſeſſiones & pecora: והנה הם חשבו רעה על יעקוב ובניו שאמר מקניהם וקנינם. In illis latuiſſe dolum, quaſi ſpem prædæ civibus injecerint: data occaſione involaturi in poſſeſſiones & pecudes eorum. Id vero ex verbis illis elici nequit. Nihil proponunt ultrà commercia & coalitionem in unam gentem. Ex unitate populi divitiæ ſingulorum communitati accreſcunt, & copiam ſubminiſtrant. Emolumentum oſtenderunt ſine dolo: כדי לרצותם שיאתו להמול Ita ex regione vacua multum rediturum fuerat. Raſi iterum; Nihil vobis peribit: פרקמטיא הרבה באה לכאן ואין לה קונים. Scriprura dum arguit Iacobi filios, abſolvit Sichemienſes. Dicit enim Iacobi filios locutos eſſe במרמה. Quod Raſi fruſtrà explicat, בחכמה. Qui etiam in verbis textus quærit effugium aliud: (Quia Dinam ſororem ſuam polluerat) Ex eo ſcripturam docere, non fuiſſe רמיה: ac ſi illo ſcelere meriti eſſent, ut ita

cir-

circumvenirentur. A parte altera abſolvuntur Hemor & Sichem, quia amoris igne flagraſſe juvenem, eoque impulſum ſincere rem egiſſe narrat. Damnat Iacob filiorum duorum ſanguinariam immanitatem, unde tres filii à patre Iacob benedictionem nacti non ſunt, Ruben, Simeon, Levi, Gen. 49. 3. 4. 5. 6. 7. Calvinus: *Caterum nullus eſt lectorum, qui non per ſe agnoſcat quam immane & execrandum fuerit hoc facinus. Vnus tantum peccaverat: injuriam pluribus beneficiis penſare ſtuduit: non ſatiatur crudelitas Simeon & Levi, niſi totius urbis excidio: & ſub prætextu fœderis, contra amicos & hoſpites in media pace moliuntur, quod in profeſſo bello contra hoſtes non eſſet ferendum. Hinc perſpicimus quam clementer egerit Deus, dum ex poſteris hominis ſanguinarii adeoq; ſceleſti latronis, Sacerdotes ſibi conſtituit. Eant nunc Iudæi & nobili ſua origine ſuperbiant. Atqui pluribus documentis gratuitam ſuam miſericordiam aſſeruit Dominus, quam ut eam obſcuret maligna hominum ingratitudo. Hinc verò agnoſcimus Moſen non ex ſenſu carnis locutum, ſed organum eſſe Sp. ſancti cæleſtiſque Iudicis præconem. Nam quum Levita eſſet, adeò generi ſuo non parcit, ut patrem ſuæ tribus perpetuâ infamia nocare non dubitet. Nec dubium eſt quin Dominus conſulto impuris & profanis hominibus os obſtruere valuerit. Sicuti Lucianici homines fatentur Maſen ſummum fuiſſe virum, raræque præſtantiæ: ſed qui ſibi magni populi imperium aſtu & vafritie comparaverit, quaſi vero homo acutus & perſpicax, non agnoverit ex hoc uno ſcelere plurimum decedere honori ſui generis. Verum nihil aliud habuit propoſitum quam Dei bonitatem ergà papulum ſuum extollere: nihil verò minus captaſſe quam ut daminaretur, inde clarius liquet, quod ſacerdotii munus aliò transferens, filios ſuos tantum miniſtros eſſe juſſit. Quantum ad Sichemitas ſpectat, licet coram Deo non eſſent innoxii, utpote qui ſua commoda religioni prætulerant, quam putabant eſſe legitimam, Dominus tamen non pro eorum delicto tam atrociter eos puniri voluit: ſed immane exemplum edi paſſus eſt propter unius puellæ raptum, ut ſeculis omnibus teſtatum faceret quantopere exoſas habeat libidines. Adde quod quum à principe civitatis orta eſſet iniquitas, jure ad totum corpus populi extenditur pœna. Nam quum Deus malis principibus nunquam niſi juſto judicio imperium tradat, nihil mirum ſi illi dum peccant, ſubditos eodem ſecùm reatu involvant. Caterum hoc exemplo diſcamus, ſicubi impunè graſſantur ſcortationes, Deum tandem eo graviores pœnas ſumpturum. Nam ſi unius puellæ ſtuprum horribili totius urbis ſtrage ultus eſt, non dormiet nec ceſſabit, ſi vulgò populus unus ſcortandi licentiam ſibi permittat, & ultrò citraque alii ad aliorum nequitiam conniveant. Imprabè quidem filii Iacob: ſed notandum eſt divinitus ſcortationem hoc modo fuiſſe damnatam.*

Rivetus: *Quod cum ita ſit, probari non poteſt fictæ Iudithæ judicium, & profana precum formula quæ ſcribitur capite nono libri Apocryphi. Illa enim hæc omnia Deo ità adſcribit, ut autorem generis ſui Simeonem, non tantum abſolvat, ſed etiam maxima laude dignum deprædicet, verſ. 2.* Domine Deus, *inquit, Patris mei Simeonis, cui tradidiſti gladium ad ulciſcendum alienigenas, &c. expoſuiſti principes eorum cædi, quæ cubile ipſorum fraude oppreſſum irrigavit ſanguine, & percuſſiſti ſervos cum potentioribus ac potentiores in thronis ipſorum:* Qui expoſuiſti uxores eorum prædæ, & filias eorum captivitati, omniaque ſpolia ipſorum dividenda filiis dilectis à te, qui etiam zelotypi fuerant zeli tui, & abominantes inquinamentum ſanguinis ſui, invocaverant te, ut adjutor ipſorum eſſes, &c. *Vt excuſent hoc judicium fictæ Iudithæ, reſpondent Ieſuita, 1. laudari ab eâ non Simeonis ſed Dei juſtitiam, qui permiſit trucidari impios Sichemitas, uſus ad id audaciâ & robore, æque ac perfidiâ & ſcelere Simeonis & Levi. Sic enim dicitur Deus gladium dare Chananæis, Turcis & Paganis &c. 2. quod in zelo fecerint, ut ait Iudith, quamvis fuerit contra juſtitiam, quia contra pacta inita. Laudari autem, quià fuit zelus pudicitiæ, non autem quatenus indiſcretus fuit, & mixtus cum aliis ſceleribus*

ribus & ad id affert Cornelius à Lapide exemplum obſtetricum. Sed verba Iudith illius tales gloſſas pati non poſſunt; quià nullo modo loquitur de gladio dato Simeoni, ut de gladio conceſſo Eccleſia perſecutoribus, qui ſunt virga furoris Divini, quamvis & ipſi furori Divino reſerventur. Sed talia inſtrumenta vult fuiſſe duos hoſce violentos, ut dilecti Dei in eo fuerint, & talem fuiſſe eorum zelum, ut non ſine nominis Dei invocatione id aggreſſi ſint quod laudat. Itaque illa ſibi hoc proponebat exemplum, ut fraude circumveniret Holofernem. Cur invocationis eorum meminit, niſi ut exauditioni divina tribuat totius rei ſucceſſum tanquam legitimè ſuſcepta? Quidam Pontificii diſtinguunt, inter flagitii deteſtationem, ejuſque puniendi zelum, deinde punitionis exequenda modum. In modo peccatum fuiſſe concedunt, in priori autem, nihil quod non ſit laude dignum, & de eo intelligenda eſſe verba Iuditha. At neutrum fuit laudabile, quia zelus eorum fuit inconſideratus, nec tam reſpexit flagitium in ſe, quam ſenſum propria ignominia. Certè zelo ducebatur Iacobus, qui tamen ad vindictam non prorupit, cum id potuiſſet potiori jure. Satis èſt tamen quod concedunt, exequenda punitionis modum non fuiſſe laudabilem. Certum eſt enim modum pracipuè laudare Iuditham. In modo hac ſpectantur: quod uſi ſunt dolo, vel fraude, id laudat illa, quod eorum cubile fraude oppreſſum, irrigatum fuit ſanguine. Ad modum pertinebat, quod uſi ſunt gladio; probatur modus Iuditha & Deo tribuitur. Item ad modum ſpectabat, quod non contenti cade virorum mulieres & pueros captivos abduxerant; Et modus ille probatur ficta Iuditha & Deo tribuitur. Quid plura? Deum conſtituit eorum adjutorem; idem agendi modus ut ſibi ſuccedat à Deo petit, Capiatur, inquit, laqueo oculorum ſuorum in me, & percuties eum ex labiis ἀπάτης μȣ fraudis mea; ubi manifeſtiſſimè alludit, ad illa hiſtoria noſtra verba, Reſponderunt *filii Iacob, Sichem & Patri ejus in dolo. Hoc argumento eſt, nec Iuditham illam, ſi qua talis fuit, ſpiritu ſuggerente fuiſſe locutam, nec librum in quo talia commendantur tanquam ſanctè prolata, inter Canonicos recenſeri poſſe. Hoc quidem verum eſt quod Marius annotat, Spiritum Sanctum libri canonici inſpiratorem, non dicendum eſſe ſtatim laudare, quod ſinguli laudant, quorum hiſtoria alioqui cum laude texitur: Sed nemo niſi valdè imprudens, negabit precationem illam Iuditha qua refertur cap. 9. ita ab autore referri, ut ſimul maximè probetur, imò poni tanquam fundamentum totius executionis poſteà deſcribenda.* Hactenus Rivetus. Judithæ librum eſſe fictam fabulam quivis videt, qui de induſtria velamenta non opponit. Nos de ea re, ſi Deus permiſerit, pluribus ſuo loco agemus, nunc hoc tantum dicimus autorem ipſa inſcriptione indicare voluiſſe & quaſi monitum lectorem; ne pro vera & acta Hiſtoria ſibi obtrudi putaret. יהודית enim inſcripſit, id eſt *Iudaam* pro argumento fabulæ. Conſuere enim fabulam voluit in laudem Hebræarum mulierum & depingere nobilem Heroinam, quæ univerſæ nationi ornamento eſſet & decori. Unde quicquid in ea propoſuit ex autoris mente, in exemplari veræ laudis exhibitum, oſtendit quid autor ſenſerit. Ea igitur mente ſcripſit, quæ à mente Spiritus S. Jacobum inſpirantis in diverſum diſcedit. Tertio die à facta circumciſione germani duo fratres urbem irrumpunt & cædem faciunt. Erant & alii fratres Dinæ, ſed Judæi dicunt illos fraternum amorem in hoc facto oſtendiſſe præ cæteris & id Sp. S. ſignificare. Solos in cæde fuiſſe duos dicit Sp.S. Quod eos comitati fuerint uterini fratres, quis affirmet? Id obſervatum illis tempus putatur, quo minus validi ad reſiſtendum Sichemitæ eſſent. Diem tertium dolorem vulnerum intendere & inflammationibus potiſſimum infeſtare, interpretes obſervant. Circumciſionis gravem dolorem fuiſſe notat textus. Cum dolore incommoditas loci affecti eos afflixit. Omnes puberes maſculini ſexus interemerunt, mulieribus & infantulis parſum eſt. Inde ſupervenere cæ-

teri

teri fratres, Jacobi filii, qui cæſorum corpora ſpoliarunt omnem ſuppellectilem & quicquid rerum pretioſarum erat, diripuerunt. Jumenta & pecudes cum imbelli ſexu & ætate abduxerunt. Dinam etiam ex ædibus ſponſi eduxerunt.

Jacob tam horribili facinore perterritus filios acri oratione non tam increpuit, quam ingemuit de diſcrimine, in quod ipſum conjeciſſent. Inter medios Cananæorum populos triſti & perfida cæde irritatos, unam familiam paucorum capitum agere pecorum inſtar mactandam aut diriſſimis cruciatibus enecandam, ubi ipſos ira concitaret. Superbe reſponſum ab illis eſt, injuriam fuiſſe intolerabilem, ſororem inſtar viliſſimæ meretricis tractari. Quanquam hoc ipſum falſum erat, quia ex amoris impatientia virgini deditus erat totus & in matrimonium ardentiſſimè flagitabat; id tamen quantumcunque injuriæ erat, conditionibus pacis tollebatur. Cæterum quæri poteſt de Jacobo, cur non potius oſtenderit filiis delicti gravitatem, quam effectorum incommoditatem? Non omnia recitat Moſes: qui ideò de iſto diſcrimine exprimit, quia refert in ſequentibus benignam Dei manum, quæ gentes iſtas indigno facinore exaſperatas continuit. Quantum autem deteſtaretur facinus, oſtendit etiam in ultimo vitæ actu, quo per S. Spiritum filiis benedicebat. Voluit eos ad pœnitentiam diſcriminis intuitu revocare. Cæterum quid factum ſit de mulieribus captivis, quid de præda non exponit Moſes. Atrocitas hujus facti, qua conculcaverant ipſum Dei ſacramentum, eoque abuſi erant ut fraudi & dolo pallium eſſet, præterea tanquam peccatorum iliada complectitur: de qua re alii. Sulpicius etiam inter illos eſt, qui facinus in laude impigræ ultionis ponunt. Rectè annotat Lyranus ab Hebræis defendi filios Jacobi, à Catholicis doctoribus accuſari. *Secundum expoſitionem*, inquit, *Catholicorum doctorum, peſſimè fecerunt interficiendo illos, ſecundum autem Hebræos non fecerunt malum; quia excuſant eos modo ſupradicto.* Diſſertationes Lyrani & Burgenſis hoc loco legi poſſunt. Quia Lyranus Judæorum ſententiam ponit, Burgenſis ejus apologiam proponit. Lyranus: *Hebrai autem aliter exponunt communiter iſtam partem dicentes, quod filii Iacob nullam doloſitatem fecerunt: Et quod ſupra dictum eſt, Reſponderunt in dolo dicunt cautè vel prudenter. Quia dictio Hebraica, quæ ibi ponitur, eſt æquivoca, & accipitur aliquando pro dolo, aliquando pro cautela bona. Volebant enim populum civitatis inducere ad ritum circumciſionis, non cogitantes tunc eos interficere ſed ſocietatem cum eis inire: ſed Emor & Sichem dolum fecerant, quia prædixerunt populo civitatis, quod omnia bona Iacob & filiorum ejus eſſent ipſorum ſimpliciter. Et ſic exponunt; Cuncta, quæ poſſident, noſtra erunt, Non per amicitia communicationem ſed per eor. ſubjectionem in ſervitutem, & per hoc volebant eos facere ſervilis conditionis, quod intelligentes filii Iacob, moti ſunt ad tractandum de interfectione eorum quià non ſervanti fidem fides non eſt conſervanda. Sed contra hoc videtur quià Iacob infra cap. XLIX. increpat Simeonem & Levi vocans eos vaſa iniquitatis bellantia, quod communiter exponitur à doctoribus noſtris de interfectione Sichemitarum, & ſic notantur in hoc facto de doloſitate propter quam increpantur à patre: dicendum quod aliqui Hebræi contradicentes communiter dicta expoſitioni iſtius paſſus exponunt illud de dolo eorum contra Ioſeph, ut videbitur quando erimus in loco. Alii autem Hebræi exponunt illud partim de Ioſeph, & partim de Sichemitis. Sed dicunt quod pater non increpat eos de doloſitate erga Sichemitas, ſed de nimia crudelitate. Vnde dixit cap. XLIX. Maledictus furor eorum &c. Sed illa expoſitio non dicitur conſonare fini hujus cap. ubi cum Iacob increparet filios de interfectione Sichemitarum, non excuſaverunt ſe per hoc, quod Emor & Sichem mutaſſent pa-*

 ctum,

ctum, & vellent eos redigere in ſervitutem, ſed ſolum per violentiam factam ſuæ ſorori: Et non eſt veriſimile quod ipſi tacuiſſent ſi fuiſſet verum. Burgenſis: *Dictio Hebraica qui hic ponitur, ſcil. mirma, nullo modo ſignificat prudentiam vel cautelam, ſed ſolum fraudem vel dolum, ut patet veritatem idiomatis ſcienti, & ideo alia expoſitio eſt magis literæ conſona. Poteſt tamen ſuſtineri opinio dicentium, quod filii Iacob in hoc caſu nullam doloſitatem fecerunt: nam dolus aliquando impropriè accipitur pro bona cautelâ, ſicut cum Apoſtolus. 2. Cor. xii. cap. ait. Cum eſſem aſtutus dolo vos cepi, ut ſupra in additione XXVII. cap. Et ideo quià Sichemitæ nullam petierunt veniam de tanta injuria illata Iacob & filiis ſuis, ideò nec ipſi pacem conceſſerunt, ſed ſolum permiſerunt, quod poſſent cum eis fœderari, ſi circumciderentur; non autem permiſerunt confœderationem, ſed Sichemitæ retulerunt dicta filiorum Iacob; addendo quod jam erant pacificati cum eis, dicentes: Viri iſti pacificati ſunt nobiſcum &c. & ideo filii Iacob ex hoc quod abſconderunt propoſitum ſuum, inimicis ſuis non videntur peccaſſe, quià licitum eſt uti inſidiis contrà inimicos, ut vult ſanctus Thomas in ſecunda ſecunda, præſertim exiſtimando factum ex dictis Iacob: nam non redarguit Simeon & Levi, de doloſitate nec injuſtitia, ſed ſolum ex hoc quod poſuerant Iacob cum familia ſuâ in periculo, cum eſſent pauci reſpectu habitatorum terræ. Vnde* dicit infra: Turbaſtis me & odioſum me feciſtis Chananæis; nos pauci ſumus, illi congregati percutient *me*, & delebor ego, & tota domus mea. *Ex quo patet quod ſi familia Iacob eſſet in tanto numero, ut veriſimiliter poſſet aduerſariis reſiſtere, quod Iacob approbaſſet facta filiorum, quod non feciſſet ſi dolum propriè loquendo feciſſent ſive injuſtitiam.* Joſephus etiam Jacobo nullam tribuit facinoris deteſtationem, tantum ἐκπλαγῆναι πρὸς τὸ μέγεθος τῶν γεγονότων καὶ χαλεπαίνειν πρὸς τοὺς υἱούς. Nempe ob metum diſcriminis, in quo ipſum confirmavit Deus: ὁ θεὸς παραστὰς ἐκέλευσε θαρρεῖν.

CAP. XXXV.

IAcob relicto oppido Sichemienſi concedit Bethel, quæ ſecunda illi ſtatio fuit in Cananæa 1.--15. Tertia ſtatio in Bethlehem, ubi Rachel obiit, 19.-20. Quarta in Magdal Eder, 21.--26. Quinta in Hebron 27. 28. 29.

MOX A DOMINO MONITUS BETHLEHEM PETIIT] Mendum librarii, ut Cl. Druſius annotat, quia Bethel fuit, non Bethlehem. Cauſa impulſiva diſceſſus, fuit oraculum. Cum ſibi metueret ab incolis, & abitum diſpiceret, monuit Dominus, ut in locum migraret, de quo votum faciendi altaris fecerat, cum viſionem ſcalæ haberet. Mercerus: *Tot annos* [30] *volunt eum hucuſque ex quo à Patre diſceſſerat, inſumpſiſſe, quidam recentiorum, 20. apud Laban, octo in Sichem, & duos toco itinere, ut nunc centum ſex aut octo annorum fuerit. Vnde & Hebræi putant eum punitum fuiſſe hoc ſtupro Dinæ, quod ex quo in terram Canaan redierat tandiu differret votum ante multos annos ſuſceptum, quaſi ejus oblitus; ut neceſſe habuerit Deus illud ipſi in memoriam reducere. Oblitum quidem fuiſſe non puto: verum ob certas cauſas & fortaſſis dum nimium ſuis commodis ſervit ob commoditatem habitationis in Sichem diſtuliſſe.* Rivetus: *Sed ubi Scriptura ſanctorum facta non carpit, niſi facti qualitas ſit: ut de ea dubitari non poſſit, nollem durius in eos pronuntiare. Itaque non exiſtimarem Iacobum tandiu egiſſe in partibus Sichemitarum propria ſponte ſine divino nutu. Potuit ergò meminiſſe voti & in voluntate ſolvendi perſiſtere, exſpectata tamen temporis oportunitate & divino ſigno, quod hic ipſi datur à Deo &c.*

Surge & aſcende Bethel, facque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Eſau fratrem tuum: Sitne Deus ipſi propheticè locutus an vera & viſi-

bili

bili forma non exprimit Moſes, ideo malim cum interpretibus de ſomnio aut viſione prophetiæ accipere. Quod votum voverat, ejus damnaverat ipſum Deus, repetit ab eo, quia & ipſe omnia promiſſa ei dată efficere paratus erat. Ralbag, qui loca divinarum influentiarum vult eligi ad aram, exiſtimat Deum hoc apparitione promittere, כי שם תגיע לה הנבואה גם כן כמו שמגעת לה בזה המקום: Addit. *Et ecce præcepit illi, ut inde diſcedat* ולא יסמוך הנס *neque nitatur ſigno: quia fortaſſis damnum ipſi daturi eſſent incolæ regionis* וידרשו דמי אנשי שכם *& requiſituri cædem virorum Sichem è manu eorum. Ecce curam domus ſuæ ſuſcipit Iacob & conſiderat diſpoſitionem rerum domus ſuæ, eo modo, quo adhæreſceret ipſi providentia divina. Et videt, quod in domo ſua eſſent* מאלילי עיר שכם *ex idolis urbis Sichem: præcipitq; removeri Deos alienos, qui in medio ipſorum eſſent, ut purificarent ſe & mutarent veſtimenta, quia locus, quo irent, ſanctus eſſet. Ideò oportere ut puri eſſent ab omni pollutione.* Porro ſe ſtructurum eſſe aram Deo, qui ipſum ex omni anguſtia liberaſſet. Ideò conveniens eſſe ut ſe ſanctificarent, eo modo, quo adhæreſceret eis ipſius providentia. Ecce tradunt Jacobo omnes Deos alienos, qui in manu ipſorum erant & inaures, quæ in auribus eorum עד שהיו מוכנים לעשות מהם אלילים או אולי היו מתכשיטי. *Quæ erant deſtinatæ ut ex eis fierent idola; aut erant ex ornamentis idololatriæ.* Putat enim Ralbag ideo inaures eſſe remotas, ne ex illis conflari poſſent idola, ut vitulus Aaronis. Aut fuiſſe ornamenta idolis detracta. Exiſtimat enim mulieres Sichemitarum cum Jacob fuiſſe, quæ ad idololatriam pronæ erant & difficulter ab ea poterant abſtrahi. Mercerus: Inaures &c. *Sunt qui de diis intelligant, quod inaures pro ornamentis auriculis idolorum adhibuerunt, idololatrarum more, quod fieri potuit. Ego de ipſorum hominum aut certè mulierum ornamentis intelligo: quod geſtarent inaures in honorem idolorum illis conſecratas, vel quas ex ornatu idolorum ſibi confecerant. Non vult autem Iacob eos quoquam frui de rebus conſecratis idolis.* נזם *generale nomen monilis & naris & aurium; ut ſupra cap. 24. dictum eſt. Fuerunt lunulæ ſeu ſemicirculi ab aure ad aurem per frontem pervenientes, cujuſmodi & à noſtratibus puellis in Gallia Narbonenſi ornatui capitis adhibentur. Sub his omnia ornamenta idolis conſecrata intellige. Hoc ab idolis transferre in ſuos uſus potuerunt; omnia dant in manum Iacobo.* Intelliguntur idolis conſecratæ inaures, ſive iis detractæ fuerint ſive geſtatæ in honorem deorum. Poteſt fieri, quod inſculptas deorum imagines habuerint. Cum ipſis idolis hæ inaures impuræ habitæ fuerunt. *Poteſt fieri*, inquit, *Auguſtinus, quod phylacteria fuerint deorum alienorum. Nam Rebeccam à ſervo Abrahæ inaures accepiſſe ſcriptura teſtatur, quod non fieret, ſi eis inaures habere ornamenti gratia non liceret. Ergo illæ inaures, quæ cum idolis datæ ſunt, idolorum phylacteria fuerunt.* Explicat ſe Auguſtinus epiſt. 73. *Exſecranda autem ſuperſtitio ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum, in ſummis ex una parte auriculis ſuſpenſæ deputantur, non ad placendum hominibus ſed ad ſerviendum dæmonibus adhibetur. Quis autem poſſit ſpeciales nefariarum ſuperſtitionum prohibitiones in ſcripturis invenire, cum generaliter Apoſtolus dicat:* Nolo vos ſocios fieri dæmoniorum) *Et iterum:* Quæ enim conſonantia Chriſti ad Belial? *Niſi forte quia Belial nominavit & generalem ſocietatem dæmoniorum prohibuit, licet Chriſtianos ſacrificare Neptuno, quia nihil proprie de Neptuno vetitum legimus. Moneantur interim miſeri, ut ſi obtemperare nolint præceptis ſalubrioribus ſaltem ſacrilegia ſua non defendant. Quid autem cum eis agendum ſit ſi ſolvere inaures timent & corpus Chriſti cum ſigno diaboli ſolvere non timent?* Item de doctrina Chriſtiana lib. 2. *Superſtitioſum eſt, quicquid inſtitutum eſt ab hominibus ad facienda & colenda idola, pertinens vel ad colendam ſicut Deum creaturam partemve*

 ullam

ullam creaturæ; vel ad conſultationes & pacta quædam ſignificationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia ſunt molimina [al. volumina] *magicarum artium, quæ quidem commemorare potius quam docere ſolent poëtæ. Ex quo genere ſunt, ſed quaſi licentiore vanitate haruſpicum & augurum libri. Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ atque remedia, quæ medicorum quoque diſciplina condemnat: ſive in præcantationibus, ſive in quibuſdam notis, quas characteres vocant: ſive in quibuſdam rebus ſuſpendendis atque ligandis vel etiam alio quodam modo: non ad temperationem corporum ſed ad quaſdam ſignificationes aut occultas aut etiam manifeſtas: quæ mitiore nomine phyſicam vocant, ut non quaſi ſuperſtitioſe implicare ſed natura prodeſſe videantur: ſicut ſunt inaures in ſummo aurium ſingularum; aut de ſtruthionum oſſibus anſulæ in digitus; aut cum dicitur ſingultienti ut dextra manu ſiniſtrum pollicem teneat. His adjunguntur millia inaniſſimarum obſervationum, ſi membrum aliquod ſalierit; ſi junctim ambulantibus amicis &c.* Inaures igitur fuerunt adhibitæ in duplicem uſum, ut ſuperſtitioſa medicamenta & ut ſigna idolorum, Quæritur autem an monumenta idolorum habere non liceat hiſtoriæ cauſa, ut antiquarii ſolent, deinde ut convincantur errores quibus impliciti ſua ſæpe occultant & inficiantur? R. Ubi illa ſigna omnem opinionem ſignificationis & relationis ſuæ amiſerunt, materiali ſolo remanente, nihil habent fœditatis, quia natura Dei nuda ſupereſt. Hic igitur innoxia hiſtoria & innoxius erit uſus. At ubi in opinione tua (nam opinione & voluntate iſta conſtant) ad idola referuntur, communicatio eſt idololatriæ. Jacob ideò etiam illa ſepelit, ut pateret abjectam & ſepultam eſſe ſuperſtitionem. Sic igitur *ἥγνισε τὰς σκηνὰς*, ut loquitur Joſephus. Nam juſſus eſt divinitus *ἀποτελεῖν τὰς θυσίας*, quas voverat. Ita Joſephus ipſum incidiſſe dicit in Labani deos, quos neſciverat à Rachel ablatos eſſe. Ea omnia Jacob abdit ſub ilice apud Sichem. Non combuſſit ut Moſes vitulum conflatilem. Abdidit ne poſſent repeti. Efficax enim vox eſt abdendi. Noluit quenquam ſcire, ubi eſſent. Moſes combuſſit, quia infamiam publicam adjecit. תחת האלה Raſi מין אילן סרק / *ſpecies arboris infrugifera.* Mutationem veſtium exponit ſic: *Fortaſſis eſt in manibus veſtris indumentum idoli.* Abeneſdras autem de remotione alienorum: *Abſit, Abſit, ut cubuerit propheta cum cultricibus deorum alienorum, at expoſitionem invenies in Paraſa* וילך משה. Deinde ad והטהרו / *quod loturi eſſent corpus.* Mutarent veſtimenta ſua: *Ex hoc loco diſcimus, quod teneatur omnis Iſrael, quando vadit ad orandum in locum ordinarium, ut ſit corpus ejus purum & veſtimenta ejus pura.* Abdidit illam idolorum ſupellectilem, Ralbag: *Ecce ſepelivit illa ſub ilice apud Sichem* שלא יהנו מע'ז כלל / *Ne quicquam haberent de idololatria rebus.*

Deus autem immiſſo Panico terrore continuit incolas Cananææ, è circumjacentibus populis, ne Jacobum perſequerentur. Calvinus; *Excidio Sichemitarum omnes vicini populi in odium familiæ unius exarſerant: nullus tamen ſe ad vindictam commovet. Ratio exponitur à Moſe, quod terror Dei acciderit, ſuper eos, qui comprimeret violentos eorum impetus &c. Patitur quidem interdum multos evomere ſuperbiæ ſuæ ſpumas, quibus deinde ſuum præſidium opponit: ſed metu ſæpe effœminat, qui inſtar leonum animoſi erant. Sic videmus gigantes iſtos, qui centies vorare poterant ſanctum Iacob, ſubita formidine percelli ut liqueſcant.* Terram Sichem cultoribus vacuam à Jacobo deinceps poſſeſſam eſſe quidam putant: omnemque retentam prædam, in ultionem violationis Dinæ. Cum igitur Jacob Luzam perveniſſet, aram conſtituit: quam appellavit אל ביתאל *Deus Bethel.* In memoriam Dei, qui fugienti in Meſopotamiam viſus erat. Quia in Hebræo habetur אלהים נגלו ideo de angelis Judæi men-

tionem

tionem hic injectam accipiunt. Hic defuncta eſt Debora nutrix Rebeccæ. Sepulta autem מתחת לבית אל ſub quercu, quam appellavit Jacob in memoriam hujus ſepulchri אלן בכות *Allon bachuth.* Bethel (ut notat Raſi) in monte poſita fuit, ſepulta eſt ad pedem montis. תחת אלן Raſi interpretatur in declivitate humectationis: *quia fuit planities ſuperne in deſcenſu montis: ſepulchrum autem infernè. Planitiem autem Bethelis vocabant Allon. Et aggada* (inquit) *Nuntiatum eſt ipſi de luctu ſecundo: quia indicatum eſt ei, de matre ſua eam obiiſſe.* אלן [ἄλλον] *ſermone Græco ſignificat alium. Occuluerunt autem diem mortis ejus ne homines,* (הבריות) *maledicerent ventrem, è quo erat egreſſus Eſau. Etiam Scriptura non indicat.* Rebeccæ matris Eſau & Jacob mortem non commemorat ſcriptura. Cur non memoret, quis cauſam enuntiare aut invenire poteſt? Judæi nihil neſciunt, omnia arcana penetrant, ideò dicunt id factum ne ob Eſavi partum malediceretur. מה ענך דבורה בבית יעקב אלא לפי שאמרה רבקה ליעקב ושלחתי ולקחתיך משם שלחה דבורה אצלו לפדן ארם לצאת משם ומתה מדברי רבי משה הדרשן למדתיה: *Quid facit Debora in domo Iacobi, niſi ſecundum quod dixerat Rebecca Iacobo* [cap. XXVII. 45.] Mittam & accerſam te inde? *Miſſa eſt Debora ad eum in Paddan Aram, ut egrederetur inde & mortua eſt. E verbis R. Moſe Haddarſan illud didici.* Putant igitur Hebræi ideò mentionem fieri in hoc loco tam honorificæ ſepulturæ Deboræ, quia tacite includitur mors Rebeccæ. Et ideo fuiſſe inventam nutricem in comitatu Jacobi, quia à matre ad eum vocandum miſſa fuerat. Rebeccam non ſatis honorificè ſepultàm eſſe & ideo taceri de ſepultura ejus. Nam Jacob aberat, Eſau eam oderat, Iſaac caligabat oculis. Quin & noctu ſepultam volunt ne homines (quod ſupra diximus) male de ea loquerentur ob editum Eſavum. Hæ ſunt Judæorum argutiæ, quas comminiſcuntur ut dubia ſcilicet (quæ inveniunt) exponant. Burgenſis latè hanc Judæorum ϖεϱγίαν explicat & illi favet: *Hic quærunt Hebræi & ut videtur rationabiliter, cur tanta hic ſit mentio de morte Delboræ nutricis Rebeccæ & de modo ſepulturæ ejus. Interim quod vocatum eſt nomen loci ſepulturæ illius quercus fletus. Ex quo patet quod factus fuit fletus magnus & nobilis pro ea. Cum tamen jam eſſet valde ſenex & antiquior Rebecca & tamen de morte Rebeccæ, quæ valde dignior erat nutrice ſua, nulla fit mentio hic nec alibi. Ad quod dicunt, quod Rebecca mortua fuit, antequam veniret Iacob de Meſopotamia, quod patet ex hoc quod dicitur infra eod. cap.* Venit Jacob ad Iſaac patrem ſuum in Mambre &c. *non faciens mentionem de matre: quod abſque dubio feciſſet, ſi pro tunc vixiſſet: præſertim cum Rebecca multum diligebat Iacob & ipſa procuraverat ſibi benedictionem: & etiam hæc principalis fuit in miſſione ipſius in Meſopotamiam & in contrahendo matrimonium cum filiabus Laban ut patet ſupra cap. 27. Non ergò veriſimile eſt, quod non fieret mentio de acceſſu Iacob ad tantam & talem matrem: ſed quia ipſa non vivebat ideò non fit de hac mentio. Conſequenter etiam dicunt, quod ſepultura Rebeccæ fuit facta latenter de nocte. Eo quod Iſaac non poterat ire ad ſepulturam ſuam, cum jam ante diu ſenuerat & caligaverant oculi ejus ut ſupra cap. 27. Nec etiam Iacob poterat intereſſe ſepulturæ, quia adhuc erat in Meſopotamia. Eſau autem non honoraſſet eam debito modo, propter benedictionem, quam perdiderat ipſius cauſa. Unde ex hoc dicunt, quod Iſaac ſenex ordinavit, ut ſepeliretur de nocte latenter, ne palam deficeret ſibi honor debitus. Et eadem ratione ſcriptura non facit mentionem explicitam de ſepultura Rebeccæ, eo quod fuerat ſic latenter facta ſed adhuc implicitè ſacra ſcriptura facit mentionem, cum de ſepultura Delboræ nutricis ejus tantam fecit mentionem, ut dictum eſt. Unde vocatum eſt nomen loci illius,* Quercus fletus: *quia ibidem Iacob principaliter flevit matrem ſuam: pro cujus honore nutricem ejus honorificè ſepelivit. In quo ſatis oſtendebat, quod cum*

valde

valde majori honore ſepeliviſſet matrem, ſi in ejus morte interfuiſſet. Eadem ratione dicunt, quod non ſit mentio de morte Leæ; nec quando nec quomodo fuiſſet ſepulta ſcilicet propter honorem Rebeccæ Iacob: ne videretur, quod major honor impendebatur Liæ uxori Iacobi, quam Rebeccæ matri ejus. Hactenus ille. Debora nutrix Rebeccæ ob grandem ætatem iſto ſepulturæ honore affecta eſſe poteſt. Conſtat enim ultra 153. annos vixiſſe. Nam Jacob erat 77. annorum, cum in Meſopotamiam proficiſceretur: Jam 23. anni erant ab illa profectione. Hi anni ſunt 100. Hæc ætas Jacobi erat. Rebecca cum ederet Jacobum ad minimum fuit triginta trium annorum, ut ſupra diſputavimus. His adde ætatem nutricis, quam habebat cum Rebecca naſceretur, & illi educandæ præficeretur. Ad minimum viginti annos habuerit. Ita habentur anni 153. At nutrices ut ſolebant in familia alumnorum eſſe ita & in magno haberi honore & honorifice ſepeliri. Hæc nutrix Rebeccam comitata erat è paterna domo in Cananæam, uti commemoratur Gen. 24. 59. Ibi non exprimitur nomen, niſi in quibuſdam Latinis exemplaribus. Nutrices alumnos alumnaſque ſalubribus monitis inſtruebant, animoſque afflictos ſolaminibus erigere doctæ erant: eos enim inſtar matrum adamabant. Apud Homerum & Virgilium alioſque poëtas nutricum creberrima mentio occurrit. Cajeta Aeneæ nutrix eundem honorem ab Ænea habuit, quem hic à Jacobo Rebeccæ nutrix obtinuit. Æneid. 7.

Tu quoque littoribus noſtris Æneia nutrix
Æternam moriens famam Cajeta dediſti:
Et nunc ſervat honos ſedem tuus, oſſaque nomen
Heſperia in magna (ſi qua eſt ea gloria) ſignat.
At pius exſequiis Æneas ritè ſolutis,
Aggere compoſito tumuli ——

In illo loco Deus viſus eſt Jacobo, eique benedixit. Raſi ברכת אבלים. Quaſi Deus eum ſolari voluerit ob matris mortem. Conſtat eam obiiſſe ante Iſacum, quando autem mortua ſit, ignoratur. Sanctarum & nobilium matronarum dies natales & emortuales itemque ætates & ſepulturæ rarò annotantur. Quis rationem reddere poteſt, cur quædam notentur, pleræque ſileantur?

Deus autem adjectionem novi nominus ipſi confirmavit. Sub nomine שדי ad multiplicationem ipſi benedixit. Populum, multitudinem populorum & reges ex ipſo orituros. Item iteravit promiſſionem de hæreditate Cananææ in poſteros & ſemen illius. Frivolnm eſt, quod Raſi benedictionem de multiplicatione referat ad Benjamin, nondum natum, quamvis in utero eſſet. Quod dicit גוי, ad Benjamin, גוים ad Manaſſe & Ephraim reſtringit. Scilicet hi nondum nati erant & verba ſonant de futuro. At dici poteſt cæterorum filiorum poſteros è Jacob natos eſſe, ut omninò univerſa illius deſignetur poſteritas. Filii cæteri & nepotes, qui jam nati erant, ediderunt per ordinem ſucceſſionis numeroſam poſteritatem. Ita ineptum quod de regibus dicitur, ad Saul & Isboſeth è Benjamin orituros limitare. Benedictione finita dicitur Deus ab eo receſſiſſe v. 13. *Et aſcendit Deus ab ipſo, in loco, quo cum ipſo locutus erat.* Hic Raſi ingenue ſuam ignorantiam fatetur: איני יודע מה מלמדנו / *Neſcio quid nos doceat.* Sudant interpretes in re facili & aperta. Deus enim viſibili figura apparuit, extra rationem prophetiæ: cum ipſo igitur locutus eſt vigilante, non per imaginationem, ſed audibili ſono, figura viſibili. Alloquio

quio igitur finito aſcendit cælum verſus. Hic fuit filius Dei aſcenſionis ſuæ exhibens figuram. Hoc enim non animadvertunt interpretes, figuratè accipi putant, ut de Deo *ἀσωμάτῳ* vocem aſcenſionis; quaſi ſigno diſcedente, ipſe dicatur diſcedere vel aſcendere. Si ſimpliciter dictum eſſet *diſceſſit ab eo*, haberet expoſitio ſpeciem, dicitur autem *aſcendit ab eo*, modo diſceſſus notato, ut proprie dictum diſceſſum eſſe intelligeremus. Hiſtoriæ ſcriptores in *ἐξηγήσει* non loquuntur figurate.

In memoriam tam nobilis apparitionis iterum erexit titulum è lapidibus: in quem infudit libamina & oleum. Quidam hæc dicta volunt de ſuperiori affuſione & erectione tituli, & per præteritum pluſquam perfectum (ut loquuntur) interpretantur voces Hebræas. Accipiendum puto de alia erectione tituli & affuſione: quia illic libaminis nulla mentio & in loco ſuperioris tituli aram ſtruxit, dictum El Bethel. Hic etiam memoriam voluit eſſe novæ apparitionis ſeparatam. Oportet igitur novum & alium titulum fuiſſe. Eum locum etiam iterato appellavit Bethel. Aben-eſdras libationem putat fuiſſe lotionem aqua vel vino factam, poſtquam affuſum eſſet oleum. In Bethel ſolviſſe votum & dediſſe decimas facultatum ſuarum, juxta votum datum (cap. 28. 22.) illi, qui videbatur dignus ut eas acciperet. Cum è Bethel Ephratam (hæc Bethleem eſt) tenderet, in itinere Rachelem partitudo oppreſſit. E difficultate partus obiit poſtquam puerum edidiſſet: cui ipſa ex ærumnoſo partu nomen poſuit בן־אוני / pater autem immutavit, ut בנימין appellaretur. Spiritus S. ſignat definitè locum כברת ארץ. De hoc Raſi: מנחם פירש לשון כביר רבוי מהלך רב ואגדה בזמן שהארץ חלולה ככברה שהניר מצוי הסתיו עבר והשרב לא בא ואין זה פשוטו של מקרא שהרי בנעמן וילך מאתו כברת ארץ ואומר אני שהוא שם מדת קרקע כמו מהלך פרסה או יותר כמו שאתה אומר צמד כרם חלק השדה כך כביר במהלך ארם נתן שם מדה כברת ארץ: *Manahem exponit* ſignificatione [Arabicè كبير *magnus*] multitudinem vel magnitudinem ut notet, id eſt iter magnum. At Aggada de tempore, quo terra eſt perforata inſtar cribri, quæ jugum facit areſcere: hyems præteriit & æſtus nondum venit. Hic non eſt ſenſus ſimplex ſcripturæ, quoniam de Naaman invenimus [2. Reg. 5. 19.] Et ivit cum eo כברת ארץ. Dico ego, quod ſit menſura ſoli velut iter milliaris aut ultra: quemadmodum צמד & כרם dicimus eſſe partem agri, ita de *itinere homo ponit* כברת ארץ. In Gen. 48. 7. ubi Jacob narrat hanc ipſam Hiſtoriam, ita: *Menſura terræ & ſunt duo millia cubitorum ſecundum menſuram itineris Sabbathi* [תחום שבת] *juxta verba R. Moſis Haddarſan: Et non dices quod morati ſunt propter pluvias* [hyemem], *quo minus eam deduxerint & ſepeliverint in Hebron; quia tempus ſiccitatis* (עת הגריד) *erat, quando terra hiulca eſt & perforata inſtar cribri.* Aben-eſdras: Oportet ut Caf ſit ſimilitudinis, & ברת erit menſura itineris ואין ריע לו במקרא *ἅπαξ λεγόμενον*. Kimchi in 2. Reg. 5. 18. הוא שיעור מיל. Interpretatur כברת ארץ / quod ſit æſtimatio milliaris. Ralbag ibidem: *Eſt terra culta, quæ in circuitu urbis: ſignificatur quod non procul fuerit, quia inter ipſum & urbem tantum erant agri urbis, vineæ & horti.* Eodem modo exponit & hic: *Exiſtimo, quod ſenſus ſit de parte terræ, quæ eſt inſtar cribri ſua ſpongioſitate. Et eſt pars culta. Ecce erat prope Ephratam: quia inter eum & Ephratham nihil niſi agri urbis, horti & vineæ. Eodem modo* (בענין נעמן) *de Naaman: Et ivit cum eo* כברת ארץ. *ſignificat quod non procul fuerit Naaman, ſed egreſſus ex agris urbis, hortis & vineis. Ideò aſſecutus eſt eum Gehazi prope urbem.* Locus hic ſepulchri Rachel, qui ab ejus nomine appellatus, eſt teſte Ramban apud Mercerum non diſtat ſpatio milliaris ab oppidi Bethleem ruinis. Onkelos in hoc loco & Jonathan in Regum exponunt כרוב. quod alii jugerum, alii ſtadium (ut Mun-

 ſterus)

ſterus) interpretantur. Atabs Anglicanus habet ميل: Syrus ܦܪܣܚܐ פרסחא. Menſuram eſſe ipſa ratio textus docet & quidem brevem, ſed quanta ſit & quod nomen in noſtris menſuris ferre aut implere poſſit ignoramus. Vide Nic. Fullerum Miſcell. ſacr. libr. 2. cap. 15. Sixtinum Amama in cenſura vulgatæ verſionis.

Filius hic ultimus Jacobi fuit, cui nomen ab uxore datum immutavit. Uxori in agone laboranti non exiſtimo (inquit Rivetus) eum contradixiſſe, ſed poſt ejus obitum in circumciſione nomen mutaſſe. Hic nomen prius tollitur ut ſecundum ſit & valeat deinceps, alias aliud nomen ſuperadditur, ut Iſrael Jacobo. ימין volunt Judæi in compoſito hoc vocabulo notare דרום auſtrum; quia ſolus Benjamin natus eſt in Cananæa & quidem ejus parte & tractu auſtrali. Cur non ſepelivit uxorem in Hebrone? R. I. Ob amplam familiam & itineris longitudinem non potuit commode ſervare & vehere cadaver. At cur non condiit aromatibus? Non videtur id in more fuiſſe patribus ante ingreſſum in Ægyptum. 2. Noluit id oculis Iſaaci objicere eumque inquietare. 3. Ob luctus magnitudinem etiam ex ſuis oculis voluit removere. Monumentum erexit, omni ære perennius, quod ut ſumptuoſum non fuit, tamen honeſtum fuit. Joſephus dicit Rachel hic ſepultam, *μόνην τῶν συγγενῶν τῆς ἐν χεβρῶν τιμῆς οὐ τυχοῦσαν*. Erexit ei monumentum מצבה. Non (inquit Ralbag) בפועל הקבור / ſed in loco ubi erat ſepultura. In ipſo opere ſepulchri, quo conditum corpus erat, non conveniebat poni cippum, ſecundum Judæos. Quod in textu eſt קבורה idem eſſe quod קבר; utroque notari locum ſepulturæ, non ipſum opus ſepulchri.

IN PARTE TURRIS GADER] Quarta iſta ſtatio Jacobi in Cananæa. Hieronymus quæſt. Heb. in Geneſin: *Hunc locum Hebræi eſſe volunt, ubi poſteà templum ædificatum eſt: & turrim Ader, turrim gregis ſignificare hoc eſt congregationis & cætus: quod & Michæas propheta teſtatur, dicens*: Et tu turris gregis nebuloſa, Filia Sion &c. *Illoque tempore Iacob trans locum ubi poſteà templum ædificatum eſt, habuiſſe tentoria. Sed ſi ſequamur ordinem viæ, paſtorum juxta Bethlehem locus eſt ubi vel angelorum grex in ortu Domini cecinit, vel Iacob pecora ſua pavit, loco nomen imponens: vel quod verius eſt, quodam vaticinio futurum jam tunc myſterium ſignificabatur.* Locus è Michæa productus extat cap. 4. v. 8. An in hoc ipſo loco angeli paſtoribus annuntiaverint natum eſſe Dominum, quis affirmet? Argumenta aliud ſuadentia inquirenti occurrent. Locus memorabilis eſt fœdo inceſtu, quo Ruben Balham, patris concubinam, polluit. Id ea de cauſa memoratur, ut crimina patrum obſervantes in timore & tremore ſalutem operemur & veneremur Dei miſericordiam in Ruben. Hebræi etiam defendere hunc patriarcham & à crimine purgare ſtudent. Joſephus non meminit. Lyranus: *Doctores autem Hebræi dicunt, quod Ruben non cognovit Balam carnaliter ſed dicunt, quod mortua Rachele Iacob tranſtulit lectum Balæ de tabernaculo Rachelis, in quo jacebat, ſicut ejus ancilla, in tabernaculum Liæ, matris Ruben: Et ſibi diſplicuit, quod jaceret in eadem camera cum matre ſua & abſtulit inde lectum ejus. Et quia illud redundabat in contemptum patris, ideò Moſes ita ſcripſit ac ſi feciſſet ei contemptum de concubitu.* Raſi ad verbum in textu, וישכב ita ſcribit, מתוך שבלבל משכבו מעלה עליו הכתוב כאילו שכבה ולמה
בלבל וחלל יצועו שכשמתה רחל נטל יעקב מטתו שהיתה נתונה תדיר באהל רחל
ולא בשאר אהלים ונתנה באהל בלהה בא ראובן ותבע עלבון אמו אמר אם אחו'
אמי היתה צרה לאמ' שפחת אחות אמי תהא צרה לאמי לכך בלבל:

Quia confudit ejus lectum, æſtimat id ex æquo ſcriptura, quaſi cum ea concubuiſſet. At cur confudit & profanavit ſtrata ejus? Quia poſtquam mortua erat Rachel,

porta-

portaverat Iacob lectum ſuum (qui fuerat aſſiduè conſtitutus in tabernaculo Rachel & non in reliquis tabernaculis) eumque poſuerat in tabernaculo Bala. Venit Ruben & requiſivit injuriam matris ſua. Cogitabat enim ſic, Si ſoror matris mea fuit ipſi æmula, ancilla ſororis matris mea æmula ipſi erit. Ideo confudit. Jonathan Chaldæus ita etiam accepit, hunc locum interpretatus: בלבל ית מצעא דבלהה *confudit* [conturbavit] *ſtratum Balha.* Fateri Judæos oportet non eſſe פשוט ſed דרש. Ideò etiam Ralbag de inceſtu commiſſo accipit; ob quem primogenituræ jure privatus eſt Ruben. In his ſtationibus nullum oppidum Cananæorum intraviſſe Jacobum notant interpretes: cauſam autem ponunt, quia ſibi ab incolis ob Sichemienſe facinus metueret: aut patriarchæ nunquam ſoliti ingredi in oppida quia pollui nolebant familiari commercio Idololatrarum, quos Deus devoverat exitio.

Poſtquam Moſes narraſſet grave illud delictum Ruben, recenſet filios Jacob eorumque catalogum ponit. Rationem hujus recenſionis in hoc loco reddunt Hebræi, quia jam Benjamin natus erat & ita duodenarius tribuum numerus conſummatus. Item quod indicetur omnes tribus eſſe æquales nec peccaſſe Rubenem. Volunt quidam (teſte Burgenſi) Jacobum de cætero abſtinuiſſe ab actu generationis, quia videret primogenitum ſuum ita impegiſſe. Vero conſonum eſt à Balæ concubitu deinceps abſtinuiſſe Jacobum, ut David ſeclufit eas, cum quibus Abſalom ſe miſcuerat. Si tamen cognoverit unquam concubinas citra voluntatem & petitionem uxorum. Ruben in catalogo recenſetur cum vocabulo primogeniti. Ubi Raſi: Etiam in tempore maledicti vocat eum primogenitum: בכור לנחלה בכור לעבודה בכור למנין ולא נתנה בכורה ליוסף אלא לענין השבטים שנעשה לשני שבטים:

Primogenitus ad hæreditatem ad cultum, ad recenſionis ordinem. Nec data eſt Ioſepho primogenitura niſi ad tribus, quia factus eſt in duas tribus. De hac re alibi. Tandem devenit in Mamre, campum ſeu vallem, in qua Hebron condita fuit. ממרא קרית־הארבע. Id ſignficat, teſte Raſi, In planitiem urbis Arbe. Cur non ſcribitur? ממרא הקרית־ארבע Reſpondet Raſi: כן דרך המקרא בכל ששמו כפול: *Ita mos eſt ſcriptura in omni re, cujus nomen è duabus vocibus eſt compoſitum:* ut in vocibus בית־לחם בית־אל אביעזר & hac ipſa קרית ארבע. *Si ſit neceſſe* להטיל בו הא׳ נתנה בראש תיבה השנייה: *ponere in eo He, ponit eam in principio dictionis ſecunda.* Ita בית־הלחמי item בעפרת אביהעזרי Judic. 6. 24. & בית־האלי.

Isaac Decessit] Iſaac ævum ſuum complevit annis 180. Eum ſepelierunt ambo filii. Obitus Iſaaci poſt venditionem Ioſephi contingit. Raſi: אין מוקדם ומאוחר בתורה מכירתו של יוסף קדמה למיתתו של יצחק י״ב שנה: *Non eſt in lege prius & poſterius. Venditio Ioſephi anteceſſit mortem Iſaaci duodecim annis.* Id ita Demonſtrat: *Cum naſceretur* Iacob, Iſaac habuit annos ſexaginta: Iſaac mortuus eſt anno centeſimo viceſimo Iacobi. Q. D. *Et Iſaac ſexagenarius* &c. Si abſtraxeris ſexaginta de centum octoginta, remanent centum & viginti. At Ioſeph venditus eſt puer ſeptendecim annorum: quo eodem anno Jacob agebat annum centeſimum & octavum. Nam anno ſexageſimo tertio benedictus eſt, quatuordecim annis latuit in domo Eber. Hi ſunt anni ſeptuaginta ſeptem. Quatuordecim annis ſerviit pro uxoribus. In quorum ultimo natus eſt Joſeph, Q. D. *Factum eſt* cum Rachel Joſephum pepeiſſet &c. Hic anni nonaginta unus: tum ſeptendecim ad venditionem. Ita habentur anni centum & octo.

Ambo filii pacificè ſepelierunt patrem nec in rebus, quas reliquerat, dividendis, ullum diſſidum interveniſſe indicat Scriptura. Nulla eſt mentio

Rebeccæ, unde conjicitur, obiiſſe antequam Joſeph in illam vallem Hebronis ad Iſacum perveniret. Hic Joſephus: τὴν γὰρ ῥεβέκκαν Ἰάκωβος οὐ κατέλαβε ζῶσαν. Quæ autem ratio, quod Iſaco annos attribunt 185. niſi librariorum peccatum ſit.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBER PRIMUS.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

AT Eſau potens divitiis erat, uxoribus ſibi etiam è Chananæorum gente aſſumtis: cujus progeniem in hoc tam præciſo opere inſerendam non putavi. Siquis ſtudioſor erit, ad origines revertatur. Poſt exceſſum *patris, Iacob in ſolo eo, in quo Iſaac vixerat, commorabatur. Filii ejus aliquantum ab eo, paſcui gratia, cum gregibus ſeceſſerant. Ioſeph tamen ac Benjamin parvus domi reſederant. Carus admodum Ioſeph patri, obque id inviſus fratribus: ſimul, quià frequentibus ejus ſomniis majorem eum omnibus futurum portendi videbatur. Igitur ad inſpiciendos greges, reviſendoſque fratres à patre miſſus, oportunus injuriæ fuit. Namque viſo fratre, conſilium necis ejus cæperunt. Sed obſiſtente Ruben, cui à tanto facinore abhorrebat animus, in lacum demiſſus, mox ſuadente Iuda deducti ad mitius conſilium, negotiatoribus eum, quitum Æygptum petebant, vendiderunt, atque ab his Potifari præpoſito Pharaonis traditus eſt.*

DRUSIUS.

VXORIBUS] *Ada & Oholibama.*

E CHANANÆORUM GENTE] *Hetthæorum & Hevæorum.*

IN HOC TAM PRÆCISO OPERE] *In hâc epitoma, ſive in hoc breviario. Vocat hiſtoriam ſuam præciſum opus, ut cap. 29.* Quæ ego, quià prolixa admodum videbantur, inſerenda huic tam præciſo operi non putavi.

AD ORIGINES REVERTATUR] *Supra fontes dixit in eodem ſenſu, videlicet in præfat. Sed potius ut per Origines ipſam Geneſin innui dicamus.*

POST EXCESSUM PATRIS] *Exceſſum pro morte poſuit, ut Cicero,* Poſt exceſſum ſuum Romulus Julio Proculo dixit ſe Deum eſſe. *Idem alibi,* & exceſſum è vita, & in vita manſionem.

IN SOLO EO, IN QUO PATER VIXERAT] In terra Chanaan, Gen. 37. 1.

ALI-

ALIQUANTUM AB EO] *In Sichem, & inde in Dothan, ubi Ioſeph eos invenit.*

PARVUS] *Minimus filiorum.*

CARUS ADMODUM JOSEPH PATRI] *cum quià è Rachele natus erat, quem tenerrimè amabat: tum etiam quià ſenex eum genuerat.*

FREQUENTIBUS EJUS SOMNIIS] *Duo tantum commemorantur apud Moſen.*

A PATRE MISSUS] *è valle Hebron Gen. 37. 4. Hinc poteſt colligi Patrem habitaſſe tum in ea valle.*

IN LACUM DEMISSUS] *Lacum vocat, quem Græci λάκκον, & Ebrai* בור*, id eſt, ciſternam aut puteum, ſive is aquam contineat ſive non. Sic ſæpè interpres vetus, quem vulgatum nuncupamus. Fuit aliquando tempus cum putarem ſcribendum, in laccum demiſſus, cum duplici C, quomodo ſcriptum hoc nomen in Lexico veteri. Nunc dubito. Dubitandi cauſſa ex Hieronymo, in quo etiam lacus unico C. Videtur ea ætas aliter non ſcripſiſſe hoc vocabulum. Quanquam lacus in Latio aliud eſt. Vſurpatur in ſacris & pro ſepulchro.*

NEGOTIATORIBUS] *Mercatoribus Iſmaëlitis è Galaad venientibus. Hi à Ionatha interprete Chaldæo vocantur* Arabes, *& à Ieroſolymitano* Saraceni, *& infra in textu Moſis* Madianitæ. *Fortè inter eos Madianitæ: aut Madianitæ generali vocabulo ita nominantur. Quorundam opinio eſt Ioſephum ab Iſmaëlitis, qui eum emerant à fratribus, venditum poſtea fuiſſe Madianitis, à quibus deinde eunucho Pharaonis traditus fuerit. Nihil temere ſtatuendum.*

VENDIDERUNT] *Viginti argenteis. Tradunt autem Ebrai, quotieſcunque mentio fit argenteorum in lege, ſiclos intelligi debere: quibus ego aſſentior potius quam Ionathæ vertenti hoc loco,* viginti obolis argenteis. *Nam pretium hoc nimis vile fuiſſet. Siquidem viginti oboli efficiunt tantum unum ſiclum, ut habetur, Levit. 27. 25.*

AB HIS] *Negotiatoribus Madanæis. Gen. 37. 36. quos ſupra Madianitas dixi, haud ignorans eſſe qui Madanæos inter & Madianitas diſtinguant. Mihi religio hic diſcedere à veteribus, præſertim cum appellative dicamus* מדנים *&* מדינים *eodem ſignificatu. Si aliam ſententiam ſequi mavelis, non repugno, cum fieri poſſit, ut in communem ſocietatem coiverint hi tres populi Madianitæ, Iſmaelitæ & Madanæi, ſimulque Ioſephum & emerint & vendiderint.*

POTIFARI] *Eſt cur malim Phutiphari. Nam P. Latino carebant olim Ebrai. In Aquila & Symmacho Φουτιφὰρ & in Hieronymo Phutiphari. Prius LXX habebant πετεφρῆ vel πεντεφρῆ variantibus libris. Sic etiam Demetrius apud Euſebium πετεφρῆς. lib. 9. In libro nominum Phetefre vel Fetefre. Reperio & πετεφρῆς. Hieron. Quæſt in Gen.* Venditus eſt igitur Ioſeph principi exercitus & bellatorum non Petephre, ut in Latino ſcriptum eſt: ſed Phutiphar eunucho. *Hinc forte quod in editione Pariſienſi,* Phutiphari præpoſito Pharaonis.

PRÆPOSITO] *LXX σπάδοντι, id eſt, ſpadoni vel eunucho: ſic etiam Ebrai. E Chaldæorum paraphraſtis duo reddunt, principi: unus, videlicet autor Ieroſolymitanus,* dominatori, *vel,* dynaſtæ: *quod in idem fermè recidit. Hic Photifar princeps erat ſatellitum, vel magis carnificum ſive ſpiculatorum Pharaonis, quos Hieronymus in milites transfert, dum ab eo magiſter militum vocatur. Quanquam in LXX. ἀρχιμαγείρῳ: quod Auguſtinus, quæſt. 127. & Ambroſius in libro de Ioſeph, cap. 4. reddunt,* præpoſito coquorum.

PHARAONIS] *Amoſin vocat Oroſius lib. 1. cap. 8. Scilicet Pharao commune nomen eſſe Regum Ægypti, aut potius apud eos Regem ſignificare. In qua opinione videtur fuiſſe Ioſephus, Ant. hiſto. lib. 8. cap. 2. cum ita ſcriberet,* Pharao no-

men ſecundum Ægyptios ſignificat Regem. *Vocatos autem eo nomine ait à Minoe, qui Abrahamum præceſſit, uſque ad tempora Salomonis, per annos mille trecentos & amplius. Teſtimonium perhibet hujus rei & Manetho, quem Euſebius in Chronico laudat, inquiens:* Ægyptiorum Reges omnes tunc Pharaones dicebantur, non hoc proprium habentes nomen, ſed pro dignitate reges tunc utebantur hoc nomine, ſicut & apud nos Imperatores Auguſti appellantur. Hoc nos ex libris Manethonis Ægyptii lectum poſuimus. *Ab eo ſumpſit Ambroſius in epiſt. ad Romanos, cap. ix.* Pharao nomen regum erat apud Ægyptios, ſicut & apud Romanos Reges Auguſti appellantur: *& Hieron. Ieſa. 30.* Pharao apud Ægyptios nomen eſt Regiæ poteſtatis, & unuſquiſque ſpeciali appellatur vocabulo, ut Pharao Nechao, Pharao Vafre, &c.

SCHOTANUS.

HOc caput habetur Gen. 36. & 37. Apud Joſephum lib. 2. cap. 1. & 2. itemque parte cap. 3. Quæ de Eſau dicuntur in cap. 36. nos alii loco reſervamus, hic venditionem Joſephi conſideraturi è cap. 37. Tria hic diſtinctim notanda veniunt. I. Odium fratrum, ejuſque cauſa 1—11. II. Male tractatur Joſeph 12—28. III. Facinus habetur clam fratre Ruben & patre Jacob, qui ſophiſmate decipiuntur. Odii tam triſtis & invidiæ in fratrem tres cauſæ erant: Deferebat eorum delicta; ſomnia de ſua futura magnitudine ingeminabat; patri ſupra cæteros charus erat.

POST EXCESSUM] Jam in ſuperiori capite ex Rabbi Salomone docuimus duodecim annis ante obitum Iſaac venditum eſſe Ioſephum. Errat igitur Sulpicius, qui putat poſt obitum ejus id eveniſſe.

PASCUI GRATIA) Apud Sichem paſcebant greges patris ſui, in textu v. 12. [את־צאן] Illud את punctum gerit ſuperne, quo Raſi deſignari putat, ipſos ſui paſcendi gratia abiiſſe. נקוד על את כי לא הלכו אלא לרעות עצמם

JOSEPH TAMEN AC BENIAMIN PARVUS DOMI] Joſeph ut annotat textus decimum ſeptimum annum agebat. Vulgata Latina editio habet decimum ſextum, quod in nulla alia editione invenitur. Benjanim parvulus & infans admodum, qui ad greges egredi nequibat. Cum fortaſſis ulnis nutricis adhuc geſtaretur. Vocat textus Joſephum נער puerum. Raſi: *Quod faceret opus adoleſcentularum diſponens capillos contrectans in oculis ſuis, ut videretur pulcher.* Nobis cum Mercero verba illa (והוא נער) inſerta videntur mediæ orationi. *Ioſeph filius ſeptendecim annorum, erat paſcens cum fratribus ſuis gregem (erat puer) cum filiis Balhæ & filiis Zalphæ uxorum patris ſui.* Si cum illis paverit gregem quomodo domi reſederant? In v. hoc 2. cauſam odii concepti narrat. Nempe antehac fuiſſe apud gregem, cumque ibi cum fratribus paſceret quotidie, quæ videret inconvenientia, detuliſſe ad patrem. In comparatione ad filios ancillarum puer erat. In v. 12. aliud tempus, quo ſine Joſeph fratres paſtum ibant. De Benjamine in textu nulla mentio, quia non poterat adhiberi ulli miniſterio paſturæ ob tenellam ætatem. Cum autem adeò Joſeph & Benjamin annis & ætate differrent & Joſeph propior eſſet fratribus paſcentibus, cur filius ſenectæ dicitur? Jacob enim cœpit gignere anno ætatis 85. Joſephum genuit anno 91. Differentia ſeptennii inter Ruben maximum natu & Joſephum eſt: inter Joſeph autem & Benjamin multò major fuerit. Si (ut quidam volunt) octennio aut ultrà ad Sichem ſubſtitit Jacob, quadrimulo minor Benjamin fuerit. Omnes (ut Ralbag recte notat) fuerunt filii ſenectutis. Saltem minimus omnium in Meſopotamia natorum fuit Ioſeph & in-

& inclinare cœperit exinde vigor Iacobi. Sitque ipſi natus אחר היאש poſtquam de prole jam ulteriore deſperaret, ut loquitur Ralbag. Iudæi etiam accipiunt, quaſi ſenſus ſit: Sapiens inſtar ſenis erat. Raſi: *Quia natus erat ipſi tempore ſenectutis: Onkelos reddidis* בר חכים. *Quicquid didicerat à Sem & Eber tradiderat illi. A. S. Splendor effigiei illius ſimilis ipſi erat.*

Carus Admodum Ioseph Patri] Patri carus fuit ob varias cauſas I. Filius ſenectutis erat. Quam ſolam cauſam ponit Moſes. Benjamin magis filius ſenectutis erat. Sed in Benjamin nondum apparuit indicium indolis. 2. Eum ſuſceperat è Rachel uxore dilectiſſima. 3. In eo cernebat plura virtutum Heroicarum indicia & ſpecimina. Moſes notare voluit naturalem & ordinariam cauſam. Lyranus: *Virtus enim generativa in ſenectute debilior eſt. Et ideò tunc ſolent generari pueri magis defectuoſi & imperfecti. Et Ioſeph è contrario erat fratribus ſuis gratioſior moribus & corpore. Et ideò hoc videbatur ex ſpeciali dono Dei procedere: propter quod erat patri magis amabilis.* Rivetus: *Hoc impreſſum fere eſt omnium parentum cordibus, ut affectu majori ducantur in minimos liberorum, id etiam providente autore natura, quia defenſione & cura parentum magis opus habent. Tunc etiam recentior eſt memoria luſuum puerilium, quibus magis delectantur ſenes, quam ſeverior ætas, aliis intenta. Diſtinguendum eſt nihilominus inter externa affectus indicia & teneritudinem, ſi ita loqui fas ſit & amorem ſive propenſionem qua ferimur in noſtros ratione dignitatis & excellentiæ. Tunc enim* cæteris paribus, *qui prudenter amant, majores natu pluris faciunt & eorum jacturam graviorem ducunt. Dixi* cæteris paribus; *Nam ſi in minoribus multum ſuperet indoles, culpari non poteſt vir prudens, qui in donorum inæqualitate, non ſe præbet in omnes æqualem, imò præfert eum, cui naſcendi ordo primas non dedit. Quæ certe Iacobi Ioſephum plus diligentis affectum, non ſolum à natura fuiſſe ſed etiam ex judicio profectum oſtendunt. Moſes tamen naturalem ſolam rationem profert, quæ ſpectat teneram hanc curam parentum in minimos, fortaſſe quia vir ſapiens eam ſolam præ ſe tulit, ut aliorum declinaret invidiam. Non enim ſolent ætate provectiores, ſi prudentes ſint minimis fratribus invidère aliquos parentum poppyſmos, quibus ipſi per ætatem minus apti ſunt, & putarent ſibi injuriam fieri, ſi adhuc pueriliter cum ipſis ageretur. Sed cum ad adoleſcentiam tum perveniſſet Ioſephus, ipſius fratres intellexerunt, affectum illum etiam aliud ſpectare, iccircò cum exiſtimarent ſe præ illo contemni, ex invidia ſecutum eſt odium. Et certe difficile eſt in eo ita ſe prudenter gerere, præſertim in ampla familia, ut omnibus ſatisfiat. Itaque qui pacem in familia ſua inter liberos ſuos conciliare cupiunt, in hoc præſertim intendere debent, ut quantum fieri poteſt, filios æqualiter habeant, ratione educationis, veſtium, bonorum &c. ne alii ſupra alios ſuperbiant, alii, qui ſe contemptos vident, ultionem meditentur atque ita invidiis & contentionibus tota domus concutiatur. Solent enim inter fratres odia eſſe acerbiſſima, cujus rei rationem hanc affert in politicis philoſophus lib. 7. cap. 7. quod omnis mutatio fiat ex contrario in contrarium, ideoque ſummus amor in ſummum odium converti ſolet. Deinde quod videtur acerbior eſſe injuria à fratre vel ab amico illata. Acerbum enim ducunt homines, ſi malum accipiant ab iis, à quibus beneficium exſpectaverant.* Hactenus ille. Hoc in ſumma dicit: A natura eſſe ingenitam στοργὴν, qua parentes liberos complectuntur. Eam vehementiorem eſſe in paruulos quod oſtendit natura in belluis. Cæterum ab homine prudentia & judicio gubernari. Unde evenit, ut etiam affectu ferantur in adultos, quos belluarum ſtupor obliviſcitur, poſtquam parentes reliquerunt. Novit homo ſemper qui ex ſe nati ſunt. Partitur affectum moderamine rationis. Parvulos impenſius curat, ut qui potiſſimum egent. Adultorum morte gravius afficitur, in quos impenſæ majores

factæ

factæ ſunt & de quibus ſpem concepit jam videndi fructum ſolatii. Augetur in utroſque amor, ſpecimine bonæ indolis & morum. Sunt etiam aliæ cauſæ, quæ accendere poſſunt affectum. Eſt enim quibuſdam peculiaris gratia, quam largitur natura inimitabilem illis, quos hac dote non beavit. Et occulta hic etiam regnat aliquando *συμπάθεια*, ut etiam erga genere alienos quoſdam. Joſeph amabili morum gratia & indole patrem ſibi devinxerat. Accedebat etiam in parentem tenerrimus affectus, quem in luctu mortis ejus prodidit cap. 50.. Cum hunc poſſet oſtendere amorem patris excitavit.

Commemorat Moſes, patrem caro filiolo feciſſe כתנת פסים. LXX *χιτῶν ποικίλος*. Latinus: *Tunica polymita.* Lyranus: *In Hebræo habetur*, Tunicam ſericam. *Ille enim pannus ſericus de quo erat tunica, erat pluribus coloribus decoratus: & ideo dicitur illa tunica polymita: à polys quod eſt pluralitas & mitos, quod eſt gutta.* Vide barbariem ſeculi. Hebraice eruditus erat, Græcæ linguæ ignarus. Iſidorus lib. 19. cap. 22. *Polymita (veſtis) multi coloris. Polymitus enim textus multorum colorum eſt.* Thargum Hieroſolymitanum פרגוד מצויר / *Tunica figurata*. vel *paragauda variegata*. Hoc genere veſtis induta fuit Thamar filia Davidis. 2. Sam. 13. 18. quia ita regum filiæ virgines veſtiri ſolerent. Raſi: לשון כלי מלת כמו כרפס ותכלת וכמו כתנת הפסים דתמר ואמנן ומדרש אגדה על שם צרותיו שנמכר לפוטיפר ולסוחרים ולישמעאלים ולמדינים:

Significat inſtrumentum ſeu veſtem [nempe ſericam] ut Carbaſus & hyacinthus & ut tunica verſicolor Thamaris & Amnonis. Midras aggada ſuper afflictionibus ejus: Quia venditus eſt Potiphari & mercatoribus & Iſmaelitis & Madianitis. Nempe per ראשי תיבות / in voce פסים. Quater enim eum venditum fuiſſe putant. Hæc נוטריקון / eſt in Baal Turim. Mire enim in vocibus זקנים & פסים ſuo more ludunt Cabaliſtæ. Aben-eſdras: כתנת מרקמת פסים כמו פס ידא בלשון ארמית:, *Tunica acupicta:* פסים / ut פס particulam manus notat in lingua Syra. Hujus tunicæ ideò meminit Scriptura, ut notaret Jacobum habuiſſe hunc filiolum in delitiis: & quia eam ſanguine tinctam ad patrem miſere fratres, ut putaret à feris laniatum filium interiiſſe. Quidam dicunt ob crimen Rubenis à Jacobo deſtinatam fuiſſe Ioſepho primogenituram, & ideò veſte ſacerdotali ornatum. Non fuit hæc veſtis de filis variarum ſpecierum & ſi variorum colorum: ne in legem Moſis peccatum ſit. Nam poſt legem latam Thamar ejuſmodi veſtem geſtavit.

SIMUL QUIA FREQUENTIBUS EJUS SOMNIIS] Unam de tribus cauſis odii præterit Sulpicius, memoratam verſu 2. Nam placuit patri, ut puer Ioſeph filiis ancillarum ſe jungeret. Forte, quia nimis altos ſpiritus gerebant filii Leæ. Quia igitur ancillarum filii contemptui erant filiis Leæ, apud deſpectiores Ioſeph potuit in majori gratia eſſe præcipuè quum & ipſe ab illis ſperneretur, quod non eſſet uterinus. Balha loco matris fuit heræ ſuæ filio. Sed apud hos diuturna gratia non erat: quia Ioſeph nequam eorum facta ad parentem deferebat. את דבתם רעה Raſi: *Omne malum, quod videbat de fratribus ſuis, filiis Lea, annuntiabat patri. Quod ederent membrum de vivo animali: quod vilipenderent filios ancillarum, appellando eos ſervos: & quod eſſent ſuſpecti de ſcrotatione. Secundum tria illa vapulavit. Mactaverunt hircum caprarum & non ederunt vivum. Et juxta rumorem, quem de ipſis narraverat quod fratres ſuos appellaſſent ſervos, in ſervum venditus eſt Ioſeph, & ob ſcortationem, quam illis impegerat, dicitur [Gen. 39. 7.] Et elevavit uxor Domini ſui &c.* Ita Judæi patriarchas ſuos rurſum defendunt, ut Ioſephum eos mendaci-

ter

ter detuliſſe dicant & ideo pœnas luiſſe. Aben-eſdras non filios Leæ ſed ancillarum detuliſſe. Eorum autem hoc tantum fuiſſe peccatum, quod Ioſephum liberæ filium, ut adhuc puerum, ſibi miniſtrare coegerint. Id ſi feciſſent filii הגבירה heræ, non fuiſſet malum. De filiis ancillarum rumores detulit, quia cum illis erat. Non falſo detuliſſe nec levia exiſtimo. Quæ nempe in illis tolerari non poterant. Lyranus: *Videbat enim quod ejus correctio fraterna non valebat apud eos, maximè cum eſſet junior: ideo denuntiavit patri; qui edoctus de exceſſu efficacius eos corrigere poterat & debebat. Et ideò non peccavit fratres accuſando. Cujus contrarium dicunt Iudæi & malè. Sed magis fecit actum virtutis juſtitiæ.* Refert etiam quoſdam exiſtimare, quod ſolum Rubenis factum, qui Balham violavit, patri detulerit. *Scriptura loquitur*, inquit, *ac ſi accuſaviſſet omnes: eo modo loquendi, quo factum unius de communitate aliqua imponitur aliis de eadem communitate* Quo modo loquendi ſcriptura ſæpe utatur. Hoc tamen non eſſe vero ſimile, quia infra eodem capite dicitur: quod cum alii fratres Ioſeph vellent occidere, ſolus Ruben intendebat eum liberare de manibus eorum & reddere patri. *Alii dicunt*, inquir, *quod accuſavit eos de coitu cum beſtiis, ſed hoc eſt turpe dicere de patriarchis: maximè cum Hebraica litera non habeat.* Crimine peſſimo Vulg. Ob ſomnia eorum odium maximè accenſum fuiſſe videtur. Hæ odii cauſæ operatæ erant ante annum decimum ſeptimum ætatis Joſeph, ſed illo anno odium jam diu maturum venditionem confecit. Somnia duo Moſes proponit, quibus futura ejus magnitudo portendebatur. Utrumque ejuſdem ſignificationis, ideò iteratum, ut certitudo ſignificaretur. Primum fuit de manipulis fratrum, qui manipulum Ioſephi conſurgentem ſtantemque in agro adoraverunt. Primum ſomnium fratres tantum ſubjiciebat Joſepho, alterum etiam parentes. Nam ſomniabat Solem lunam ac undecim ſtellas ſe adorare. Id etiam narrabat patri ac fratribus. Per ſimplicitatem fratribus ſomnia narravit, non elatus aut jactabundus, tantum candide & ſimpliciter referens, quid eveniſſet. Si fratribus candidum pectus fuiſſet, potuiſſent non tantum ignoſcere illi ſed & amare candorem, ac debuiſſent animis reputare, ſomnia voluntate non aſſumi, ſed aut naturæ neceſſitate fieri aut à vi majore immitti. Sed & pater eum objurgaſſe legitur. Quæ objurgatio alium ſenſum non habuit, quam ut eum exploraret ſi forte talia fingeret aut ex vanitate quadam effutiret. Deinde coram fratribus ſe animum adhibere videri noluit, ut eorum iram invidiamque averteret. Interim illa pectore condita ſervabat apud ſe, ne adverſus Dei revelationes petulanter ſe efferret. Etſi pro eo tempore nec Ioſeph tale quid eventurum eſſe crediderit, & fratres ſomnia ſpreverint pro figmentis, & pater quid vellent, divinare non poſſet: quamvis de dominatione Joſephi & prælatione loquerentur, tamen utile fuit ea enuntiari ea tempeſtate, ut quum evenirent, eorum veritatem & originem à Deo eſſe agnoſceretur. Joſephus dicit à Joſeph patri narratum eſſe ſomnium ut ipſe ea interpretaretur. Primum ſomnium narraſſe fratribus ſolis alterum in præſentia fratrum patri. Ioſephum non intellexiſſe ſed fratres & patrem intellexiſſe vim ſomniorum. Fratres noluiſſe Ioſepho interpretari ſed in ſe precatos eſſe ne eveniret: patrem autem Joſepho interpretationem expoſuiſſe & gaviſum eſſe admodum. Igitur, non dicit objurgaſſe aut repreſſiſſe filium. Quædam autem in illis ſomniis convenire cum implemento non videntur. Nam I. Quomodo viderit fratrem Benjamin manipulos cum aliis ligare, qui nondum ejus ætatis erat? R. Non exprimitur: ſed ſi fuit, fuit in rei futuræ ſignificationem. II. Jacob ipſe nunquam filium veneratus eſt eo modo. R. Subjectus tamen

fuit & filii eum Joſephi ſervum appellarunt cap.43.28. III. Difficilius eſt, quod de matre loquatur, qui ante ſomnii viſi tempus obierat, proptereaque Ægyptum non intravit, ubi Joſeph dominum egit. Raſi illud de matre ſic accipit, ut Jacob illud aſſumpſerit ad rejiciendum ſomnium, in præſentia fratrum, ut ne illi Joſepho inviderent: & ex eo notandum, quod ſemper in ſomnio ſit defectus. Prius videtur Riveto probabilitate ſua non carere, utrumque Mercerus rejicit. Ad verba הבוא נבוא. dicit Raſi: *Nonne mater tua olim obiit: Et ipſe neſciebat, quod verba pertinerent ad Balham, quæ ipſum educaverat inſtar matris. Magiſtri noſtri hinc docent, quod nullum ſomnium ſit ſine verbis otioſis: At Iacob intendebat educere verbum è corde filiorum, ne ipſi inviderent. Ideò dicit ipſi veniendo veniemus &c. Quemadmodum non eſt poſſibile de matre tua, ſic reliqua otioſa ſunt.* Lyranus: *Ex hoc autem dicunt aliqui quod venditio Ioſeph fuit facta matre ſua adhuc vivente, cujus mors deſcripta eſt ſupra 35. cap. quia ſicut frequenter dictum eſt, prius facta aliquando poſterius ſcribuntur & è converſo. Ad probationem autem dicti ſui dicunt & verum eſt: quod Ioſeph venditus fuit, tredecim annis ante mortem Iſaac quia Iſaac in univerſum vixit 180. annis, ut ſupra dictum eſt cap.35. Item Iſaac fuit ſexaginta annorum quando natus fuit Iacob ut ſupra dictum eſt cap. 25. Quibus ſubtractis de annis Iſaac, remanent 120. anni de vita Iſaac poſt nativitatem Iacob. Item Iacob erat centum triginta annorum quando deſcendit in Ægyptum, ut habetur in cap. 47. Ex quo patet quod Iacob deſcendit in Ægyptum poſt mortem Iſaac decem annis tantum: ſed venditio Ioſeph præceſſit deſcenſum Iacob in Ægyptum 23. annis: quod patet ſic: quia Ioſeph ſedecim erat annorum, quando fuit venditus, ut habetur in principio hujus cap. Et triginta erat annorum quando factus eſt præpoſitus terræ ut habetur in 41. cap. A quibus ſi ſubtrahantur anni ſedecim, qui præceſſerunt ejus venditionem, remanent 14. uſque ad tempus, quo factus eſt præpoſitus: Et inde uſque ad deſcenſum Iacob in Ægyptum fuerunt novem anni, ſeptem fertilitatis & duo famis, ut habetur 45. Et ſic patet quod venditio Ioſeph præceſſit deſcenſum Iacob in Ægyptum 23. annis: ſed mors Iſaac præceſſit dictum deſcenſum decem annis tantum: Ex quo concluditur, quod Ioſeph fuit venditus ante mortem Iſaac tredecim annis. Ex hoc volunt iſti concludere, quod venditus ſit vivente adhuc matre ſua, quando Iacob veniebat de Meſopotamia & antequam veniſſet ad patrem ſuum Iſaac. Sed iſtud videtur contradicere textui: quia in cap. iſto dicitur, quod Ioſeph miſſus fuit de Hebron à patre ad viſitandum fratres ſuos. Ex quo patet quod ibidem manebat Iacob, quando Ioſeph fuit venditus: & certum eſt quod ibidem manebat Iſaac, quando Iacob venit ad eum, rediens de meſopotamia, ut habetur ſupra 35. cap. Ex quo patet, quod Ioſeph fuit venditus, poſtquam Iacob venerat ad Iſaac patrem ſuum: & aliquo tempore manſerat juxta eum: ſed mater Ioſeph mortua fuit, antequam Iacob veniret ad patrem ut habetur ſupra 35.cap. Ex quo patet quod Ioſeph venditus eſt ante mortem matris ſuæ. Item hic dicitur, quod Ioſeph vidit in ſomnis ſolem & lunam & ſtellas undecim adorantes eum: & per undecim ſtellas intelligebantur undecim fratres ejus. Ex quo patet, quod Benjamin, qui erat undecimus frater ſuus jam erat natus. Et certum eſt, quod mater Ioſeph mortua erat in partu Benjamin, ut habetur ſupra 35. cap. Et ſic patet, quod venditio Ioſeph fuit poſt mortem matris ſuæ. Nec valet pro dicto contrario, quod venditus ſit ante mortem Iſaac 12. annis: quia per hoc non concluditur, quod Rachel adhuc viveret: quia ex Scriptura non habetur, quot annis Iacob ſteterit cum patre, poſtquam venit ad eum: nec ex alio loco Scripturæ poteſt concludi dictum eorum. Aliter exponitur quod prædictum eſt: Nunquid ego & mater tua &c. Iacob enim videns invidiam & odium filiorum ſuorum contra Ioſeph propter ſomnia prædicta, volens eos pacificare dixit: Nunquid ego & mater tua &c. Ac ſi diceret: Mater tua jam mortua eſt: & per conſequens non poſſet te adorare: & ideò vide-*

videtur ſomnium frivolum. quantum ad iſtam partem: & eadem ratione de adoratione fratrum tuorum. Infra: *Sed quæritur, Quomodo verum ſit, quod mater eum adoraverit, cum ſecundum expoſitionem iſtam, jam mortua eſſet? Ad quod dicendem, quod ipſa in ſe non adoravit ſed in prole ſua, ſcilicet in ipſo Benjamin. Nec ſecundum illam expoſitionem, quàm improbavi, poteſt dici, quod ipſa adoraverit in perſona propria: quia certum eſt, quod non deſcendit in Ægyptum cum Iacob, ſed mortua fuit diu ante. Hebræi autem dicunt, quod mater Ioſeph vocatur hic ipſa Bala: quæ nutrivit eum in ſinu ſuo: quæ etiam mortua Rachele vocata eſt mater ipſius Ioſeph.* Auguſtinus qu. ſuper Geneſ. lib. 1. qu. 123. *Quod dicit Iacob ad Ioſeph, Quod eſt ſomnium hoc, quod ſomniaſti? Nunquid venientes veniemus ego & mater tua & fratres tui adorare te ſuper terram? Niſi in aliquo myſterio dictum accipiatur, quomodo intelligitur de matre Ioſeph, quæ jam erat mortua? Vnde nec in Ægypto, cum ſublimaretur, putandum eſt, hoc eſſe completum, quia nec pater eum adoravit, quando ad eum venit in Ægyptum, nec mater olim defuncta potuit. In Chriſti ergò perſona facilè intelligi poteſt etiam de mortuis, ſecundum illud quod dicit Apoſtolus, Quia donavit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu &c.* Rivetus: *Solis & Lunæ nomine totius familiæ capita intellecta fuiſſe extra controverſiam eſt. Somnii igitur ſignificatio reſpexit totam familiam, qualis eſſe debuit eo tempore, quo Ioſephus erat evehendus & patris familia in Ægyptum deſcenſura. Veritas autem ſomnii conſtare potuit etſi eum nulla uxorum Iacobi vixiſſet: quia voluit ei Deus talem dignitatem promittere, ad quam nemo erat in ædibus Iacobi, qui non eſſet procubiturus, quod ex hypotheſi intelligendum eſt de iis, qui tum viverent aut ſi viverent.* Riveti ſententia placet: Nempe Leam quæ in domo Joſephi eminebat inſtar Lunæ hic notari (nolim enim de ancilla accipi) non eſſe ejus ſublimitatis, ut ſi viveret non fuerit ſubjicienda Joſepho. Univerſam enim domum accipit, in qua nunc Sol & Luna præerant. Solis & Lunæ interpretationem, qua parentes denotavere, Joſephus & Lyranus ſubtiliter explicant.

Fratres Joſephi invidiæ & odii flammis in Joſephum ardentes, cum ſomniorum vanitatem riderent, veritati viam aperuerunt. Occaſio ſequitur:

IGITUR AD INSPICIENDOS GREGES] Iacob de filiis ſuis ſolicitus juxta Sichemum pecora paſcentibus, mittit ad eos Ioſephum, ut videant an ſint incolumes & nihil vel eis vel gregibus acciderit mali. Hoc officium in ſe libenter ſuſcipit optimus adoleſcens. At cum eos non reperiret ab aliquo monitus eos in Dothaim commigraſſe, eo ſe contulit, ut fratres inveniret. *Ex his colligendum eſt*, inquit Rivetus, *Ioſephum non amplius, ut anteà fecerat, cum fratribus paviſſe pecora & tum non fuiſſe ſeparatos filios Leæ à filiis ancillarum ſed una in iiſdem paſcuis fuiſſe verſatos. Qua autem occaſione ita factum fuerit & ut ſimul eſſent & tam longe remoti & Ioſeph domi manſiſſet vix poteſt certè definiri. Probabile eſt Iacobum anteà revocaſſe Ioſephum à fratribus, aut cum domi omnes eſſent, aliis ad paſcendum miſſis eum retinuiſſe, ut hac ejus abſentia, eorum paulatim ſopiret invidiam. Poſt aliquod autem tempus, cum exiſtimaret deferbuiſſe illud odium, remiſiſſe eum ad illos, tanquam internuntium, eo fortaſſe animo, ut fratrum ei conciliaret benevolentiam.*

Miſſus eſt à parente מעמק חברון. Raſi: *Annon Hebron in monte? Sicut dicitur.* [Num. 13. 22.]. Et aſcenderunt in auſtrali tractu & venerunt uſque Hebronem: *ſed è conſilio profundo ipſius juſti ſepulti in Hebron: ut ſtatueretur, quod dictum erat Abrahamo inter ſegmenta: Semen tuum peregrinum erit.* Quaſi vallis notaret profundum Dei conſilium, ex quo miſſus ſit, ut initium aperiretur peregrinationi Ægyptiacæ, quam Deus Abrahamo prædixerat. Recte Mercerus dicit, montem non eſſe ſine valle. In valle extra oppidum habita-

 bat

bat Iſaac & Jacob. Sichem hæc non eſt alia ab illâ, quam fratres Joſephi diripuerant. Jam memoria iſtius cladis apud accolas depoſita erat & ipſa Sichem fortaſſis inculta jacuit: ut non ſit opus metuere à loco filiis Jacobi. Cum Joſeph ad Sicima veniſſet, in locis deſertis ſylviſque aberravit. Obvium autem hominem habuit, qui de fratribus indicavit: Eos relictis illis locis Dothan conceſſiſſe. De Sicimis notat Raſi: מקום מוכן לפורענות *locum deſtinatum fuiſſe pœnis.* Illic maledicebant tribus; illic afflixerunt Dinam; illic divulſum eſt regnum domus David, Q. D. [I. Reg. XII. 1.] *Et profectus eſt Rahöbeam Sicima.* Virum illum, qui Joſepho occurrit eumque ab errore in viam reduxit, putant fuiſſe angelum Gabrielem, הָאִישׁ cum ה ἀποδείξεως in Hebræo habetur, quod exponi poteſt per pronomen infinitum. Ideò rectè Aben-eſdras דרך הפשט אחד מעוברי דרך: *Vnus tranſeuntium illac juxta ſenſum literalem.* Ille vir reſpondet Eſavo: נסעו מזה, quod interpretantur Judæi allegoricè: הסיעו עצמן מן האחוה *Amoverunt ſe à fraternitate* דותן ודתן unum vocabulum eſt ejuſdem loci. Locus haud procul Sicimis; ubi Elizæus à Syris obſeſſus vidit legiones angelorum 2. Reg. 6. Ubi etiam caſtra metatum eſſe Holofernem & à Judith occiſum eſſe, in Hiſtoriæ illius 7. cap. traditur. Hieronymus in locis Hebraicis: *Vſque hodie in duodecimo à Sebaſte milliario contra aquilonis plagam oſtenditur.* נלכה דותינה: Raſi: *Ad quærendum te machinati ſunt leges, ut te occidant.* Addit tamen ולפי פשוטו שם מקום הוא ואין מקרא יוצא מידי פשוטו:

Consilium Necis] Dothanem igitur conceſſit & illic fratres invenit. Illi autem viſo procul adventare fratrem, quem huc adegerat amor ſuus & cura patris, de illius nece conſultant. Alter enim ad alterum: En magiſtrum ſomniorum. Agite occidamus eum ejuſque cadaver projiciamus in unum horum lacuum; edamuſque rumorem, quod eum fera devoraverit. Ita videbimus, quid de ejus ſomniis futurum ſit. Ad hæc poſtrema verba Raſi: *Dicit R. Iſaac: Hac ſcriptura dicit expone me ſubtiliter* (דרשני) *Spiritus S. dicit ſic: illi dicunt, Occidemus eum: & ſcriptura claudit: At videbimus, quid futura ſint ejus ſomnia? Videbimus utrius verbum firmum ſit futurum an veſtrum an meum? Et non eſt poſſibile quod dicant ipſi: Et videbimus quid ſint futura ejus ſomnia: quia poſtquam occidiſſent eum, ceſſarent ejus ſomnia.* Omnino ſimplex ſenſus eſt, eos ſic fratri illudere.

Obsistens e Ruben]. Sanguinarium autem iſtud propoſitum impeditum eſt primo à Ruben, deinde à Juda. Homo enim proponit, Deus diſponit. Ruben enim illo conſilio audito, nitebatur liberare eum de manibus ipſorum. *Ait igitur: Non interficiamus animam ejus: nec effundamus ſanguinem: ſed projicite eum in ciſternam hanc, quæ eſt in ſolitudine, manuſque veſtras ſervate innoxias.* Hoc autem dicebat, volens eum eripere de manu eorum & reddere patri ſuo. Raſi: מכת נפש זו היא מיתה / *percuſſio animæ eſt mors* ſc. violenta. Idem: *Spiritus S. teſtatur de Ruben, quod non dixerit hoc, niſi ad eripiendum, ut veniret ipſe eumque inde educeret. Cogitabat, Ego primogenitus & maximus natu omnium: non pendebit iſta iniquitas niſi in me.* Joſephus cap. 3. Rubenis dehortationem ita deſcribit: οὕτω δ' αὐτοὺς ὁ Ῥουβῆλος ὁρῶν ἔχοντας, ὁ πρεσβύτατος αὐτῶν καὶ πρὸς τὴν πρᾶξιν ὁμονοηκότας, ἐπειρᾶτο κατέχειν ὑποδεικνὺς τὸ μέγεθος τοῦ τολμήματος, καὶ τὸ ἐπ' αὐτῷ μῖσος· ὡς πονηρὸν μὲν καὶ θεῷ καὶ ἀνθρώποις ἀνόσιον δοκεῖν, καὶ τὸ μὴ συγγενοῦς ἀνθρώπου χειρουργῆσαι φόνον. πολὺ μέντοι μιαρώτερον τὸ σφαγὴν ἀδελφοῦ δράσαντας ὀφθῆναι, ᾧ πατήρ τε ἀναιρουμένῳ συναδικεῖται καὶ μήτηρ εἰς πένθος τῆς παιδὸς ἀποστέρησιν, οὐ κατ' ἀνθρώπινον γενομένην νόμον, συγκαταστήσεται. Τούτων οὖν αὐτῶν αἰδῶ λαβόντας καὶ τῷ λογισμῷ τι τῆς πείσονται, τεθνηκότος αὐτοῖς παιδὸς ἀγαθοῦ

ἀγαθοῦ καὶ νεωτάτου παρηξημένους ἀποσχέσθαι τοῦ τολμήματος παρεκάλει καὶ τὸν θεὸν δείσαντας, ὡς θεατὴς ἅμα καὶ μάρτυς ἤδη καὶ τῆς βουλῆς αὐτῶν τῆς ἐπὶ τὸν ἀδελφὸν γεγενημένης: ἀποστάντας μὲν τῆς πράξεως ἀγαπήσειν μετανοίᾳ καὶ τῷ σωφρονεῖν εἴξαντας. προσελθόντας δ' ἐπὶ τοὔργον, οὐκ ἔστιν ἣν οὐκ εἰσπράξηται τῆς ἀδελφοκτονίας δίκην, μεμολυσμένους αὐτοῦ τὴν πανταχοῦ παροῦσαν πρόνοιαν καὶ μήτε τῶν ἐπ' ἐρημίαις πραττομένων ὑστεροῦσαν, μήτε κατὰ τὰς πόλεις. ὅπου γὰρ ἄνθρωπος ἂν ᾖ, χρὴ δοκεῖν ἐνταῦθα παρεῖναι καὶ τὸν θεόν. τό τε συνειδὸς αὐτοὺς τὸ ἴδιον ἕξειν ἐχθρὸν ἐπὶ τοῖς τολμηθεῖσιν ἔλεγεν, ὃ μήτε τοῖς ἀγαθὸν αὐτὸ ἔχουσι, μήτε τοιοῦτον ὁποῖον αὐτοῖς συνοικήσει τὸν ἀδελφὸν ἀνελοῦσιν, ἐστὶν ἀποδρᾶναι. Προσετίθει δὲ καὶ ταῦτα τοῖς προειρημένοις, ὡς ἀδελφὸν οὐδὲ ἀδικήσαντα κτείνειν ὅσιον, καλὸν δὲ καὶ τὸ μὴ μνησικακεῖν τοῖς οὕτω φίλοις, ὑπὲρ ὧν ἁμαρτεῖν ἐδόκουν, Ἰώσηπον δὲ οὐδὲ πονηρὸν εἰς αὐτοὺς γεγενημένον διαφθείρουσιν ᾧ τὸ τῆς ἡλικίας ἀσθενὲς μᾶλλον ἔλεον καὶ τὴν ὑπὲρ ὑμῶν αὐτῶν ἐργάζεται κηδεμονίαν. ἥ τε αἰτία τῆς ἀναιρέσεως πολὺ χείρονα τὴν πρᾶξιν, διὰ φθόνον τῶν ἐσομένων ἀγαθῶν τοῦ ζῆν ἐξαγαγεῖν διεγνωκότων, ὧν τὸ ἴσον ἀπολαύσουσι κοινωνοῦντες αὐτῷ τῆς μετουσίας, οὐκ ἀλλοτρίων ὄντων ἀλλ' οἰκείων. ἴδια γὰρ ἦν αὐτῶν ὑπολαμβάνειν ὅσα θεὸς Ἰωσήπῳ δώσει. Προσήκειν οὖν τὴν ὀργὴν καὶ διὰ τὸ καλῶς ἔχειν, χαλεπωτέραν ἔσεσθαι νομίζειν, εἰ τὸν ὑπ' αὐτοῦ κεκριμένον τῶν ἐλπιζομένων ἀγαθῶν ἄξιον ἀποκτείναντες, ἀφαιρήσονται τὸν θεόν, ᾧ ταῦτα χαρίσηται. Quæ ita reddidit Gelenius: *Rubelus autem inter hos natu maximus, videns eos conſpiraſſe conabatur impetum eorum remorari, docens quantum facinus molirentur & quantam invidiam parituram. Nefariam rem haberi tam Dei quam hominum judicio cædem hominis vel non cognati, ſed longè ſceleratius eſſe necis fraternæ reos deprehendi, quo ſublato etiam in patrem eam injuriam redundaturam & matrem quoque in luctum ac diram orbitatem conjecturos. Hos reſpicerent reputantes quantam eis calamitatem allatura ſit mors filii, tum probi tum natu minimi, abſtinerent à tam nefario ſcelere. Deum quin etiam vererentur, ſpectatorem ac teſtem conſilii contra fratrem initi. Hunc ſi à cœpto deſiſtant, accepturum eorum pœnitentiam ac reſipiſcentiam: ſin pergant, fieri non poſſe, quin exigat ab eis parricidii pœnas, cum nihil ipſius providentiam latere poſſit, ſive in ſolitudine admittatur ſive in civitate. Ubicunque enim ſint homines, exiſtimandum ibi Deum quoque adeſſe. Sed & propriam conſcientiam poſt tantum ſcelus, illis adverſarium fore, eam nunquam abire, ſive bona ſit, ſive talis qualis ipſorum foret, ſi fratrem interfecerint. Addebat ne læſo quidem fas eſſe germanum occidere. Satius eſſe dare veniam amicis, ſicubi non feciſſe officium videantur. Ioſephum vero ne peccaſſe quidem in illos, cujus ætas miſerationem mereatur & illos ipſos tutores ac protectores.* Verto iſta: *Ioſephum verò neque mala ipſis molitum perditum ipſos ire, cui infirma ætas potius miſerationem & ab illis ipſis poſcat curam.* Pro ὑπὲρ ὑμ. αὐτ. lego ἀπὸ. Sequitur in Geleniana verſione: *Cauſam etiam cædis facinus eorum gravaturam, ſi videantur ob invidiam futuræ felicitatis ei vitam ademiſſe, qua felicitate, propter cognationem ipſis quoque frui licebat. Debere enim ita exiſtimare, ipſorum eſſe quicquid Ioſepho Deus largitus fuerit. Proinde cogitandum eo graviorem fore indignationem Dei, ſi eum quem ipſe omni bona fortuna dignum judicaſſet, interimendo, materiam Divinæ beneficentiæ ſubtraxerint.* Hac oratione Ruben primo conatum eſſe eos à cæde avertere. Καὶ ὁ μὲν Ῥούβηλος πολλὰ λέγων καὶ πρὸς τούτοις ἔτι πλείω ἱκετεύων τῆς ἀδελφοκτονίας αὐτοὺς ἀποτρέπειν. Ipſum acriter obſtitiſſe fratribus & diſſuaſiſſe omnem injuriam in Joſephi vitam, videtur oſtendi ex cap. 42. v. 22. Ibi enim fratribus regerit ſuum conſilium, in Joſephi negotio datum. Cum videret ſtare animo & certum eſſe Joſephum tollere, ſecundo conamine propoſuiſſe, quod Moſes narrat. Tum ita locutus: Ἐπειδὴ ἐκράτησαν ὥστε ἀνελεῖν τὸν ἀδελφόν, οὐκ ἔσεσθαι σφόδρα κακῶς, εἰς νῦν παραινεῖ πεισθέντας. Ἐν γὰρ τούτοις εἶναι τὸ ἔργον, ἐφ' ὃ ὥρμηνται, οὐ μέντοι τοῦτον, ἀλλ' ὡς ἐν ἀπόροις κουφότερον. Hoc conſi-

lium

lium erat, ut in ciſternam dejectum fato ſuo traderent potius quam ipſi manus injicerent. Ἠξίου γὰρ αὐτοὺς αὐτόχειρας μὲν μὴ γενέσθαι τἀδελφοῦ· ῥίψαντας δὲ εἰς τὸν παρακείμενον λάκκον, οὕτως ἀποθανεῖν ἐᾶσαι, καὶ τό γε μιανθῆναι τὰς χεῖρας αὐτοὺς κερδαίνειν. Quæritur quæ cauſa Rubenem impulerit, ut adeo urgeret pro vita Joſephi, cum ex Leæ filiis fuerit, qui Rachelis natos oderant originitus. Conſilium Rubenis inſe ſpectatum, ut accipiebatur à fratribus, non minus atrox fuit quam ipſa cædes ſuis manibus patrata. Nihil enim refert quo medio mortem inferas. Quin inedia confici gravius feſtinata morte cædis fuiſſet. Sed propoſitum Rubenis & ſtratagema, quod Sp. S. aperit, ejus animum abſolvit. Rivetus: *Potuit id ſibi proponere, oblatam eſſe occaſionem, qua patrem ſibi conciliaret, juſtè offenſum ſcelere, quod in inceſtu patraverat atque ita ſervata Ioſephi vita factum illud prius obliteraret. Potuit etiam ſibi metuere ne qui ſemel in malefacto fuerat deprehenſus, ſi res ad patris notitiam veniret, culpa præcipuè ei imputaretur, qui natu major eſſet & ſua autoritate alios reprimere debuiſſet. Quæ argumenta non tam odium mali in ſe reſpexiſſent, quam privatam utilitatem vel detrimenti apprehenſionem. Exiſtimarem factum illius in meliorem partem eſſe interpretandum. Nam etſi cæco furore raptus fuerit in inceſtum, fieri tamen potuit, ut poſt agnitam culpam ad ſeriam pœnitentiam adductus fuerit, nec qui uno vitio, puta luxuria aut libidinis laboravit, continuò aliis vitiis obnoxius haberi debet. Potuit itaque etiam natura à cædibus & effuſione ſanguinis abhorrere, imò etiam quia poſt pœnitentiam, voluit cavere Dei offenſionem.* Addo, patris inſigni amore flagraſſe præ cæteris, cujus mœrorem ferre non poterat. Unde & Joſephum amavit, quia carus erat parenti. Deus igitur Rubenis opera uti voluit, qui pro Joſeph intercederet: illo qui ex Leæ filiis, qui primogenitus ægerrime Joſephi prælationem laturus videretur, qui nequiſſimus videri poſſet quia inceſtum commiſit.

Cum igitur Joſeph ad fratres accederet, comprehenſum exuerunt tunica illa polymita: In eum finem, quem anteà deliberaverant, quo ſanguine tinctam ad patrem mitterent, perſuaſuri, quod dentibus beſtiæ laceratus occubuiſſet. Textum v. 23. quidam ſic capiunt, quaſi tunicis duabus ſpoliatus fuerit Joſeph. Sua & illa polymita. Sic de prima dicit Raſi fuiſſe חלוק *camiſiam: quaſi* ad cutem uſque eum denudaverint. Tum in ciſternam profundam, quæ aquam non haberet demiſere. Joſephus: Παραλαβὼν Ῥουβῆλος τὸ μειράκιον, καὶ καλωδίῳ ἐκδήσας ἠρέμα καθίμησεν εἰς τὸν λάκκον, ὃς γὰρ ἱκανῶς ἄνυδρος ἦν. Ipſum Rubenum, ut primogenitum iſti rei applicuiſſe manus: adoleſcentem demiſiſſe fune, leniter & commodè, in ciſternam bene ſiccam. Providebat enim ne quid mali accideret: & benè etiam conſiderabat, quomodo extractio tempore opportuno poſſet expediri. Rivetus: *Tales ciſternæ in locis deſertis, attamen paſcuis, à paſtoribus effoſſæ erant, ad pluviales aquas retinendas. Quibus poſſent pecudes ſuas aquatum ducere. Sed in locis calidis æſtivo præfectum tempore ſiccantur.* Dicit textus in ea ciſterna aquam non fuiſſe, & dicit eam fuiſſe רק. Hic Raſi: Ex eo, quod dicit רק non intelligo, quod in ea non fuerint aquæ. Quid ex eo, quod dicit non fuiſſe aquas in ea, ſcilicet negat aquas, ſed fuerunt in eo ſerpentes & ſcorpiones. Ralbag etiam annotat tantum aquæ exprimi carentiam, fieri poſſe, ut fuerint lutum, ſerpentes & ſcorpiones. Conſtat Rubenum, poſtquam Joſeph demiſſus eſſet in ciſternam, alio conceſſiſſe, ut prodit textus in ſequentibus, docens per abſentiam ejus Joſephum venditum eſſe. Joſephus: καὶ ὁ μὲν τοῦτο ποιήσας ἀπαλλάσσεται κατὰ ζήτησιν χωρίων πρὸς νομὰς ἐπιτηδείων. Lyranus: *Dicendum quod abierit ad quærendum meliora paſcua, ut fratres ſuos faceret elongare à fovea, in qua erat Ioſeph, ut ſic eis abeuntibus melius poſſet extrahere Ioſeph & reddere patri ſuo.*

Miran-

Mirandum eſt, quod textus narrat ferream iſtam duritiem & horridam barbariem fuiſſe in cordibus patrum, qui lamentis & ejulatibus miſerrimi fratris nihil moti, ad epulandum conſedere. Dum epulantur vident adventare ארחת ישמעאלים. Chaldæus: שירת ערבאי Raſi אורחת exponit juxta etymon על שם הולכי אורח. Catervatim mercatores ire ſolebant. Syrus & Arabs in Anglicanis Bibliis etiam Arabas vocant. In Thargum Hieroſolymitano vocantur סיעא דסרקין id eſt Saraceni: quod verbum Scaliger aliique deducunt à voce סרק, *rapere, furari.* Id enim cum magno applauſu receperunt eruditi, rejecta originatione à Saro, quam Hieronymus finxit. Quaſi nimia ſuperbia Iſmaelitæ Hagarem matrem aſpernati ad liberam origines referrent. At nuper Ludovicus Pococcus aliam oſtendit originem. Arabes nempe diviſos eſſe in orientales & occidentales. Orientales appellatos voce ſua Saracenos شرقي in plur. شرقيون & شرقيين quod idem eſt ac ſi diceres اهل الشرق *populus orientis.* A ſeipſis appellati ſunt Saraceni, quia ad orientem poſiti erant in reſpectu eorum; qui Africam occuparant. Hi enim مغاربة quaſi Mograbenos diceres, appellantur. Cœpit igitur appellatio Saracenorum poſtquam Arabum natio in orientem & occidentem ſe diffudit. Hi mercatores poſtea Madianitæ appellantur, quod ex duabus nationibus caterva illa conſtaret. Raſi: *Hac fuit alia caterva & indicat ſcriptura, quod ſæpe venditus fuerit.* Nam primò venditum eſſe Iſmaelitis, inde Madianitis; ab iis autem delatum eſſe in Ægyptum, venditumque Photiphari. Hæc ſubtilius quam verius trahuntur è textu quem ſuo arbitrio torquent. Camelis iſti mercatores aromata & merces Syras portabant in Ægyptum, illac tendentes è Galadenâ. In Genere dicit textus de mercibus, נכאת aromata; inde ſpeciatim צְרִי וָלֹט Galaad hic non Galed, quamvis unius loci duo nomina eſſe videantur. Locus iſte aromatum ferax fuit Jerem. 8. 22. & 46. 11. In poſteriore loco, Ægyptum petiſſe aromata è Galaad oſtenditur. צרי Raſi: שרף הנוטף מעצי הקטף והוא נטף הנמנה עם סמני הקטרת: *Reſina, quæ deſtillat ex arboribus balſami & eſt connumerata inter aromata odorata ſuffitus:* Aben-eſdras: Invenimus illud in ſcriptura בשוא נח cum ſeva *quieſcente ſub* הצרי. *Et cum Camets Hatef* Jerem. 8. 22. Anne opobalſamum non eſt in Galaad? *Et cum Holem* [Ezech. 27. 17.) Oleum & *opobalſamum. Et Gaon exponit quod ſit compoſitum è ſeptuaginta quinque ſimplicibus. Alii dicunt, quod ſit fructus aut oleum arboris quod è Iericho Ægyptum adducitur, ſecundum ſententiam Ioſeph Gorionidæ. Rabbi Iſmael dicit, quod ſit reſina: & nos ejus ſententiæ accedimus.* Reſinæ genus eſt extra omne dubium. Nos accederemus illis, qui volunt eſſe guttam ſive reſinam balſami arboris. וָלֹט Aben-eſdras: *Dicit Gaon, quod ſit fructus ita appellatus per adjectionem literæ* ב, *in lingua Iſmaelitarum. Fortaſſis ita eſt.* Raſi: *Lotitha in lingua Miſnæ: magiſtri noſtri exponunt radicem herbæ, cui nomen Iſtorozia in Maſſechet Nidda.* נכאת נבורת ſive נכאת: Raſi exponit collectiones multorum aromatum. Et ſic [2. Reg. 20. 13.] Et oſtendit ipſis totam domum נכותה: condituram aromatum ejus כשמן. Onkelos exponit notione ceræ. Apud Aben-eſdram R. Moſe ſacerdos Hiſpanus dicit ejus expoſitionem eſſe quod valeat idem quod res deſiderabilis. Id probat loco dicto 2. Reg. 20. Nempe א & ו inter ſe permutari, quia ſunt literæ quieſcentes. Conſilium venditionis, ex occaſione adventus mercatorum, propoſuit Judas.

Ad Mitius Consilium] Deus ita rem direxit, ut eo ipſo tempore advenirent mercatores, ut id Judæ in mentem veniret: Præſtare ut venditum ſuæ fortunæ tradant, quam ut enecent. Cum id placeret, extractum è puteo viginti ſiclis vendunt. בעשרים כֶּסֶף Joſephus *μνῶν εἴκοσι minis Viginti.* In

Vul-

Vulgata Latina male *viginti aureis* pro *viginti argenteis*. Libertas quidem & vita pari paſſu ambulant, mitius tamen eſt vendere quam occidere: quia qui venditur, miſeram vitam agit, vitam tamen habet. Intereà Ruben ad ciſternam reverſus vacuam invenit: quod ingenti cum comploratione fratribus annuntiat, illi autem tunicam ſanguine tinctam, ad patrem miſerunt. Joſephus dicit Rubenum noctu ad ciſternam veniſſe. Raſi: *In venditione Ioſephi non erat illic, quia dies ejus fuerat ut abiret & miniſtraret patri.* Ioſephus vult fratres indicaſſe Rubeni: quid feciſſent. Illum hac re audita ſiluiſſe; commune inde conſilium fuiſſe ut pater deciperetur. Fingunt autem fratres inveniſſe ſe in agro tunicam ſanguine tinctam: quam mitterent ad patrem ſi forte Joſephi eſſet, ut cognoſceret. Agnoſcit eam Jacob: tum vero in lamenta erumpit: Tunica eſt filii mei, mala beſtia enim devoravit. Omnino dilaniatus eſt Joſeph. Joſephus dicit Iacobum ante cognoviſſe, quod Ioſeph deſideraretur, exiſtimaſſe autem captum forte eſſe ab hoſtibus aut latronibus. Unde ejus recuperandi ſpes eſſe poterat: jam verò ſupra modum contriſtatum non dubitaſſe quin à fera dilaniatus eſſet. Quod Jacob dicit de mala beſtia, id ænigmatice dictum eſſe volunt in uxorem Potipharis. Raſi נצנצה בו רוח הקדש סופו שתתגרה בו אשת פוטיפר: *Scintillat in eo Spiritus S. finem ejus, quod concitanda ſit in eum uxor Potifaris. At cur non revelavit ipſi Deus bened. Quoniam devoverant & maledixerant, quicunque revelaturus eſſet & in conſortium aſſumpſerant Deum. At Iſaac noverat, qui erat ſuperſtes. Cogitabat, quomodo revelabo? At Deus benedictus noluit ut ipſi revelaret.* Jacobum prophetam fuiſſe nec tamen ſciviſſe, quia Deus ei notum eſſe noluerit: quamvis Sp. S. per verba ejus ipſam rem tanquam ænigmate indicaverit. Fingunt enim novem fratres Anathemate ſe devoviſſe ſi quis patri enuntiaret de Ioſepho. Quia autem anathema non habetur ratum, niſi à decem fiat: aſſumpſerunt Deum atque ita fecerunt anathema. Hæc in capitulis R. Eliezeris cap. 38. Jacob rupit veſtimenta ſua, ſaccum lumbis impoſuit filiumque luxit multis diebus, longo tempore. Luxiſſe volunt, uſque dum Ægyptum deſcenderet & Joſephum complecteretur. Omnes filii filiæque adeunt patrem ut eum conſolarentur. At quo modo filiæ, unicam gnatam habuit? Raſi: *R. Iuda dicebat ſorores geminas natas cum qualibet tribu & ductas eſſe ab eis. R. Nehemia dicebat, Cananææ erant: at quid filia ejus? nurus ejus: quia nullus homo prohibetur generum filium & nurum filiam appellare.* Iacob autem conſolationem admittere noluit. Dicebat enim ſe cum mœrore ævum finiturum eſſe. Non eſt credibile virum malis exercitatum (quamvis deſiderium primò ferre non poſſet & fortaſſe modum exceſſerit) toto tempore uſque ad ingreſſum in Ægyptum impotenter doluiſſe. Lugendi certum tempus veteribus erat & cerimoniæ certæ, de quibus agam alio loco. Nam quod textus exprimit, luxiſſe multis diebus, id arguit terminum temporis, quo luctus cerimonia finita ſit ut ſigna mœroris poſteà depoſita fuerint quamvis memoriæ fixum hæſerit grave vulnus, uſque ad ingreſſum in Ægyptum. Hæc hiſtoria oſtendit, in uſu ea tempeſtate fuiſſe, ut homines venderentur & emerentur: de qua re prolixe diſſerit Cl. Rivetus exercitatione in Geneſin 149. *Venditionem illam, inquit, injuſtam fuiſſe extra controverſiam ponitur, ſed tamen hinc colligitur tunc uſitatum fuiſſe homines vendere & emere de quo quæri poteſt an bona conſcientia licuerit, ſecundum Deum? Factum fuiße conſtat, ſed quo jure, non ita liquet. Quæſtionem hanc ſic reſolvunt: Acquiri poße dominium in homines ut mancipia fiant quatuor modis, jure belli, nativitate, juſta condemnatione, & emptione. His omnibus modis hominem cadere ſub dominium hominis. Id etiam ſupponere Sacram Scripturam ex eo colligitur, quod in ea multa continentur*

judi-

judicialia de ſervis. Et apud Apoſtolum ſæpè ſervis & Dominis præſcribuntur officia, ſervato dominorum jure & continuante ſubjectione. Intelliguntur enim ſervi propriè dicti ſeu mancipia.

Sed talem ſervitutem non eſſe jure divino aut naturali introductam certum eſt, quia eſt pœna; nulla autem pœna eſt à natura, & à jure divino per ſe, ſed tantum per accidens, poſito peccato, à quo ſervitus inter homines eſt introducta. Intelligimus de ſervitute propria, qua homo in hominem deſpoticè dominatur, ita ut homo ſervus ſit inſtrumentum ratione præditum, quod ab aliis ſeparatum poteſt ſuum munus obire, & non ſui, ſed alieni juris ſit. Id autem è natura non eſt, ut qui liber erat, fiat alieni juris, ſed peccatum, quod eſt contra naturam, ſervitutem ſua injuſtitia, juſtam fecit. Primus autem titulus ſervitutis fuit jus belli, in quo qui alteri quem impunè poterat occidere, vitam ſervaverat, eum ſibi poterat in ſervum vindicare, morte in ſervitutem commutatâ. Quod jus etiam extenditur ad parvulos alioquin innocentes, qui ſervituti poſſunt addici tanquam membra hoſtilis Reipublicæ, etſi non peccarint, quià ut commodis, ita etiam incommodis ſui corporis participant, in bonis præſertim externis, inter quæ cum libertas habeatur, etiam ea privari poſſunt, quo facto etiam in filiis puniuntur parentes.

Hunc primum titulum alius ſequitur nativitatis, qui enim ex ſervis naſcitur, ſervus eſt, etiam qui ex matre ſervo patre libera: unde tritum illud, partus ſequitur ventrem; lege partum, codice, de rei vindicatioue, quia mater eſt certior, & plus confert corporeæ materiæ, cujus ratione ſervus fit homo.

Titulus juſtæ condemnationis conceditur à legitimo judice, qui ſi ad mortem poteſt condemnare, ita etiam ad ſervitutem; quæ mors eſt civilis.

Reſtat titulus emptionis & venditionis. Si aliquis hominem jure poteſt vendere, poteſt etiam alius juſtè emere, nempè ad ſervitutem. Siquis autem factus eſt alicujus Dominus, jure, vel belli, vel nativitatis, vel condemnationis, dubium non eſt quin poſſit in alium transferre idem jus quod habet, accepto juſto pretio & valore. Prætereà homo liber poteſt ſeipſum vendere, ut ſervus ſit: nam etſi non ſit dominus vitæ ſuæ, quam per conſequens vendere non poteſt; eſt tamen ſuæ libertatis dominus, ſicut pecuniæ ſuæ, quam proindè poteſt alienare. Idem etiam apertè colligitur ex lege Ebræorum, in qua etſi ubi de ſervis Ebræis agebatur, non poterant adigi ad ſerviendum ultra ſex annos, quià ſeptimo demittebantur liberi, qui etiam non exſpectabatur ſi animus jubilæus incurreret. Si tamen conſentiebat ſervus hero ſuò in perpetuum ſervire, licebat ei libertati ſuæ renuntiare, ut patet Exod. 21. verſ. 2. & Deut. 15. verſ. 16. 17. Ex quibus locis liquet jure naturæ hominem liberum poſſe ſuam libertatem vendere vel donare, ſi tamen rationes habeat juſtas, alioqui peccaret, quià non debet profundi libertas, quæ bonis fortunæ & famæ præſtantior eſt. Lege etiam poſitiva Iudæorum permittebatur parentibus in gravi neceſſitate liberos ſuos vendere. Exod. 21. v. 7. ſed eadem lege, quâ ſeipſos vendere poterant. Quod etiam jus civile Romanorum permiſit, ſub certis conditionibus, nempè ſi id fiat per nimiam paupertatem victus cauſa, ita tamen ut filius reddito pretio poſſit libertatem recuperare, &c. Hanc enim lenitatem adhibuit Conſtantinus Imper. Lege 2. de patribus qui filios diſtraxerint, ubi non patitur, ut filii à parentibus vendantur, niſi in extrema neceſſitate famis, & vult ut ad ingenuitatem ſtatim redeant, cum data fuerit redemptionis facultas, ſive reddita pecunia emptori, ſive alio mancipio ſuppoſito ejus loco. Id etiam apud Chriſtianos conſuetudine introductum eſt, ut Chriſtiani ab aliis Chriſtianis bello capti, non fiant ſervi, in honorem libertatis, quam nobis acquiſivit Chriſtus. Non tamen ſequitur Chriſtianum non debere ſervire Chriſtiano, & planè illicitum eſſe per ſe ut Chriſtianus habeat mancipia Chriſtiana. Paulus enim 1. ad Timoth. 6. verſ. 1. & 2. monet ut ſervi ex

fidelibus, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, & ſi fideles illi ſint, non contemnant quià fratres ſunt, ſed magis ſerviant, quia fideles ſunt & dilecti qui beneficii participes ſunt. *Fuerunt enim tunc ſervi docendi obſervantiam obedientiamque, quoniam Pſeudoapoſtoli libertatem ab Evangelio concedi dictabant; quod odium in Chriſtianos concitabat, & occaſionem dabat pravè ſentiendi de doctrina Chriſti: efficiebant enim, prætextu libertatis, ut ſervire Chriſtianis Chriſtiani detrectarent; imo nec ipſis magiſtratibus politicis obtemperare vellent, ac ſubeſſe, quod etiam noſtro tempore renovarunt Anabaptiſtæ. Tertius Canon Concilii Gangrenſis adverſus tales dirigitur, quod ſub Anathemate prohibet*, nequis alieno ſervo ſuadeat, miniſterium Domini ſui deſtituere. *Tunc enim videntur nonnulli converſi ad Chriſtum prætendiſſe exemplum Iudæorum, quo ſervi reſtituebantur libertati, vel ſeptimo anno vel Iubilæo.* Non factus es Chriſtianus, ait *Auguſtinus in Pſal. 124.* ut dedigneris ſervire: cum enim Chriſto jubente ſervis homini, non homini ſervis, ſed illi qui juſſit. *Sed tamen non laxat pietas Chriſtiana habenas ſævitiæ & tyrannidi, nec vult ſervos tractari ut bruta animalia quod apud Ethnicos fiebat. Ideo Paulus Eph. cap. 6. 9. dominis præcipit*, remittere minas, *cum ſciant*, quia & illorum & ſervorum Dominus eſt in cœlis, & perſonarum acceptio non eſt apud eum. *Ideo etiam inter Ethnicos qui ſapientes habiti ſunt, ergà ſuos ſervos humani fuerunt; quod inter alios de Catone memoratur apud Plutarchum. Vt meritò invehantur nonnulli ex Pontificiis in ſuos, qui qua Chriſtiana fecerunt mancipia, tanquam canes tractant, imò deteriùs; quod de Hiſpanis in novo orbe & in ipſa etiam Hiſpania referunt ipſorum Hiſtorici, apud quos horrenda leguntur immanitatis exempla. In Gallia nemini per leges licet habere mancipia, nec ex Chriſtianis, nec ex infidelibus. Quì id prohibuerunt principes, haud dubiè bonis rationibus moti fuerunt, ut Chriſtianum nomen ab omni crudelitatis ſuſpicione liberaretur; quià in talibus vix modus teneri poteſt. Nihilominus ſi juſtis adhibitis conditionibus & repagulis, ne domini abuterentur mancipiis, hæc poteſtas limitaretur tantum ad legitimos uſus, in tanta hominum otioſorum & inquietorum multitudine, qui libertate ſuâ abutuntur, non inutile eſſet fortaſſe Rebuſpubl. ſi jus illud reſtitueretur. Sed de his videant politici; tantum diximus de eo, quod ex conſcientia licitum eſſe ex Dei verbo judicamus.*

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBER PRIMUS.
CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Per idem tempus Iudas, Iacob filius, ſuam Chananæam in matrimonium aſſumſit. Ex qua tres filios ſuſtulit, Her, Onam, Selam. Sed Her Thamar connubio ſociatur. Quo mortuo, Onan fratris uxorem accepit. Qui, quià ſpermata in terram effunderet, extinctus à Domino refertur. Tum Thamar meretricio habitu aſſumto ſocero miſta eſt, exque

eo

eo gêminos edidit. In partu autem illo mirabile fuit, quod cum prodeunti puero ad dignoſcendum, qui prius naſceretur, obſtetrix manum ejus cocco illigaſſet, reductus in alvum matris puer, poſtero die, editus eſt. Nomen infantibus Phares & Zara inditum.

DRUSIUS.

SUAM CHANANÆAM] *Ita Græci LXX. Gen. 38. 2.* καὶ εἶδεν ἐκεῖ Ἰούδας θυγατέρα ἀνθρώπου χαναναίου, ᾗ ὄνομα Σαυά, καὶ ἔλαβεν αὐτὴν καὶ εἰσῆλθε πρὸς αὐτήν. *Vnde, non dubito quin Sulpicius initio ſcripſerit,* Savam Chananæam. *Sava, Sua, ut Auz, Vz: Lauz, Luz. Cæterum in Ebræo eſt* שוע *quod Græci convertunt* שמה. *Sane viri nomen eſſe Sua. & non mulieris paret ex 1. Paralip. 2. 3. Hieronymus ambiguè tranſtulit,* videtque ibi filiam hominis Chananæi, vocabulo Sua. *Dicitur & Sue: quod in antiquis codicibus. Aliquot Græca exemplaria ſaba habent in quo b pro v. Sic promiſcue* Δαυὶδ & Δαβὶδ *ſcribebant,* λευὶ & λεβὶ. *Quod in his nominibus defendi poteſt, in Sabè non item. Non enim Vau ibi conſonans eſt, ſed vocalis quam modò per u, modi per au exprimebant.*

IN MATRIMONIUM ASSUMPSIT] alibi hoc dixit, in Matrimonio accepit.

HER] *Sic emendavimus ex editione Pariſienſi, cum in aliis eſſet Heth: veritas Scripturæ Er. Nam ſic eſt in Ebræo* ער *& in Græcis codicibus* ἤρ: *quod tamen Severus noſter cum aſpiratione legiſſe videtur. Novum non eſt ut quæ lenitur ſcribenda ſunt aſpirentur, & contra. Quæ corrigenda viro docto, non imitanda ſunt, meo judicio.*

ONAN] Vel Aunan: quod in libris Græcorum Αὐνάν. Onan, Aunan, ut Hoſe, Hauſe, vulgò Auſe.

SELAM] *Poteſt eſſe quartus caſus ex Sela: Si ſecus eſt: tum in mendo cubat, ut* σηλὼμ *quod in editione Romana: Selam, Selom, ut Adam, Odom. Prius erat* σηλω, *Sela, Selo, ut Lecha, Lecho, Attha, Attho. Dialectus enim Syriaca a cum o permutat. Inde Selam & Selom. Hujuſmodi errores libentius ſcribis imputaverim quam interpretibus, Ebr.* שלה.

FRATRIS UXOREM ACCEPIT] *Iure propinquitatis, quod* IBBUM *vocant: quo tenebatur frater propinquus uxorem defuncti fratris in matrimonium aſſumere, quo ex ea ſemen excitaret. Fratris autem nomine intelligo fratrem* πρὸς τι. *Qui ſi deerat, ibatur ad proximum agnatum. Poterat tamen is qui uxorem & liberos habebat, nuptias recuſare.*

SPERMATA IN TERRAM EFFUNDERET] *Duo hic miror. Primum quod uſus ſit voce Græca, cum in mundo eſſet Latina: deinde, quod cum de ſemine humano ſermo ſit, uſurpet pluralem ſpermata, & non ſingularem ſperma, id eſt, ſemen. Nam Syrachides, cap. 26. verſ. 20.* σπεῖρε τὰ ἴδια σπέρματα, *loquitur quidem de ſemine humano ſed allegoricè.*

MERETRICIO HABITU ASSUMPTO] *Nam faciem peplo velaverat more meretricum, ne à ſocero agnoſceretur.*

MISTA EST] Congreſſione. Sic Cicero in primo de divinatione, *corpus cum matre miſcere.*

POSTERO DIE EDITUS EST] *Fides Hiſtoriæ poſcit, ut legamus contra codicum omnium fidem,* poſterior editus eſt. *In fonte habetur,* poſtea verò egreſſus eſt frater, qui manum cocco illigatam habebat. *Id Græci tranſtulerunt* μετὰ τοῦτο. *Non ergo poſtero die editus eſt, ſed eodem quo alter, nempe paullò*

 poſt.

poſt. Neque Sigonius annotat pro poſtero die *in Græcis eſſe ſtatim, id eſt, εὐθὺς cum hoc ibi dicatur de Phares, & non de Zare. Res eſt non conjectura.*

PHARES] Ut Habel quod extra pauſam ſcribunt Hebel. Sic Pheres & in pauſa Phares. Id nunc obtinet quando eſt nomen proprium. Sonat autem, interprete Aquila, *διακοπή*, interciſio, diremptio, perruptio. *Hieron.* maceriam *edidit.* Idem in *libro quæſtionum Ebraic.* Pro maceria Aquila & Symmachus diviſionem tranſtulerunt. Ab eo igitur quod diviſerit membranulam ſecundinarum diviſionis nomen accepit. *Malim* perruperit *aut* diruperit, *&* perruptionis nomen accepit. Nam *διακόπτω*, diſſeco, dirimo, perrumpo. Sed nolo contentionis funem propterea. Quæ ſequuntur ibi, *Vnde & Phariſæi qui ſe quaſi juſtos à populo ſeparaverant, diviſi appellantur*, Cenſura indiget. Nam Phariſæi vocantur פרושים / non פריצים. Sic dico, Phares habet ultimam S. Sade: unde פריצים latrones. Phariſæi à ſeparando dicti, quod eſt פרש ultima Sin. Syri eos vocant פרישא / unde Phariſæorum appellatio. Vide Geneſin 28. 29.

ZARA] *Vel Zare. Sic Thara dicimus & Thare. Hieronymus in Tradition.* Hoc nomen interpretatur oriens. Sive igitur quià primus apparuit, ſive quia multi juſti ex eo nati ſunt, ut in libro Paralipomenon continetur, Zara, id eſt oriens appellatus eſt. *Alii à filo coccineo, quo manus ejus revincta erat, ſic appellatum arbitrantur. Nicolaus de Lyra*, ex refulgentia coccini ad manum ejus ligati. Zara enim refulgentiam ſonat.

SCHOTANUS.

CAP. XXXVIII.

VLtimum hoc rerum in terra Canaan geſtarum, in quo origo Meſſiæ ex inceſtu propagata ediſſeritur. Non debuerunt enim ejus Majores & occaſio propagationis taceri. Origo enim pudenda ſignificat veniſſe eum, ut pudorem originis noſtræ tegeret tolleretque. Joſephus non attigit, quia non intelligebat, quid contineret & quo fine à Moſe eſſet memorata. Rationes Dei audi.

1. Illam familiam non ex meritis ſed mera gratia eſſe electam.
2. Chriſtum peccatores non eſſe rejecturum, qui ipſe ex maximis peccatoribus naſci voluit.
3. Ipſe à progenitoribus ſecundum carnem nullam dignitatem habet.
4. Hinc retundi Judæorum ſuperbiam, qui ſuam originem jactant.

Gloriantur Joh. 8. 31. *Se non eſſe genitos è ſcortatione.* Atqui illa nobiliſſima familia è quâ David & reges & Meſſias è ſcortatione originem habuit. Alii putant hoc tempus Matrimonii initi à Juda cohærere præciſe cum venditione Joſephi. Si ita; Phares ante deſcenſum in Ægyptum non potuit gignere Eſron & Hamul Gen. 47. 12. Unde volunt eruditi Judæ matrimonium aliquanto tempore eveniſſe ante venditionem Joſephi. Pareus ita ordinat: Septennio ante venditum Joſephum gignere cœpiſſe Judam anno aet. 24 Rurſum ſeptennio poſt venditionem Er & Onan interfectos eſſe. Triennio poſt Thamar ex inceſtu genuiſſe Phares & Zara, anno æt. Judæ 30. Phares uxorem duxiſſe anno uno ante migrationem & duos filios recens natos cum eo Ægyptum immigraſſe. Mercerus & Capellus paulò aliter ordinant, gignendi tempus aliquantum contrahentes. Rivetus cum venditione connectit matrimonium Judæ, illud autem quod de Eſron & Hamul aliiſque commemoratur eos deſcen-

cendiſſe cum Jacob in Ægyptum, ſic intelligit: extendi tempus ingreſſus Iſraelis in Ægyptum ad totam ejus peregrinationem in eadem regione, ut dicantur ingreſſi cum eo, quotquot vidit ante obitum filios & nepotes. Vide etiam Auguſtinum in Geneſ. qu. 128.

Suam Cananæam In Matrimonium] De tempore rerum hujus capitis ita Franciſus Junius: *Hujus hiſtoriæ aliquam partem neceſſe eſt ante Ioſephi venditionem contigiſſe: cum enim tantum viginti duo anni inter venditionem Ioſephi & deſcenſum Iacobi cum familia in Ægyptum numerentur, non potuit tam brevi ſpatio Iuda uxorem ducere, ternos liberos tollere, uxorem unam duobus ſucceſſive jungere, tertii conjugium, ultrà tempus differre, filios ex nuru ſuſcipere, & illorum unus duos filios gignere, ante deſcenſum in Ægyptum: quod ait diſertè Moſes infrà 49. 12. Contigit ergò ante venditionem Ioſephi, ſaltem uſque ad tempus, quo primus Iehudæ filius decimum annum agebat.* Lyranus? *Iſtud capitulum ponitur incidenter juxta venditionem Ioſephi: quia, ut dicunt Hebræi filii Iacob videntes patrem inconſolabiliter afflictum, eo quod credebat Ioſeph eſſe mortuum, cœperunt eſſe moleſti Iudæ, eo quod dediſſet conſilium de ejus venditione: dicentes ei, ſi conſuluiſſes eum totaliter dimittendum, acquieviſſemus tibi tanquam principaliori: maximè quia ſedata paſſione ira in nobis fuiſſemus ei compaſſi & ſic redditus fuiſſet patri. Propter quod Iudas declinans à fratribus ſuis contraxit cum aliis amicitiam & inde accepit uxorem.* Cum Junio conſentit Abeneſdras: Nam ad initium cap. 38. ubi dicitur ויהי בעת ההיא ita annotat: *Non eſt hoc tempus, quo venditus Ioſef fuit, tantum fuit ante ejus venditionem, & ſimiliter* [Deut. 10. 7. 8.] Inde profecti ſunt Gudgod & in tempore illo ſeparavit Dominus tribum Levi. *At tribus Levi electa erat anno ſecundo & profecti ſunt Gudgod anno quadrageſimo quod loco ſuo exponam. Cur autem ſcriptura meminit hujus* (פרשה) *in loco hoc, cum ſit conveniens ut eſſet poſt* (Et Madianitæ vendiderunt ipſum) *paraſcha* (At Joſeph deportatus eſt in Ægyptum) *ut divideret inter opus Ioſeph in re uxoris Domini & opus fratrum ſuorum. Opus habeo hac expoſitione, quod à tempore, quo venditus eſt Ioſeph, uſque ad tempus deſcenſus patrum in Ægyptum tantum ſint anni viginti duo. Et ecce natus eſt Onan, qui fuit ſecundus inter filios Iuda & crevit uſque dum eſſet ipſi ſemen: quod non invenietur minus duodecim annis. Et amplius multiplicati ſunt dies, etiam concepit Thamar & peperit Phares: & ipſe deſcendit in Ægyptum & ſunt ipſi duo filii. Ne tibi grave videatur de re Beſaleel, quia, ubi eo pervenero, id exponam.* Abeneſdræ mens eſt, dici eo tempore factum eſſe ſi modo iſtud tempus anteceſſerit, ut intelligi vult locum laudatum Deuteronomii: Secundo anno Exodi hoc factum eſſe, quod applicatur rei anni quadrageſimi. Cum Lyrano conſentit Raſi: *Quare hac paraſcha hic poſita eſt & interrumpit in Paraſa Ioſeph, ut doceat, quod depoſuerint eum fratres ab eminentia ſua; cum viderent afflictionem patris ſui, dixerunt, tu dixiſti de vendendo eo, ſi dixiſſes de eo reſtituendo, auſcultaviſſemus tibi* &c. Abeneſdras hoc eſſe modo dras; nec quicquam eò facere vocem deſcendendi, וירד יהודה כאתתו Quia veniens ab angulo ſeptentrionali mundi verſus auſtralem deſcendit: ואנשי חמחקר יבינו כי זה אמת *Et Phyſici norunt quod hoc verum ſit.* Juda abiit ad virum quendam Odullamiten, cui nomen Hira erat. Odollam non procul Eleutheropoli. Ubi Hiram amicum ſibi adſcivit Juda & hoſpitem. Illic loci contemplatus eſt hominis Cananæi (cui Sue nomen erat) filiam: quam in matrimonium ſumpſit. Ex ea ſuſcepit filios tres, Er, Onan & Sale. כנעני Judæi exponunt pro mercatore ne fateantur ſuos majores ex Cananæis eſſe ortos at rectè Abeneſdras: ויתכן להיות כמשמעו: *quadrat ut ſimplici ſenſu*, quomodo ſonat, accipiatur. De loco

כזיב / dicit Hieronymus de locis Hebraicis: *ubi geminos Iudæ filios Thamar edidit. Oſtenditur autem nunc locus deſertus juxta Odollam in finibus Eleutheropoleos.* In de quæſt. in Geneſin: *Hæc autem erat in Chazbi, quando pepererit eum* [Sale] *Verbum Hebræum hic pro loci vocabulo poſitum eſt, quod Aquila pro re tranſtulit, dicens*: Et vocavit nomen ejus Selom. Et factum eſt ut mentiretur in partu, poſtquam genuit eum. *Poſtquam enim genuit Selom, ſtetit partus ejus* כזיב *Chazbi ergò non nomen loci ſed mendacium dicitur. Vnde in alio loco ſcriptum eſt*: Mentietur opus olivæ, *id eſt, fructum oliva non faciet.* Alii igitur accipiunt pro loci nomine, in quo fuir Judas, cum uxor ejus peperit tertium filium. Er erat Judas &c. Sic Chaldæus & alii. LXX. etiam pro loco ſed accipiunt verbum in genere fœminino de Thamar. Fagius & Vatablus notarunt Chazib eſſe urbem Palæſtinæ. Mercerus eandem facit cum Achzib, cujus mentio Michææ 1. 14. quæ fuit in tribu Judæ. Filiorum hiſtoria ſequitur. I. de Er ער / cui primogenito uxorem Thamar dedit parens. Parentum enim eſt filiis dare matrimonia, id eorum curæ & juris. Qua ætate fuerit Er, cum duceret Thamar, è qua gente Thamar non aperit Scriptura. Thamar fuiſſe Chananæam probabile eſt, Semi enim id eſt Melchiſedeci filiam fuiſſe (quod Judæi fingunr) nequaquam admittendum eſt. Mala morte periit Er, ſobolem non reliquit. Scriptura cauſam mortis non genus expoſuit. Cauſa: *Er primogenitus Iudæ malus erat in oculis Domini.* Id non poteſt alium habere ſenſum, quam quod Domino diſplicuerit faciendo, quæ ejus voluntati & legi contraria ſunt. Cl. Rivetus non recte verbis illis [in oculis Domini] auxeſin talem notari putat, ac ſi diceretur malus לפני יהוה / quæ phraſis in deſcriptione Nembrodi: *Robuſtus venator coram Domino.* Gen. 10. 9. Raſi: *Secundum malitiam Onan perdens ſemen ſuum: quemadmodum dicitur de Onan* [v. 10.] occidit etiam illum, *Secundum mortem Er fuit mors Onan. At quare Er perdidit ſemen ſuum, ne impragnaretur & perderet pulchritudinem ſuam.* Hic Lyra ſuo more Salomonem ſuum ſecutus eſt. Illud autem גם quod eſt in textu, ſolam ſimilitudinem in morte dicit, non in ſpecie peccati. Uterque extraordinario modo interemptus eſt à Domino. Omnis mors divinitus eſt, ſed hæc fuit peculiari modo ab extraordinaria gubernatione. Utrumque Deus occidit, ſed an gubernationis extraordinariæ eadem ſpecie, incertum eſt. Et quis hic affirmet alterum vel utrumque interiiſſe opera dæmonis Aſmodæi, ut ſponſi Saræ in fabula Tobiæ.

Interempto Er Judas ſecundo filio præcepit: Ingredere ad uxorem fratris tui, ויבם אותה & excita ſemen fratri tuo. Igitur,

Onan Fratris Uxorem] Lex de uxoris fratre ducenda exſtat Deut. xxv. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Fratribus ſimul habitantibus, quorum unus ſine prole maſcula obeat, mortui uxorem extraneo non eſſe collocandam, ſed fratri, qui officium leviri faciat mulieri. Ex illo matrimonio primogenitum in nomine defuncti ſtare ne ejus nomen ex Iſraële deleretur. Si id renueret facere ſuperſtes frater, coram urbis ſenatu appellandum à viduà, diſcalceandum conſpuendum & ſuæ ignominiæ dimittendum. Aben-eſdras hic: *Quoniam tu* יבמה *levir ejus es, oſtende* היבום *leviratus officium. Et iſte ingrediebatur ad uxorem fratris ſui. In loco* [Deut. 25. 5.] Cum habitant pariter fratres &c. *hæc paulo fuſius exponam, ſi Deus mihi vitam proroget donec eo pervenero.* Hæc igitur lex in uſu fuit ante Moſen, qui eam renovavit & ut multas alias in patrum more & uſu poſitas corpori juris ſui inſeruit, ut remp. ſuam plene inſtrueret.

• Exiſtimabat Calvinus, inter alios, legem illam leviratus non eſſe intelligendam

dam de fratribus germanis ſed de proximis ſanguine, qui generali quidem nomine ab Hebræis fratres appellantur, ſunt tamen extra gradus prohibitos. Hinc ſequeretur Judam non rectè neque ſecundum legem illam Deuteronomii feciſſe, qui germanum ſucceſſorem in matrimonio eſſe voluerit. Hanc ſententiam rejicit Beza in libello de repudiis. Argumenta, quibus eam rejicit, iſta ſunt apud Rivetum: I. Vox יבם ſignificat levirum defuncti viri fratrem. Hac voce Moſes utitur & יבם eleganter in Græco redditum eſt ἐπιγαμβρεύειν II. Ruthæ 1. 2. ex verbis Naomi ſatis colligitur, legem ſic ab illis acceptam eſſe, quomodo eam Judas accepit: nempe ut inter proximos ſanguine germanus frater primo loco ad eam teneretur, priuſquam remotiores ad hoc officium vocarentur. Illa enim nurus ſuas admonet de ineundis aliorum conjugiis, nec exſpectando fratres maritorum ſuorum. Quod accipiendum eſſe de germanis fratribus teſtantur verba *Nunquid ultra mihi filii in utero meo, ut ſint vobis in viros?* III. Verba legis id etiam confirmant, *Non erit uxor mortui foris.* Id eſt, Non nubet viro extraneo, extra patriam mariti demortui domum, unde ſequitur germanum fratrem non excipi. IV. Durum meritò videretur, quæſtionem illam Chriſto à Sadducæis propoſitam Matth. 22. de ſeptem fratribus, ſic exponere, quaſi ſolum cognati fuerint inter ſe & quidem gradibus non prohibitis. Quamvis etiam ad proximos alios iret officium illud, fratre deſiderato aut renuente ut ex Ruth III. 12. IV. 1. colligitur. Judas igitur è lege fecit. Lex autem illa exceptio fuit è lege communi Levitici 18. 16. & 20. 21. Hæc enim communis lex eſt, quæ de fratris viventis uxore accipi nequit, quia omne adulterium communiore lege prohibitum eſt nec locum habuit prohiberi ubi de gradibus prohibitis conjugii agitur. *Quod ſi quis dicat* (inquit Rivetus) *ex lege liberam fuiſſe uxorem fratris etiam viventis, qua repudiata fuiſſet, ad quam prohibitio referri deberet, nulla eſt ratio, cur ei aſſentiamur, quia lex repudiorum ibi non meminit & abſolute prohibet conjugium cum fratria: alioquin alia omnia præcepta poſſent etiam reſtringi ad repudiatas quod abſurdum eſſet.*

Lex illa de ducenda fratria, à Deo data patribus, fuit Iſraëlitis peculiaris, quia ibi & tum ceſſat, ubi ejus ceſſat cauſa. Cauſæ fuerunt duæ, Prima ſtirpis diſtinctio ad certam Meſſiæ originem. Altera, hæreditatis in terra Canaan in familia conſervatio. Id eſt nomen alicujus in Iſraële ſupereſſe, ſi eo modo conſervaretur. De hac lege & aliis fuſius loco ſuo.

Onani factum: Non poterat apertè rejicere patris mandatum, cum tamen diſpliceret fratri ſemen ſuſcitare. Non licuit detrectare quod pater jubebat: quia ea vis eſſet patriæ poteſtatis, cum lex non imponeret neceſſitatem ſed ſi cedere hæreditate vellent liberum id faceret: niſi dixeris germano fratri neceſſitatem fuiſſe; cæteris autem remotioribus ſub illa conditione libertatem.

Spermata Effunderet: Scriptura factum ejus exprimit, quod ſemen corruperit ad terram: Aben-eſdras: *Fuit effundens ſemen* (חקרי) *effluvium & effundens foras in terra.* Dicit ſe mirari Aben-Thummim Hammizrahi, qui exponat illam corruptionem in terram, de modo Veneris, שעשה לה שלא כדרך הנשים בעבור שלא תהר ותנה שחת הארץ שלה, כי עליו הוא יושבת בארץ וזה פי' שנעץ וחלילה חלילה להתגאל זרע הקדש בטנוף הטנוף: Hanc eſſe expoſitionem amentiæ, quia abſit ita pollui ſemen ſanctum. Raſi דש מבפנים וזורה מבחוץ | *Triturat intus ſpargit ſeu ventilat foris.* Cauſam facti exponit ſcriptura, quia id ſemen fratris fururum erat, ne daret fratri ſemen. Ob id crimen Deus eum exrraordinario fato interemit. Nam malum videbatur id in oculis Dei. Vulg.| *Eo quod rem deteſtabilem faceret*: Rivetus: *Quamvis*

vis omne peccatum malum ſit & Deo diſpliceat, ſunt tamen nonnulla de quibus id expreſſe dicitur eo quod magis ſunt deteſtanda. Id etiam oſtendit pœna præſentiſſima, qua Deus non permiſit eum ulterius vivere, qui generationem fraudabat & fœtum enecabat in ipſo ſemine. Idem: *Conſiderabat non ſuam ſed patris futuram prolem, quam Thamar conciperet: ſi cum eo conſueſceret legitimè. Abutitur lege conjugii, in quam conſenſerat & dum libidinem exercet, ſub hoc prætextu impurè ſe contaminat, effundendo ſemen in terram ne fratri ſuo ſuppeditaret poſteritatem. Hic plura nos eloqui non ſinit pudoris ratio: ſed id tantum animadvertendum, omnem abuſum ſeminis, imprimis voluntariam ejus effuſionem, extrà conjugium, graviſſimum eſſe peccatum; cavendumque ab impuri ſpiritus ſuggeſtionibus, quibus Satan in ætate adoleſcentiæ & prima pubertatis inſidiatur multis: quos incitat ut propria corpora, ut upupa nidos ſuos infami mollitie polluant & contaminent ſeipſos corrumpentes & conſcientiæ ſuæ grave vulnus infligentes. Quod peccatum frequentiſſimum eſt inter illos, quibus ſordet honorabile conjugium & thorus immaculatus. Apud quos reperitur.*

Qui mœchus meretrix leno ſit ipſe ſui.

Hactenus Rivetus. Martialis ex vero Ponticum reprehendit:

Hoc nihil eſſe putas? Scelus eſt mihi crede ſed ingens
Quantum vix animo concipis ipſe tuo &c.
Ipſam crede tibi naturam dicere rerum;
Illud, quod manibus, Pontice, perdis homo eſt.

Morte duorum filiorum trepidus Judas, cum de tertio metueret, præveniendum ratus, jubet ut Thamar vidua conſideat in paternis ædibus, donec filius ſuus Sela adoleviſſet. Hic mirari ſubit, cur de Sela metuens eum velit in matrimonium Thamar tradi, quod duos ejus fratres hauſerat? Videtur mihi id exiſtimare Judas, ideò Onan occubuiſſe, quod id matrimonium ſpreverat, ſi igitur tertius filius, quod debebat è lege Dei officium leviratus non præſtaret, divinitus puniendum eſſe. Cur autem non domi ſuæ, ſed apud patrem conſidere voluit nurum? Sic habuit conſuetudo; Viduæ quæ prole carebant, patrias domos repetebant: illinc in matrimonium iterum ſi forte, ambiendæ.

Thamar in paternas ædes ſeu domum patriam ſe contulit ſeque continuit longo tempore. Jam adoleverat Sela, nec ei tradebatur. Id cum videret, nec eſſet muliebris pudoris ſocerum admonere, hac eum fraude circumvenit: Defuncta filia Sue, uxore Judæ, & diebus luctus finitis, proficiſcebatur Judas, Hira amico ſuo comite, ad tonſores ovium, Thamnam: Urbs fuit in tribu Judæ: Joſue 15. 57. Alia fuit in Dan Joſ. 19. 43. Quam poſtremam deſignari puto, Judic. 14. in hiſtoria Samſonis. Illa in tribu Judæ, haud procul Odollam ſita fuit. Plerique ita accipiunt Judæ animum & facta: quaſi nunquam ipſi animus fuiſſet filium Sela collocandi in matrimonium Thamar: quia ob Thamarem non ſua culpa filios priores duos obiiſſe putaret. Ideò mandaſſe Thamaræ, uti vidua maneret, ſuſpenſa exſpectatione matrimonii. Non licuit enim illi, ut alii viro nuberet. Scriptura dicit: *Cogitabat ne & ipſe moreretur.* Hæc verba rationem videntur ponere promiſſi matrimonii & uti Thamar conſideat domi vidua. Raſi ad ea: כלומר דוחה היה אותה בקש שלא היה בדעתו להשיאה לו: *Quaſi diceret, Expulit eam, poſtulavit, quamvis non eſſet in animo ejus eam illi tradere.* Vult igitur

Scri-

Scripturam innuere, aliud Judam in animo occultum, aliud in lingua promptum habuiſſe. Cum Thamar nuntiatum eſſet de profectione ſoceri, depoſitis viduitatis ſuæ veſtimentis, ſumpto theriſtro obvelat faciem, conſeditque meretricio habitu apud viam, quæ Thamnam ducebat, in ingreſſu duorum fontium. Notat hic Auguſtinus lib. 1. qu. 129. in Geneſ. *Hic inſinuatur etiam temporibus patriarcharum certa & ſua fuiſſe veſtimenta viduarum, non utique talia, qualia conjugatarum.* צעיף / *theriſtrum, peplum.* Gen. 24. 65. eadem vox fuit. Chaldæo עיפא. Agnoſci noluit ut ſolebant meretrices obnubere faciem. Grotius è Chryſippo in Iſagoge bonorum & malorum: Πρῶτον μὲν ἐξωπόλεως ἐν προσωπεῖα περικείμεναι αἱ ἑταῖραι ἐξεμίσθουν ἑαυτὰς τοῖς βουλομένοις εἶθ' ὕστερον καταφρονήσασαι ἀπέθεντο τὰ προσωπεῖα καὶ ὑπὸ τῶν νόμων μὴ ἐπιτρεπόμεναι εἰσιέναι εἰς τὰς πόλεις, ἔξω ἦσαν αὐτῶν. בפתח עינים variè accipiunt interpretes. Vel enim eſt nomen loci, vel habitudinem loci deſcribit. Aben-eſdras; *Nomen loci: quidam dicunt, quod duo fontes aquarum fuerint in via, in ſimilitudinem oſtii.* LXX Πρὸς ταῖς πύλαις Αἰνάν. Alii appellative, pro fontibus, oculis, bivio. Raſi: *In diviſione viarum, quæ ad viam Thamnæ. Magiſtri noſtri,* דרשו / *ad oſtium Abrahami patris noſtri,* quia omnes oculi ſpeculantur ad videndum eum. Chald. בפרשות עינן. Hieronymus in quæſt. Hebraic. *Sermo Hebraicus* עינים / *Enaim, transfertur in oculos. Non eſt igitur nomen loci, ſed eſt ſenſus: Sedit in bivio ſive in compito, ubi diligentius debet viator inſpicere, quod iter gradiendi capiat.* Huic interpretationi aſſentiuntur Vatablus, Iunius & Tremellius, alii. In compitis haud procul urbibus meretrices ſedebant, ubi commeare ſolebant viatores. Judas igitur ſive in profectione ſive in reditu eam conſpicatus, quia meretricem eſſe putabat, concubitum emit. Pretium erat hircus caprarum, quem ſtipulabatur Thamar: & quia in promptu non erat, arrhabonem petiit, annulum ſignatorium, פתיל & ſcipionem, quem geſtabat manu. Ordinaria geſtamina illa fuerunt virorum honoratorum. Quid ſit פתיל quæritur? Raſi: שמלתך שאתה מתכסה בה. Chaldæus: שושיפך linteum, ſive ſudarium tuum. Id exponit Raſi. LXX: ὁρμίσκον σου. Syrus in Biblis polyglottis Anglicanis, ܘܫܘܫܦܟ: Arabs بسرادينك Judas ſuſpicatus eſt eam mulierem eſſe meretricem, quia videbat eam in illo loco, ubi ſcorta proſtare ſolebant. Raſi: *quia conſidebat in bivio.* Id vero mirum eſt, quod non agnoverit eam à voce. Nam habitaverat aliquanto tempore in ædibus ejus, & cum ea, ultro citroque in iſto actu ſermones ſeuit. Pluribus actum de pretio & pignore. At ſine dubio vocem de induſtria mutavit, ſubmiſſius locuta eſt. Id quod verecundiæ potuit adſcribi. Judas præconceperat de alia, ideò minus advertit & æſtus libidinis occupaverat feſtinantem. Raſi dicit Midras eſſe, quod fuerit admodum verecunda in domo ſoceri, ideo mali aliquid minus ſuſpicatum eſſe. Abeneſdras: *Qui exponit* (τὸ tegere) *quod texerit faciem ſuam ſpeciebus colorum, & probationem à filia inducit, vanitas eſt, quia non adducitur probatio à ſtultis. Etiam ſtabile eſt, quod commentantur m. b. m. fuiſſe verecundam in domo ſoceri.* Deinde: *Pro magnitudine deſiderii ſui dedit tria in pignus* על דבר קל. De his tribus multa apud authorem כלי יקר qui fuſe de illis tribus & Judæ crimine. Factum illud Judæ excuſari non poteſt à macula ſcortationis, licet inceſti fœditatem non habuerit. Nam materialiter inceſtus erat, qui formaliter fuit commiſſus animo ſcortandi. Putabat enim eſſe publicæ libidinis victimam, qua cum ſibi res eſſet. Conſtat ea tempeſtate ſcortationem vulgò uſitatam fuiſſe, non tamen ſine probro.

Thamar quidem non fuiſſe impulſam æſtu libidinis ſed prolis deſiderio, nec non propulſandæ injuriæ conſtat: unde ex tanto imminuitur culpa, at

Hhh gra-

graviter deliquiſſe quis neget? Nam conſenſit in inceſtum, cum ſocero, quem agnoſcebat. Hic legitimus modus non fuit; agendum erat apud magiſtratum, aut Jacobum ſoceri parentem. Rectè Auguſtinus: *Melius ſine filiis remaneret, quam ſine jure matrimonii mater fieret.* Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius nimium excuſare Thamaris factum allaborant. Rivetus; *Certè in talibus excuſandis veteres ſæpe modum non tenuerunt, quibus religio fuit aliquas ſanctorum actiones peccati arguere, bono quidem zelo, ſed aliquando minus prudenti.*

Thamar cum pignore domum rediit & reſumpſit veſtimenta viduitatis. Cum igitur Judas miſiſſet hircum per amicum ſuum Odollamitam, proſtibulum illud non apparuit nec quærendo inveniri potuit. Hinc in v. 23, *Capiat ſibi ne forte ſimus in contemptum.* Ea hoc ſenſu explicant: Retineat pignora, ne exponamur ludibrio, ſi ea diutius quæſieris & negotium innoteſcat. Sic etiam Abeneſdras & Raſi. Se enim ſatisfeciſſe promiſſo, quia teſtis ipſe eſſet, hircum miſſum eſſe. Lyranus. *In Hebræo habetur:* Habeat ſibi ut non ſimus deſpectui: *quod exponunt Hebræi ſic*: Sit ſuum, quod habet de meo: & non requiras amplius eam, ne factum iſtud divulgetur ad confuſionem meam. Raſi argutatur Judæ hanc à Deo retributionem fuiſſe: qui patrem deceperat hirco, cujus ſanguine tunicam Joſephi tinxerat, hic in hirco deceptus eſt.

Thamar ex uno illo concubitu concepit. Id poſt tres menſes enuntiatum ad Judam eſt. Nemo ſuſpicari poterat è Juda uterum gerere. Ille autem ratus gravem ſuæ familiæ illatam eſſe contumeliam, produci jubet ut vivicomburio tolleretur. Illa verò producta, productis pignoribus è Juda extorſit confeſſionem propriæ culpæ & alienæ excuſationem. Hic quæruntur iſta. I. Quò eam nomine ad pænam vocaverit Judas? II. An juſta fuerit pœna & legitima, ad quam vocabatur? III. Quæ confeſſionis Judæ vis & mens? IV. An Thamar poſtea Selæ collocata in matrimonium fuerit?

I. Rivetus: *In hac Hiſtoria id primum inquirendum eſt, quo jure pronuntiet Iuda ſententiam capitalem in Thamaram? Id facit vel tanquam accuſator, poſtulans tantum ut ex jure & more, cum ea agatur. Vel tanquam Iudex decernens quid faciendum ſit & jubens ut producatur ad ſupplicium. Si tanquam accuſator ſublata erit ex illa parte difficultas, niſi fortaſſe arguatur nimiæ crudelitatis & appetitus vindictæ, qui eam poſtulet ad ſupplicium tam horribile. Si verò ex autoritate ipſe judicium protulerit, quæritur, unde illi poteſtas de alicujus vita pronuntiare? Poteſtas illa vel communis eſſe potuit, vel ſpecialis. Communis, ſi magiſtratus officio functus eſt & in illo tractu princeps fuit. Id nonnulli volunt, ſed qua ratione fulti non video. Id enim tantum pro argumento afferunt, quod in quæſtione poſitum eſt. Nec eſt veroſimile Chananæos homini peregrino, etſi affinitate ſibi conjuncto ſupremam apud ſe poteſtatem conceſſiſſe eumque principem ſibi conſtituiſſe, quo tempore neque Iſaac avus neque pater Iacob, nec eorum filii & poſteri quicquam, quod eſſet alicujus momenti, in illa terra poſſiderent. Quodſi reſpondeamus, Etſi jus gladii non fuerit penes Iudam tanquam regionis principem, hunc tamen fuiſſe morem temporis illius, ut quiſque in familia ſua haberet jus vitæ & necis in domeſticos ſuos; cum autem Iuda eſſet familiæ illius caput, ad quam Thamar pertinebat, ideò potuiſſe ſuo jure uti: non videtur hoc modo tolli omnis difficultas. Primo, quia Thamar, tunc non habitabat, apud ſocerum ſuum ſed ad patrem ſuum, virum Chananæum miſſa fuerat ab ipſo ſocero. Vix autem credi poteſt paſſurum fuiſſe parentem mulieris ut autoritate Iudæ abduceretur ab ædibus ſuis atque ita ad libitum ejus plecteretur: Ex altera tamen parte, ſi dicamus non juſſiſſe pro imperio Iudam ut duceretur ad ſupplicium, ſed verba fuiſſe requirentis juſtitiam ab iis, quorum intererat, obſtare videtur, quod*

poſtquam

poſtquam Thamar indicaſſet oblatis ſignis Iudam ipſum facti fuiſſe autorem, non ſolum liberata fuit ſed nulla pœna vel etiam levis mulcta inflicta fuit Iuda, qui tamen ultrà fatebatur injuſtitiam ſuam. Si autem ab alio magiſtratu, cui ipſe Iudas fuiſſet ſubditus lata fuiſſet ſententia, non ita potuiſſet retractari, poſtquam de inceſtu convicta fuiſſet. Videbatur enim potius digna ſupplicia, quam ob ſimplex adulterium; ille vero gravi multa, qui injuſtitia ſua accaſionem conquerendi ei dederat. Cum vero nihil tale fiat, ſed ipſo agnoſcente culpam ceſſet periculum Thamaræ, nullumque præterea ei creetur, adducor ut credam, quicquid in eo negatio factum eſt, ad Iudæ nutum proceſſiſſe. Sed non exiſtimarem illo tempore adeò exactam fuiſſe in illis regionibus judiciorum ferendorum rationem ſed fuiſſe quaſdam conſuetudines, in quibus omnes conſentiebant & , pro occaſione, aliqua præeunte qui polleret induſtria vel autoritate, facile ad ſe traxiſſe multitudinis conſenſum aut diſſenſum, nondum conſtituto firmo Reip. ſtatu. Certum eſt enim & id ex præcedentibus hiſtoriis ſatis liquet, ſatis adhuc confuſa fuiſſe omnia in populis illis, ut non neceſſarium ſit ea exigere ad exactam juris regulam, qualis poſteà obtinuit. Itaque qui periculum creaverat Thamaræ ſua accuſatione facile potuit eam eripere, poſtquam cognoviſſet rem aliter ſe habere, quam putaverat; non quidem quod poteſtatem habuerit ἀνυπευθύνως, ſed quia cum negotii fuiſſet promotor & in cauſa actor, ceſſante ejus actione, nemo erat qui eam perageret ream; præſertim cum teſtaretur ſe convictum eſſe iniquitatis & eam juſtiorem pronuntiaret.

Calvinus: *Quæritur tamen cum privatus fuerit Iudas, qui tam audacter ſibi jus gladii uſurpet. Imo, cum inquilinus ſit, unde illi tanta libertas, ut arbiter ſit vitæ & necis? Reſpondeo, Non ita debere accipi verba, quaſi pro imperio jubeat nurum ſuam ad mortem rapi: vel quaſi præſto ſint ad nutum ejus lictores: ſed quia deprehenſum erat crimen ac cognitum libere accuſator de pœna pronuntiat: ac ſi jam lata eſſet à judicibus ſententia. Equidem non dubito conventus tunc haberi ſolitos, in quibus fierent judicia; ideoque ſimpliciter interpretor Iudam mandaſſe Thamar in publicum produci, ut cauſa demum cognita, pro more plecteretur. Sed pœna expreſſio huc pertinet, quaſi jam non ſit litigandum: quia Thamar antequam citetur, rea peracta ſit.*

Mercerus: *Quod, ut volunt quidam Hebræorum in principem peccaſſet: Volunt enim principem egiſſe in ea terra Iudam: quod non puto: cum nec Iacob aut Iſaac, nec eorum filii aut poſteri adhuc in ea terra quicquam poteſtatis aut dominationis habuerint, quippe peregrini. Quomodo ergò tanquam princeps aut magiſtratus eam produci jubet ad ſupplicium? Quia jam convicta erat, ex eo quod eſſet gravida, cum eſſet vidua, interim Selam maritum expectans, jubet eam ad magiſtratus produci ut mox puniatur juxta jura illius temporis & regionis, cum res ſit aperta. Nec tamen dubito, quin Iudas & alii filii Iacob, ſicut & ipſe Iacob, quia magni in ea regione fiebant, adhibiti fuerint in conſilium à principibus ejus terræ & illos in multis audierint. Alioquin penes Iudam non putarim fuiſſe jus gladii, niſi quemque patrem familias tum velis jus gladii in ſuos habuiſſe & id moris tum fuiſſe: quod vix putarem niſi forſan in domo patrum, qui adminiſtrationem ſuorum ſeorſim ut alii populi habuiſſe videntur. Et tum dici poſſet Iudam jus gladii habuiſſe in ſua familia tantum, non in tota terra illa. Ac videtur gaviſus eſſe Iudas inventam & oblatam hanc occaſionem adverſus Thamar, ne filium ſuum illi daret.* Ralbag: *Hoc in ſignum eminentiæ patrum in illa terra; quia Iuda ſolus adjudicat eam* לשריפה *combuſtioni,* וזהו משלמים מצותו *Et perfecerunt ejus præceptum.* De eminentia patrum inter Cananæos ſomniant Judæi; quaſi in parte Cananææ, quam inhabitabant, dominium habuerint & juriſdictionem: id credo, in familiis jus gladii exercuiſſe patres & primogenitos: familiæ Jacobi, imò Judæ per

ſponſalia inſerta erat Thamar. Deſponſata enim Selæ erat.

Pœna vivicomburii crudelis videtur & nimium horrida. Puella, quæ in domo patris ſcortata erat, lapidationi damnata eſt Deuteron. 22. 21. Sacerdotis filia comburi debuit Levitic. 21. 9. Hinc putant Judæi Thamar fuiſſe filiam Sem, qui erat Melchiſedec. Raſi: *Dicebat Efraim è Caſba, propter R. Meir: fuit filia Semi, qui erat ſacerdos: Ideò adjudicant eam combuſtioni.* Non poſſe eſſe filiam Melchiſedec probatur ex eo, quod Sem (quem putant eſſe Melchiſedec) mortuus fuerit anno Jacobi quinquageſimo, id eſt, fermè triginta octo annis ante natum Judam Thamaræ ſocerum. Deinde ſi fuiſſet tanti viri filia, id videtur ſcripturam expoſituram fuiſſe. Ideò Burgenſis pro arbitrio Judæ, qui princeps erat terræ, ſententiam latam eſſe putat. Nam crimen Thamar non putat fuiſſe adulterium propriè dictum: *Non videtur,* inquit, *quod Thamar commiſit adulterium propriè dictum ad hoc quod morte debuiſſet puniri. Mulieres enim quæ erant ligatæ fratribus ſeu cognatis conjugis ſui defuncti, ſi alteri copularentur, licet illicitè feciſſent, non tamen morte puniebantur ſecundum legem: alioquin Noëmi non conſuleret Ruth nurui ſuæ, ut remaneret in terra Moab & ibidem cum alio contraheret, ut habetur Ruth. 4. cap. Erat enim ligata ipſi Booz; vel alteri de cognatione: Nec etiam fuiſſet excuſata Thamar ab occaſione, ſi adultera fuiſſet propter hoc, quod non fuerat data Sela. Non enim excuſatur mulier de adulterio, ſi vir ſuus non vult ei reddere debitum. Dato etiam quod eſſet adultera, adhuc non mereretur comburi, ſed alia morte leviori puniri. Sola enim filia ſacerdotum fornicantes ſeu adulterantes igne debebant comburi ut patet Levitic. 21. Vnde quidam Hebræorum dicunt, & videtur rationabiliter, quod Iudas erat in loco, quaſi princeps & ex ore ſuo fiebant judicia: & quod in hoc non ſequebatur aliquas leges jam factas; cum adhuc non eſſent, ſaltem divinæ: ſed judicabat ut princeps ſecundum judicium arbitrii ſui: quod patet ex hoc. Nam ipſe quaſi propria auctoritate dicit: Producite eam ut comburatur: & conſequenter liberavit eam ſuo proprio arbitrio judiciali, dicens, juſtior me eſt &c. Quæ quidem excuſatio nulla eſſet ſecundum legem Divinam poſtea datam.* Thamaræ factum ſcortantis, ubi debebatur cognato mariti, adulterium non fuiſſe diſputat, quia Ruthæ licuit alii nubere. Hic reſpondemus 1. diſcrimen eſſe inter fratrem germanum & alios cognatos. Nam fratrem exprimit lex. 2. Non ſolum hoc vinculum erat ſed & ſponſalia interceſſerant. Quando ſponſalia non interveniunt legis neglectus eſt non violatio matrimonii. Addit Burgenſis, etiam adulterium non potuiſſe vivicomburio puniri niſi arbitrio principis, ut inde Judæ principatum & dominium concludat, id nos nec probamus nec rejicimus, Patriachas habuiſſe jus vitæ neciſque in ſtirpes ſuas arbitramur. Illa ſcilicet tempeſtate patriarchæ in ſuis ſtirpibus dominabantur, non poſtquam in populum poſteritas coaluit ſub magiſtratibus in familias omnes imperium habentibus. Apud Romanos parentes jus vitæ & necis habuerunt in eos filios, qui nondum erant emancipati. Aliud autem eſt patrem aliud patriarcham eſſe. Thamar etſi in paternam domum remigraverat, vi ſponſalium Judæ ſuberat. Iudam ex proprio arbitrio ultra modum ſæviiſſe non dixerim. Potuit in Cananæis gentibus adulterii pœna vivicomburium fuiſſe. Thamaris factum ſimplici adulterio majus ideo fuerit æſtimatum, quia germano mariti deſponſata erat, è quo marito ſemen debebatur primum. Hoc jus illa confuderat. Non poteſt tamen Iudas à crudelitate excuſari, qui cum matre fœtum, quod omni barbarie erat immanius, tollere voluit, antequam lucem aſpiceret.

III. Cum Thamar ad ſupplicium duceretur, prolatis indiciis Judæ indicavit è quo uterum gereret. Miſit enim ad Judam ejus pignora, juſſitque dici:

dici: Ex illo, cujus hæc ſunt, prægnans ſum. Obſervat Raſi, Noluiſſe publice enuntiare, ne confunderet Judam. Raſi: *Noluit pudefacere faciem ejus & dicere, Ego è te concepi: ſed vir cujus hac ſunt. Cogitabat enim ſi confiteatur, confiteatur à ſe, ſin minus comburant me, ut ne pudeſaciam faciem ejus. Inde dicunt:* Melius eſt homini, ut eum conjiciant in fornacem ignis, quam ut publice [ברבים] ſocii faciem confundat. Hoc Thalmudicum proverbium natum eſſe volunt ex hoc facto Thamar: quæ jam comburenda & conjicienda in fornacem, nihil dixit, quo accuſaret Judam; tantum miſit ſigna innocentiæ. Si ille culpam nollet agnoſcere, certum ipſi erat, ſupplicium pati. Hæc è codice Suta fol. 10. b. Hic Judas ingenue fatetur: *Juſtior me eſt, quia non tradidi illam Sela filio meo.* Difficilis hic nodus videtur eſſe. Nam explicant vulgo: *Minus punienda eſt quam ego, qui ſibi injuſtitiam feci, ſubtrahendo ſibi copulam filii mei tempore debito completo.* Sic Lyra & in eum ſenſum vulgò alii. Mercerus: Juſtiorem me cauſam habet. Ita ſe accuſat, cum tamen gravius longè ſit factum Thamaris, quæ ſponte hoc fecerat, Judas autem non niſi per errorem. Volunt igitur Iudam agnoviſſe, quod ipſe tanto peccato dediſſet cauſam quatenus non ſteterat ſponſalium pacto. Sed & dolore facti ſuum delictum aggravaſſe præ Thamaris delicto ſupra rei veritatem. Judæi excuſant utrumque. Ita Ioſeph Albo in libro de articulis fidei dicit Iudam inſtinctu divino declinaſſe ad Thamar, בהערה אלהות. Thamar excuſant, quod jus habuerit petendi à ſocero, quod non dabat filium. Hoc jus היבום, *ἐπιγαμβρεύσεως*. Hinc Raſi verba Iudæ, *Propterea quod non dedi eam Selæ filio meo*, ita explicat: כי בדין עשתה *Quia jure fecit, quoniam non dedi eam Selæ filio meo.* Hinc laudant & celebrant confeſſionem Iudæ, eumque è cælo juſtificatum eſſe dicunt. Nam, cum Thamar miſſis pignoribus, addidiſſet admonitionem ad Judam: *Agnoſce quaſo cujus ſit annulus ſignatorius* &c. Quod verbum fuit humilis petitionis [לשון בקשה] *Agnoſce quaſo conditorem tuum & ne perdas tres animas.* Cum admonuiſſet hoc ſenſu Thamar rapta ad ſupplicium, ingemuit Iuda & pleno ore confeſſus eſt. Ob eam confeſſionem ipſius nomini nomen tragrammaton totum eſſe additum deinde & filiam vocis exiiſſe, quæ Iudam laudaret. Audiamus Gemaram Codicis Suta fol. 10. b: *Ioſeph ſanctificavit ש״ש nomen calorum in occulto, purus fuit & addiderunt ipſi literam unam è nomine Dei benedicti,* Q.S. [Pſ. 81. 6] Teſtimonium in Joſeph [בהוסף] poſuit id [שמו] *Iuda ſanctificavit nomen calorum palam* [בפרהסיא] *purus fuit & appellatus totus de nomine Dei benedicti. Poſtquam confeſſus eſſet & dixiſſet* צדקה ממני *egreſſa eſt filia vocis & dixit:* Tu eripuiſti Thamar & duos filios ejus ex igne: per vitam tuam, ego eripiam merito tuo, tres filiorum tuorum ex igne. *Qui illi ſunt?* Hanania, Miſael, Azaria. צדקה ממני *unde noverat? Egreſſa eſt filia vocis & dixit:* Ex me egrediuntur occulta.

IV. Quod Thamar non ſit poſteà Selæ tradita nec cognita poſthac ipſi Iudæ, ipſa ratio indicat. Nam quam pater cognoverat cognoſci à filio nefas erat. Iudas errore lapſus in eam, à quo abhorruit facinore, in poſterum abſtinuit. Scriptura etiam exprimit diſertè, Iudam non amplius eam cognoviſſe, quod quidam apud Iudæos accipiunt, quaſi non ceſſaverit eam cognoſcere & habere pro uxore. Communiter accipiunt, Non addidit. Raſi: *Sunt, qui dicant* ולא הוסיף ſunt alii; qui dicant לא פסק. Scilicet vocem יסף quidam accipiunt tanquam à סוף. Idem vult Gemara poſt locum ſupra adductum. Quam uxorem Sela duxerit, incertum eſt, poſteritatem ejus legimus I. Paralip. 4. 21. 22. Ex ea non fuit Chriſtus nec linea regum Iudæ quæ ex inceſta hac pollutione orta eſt. Sela non genuit ante ingreſſum in Ægyptum.

Thamaris partus, quo geminos edidit, fuit admirabilis. Nam infantulorum unus, manum primò exſertam, quam obſtetrix coccino filo revinxerat, retraxit, locumque fecit fratri, ut primus naſceretur. Qui primò natus eſt, habuit nomen Phares, alteri nomen Zare datum eſt. Vocabulum יד manus, quater habetur in rei hujus narratione v. 27. 28. 29. 30. Quod Raſi factum eſſe dicit propter quatuor Haramim in Achan, qui è Zare ortus eſt. Joſ. VII. 18. Alios dicere ob quatuor res, quas furto abſtulerat. Phares autem qui primò egreſſus eſt, nomen tulit à dicto obſtetricis: *Cur perrupiſti? Super te eſt ruptura.* Aben-eſdras: *Sicut homo, qui diffringit maceriam & ex ea egreditur ecce ſuper eum eſt judicium effractionis. Alii dicunt quod ſit ſicut* [Gen. 28. 14.] Et erumpes. *At gaon dicit, quod* מה פרצת *ſit ſecundum ſenſum proprium, tantum* עליך פרץ *deductum eſſe ab eo ſenſu qui in hoc* [Gen. 30. 30] Et erupit in multitudinem. Nomen alterius *ortum* ſignificare volunt. Moſes diligenter annotavit originis modum, quia primogenitura tanti erat & momentum ingens in naſcendo præcedere vel uno horæ momento. Caſus igitur iſte admirabilis, ſimilis origini Iacobi & Eſaui, notari debuit, quia dedit primogenituræ dignitatem Phares è quo Chriſtus naſci debuit.

Quæ de Iſaac & Iacob exteri ſcriptores prodiderint. Et primo ex hiſtoria Sanchuniathonis.

IN tractatu de ſecunda ætate oſtendimus Phœnicum antiquitates è Taauto θεοῦ φυσικοῦ uſque ad Memrumi & Hypſurarii ætatem extendere, quos primos homines noſſe cœperunt. De illis ita Sanchuniatho: Ἐκ τούτων γεγενῆσθαι Μημρούμος καὶ ὁ Ὑψουράνιος· ἀπὸ μητέρων δέ φησιν, ἐχρημάτιζον τῶν τότε γυναικῶν ἀναίδην μισγομένων, αἷς ἂν ἐντύχοιεν. Εἶτά φησι τὸν Ὑψουράνιον οἰκῆσαι Τύρον, καλύβας τε ἐπινοῆσαι ἀπὸ καλάμων καὶ θρύων καὶ παπύρων· στασιάσαι δὲ πρὸς τὸν ἀδελφὸν Οὔσωον, ὃς σκέπην τῷ σώματι πρῶτος ἐκ δερμάτων, ὧν ἴσχυσε συλλαβεῖν, θηρίων εὗρε. Ῥαγδαίων δὲ γενομένων ὄμβρων καὶ πνευμάτων, παρατριβέντα τὰ ἐν τῇ Τύρῳ δένδρα πῦρ ἀνάψαι καὶ τὴν αὐτόθι ὕλην καταφλέξαι. Δένδρου δὲ λαβόμενον τὸν Οὔσωον καὶ ἀποκλαδεύσαντα πρῶτον τολμῆσαι εἰς θάλασσαν ἐμβῆναι· ἀνιερῶσαι δὲ δύο στήλας πυρί τε καὶ πνεύματι καὶ προσκυνῆσαι αἷμά τε σπένδειν αὐταῖς, ἐξ ὧν ἤγρευε, θηρίων. Τούτων δὲ τελευτησάντων τοὺς ἀπολειφθέντας, φησὶ ῥάβδους αὐτοῖς ἀφιερῶσαι καὶ τὰς στήλας προσκυνεῖν καὶ τούτοις ἑορτὰς ἄγειν κατ' ἔτος. Nulla igitur antiquior memoria eſt eorum, quos homines veros fuiſſe agnoſcunt, quam Eſavi & temporis, quo ille vixit. Ut videas quot ætatum habeant notitiam, nota:

1. Qui terræ geminibus vixerunt & cultum adhibuerunt.
2. Aeon & Protogonus è vento Colpia & uxore ejus Baau.
3. Hinc illi qui ignis, lucis & flammæ nominibus appellati.
4. Horum filii, qui montibus nomina impoſuerunt.
5. Ex his Memrumus & Hypſuranius.

Notandum ab Æone & Protogono, qui primi homines mortales fuere, generationes iſtas ſucceſſive deſcendere. Unde cognoſcitur Æonem & Protogonum primos mortalium (quos tamen hominum modo ſuperiores fuiſſe fabulantur) quatuor generationibus anteiiſſe Eſavum. Id procul abeſt ab diluvii calculo Hebraico. Eſavus tamen multis ætatibus prior fuit Cœlo, Saturno & Iove, quos & Phœnices & Græci pro ſummis numinibus coluerunt. Eſavum eum eſſe, quem ipſi Uſoum vocant, omnis oſtendit ratio. Memrumum

mum & Hypſuranium è mulieribus quæſtum corpore facientibus editos eſſe narrat. Hypſuranium condidiſſe Tyrum inſulam, hactenus deſertam incultamque. Illi graves cum Eſau fuiſſe inimicitias. Per ignorantiam Eſavum fratrem Hypſuranii fuiſſe exiſtimat. Iacobi nulla memoria eſt: cujus rei hanc rationem eſſe exiſtimo. Iacobus in tabernaculis habitavit, nulla propria poſſeſſione, donec cum univerſa ſobole in Ægyptum deſcenderet, Eſavus autem vicina regione late dominatus eſt. Hic illi lis & diſſidium cum Hypſuranio Tyri conditore. Eſavo tribuit quod pellibus ferarum venator (ille primus hominum) cæperit veſtiri. Arbitratur autem priores hominum nudos ſub dio, ſine tuguriis & tegumentis egiſſe, primum Eſavum pellibus pro veſtimento indui cœpiſſe, Hypſuranium reperiſſe caſas. Utrumque autem compingit intrà inſulam Tyrum. In illa, colliſione arborum proſiluiſſe ignem, primumque Eſavum navigium dedolaſſe, quo mare navigare cæpit. Eſavo attribuit idololatriam, qua coluit ventum ignemque non homines defunctos. Illius & Hypſuranii poſteros cippos ſtatuiſſe in memoriam ἀρχηγετῶν, virgas illis conſecraſſe & feſtos celebraſſe dies. Quamvis Idumæi circumciſionis uſum retinuerint prolapſi tamen ſunt ad idolorum cultum, quem & ipſe Eſau (ſi Taauto credendum ſit) amplexus eſt. Quod Eſau apud Tyron navigaſſe mare dicatur, ideò mirum non debet videri, quia Idumæa antiquiſſimis temporibus, quorum memoria eſt in fabulis poëtarum, celebrata fuit. Ideò palmas Idumæ attribuunt & quod Palæſtinæ ac Judææ erat, adſcribitur Idumææ. Rubrum mare, idem eſt quod Idumæum, quia latiſſime ejus termini diffuſi fuerunt. Nihil rerum ſacrarum hujus loci in Sanchuniathone exſtat præterquam de Eſau at de Iſaaci oblatione narrat Porphyrius Ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς τῶν κινδύνων ἀντὶ τῆς πάντων φθορᾶς τὸ ἠγαπημένον τῶν τέκνων, τοὺς κρατοῦντας ἢ πόλεως ἢ ἔθνους, εἰς σφαγὴν ἐπιδιδόναι, λύτρον τοῖς τιμωροῖς δαίμοσι. Κατεσφάττοντο δὲ οἱ διδόμενοι μυστικῶς. Κρόνος τοίνυν, ὃν οἱ Φοίνικες Ισραὴλ προσαγορεύουσι, βασιλεύων τῆς χώρας, καὶ ὕστερον μετὰ τὴν τοῦ βίου τελευτὴν εἰς τὸν τοῦ κρόνου ἀστέρα καθιερωθεὶς, ἐξ ἐπιχωρίας νύμφης Ανωβρὲτ λεγομένης, υἱὸν ἔχων μονογενῆ· ὃν διὰ τοῦτο Ι'εοὺδ ἐκάλουν, τοῦ μονογενοῦς οὕτως ἔτι καὶ νῦν καλουμένου παρὰ τοῖς Φοίνιξι· κινδύνων ἐκ πολέμου μεγίστων κατειληφότων τὴν χώραν, βασιλικῷ κοσμήσας σχήματι τὸν υἱὸν βωμόν τε κατασκευασάμενος κατέθυσεν. Certum eſt, quod eruditi viderunt, Ι'σραὴλ corruptum eſſε ex ἶλ. quod ſcioli librariorum putarunt abbreviaturam eſſe pro 'Ισραήλ. At conſtat Phœnices Saturnum non appellare Iſrael ſed Il. ita enim Sanchuniatho teſtatur: Cælo & terræ fuiſſe quatuor filios, Ilum (qui Saturnus dicitur) Betylum, Dagonem, Atlantem, Huic Ilo attribuunt fabulæ oblationem filii, quam ſacræ literæ adſcribunt Abrahamo: ita vitiatam ſuiſque moribus convenienter immutatam. Id Porphyrius, neſcio an habeat è Sanchuniathone. Ι'εοὺδ corruptum è יחיד quod habetur Gen. 22. 2. de Iſaaco. Teſtis alio loco eſt Porphyrius Phœnicum hiſtoriam à Sanchuniathone conſcriptam ejuſmodi exemplis filiorum Saturno mactatorum plenam eſſe.

Ex Alexandro Polyhiſtore & Demetrio.

EUſebius præparat. lib. 9. cap. 21. Ἀπίωμεν δὲ πάλιν ἐπὶ τὸν Πολυΐστορα. Δημήτριος φησὶ τὸν Ἰακὼβ γενόμενον ἐτῶν ἑβδομήκοντα πέντε [leg. ἑπτά] φυγεῖν εἰς χαῤῥὰν τῆς Μεσοποταμίας, ἀποσταλέντα ὑπὸ τῶν γονέων, διὰ τὴν πρὸς τὸν ἀδελφὸν κρυφίαν ἔχθραν ἠσαῦ, διὰ τὸ εὐλογῆσαι αὐτὸν πατέρα, δοκοῦντα εἶναι τὸν ἠσαῦ, καὶ ὅπως λάβῃ ἐκεῖθεν γυναῖκα, Ἀφορμῆσαι οὖν Ἰακὼβ εἰς χάῤῥαν τῆς Μεσοποταμίας, τὸν μὲν πατέρα

πέρα καταλιπόντα Ἰσαὰκ ἐτῶν ἑκατὸν τριάκοντα ἑπτὰ, αὐτὸν δὲ ὄντα ἐτῶν ἑβδομήκοντα ἑπτά. Διατρίψαντα οὖν αὐτὸν ἐκεῖ ἑπτὰ ἔτη Λάβαν τοῦ μητρὸς δύο θυγατέρας γῆμαι, Λείαν καὶ Ῥαχὴλ, ὄντα ἐτῶν ὀγδοήκοντα τεσσάρων. Καὶ γενέσθαι ἐν ἑπτὰ ἔτεσιν ἄλλοις αὐτῷ παιδία ΙΒ. ὀγδόῳ μὲν ἔτει. μηνὶ δεκάτῳ Ῥουβίν· καὶ τῷ ἔτει δὲ τῷ ἐνάτῳ, μηνὶ ὀγδόῳ Συμεών. καὶ τῷ ἔτει δὲ τῷ δεκάτῳ, μηνὶ ἕκτῳ Λευίν. τῷ δὲ ἑνδεκάτῳ ἔτει. μηνὶ τετάρτῳ Ἰούδαν. Ῥαχὴλ τε μὴ τικτούσαν ζηλῶσαι τὴν ἀδελφὴν καὶ παρακοιμίσαι τῷ Ἰακὼβ τὴν ἑαυτῆς παιδίσκην Ζελφὰν τῷ αὐτῷ χρόνῳ ᾧ καὶ Βάλλαν συλλαβεῖν τὸν Νεφθαλείμ, τῷ ἑνδεκάτῳ ἔτει μηνὶ πέμπτῳ καὶ τεκεῖν τῷ δωδεκάτῳ ἔτει, δευτέρου μηνὶ υἱὸν, ὃν ἀπὸ Λείας Γὰδ ὀνομασθῆναι. Καὶ ἐκ τῆς αὐτῆς τοῦ αὐτοῦ ἔτους καὶ μηνὸς δωδεκάτου, ἕτερον τεκεῖν, ὃν καὶ αὐτὸν προσαγορευθῆναι ἀπὸ Λείας Ἀσήρ. Καὶ Λείαν πάλιν ἀντὶ τῶν μήλων τῶν Μανδραγόρου, ἃ Ῥουβὶν εἰσενεγκεῖν παρὰ Ῥαχὴλ [vitium ſubeſt] συλλαβεῖν καὶ τὴν παιδίσκην Ζελφὰν τῷ αὐτῷ χρόνῳ, τῷ δωδεκάτῳ ἔτει, μηνὶ τρίτῳ, καὶ τεκεῖν τοῦ αὐτοῦ ἔτους, μηνὸς δωδεκάτου υἱὸν, καὶ ὄνομα αὐτῷ θέσθαι Ἰσαχάρ. Καὶ πάλιν Λείαν τῷ τρισκαιδεκάτῳ ἔτει, μηνὶ δεκάτῳ, υἱὸν ἄλλον τεκεῖν, ᾧ ὄνομα Ζαβουλών, καὶ τὴν αὐτὴν τῷ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει, μηνὶ ὀγδόῳ, τεκεῖν υἱὸν, ᾧ ὄνομα Δάν ἐν ᾧ καὶ Ῥαχὴλ λαβεῖν ἐν γαστρὶ τῷ αὐτῷ χρόνῳ, ᾧ καὶ Λείαν τεκεῖν θυγατέρα Δεῖναν, καὶ τεκεῖν τῷ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει, μηνὶ ὀγδόῳ υἱὸν, ὃν ὀνομασθῆναι Ἰωσήφ. ὥστε γεγονέναι ἐν τοῖς ἑπτὰ ἔτεσιν, τοῖς παρὰ Λάβαν, δώδεκα παιδία. Θέλοντα δὲ τὸν Ἰακὼβ πρὸς τὸν πατέρα εἰς Χαναὰν ἀπιέναι, ἀξιωθέντα ὑπὸ Λάβαν ἄλλα ἔτη ἓξ μεῖναι, ὥστε τὰ πάντα αὐτὸν μεῖναι ἐν Χαρρὰν παρὰ Λάβαν ἔτη εἴκοσι. Πορευομένου δὲ αὐτοῦ εἰς Χαναὰν, ἄγγελον τοῦ θεοῦ παλαῖσαι καὶ ἅψασθαι τοῦ πλάτους τοῦ μηροῦ τοῦ Ἰακώβ, τὸν δὲ ναρκήσαντα ἐπισκάζειν, ὅθεν οὐκ ἐσθίεσθαι τῶν κτηνῶν τὸ ἐν τοῖς μηροῖς νεῦρον. Καὶ φάναι αὐτῷ τὸν ἄγγελον, ἀπὸ τοῦδε μηκέτι Ἰακὼβ, ἀλλ' Ἰσραὴλ ὀνομασθήσεσθαι. Καὶ ἐλθεῖν αὐτὸν τῆς Χαναὰν γῆς, εἰς ἑτέραν Σικίμων, ἔχοντα παιδία, Ῥουβὶν ἐτῶν δώδεκα, μηνῶν δυοῖν, Συμεῶνα ἐτῶν δώδεκα [leg. ἕνδεκα] μηνῶν τεσσάρων: Λευὶν ἐτῶν ΙΒ (leg. ι.) μηνῶν ἕξ· Ἰούδαν ἐτῶν θ' μηνῶν ὀκτώ. Νεφθαλεὶμ ἐτῶν ὀκτώ: Ἰσαχὰρ ἐτῶν ὀκτώ: Ζαβουλὼν ἐτῶν ἑπτὰ μηνῶν δυοῖν: Δεῖναν ἐτῶν ἕξ, μηνῶν τεσσάρων: Ἰωσὴφ ἐτῶν ἕξ, μηνῶν τεσσάρων. Παροικῆσαι δὲ Ἰσραὴλ παρὰ Ἐμμὼρ, ἔτη δέκα καὶ φθαρῆναι τὴν Ἰσραὴλ θυγατέρα Δεῖναν, ὑπὸ Συχὲμ τοῦ Ἐμμὼρ υἱοῦ, ἐτῶν οὖσαν δέκα ἕξ, μηνῶν τεσσάρων. Ἐξαλλομένους δὲ τοὺς Ἰσραὴλ υἱοὺς, Συμεῶνα μὲν ὄντα ἐτῶν εἰκοσιενὸς, μηνῶν τεσσάρων; Λευὶν δὲ ἐτῶν εἴκοσι, μηνῶν ἕξ, ἀποκτεῖναι τότε Ἐμμὼρ καὶ Συχὲμ τὸν υἱὸν αὐτοῦ, καὶ πάντας τοὺς ἄρσενας, διὰ τὴν Δείνας φθοράν. Ἰακὼβ δὲ τότε εἶναι ἐτῶν ἑκατὸν ἑπτά. Ἐλθόντα δὲ οὖν αὐτὸν εἰς Λουζὰ τῆς Βαιθὴλ, φάναι τὸν θεὸν μηκέτι Ἰακὼβ ἀλλ' Ἰσραὴλ ὀνομάζεσθαι. Ἐκεῖθεν δὲ ἐλθεῖν εἰς Χαφραθὰ, ἔνθεν παραγενέσθαι εἰς Ἐφραθὰ, ἣν εἶναι Βηθλεὲμ καὶ γεννῆσαι αὐτὸν ἐκεῖ Βενιαμὶν καὶ τελευτῆσαι Ῥαχὴλ τεκοῦσαν τὸν Βενιαμίν· συμβιώσασαν δ' αὐτῷ τὰ ἔτη εἰκοσιτρία, αὐτόθεν δὲ ἐλθεῖν τὸν Ἰακὼβ εἰς Μαμβρὶ τῆς Χεβρὼν πρὸς Ἰσαὰκ τὸν πατέρα. Hactenus Demetrius apud Polyhiſtorem. Rectè ætatem Jacobi & iter in Meſopotamiam ponit. Natales duodecim patriarcharum ſuis annis & menſibus deſcribit totamque Jacobi Chronologiam accuratius, quam ex ſacris literis poteſt haberi. Laterculo ea ob oculos ſtatuamus.

1. Jacob in Meſopotamiam proficiſcitur ad Laban: ann. ætatis Iſaaci 137.
7. Ducit Liam & Rachel.
8. Menſe decimo naſcitur Ruben.
9. Menſe octavo naſcitur Symeon.
10. Menſe ſexto naſcitur Levi.
11. Menſe quarto naſcitur Judas: menſe quinto Nephthalim.
12. Menſe ſecundo Gad: menſe duodecimo Aſer: eodem menſe natus etiam eſt Iſſachar.
13. Menſe decimo Zabulon.
14. Menſe octavo Dan. Item Joſeph.

Con-

Convenit illi per omnia cum ſacris literis, niſi quod Dinam prætereat & ejus loco ſtatuat Dan; attribuat Zelphæ Iſſachar, quem peperit Lia. Evidens eſt locum eſſe vitiatum & reſtitutionem à manu medica critici judicioſi ſperare. Integra & ſana omnia ſunt uſque ad illa verba, Καὶ παραχωρῆσαι τῷ Ἰακὼβ τὴν ἑαυτῆς παιδίσκην Ζελφάν: lege Βάλλαν. Nam Zelpha fuit ancilla Liæ. Intercidit etiam hoc loco ortus Dan, quem Balla primo loco peperit, nempe ante Nephthalim. Hinc ſubjici debent Zelphæ filii, Gad & Aſer: tum ſequi è Lia Iſſachar, Zabulon, Dina. Illa igitur ita ſe bene haberent: τὴν ἑαυτῆς παιδίσκην Βάλλαν, ἣν καὶ συλλαβεῖν, καὶ τεκεῖν Δὰν τῷ ἑνδεκάτῳ ἔτει μηνὶ πέμπτῳ, Λείαν ὁμοίως παραχωρίσαι τῷ Ἰακὼβ τὴν παιδίσκην αὐτῆς Ζελφὰν ἣν καὶ τῷ αὐτῷ χρόνῳ (ᾧ καὶ Βάλλα τὸν Νεφθαλεὶμ) τεκεῖν τῷ δωδεκάτῳ ἔτει, δευτέρῳ μηνὶ, υἱὸν, ὃν ἀπὸ Λείας Γαδ ὀνομ. *Suam ancillam Ballam; quam etiam concepiſſe & peperiſſe Dan, undecimo anno, menſe quinto. Liam ſimiliter appoſuiſſe Iacobo ancillam ſuam Zelpham, quam etiam eodem tempore (quo & Balla Nephthalim) peperiſſe anno duodecimo, menſe ſecundo filium, quem à Lia nominatum eſſe* &c. Deinde Καὶ Λείαν πάλιν ἀντὶ μήλων, τῶν Μανδραγόρου, ἃ Ῥουβὶν εἰσενεγκεῖν, παρὰ Ῥαχὴλ (νύκτα ἀντησαμένην) συλλαβεῖν [τῷ αὐτῷ χρόνῳ, ᾧ καὶ τὴν παιδίσκην Ζελφὰν] τῷ δωδεκάτῳ ἔτει &c. Sic omnia recte ſe habere videntur. Dan natus eſt anni undecimi menſe quinto. Eo edito æmulata ſororem Lia Zelpham ſuppoſuit marito, quæ eodem tempore cum Balla concepit ediditque. Balla peperit Nephthalim, Zelpha Gad. Deinde ipſa Lia edidit Iſſachar, eodem tempore quo Zelpha Aſer. Hic tempus utriuſque & conceptus & partus proditur à Demetrio. In ſequentibus nulla emendatione opus, niſi ut pro Δὰν ſubſtituamus Δείναν. Καὶ τὴν αὐτὴν [Λείαν] τῷ τεσσαρισκαιδεκάτῳ ἔτει μηνὶ ὀγδόῳ τεκεῖν θυγατέρα ὄνομα Δείναν. Ἐν ᾧ καὶ Ῥαχὴλ λαβεῖν ἐν γαστρὶ τῷ αὐτῷ χρόνῳ, ᾧ καὶ Λείαν τεκεῖν θυγατέρα Δείναν καὶ τεκεῖν &c. Solet ſive Demetrius ſive Polyhiſtor repetitione quadam connectere partus, qui concurrunt. Inferius enarrans ætatem cujuſque, quando Jacob è Meſopotamia Cananæam reditum inſtituit Danum prætermittit & ſuo loco Dinam ponit. Debet autem poni ita, Δὰν ἐτῶν ϛ´ μηνῶν ἑπτά. Debet poni inter Judam & Nephthalim. Nephthalim & Gad ætate pares ita Iſſachar & Aſer. Non potuit Demetrius è Lxx. interpretibus cognoviſſe natales patriarcharum, aliunde igitur accepit. Demetrus igitur ille verſionem Lxx. interpretum non ſecutus in his, neſcio an etiam in Chronologia duarum primarum ætatum eadem cum illis habens, ex illis ea acceperit. Forte ex eodem fonte Lxx. & ille hauſerunt. Scribit Jacobum decennio hæſiſſe Sicimis, cujus anno ultimo Dina violata ſit. Filios Jacobi purgat, ut Judæi, culpam Sichemitis impingens. Λοῦζα τὸ Βαιθὴλ dicit, cum potius dicendum eſſet Βαιθὴλ τὴν Λουζῶν. Nam Lux antiquius eſt & apud eam Bethel fuit. Deinde diſtinguit inter Caphratham & Ephratham. Cum כברת ſit deſcriptio intervalli inter locum mortis Rachel & Ephratham. Ideo etiam errat dicens Rachel in Bethleem obiiſſe. Hic illi etiam convenit cum Lxx.

Ex Polyhiſtore & Theodoto, qui volumen de Iudæis Carmine conſcripſit, de Sicimis & eorum everſione.

Polyhiſtor ex illo multa adducit partim abbreviando, partim verba ipſa ponendo: Scribere, quod Sicimorum urbs nomen acceperit à conditore Sicimio filio Mercurii. Eamque ita deſcribere:

Ἡ δ᾽ ἄρ᾽ ἔην ἀγαθή τε καὶ αἰγινόμος καὶ ὑδρηλή.
Οὐδὲ μὲν ἔσκεν ὁδὸς δολιχὴ πόλιν εἰσαφικέσθαι

Ἄγχοθεν. οὐδέ τι δηρὰ [leg. δρυμὰ] λαχνήεντα πέφυκεν.
Ἐξ αὐτῆς δὲ μάλ' ἄγχι δύ' οὔρεα φαίνετ' ἐρυμνὰ,
Ποίης τε πλήθοντα καὶ ὕλης. τῶν δὲ μεσηγὺ
Ἀτραπιτὸς τέτμηται, ἀραιὴ, αὐλῶπις· ἐν δ' ἑτέρωθι
Ἡ δ' ἱερὴ Σικίμων καταφαίνεται, ἱερὸν ἄστυ,
Νέρθεν ὑπὸ ῥίζῃ δεδμημένον. Ἀμφὶ δὲ τεῖχος
Λισσὸν ὑπωρείας, ὑπὸ δ' ἔδραμεν αἰπόθεν ἕρκος.

Urbem Sicimorum fertilem, riguam; paſcuam. Facili eſſe aditu ex agro neque laborioſo itinere per ſaltus adiri. In propinquo eſſe duos montes, munitos, herbidos, ſylvoſos. Eorum medio tramitem, anguſtum, oblongum. In altero eſſe ſacram urbem Sicimorum, in radice poſitam, circa muros pedem montis eſſe & celſa mœnia circumdari. Accurata hæc deſcriptio eſt, qualem non invenias in ullo ſcriprore. In ſequentibus narrat (ut oſtendit Polyhiſtor) eam ab Hebræis, (δυνασευόμενος ἐμμώρ) occupatam eſſe.

Ἐνθένδε, ξεῖνε, ποιμβιόθι πόλιν ἤλυθ' Ἰακὼβ
Εὐρεῖαν Σικίμων· ἐπὶ δ' ἀνδράσι τοῖσιν ἔτησιν
Ἀρχὸς ἐμμὼρ σὺν παιδὶ Συχὲμ, μάλ' ἀτήρω φῶτε.

Illinc, hoſpes, paſtoris urbem venit Iacob
Latam Sicimorum. Viris autem ſociis
Princeps erat Emmor cum filio Sichem, valde noxii viri.

Narrat inde Jacobi adventum in Meſopotamiam, duarum uxorum nuptias, liberorum procreationem, adventum è Meſopotamia Sicima.

Εἰς δ' Ἰακὼβ Συρίην κτηνοτρόφον ἵκετ' ἐς εὐρὺ
Ῥεῖθρον Εὐφρήταο λιπὼν ποταμοῦ κελάδοντος.
Ἤλυθε γὰρ, κἀκεῖθι λιπὼν δριμεῖαν ἐνιπὴν
Αὐτοκασιγνήτοιο. Πρόφρων ὑπεδέξατο δόμοισι
Λάβαν, ὅς γ' οἱ ἔην μὲν ἀνεψιὸς, ἀλλὰ τότ' οἶος
Ἤνασσεν Συρίης, νεηγενὲς αἷμα λελογχώς.
Τῷ δὲ γάμον κούρης ὑπέσχετο καὶ κατένευσεν
Ὁπλοτάτης· οὐ μὲν τελέειν ἐπιμαίετο πάμπαν,
Ἀλλὰ δόλον πλύνεσε καὶ εἰς λέχος ἀνέρι πέμπε
Λείαν, ἥ οἱ ἔην προγενεστέρη. Οὐδὲ μιν ἔμπης
Ἔλαθεν. ἀλλ' ἐνόησε κακορραφίην καὶ ἔδεκτο
Παῖδ' ἑτέρην, ἀμφοῖν δ' ἐμίγη σὺν ὁμαίμοσιν ἤδη.
Τῶν δ' υἱεῖς ἐγένοντο νόῳ πεπνυμένος αἰνῶς
Ἕνδεκα, καὶ κούρη Δεῖνα περικαλλὲς ἔχουσα
Εἶδος, ἐπίτρεπτον δὲ δέμας καὶ ἀμύμονα θυμόν.

Jacob autem venit in Syriam pecudum altricem & latum
Alveum Eufratis liquit, fluminis ſonori.
Venit enim, illic declinans aſpera verba
Fratris germani. Prono animo domum recepit
Laban. Qui quidem illi erat cognatus, ſed tunc ſolus
Imperabat Syriæ, recens natum ſanguinem nactus.
Huic nuptias puellæ promiſit & annuit

Latuit

Minoris: non tamen perficere quærebat omnino,
Sed dolum nexuit: neque in lectum viro miſit
Liam, quæ illi major natu erat. Non tamen eum
Latuit ſed intellexit mali nexum & accepit
Filiam alteram, mixtusque eſt cum ambabus cognatis ſuis.
Huic autem filii nati ſunt ingenio ſolertes valde
Undecim & puella Dina admodum elegantem habens
Speciem, bene factum corpus & irreprehenſam mentem.

Tum narrat Jacobum è Syria veniſſe Sicima ad Emmor, qui eum humaniter ſuſceptum parte agri donaverit. Illic Jacobum agro colendo, filios undecim paſturæ operam dediſſe, τὴν δὲ θυγατέρα Δείναν καὶ τὰς γυναῖκας ἐριουργεῖν. Dinam autem virginem, πανηγύρεως οὔσης, urbem videre cupientem, viſam à Sychem raptamque & violatam. Deinde cum patre ad Jacob veniſſe, ac petiiſſe, eam in matrimonium. Τὸν δὲ οὐ φάναι δώσειν πρὶν ἂν ἢ πάντας τοὺς οἰκοῦντας τὰ Σίκιμα περιτεμνομένους Ἰουδαΐσαι. Jacob dixiſſe, non eſſe daturum priuſquam omnes incolentes, circumciſione admiſſa Judaïzarent. Hoc ſe perſuaſurum ſuis in ſe ſuſcepiſſe Emmor. Verba Jacobi iſta ponit:

Οὐ γὰρ δὴ θεμιτόν γε τόδ' Ἑβραίοισι τέτυκται
Γαμβροὺς ἄλλοθεν εἰς γε νυοὺς ἀγέμεν ποτὶ δῶμα·
Ἀλλ' ὅστις γενεᾶς ἐξεύχεται εἶναι ὁμοίης

Non enim fas hoc Hebreis eſt.
Generos aliunde ad nurus (filias) *ducere domum.*
Niſi [ſed] *qui genere eodem gloriatur eſſe,*

Deinde de circumciſione:

Ὅς ποτ' ἐῆς πάτρης ἐξήγαγε δῖον Ἀβραάμ,
Αὐτὸς ἀπ' οὐρανόθεν κέλετ' ἀνέρα παντὶ σὺν οἴκῳ
Σάρκ' ἀποσυλῆσαι ποσθῆς ἄπο, καί ῥ' ἐτέλεσσεν.
Ἀστεμφὲς δὲ τέτυκται, ἐπεὶ θεὸς αὐτὸς ἔειπε.

Qui olim ſua patria eduxit divinum Abraam,
Ipſe è cœlo juſſit virum cum tota domo
Carnem demere pelliculæ: & perfecit.
Immotum verò eſt, quoniam Deus ipſe dixit.

Cum autem Emmor in civitatem reverſus ſuos ad circumciſionem admittendam hortatus eſſet, unum ex Jacobi filiis nomine Symeon, ſtatuiſſe interficere Emmor & Sychem: communicatoque conſilio cum fratre Levin, λαβόντα τὸν αὐτὸν συγκάταινον, [*eoque in ſocium aſſumpto*] facinus aggreſſum eſſe. Proferebat enim oraculum, quod Abramo datum eſſet de decem gentibus quas nepotibus ipſius daturus eſſet. Sic enim Symeon ad Levin:

Εὖ γὰρ ἐγὼ μῦθόν γε πεπυσμένος εἰμὶ θεοῖο.
Δώσειν γάρ ποτ' ἔφησε δέκ' ἔθνεα παισὶν Ἀβραάμ.

Ego enim bene percepi ſermonem Dei.
Dixit enim ſe decem gentes Abraæ poſteris daturum eſſe.

Mendacio igitur (aut malè intellecto oraculo) fratrem Levi in conſortium facinoris pertraxit, uti quidem Theodotus narrat, Deum iis hanc mentem injeciſſe:

Βλάπτε θεὸς Σικίμων οἰκήτορας, οὐ γὰρ ἄατος
Εἰς αὐτοὺς ὅστις κε μόλῃ κακὸς οὐδὲ μὲν ἐσθλός.
Οὐδὲ δίκας ἐδίκαζον ἀνὰ πόλιν οὐδὲ θέμιστας.
Λοίγια δ' εἰργάζοντο τοῖσιν μεμελημένα ἔργα.

Puniebat Deus Sicimorum incolas, quia nemo inviolatus
Ad ipſos quicunque veniret bonus aut pius:
Neque juſte judicabant in urbe neque ſecundum leges:
Pernicioſa autem movebantur ipſis opera, quæ illis curæ erant.

Levin igitur & Symeona in urbem veniſſe armatos & primò obvios trucidaſſe, deinde etiam Emmor & Sychem. De quorum cæde ita loquitur:

Ὣς τότε δὴ Συμεὼν μὲν Ἐμὼρ ὤρουσεν ἐπ' αὐτόν.
Πλῆξέ τε οἱ κεφαλήν, δειρὴν δ' ἕλεν ἐν χερὶ λαιῇ,
Λεῖψε δ' ἔτ' ἀσπαίρουσαν, ἐπεὶ πόνος ἄλλος ἔρυκεν.
Τόφρα δὲ καὶ Λευὶν μένος ἄσχετος ἔλλαβε χαίτης
Ἁπτόμενος γούνων Συχὲμ, ἄσπετα μαργαίνοντα.
Ἤλασε δὲ κληῖδα μέσην. δῦ δὲ ξίφος ὀξὺ
Σπλάγχνα διὰ στέρνων, λίπε δὲ ψυχὴ δέμας αὐτός.

Ita tunc Symeon inſiluit in ipſum Emor.
Percußitque ipſi caput, cervicem autem prehendit leva:
Reliquit autem adhuc palpitantum, quoniam alius labor urgebat.
Tunc etiam Levin ire intolerabilis apprehendit coma
Tangentem genua Sychem, qui grandia inſanierat,
Percuſſit autem medium jugulum: gladius vero ſubibat
Viſcera per pectus: confeſtim autem anima reliquit corpus.

Hæc Theodotus apud Polyhiſtorem & ex Theodoto Polyhiſtor. Quod autem Theodotus dicit, Symeonem oraculo de decem gentibus Abrahamo promiſſis animos fratri feciſſe, reſpicit Gen. 15. 19. 20. 21. Abutitur autem oraculo, quod loquitur de donatione aliquando futura, non permittit violentam occupationem, faciendam quo modo & tempore ipſis placeret.

F I N I S.

INDEX

INDEX
Rerum præcipuarum in hæc parte Hiſtoriæ.

SAra cujus filia fuerit pag. 6.
Ur quid ſit pag. 7, 8.
De Chaldæis pag. 9. & ſeqq.
De Sabiis pag. 13.
De magis, Zorroaſtre & ignis cultu. pag. 15. & ſeqq.
CAP. XII. Gen. Cauſa impulſiva migrationis Abrahami è Chaldæa, pag. 31.
Iter in Chananæam pag. 31.
Deus vocat Abraham pag. 32.
Verbum mandati pag. 32. & ſeqq.
Verbum promiſſionis pag. 36.
Cur in Cananæam juſſus ire pag. 40.
Abrahami ſtatio in Sichem pag. 41.
Secundum oraculum Abrahamo datum pag. 42.
Ejus peregrinatio in Ægypto pag. 43. & ſeqq.
CAP. XIII. Gen. pag. 50. 51 52. 53.
CAP. XIV. Gen. pag. 53.
De Melchiſedec pag. 55. & ſeqq.
Bellum Elamiticum pag. 76.
CAP. XV. Gen. pag. 83.
Cur Deus tunc locutus ſit ad Abram pag. 83.
Solatur ibi Deus Abrahamum promiſſo iterato pag. 84.
Firmat fœdus tranſitu inter ſegmenta pag. 93. & ſeqq.
De quadringentis annis peregrinationis pag. 98, & ſeqq. fuſe.
Torrens Ægypti pag. 121.
Populi, quorum terræ Abrahami ſemini promittuntur pag. 128.
CAP. XVI. Gen. 124. Ubi de Hagar & Iſmaël.
CAP. XVII. Gen. pag. 139. Ubi de circumciſione.
CAP. XVIII. Angeli Abrahamo filium & Sodomæ interitum nuntiant.
Hoſpitalitas Abrahami pag. 143.
Quis Abrahamo apparuerit pag. 155. & ſeqq.
Abrahami convivium, quo excipit angelos pag. 170. & ſeqq.
De eſu angelorum apud Abrahamum pag. 174. & ſeqq.
Abrahami interceſſio pro Sodomitis pag. 178.
CAP. XIX. Gen. pag. 182.
De ſceleribus Sodomorum pag. 185.
De Loti interceſſione pro ſuis hoſpitibus pag. 187.
Sodomitæ ſcotomate percuſſi pag. 169.
De eductione Loti extra Sodoma pag. 191.
Domini colloquium cum Lot pag. 192.
De uxore Loti in ſtatuam ſalis converſa pag. 194.
De interitu Sodomorum & regionis vicinæ pag. 196.
Deſcriptio Sodomeni lacus & veſtigiorum divinæ ultionis. pag. 208.
De oppidulo Zegor, in quo Lot evaſit.
Abrahami ſolicitudo de Sodomis pag. 208.
De Loti inceſtuoſo cum filiabus concubitu pag. 209.
CAP. XX. Geneſ. pag. 214.
CAP. XXI. Geneſ. pag. 214.
CAP. XXII. Geneſ. pag. 225. De oblatione Iſaci.
CAP. XXIII. pag. 243.
CAP. XXIV. pag. 249.
CAP. XXV. pag. 262.
Quæ externi ſcriptores de Abrahamo prodiderint, pag. 265.
Delbora malè vocatur nutrix Rebeccæ pag. 269.
Ubi lin. 26. Id è tabulis (adde) ſacris cap. 35 & prava ſcriptione hauſtum hic &c.
Conceptio Eſau & Iacob pag. 272.

Nativitas eorundem pag. 278.
Studia & mores eorum pag. 279.
Rebecca Iacobo Iſaac Eſavo ſtudet pag. 281.
Jus primogenituræ ab Eſau venditum pag. 282.
CAP. XXVI. Gen. pag. 288.
CAP. XXVII. Pag. 299. Benedictionem intercipit Jacob.
Aben-eſdra queſtiones de hac interverſione benedictionis pag. 313.
Italia Græcæ ibid. In ea pag. lin. 21. Cum imago (adde) à Manaſſe introd.
Conſilium Rebeccæ de fuga Iacob. pag. 315.
CAP. XXVIII. Pag. 316.
Somnium Iacobi de ſcala pag. 318. & ſeqq.
Iacob lapidem inungit pag. 333.
Iacob votum Deo facit pag. 336.
CAP. XXIX. Pag. 337.
Lia Iacobo ſupponitur, pag. 341.
Rachel inſuper illi collocatur, pag. 342.
De polygamia pag. 342.
CAP. XXX. Pag. 347. דודאים pag. 347. 348.
Laban cum Iacob convenit de mercede, ut porrò illi ſerviat. pag. 353.
CAP. XXXI. Pag. 359.
Iacob meditatur reditum in Cananæam pag. 359.
Rachel furatur Theraphim pag. 360.
Laban inſequitur Iacob pag. 362.
Scrutatur Tabernacula & ſupellectilem Iacob pag. 363.
Fœdus facit cum Jacob pag. 364.
CAP. XXXII. Pag. 368.
De Angelorum occurſu ad Iacob pag. 368.
Iacob mittit ad fratrem pag. 369.
Eſau in Seir habitabat pag. 369.
Iacobi lucta cum angelo Dei pag. 373.
CAP. XXXIII. Gen. pag. 381.
Eſau fratri occurrit pag. 381.
An Iacob in Idumæam ad Eſau ſe contulerit pag. 384.
Salem quid? pag. 389.
Quid קשיטה ibid.
Ara in Sichem pag. 390.
CAP. XXXIV. Dina violatur pag. 391.
Sichem dolo capta eſt pag. 392. 395.
Facta modus pag. 392. 393.
De Libro Iudith pag. 393. 394.
Atrocitas facinoris iſtius, pag. 395.
CAP. XXXV. Iacob abit in Bethel pag. 396.
Purificat domum, 397.
Pavor terror Cananæos continuit pag. 398.
Ara in Bethel ibid.
Debora nutrix Rebeccæ, moritur & ſepelitur, pag. 399.
Novum nomen Iacobo confirmatur pag. 400.
Rachel moritur. 401.
Benjamini nomen pag. 402.
Ruben Ballam violat pag. 402.
Iſaac moritur & ſepelitur pag. 403.
CAP. XXXVII. Ioſeph patri carus pag. 406. 407.
Veſtis pag. 408. Somnia, Ibidem,
Venditio pag. 411. & ſeqq. Iacobi luctus pag. 416.
Diſſertatio de ſervitute pag. 416. 417.
CAP. XXXVIII. Er & Onan puniti à Deo pag. 422. 423.
Thamar inceſtum committit pag. 425. abſolvitur pag. 426.
Quæ de Iacobo externi Scriptores prodiderunt pag. 430.

Chrono·

Chronologia intervalli temporum hoc tractatu comprehenſi.

A. M.

2023 Abraham vocatus à Deo, è Chaldæa & Haran migrat in Cananæam. cum Sara, uxore, & Lot fratris filio. Fame compulſus in Ægyptum concedit.

2006 Ragau moritur anno ætatis ſuæ 239. Semi 467, Arphaxadi 367, Sale. 333, Eber 303, Sarug 209, Thare 148, Abrahami 78.

Lot Sodomis direptis in captivitatem tractus ab Abrahamo liberatur.

2034 Iſmael naſcitur ex Hagar, anno ætatis Abrahæ 86.

2047 Circumciſio inſtituitur anno ætat. Abrah. 99. Iſmaelis 13. Semi 448. Gen. 17. Eodem anno duo angeli cum filio Dei ab Abrahamo hoſpitio & convivio excipiuntur. Abraham Deum familiariter deprecatur pro Sodomitis, Gen. 18.

Pentapolis Sodomitana cæleſti igne conflagrat, Loto cum uxore & duabus filiabus educto: è quibus uxor in ſtatuam converſa eſt. Gen. 19.

2048 Iſaac naſcitur è promiſſione Dei. Eodem anno Moab & Ammon naſcuntur ex inceſtu.

2063 Iſaac [forte 15 annorum puer] in monte Moria immolandus à patre, Dei revocatione liberatur. Gen. 22.

2083 Thare anno ætat. 205. moritur: ætat. Semi 524. Abrahami 135. Iſaaci 35.

2085 Sara ætatis 127. moritur: ſepelitur in Hebron.

2088 Iſaac anno ætat. 40 Rebeccam ducit, inſignem forma, pietate, ſolertia Gen. 24.

2096 Arphaxad moritur anno ætatis ſuæ 438. ætat. Semi 528. Sale 408. Eber 373. Abrahami 148. Iſaaci 48.

2108 Eſau & Jacob naſcuntur.

2123 Abraham moritur anno ætat. 175, Cum Abrahamo vixerunt Noë annis 57. Sem, Sale, Eber toto ejus ævo. Phaleg 42. Nachor 49. Thare 135. Arphaxad 148. Ragau 78. Sarug 101. Iſaac 75. Jacob & Eſau 15.

2126 Sale moritur anno æt. 433. Iſaac Geraris habitans fame compulſus in Palæſtinam concedit, Gen. 26.

2148 Eſau Cananæas mulieres ducit.

2158 Sem moritur anno ſuæ æt. 600. æt. Eber 436. Iſaac. 111. Jacobi & Eſavi 51.

2171 Iſmael moritur ann. ætatis 137.

2185 Iſaac Jacobo benedicit, deceptus dolo uxoris. Unde Eſau mortem fratri minatur.

Quod cum Rebecca cognoviſſet Jacobum in Meſopotamiam ablegat. Ille in itinere ſcalas per ſomnium videt.

2187 Eber moritur anno ætatis ſuæ 464: Iſaaci 130: Jacobi & Eſavi 79.

2192 Jacobo pro Rachel Lia ſupponitur & mox Rachel etiam juncta eſt.

2193 Ruben è Lia naſcitur.

2194 Symeon è Lia naſcitur.

2195 Levi è Lia naſcitur.

2126 Juda è Lia naſcitur. Dan è Balha ancilla Rachel.

2197

2197 E Balha Nephthalim, è Zelpha Gad naſcitur. Item è Lia Iſſachar & è Zelpha Aſer, ſine anni.
2198 Zabulon è Lia naſcitur.
2199 Dina è Lia naſcitur: Joſeph è Rachel. Sic natales digerit Demetrius.
2205 Jacob cum uxoribus & filiis è Syria in Cananæam ſe ſubducit: Laban eum perſecutus fœdus cum eo facit.
3206 Agit in Sochoth.
2207 Advenit in Cananæam ad Sicima.
2215 Dina rapitur à Sychem filio Emmor: ob quod facinus Symeon & Levi omnes puberes virilis ſexus interimunt & oppidum à filiis Jacob diripitur.
Ideò Jacob Sicimis relictis Bethel ſe confert.
Inde cum circa Bethleem eſſet Rachel moritur.
Paulò poſt Ruben inceſta conſuetudine Balham polluit.
Jacob advenit ad patrem ad Hebronem.
2217 Joſeph à fratribus venditus in Ægyptum deportatur.
2226 Joſeph calumniis heræ oppreſſus in carcerem compingitur.
2227 In carcere aulicis ſomnia interpretatur.
2228 Iſaac moritur, anno æt. 180. cum ultra triginta annos cæcus fuiſſet. æt. Jacobi 120. Joſephi 29.
Joſeph è carcere habenis regni admovetur, anno æt. 30.
2238 Jacob cum univerſa familia in Ægyptum migrat anno æt. 130. Gen. 46. & 47.

F I N I S.

BIBLIOTHECA
Hiſtoriæ Sacræ,

De Peregrinatione Iſraëlitarum.

SULPITII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ,
LIBER PRIMUS.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

AT Ioſeph, cum benigne à curatore regio, qui eum pretio acceperat, haberetur, domumque ejus & familiam procuraret, decorus ipſe inſigni ſpecie, uxoris domini oculos in ſe converterat. Cumque amore ipſius deperiret, appetitum ſæpius, nec acquieſcentem ſibi, falſo ſcelere infamat: ac viro queritur ſtuprum ſibi intentatum. Ita Ioſeph in carcerem eſt conjectus. Erant in eadem cuſtodia miniſtri regis duo, qui cum ſomnia ſua Ioſeph retuliſſent, futura ex ſomnio conjectans, unum eorum pœnas capite luiturum, alium abſolvendum pronuntiavit. Atque ita accidit. Igitur poſt biennium ſomnium regi objectum eſt. Quod cum à prudentibus Ægyptiorum non poſſet abſolvi, miniſter regis ille, carcere exemptus, regem admonet, Ioſeph eſſe mirum ſomniorum interpretem. Ita Ioſeph ſolvitur, interpretatusque eſt regi ſomnium: Septem annis proximis maximam frugum ubertatem futuram, conſequentibus inopiam. Quo metu rex perculſus, videns divinum in Ioſeph ſpiritum, rei eum annonariæ præfecit, æquato ſecum imperio. Tum Ioſeph abundantibus per totam Ægyptum fru-

mentis,

mentis, magnam copiam congeßit: multiplicatiſque horreis, adverſus futuram famem conſuluerat. Eâ tempeſtate ſpes atque ſalus Ægypti in illo ſita erat. Per idem tempus verò duos ex Aſeneth filios genuit Manaßen & Ephrem. Ipſe autem, cum ſummam à rege poteſtatem accepit, erat annorum XXX. Nam à fratribus, ſeptendecim annos natus, venundatus eſt.

Drusius.

A Curatore Regio] Curatorem regium appellat, quem ſupra dixerat, *prapoſitum Pharaonis*, qui à Moſe vocatur *Eunuchus Pharaonis*. Quomodo Eunuchus, ſi uxorem habebat? An Eunuchum dixit, quia miniſter & aulicus erat Pharaonis? Theodoretus: *Eunuchi nominantur non ſoli ſecti, ſed etiam qui inter famulos ſunt* εὐνοῦντες τοῖς ἔχουσιν, *id eſt, benevoli poſſeſſoribus. Nonnulli autem dicunt ſolere Ægyptios eunuchos habere uxores propter libidinem & ſalacitatem.* Quod Græcè ἐτυμολογίζει, εὐνοῦντες τοῖς ἔχουσιν, id in vocabulo Ebræo סריס non habet locum. Quocirca debilior eſt hæc Etymologia, quam ut ex eo probari poſſit quod vult ὁ θεολόγος. Sunt nihilominus qui Ebræa convertunt, *aulicus Pharaonis*, non magis audiendi, meo judicio, quam qui corrigunt, *cubicularius Pharaonis*. Si enim erat, ut Moſes ait, princeps mactatorum, lanionum, aut carnificum & ſpiculatorum, quomodo potuit eſſe cubicularius Regis. Tamen Eucherius in libros Regum pag. 198. *Fuit conſuetudo & apud antiquos eunuchos vocare cubicularios & cuſtodes palatii, qui uxores habebant, & abſciſſi corpore non fuerunt.* Dixi mactatores, id eſt, טבחים à Moſe dici lanios vel carnifices, appellatione à mactando. Nam ut ei homines, ità illi pecudes mactabant. Hodiè in Anglia, qui laniones ſive lanii ſunt, iidem homines ſecuri feriunt. Quod ſupplicii genus in viros principes ibi exercetur creberrimé. Apud Joſephum & LXX interpretes ἀρχιμάγειρος princeps coquorum: de quo extat judicium Hieronymi hujuſmodi: *In pleriſque locis archimagiros, id eſt, cocorum principes, pro magiſtris exercitus Scriptura commemorat, μαγειρεύειν quippe Græcè interpretantur occidere.* Et Auguſtini, quod habetur. Quæſt. iii Geneſin. *Nolunt quidam præpoſitum coquorum interpretari, qui Græcè ἀρχιμάγειρος dicitur, ſed præpoſitum militiæ, cui eſſet poteſtas occidendi. Nam ſic appellatus eſt etiam ille, quem Nabuchodonoſor miſit, penes quem potius invenitur primatus fuiſſe militia.* Quidam hic edidit *rerum capitalium præfectus.* Cui firmando quod in domo ipſius carcer extiterit. Hic à Latinis dicitur etiam prætorianus judex, & quæſtor rerum capitalium. Cæterum טבח/ de hominibus uſurpatur. Jeſ. 14. 21. *parate filiis ejus mactationem.*

Pretio Acceperat] id eſt, emerat.

Domumque Ejus Et Familiam Procuraret] per domum intelligit, bona domeſtica: & per familiam uxorem & liberos ſervoſque reliquos. Alioqui domus quandoque pro fámilia ponitur. Gen. 39. 5. *Ab eo tempore conſtituit eum ſuper domum ſuam, & ſuper omnia quæ habebat.* Tales Latini ſcriptores appellant ſervos atrienſes, quibus commiſſa cura familiæ ac totius domus, Græci ἐπιτρόπους vocant. Qua voce uſi ſunt hoc loco Jonathan & autor Jeroſolymitanæ. Eſt autem ἐπίτροπος diſpenſator, œconomus vel œconomiæ præpoſitus. Ariſtoteles, δῆλον δὲ εἴδη δύο, ἐπίτροπος

προεστὼς καὶ ἐργάτης: ſervus atrienſis & operatius, id eſt, operam faciens domi aut in agro alibive.

Uxoris Domini] Id eſt, heri ſui. Male ergo in quibuſdam libris *Domini* cum *D.* majuſculo. Nam tum eſt unum ex nominibus Dei.

Oculos In Se Converterat] In amorem ſui pellexerat, ob formæ venuſtatem ſingularem, qua pollebat. Tradunt Ebræi, teſte Hieronymo, emptum à Phutiphare Joſeph ob nimiam pulchritudinem in turpe miniſterium. Quod quam facilè dicitur, tam facile negari poteſt. Debet autem probare, non is qui negat, ſed qui dicit & affirmat aliquid. Nam quod iidem tradunt, eodem Hieronymo teſte, à domino, virilibus ejus arefactis, poſteà electum eſſe juxta morem *ἱεροφαντῶν*, in pontificatum Heliopoleos, & hujus filiam eſſe Aſeneth, quam poſteà Joſeph duxit uxorem, ex ipſis fontibus infirmari poteſt.

Stuprum Sibi Intentatum] Stuprum intentare conatum ſignificat. Plus ergò eſt quam appellare aliquem de ſtupro, & minus quam ſtuprum cuipiam inferre.

In Carcerem Conjectus Est] Regium, qui erat in domo Phutipharis, in quem & regii miniſtri, quoties peccaſſent, includebantur. Unde apparet rectius exiſtimare eos, qui hunc Phutipharem ſcribunt præfuiſſe non coquis aut laniis, ſed regiis ſatellitibus ſpiculatoribuſque: quippe penes quem jus regii carceris eſſet. Vide Gen. 40. 3.

Ministri Regis Duo] Qui eunuchi vocantur, Gen. 40. 2. quorum unus erat pincerna ſive pocillator, hoc eſt, princeps eorum qui Regi vinum fundebant: alter piſtor erat, hoc eſt, princeps piſtorum; quem *ἀρχιοινοχόον* vocant Græci. Sic alibi ſacerdos ponitur pro ſummus ſacerdos, & angelus pro Archangelus. Quæ obſervatio lucem adfert huic loco Tobiæ, *ego ſum unus ex ſeptem Angelis*: quem vir doctus non capit, & ideo carpit. Nam ut ſunt Angeli innumerabiles, ita ſeptem archangelos eſſe, quos Johannes Theologus Spiritus appellat, religio à majoribus accepta tradit. Hieron. in tradit. Ebr. *Vbi nos poſuimus principem vinariorum, in Ebræo ſcriptum habetur Maske, quem nos poſſumus more vulgi vocare pincernam. Nec vile putemus officium, cum apud Reges barbaros uſque hodie magnæ dignitatis ſit regi poculum porrexiſſe.*

Futura Ex Somnio Conjectans] Quæritur an hoc ſit licitum, & ſciendum ſomnia duorum generum eſſe. Interna, Externa. Interna vel ex phantaſia oriuntur, vel ex complexione & conſtitutione corporis. Ex hac ultima ſpecie medicus divinare poteſt, & ægroto aliquid certi prædicere. Externa vel ad corpus pertinent, vel ad Spiritum. Ad corpus pertinent, quæ *σημαντικὰ* Græci vocant, ex ſympathia quadam quæ inter corpus noſtrum & aſtra originem ducentia. Ad Spiritum ſpectant, quæ ex cauſſa Spirituali: ſuntque duplicis generis. Nam alia Divina, & alia Diabolica. Divina à Deo proficiſcuntur, Diabolica ab ipſo Cacodæmone. Ex his quæ Divina dixi & *σημαντικὰ* conjicere licet futura, ex aliis non item, ut nec ex primi generis internis.

Unum Eorum &c.] Piſtorem ſuſpendio vitam finiturum.

Alium Absolvendum] pincernam liberandum crimine, propter quod in carcerem conjectus fuerat, & in locum muneris priſtinum reponendum & reſtituendum.

Post Biennium] Hoc adjecit, quoniam immemor benè de ſe meriti,

riti Joſephi pincerna tanto tempore nullam ejus memoriam apud regem uſurpaverat.

Non Posset Absolvi] Pro eo habendum ac ſi dixiſſet, ſolvi declaratione aut interpretatione. Abſolvere ſomnium ita dixit ut Plautus *abſolvere navem*, & Varro *promiſſum*, & Tacitus *fidem*.

Joseph Solvitur] è vinculis.

Quo Metu Rex Perculsus] Mirum unde hoc hauſerit. Nam in fonte non habetur. Metu quidem perculſus fuit, cum vidiſſet ſomnium, ſed hoc accidit antequam Joſephus illud interpretatus fuiſſet.

Æquato Secum Imperio] ſi tamen ſolium excipias, Gen. 41. 40. *duntaxat ſolio te major ero.*

Adversus Futuram Famem] Meminit hujus famis Juſtinus Hiſtoricus, lib. 36. ex Trogo Pompeio. Accidit autem, putante Oroſio lib. 1. cap. 8. anno ante urbem conditam 1048.

Spes Et Salus Ægypti] Spes de ſalute Ægypti. Tmeſis.

Ex Aseneth] Filia Phutipharæ ſacerdotis vel magis gubernatoris Onii, quem multi eundem faciunt cum Phutiphar ſatellitum vel ſpiculatorum præfecto, meo judicio, non rectè. Primum quià nomina diverſa Phutiphara & Phutiphar. Deinde quia Phutiphar in aula degebat, quæ tum creditur fuiſſe apud Memphin. Ea diſtabat ab Onio, ubi, ut credibile eſt, Photiphara habitabat, amplius quam viginti miliaribus. Notavit hoc S. Auguſtinus. Poſtremò cauſa eſt non levis cur credendum ſit, ſi heri filiam duxiſſet, cum hoc ad honorem ejus non parum faciat, Moſen hoc taciturum non fuiſſe. Scio in alia ſententia olim fuiſſe Hieronymum: veruntamen, illud quidem certè negari non poteſt, quin herus Joſephi סריס fuerit. Quæ vox ſi verè eunuchum denotat, non poteſt ſacerdos Onii eſſe Phutiphar, cum eunuchi, licet id faciant quod viri ſolent cum mulieribus, tamen generare nequeant. Cæterum Onii ſacerdos vel princeps aut præfectus dici etiam poteſt Phothifera & Phutifare: quæ antiqua lectio eſt pro Phutifera: cujus ultima conſonans in Ebræo per Ain ſcribitur.

Aseneth] Ἀσενέθ. Legitur & Aſenath. Audi nunc & ride. Jonathan, *Aſenath, quam pepererat Dina Sichemo & educaverat uxor Photiphare ſacerdotis Onii.* Vult dicere adoptaverat in filiam. Talibus ineptiis cum ſcateat Jonathan ille, non immerito mihi ſuſpectus olim fuit & adhuc eſt.

Duos Filios Genuit] antequam orta fames & annonæ penuria eſſet. 41. 50.

Manassem] Vel Manaſſen cum N in fine, à recto Manaſſe. Sed Græci dicunt Manaſſes: unde Manaſſem cum M in fine. Id ſignificat oblivionem inducens. Manaſſe, Manaſſes, ut Moſe, Moſes. Sic Joſe, Joſes. Nominibus enim in vocali deſinentibus Græci σ addere ſolent, ut Judas, Tobias, Jeſus. Dictus ita ἀπὸ τοῦ נשה obliviſcor, quod in participio ſecundæ conjugationis, menaſſe, obliviſci faciens. Nam Deus Joſepho in Ægypto verſanti dolorum omnium ipſiuſque adeò patriæ domus oblivionem attulerat.

Ephrem] Antiquum eſt pro Ephraim. Qualia ſunt Meſrem Ægyptus, apud Joſephum: Mozanem, bilances, apud Epiphanium. Appellatio à fœcunditate. Nam Deus eum auxerat & fœcundaverat in terra miſeriæ ipſius, hoc eſt, in Ægypto.

Summam à Rege Potestatem] Dominium in omnes Ægyptios, & in domum Pharaonis. In fonte habetur, *cum ſtaret coram Rege.* Gen. 40. 46.

Se-

Septendecim] δέκα καὶ ἑπτά. Gen. 37. 1. Quanquam in vulgata noſtra Latina *ſedecim* tantum.

Schotanus.

Hoc caput Sulpicianum complectitur tria Geneſeos Moſaicæ capita 39. 40. 41. In cap. 39. creſcit Joſeph in domo herili v. 1--6. Appetitur ab hera v. 7--12. Calumniis opprimitur, v. 13--20. In carcere etiam non deſtituit eum cura Dei 21--23.

Cap. XXXIX.

Benigne a Curatore Regio] Benignitatem heri conciliavit ab una parte Dei favor ubique pios foventis eorumque ſortem benedicentis, ab altera Joſephi liberaliter ſervientis & fortunam ſuam ferentis patientia. Scriptura dicit Dominum fuiſſe cum ipſo. Raſi: *Nomen* cæli [*Dei*] *concluſum in ore ipſius.* Rectius Lyranus: *Largiendo ſibi gratiam ſuam: & erat acceptus Deo & hominibus: quod per effectum & exteriora ſigna cognovit Dominus ſuus:* propter quod omnia, quæ erant in domo ſua diſpenſanda ſimpliciter commiſit gubernationi ipſius. Dicit ſcriptura (v. 3.) herum ejus vidiſſe quod Dominus cum Joſeph eſſet, qui manum ejus proſperam faciebat. Id ita accipi poteſt, quod cæleſtem gratiam numinis adeſſe Joſepho animadverterit, quæ eſt à Deo Iſrael, non aliunde, quamvis Potifar Deum ignoraret & illam benedictionem aliis numinibus adſcriberet. Agnovit igitur favorem Dei, quem idolis tribuebat. Fortaſſis etiam ea adhuc tempeſtate Deus notus erat in Ægypto ut tempore Abrahami. Thanchuma in par. וישב ſect. 3. diſputat unde cognoverit Potifar homo nequam, Deum eſſe cum Joſeph: vult agnoviſſe ex aſſiduis ejus precationibus. Vide ejus nugas.

Domumque Ejus Et Familiam Procuraret] ob fidelem ſervitutem & proſperationem rerum ab ipſo adminiſtratarum, præpoſuit domui ſuæ & rebus omnibus Joſephum. Inde univerſæ res Potifaris divina benedictione proſperè fluebant, domi foriſque, in urbe & ruri. Nihil rerum ſuarum curabat Potifar, ſecurus omnium menſâ & uxoris amplexu fruebatur. Scriptura: *Nec quicquam noverat cum eo, niſi panem, quo veſcebatur.* Raſi: היא אשתו אלא שדבר בלשון נקיה. *Hæc uxor eſt, ſed ita loquitur ſermone puro.* Quaſi panis voce uxor Potifaris intelligeretur, κατὰ σεμνολογίαν. Senſus ſimplex eſt, ſecurum egiſſe rerum ſuarum, quas Joſepho curandas commiſerat. Aben-eſdras illam Raſis expoſitionem, quam dixi, non improbat, quamvis etiam de pane ſeu cibo intelligi poſſe putet: Eum curatum eſſe à Potifar, quia Ægyptii cum Hebræis non ſumerent cibum. Edere panem ſuum ſecundum illos interpretes erit: כנוי לשכיבה אשתו *Ænigma notitia uxoris.* Hic Raſin non ſequitur Lyra: inquit enim: *Cibum ſuum, qui nomine panis intelligitur.* *Omni enim* ſero petebat Joſeph à Domino ſuo, quidnam craſtino vellet comedere. Et de hoc ſolo Dominus Joſeph diſponebat. Joſephus dicit in pretio fuiſſe apud herum ſuum à prima emptione. Καὶ παιδείαν τε τὴν ἐλευθέριον ἐπαίδευε καὶ διαίτῃ χρῆσθαι κρείττονι, τῆς ἐπὶ δούλῳ τύχης ἐπέτρεπεν. Liberalibus Ægyptiorum diſciplinis imbui curaſſe & meliore, quam pro ſervo, victus ratione educaſſe. Tum & domui ſuæ præpoſuiſſe. Hic Joſephum: qui cum conditione virtutem non deſeruerat, διαδεῖξαι τὸ φρόνημα κρεῖττον τῆς ἐν τῷ βίῳ δυσκόλων δυνάμενον οἷς ἂν παρῇ γνησίως καὶ μὴ πρὸς τὰς εὐπραγίας, τὰς κατὰ καιρὸν μόνον

ἡρμοσμένον: Prudentiam fortunæ adverſa poſſe *ſuperare, ſi quibus adſit, debito modo, neque tantum ad felicitates temporum, inſtructa.* Uxor herilis in Joſephum exarſit.

Uxoris Domini Oculos] duæ cauſæ ipſam incendere, juxta Joſephum. nempe ἡ εὐμορφία καὶ ἡ περὶ τὰς πράξεις αὐτοῦ δεξιότης: ſolius primæ ſcriptura meminit: יפה תואר ויפה מראה. Raſi: *Poſtquam vidit ſe dominatorem, incepit edere & bibere ſeque concinnare in capillitio ſuo. Dicebat Deus bened. Pater tuus luget tu autem concinnas capillitium tuum? Ego concitabo in te urſum.* Confeſtim conjecit uxor Domini ejus &c. Hoc putant firmari ex eo, quod dicit Joſeph וחטאתי לאלהים. Multa fabulantur Judæi de Joſephi ſpecie & comptura. Vide in Thanchuma, par. וישב יעקב ſectione tertia. Multa ibidem de mulierum pernicioſitate. Tum ſubjicitur: *Cum ſanctus ben. vellet creare Hevam, deliberabat è quo loco eam conderet. Dicebat enim: Si eam condam è capite, erit Spiritus ejus elatus: Si ex oculo, erit* סקרנית ſpectatrix: *Si ex ore,* פטפטנית loquax: *Si ex aure, erit* צייתנית auſcultatrix: *Si è manibus erit* גנבנית furax: *Si è pedibus, erit* פרתנית vagatrix? *Quid fecit Deus bened. Creavit eam è coſta, loco verecundo, ut eſſet verecunda, ſedens in domo* &c. Temporum lapſu paulatim incaluiſſe dum per otium & luxum licenter & libidinoſe oculos in ſervi formam conjicit indicat Moſes. Poſt illa dicit incenſam eſſe & flagraſſe. Hinc victo projectoque pudore, de concubitu eum compellat. Ille renuebat, duobus argumentis facti impietatem gravans, quod tanta benignitate herus ipſum rebus ſuis omnibus præpoſuiſſet, ſola excepta uxore, ut nemo ipſi in tota domo par eſſet: quod Deum vindicem peccati timeret & veneraretur. Quotidianis ejus inſidiis appetebatur Joſeph, qui etiam vitabat ejus omnem præſentiam, quantum poterat, maximè ne ſolus cum ea eſſet. Illa vero ejuſmodi verbis accenſa potius quam deterrita, oportunitatem quæſivit, qua ſola eſſet cum ſolo. Dicebat Joſeph, *Peccarem Deo.* Raſi: *Filii Noë præceptum acceperunt de nuditatibus*; de non violando matrimonio alieno. Quamvis igitur Abrahameæ domus leges non teneret, Noë tamen filiorum præcepta tenuiſſe. Joſephi caſtitatem & prudentiam Scriptura depingit: *Non audiebat eam, ut cubaret apud eam, eſſet cum illa.* Raſi: Cubaret cum ea] *Etiam ſine concubitu.* Eſſet cum ea] *in futuro ſeculo.* Abeneſdras: *Etiam cubare in loco propinquo, aut eſſe cum ea* לדבר שחות.

Nec Aquiescentem] Scriptura: ויהי כיום הזה / Fuit iſto tempore, quodam die. Aben-eſdras] *A ſeptimana una, à die quo inceperat loqui ipſi.* Cuba mecum; *aut à menſe uno, ut poſt annum integrum. Et hoc mihi arridet.* Raſi: *Quaſi diceret, Fuit poſtquam adveniſſet dies* (מיוחד) *peculiaris, dies luſus, dies* (איד) *feſti idololatrici, apud ipſos, quo omnes abierant in ædem idoli. Cogitabat: Non eſt mihi dies aptus, ut coëam cum Ioſeph ſicut dies hic: dicebat illis: Ægra ſum non poſſum ire.* Ioſeph domum advenerat, cum forte alibi curaſſet pro tempore לעשות מלאכתו. Hic Aben-eſdras: *Opus domeſticum, aut* הממון *pecunia,* כי פקיד היה על הכל / *Quia omnibus erat præfectus.* Nemo de domeſticis aderat. Raſi: *Rab & Samuel; Unus dicit, opus ſuum ſimpliciter, alter, ad faciendum neceſſitates ſuas cum ipſa: ſed cum viſa eſſet ipſi ſimilitudo imaginis Patris &c. ſicut eſt in Maſſecheth Suta.* In codice Suta cap. 7 fol 36. b. *Quid eſt quod ſcriptum,* Et fuit ſecundum diem iſtum, quo venerat domum ad faciendum opus ſuum? *Dicit R. Iochanan; docet quod duo illi ad rem transgreſſionis intenti erant.* Et venerat domum ad faciendum opus ſuum: *Rab & Samuel: Unus dicit ad faciendum opus ſuum ſimpliciter, alter dicit ad faciendum neceſſitates ſuas ingreſſus erat.* Nec erat vir è viris domus &c. *Fortaſſis domus magna erat ſecundum domum ipſius*

im-

improbi. Non erat vir in ea. *Traditum eſt ab illis qui à R. Iſmaël: Ille dies erat dies feſti eorum & iverant omnes ad idoli ſui ædem: ipſa autem dixerat: Ægra ſum. Cogitabat autem, Non eſt mihi dies, quo jungatur mihi Ioſephus, ſicut dies iſte.* Et apprehendit eum in veſte ſua, dicendo &c. *Eadem hora venit imago patris ſui & viſa eſt ipſi in feneſtra: dicit ipſi, Ioſeph Futurum eſt ut fratres tui ſcribantur ſuper lapidibus Ephod & tu inter eos: Eſtne voluntas tua ut deleatur nomen tuum inter eos & voceris* רועה זונות*/ Q. S.* (Prov. 29. 3.) paſcens meretrices perdet ſubſtantiam. *Confeſtim* [Gen. 49. 26.] Sedit in robore arcus ejus; *Dicit R. Iochanan à R. Meir, quod reverſus ſit arcus illius in robur ſuum:* Et corroborata ſunt brachia manuum ejus; *Fixit manus ſuas in ſolo & egreſſus eſt concubitus ſeminis inter ungues manuum ejus:* E manibus potentis Jacob? *Quis cauſa fuit illi, quod ſcriptus fuerit ſuper lapidibus Ephod, niſi potens Iacob:* Ex eo paſtor, lapis Iſraël; *Ex eo purus fuit & factus paſtor:* Q. D. [Pſ. 80. 2.] Paſtor Iſrael, auribus admitte, ducens, ſicut gregem, Joſeph. *Traditum eſt, dignus erat Ioſeph, ut ex ipſo egrederentur duodecim tribus, quo modo exierunt è Iacob patre ipſius. Q. D.* [*Gen. 37. 2.*] Hæ generationes Jacob, Joſeph; *niſi quod egreſſus eſt concubitus ſeminis inter ungues manuum ipſius. Licet ita ſit egreſſi ſunt è Benjamin fratre ipſius &c.* Agnoſce lector profanam Judæorum impuritatem, qui Joſephi laudes imminuunt: cui non ſatis æqui eſſe videntur, ut æmulationis patriarcharum hæredes.

Joſeph apprehenſus pallio, cum videret neque adverſatione neque monitis ab inſania revocari poſſe heram & vim ſibi intentari, relicto veſtimento ſeſe foras proripit.

Stuprum Sibi Intentatum] Mulier indignatione amens, verſo ardore libidinis in iram; inclamat viros domus, Sive jam domum redierint, ſive in proximis partibus ædium jam antea ſe tenuerint. *Ecce*, inquit, *induxit nobis in ædes virum Hebræum; qui nobis illuderet. Ingrediebatur ad me; ut mecum cubaret. Ego vero clamavi voce magna. Cum autem audiret me vocem extollere & clamare, relicta veſte, foras ſe proripuit.* Ita mulier egit apud famulos domus, qui forte lætati ſunt ruina ejus, quem ſibi præferri & in majori apud herum eſſe honore indignabantur. עברי Hebræum appellat Joſeph, id eſt. Tranſeufratenſem. Unde hoc cognovit, cum Cananæo ſermone loqueretur & è Cananæa emptus delatuſque in Ægyptum eſſet? Abſque dubio Joſeph ſuæ gentis originem ſciſcitantibus heris expoſuerat. Quamvis non videatur aperuiſſe genus ſuum, ne fratres ulla ratione accuſaret. Hinc dixit ſe è terra Hebræorum furto ſurreptum eſſe cap. 40. 15. עברי rectè exponitur à Raſi: מעבר הנהר & מבני עבר: *E tranſfluviali regione. è filiis regionis trans amnem.*

Veſtem Joſephi penes ſe depoſitam oſtendit marito, cum domum rediiſſet. Cui mulier caſta objurgatoriis verbis: Ingrediebatur ad me ſervus Hebræus, quem nobis introduxiſti ut mihi illuderet. Cum autem vocem extollerem & clamarem: relicta veſte aufugit. Dominus his auditis, in iram exarſit & Joſeph arreptum in carcerem compegit. Hera Joſeph incuſans univerſam rem, ut credi voluit, mendaciter expoſuit. Scriptura ſermonem ejus ita abbreviat: כדברים האלה עשה לי *ſecundum verba hæc* (nempe quæ dico) *fecit mihi.* Raſi delirat Judaica ſubtilitate: *Tempore concubitus dixit ipſi: Et hoc eſt quod dicit ſecundum res has fecit mihi ſervus tuus, res coitus, ſicut iſta.* Notat Aben-eſdras herum inflammatum ira, non tamen occidiſſe Joſephum ut poteſtatem in ſervum ipſe habebat, ſed conjeciſſe in carcerem, quia de re dubius erat: *Licet ita eſſet non occidebat ipſum*, כי בספק היה הדבר אצלו: Locus in quem conjectus

eſt

eſt Joſeph vocatur בית הסהר / addita expoſitione: *Locus in quo captivi regis vincti erant.* Hic Aben-eſdras: *Ignotum eſt an iſte ſermo ſit ſanctus, an Ægyptius, quoniam poſt eum expoſuit & dixit, quid ſit: Quemadmodum* [Eſther. 8.10.] האחשתרנים / *quæ eſt vox Perſica & exponit quod ſint* בני הרמכים *filii equarum.* Non eſt סהר vox Ægyptia, nec additur vocis expoſitio; quia tantum hoc vult ſcriptura, in illo carcere hoc fuiſſe peculiare, quod illo conjicerentur illi, qui è domo & aula regia erant, ſi deliquiſſent. Sic intelligit Ramban. Belgici interpretes ſic accipiunt, quod in illo carcere pars fuerit, quæ ſeparata erat regiæ aulæ miniſtris ſi forte peccaſſent. Cujus carceris præfectus ſubditus erat hero Joſeph. Locus iſte non excluſit favorem Dei, qui innocentiam ejus comitabatur. Animum igitur præfecto carceris in Joſephum flexit, qui ipſum omnibus captivis præpoſuit: כל אשר עשים שם הוא היה עשה Hoc vertunt Græci: *πάντα ὅσα ποιοῦσιν ἐκεῖ, αὐτὸς ἦν ποιῶν.* Lat. *Quicquid fiebat ſub ipſo erat.* Chaldæus Onkelos: ית כל דעבדין תמן ממימריה הוא מתעביד *Et quicquid facerent illic, à verbo ejus fiebat.* Aben-eſdras: *Quidam dicunt: quod fuerit occupatus in arte manuaria è qua viveret, uti erant facientes vincti. Placet mihi, quod expoſitio ejus ſit, Omnia quibus indigebant, quaſi eſſet ipſe qui faceret, Erat enim ipſis præfectus: verſus ſequens eſt in teſtimonium.* Dicit Scriptura *δεσμοφύλακα* nihil curaſſe aut reſpexiſſe eorum. quæ in manu ejus, ſc. Joſephi erant, quia Dominus cum ipſo eſſet. Enimvero dominum proſperaſſe, quicquid faceret. Hæc in v. 23. ubi באשר Raſi explicat בשביל שיי אתו. Joſephus hujus capitis geſta ſuo more ornat & format. Herilem uxorem ratam, quod Joſeph in parte felicitatis poſiturus eſſet, ſi ab hera rogaretur: *εὐτύχημα ἡγησάμενον τὸ τὴν δέσποιναν αὐτὸν δεηθῆναι.* Scilicet ad habitum præſentis ſervitutis non ad mores, qui præter ultraq; mutationem ſtatus permanerent, reſpiciebat. Cupidinem igitur aperit & ſermonem ſerit de mixtione. At Joſeph *παρῃτεῖτο τὴν ἀξίωσιν, οὐ κρίνας ὅσιον εἶναι ταύτην αὐτῇ διδόναι χάριν, ἐν ᾗ τοῦ πριαμένου καὶ τοσαύτης ἠξιωκότος τιμῆς ἀδικίαν συνέβαινεν εἶναι καὶ ὕβριν.* Admonebat etiam ipſam, ut affectum vinceret, oſtenſa impoſſibilitate potiundi: *τὴν ἀπόγνωσιν τοῦ τυχεῖν τῆς ἐπιθυμίας προβαλλόμενος· σβέσεσθαι γάρ τι αὐτῇ τοῦτο μὴ παρούσης ἐλπίδος.* Se enim quidlibet pati paratum eſſe potius, quam in hac re obſequi. *Καὶ γὰρ εἰ τῇ δεσποίνῃ δοῦλον ὄντα δεῖ ποιεῖν ἐναντίον μηδὲν, ἡ πρὸς τοιαῦτα τῶν προσταγμάτων ἀντιλογία πολλὴν ἂν ἔχοι συγγνώμην.* *Etſi enim hera, qui ſervus ſit, adverſari non liceat, ipſam rerum adverſus talia contradictionem, prolixam ſuggerere recuſandi materiam.* Ipſam autem repulſa acrius accendit, cum præter exſpectatum Joſeph reluctaretur. Graviter igitur obſeſſa à malo, *δευτέρᾳ πάλιν πείρᾳ προσεπιθυμεῖ κατεργάσασθαι, altero rurſum tentamine nititur rem conficere.* *Δημοτελοῦς οὖν ἑορτῆς ἐπιστάσης, καθ' ἣν εἰς τὴν πανήγυριν καὶ γυναιξὶ φοιτᾶν νόμιμον ἦν, σκήπτεται νόσον πρὸς τὸν ἄνδρα, θηρωμένη μόνωσιν καὶ σχολὴν εἰς τὸ δεηθῆναι τοῦ Ἰωσήπου.* Cum igitur id feſtum adeſſet, *λιπαρωτέρους*, urgentiores prioribus ſermones attulit: Satius quidem fuiſſe eum primis ceſſiſſe precibus & nihil obloqui, ad reverentiam appellantis & affectus vehementiam, qui cogeret eam, quæ hera ſit, ſuâ dignitate humiliorem ſe gerere. Nunc etiam, ſi prudentiæ cederet, præteritam deſipientiam emendaturum eſſe. Sive enim ſecundas preces exſpectaſſet, has adeſſe & cum majore ſtudio: Nam ægritudinem ſimulaſſe, *νόσον γὰρ προφασίσασθαι*: & ipſius conſuetudinem feſto & panegyri prætuliſſe. Sive prioribus ob diffidentiam repugnaſſet ſermonibus (*ἀντίκρυς οἱ λογισμοῖς*) indicium (*σύμβολον*) judicaret, nullam ſubeſſe malignitatem (*κακουργίαν*) quod in eadem voluntate perſtaret. Admitteretque præſentium bonorum fruitionem, quorum jam particeps eſſet, ipſius amori aſſentiens & majora habiturus, quod ſi

obſe-

obſequeretur. Ultionem autem & odium ab illa, ſi repudiaret petitionem & opinionem caſtitatis gratificationi heræ anteponeret. Nihil enim ipſi profuturam illam, ſe accuſante & dè ſtupro appellatam apud maritum mentiente. Petephren enim ſuis potius ſermonibus crediturum, quam illius κἂν ὅτι μάλιστα ἀπὸ τῆς ἀληθείας φέρωνται Hæc dixit & illachrymans: at Joſephus neque miſeratione neque metu ſubactus & precibus & minis obſtitit, veritus male agere δείσας παθεῖν ἀδίκως καὶ ὑπομένειν τι τῶν χαλεπωτέρων εἵλετο μᾶλλον, ἢ τῶν παρόντων ἀπολαύειν, χαριζόμενος ἐφ' οἷς ἂν αὑτῷ συνειδείη δικαίως ἀπολουμένῳ: *Et pati aliquid acerbiſſimarum rerum maluit, quam præſentibus perfrui gratificans ea, ob quæ ſibi conſcius erat ſe juſte eſſe periturum.* Ipſam monuit nuptiarum & conjugii & ut his plus daret quam momentaneæ libidini. Hujus habituram eſſe mox pœnitentiam, futuram ad dolorem, non ad reſtitutionem delictorum, καὶ φόβον τοῦ κατάφωρον γενέσθαι καὶ χάριν τοῦ λαβεῖν ἀγνοουμένου τοῦ κακοῦ: *Præterea metum ne manifeſta ria fiat & beneficium, ſi ignoratum malum capiat*: cum liceret frui viri congreſſu ſine periculo, ſupraque id utenti fiducia apud Deum & homines è conſcientiæ bono. Deinde præſtare ut ſe ſubjectum habeat, μείνασα καθαρά, impolluta & heræ poteſtate utatur erga ipſum quam una delinquentis pudore [καὶ δεσποίνης ἐξουσίᾳ χρήσηται πρὸς αὐτὸν ἀλλ' οὐ συνεξαμαρτάνοντος αἰδοῖ] πολὺ δὲ κρεῖττον εἶναι θαρρεῖν ἐπὶ γινομένοις τοῖς εὖ βεβιωμένοις ἢ ἐπὶ λανθανούσῃ κακοπραγίᾳ: Senſum reddidit verſio Geleniana, *Satius enim eſſe conſcientia recte factorum, quam peccati latebris fidere.* Ad verbum: *longè præſtare ut fidat illis quæ fiant, juxta rectam vivendi regulam, quam latenti delicto.* His & ſimilibus Joſephum voluiſſe compeſcere mulieris effrenem ardorem (τὸ πάθος αὐτῆς εἰς λογισμὸν ἀποστρέφειν) at illam, violentius incubuiſſe [ἡ δὲ βιαιότερον ἐνέκειτο τῇ σπουδῇ] injectiſque manibus, cum de perſuaſione deſperaret, cogere voluiſſe. Cum igitur Joſephus, veſtem (quam prehenderat) in manibus illius reliquiſſet & cubiculo exiliiſſet [ἐξεπήδησε τοῦ δωματίου] Præterit Joſephus inclamationem domeſticorum, tantum dicit, metuentem, ne Joſeph marito rem enuntiaret, decreviſſe mendacio eum præoccupare καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ τιμωρῆσαι μὴ αὐτοῦ δεινῶς ὑπερηφανημένου, *& hoc modo ipſum qui graviter ſeſe extuliſſet, punire.* Sequitur, [προλαβεῖν δὲ τὴν διαβολὴν σοφὸν ἅμα καὶ γυναικεῖον ἡγήσατο] *præoccupare autem calumniam, ſapiens & muliebre eſſe ducebat.* Sedebat igitur demiſſo vultu & [συγκεχυμένη] *perturbata*, τὴν ἐπὶ τῷ διαμαρτεῖν τῆς ἐπιθυμίας λύπην ὡς ἐπὶ πείρᾳ διαφθορᾶς πλασαμένη μετ' ὀργῆς. Cum igitur vir adveniſſet [καὶ πρὸς τὴν ὄψιν ταραχθέντος] *& ad intuitum turbatus eſſet* ac quæreret cauſam, hanc orationem exorſa eſt: Τεθναίης ἄνερ ἢ πονηρὸν δοῦλον κοίτην μιῆναι τὴν σὴν θελήσαντα κόλασον· ὃς οὐθ' οἷος ὢν εἰς τὸν ἡμέτερον οἶκον ἀφίκται μνησθεὶς ἐσωφρόνησεν, οὔθ' ὧν ἐκ τῆς σῆς χρηστότητος ἔτυχεν, ἀλλ' ἀχάριστος ὢν ἂν εἰ μὴ πάντα παρεῖχεν αὑτὸν ἀγαθὸν εἰς ἡμᾶς, ἐπιβουλεύων ὑβρίσαι γάμον τὸν σὸν, καὶ ταῦτα ἐν ἑορτῇ τὴν σὴν ἀπουσίαν παραφυλάξας· ὡς ὅσον καὶ μέτριος ἐδόκει πρότερον, διὰ τὸν ἐκ σοῦ φόβον ἠρέμει καὶ οὐχὶ φύσει χρηστὸς ἦν. Τοιοῦτον δ' ἄρα τὸ παρ' ἀξίαν αὐτὸν καὶ παρ' ἐλπίδας εἰς τιμὴν προελθεῖν ἐποίησεν, ὡς δέον, ᾧ τὴν τῆς κτήσεως τῆς σῆς πίστιν καὶ τὴν οἰκονομίαν λαβεῖν ἐγένετο καὶ τῶν πρεσβυτέρων οἰκετῶν προτιμηθῆναι, τούτῳ καὶ τῆς σῆς ψαύειν γυναικός. Geleniana verſio: *Ne vivas marite, ni ſceleſtum ſervum, cubile tuum violare conatum, digna pœna mulctaveris: oblitum & qualis in ædes noſtras & quanta benevolentia ſit à te complexus: qui ingratiſſimus habendus, ni omnibus modis frugi ſe approbaret, ne à conjugio quidem tuo injuriam abſtinuit: idque die feſto obſervata abſentia tua: ut facilè appareat, modeſtiam quam prius præ ſe ferebat, abherili metu non ab indole recta profectam. Quod ut auderes, à te præter ſpem ac meritum indulgente corruptus eſt. Videns enim omnia tua bona fidei ac diſpenſationi ſuæ credita grandiori-*

dioribusque conſervis ſe præpoſitum, æquum putavit, uxorem quoque tuam attrectare. Huic orationi lacrymas addidiſſe & protuliſſe pallium, quaſi in intentatione, cum aliunde metus injiceretur, relictum. Potifar igitur victus oratione & lacrymis mulieris τότε πρὸς αὐτὴν ὀργὴν πλέον νέμων, omiſſa ampliore inquiſitione veritatis, (δὺς δὲ σωφρονεῖν τῇ γυναικὶ πονηρὸν δ' εἶναι καταγνοὺς τὸν Ἰώσηπον) collaudata uxoris pudicitia, Joſephum nequitiæ damnatum in carcerem conjicit. Ἐπὶ δὲ τῇ γυναικὶ καὶ μᾶλλον ἐφρόνει κοσμιότητα καὶ σωφροσύνην αὐτῇ μαρτυρῶν. Iſta non ſunt in ſacris tabulis. Quod autem ſubjicit, de ſilentio Joſephi & patienter ferente Joſepho calumniam & carcerem, ſuamque innocentiam Deo committente, quamvis non exprimat ſcriptura, res & ratio videntur indicare. Ἰώσηπος μὲν οὖν πάντα ἐπὶ τῷ θεῷ ποιούμενος, τὰ περὶ αὐτὸν, οὐδ' εἰς ἀπολογίαν οὐδ' ἐπ' ἀκρίβειαν τῶν γεγονότων δήλωσιν ἐτράπη· τὰ δεσμὰ δὲ καὶ τὴν ἀνάγκην σιγῶν ὑπέμεινεν ἀμείνονα ἔσεσθαι τῶν δεδακότων [leg. δεδηκότων] θαρρῶν τὸν τὴν αἰτίαν τῆς συμφορᾶς καὶ τὴν ἀλήθειαν εἰδότα θεόν. οὐ πεῖραν τῆς προνοίας εὐθὺς ἐλάμβανεν. Cuſtos enim carceris diligentiam ac fidem ejus [ἐν οἷς πράξειεν αὐτὸν] conſiderans, καὶ τὸ ἀξίωμα τῆς μορφῆς, ὑπανίεσι τῶν δεσμῶν καὶ τὸ δεινὸν ἐλαφρότερον ἐποίει. διαίτῃ δὲ χρῆσθαι κρείττονι δεσμωτῶν ἐπέτρεπεν. Joſephus apologia nulla uſus eſt, nec confeſſionem culpæ aut deprecationem protulit. Ferre ſilentio immeritam pœnam laudabile erat: confiteri culpam & deprecari inquinaſſet innocentiam. Apologia nulla ex eo audita fuit, quia noluit adverſus heram, cui fortuna eum ſubjecerat, contendere; quia noluit inter maritum & uxorem ſerere diſſidium; quia defenſioni argumentum nullum & indicium potuit producere; tandem quia vera dicenti à marito accenſo non fuiſſet adhibita fides. Hæ cauſæ ubi ſunt, patiente & æquo animo Deo committere curam præſtat, præſertim cum ſilentium patiens maximum ſæpe indicium innocentiæ ſit. Herus ſine dubio inauditum præ animi impotentia, in vincula compegit. Theodoretus orat. 10. de providentia: Τηνικαῦτα συκοφαντεῖ μὲν ἐκείνη καὶ πείθει τὸν ἄνδρα καὶ σωφροσύνης ἐπίβουλον καλεῖ τὸν τῆς σωφροσύνης πρόμαχον· ὁ δὲ σιγῶν δέχεται τοῦ δεσπότου τὴν ψῆφον καὶ οὐκ ἀνέχεται τῆς δεσποίνης γυμνῶσαι τὴν πονηρίαν· ἀλλ' εἵλετο βεβαιῶσαι τὴν συκοφαντίαν ἢ τῆς ἐπιβουλῆς ἐξηγήσασθαι τραγῳδίαν, καὶ δεσποτικὴν περιφανῶς ἀκολασίαν ἐλέγξαι. συμβουλὴν μὲν γὰρ ἣν ἔδει προσήνεγκε, γραφὴν δὲ τὴν ὕστερον οὐκ εἰσήνεγκεν· ἀλλ' ὥσπερ ἐρήμην ἁλοὺς καὶ τῷ δικάζοντι μὴ συμπαρὼν μηδὲ τῆς κατηγορίας ἀκούων τὴν ἐξενεχθεῖσαν τιμωρίαν ἐδέξατο &c: Prolixe Theodoretus Scripturam παραφράζει in illa oratione Joſeph hiſtoriam & encomium celebrans. Exiſtimat Theodoretus veſte relicta nudum aufugiſſe Joſephum: Ἐπειδὴ δὲ λέγων οὐκ ἔπειθε καὶ βιασθεὶς ἀπέφυγε καὶ τὸ ἱμάτιον ῥίψας γυμνὸς ἀπεπήδησε μόνην ἔχων τῆς σωφροσύνης ἀμπεχόνην· οὐ γὰρ ᾐσχύνετο καθάπερ Ἀδὰμ μετὰ τὴν παράβασιν, ἀλλ' ἣν εἶχεν ἐκεῖνος πρὸ τῆς παραβάσεως διάθεσιν περὶ τὴν γύμνωσιν τοῦ σώματος, ταύτην ἔχων οὗτος ἐξελήλυθε. Monuerat heram ne rationi ademptum imperium affectibus traderet, μὴ τὰς ἀνδραποδώδεις ἐπιθυμίας κυρίας τῆς ψυχῆς ἀποφήνῃς, μηδὲ ἐναλλάξῃς τὴν τάξιν, μηδὲ ἀφέλῃ τὴν ἡγεμονίαν τῶν λογισμῶν, μηδὲ τὰς ἡνίας ἐγχειρίσῃς τοῖς πάθεσιν. Deinde de ſua ſervitute: τὸ σῶμα γὰρ δοῦλος ἀλλ' οὐ τὴν ψυχὴν ἐγενόμην. μυστήριον ἐστὶ καὶ ἄλλως τὸ τοῦ πράγματος ἄδηλον. Conjugium monet uti honoret: Μὴ ἀτιμάσῃς γαμηλίους νόμους καὶ φύσεως ὅρους μηδὲ ὑβρίσῃς εὐνὴν ὑπὸ θεοῦ τετιμημένην. Audiamus Philonem, ut ille facundo eloquio Joſephi hiſtoriam explicuerit. Primum venditionem in ſuperioribus prætermiſſam, ut in hoc libro cum ſequentibus conjunctim legeretur. Ἐνορῶν οὖν ὁ πατὴρ φρόνημα εὐγενὲς καὶ μεῖζον ἢ κατ' ἰδιώτην, ἐθαύμαζε καὶ περιεῖπε καὶ τῶν ἄλλων υἱῶν μᾶλλον ἔστεργεν, ἐπειδὴ ὀψίγονος ἦν ὅπερ οὐδενὸς ἧττον ἀγωγόν ἐστιν εἰς εὔνοιαν, καὶ ἅτε φιλόκαλος ὢν, ἔζωπύρει τὴν τοῦ παιδὸς φύσιν ἐξαιρέτοις καὶ περιτταῖς ἐπιμελείαις, ἵνα μὴ ἐντυφῆται μόνον,

ἀλλὰ

ἀλλὰ καὶ θᾶττον ἐκλάμψῃ. Φθόνος δὲ ὁ ἀεὶ ταῖς μεγάλαις εὐπραγίαις ἀντίπαλος, καὶ τότε πᾶσι τοῖς μέρεσιν οἰκίαν κατορθοῦσαν ἐπιθέμενος διέστησε, καθ᾿ ἑνὸς πολλοὺς ἀδελφοὺς ἀλείψας, οἳ τῇ πρὸς ἐκεῖνον εὐνοίᾳ τοῦ πατρὸς ἰσόρροπον δύσνοιαν ἐπεδείκνυντο, μισοῦντες ὅσον ἐστέργετο. Τὸ δὲ μῖσος οὐκ ἐξελάλουν, ἀλλ᾿ ἐν αὑτοῖς ἐταμίευον. ὅθεν εἰκότως ἀργαλεώτερον ἐφύετο. Τὰ γὰρ στεγόμενα πάθη μὴ διαπνέοντα τοῖς ἀπιοῦσι λόγοις βαρύτερα. Χρώμενος οὖν ἀκακώτοις ἤθεσι, καὶ τὴν ἐγκρυφίαν ἔχθραν ἐκ τῶν ἀδελφῶν οὐ συνιείς. ὄναρ ἰδὼν αἴσιον ὡς δὴ εὔνοις διηγεῖται. ἔδοξα γάρ, φησίν, ἀμήτου καιρὸν ἐφεστάναι, καὶ πάντας ἡμᾶς ἀφικομένους εἰς τὸ πεδίον ἐπὶ τὴν τοῦ καρποῦ συλλογὴν, δρέπανα λαβόντας θερίζειν· αἰφνίδιον δὲ τὸ μὲν ἐμοῦ δράγμα ἐπανίστασθαι καὶ μετεωρισθὲν, ὀρθοῦσθαι, τὰ δὲ ὑμέτερα, ὥσπερ ἀπὸ συνθήματος ἐπιδραμόντα τεθηπέναι, καὶ μετὰ τιμῆς τῆς πάσης προσκυνεῖν. οἱ δὲ ὡς σύνεσιν ἀκριβεῖς καὶ δεινοὶ διὰ συμβόλων ἐχνηλατῆσαι πρᾶγμα δηλούμενον εἰκόσι στοχασμοῖς, μὴ νομίζεις, ἔφασαν, ὅτι βασιλεὺς ἡμῶν καὶ κύριος; Ταῦτα γὰρ διὰ τῆς κατεψευσμένης φαντασίας ὑπαινίττῃ. Τὸ δὲ μῖσος ἔτι μᾶλλον ἐζωπυρεῖτο, προσλαμβάνον ἀεί τινα καινὴν πρόφασιν εἰς συναύξησιν· ὁ δὲ οὐδὲν ὑποιδόμενος, ὀλίγαις ὕστερον ἡμέραις ὄναρ ἰδὼν ἕτερον καταπληκτικώτερον τοῦ προτέρου τοῖς ἀδελφοῖς ἀνέφερεν· ᾤετο γὰρ ἥλιον καὶ σελήνην καὶ ἕνδεκα ἀστέρας ἥκοντας προσκυνεῖν αὐτὸν, ὡς τὸν πατέρα, θαυμάσαντα τὸ γεγονὸς ἐναποθέσθαι τῇ διανοίᾳ, ταμιεύοντα καὶ σκοπούμενον τὸ ἐσόμενον· ἐμβριθῶς δ᾿ ἐνστῆναι τὸν παῖδα, κατὰ δέος τοῦ μή τι διαμαρτάνῃ, καί φησιν, ἆρα δυνησόμεθα ἐγὼ καὶ ἡ μήτηρ καὶ οἱ ἀδελφοὶ προσκυνῆσαι σοί; διὰ μὲν γὰρ ἡλίου τὸν πατέρα, διὰ δὲ σελήνης τὴν μητέρα, διὰ δὲ τῶν ἕνδεκα ἀστέρων τοὺς ἀδελφοὺς ὑποσημαίνειν ἔοικας, ὃ μηδὲ εἰς νοῦν ποτε ἔλθοι τὸν σόν, ὦ παῖ, λαθοῦσα δὲ καὶ ἡ μνήμη τῶν φανέντων, ὑπεξέλθοι. Τὸ γὰρ τὴν ἐπὶ τοὺς οἰκείους ἐλπίζειν καὶ προσδοκᾶν ἡγεμονίαν, ἀπευκτὸν ἄγαν παρ᾿ ἐμοὶ κείσθω, νομίζω δὲ καὶ παρὰ πᾶσιν, ὅσοις ἰσότητος μέλει, καὶ συγγενικῶν δικαίων. εὐλαβηθεὶς δ᾿ ὁ πατὴρ, μή τις ἐκ τῆς συναντήσεως ἐπιγένηται ταραχὴ καὶ στάσις τοῖς ἀδελφοῖς μνησικακοῦσιν ὑπὲρ τῶν ὀνειράτων τῷ θεασαμένῳ, τοὺς μὲν ἐκπέμπει ποιμανοῦντας, τὸν δὲ οἴκοι παραφυλάττει ἄχρι καιροῦ τοῦ προσήκοντος, εἰδὼς ὅτι τῶν τῆς ψυχῆς παθῶν καὶ νοσημάτων λέγεται εἶναι χρόνος ἰατρὸς, ἱκανὸς καὶ πένθος ἀνελεῖν. καὶ θυμὸν σβέσαι, καὶ φόβον θεραπεῦσαι· πάντα γὰρ ἐξαδυναμοῖ καὶ ὅσα κατὰ τὴν φύσιν δυσίατα· ὡς δὲ ἐτόπασε μηδὲν ἔτι ταῖς διανοίαις αὐτῶν ἔχθος ὑποικουρεῖν, ἐκπέμπει τὸν υἱὸν, ἅμα μὲν τοὺς ἀδελφοὺς ἀσπασόμενον, ἅμα δὲ καὶ δηλώσοντα πῶς ἔχουσιν αὐτοί τε καὶ αἱ τῶν θρεμμάτων ἀγέλαι. Ταύτην τὴν ὁδὸν ἀρχὴν συνέβη γενέσθαι μεγάλων κακῶν τε αὖ καὶ ἀγαθῶν, παρ᾿ ἐλπίδας ἑκατέρων. ὁ μὲν γὰρ ταῖς ἐπισκήψεσι πειθαρχῶν τοῦ πατρὸς, ᾔει πρὸς τοὺς ἀδελφούς. οἱ δὲ μακρόθεν ἀφικνούμενον ἰδόντες ἄλλος ἄλλῳ διελάλουν οὐδὲν εὔφημον, ὁπότε οὐδὲ ὀνόματι προσαγορεύειν ἠξίουν αὐτὸν, ἀλλ᾿ ὀνειροπλῆγα καὶ ἐνυπνιαστὴν καὶ τὰ τοιαῦτα ἐπεφήμιζον· καὶ ἐπὶ τοσοῦτον προῆγον ὀργῆς, ὥστε καὶ τὸν ἐπ᾿ αὐτῷ φόνον οὐ πάντες, ἀλλ᾿ οἱ πλείους ἐβούλοντο. καὶ ὑπὲρ τοῦ μὴ καταφωραθῆναι, ῥίπτειν ἀνελόντες ἐγνώκεσαν εἰς ὄρυγμα γῆς βαθύτατον πολλαὶ δ᾿ εἰσὶ περὶ τὸν τόπον ὕδατος ὀμβρίου δεξαμεναί. Καὶ μικροῦ τὸ μέγιστον ἄγος ἀδελφοκτονίαν εἰργάσαντο, εἰ μὴ παρηγορίαις τοῦ πρεσβυτάτου μόλις ἐπείσθησαν, ὃς παρῄνει μὴ ἐφάψασθαι τοῦ μιάσματος, ἀλλ᾿ αὐτὸν μόνον εἰς ἓν τῶν ὀρυγμάτων ῥῖψαι, διανοούμενός τι σωτήριον, ἵνα λαβὼν μετὰ τὴν ἀναχώρησιν, ἀπαθῆ παντὸς κακοῦ παραπέμψῃ τῷ πατρί. συναινεσάντων δὲ, ὁ μὲν προσιὼν ἠσπάζετο, οἱ δὲ ὡς πολέμιον συλλαβόντες, ἀπεσυρ ἀπαμπίσχουσι τὴν ἐσθῆτα. Καὶ τὸν μὲν καθιμῶσιν εἰς βαθεῖς βόθρους, τὴν δὲ ἐρίφου αἵματι φοινίξαντες, διαπέμπονται τῷ πατρὶ, προφάσει, ὡς ὑπὸ θηρίων δαπανηθέντος. ἐκείνῃ δὲ τῇ ἡμέρᾳ κατά τινα συντυχίαν ἔμποροί τινες ὁδοιποροῦντες τὸ ἔθος ἐχόντων ἀπ᾿ Ἀραβίας εἰς Αἴγυπτον κομίζειν φόρτον· οἷς ἀνελκύσαντες τὸν ἀδελφὸν πιπράσκουσιν, ἡγησάμενοι τὴν γνώμην τοῦ καθ᾿ ἡλικίαν τετάρτου. Καὶ γὰρ οὗτός μοι δοκεῖ δείσας μὴ ὑπὸ τῶν ὀργὴν ἀμείλικτον ἐπ᾿ αὐτῷ ζωπυρούντων δολοφονηθῇ, συνεβούλευσεν ἀποδόσθαι, δουλείαν ὑπαλλαττόμενος θανάτου, κουφότερον κακὸν μείζονος. ὁ δὲ πρεσβύτατος. οὐ γὰρ παρῆν πιπρασκομένου· Καὶ διακύψας καὶ μὴ κατιδὼν ὃν ἀπολελοίπει πρὸ μικροῦ, ἐβόα καὶ ἐκεκράγει. καὶ τὰς ἐσθῆτας περιρρηξάμενος, ἄνω καὶ κάτω καθάπερ ἐμμανὴς ἐφέρετο τὰς χεῖρας κροτῶν,

καὶ τὰς τρίχας τίλλων, τί πέπονθε λέγων εἴπατε, ζῇ ἢ τέθνηκεν, εἰ μὲν οὐκ ἔστι, δείξατέ μοι τὸν νεκρὸν, ἵν' ἐπιδακρύσας τῷ σώματι, λωφήσω τῆς συμφορᾶς. ἰδὼν κείμενον, παραγορηθήσομαι· Τί καὶ νεκρῷ μνησικακοῦμεν, πρὸς τοὺς ἐκποδὼν φθόνος οὐδεὶς φύεται. εἰ δὲ, ζῇ, ποῖ γῆς ἀπελήλυθε. φυλάττεται παρά τισιν; οὐ γὰρ δὴ κἀγὼ καθάπερ ἐκεῖνος, ἐν ὑποψίαις εἰμὶ ὡς ἀπεστάλθαι. εἰπόντων δ' ὅτι πέπραται, καὶ τὴν τιμὴν ἐπιδεικνυμένων, καλὴν ἐμπορίαν, εἶπεν, ἐστείλασθε. τὰ κέρδη ἀπονεμώμεθα, τοῖς ἀνδραποδισταῖς περὶ κακίας ἄθλων ἁμιλλησάμενοι στεφανηφορῶμεν, προσυπερβάλλοντες αὐτοὺς ὠμότητι, σεμνυνώμεθα. κατὰ ἀλλοτρίων ἐκεῖνοι συντίθενται, κατὰ δ' οἰκειοτάτων καὶ φιλτάτων ἡμεῖς· κακουργηται μέγα ὄνειδος, περιβόητος αἰσχύνη· μνημεῖα καλοκαγαθίας οἱ πατέρες ἡμῶν πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ἀπέλιπον, ἀπολείψομεν καὶ ἡμεῖς ἀπιστίας καὶ μισανθρωπίας ἀθεραπεύτους διαβολάς· φθάνουσι γὰρ αὐτῶν μεγαλουργηθέντων φῆμαι πανταχόσε, τῶν μὲν ἐπαινετῶν θαυμαζόμεναι, τῶν δ' ὑπαιτίων ψόγου καὶ κατηγορίας τυγχάνουσαι. Τίνα ἄρα τρόπον ὁ πατὴρ ἡμῶν τὴν περὶ τῶν συμβεβηκότων ἀκοὴν δέξεται; τρισμακάριος καὶ τρισευδαίμονα τὸν καθ' ἡμᾶς βίον ἀβίωτον παρέσχηθε. τὸν πραθέντα τῆς δουλείας ἢ τοὺς πεπρακότας τῆς ὠμότητος οἰκτιεῖ; πολὺ μᾶλλον εὖ οἶδα ἡμᾶς. ἐπεὶ καὶ τοῦ ἀδικεῖσθαι τὸ ἀδικεῖν χαλεπώτερον. Τὸ μὲν γὰρ, δυσὶ βοηθεῖται τοῖς μεγίστοις, ἐλέῳ, καὶ ἐλπίδι, τὸ δ' οὐδ' ἑτέρου μετέχον, ἅπασιν ἡττᾶται τοῖς κρείττοσι. ἀλλὰ τί ταῦτα θρηνῶν ἀπηχῶ· βέλτιον ἡσυχάζειν, μὴ καὶ αὐτὸς παραπλαύσω τινὸς ἀπευκτοῦ. Τραχύτατοι γὰρ ὀργὴν καὶ ἀπαραίτητοι, καὶ πει λαμπρῶς ἦν ὁ ἐν ἑκάστῳ θυμός. ὡς δ' ἤκουσεν ὁ πατὴρ οὐ τἀληθὲς, ὅτι πέπραται ὁ υἱὸς αὐτοῦ, τὸ δὲ ψεῦδος, ὅτι τέθνηκε, καὶ ὡς ὑπὸ θηρίων ἐξανάλωται, πληχθεὶς τὰ μὲν ὦτα διὰ τῶν λεγομένων, τοὺς δ' ὀφθαλμοὺς ἀπὸ τοῦ φανέντος. ὁ γὰρ χιτὼν αὐτοῦ κατεσχισμένος καὶ κατῃκισμένος καὶ πολλῷ αἵματι πεφοινιγμένος ἐκεκόμιστο συγχυθεὶς ὑπὸ τῆς περιπαθείας, ἀχανὴς ἐπὶ πλεῖστον χρόνον ἔκειτο, μηδ' ὅσον τὴν κεφαλὴν ἐπαίρειν δυνάμενος, θλιβούσης καὶ ἐκτραχηλιζούσης τῆς συμφορᾶς. εἶθ' ὥσπερ τινὰ πηγὴν δακρύων ἐξαίφνης ἀνιεὶς μετ' οἰμωγῆς πικρᾶς, παρειὰς καὶ γένεια καὶ στέρνα κατέτεγγε, καὶ τὰς περὶ αὐτὸν ἐσθῆτας, ἅμα τοιαῦτ' ἐπιλέγων, οὐχ ὁ θάνατός με λυπεῖ τέκνον, ἀλλ' ὁ τούτου τάφος· εἰ ἐπὶ γῆς ἐτάφης τῆς σῆς, παρηγορούμην. ἐθεράπευσα. ἐνοσήλευσα, πρότερον ἀποθνήσκοντα τελευταίων ἀσπασμάτων ἐκοινώνησα, τοὺς ὀφθαλμοὺς συνέκλεισα, ἐπεδάκρυσα κειμένῳ τῷ νεκρῷ, πολυτελῶς ἐκήδευσα, τῶν νομιζομένων οὐδὲν παρέλιπον. ἀλλ' εἰ καὶ ἐπὶ ξένης, εἶπον ἄν, τὸ οἰκεῖον ὄφλημα τῆς φύσεως ἀπολαβούσης, ὦ οὗτος, μὴ κατήφει· πρὸς ζῶντας αἱ πατρίδες, ἀποθανόντων δὲ πᾶσα γῆ τάφος. ὠκύμοροι δ' εἰσὶ πάντες ἄνθρωποι. καὶ γὰρ ὁ μακροβιώτατος, ὀλιγοχρονιώτατος ἀντεξεταζόμενος αἰῶνι. εἰ δὲ δὴ καὶ βιαίως καὶ ἐξ ἐπιβουλῆς ἔδει θνήσκειν, ἦν ἄν μοι κουφότερον κακὸν ὑπ' ἀνθρώπων ἀναιρεθέντος. οἱ κτείναντες, νεκρὸν ἂν ἠλέησαν ὡς ἐπαμήσασθαι κόνιν, καὶ τὸ σῶμα συγκρύψαι· εἰ δὲ καὶ πάντων ἐγεγένηντο ὠμότεροι, τί πλέον εἶχον ἢ ῥίψαντες ἄταφον ἀπαλλάττεσθαι; τῶν δ' ἐν ὁδῷ παριόντων ἴσως τις ἐπιστὰς καὶ θεασάμενος, οἶκτον τῆς κοινῆς λαβὼν φύσεως, ἐπιμελείας καὶ ταφῆς ἠξίωσε· νυνὶ δ' ὡς λόγος, ἀτιθάσοις καὶ σαρκοβόροις θηρσὶν εὐωχία καὶ θοίνη γέγονας γευσαμένοις καὶ ἐμπλησθεῖσι τῶν ἐμῶν σπλάγχνων. ἀθλητής εἰμι τῶν ἀβουλήτων, ἐκεῖ γεγύμνασμαι πολλαῖς κακοπαθείαις, ἀλώμενος, ξενιτεύων, θητεύων, ἀναγκαζόμενος, ἄχρι καὶ ψυχῆς ἐπιβουλευόμενος ὑφ' ὧν ἥκιστ' ἐχρῆν· καὶ πολλὰ μὲν εἶδον, πολλὰ δ' ἤκουσα, μυρία δ' αὐτὸς ἔπαθον τῶν ἀνηκέστων, ἐφ' οἷς παιδευθεὶς μετριοπαθεῖν, οὐκ ἐγνάμφθην. ἀλλ' οὐδὲν τοῦ συμβεβηκότος ἀφορητότερον. ὅμως τὴν ῥώμην τῆς ψυχῆς ἀνατέτραφε καὶ καθῄρηκε· τί γὰρ μεῖζον ἢ οἰκτρότερον πένθος; οὐ μὲν ἐσθὴς τοῦ παιδὸς διακεκόμισταί μοι τῷ πατρί. τοῦ δὲ οὐ μέρος, οὐ μέλος, οὐ βραχὺ λείψανον, ἀλλ' ὁ μὲν ὅλος δι' ὅλων δεδαπάνηται, μηδὲ ταφῆς ἀξιωθεὶς μεταλαχεῖν. ἡ δ' οὐδ' αὖ ἐκπεμφθῆναί μοι δοκεῖ τὸ παράπαν. εἰ μὴ πρὸς ἀνίας ὑπόμνησιν καὶ ὧν ὑπέμεινα καίνισιν, εἰς ἀλήστους καὶ συνεχεῖς ἐμοὶ συμφοράς. καὶ ὁ μὲν τοιαῦτ' ἀπωδύρετο· οἱ δ' ἔμποροι πιπράσκουσι τὸν παῖδα ἐν Αἰγύπτῳ τῶν εὐνούχων τινὶ τοῦ βασιλέως, ὃς ἦν ἀρχιμάγειρος.

Conabor ea reddere propius ad mentem Græci textus, quam factum eſt à Gelenio. *Cum igitur pater in eo animadverteret generoſam indolem & majorem,*

quam

quam prę privati modo, mirabatur fovebatque & prę aliis filiorum diligebat, quoniam ſero genitus erat: quod vel maximè ad propenſionem ducere ſolet. Porrò quod elegantia eſſet ſtudioſus excitat pueri ingenium exquiſita & egregia diligentia ut non tantum in fumum prorumperet ſed & citius effulgeſceret. Invidia autem ſemper felicitatibus inimica, tunc etiam omnibus partibus domum fortunatam aggreſſa diviſit, adverſus unum multis fratribus concitatis, qui in illum benevolentię paternę ęqualem malignitatem oſtendebant, odio habentes quantum diligebatur. Odium autem non eloquebantur ſed in ſe ipſis recondebant. Vnde, ut fieri amat, operoſius germinabat. Nam tecti affectus, qui non perſpirant ſuſpicioſis ſermonibus graviores ſunt. Vivens igitur innoxiis moribus & domeſticam inimicitiam à fratribus non intelligens, viſo ſomnio auſpicato, id tanquam amicis aperit. Videbatur, inquit, mihi meſſis tempus imminere & omnes nos advenientes in campum ad frugum collectionem, ſumptis falcibus metere: repente autem meum manipulum exſurgere & in ſublime erectum ſtare, veſtros autem tanquam ex compoſito occurrentes ſtupere & cum omni honore adorare. Illi autem intellectu vigentes acresque per ſymbola inveſtigare rem ſignificatam veroſimilibus conjecturis: Putas ne, inquiunt, regem te fore noſtrum & dominum? Hoc enim ementita viſione innuis. Ita odium magis accendebatur, continuo capiens novam aliquam occaſionem ad incrementum. Ille autem nihil ſuſpicatus, paucis poſt diebus, alio viſo ſomnio, eoque terribiliore, id fratribus narravit. Putabat enim videre ſe ſolem & lunam & undecim ſtellas venientes ſe adorare: adeo ut pater admiratus, quod factum erat, mente reponeret recondens & eventum animo agitans. Graviter autem admonebat filium timens nequid ille peccaret. Et inquiebat, Num eveniet, ut ego & mater & fratres te adoremus? Nam per ſolem patrem, per lunam matrem, per undecim autem ſtellas fratres ſignificare videre, quod ô fili, tibi nunquam in mentem veniat ſed abeat memoria eorum, quę vidiſti. Nam in domeſticos ſperare & exſpectare principatum, res abominanda eſt, me judice, & ut arbitror apud omnes, quibus cura eſt ęqualitas & jus cognationis. Veritus autem pater nequa ex occurſu conturbatio & ſeditio, fratribus eveniret, malum meditantibus ob ſomnia illi qui viderat: illos ablegat ad paſtionem, hunc domi retinet ad convenient tempus, ſciens tempus dici medicum eſſe animę affectuum & morborum: idoneum tollere luctum, iram exſtinguere & metum ſanare. Cuncta enim reddit leviora, etiam quę ſua natura difficulter curantur. Vt verò exiſtimabat nullum amplius mentibus inſidere odium ablegat filium, fratres ſalutaturum ſimulque renuntiaturum, quomodo ſe haberent illi & pecudum greges. Hoc iter initium fuit magnorum malorum, itemque bonorum, utrorumque pręter ſpem. Ille enim juſſibus patris obediens profectus eſt ad fratres: illi autem advenientem procul conſpicati, inter ſe nihil bonorum verborum loquebantur, cum neque ſuo nomine appellare eum dignarentur, ſed attonitum ſomniis & ſomniatorem & ſimilia appellabant. Et ad tantum irarum proceſſere, ut cędem illius non omnes ſed plurimi ſtatuerint & ut ne deprehenderetur facinus, interfectum abjicere decreverint in aliquam terrę foſſam profundiſſimam. Multa ſunt illic aquarum pluvialium receptacula. Parum aberat, quin maximum ſcelus, fratricidium commiſiſſent, niſi diſſuaſionibus grandiſſimi natu vix perſuaſi fuiſſent, qui monebat ſcelus non aggredi ſed ipſum tantum in unam illarum foſſarum projicere, animo cogitans ſalutem, ut nactus diſceſſum, immunem omnis mali ad patrem remitteret. Cum id collaudaſſent conſilium ipſe adiit & ſalutavit, illi autem comprehenſum veluti hoſtem, omni veſte ſpoliant: ipſum demittunt in profundas foßas, hanc hędi ſanguine rubefactam mittunt patri, obtentu, quod à fera eſſet abſumptus. Illa autem die fortè mercatores quidam illac tranſibant, de illis, quibus in more erat ex Arabia in Ægyptum merces importare: quibus extractum fratrem divendunt ſubjiciente id conſilium

 ſilium

ſilium quarto fratre. Enim vero iſte, ut mihi videtur, veritus, ne ab irreconciliabilem iram excitantibus per dolum interimeretur, id conſilium dedit de vendisione, ſervitutem mutans pro morte levius malum pro majore. Maximus verò natu (non erat præſens cum venderetur) cum introſpiceret nec videret, quem parvo ante tempore reliquerat, vociferabatur & clamabat, veſtibusque laceratis, tanquam amens diſcurſabat, manus complodens, capillos vellens, dicendo, Quid illi evenit? Dicite vivit an mortuus eſt? Si non supereſt, monſtrate cadaver, ut corpori illacrymans melius habeam à calamitate. Videns jacentem conſolationem habebo. Cur mortuo infeſti ſumus? In eos, qui è medio ſublati ſunt, invidia non habet locum. Si autem vivit, quo terrarum abiit? apud quos eſt in cuſtodia? Ego enim non ut ille ſuſpectus ſum ut mihi fides non habeatur? Cum dixiſſent, vendisum eſſe & pretium oſtenderent: Pulchram vero, inquit, negotiationem ſuſcepiſtis; lucrum partiamur: cum prædonibus de improbitate certantes, geſtemus corollas, eos crudelitate ſuperantes; oſtentemus noſmet. In alienos illi conſpirant, nos in intima neceſſitudine conjunctos & cariſſimos. Admiſſum eſt probrum maximum, nobile dedecus. Monumenta honeſte factorum patres noſtri, ubique terrarum reliquerunt, relinquemus nos infidelitatis & inhumanitatis inſanabiles maculas. Volat enim fama magnorum facinorum in omnes oras, laudabilium cum admiratione, reprehenſibilium cum vituperio & redargutione. Quomodo parens noſter famam harum rerum accipiet? Ter beato & felici, vitam hanc intolerabilem reddidiſtis. Venditine ſervitutem an vendentium flebit crudelitatem? Multo magis ſat ſcio, nos. Quoniam gravius eſt injuria afficere quam affici. Illud enim in duabus maximis rebus auxilium habet miſeratione & ſpe. Hoc autem neutrius particeps, ſub omni judice ſuccumbit. Sed quid iſta lamentans ſonum edo? Præſtat ſilere, ne quid & mihi adverſi accidat. Aſperrimi enim ira & implacabiles ſunt & ſpirat in unoquoque lucutenter animus ſuus. Cum autem audiſſet pater, non veritatem, venditum eſſe filium, ſed mendacium, obiiſſe & à feris abſumptum eſſe, ictus aures iis quæ dicebantur, oculos autem eo quod oſtendebatur. Tunica enim ejus ſciſſa & lacera & multo ſanguine tincta fuerat allata. Confuſus grandi affectu, obmutuit longo tempore, neque caput movere valens, affligente & opprimente calamitate. Inde tanquam fontem aliquem lachrymarum repenſe emittens cum amaro ejulatu malas & mentum & pectus proluebat [κατένιπτε legendum pro κατέτυπτε] ſuasque veſtes, cum his dictis: O Fili, non contriſtat me mors ſed ſepultura. Si in terra tua ſepultus eſſes, ſolatium haberem, medelam & officia exhibuiſſem., jam morienti extremos amplexus impendiſſem, clauſiſſem oculos, illachrymaſſem cadaveri, ſumptuoſe curaſſem, nihil de conſuetis omiſiſſem. Sed & ſi in peregrino ſolo cubares, dicerem, Cum natura ſuum debitum receperit, heus tu, noli triſtis eſſe. Qui vivunt, patriis diſtinguuntur, morientium omnis terra ſepulchrum eſt, omneſque homines brevis ævi ſunt. Et qui longiſſimum vixerit ævum, brevis ætatis eſt, ſi cum æternitate comparetur. Si vero per vim & inſidias omninò mori oportuit, levius mihi malum eſſet ab hominibus interfecti, qui occiſi cadaver miſerati eſſent, ut accumularent pulverem & corpus conderent. Si autem ſæviſſimi mortalium exſtitiſſent, quid ultra egiſſent niſi quod abjecto cadavere abiiſſent. Prætereuntium autem forte aliquis ſuperveniens videnſque: miſeratione communis naturæ, cura & ſepultura fuiſſet dignatus. Nunc ut fertur, immitibus & carnivoris beſtiis, epulæ & pabulum factus es, quæ guſtarunt & epulata ſunt mea viſcera. Athleta ſum rerum adverſarum, illic exercitatus ſum multis calamitatibus, errando, peregrinando, mercede ſerviendo, neceſſitates ferendo, uſque ad vitæ periculum exagitatus à quibus minimè oportuit. Multa vidi, multa audivi, multa ipſe gravia paſſus ſum, ob quæ, edoctus moderari animo, non inflectebar. Sed nihil hoc caſu intolerabilius, ſimul robur animæ ſubvertit & dejecit.

Quis

Quis enim major & miſerabilior luctus? Veſtis filii ad me patrem delata eſt, ipſius autem neque pars neque membrum neque ullæ reliquiæ, ſed totus ipſe abſumptus eſt nec ſepulturam nanciſci poteſt. Ac ne veſtem quidem videor recepiſſe, niſi in recordationem doloris & renovationem eorum quæ paſſus eſt, ut calamitas nunquam oblivione ſepeliretur & continua eſſet. Ille quidem ita lamentabatur, mercatores autem puerum vendunt, cuidam eunuchorum regis, qui erat præfectus coquorum. Hæc ad caput 37. pertinent, in quibus Philo nimiam curam ſepulchri quæ ſuperſtitionis gentilium erat, videtur prodere; quamvis & illa ſed ab alia mente, curæ ſit fidelibus. Deinde ad caput. 39 pertinent illa quæ ſequuntur.

Ὁ μέντοι νεανίας εἰς Αἴγυπτον ἀχθεὶς, καὶ γενόμενος ὡς ἐλέχθη παρ' εὐνούχῳ δεσπότῃ, τῆς καλοκἀγαθίας καὶ εὐγενείας πεῖραν ὀλίγαις ἡμέραις δοὺς, τὴν ἐπὶ τοῖς ὁμοδούλοις ἀρχὴν παραλαμβάνει, καὶ συμπάσης τῆς οἰκίας τὴν ἐπιμέλειαν. ἤδη γὰρ ὁ κτησάμενος ἐτεκμήρατο διὰ πολλῶν, ὡς οὐκ ἄνευ θείας ἐπιφροσύνης ἕκαστα ἐκεῖνος λέγει τε καὶ πράττει. Τῷ μὲν οὖν δοκεῖν ὑπὸ τοῦ πριαμένου καθίστατο τῆς οἰκίας ἐπίτροπος. ἔργῳ δὲ καὶ ταῖς ἀληθείαις, ὑπὸ φύσεως, μνωμένης αὐτῷ πόλεως καὶ ἔθνους καὶ χώρας μεγάλης ἡγεμονίαν. ἔδει γὰρ τὸν μέλλοντα ἔσεσθαι πολιτικὸν ἐγγυμνάσασθαι καὶ ἐνασκηθῆναι πρότερον τοῖς κατ' οἰκονομίαν. οἰκία τε γὰρ πόλις ἐστὶν ἐσταλμένη καὶ βραχεῖα, καὶ οἰκονομία συνηγμένη τις πολιτεία, ὡς καὶ πόλις μὲν οἶκος μέγας, πολιτεία δὲ κοινή τις οἰκονομία. δι' ὧν μάλιστα παρίσταται τὸν αὐτὸν, οἰκονομικόν τε εἶναι καὶ πολιτικὸν, κἂν πλήθη καὶ μεγέθη τῶν ὑποκειμένων διαλλάττῃ, καθάπερ ἐπὶ ζωγραφίας ἔχει καὶ πλαστικῆς. ὁ γὰρ ἀγαθὸς ἀνδριαντοποιὸς, ἢ ζωγράφος, ἐάν τε πολλὰ καὶ κολοσσιαῖα μεγέθη κατασκευάζῃ, ἐάν τε ὀλίγα καὶ βραχύτερα, τὴν αὐτὴν ἐπιδεικνύμενος τέχνην, ὁ αὐτός ἐστι. Σφόδρα δὲ εὐδοκιμῶν ἐν τοῖς κατὰ τὴν οἰκονομίαν ἐπιβουλεύεται πρὸς τῆς τοῦ δεσπότου γυναικὸς ἐπιβουλὴν τὴν ἐξ ἔρωτος ἀκολάστου· Τῆς γὰρ εὐμορφίας ἐπιμανεῖσα τοῦ νεανίσκου καὶ ἀκαθέκτως περὶ τὸ πάθος λυττῶσα, τοὺς περὶ μίξεως λόγους προσέφερεν ἐρρωμένους ἐναντιουμένῳ, καὶ μηδ' ὅλως προσίεσθαι ὑπομένοντι, διὰ τὴν ἐκ φύσεως καὶ μελέτης ἐνυπάρξασαν κοσμιότητα καὶ σωφροσύνην. Ἐπεὶ δὲ καὶ ζωπυροῦσα καὶ ἀναφλέγουσα τὴν ἔκνομον ἐπιθυμίαν, ἀεὶ μὲν ἀπεπειρᾶτο, ἀεὶ δ' ἀπετύγχανε, βίᾳ λοιπὸν προσπαθοῦσα ἐχρῆτο, καὶ λαβομένη τῆς ἀμπεχόνης, εὐτόνως ἄχρι τῆς εὐνῆς ἐπεσπάσατο, ῥώμῃ κραταιοτέρᾳ τοῦ πάθους ἰσχὺν ἐπιδιδόντος, ὃ καὶ τοὺς ἀσθενεστέρους εἴωθε νευροῦν. ὁ δὲ τῆς παρούσης ἀκαιρίας γενόμενος δυνατώτερος, τὰς ἐλευθέρας καὶ ἀξίας τοῦ γένους ἔρρηξε φωνάς· τί βιάζῃ λέγων, ἐξαιρέτοις ἔθεσι καὶ νομίμοις χρώμεθα ἡμεῖς οἱ Ἑβραίων ἀπόγονοι, τοῖς δ' ἄλλοις ἐφεῖται μετὰ τὴν τεσσαρεσκαιδεκάτην ἡλικίαν, πόρναις καὶ χαμαιτύποις, καὶ ταῖς ὅσαι μισθαρνοῦσιν ἐπὶ τοῖς σώμασι, μετὰ πολλῆς ἀδείας χρῆσθαι· παρ' ἡμῖν δὲ οὐδ' ἑταίρᾳ ἔξεστιν, ἀλλὰ κατὰ τῆς ἑταιρούσης ὥρισται δίκη θανάτου. πρὸ δὴ συνόδων νομίμων, ὁμιλίαν ἑτέρας γυναικὸς οὐκ ἴσμεν ἀλλ' ἁγνοὶ γάμων ἁγναῖς παρθένοις προσερχόμεθα, προτιθέμενοι τέλος, οὐχ ἡδονὴν, ἀλλὰ γνησίων παίδων σποράν. εἰς δὴ ταύτην καθαρεύσας τὴν ἡμέραν, οὐκ ἄρξομαι παρανομεῖν ἀπὸ μοιχείας, τοῦ μεγίστου τῶν ἀδικημάτων, ὀφείλων εἰ καὶ τὸν ἄλλον χρόνον ὑπῆρχον ἐκδεδιῃτημένος, καὶ νεότητος ὁρμαῖς ἠγμένος, καὶ τὴν ἐγχώριον ἐζηλωκὼς τρυφὴν, ὅμως ἀλλότριον μὴ θηρᾶν γάμον, ἐφ' ᾧ τίς ἀνθρώπων οὐ φονᾷ; περὶ γὰρ τῶν ἄλλων εἰωθότες διαφέρεσθαι, μόνον τοῦθ' ὁμογνωμονοῦσιν, ὃ πανταχοῦ πάντες ἄξιον θανάτων μυρίων ἐνόμισαν, ἀκρίτους ἐκδιδόντες τοὺς ἁλόντας τοῖς πεφωρακόσι, σὺ δ' ἐπιδαψιλευομένη καὶ τρίτον προστίθης μοι μίασμα, κελεύουσα μὴ μοιχεύειν μόνον, ἀλλὰ καὶ δέσποιναν καὶ δεσπότου γυναῖκα διαφθείρειν. εἰ μὴ ἄρα τούτου χάριν παρῆλθον εἰς τὴν ὑμετέραν οἰκίαν, ἵν' ἀποστὰς τῶν ὑπηρεσιῶν, ἃς δεῖ θεράποντα παρέχειν, μεθύω καὶ ἐμπαροινῶ ταῖς ἐλπίσι τοῦ πριαμένου, νοθεύων αὐτοῦ γάμον, οἰκίαν, συγγένειαν. ἀλλὰ γὰρ οὐχ ὡς δεσπότην μόνον, ἀλλὰ καὶ ὡς εὐεργέτην ἤδη τιμᾶν προάγομαι. πάντ' ἐπιτέτροφέ μοι τὰ οἰκεῖα, οὐδὲν οὐ μικρὸν, οὐ μέγα ὑπεξῄρηται τὸ παράπαν, δίχα σοῦ τῆς γυναικός, ἀνθ' ὧν, ἄξιον αὐτὸν ἐν οἷς παρανομῶ ἀμείψασθαι; καλὰς ὡς ἔοικεν ἀντιπαρέξω δωρεὰς ταῖς προυπηργμέναις χάρισιν

ρισιν

ελσιν οἰκείας; ὁ μὲν δεσπότης αἰχμάλωτον ὄντα με καὶ ξένον, ταῖς εὐεργεσίαις ἐλεύθερον καὶ ἀστὸν, τὸ γοῦν ἐπ᾽ αὐτὸν ἧκον μέρος ἀπειργάσατο, ἐγὼ δὲ δοῦλος, ὡς ξένος καὶ αἰχμαλώτῳ προσενεχθήσομαι τῷ δεσπότῃ; Καὶ τίνι ψυχῇ παραδεξάμενος τὸ ἀνοσιούργημα τοῦτο. προσβλέψω δὲ τίσιν ὀφθαλμοῖς ὁ σιδηροῦς ἐγώ; Τὸ συνειδὸς ἐλλαμβανόμενον, ὀρθοῖς ὄμμασιν οὐκ ἐάσει προσβλέπειν, κἂν δυνηθῶ λανθάνειν, λήσομαι δ᾽ οὐδαμῶς. Εἰσὶ γὰρ ἐξετασταὶ μυρίοι τῶν λάθρα δρωμένων, οἷς οὐ θέμις ἡσυχάζειν. ἐῶ λέγειν ὅτι κἂν μηδεὶς ἕτερος αἴσθηται ἢ συναισθόμενος μὴ κατείπῃ. μηνυτὴς οὐδὲν ἧττον αὐτὸς γενήσομαι κατ᾽ ἐμαυτοῦ τῷ χρώματι, τῷ βλέμματι, τῇ φωνῇ, καθάπερ μικρῷ πρότερον εἶπον, ὑπὸ τοῦ συνειδότος ἐλεγχόμενος· εἰ δὲ καὶ μηδεὶς κατείποι, τὴν πάρεδρον τοῦ θεοῦ δίκην καὶ τῶν πραγμάτων ἔφορον, οὔτ᾽ ἐδεδίειμεν οὔτ᾽ αἰδούμεθα; πολλὰ τοιαῦτα συνείροντος, καὶ φιλοσοφοῦντος, ἐκεκώφητο. δειναὶ γὰρ αἱ ἐπιθυμίαι καὶ τὰς ἀκριβεστάτας τῶν αἰσθήσεων ἐπισκιάσαι· ὅπερ συνιδὼν ἀποδιδράσκει, καταλιπὼν τὰ ἱμάτια ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῆς, ὧν ἐπείληπτο. τοῦτο παρέσχεν αὐτῇ τὸ ἔργον εὑρεσιλογεῖν προφάσεις σκεπτομένῃ κατὰ τοῦ νεανίσκου, αἷς αὐτὸν ἀμυνεῖται· παραγενομένῳ γὰρ ἐξ ἀγορᾶς τῷ αὐτῆς ἀνδρὶ, καθυποκρινομένη τὴν σώφρονα καὶ κόσμιον κἂν τοῖς ἀκολάστοις ἐπιτηδεύμασι, πάνυ δυσχεραίνουσα, Ἤγαγες, ἔφη, θεράποντα ἡμῖν παῖδα Ἑβραῖον, ὃς οὐ μόνον ἤδη τὴν ψυχὴν διέφθαρκεν, εὐχερῶς καὶ ἀνεξετάστως ἐπιτρέψαντος αὐτῷ τὴν οἰκίαν, ἀλλὰ καὶ ἐμοῦ ἀπετόλμησεν αἰσχῦναι τὸ σῶμα· ταῖς γὰρ ὁμοδούλοις οὐκ ἐξήρκεσεν αὐτῷ, χρῆσθαι μόναις, ἀσελγεστάτῳ καὶ λαγνιστάτῳ γινομένῳ, πειρᾶν δὲ καὶ τὴν δέσποιναν ἐπεχείρησεν ἐμὲ, καὶ βιάζεσθαι, καὶ τὰ δείγματα τῆς φρενοβλαβείας ἐναργῆ καὶ δῆλά ἐστι. περιπαθήσασα γὰρ, ὡς ἐξεφώνησα τοὺς ἔνδον βοηθοὺς ἐπικαλοῦσα, πτοηθεὶς. διὰ τὸ ἀπερίσκεπτον τὴν ἐσθῆτα καταλιπὼν, ἀποδιδράσκει φόβῳ συλλήψεως. Καὶ ἐπιδεικνυμένη, πίστιν ἐδόκει προσφέρειν τῶν λεγομένων. ἅπερ ἀληθῆ νομίσας ὁ δεσπότης εἶναι, κελεύει τὸν ἄνθρωπον εἰς εἱρκτὴν ἀπαγαγεῖν· δυσὶ τοῖς μεγίστοις ἁμαρτών, ἑνὶ μὲν, ὅτι μὴ μεταδοὺς ἀπολογίας, ἀκρίτως κατέγνω τοῦ μηδὲν ἠδικηκότος, ὡς τὰ μέγιστα παρανομήσαντος, ἑτέρῳ δὲ, ὅτι ἡ ἐσθὴς ἣν προὔφερεν ἡ γυνὴ ὡς ἀπολειφθεῖσαν ἀπὸ τοῦ νεανίσκου, πίστις βίας ἦν, οὐχ ἣν ἐκεῖνος εἰργάζετο, ἀλλὰ τὴν ὑπομονὴν ἣν ὑπέμεινεν ἐκ τῆς γυναικός. βιαζομένου μὲν γὰρ ἔργον ἦν τὴν ἀμπεχόνην τῆς δεσποίνης κατέχειν, βιασθέντος δὲ, τὴν ἰδίαν ἀφαιρεθῆναι. συγγνωστὸς δ᾽ ἴσως τῆς ἄγαν ἀπαιδευσίας, ἅτε τὴν δίαιταν ἐν μαγειρείῳ ποιούμενος, ἄμαλος τε καπνοῦ καὶ τέφρας ἀνάπλεως, τοῦ λογισμοῦ καιρὸν οὐκ ἔχοντος ἐνηρεμεῖν καὶ σχολάζειν ἐν ἑαυτῷ, διὰ τὸ πεφύρθαι μᾶλλον τῷ σώματι.

Hæc ita reddidit Gelenius: *Cæterum adoleſcens in Ægyptum abductus, & eunucho ut diximus in ſervitutem traditus, cum intrà paucos dies generoſitatis & honeſtatis dediſſet ſpecimen, conſervis eſt præpoſitus curator totius familiæ. Iam enim herus multis argumentis collegerat, eum non ſine divinâ providentiâ ſingula tum dicere tum facere. Ergò in ſpeciem ab emptore ſuo domui præfectus eſt: re vera autem à naturâ conciliante illi magna gentis ac regionis principatum: oportebat enim futurum adminiſtratorem reip. præexercere in rebus œconomicis: nam & domus eſt quædam parva civitas, & œconomia compendiaria reſpub. ſicut etiam civitas, magna domus eſt, & politia communis quædam œconomia. Vnde facilè diſcimus eundem eſſe aptum & diſpenſationi domeſticæ & adminiſtrationi publicæ, quamvis hæc multitudine magnitudineque differant, ſicut in picturâ quoque ac ficturâ uſu venit. Nam bonus ſtatuarius aut pictor, ſive coloſſeas magnitudines faciat, ſive pauca parvaque opera, eandem artem oſtentabit. Cæterum poſtquam egregiam laudem in diſpenſatione conſecutus eſt, inſidias herilis uxoris pertulit inſano amore correptæ. Capta enim adoleſcentis pulchritudine, & affectu indomito rabida, de ſtupro eum tentavit repugnantem valdè; ac ne audire quidem tale quicquam ſuſtinentem propter innatam ſibi & continua meditatione confirmatam honeſtatem & temperantiam. Sed ubi creſcente indies flammâ cupidinis atque inceſta concupiſcentia continuè tentando ſemper repulſam paſſa eſt mulier, tandem libidinis impatiens & ad vim*

verſa

verſa in adoleſcentis pallium manus injecit, magna contentione trahendo ipſum in thalamum, robur addente affectione, quæ ſolet confirmare vel debiles. At ille præſentem importunitatem fortiter ſubmovens, in has liberas & ſuo genere dignas voces erupit: Quid moleſta es? Bonis moribus & legibus utimur nos Hebræorum poſteri. Aliæ gentes puberibus quatuordecim annum ætatis egreſſis permittunt uſum ſcortorum & fœminarum corpore quæſtum facientium: apud noſtrates nulla eſt meretrix, capitali ſupplicio propoſita talem quæſtum exercentibus. Ante legitimam copulam alios congreſſus cum muliere neſcimus, caſti caſtis virginibus conjungimur, non voluptatis, ſed liberorum quærendorum gratiâ. Qui ad hanc diem purus manſi, non incipiam ab adulterio leges contemnere flagitio peſſimo, qui etiamſi alias perperam educatus eſſem, & obſecutus ætatis affectibus, aut veſtram imitatus laſciviendi licentiam, tamen non debebam alieno inſidiari matrimonio, quod crimen cui mortalium non cæde vindicandum videtur: nam de cæteris diſſentire ſoliti, in hanc ſolam conſpirant ſententiam, itâ ut omnes ubique rem capitalem pronuncient, & deprehenſos injudicatos læſo dedant necandos: tu verò quaſi res per ſe parum damnata eam tertio ſcelere cumulas, cogens me non tantum ad adulterium, ſed & ad thori herilis injuriam, niſi fortè ideò in veſtras ædes veni ut inebrier & debaccher in ſpes domini, conjugium, familiam, cognationem ejus adulterans: atqui non ſolum officium ei ut hero, ſed & honorem ut benefactori debeo, omnia ſua commiſit meæ fidei nihil excipiens, niſi te uxorem ſuam, hanccine gratiam ut ei referam autores? Bonam ſcilicet gratiam dignamque illius meritis. Herus me ex captivo & extero ſua benignitate libertum & civem reddidit tractatum liberaliter: ego verò ſervus domino injuriam, ne captivo quidem & extero tolerabilem inferam? & qua fronte potero poſt admiſſum tantum ſcelus illum aſpicere? conſcientia carnifex inteſtina non ſinet me oculos in eum erigere, ut nemo prodat alius. Sed non deerunt qui prodant, praſtò ſunt latentes exploratores plurimi, quibus ſilere non licet: taceo quod ſi etiam nemo factum vel ſentiat vel enunciet, ipſe meus ero proditor, colore, aſpectu, voce, ut modo dixi detegens conſcientiam. fac nullum delatorem fore, aſſidentem Deo juſtitiam res cunctas inſpicientem nec timebimus nec reverebimur? Hujuſmodi multa ille canebat ſurdis auribus, obtundente omnes ſenſus improba concupiſcentia. id ut animadvertit puer aufugit, relicto in heræ manibus pallio quod apprehenderat. hinc illa occaſionem comminiſcendæ calumniæ rapuit, de vindictâ cogitans. reverſo enim è foro marito honeſtatem & pudicitiam inceſta ſimulans, indignabunda dixit: Adduxiſti in noſtras ædes iſtum ſervum Hebræum puerum, adeò corruptum jam tua indulgentia, qui pudenda facilitate inexplorato commiſiſti totam familiam, ut adulta audacia ne à me quidem injuriam abſtineat. nam conſervæ non ſatis ſunt libidini ejus nunquam explebili, nunc me matronam tentare haud veritus, vim adjecit contumeliæ. En tibi manifeſtum inſani conatus indicium, nam cùm exclamaſſem præ indignatione opem domeſticorum invocans, territus hanc veſtem reliquit fugiens ne comprehenderetur. Ea veſtis prolata fidem adſtruxit muliebri calumniæ. Herus verum crimen ratus trudit hominem in carcerem, ipſe peccans non ſimpliciter: primò quià non facta defendendi ſe poteſtate damnavit inſontem tanquam obnoxium ſceleri graviſſimo: deinde quià non animadvertit veſtem quam ab adoleſcente relictam mulier proferebat, eſſe indicium violentiæ, ſed muliebris, ipſius verò adoleſcentis patientiæ. nam ſi vim tentaſſet inferre domina, retinuiſſet ejus amiculum: nunc reluctans ſuo pallio ſpoliatus eſt. Verum hujus inſcitia venia fortaſſe danda eſt ei qui degens in culina inter lanienas & fumos ac cineres, non poterat vacare cauſæ cognoſcendæ itâ ut poſtulabat ratio, immerſus rebus corporis.

Cap. XL.

Ministri Regis Duo] Joſephus liber, non amplius compedibus apud commentarienſem ſeu præfectum carceris in gratia fuit, qui eum (nam aliter fieri non poterat) favente aut concedente Potifar carceris miniſteriis præfecit. Fortè quia (ut magiſter ille Judæus annotat) de facto dubius prius fuerat, ex moribus Joſephi melius cœpit æſtimare paulatim & magis de facinore dubitare. Primus æſtus nunc ſedatus erat poſt quem ad ſe rediit animus. At ſuo tempore Deus januam liberationis aperuit. Raſi cauſas exponit, quare aulici iſti regii peccaverint & conjecti ſint in carcerem: *Quoniam* (הרגילה) *frequentem eſſe fecerat ipſa maledicta juſtum in ore omnium, induxit ipſis Deus benedictus iniquitatem horum, ut ſe verterent ad illos & non ad illum: porro ut veniret* הרוחה *liberatio juſto per eos.* Dicuntur peccaſſe חטאו. Raſi: *Quantum illum attinet, inventa fuit muſca in phiala potatoria ipſius: Quantum hunc attinet, inventus fuit* [צרור בגלוסקן שלו] *lapillus in torta illius.* Ita ſubtiles illi ſunt ad omnia ſcrutanda] & eruenda. Ralbag hanc obſervationem in medio relinquens generatim ita explicat: ר״ל שנמצא במלאכתם חטא ושגגה שלא היתה מתוקנת כהוגן למביאה אל המלך: *Significat, quod fuerit in miniſterio eorum peccatum & error, & ut non fuerit diſpoſitum, ad decentiam, ut introducerent ad regem.* Iſti aulici fuere piſtor & pincerna: משקה מלך והאופה. De אופה ita Raſi: את פת המלך ואין לשון אפיה אלא בפת ובלעז פישטור. Verſu ſequente vocantur שר האופים & שר המשקים item סריסים regis Ægypti. Illi traditi fuêre in cuſtodiam, quæ erat in domo Potifar, שר הטבחים. In eum autem locum compacti ubi & Joſeph erat. Illis appoſuit Potifar Joſephum, qui illis miniſtraret. Nam מעלה גדולה היתה להם בבית פרעה כי שרים היו ita Aben-eſdras. Ita in carcere fuerunt ימים, quod eſt interprete Raſi, *duodecim menſibus.* Hoc anno exacto ambo eadem nocte ſomnium habuerunt, quiſque ſuum: אחד איש כפתרון חלומו, *quiſque juxta interpretationem ſomnii ſui.* Aben-eſdras: *Quia videt quiſque in ſomnio ſuo, quænam eſſet interpretatio ſomnii ſui in futurum & illud quod illi eventurum eſſet.* Raſi: *Hæc eſt expoſitio literalis & profundior, unus quiſque ſomniavit ſomnium, ambo illi: quia ſomniavit ſomnium ſuum & interpretationem ſocii ſui. Id eſt quod dicitur* (v. 16.) Et videbat præfectus piſtorum, quod bonam interpretationem dediſſet. Deinde ad illa verba: איש כפתרון חלומו, *unuſquiſque ſomniaverat ſomnium, ſimile interpretatione, quod futurum eſſet ut eveniret ipſis.* Raſi putat vidiſſe in ſomniis ſuis quemlibet alterius ſomnii interpretationem; inde vidiſſe piſtorem quod recte pincernæ interpretatus eſſet Joſeph. Simplicius eſt ut accipiamus, quod fuerint ſomnia illa tantum συμβολικὰ futuri. Nempe non fuiſſe naturalia ſed divinitus immiſſa; id quod fortaſſis ipſi ſomniantes cognovere, atque ideò de interpretatione quærenda fuere ſoliciti. Joſeph mane ad ipſos ingreſſus vidit eos σκυθρωποὺς. Cauſam ſciſcitatus cum intellexiſſet ſolicitos eſſe de ſomniorum explicatione, reſpondet interpretationem eſſe Dei: הלא לאלהים פתרנים Hic Aben-eſdras: *Senſus eſt, nonne interpretationes ſunt Dei, quia interpretatio ſomniorum Dei eſt, quia ipſe novit futurum, & oſtendit in ſomnio, illud quod erit illi cui voluerit, Ergo ſi interpreter id in bonum ſive malum, nil proderit neque nocebit: quoniam res ſic eſt & Dei ſit interpretatio omnium ſomniorum; ne metuite mihi narrare ſomnia veſtra. At omnia ſomnia vadere poſt os, verba ſunt ſingularis magiſtri:* Mentem dicti Joſephici ſimplicius noſtri accipiunt; de interpretandi ſcientia, quam eſſe à Deo, ut ipſa ſomnia ſignificativa.

Joſe-

Joſephus agnoſcere videtur & præſe ferre, quod habeat τὸ χάρισμα τῆς ὀνειροκρίσεως. Ideo urget ut ſibi ſomnia narrentur. Hoc χάρισμα ita Deo attribuit, ut ab illo ſit & originariò & immediatè inſpiretur ad ſingulos actus. Interpretationes ſunt Dei id eſt, donat illud χάρισμα cui vult, & electis hominibus ſpiritum ſuum concedit ad interpretationem quando vult. Nullum enim propriè appellatum χάρισμα eſt habituale, ut ſit ejus uſus & exercitium in poteſtate hominis.

Prior pincerna expoſuit ſomnium de vite trium palmitum; Joſeph illud interpretatus eſt de illius liberatione & reſtitutione in locum ſuum poſt triduum. Simul rogat uti inde liberatus ſui memor eſſet. Se furto ſublatum è terra Hebræorum in Ægyptum deportatum eſſe & ſine ullo ſuo delicto in illam ſoveam conjectum. Rogat Aben-eſdras unde cognoverit Joſeph per tres palmites potius tres dies quam menſes aut annos notari? Id eum conjeciſſe ex imminente natali regis quia reges die natali ſoleant convivia facere, ubi invitantur omnes aulici: aut ſciviſſe quod regina prægnans eſſet. Sibi prius placere. Sed non eſt dubium à Spiritu Dei edoctum non ſignis externis conjectando quot dies fuerint, cognoviſſe. Mercerus autem aliam quæſtionem majoris momenti & rei ponit & ſolvit: *Sed quomodo*, inquit, *Ioſeph rei ſpiritualis (nam prophetam agit ex ſpiritu divino hujus ſomnii certam interpretationem afferens) remunerationem poſtulat, velut Dei gratiam venalem proponens: Atqui rationem divinitus oblatam non negligit, quâ ſperat, aut certè ſpem aliquam concipit fore, ut hac occaſione liberetur ſi ſui velit pocillator apud Pharaonem meminiſſe. Non ſunt humana media quibus liberari poſſimus ex afflictione negligenda, ſi licita ſunt, poſt Deum invocatum & omnem in eum collocatam fiduciam, & preces ad eum factas, quod hic Ioſephum feciſſe non dubito. Neque enim ita in pocillatorem, ut Hebræi volunt, fiduciam repoſuerat, ut interim ſpem in Deum abjeciſſet ſed hoc tantum medio, ut rectè docet hic Bahai, uti voluit, ſi ita Deo viſum eſſet: quanquam ille citò ſui interpretis eſt oblitus, ut in aulis fieri ſolet, & inter homines apud quos ferè beneficiorum brevis eſt memoria: unde & veteres Gratias juvenes pinxerunt, quod beneficia accepta nunquam in hominum pectore par ſit conſeneſcere. Hebræi putant Ioſephum quià homini confidit, diutius in carcere detentum fuiſſe uſque ad finem biennii etiam juxta quoſdam à liberato pincerna, ut eo nomine eum Deus punierat prorogato ejus carcere. Fieri quidem potuit, ut nonnihil reſpiraris ad hoc medium: verum non putem eum omnem in eum fiduciam collocaſſe. Servum ſuum Deus diutius probare voluit patientia, donec tempus ab eo conſtitutum adveniret, ut eſt Pſal. 105. & non ex homine, ſed ex ſe voluit Ioſephi liberationem pendere, alioqui ſi opera pincernæ liberatus fuiſſet, potuiſſet ejus liberatio homini tribui. At Deo aliter viſum eſt, ut ille diſceret, & cæteri qui in afflictione verſantur, ſolo Deo niti & ab eo exitum exſpectare, homines ingratos eſſe & fallaces. Alioquin pincerna non erat timendum ne initio ſtatim liberatus Regem offenderet, ſi Ioſephi meminiſſet, qui à Rege non fuiſſet in carcerem conjectus & cui forſan jam tunc dexteritas illa Ioſephi interpretandorum ſomniorum grata fuiſſet. Sed aliam occaſionem exſpectare Deus voluit, quâ Ioſephus non ſibi ſoli ſed toti regioni Ægypti, ac vicinis undequaque regionibus utilis foret ſuo conſilio, prudentia & ſapientia. Ita omnia Deus ad lætum perducit finem, & quæ mala ſunt in ſpeciem, in bonum longè uberrimum commutat. Non eſt autem prohibitum, ubi ſpiritalia bona contuleris, temporalia ab iis accipere, in quos illa erogaris dum alioqui illis non abutaris, nec pretio temerè exponas aut caupones.*

Cl. Rivetus eam quæſtionem ita enodat: *Hic non ſolum Ebræorum interpretes quidam reprehendunt Ioſephum, ſed etiam Auguſtinus ſive alius fuerit autor ſermonis de tempore 82. inter Auguſtini opera. Cauſam afferunt quod cum Dominus*

eſſet cum eo & gratiam ei apud dominum ſuum & principem carceris dediſſet, cum debuiſſet à Domino immediatè exſpectare abſolutam liberationem, cujus initia & gradus jam erat expertus à miſericordia Dei, ſubreptum eſt illi ut ab homine auxilium peteret. *Cujus rei cauſa putant Ioſephum diutius carcere detentum fuiſſe, uſque ad finem biennii. Addunt etiam in eo peccaſſe, quod cum ex Spiritu divino ſomnii interpretationem attuliſſet, rei ſpiritualis, qualis eſt prophetia, remunerationem poſtulavit, & gratiam Dei tanquam venalem propoſuit. Exiſtimo qui ità judicarunt, erga ſanctum virum minus aquos fuiſſe: in cujus petitione nihil eſt quod reprehendi poſſit, cum in ea debeat prudentia laudari, non ſolum civilis & humana, ſed etiam pia & religioſa. Noverat enim vir ſanctus non eſſe negligendas occaſiones & media conceſſa, quibus à vexatione probabilitar nos poſſe redimi judicamus, nec fiduciam in Deum impedire, quominus utamur hominum induſtriâ, favore, & benevolentiâ, potentiâ etiam & aliis humanis praſidiis, quibus adjumentis legimus uſos fuiſſe omnes ſanctos ſub utroque Teſtamento, & quorum neglectus & rejectio, cum Deus opportunitatem offert, ad Dei tentationem referri poſſet. Talibus enim impletur Dei providentia & pradeſtinatio, & quod deſtinatum erat ad optatos effectus deducitur. Si Ioſephus tali interceſſioni confiſus, à Dei providentia non totus pependiſſet, exiſtimaſſetque nullâ aliâ ratione ſe liberari potuiſſe, vel hanc etiam ſine Deo effectum ſuum producturam, aut ſi falleret, deincepr nullam expectandam eſſe liberationem; meritò gravi reprehenſione dignus judicaretur. Sed quià noverat, ſubalterna non repugnaro, nec de ſua in Deum ſpa primariâ aliquid remiſit, neque cum id, per ingratitudinem pincerna, non ſuccederet, impatientiâ victus aſt, id nihil ejus fidei & conſtantia debet prajudicaro. Falſum eſt etiam eum ſpiritualia vendere voluiſſe. Primò anim liberè & libenter contulit iſti homini, etiam non petanti, quod ad conſolationem ejus facero poterat; nac de pretio ullo cum eo convenit, nec atiam de favoro aut benevolentia verba fecit, priuſquam ei pradixiſſet liberationem, cujus occaſione eum ſui officii admonet, ut mali non ignarus diſceret ſuccurrero miſeris, praſertim innocentibus. Sciebat otiam prohibitum non eſſa à Deo, ſiquis ad neceſſitatem ſuam, temporale aliquid acciperet ab eo cui ſpiritualia contulerat, quod factum cum Simoniâ nullam habet affinitatem, ut patet ex multis Paulinis ſententiis, ad eam rem pertinentibus, & ipſa experientia, exemplo piorum comprobata. Ras prætereà, quam petit Ioſephus, hujus generis aſt, ut poſſit ad ſpiritualia referri; petiit enim actum charitatis & humanitatis, ut innocentis immerita patientis rationem haberet apud eum, cujus erat juſtitiam adminiſtrara.*

Præfectus piſtorum læta illa interpretatione in ſpem erectus, Joſepho ſuum quoque ſomnium propoſuit. Eadem nocte ſomniaverant, eodem die utriuſque ſomnium debuit impleri, at diverſo eventu. Viderat hic tria caniſtra capiti ſuo impoſita, plena operis piſtorii, è quorum ſupremo volucres veſcerentur. Joſeph audito ſomnio rem liberè prolocutus, Spiritu eodem, quo intellexerat, poſt triduum ſuſpendio vitam finiturum eſſe, corpore in furca relicto aves paſturum, ſignificat. Tertio ab hac interpretatione die natalis regis aderat, quo aulicorum in carcerem conjectorum alterum officio ſuo reſtituit, alterum in crucem egit, eventum implens, quem è ſomniis Joſeph conjecerat. Caniſtra, quæ in capite geſtabat per quietem appellantur סלי חורי; quod Raſi interpretatur, *caniſtra ſive corbes de vimine decorticato, foraminoſos, ut mos vendentium panem habebat in regione, quam incolebat Roſi, cruſtula* (כיסנין) *qua vulgo vocarentur oblies, imponere ejuſmodi caniſtris.* Aben-eſdras narrat Gaon interpretari חרי de pane albo, ſicuti חורי יהודה. Nobiles Judæ ita vocantur Jerem. 27. 20. & apud Nehemiam aliquot locis. Ita panem præſtantiſſimum ille Rabbi putat hoc vocabulo ſignificari. In paraphraſi hujus capitis

ſua

ſua etiam ſphalmata Joſephus habet. I. dicit eum expreſſiſſe è palmitum uvis γλεῦκος εἰς φιάλην ὑπέχοντος τοῦ βασιλέως. Atqui phialam non ſubdebat rex, quia pincerna eam in manu habebat, ſed poſtea plenam vino regi tradidit: quod & ipſa Joſephi ſequentia verba videntur innuere. II. E vitibus conjeciſſe Joſephum bonitatem eventus: Καρπὸν γὰρ ἐσήμαινεν ἄμπελον ἐπ' ἀγαθῷ ἀνθρώποις παρέχειν, ὅσα αὐτῷ τε ἐκείνῳ καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις καὶ φιλίας ὁμηρείαν, ἀπολύων μὲν ἔχθρας, τὰ πάθη δὲ καὶ τὰς λύπας ἐξαίρων τοῖς προσφερομένοις αὐτὸν καὶ πρὸς ἡδονὴν ὑποφέρων. Ineptum hoc eſt: quaſi vini uſus ipſi bonum eventum indicaverit. Dei Spiritus interpretatus eſt ipſi rem ſignificatam, non conjecit è natura objecti viſi, ut ſolebant ſomniorum conjectores in pago. Erat quidem analogia inter viſa & res, quam non licuit fingere ad rem interpreti placitam, quia autem in Pharaonis manum poculum vini ſolito pincernis more viſus erat ſibi tradere, implementum fuit in reſtitutione in munus. III. Joſephum rogantem ut ſui memor eſſet & infortunii immeriti mentionem facientem, narrat aperte à ſe culpam in heram conjicientem: quod ſcriptura non dicit, tantum referens Joſephum dixiſſe ſe nihil eſſe commeritum ob quod in iſtum locum conjiceretur. IV. In ſupremo caniſtro præfecti piſtorum fuiſſe narrat omnis generis regias dapes: δύο μὲν ἄρτων πλέα, τὸ δὲ τρίτον ὄψων τε καὶ ποικίλων βρωμάτων, οἷα βασιλεῦσι σκευάζεται. ὄψον non eſt operis piſtorii, quod hic ſolum fuiſſe ſcriptura exprimit & munus ejus indicat. Varia iſta edulia & opſonia à coquis non piſtoribus parabantur. Toto autem biennio Joſeph poſt eventum hunc in carcere fuit, quia pincernarum præfectus, ut promiſerat, non fecit Joſephi mentionem apud regem. Hoc factum eſſe dicit Raſe, quod ſpem in homine poſuiſſet Joſeph. Nimis facilis eſt in damnando, cum nihil tale appareat. Voluit autem Deus luculentiorem cauſam Joſephicæ liberationis ſuo tempore, producere, quæ ſequenti capite à Moſe exponitur. Audiamus nunc Philonis diſertam narrationem qui & de ſuo liberalis eſt: ὁ διαβληθεὶς νεανίας, inquit, ὑπὸ τῆς ἐρωμένης γυναικὸς τῷ δεσπότῃ, πλασαμένης ἀντιστρόφους αἰτίας, ἃς ἦν ἔνοχος αὐτή, μηδ' ἀπολογίας τυχὼν εἰς εἱρκτὴν ἀπάγεται· καὶ γενόμενος ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, τοσοῦτον ἀρετῆς μέγεθος ἐπεδείξατο, ὡς καὶ τοὺς πονηροτάτους τῶν ἐκεῖ τεθηπέναι καὶ καταπεπλῆχθαι, καὶ παραγόρημα τῶν συμφορῶν ὑπολαμβάνειν ἀλεξίκακον εὑρηκέναι τὸν ἄνθρωπον. ὅσης γὰρ ἀπανθρωπίας οἱ εἱρκτοφύλακες γέμουσι καὶ ὠμότητος, οὐδεὶς ἀγνοεῖ· φύσει τε γὰρ ἀνηλεεῖς εἰσι, καὶ μελέτῃ συγκροτοῦνται θηριούμενοι καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν πρὸς ἀγριότητα, χρηστὸν μὲν οὐδὲν ὁρῶντες, ἢ λέγοντες, ἢ δρῶντες, ὅσα δὲ βιαιότατα καὶ χαλεπώτατα. Καθάπερ γὰρ οἱ τὰ σώματα εὐπαγεῖς ὅταν τὴν ἐξ ἀσκητικῆς ἄσκησιν προσλάβωσι, νευροῦνται, δύναμιν ἀνανταγώνιστον καὶ εὐεξίαν ὑπερβάλλουσαν κτώμενοι· τὸν αὐτὸν τρόπον, ὅταν ἀπίθασος καὶ ἀμείλικτος φύσις ἄσκησιν εἰς τὸ ἀνήμερον προσλάβῃ, διχόθεν ἄβατος καὶ ἀπρόσιτος ὄντως, οὐ χρηστῷ πάθει καὶ φιλανθρώπῳ· καὶ ὥσπερ οἱ τῶν ἀγαθῶν ὁμιληταὶ βελτιοῦνται τοὺς τρόπους χαίροντες τῇ συνουσίᾳ ἤθεσί τε ἀγαθοῖς, οὕτω καὶ οἱ τοῖς πονηροῖς συζῶντες ἀπομάττονται τῆς ἐκείνων κακίας· δεινὸν γὰρ τὸ ἔθος ἐξομοιῶσαι καὶ βιάσασθαι πρὸς φύσιν· συνδιατρίβουσι δ' οἱ εἱρκτοφύλακες λωποδύταις, κλέπταις, τοιχωρύχοις, ὑβρισταῖς, βιαίοις, φθορεῦσιν, ἀνδροφόνοις, μοιχοῖς, ἱεροσύλοις, ὧν ἀφ' ἑκάστου σπῶνταί τι μοχθηρίας, καὶ συνερανίζουσι, καὶ ἐκ τῆς πολυμιγοῦς κράσεως, ἓν ἀποτελοῦσι πάμφυρτον καὶ παμμίαρον κακόν. ἀλλ' ὅμως ὁ τοιοῦτος ἡμερωθεὶς ὑπὸ τῆς τοῦ νεανίσκου καλοκαγαθίας, οὐ μόνον ἀδείας καὶ ἐκεχειρίας μετέδωκεν, ἀλλὰ καὶ ἀρχῆς τῆς ἐφ' ἅπασι τοῖς δεσμώταις· ὡς λόγῳ μὲν ἕνεκα προσχήματος ἐμμένειν εἱρκτοφύλαξ, τὴν δ' ἐν ἔργοις πρᾶξιν, παρακεχωρηκέναι τῷ νεανίᾳ, δι' ἧς οὐκ ὀλίγα συνέβαινέ τινας ἀπαχθέντας ὠφελεῖσθαι· τὸ γοῦν χωρίον οὐδ' ὀνομάζειν ἔτ' ἠξίουν εἱρκτήν, ἀλλὰ σωφρονιστήριον. ἀντὶ γὰρ βασάνων καὶ τιμωριῶν, ἃς νύκτωρ τε καὶ μεθ' ἡμέραν ὑπέμενον τυπτόμενοι καὶ καταδούμενοι, καὶ τί κακῶν οὐ πάσχοντες; λόγοις καὶ δόγμασι τοῖς φιλοσοφίας ἐνουθετοῦντο, καὶ τῶν ἀνυσιμωτέρας παντὸς

λόγῳ πράξεσι τοῦ διδάσκοντος· τὸν γὰρ αὐτοῦ βίον σωφροσύνης καὶ πάσης ἀρετῆς, οἷα γραφὴν ἀρχέτυπον εὖ δεδημιουργημένην ἐν μέσῳ θείς, ἐπέστρεψε καὶ τοὺς πάνυ δοκοῦντας ἀνιάτως ἔχειν, οἷς μακραὶ νόσοι τῆς ψυχῆς ἐλώφησαν ἤδη κακίζουσιν ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις καὶ μετανοοῦσι, καὶ τοιαῦτ' ἐπιφθεγγομένοις, ποῦ ποτ' ἄρ' ἦν πάλαι τοσοῦτον ἀγαθόν, οὗ τὴν ἀρχὴν ἐσφάλημεν· ἰδοὺ γὰρ καὶ ἐπιλάμψαντος αὐτοῦ, ὡς πρὸς κάτοπτρον τὴν ἀκοσμίαν ὁρῶντες αὐτῶν αἰσχυνόμεθα. τοῦτον τὸν τρόπον βελτιουμένων, εἰσάγονται δύο εὐνοῦχοι τοῦ βασιλέως, ὁ μὲν ἀρχιοινοχόος, ὁ δὲ ἀρχισιτοποιός, ἐν οἷς ἐπεπράττετο κατηγορηθέντες καὶ καταγνωσθέντες· ὁ δὲ καὶ τούτων τὴν ἐπιμέλειαν ἣν καὶ τῶν ἄλλων ἐποιεῖτο εὐχόμενος ὅπως οἷός τε ᾖ μηδὲν χείρους τῶν ἀνεπιλήπτων ἀπεργάσασθαι τοὺς ὑφ' ἑαυτῷ. χρόνου δ' οὐ μακροῦ διελθόντος, ἐπιὼν τοὺς δεσμώτας ὁρᾷ συννοίας καὶ κατηφείας γέμοντας μᾶλλον ἢ πρότερον τοὺς εὐνούχους καὶ στοχασάμενος ἐκ τῆς σφοδρᾶς λύπης προσπεπτωκέναι τι νεώτερον, ἐπυνθάνετο τὴν αἰτίαν, ἀποκρινομένων ὡς ὀνείρους ἰδόντες ἄσης καὶ ἀδημονίας πεπλήρωνται, μηδενὸς ὄντος τοῦ διακρινοῦντος, θαρσεῖτε, ἔφη, καὶ διηγεῖσθε· γνώριμα γὰρ ἔσονται βουλομένου θεοῦ. βούλεται δὲ τὰ συνεσκιασμένα τῶν πραγμάτων ἀνακαλύπτειν τοῖς ἀλήθειαν ποθοῦσιν. Εἶπε πρότερος ὁ ἀρχιοινοχόος φησίν· ἔδοξα μεγάλην ἄμπελον ἐκπεφυκέναι τριῶν πυθμένων ἓν εὐερνέστατον στέλεχος τεθηλυῖαν καὶ βοτρυοφοροῦσαν, ὡς ἐν ἀκμῇ τῆς ὀπώρας, ὑποπερκαζούσης δὲ τῆς σταφυλῆς δρέψασθαι τῶν βοτρύων. καὶ εἰς ἔκπωμα βασιλικὸν ἀποθλίβειν· ὅπερ ἱκανῶς ἔχον ἄκρατον προσενεγκεῖν τῷ βασιλεῖ. ὁ δὲ μικρὸν ἐπισχών, εὐτυχίαν, εἶπεν, ἡ φαντασία σοι καταγγέλλει καὶ τῆς προτέρας ἀνάληψιν ἀρχῆς· αἱ γὰρ τρεῖς ῥίζαι τῆς ἀμπέλου, τρεῖς ἡμέρας ὑπογράφουσι, μεθ' ἃς ὑπομνησθήσεταί σου ὁ βασιλεύς, καὶ μεταπεμψάμενος ἐνθένδε, παρέξει μὲν ἀμνηστίαν, ἐπιτρέψει δὲ καὶ τῆς αὐτῆς μεταποιεῖσθαι τάξεως, καὶ ὑπὲρ βεβαιώσεως τῆς ἀρχῆς οἰνοχοήσεις, ἀναδοὺς ἔκπωμα τῷ δεσπότῃ. καὶ ὁ μὲν ἐγεγήθει ταῦτ' ἀκούσας· ὁ δ' ἀρχισιτοποιὸς ἀποδεξάμενος τὴν διάκρισιν, ὡς καὶ αὐτὸς εὐτυχὲς ὄναρ ἰδών· ἦν δ' οὐ μετρίως παλίμφημον· ἀπατηθεὶς ταῖς ἑτέρου χρησταῖς ἐλπίσι, φησίν· ἀλλὰ κἀγὼ κανηφορεῖν ἔδοξα, καὶ τρία πλήρη κανᾶ πεμμάτων κομίζειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς· τὸ δ' ἀνωτάτω πλῆρες εἶναι παντοίων γενῶν, οἷς εἴωθε χρῆσθαι ὁ βασιλεύς· ποικίλας δ' εἶναι τὰς πρὸς δίαιταν βασιλικὴν σιτοπόνων (l. σιτοποιῶν) ἐνεργείας, ὄρνεις δὲ καθιπταμένους ἁρπάζειν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, καὶ ἀπλήστως ἐμφορεῖσθαι, μέχρις οὗ πάντ' ἀναλῶσαι, καὶ μηδὲν τῶν εὐτρεπισθέντων ὑπολιπέσθαι· ὁ δέ, ἐβουλόμην, εἶπε, μὴ ὀφθῆναι σοὶ τὴν φαντασίαν, ἢ φανεῖσαν ἡσυχασθῆναι ἢ εἰ καὶ διηγεῖτό τις, μακρὰν γοῦν, ἵνα μὴ κατακούσαιμι, τῶν ἐμῶν ὤτων γενέσθαι τὴν διήγησιν· ὀκνῶ γάρ τις ἄγγελος εἶναι κακοῦ· συναλγῶ γὰρ τοῖς ἐν συμφοραῖς, ἕνεκα φιλανθρωπίας οὐχ ἥκιστα τῶν ὑπομενόντων ὀδυνώμενος· ἀλλ' ἐπειδὴ τοῖς ὀνείρων κριταῖς ἀληθεύειν ἀναγκαῖον θεῖα λόγια διερμηνεύουσι καὶ προφητεύουσι, λέξω μηδὲν ὑποστειλάμενος. ἀψευδεῖν γὰρ ἐπὶ μὲν πάντων ἄριστον, ἐπὶ δὲ τῶν ὁσίων ἀποφθεγμάτων καὶ ὁσιώτατον. τὰ τρία κανᾶ σύμβολον τριῶν ἡμερῶν ἐστίν. ἐπισχὼν ταύτας ὁ βασιλεύς, ἀνασκολοπισθῆναί σε, καὶ τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθῆναι κελεύσει, καὶ καταπτάμενα ὄρνεα τῶν σῶν ἐνευωχηθήσεται σαρκῶν, ἄχρις ἂν ὅλος ἐξαναλωθῇς. καὶ ὁ μέν, ὥσπερ εἰκὸς ἦν, συγχυθείς, ἀνετέτραπτο, καραδοκῶν τὴν ὁρισθεῖσαν προθεσμίαν, καὶ τῇ διανοίᾳ τὰς αἰτίας προσδεχόμενος· ὡς δ' αἱ τρεῖς ἡμέραι διῆλθον, γενέθλιος ἐνέστη τοῦ βασιλέως, ἐν ᾗ πάντες, οἱ κατὰ τὴν χώραν ἐπανηγύριζον· διαφερόντως δ' οἱ περὶ τὰ βασίλεια. εὐωχουμένων οὖν τῶν ἐν τέλει, καὶ τῆς θεραπείας εὐωχουμένης, ὥσπερ ἐν δημοθοινίᾳ, τῶν κατὰ τὸ δεσμωτήριον εὐνούχων ὑπομνησθείς, ἀχθῆναι κελεύει, καὶ θεασάμενος, τὰ ἐκ τῆς τῶν ὀνείρων διακρίσεως ἐπισφραγίζεται, προστάξας τὸν μὲν ἀνασκολοπισθῆναι τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθέντα, τῷ δὲ τὴν ἀρχὴν ἣν διεῖπε πρότερον ἀπονεῖμαι. Hæc ità verſa ſunt à Gelenio: *Adoleſcens ab amatrice apud herum inſimulatus criminis, quod in ipſam competebat, inauditus in carcerem ducitur: ubi tanta virtutis edidit ſpecimina, ut etiam facinoroſis illis eſſet miraculo, ad ſua calamitatis ſolatium credentibus ſibi contigiſſe hunc hominem. Nota eſt autem cuſtodum crudelitas, qui ingenio feroces magis efferantur aſſuetudine, indies creſcente ſævitia, dum nihil boni vident nec*

dicunt

dicunt aut faciunt, ſed ſæva violentaque omnia. Nam ſicut bene compacta corpora exercitatione confirmantur & acquirunt robuſtam invictamque habitudinem: ſic ferox & immitis naturà occupata ſui ſimilibus ſtudiis duplo fit durior, inacceſſa miſericordia, qui unus affectus bonus ac humanus eſt & quemadmodum qui cum bonis habent familiaritatem, ex jucundiſſimo eorum convictu in melius proficiunt moribus, ſic etiam qui cum malis verſantur, affricant ſibi eorum vitia. facilè enim conſuetudo abit in natura ſimilitudinem. Degunt autem carcerum cuſtodes inter plagiarios, fures, parietum perfoſſores, facinoroſos, violentos, ſtupratores, homicidas, adulteros, ſacrilegos, à quorum ſingulis nonnihil nequitiæ contrahunt, ut ex hujuſmodi collatione miſcellaneaque temperatura conficiatur una ſceleſta malorum colluvies. attamen talis homo honeſtate adoleſcentis mitigatus, non ſolum ſecuritatem & otium ei præſtitit, ſed etiam vinctis omnibus eum præfecit, ita ut penes ipſum ſpecies nomenque cuſtodis eſſet, rem autem & officium adoleſcenti cederet, quod non parum carcere incluſis proderat, jamque locus non tam erat carcer, quam diſciplinæ meditatorium. Omiſſis enim tormentis, quibus antea noctu atque interdiu cruciari ſolebant variis malis obruti, admonebantur ſermonibus & præceptis philoſophicis, ſed maximè ipſius doctoris exemplis utiliſſimis. Poſtquam enim ſuam vitam continentia, cæteriſque virtutibus plenam, velut tabulam benè pictam in medio propoſuit, convertit etiam eos qui videbantur inſanabiles, affectos inveteratis morbis animi, ità ut jam damnarent vitam præteritam, exprimente has voces reſipiſcentia: Vbi tantum bonum tamdiu latuit, à quo pridem aberravimus. Ecce jam effulgente hoc, tanquam in ſpeculo noſtra dedecora videntes, erubeſcimus. In hoc rerum ſtatu duo eunuchi regis introducti ſunt, alter pincernis præfectus, alter piſtoribus, accuſati damnatique, quod non rectè fungerentur ſuis miniſteriis. Hos quoque ille in ſuam curam accepit, orans Deum ut ſibi daret facultatem corrigendi commiſſos ſuæ fidei. Aliquanto poſt cum obiret vinctos, animadvertit hos duos eunuchos cogitabundos mæſtiores ſolito, unde conjectans eis accidiſſe aliquid, mœroris cauſam ſciſcitabatur. Quibus reſpondentibus ortam ex ſomniis anxietatem, quod non adeſſet interpres: Bono animo eſte, inquit, & narrate: intelligentur Deo volente. Vult autem ille ut res obſcuræ aperiantur veritatem deſiderantibus. Tum prior pincerna, Viſus ſum, inquit, videre magnam vitem, habentem tres palmites onuſtos maturis uvis, quaſi autumni tempore. Deinde invitante harum pulchritudine, videbar decerpere, & exprimere in regium poculum, moxque regi offerre muſtum meracum. Ioſeph poſt modicum ſilentium, Felicitatem, inquit, hæc viſio tibi nunciat, & reſtitutionem in priſtinum officium. Nam tres palmites tres dies ſignificant, quibus elapſis reminiſcetur tui rex, accitoque hinc, dabit veniam: & ut in dignitate confirmeris, offeres domino pòculum. Sic illi latum fuit ſuum ſomnium: tum piſtorum præpoſitus interpretationem miratus, quaſi & ipſe fauſtum vidiſſet ſomnium, quod valdè ominoſum erat, deceptus bona ſpe alterius, narrare incipit. Ego quoque ſomniavi me tria caniſtra bajulare in capite plena operibus piſtoriis: ex his ſummum continebat ea, quibus rex delectatur ut delicatioribus & elaboratis curioſius, ea videbantur aves in meum caput devolantes diripere, & devorare avidè, donec in totum abſumpta ſunt. Ad hæc juvenis: Vtinam tale ſomnium non vidiſſes, aut non enunciaſſes: aut ſi narrandum erat, procul à meis auribus ne exaudirem quod non libet: piget enim me eſſe infelicitatis nuncium, quià compatior miſeris, memor communis ſortis hominum. Sed quoniam ſomniorum conjectoribus veritas eſt neceſſaria, tanquam vatibus & oraculorum interpretibus, nihil celabo: quandoquidem mendacium ubique fugiendum, in ſacris conſultationibus etiam religio vetat admittere. Tria caniſtra dies tres ſignificant, quibus elapſis rex in crucem te tolli jubebit, truncatum prius capite atque ita volucres paſcentur tuis carnibus, donec totum abſumant. Sic piſtor receſſit

terri-

territus, præfinitum tempus exſpectans, & futura mala jam tum cogitatione præcipiens. Poſt triduum natalis regis illuxit, feſtivitatem publicam afferens, præſertim aulicis: cumque epulum præberetur optimatibus, ut fieri ſolet in hilaritate domeſtica, rex eunuchos requirens juſſit produci è carcere: moxque confirmavit eventu ſomniorum præſagium, jubens alterum in cruce ſuſpendi abſciſſo capite, alterum in priſtinam dignitatem reſtitui. In iſta hiſtoria patet ea tempeſtate ſuſpendii & in cruce ſeu gabalo relinquendi cadaveris morem pænamque apud Ægyptios fuiſſe in uſu. Rivetus hinc diſputat adverſus Socinianos pœnæ capitalis ſupplicium à Judæis non ſumpſiſſe exordium, inde de more relinquendi ſeu exponendi in ligno ſeu rota cadavera diſſerit: quæ nunc ſubjicimus: *Vtrumque hunc morem* inquit, *tum invaluiſſe teſtatur hæc hiſtoria, ex qua proinde ſequitur, inflictionem pœnæ capitalis, non originem ſumpſiſſe à politica lege Iudæorum, quod Sociniani volunt, proinde Chriſtianos ad eam non teneri, quaſi lex Chriſti aboleverit omnem pænam in qua ſanguis hominis effunditur, vel alia ratione ei vita adimitur. Sed cum neque Cananæi, neque Ægyptii acceperint legem ullam, qui tamen adulteras igni addicebant, ut ſupra vidimus, & peccantes adverſus regem, ſuſpendio ſtrangulabant, ut hoc loco habemus; Apparet morem puniendi morte quoſdam maleficos, quos utile eſt Reipublicæ tolli è medio, ad jus gentium pertinere, quod etiamnum manet, nec à Chriſto abrogatum fuit; cum enim teſtetur ſe non veniſſe ut quippiam eriperet Cæſari, quinimò juſſerit ut redderentur Cæſari, quæ Cæſaris erant, ſatis indicavit ſe nolle eam religionem inducere, quæ magiſtratui jus gladii à Deo conceſſum eriperet Matt. 22. v. 21. Quanquam id Chriſtiano magiſtratui imitandum cenſeamus, quod in Veſpaſiano apud Suetonium laudatur, quod* nullius unquam cæde lætatus, juſtis etiam ſuppliciis illachrymarit & ingemuerit. *Vnde illud Lactantii lib. 6. de vero cultu Cap. 20.* Qui hominem quamvis ob merita in conſpectu ſuo jugulari pro voluptate computar, æque ſuam polluit conſcientiam, quam ſi homicidii quod fit occultè ſpectator & particeps fiat.

Sed de more exponendi cadavera damnatorum in publicis viis, ut hoc ſpectaculo alii metuere diſcant, an contrà humanitatem non invaluerit dubitari poteſt. Crudele enim videtur ſpectaculum per ſe, & additur etiam illud ad quod poteſt horrere animus hominum quod humana caro brutis animalibus depaſcenda relinquitur. Videtur certè ferina rabiei & crudelitatis ne ipſa quidem morte ſatiari poſſe, ſed in mortuorum corpora injurium eſſe; & id quidem ſi à privatis fiat per vindictam, crudelitatem augere extra dubium eſt. Alia eſt cauſa publicæ vindictæ nec improbabilem habet rationem, quod etiamnum apud Chriſtianos, corpora ſupplicio affectorum vel palis ſuffixa, vel rotæ impoſita, vel patibulo ſuſpenſa, relinquuntur. Vt ſcilicet alii à talibus facinoribus deterreantur hoc ſpectaculo, ut habet lex capitalium, *ff. de cadaveribus damnatorum; ubi Vlpianus dicit,* aliquando non permitti *ſepeliri corpora punitorum*, maximè majeſtatis cauſa. *Alioqui, eadem lege diſcimus,* neganda non eſſe cognatis corpora capite damnatorum, *& id obſervaſſe Auguſtum. Eſt ibidem alia lex Pauli;* Corpora animadverſorum quibuſlibet petentibus ad ſepulturam danda ſunt. *Certè Cicero Verri. Probri loco objicit*, quod ſepulturam punitorum denegare, aut divendere fuit ſolitus. *Lex Græca 9. cap. de hæret; Quamlibet nocentibus non denegari jus ſepulturæ, humanum & ſanctum eſſe dicit. In populo Dei ex lege ſcripta Deut. 21. v. 23. Conſtitutum fuit,* ne permaneret cadaver in ligno ſed eodem die ſepeliretur, *juxta quam legem cum Ioſue ſuſpendi juſſiſſet regem Hai, Ioſ. cap. 10. v. 29. cum occideret ſol, præcepit ut demitterent eum cum aliis regibus ſuſpenſis ex ipſis lignis ut projicerent eos in ſpeluncam &c. Ex quo loco refellit Andreas Maſius multorum Iudæorum vanam gloriationem, dicentium illam de ſepeliendis ſuſpenſis legem Iſraelitarum tantum corporum*

porum honori conſuli voluiſſe: non enim iſti reguli erant Iſraëlita: legem autem Deuteronomii & ſi peculiares rationes habuiſſe non dubitem, qua ſpectarent terram promiſſam, ſed eam præſertim, ut ita via pararetur ad Chriſti venturi ſepulturam, quam eodem die fieri oportebat, quo facta fuit ſuſpenſio, ut tertia die reſurgeret; non dubitarim tamen habuiße fundamentum in fide reſurrectionis, & corporis humani præcellentia. Nam ut benè animadvertit idem Maſius, ſemper non modo populus Dei, ſed omnes gentes ideò ſepulturam cura habuiße videntur, eoſque infelices & miſeros judicaſſe, qui hoc honore fraudarentur, quod immortalitatis & reſurrectionis notio quadam in omnium animis fuerit impreſſa, quamvis de reſurrectione illam animi ſui informatiocem explicare nulli potuerint, præter eos, quos Dei ſpiritus erudivit. Præterea nemo eſt qui non intelligat triſtiſſimum eße per ſe ſpectaculum hominis cadaver ſublime pendens, & quo publica rei ſerenitas obnubilari atque turbari videatur. Sunt ergò qua etiam ad hac noſtra tempora ſpectant, & perpetuam habent convenientiam. Ideo Calvinus ſerm. in Deuter. 124. etſi notet id etiam ad natura legem pertinere, ut, qui publico judicio pœnas luant, exponantur in aliorum exemplum, medium tamen eſſe aliquod obſervandum docet inter juſtitia rigorem, & humanitatem, quam invicem exercere debemus; Videndumque ne ad extrema præcipites ruamus.

Hanc mediocritatem in illa ſua lege Deum præſcripſiße docet, primum enim vult maleficos morte dignos puniri; item ut juſtitia honorem ſuum obtineat vult corpora reorum, omnium oculis exponi, & ita omnes approbare magiſtratus decretum; non tamen vult corda noſtra lapideſcere, ſed poſt punitionem criminis ut aliqua cum paſſione & miſericordia afficiamur; Sepeliatur itaque cadaver, & ab hominum aſpectu ſemoveatur. Vbi addit Calvinus hanc Dei intentionem etiam ad nos, non ſolum ad Iudaos pertinera. Alius tamen mos invaluit pleriſque in locis, in quibus potius mos Ægyptius obſervatur, quam Iſraëliticus; nec vellem propterea recepta conſuetudini reclamare, qua ſuas habet rationes. Nihilominus, ſi id obtineri poſſet judicarem mediocritatem eſſe ſervandam de qua diximus, & qua mea quidem ſententia, plus habeter honeſtatis ac humanitatis, & fortaſſe minus incommodi. Sed de hactenus.

Diatribe de ſomniis eorumque interpretatione.

HOc in loeo, ad majorem intellectum eorum, quæ hoc capite dicta ſunt & ſeq. cap. dicentur de ſomniis eorumque ſignificatione & conjectura agendum fuerit: unde patebit an & quatenus ſomcia ſignificare & conjici poſſint: quæque fuerit veterum & ſit modernorum temporum ratio quantum hoc genus revelationis attinet. Componamus primò inter ſe Nicolai Lyrani & Andreæ Riveti diſſertationes, in quas in hoc capite explicando digreſſi ſnnt. Nicolaus Lytanus: *Hic quæritur Vtrum interpretatio ſomniorum, per ea judicando de futuris ſit licita? Et videtur quod non, quia dicitur Deut. 18.* Non inveniatur inte, qui obſervet ſomnia. *Et ſimiles auctoritates inveniuntur in pluribus locis in ſacra ſcriptura. In contrarium eſt, quod Ioſeph ſic interpretatus eſt ſomnia modo prædicto. Et Daniel interpretatus eſt ſomnia Nabuchodonoſor; ut habetur Dan. 2. & 4. Dicendum ad hoc, quod* cauſæ rerum ſint latentes; & effectus earum magis noti. Et ideò dicunt in *cognitionem ejus ſicut ſignum ipſum naturaliter repræſentans. Contingit enim aliquando quod una cauſa producit duos effectus ordinate tamen unum poſt alium, ſicut infebricitante vigoratio naturæ eſt cauſa digeſtionis vrina primo, & conſequenter poſteà ſanitatis & tunc primus effectus non ſolum ducens in cognitionem cauſa ſed etiam cum hoc in cognitionem ſecundi effectus. Sicut digeſtio urina non eſt ſolum ſignum vigorationis natura ſed etiam ſanitatis futura.*

tura. Quando igitur una & eadem eſt cauſa ſomnii & effectus alterius conſequentis, tunc illud ſomnium naturaliter repræſentat effectum futurum, & ideo per tale ſomnium licitè poteſt prænoſticari de effectu futuro, ſicut medicus licitè prænoſticat per conditionem urinæ de ſanitate vel morte futura. Propter quod ulterius videndum eſt de cauſa ſomniorum, quorum duplex eſt cauſa in generali, ſcil. intrinſeca & extrinſeca: Intrinſeca verò duplex eſt, una eſt motus caſualis fantaſmatum in dormiendo & talis cauſa non eſt cauſa alicujus effectus alterius ſequentis, & quià ſomnia ut plurimum hoc modo contingunt, ideo dicitur Eccleſ. v. Ubi plurima ſunt ſomnia ibi plurimæ vanitates: *& Cato dicit,* Sumnia ne cures. *Alia cauſa ſomniorum intrinſeca eſt diſpoſitio corporis, ſicut homines frigidi frequenter ſomniant, quod ſint in glacie vel nive, quià fantaſmata formantur conformia tali diſpoſitioni, propter quod dicit Philoſophus lib. de ſomn. & vig. quod medicorum generoſi dicunt, valdè attendendum ad ſomnia; & commentator Alber. ſupra illum librum dicit, quod quidam ſomniavit; quod pix nigra fundebatur ſupra pectus ſuum & poſtea in vigilia ſequenti vomuit coleram nigram in magna quantitate, & ideò ex talibus ſomniis poteſt prænoſticari de futura ſanitata vel infirmitate ipſius ſomniantis. Cauſa autem extrinſeca ſomniorum duplex eſt, una corporalis alia ſpiritualis: corporalis eſt corpus cæleſte & aër continens, ſicut enim per eorum influentiam producuntur formæ diverſæ in materia corporali ut plantarum & mineralium & hujuſmodi, ita & per eorum influentiam in virtute fantaſtica, quæ eſt organica, cauſantur formæ ſive fantaſmata conformia diſpoſitioni cæleſti, ad cauſandum effectum aliquem futurum, & per conſequens, per talia ſomnia poteſt de futuris prænoſticari. Advertendum etiam, quod iſtæ cauſæ ſomniorum, ſcil. diſpoſitiones corporis ſomniantis & influentiæ corporis cæleſtis & continentis, magis habeant effectum in virtute fantaſtica dormientis quam vigilantis, quià in vigilia propter occupationem circa exteriora, non percipiuntur, ſed magis effectus eorum impediuntur, quia motus majores expellant minores. Cauſa autem extrinſeca ſomniorum duplex eſt, una bona, ſcil. Deus per ſe vel per miniſterium Angelorum immittens alicui imaginarias diſpoſitiones ad ſignificandum aliqua futura; Et hoc fit dupliciter, uno modo ſic, quod uni ſoli fit imaginaria viſio, alteri autem datur intellectus talis viſionis, quod fuit in propoſito, quia Pharao & miniſtri ejus habuerunt ſolam viſionem imaginariam, ſed Ioſeph de his habuit cognitionem intellectivam, & ideò ipſe habuit in hoc donum prophetiæ, non autem illi, quià illuſtratio intellectus requiritur ad prophetiam, ſecundum quod dicitur* Dan. x. Intelligentia opus eſt in viſione. *Aliquando autem eidem fit imaginaria viſio, & cognitio intellectiva ejuſdem viſionis, ſicut Danieli factum eſt Dan. x. & hoc etiam pertinet ad prophetiam. Alia eſt cauſa ſpiritualis extrinſeca ſomniorum mala, ſcil. quando à Dæmonibus immittuntur aliquæ imaginariæ viſiones in dormiendo, & talibus utuntur artes magicæ, ſicut dicitur. 4. phyſicorum de illis, qui dormiebant in Sardis: Et in hiſtoria Britonum de ſacrificantibus idolis. His dictis, dicendum eſt ad quæſtionem quod prænoſticare de futuris per ſomnia, quæ ſunt ſigna alicujus futuri eventus, in quantum cauſantur ex diſpoſitione corporis ſomniantis, vel impreſſione corporis cæleſtis, non eſt illicitum, cum iſtud poſſit fieri via naturali, niſi aliquis in talibus excedat limites virtutis naturæ magis aſſerendo quam natura rei patiatur, quià tales effectus futuri deſignati per ſomnium poſſunt impediri, ſicut ſanitas ægrotanti prænoſticata per urinam aliquando impeditur: Per ſomnia verò à Deo prædictis modis immiſſa ad ſignificationem alicujus futuri poteſt aliquid certitudinaliter prædici, ab eo tamen, qui illuſtratur à Deo ad talia cognoſcendum, & ei licitum eſt talia exponere & prædicare. Per ſomnia verò à Dæmonibus immiſſa aliquid futurum prædicere, ſuperſtitioſum eſt & illicitum; & ſic patet quid dicendum eſt de quæſtione. Patent etiam argumenta facta ad utramque partem, quià procedunt viis ſuis.* Andreas Rivetus hanc materiam diſcuſſit per modum quæſtionis, An aulici iſti

ſatis

ſatis cauſæ habuerint, ut contriſtarentur in tantum, quia interpres nullus ſomniorum præſto eſſet. Sic enim diſſerit: *An cauſa ſufficiens triſtitiæ fuerit hæc, dubitari poſſet, cum enim pleraque ſomnia ſint vana, & nullius momenti, habeantque cauſas naturales, non ſolent viros ſapientes multum afficere, vel ſollicitos reddere; cum enim ſæpè nihil ſignificent, niſi fortè aliquando, vel quale ſit temperamentum hominis oſtendant, & de quibus anteà cogitaverit, indicent. Sunt enim inter ſomnia naturalia quæ oriuntur ex diurna cogitatione, vel ardenti ergà aliquam rem affectu, quemadmodum in fidibus ceſſante impulſu extrema quadam motiones quæ ex impulſu reſultant, eoque ceſſante adhuc aliquamdiu perdurant, quo ſimili aptiſſimo utitur Nemeſius, falsò creditus Gregorius Nyſſenus, de hominis opificio; cap. 31. Et hæc inter ſomnia naturalia referuntur; ad quod genus licet alterius ſpeciei, pertinent ea, quæ oriuntur ex temperamento & humore prædominante, ut cum bilioſi ſomniant cædes, phlegmatici aquas & vorogines, ſanguinei, muſicam, convivia, &c. melancholici, atra & triſtia, mortem, ſepulchra, dæmones, &c.*

Divinatio ex talibus ſomniis merè phyſica reprehendi non debet, ſi inde à medicis conjectura eruantur, de ſanitate, affectibus, & morbis, vel præſentibus, vel inſtantibus. Poſſunt enim aſſumi inter alia ſigna ad prognoſtica morbi, quià ex effectibus poteſt de cauſa conſtare. Itaque in eo, niſi limites naturæ quis tranſcendat aut prætergrediatur, nihil reprehendendum eſt, aut nimiæ curioſitatis arguendum.

Quædam ſomnia à Dæmonibus immitti, vel quæſita & provocata, vel ἀπροσδόκητα, id eſt, inopinata, & præter ſpem, teſtatur etiam experientia, ut cum offerunt ſomniantibus imagines conviviorum & ludorum, perſuadentque ſuis mancipiis ea facta fuiſſe, quæ non acciderunt, & varias regiones peragraſſe, etſi pedem non moverint è loco in quo dormierunt. Cujus generis multa fuerunt fanatica exempla apud Ethnicos & Manichæos. Alterius ſunt res futuras præſagientia, quibus homines imperitos vana ſuperſtitione imbuere conantur, eoſque aliquorum ſomniorum eventu, ad irrogandam iis fidem pelliciunt. Cujus generis multa commemorat Tullius lib. 1. de Divinat. & 1. de Natur. deorum & exempla varia profert Valerius Max. lib. 1. cap. 6. Talium interpretationem profitentur magi, aut artibus ſuperſtitioſis addicti, quod genus divinationis ſuperſtitioſum etiam eſt & damnabile; unde talis divinatio ex ſomniis, ſæpè in Scriptura prohibita eſt, ut Deut. 18. verſ. 10.

Sed alia eſt ratio ſomniorum quæ Deus immittit, & per ſe mentibus inſerit, aut etiam bonorum Angelorum operâ. Non enim audiendus eſt Ariſtoteles, qui ſomnia à Deo immitti negat; Quià, *inquit*, oporteret ea immitti viris optimis & ſapientiſſimis. At indiſcriminatim abjectiſſimis hominibus, & de fæce vulgi obveniunt. *Quæ ratio nullius eſt momenti, apud eos qui ſciunt Deum ſæpè uſum fuiſſe infirmis alioqui & abjectis inſtrumentis, ut ejus operatio manifeſtior eſſet. Certè ſacra pagina docet, non ſolum ſapientibus & illuſtribus, ſed aliquando imperitis & abjectis, revelaſſe Deum, vel per ſomnia, vel per viſiones, quæ ſapientiſſimos latebant.*

Sunt autem ſomnia divinitus immiſſa, vel θεόπεμπτα, ea nempe quæ ſine figuris res ſignificant præſentes, ut ſupra vidimus in Abimelecho, qui ſomnio monitus fuit, ne attingeret uxorem alienam, vel ἀλληγορικά, & ſimul prophetica, quæ certis figuris repræſentabant, quæ futura erant, qualia fuerunt de quibus hic agitur, & poſtmodum agetur. In his præſertim opus fuit interpretibus; & hoc peculiare habuerunt ſomnia divinitus immiſſa, quod aculeum animis infigebant, & de ſignificatione eos qui ſomniaverant valdè ſollicitos reddebant, ut poſteà in Pharaone videbitur, & in Babylonia regibus apud Danielem apparet; & in his duobus vinctis, experientia docet. Divinationem ex talibus ſomniis licitam eſſe ſi negaremus, viris ſanctis qui tali dono claruerunt, injuriam faceremus, imò ipſi Deo, ad quem tanquam authorem referebant, quicquid luminis ipſis in eo conceſſum eſſet.

Sed id non omnium fuit, quod quibuſdam & rarò datum fuit. Erant quidem inter Ethnicos tam Ægyptios quam Chaldæos, qui peritiam illam profitebantur & quorumvis ſomniorum latentem aliquam promittebant interpretationem; Hinc eſt quod quibus ſomnium aliquod obveniret, tam proclives erant ad quærendas interpretationes: Sic Reges Babyloniorum magos ſuos conſulebant, ſic etiam Ægyptii ad ſuos ſapientes recurrebant. Quo referri poteſt ſollicitudo aulicorum iſtorum, qui in carcere conſtituti, non poterant hariolos conſulere; Somnium *ſomniavimus, ajunt* ופתר אין אתו upother en otho, id eſt, & non eſt ſolvens illud; *Vulgata,* Non *eſt qui interpretetur nobis. Fortaſſe etiam accidere potuit, ut per amicos conſuluerint conjectores, à quibus tamen nihil certi vel probabilis habuerint, & cum viderent non vulgaria eſſe ſomnia, inde eſt quod ita dejecti & turbati fuerint. Certè divina ſomnia non potuerunt Ægyptiorum & Chaldæorum magi interpretari: ſolus enim qui immittit ea ſolvere poteſt, vel per ſe ſuggerens ſolutionem ſomnianti, vel per alium, quo utitur velut inſtrumento, eique revelat, quæ alios omnes latent. Sic Ioſeph hic, & Daniel alibi, ex revelatione divina ſignificationem ſomniorum aliis ignotam aperuerunt: imò Daniel ipſa ſomnia quæ exciderant è memoria, revocavit in memoriam, & eadem interpretatus eſt.*

Vnde autem id potuerit Ioſeph, & cui laus adſcribi debeat, præfatur his verbis, הלא לאלהים פתרנים halo lelohim pithronim! Nonne Dei ſolutiones? *nempe ſomniorum. Quaſi diceret, ne miremini, non eſſe inventos qui vobis veſtra ſomnia expoſuerint; quià hoc Dei donum eſt quod non cuivis homini contingit. Quod autem addit,* narrate mihi quæſo, *niſi ex præcedentibus colligeremus, pluribus verbis expoſuiſſe Ioſephum quid vellet intelligi, non videretur exhortatio narrandi ſua ſomnia, validò niti fundamento.* Dei ſunt interpretationes, narrate mihi, quæſo. *Potuiſſent enim regerere, an tu igitur Deus es, qui poſſis nobis ea interpretari? Sed his verbis breviter à Moſe recitatis, intelligendum eſt, monuiſſe eos ſe veri Dei cultorem eſſe, futurorum omnium præſcii, qui ſervis ſuis etiam revelabat occulta, & ſenſiſſe ſe tali dono à Deo fuiſſe præditum, ideo etiam juſſiſſe ut de interpretatione certi eſſent, quià prophetam hic agebat. Sic Daniel, cap. 2. verſ. 27. interroganti Belteſchatzaro,* Eſne præditus facultate ut notum facias mihi ſomnium, quod vidi, & interpretationem ejus? Reſpondens Regi, dixit, Arcanum quod Rex petit, non ſapientes, aſtrologi, magi, haruſpices poſſunt indicare Regi: ſed Deus eſt in cœlo revelans arcana, &c. *Huic confiſus Ioſeph, ſecurus jubet ut ſomnia ſua recitent, quæ Moſes non obſcurè teſtatur, procurata à Deo fuiſſe in eum finem, ut Ioſeph eorum interpretatione, ſuo tempore ad ſublimem gradum eveheretur.*

Cum autem fuerit hoc donum extraordinarium, & pars doni propheticæ; nemo id ſibi uſurpare debet, qui non apud ſe conſcius ſit doni Dei & vocationis. Alioqui vel vanus erit & mendax, imò etiam ſacrilegus, qui conjecturas ſuas ad gradum propheticum evexerit; aut artibus illicitis inuret ſibi maculam, mancipii diaboli; quod etiam notandum eſt iu quibus ſomnia obveniunt, ne cuivis agyrtæ fidem præbeant, aut quid ſignificent ſollicitè inquirant. Nam, etſi olim fuerint divina ſomnia, hoc tempore tamen rara ſunt, quo nobis voluntatem ſuam in verbo tam perſpicuè patefecit. Et cum ſomnia divina, à dæmoniacis & vanis vix diſcerni poſſint, optimè judicant, qui tutiſſimum eſſe docent qualibet ſomnia contemnere, niſi Deus illud expreſſe revelet, vel illuminando ipſos ſomniantes, ut ſciant ſomnium ſibi eſſe à Deo immiſſum, & agnoſcant quid ſignificet; vel de aliorum peritiâ ipſis indicium faciendo, quod cum hoc tempore vel rarò, vel nunquam accidat, melius eſt ut obtemperemus monenti, ſomnia ne cures. *Bene enim monet Syracides, 34. verſ. 2.* Ut qui captat umbram, & perſequitur ventos, ita eum eſſe, qui ſe adhibet ſomniis. Hucuſque Rivetus. Somnia alia naturalia, alia ſupernaturalia. Natu-

Naturalia, quæ communi naturæ curſu veniunt: idque dupliciter: Primò è craſi & diſpoſitione humorum. Unde judicant medici. Deinde, ex occupationibus & curis, quibus vita hominum exercetur. Unde eſt illud Claudiani vulgatum:

Omnia quæ ſenſu volvuntur vota diurno
Pectore ſopito reddit amica quies.

Supernaturalia alia eveniunt ab illuſione dæmonum, alia Dei miſſu. Sic ſomnia diſtribuunt Lyranus & Rivetus & vulgò alii. Riveto in eo accedo, quod hoc tempore nulla aut rara θεόπεμπτα ſomnia evenire putet, quæ interpretatione indigeant. Ὀνειροκριτικὴ igitur hodie nulla eſt. Aliud in ſomnio moneri apertis rebus & verbis, aliud per ſymbola. Per ſymbola olim monuiſſe Deum conſtat, quæ interpretatione indigebant. Symbola enim alia θέσει alia φύσει ſignificant. Quæ θέσει ſignant, à nemine noſci aut penetrari queunt, niſi mentem poſitoris cognitam habente. Natura communiter omnibus patet. Somnia divinitus immiſſa ad rerum notificationem alia rem nude, alia, uti diximus, ſub tegmine ænigmatum exhibebant. Ænigmata illa à conjectore ſomniorum explicanda & evolvenda erant. Dicebat Joſeph, לאלהים פתרונים hoc ſenſu: Non eſt humanæ indagationis interpretatio ſomniorum, Dei gratia eſt & ab ejus Spiritu. Quod ego χάρισμα mihi eveniſſe agnoſco, non tamen eſt in voluntate & arbitrio meo uſus & exercitium. Eadem mente & modeſtia locutus eſt Daniel 11. 27. 28. Unde & Nabuchodonoſor & Balſaſar agnovere in Daniele Spiritum Dei eſſe, per quem ſomnia interpretaretur. Philo duplicem de ſomniis errat errorem. Primò ſomniorum ejuſmodi tria facit genera. Sic enim libri de ſomniis initio: τὸ πρῶτον εἶδος τῶν θεοπέμπτων ὀνείρων, ἐφ' οὗ τὸ θεῖον ἐλέγομεν κατὰ τὴν ἰδίαν ἐπιβολὴν τὰς ἐν τοῖς ὕπνοις ἐπιπέμπειν φαντασίας. Deinde: Δεύτερον δ' εἶδος ἐν ᾧ ὁ ἡμέτερος νοῦς τῷ τῶν ὅλων συγκινούμενος, ἐξ ἑαυτοῦ κατέχεσθαί τε καὶ θεοφορεῖσθαι ἐδόκει, ὡς ἱκανὸς εἶναι προλαμβάνειν καὶ προγινώσκειν τι τῶν μελλόντων. Secundi generis ſomnium fuiſſe, quod Jacobo accidit de ſcala cælum attingente, τὸ φανὲν ἐπὶ τοῦ οὐρανοῦ κλίμακος. Mentem noſtram, cum mente univerſi unâ motam, ex ſeipſa videri apprehendi & numine agitari, ut idonea ſit præcipere & præcognoſcere aliquid rerum futurarum. In primo genere autem à Deo viſiones immitti κατὰ τὴν ἰδίαν ἐπιβολὴν, ſua immiſſione. Animum noſtrum eo uſque poſſe evehi, ut ex conjunctione & motione cum mente univerſi numen ex ſe recipiat, ad divinationem futurorum abſurdum eſt. Secundum igitur genus θεοπέμπτων ὀνείρων nullum. In libri, de eo quod à Deo immittantur ſomnia, principio tria genera deſcribit. Tertium definit: ὁπόταν ἐν τοῖς ὕπνοις ἐξ ἑαυτῆς ἡ ψυχὴ κινουμένη καὶ ἀναδονοῦσα ἑαυτὴν κορυβαντιᾷ καὶ ἐνθουσιῶσα δυνάμει προγνωστικῇ τὰ μέλλοντα θεσπίζει. Si vanum ſit ſecundum genus, vanius hoc tertium eſt, Seipſa motam mentem ἐνθουσιᾶν ac futura poſſe prædicere. Alter error, quod arbitretur ſomniorum ſymbolicorum interpretationem ſagacitate & prudentia conſtare & judicari. Ἀκούσας δὲ ὁ βασιλεὺς καὶ τὴν τῶν ὀνείρων διάκρισιν εὐθυβόλως καὶ εὐσκόπως στοχαζομένην τῆς ἀληθείας. Στοχάζεσθαι τῆς ἀληθείας, veritatem conjicere, non ſignificat è Dei revelatione habere quod pronunties ſed ſignis quibuſdam dictum rimari & inquirere. Inde nata ſunt vocabula *conjectoris ſomniorum*, ὀνειροκριτικῆς, *divinationis* &c. Inde Philo διάκρισιν τῶν ὀνείρων appellat. Gentilium ſapientes, eodemque modo prudentes Pharaonis & Nabuchadneſſari ſigna in ſomniis viſa exiſtimabant ſignificare φύσει certa & generali, quæ ſub notitiam humanam & indagationem cadat uti aſtrologi ſigna cæleſtia eventus futuros prædicere arbitrantur. Diſcrimen in

eo eſt, aſtra non tantum ſignificare ſed & efficere putabant, tanquam deos rerum ſublunarium moderatores ſub certa lege, habitu poſituque, tanquam naturali efficientia, at in ſomniis ænigmata ſignificabant ſine ulla vi cauſali. Quomodo eadem ratio fuit diſciplinæ ominum, augurum & aruſpicum. Interpretatio igitur ſomniorum ars fuit & diſciplina, ſecundum gentiles, ſecundum Philonem & ſecundum Joſephum, quod ſuprà obiter notavimus. Judæi igitur iſti pago in hac parte accedebant, quemadmodum & illi, qui de ſomniis eorumque conjectione fuſe loquuntur in Gemara codicis Brachoth à fol. 55. a. uſque ad 57. b. Ita vanitati adhærent, à qua cavendum eſſe admonuit Syracides & Sp. S. E ſomniorum à Deo venientium generibus primum eſſe evidens docet, in quo incipiat motionem Deus & doceat alterum obſcurius tertium obſcutiſſimum & indigens interprete. Διὸ ὁ ἱεροφάντης τὰς μὲν κατὰ τὸ πρῶτον σημαινομένας φαντασίας τρανῶς πάνυ καὶ ἀριδήλως ἐμήνυσεν, ἅτε τοῦ θεοῦ χρησμοῖς σαφέσιν ἐοικότα διὰ τῶν ὀνείρων ὑποβάλλοντος. Τὰς δὲ κατὰ τὸ δεύτερον, οὔτε σφόδρα τηλαυγῶς, οὔτε σκοτίως ἄγαν· οὗ ὑπόδειγμα ἡ ὑπὸ [leg. ἐπὶ] τ̃ οὐρανοκλίμακος φανεῖσα ὄψις. αὐτὴ γὰρ αἰνιγματώδης μὲν ἦν, τὸ δὲ αἴνιγμα οὐ λίαν τοῖς ὀξὺ καθορᾶν δυναμένοις ἀπεκρύπτετο. Αἱ δὲ κατὰ τὸ τρίτον εἶδος φαντασίαι, μᾶλλον τῶν προτέρων δηλούμεναι, διὰ τὸ βαθὺ καὶ κατακορὲς ἔχειν τὸ αἴνιγμα ἐδεήθησαν καὶ τῆς ὀνειροκριτικῆς ἐπιστήμης. Παντες γοῦν οἱ κατ' αὐτὸ ἀναγράφοντες ὄνειροι τῷ νομοθέτῃ διακρίνονται πρὸς σοφῶν τὴν λεχθεῖσαν τέχνην ἀνδρῶν. Secundum genus obſcuritatem habere, ſed penetrabilem τοῖς ὀξὺ καθορᾶν δυναμένοις, tertium genus à ſomniorum conjectoribus, qui eam artem callerent, explicari. Nos fatemur ita diſtingei ſomnia, ut alia clara & evidentia, χρησμοῖς σαφέσιν ἐοικότα, quæ per ſe explicet & explicata narret Moſes, quem hic Philo ἱεροφάντην vocat. Sic enim ſomnia Joſephi de manipulis & ſideribus adorantibus intellexerunt ſine interprete Jacob & fratres Joſephi. Alia eſſe obſcura minus magiſque prout Deus ſymbola diſpenſat & circumſtantiæ ipſæ indicant. At omnium eſt eadem origo & cauſa. Nullum θεόπεμπτον ſomnium ex univerſi motu aut ſpontaneo motu animæ habetur, omnia immediate, κατ' ἰδίαν ἐπιβολὴν, & ἀρχηγὸς τῆς κινήσεως τοῦ θεοῦ mittuntur & veniunt. Ænigmata ſomniorum remotiora aut magis abdita, non vicina rebus, aut res remotiores indicantia nemo ex arte interpretatus eſt. Pro arbitrio Deus ſigna ponit quamvis exactè repreſentativa; tamen non evolvenda, niſi cui mentem ſuam ipſe revelaverit. Quibuſdam Deus ut Danieli, ut Joſepho χάρισμα illud elargitus eſt, ut per ſpiritum ſuum illuminati ſignificationem intelligerent. Ipſe autem ille ſpiritus nulli veniebat ad libitum, quemadmodum in prophetis verbum ita in illis ſuis horis & temporibus aderat. Hic ipſe quoque Spiritus eloquia formabat ſomnia interpretantium, ut prophetarum. Sed objiciat aliquis unde Pharao unde aulici intellexerint veram & convenientem eſſe interpretationem, quam proferebat Joſeph ſi non erat communis quædam nota veri? Hic reſpondeo. I. Comparando rem ſignificatam cum ſignis, inter quæ aptiſſima fuit & arctiſſima conjunctio. Quamvis enim nulla eſſet nota communis, unde ab extrinſeco res apprehendi poterat, intrinſecè tamen admiſſis per interpretationem patebat divina analogia. II. Crediderim divinam perſuaſionem mentes audientium corripuiſſe. Sicuti verbum Dei in ore erat loquentium, ita majeſtatem ſuam ſæpè aſſeruit in animis audientium. III. Ea fuit præſentia animi in interpretibus, quæ percelleret attonitosque teneret animos eam videntium & verba audientium. Profana & diabolica eſt conjectandi ars, à qua procul abeſſe oportet omnem Chriſtianum ſicuti ab augurum aſtrologiæ judiciariæ & ſimilibus vanitatis tartareæ ludibriis, illa autem Dei gratia, quæ ſom-

ſomniorum *προγνωστικῶν* explicationem dabat, cæleſtis fuit, & memorabilis. Non approbavit Deus ſomniorum conjecturam, quando inter gentes per ſomnia merè & obſcurè ſymbolica futura patefecit, quod nunqnam factum fuiſſe legimus in Dei populo, ubi ſomnia ferè oracula erant quæ in prophetis & ſomniatoribus cum ſymbolis; ſed gentibus accommodavit ſe ut ipſam illam vanitatem redargueret. Oſtenſum n. eſt ſomnia divinitus immitti, quæ ſignificationem haberent à Deo futurorum effectore & rerum omnium moderatore. deinde interpretationem non eſſe artis è natura & obſervatione petitæ ſed chariſmatis divini, humano arbitrio non ſubjecti nec parentis. Proinde illum morem modnmque quo ſomnia non tantum dæmonum ſed & naturalia explicarent è certis & perpetuis regulis non eſſe. Naturalia ſomnia primi generis, quæ è temperamento & diſpoſitione hnmorum, medicis relinquenda ſunt, ut inde colligant de corporis conſtitutione & morbis imminentibus aut futuris. Secundi generis è cura & animi ſolicitudine indicant artem & quod agunt. Dæmoniaca, quæ immittunt dæmones ludentes imaginationibus turbatis confuſiſque, non poſſunt futura deſignare, niſi quantum Deus revelat aut è ſignis rei imminentis datur cognoſcere. In his igitur ſignificatio fallax, interpretatio nulla niſi ab eo, qui ſomnia fecerat. Superſtitio gentilium in omni genere ſomniorum ad conjectorem ibat. Nulla gens in terris Ægyptia ſuperſtitioſiorem fuiſſe arbitror. Ariſtoteles (ut ſuperſtitioſus minimè fuit ſed profanus) nulla ſomnia à Deo immitti putavit, eoque argumento potentiſſimo; uti putabat, quod non optimis ſapientiſſimiſque ſed quibuſvis ſine diſcrimine eveniant. De divinat. per ſomn. cap. 1. *πρὸς τῇ ἄλλῃ ἀλογίᾳ, τὸ μὴ τοῖς βελτίστοις καὶ φρονιμωτάτοις ἀλλὰ τοῖς τυχοῦσι πέμπειν, ἄτοπον.* Somnia eſſe oportere rerum *ἢ αἴτια, ἢ σημεῖα ἢ συμπτώματα, ἢ πάντα ἢ ἔνια τούτων, ἢ ἓν μόνον.* Sunt unum aut omnia ſimul. Id rectè & prudenter ab eo dictum, ideò laudat medicorum *τοὺς χαρίεντας*, qui in ſomnia diligenter inquirunt. Ex his enim poſſe cognoſci ea quæ in corpore accidunt. Rationem addit: *Αἱ γὰρ μεθ' ἡμέραν γινόμεναι κινήσεις, ἂν μὴ σφόδρα μεγάλαι ὦσι καὶ ἰσχυραὶ λανθάνουσι παρὰ μείζους τὰς ἐγρηγορικὰς κινήσεις. Ἐν δὲ τῷ καθεύδειν τοὐναντίον.* Eos, qui de die fiunt motus, niſi magni admodum ſint & fortes, latere ob majores vigiliarum motus. Motus ſcilicet phantaſiæ obſcurari de die ob alia, quæ accidant vigilantibns majora, noctu, per quietem luculentius ſentiri & altius incidere. Nam & parvis rebus magnos motus cieri. Ita arbitrantur ſe fulmine aut tonitru affici *μικρῶν ἤχων ἐν τοῖς ὠσὶ γινομένων.* Pituitæ aliqua defluente mel & dulcia guſtare; per ignem incedere & valde incaleſcere, *μικρᾶς θερμασίας περί τινα μέρη γιγνομένης.* Vigilantibus ſenſibus manifeſtum eſt, quid eveniat, & quam parva ſint principia ejuſmodi rerum, ad quæ non attendimus. Hinc morborum aliorum que affectuum in corporibus per quietem major manifeſtatio eſt. Naturalia igitur ejuſmodi ſomnia de iis, quæ intus in corpore ſunt, indicant. Sed ſi à nimia cura & occupatione excitentur, indicant occupationes, quibus occupata mens eſt. At ſomnia *ὑπερβατικὰ καὶ ὧν μὴ ἐν αὐτοῖς ἡ ἀρχὴ συμπτωμάτων* rationem habent. Ut cum de naumachia aliiſque rebus quæ longe abſunt, ſomniatur. De his ſomniare poſſunt homines, quod evenit. Melancholicos autem plurimum ſomniare & locutulejos, ita evenire, ut aliquando ſcopum feriant. Maximè cum natnra animæ ſublimis ſit & divinatoria *ἡ γὰρ φύσις δαιμονία, ἀλλ' οὐ θεία. ὥσπερ γὰρ λέγει), ἂν πολλὰ βάλῃς ἄλλοτ' ἀλλοῖον βαλεῖς.* Principia igitur ſomniandi intrinſeca illa ſunt, quæ ex Ariſtotele diximus, alia de rebus intra aut circa nos, alia de rebus externis. At ſunt & ſomnia quæ ab extrinſecis principiis efficiuntur, hæc ita Ariſtoteles (ſi autor ille Ariſtoteles eſt) evenire putat.

tat. Seilicet res iſtas, quæ ſomniantur, à ſe edere motiones fluxuſque concitati, vehiculi intermedii: οὕτως οὐδὲν κωλύει κινήσεις τινὰ καὶ αἴσθησιν ἀφικνεῖσθαι πρὸς τὰς ψυχὰς τὰς ἐνυπνιαζούσας. Has noctu melius ire quia nocturnus aër ἀταραχωδέστερος μᾶλλον ὅτι νηνεμώτερος. Ferire potentius dormientem ob cauſam ſupra dictam. Αὗται δὲ αἱ κινήσεις φαντάσματα ποιοῦσιν ἐξ ὧν προορῶσι τὰ μέλλοντα περὶ τῶν τοιούτων. Hæc quidem ſubtilia ſunt, at ob ſubtilitatem aranearum telis leviora. Pergit ex hoc fundamento: Ideò ſtolidiſſimos prævidere quia mens eorum οὐ φροντιστικὴ τῶν τοιούτων ἀλλ' ὥσπερ ἔρημος καὶ κενὴ πάντων καὶ κινηθεῖσα κατὰ τὸ κινοῦν ἄγεται. Quod autem quidam τῶν ἐκστατικῶν prævideant, αἴτιον, ὅτι αἱ οἰκεῖαι κινήσεις οὐκ ἐνοχλοῦσιν, ἀλλ' ἀπορριπίζονται, τῶν ξενικῶν οὖν μάλιστα αἰσθάνονται. Cur quidam εὐθυόνειροι, id eſt ſomniis ſinceris non confuſis? Quia celerrimè, quod conſequens annexumque ſit imaginantur & percurrunt, ob mobilitatem & naturæ vehementiam. Ita melancholici. Ob mobilitatem, διὰ τὸ μεταβλητικὸν, ταχὺ τὸ ἐχόμενον φαντάζονται. Ob vehementiam, διὰ τὴν σφοδρότητα οὐκ ἐκκρούεται αὐτῶν ἡ κίνησις ὑφ' ἑτέρας κινήσεως. Cur noti de notis potiſſimum prævident? Quia potiſſimum de iis ſoliciti ſunt & γνωρίμων γνωριμώτεραι κινήσεις. Somniorum conjecturam putant conſtare obſervatione ſimilitudinis inter motiones ſeu viſa cum rebus. Hinc ſomnia imperturbata facillime conjici. Τεχνικώτατος δ' ἐστὶ κριτὴς ἐνυπνίων, ὃς δύναται τὰς ὁμοιότητας θεωρεῖν· τὰς γὰρ εὐθυονειρίας κρίνειν παντός ἐστιν. Ut enim in aquam conjecto lapide motio perturbatur, aliis inſuper projectis, ita ſimulachra à rebus ſimul multis effecta in moto medio. Qui in his poſſit συνορᾶν καὶ διαισθάνεσθαι τὰ διαπεφορημένα καὶ διεστραμμένα τῶν εἰδώλων, ὅτι ἀνθρώπου, ἢ ὅτι ἵππου, eum eſſe optimum vatem & conjectorem. Democritus putabat à rebus effluere εἴδωλα καὶ ἀπορροίας; quibus efficerentur ſomnia: Ariſtoteles vult res excitare motiones in medio interpoſito, ſui ſimilitudinem repræſentantes, à quibus mentes ſomniantium commoveantur. Tantilla differentia eſt utriuſque philoſophi de origine ſomniorum extrinſecus advenientium. Hæc eſt fere ſumma eorum, quæ Ariſtoteles in eo docet libello: Nulla ſomnia divinitus immitti. Hac ratione ſtabilit conjecturæ ſomniorum diſciplinam, quam non video, quomodo Philo defendere poſſit, qui ad Deum refert ſomnia illa, quæ dicuntur θεόπεμπτα. Quis enim mentem Dei penetrat, ut norit quas ſimilitudines, quamque analogiam in ſomniis allegoricis, cum quibus rebus poſuerit? Nihil tam diſſimile, quod in aliquo non ſit ſimile: & quæ inter ſe ſunt ſimillima, alia parte ſimiliora ſunt. Vaniſſimam illam ſuperſtitionem de conjecturis ſomniorum ita firmat Ariſtoteles eo fundamento, ut viſa omnia congruere ſuis rebus putet, quamvis difficulter cognoſci niſi in εὐθυονειρίαις. Imperturbata ſomnia id eſt ſimplicia de re una facillime coguoſci poſſunt, à qua re veniant, quam & ipſam ſignificant. Superſtitioſus non fuit Ariſtoteles; ſed hic ſuperſtitionem fundat. Cur igitur ram ſæpe aberrant conjectores etiam in εὐθυονειρίαις? Video quod effugium in promptu ſit: Somnia ab intrinſeco ſæpe fallunt. Ego hac prudentia fuiſſe puto regem Ægypti & aulicos iſtos duos, ut non de quovis genere ſomniorum ſoliciti fuerint, ita enim quotidie adeſſe vates oportuit & conſuli, ſed de eis tantum, quæ peculiari ratione ob certas cauſas animos in curam conjecerant. Et hic aderat Divina directio, ut de iis, quæ ab ipſo in ſignificationem faturi injecta eſſent, cum cura interpretationem quærerent.

Cap. XLI.

Post Biennium} Cap. 41. Regi ſomnium geminum ejuſdem ſignificationis oblatum eſt, 1--7. Cum quæreretur interpres, Joſeph productus eſt, 8--14. Hic ſomnia interpretatur & conſilium ſuggerit, quo proſpiciatur adverſus ſeptem annos ſecuturæ caritatis, 15--36. Cum id placeret, Ægypto præfectus eſt Joſeph, 37--46. Adminiſtrationem ille ſuam fideliter obiit, 46--49. Duo filii ipſi nati ſunt, 50--51. Anni caritatis ſequuntur, in quibus ex aliis regionibus in Ægyptum frumenti emendi cauſa itum eſt.

Bienniúm id aut à liberatione pincernæ aut à Joſephi in carcere habitatione computandum eſt, inquit Aben-eſdras. Joſephus poſterius ſumit, Ralbag prius. Rex per quietem videbat, ſe in fluminis ripa conſiſtente, ſeptem vaccas bene habitas è flumine prodire, quas poſtea exeuntes macilentæ devorarent. Altero ſomnio videbat ſeptem ſpicas plenas craſſaſque ab exilibus & aduſtis totidem abſorberi. Notat Raſi de voce יאור: *Nulli alii fluvii vocantur* יאורים *præter Nilum, quoniam univerſa terra rivis opera humana effoſsis ſcinditur, quos Nilus aſcendens implet; quia pluviæ non deſcendunt in Ægypto jugiter pro more aliarum terrarum.* Joſephus: Φαραώθης ὁ βασιλεὺς ὑπὸ τὴν αὐτὴν ἑσπέραν ὄψεις ἐνυπνίων θεασάμενος δύο, καὶ μετ' αὐτῶν τὴν ἑκατέρας ἐξήγησιν, ταύτης μὲν ἠμνημόνησε, τῶν δ' ὀνειράτων κατέσχεν. *Pharaothes rex eadem veſpera duas viſiones ſomniorum cum vidiſſet, & cum ipſis utriuſque interpretationem, hanc quidem oblitus erat, ſomnia autem retinuerat.* In ſacro textu nulla mentio explicationis viſæ in ſomnio. Anxius rex de expoſitione, quia (ut vult Joſephus) ἐδόκει σκυθρωπὰ ταῦτα [ſomnia] αὐτῷ. Συγκαλεῖ, inquit, μεθ' ἡμέραν Αἰγυπτίων τοὺς λογιωτάτους χρήζων μαθεῖν τῶν ὀνειράτων τὴν κρίσιν. Vocati ſapientes & חרטמים Ægyptii Diſtinguuntur ſapientes à chartumim, ſed Vau ἐξηγητικὸν eſſe arbitramur. Aben-eſdras vocem חרטמים Ægyptiam aut Syriacam eſſe putat & ſignificare חכמי התולדות γενεθλιακούς. Sapientes interpretatur במזלות ופתרון חלומות *in ſignis cæleſtibus & explicatione ſomniorum.* Raſi exponit חרטמים / quod ſint הנחרים בטימי מתים. Nam in lingua Syra & Miſnæ טימי ſignificare oſſa. ואין פותר אותם לפרעה. Nemo interpretabatur id eſt interpretari poterat ea Pharaoni. Hic nugatur Raſi: Interpretabantur ea, ſed non Pharaoni, quia vox eorum non ingrediebatur in aures ejus nec fuit animi acquieſcentia in eorum expoſitionibus. Dicebant enim ſeptem filias tu produces & ſeptem filias ſepelies. In illâ igitur συγχύσει & conturbatione regis, ſubiit τῆς ἐπὶ τῆς οἰνοχόης recordatio Joſephi. Regem igitur affatus indicat quid ſibi & piſtorum præfecto eveniſſet. Notat Aben-eſdras in hac oratione regem appellatum voce Pharaonis tanquam honoris vocabulo. Unde liquere quod ſit שם תואר / non שם העצם; nomen appellativum non proprium. Dicit enim regi. *Nunc in memoriam venio meorum delictorum; Pharao ſervis ſuis iratus erat* &c. Vocem eſſe Ægyptiam & appellativam. Quod appellativa ſit probat his argumentis. I. Quia omni tempore occurrit idem nomen, ut tempore Abrahami, hic & in Exodo, objiſſe Pharaonem, prodiiſſe Pharaonem. II. Tempore Jeremiæ adjici propria nomina Pharao Nechos, Pharao Apries. III. ואין מדרך המוסר לחזכיר עם מלכים שם העצם *Non eſt è more diſciplinæ appellare reges nomine propria.* IV. Sic ſolere reges dici appellativis nominibus, ut Hiram de rege Tyri dicitur, Etiam hodie (inquit) vocatur omnis rex magnus ſuper Iſmael נגיד המאמנים. Opponi poſſe Dras de ſolio Salomonis, ſed hoc non accepiſſe regem Ægypti. Deinde quod ad regem in ſecundæ perſonæ ratione loquatur, ut & Joſeph dicit *Deus reſpondeat pacem Pharaonis.* Scriptura tantum dicit, quod pincerna regi de Joſeph

indi-

indicaverit, quid ſibi eveniſſet & piſtori, Joſephus autem addit ſuaſiſſe regi, ut Joſephum adduci juberet. Τοῦτον οὖν μεταπεμψάμενος καὶ μὴ διὰ τὴν ἄρτι κακοπραγίαν αὐτοῦ καταγνοὺς μαθήσῃ τὰ ὑπὸ τῶν ὀνειράτων σοι δηλούμενα.

Sic etiam adductum ad ſe Joſephum, dicit manu apprehenſum comiter allocutum eſſe, Gratiſſimam ſibi rem facturum eſſe, ſi ſibi uti pincernæ fecerat, ſomniorum ſuorum ſignificationes enarraret. Id faceret ex vero, nihil ob metum ſupprimens vel ad gratiam adjiciens. Hæc non habentur apud Moſen, qui exprimit (quod tacet Joſephus) eductum fuiſſe è fovea & attonſum antequam ad regem introduceretur. Carcer appellatur *Fovea* בור, quod in ſpeciem foſſæ depreſſus eſſet, notante Raſi. Cum rex Joſepho dixiſſet, ſe de ipſo audiviſſe, quod poſſet interpretari ſomnia, quæ audiviſſet, reſpondet Joſeph בלעדי, *Deus reſpondeat pacem Pharaonis*. Ralbag: *Docet enim in hoc, quod non ſit in electione ſua, interpretari ſecundum quod vellet ſed interpretaturus eſſet ei, juxta id, quod è cœlo oſtenſuri eſſent ipſi: Ideò orat Deum, ut explicatio ſomnii eſſet pax Pharaonis.* Aben-eſdras: *Senſus revertitur ad ea verba:* Quod audias ſomnium, ut interpreteris ea. *Reſpondet Ioſeph:* Extra me *interpretatio mea*, Reſpondebit Dominus pacem Pharaonis. *Quidam dicunt, quod ſenſus ſit, propterea quod dixerat ipſi, Tu interpretans ſomnium, dixerit, Extra me, ipſe eſt interpretans & ipſe Deus qui reſpondebit pacem* &c. Raſi vocem שמע notat ſignificare idem quod intelligere, in vernaculo ſermone *Entendre*. Non eſt ſapientia à me, Deus reſpondebit, dabit reſponſionem in ore ad pacem Pharaonis.

Videamus nunc, quomodo Philo hoc caput interpretetur: Καταλλαγεὶς δὲ ὁ ἀρχιοινοχόος, ἐκλανθάνεται τοῦ τὰς καταλλαγὰς προειπόντος καὶ ἕκαστα τῶν συμπεσόντων ἐπικουφίσαντος. ἴσως μέν, ἐπειδὴ πᾶς ἀχάριστος ἀμνήμων ἐστὶν εὐεργετῶν, ἴσως δὲ καὶ κατὰ πρόνοιαν θεοῦ βουληθέντος τὰς εὐπραγίας τῷ νεανίᾳ μὴ δι' ἀνθρώπου γενέσθαι μᾶλλον ἢ δι' ἑαυτοῦ. μετὰ γὰρ διετῆ χρόνον τῷ βασιλεῖ τὰ μέλλοντα τῇ χώρᾳ συμβαίνειν ἀγαθὰ καὶ κακά, διτταῖς φαντασίαις δι' ὀνείρων θεσπίζεται ταυτὸν ὑποσημαινούσαις ἕνεκα βεβαιοτέρας πίστεως. ἔδοξε γὰρ ἑπτὰ βόας ἀνέρπειν ἐκ τοῦ ποταμοῦ πίονας καὶ σφόδρα εὐσάρκους, καλὰς ὀφθῆναι καὶ παρὰ ταῖς ὄχθαις νέμεσθαι, μεθ' ἃς, ἑτέρας ἀριθμὸν ἴσας, ἀσάρκους τρόπον τινὰ καὶ κατεσκελετευμένας, οἱ δεχθεῖσαι τὰς ἀνελθεῖν καὶ συννέμεσθαι ταῖς προτέραις, εἶτ' ἐξαπιναίως ὑπὸ τῶν χειρόνων καταβρωθῆναι τὰς ἀμείνους, καὶ μηδέν, ἀλλὰ μηδὲ τὸ βραχύτατον ταῖς ἐμφορηθείσαις πρὸς ὄγκον ἐπιδοῦναι τὰς γαστέρας· ἀλλ' ἢ μᾶλλον, ἢ οὐχ ἧττον ἐστάλθαι. προσαναστὰς δὲ καὶ κοιμηθεὶς πάλιν, ἑτέρᾳ πληχθῆναι φαντασίᾳ· νομίσαι γὰρ ἑπτὰ πυροῦ στάχυς ἐκπεφυκότας ἑνὸς πυθμένος, ἰσοτάχεις ταῖς μεγέθεσιν, αὐξομένους καὶ τεθηλότας ἄρασθαι πρὸς ὕψος μάλ' εὐρώστους· εἶθ' ἑτέρους ἑπτὰ λεπτοὺς καὶ ἀσθενεῖς ἀναπεφυκέναι πλησίον, ὑφ' ὧν ἐπιδραμόντων καταποθῆναι τὸν εὔσταχυν πυθμένα. Ταύτην ἰδὼν τὴν ὄψιν, τὸ λειπόμενον τῆς νυκτὸς ἄυπνος διατελέσας (ἤγειρον γὰρ αἱ φροντίδες κεντοῦσαι καὶ τιτρώσκουσαι) μεταπέμπεται τοὺς σοφιστὰς ἅμα τῇ ἕῳ, καὶ τὴν φαντασίαν διηγεῖται. μηδενὸς δὲ στοχασμοῖς εἰκόσι τἀληθὲς ἰχνηλατῆσαι δυναμένου, παρελθὼν ὁ ἀρχιοινοχόος φησίν, ὦ δέσποτα τὸν ἄνδρα ὃν ζητεῖς, ἐλπίς ἐστιν εὑρήσειν. ἁμαρτόντας ἐμέ τε καὶ τὸν ἀρχισιτοποιόν, ἐκέλευσας εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀπαχθῆναι, ἐν ᾧ τοῦ ἀρχιμαγείρου θεράπων ἦν Ἑβραῖος, ᾧ καὶ διηγησάμεθα ἐγώ τε κἀκεῖνος ὀνείρατα τὰ φανέντα ἡμῖν. ὁ δ' οὕτως εὐθυβόλως καὶ εὐθυσκόπως διέκρινεν, ὡς ὅσα προεῖπεν ἑκατέρῳ συμβῆναι. τῷ μὲν ἣν ὑπέμεινε τιμωρίαν, ἐμοὶ δὲ τὸ σοῦ τυχεῖν ἵλεω καὶ εὐμενοῦς. ὁ μὲν οὖν βασιλεὺς ἀκούσας προστάττει συντείναντας ἀνακαλεῖν τὸν νεανίαν. οἱ δὲ ἀποκείραντες (βαθεῖαι γὰρ ἦσαν αὐτῷ χαῖται, κατηγορημένου κεφαλῆς καὶ γενείου) καὶ ἀντὶ ῥυπώσης λαμπρὰν ἐσθῆτα ἀντιδόντες, καὶ τἄλλα φαιδρύναντες, εἰσάγουσι πρὸς βασιλέα· ὃς ἐκ τῆς ὄψεως τεκμηράμενος ἄνδρα ἐλεύθερον καὶ εὐγενῆ (χαρακτῆρες γὰρ ἐπιφαίνονταί τινες τῷ σώματι τῶν ὁρωμένων, οὐχ ὁρατοὶ πᾶσιν, ἀλλ' οἷς τὸ διανοίας ὄμμα ὀξυδορκεῖ) μαντεύεται, εἶπεν, ἡ ψυχή μου περὶ τοῦ μὴ εἰς ἅπαν ἀσαφείᾳ τοὺς ὀνείρους ἐπισκιασθήσεσθαι. δεῖγμα γὰρ σοφίας

ὁ νεα-

ὁ καιρὸς οὗτος ὑποφαίνει, ἢ διακαλύψει τὴν ἀλήθειαν ὡς φωτὶ σκότος, ἐπιστήμη τὴν ἀμαθίαν τῶν παρ' ἡμῖν σοφιστῶν ἀποσκεδάσει. Καὶ τοὺς ὀνείρους διηγεῖτο· ὁ δὲ τἀξίωμα τῷ λέγειν οὐδὲν καταπλαγείς, ὥσπερ ὑπηκόῳ βασιλεύς, ἀλλ' οὐχ ὑπήκοος βασιλεῖ, παρρησίᾳ σὺν αἰδοῖ χρώμενος, διελέγετο. καί φησιν, ὅσα μέλλει ποιεῖν ὁ θεὸς ἐν τῇ χώρᾳ προμεμήνυκέ σοι. τὰς μέντοι διττὰς φαντασίας μὴ ὑπολάβῃς εἶναι διττοὺς ὀνείρους· εἷς ἐστι, τὴν ἀναδίπλωσιν ἔχων οὐ περιττήν, ἀλλὰ πρὸς ἔλεγχον βεβαιοτέρας πίστεως. αἵ τε γὰρ πίονες ἑπτὰ βόες, καὶ οἱ εὔβλαστοι καὶ εὐθαλεῖς ἑπτὰ στάχυες ἐνιαυτοὺς ἑπτὰ δηλοῦσιν εὐθηνίας καὶ εὐετηρίας καὶ ἑπτὰ ἑτέρους λιμοῦ αἱ ἐπανιοῦσαι ἑπτὰ βόες λεπταὶ καὶ ἐνδεχθεῖς, καὶ οἱ προεφθαρμένοι μεμυκότες ἑπτὰ στάχυες. ἥξει μὲν οὖν ἑπταετία προτέρα, πολλὴν καὶ ἄφθονον ἔχουσα εὐκαρπίαν, πλημμύρας μὲν ἀνὰ πᾶν ἔτος τοῦ ποταμοῦ λιμνάζοντος τὰς ἀρούρας, τῶν δὲ πεδίων, ὡς οὔπω πρότερον εὐτοκίᾳ χρωμένων· ἥξει δὲ μετὰ ταῦτα ἐναντία πάλιν ἑπταετία χαλεπὴν ἔνδειαν καὶ σπάνιν τῶν ἀναγκαίων ἐπιφέρουσα, μήτ' ἀναχεομένου τοῦ ποταμοῦ, μήτε τῆς γῆς λιπαινομένης, ὡς τὰς προτέρας εὐθηνίας ἐκλαθέσθαι· καὶ εἴ τι λείψανον παλαιᾶς εὐετηρίας ἦν, ἀναλωθῆναι. τὰ μὲν οὖν ἐκ τῆς διακρίσεως, τοιαῦτ' ἐστίν· ὑπηχεῖ δέ μοι, καὶ ἐκλαλεῖ τι θεῖον, ὑποβάλλον τὰ ὡς ἐν νόσῳ σωτήρια· νόσος δὲ πόλεων καὶ χωρίων ἡ βαρυτάτη, λιμός, ἣ κατασκευαστέον ἀσθένειαν, ἵνα μὴ πλείως ῥωσθεῖσα, τοὺς οἰκήτορας ἐκφάγῃ. πῶς οὖν ἀσθενῇ; τοῦ καρποῦ τῶν ἑπτὰ ἐτῶν ἐν οἷς ἡ εὐφορία, τὸ πλεονάζον, μετὰ τὰς αὐτάρκεις τοῖς πλήθεσι τροφὰς (ἔσται δ' ἴσως μέρος πέμπτον) θησαυριστέον ἐν πόλεσι καὶ κώμαις, μὴ μεθορμίζοντας τὰ θέρη μακρόθεν, ἀλλ' ἐξ ὧν ἂν ᾖ χωρίων, ἐν ἐκείνοις φυλάττοντας πρὸς τὴν τῶν ἐνοικούντων παρηγορίαν· συγκομιστέον δὲ τὸν καρπὸν αὐτοῖς δράγμασι, μήτε ἀλοῶντας, μήτε συνόλως καθαίροντας, τεττάρων ἕνεκα· ἑνὸς μέν, τοῦ σκέπῃ χρώμενον, πρὸς πλείω χρόνον διαμένειν ἀδιάφθορον· ἑτέρου δὲ τοῦ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν γίνεσθαι τῆς εὐθηνίας ὑπόμνησιν; ἀλοώντων καὶ λικμώντων· ἡ γὰρ μίμησις τῆς πρὸς ἀλήθειαν ἀγαθῶν, δευτέραν ἔμελλεν ἡδονὴν ἀπεργάζεσθαι· τρίτου δέ, τοῦ μηδ' εἰς ἀριθμὸν ἐλθεῖν ἐν στάχυσι καὶ δράγμασιν ἀδήλου καὶ ἀπεριγράφου τοῦ ὑπάρχοντος, ἵνα μὴ προσαναπίσωσιν αἱ διάνοιαι τῶν ἐγχωρίων ἐν ταῖς ἀναλώσεσι τοῦ συλλεγέντος, ἀλλ' εὐθυμίᾳ χρώμενοι τῇ σιτίων ἀμείνονι τροφῇ (τρέφει γὰρ ἐν τοῖς μάλιστα ἐλπίς) ἐπικουφίζωσι τὴν ἐκ τῆς ἐνδείας βαρεῖαν νόσον· τετάρτου δέ, τοῦ καὶ τοῖς θρέμμασι χιλὸν ταμιεύεσθαι, τῆς ἀχύρου καὶ ἀθέρων ἐκ τῆς τοῦ καρποῦ καθάρσεως διακρινομένων. ἐπιμελητὴν δὲ τούτων χειροτονητέον ἄνδρα φρονιμώτατον καὶ συνετώτατον, καὶ ἐν πᾶσι δόκιμον, ὃς γένοιτ' ἱκανὸς ἀμίσως καὶ ἀνεπιφάτως ἐντεχνῇ τὰ λεχθέντα ποιεῖν, μηδεμίαν αἴσθησιν τοῖς πλήθεσιν ἐνδοὺς περὶ τοῦ γενησομένου λιμοῦ. χαλεπὸν γὰρ τὸ προκάμνοντας ταῖς ψυχαῖς, ἀναπισεῖν δυσελπιστίᾳ. ἐὰν δέ τις ἐπιζητῇ τὴν αἰτίαν, φήσει δεῖν, καθάπερ ἐν εἰρήνῃ προνοεῖν τῶν ἐν τῷ πολέμῳ παρασκευῶν, καὶ ἐν εὐπορίαις τῶν κατ' ἔνδειαν· ἀδήλους δὲ εἶναι πολέμους καὶ λιμούς, καὶ συνόλως τοὺς καιροὺς τῶν ἀβουλήτων, εἰς οὓς ἀναγκαῖον εἶναι παρεσκευάσθαι· ἀλλὰ μὴ γενομένων, τότε τὴν θεραπείαν ἐπιζητεῖν, ὅτ' οὐδὲν ὄφελος· ἀκούσας δὲ ὁ βασιλεὺς καὶ τὴν τῶν ὀνείρων διάκρισιν εὐθυβόλως καὶ εὐσκόπως στοχαζομένην τῆς ἀληθείας, καὶ τὴν συμβουλίαν ὅσα τῷ δοκεῖν ὠφελιμωτάτην κατὰ τὴν τοῦ μέλλοντος ἀδήλου πρόνοιαν, τοὺς συνόντας ἐγγοτέρω προσελθεῖν κελεύσας, ἵνα μὴ κατακούοι, ἆρ', εἶπεν, ἄνδρες εὑρήσομεν τοιοῦτον ἄνθρωπον; ὃς ἔχει πνεῦμα θεῖον ἐν ἑαυτῷ; συνεπαινούντων δὲ καὶ συνευφημούντων, ἐπιδὼν εἰς τὸν παρεστῶτα, ἐγγύς, εἶπεν, ἐστίν, ὃν παραινεῖς ἀναζητεῖν, οὐ μακρὰν ἀφέστηκεν ὁ φρόνιμος καὶ συνετός, ὃν ἔδει κατὰ τὰς σὰς ὑφηγήσεις σκοπεῖν, αὐτὸς ὢν τυγχάνεις. οὐ γὰρ ἄνευ θεοῦ, ταῦτ' ἀποφθέγγεσθαί μοι δοκεῖς. ἴθι δὴ καὶ παραλάμβανε τήνδ' ἐπιμέλειαν τῆς ἐμῆς οἰκίας καὶ τὴν Αἰγύπτου πάσης ἐπιτροπήν. ἐγχείρησιν δ' οὐδείς μου καταγνώσεται μὴ φιλαυτίᾳ χρώμενος πάθει δυσιάτῳ. αἵ τε γὰρ μεγάλαι τῶν φύσεων χρόνοις οὐ δοκιμάζονται μακροῖς ἀλλὰ δυνάμει βιαζόμεναι φθάνειν εἰς ὑποδοχὴν αὐτῶν ἀνυπέρθετον, τά τε πράγματα μέλλησιν καὶ διατριβὴν οὐκ ἀνέχονται, τῶν καιρῶν ἐπειγόντων εἰς τὰς ἀναγκαίας παρασκευάς. εἶτ' αὐτὸν καθίστησι τῆς βασιλείας διάδοχον, μᾶλλον δὲ εἰ χρὴ τἀληθὲς εἰπεῖν, βασιλέα, τὸ μὲν ὄνομα τῆς ἀρχῆς ὑπολειπόμενος αὐτῷ, τῆς δ' ἐν ἔργοις ἡγεμονίας ἐκστὰς ἐκείνῳ, καὶ τἄλλα πράττων, ὅσα ἐπὶ τιμῇ τοῦ νέου. δίδωσιν οὖν αὐτῷ σφραγῖδα

βασιλικὴν, καὶ ἱερὰν ἐσθῆτα, καὶ κύκλον χρυσοῦν περιθέμενος, καὶ ἐπὶ δευτερεῖον τῶν ἁρμάτων ἀναβιβάσας, κελεύει περιελθεῖν τὴν πόλιν, προερχομένου κήρυκος καὶ δηλοῦντος τοῖς ἀγνοοῦσι τὴν χειροτονίαν· μετονομάζει δ' αὐτὸν ἀπὸ τῆς ὀνειροκριτικῆς, ἐγχωρίῳ γλώττῃ προσαγορεύσας, καὶ ἐγγυᾷ πρὸς γάμον αὐτῷ τὴν ἐπιφανεστάτην τῶν κατ' Αἴγυπτον ἱερέως Ἡλίου θυγατέρα. Ταῦτ' ἐγένετο περὶ ἔτη γεγονότος ἤδη τριάκοντα. Τοιαῦτα τῶν εὐσεβῶν τὰ τέλη. Κἂν γὰρ κλιθῶσιν, οὐκ εἰσάπαν πίπτουσιν, ἀλλὰ διαναστάντες ὀρθοῦνται παγίως καὶ βεβαίως, ὡς μὴ καθυποσκελισθῆναι· τίς γὰρ ἂν προσεδόκησε μιᾷ ἡμέρᾳ τὸν αὐτὸν ἀντὶ μὲν δούλου δεσπότην, ἀντὶ δὲ δεσμώτου πάντων ἀξιονικότατον, καὶ τὸν ὑποδιάκονον εἱρκτοφύλακος, ὕπαρχον βασιλέως ἔσεσθαι, καὶ ἀντὶ τῆς εἱρκτῆς τὰ βασίλεια οἰκήσειν, τὰ πρῶτα τῶν ἐπὶ τιμαῖς φερόμενον ἀντὶ τῶν εἰς ἀτιμίαν ἐσχάτων· ἀλλ' ὅμως καὶ γέγονε ταῦτα καὶ γενήσεται πολλάκις, ὅταν δοκῇ τῷ θεῷ μόνον εἴ τι ὑφέσαθαι καλοκἀγαθίας ἐμπύρευμα ταῖς ψυχαῖς, ὅπερ ἀναγκαῖόν ἐστι ῥιπιζόμενον ἐκλάμψαι: Hæc ità vertit Gelenius: *At pincernarum princeps oblitus eſt ejus qui futura prædicenda præſentem ejus calamitatem ſublevarat, vel quià nemo ingratus beneficiorum meminit, vel quià Deo viſum eſt, juvenem non humana ſed divina ope ad felicitatem provehi. Nam poſt biennium regi futurus ejus regionis ſtatus, bonus maluſque præmonſtratus eſt divinitus duobus ſomniis, quo certior res fieret. Videt enim ſeptem vaccas emergere in ripam è flumine, pingues valdè obeſaſque & viſu pulcherrimas & paſci ſecundum fluvium. Poſt eas totidem macilentas & vix oſſibus hærentes, viſu turpiſſimas aſcendere, paſcique cum prioribus. Dein repentè meliores devorari à deterioribus, manente in ſaturatis eadem macie, imò auctâ etiam. Tum experrectus, ac mox in ſomnum relapſus alia viſione terretur, qua viſus eſt videre ſeptem ſpicas triticeas ex uno culmo enatas pari magnitudine, plenas & proceritate pulcherrimas. Deinde ſeptem alias exiles & languidas enatas in proximo, quæ mox impetu facto abſumpſerunt culmum illum cum ſuis ſpicis nitidiſſimis. Poſt hanc ſecundam viſionem noctis reliquum inſomnis exegit, curis ſtimulantibus & animum ſolicitum ſauciantibus: Sub auroram ſophiſtis accitis denarrat obverſatas ſibi dormienti ſpecies. Cùmque nemo poſſet verum earum ſignificatum conjecturis aſſequi, accedens enim pincernarum princeps inquit, Here, ſpero me inventurum qualem cupis hominem. Miſiſti dudum ob quaſdam noxas me & piſtoribus præfectum in carcerem, in quo erat ſervus principis coquorum, Hebræus genere, ei narravimus ambo quæ videramus ſomnia. Ille rem conjecturis certiſſimis attigit, adeò ut eventus in utroque noſtrum ejus interpretationi reſponderit: alter dedit ſupplicium, mihi tu propitius donaſti veniam. Rex his auditis jubet properè acciri juvenem. Miniſtri attonſum poſt longam carceris illuviem; & detractis ſordidis pannis, eleganter veſtitum, cæteriſque nitoribus expolitum, ad Regem intraducunt, qui primo aſpectu judicans hominem ingenuum & bene natum (elucent enim in ipsâ facie nata, non omnibus tamen conſpicua, ſed ſolis perſpicaces mentis oculos habentibus) Præſagit, inquit, mihi animus, non ſemper in obſcuro fore quod tegitur ſomniorum ambagibus. præ ſe fert enim hic juvenis ſapientiam: qui veritatem, tanquam lumen tenebris inferens, aperiet, & ſuâ ſcientia noſtratium ſophiſtarum inſcitiam abiget. His dictis ordine enarravit utrumque ſomnium, Tum Ioſeph majeſtate loquentis nihil territus, tanquam Rex ſubditum, non ſubditus Regem, liberè ſed reverenter allocutus eſt, dicens: Quæ facturus eſt Deus in hac regione oſtendit tibi. Duæ viſiones (crede mihi) unum ſomnium ſunt, geminatum non temerè, ſed ut res fiat credibilior. Nam & ſeptem vaccæ pingues, & ſeptem ſpicæ plenæ, ſeptem ubertatis annos ſignificant: Sicut totidem famis annos illæ ſeptem macilentæ vaccæ turpiſſimæ, & ſeptem ſpicæ caſſæ ac marcidæ. Veniet igitur prius ſeptennium fertiliſſimum, tota regione quotannis benè rigata ſtagnante per arva flumine, & campis ſolito majores proventus afferentibus, ſequetur deinde longe diverſum ſeptennium gravem inopiam allaturum, & rerum victui neceſſa-*

riarum

riarum penuriam, nec flumine ſe diffundente, nec terra limo ejus pingueſcente, ut accolæ obliti ſuperioris ubertatis nihil ex ejus proventu reliquum faciant. Hæc ſunt quæ ſomnia præmonent: ſed mihi numen quiddam ſuggerit, quod in tantis malis ſalutem afferre queat. Vrbium regionumque graviſſimus morbus fames eſt, cujus vires oportet frangere, ne nimium auctus incolas deleat. at quomodo ſuccurrendum eſt huic periculo? E ſeptem annorum fertilitate quod ſupereſt ſatietati hominum, hoc eſt, quinta pars, reponatur oppidatim vicatimque, non tranſportando fruges aliò longius, ſed ubi demetuntur aſſervando in uſum ejus loci hominum. Eas fruges cenſeo cum ſuis manipulis condendas, nec trituratas, nec purgatas, quatuor de cauſis: quarum una eſt ne citius vitientur nudatæ ſuo tegmine, altera ut per ſingulos annos renovetur priſtinæ copiæ memoria, ruſticis triturantibus & fruges eventilantibus, tertia ne iniri poſſit frumenti numerus, dum incertum eſt quantum ſpicæ manipulique contineant, ne animus colonos deficiat reputantes quantum abſumptum ſit, ſed ſecuritate non minus quam cibo ſeſuſtineant. ſpes enim alit cum primis, grave penuriæ malum ſublevans. Quarta cauſa eſt, ut & jumentis condatur pabulum, quibus ariſtæ paleæque purgamenta frugum proderunt. ea cura committenda eſt viro prudenti, cordato, probatoque, qui poſſit ſine invidiâ reprehenſioneque hoc conſilium exequi tanta dexteritate, ut nihil populo de fame futura ſuboleat. Durum eſt enim jam ante agris animis ſpem in futurum adimere. quod ſi quis cauſam ſcitabitur, reſpondendum eſt, oportere ſicut in pace parantur, quæ belli tempore futura ſunt uſui, ſic in copia proſpicere inopiæ. incertum autem eſſe quando bellum vel fames immineat, quidve futurum tempus ferat: parandum igitur maturè ſubſidium, ne deſit cum tempus poſtulaverit. Rex audita ſomniorum interpretatione aptiſſima, veritati congrua, ſimulque conſilio, ut apparebat in futurum utiliſſimo; familiaribus propius accitis ſubmiſſa voce dixit: Num inveniemus talem hominem afflatum divinitus? Cumque videret eis probari hanc ſententiam, verſus ad juvenem ſtantem ait: Propè eſt quem quæri jubes, non longè quærendus eſt homo cordatus ac prudens, qui exequatur monita: tu is es, nec enim ſine numine hæc locutus videris. I præfecturam mei palatii ſuſcipe, ſimulque totius Ægypti procurationem nec eſt cur quiſquam meam facilitatem accuſet, ſe digniorem judicans. Nam excellentes naturæ non habent opus ad experimentum longo tempore, ſed incunctanter ſe rebus ingerunt & præſens ſtatus moras non patitur, imminente neceſſitate, cui proſpiciendum eſt. His dictis eum proregem inſtituit, vel regem potius, relicto ſibi ſolo imperii nomine, poteſtatem illi cedens & agens quicquid pertinebat ad honorem juvenis. dat ei regium annulum ſignatorium. veſtem auguſtam, torquem auream, currum ſecundum à regio, atque ità jubet per urbem circumvehi, præcedente præcone & indicante novi magiſtratus electionem. novum quoque nomen indit ei, quod interpretem ſignificat linguæ vernaculæ: & nuptum dat filiam clariſſimi apud Ægyptios viri, qui ſolis habebat ſacerdotium. id actum eſt circiter annum ejus trigeſimum. Hi ſunt eventus piorum: nam etiamſi proclinant, tamen non corruunt, ſed erecti ſtant firmiter, ne ſupplantari queant. Quis enim exſpectaſſet intra unum diem è ſervo dominum, è vincto præſtantiſſimum omnium, è carcerarii vicario proregem fieri, & regiam inhabitare pro carcere, extrema ignominia verſa in honorem maximum. facta ſunt tamen hæc, & fient ſæpius, quando Deo placuerit: modo ſubſidat aliqua probitatis ſcintilla in animo, quam neceſſe eſt per occaſionem excandeſcere.

Philo attribuit Joſepho vultum liberalem, quo agnoſceretur natum eſſe honeſtis & ingenuis parentibus & hoc indicio regem bene ſperaſſe de ſcientia & ſucceſſu quæſitæ interpretationis. Facit Joſephum aſſignare fertilitatis & ſterilitatis cauſas è Nili incremento majore & minore. Naturalem hanc cauſam aliaſque Deum adhibuiſſe certum eſto: at in continuo ſeptem annorum

 curſu

curſu non altius intumuiſſe Divinæ manus evidens indicium: forte & alia inſignia conjuncta erant: aut aliæ inſolitæ cauſæ ipſum Nili incrementum inutile reddiderunt. Conſilium à Joſepho adjectum narrat ipſe apud Philonem ſibi à numine ſuggeſtum eſſe. Verum eſt divina directione non tantum ſed & inſpiratione ea locutum eſſe Joſephum quæ de interpretatione dixit: an autem hoc conſilium eo etiam pertineat dubium eſt. Potuit enim divina directione dicere, quod ab inſpiratione non erat: ſed ſui propriè animi ſuggeſtio. Joſeph admonet de quinta parte annorum fertilium reponenda in neceſſitates ſterilitatis ſuperventuræ. Joſephus nihil de hoc modo quintæ meminit tantum generalem facit ſuaſionem: *παραμυθούμενος τ' ἀγαθὰ ἐπὶ τὸν πρῶτον χρόνον γενησόμενα μέχρις ἀναισθήτως τοῖς Αἰγυπτίοις τὴν ἐπελευσομένην συμφοράν.* Deum enim illa revelaſſe ut imminenti malo provideatur. Hic philoſophatur Philo, de frugibus recondendis per vicos & urbem, ubi procreverant, eorum locorum in uſum, cum ſterilitas adveniſſet. Recondendas eſſe *αὐτοῖς δράγμασιν*, neque trituratas neque purgatas idque ob quatuor rationes, quas ponit. An Joſeph ita juſſerit incertum eſt, quin potius certum non ita juſſiſſe ſi conſideremus quod voluerit Joſeph (ut in ſcriptura habetur) in ſolis urbibus frumentum recondi in alimoniam annorum ſterilium. Illud igitur falſum, quod de vicis dicit. Deinde in urbibus per horrea reconditur frumentum purificatum, ut minus obnoxium muribus & quod melius poſſit ventilari integrumque ſervari cura & induſtria humana adhibita. Ratio illa quam addit de pabulo pecudum nulla eſt, quia ſtramen æque ſervari poteſt, præſertim ubi metuitur ſuperventura inopia. Aben-eſdras hanc etiam ſententiam refutat & rejicit eos qui ab humiditate Ægypti argumentantur contra veritatem hiſtoriæ de ſeptennali repoſitione frumenti. *Sunt qui dicant, ſenſum eſſe* בר (frumentum) *cum ſpicis: at firmum in oculis meis, quod* בר *appelletur poſt opus ventilationis & purificationis. Qui dicit, quod aër Ægypti ſit humidus nec poſſit illic frumentum conſiſtere* (durare) *ſeptem annis, poteſt ſe ordinare cum verbis, quæ ipſum firmant:* Cum ex omni Ægypto & vicinis regionibus frumenta emptum confluerent homines, potuit Joſeph è frumento purificato, quod in promptu erat, ſumere & de quantitate & copia judicare & diſpenſare, ne aut minus aut largius æquo erogaret. Sed de philoſophematis Philonis plura dicere omittimus. Interpretatio ſomnii oſtendit Divinam analogiam inter ſigna & res ſignificatas, quam tamen Ægyptii conjectores videre non potuerunt. Partim quia, quæ θεῖα conſiſtunt, non facile perſpiciuntur; partim Dei nutu. Annorum proventus eſt è paſtione potiſſimum & frugibus. Paſtionis potiſſimum in bobus. E frumenti inopia fames, ſed & è ſterilitate boum pernicies & calamitas. Frumenta ſervari potuerunt & aliò exportari. Ideò in his cura præcipua & memoria. Septem ſpicæ & boves ſeptem annos notabant, utriuſque generis. Viſio repetita fixum eſſe Deo hoc facere & in proximo.

Quæſtionem ponit Lyranus, quomodo quinta ſeptennii ſterilitati potuerit ſufficere? *Quæritur, Quare non dicit medietatem, cum tempus ſterilitatis æquale fuerit tempori fertilitatis & in tempore ſterilitatis, nihil crevit, ut videtur, quia dicitur, in cap. 45.* Adhuc reſtant anni quinque quibus nec arari poterit nec meti. *Ad quod dici poteſt, quod tempore ſterilitatis fuit aliqua aratio & meſſio ſed modica & ideò quaſi nulla reputatur. Unde 2. Phyſic. dicitur*, Quod modicum eſt, quaſi nihil reputatur. *Veruntamen cum illa modica meſſione ſufficiebat illa reſervatio quintæ partis de annis præteritis. Maximè, quia tempore famis homines ſtrictius vivunt: & quia aliqui divites pro ſuis domibus de tempore fertilitatis ſibi victus reſervaverunt.* Nos diceremus, Quintam partem in Pharaonis

hor-

horreis repoſitam non exhauſiſſe, quicquid ſupererat de ſingulis annis ubertatis. Ideo in privatorum horreis, maximè opulentiorum magnam copiam repoſitam fuiſſe, quæ diu ſufficiebat. Hinc dicitur panem fuiſſe in Ægypto, cum jam cæteræ regiones penuria laborarent, v. 54. 55. *Erat fames in omnibus terris, ſed in tota Ægypto erat panis. Cum jam univerſa Ægyptus fame laboraret* &c. Cum hac reſidua copia conjuncta fuit quædam meſſio in annis ſterilitatis. Citius etiam pauperibus defecit, quam divitibus, qui quantum voluerunt aut potuerunt egentibus etiam ſuppeditarunt. Non enim dubitari poteſt, quin ſignificatum fuerit publicè ſeptem annos penuriæ ſecuturos eſſe poſt ſeptennium ubertatis. monitosque ut ſibi adverſus futuram famem conſulerent. Præter iſtam privatam cujuſque ſolicitudinem publice conſulere voluit rex è monito Joſephi: Nam nec omnes habebant unde poſſent ſibi proſpicere in futurum, nec qui haberent, parituros eſſe omnes apparebat. Etiam divendere partem neceſſe habuerunt, ne copia gravarentur & plerique ut alia neceſſaria hoc pretio compararent. Egregium in primis eſt regem communi & publico omnium bono, ubi privati non poſſunt aut non ſolent, manum & curam admovere. Id vero eſt principem & dominum agere & ſcopum dignitatis implere. Quintam igitur partem proventuum per ſeptem annos uberes comparari eo, quo tum veniebat pretio & in regios theſauros reponi ſuadet Joſeph. Lyranus: *Sub Pharaonis poteſtate condatur, ita, quod non poſſit vendi & deferri ad alias provincias. Non tamen accipiebatur ab hominibus violenter vel gratis ſed pro pretio: quod tunc erat modicum propter magnam fertilitatem. Alias Ioſephus, poſtea tempore famis non vendidiſſet licitè Ægyptiis.*

Joſephus non eo animo ſuaſit aut conſilium ſuggeſſit de conſtituendo rei annonariæ præfecto & ſingulorum locorum פקדים epiſcopis & inſpectoribus, quaſi, ipſe eum honoris gradum ambiret: at puro defecatoque & publici boni amante. Non potuit nec auſus eſt è ſqualore carceris eductus, cujus liberationem fortaſſis ex hac interpretatione ſperavit, ſperare, uti in tanta dignitate conſtitueretur.

Rex audita oratione Joſephi, ejus interpretationem admiratus eſt & conſilii ſapientiam. Joſephus dicit eum poſt generalem ſuaſionem interrogatum à rege, quomodo in futurum proſpiciendum eſſet, monuiſſe Ægyptiis utendum eſſe parſimonia ut reſidua in neceſſitatem ſterilitatis reponerent. Ideò regem non debere permittere κατὰ πλεισίαν τοῖς ἀγαθοῖς χρῆσθαι. Agricolis tantum neceſſaria elargiri reliqua reponere: ἀποτίθεσθαί τι περιὸν λαμβάνοντα τὸν σῖτον παρὰ τῶν γεωργῶν, τὰ ἀναγκαῖα μόνον εἰς διατροφὴν χορηγοῦντα. Joſephus videtur errare non animadvertens ante Joſephi adminiſtrationem proprios regis agros non fuiſſe, ut obſervare licet è cap. 47. v. 20. Si agri regis proprii non fuerunt, non potuit frugibus & proventu ut ſuis uti eaque reponere ſine pretio & emptione. Cæterum conſilio de quinta emenda & recondenda audito & collaudato rex eum rei annonariæ & univerſæ Ægypto ſuæque aulæ præfecit.

Alloquitur eum rex: Merito tuæ ſapientiæ, cui parem invenire non poterimus, *Eris ſuper domum meam.* Hac oratione eum præfecit aulæ, ut Eliezer præfectus erat domui Abrahami. ועל פיך ישק כל עמי. Hic ישק diverſa notione capiunt interpretes, alii pro oſculari alii pro armari. Quam poſtremam interpretationem Druſius & Mercerus potiorem eſſe ducunt. R. Salomo etiam exponit per יזון è Chaldæa verſione id eſt יתפרנס. *Omnes neceſſitates populi mei fient per manum tuam*: ut (cap. 15,) בן משק ביתי. *Et ut* (Pſ. 2.) נשקו בר / garniſon *vernacule.* Aben-eſdras: דגשות ח׳שין לחסרון נ׳ון / *dageſſatio Sin ob defectum Nun* נשק & ipſe נגיד החיל. *Alii dicunt quod ſit derivatio* נשיקה *in via lon-*

longinqua. Interpretationes hæ ſunt potiſſimæ. Salomonia reſpicit uſum alimoniæ ut rei de qua agebatur & quam finem hujus ſublimationis & principium fuiſſe conſtat. Mercerus ideò mavult ſignificationem *armandi*, quod antecedens, *Eris ſuper domum meam*, ad pacem pertineat aut generale ſit, hoc ideo ſpeciale eſſe de bello. Præficere igitur ipſum rebus belli & pacis. Vulg. *Obediet* LXX. ὑπακούσεται. Ralbag etiam ita interpretatur מעניין נשק וכלי זין *de ſenſu armaturæ ejuſque inſtrumentorum. Vult dicere, quod nemo de illis inſtrumenta armorum ſumpturus eſſet, neque egreſſurus in bellum, niſi mandato Ioſeph.* Mercerus: *Interim per armari intelligentur etiam omnes populi actiones, quibus aliquid juſſu principis aut magiſtratus aggreditur. Inſtruetur,* s'equippera, *accinget ſe rebus quibuſvis gerendis & agendis. Non legitur quidem Ioſeph unquam bella geſſiſſe, ſed nihil obeſt quin geſſerit adverſum vicinos populos ut Æthiopas & alios, licet id non memoretur. Vtut ſit ei provinciam tradit & pace & bello ſi contingat, populum moderandi & omnia ordinandi & conſtituendi. Verè felix regnum tali moderatore ſive domi ſive foris. Nam qui artes pacis novit non dubium eſt quin & belli norit, prudentia & animi magnitudine utrabique valens & conſilio: ut de Abram vidimus, qui etiam proſperè pugnavit adverſus quatuor reges: quia duce Domino, à quo omne conſilium & ordo rerum ac prudens adminiſtratio* &c. Ego tamen probaverim verſionem Belgicam: **Op u bevel ſal al mijn Volck [de hand] kuſſen.** Ut ᵃᵗ נשק ſignificet illum venerationis modum, quo reverentiæ & ſubjectionis indicandæ manus ori admovetur. Id facturi erant Ægyptii ad os & verba Joſephi. Notat igitur honorem & ſubjectionem. *Tantum ſolio major ero te.* Aben-eſdras: *Non erit mihi* גדולה *majeſtas præ te, tantum majeſtas ſolii.* Ralbag: *Vult dicere, Solio tantum major ero te, quia ego ſolus ſedebo ſuper ſolio regni.* Poteſtas erat delegata, qua ipſum Ægypto proregem conſtituit. Revocare eam poterat & tollere. Joſephus omnibus præerat poteſtate ſecundaria mutuatitia, quæ ſuberat arbitrio collatoris. Si rex ſolio ſuo ipſum impoſuiſſet, regia poteſtate ceſſiſſet eumque ſibi feciſſet ſucceſſorem. Altius in & cum Chriſto extollimur, quia cum Deo in eodem throno collocamur, Apoc. 3. 21.

Poteſtatis collatæ ſymbola fuerunt à rege adjecta. Dicebat enim *Ecce poſui te ſuper univerſam terram Ægypti.* Primum poteſtatis ſymbolum cum hoc dicto in eum contulit: Nempe annulum ſibi detractum digito Joſephi inſeruit. Ralbag: *In eo fuit ſigillum regis, quem dedit Ioſeph ad obſignandum nomine ſuo, quicquid vellet.* Raſi: *Datio annuli regii erat ſignum illi, cui ipſum dabat eſſe ſecundum ipſi majeſtate* בגדולה. Rivetus de quatuor ornamentis & ſymbolis poteſtatis ita diſſerit: *Addidit rex honoris collati ſymbola, verſ. 42.* Detracto annulo ſuo è manu ſua, dedit eum Joſepho. *Idem poſteà Aſſuerus fecit Mordechao, Eſther cap. 8. verſ. 2. Annulorum apud veteres duplex fuit uſus: erant enim inter ornamenta, & ſigna dignitatis, ut apud Romanos, annulus aureus ſignum fuit ordinis equeſtris. Alius uſus fuit in ſigillis: erant enim annuli ſignatorii. Primum uſum ad ornamentum indicat Livius lib. 3. ſecundi belli Punici, cum narrat eum, qui Carthaginem miſſus fuit ad nuntiandum Cannenſem victoriam, in veſtibulo curiæ ingentem aureorum annulorum acervum projeciſſe, adjectis verbis, neminem niſi equitem, atque Romanorum primores inſigne id geſtare. Sed uſum ſignatorium antiquiſſimum eſſe certum eſt; quià veteres non ornatus, ſed ſignandi cauſa annulum gerebant, nec plus habere quam unum licebat. Sed poſteà, ſuccreſcente luxu, & deliciarum oſtentatione, delitioſi populi Romani labes hunc morum violavit. Signum tamen in uno tantum habere permittebatur, nec cuiquam niſi libero; unde lux aliqua huic Euangelii loco, cum pater filium excipiens, jubet* ut detur annulus in manum ejus, *Luc. 15. verſ. 22. in ſignum recuperatæ libertatis, quam amiſerat, porcis paſcendis*

admo-

admotus, poſt vitam profligatam. Quo ſigno etiam Ioſephus, qui anteà ſervus fuerat venditus, à Rege manu mittitur, & in libertatem aſſeritur: Sed id præterea voluit, dato annulo ſignatorio, omnia ſua fidei ejus committere. Præcipuum enim annuli ſignificatum fuit ingenui hominis fidem indicare. Vnde Cicero ad Q. Fratrem, Sit inquit, annulus tuus, non miniſter alienæ voluntatis, ſed teſtis tuæ. Refert Q. Curtius lib. 6. de reb. geſt. Alex. Cum interrogaretur Babylone jam moribundus, quem ſucceſſorem ſibi deſignaret, reſpondiſſe optimum. Sexto poſt die, cum præciſâ voce loqui non poſſet, detractum digito annulum Perdiccæ tradidiſſe, quo præjudicio videbatur ab eo ſucceſſor deſignari. Non quidem ut ſucceſſorem ſibi deſignaret, annulum ſuum tradidit Ioſepho Pharao; ſed tamen id fecit, ut declararet, ſe ei poteſtatem tradere, ut quæcunque vellet, nomine ſuo & authoritate decerneret. Atque obſignatio literarum & diplomatum, liberæ rerum adminiſtrandarum poteſtatis eſt ſymbolum.

Adjecit Rex ornamentum veſtium; Fecit enim eum indui veſtibus שש ſes, byſſi. Targum בוץ bus. Quæ vox etiamnum apud Arabes albare ſignificat. Vnde ſic dictum fuiſſe byſſum, ab albedine probabiliſſimum eſt. Apoc. 19. ỹ. 14. dicitur. βύσσινον λευκὸν ϗ καθαρόν: quo veſtiti erant exercitus, qui ſunt in cœlo. Pretioſiſſimum fuiſſe genus veſtis, ex omnibus locis in quibus hæc vox legitur compertiſſimum eſt. Sed quid propriè ſignificaverit, aut quænam fuerit materia, non ità conſtat. Volunt plerique fuiſſe genus lini optimi, tenuiſſimi, molliſſimi & candidiſſimi, quod in Ægypto tantum, circa oppidum Sombat præſertim ſereretur, ac copioſè proveniret, indeque per totum orbem diſtraheretur, ex quo veſtes, præſertim ſacræ, vela & conopea conficerentur. Sic Valentinus Schindlerus. Iulius etiam Pollux lib. 7. cap. 17. byſſum dicit eſſe lini ſpeciem quandam apud Indos. Plinius lib. 19. cap. 1: inter lini ſpeciei byſſum refert. Aliis byſſus eſt coloris pretioſi genus, unde byſſina veſtis, byſſo infecta. Aliis lana pretioſiſſima, colore & nitore auri. Ita Scaliger exercit. 325. 12. byſſinum colorem, auro proximum dicit. Byſſus & purpura junguntur in Scripturâ. Luc. 16. verſ. 19. Apoc. 18. verſ. 12. 16. Conſtat ergò, pretioſiſſimas fuiſſe veſtes, quibus ſoli reges aut principes utebantur.

Tertium ornamentum fuit רבד הזהב torquis auri, id eſt, aureus; fuit circulus tortus, & collo impoſitus in honoris ſignum. Hinc etiam poſteà dicti fuerunt equites torquati, qui à Regibus torque donantur ſive faſciâ, tanquam dignitatis nota, ut apud Gallos conchyliati. Mos ille fuit apud Romanos Imperatores, ut torquem aureum militibus, ob res præclarè geſtas donarent. Sed vetuſtiorem morem fuiſſe videmus ex hac hiſtoria, & Danielis, quo Reges in præmium virtutis aureos torquibus collum cingebant eorum, quos elevabant ad aliquam dignitatem.

Quartum ornamentum fuit currus, Fecit eum equitare במרכבת המשנה אשר לו bemarkebeth ſhammiſchne aſcher lo, ad verbum, in curru ſecundo qui ſibi. Vulgata, ſuper currum ſuum ſecundum: id eſt, ut in pompa regiâ, proximus à Rege, aliis omnibus aulicis honoratior incederet. Vatablus vertit, currum ſecundi, nempe à Rege viri, quo is qui ſecundus erat, vehi ſolebat, non ſolum in pompa regia, ſeu Regis comitatu, ſed etiam ſine Rege. Vno verbo currus proregis, ut omnes agnoſcerent eum dignitate & honore Regi proximum. Erat etiam currus, vel apud alios equus regius maximæ dignitatis ſignum. Aſſuerus voluit Mordachæum, veſtibus regiis indutum equo Regio inſidere. Hæc quatuor ornamenta, ſive inſignia regia, miram mutationem in Ioſepho factam indicant: Compedibus vinctus fuerat in carcere, à Rege torquem aureum accepit. Servili vinculo fuerat alligatus; datus ei fuit annulus regius. Indutus fuit ſordidis veſtibus, quibus ſucceſſit veſtis byſſina, & pro ſqualore carceris, regio vectus eſt curru.

Joſephus purpuræ guſtandæ jus datum fuiſſe à rege cum ſcriberet aliud

agebat. Sui enim temporis morem habebat in animo. Byſſus & purpura regum & magnatum geſtamen, fuit. Ideoque referuntur inter lautitias & inſtrumenta luxus locis ſcripturæ à Riveto productis. Notat Ralbag veſtes byſſinas pretioſiſſimas fuiſſe in Ægypto. Raſi: דבר חשיבות הוא במצרים / *Res* honoris & æſtimationis eſt in Ægypto. De curru [מרכבת המשנה] notat Aben-eſdras עץ נתונה על ארבעה סוסים *lignum poſitum ſuper quatuor equis*, ut patet ex curru Salomonis. Metcerus obſervat Hebræos ſcribere, ob copiam, ne promiſcuus eſſet uſus byſſi & equorum, edicto regio cautum fuiſſe.

In curru המשנה cum veheretur poſt regem & oſtentaretur populo à præconibus proclamatum eſt אברך. Vectus non fuit curru, ut Ægyptum obiret adminiſtrationis ſuæ implendæ cauſa, ut exiſtimat Joſephus: nam hæc vectio fuit inaugurationis ſeu conſtitutionis in officio, ut à populo reciperetur. Clamatum igitur à præconibus *Abrech*. Chaldæus vertit דין אבא למלכא. Hoc interpretatur Raſi: רך *in lingua Aramæa regem ſignificat*. Nempe in codice Baba bathra cap. 1. quod vocatur שותפין legitur לא ריכא ולא בר ריכא. R. Juda *Abrech* interpretatur, *Hic eſt Ioſeph, qui fuit pater ſapientia, tener annis. Dicebat ei filius Dormaſkit, Quouſque tu nobis pervertis ſcripta,* אברך *non eſt niſi in ſignificatione genuum, quia omnes erant ingredientes & egredientes ſub manu ejus.* Aben-eſdras, Quivis homo clamabat ante eum incurvabo & adorabo. Τὸ ויקראו putat ſuppleri debere è ſe αὐτῷ ἴσως. *Clamabant clamantes* id eſt quivis è populo, alii præcones ſubintelligunt. Vult eſſe è conjugatione Hiphil מבנין הכבד הנוסף Ut ויברך על ברכיו *eſt è Cal, quæ omnia genuum habent ſignificationem. Dicebat R. Iona Grammaticus Hiſpanus eſſe nomen verbale &* א *eſſe loco* ה *ſicut* [אשכם ושלוח] *At ſecundum meam opinionem Alef in* [אשכם] *prima perſona eſt.* Vel eſt vox Ægyptia vel eſt imperativus, *Ingenicula.* Rivetus: *Nec valde inclino, ut credam juſſum fuiſſe populum, ut tranſeunte Ioſepho genua flecteret; etſi nunc id Romæ fiat, cum Pontifex Romanus lectica vel equo vehitur; Tunc enim apparitores quidam clamant,* abaſſo abaſſo: *& eodem tempore ſi quis tardius genua flectat in loco incommodo, etiamſi lutoſus ſit, haſtili vibrato tibias feriunt cunctatorum. Id ſi factum fuiſſet Ioſepho, Ægyptiis regis mandato ad cultum civilem eſſet referendum. Sed cum Papa id ipſe exigat, tanquam cultum religioſum, non poteſt à ſummo ſacrilegio excuſari, qui honores Divinos in ſe transfert.* Ingeniculationem Ægyptiis regibus occurrentibus honoris cauſa oblatam eſſe & iis etiam, quos ornari & honorari reges voluerunt quis dubitet? De orientis enim populis verum eſt, quod dixit Salluſtius, *Adeò illis ingenita eſt ſanctitas regii nominis.* Unde Virgilius:

Præterea regem non ſic Ægyptus & ingens
Lydia, non populi Parthorum aut Medus Hydaſpes
Obſervant.

Quo pertinet quod adjecit rex: *Ego Pharao, & abſque te non elevabit quiſquam manum aut pedem ſuum.* Non opus eſt dicere quod juramentum ſit tantum ſignificat ſe penes poteſtatem eſſe qua decerneret ut ad nutum ejus omnes ſe gerant & componant. Raſi: *Ego Pharao, cui eſt poteſtas in manu ad decernendum decreta ſuper regno meo, ego decerno ut nemo elevet manum ſuam* &c. *Aliter, Ego ero rex ut abſque te* &c. Proverbialem locutionem eſſe putat, *Elevare manum & pedem.* Hoc probo præ expoſitione Chaldæa, quam admittit Aben-eſdras: Chaldæus enim propriam dicto ſignificationem ita attribuit: *Nullus vir attollet manum ſuam, ut aſſumat arma nec elevabit pedem ſuum ut equitet*

ſuper

ſuper equo: בר ממימך *ſine te*, id eſt שלא ברשותך. Reſtringit ad adminiſtrationem belli, quod nimis arctum eſt.

In oriente ſignificandæ eminentiæ aut inſigni eventui alicui, qui in aliquo erat, nomina frequens erat mutare aut nova adjicere, quæ erant potius cognomina. Ita ipſe Deus fecit; Abramo & Saræ immutavit, Jacobo adjecit. Paſſim ita factum eſt. Honori Joſephi augendo fuit, quod Rex eum appellaverit, ut in Hebræo habetur צפנת פענח. *Sophnath-Panea.* Diſputant interpretes ſitne Hebræa an Ægyptia vox. Ægyptiam eſſe inde concluditur, quia non ſit veroſimile Regem Ægypti Hebræum ei nomen ponere quem Ægypto præfecerat & Ægyptiis honorifico hoc nomine voluit commendare. Aben-eſdras: *Si iſta dictio ſit Ægyptia, neſcimus ejus expoſitionem, ſi ſit interpretata, neſcimus nomen Ioſephi. Erit expoſitio vocis* פענח *ſicut interpres reddidit Syriace. Eſtque dictio* πτεgχεύμμαλ@. Raſi: *Expoſitor occultorum: nec habet* פענח *ſimilitudinem in ſcriptura.* Conveniunt interpretes de notione vocis excepto Hieronymo. Conveniunt LXX, Joſephus, Philo, Chaldæus uterque & Rabbini. Rivetus putat Ægyptiam & Hebræam linguam ſimilitudine & affinitate ſua in hoc nomine coire, ut exponi poſſit ex utraque lingua. Poſteriorem vocem nullo modo Hebræam eſſe agnoſcit Mercerus. Hieronymus, qui vixit in Palæſtina & ſcire potuit, quid ea vox notet Ægyptio ſermone, ſic ſcribit in qu. Hebraic. in Geneſin: *Licet Hebraice hoc nomen abſconditorum repertorem ſonet, tamen quia ab Ægyptio ponitur, ipſius lingua debet habere rationem. Interpretatur ergò ſermone Ægyptio* צפנת פענח, *ſive ut LXX transferre voluerunt*, ψονθομφανὴχ *ſalvator mundi, eo quod orbem terræ ab imminente famis excidio liberarit.* Incertum eſt, unde id hauſerit Hieronymus, at ex Hieronymo tranſlatum eſt & inſertum vulgatæ editioni Latinæ. Vocem eſſe Ægyptiam certum eſt ut & id non coire hic utrumque ſermonem. De voce hac ita Athanaſius Kircherus in Prodromo Coptico: *Falluntur omnes, qui illud* צפנת פענח *aliud quam Ægyptiacum eſſe aſſerunt, Quod & Rabbini omnes concedunt. Dicimus itaque vocabulum* צפנת פענח *idem eſſe quod Ægyptiacum ſive Copticum* ΨΟΤΟΝ ΠΑΝΗΚ, *vel* ΨΟΝΤΟΜ ΦΑΝΗΚ. *Quorum prius in Ægyptiaca lingua* futura, ΠΑΝΗΚ *vel* ΦΑΝΗΚ vatem *vel* augurem *ſignificat; aut eum, qui futura vel abſcondita aperit. Hoc autem ita eſſe docet Pentateuchus Copticus ſeu Ægyptiacus, qui ab injuria temporum vindicatus, ſummo reip. literariæ bono hodie in Bibliotheca Vaticana aſſervatur, ubi* ΨΟΝΤΟΜ ΦΑΝΗΚ *pro Hebræo* צפנת פענח *legitur. Sic etiam verterunt LXX,* ψοντομφανήχ. *Nam omnes eos, qui futura prædixerunt, Ægyptiaca voce hac appellarunt. Maximè verò Moſen ab Ægyptiis cohoneſtatum fuiſſe aſſerit Chronicon Alexandrinum his verbis:* Τὸν Μωϋσῆν μετὰ τὸ ἐπαγαγεῖν αὐτὸν τὰς πληγὰς οἱ Αἰγύπτιοι ψονθομφαχὴν προσηγόρευσαν, ὃ ἑρμηνεύεται, ᾧ ἀπεκαλύφθη τὸ μέλλον. Nulla convenientia eſt inter Hebræum ſermonem & Ægyptium, ut teſtatur Cl. Hottingerus in exercitat. Antimorin. *Quæ* (lingua Ægyptia) *prorſus & vocibus & vocum formationibus ab Hebræa δὶς διὰ πασῶν diſtat. Nam ut copioſo ſatis lexico Copto-Arabico M. S. una cum Grammatica, Romæ, ni fallor, ad clariſſimum & nobiliſſimum Claudium Salmaſium miſſo, colligere eſt vix duo triave exſtant verba purè Ægyptiaca, quæ vel aliqua ratione cum Hebræis conveniant.* Moſes autem paulò aliter concepit literis eam vocem, quam Ægyptiace ſonat. LXX enim & Joſephus conſentiunt Ægyptiace ψοντομφανὴχ, vel ψονθομφανὴχ ſonare. Ratio eſt, quod ſecutus ſit flexionem corruptam, qua vulgo id nomen Hebræi in Ægypto ſuum ſermonem retinentes enuntiabant. Sic enim in ſuo nomine fecit, quod alibi obſervavimus. Hinc igitur concludi non poteſt textum Hebræum eſſe corruptum.

Samariticus codex in Bibliis Anglicanis habet צפנתי פענה [illegible] [illegible]. id non eſt vicinius origini Ægyptiæ.

Dedit ipſi Pharao filiam Putipheræ in uxorem. Iſte Putifera alius eſt à Potifar, quamvis Hebræi nugentur eundem fuiſſe. Dicunt enim Potifar emiſſe Joſeph ad præpoſteram Venerem, ideo exaruiſſe ipſi virilia. Inde factum eſſe ſacerdotem Heliopolitanum. Nam non niſi Eunuchum licuit ſacerdotio admoveri. Eam fabulam probat Hieronymus. Scribit enim: *Venditus eſt igitur Ioſeph principi exercitus & bellatorum; non Petephre ut in Latino ſcriptum eſt, ſed Potiphar, eunucho. Tradunt Hebræi emptum ab hoc Ioſeph ob nimiam pulcritudinem in turpe miniſterium: & (hunc) à Domino virilibus ejus arefactis poſteà electum eſſe juxta morem ἱεροφαντῶν in pontificatum Heliopoleos & hujus filiam eſſe Aſeneth quam poſteà Ioſeph uxorem acceperit.* Deinde: *Notandum autem quod domini quondam &* emptoris ſui filiam uxorem acceperit, qui ad id locorum *pontifex Heliopoleos erat.* Neque enim fas abſque eunuchis idoli illius eſſe antiſtites; ut vera illa Hebræorum *ſuper eo, quod antehac diximus, ſuſpicio comprobetur.* Raſi: הוא פוטיפר תקרא פוטיפרע על שנסתרס מאיליו לפי שלקח את יוסף למשכב זכור: Abeneſdras etiam putat ſacerdotem fuiſſe ſive Dei ſive idoli. quia vocabulum כהן non ſignificet aliud quam משרת in ſcriptura juxta illius ſententiam. Chaldæus tamen vertit רבא דאון. Dicitur cum narratione de conjugio, quod Ioſeph exierit in totam Ægyptum. Id interprete Abeneſdra ſignificat, quod ejus fama divulgata ſit, vel quod Ægyptum obierit, ut ab omnibus noſceretur.

Hebræi igitur ſocerum Joſeph volunt fuiſſe Pontificem, ita Philo etiam & Joſephus. Exurgit hic quæſtio, an recte fecerit hominis gentilis & quidem ſacerdotis idolorum filium in uxorem ſumendo. Rurſum audiamus Riveti ſolutionem: *Secunda,* inquit, *difficultas oritur ex conjugio ejus, cum infideli conjuge, præſertim ſi, quod plerique ſentiunt, ſocerum habet ſacerdotem Idolorum. Tale conjugium ſi ordinariam & communem ſpectemus regulam, & pericula quæ inde accidere poſſunt, tam conjugatis, quam communibus liberis, à fideli contrahi non debere, jam alibi oſtendimus. Id certè corruptionem primo mundo auxit, quod* videntes filii Dei filias hominum, quod pulchræ eſſent, acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerant. *Gen. 6. v. 2. In lege Exod. 34. v. 16. prohibuit Deus Iſraëlitis, ne acciperent uxores filiis ſuis de filiabus Chananæorum. cujus prohibitionis hanc rationem addit perpetuam;* ne poſtquam ipſæ fornicatæ fuerint poſt deos ſuos fornicari faciant filios ſuos poſt deos ſuos. *Item Deut. 7. verſ. 4.* Quia ſeducet filium tuum ne ſequatur me, &c. *Et Ioſ. 23. verſ. 18.* Erunt vobis in laqueum & in rete, & in flagellum; &c. *Huc referendum quod Apoſtolus 1. Cor. 7. verſ. 39. vidua permittit, ut cuivis nubat,* tantum in Domino, id eſt, Interprete Auguſtin. lib. 1. de adulter. conjugiis, *cap. 25.* Chriſtiano nubens. *Quo etiam referri poteſt quod in genere cavendum jubet Apoſtolus 2. Cor. cap. 6. v. 14.* ne jugum ducamus cum infidelibus. *Varia ſunt exempla in hiſtoria Sacra, eorum, qui in conjugio non præcaverunt* cultus diſparitatem, *& à vero Dei cultu abducti fuerunt. Inter quæ memorabile eſt exemplum Salomonis, 1. Reg. 11. v. 1. Iorami, qui duxit filiam Achabi, 2. Reg. 8. v. 18. qui idcirco ambulavit in via domus Achabi. Nec opus eſt pluribus probare, in Rep. in qua reperiuntur pii & fideles, præſertim in Chriſtiana, ſine peccato gravi, non poſſe iniri matrimonia non ſolum cum pure infidelibus, ſed etiam cum hæreticis, idololatris, etſi religionem Chriſtianam profitentibus; ita ut tamen impedimentum illud, non dirimat matrimonium contractum, ſi infidelis conſentiat habitare cum fideli, ſed impediat contrahen-*

bendum. Nec vellem hoc tempore concedere, quod nonnulli regulam moribus hominum accommodantes, non mores regulæ, exiſtimant, tutiſſimum quidem & conſultiſſimum eſſe, ut matrimonio jungantur tales perſonæ, quæ in vera religionis profeſſione conſentiunt, ut uno ore & corde Deum invocare poſſint; ſed tamen ſi perſona infidelis vel hæretica, non ſit ſimul blaſphema & pertinax, ſed ſpem faciat converſionis penè certam, tum ſi pars Orthodoxa in religionis fundamentis ſatis firma ſit, ita ut periculum ſeductionis non ſit metuendum, permitti poſſe tale matrimonium. Nego id permitti poſſe aut debere, ubi poſſunt reperiri perſonæ fideles, etſi fortaſſe cum minori emolumento temporali, quandoque cum aliquo detrimento. Quid igitur de Ioſepho dicemus? Nam ipſius exemplum trahunt in conſequentiam. Reſpondebimus aliam omninò fuiſſe Ioſephi rationem, & factum fuiſſe extraordinarium, in quo ab omni peccato cenſemus eum fuiſſe liberum. Vivebat in regno, ubi ex affinitate tali nullum ſcandalum oriebatur infirmis fidelibus. 2. Imponebatur ei neceſſitas, cum Rex eam curam in ſe ſuſcepiſſet, nec potuiſſet eum alia conjugium ambire in tota illa terra, quæ aliter educata fuiſſet. 3. Non licebat ei aliunde quærere ſibi uxorem, nec id potuiſſet ſine periculo amittendi dignitatem, quam ſervare debuit in uſum Eccleſiæ. 4. Ioſeph fuit donatus extraordinariâ ſapientiâ, quâ potuit præcavere periculum, & prodeſſe ſaluti conſortis ſuæ 5. Non id fecit motus libidine, qui caſtiſſimus fuit, ſed prolis deſiderio, & juſtis conſiderationibus politicis adductus. 6. Cum ſcriptura non teſtetur id Deo diſplicuiſſe, poſſumus etiam addere, non conſenſiſſe Ioſephum, ſine aliquo inſtinctu Divino, vel etiam ſingulari aliqua revelatione. Cum igitur operæ pretium eſſet, ut in eo Regi gratificaretur, quia indecorum fuiſſet à Rege tantos accepiſſe honores, & nunc ultrò ab eo oblatum conjugium rejicere, conſenſiſſe eum credere par eſt, qui ſperavit ſe eam adducturum ad Dei veri cultum: quod etiam factum fuiſſe maximè probabile eſt, cum Deus voluerit iſtam Aſenath inter matriarchas numerari ex quâ duæ nobiliſſimæ Iſraëlitarum tribus originem duxerunt. Joſephus, ut ſuæ præfecturæ ſatisfaceret univerſam Ægyptum, egreſſus à Pharaone, poſt inaugurationem, obiit, diligenter contemplatus, quid opus eſſet, ad repoſitionem frumenti proventuri. Dicitur advenientibus annis ubertatis terram protuliſſe לקמצים *in manipulos.* Cujus dicti ſenſus eſſe videtur, quod denſæ ſegetes ſteterint, multiplici culmo ex unò grano exſurgente, ut uno apprehenſu meſſor manipulum colligere potuerit. Raſi exponit, קומץ על קומץ יד על יד הוו אוצרין quaſi manipulatim in horreis repoſuerint. Ralbag hyperbolica locutione putat id ſignificari quod quævis ſpica manipuli modum impleverit. Joſeph igitur quintam partem in horrea recondidit, quæ innumerabilem copiam efficiebat. Uniuscujuſque oppidi agrorum proventum in illo oppido recondi voluit, quo facto (ut obſervat Ralbag) promptiores magiſque in ſe propenſos reddidit homines, ut illi traderent proventum ſive per modum doni ſive venditionis: quia confiderent, quod eſſet ipſis illic paratum tempore neceſſitatis. Solent enim homines eligere victum conſuetum præ inaſſueto. Ideo diligunt vinum & frumentum ſuæ regionis. Sine numero fuiſſe copiam frumenti Scriptura dicit, καθ' ὑπερβολήν. Numerari enim potuit, quia recondi. Duos filios genuit ante ſeptennium ſterilitatis. Hic frivolum eſt quod dicit Raſi, ſcilicet non antè genuiſſe, quia vetitum ſit cum uxore rem habere in annis caritatis.

Antequam in Ægypto penuria ſentiretur, laborabant vicinæ regiones: ſed Ægypti etiam abundantiam privatarum domuum ſterilitas citò abſumpſit. Mirum videri poſſet, quod copia tanta, quæ arenæ numerum æquare videbatur, defecerit, non ſufficiens ſeptennio. Singulis enim annis plus per

ubertatem videtur in quinta parte collectum eſſe, quam anni unius indigentia poſceret. Ralbag putat confluxiſſe in Ægyptum mortales: כי ברבות טובה ירבו האנשים יותר לאכול ממנה *Vbi bonum abundat, affluunt magis homines ut ex eo veſcantur.* Annonæ illa caritas dicitur fuiſſe in omnibus terris, nempe quæ in vicinia erant. Etiam dicit Moſes fuiſſe eam ſuper univerſam Ægypti terram. Ægyptus horreum fuit Romani populi poſteris temporibus, ita præbuit ab antiquo ex ſua abundantia longe lateque aliis regionibus. Cum Ægyptus eſurire inciperet, conſumptis, quæ privatorum erant, ad regem itum eſt, frumentum petentibus Ægypti ſubditis. Rex igitur eos ad Joſephum ire juſſit ejuſque verbis parere. Raſi: *Quoniam Ioſeph dixerat, debetis circumcidi. Cum ad Pharaonem venirent & dicerent, Sic eſt: dicit ipſis, Cur non collegiſtis frumentum? Nonne præconio ſic proclamari juſſit, venturos eſſe annos famis? Reſpondent, Collegimus multum, at putredine illud corrupit. Tum rex, ſit ita eſt; Quicquid dicit vobis, facietis. Ecce decrevit ſuper frumento & putrefecit id, quod ſi decernat ſuper nobis, etiam moriemur.* Nugæ, quas textus refellit. Magna prudentia & ſagacitate opus fuit, ita copiam reconditam dividere, ut ſufficeret Ægypto & ſupereſſet, quod exteris venderetur, vel ita vendere exteris, ut Ægypto ne deeſſet. Extra omne dubium in gratia ac favore omnium fuit Joſephus, qui ita ſe geſſit, ut regi ejuſque ſucceſſoribus ob favorem populi non diſpliceret. Solet enim populi gratia & favor regum invidiam ſuſcitare. Raro unquam regum gratiam retinere potuerunt, qui in nimio populi favore erant. Joſeph fatebatur Dei benignitatem, agnoſcebat beneficium regis, obſequioſus, modeſtus, fidelis. In terra peregrina Dei benignitatem ipſi accumulatam agnovit in nominibus filiorum, qui ipſi nati ſunt. At id mirum videtur merito, quomodo tanto tempore patrem in vicina Cananæa agentem non admonuerit de ſua aut per legatos de ejus incolumitate non rogaverit. Cur non miſerit neceſſaria, aut non vocaverit in Ægyptum, ubi adverſus famem copia erat. Ignarus rerum patris videtur fuiſſe nec curaſſe quid ageretur. R. Dei hic manus fuit & directio, qui Joſephi ſomnia impleri voluit. An Joſephi etiam aliquod fuerit negligentiæ crimen, dicere non habeo. Puduiſſe ipſum in illo faſtigio originis ſuæ alienum eſt ab ejus modeſtia, ut qui ſemper Dei memor fuerit & originem è ſancta Deoque confœderata gente prætulerit ſolio Ægypti. Inſignis etiam ejus in parentem domumque paternam στοργὴ fuit, ſicuti ſequens hiſtoria prodit. At malim nodum ſolvi diſſertatione Andr. Riveti, quem ob moderationem animi & prudentiam in judicando veneror, quam meis verbis: *Non omnia quidem minutatim narrat ſcriptura, quæ facta fuerunt, ſed ex ſequentibus ſatis certum eſt neque Iacobum neque fratres Ioſephi toto illo tempore aliquid de eo intellexiſſe. An igitur fuit ſanctus vir planè ἄστοργος, ut eum nulla ſuorum cura ſolicitaverit? Id ſupra diximus non eſſe probabile. Quid ergò? Id imputandum eſt ſpeciali Dei providentiæ, qui hoc differri voluit, donec neceſſitas fratres ejus adigeret, ut in Ægyptum venirent & ignoto honores deferrent: quos ſomnia, propter quos ipſis exoſus fuerat, promiſerant; & pater quoque ipſe in Ægyptum deſcenderet, quod ultrò vix feciſſet niſi eum adegiſſet temporum difficultas. Sed an hæc nota fuerint Ioſepho, atque ita ſciens & volens diſtulerit, ut tali Divinæ diſpenſationi locum daret dubium eſt. Exiſtimarem Ioſephum id neſciviſſe, ſed tamen extraordinario inſtinctu revocatum fuiſſe ab ea cura, nec id imputari ei debere ad culpam, quod Deus miris modis providit; ita ut tamen agnoſcamus id in exemplum trahi non debere, quod extraordinarias habuit rationes.*

SUL-

SULPICII SEVERI

HISTORIÆ SACRÆ.

LIBER PRIMUS.

Caput Decimum Sextum.

Intereà rebus in Ægypto adverſus famem bene compoſitis, orbem terræ gravis frumenti inopia quatiebat. Qua neceſsitate compulſus Iacob, filios in Ægyptum miſit, Benjamin tantum ſecum domi retento. Igitur Ioſeph rerum potentem, penes quem annonæ arbitrium erat, fratres adeunt & more regio adorant. Quibus ille viſis, callide agnitionem diſsimulans, hoſtiliter eos veniſſe & ſubdolè loca explorare arguebat. Angebatur autem quod Benjamin fratrem non videbat. Res ergò in id deducta ut præſentiam ejus pollicerentur nimirum, ut ex eo quæreretur, an iſti explorandi cauſa Ægyptum intraſſent. Ad promiſsi autem fidem Simeon obſes traditur, ipſis frumentum gratis datum. Rurſum igitur revertentes, Benjamin, ut convenerat, deduxerunt. Tum ſe cognoſcendum Ioſeph fratribus præbuit non ſine pudore malè merentium. Ità eos oneratos frumento multiſque donatos domum remiſit, præmonens quinque adhuc annos famem futuram: cum patre atque omni progenie ac familia ad ſe commigrarent. Igitur Iacob in Ægyptum deſcendit, Ægyptiis admodum lætantibus, gaudente Rege, benignè à filio ſuſceptus. Id geſtum anno ætatis Iacob centeſimo & triceſimo; à diluvio autem anno MCCC. & LX. Cæterum ab eo tempore, quo Abraham in terra Chananæorum conſedit, in id quo Iacob Ægyptum ingreſſus eſt, referuntur anni CCXV.

Drusius.

Gravis Frumenti Inopia] *jugem & intolerabilem famem appellat Oroſius lib. 1. cap. 8. qui eam accidiſſe tradit anno ante urbem conditam 1041. aut circiter, uſus hâc in re authoritate Pompeii hiſtorici, cujus abbreviator Ioſephi mentionem facit per hæc verba,* Minimus inter fratres Joſeph fuit, &c. *Oroſius addit fuiſſe hanc famem magnam ſub rege Ægyptiorum Dioſpolite, cui nomen erat Amoſis quo tempore Baleus Aſſyrios, Argivos Apis regebat.*

Annonæ Arbitrium] *id eſt, poteſtas, ut in illo:*

Te penes arbitrium noſtræ vitæque neciſque.

Verſus eſt Ovidianus.

More Regio Adorant] *ut ſubditi reges adorare ſolent. Adoratio iſta civilis erat, fiebatque corpore in terram proſtrato, quod Græci dicunt προσκυνεῖν. Hoc modo Perſæ cum Reges ſuos venerarentur, divinum honorem iis exhibere dicuntur. Qua de re alias.*

Sub-

SUBDOLE] *vafrè ac fraudulenter.*

LOCA] *loca regionis minus firma aut occulta & abdita. Nam interpretes variant. In Ebræo eſt ad verbum* nuditatem terræ. *Sane Hieron. hoc enarrat*, loca terræ immunita. *Aquila verò & Symmachus τὰ κρυφιὰ τῆς γῆς. Tralatio à pudendis, quæ occulta ſunt & ſub veſte latent.*

SIMEON OBSES TRADITUR] *vinctus pro fratre retinebatur, ut ſi ille non adduceretur, Ioſepho eſſet jus in illum quod vellet ſtatuendi.*

DEDUXERUNT] *adduxerunt ſecum.*

FRUMENTUM GRATIS DATUM] *id eſt, ſine pecunia, quæ ſoluta quidem, ſed ipſis inſciis, in ſaccum cujuſque repoſita ac reddita. Ita gratis datum illis frumentum.*

MALE MERENTIUM] *fratrum qui eum vendiderant.*

ONERATOS FRUMENTO] *impropriè loquitur. Nam non ipſi onerati erant, ſed jumenta ipſorum. Vide Gen. 42. 26.*

OMNI PROGENIE AC FAMILIA] *progeniem dicit liberos. Sic τίκνον μυ Camerarius interpretatur*, mea progenies. *Familiæ autem nomine uxores & ſervos deſignat. Alioqui progenies. id eſt genus cujusque in familia continetur.*

ÆGYPTIIS] *aulicis Pharaonis.*

A DILUVIO AUTEM AN. M. CCC. ET LX.] *ita reſtituit olim Victor Giſelinus, prius erat. M. CC. & LX. Sigonius ad Giſelini numerum annos decem addit, ut ſint M. CCC. & LXX. Quid hic ſequendum? Videtur Giſelini emendatio vera eſſe. Nam Sigonii vitium continet ex falſa opinione, quam habuit de natali Iacob. Putavit enim Iacob natum eſſe anno ætatis Iſaac LXX. cum natus fuerit anno ejuſdem LX.*

Series annorum à diluvio ad ingreſſum Iſraëlitarum, in Ægyptum.

A diluvio uſque ad ortum Abrahæ ſupra numerat annos M. LXX.

Abraham annos natus centum genuit Iſahacum. Iſahac ann. LX. ætatis genuit Iacob. His adde annos ipſius Iacob CXXX. Simul efficiunt an. M. CCC. & LX.

REFERUNTUR ANNI CCXV] *etiam hic erravit Sigonius emendans CCXV. Error iſte ex eodem fonte manavit quo ſuperior. Nam Iacob natus eſt cum Iſahac annum ætatis ageret ſexageſimum. Quod ſic doceo: Duxit uxorem anno ætatis quadrageſimo. Rebecca viginti annos continuos ſterilis fuit. Exinde peperit geminos. Cæterum Abraham ingreſſus eſt terram Chanaan, anno ætatis 75. Anno autem centeſimo genuit Iſahacum. Superant anni viginti quinque. Quibus ſi addas annos Iſahaci LXX. & Iacobi CXXX. non ſunt anni CCXXV. ut vult Sigonius, ſed CCXV tantum. Quocircà nihil hoc loco corrigendum eſt.*

SCHOTANUS.

CAP. XLII.

JAcob fame compulſus filios omnes excepto Benjamin in Ægyptum mittit, emptum frumentum, ad ſuſtentationem ſui ſuarumque familiarum. *Et videbat Iacob:* Sic Scriptura loquitur, Raſi negatur eum vidiſſe in ſpecularibus ſanctitatis, quod tunc in Ægypto frumentum eſſet, ſed non fuiſſe prophetam ſimpliciter, ut indicaret ei in expoſitione, quod hic eſſet Joſeph.

Rectè

Rectè autem Aben-eſdras & Ralbag videre pro audire poſitum eſſe docent. *Quia*, inquit Abeneſdras, *ſenſus ſociati ſunt in uno loco, unus pro alio ponitur.* Dicebat ad filios, *Cur reſpicitis* תתראו. Abeneſdras, Ne reſpicite ſubſtantiam veſtram, aut ne contendite alter adverſus alterum. Longioris ſermonis pars eſt & credibile eſt de famis periculo multa inter ſe locutos eſſe, cumque circumſpicerent & moras necterent tandem incitatos eſſe à patre. Appellantur fratres Joſeph non filii Jacob, in reſpectu ad hiſtoriam ſequentem: at Raſi ideò ſic dici comminiſcitur, *quod pœnitentiam habuerint de venditione Ioſephi & quæſiverint duci cum eo in fraternitatem & redemptionem ejus quolibet pretio, quod paciſcerentur de illis.* Hi decem fratres una profecti ſunt ad emendum frumentum cum alias diſſentirent, ut obſervatur in Breſith Rabba. Jacob ſolicitus de Benjamin filio minimo, eum apud ſe domi retinet, ne quid ipſi mali accideret. R. Eliezer filius Jacob: *Hinc quia Satan accuſat in hora periculi.* Fratres Joſeph dicuntur veniſſe *inter venientes* בתוך הבאים. Raſi: *Occultabant ſe ne ipſos agnoſcerent, quia ipſis præceperat parens* שלא יתראו *ne conſpicerentur, ne ipſis dominaretur oculus malus, quoniam omnes pulchri & omnes heroës.*

Cum ad Joſeph accederent inter alios adorationis honorem ei exhibuerunt וישתחוו לו אפים ארצה Id eſt, *extenderunt ſe ſuper facies ſuas.* Sic exponit Raſi, qui addit וכן כל השתחואה פשוט ידים ותלים היא *Omnis adoratio fit extenſis manibus, & pedibus.* Joſeph fratres agnovit, incognitus ipſis. Rationem hanc dat Raſi, quod eos reliquerit חתום: זקן *barbatos*; ipſe autem egreſſus erat ab illis בלא חתימת זקן at nunc erat בחתימת זקן. Anni 22. in adoleſcente multa immutant, in habitu corporis, vultu & ſtatura. Multa alia erant 1. Ægyptiace loquebatur. 2. Videbant hominem in ea regione in ſummo gradu. Et ſi quædam lineamenta faciei viderentur agnoſcere nunquam tamen poterant cogitare, eum eſſe quem vendiderant. Alia fuit Joſeph ratio. 1. Cogitationes ejus defixæ erant in Cananæam & inde venientes, ſi forte ex iis locis notitia rerum paternarum patriſque & fratrum ſeſe patefaceret. 2. Alte infixa hærebat fratrum memoria, ut ſolet magis peregrinus de patria & iis qui in domo patria cogitare, quam qui domi ſunt de peregre agentibus. 3. Videbat decem conjunctos, ex quibus ſi unum alterumve noverit, de reliquis in notitiam comparando venire poterat. 4. Non fuit ea mutatio in illis majoribus natu, quam in adoleſcente anni 22. fecerant. 5. Audiebat eos Hebraice loquentes. Ita & plura ſigna fuerunt Joſepho de illis & ratio cogitationem excitandi major. Exiſtimat Rivetus id eſſe probabile quod prophetico ſpiritu cognoverit occaſione illius famis fratres eſſe venturos: eundem etiam præmonuiſſe virum, *qua ratione erga eos ſe gerere deberet, ſaltem in genere priuſquam ſe ipſis manifeſtares.* Putat etiam Deum aliquid tam in Joſeqho quam fratribus egiſſe immediatè; *in Ioſepho imaginationem excitaſſe*, ut ſibi eos repræſentaret; in fratribus *juſtas ob cauſas tenuiſſe oculos*, ne eum agnoſcerent *priuſquam ab eo excitati juſta vexatione*, culpam ſuam agnoviſſent. Cum eos agnoſceret, id tamen diſſimulavit, alienum ſe geſſit, per interpretem cum ipſis locutus eſt, aſpera dixit, timorem eis injecit: ita rigide gerendo ſe multis modis eos experitur. Scopus fuit eos ad pœnitentiam adducere & meliorem frugem. Deinde fundamenti loco tenendum eſt non malo animo, nulla vindictæ cupidine aut odio inductum ea feciſſe. Aliis enim actionibus & totius negotii fine, manifeſte comprobavit ſe toto corde amplexum fuiſſe oblatam ſibi à Deo occaſionem bene faciendi patri & fratribus. Poſt multas ambages ſero tandem ſe fratribus aperit in ſecundo adventu. Quorſum opus fuit tantis ambagibus? Hic aperuit Joſephus ſummam prudentiam in re iſta gerenda, qui cum noſſet, animos fra-

trum, ita egit ut ſcelera priora in ſe commiſſa novis non augerent. Si enim (inquit Cl. Rivetus) ſe ipſis primò manifeſtaſſet nec aliquod fidelitatis eorum pignus retinuiſſet, periculum erat ne omnia diſſimularent apud parentem, ſcilicet ne hac cauſa cogerentur fateri parricidium ſuum. Fortaſſe etiam de parente & Benjamin, quam veritatem exquirere volebat, non potuiſſet ea certitudine ab ipſis exſpectare. Ignaros igitur maluit interrogare de ſtatu familiæ & ad narrationem adigere, ut tanquam ignoto & ignaro, ſine velamento ſuæ purgationis & juſtificationis candide & ſine fuco, & ſine metu quod rei eſſet, exponerent. Si enim ſciviſſent apud Joſephum ſe loqui, quanta trepidatione hæſitaſſent? quot quantaque admiſcuiſſent lenimenta & purgamina ſuorum ſcelerum? Præterea judicavit eos caſtigatione aliqua opus habere, ut ſcelerum ſuorum, quibus indormire videbantur, atrocitatem melius expenderent. Porro, cum videret oblatam eſſe occaſionem patefaciendæ veritatis ſomniorum (quorum eum recordatum eſſe Scriptura exprimit) quam quidem illi exſtinguere laboraverant, nunc vero de eis nihil quicquam cogitabant, pro ſapientia divinitus collata, his modis eos voluit humiliare & emollire. Contremuerunt, ſupplices fuerunt, in carcerem conjecti ſunt & ingenti ſapientiæ profunditate circumducti ut homines perditi & perfidi. Hinc etiam id ſecutum eſt, quod pleniore effectu gaudii, poſt excruciationem, eos cumulaverit: quia non ante ſcelerum confeſſionem, audiente, quem læſerant, pœnis non tantum (quas ſe meritos eſſe fatebantur) ſoluti ſunt, ſed & ſub eo, quem Deus ſe evecturum eſſe ſomniis oſtenderat, ipſi vero deprimere voluerant & veritatem Dei opprimere, eo ipſo medio evectionis, quam noluerant emergere, ab imminente exitio conſervati. Ira Deo gloriam, ſibi ſtoliditatem poterant imputare, poſtquam humiliati eſſent. Credendum igitur eſt Joſephum non minoris pietatis quam prudentiæ virum, non quæſiviſſe illis vexationibus ſatiare animum, vindictæ aliqua labe infectum, ſed ab initio eodem miſericordiæ affectu erga ipſos fuiſſe præditum, quem prudentiæ moderamine reprimere opus erat & labor, donec ſapientiæ juſſibus eſſet ſatisfactum. Ideò ſæpe coactus eſt ſeceſſum quærere fundendis lachrymis, quas non poterat continere! Speciali igitur inſtinctu Divino gubernatum eum eſſe oportuit, qui non excanduit neque in exprobationes erupit, cum videret tot ærumnarum ſuarum autores & vindictam haberet in manibus. Nam etſi vultu ad ſeveritatem compoſito, animo tamen ſedato, ita modum agendi conſilio (quod ajunt) in arena ſumpto, direxit & gubernavit, quaſi ad ſingula præmeditatus accederet.

Joſephus exteris etiam copiam Ægypti & ſuæ providentiæ patere voluit. Joſephus: *πάντας ἀνθρώπους κατὰ συγγένειαν ἀξιοῦντος ἐπικουρίας τυγχάνειν Ἰωσήπου παρὰ τῶν εὐδαιμονία χρωμένων.* At cum Joſephus per omnia oppida Ægypti horrea aperuerit neceſſitati petentium, quomodo factum, quod ad ipſum Joſephum acceſſerint fratres? Abſque omni dubio res ita gubernata fuit ut indigenis & incolis Ægypti præfecti oppidatum poſiti, juxta certas leges frumentum vendiderint, at ut exteri ab ipſo prorege שַׁלִּיט, *ὑπάρχῳ τοῦ βασιλέως* veniam peterent coëmendi. Hoc etiam Joſephus voluit: *ἐντυγχάνειν τῷ Ἰωσήπῳ χρήζοντας ἀγορᾶς.* At alienius eſt quod adjicit de gratia illius *οὐδὲν γὰρ ἦν ὃ μὴ μετὰ γνώμης ἐπράττετο τῆς ἐκείνου. Καὶ γὰρ τὸ θεραπεῦσαι τὸν βασιλέα τότε χρήσιμον ἐγένετο τοῖς ἀνθρώποις ὅτι καὶ τῆς Ἰωσήπου τιμῆς ἐπιμεληθεῖεν.*

Cum fratres agnoſceret, nec ab eis agnoſceretur, diſſimulavit ſe agnoſcere. Diſſimulare veritatis agnitionem in loco & tempore crimen non habet: at ſimulationis vox in crimine eſt. Cicero recte dixit: *Simulatio eſt vitioſa, quia tollit & adulte-*

adulterat judicium veri. At qui diſſimulat quod eſt, ſimulat aliud quod non eſt: ſimulatio igitur & diſſimulatio ſunt ἐκ τῶν πρός τι & inter ſe mutuò affecta. Simulationis nomen in vitio plerumque ſumitur apud morum doctores, quod autem rem ipſam attinet diſtinguendum. Signa enim ſunt quædam quibus inter ſe homines ſenſa communicant. Verum dicere judicamur, cum ſigna rebus conveniunt. Inter ſigna autem ea certiſſima ſunt, quæ communi conſenſu rebus ſuis aptata ſunt, ut verba & ſermones. Alia quæ ſpeciem habent, ſed aliis rebus alias poſſunt accommodari, quod in conſenſu & pacto fundatur. Si igitur ſigna quædam in alium ſenſum rapiantur quam eſt mens ignota edentium, ſimulatio nulla eſt nec falſum, multò minus mendacium. Rurſum non ſemper teneor dicere verum, at nunquam licet dicere falſum, ut falſum. Cæterum, ea tantum ratione, falſum profero, quando profeſſus ſum & teneor aperire verum ſuis convenientibus verbis & ſignis. Quando in prælio decipit dux hoſtem, prolocutus quod non eſt at ab hoſte credi vult, ut decipiatur, falſum non dicit niſi in ſpeciem, quia apud hoſtem non eſt profeſſus ſe verum dicturum eſſe: nec hoſti loquebatur ſed ſuis audiente hoſte. Apud ſuos ſigna illa erant rei alterius, per abuſum; hoſtis non debuit eis attendere. At Joſeph ſe ſimulavit non eſt profeſſus ſe eſſe Ægyptium. Illa agebat, quæ tegerent originem Hebræam, & quidem pro conditione ſua in qua erat. Originem ſuam aperire necdum maturum erat. Imponebat ipſis, quod exploratum veniſſent explorandi & tentandi gratia, non aſſerendo. Ideo admiſit probationem in contrarium eamque urgebat. Joſephus: *Ἀντιλέγειν ὡς ἔχοιεν γνώμης περὶ τῶν ὅλων. Τοῦτο γὰρ αὐτοὺς οὐκ ἀποδίδοσθαι κατασκόπους τε τῶν βασιλέως πραγμάτων ἔλεγεν ἥκειν. Καὶ πολλαχόθεν μὲν αὐτοὺς συνεληλυθέναι, προφασιζομένους δὲ συγγένειαν. Οὐ γὰρ εἶναι δυνατὸν ἀνδρὶ ἰδιώτῃ τοσούτους παῖδας καὶ μορφὰς οὕτως ἐπιφανεῖς ἐκτραφῆναι, δυσκόλως καὶ βασιλεῦσιν ὅσας τῆς τοιαύτης παιδοτροφίας.* Videtur Joſephus exiſtimaſſe Joſeph de ſuis fratribus dubitaſſe ſi fortaſſis malo animo Ægyptum adiiſſent. Argumentum hoc: non poſſe fieri, ut vir unus tantam ſobolem aleret & tam generoſam cultamque, Joſephus de ſuo adjecit: quamvis non abhorreat jactatum fuiſſe ſermone proregis. Ad hoc argumentum inducit refutationem Rubeni: *ὅτι δ' ἐσμὲν ἀδελφοὶ καὶ κοινὸν ἡμῶν αἷμα, φανερὸν καὶ τῆς μορφῆς τὸ ὅμοιον καὶ μὴ πάνυ παρηλλαγμένον ποιεῖ.* In ejuſdem oratione exaggerat etiam jacturam Joſeph, de qua in textu tantum dictum eſt, *Unus non ſupereſt.* *Ἀποθανόντος δὲ ἑνὸς τῶν ἀδελφῶν Ἰωσήπου τὰ πράγματα ἡμῶν ἐπὶ τὸ χεῖρον μετέβαλεν ὅτι γὰρ πατὴρ μακρὸν ἐπ' αὐτῷ πένθος ὀρηνεῖ* (vitium) *καὶ ὑμεῖς ὑπὸ τῆς ἐπὶ τῷ τεθνηκότι συμφορᾶς καὶ τῆς τοῦ πρεσβύτου ταλαιπωρίας κακοπαθοῦμεν.*

Scriptura dicit: Veniſtis videre את ערות הארץ *nuditatem terræ.* Hic philoſophantur Judæi. Senſum expreſſit Onkelos, ית בדקא דארעא; ſed Raſi: *Retectio terra,* Unde facile erat eam ſubigere, ut (Levit. 20. 18.) Ejus fontem nudat. Sic ערום *nudus* & ערוה *retectio. Et ita omne* ערוה *quod eſt in ſcriptura ſignificationem habet retectionis. At Onkelos reddidit* בדקא דארעא *| ſicut* בדק הבית *| idem eſt, quod* רעוע הבית *fractura ſeu ruina domus. Sed non eſt accurate ſecutus ſignificationem ſcriptura.* Abeneſdras: *Quoniam uſus obtinet ut nuditas tanquam res turpis, abſcondatur, ſic dicit* (דרך משל) *μεταφορικῶς. Aut propterea quod Nuditas ſolet tegi, ita vos ingreſſi eſtis ut videatis arcanum terra. Et hoc mihi placet.* Ralbag: *Arcana terra & latibula ejus, in morem exploratorum, qui ſcrutantur, quomodo terra cuſtodiatur & quo loco commodum ſit eam ingredi.* Hanc, quam ipſis Joſeph imponit accuſationem, ſic amoliuntur (v. 13.) Sumus unius viri filii duodecim. Ralbag dicit ſe hujus ſcripturæ expoſitionem didiciſſe ab [א'א נ'ע] *Se in veritate hoc dicere, quod non ſint exploratores: quia exploratores in magno eunt periculo,*

quaſi paſſus ſit inter eos & mortem: Nec eſt moris ut aliquis decem è filiis ſuis det in periculum hoc. Fortaſſe leve ducet aliquis in uno aut duobus filiorum, profectò non in numero tanto, qualis iſte eſt. Sic (אַתֶּם) *probant exinde, quod ſunt* כֵּנִים *id eſt viri veritatis non exploratores. Et quadrat cum hac expoſitione, quod ipſe eis dicat: Non eſſe hanc probationem, quod ipſi exploratores non ſint, quia fortaſſis patri ſuo ſint reliqui filii multi, ideò eorum jacturam levem ducere. Ipſi reſpondent, Non habere patri ſuo niſi fratrem ſuum minimum. Tum addidit reſpondere: Hoc eſſe argumento, quod ipſi exploratores ſint. Quod ſi iviſſent ad emendum cibum omnes iviſſent: patrem autem profectò fratrem eorum minimum retinuiſſe, ut ne omnes filios periculo exponeret. Et certam explorationem veri fore, ſi omnibus cuſtodia datis unus ſolus proficiſceretur, ut adduceret fratrem minimum. Si non eſſet miſſurus eum pater id indicio fore, quod de cæteris filiis leve duceret, ſibi ſtudens ſervare minimum ob id, quia eum plurimum amaret. Quod ſi eos diligat* (במדרגת הקטן) *æque ut minimum, continuò minimum eſſe miſſurum: quod ſi non mittat minimum, id ipſum indicio fore* (כי (לא) שלח שאר בניו להיותו מיקל בהם) *quod miſiſſet reliquos filios, quoniam leve eſſet in illis.* Hic לא vitioſe repetitum eſt per librarium. Raſi fingit fratres decem in urbem intraſſe ſeparatim per portas decem, quod Joſeph aſſumpſerit in argumentum malæ fidei. Cur enim non per eandem omnes intraſſe? Eos regeſſiſſe, quod ideò ſeparatim ingreſſi fuerint, ut diſperſi per urbem, fratrem illum, quem amiſerant, inveſtigarent. Quaſi hoc de uno fratrum perdito ab ipſis dictum eſſet eo ſenſu, quod eum redemptum profecti eſſent, ut altero fine ſui itineris. Mos nempe illorum eſt è textu occaſiones fabulandi arripere. Hinc Joſephum cum ipſis fabulatum eſſe de fratris amiſſi redemptione. Quod ſi à vobis magnam pecuniæ ſummam poſcerent, an redimeretis? Illis reſpondentibus הן *omnino*, Regeſſiſſe: Quod ſi nollent pretio dimittere & vendere, quid tum faciatis? Hinc eos reſpondiſſe, Venimus ut occidamus aut occîdamur. Hoc dictum excepiſſe Joſephum: *Certe ita eſt, ut dixi: Veniſtis ad occidendos incolas urbis. Ego vaticinor è calice meo, quod duo è vobis vaſtaverint magnam civitatem Sichem.*

Hinc (v. 16.) affirmat ipſis per vitam Pharaonis, inde non dimittendos donec minimum fratrem, de quo narraverant, præſentem ſiſterent. Unum igitur è ſuo numero juberent proficiſci ut minimum illum adducat cæteris interim in cuſtodia detentis. Hinc enim ſe explorare velle quam vera loquerentur. Quid ad hoc exceperint, Scriptura non exprimit. Conjectos in cuſtodiam omnes poſt triduum educit, mitigataque aſperitate ſuperioris ſententiæ, dixit: Quoniam Deum timeo, ſi veraces & probi eſtis, unus de vobis in cuſtodia בבית משמרכם maneat: reliqui domum proficiſcimini cum frumento. Quod ſi fratrem adduxeritis, promiſſum implendo, mortis vobis nullum erit periculum. Afflicti fratres inter ſe agnoſcunt Deum pœnam repoſcere venditi Joſephi, de quo colloquuntur Hebraicè, quod id Joſephum non intelligere putarent, quia cum ipſis per interpretem agebat. Stultum eſt, quod eum interpretem eſſe velint Manaſſem filium Joſephi, quem utramque linguam calluiſſe non eſt vero abſimile, quia Hebræam à parente, Ægyptiam ab aliis accipiebat, ſed alia multa id rejiciunt. Caſtigat autem ipſos Ruben, quod ejus monito de omittendo Joſeph non paruiſſent. Hæc ita commovent Joſeph ut ſeceſſum lachrymis quæſiverit. E quibus cum rediiſſet ſeque ad ſeveritatem compoſuiſſet, jubet ipſis videntibus vinciri Simeonem, quo ipſis majorem incuteret terrorem & ut opinionem malæ tractationis ſecum efferrent in patriam. Dimiſſi cum frumento, pecuniis occulte in ſaccos redditis & viatico præbito. Antequam eorum iter inſpiciamus, quædam de ſuperioribus diſcutienda ſunt.

Joſeph

Joſeph aſſerit per vitam Pharaonis, quod alii fuiſſe juramentum putant alii negant. Raſi quia falſum juravit ideò juraſſe dicit per vitam Pharaonis, in quo oſtendit ſimilem hypocriſin illi quam Chriſtus in Phariſæis, Matth. 23. 16. &c. reprehendit. אם יהוה פרעה כשהיה נשבע שקר היה נשבע בחיי פרעה Calvinus: *Ex formula quoque jurisjurandi nova quæſtio oritur. nam quod in lege præcipitur, ne juremus niſi per nomen Dei, jam tunc piorum cordibus inſculptum fuit: quando hunc uni Deo honorem eſſe habendum natura dictat, ut judicium illi deferant homines, ſummumque fidei & veritatis arbitrum & vindicem conſtituant. Si dicamus non ſimplex eſſe jusjurandum, ſed etiam obteſtationis ſpeciem, aliquâ ex parte excuſabilis erit ſanctus vir. Qui per Deum jurat, eum vult medium intercedere, ut pœnam exigat perjurii. Qui per vitam ſuam vel caput jurant, quaſi fidei ſuæ pignus in medium deponunt, quod maximè habent pretioſum. Hoc modo non transfertur ad hominem mortalem Dei majeſtas: quià longè aliud eſt eum citare teſtem qui jus habet ulciſcendi, quam per rem maximè charam aſſerere verum eſſe quod dicimus. Sic Moſes quum cœlum & terram in teſtimonium advocat, non adſcribit illis deitatem, ut fabrificet nova idola: ſed quo plenior legi conſtet authoritas, ſignificat nullam fore mundi partem quæ non apud Dei tribunal de populi ingratitudine clamet, ſi ſalutis doctrinam reſpuat. Quanquam in hac jurandi formula quâ utitur Ioſeph, aliquid eſſe fateor, quod meritò culpetur. fuit enim profana adulatio apud Ægyptios, jurare per vitam regis. Sicuti per genium principis Romani jurabant, poſtquam invaluerat ſervitus, ut Cæſares ſuos diis æquarent. Certè jusjurandum hoc à ſincerâ pietate abhorret. Vnde perſpicere licet, nihil eſſe difficilius ſanctis Dei ſervis, quam puros verſari inter mundi ſordes, ut nihil inde maculæ contrahant. Nullis quidem aulæ corruptelis, ita unquam infectus fuit Ioſeph quin purus maneret Dei cultor: videmus tamen dum ſe ad pravam loquendi conſuetudinem accommodat, aliqua labe fuiſſe aſperſum. Repetitio etiam oſtendit, ubi quis ſemel malo aſſuerit nihil eſſe proclivius quam identidem peccare. Videmus eos qui ſibi temerè jurandi licentiam ſemel ſumpſerunt etiam quum res frivolæ tractantur, tertio quoque verbo jusjurandum aliquod effutire. Quo major adhibenda eſt cautio, nequa talis indulgentia nos in prava conſuetudine obduret.*

Mercerus: *Egregie principem agit, quibus moris eſt ut ab inſtituto & ſemel ſuſcepta ſententia haud facile dimoveantur.* Deinde; *Sed quomodo per Pharaonem jurat, jusjurandum patribus inuſitatum & piis omnibus, qui per Deum tantum & Dei nomen jurare ſoliti ſunt. Sunt tam ex Hebræis, quam ex noſtris, qui hoc excuſare conantur, quaſi per ſalutem regis jurare nihil aliud ſit, quam per Deum ipſum jurare à quo vita eſt & ſalus & regis & omnium hominum ac viventium. At certum eſt hoc Ægyptiorum peculiare fuiſſe regi ſuo adulantium jusjurandum, ut Romani per genium principis jurabant. At ita animo ſimulatè jurabat ut ſe magis alienum oſtenderet: Nam ſi per Deum juraſſet, quod gentibus maximè Ægyptiis moris non erat, haud dubiè ſpecimen aliquod præbere ſui potuiſſet quod non eſſet Ægyptius. Interim in hac ſimulatione planè eum à peccato liberare nolim. Nam quamvis non eſſet hoc animo, ut ita jurare vellet, tamen quod ore hoc faceret non boni erat exempli, apud verè timentes Deum. Excuſat interim illum, quod data opera & ſtudio hoc non faceret, quin potius res hæc tota cum ſimulatione jucunda & amica tranſigebatur: ne quid illi de fratre ſuſpicari poſſent.* Poſteà: *Interim non falſo jurat, licet poſteà non omnes ſed unum in vinculis retineat: quia primum ita propoſuerat facere. Prætereà cum unum poſtea detinet, non deſinit illud, Si exibitis, verum eſſe, quia non omnes exeunt. Ita vivat Pharao, ut non exibitis &c. Iurisjurandi formula Hebræis & Ægyptiis uſitata. Nam hic Ægyptiè loquebatur Ioſeph. Sic Hebræi dicunt* חי יהוה *non tamen reperi* חי יהוה *in regimine.* Poſteà: *Itaque non pejerat, licet ſimulandi cauſa illicito utatur*

jurejurando, ſed ore tenus duntaxat. Nam animo planè alio erat, amico & benevolo in fratres, non vindictæ cupido, ut exitus comprobavit. Interim non ſunt talia exempla in conſequentiam trahenda. Periculum enim eſt ne quis modum non teneat ſicut Ioſeph ſcivit tenere, licet, quod jusjurandum hoc adjecerit, nonnihil ſit prætergreſſus. Adverſus utriuſque horum & aliorum ſententiam oſtendit Rivetus Joſephi dictum poſſe accipi ita, ut ab juramento illicito liberum ſit. Ejus verba quamvis prolixiora, cum contineant egregiam diſſertationem, adjiciam: *Et hæc quidem non male dicuntur,* neque enim neceſſarium eſt omnia ſanctorum facta ac dicta, vel imitari vel etiam excuſare. *Certè ſi fuerit verum juramentum & directum, nulla ratione poteſt à peccati macula purgari. Nemo enim poteſt jurare per Creaturam aliquam, qui non tranſgrediatur limites à Deo ſuis præfixos. Deut. 6. 13. ubi hæc tria conjungit, tanquam Deo propria, Iehovam Deum tuum* timeto, *& ipſum* colito, *ac per nomen ejus* jurato. *Eſſe verum Iuramentum*, vivit Pharao, *contendit Cornelius à Lapide, hoc argumento, quià eadem eſt loquendi formula, quæ apud Ebræos*, vivit Dominus. *Similietiam modo, inquit* juramus per animam. *Tale autem juramentum eſſe licitum, ex eo probat, quod qui per creaturas jurat, cenſetur uſu communi gentium, & tacitâ jurantis intentione jurare per earum creatorem, ut explicat Chriſtus Matth. 23. verſ. 21. Ad id ultimum, ut primo loco reſpondeam, nego Dominum approbare ibi juramenta per creaturas facta, quæ potius abſolutè improbat & reprobat, ut rectè cenſuit Hieronymus in Matth. Docere tamen eos qui talia juramenta uſurpabant, & proximum fraudabant, à perjurio non fuiſſe liberos, vel à nominis Dei uſurpatione fruſtraneâ; quia etſi id non intenderent, indirectè tamen in Dei operibus uſurpabant Dei nomen; quod quomodo fieret ſi quis quærat, dicimus; Certum eſſe nomen Dei non uſurpari quotieſcunque creatura aliqua, etiam excellentiſſima, nominatur, alioquì nunquam non uſurparemus Dei nomen; ſed in actione jurandi uſurpatur indirectè nomen Dei, nominatâ creatura, propter actionem illam quæ ſolum Deum reſpicit, quià etiam teſtibus adverſariis, nullum poteſt eſſe verum juramentum, niſi aliquo modo ad Deum referatur. Ideo quiſquis jurat, etſi nomen Dei non exprimat, Deum etiam imprudens appellat, qui ſemper juramenti cognitor, aſſertor & vindex eſt. Non tamen ſequitur aliquem vel debere, vel ſine peccato poſſe, per creaturas, quia aliquam habent ad Deum relationem, jurare, quod ex hoc Chriſti dicto probari nullo modo poteſt, Non inquam, ſequitur ſi quis jurando per creaturas, quæ aliquam ad Deum relationem habent, dum juramentum non ſervat, pejerat: etiam eum qui per creaturas jurat, & juramentum ſervat, cultum Deo gratum in juramento præſtare: quia non valet conſequentia à negatione unius rei ratione alicujus effectus, ad affirmationem ejuſdem ratione alterius. Quo vitio laborat aliud Pontificiorum argumentum, inferentium ex eo, quod illata contumeliâ ſignis quæ homines ſacra exiſtimant, quamvis à Deo non inſtituta, in ipſum Deum redundet, ex intentione nempe contemnentis, quod religioſum putat; honorem etiam talibus ſignis delatum gratum eſſe Deo, quod falſiſſimum eſt. Laban jurans per Deos ſuos perjurus fuiſſet, ſi promiſſis non ſtetiſſet; non tamen ſequitur juramentum ejus fuiſſe licitum.*

Eandem autem eſſe loquendi formulam, ea quâ dixerunt Iudæi, vivit Iehova, ipſe Cornelius à Lapide refellit ſui oblitus. Cum enim immediatè addat verba illa, per ſalutem Pharaonis, *quæ vulgata uſurpavit, exprimere illa*, vivit Pharao, *non poſſunt eadem eſſe cum verbis*, vivit Jehova, *quæ nemo unquam reſolvet in ſimilia*, per ſalutem Jehovæ, *quod blaſphemum eſſet. Quid, quod poſteà addit phraſim illam potius ex communi loquendi uſu ſignificare execrationem, quâ quis ſe aut ſuos devovet, & hoc juramentum potius eſſe execratorium, ut ſenſus ſit,*

per

per ſalutem Pharaonis, *hoc eſt*, juro, teſtor & rogo Deum, ut Pharaoni regi meo ſalutem & vitam adimat, niſi vos quaſi exploratores habuero, ſi vos mihi non adducatis Benjamin. *Hac ille. At quis unquam poſſet tali execratione uti adverſus vitam Dei! Ergo, aut ſibi non conſtat Ieſuita, aut blaſphemus eſt. Nec etiam probabile eſt Ioſephum, vel auſum fuiſſe vel voluiſſe, caput ſui regis devovere. Aliud eſt ſi aliquis devoveat vel vitam ſuam, vel aliquid ſuum quantumvis clariſſimum. Praterea non tum per creaturam, quod in quaſtione poſitum eſt, ſed directè invocatur Deus ſivè tacite ſive expreſſe adverſus creaturam, ſi fraus fiat in rei aſſertione. Quare juramentum Ioſephi ad execratorium referri non poteſt, ſi proprie juramentum fuit, quomodo Paulus teſtem vocabat* Deum in animam ſuam. *2. Cor. 1. verſ. 25. quomodò jurabant homines per caput ſuum, νὴ τὴν κεφαλὴν: ut ille apud Vergil.* per caput hoc jure. *Hac enim talia ſunt, ut nemo tam abſurdus eſſe poſſit, qui putet, invocari vel animam vel caput, ut vindex ſit veritatis adverſus perjurum. At in his verbis,* vivit Deus, *includitur talis invocatio, quaſi diceremus, ſcio Deum vivere & audire, qui me ſi mentiar puniturus eſt. Quid ergò, an idem voluit Ioſephus de Pharaone dicere,* vivit Pharao, *qui me ſi mentiar pœnis afficiet meritis? Nihil minus; potuit enim id Pharao ignorare, cujus vita, ut vita Dei non eſt purus actus, & qui vivens, non omnia videbat.*

Notandum ergò quod etiam recte animadvertit Calvinus, diſtinguendum eſſe inter juramentum proprie dictum, & obteſtationis ſpeciem, ſive aſſeverationem teſtimonio aliquo confirmatam: quod duplici modo fieri poteſt, 1. ut ſit comparatio unius veritatis ad aliam, quaſi quis diceret, ut verum eſt Deum vivere, vel Regem vivere, ſic verum eſt quod ego dico. Vbi non eſt ſemper comparatio graduum veritatis, ſed veritatis ſimpliciter, quâ una veritas non manifeſta, declaratur per comparationem veritatis alicujus evidentis. Sic 1. Sam. 17. verſ. 55. Vivit anima tua ô Rex, ſi novi; *id eſt, ut verum eſt animam tuam vivere ô Rex, ità verum eſt me non noviſſe de qua ſtirpe deſcendat hic adoleſcens. Imo aliquando hae duo conjunxerunt pii,* vivit Jehova, & vivit anima tua; *ut 2. Reg. 2. v. 4. Sic enim loquitur Eliſaus Elia, quaſi diceret, ut verum eſt Deum vivere, & te vivere, ſic verum eſt me non derelicturum te. 2. Poteſt hec Phraſis intelligi votive, non imprecatorie, ſed bene precando alicui, & teſtificando noſtrum affectum erga veritatem quam aſſerimus, per comparationem affectus noſtri in rem aliquam nobis chariſſimam; quaſi diceremus: Teſtor Deum non minus mihi charam eſſe veritatem, quam mihi chara eſt ſalus aut vita Regis, &c. Si juramentum Ioſephi uno ex iſtis duobus modis reſolvatur, ceſſabit omnis difficultas, praſertim ſi primo modo, quem maxime probo: ut nempe hac aſſeveratorie intelligantur, per veritatis comparationem: Tam verum eſt quod dico, quam verum eſt vivum Pharaonem, cujus ſum miniſter: quià ſalus & vita principum magis eſt in aperto, quam cujuſlibet è vulgo. Subticetur autem juramentum, quod intelligitur, aſſeveratio autem ſive obteſtatio exprimitur.*

Tertullianus Apologetici contra gentes Cap. 32. negat Chriſtianos velle jurare per genios Cæſarum; *ſed jurare concedit*, per ſalutem eorum, quæ eſt auguſtior omnibus geniis. *Id gentilibus defectionis argumentum videbatur, quod Chriſtiani nollent illud uſurpare juramentum, ſed ſanctiſſimum καὶ φερμαδέςατον apud eos erat. Itaque ſicut diis immortalibus, ut loquebantur, immolare, ita & per Caſaris genium jurare cogebantur. Sic in Agone Polycarpi apud Euſeb. Hiſt. lib. 4. c. 15. dicebant,* ὄμοσον τὴν καίσαρος τύχην. Jura per Cæſaris genium. *Idem autem apud eos erat, per fortunam alicujus jurare, & per genium ejus. Nam ab uniuſcunque genio, bonam vel malam hominis fortunam pendere putabant. Sic apud Apul. lib. 8. Metamor.* Per fortunas veſtroſque genios, &c. *Id autem facere recuſabant Chriſtiani, quià genios*

nios illos habebant pro Dæmoniis. Neſcitis, *ait Tertul.* genios dæmonas dici, & inde diminutiva voce dæmonia? *Item*, Cæterum dæmonas *id eſt*, genios, adjurare ut eis honorem divinitatis conferamus. *Ubi agnoſcit Tertullianus, eos divinitatis honorem conferre creaturis, qui per eas jurant. Ex ejus etiam verbis colligitur, ne quidem per bonos Angelos jurari poſſe, quibus non competit divinitatis honor. Alioqui ſi hoc licuiſſet & credidiſſent Chriſtiani, quod hoc tempore Pontificii certum habent, unicuique homini ſuum bonum Angelum eſſe aſſignatum; & per creaturas quæ relationem habent ad Deum jurare licuiſſet, ut jam Papiſtæ per Angelos & Sanctos jurant; non video cur ipſis non licuerit per bonum Imperatoris genium jurare. Exiſtimarunt enim Gentiles, eſſe genios probos, φύλακας θνητῶν ἀνθρώπων,* cuſtodes mortalium hominum, *ut loquitur Heſiodus. Plato etiam unicuique homini genium ſuum dedit, φύλακα τοῦ βίου, καὶ ἀποπληρωτὴν τῶν αἱρεθέντων.* Cuſtodem vitæ, & adjutorem conſummatoremq; eorum, quæ quiſque elegiſſet. *Apud Arianum, Diſſert. 54.* Deus nos curat, *inquit Epictetus, ἀλλ' οὐδὲν ἧττον καὶ ἐπίτροπον ἑκάστῳ παρέστησε*, ſed nihilominus curatorem addidit ſuum cuique genium, & cuſtodiendum eum ipſi commiſit, atque eum qui nec conniveat nec dormiat, quique decipi non poſſit. *Si unicuique certe maxime Imperatoribus. Ergo ſi Chriſtiani judicaſſent juramentum per Angelos bonos concipi potuiſſe, non rejeciſſent illud, quod per genium Imperatoris præſtabatur, quia id intellexiſſent de Angelo bono. Sed neque noverant per creaturas jurari poſſe, nec artem æquivocandi didicerant.*

Jurabant tamen per ſalutem Imperatoris, id eſt, Interprete Franciſco Zephyro paraphraſte, Ita nobis ſit ſalvus Cæſar, ita incolumis regnet. *Sed bene notavit Baſilius in Pſalmum 14. non tam fuiſſe juſjurandum quam θεραπείαν πρὸς τοὺς ἀκούοντας, id eſt, genus quoddam obteſtationis, quo auditorum animi conciliabantur, & confirmabantur; εἰσὶ δέ τινες λόγοι inquit, σχήματα μὲν ὅρκων ἔχοντες, οὐχ ὅρκοι δὲ ὄντες, ἀλλὰ θεραπεία πρὸς τοὺς ἀκούοντας, ὡς ὁ Ἰωσὴφ τὸν Αἰγύπτιον οἰκειούμενος, νὴ τὴν ὑγίειαν ὤμνυε Φαραώ. Καὶ Ἀπόστολος τὴν πρὸς Κορινθίους ἀγάπην ἑαυτοῦ παριστῶν, ἔφη, νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν, ἣν ἔχω ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, hoc eſt,* Sunt quidam ſermones, juramentorum quidem figuras habentes, non tamen juramenta omnino exiſtentes, ſed remedia potius perſuadendi, ut Joſeph Ægyptium ſibi familiarem reddere cupiens, juravit per ſanitatem Pharaonis. Et Apoſtolus charitatem ſuam erga Corinthios oſtendere volens, ait, per gloriam noſtram, quam habeo in Chriſto Domino noſtro. *Ubi tamen Baſilius, omnino rejicit juramenta omnia ſub diſciplina Chriſtiana, quod ipſi cum quibuſdam aliis patribus commune fuit, ut hoc tempore Anabaptiſtis: Ergo eo quo diximus ſenſu, potuerunt Chriſtiani aliquid aſſeverare* per ſalutem Regis, *quod tamen, quia noverant poſſe ad ſuperſtitionem trahi, & non ab omnibus diſtinctiones intelligi pii Imperatores poſteà aboleverunt, præſertim Francorum Reges, ut annotavit Beat. Rhenanus, in locum Tertulliani quem produximus, & in libr. ad Scapulam. Pamelius etiam teſtatur, inter leges Clodovæi, Childeberti & Chlotarii, quas penes ſe habebat manuſcriptas, ſic legi cap. 6.* Ut nullus præſumat per vitam Regis, filiorumque ejus, jurare: *quæ Lex totidem verbis habetur in legibus Longobardorum, lib. 3. tit. 24. in Cod. legum antiq. pag. 681. Fortaſſe tamen id referri poſſet ad juramentum execratorium, de quo ſuprà. Ut contraham paucis quæ ad Ioſephum ſpectant, probo ſententiam eorum, qui negant ejus verba propriè juramentum fuiſſe, ſed aſſeverationem volunt evidentiæ aut vehementiæ causâ factam cum collatione rei evidentis. Itaque hoc nihil facit ad creaturarum invocationem, & Ioſephus à peccato abſolvitur.* Res ita accipienda eſt ſummatim: Aſſertionem à juramento diſtinguendam eſſe. Aſſertio cum re rem comparat, ut

unius

rei veritas ex veritate alterius certa eſſe agnoſcatur. Quando cum re cariſſima & eminentiſſima comparatio fit aſſertio intelligitur eſſe certior. Sic quando dicitur *Dominus vivit*, aſſertio eſt vehementiſſima, quia Dei appellatio, non niſi in re ſeria & ſerio adhiberi debet. *Anima tua vivit*: ita cupio præſtare & ita certa res eſt, ut cupio animam tuam vivere. Formula juramenti eſt, *Ita Deus mihi faciat & ſic addat. Iuramentum enim eſt petitio Divini teſtimonii, ad noſtri teſtimonii veritatem confirmandam*, in qua jurans vindictæ & maledictioni Divinæ ſe ſuaque ſubjicit, ſi ſciens fallat. Per hoc enim veritati noſtræ teſtimonium dat Deus. Iſta imprecatio aliàs reticetur ſi generalis alias exprimitur: ſpecialis autem neceſſariò exprimenda eſt. In ſpeciali determinatè, quod cariſſimum eſt, huic imprecationi ſubjicimus. Quomodo Paulus Deum teſtem invocat in animam ſuam; quomodo Chriſtiani milites per ſalutem principis juraſſe leguntur. Non eſt idem jurare *per genium Cæſaris & per ſalutem Cæſaris*. Qui per genium Cæſaris jurat, genio honorem defert juramenti ſoli Deo debiti: qui autem jurat per ſalutem à Deo ita precatur ſalutem Cæſari, cui ſe addictum eſſe toto fatetur animo, ut in veritate jurat. Illud igitur eſt per creaturam jurare aut idolum; hoc per Deum. Si verba Joſephi juramenti vim habeant, non juravit tamen per creaturam, ſed Deum invocavit in ſalutem Pharaonis. In Matthæi cap. 5. 33. 34. 35. 36. Chriſtus non prohibet juramenta per creaturas, ſimpliciter jurare prohibet in communi ſermonis uſu, quamcunque rem imprecationi imponerent præſertim cum res illæ eſſent longe eminentiſſimæ. In cap. 23. diſertè reprehendit illam opinionem, qua formulæ uſitatæ in alienum ſenſum detorquebantur, quaſi ſcilicet, hæ quam illæ leviores eſſent & minus obſtringerent. Videntur enim Judæi magiſtri ſenſiſſe ſi nomen Dei non exprimeretur, juramentum non obligare, niſi in quibuſdam rebus imprecatione determinatis, quas ſua opinione præferebant. Docet Chriſtus in talibus formulis invocationem nominis Divini præſupponi. Joſephus tantum vehementer aſſeruit, ſaltem in poſteriori formula, de prima dubito.

Cur autem ſententiam mutavit, quam juraverat aut aſſeruerat? Non erat conſultum patrem diutinæ expectationis & metus tædio & gravi metu de omni numero filiorum torquere. Annonæ requirebatur ſubminiſtratio adverſus famem. Unde licet conjicere, ſimulatam fuiſſe interminationem de omnibus præter unum in carcere detinendis. Scopus fuerit eos torquere metu ut tanto magis humiliarentur. Sed ſimulationem hanc juramento firmare, vitio non caret. Perjurium quidem in revocatione nullum: nam ut juramentum vinculum non poteſt eſſe iniquitatis, ita reverentius ſolvitur, quam impletur. ubi ad iniquitatem juratum eſt. At quid opus erat tanta aſſertione? Non videtur igitur animum habuiſſe relaxandi, cum eos carceri includi juberet: at re melius perpenſa, judicavit melius eſſe, ut dimitterentur. Solvit igitur quod aſſeruerat, quia cum injuria non erat conjunctum ſolvere ſed implere. Auguſtinus ita diſputat lib. 1. Qu. in Geneſin, qu. 139. *Quid eſt, quod Ioſeph vir tam ſapiens, atque ita non ſolum hominum, inter quos vivebat teſtimonio, ſed ipſa etiam ſcriptura teſte laudatus, ita jurat per ſalutem Pharaonis, non exituros de Ægypto fratres ſuos, niſi frater eorum minor venerit. An etiam bono & fideli viro vilis fuerat ſalus Pharaonis cui fidem ſicut primitus domino ſuo ſervabat in omnibus? Quanto enim magis ipſi qui eum in tanto honore locaverat, ſi illi ſervavit fidem, qui eum ſervum emptitium poſſidebat. Quod ſi non curabat Pharaonis ſalutem, nunquid & perjurium pro cujuſlibet hominis ſalute vitare non debuit? An non eſt perjurium? Tenuit enim unum eo-*

 rum

rum donec veniret Benjamin, & verum factum eſt quod dixerat non exibitis hinc niſi venerit frater veſter: Ad omnes enim non potuit pertinere quod dictum eſt. Nam quomodo eſſet ille venturus, niſi ad eum ducendum aliqui rediſſent? Sed quod ſequitur magis urget quæſtionem, ubi iterum juravit dicens, Mittite ex vobis unum, & adducite fratrem veſtrum: vos autem non educemini quoadusque manifeſta ſint verba veſtra, ſi vera dicitis an non: ſin autem per ſalutem Pharaonis exploratores eſtis: id eſt, ſi non vera dicitis, exploratores eſtis. Huic ſententia interpoſuit jurationem, quia ſi vera non dixiſſent, exploratores eſſent, id eſt, exploratorum pœna digni eſſent, quos tamen vera dicere ſciebat. Neque enim perjurus eſt quiſque ſi ei quem caſtiſſimum novit dicat, ſi hoc adulterium de quo argueris commiſiſti, damnat te Deus: etſi his verbis adhibeat jurationem, verum omnino jurat. Ibi eſt enim conditio quá dixit, ſi feciſti, quem tamen non feciſſe certum habet. Sed ait aliquis, verum eſt, quia ſi fecit adulterium damnat illum Deus: hoc autem quomodo verum eſt, ſi non verum dicitis, exploratores eſtis, cum etiam ſi mentiantur, non ſint exploratores? Sed hoc eſt quod dixi, ita dictum eſſe, exploratores eſtis, tanquam ſi dictum eſſet exploratorum pœna digni eſtis, hoc eſt, exploratores deputabimini merito mendacii veſtri. Eſtis autem, potuiſſe dici, pro habebimini & deputabimini, innumera ſimiles locutiones docent. Unde eſt illa Heliæ. Quicunque exaudierit in igne, ipſe erit Deus; Non enim tunc erit, ſed tunc habebitur. Joſephus putat ſolicitum fuiſſe Joſeph de Benjamin valde cupientem ſcire an & illum ut ſe è medio removiſſent. Ideò coëgiſſe eos effari ſtatum domus paternæ & tribuit Rubeno orationem v. 13. Joſeph eos hoc obtentu in carcerem compegiſſe *εἰς τὴν σχολῆς βασανίων*. Quo eos in majorem daret metum. Dein productos quaſi mutato conſilio dimittere, ut unus in vinculis maneret, donec cæteri redirent. Author כלי יקר de illa mutatione ita ad verba: Mittite ex vobis unum] *Poſt id redit* [חזר] *& mittit omnes, præter unum, quia voluit Ioſeph* [שירגישו בחטאם] *ut ſentirent peccatum ſuum in fratrem ſuum & confiterentur* [עונש] *culpam. Et quando dicebat, mittite è vobis unum, cogitabat quod profecto iturus eſſet Ruben, qui erat fratrum maximus: propterea quod ipſi eſſet modus primogenituræ ad egrediendum in libertatem è loco cuſtodiæ: Propterea quod Rubeno non fuiſſet pars in venditione, ideo liberatus eſt: quia etiam Iuda partem habuit in hoc, quia ob id deſcendere fecerunt eum fratres ex eminentia ſua ſicuti expoſuit Raſi in locum וירד יהודה. Cumque fuiſſent in carcere triduum, cogitabat Ioſeph quod expurgata eſſet iniquitas iſta. Ideo miſit omnes præter Simeonem.* Vides Judæum iſtum ſomniare expiationem venditionis per triduanum carcerem. Purificatio nulla fuit, tantum ad agnitionem peccati eos voluit humiliare, ut ſubacti ærumnis in ſe deſcenderent & reſipiſcerent: Quo etiam pertinet illa de ſemet confeſſio; ubi etiam Ruben ipſos increpat, quod ſuæ admonitioni noluerint aurem præbere. Quamvis contra verum imponeretur ipſis crimen explorationis & ob hoc iniquè affligerentur, fatentur tamen ſe juſte pati, coram tribunali divino: quia in hujus criminis nomine ab ipſis repoſceret pœnam crudelitatis in fratrem. Cum enim ſupplicaret humiliter, ipſius miſerti non ſunt. Dicunt ejus ſanguinem à ſe repeti, quia obiiſſe in ſervitute putabant.

III. Cur autem Simeonem potius quam alium de fratribus retinet obſidem futurum? Exiſtimant Judæi Simeonem fuiſſe principem ſceleris, qui dixerit ad Levi alioſque cum ad fratres paſcentes adveniret Joſeph: En Somniatorem, tollamus eum è medio, ut ipſe cum ſuis ſomniis malè pereat. Gen. 37. 19. 20. Eum etiam Joſeph in foveam demiſiſſe. Sic Raſi & è Raſi autor כלי יקר.

In

In v. 27. Dicitur unum de filiis Jacob in itinere reditus aperto ſacco inveniſſe pecuniam. Joſeph enim pecunias cujuſque in ſaccis juſſerat reponi cum viatico. Unus igitur reperit pecuniam in ore ſacculi. Lyranus: *Iſte fuit Levi, ut dicunt Hebræi, quia decem filii Iacob deſcenderant in Ægyptum combinati. Simeon autem erat combinatus cum ipſo & quia illa remanſerat in Ægypto Levi rediit ſine compari ſuo. Andreas dicit: quod ſicut iſte aperuit ſaccum ſuum & invenit pecuniam, ita omnes alii ex tunc ejus occaſione ita fecerunt: & hoc concordat cum eo, quod dicitur in ſequenti capite.* [v. 21.] Cum veniſſemus ad diverſorium aperuimus ſacculos & invenimus pecuniam in ore ſaccorum, *At* [v. 35. hujus cap.] cum frumenta effunderent ſinguli repererunt in ore ſaccorum ligatas pecunias. *Ex hoc videtur, quod alii filii Iacob præter unum non invenerunt pecunias ſuas donec veniſſent ad patrem ſuum. Et ſecundum hoc dicendum eſſet, quod illud, quod eſt allegatum ad contrarium de ſeq. cap. dicitur per anticipationem. Si autem aliquis velit ſequi ſententiam Andreæ prædictam oportet dicere, quod illud, quod hic dicitur de inventione pecuniæ in ore ſaccorum, poſtquam venerant ad patrem ſuum Iacob, dicitur per recapitulationem, quia jam alias invenerant in diverſorio.* Quidam putant illos apud patrem ſimulaſſe, quod prius invenerant, quaſi jam primum invenirent. Rivetus: *Sed non video, quorſum id parentem celaſſent. Ego potius exiſtimarem data opera factum fuiſſe à ſervis Ioſephi ex heri mandato, ut pecunia unius in ore ſacci reponeretur, aliorum autem vel in medio vel profundius in ipſo frumento lateret: ita ut, & ſi aperuerint ſaccos ſuos, pecunias tamen ſuas non repererint niſi cum evacuarent ſaccos ſuos ut dicitur v. 35. Ergò, quod poſteà dicunt ſe in diverſorio inveniſſe pecuniam in ore ſaccorum ſuorum intelligendum eſt per Synecdochen illam, quæ ſatis frequens eſt in ſcripturis, qua id, quod uni accidit, vel unus fecit in aliqua ſocietate omnibus tribuitur. Quia tum primum indicium habuerunt ejus rei in uno, quam poſteà omnibus communem experti ſunt. Idcirco paucis agentes totum negotium ſub initio illo intelligunt. Hoc malim, quam non neceſſariam hypocriſin, præſente patre eis affingere.* Philo exiſtimat inventa pecunia, in unius ſacco, cum id cæteris ab illo indicatum eſſet, metu perſecutionis incitatos, velociſſimo curſu ad patrem contendiſſe in Cananæam, non auſos tantum ſubſiſtere, ut inquirerent. Qui metu & pavore perculſus eſt omnia tuta timet & quæ ambigua ſunt, in malam partem interpretatur. Potuiſſent cogitare per incuriam in unius ſaccum repoſitam eſſe pecuniam, ſed cum viderent in ſaccis omnium communiter haberi, non dubitabant per inſidias & ut furti arguerentur, id de induſtria factum eſſe ab Ægyptiis. Veniunt igitur ad Patrem, narrant, quid ſibi eveniſſet. Qui attonitus de ſua calamitate querelas effundit. Putabat enim de Simeone actum eſſe. Cum igitur urgerent de Benjamin ſibi committendo & deducendo in Ægyptum, ut Simeon liberaretur & fides ſua, adduci non potuit. Ruben, ut patrem induceret, duos ex liberis ſuis obſides offert, ab eo vel interficiendos, ſi Benjaminum non ſiſteret incolumem. Non fuit ea mens, quaſi pater in nece nepotum ulciſci poſſet filii temeritatem aut injuriam, eoque modo dolorem ſuum lenire: ſed hoc vult ſe paratum eſſe redimere filiorum interitu Benjamini caſum. Itaque malè accipit Raſi verba Ruben, quaſi exiſtimaret ita accipi à Jacob, uti filios Ruben interficeret. Non accepiſſe enim verba Ruben, quia ſtolida eſſet oblatio, quum Rubeni filii & ſui eſſent. Aben-eſdras notat à quibuſdam תמית exponi per תענש: alios verò dicere, quod ſit oratio ad Deum, qui perfecerit rem. *Si fuiſſet* (inquit) *locutus verum, non ſiluiſſet Iacob.* Calvinus: *Quod vero Ruben duos filios patri mactandos offert, niſi Benjamin illi reducat, videtur eſſe pluſquam barbarum. Scilicet Iacob nepotes ſuos occideret: quid autem ſolatii caperet in ſua ipſius viſcera ſæviens? Sed hoc eſt quod prius attigi,*

fuiße ſuſpectos, quod perfidiſe geſſiſſent ergà Ioſeph: unde neceſse habuit Ruben tam atroci obteſtatione diluere patris ſui timorem fidemque facere ſe & fratres nihil impium moliri contra Benjamin. Obſervat etiam vivam hic picturam timoris & mœroris Jacobi ob oculos poni: *Videt totam domum famelicam: mavult tamen à vita quam à filio ſuo divelli; unde colligimus non illi ferreum pectus fuiſse, ſed eò plus laudis meretur ejus patientia, quod cum carnis infirmitate certans non ſuccubuit. Tametſi autem ejus verba Moſes rhetoricè non amplificat, facile tamen perſpicimus maximo dolore exæſtuaße cum hoc filiis objiceret, Vos in patrem nimum eſtis crudeſes, qui tertium à me filium abripitis, poſtquam uno atque altero ſum ſpoliatus.* Nunc prodeat Philo facunde hujus capitis hiſtoriam παραφράζων. Ὁ μέντοι βασιλέως ὕπαρχος καταςαθεὶς, καὶ τῆς Αἰγύπτου τὴν ἐπιμέλειαν καὶ προςασίαν λαβὼν ἐξῄει γνωρισθησόμενος ἅπασι τοῖς ἐγχωρίοις, καὶ τοὺς λεγομένους νόμους ἐπιὼν κατὰ πόλεις πολὺν αὐτοῦ πόθον ἐνεσχάζετο τοῖς ὁρῶσιν, οὐ μόνον ταῖς ὠφελείαις, ἃς ἑκάςοις παρεῖχεν, ἀλλὰ καὶ ταῖς περὶ τὴν ὄψιν τε καὶ τὴν ἄλλην ὁμιλίαν ἀλέκτοις καὶ ἐξαιρέτοις χάρισιν. Ἐπεὶ δὲ κατὰ τὴν τῶν εὐεργέτων σύγκρισιν, ἐνίσχυε περιττεία ἡ ἐπλαετία τῆς εὐθηνίας, τὸ πέμπτον τῶν καρπῶν ἀνὰ πᾶν ἔτος συνάγων διά τινων ὑπάρχων καὶ τῶν ἄλλων, οἱ πρὸς τὰς δημοσίας χρείας ὑπηρέτουν αὐτῷ, τοσαύτην ἤθροισε πληθὺν δραγμάτων, ὅσην οὐδεὶς πω πρότερον γενομένην, ἐμέμνητο· πίστις δὲ σαφεστάτη, τὸ μηδ' ἀριθμηθῆναι δύνασθαι, Καίτοι μυρίων τῶν τεταχθέντων εἰς ἐπιμελὲς περιεργίᾳ διαριθμήσασθαι. διεξελθόντων δὲ τῶν ἑπτὰ ἐτῶν, ἐν οἷς ηὐφόρησεν ἡ πεδιὰς, ἀρχὴν ἐλάμβανεν ὁ λιμὸς, ὃν ἐπιβαίνοντα καὶ συναυξανόμενον οὐκ ἐχώρησεν Αἴγυπτος. ἀναχεόμενος γὰρ καὶ τὰς ἑξῆς ἀεὶ πόλεις καὶ χώρας ἐπικατελάμβανεν, ἄχρι περάτων καὶ τῶν πρὸς ἕω καὶ τῶν πρὸς δυσμὰς ἔφθασε, τὴν οἰκουμένην ἐν κύκλῳ πᾶσαν καταχών: λέγεται γοῦν μηδέποτε κοινὴ νόσος κατασκῆψαι τοσαύτη, καθάπερ ἣν ἰατρῶν παῖδες ὀνομάζουσιν ἕρπητα. καὶ γὰρ αὕτη πᾶσι τοῖς μέρεσιν ἐπιφοιτῶσα, τὴν κοινωνίαν τῶν ἡνωμένων σωμάτων ὅλη δι' ὅλων ςοιχηδὸν πυρὸς τρόπον ἐπινέμεται. τοὺς οὖν ἀφ' ἑκάςης δοκιμωτάτους αἱρουμένους σιτώνας, ἐξέπεμπον εἰς Αἴγυπτον. ἤδη γὰρ ἡ πρόνοια τοῦ νεανίσκου πανταχόσε διηγγέλλετο, ταμιευσαμένου τροφὰς ἀφθόνους εἰς καιρὸν ἐνδείας. ὁ δὲ τὸ μὲν πρῶτον κελεύει ἀνοιχθῆναι τοὺς σωροὺς ἅπαντας, ὑπολαμβάνων εὐθυμοτέρους παρασκευάσειν τοὺς ἰδόντας, καὶ τρόπον τινὰ ἀναθρέψειν τὰς ψυχὰς πρὸ τῶν σωμάτων ἐλπίσι χρησταῖς· ἔπειτα διὰ τῶν ἐπιτραπέντων τὰς σιταρχίας, ἐπώλει τοῖς ἔχουσιν ὠνητικῶς, ςοχαζόμενος τοῦ μέλλοντος ἀεὶ, καὶ τὸ ἐπιὸν ὁρῶν τοῦ παρόντος ἀκριβέστερον, Ἐν δὲ τούτῳ, καὶ ὁ πατὴρ ὑποσπανιζόντων ἤδη τῶν ἀναγκαίων, ἀγνοῶν τὴν τοῦ παιδὸς εὐτυχίαν, ἐκπέμπει δέκα τῶν υἱῶν εἰς σιτωνίαν, τὸν νεώτατον οἴκοι καταχὼν, ὃς ἦν ὁμομήτριος τῷ βασιλέως ὑπάρχῳ ἀδελφός. Καὶ οἱ μὲν εἰς Αἴγυπτον ἐλθόντες, ἐντυγχάνουσιν ὡς ἀλλοτρίῳ τῷ ἀδελφῷ, καὶ τὴν περὶ αὐτὸν ἀξίωσιν καταπλαγέντες, ἔθει παλαιῷ προσκυνοῦσιν, ἤδη καὶ τῶν ὀνειράτων αὐτοῦ λαμβανόντων βεβαίωσιν. ὁ δὲ τοὺς πεπρακότας θεασάμενος, εὐθὺς ἐγνώρισεν ἅπαντας, ὑπὸ μηδενὸς αὐτὸς γνωρισθεὶς τὸ παράπαν, μὴ βουληθέντος πω τοῦ θεοῦ τἀληθὲς ἀναφανῆναι διὰ τινὰς ἀναγκαίας αἰτίας, ἃς τότε βέλτιον ἦν ἡσυχάζεσθαι, ἀλλ' ἢ τὴν ὄψιν ἀλλάξαντος εἰς σεμνότερον εἶδος τοῦ τὴν χώραν ἐπιτραπέντος, ἢ παρατρέψαντος τὰς ἀκριβεῖς καταλήψεις τῆς διανοίας τῶν ὁρώντων· εἶτ' οὐχ ὥσπερ νέος, καὶ τοσαύτης ἡγεμονίας διάδοχος, ἀρχὴν τὴν μετὰ βασιλέα πρώτην ἀναψάμενος, εἰς ὃν ἀνατολαὶ καὶ δύσεις ἀπέβλεπον, ἡλικίας ἀκμῇ καὶ μεγέθει τῆς ἐξουσίας ἐπαρθεὶς, καιρὸν ἔχων ἀμύνης, ἐμνησικάκησεν. ἀλλ' ἐκράτησε τὸ πάθος ἐνεγκὼν καὶ ταμιευσάμενος αὐτῶν τῇ ψυχῇ, μετὰ πολλοῦ τοῦ προμηθοῦς, ἐπεμόρφαζεν ἀλλοτρίωσιν, καὶ βλέμμασι καὶ φωνῇ, καὶ τοῖς ἄλλοις καθυποκρινόμενος τὸν δυσχεραίνοντα οὐδὲν, εἶπεν, ὦ οὗτοι φρονεῖτε εἰρηνικὸν, ἀλλά τις τῶν βασιλέως ἐχθρῶν κατασκόπους ὑμᾶς ἐξέπεμψεν, οἳ κακὰς ὑπηρεσίας ὁμολογήσαντες ὑπηρετήσειν, λήσεσθαι μὲν ᾠήθητε, λανθάνει δ' οὐδὲν τῶν δρωμένων ἐπ' ἐνέδρᾳ κἂν βαθεῖ σκότῳ συσκιάζηται. πειρωμένων δ' ἀπολογεῖσθαι καὶ διεξιόντων ὡς ἐπ' ἀγνῶτες κατηγοροῦνται· μήτε γὰρ παρὰ δυσμενῶν ἥκειν, μήτ' αὐτοὶ τοῖς ἐγχωρίοις ἀπέχθεσθαι, μηδ' ἂν ὑπομεῖναί ποτε τοιαύτην διακονίαν. εἶναι γὰρ τὰς φύσεις εἰρηνικοὶ, καὶ μεμαθηκέναι σχεδὸν ἐξ ἔτι νηπίων τιμᾶν εὐσέβειαν παρὰ ὁσιωτάτῳ καὶ θεοφιλεστάτῳ πατρί. ᾧ

δώδεκα

δώδεκα μὲν γενομένων ἡμῶν. ἕνα μὲν τὸν νεώτατον οὐκ ἔχοντά πω ἡλικίαν ἀποδημίας, οἴκοι καταμεῖναι, δέκα δὲ τοὺς ὁρωμένους ἡμᾶς ἐνταυθοῖ ὑπάρχειν, τὸν δὲ λοιπὸν ἐκ ποδῶν γεγενῆσθαι. Ταῦτ' ἀκούσας, ὡς ἐπὶ τεθνεῶτι ἑαυτῷ παρὰ τῶν ἀποδομένων, τὴν ψυχὴν ἄρα ἐπένθει. Καὶ γὰρ εἰ μὴ ἐξελάλησε τότε τὸ παρεστὸς πάθος, ἀλλὰ τύποις ὑποτυφομένῳ καὶ ζωπυρουμένῳ πάντως τὰ ἐντὸς ἐκαίετο, βαθεῖ δ' ὅμως ἤθει, φησὶν αὐτοῖς· εἰ τῷ ὄντι μὴ κατασκεψόμενοι τὴν γῆν ἀφίχθε, πρὸς πίστιν τὴν ἐμὴν, ὑμεῖς μὲν ἐνταυθοῖ διατρίψατε βραχύν τινα χρόνον, ὁ δὲ νεώτατος ἀδελφὸς ὑμῶν ἀφικέσθω, μετακληθεὶς ἐπιστολιμαίοις γράμμασιν. ἐὰν δ' ἕνεκα τοῦ πατρὸς ἐπείγησθε ἀπιέναι, φοβούμενοι τάχα τὴν μακρὰν ὑμῶν διάζευξιν, οἱ μὲν ἄλλοι πάντες ἀπαίρετε, καταμενέτω δ' εἷς ὁμηρεύσων, ἄχρις ἂν ἐπανέλθητε σὺν τῷ νεωτάτῳ, τιμωρία δὲ κατὰ τοῦ μὴ πειθαρχήσαντος ὁ ἀνωτάτω προκείσεται θάνατος. Καὶ ὁ μὲν τοιαῦτ' ἀπειλήσας ὑποβλεπόμενος, καὶ βαρείας ὀργῆς δείγματα παρέχων, ὅσα τῷ δοκεῖν, ἀπηλλάττετο· οἱ δὲ συννοίας καὶ κατηφείας γεμισθέντες, ἐκάκιζον ἑαυτοὺς ἕνεκα τῆς πρὸς τὸν ἀδελφὸν ἐπιβουλῆς, ἐκεῖνο λέγοντες, τὸ ἀδίκημα τῶν παρόντων ἐστὶ κακῶν αἴτιον, ἡ ἔφορος δίκη τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἤδη τι μηχανωμένη καθ' ἡμῶν. βραχὺν γὰρ ἐφησυχάσασα χρόνον, διανίσταται, τὴν ἀμείλικτον καὶ ἀπαραίτητον αὐτῆς ἐπιδεικνυμένη φύσιν τοῖς ἀξίοις κολάσεως. πῶς γὰρ οὐκ ἄξιοι; δεόμενον καὶ ποτνιώμενον τὸν ἀδελφὸν οἱ ἀνηλεεῖς ὑπερείδομεν, οὐδὲν μὲν ἐξαμαρτόντα, φαντασίας δὲ τὰς καθ' ὕπνον, διὰ τὸ φιλόνεικον ὡς συνήθειαν ἀντεγκαλοῦντες· ὑπὲρ ὧν οἱ θηριωδέστατοι καὶ πάντων ἀγριώτατοι δυσχεράναντες ἡμεῖς, οὐχ ὅσια (δεῖ γὰρ ἀψευδεῖν) εἰργασάμεθα. Τοιγαροῦν καὶ ταῦτα καὶ ἔτι τούτων χείρω πείσεσθαι προσδοκῶμεν, οἵτινες μόνοι σχεδὸν, ἐξ ἁπάντων ἀνθρώπων εὐπατρίδαι λεγόμενοι, διὰ τὰς τῶν πατέρων καὶ πάππων καὶ προγόνων ὑπερβαλλούσας ἀρετὰς, ᾐσχύναμεν τὴν συγγένειαν, ἐπιφανὲς ὄνειδος κτήσασθαι σπουδάσαντες· ὁ δὲ πρεσβύτατος τῶν ἀδελφῶν, ὃς καὶ ἐν ἀρχῇ συντιθεμένων τὴν ἐπιβουλὴν ἐκωλύετο, ἐπειδὴ πεπραγμένοις, εἶπεν, ἀνωφελεῖς αἱ μεταμέλειαι, παρεκάλουν ἱκέτευον, ἐξετάζων ἐστὶ τὸ ἀνοσιούργημα, μὴ θυμῷ χαρίζεσθαι συναινεῖν δέον, ταῖς ἀβουλίαις ἑαυτῶν εἴξατε. Τοιγαροῦν καρπούμεθα τῆς αὐθαδείας καὶ ἀσεβείας τἀπίχειρα. ζητεῖται μὲν ἡ ἐπ' ἐκείνῳ τολμηθεῖσα ἐπιβουλή· ὁ δὲ ζητῶν, οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος, ἀλλ' ἢ θεὸς, ἢ λόγος, ἢ νόμος θεῖος. Ταῦτα δ' ἤκουεν ὁ πραθεὶς ἀδελφὸς ἡσυχῇ διαλαλούντων, ἑρμηνέως μεταξὺ ὄντος, καὶ νικηθεὶς ὑπὸ τοῦ πάθους, μέλλων ἐνδακρύειν, ὡς μὴ γένοιτο καταφανὴς, ἀποστρέφεται, καὶ προχέας θερμὰ καὶ ἐπάλληλα δάκρυα, καὶ πρὸς ὀλίγον ἐπικουφισθεὶς, τὴν ὄψιν ἀπομαξάμενος, ἐπιστρέφει, καὶ κελεύει τὸν ἡλικίᾳ δεύτερον τῶν ἀδελφῶν, ἐν ὄψεσι τῶν ἁπάντων δεθῆναι, τὸν αὐτῷ κατάλληλον. ὁ γὰρ ἐν πλείοσι δεύτερος, τῷ πρεσβυτάτῳ κατάλληλος, ἐπεὶ καὶ τῷ τελευταίῳ ὁ πρῶτος. ἴσως μέντοι καὶ διότι τὴν πλείστην μοῖραν ἔδοξε τῶν ἁμαρτηθέντων εἰσενεγκεῖν, μονονοὺ συνταγματαρχῶν, καὶ τοὺς ἄλλους ἀλείφων ἐπὶ δυσμένειαν. εἰ γὰρ συνετάχθη τῷ πρεσβυτάτῳ χρηστὰ καὶ φιλάνθρωπα βουλευομένῳ, νεώτερος μὲν ἐκείνου, τῶν δ' ἄλλων πρεσβύτερος ὤν, ἴσως ἂν ἴσως ἐπεσχέθη τὸ ἀδίκημα, τῶν τὴν ἀνωτάτω τάξιν καὶ τιμὴν ἐχόντων, συμπνεόντων καὶ ὁμογνωμονούντων περὶ πράγματος, ὃ καὶ κατ' αὐτῶν πολλὴν ῥοπὴν συνεφείλκετο· νυνὶ δ' ἀποστὰς τῆς ἡμέρου καὶ ἀμείνονος τάξεως, πρὸς τὴν ἀνήμερον καὶ χαλεπὴν ηὐτομόλησε, καὶ ταύτης ἀποδειχθεὶς ἡγεμὼν, οὕτως ἐθήρευσε τοὺς συνεφαπτομένους τοῦ παρανομήματος, ὡς ἀνενδοιάστως τὸν ἀνεπίληπτον ἆθλον διαθλῆσαι. διὰ ταῦτ' ἐξ ἁπάντων μόνος οὗτος δεθῆναί μοι δοκεῖ. οἱ δ' ἄλλοι, τὴν οἴκαδε ἐπάνοδον ἤδη παρηυτρέπιζον, κελεύσαντος τοῦ τῆς χώρας ἐπιτρόπου τοῖς πυρονομοῦσι, τὰ ἀγγεῖα τῶν ἀδελφῶν ὡς ξένων ἅπαντα πληρῶσαι, καὶ ἣν ἔλαβον τιμὴν, ἐπὶ τοῦ σιτίου λάθρα καταθεῖναι, μὴ προειπόντας οἷς ἀπεδίδοσαν. καὶ τρίτον προσδιαψελλίσαντας τροφὰς, αἳ γένοιντ' ἂν ἱκαναὶ καὶ κατὰ τὴν ὁδὸν ἐξαιρέτως ὑπὲρ τοῦ παραπεμφθῆναι τὴν σιτωνίαν ἀμώντων. ὁδοιπορούντων δὲ, καὶ τὸν ἐν δεσμοῖς ἀδελφὸν ὡς εἰκὸς οἰκτιζομένων οὐχ ἧττον δ' ἐπὶ τῷ πατρὶ κατηφούντων, εἰ πάλιν ἀκούσεται συμφορὰς, καθ' ἑκάστην οὐδὲν ἐλαττουμένης καὶ ἀποκειρομένης αὐτῷ τῆς εὐπαιδίας, καὶ λεγόντων ἀλλ' οὐδὲ πιστεύσει δεδέσθαι, πρόφασιν δ' εἶναι τελευτῆς τὰ δεσμὰ ὑπολήψεται, διὰ τοὺς ἅπαξ πληγέντας εἰς τὰ αὐτὰ προσπταίειν, ἑσπέρα καταλαμβάνει, καὶ ὑποζυγίων καθελόντες τὰ ἄχθη, τὰ μὲν ἐπικού-

φιζον, αὐτοὶ δὲ βαρυτέρας ταῖς ψυχαῖς φροντίδας ἐδέχοντο. Φιλεῖ γὰρ ἐν ταῖς ἀναπαύλαις τῶν σωμάτων ἐναργεστέρας τῶν ἀβουλήτων ἡ διάνοια λαμβάνουσα φαντασίας, χαλεπῶς ἄγαν θλίβεσθαι, καὶ βιάζεσθαι. λύσας δέ τις ἓν ἀγγεῖον, ὁρᾷ παρὰ τῷ στομίῳ βαλάντιον ἐπόμενον ἀργυρίου. Καὶ διαριθμησάμενος, εὕρισκεν ὅσην τοῦ σίτου καθῆκε τιμὴν ἀποδεδομένην αὐτῷ, καὶ καταπλαγεὶς τοῖς ἀδελφοῖς ἀνέφερεν. οἱ δ' οὐ χάριν, ἀλλ' ἐνέδρας ὑποτοπήσαντες, ἠθύμουν, καὶ βουλόμενοι πάντα τἀγγεῖα διερευνήσασθαι, φόβῳ διαζεύξεως ἄραντες, ᾗ τάχιστα συνδιέτεινον, καὶ μονονουκ ἀπνευστὶ θέοντες, πολυήμερον ὁδὸν ἐπιλεμόντες ἀνύουσιν· εἶτ' ἀλλαχόθεν ἄλλοι τὸν πατέρα οὐκ ἀδακρυτὶ περιλαβόντες, ἐφίλουν ἑκάστῳ περιπλεκόμενον, καὶ προσεχόμενον ἐνθύμως· Καίτοι τῆς ψυχῆς ἤδη τι μαντευομένης ἀβούλητον. Καὶ γὰρ προσιόντων καὶ δεξιουμένων, κατανόει τὸν ὑπολειφθέντα υἱόν, καὶ ὡς ὑστερηκότα τῆς βραδυτῆτος ᾐτιᾶτο, καὶ πρὸς τὰς εἰσόδους ἀπέβλεπε, σπεύδων τὸν ἀριθμὸν τῶν τέκνων πλήρη θεάσασθαι· μηδενὸς δ' ἔξωθεν ἔτι προσεπιφοιτῶντος, διεπτοημένον ἰδόντες, τῶν ἀβουλήτων ἔφασαν ὦ πάτερ, ἀνιαρότερος τῆς μαθήσεως ὁ ἐνδοιασμός ἐστι. μαθὼν μὲν ὡς ὁδὸν εὗρεν εἰς σωτηρίαν, ἡ δ' ἀμφίβολος, ἄγνοια δυσδίας, καὶ ἀπορίας αἴτιον. Ἄκουε δὴ σφόδρα μὲν ἀνιαροῦ διηγήματος, ἀναγκαίου δὲ λεχθῆναι. ὁ συμπεμφθεὶς ἡμῖν ἀδελφὸς ἐπὶ σιτωνίαν, καὶ μὴ ἐπανεληλυθώς, ζῇ μέν. δεῖ γὰρ τὸν ὡς ἐπὶ τεθνεῶτι ἀπαλλάξαι σου μείζονα φόβον. ζῶν δ' ἐν Αἰγύπτῳ κατέχεται παρὰ τῷ τῆς χώρας ἐπιτρόπῳ, ὃς εἴτ' ἐκ διαβολῆς, εἴτε καὶ ὑποτοπήσας αὐτός, αἰτίαν ἡμῖν ὡς κατασκόποις ἐπέφερεν· ἀπολογουμένων δὲ ὅσα καιρός, καὶ περί τε σοῦ τοῦ πατρὸς διεξιόντων, καὶ τῶν ἀπολειπομένων ἀδελφῶν, ἑνὸς μὲν τοῦ τεθνεῶτος, ἑτέρου δὲ τοῦ παρά σοι διατρίβοντος, ὃν ἔφαμεν ἔτι νέον ὄντα διὰ τὴν ἡλικίαν οἴκαδε καταμένειν, πάντα ἀναμηνύοντες καὶ ἀπογυμνοῦντες τὰ τῆς συγγενείας εἰς τὸ ἀνύποπτον, οὐδὲν ἠνύσαμεν, ἀλλ' ἔφη μόνην ἂν αὐτῷ πίστιν ἀψευδοῦς ὁμολογίας γενέσθαι, τὴν ὡς αὐτὸν ἄφιξιν τοῦ νεωτάτου παιδός· οὗ χάριν καὶ τὸν δεύτερον κατεσχηκέναι, ῥυσιόν τι καὶ ἐνέχυρον ἐκείνου. Τὸ μὲν οὖν ἐπίταγμα πάντων ἀνιαρότατον· ὁ δὲ καιρὸς αὐτὸ προστάττει μᾶλλον τοῦ κελεύοντος, ᾧ πειστέον ἐξ ἀνάγκης διὰ τὰ ἐπιτήδεια, μόνης Αἰγύπτου χορηγούσης αὐτὰ τοῖς λιμῷ πιεσθεῖσι. ὁ δὲ βαρύτατον ἀναστενάξας, τίνα πρῶτον, εἶπεν, ὀλοφύρομαι; τὸν περιέχαρτον, ὃς οὐ πλανητός; ἀλλὰ πρῶτος ἔλαχε τὴν τῶν συμφορῶν τάξιν, ἢ τὸν δεύτερον; ὃς τὰ δευτερεῖα τῶν κακῶν ἤρατο πρὸ θανάτου δεσμά, ἢ τὸν νεώτατον; ὃς ἀπευκταιοτάτην ὁδὸν ἀφίξεται; ἐὰν ἄρα ἀπίῃ, ταῖς τῶν ἀδελφῶν κακοπραγίαις οὐ σωφρονισθείς. ἐγὼ δὲ κατὰ μέλη καὶ μέρη διαιρούμενος· μέρη γὰρ τέκνα γονέων· εἰς ἀπαιδίαν κινδυνεύω περιελθεῖν ὁ πολύπαις, καὶ εὔπαις ἄχρι πρὸ μικροῦ νομισθείς. ὁ δὲ πρεσβύτατος, εἰς ὁμηρείαν, ἔφη, σοὶ δύο υἱοὺς δίδωμι, οὓς καὶ μόνους ἐγέννησα, τούτους ἀπόκτεινον, ἐὰν μὴ σῶον ἀποδῶ τὸν ἐγχειρισθησόμενόν μοι ἀδελφόν, ὃς ἀφικόμενος εἰς Αἴγυπτον, δύο περιποιήσει τὰ μέγιστα ἡμῖν, ἓν μέν, πίστιν σαφῆ τοῦ κατασκόπους μηδὲ πολεμίους εἶναι· ἕτερον δέ, τὸ τὸν ἀδελφὸν τὸν ἐν δεσμοῖς ἀπολαβεῖν δυνηθῆναι.

Hæc ita verſa ſunt à Gelenio. *At regiæ vicarius aſſumpta Ægypti procuratione obibat ejus regionis præfecturas & oppida, omnibus novum magiſtratum officiosè ac hilariter excipientibus, quos tum beneficiis tum comitate ſibi devinciebat, elucente in ipſo vultu hominis eximiâ quadam gratia. Poſtquam autem eventu ſomniis reſpondente advenit illud prius ſeptennium fertiliſſimum, quintam partem frugum quotannis exigens per ſubpræfectos & miniſtros publicos, tantum comportavit manipulorum numerum, quantum nemo antea collectum meminerat. Nec enim iniri potuit eorum numerus, quamvis plurimi occupati eſſent in eo negocio, quibus mos eſt curiosè dinumerare talia. Elapſo autem ubertatis ſeptennio fames incepit, qua uſque creſcens & procedens non continuit ſe Ægypti terminis, ſed diffuſa per omnes deinceps civitates regioneſque quam longè lateque patet orbis habitabilis, pervenit ad extremos orientis, occidentiſque populos. Fertur nunquam ante ſic laboratum malo communi univerſis gentibus, quale medicorum filii ſerpiginem nominant: quod omnes partes corporis invadens ignis more depaſcitur: quamobrem*

quaque

quæque gens per honoratiſſimos legatos frumentum in Ægypto petebat; jam enim fama providentiam juvenis præfecti ubique vulgaverat, qui commeatus copioſos ſervaſſet ad futuram penuriam. Ille primum aperiri jubet omnia horrea, ut aſpectu ipſo & ſpe recrearet animos, priuſquam ſuccurreretur corporis neceſſitatibus. Deinde inſtituit annonæ curatoribus vendebat frumentum, ſemper in futurum proſpiciens, cujus temporis majorem quam præſentis rationem habebat. Interea pater etiam illius, deficientibus paulatim rebus ad victum neceſſariis, ignorans fœlicitatem juvenis, mittit frumentatum decem filios, retento domi natu minimo, qui prorſus uterinus frater erat. Illi in Ægyptum profecti fratrem tanquam alienum adeunt, & majeſtate ſtupefacti adorant priſco more hominem, confirmantes eventu ſomnia: qui venditores ſuos conſpicatus mox omnes agnovit, ipſe agnitus à nemine, Deo nondum volente aperire veritatem ob cauſas quaſdam neceſſarias, quas tum diſſimulari fuit ſatius. Is enim aut vultum ejus mutavit in auguſtiorem ſpeciem magiſtratu ſummo dignam, aut mentes obtuentium hebetavit, quo minus cernerent. Ille non ut juvenis ad tantum principatum evectus, & regi longè potentiſſimo dignitate proximus, clarus ætate ac poteſtate de vindictæ occaſione cogitavit, ſed imperavit ſuis affectibus, premens atque recondens eos in animo, magno conſilio perſonam infenſi aſſumens, torvo aſpectu voceque objurgatoria miſeros territans. Heus vos, inquit, nihil pacatum habetis in animo. aliquis ex regis hoſtibus exploratores vos ſubmiſit, cui ſceleratam operam polliciti, putaſtis vos poſſe fallere: ſed non latent me inſidiæ veſtræ, quantumvis eas tegere conamini. Fratres crimen intentatum à ſe depulſuri, negant ſe huic culpæ affines, qui nec ab hoſtibus veniant, nec ipſi ſint hoſtiliter affecti, nec induci queant ad tale miniſterium. eſſe enim ſe natura pacis cupidos & à tenera ætate legibus parere didiciſſe ſub patre viro ſancto religioſoque, qui duodecim genuerit filios: ex quibus unum domi manſiſſe propter ætatem nondum peregrinationi maturam, decem coram adſtare, reliquum ſublatum è medio. Hæc de ſeipſo loquentes audiens tanquam de mortuo, quid animi habere potuit? Quamvis enim nec tunc affectum ſuum protulit, tamen intus verebatur in pectore: nihilominus pari oris gravitate: Si, inquit, verum dicitis vos exploratores non eſſe, ut certior fiam, manete hic pauliſper, & fratrem minimum vocate per literas. quod ſi patris neceſſitas vos manere non ſinit, ne graviter ferat diuturnam veſtram abſentiam, abite omnes obſide hic relicto uno, donec revertamini cum natu minimo. ſi ſecus feceritis, capitale fuerit. Hæc truculente, ut videbatur, interminatus deſtitit. Illi mæſti damnabant ſuam in fratrem ſævitiam dicentes: Nunc veterem injuriam præſenti calamitate luimus, pœnas à nobis exigente juſtitia rerum humanarum præſide, quæ ſcelus ad tempus diſſimulatum inclementer arguit, ut dignum eſt. quis enim pœna dignos neget? qui fratris innocentis preces immaniter contempſimus, quem miſerari debuiſſemus, nocturnas viſiones narrantem quaſi familiaribus. at nos efferati & crudeliſſimi nefarium (quod negari non poteſt) ſcelus perpetravimus: propter quod & hæc patimur & triſtiora expectamus: qui cum ſimus penè omnium hominum nobiliſſimi paternis, avitis, cæterorumque majorum virtutibus, cognationem dehoneſtavimus admiſſo probro maximo. Tum grandior natu, qui jam inde à principio conſpirationi ſeſe oppoſuerat: Actorum, inquit, inutilis eſt pœnitentia. rogabam, ſupplicabam, oſtendens quam impius eſſet conatus veſter, dehortans ne iræ indulgeretis. cum mihi aſſentiri debuiſſetis, maluiſtis ſequi veſtrum inſanum conſilium. ergò fructum dignum pervicacia tam impia carpimus, & mercedem accipimus debitam. Inquiſitio fit in paratas inſidias juveni, nec homo inquirit, ſed Deus, aut divinum jus aut providentia. Hæc ſubmiſſe colloquentes fratres audiebat ille venditus, qui per interpretem cum eis egerat, jamque impar affectibus prorumpentibus lacrymis, ne deprehenderetur, averſus eſt: & poſtquam delacrymavit, dolore paulum levato, abſterſâque facie reverſus ad eos jubet vinciri fratrem à

gran-

grandiſſimo proximum, idque inſpectantibus cæteris omnibus, quaſi ſibi ex adverſo oppoſitum; inter complures ſecundo penultimus opponitur, ſicut primus ultimo. Et fortaſſe maxima pars culpæ in eo fuerat, quaſi autore conſpirationis nefariæ, qui cohortem fratrum animaverit, & ad odium incitaverit. nam ſi fratri benè clementerque conſulenti, quo uno minor, cæteris erat grandior, ſuum adjunxiſſet ſuffragium, vix admiſſum fuiſſet facinus, prævalente per conſenſum honore ætatis & ordine, præſertim in tanti momenti negotio, nunc maluit à meliore parte ad deteriorem deficere, & in immitem duramque ſententiam diſcedere, tanta contentione, ut ejus ductu hortatuque ſine mora perpetratum ſit impium facinus, hoc eſt, cur ſoli ex omnibus injecta puto vincula. Cæteri jam parabant ſe ad reditum, proregis juſſu impletis per frumentarios omnibus ſaccis fratrum tanquam hoſpitum, & repoſito pretio in eorum orificiis, nemine tamen ſuper hac re præmonito, inſuper auctarii vice additum eſt quantum redeuntibus in itinere poſſet ſufficere, ut quod coëmerant deportarent integrum abſque ullo detrimento & diſpendio. Ingreſſi verò iter cum juſto vincti fratris deſiderio, nec minus de patre ſoliciti, ægrè laturo numeroſam prolem decreſcere ſingulis profectionibus, ac ne credituro quidem de vinculis, ſed prætexi morti hoc commentum ſuſpicaturo, ut ſolent de cætero ſuſpicaces eſſe qui ſemel impegerunt, ſub veſperam deponunt jumentorum ſarcinas, ipſi curas non adeo deponunt ut premantur gravius. Sic enim uſu venit ut interquieſcente corpore mens improviſos caſus per otium penſitans angatur magnis moleſtiis, tum aperto uno quopiam ſacco reperta eſt in ejus ore crumena plena pecuniis: quibus numeratis inventum eſt ſolidum frumenti precium, duntaxat quantum ſaccus capiebat: qui invenerat, rem fratribus indicat, ſtupens miraculo: hi non gratiam, ſed inſidias rati & animo deſtituebantur & conſilio: cumque vellent omnes ſaccos excutere, metu perſecutionis inde profecti, pene continuato curſu aliquot dierum iter abſolverunt magno compendio. Tum verò alius poſt alium ruentes in patris complexus, deoſculabantur ſenem præbentem ſe quamvis jam præſagientem inexpectatum neſcio quid. Senſit enim deeſſe unum ſalutatorem, cujus mox tarditatem accuſavit, ſubinde proſpectans in viam, & requirens integrum filiorum numerum: ſed cum nemo ſuperveniret amplius, videntes eum metu ſolicitum ſic alloquuntur: In caſibus inopinatis, mi pater levior eſt cognitio quam dubitatio: nam re cognita poteſt inveniri ad ſalutem aditus, hæſitatio nihil expedit: audi nunc valdè moleſtum nuntium, ſed auditu neceſſarium. Frater quem nobiſcum miſiſti ad frumentum emendum, non reverſus vivit tamen, benè habet quod ſalus ejus in tuto eſt, detinetur autem in Ægypto vivens apud præſidem: qui ſive aliorum calumniis, ſive ſuſpicioni ſuæ credulus, pro exploratoribus nos habuit: cumque in defenſionem noſtram afferremus quod in mentem veniebat ex tempore, narrantes de te reliquiſque fratribus, uno defuncto, altero apud te manente, quem dicebamus propter ætatem teneriorem domi ſubſtitiſſe: atque ita omnia de tota cognatione noſtrâ proderemus nil diſſimulando, quo magis ſuſpicio eximeretur homini, nihil profecimus, illo negante ſe crediturum nobis, niſi viſo fratre noſtro natu minimo. Eam ob cauſam ſecundo genitus retentus eſt pro obſide, dimittendus quam primum alter exhibitus fuerit: id imperatum fuit longè moleſtiſſimum ſed durior etiam eſt neceſſitas præſentis temporis, cui parere oportet propter victualia, quæ nunc fame preſſis ſola Ægyptus ſuppeditat. Tum ſenex gemitum ducens ex imo pectore, Quem ergò primum, inquit, deplorabo? penultimumne, non extremum ſed primum in calamitatum ordine? an ſecundo genitum, qui miſeria primo proximus, non prius mortem ſenſit quam vincula? an natu minimum, cui abominanda profectio ſuſcipienda eſt ſi modo proficiſcetur, fratrum infortunio factus nihilo cautior? Interim ipſe membratim pereo: nam parentum partes ſunt liberi. Tum maximus natu, En tibi pro uno filio duos obſides, quos

ſoles

ſolos genui: in hos ut libet ſævito, ni fratrem meæ fidei committendum incolumem reſtituo: cujus in Ægyptum profectio duo maxima nobis afferet commoda: unum quod credetur nec hoſtes nec exploratores nos eſſe: alterum quod recipiemus fratrem è vinculis.

Cap. XLIII.

JAcob fame urgente compulſus filios ſecundò in Ægyptum frumenti emendi cauſa mittere ægrè à Benjamin divellitur, 1--10. Dimittit eos cum muneribus fauſta à Domino precatus, 11--14. In Ægyptum cum adveniſſent, deducendi in domum Joſeph, excuſant ſe de pecunia in ſaccis inventa, 15-23. Curati in palatio Joſeph, muneribus oblatis ſalutantur à Joſeph v. 24--28. Qui conſpectu Benjamin præ gaudio in lachrymas erumpit quæſito ſeceſſu, v. 29-31. Tum compoſito oris habitu epulatur cum fratribus, 31--34.

v. 2. Consumptisque Cibis, Quos Ex Ægypto] Mercerus: *Intellige non quod prorſus exhauſtum* (frumentum) *eſſet. Quomodo enim tamdiu exſpectaſſent, donec in Ægyptum reverſi eſſent. Iacob & tam ampla familia forſan 200. aut 300? Nam 70. erant animæ ortæ ex femore Iacob, ut cap. 46. dicetur: erant nurus. Vxores Iacob & ancillas mortuas tum fuiſſe putant ſed erant multi ſervi & domeſtici, niſi magnam partem interim velimus glandibus, leguminibus, radicibus & aliis ejuſmodi cibis victitaſſe, ut fit tempore famis. Tum enim ſuſtentant omnes cibi, nec annona ex Ægypto advecta, cum decem tantum aſinis in multos dies eſſe potuit & niſi plures aſinos habuerunt quod veriſimilius eſt. Potuit, ut quidam conjectant, Iacob cum liberis & nuribus veſci frumento, cæteri interim rebus aliis. Intellige ergò, quod hoc loco dicitur. Cum bona ex parte inſumpſiſſent, cum ferè ad extremum perduxiſſent. Nam pater providus in tempore occurrere voluit; priuſquam deſineret prorſus annona.* Calvinus ita: *Quæri autem poteſt hoc loco, quomodo familiam vel ad paucos dies aluerit Iacob tam exiguo tritico. Nam ut demus plures à ſingulis ductos fuiſſe aſinos, quid hoc ad paſcendos trecentos homines? Nam cum majore ſervorum numero abundaret Abraham & de ſervis Iſaac ſuprà facta fuerit mentio: non eſt credibile ſic prorſus nudatum fuiſſe Iacob, ut ſervus nullus reſtaret. Si dicamus hominem advenam fame fuiſſe coactum ad omnes vendendos, incerta erit divinatio. Mihi videtur magis conſentaneum glandibus, herbis & radicibus victitaſſe. Scimus enim orientales, præſertim ubi urget aliqua neceſſitas, contentos eſſe tenui & arido victu & videbimus paulò poſt, in illa tritici penuria, fuiſſe aliorum fructuum proventum. Sic igitur arbitror, non plus emptum fuiſſe tritici, quam quod ipſi Iacob, liberis ac nepotibus in frugalem & reſtrictum cibum ſufficeret: ſervis demenſum aliunde fuiſſe confectum. Nec vero dubium eſt, quin tota regio pro ſervorum alimentis ad glandes & hujuſmodi ſubſidia confugere coacta fuerit ac panis triticeus fuerit divitum lautitiæ.* Hactenus Calvinus, cujus ſolutio quanti facienda ſit neſcio. Si frumentum ex Ægypto petitum tantum ſit ad lautitias, quomodo dicitur, *famem gravem fuiſſe in terra* v. 1? ubi tantum lautitiæ divitum deſunt, non urget fames. Deinde, quam ægre Jacob filios & prima & ſecunda profectione à ſe demiſerit, res prodit? Certe non ad coëmendas lautitias. Maluiſſet ſane tenui & arido cibo vitam toleraſſe, quam in id periculum filios mittere. Ut Jacob, ita omnes Cananææ aliarumque regionum incolæ certatim in Ægyptum confluebant, non utique lautitiarum habendarum cauſa. Tertiò, Ægyptii pecora, agroſque ſeque ipſos in ſervitutem Pharaoni tradiderunt, poſtquam omnis pecunia & quicquid ipſis eſſet, defeciſſet, quod plebs fecit, quæ lautitiis facile caret. Omnem etiam pecuniam Cananææ Joſeph corraſit in æ-

rarium regium, ut cap. 47. exponitur. Judas etiam teſtatur mortis periculum ſibi ſuiſque parvulis imminere, niſi in Ægyptum à patre dimittantur. Ingenti inopia igitur rerum neceſſariarum premebantur omnes, & ſine frumento ex Ægypto advecto fuiſſent perituri. Quod autem attinet delicatos illos fructus, quos pro muneribus in Ægyptum deferebant, eorum proventus ad delicias non alimoniam faciebat. Et hæc in iſta ſiccitate aut aliis cauſis ſterilitatis melius durare potuerunt. Jacob dicebat filiis, *Emite nobis* מְעַט אֹכֶל *parum cibi.* Ubi obſervant interpretes patriarcham, bonum ſenem, non petiiſſe abundantiam ſed neceſſitatem. *Sperabat enim* (inquit Lyranus) *quod Dominus reſpiceret populum ſuum, concedendo, quod terra daret fructum.*

v. 3. Respondit Judas] Joſephus, καὶ τοῦ πάθους ὂν χείρονος καθ' ἑκάστην ἡμέραν γινομένου καὶ τῶν υἱῶν δεομένων, οὐκ εἶχεν ὅτι χρήσαιτο τοῖς πράγμασιν. *Cum igitur calamitas indies creſceret & filii peterent, neſciebat*, quomodo ſe in his rebus gereret. Judam igitur non tam ad patris mandatum quam ad neceſſitatem temporis reſpondiſſe putat. In quo à Scriptura aberrat: ſicuti & tota ejus oratio apud eum patrem increpat, quod cura & ſolicitudine nimia circa Benjamin, peccet in ipſos & Simeonem, qui in Ægypto obſes relictus eorum libidini exponeretur. In ſcriptura Judas ad mandatum patris reſpondet, ſe non poſſe proficiſci, quia pacto & ſeveriſſimo præcepto proregis ſatisfaciendum erat. Cum Jacob (per impatientiam quaſi aliquam perfidiæ notam ſive ſuſpicionem objiciens) regereret: Male egiſſe, quod indicaſſent, ſibi fratrem minimum apud patrem eſſe, omnes regerunt: diligenti inquiſitione elicuiſſe id proregem ex ore ipſorum, qui etiam divinare non poterant, juſſurum, ut ſecum adducerent. Hinc Judam obteſtatum eſſe patrem ut puerum ſibi committeret, quo tandem ad neceſſaria coëmendum ire poſſent & vitam ſuſtentare cum ipſo Benjemin & parvis liberis. Se fide-jubere, ab ſuis eum manibus repoſceret, ſi quid adverſi accideret. Joſephus: πιστεῦσαι δὲ περὶ αὐτοῦ τῷ θεῷ παραινοῦντος καὶ αὐτῷ ὡς ἢ σῶον ἐπανάξοντος τὸν υἱὸν αὐτῷ ἢ συγκαταστρέψοντος ἅμα ἐκείνῳ τὸν βίον.

v. 8. ונחיה Et Vivere Possimus] Raſi putat ſcintillam hic emicare Spiritus S. prædicentis bonum eventum נצנצה בו רוח הקדש על ידי הליכה זו תחי רוחך שנאמר ותחי רוח יעקב אביהם: *Scintillat in eo Spiritus S. Per hanc profectionem viviſcet Spiritus tuus.* Q. D. [Gen. 45. 27.] Et viviſcebat Spiritus Jacobi patris eorum.

ולא כמות] Raſi: *Fame. Benjamin* [ספק] *forte capietur*, forte non capietur: at nos omnes moriemur (מתים) fame, niſi eamus. מוטב שתניח את הספק ותתפוש את הודאי *Melius eſt ut ſinas dubium & apprendas certum.*

v. 9. Peccavero In Te Omni Tempore] Raſi: לעולם הבא Mercerus: *Sed ſatius eſt de toto vitæ tempore accipere, ut in perpetuum à gratia ejus accidat & ſit ſons apud illum.* Sunt qui hanc fidejuſſionem ſolenniter factam putent velut in judicio, qua Judas ſe vadem fore pro Benjamin promitteret & conſtitueret.

v. 11. Si Sic Necesse Est] Ceſſit Judæ, quum non cederet Rubeno ſimilem fere ſponſionem facienti. Rationes hæ dari ſolent. 1. Gratior illi fuit Judas quam Ruben. 2. Expugnatus tandem eſt, cum tamdiu & uſque adeo omnes urſiſſent. 3. Videbat Judæ zelum, locuti ὑπερβολικῶς. 4. Neceſſitas differri non potuit. Theodoretus Ruben non eſſe admiſſum putat, quia inviſus & ſuſpectus patri erat ob inceſtum: Ὕποπτος ἦν αὐτῷ διὰ τὴν προγινομένην συνουσίαν, ἐκ τῆς αὐτῆς παροινίας. Ἠγνόει δὲ καὶ ὅσην ὑπὲρ τοῦ Ἰωσὴφ εἰσενηνόχει σπουδήν. Victus neceſſitate & urgentium prementiumque aſſiduis pre-

cibus

cibus & duriſſimis obteſtationibus, *ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ*, decrevit concedere, at ſimul omnia facere molliendo proregis animo, de cætero rem Deo committere. [מזמרת הארץ]. Raſi: שהכל מזמרין עליו כשהוא בא לעולם / *Quod omnes cantent ſuper hoc, quando in ſeculum introiit.* Illa terræ Canaan præſtantiſſima fuerunt. Mercerus: *His terra Canaan abundaſſe videtur, caruiſſe Ægyptus, ideò Ioſepho tum Ægypti principi grata & accepta fore putavit.* Pleraque horum in cap. 37. commemorata, quæ Iſmaelitæ è Galadena in Ægyptum deferebant, נכאת וצרי ולוט / at hic habetur מעט צרי ומעט דבש נכאת ולוט בטנים ושקדים: Sex ſpecies diſtinctæ, quarum binæ copulantur adeoque inter ſe vicinæ videntur eſſe: דבש mel ſignificat; de צרי נכאת לוט dicto loco diſputavimus: proinde diſquiſitio reſtat de בטנים ושקדים. Raſi notat נכאת in Breſith Rabba שעוה [*ceram*] exponi in hoc loco. Onkelos reddidit cap. 37. & hoc loco per שעף quod idem eſſe volunt cum שעוה: ut longiſſimè diſtet à שעף. De voce בטנים dicit Raſi: *Neſcio quid ſit, at in lexico R. Machir vidi* פישטקאם *& videtur mihi quod ſint Perſica.* Aben-eſdras: Eſt *ἅπαξ λεγόμενον in Scriptura, quidam dicunt eſſe nuces.* שקדים amygdala, at LXX. & Hieron. terebinthum. Hebræi qui de ſuo patriarcha nihil humile aut abjectum ſentire poſſunt, hic etiam, ut ſupra adverſus Eſau, ad tria eum ſe voluut præparaſſe, ad munus, orationem & bellum. Duo priora patent, ultimum nullo modo eſt veroſimile. Quare nec Joſephus nec Philo de eo quicquam. Sed dicunt eum muniſſe filios his fructuum generibus ſex adverſus omnem calamitatem & afflictionem, tanquam magicis remediis, quæ abbreviate vocant צנד לבש. In Baal Hatturim ſex illæ ſpecies ſunt pro numero ſex filiorum è mulieribus liberis. Joſephus dicit munera fuiſſe, *τό τε τῆς βαλάνου μύρον καὶ σάκτης, τερέβινθον καὶ μέλι.* Vulgata verſio: *Modicum reſinæ & mellis, & ſtoracis & ſtactes & terebinthi & amygdalarum*: ubi τὸ בטנים vertitur *terebinthus*, veroſimilius quam שקדים. Hieronymus qu. Hebraic. in Geneſin: *Et deferte viro munera aliquid reſinæ & mellis & thymiama & ſtacten & terebinthum & nuces: Sive ut Aquila & Symmachus traſtulerunt amygdala. Idcirco hoc capitulum poſuimus, ut ſciamus, ubi in noſtris codicibus habetur thymiama, in Hebræo eſſe* נכאת / *quod Aquila ſtoracem tranſtulit: ex quo domus nechotha, quæ in Eſaia legitur, manifeſtiſſimè cella thymiamatis ſive ſtoracis intelligitur: quod in illa aromata diverſa ſint condita* Nos לוט putamus eſſe ſtacten, דבש *mel*, צרי reſinam ſeu potius opobalſamum, שקדים amygdala; de נכאת & בטנים incerti quærimus: Joſephus accepit *τὸ τῆς βαλάνου μύρον* pro צרי uti videtur, & בטנים interpretatur *τερέβινθον*. *Μυροβάλανον* ſeu *βάλανος μυρεψική* Latinè glans unguentaria, naſcebatur in arbore ſimili myricæ, magnitudine nucis avellanæ. Cujus nucleus amygdalarum amararum more tritus, humorem reddebat, quo ad pretioſa unguenta pro oleo utebantur. Naſcebatur in Æthiopia, Ægypto, Arabia & Petra oppido, ſecus Judæam. Hæc Dioſcorides ſcribit lib. 4. cap. 154. In illud caput ita Matthiolus: *Glans unguentaria, quam Græci βάλανον μυρεψικὴν vocant, in Hiſpania frequentiſſima gignitur. Adfertur hodie copioſa in Italiam. Vnguentarii ac ſeplaſiarii Mauritanorum nomina ſecuti, eam Ben appellant. Forma hæc piſtaciæ maximè refert, albo cortice, triquetro, fractu facili, nucleo intus conferto admodum pingui, ex quo oleum exprimitur, quod de Ben vocant.* Deinde: *Nam rancoris expers cum ſit omnium aptiſſimum habetur ad odoratiſſima unguenta (miſturas vocant) temperanda, quæ ex Moſcho Zibetto & Ambaro, illiniendis Chirothecis & aliis, quorum in deliciis & laſcivia omnis eſt uſus & gratia, parantur. Quandoquidem ſi hæc alio quovis oleo liqueſcerent in unguentum, contracto inde non multo poſt tempore rancore (ætate enim omne oleum, præter balaninum canceſcit) non modo univer-*

ſam odoris ſuavitatem exuerent ſed etiam putida fœtidaque evaderent. Theophraſtus arborem myrobalani (quam ipſe & ex eo Plinius balanum vocant) hiſtor. plant. lib. 4. cap. 2. ita deſcribit. Ἡ δὲ βάλανος ἔχει μὲν τὴν προσηγορίαν, φύλλον δὲ παραπλήσιον μυῤῥίνης [f. μυρίκης] πλὴν προμηκέστερον. ἔστι δὲ τὸ δένδρον ἀπαθὲς μὲν καὶ εὐμέγεθες. οὐκ εὐφυὲς (al. δύσφυὲς) δὲ ἀλλὰ παρεστραμμένον. Τοῦ καρποῦ δὲ τοῖς κελύφεσι χρῶνται οἱ μυρεψοὶ, κόπτοντες· εὐώδες γάρ τι ἔχει, τὸν δὲ καρπὸν αὐτοῦ ἄγρεον (corrupta hæc) ἔστι δὲ καὶ τῷ μεγέθει καὶ τῇ ὄψει παραπλήσιον τῷ τῆς καππάρεως· ξύλον δὲ ἰσχυρὸν καὶ εἰς ἄλλα τι χρήσιμον καὶ εἰς τὰς ναυπηγίας. Arborem myrobalanum f. g. at neutro genere Plinius fructum appellat lib. 12. cap. 21. *Myrobalanum*, inquit, *Troglodytis & Thebaidi & Arabiæ (quæ Iudæam ab Ægypto diſterminat) commune eſt, naſcens unguento, ut ipſo nomine apparet: quo item indicatur & glandem eſſe arboris heliotropio (quam dicemus interherbas) ſimili folio: fructus magnitudine avellanæ nucis. Ex his in Arabia naſcens Syriaca appellatur & eſt candida, contra in Thebaide nigra. Præfertur illa bonitate olei, quod exprimitur, ſed copia Thebaica: inter hæc Troglodytica viliſſima eſt. Sunt qui Æthiopicam iis præferant, glandem nigram ac pinguem, nucleoque gracili, ſed liquore, qui exprimitur, odoratiori. Naſcentem in campeſtribus Ægyptiam pinguiorem eſſe & craſſiori cortice rubentem, & quamvis in paluſtribus naſcatur, breviorem ſiccioremque: è diverſo Arabicam viridem ac tenuiorem, & quoniam ſit montoſa, ſpiſſiorem. Longè autem optimam Petræam, ex quo diximus, oppido, nigro cortice, nucleo candido. Vnguentarii autem tantum cortices premunt: medici nucleos, tundentes, affuſa eis paulatim calida aqua.* In cap. ſequenti refert & palmam in Ægypto provenire quæ myrobalano ſimilem proximumque uſum habeat. Myrobalanum Latinè glans unguentalia commune vocabulum, fructuum non unius generis. Eſt enim palma, quæ myrobalanum fert probatiſſima in Ægypto, ut Plinius teſtatur lib. 23. cap. 5. Ex his patet unguentum hoc nihil cum reſina affinitatis habere, ut צרי appellari poſſit, nec ita Syriæ eſſe peculiare ut inde muneris loco proregi Ægypti mitti potuerit. Vilius etiam eſſe & magis in uſu communi. Odoris gratia illi nulla fuit. *At* (Plinius ita lib. 12. cap. 25.) *omnibus odoribus præfertur balſamum, uni terrarum Iudææ conceſſum &c. Præcipua autem gratia lachrymæ, ſecunda ſemini, tertia cortici, minima ligno.* Cæterum quid hic mel facit viliſſima merx. Hinc idem Plinius: *Non eſſet mellis autoritas in pretio minor quam laſeris, ni ubique naſceretur.* Fortaſſe eſt Elæomeli de quo Plinius lib. 15. cap. 7. *Sponte naſcitur in Syria maritimis, quod Elæomeli vocant: manat ex arboribus pingue, craſſius melle, reſina tenuius ſapore dulci.* Id vicinum opobalſamo, quod & ſuccus eſt arboris. Terebinthus in Syria laudatiſſima, Ægypto eam autores non attribuunt. Amygdalus forſitan ea tempeſtate in Ægypto nulla erat, quam Aſia, ut juglandes nuceſque Avellanas cæteris orbis partibus communicaverit. Notant Hebræi in hoc verſu ſcripturæ xi. contineri dictiones 24. quas ſi quis ingrediens per portam urbis peſte aut alio malo infeſtæ, recitaverit, illæſum fore. Ter repetitus iſte verſiculus dabit voces ſeptuaginta duas: quot literis conſtat nomen divinum unum inter cætera. Narrat Joſephus cum ſumma triſtitia multiſque lacrymis diſceſſiſſe: πολλὰ δ' ἦν παρὰ τοῦ πατρὸς ἐπὶ τῇ τῶν παίδων ἐξόδῳ δάκρυα κἀκείνων αὐτῶν. Ὁ μὲν γὰρ τοὺς υἱοὺς εἰ κομιεῖται σώους ἐκ τῆς ἀποδημίας ἐφρόντιζεν, οἱ δὲ οἱ (lego εἰ δὲ οἱ) τὸν πατέρα καταλάβοιεν ἐῤῥωμένον καὶ μηδὲν ὑπὸ τῆς ἐπ' αὐτοῖς λύπης κακωθέντα. Ἡμερήσιον δ' αὐτοῖς ἠνύσθη τὸ πένθος. Pecuniam duplicatam, in Ægyptum detulerunt. Duplicatam illam quidam ita accipiunt de ſolo pretio ut ſi forte pretium incenſum eſſet, aut iniquum poſceretur. Nempe כסף משנה pro pretio

tio & argentum reportatum in ore ſacculorum. Alii illud duplicatum argentum totum fuiſſe putant, cui includeretur pretium frumenti emendi & abſumpti, vv. 15. 21. & 22. argumento. Eo modo ואת הכסף *ἐξήγησιν* notat. In precibus Jacob dicit, *Dimittat* vobis את אחיכם אחר. Hic arguſus eſt Raſi: Fratrem veſtrum Simeonem. אחר רוח הקדש נזרקת בו לרבות יוסף: *Sp. S. ſparſus eſt in eo ad dignitatem Ioſeph.* Putat illud אחר Joſephum notare, & quidem tacito nomine ob ejus eminentiam ita à Sp. S. adumbratam. Alii Simeonem à Jacobo voce *alius* notatum eſſe putant, quod eum odio haberet ob cædem Sichemitarum. Preces has fundit in nomine שדי. Hic Raſi notat, hoc nomen Dei poni ſuper רחמי id eſt, ut potentia in manu ejus eſt, ita ut det miſerationes. Hoc eſſe פשוט / at מדרש *Qui dicebat ſeculo*, ſufficit, *dicat* ſufficit *afflictionibus meis.* Nempe afflictiones ſex Jacobus pertulit pro numero harum ſpecierum; afflictionem Laban, Eſau, Rachel, Dina. Joſeph, Benjamin. Jacob poſt precationem ſubjungit querelam: וַאֲנִי כַּאֲשֶׁר שָׁכֹלְתִּי שָׁכָלְתִּי: Id exponit Raſi, *Quemadmodum orbatus ſum Ioſeph & Simeone, privor etiam Benjamino.* An in hoc verbo aliqua diffidentiæ infirmitas conjuncta ſit, quærunt interpretes. Raſi putat Jacobum id dicere, donec revertamini orbus ero, aut orbor, in orbitate futurus ſum. Ut ita commendet filiis ſuis omnem diligentiam. Exiſtimat Cl. Rivetus, Jacob ſe totum Deo commitere, ut qui preces fudiſſet, at non poſſet Deo præſcribere quod faceret. *Ego quando orbatus ſum, orbatus ſum.* Q. D. *Fiat Dei voluntas.* Cum Joſeph fratres ſuos videret interque eos Benjamin toto gaviſus animo, præcepit domus ſuæ diſpenſatori ut domum ſuam eos deduceret, pararetque convivium, quia meridie cum ipſo comeſturi eſſent. Diſpenſatorem Hebræi faciunt Manaſſen filium Joſephi eundemque interpretem, ut ſupra intelleximus. Sed Lyranus & Mercerus bene diſputant ætatulam pueruli ea præſtare non potuiſſe. Convivium in meridiem parari jubet. Mercerus: *Prandium ſignificatur, quod veteres illi, in illis maxime regionibus meridiano tempore ſumebant. Nam toto matutino tempore negotia ſua peragebant & illis vacabant: ſub æſtum diei (calidiores enim erant illæ regiones) domum ſe recipiebant & cibo ſuſſulciebant. Is erat primus diei cibus & ſolus, ut videtur. Tantum enim puto ſemel eos in die comediſſe.* Calvinus: *Dubium eſt, fueritne ordinaria hac prandendi hora Ægyptiis, an citius ſolito propter convivas illo die accubuerit Ioſeph. Veriſimile tamen eſt, notari conſuetum prandendi morem. Quanquam orientalibus quoque populis diverſa eſſe potuit victus ratio: non ſoli tamen Ægypto in uſu fuerunt prandia, ſed Iudææ & aliis vicinis regionibus. Credibile tamen eſt fuiſſe illis cænarum loco, quod & longa menſa forent, nec calidis gentibus tolerabilis fuiſſet noſtra edacitas: præſertim, quum ſolito lautius exciperent hoſpites, quemadmodum tunc factum eſſe paulò poſt conſtabit.* In Chaldæo interprete בצהרים redditur בשרותא *in convivio*, quia, notante Raſi, ita in ſermone Syro appelletur סעודה ראשונה *primum convivium*, quod vernacule diceretur *dizner*, quo ſignificato frequenter reperiatur in Thalmud, at צהרים ubique in Thargum reddi טיהרא. Hic igitur Thargum ſenſum non vocem expreſſit. Abraham etiam ſecundum æſtum diei, ut ſupra habuimus, angelos convivio excepit. Veterum pauciſſimi ſemel in die cibum ſumebant, plerique bis. Cum ſemel ſumebant cibum, ea cæna erat: qui enim meridianum cibum ſumebant, etiam cœnabant. Hinc apud Hippocratem, annotante doctiſſimo Caſaubono, *μονοσιτεῖν* & *ἀριστᾷν* opponuntur. *Μονοσιτεῖν* apud eum ſignificat ſemel in die cibum ſumere, (cum tamen id alias notet *μονοφαγεῖν*) *ἀριστᾷν* autem ſimul prandere non tantum cænare, ut faciebant *οἱ μονόσιτοι*. Ægy-

ptii admodum laute epulabantur, quemadmodum notat Lynceus apud Athenæum, qui Ægyptiorum cænas Perſicis præferebat.

Procurator juſſus eſt à Joſepho טבח טבח Imperat mactari mactarionem & parari. Joſeph ſolebat in loco aliquo publico audire petentes & eis dare reſponſa. E quo loco fratres in domum ſive palatium deducuntur. Raſi notat: *Non erat moru reliquos qui frumentum empturi venerant, deducere in domum Ioſeph ſed* בפונדקאות שבעים *in ſeptuaginta πανδοχεῖα.* Cum igitur viderent ſe deduci ad ædes præfecti, timore correpti & malæ conſcientiæ angore putabant ſibi calumniam ſtrui de pecunia, quaſi furto abſtuliſſent: de hac re inter ſe collocuti adeunt procuratorem in ipſo aditu ædium, priuſquam ingrederentur: Narrant ſe inveniſſe argentum pro frumento ſuperioris emptionis, inveniſſe in ore ſacculorum neſcios, unde id acciderit. Hoc igitur juſti ponderis reportare cum pretio faciendæ emptionis. Quibus benignè reſpondet Procurator: Pacem illis optat: jubet uti ne metuant. Deum enim ipſorum & patris eorum theſaurum occultum in ſacculis dediſſe: ſibi pretium in ſalvo eſſe. Quia dicit *Deum ipſorum & patris* exiſtimant interpretes, à Joſepho ad veri Dei notitiam fuiſſe perductum. Id veroſimile quia Joſephi miniſter erat & procurator, ſed non eſt neceſſarium argumenrum ex hoc dicto. Nam ea rempeſtate multi cum veri Dei culru, quem ſciebant ab iſtis Hebræis coli, idololatriam conjunxerant. Credo tamen Joſephum multos ab idololatria convertiſſe, licet ad circumciſionem eos non adegerit. At quomodo hoc erat factum, quod inſciis Jacobi filiis pecunia in ſaccos repoſita fnerit? Nempe frumentum in ſaccos fundebatur, à miniſtris ſub procuratoris oculis, ipſis non præſentibus, qui emebant. Quærunt Hebræi, quomodo filiis Jacobi id potuerit fieri veroſimile, quod non ab ipſo procuratore ejuſve miniſtris ſed aliunde theſaurus iſte venerit? Aben-eſdras: *Convenit, quod fuerit homini theſaurus in ædibus ſuis, quem oblitus ſit, quando cum repoſitorio poſuerat, qui egreſſus ſit in ſortem eorum, quia eorum argentum venerat ad ipſum.* Hic ſenſus eſt: Cum frumentum illud collectum & coacervatum eſſet è proventibus multorum agricolatum, quendam agricolam theſaurum repoſuiſſe in ſuo frumento, cum id necdum in Joſephi horrea eſſet devectum. At oblitum detuliſſe rheſaurum in frumento & cum eo in acervum frumentarium proregis. Advenientibus quotidie mulris quibus frumentum miniſtri admetirentur, eveniſſe ut in filiorum Jacob ſacculos infunderctur. Mercerus: *Sed cum argentum illorum ſingulorum eodem pondere eſſet redditum, id videtur difficulter fieri potuiſſe, præſertim in decem. Nam in uno contingere poterat. Ramban* (ut exponat opinionem fratrum Joſephi de hac reddita pecunia) *inquit id moris fuiſſe, ut in tanta turba & frequentia emptorum, ipſi emptores ſaccos ſuos unà cum argento dederint, dimenſurus frumentum: ac in ea confuſione (ut ſæpe videmus in vendendo frumento, mercibus & vino in magna hominum frequentia quoſdam abire non dato pretio & alia accidere inopinata) venditor miſcuerit pecuniam uno cum frumento per oblivionem, at illi ſaccos ſuos, uti ſibi dati erant, receperint, neſcientes, quid inſuper in illis eſſet poſitum.* Nos dictum procuratoris ſimplicius accipimus: quod extra ordinem & miraculoſe Deus illis theſaurum contulerit, quoniam, quod debitum eſſet, pretium accepiſſet. Hoc terrore defunctis aquam ad lavandos pedes dedit, & aſinis pabulum. Intereà, dum moratur Joſeph intellexerunt ſe pranſuros eſſe apud proregem: proinde munera in adventum ejus expediunr. חומיו עטורות בכלים נאים: Ita Raſi. Advenientem proni adorant, oblatiſque muneribus ſalutant. ויבא יוסף הביתה *Veniebat Ioſeph do-*

domum Raſi: מפרוזדור לטרקלין, *E veſtibulo in triclinium*. Ingredientem reverenter & cum ſumma demiſſione ſuſcipiunt. Inquirit de ſalute patris ſenis: reſpoudent: *Pax eſt ſervo tuo, patri noſtro: adhuc vivit.* Simulque id dicentes, *cervice inflexa adorant.* Raſi dicit קדוה eſſe כפיפת קדקד *inflexionem cervicis* at השתחוה eſſe משטח לארץ *expanſionem in terram.* Viſo Benjamin, diſſimulans eum noſſe, rogat: Eſſet ne iſte frater eorum, de quo dixiſſent: bene precatur ei: *Fili mi, Deus tui miſereatur.* Hinc accenſus intimiſque viſceribus erga fratrem commotus, lachrymis locum quæſivit in alio conclavi. Benjamin ille bimulus aut trimulus erat, cum Joſeph venderetur, jam erat viginti quinque ferme annorum. Gaudet igitur poſt tantum temporis eum videre. Non appellat nomine, ne ſe proderet; qui noluit agnoſci. Fingunt Judæi colloquium aliquod interceſſiſſe inter Joſeph & Benjamin, antequam Joſeph ita commoveretur. Raſi: *Eſtne tibi frater uterinus? Dicit ei, Eſt mihi frater, ſed neſcio ubi ſit. Suntne tibi filii?* R. *Sunt mihi filii decem. Dicit: Quæ nomina eorum?* R. Bale, Becher *&c. Dicit: Quæ ratio* [טבן] *eſt nominum iſtorum?* R. *Omnia ad nomen fratris mei & afflictiones, quæ ipſum invenerunt.* Bale בלע, *quia abſorptus eſt inter populos.* Becher, *quia fuit primogenitus matris meæ.* Asbael, *quia captivavit ipſum Deus.* Gera, *quia incola factus eſt in peregrino.* Naaman, *quia fuit pulcher ſupra modum.* Achi & Ros, *frater meus & caput meum erat.* Muppim, *ex ore patris mei didicit.* Huppim, *quia non vidit thalamum meum & non vidi thalamum ejus.* Ard, *quia deſcendit inter populos, ut eſt in Maſſecheth Suta: confeſtim exarſerunt viſcera ejus.*

Recolligit ſe Joſeph, quamprimum potuit & loto compoſitoque vultu in triclinium regreſſus, jubet apponi cibum. Poſitæ itaque ſunt tres menſæ uti videtur. Nam ſeparatim Joſepho, ſic & fratribus, item Ægyptiis appoſitum eſt. Fratres dicuntur ſediſſe (non accubuiſſe) coram Joſeph pro gradu & ordine ætatum. Videri potuit Joſeph ſolus pro dignitate & more principum pranſitaſſe. Fratres autem ſeparati ab Ægyptiis edebant, quia non poſſent Ægyptii cibum ſumere cum Hebræis, quod ipſis erat abominationi. Fratres enim non vitabant Ægyptios, ſed vitabatur eorum menſa ab Ægyptiis. Cauſa, ob quam Ægyptii ſecreti menſis ederint, fuit gentis ſuperbia, ut quidam arbitrantur, contemnentis præ ſe alias nationes. At hic ſeparatim dicitur de Hebræis, non generatim de omnibus populis, eos fuiſſe Ægyptiis abominationi. Alii putant ideo Hebræos abominabiles fuiſſe Ægyptiis, quod mactarent animalia, quæ ab Ægyptiis colebantur. Hoc etiam Hebræis commune fuit cum aliis nationibus. Exiſtimo cauſam eſſe illam, quæ commemoratur cap. 46. 34. quod ovium paſtores abominationi ſint apud illos.

Ordo ille fratrum aſſidentium non fuit ut Hebræi volunt ex Joſephi mandato. Hoc enim ſi ab illo factum fuiſſet, nimiam admirationem excitaſſet, nec opus erat, quia ſine dubio ita locum à ſeipſis cepere, uti apud patrem erant ſoliti. Nugatorium enim eſt, quod Judæi (& inter eos Raſi) dicunt, percuſſo ſcypho è tinnitu Joſephum conjeciſſe, quæ nomina eſſent & quis ætatum ordo. Scriptura habet:

Et Mirabantur Nimis] Lyranus: *De hoc quod homo, quem credebant extraneum & eos ignorantem, feciſſet eos ita ſedere, ſicut ſedebant in domo patris. Si autem quæratur, quomodo non habuerunt per hoc aliquam ſuſpicionem, quod ipſe eſſet Ioſeph, qui prædictum ordinem ſciebat? dicunt Hebræi, quod hoc fuit, quia Ioſeph fingebat ſe hoc ſcire per artem divinandi. Percutiebat enim coram eis ſcyphum ſuum argenteum: & poſt primam percuſſionem dicebat; talis,*

qui

qui fuit πεντεπλασίων. Non male tamen δεῖπνον videtur appellare iſtud convivium, quia protractum eſt in veſperam. De Ægyptiorum moribus ſuo loco latius. Notat Raſi, Fratres & Joſephum ſe mutuo liberaliter vino invitaſſe, cum fratres poſt venditum Joſeph, nec ille poſt deportationem vino uſi eſſent. Obſervat Philo nondum ea tempeſtate morem accumbendi fuiſſe receptum. Ille hoc caput ita παραφράζει. Σφόδρα δ' ἀχθομένου τοῦ πατρὸς καὶ λέγοντος ἀγνοεῖν, ὅτι δυεῖν ὄντων ὁμομητρίων, ὁ μὲν ἤδη τέθνηκεν, ὁ δ' ἔρημος καὶ μόνος ἀπολειφθεὶς, ἀναβήσεται τὴν ὁδὸν, καὶ ζῶν παραπέμπεται τῷ δέει, κατὰ τὴν τῶν φοβερῶν ἐκείνων ὑπόμνησιν, ἃ συνέβη τὸν πρότερον παθεῖν. ταῦτα λέγοντος τοῦ εὐτολμοτάτου καὶ ἀρχικοῦ φύσει καὶ δυνατοῦ εἰπεῖν (ἦν δὲ καθ' ἡλικίαν ἀπὸ τοῦ πρώτου τέταρτος) παραστησάμενοι διεμήνυον, ἔλεγον τὰ δοκοῦντα πᾶσιν· ἐδόκει δὲ τῶν μὲν ἀναγκαίων ὑστεριζόντων· ὁ γὰρ κομισθεὶς πρότερον σῖτος ὑπολελοίπει. κρατοῦντος δὲ τοῦ λιμοῦ καὶ πιέζοντος, ἑτοιμασαμένοις ἀπιέναι, μὴ βαδιεῖσθαι δὲ τοῦ νεωτάτου δίχα καταμεμένοντας· τὸν γὰρ τῆς χώρας ἐπίτροπον ἀπηγορευκέναι τοῦτο παραγενέσθαι· λογισάμενος δὲ, ἅτε σοφὸς ἀνὴρ, ὡς ἔστιν ἄμεινον ἕνα προέσθαι, τῷ τοῦ μέλλοντος ἀδήλῳ καὶ ἀμφιβόλῳ, περὶ τῆς ὁμολογουμένης τῶν πάντων ἀπωλείας, ἣν ὑπομένειν πᾶς εἶχεν ἐνδείᾳ πιεσθεὶς, φησὶν αὐτοῖς, ἀλλ' εἰ τῆς ἐμῆς βουλήσεως ἐπικρατέστερα τὰ τῆς ἀνάγκης ἐστὶν, εἰκτέον. ἴσως γὰρ ἴσως ἡ φύσις οἰκοδομεῖ τι βέλτιον, ὃ μήπω τῆς διανοίας ἡμῶν παραφαίνειν ἀξιοῖ. λαβόντες οὖν καὶ τὸν νεώτατον, ὡς προῄρησθε, ἄπιτε· μὴ μέντοι τὸν αὐτὸν ὃν καὶ πρόσθεν τρόπον. πάλαι μὲν γὰρ ἀργύριον μόνον ἔδει πρὸς σιτωνίαν ἀγομένοις ἀνθρώποις, καὶ μηδέπω πεπειρᾶσθαι ἀνήκεστον· νυνὶ δὲ καὶ δώρων, τριῶν ἕνεκα, τῆς τε πρὸς τὸν ἡγεμόνα καὶ σιτάρχην ἀρεσκείας, ὑφ' οὗ γνωρίζεσθαί φατε· καὶ τοῦ τὸν ἐν δεσμοῖς ἀπολαβεῖν θᾶττον, πολλὰ καταθέντας αὐτοῦ λύτρα καὶ τὴν ὑπόνοιαν τῆς κατασκοπῆς ὡς ἔνι μάλιστα ἰάσασθαι. πάντων οὖν ὅσων ἡ ἡμετέρα γῆ φέρει λαβόντες, ὥσπερ τινὰς ἀπαρχὰς κομίζετε τῷ ἀνθρώπῳ, καὶ διπλοῦν ἀργύριον, τό, τε ἀποδοθὲν πρότερον· ἴσως γὰρ ἀγνοίᾳ τινὸς ἀπεδόθη. καὶ ἕτερον αὔταρκες εἰς σιτωνίαν. Ἐπιφέρεσθε μέντοι καὶ τὰς ἡμετέρας εὐχὰς, ἃς πρὸς τὸν σωτῆρα ποιούμεθα θεὸν, ἵνα καὶ εὐάρεστοι τοῖς ἐγχωρίοις ξενιτεύοντες ἦτε, καὶ ἐπανέρχησθε σῶοι, τὰς ἀναγκαίας παρακαταθήκας ἡμῖν ἀποδιδόντες πατρί, τόν τε καταλειφθέντα πρότερον ἐν δεσμοῖς, καὶ ὃν συνεπάγεσθε νυνὶ νεώτατον καὶ πραγμάτων ἄπειρον. ἄραντες δὲ, συνέτεινον εἰς Αἴγυπτον· οὐκ ὀλίγαις ὕστερον ἡμέραις ἀφικομένους ἰδὼν ὁ τῆς χώρας ἐπίτροπος ἥσθη πάνυ, καὶ κελεύει τῷ τῆς οἰκίας ἐπιμελουμένῳ, πολυτελὲς ἄριστον εὐτρεπίζειν, καὶ τοὺς ἄνδρας εἰσάγειν ἀλλὰ καὶ τραπέζης μεθέξοντας· εἰσαχθέντες δὲ, καὶ ἐφ' ὅτῳ μὴ συναισθόμενοι, διεπτόηντο, καὶ συγχυθέντες ὑπώπτευον ἐπὶ κλοπῇ μέλλειν συκοφαντεῖσθαι, ὡς ὑφελόμενοι τὴν τοῦ σίτου τιμὴν, ἣν πρότερον ἐν τοῖς ἀγγείοις ἀνεῦρον. εἶτα τῷ τῆς οἰκίας ἐπιμελητῇ προσελθόντες, ἀπελογοῦντο περὶ οὗ μηδεὶς ἐτόλμα κατηγορεῖν, τὸ συνειδὸς ἰώμενοι, καὶ ἅμα προσφέροντες, ἐδείκνυον τὸ ἀργύριον εἰς ἀπόδοσιν. ὁ δὲ χρηστοῖς καὶ φιλανθρώποις λόγοις εὐθυμοτέρους αὐτοὺς ἐποίει, φάσκων, οὐδεὶς ἀσεβὴς ἐστιν οὕτως, ὡς τὰς τοῦ θεοῦ χάριτας συκοφαντεῖν, ὃς ἵλεως εἴη. θησαυροὺς γὰρ ἐν τοῖς ὑμετέροις ὤμβρησεν ἀγγείοις, οὐ μόνον τροφὰς, ἀλλὰ καὶ πλοῦτον ἐξ ἑτοίμου διδούς. οἱ δὲ παρηγορηθέντες ἐν τάξει διετίθεσαν ἃ οἴκοθεν ἐπηνέγκαντο δῶρα· καὶ παραγενομένῳ τῷ δεσπότῃ τῆς οἰκίας προσέφερον· πυνθανομένῳ δὲ πῶς ἔχοιεν, καὶ εἰ ὁ πατὴρ ζῇ, περὶ οὗ πρόσθεν ἔλεγον, ἀποκρίνονται περὶ μὲν αὐτῶν οὐδὲν, περὶ δὲ τοῦ πατρὸς, ὅτι ζῇ καὶ ὑγιαίνει· κατευξάμενος δ' ἐκείνῳ καὶ θεοφιλέστατε προσειπὼν, τὸν ὁμομήτριον περιβλεψάμενος ἀδελφόν· ὡς εἶδεν, οὐ κατασχὼν, ἀλλ' ἤδη νικώμενος ὑπὸ τοῦ πάθους, πρὶν γενέσθαι καταφανὴς, ἐπιστρέφεται δραμὼν, προφάσει ἐπί τι τῶν κατεπειγόντων· ἐκλαλῆσαι γὰρ τἀληθὲς καιρὸς οὐκ ἦν· ἐν μυχῷ τινι τῆς οἰκίας ἀνακλαυσάμενος, ἀπέχει τὴν τῶν δακρύων φοράν· εἶτ' ἀπονιψάμενος, λογισμῷ τῆς ἀνίας ἐπικράτησε, καὶ προσελθὼν, εἰς τὰ τοὺς ξένους, ἀποδοὺς πρότερον καὶ τὸν ἀντὶ τοῦ νεωτάτου καταχεθέντα εἰς ὁμηρείαν. συνειστιῶντο δὲ καὶ ἄλλοι τῶν περὶ αἰγυπτίοις δοκίμων· αἱ δ' ὑποδοχαὶ, κατὰ τὰ πάτρια ἑκάστοις ἐγίνοντο, χαλεπὸν ἡγουμένου παραλύειν παλαιοὺς νόμους, καὶ ταῦτα ἐν εὐωχίᾳ τινὶ, ἔνθα τῶν ἀηδῶν αἱ ἡδοναὶ πλείους. ἑξῆς δὲ προστάξαντος κατὰ τὰς ἡλικίας καθίζεσθαι, μήπω, τῶν ἀνθρώπων ἐν ταῖς συμποτικαῖς συν-

 συνουσίαις

ουσίας κατακλίσει χρωμένων ἐθαύμαζον οἱ αἰγύπτιοι ζηλωταὶ τῶν αὐτῶν ἑβραίοις εἰσὶ, τάξεώς τι πεφροντικότες, καὶ τὰς πρεσβυτέρων καὶ νεωτέρων τιμὰς διακρίνειν ἐπιστάμενοι. Τάχα μέντοι καὶ τὸν ἄλλον χρόνον ἔφασκον, τῆς χώρας ἀμαθέστερον τὰ περὶ δίαιταν ἀγούσης, ὁ ἀνὴρ οὗτος τοῖς κοινοῖς ἐπιστὰς, οὐ μόνον τοῖς μεγάλοις πράγμασιν ἥρμοσεν εὐταξίαν, δι' ὧν τὰ εἰρήνης καὶ πολέμου κατορθοῦσθαι πέφυκεν ἀλλὰ κἂν τοῖς εὐτελεστέροις εἶναι δοκοῦσιν, ὧν τὰ πλεῖστα ἐν παιδιαῖς· ἱλαρότητα γὰρ ἐπιζητοῦσιν εὐωχίαι, σεμνὸν ἄγαν καὶ αὐστηρὸν συμπότην ἥκιστα παραδεχόμεναι, τοιούτους ἐπαίνους ἠρέμα συνειρόντων, τράπεζαι μὲν οὐ σφόδρα πολυτελεῖς εἰσκομίζονται διὰ τὸν λιμὸν, οὐκ ἀξιοῦντος τοῦ ξενοδόχου τῆς ἑτέρων ἀτυχίας ἐντρυφᾶν. αὐτοὶ δ' ἅτε σύνεσιν ἀκριβεῖς, καὶ τοῦτ' εἰς τὰ ἐγκώμια περιελάμβανον, ὡς ἀπειροκαλίαν πρᾶγμα ἐπίφθονον ἀπέστραπται, λέγοντες, ὡς καὶ τοῦ συναλγοῦντος τοῖς δεομένοις, καὶ τι τοῦ ἑστιάτορος σχῆμα διασώζει, μεθέλκων ἀμφοῖν τιθεὶς, αὐτὸν, καὶ τῆς ἐν ἑκατέρῳ μέμψιν ἐκφεύγων. αἱ μὲν οὖν παρασκευαὶ τὸ ἀμιγὲς εἶχον, πρόσφοροι τῷ καιρῷ γεγονέναι· τὸ δ' ἐλλιπὲς ἀνεπλήρουν αἱ συνεχεῖς φιλοφροσύναι, προπόσεσιν, εὐχαῖς, παραινέσεσι τῆς εἰς ἀνάληψιν, ἃ τοῖς ἐλευθέροις, καὶ μὴ ἀμύστοις τὸ ἦθος ἡδίω τῶν ὅσα περὶ ἐδωδὴν καὶ πόσιν εὐτρεπίζουσιν οἱ φιλοπάτορες καὶ φιλάδελφοι, τὰ μηδενὸς ἄξια σπουδῆς, ὀλιγοφρόνων ἐπίδειξιν πομπεύοντες. Gelenii verſio hic habet: *Mæſtus Pater hærebat, è duobus eadem matre genitis orbatus altero, de alterius profectione ſolicitus, metuens ne impar anxietati ante reditum ejus moreretur, memor præteritorum caſuum. Tum adhibitus eſt qui inter fratres excellebat animo, autoritate, facundia, quartus ætatis ordine: is communem ſententiam parenti aperuit. Ea fuit: Quandoquidem deficiebant neceſſaria, abſumptis quæ priore frumentatione paraverant, una omnes proficiſci, non ſine fratre natu minimo. nam præfectus regionis diſerte interdixerat eis reditu, ni & illum adducerent: id vir ſapiens reputans, tolerabilius eſſe unius incertum periculum quam certam tot fratrum perniciem, quæ propter domum fame preſſam vitari non poterat, reſpondit: Cedendum eſt neceſſitati, ut video. Fortaſſe natura viam munit ad melius aliquid quod nondum prævidere mente ſumus idonei. Ite, & minimum quoque quia ita videtur aſſumite. Verum aliter eundum eſt quam antea, tunc pecunia tantum opus erat ignotis ad emendum frumentum euntibus, & nullam paſſis injuriam: nunc adjungenda ſunt munera tribus de cauſis: ad parandam præfecti annonæ gratiam, cui vos innotuiſſe dicitis: ad fratrem citius redimendum è vinculis: ad tollendam quantum fieri poteſt explorationis ſuſpicionem. Proinde ex omnibus quæ noſtra regio fert ceu primitias ferte homini & duplex pretium, annumerato quod retuliſtis proxime: fortaſſis enim per alicujus ignorantiam id accidit: ego fauſtis precationibus abeuntes proſequar commendans ſalutem veſtram ſervatori Deo, ut & apud illius regionis indigenas hoſpitibus conciliet gratiam, & vos reſtituat incolumes in patriam, unà cum fideicommiſſo quod parenti debetis, tum alterum priorem relictum in vinculis tum huncce quem nunc abducitis adoleſcentulum per ætatem imperitum rerum omnium. Ità cuncti contenderunt in Ægyptum. Poſt aliquot dies præfectus regionis cum reverſos vidiſſet gaviſus eſt ſupra modum: moxque jubet diſpenſatorem ſuum parare opiparum epulum, & viros ad ſalis menſæque communionem adducere. Introducti adhuc cauſa ignari timebant, ſuſpicando furti calumniam ob non redditum frumenti precium, quod in ſaccis invenerant, & apud diſpenſatorem excuſabant factum, quod nemo accuſabat, ut conſcientiæ ſatisfacerent, ſimulque proferabant pecuniam parati reddere. Ille comiter hortabatur, eſſent bono animo ſi quid inveniſſent Deo propitio, id eis fraudi non fore: neminem eis invidere dona Dei. Nam hunc impluiſſe in ſaccos pecuniam, providentem non ſolum fami ſed & inopiæ. Sic conſolati prempſerunt allata munera, quæ mox domino ſupervenienti obtulerunt: percontanti deinde, ſatin' ſalvæ, & an pater ſuperſit, reſpondent de ſe nihil ſed patrem vivere valereque. Cui bene precatus & mactum Dei favere pronuncians, circumſpexit requirens fratrem uterinum: quo viſo jam non valens affectum ſuum reprimere, priuſquam*

eum

cum proderet averſus, ſeceſſit, quaſi ad aliud negotium (nondum enim erat aperienda veritas) & in quodam angulo effudit ſe in lachrimas, tum ablutus & dolorem rationi ſubjiciens, ad hoſpites epulo excipiendos revertitur, reddito, quem retinuerat obſide, adfuerunt & alii conviva, optimates Ægyptiorum. Tractatio fuit juxta morem cujuſque patriæ, quod durum videretur diſcedere à conſuetis moribus, præſertim in convivio, ubi maximè hilaritati proſpicitur. Juſſi deinde ſedere juxta ætatis ordinem (nondum enim diſcumbendi mos receptus erat) mirabantur, quod Ægyptii non aliter quam Hebræi rationem ætatis haberent in honorandis hominibus, ſic cogitantes: fortaſſe hic magiſtratus profuſa prudentia non ſolum ſeriis & magnis rebus ad pacis bellique recta munia ſpectantibus induxit decorum ordinem, verum etiam honeſtatem in iſtis levioribus & penè ludicris: quam Ægyptii hactenus rudiores neſciverant: nam in convivio ſemotâ gravitate lætitia quæritur. Interim cibi non valdè lauti apponuntur; quod convivatori non liberet uti deliciis in pecunia publica: & hoc ipſum homines prudentes in laudem vertebant, vitari luxum intempeſtivum & invidioſum: probantes conſilium memoris quid vel præſentem lætitiam, vel publicum ſtatum deceat, & utrique ſe accommodantes tempori: atque ita opportunus & minimè invidioſus apparatus fuit: quod deerat ſupplebatur hoſpitali comitate, propinationibus, fauſtis ominationibus, ad hilaritatem hortationibus, & id genus jucundis alloquiis, quæ ingenuis ac liberaliter educatis grattora ſunt quam cibi potuſve lautitiæ, non magni facienda, niſi apud iſtos epulones luxus oſtentatores.

CAP. XLIV.

FAbulæ in ſcena proximæ cataſtrophæ in maximam inducunt perturbationem, ita evenit in tentationibus, quas Joſeph in fratres executus eſt. Cum enim ex inſperato honorati dimiſſique domum dimitti viderentur; falſa ſpecie criminis cum Benjamin retracti in extremam anguſtiam devenere. Ubi Judas pathetica oratione Ioſephi cor movet cogitque ſimulationi imponere finem. Hæc cap. XLIV. explicata audiamus è narratione diſertiſſimi Philonis ejuſque narrationem cum textu ſacro componamus. Τῇ δ' ὑστεραίᾳ, inquit, ἅμα τῇ ἕῳ μεταπεμψάμενος τὸν ἐπίτροπον τῆς οἰκίας, κελεύει τὰ ἀγγεῖα τῶν ἀνδρῶν, ὅσα ἐπηνέγκαντο, γεμίσαι σίτου, καὶ πάλιν ἐπὶ τῶν στομίων τὴν τιμὴν ἐν βαλαντίοις καταθεῖναι· Εἰς δὲ τὸ τοῦ νεωτάτου, τὸ κάλλιστον τῶν ἀργυρῶν ἔκπωμα, ᾧ πίνειν ἔθος εἶχεν αὐτός. καὶ ὁ μὲν τὰ προσταχθέντα προθύμως ἐπετέλει, μηδένα μάρτυρα παραλαμβάνων· οἱ δ' οὐδὲν τῶν κρύφα γεγονότων εἰδότες, ἀνεζεύγνυσαν, ἐπὶ ταῖς παρ' ἐλπίδας ἀγαθοῖς ἅπασι χαίροντες, ἃ μὲν γὰρ προσεδόκησαν, ταῦτα ἦν, ἐπὶ κλοπῇ τοῦ ἀποδοθέντος ἀργυρίου συκοφαντίαν ἕξειν, ἀδελφὸν τὸν ὁμηρεύοντα μὴ ἀπολήψεσθαι, προσαπολεῖν καὶ τὸν νεώτερον ἴσως, ὑπὸ τοῦ σπουδάσαντος αὐτὸν ἀχθῆναι, βίᾳ κρατηθέντα. Τὰ δ' ἀποβάντα αἰσίων πλειότερα εὐχῶν, τὸ πρὸς τῷ μὴ συκοφαντηθῆναι, τραπέζης καὶ ἁλῶν, ἃ σύμβολα γνησίου φιλίας ἀνθρώποις ἀνεύρηται, μεταλαχεῖν, τὸ κομίσασθαι τὸν ἀδελφὸν ἀνύβριστον, μηδενὸς ἐντυχόντος καὶ δεηθέντος, τὸ καὶ τὸν νεώτατον ἀγαγεῖν πρὸς τὸν πατέρα σῶον, ἐκπεφευγότες μὲν τὰς κατασκόπων ὑπονοίας, ἄφθονον τροφῶν πλῆθος ἐπιφερομένους, χρηστὰ δὲ περὶ τοῦ μέλλοντος λογιζομένους. εἰ γὰρ ἐπιλίποι τἀπιτήδεια πολλάκις ἔφασκον οὐκέθ' ὡς πρότερον περιδεεῖς ἀλλὰ γεγηθότες ὡς πρὸς ἴδιον, ἀλλ' οὐ ξένον τὸν τῆς χώρας ἐπίτροπον ἀποδημήσομεν. ἀλλὰ γὰρ οὕτω διακειμένων, καὶ τοιαῦτα ταῖς ψυχαῖς ἀναπολούντων, αἰφνίδιος καὶ ἀπροσδόκητος ταραχὴ καταλαμβάνει. προσταχθεὶς γὰρ ὁ τῆς οἰκίας ἐπιμελητής, ἐπαγόμενος θεραπόντων πλῆθος οὐκ ὀλίγον, κατασείων τὰς χεῖρας, καὶ μένειν ὑποσημαίνων, ἐβοηδρόμει καὶ συντείνας ἄσθματος πλήρης, Ἐπισφραγίσασθε, εἶπε, τὰς προτέρας καθ' αὐτῶν αἰτίας ἀγαθὰ κακοῖς ἀμειψάμενοι. πάλιν τὴν αὐτὴν

ὁδὸν τῶν ἀδικημάτων ἐτράπεσθε· τὴν τοῦ σίτου τιμὴν ὑπεξελόμενοι, καὶ μεῖζον ἔτι προσεξειργάσασθε. πονηρία γὰρ τυχοῦσα ἀμνηστίας, ἐπιδίδωσι· Τὸ κάλλιστον καὶ τιμιώτατον ἔκπωμα τοῦ δεσπότου, ἐν ᾧ προπόσεις προὔπινεν ὑμῖν, κεκλόφατε, οἱ λίαν εὐχάριστοι, οἱ λίαν εἰρηνικοί, οἱ μηδ᾽ ὄνομα κατασκοπῆς εἰδότες, οἱ διπλοῦν ἀργύριον εἰς ἀπόδοσιν τοῦ προτέρου κεκομικότες, ἐνέδραν ὡς ἔοικε καὶ δέλεαρ ἐπὶ θήραν καὶ ἁρπαγὴν πλειόνων. ἀλλ᾽ οὐκ ἐσώπαν εὐοδοῦται κακία, λανθάνειν δ᾽ ἀεὶ τεχνάζουσα, καταφωρᾶται· ταῦτα συνείροντος, ἀχανοῦς ἐπάγησαν, λύπης καὶ φόβου τῶν ἀργαλεωτάτων κακῶν, ἐξαίφνης ἐπιπεσόντων, ὡς μηδὲ διᾶραι τὸ στόμα δύνασθαι. Τῶν γὰρ ἀπροσδοκήτων κακῶν αἱ προσβολαί, καὶ τοῖς δεινοῖς περὶ λόγους ἀφωνίαν ἐμποιοῦσι. παραμυθούμενοι δ᾽ ὅμως ὑπὲρ τοῦ μὴ δοκεῖν ἁλισκόμενοι τῷ συνειδότι καθησυχάζειν, πῶς, ἔφασαν, ἀπολογησόμεθα καὶ πρὸς τίνα: σὺ γὰρ μέλλεις ἔσεσθαι καὶ δικαστὴς καὶ κατήγορος, ὃς ὤφειλες καὶ ἑτέρων αἰτιωμένων ἡμῖν συναγορεύειν, ἐξ ὧν ἐπειράθης. ἢ τὸ μὲν ἀργύριον τὸ εὑρεθὲν ἐν τοῖς ἀγγείοις πρότερον οὐδενὸς ἐλέγχοντος ἐκομίσαμεν ἀποδώσοντες, τοσαύτῃ δ᾽ ἐχρησάμεθα τὸ λοιπὸν μεταβολῇ, ὡς τὸν ξενοδόχον ἀμείψασθαι ζημίαις καὶ κλοπαῖς; ἀλλ᾽ οὔτι γέγονε τοῦτο, μήτ᾽ εἰς νοῦν ἔλθοι ποτὲ τὸν ἡμέτερον. ὃς δ᾽ ἂν ἔχων ἁλῷ τὸ ἔκπωμα τῶν ἀδελφῶν, θνησκέτω. θανάτου γὰρ τὸ ἀδίκημα εἰ γέγονεν ὄντως τιμώμεθα διὰ πολλά. πρῶτον μέν, ὅτι πλεονεξία καὶ τὸ τῶν ἀλλοτρίων ἐπιθυμεῖν παρανομώτατον· δεύτερον, ὅτι τοὺς ὠφεληκότας βλάπτειν ἐπιχειρεῖν, ἀνοσιώτατον· τρίτον δέ, ὅτι τοὺς μέγα φρονοῦντας ἐπ᾽ εὐγενείᾳ τὸ τῶν προγόνων ἀξίωμα καθαιρεῖν ἔργοις ὑπεναντίοις τολμᾶν, ὄνειδος αἴσχιστον· οἷς ἅπασιν ἔνοχος ὤν, εἴ τις ἡμῶν ὑφήρηται, θανάτων μυρίων ἄξια πεπραχώς, καὶ ἅμα λύοντες τὰ ἄχθη τῶν ὑποζυγίων καθαιροῦσι, καὶ προτρέπονται μετὰ πάσης ἐπιμελείας ἐρευνᾶν· ὁ δὲ οὐκ ἀγνοῶν ἐν τῷ τοῦ νεωτάτου κατακείμενον, ἅτε αὐτὸς λάθρα θείς, ἐσοφίζετο, καὶ τὴν ἀρχὴν ἀπὸ τοῦ πρεσβυτάτου ποιησάμενος ἑξῆς κατὰ στίχον ἐπανελθὼν τῶν ἡλικιῶν ἐσκόπει, προσφέροντες ἑκάστου καὶ ἐπιδεικνυμένου τὰ ἀγγεῖα, μέχρι τοῦ τελευταίου, παρ᾽ ᾧ καὶ τὸ ζητούμενον ἀνευρέθη, ὡς ἰδόντας ἀθρόους ἀνοιμῶξαι, καὶ τὰς ἐσθῆτας διαρρήξαντας, ἐκδακρύειν ἐπιστένοντας, καὶ τὸν ἀδελφὸν τὸν ζῶντα προθρηνοῦντας, καὶ οὐχ ἧττον αὐτοὺς καὶ τὸν πατέρα, ὃς προὔλεγε τὰς συμβησομένας τῷ υἱῷ κακοπραγίας, δι᾽ ἃς βουλομένοις, συναποδημεῖν τὸν ἀδελφὸν οὐκ ἐπέτρεπε. κατηφοῦντες δὲ καὶ συγκεχυμένοι, τὴν αὐτὴν ὑπέστρεφον ὁδὸν εἰς τὴν πόλιν, ἐκπεπληγμένοι τῷ συμβεβηκότι, καὶ τὸ πρᾶγμα ἐπιβουλήν, ἀλλ᾽ οὐ φιλαργυρίαν ἀδελφοῦ νομίζοντες· εἶτα τῷ τῆς χώρας ἐπιτρόπῳ προσαχθέντες, φιλάδελφον εὔνοιαν ἀπὸ γνησίου πάθους ἐπιδείκνυνται. προσπεσόντες γὰρ ἀθρόοι τοῖς ἐκείνου γόνασιν ὡς κλοπῆς πάντες ἔνοχοι, ὃ μηδ᾽ εἰπεῖν θέμις, ἐπ᾽ αὐτῷ ἐδακρυρρόουν, ἱκέτευον, ἑαυτοὺς ἐξεδίδοσαν, ἑκούσιον δουλείαν ὑπισχνοῦντο, δεσπότην προσηγόρευον ἐκεῖνον, προσηλύτους, οἰκότριβας, ἀργυρωνήτους, οὐδὲν παραλείποντες τῶν οἰκετικῶν ὀνομάτων, ἀνεκάλουν ἑαυτούς· ὁ δὲ μᾶλλον ἀποπειρώμενος, ἤθει βαρυτάτῳ φησὶν αὐτοῖς, μηδέποτε τοῦτο ἐργασαίμην, ὡς τοσούτους ἀπάγειν ἑνὸς ἁμαρτόντος. τί γὰρ εἰς μειοσίαν ἄξιον καλεῖν τιμωρεῖν, τοὺς μὴ τῶν ἀδικημάτων κοινοπραγήσαντας· ἐκεῖνος μόνος, ἐπεὶ καὶ μόνος ἔπραξε, κολαζέσθω. πυνθάνομαι μὲν οὖν ὅτι καὶ περὶ τῆς πόλεως θάνατον ὁρίζετε κατὰ τοῦ ἁλόντος· ἐγὼ δ᾽ ἕκαστα πρὸς τὸ ἐπιεικὲς ἄγων καὶ ἡμερώτερον, ἐπικουφίζω τὴν τιμωρίαν, δουλείαν ὁρίσας ἀντὶ θανάτου· χαλεπῶς δὲ τὴν ἀπειλὴν φερόντων, καὶ ἐφ᾽ οἷς ἐσυκοφαντοῦντο καταδυομένων, ὁ τέταρτος καθ᾽ ἡλικίαν (ἦν δὲ τολμητὴς μετ᾽ αἰδοῦς καὶ θαρραλέος, παρρησίαν τὴν ἄνευ ἀναισχυντίας ἐπιτετηδευκώς) προσελθών φησι, δέομαι δέσποτα, μὴ θυμῷ χρήσασθαι, μηδ᾽ ὅτι τέτακται τὴν μετὰ βασιλέα τάξιν, προκαταγνῶναι πρὸ τῆς ἀπολογίας ἡμῶν. πυνθανομένῳ σοι κατὰ τὴν προτέραν ἐπιδημίαν περί τε ἀδελφοῦ καὶ πατρός, ἀπεκρινάμεθα. πατὴρ μὲν ἐστὶ πρεσβύτης, οὐ χρόνῳ μᾶλλον γεγηρακώς, ἢ ταῖς ἐπαλλήλοις δυστυχίαις, ὑφ᾽ ὧν γυμναζόμενος ἀθλητοῦ τρόπον, ἐν πόνοις καὶ δυσκαρτερήτοις κακοπαθείαις διετέλεσεν, ἀδελφὸς δὲ κομιδῇ νέος ἐστὶ παιδίον, ἐκτόπως στεργόμενος ὑπὸ τοῦ πατρός, ἐπεὶ καὶ ὀψίγονός ἐστιν, καὶ ὁμομητρίων δυοῖν γενομένων, ἀπελείφθη μόνος, τοῦ πρεσβυτέρου βιαίως ἀποθανόντος· κελεύοντος δέ σου ἐνθάδε τὸν ἀδελφὸν ἀγαγεῖν, καὶ ἀπειλοῦντος, εἰ μὴ παραγένοιτο, μηδ᾽ εἰς ὄψιν ἡμῖν ἐλθεῖν ἐπιτραπήσεσθαι, κατηφοῦντες ἀπηλλαττόμεθα, καὶ

μόλις

μόλις οἴκαδ' ἐπανελθόντες, ἐδηλώσαμεν τὰ ἀπὸ σοῦ τῷ πατρί· ὁ δὲ κατ' ἀρχὰς μὲν ἀντέλεγε, δεδιὼς σφόδρα περὶ τῷ παιδί· τῶν δ' ἀναγκαίων ὑποσπανιζόντων, καὶ μηδενὸς ἡμῶν τολμῶντος ἐπὶ σιτωνίαν ἥκειν δίχα τοῦ νεωτάτου διὰ τὰς σὰς ἐπαναστάσεις, μόλις πείθεται τοῦτον συνεκπέμψαι, μυρία μὲν αἰτιώμενος, ὅτι ἀδελφὸν ἄλλον ἔχειν ὡμολογήσαμεν, μυρία δ' οἰκτιζόμενος εἰ μελλήσει διαζεύγνυσθαι· νήπιος γάρ ἐστι καὶ πραγμάτων ἄπειρος· οὐ μόνον τῶν κατὰ τὴν ἀλλοδαπὴν καὶ τῶν κατὰ τὴν πόλιν. πρὸς οὖν οὕτω διακείμενον τὸν πατέρα, πῶς ἂν ἀφικοίμεθα; τίσι δ' ὀφθαλμοῖς δίχα τούτου θεάσασθαι αὐτὸν δυνησόμεθα; τελευτὴν οἰκτίστην ὑπομενεῖ, μόνον ἀκούσας ὡς οὐκ ἐπανήλυθεν. εἶθ' ἡμᾶς ἀνδροφόνους καὶ πατροκτόνους ἕκαστος ἐρεῖ τῶν φιλαπεχθημόνων, καὶ ἐπὶ ταῖς τοιαύταις συμφοραῖς ἐθελοκακούντων. Τὸ δὲ πλεῖστον τῆς κατηγορίας, ῥυήσεται κατ' ἐμοῦ. πολλὰ γὰρ ὑπεχόμενον τῷ πατρὶ προΐεσθαι, παρακαταθήκην λαμβάνειν ὁμολογοῦν, ἣν ἀποδώσειν ὅταν ἀπαιτηθῶ· πῶς δ' ἂν εἰ μὴ ἐξευμενισθείης αὐτὸς, ἀποδοῦναι δυναίμην; οἶκτον δέομαι τοῦ πρεσβύτου λαβεῖν, καὶ εἰς ἔννοιαν ἐλθεῖν τῶν κακῶν οἷσπερ ἀναθήσεται, μὴ κομισάμενος ὃν ἀβούλως ἐνεχείρισεν. ἀλλὰ σὺ μὲν ὑπὲρ ὧν ἔδοξας ἠδικῆσθαι, δίκας λάμβανε, δώσω δ' ἐθελοντὴς ἐγώ· δοῦλον ἀπὸ ταύτης ἀνάγραφε τῆς ἡμέρας· ἄσμενος ὑπομενῶ τὰ τῶν νεωνήτων, ἐὰν τὸ παιδίον ἐθελήσῃς ἐᾶσαι· λήψῃ δ' οὐκ αὐτὸς τὴν χάριν ἐὰν ἄρα διδῷς, ἀλλ' ὁ μὴ παρὼν, ἐπικουφισθεὶς τῶν φροντίδων, ὁ τῶν τοσούτων πατὴρ καὶ τῶν ἁπάντων· ἱκέται γὰρ ἐσμὲν καταπεφευγότες ἐπὶ τὴν σὴν ἱερωτάτην δεξιὰν, ἧς μηδέποτε διαμάρτοιμεν· ἔλεος οὖν εἰσελθέτω σε γήρως ἀνδρὸς, τοὺς ἀρετῆς ἄθλους κατὰ πᾶσαν ἡλικίαν διαπονήσαντος· τὰς κατὰ Συρίαν πόλεις εἰς ἀποδοχὴν αὐτοῦ καὶ τιμὴν ἐπέστρεψε, καίτοι ξενικωτέροις ἔθεσι καὶ νομίμοις, καὶ πολὺ διεστῶσι χρώμενος, οὐ βραχεῖ τινι τῶν ἐγχωρίων ἠλλοτριωμένοις. ἀλλ' ἡ τοῦ βίου καλοκαγαθία, καὶ τὸ σύμφωνον καὶ ὁμολογούμενον πρὸς ἔργα λόγων, καὶ πρὸς λόγους ἔργων, ἐξενίκησεν, ὡς καὶ τοὺς ἕνεκα τῶν πατρίων μὴ εὐγνώμονας, μεθαρμόσασθαι. Τοιαύτην μέλλεις καταθέσθαι χάριν, ἧς οὐκ ἂν δύναιτο μείζονα λαβεῖν. Τίς γὰρ ἂν γένοιτο πατρὶ δωρεὰ μείζων, ἢ τὸν ἀπογνωσθέντα κομίσασθαι. Πάντα δ' ἦσαν ἀπόπειρα καὶ ταῦτα καὶ τὰ πρότερα, πῶς ἔχουσι τοῦ τῆς χώρας ἐπιτρόπου σκοποῦντος εὐνοίας πρὸς ὁμομήτριον ἀδελφόν· ἐδεδίει γὰρ μὴ φυσικῇ τινι ἀλλοτριώσει κέχρηνται, καθάπερ οἱ ἐκ μητρυιῶν γεγονότες πρὸς τὸν ἐξ ἑτέρας ἰσοτίμου γυναικὸς οἶκον. διὰ τοῦτο καὶ ὡς κατασκόπους ᾐτιᾶτο, καὶ περὶ τοῦ γένους ἐπυνθάνετο, πρόφασιν τοῦ γνῶναι εἰ περίεστιν ὁ ἀδελφὸς, ἀλλὰ μὴ ἐξ ἐπιβουλῆς ἀνῄρηται· καὶ ἵνα κατέχοι τοὺς ἄλλους ἐάσας ἀπαίρειν, ὁμολογήσαντας ἀγαγεῖν τὸν νεώτατον, ὃν ἰδεῖν μάλιστ' ἐπόθει, καὶ τῆς ἐπ' αὐτῷ χαλεπῆς καὶ βαρυτάτης ἀνίας ἀπαλλαγῆναι· καὶ ἐπειδὴ παρεγένετο καὶ τὸν ἀδελφὸν ἐθεάσατο, μικρὸν ὅσον ἀνεθεὶς τῆς φροντίδος, καλέσας ἐπὶ ξενίαν, καὶ ἑστιῶν πολυτελεστέραις ἐχρῆτο καὶ εὐωχεῖτο τὸν ὁμομήτριον παρασκευαῖς, ἀποβλέπων εἰς ἕκαστον, καὶ τεκμαιρόμενος ἐκ τῆς ὄψεως, εἴ τις αὐτοῖς ὑποικουρεῖ φθόνος. καὶ ὡς ἀσυμμίζοντας ἑώρα, καὶ ἀναχεομένους ἐπὶ τῇ τοῦ νεωτάτου τιμῇ, δυσὶν ἤδη μαρτυρίαις σημειωσάμενος τὸ μηδὲν ἔχθος ὑποτύφεσθαι, καὶ τρίτην ἐπενόησε, τὴν τοῦ κεκλέφθαι δοκοῦντος αἰτίαν ἀναθεὶς τῷ νεωτάτῳ. σαφέστατος γὰρ ἔμελλεν ἔλεγχος οὗτος γενέσθαι τῆς ἑκάστου διανοίας καὶ οἰκειότητος τῆς πρὸς τὸν συκοφαντούμενον ἀδελφόν· ἐξ ὧν ἁπάντων ἤδη συνεπύθετο, περὶ τοῦ μὴ καταστασιάζεσθαι μηδ' ἐπιβουλεύεσθαι τὸν μητρῷον οἶκον, λογισμόν τι εἰκότα καὶ περὶ τῶν αὐτῷ συμβεβηκότων ἐλάμβανεν, ὡς οὐκ ἐπιβουλαῖς ἀδελφῶν αὐτὰ μᾶλλον εἴη πεπονθὼς, ἢ κατὰ πρόνοιαν θεοῦ τὰ μακρὰν ἐμβλέποντος, καὶ τὰ μέλλοντα οὐχ ἧττον τῶν παρόντων ὁρῶντος. Hæc ſic Latinè interpretatus eſt Gelenius: *Poſterâ die ſub lucem accitum diſpenſatorem domeſticum jubet ſaccos quotquot allati fuerant frumento replere: ac rurſum in cujuſque ore precium cum crumena reponere: in minimi autem ſaccum indere argenteum poculum omnium pulcherrimum, ex quo ipſe ſolebat bibere. Hæc juſſa ille diligenter exſecutus eſt ſemotis omnibus arbitris & teſtibus. Diſcedunt hoſpites ignari doli, atque etiam læti inſperatis ſucceſſibus. expectaverant enim ſubituros ſe intercepta furto pecunia calumniam, nec recepturos fratrem obſidem, fortaſſe ne mini-*

minimum quidem fratrum, vi detentum ab illo qui tam accuratè illum adduci juſſerat, at illis omnia ſupra votum evenerant, non ſolum nullam paſſis calumniam, verum etiam ad ſalem menſamque, quod præcipuum habetur pignus amicitiæ, adhibitis, receptus eſt & frater illæſus, idque abſque ullo deprecatore: alter natu minimus reducebatur ad parentem incolumis: ſuſpicionem explorationis evaſerant, revertebantur onuſti commeatibus, bonam ſpem & in futurum conceperant, etiamſi ſæpius reditura eſſet penuria, pollicentes ſibi ſecurum iter, non trepidum ut ante, ſed lætum, ut ad familiarem & hoſpitem regionis ejus ſummum magiſtratum. Sic affectis & ſic cogitantibus repentinus inexpectatuſque pavor ingruit. Miſſus diſpenſator cum cohorte domeſtica, ut maneant manu ſignificat, ipſe curſum accelerat, mox anhelus: Confirmaſtis, inquit, & priora crimina, pro gratia referendo bene meritis injuriam, reverſi ad priſtina maleficia recepta per furtum frumenti pretia majus addidiſtis facinus, impunitate augente, ut fit, malitiam, poculum herile pulcherrimum precioſiſſimumque, ex quo vobis præbibit, ſurripuiſtis homines grati pacatique, qui ne namen quidem noſtis exploratorum, qui duplicatum attuliſtis frumenti precium, nimirum ut tali eſca objecta ex inſidiis, majorem prædam auferretis: ſed non ſemper felix eſt malitia, interdum cum maximè ſe celat deprehenditur. Ad hæc cum illi præ ſtupore ne mutirent quidem, repentè oppreſſi dolore metuque duobus malis graviſſimis, hærebant verba in faucibus, ut ſolent inopinati caſus vocem adimere. Tandem ne viderentur ſilentio fateri conſcientiam, Quomoda, inquiunt, cauſam dicemus, aut apud quem? nam tu contra nas exſtitiſti & judex & accuſator, qui etiam ab aliis accuſatis nobis patrocinari debueras, quales ſimus expertus. Certè pecuniam prius in ſaccis inventam, nemine arguente, ut redderemus, retulimus. num ſic mutati ſumus, ut hoſpiti per furtum damnum daremus pro gratiâ? Nec factum eſt hoc, & abſit ut unquam ulli naſtrum in mentem veniat. Quad ſi apud aliquem è fratribus poculum deprehenſum fuerit, is luat capite: ſi verè admiſſum eſt facinus, ipſi capitale judicamus ob cauſam non ſimplicem: primum, quia concupiſcere aliena eſt iniquiſſimum, tum quia nefarium ducimus velle nocere benè meritis: tertiò, quia genus deductum ab illuſtribus majoribus ignominioſis factis dehoneſtare probrum eſt turpiſſimum: quibus criminibus ſiquis noſtrum eſt obnaxius, pereat dignus non uno ſupplicio & cum dicto jumenta ſarcinis exonerant, ultro ad ſcrutandum invitando. Diſpenſator non ignarus id latere in ſacco natu minimi, quo ipſe clam abdiderat, tamen arte rem tegebat, initium à maximo natu faciens, & inquiſitionem ſecundum ætates perſequens nemine tergiverſante, ſingulis juvantibus donec ventum eſt ad minimum, apud quem repertum eſt quod quærebatur, magno fratrum gemitu: qui ſciſſis veſtibus præmaturo luctu complorabant fratrem viventem etiam tunc, nec minus ſuam vicem & parentis miſerti, præſagiorum ejus memores, propter quæ fratrem cunctanter & invitus commiſerat itineri camitem. mæſti deinde turbatique retro in urbem redeunt eo càſu attoniti, non tam fratris cupiditatem ſuſpectam habentes, quam externas inſidias. Tum ad regionis præfectum adducti, verè fraternam pietatem proferunt, accidentes enim univerſi ad illius genua, quaſi omnes furti convicti, miſerabile dictu, diffluebant lachrymis, ſupplicabant, ſeipſos afferebant, pallicentes ſervitutem voluntariam, illum herum appellando ſe externa mancipia, empta precio, à nullis abſtinendo ſervilibus nominibus: qui magis etiam eos tentando, ſeverè admodum reſpondit. Abſit ut ob unius culpam in tam multos ſæviam, aut durius aliquid ſtatuam. Quid opus eſt pœnas, ab infantibus exigere? qui ſolus peccavit, ſolus puniatur. Audio jam ante à vobis prædamnatum quicumque deprehenſus fuerit, ego tamen æquitatis reſpectu mitigaba pœnam, remiſſo ſupplicio in ſervitutem eum vindicans. Hac comminatione perculſis cæteris, & exanimatis calumnia, quartus ætatis ordine, vir audax, & ſalva

pudore

pudore facundus libere: Precor, inquit, here, ne ira indulgeas, neve fretus poteſtate regia proxima, contrà inauditos indefenſoſque feras ſententiam. Cum primum huc venimus, percontanti tibi de patre fratreque, reſpondimus patrem conſenuiſſe, non tam ætate gravatum, quam multis infortuniis, quibus more athletarum exercitatum, vitam exegiſſe in perpetuis miſeriis atque laboribus: fratrem adhuc puerum, patri valdè carum eſſe, ut prolem ſerotinam, & è duobus eadem matre prognatis ſuperſtitem eum domi relictum ſolum, majorem ejus germanum violenta morte ſublatum. Cumque juſſiſſes eum huc adduci, malum minatus ni faceremus, ac ne reditum quidem ad te permittens, mœſti diſceſſimus: & reverſi domum rem totam patri narravimus. Ille diu reluctatus, quod vehementer puero metueret, tandem cogente penuria, redire ad frumentationem ſine minimo fratre propter tuas minas non audentibus, ægrè perſuaſus huncuna miſit, valdè incuſans quod indicaßemus nos habere fratrem alium & ſortem ſuam miſerans quod disjungeretur à puero chariſſimo. Eſt enim pro ætate imperitus rerum omnium non externarum tantum, ſed & domeſticarum patriarumque. Ad ſic affectum parentem quomodo revertemur? hoc non reducto quibus eum intuebimur oculis? Miſera morte morietur vel hoc ſolo audito quod puer non revertitur: nos homicidæ parricidæque audiemus ab inimicis infortunio noſtro inſultantibus: maxima criminis ejus pars in me recidet. Multa enim patri ſum pollicitus ut pateretur abire puerum, ultro pignus offerendo [vert. depoſitum profeſſus] *quod ſuo jure quandocunque libuerit poßit à me repetere: quod ni tu propitius fias reddere qui potero? Miſerere ſenis obſecro, reputans quam impotenter hanc calamitatem laturus ſit, non recepto quem nobis inconſultè* [v. invitus] *commiſit filio. Tu tamen pro injuria quam videris accepiſſe, pœnas ſumito: en me vicarium ex hâc die ſervorum tuorum numero adſcribito. Libenter cenſebor inter tuos novitios, modo puerum digneris dimittere Id non tam puero dabitur,* [vitioſe] *ſi condonabitur, quam ſeni abſenti, ſublevando tot anxietatibus atque adeo ipſi parenti omnium: ad tuam enim dextram ceu ad aram, utinam non fruſtra, confugimus. Miſerere ſenis per totam ætatem exerciti honeſtis laboribus: qui totius Syriæ civitates in venerationem ſui convertit, quamvis alio ritu vivens & aliis legibus, longè diverſis ab indigenarum moribus. Sed vicit vita honeſtas, & perpetuus dictorum factorumque conſenſus, ut etiam à ſuis inſtitutis alienos ad benevolentiam flexerit. Ei ſic gratificaberis, ut nihil poßit contingere gratius: quid enim poteſt eſſe gratius quam deploratum recipere? Verum hæc omnia tentamenta erant, quemadmodum & priora, regionis præfecto explorante horum erga fratrem ſuum uterinum benevolentiam. Verebatur enim, ne quod odium intercederet novercale, ut ſolet in familiis prognatis è matribus diverſis honore inter ſe paribus: ideo tanquam exploratores incuſabat, ſciſcitando quo nati eßent genere, ut per eam occaſionem de germano cognoſceret, num ſupereßet an periſſet inſidiis. Nec dimiſit niſi obſide retento, donec adduceretur, quem deſiderabat maximè, ut liberaretur à moleſta ſolicitudine: quo in conſpectum adducto, nonnihil cura levatus, omnes ad hoſpitalem menſam adhibuit, germanum honorans potioribus partibus, interim obſervans vultus ſingulorum, ex his judicaturus numqua ſubeſſet invidia: cumque vidiſſet omnes gaudere & favere honori pueri, non contentus duobus argumentis fraterna erga illum benevolentia, tertium experimentum commentus eſt intentato furti crimine: nam inde certiſſimè conjicere poterat de cujuſque animo ergà fratrem petitum calumnia atque ita certo perſuaſus maternam familiam non impugnari ſeditione domeſtica, probabiliter de ſuo caſu ratiocinatus eſt, id accidiſſe non tam fratrum perfidiâ, quam providentiâ Dei proſpicientis in futurum, & imminentia non minus cernentis quam præſentia.*

ἅμα τῷ ἱῷ] Non dicit Scriptura ſummo mane accerſitum juſſumque procurato-

ratorem, ut dolum ſtueret, ſed cum prima luce, dolo jam ſtructo dimiſſos eſſe. Ideo Joſephus dicit Ἐπὶ δὲ μετὰ τὸ δεῖπνον εἰς ὕπνον ἐτράποντο κελεύει τὸν ταμίαν &c. Quod videtur magis convenire, ut ipſis dormientibus per noctem dolus ille ſit confectus. In ſaccis omnium frumentum cum pretio indirum, & in Benjamini ſacco idem cum ſcypho argenteo. Periclitari voluit Benjaminum, *διάπειραν*, inquit Joſephus, *βουλόμενος τῶν ἀδελφῶν λαβεῖν, πότερόν ποτε βοηθοῦσι τῷ Βενιαμὶν κλοπῆς ἐναγομένῳ καὶ δοκοῦντι κινδυνεύειν, ἢ καταλιπόντες ὡς οὐδὲν αὐτοὶ κεκακουργηκότες, ἀπίασι πρὸς τὸν πατέρα*. Cum multitudine armatorum eos perſecutum eſſe exiſtimat Lyranus: Joſephus etiam dicit, *ἀπροσδόκητον ἱππέων ἔφοδον*, Philo *θεραπόντων πλῆθος οὐκ ὀλίγον*. Verba convenientia propoſito uterque tribuit Procuratori & fratribus: & rei faciem è læta repentè perturbatam conatur depingere. Scyphum procurator circumſcribit הלא זה אשר ישתה אדני בו והוא נחש ינחש בו הרעתם: *Nonne iſtud eſt è quo bibit dominus meus & ipſe augurando auguratur eo &c.* Non exprimit, quid eſſet, circumſcribit ut rei indignitatem augeat. Videtur quibuſdam, quod iſte procurator univerſæ machinationis conſcius fuerit: ſaltem ex parte fuit. Nam ſciebat pecunias impoſitas prima profectione, quod diſſimulavit. Nunc miniſter doli à principio adhibitus eſt. Exiſtimat Raſi poculum iſtud inſtrumentum fuiſſe divinationis, quam uſurpaverit Joſeph, uti ſupra intelleximus: dicitque fuiſſe *oblongum ſcyphum, qui vocetur Madirno*. Aben-eſdras: *Ipſe* (Joſeph) *explorabat vos eo, ut ſciret an eſſetis fures: ſicuti* (cap. 30. v. 27.) נחשתי (obſervavi) *& ſic* (v. 15.) quod animadvertendo animadverteret. *Hinc ſenſus eſt; non metuiſtis, quoniam ad tentandum vos poſui poculum argenteum coram vobis, abſcondi oculos meos, donec accepiſſetis. At dicit R. Iona, quod expoſitio τοῦ* בו, in eo, *ſit, ut ſignificet* בעבורו: *Quomodo mens erit: Et ipſe conſulturus eſſet augures* (ariolos) *propter hoc.* Secundum R. Jonam נחש ſignificabit ariolos conſulere. Onkelos: והוא בדקא מבדק ביה quod eſt ambiguum: nam verti poteſt, & ipſe de eo anxiè inquirere ſolet (vel quærens quærit de eo) ut re chara & pretioſa; diligentique inquiſitione citò patere debuit, eam deeſſe. Cum autem vos adfueritis, in vos proxima cadet ſuſpicio & præſumptio. Etiam verti poteſt, *Inquirens inquirere ſolet per id* (poculum), ut notet augurium aut κυλικομαντείαν. Junius & Tremellius exponunt: *Et nonne ipſe experimento certo didicerit per illum* (Scyphum) *quales ſitis?* In Margine notant: *Hoc demum argumento innoteſcunt domino meo fraudes veſtræ, quibus ei hactenus conati eſtis illudere. Qui hæc ad divinationem referunt, Ioſephum ſine cauſa magno crimine gravant, ac ſi donum cognoſcendi arcana à Deo acceptum obſcuraret, & gloriam in ſe transferret, quod ne coram Pharaone quidem, quum recens ex carcere venit, fecerat, ſup. 41. 16. Et vocibus vim faciunt tum hic, tum ubi à Ioſepho repetuntur inf. v. 15: Vide ſup. 30. 27.* Lyranus ſequitur, ut in multis ſolet, R. Salamonem: In quo augurari ſolet] *Sicut experti eſtis ordinando vos in menſa.* Mercerus etiam & Calvinus augurandi ſignificationem approbant. Mercerus: *Non quod augur eſſet aut auguriis uteretur Ioſeph, lege divina prohibitis: ſed præfectus juſſu heri cujus videtur doli conſcius fuiſſe &c. ſed quod ſermonem accommodet ad rem inſtitutam: quia cum Ioſeph inſigni dono prophetiæ & Dei Spiritu præditus haberetur, ut erat, (ex quo ſomnium Pharaonis interpretatus fuerat) apud Ægyptios augur habebatur: quod ea ars in illa regione eſſet uſitata, nec de ſe opinionem facile eluere potuit. More ergò & juxta vulgi opinionem non ſine ſimulatione, quæ toti huic facto adhibetur, loquitur cum alioquin eſſet à talibus artibus alieniſſimus. Vnde, quod eorum notitiam profiteatur, licet per ſe excuſari non poſſit, ſimulatio tamen*

& lu-

& ludus, ad fratres probandos deſtinatus, omnia excuſat. Hanc igitur mentem procuratoris eſſe, quod rem ſurripuerint & pretioſiſſimam ac chariſſimam, qua augurari ſoleat: & talem, cujus uſus hero ſuo aſſiduus eſſet, quare & facilius ejus ablatio deprehenderetur. Calvinus: *Varie exponitur hoc membrum. Quidam enim ita accipiunt, quaſi Ioſeph conſulſos à ſe ariolos ſimulet, ut furem cognoſceret. Alii autem vertunt, In quo tentando tentat vos, vel rimando rimatur. Alii, quod Scyphus ſubreptus, quaſi ſiniſtrum omen fuerit ipſi Ioſeph. Mihi tamen videtur geminus eſſe ſenſus ille: quod ſcypho ad divinationes & magicas artes uſus fuerit: quod tamen finxiſſe diximus augenda invidia cauſa. Sed exoritur quæſtio, quomodo ſibi permiſſas Ioſeph tale figmentum. Præterquam enim quod auguria profiteri illi nefas fuit, perperam & indignè cæleſtis gratia laudem transfert ad dæmonis. Prius negabat ſe idoneum fore ſomnii interpretem, niſi quatenus veritatem Deus ſuggereret: nunc totum illud gratia Dei elogium obliterat: & quod deterius eſt magum ſe jactans pro Dei propheta, impie profanat. Certe in hac ſimulatione graviter eum peccaſſe negandum non eſt. Ego tamen ſic ſentio modis omnibus, quoad potuit, initio conatum eſſe, ſuum adſerere Deo honorem: ac minimè per eum ſtetiſſe, quin totum Ægypti regnum cognoſceret illum non magicis artibus, ſed cæleſti dono excellere tanta ſolertia. Verum, quia magorum præſtigiis aſſueti erant Ægyptii, prævaluit vetuſtus error, ut Ioſeph alium eſſe crederent nec dubito quin rumor ille in plebe vagatus ſit: quamvis illo repugnante & invito. Nunc quum ſe extraneum hominem fingat Ioſeph uno contextu multa mendacia involvens vanam hanc opinionem à vulgo mutuatur, quod auguria captet. Vnde colligimus, ubi ſemel quiſpiam à rectâ lineâ deflexit, quam proclivis ſit in varia peccata lapſus &c.* Auguſtinus non aliam defenſionem Joſepho parat, quam quod mendacium ſerio non dixerit ſed joco. Per jocum peccare non licet, mendacium autem criminis nomen eſt: præterquam quod hic Deo debitam laudem dæmoniis attribueret. Druſius è Scholiis Græcis profert: Τὸ Σαμαρειτικὸν, καὶ αὐτὸς πειρασμῷ πειράζει ἐν αὐτῷ. Biblia Anglicana in Hebræo Samaritico exhibent ita, ut in Hebræo Judaico eſt, at Verſio Samaritica. והוא נסוי ינסי בה Hoc eſt, quod ſcholia iſta reſpexerunt. Arabs eorum bibliorum ſimiliter tentandi notionem habet وهو انما امتحنكم Syrus ܘܗܘ ܡܢܚܫܘ ܡܢܚܫ ܒܗ. Verbum Hebræum retinet. Philo & Joſephus nihil de augurio, tantum meminerunt lætæ propinationis, hoc poculo fieri ſolitæ, cui uſui deſtinatum erat. Joſephus: σκύφον δὲ ᾧ φιλοτησίας αὐτῷ προὔπινεν: Item, ᾧ πίνων ἔχαιρε. Philo τὸ κάλλιστον τῶν ἀργυρῶν ἔκπωμα, ᾧ πίνειν ἔθος εἶχεν αὐτός: Item, τὸ κάλλιστον καὶ τιμιώτατον ἔκπωμα τοῦ δεσπότου, ἐν ᾧ προπόσεις προὔπινεν ὑμῖν. Philo Helleniſta Lxx. interpretum verſionem ſequi ſolet, hic tamen nihil habet de οἰωνισμῷ. Rivetus: *Iam perpendendum, quanam harum interpretationum ſit aptior. Qui vulgata ſenſum ſequuntur, quam etiam Calvinus præ cæteris genuinum judicat, quod ſcypho ad divinationes per magicas artes uſus fuerit: variè tamen de Ioſepho in eo judicant. Sunt qui nihil abſurdi putant, ſi dicamus, mentitum fuiſſe hunc diſpenſatorem, vel etiam putaſſe Ioſephum, quem noverant omnes Ægyptii excellere in rerum futurarum prædictione, hanc habuiſſe per auguria, ſeu dæmonum conſultationem, & quidem hoc ſcypho tanquam inſtrumento, uſum fuiſſe, eo quod modus iſte apud Ægyptios, eſſet receptus. Scribit enim Iulius Serenus, lib. 9. de fato, cap. 18. Aſſyrios, Chaldæos & Ægyptios, pelves aquis replere ſolitos, in quibus argenteas laminas, lapideſque pretioſos certis characteribus ſignatos ponebant, & quibuſdam verbis pronunciatis dæmonem advocabant; qui vocem inſtar ſibili in aquis edebat, reſponſa reddens, de iis de quibus interrogabatur.*

L Ex

Ex nitidis etiam terſiſque rebus aliis, in quibus quæſitarum rerum imagines à Diabolo confictæ videbantur, antiquitus divinabatur; Cujus κυλικομαντείας meminit vir magnus, Iſaacus Caſaubonus ad Spartiani Iulianum; Quis neget, *inquit*, his verbis deſcribi illam ſpeciem κατοπτρομαντείας, quæ cum aqua & cyatho, perficiebatur? *Verba Spartiani ſunt de Didio Iul.* Fuit in Juliano hæc amentia, ut per magos pleraque faceret, quibus putabat vel odium populi deliniri, vel militum arma compeſci. Nam & quaſdam non convenientes Romanis ſacris hoſtias immolaverunt, & carmina profana incantaverunt, & ea quæ ad ſpeculum dicunt fieri, in quo pueri præligatis oculis incantato vertice reſpicere dicuntur, Julianus fecit. Tum puer vidiſſe dicitur adventum Severi &c. *Quod in ſpeculo fiebat, idem in cyatho, aut cryſtallo, aut vaſis aliis aqua repletis fieri poterat, ſed præſertim pellucidis. Hoc tamen in vaſe teſtaceo factum fuiſſe ab Hilarione Monacho teſtatur Menologium Græcorum*; Juſſiſſe aquâ impleri teſtaceum vaſculum in quo bibebat, & poni in manus cujuſdam Italici qui in aquâ pure aſpexit ſtabulum, equos & aurigas ſuos ligatos præſtigiis adverſariorum. *Quæ poſtea aqua cum equos ligatos oſperſiſſet, additâ crucis figurâ, ab eo tempore victoria ad Italicum tranſiit. Non immeritò Caſaubonus miratus eſt talem virum, qualis ſcribitur fuiſſe Hilarion. cum in Chriſti nomine miraculum eſſet editurus*, curioſorum hominum artes hoc genus eſſe æmulatum. *Quo nomine in eum invehitur Marius, & in nos omnes tanquam impietatis reos, qui quæ Papiſtæ ſigno crucis tribuunt, ad magicas ſuperſtitiones referimus; ubi & hæreſim, & pertinaciam nobis impingit. Hæretici nempè ſunt & pertinaces, qui omnibus monachorum fabulis non eandem quam Evangelio fidem adhibebunt, qui ſignis ab hominibus inſtitutis, vim & efficaciam non tribuent miracula faciendi; Qui Magorum ſuperſtitiones non ſanctificabunt, quotieſcunque eorum geomantiæ, necromantiæ, catoptromantiæ, & ſimilibus ſuperſtitionibus adhibebit monachus ſignum crucis. Tunc enim quæ diabolica erant convertentur in divina. Sic enim illi ſi Mario fides adhibeatur*, cum pietate facient per auxilium Dei, quæ magi faciunt per auxilium Diaboli. *Det igitur nobis aliquam divinam inſtitutionem, quâ juſſerit ea ſigna, aut eos ritus ſanctè uſurpari in divinationibus, in quibus arte ſua luſit Satanas, cum ſuis magis. Præterea, Hieronymus in vita Hilarionis, ubi hoc miraculum factum in equis Circenſibus recitat, meminit tantum aquæ ex poculo, quâ aſperſi fuerunt equi, non quod Italico conductori equorum in aqua auriga & equi oſtenſi fuerint, quod ad κατοπτρομαντείαν pertinebat.*

Sed legendis hiſce valere juſſis, ad Ioſephum redimus. Vult Marius verba Oeconomi intelligi de augurio ſive divinatione, quæ fit per conſultationem cum dæmone habitam. Id autem nihil pertinere ad Ioſephum, quià id œconomus dixit mentiendo; vel quià ſic putabat, ſed falsò. At non poſſet, hoc conceſſo quod verba illa œconomi de ſuperſtitioſa vaticinatione ſint intelligenda, hac ratione excuſari Ioſeph, per mendacium vel hallucinationem ſui œconomi, quem etiam falli non potuiſſe ex eo liquet, quod antea oſtendimus fuiſſe conſcium arcanorum heri ſui, & in pietate educatum; unde inferimus, eum ſatis noviſſe, divinam planè fuiſſe rationem, qua occulta & futura prænoverat. Quod ſi mentitus ſit, & voluerit hanc opinionem injicere Iſraëlitis, quod dominus ſuus uſus fuerit ſcypho illo, ut per eum tanquam inſtrumentum, arte magicâ, vaticinaretur; non poſſet in œconomum ita transferri culpa, ut Ioſephus abſolveretur. Ratio eſt, quia ſervus juſſu Ioſephi ſic locutus eſt, dices, *inquit*, eis, *&c. nempè ei dictavit verba omnia quibus eos compellavit. itoque ſervata vulgata editionis interpretatione, non poteſt excuſari Ioſephus, quin etſi hoc fictè & diſſimulanter dixerit, opinio-*

nem

nem injicere voluerit Iſraëlitis, quod hoc inſtrumento ad divinandum uteretur, atque ut ſe hominem extraneum fingeret, multa mendacia involverit, dum vanam illam opinionem vulgi inſinuare viſus eſt, quod auguria captaret per ſcyphum ſuum.

Aliæ interpretationes, quæ initio allatæ fuerunt, quod diligentiſſimè inquiſiturus eſſet, vel quod in eo probaturus eſſet eorum fraudes, &c. non planè mihi ſatisfaciunt, etſi tollant à ſancto viro omnem impietatis ſimulationem, qui nodus maximè ſtringit hoc loco: quia durum videtur, Ioſephum tali crimine gravare, ac ſi donum cognoſcendi futura à Deo acceptum obſcuraret, & gloriam in artes illicitas transferret, etſi ſimulatoriè. Nihilominus verba ipſius Ioſephi verſ. 15. omnino indicant voluiſſe inſinuare, ſe certò poſſe divinare, ea quæ ſunt occulta. Sed tota difficultas verſatur in eo, quod illud בו bo, *in eo referunt ad inſtrumentum vaticinandi, unde orta eſt opinio de profeſſione* κατοπτρομαντείας: *quod neceſſarium non eſt. Quia, ut nuper dicebamus, ad id utebantur Magi aut ſpeculis, aut vaſis pellucidis, non argenteis poculis. Igitur ex collatione verborum œconomi & Ioſephi, nulla ratio videtur cur dicendum fuerit, illum ſolitum fuiſſe ex hoc ſcypho auguria captare, nec ita conveniret interrogatio.* Nonne noviſtis quod augurando augurabitur vir ſicut ego? *Cur igitur hoc feciſtis? Nam ſi noviſſent illum, per ſcyphum augurari & divinare, utique conveniens fuiſſet ſcyphum illum ſurripere, ne deinceps per eum divinaret, ſi quid fraudulenter agerent. Sed cum ille nullam ſcyphi illius mentionem faciat, videtur mihi facilis & obvia ſolutio, ſi priora verba accipiamus, ut Gallica noſtra editio vertit* duquel pour certain il devinera, *id eſt,* de quo certo divinabit: *quaſi diceret; putabatisne, poſſe veſtrum furtum celare herum meum? certè in eo falſi fuiſtis, qui quæ occulta ſunt, divinare poteſt, nec difficile ei fuit divinare qui fuerint illi, qui ſcyphum in quo bibebat, ſurripuerunt. Quibus rectè conveniunt allegata verba Ioſephi; Quare feciſtis hoc, an neſciebatis talem virum, qualis ego ſum, divinare poſſe occulta? ac proinde vos in furto deprehendere? Quod ſi nomen ei inditum à Pharaone ſignificat* revelatorem arcanorum, *ut plerique Ebræorum exiſtimarunt, id mirè illuſtrat quæ hic habentur. Eſſet enim perſpicua ratio, an neſcitis vel ex nomine meo, me revelare occultiſſima, proinde & potuiſſe certo divinare quid à vobis fuiſſet factum? Sed quamvis nulla nominis haberetur ratio, notum erat omni populo, Ioſephum ad tantam dignitatem fuiſſe evectum, quia prædixerat quæ ventura erant, & omnes homines latebant. Vnde non dubium eſt quin habitus fuerit apud Ægyptios, pro viro arcanorum præſcio. Cum autem hic nihil dicatur de ratione, qua divinare potuerit aut ſolitus fuerit, ſed de re ipſa tantum agatur, non video, cur ſit inſimulandus, quaſi injicere voluerit eam opinionem, quod magicis artibus eam habuerit ſcientiam. Potuit enim & verè & ex conſcientia profiteri talem ſe eſſe qui vaticinari & divinare poſſet; non tantum ex conjecturis, vel ſagacitate & prudentia, qua ſæpe viri quidam magni deprehendunt maleficos, ſine ulla extraordinaria aut ſupernaturali ratione; ſed etiamſi egerit de verâ & propriè dicta divinatione; de qua ita in genere locutus eſt, ut nullam aliam quam licitam, atque adeò divinam intellexerit. Itaque in eo non peccaſſe conſtabit. Hanc hujus loci ſententiam indicavit etiam Rupertus Tuitienſis lib. 9. in Gen. 10. ut* augurari *non accipiatur gentilitio ſenſu, pro ſuperſtitioſa avium obſervatione vel alia quapiam Ethnica ſuperſtitione, ſed univerſaliter, pro divinare occulta, aut futura prædicere. Quaſi dixiſſet, cogitare debuiſtis, me ob ſecretorum cognitionem celebratum à Pharaone nomine & officio, etiam veſtri furti conſcium futurum: Ideoque à tanto flagitio perpetrando abſtinendum erat vobis, cum id facile perveſtigare & deprehendere poſſet vir mihi ſimilis. Quæ ſolutio minorem difficultatem habet apud nos, qui in verba veteris Interpretis jurare non tenemur,*

& ambiguum augurandi *vocabulum, cum voce magis propriâ poſſumus permutare. Etſi Latini etiam autores augurandi vocem aliquando generalius acceperint, pro conjectare, ut Plinius Junior, Epiſtol. lib. 7. ſcribens ad Cornelium Tacitum.* Auguror, *inquit*, nec me fallit augurium, hiſtorias tuas immortales fore. Hactenus Rivetus. Theodoretus quæſt. in Geneſ. 105. Αὐξῆσαι τῆς δοκούσης κλοπῆς τὸ ἔγκλημα βουληθέντες, μαντείας ὄργανον τὸ ποτήριον ὀνομάζουσι. Τοῦτο δὲ καὶ αὐτὸς ἔφη ὁ Ἰωσήφ. Οὐκ οἴδατε ὅτι οἰωνισμῷ οἰωνίζεται ἄνθρωπος οἷος ἐγώ; Ταῦτα δὲ ἔλεγεν οὐ μαντείᾳ καὶ οἰωνοῖς κεχρημένος, ἀλλὰ πρὸς τὴν προκειμένην ὑπόθεσιν σχηματίζων τοὺς λόγους. Ἄξιον δὲ αὐτοῦ, θαυμάσαι τῶν λόγων τὸ ἀκριβές. Οὐδὲ ἀδελφοὺς γὰρ ὑποκρινόμενος ἠγνόησε ἑαυτῷ τὸν οἰωνισμὸν περιθεῖναι ἀλλ' ἄλλῳ τινὶ, τὴν αὐτοῦ πεπιστευμένῳ ἀρχήν. οὐ γὰρ εἶπεν, οἰωνίζομαι, ἀλλ' οἰωνισμῷ οἰωνίζεται ὁ ἄνθρωπος οἷος ἐγώ. Sentit procuratorem Joſepho impoſuiſſe augurandi ſeu divinandi per calicem morem, ut furti intentati crimen augeret, Joſephum autem indefinite locutum & circumſpectè in iſta ſimulatione, non imponendo aut arrogando ſibi divinationem quæcunque tandem ſit, ſed homini in tali loco aut dignitate conſtituto. Nempe viris excellentibus & in eminenti loco poſitis augurandi diſciplinam notam eſſe. Auguſtinus in Gen. lib 1. qu. 145. excuſat à mendacio iſta de augurio dicta, quia joco prolata ſint. *Quod ait, fratribus ſuis Ioſeph*, Neſciebatis, quia augurio auguratur homo qualis ego? *De hoc augurio etiam mandavit eis dicendum per hominem ſuum: quid ſibi velit, quæri ſolet? An quia non ſeriò ſed joco dictum eſt, ut exitus docuit, non eſt habendum mendacium? Mendacia enim à mendacibus ſerio aguntur non joco. Cum autem, quæ non ſunt, tanquam joco dicuntur, non deputantur mendacia.* Κόνδυ à ſeptuaginta interpretibus Hebræum גביע verſum eſt: quæ vox videtur in Ægypto ea tempeſtate frequentata fuiſſe, quia Ptolemæi reges Perſarum luxum & convivandi morem intulere. Eſt enim vox Perſica teſte Nicomacho in primo de feſtis Ægyptiis apud Athenæum lib. 11. Cum de eo poculi genere agat, ſcribens de Ægyptiis moribus, docemur, in Ægypto fuiſſe in uſu. Interpretes etiam reſpexiſſe videntur ad formam Hebrææ vocis, quæ à tumore & rotunditate derivata eſſe exiſtimari poteſt. Hermippus Aſtrologus ejus poculi figuram mundo adſimilem fuiſſe ſcribit, ideò ex eo diis libaſſe Perſas. Pancrates in primo Conchoreidos:

Αὐτὰρ ὅγε σπείσας ἐκ κόνδυος ἀργυφέοιο
Νέκταρ, ἐπ' ἀλλοδαπὴν οἶμον ἔβαινε πόδα.

Illud poculi genus amplum erat, ut è Menandro affertur cepiſſe κοτύλας δέκα. Cotyle Attica continebat novem uncias menſurales ut notum eſt. Condy igitur fuerit nonaginta unciarum, id eſt librarum menſuralium ſeptem cum dimidia. Quis credat Joſeph tam amplo cratere præbibiſſe fratribus? Nec potuit, quod genus poculi Aſiaticum & Perſicum fuit, Joſephi ævo in Ægypti uſu fuiſſe. Lxx vocem potius quam rem reſpexerunt. Hoc poculum argenteum erat non aureum: pretioſius aureo potuit eſſe artificio & celatura: aut moris fuit argenteo potius uti: potuit etiam Joſepho magis amare argenteum quam aureum, ut ſua cuique voluptas eſt.

Deprehenſo Benjamin, obſtupuere omnes, & abſque omni dubio, ut Joſephus narrat, ad lamenta & ploratus verſi, fratrem, ſe & patrem deflevere. Scriptura tantum memorat veſtes laceraſſe. Angebat ipſos potiſſimum, quod fratrem patri invito extorſiſſent in hoc infortunium immergendum. Nemo tamen fuerit, qui Benjaminem ejus criminis reum eſſe exiſtimaret, per inſidias & ex compoſito deprehenſum eſſe non dubitabant, at id eloqui nemo auſus eſt: quia tutius deprecari & fateri, quam defendere, cum in accuſantium

tium poteſtate eſſent, qui convictos & deprehenſos eſſe volebant. Dicit Joſephus equites comprehenſum Benjamin, duxiſſe ad Joſeph. Cæteri enim ultrò ſequebantur. Joſephus deinde: ὁ δὲ τὸν μὲν ἰδὼν ἐν φυλακῇ τοὺς δὲ πενθίμοις σχήμασι. πενθίμοις σχήμασι intelligit laceratis veſtibus. Facit proregem eos incuſare, ingratitudinis & impietatis: qui nec humanitatis ſuæ nec Dei providentiæ meminiſſent. Τί δή φησιν, ὦ κάκιστοι φρονήσαντες ἢ περὶ τῆς ἐμῆς φιλανθρωπίας ἢ περὶ τοῦ θεοῦ τῆς προνοίας τοιαῦτα πράττειν εἰς εὐεργέτην καὶ ξένον ἐτολμήσατε; Humi procubuiſſe dicit Scriptura; nulli illorum ſermonem attribuit, niſi ſoli Judæ. Hic primus Judæ ſermo, fateri videtur crimen, & omnes in ſervitium offert. Dicit Juda, Deum inveniſſe iniquitatem ipſorum. Crimen commune facit ne fratrem gravet. Deum inveniſſe ſignificat iſta Dei voluntate fieri: ut nec defendat nec fateatur directè. Joſephus ſermonem hunc omnibus attribuit: dicitque inter ſe rurſum de injuria in Joſeph collocutos, Rubeno iterum exprobrante. Cum autem Joſephus diceret injuſtum eſſe pro unius crimine omnes retineri & cum ſonte inſontes pati: ipſos ſe dimittere, ſonte in ſervitium retento: Judas accurata oratione & admodum pathetica, in exordio veniam præfatus agnoſcenſque proregis ſublimitatem, qui Pharaoni æqualis eſſet, tum re ab ovo repetita narrat, qua occaſione de fratre minimo indicium fecerint, ſimulque indicaverint, quam tenero amore parens ei adhæreſceret. Tum ut aſperrimo juſſu coacti ægerrime ad ſecundam profectionem impetraverint, ut minimus ille à patre dimitteretur. Si ſine eo revertantur, ſenilem ſpiritum ægritudine elidendum. Neminem ipſorum poſſe parentis illam calamitatem oculis uſurpare: ſe omnium minimè, ut qui ſe vadem parenti ſtiterit ut juvenem extorqueret. Rogare igitur ut dimiſſo juvene ſe illius loco mancipio teneret. Hæc ſumma eſt verborum Moſis, quam proxime premit Philo: at Joſephus digreditur à mente ſanctiſſimi ſcriptoris: urgens enim confeſſionem criminis & pœnæ commeritæ, in ſola clementia ponit refugium. Multis argumentis condonationem criminis & dimiſſionem juvenis conatur conficere. Tandem, ſi dimiſſionem non poſſit impetrare, ſe illius loco offert in mancipium. Cum dicto ῥίψας πρὸ τῶν ποδῶν ἑαυτὸν, εἴ πως ἐκμαλάξειε τὴν ὀργὴν αὐτοῦ καὶ καταπραΰνειεν ἀγωνιζόμενος. Alios etiam fratres omnes procubuiſſe, ſeque tradidiſſe ὑπὲρ τῆς τοῦ Βενιαμὶν ψυχῆς ἀπολυμένης. De illo procubitu Judæ & fratrum nihil ſcriptura. Raſi illud, *Tu ſicut Pharao* exponit per varia Medraſim: *Tandem percutieris propter eum lepra ſicut percuſſus eſt Pharao per aviam meam Saram, propter noctem unam, qua humiliavit eam.* A. S: *Quid eſt Pharao? Decernens non autem ſtabiliens; promittens non faciens, etiam tu ſic: Nunquid hæc eſt poſitio oculi, de qua dixiſti, ad ponendum oculum tuum ſuper illum?* A. S. *Si irritaveris me, occidam te & dominum. Facit etiam nimis liberam increpationem ineſſe verbis [Dominus meus interrogabat ſervos ſuos* &c.] *Principio* בעלילה באת עלינו *doloſe egiſti nobiſcum: quid erat tibi quærere omnia iſta quaſi filiam tuam peteremus, aut tu ſororem noſtram. Nos tamen, domine à te nihil occultavimus.*

Cap. XLV.

Hujus capitis argumentum ita reddidit Philo: Εἶτ' ἐπὶ συμβάσεις καὶ καταλλαγὰς ἦν, νικώμενος ὑπὸ φιλοικείου πάθους, καὶ ὑπὲρ τοῦ μηδὲν ὄνειδος προσβαλεῖν τοῖς ἀδελφοῖς ἕνεκα τῆς πράξεως, οὐδένα τῶν Αἰγυπτίων ἐδικαίωσε παρεῖναι κατὰ τὴν πρώτην ἀναγνώρισιν. ἀλλὰ κελεύσας ἅπασαν τὴν θεραπείαν μεταστῆναι, πηγάς τινα δακρύων

ἐξαίφνης

ἐξαίφνης ἀνεὶς, καὶ τῇ δεξιᾷ προσελθεῖν ἐγγυτέρω σημήνας, ἵνα μηδ᾽ ἐκ τύχης ἐπακούσας τις ἄλλος δυνηθῇ, φησὶν αὐτοῖς ἐπισκιασθὲν πρᾶγμα καὶ χρόνῳ μακρῷ συγκεκρύφθαι δοκοῦν, μέλλων ἀνακαλύπτειν, μόνος μόνοις ὑμῖν ἀναπτύξω· ἀδελφὸν ὃν ἀπέδοσθε εἰς Αἴγυπτον, ἐκεῖνος ὃν ὁρᾶτε νῦν παρεστῶτα. αὐτός εἰμι ἐγώ. καταπλαγέντων δ᾽ αὐτῶν παρ᾽ ἐλπίδα, καὶ δεδιττομένων, καὶ ὥσπερ ὁλκῇ τινὶ βιαίῳ τὰς ὄψεις ἐπὶ γῆν καταβεβληκότων, καὶ πεπηγότων ἀφώνων καὶ ἀχανῶν, μὴ κατηφεῖτε, εἶπεν, ἀμνηστίαν ἁπάντων παρέχω τῶν εἰς ἐμὲ πεπραγμένων· μηδενὸς ὑπὲρ δεῖσθε παρακλήτου. αὐτοκελεύστῳ καὶ ἑκουσίῳ γνώμῃ πρὸς συμβάσεις ἐθελοντὴς ἀφῖγμαι, συμβούλοις χρησάμενος δυσὶ, τῇ τε πρὸς τὸν πατέρα εὐσεβείᾳ, ᾧ τὸ πλεῖστον τῆς χάριτος ἀνατίθημι, καὶ τῇ φυσικῇ φιλανθρωπίᾳ, ἣν πρὸς ἅπαντας, διαφερόντως δὲ πρὸς τοὺς ἀφ᾽ αἵματος χρῶμαι· καὶ νομίζω τῶν συμβεβηκότων, οὐχ ὑμᾶς, ἀλλὰ θεὸν αἴτιον γεγενῆσθαι, βουληθέντα με τῶν αὐτοῦ χαρίτων καὶ δωρεῶν, ἃς ἐν τοῖς ἀναγκαιοτάτοις καιροῖς ἠξίωσε τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων παρασχεῖν, ὑπηρέτην γενέσθαι καὶ διάκονον. ἐν ἀρχῇ δὲ πίστιν δύνασθε λαβεῖν ἐξ ὧν ὁρᾶτε· πᾶσαν μὲν Αἴγυπτον ἐπιτέτραμμαι, τιμὴν δ᾽ ἔχω τὴν παρὰ τῷ βασιλεῖ, καί με νέον ὄντα πρεσβύτερος ὢν ὡς πατέρα τιμᾷ· θεραπεύομαί τε, οὐχ ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ πλείστων ἄλλων ἐθνῶν, ὅσα καὶ ὑπήκοα, καὶ αὐτόνομα. χρήζει γὰρ πάντα διὰ τὴν ἔνδειαν προεστῶτος· ἀργυρόστη καὶ χρυσοῦς, καὶ τὸ τούτων ἀναγκαιότερον αἱ τροφαὶ παρ᾽ ἐμοὶ μόνῳ ταμιεύονται, ἀπονέμονται καὶ κατακερματίζονται πρὸς τὰς ἀναγκαίας χρείας ἑκάστῳ τῶν δεομένων, ὡς μήτε τι τῶν εἰς τροφὴν, μήτε τι τῶν εἰς ἐκπλήρωσιν ἐνδείας ἐπιλιπεῖν. ἀλλ᾽ οὐκ ἐναβρυνόμενος καὶ σεμνυνόμενος ταυτὶ διεξῆλθον, ἀλλ᾽ ἵν᾽ αἴσθησθε, ὅτι τῶν τηλικούτων οὐδεὶς ἔμελλεν ἀνθρώπων ὑπάρξαι αἴτιος δοῦλος, καὶ μετὰ ταῦτα δεσμώτης γενόμενος· καὶ γὰρ ἐδέθην ποτὲ συκοφαντηθείς. ἀλλ᾽ ὁ τὰς ἐσχάτας συμφοράς τε καὶ δυσπραγίας μεθαρμοσάμενος εἰς τὰς ἀνωτάτω καὶ πρώτας εὐτυχίας, θεὸς ἦν, ᾧ πάντα δυνατά. τούτων ἐμοῦ διανοουμένου, μηκέτι εὐλαβῶς ἔχετε, τὰς δυσφροσύνας ἐκ ποδῶν ποιησάμενοι, καὶ πρὸς ἱλαρὰν μεταβαλόντες εὐθυμίαν. ὃν δ᾽ ἂν ἔχοι καὶ πρὸς τὸν πατέρα, συντεῖναι καὶ πρῶτον αὐτῷ τὰ περὶ τῆς ἐμῆς εὑρέσεως εὐαγγελίσασθαι. φθάνουσι γὰρ αἱ φῆμαι πανταχόθεν κατὰ πολύ. οἱ δὲ κατὰ διαδοχὴν τοὺς ἐπαίνους αὐτοῦ συνείροντες ἀπαύστοις, ἀχαλίνοις στόμασιν ἐχρῶντο, ἄλλος ἄλλο τι διεξιών, ὁ μὲν τὸ ἀμνησίκακον, ὁ δὲ τὸ φιλοίκειον, ὁ δὲ τὴν σύνεσιν· ἅπαντες δ᾽ ἀθρόοι τὴν εὐσέβειαν, ἐπὶ τὸν θεὸν ἀναφέροντος τὰ τέλη τῶν κατορθουμένων, καὶ μηκέτι ταῖς ἀβουλήτοις ἀρχαῖς καὶ πρώταις ἐνστάσεσι τῶν κατὰ γνώμην δυσχεραίνοντος, καὶ τὴν ὑπερβάλλουσαν μετ᾽ αἰδοῦς καρτερίαν, ὃς ἐν τοσαύταις γεγονὼς ἀνωμαλίαις, οὔτε δουλεύων βλάσφημον οὐδὲν εἶπε κατὰ τῶν ἀδελφῶν ὡς πεπρακότων, οὔτ᾽ εἰς εἱρκτὴν ἀπαγόμενος ὑπ᾽ ἀθυμίας ἐξελάλησέ τι τῶν ἀπορρήτων, οὔτε πολὺν χρόνον ἐκεῖ καταμένων οἷα φιλεῖ τοῖς δεσμώταις ἔθους ὄντος τὰς ἰδίας ἀτυχίας ἀναμετρεῖσθαι, ἀπεγύμνωσεν, ἀλλ᾽ ὡς μηδὲν εἰδὼς τῶν αὐτῷ συμβεβηκότων. ἀλλὰ οὐδ᾽ ὅτε τὰ ὀνείρατα διέκρινεν, ἢ τοῖς εὐνούχοις, ἢ τῷ βασιλεῖ, καιρὸν ἔχων εἰς μήνυσιν ἐπιτήδειον, ἐφθέγξατο περὶ τῆς ἰδίας εὐγενείας, οὐδ᾽ ὅτε βασιλέως ὕπαρχος ἐχειροτονεῖτο, καὶ τῆς Αἰγύπτου πάσης τὴν ἐπιμέλειαν καὶ προστασίαν παρελάμβανεν, ἵνα μὴ δόξῃ τις εἶναι τῶν ἠμελημένων καὶ ἀφανῶν, ἀλλὰ τῷ ὄντι εὐπατρίδης, οὐ φύσει δοῦλος, ἀλλ᾽ ἐπιβουλὰς ὑφ᾽ ὧν ἥκιστ᾽ ἐχρῆν αἰκίας ὑπομεμενηκὼς καὶ συμφοράς· οὗ δὴ πρὸς τούτοις ἐρρύη πολὺς ἔπαινος ἰσότητος αὐτοῦ, καὶ δεξιότητος. Τὰς γὰρ τῶν ἄλλων ἀλαζονείας καὶ ἀπαιδευσίας ἡγεμόνων εἰδότες, ἐθαύμαζον τὸ ἀνεπίφαντον καὶ ἀτραγῴδητον, καὶ ὡς εὐθὺς ἰδὼν κατὰ τὴν προτέραν ὁδὸν ἀποκτεῖναι δυνάμενος, ἢ τὸ γοῦν τελευταῖον, λιμῷ πιέσαι τροφὰς μὴ παρασχεῖν, πρὸς τῷ μὴ τιμωρήσασθαι, καὶ ὡς χάριτος ἀξίοις δωρεὰς ἔδωκε τὰ ἐπιτήδεια, τὴν τιμὴν αὐτῶν ἀποδοθῆναι κελεύσας· οὕτω μέντοι τὰ τῆς ἐπιβουλῆς καὶ πράσεως εἰς ἅπαν ἠγνοήθη καὶ διέλαθεν, ὥσθ᾽ οἱ ἐν τέλει τῶν Αἰγυπτίων συνήδοντο, ὡς πρῶτον ἄρτι τῶν ἀδελφῶν τοῦ προεστῶτος ἡκόντων· καὶ ἐπὶ ξενίαν ἐκάλουν, καὶ φθάνοντες ἐδήλουν τῷ βασιλεῖ, καὶ πάντα διὰ πάντων ἔγεμε χαρᾶς οὐκ ἔλαττον, ἢ εἴπερ εὐφόρησεν ἡ πεδιάς, καὶ ὁ λιμὸς εἰς εὐθηνίαν μετέβαλε. γνοὺς δὲ ὁ βασιλεὺς ὅτι καὶ πατήρ ἐστιν αὐτῷ, καὶ ἡ γενεὰ πολυάνθρωπος, προτρέπει μεταστῆναι πανοικὶ, τὴν βαθυγειοτάτην Αἰγύπτου μοῖραν ὁμολογήσας δεδωρῆσθαι τοῖς ἀφιξομένοις.

ἀπήνας οὖν καὶ δερμαμάξας καὶ πλῆθος ὑποζυγίων ἐπηχθισμένων τὰ ἐπιτήδεια δίδωσι τοῖς ἀδελφοῖς, καὶ θεραπείαν ἱκανήν, ἵνα μετ' ἀσφαλείας ἀγάγωσι τὸν πατέρα. παραγενομένων δὲ καὶ τὰ περὶ τὸν ἀδελφὸν ἄπιστα καὶ μείζονα ἐλπίδων διηγουμένων, οὐ πάνυ προσεῖχε. καὶ γὰρ οἱ λέγοντες ἀξιοπιστότεροι, ἀλλ' ἡ πράγματος ὑπερβολή, ῥᾳδίως οὐκ ἐπίτρεπε συναινεῖν: ἰδὼν δὲ ὁ πρεσβύτης τὰς ἐν τούτῳ καιρῷ παρασκευὰς καὶ χορηγίας τῶν ἀναγκαίων ἀφθόνους τοῖς περὶ τούτου λεγομένοις εὐτυχήμασι συνᾳδούσας, ὑμνεῖ τὸν θεόν, ὅτι τὸ δοκοῦν ἐκλελοιπέναι μέρος τῆς οἰκίας ἀνεπλήρωσεν. Interpretatio Gelenii ſic habet: *Tum ad reconciliationem verſus ac fœdera, ſuccumbens charitati domeſticæ, ne fratribus propter injuriam obveniret aliquod dedecus, noluit agnitioni primæ intereſſe quenquam Ægyptium: ſed ſemoto univerſo famulitio, repentè profuſis tanquam è fonte lachrymis, dextra ut propius accederent innuit, ne vel fortuitò verba ejus exaudire poſſet quiſquam alius: tum ſic eos allocutus eſt: Rem longo tempore tectam & oblivioni mandatam ut putatis, nunc revelaturus, ſolus ſolos appello. Fratrem quem in Ægyptum vendidiſtis, meipſum præſentem nunc cernitis. Ego ſum. Hac inſperata voce perculſis perterritiſque, & tanquam præ gravi onere vultus ad terram demittentibus, ac ſine voce ſtupentibus: Nolite triſtari, inquit, oblivionem omnium in me patratorum polliceor nullo vobis deprecatore opus eſt, mea ſponte in gratiam vos recipio: duabus de cauſis, propter pietatem ergà patrem, cui plurimum debeo, & propter innatam humanitatem, qua omnes præſertim ſanguine conjunctos complector. cæterum hunc caſum non vobis imputo, ſed Deo qui me ſuorum beneficiorum difficillimis temporibus humano generi exhibendorum miniſtrum executoremque eſſe voluit: id verum eſſe his quæ videtis credite. Totius Ægypti procuratio mihi commiſſa eſt: rex honorem mihi habet eximium, & ut parentem veneratur: quamvis ætate ſenior: color obſervorque non tantum ab indigenis, verum etiam à pluribus gentibus vel provincialibus, vel liberis. nam omnes opus habent meo ſubſidio propter inopiam. argentum aurumque, & quod his majus eſt commeatus apud me ſolum reponuntur, diſtribuendi in ſingulos quantum cuique ad neceſſarium uſum ſatis eſt, ut nec ad delicias ſuperſit quicquam, nec deſit ad ſatietatem. Quod non jactanter dico, ſed meminem mortalem potuiſſe ſervo tantam conferre felicitatem, & quidem detruſo in carcerem. nam & vinctus fui quondam paſſus calumniam. Deus extremam calamitatem miſeriamque in ſummam felicitatem vertit, qui ſolus eſt omnipotens. Id cum mihi ſit perſuaſiſſimum, non eſt cur timeatis: deponite omnem ſolicitudinem, lætitiam recipite. Nunc properandum eſt vobis ad patrem, ut à vobis potius quam à fama accipiat lætum de me invento nuncium: ſolet enim illa præcurrere. Tum fratres certatim collaudabant hominem, alio aliam virtutem deprædicante, clementiam, charitatem, prudentiam: pietatem verò omnes uno ore laudabant, felicem eventum ad Deum autorem referentis, & priſtinos caſus ferentis æquo animo: nec minus mirabantur inſignem ejus modeſtiam ac patientiam, qui neque ſerviens malè locutus eſt de fratribus aut perfidis venditoribus, neque in carcerem truſus præ dolore ullum ſecretum effutiit, neque tam longo tempore inter vinctos degens, ut miſeri ſolent, ſuum detexit infortunium, tanquam ignarus omnium ſuorum caſuum: ac ne tum quidem cum vel eunuchis vel regi interpretaretur ſomnia, occaſionem arripiens, ſuam ingenuitatem aperuit: imò nec cum vicariam regis poteſtatem accepit Ægypto univerſæ præfectus, ut ſaltem obſcuritatis opinionem aboleret, docens ſe natum honeſto genere non vernam, ſed inſidiis quorum minimè oportuit devolutum in graves ærumnas ac miſerias. Ad has laudes accedebat etiam æquitatis ejus mentio, dexteritatiſque in obeundis muniis publicis: conferentes enim eum cum vulgata magiſtratum aliorum tam arrogantia quam imperitia, mirabantur oſtentationis pomparumque contemptum in viro tam egregio & quod*

& quod alienus ab omni maleficio tragico, quamvis potuerit mox in prima profectione agnitos opprimere, aut certè fame pereuntibus frumentum non præbere, adeò pœnam ab eis abſtinuit, ut tanquam bene meritis daret munera, reddito pretio. In tantum enim perfidia patratumque ſcelus latuit, ut optimates Ægypti præfecto gratularentur fratrum præſentiam, quaſi tum primum veniſſent, quibus hoſpitaliter exceptis, rem indicarunt ſuo regi propere, ita ut omnia plena eſſent gratulationibus & lætitiâ publica, non aliter quam ſi felici proventu frugum fames mutata eſſet in abundantiam. Rex cognito patrem ejus adhuc eſſe ſuperſtitem, & numeroſam familiam, hortatus eſt, ut univerſi commigrarent, uberrimam Ægypti partem eis ſe donaturum pollicitus moxque multa carpenta & plauſtra cum jumentis ad ſubvectionem donat fratribus, & honeſtum famulitium, ut patrem ſecurè deducerent. Illi verò ad eum reverſi, & narrantes incredibilem inſperatamque felicitatem, non valdè ſenem movebant non quod dubitaret de fide teſtium, ſed propter rei magnitudinem aſſenſum ſuſpendebat: tandem conſpecto apparatu copioſo, non diſcrepante ab his quæ nuntiabantur, confirmatus laudabat Deum, qui ſuppleviſſet quod in familia deſideratum fuerat.

In cap. XLV. primò patefacit Joſeph ſe fratribus 1--15. Pharaonis voluntate jubentur patrem in Ægyptum ducere, 16--24. Profecti nuntiant, patri de Joſeph 25--28.

v. 1. Joſeph victus affectu, cum non poſſet eum ultra cohibere, juſſit alta voce uti omnes cubiculo egrederentur, ſeque ſolum relinquerent cum his peregrinis, quos nemo Ægyptiorum ſciebat ejus eſſe fratres. Erupit in altum clamorem ex affectus urgentiſſima vehementia feſtinabundus. Μηκέτι δυνάμενος (inquit Joſephus) τὴν τῆς ὀργῆς φέρειν ὑπόκρισιν. Solus ſolis loqui voluit, ne Ægyptii intelligerent fratres ipſum vendidiſſe. Quo liberius cum ipſis de hac re colloqueretur. Tertio, quia indecorum erat viros flentes videri. Joſephus hic etiam non ſatis fidi interpretis functus eſt officium. Nam ſcriptura narrat Joſeph in lachrymas admodum profuſas effuſum eſſe, quod Joſephus præterit. Quæ quidem lachrymæ & lachrymoſæ voces gaudii tanto ſono & ſtrepitu ebullierunt, ut Ægyptii, qui extra triclinium erant, audiverint: & res promanaverit in Pharaonis domum. Extra nuntiantibus Ægyptiis Joſephi miniſtris comploratio illa audita eſt in Pharaonis aula. Credibile eſt vicinis aut contiguis ædibus habitaſſe. Oratio Scripturæ alia eſt quam illa, quam Joſephus ipſi affingit. Scriptura narrat erupiſſe Joſephum in hoc verbum: *Ego ſum Ioſeph: Vivitne pater meus?* Hac voce fratres exterritos trepidaſſe nec auſos eum contra intueri. Cum (ut ſolet apud principes) eminus conſiſterent, propius accedere juſſit. Cumque acceſſiſſent, animavit: Se illum eſſe, quem vendidiſſent, Deum verò in bonum convertiſſe, cum ipſum ita præmitteret, ut ſaluti ipſis eſſet. Hæc prima pars orationis eſt, altera invitat, ut in Ægyptum commigrarent. Joſephus facit eum exponentem cauſas diutinæ & multiplicis excruciationis: experiri voluiſſe, quo affectu eſſent in fratrem ſuum uterinum. Eum abunde probaſſe, hinc ſe non naturæ ipſorum ſed Divinæ voluntati venditionem imputare. Ejus verba exorbitare videntur, quaſi Divina quædam vis ſubegerit iſta facere, cum eorum natura, ſi ſuæ ſpontis fuiſſet, meliora videretur effectura fuiſſe. Παύσομαι δὲ ἐπ' αὐτοῖς μισοπονηρίας καὶ συναιτίους τῶν τῷ Θεῷ βεβουλευμένων εἰς τὰ παρόντα χάριν ἔχειν ὁμολογῶ. Συναίτιοι divini conſilii ut fuerint, abſit. Deus enim è malo bonum eduxit ut è tenebris lucem. Divinæ providentiæ diſpoſitio peccati non imminuit dedecus & turpitudinem, imperat tamen condonationem bonis mentibus, quia non tam reſpicere nos

decet

decet, quid egerint homines, quam Deo gratias agere. Scriptura dicit: *Non potuit Ioſeph* :להתאפק לכל הנצבים עליו Id Raſi explicat: *Non poterat ferre, ut Ægyptii eſſent conſiſtentes juxta ipſum, & audirent, quod fratres erubeſcerent in patefactione ſui ipſis.* Aben-eſdras: *Senſus eſt, donec egrederentur omnes adſtantes juxta ipſum & neceſſe habuit clamare, ut eos removeret.*

v. 2. Domus Pharao] Raſi: Id eſt famuli ejus & filii domus ejus. *Nec eſt hac dictio domus aliud omnino quam ſicut dicitur domus Iſrael, domus Iuda* &c.

v. 3. An Adhuc Pater Meus Vivit] R. Salomo Efraim in libro כלי יקר, *Quamvis jam dixiſſent ipſi. quod viveret, ſicut intellectum è tota oratione Iuda, tamen cogitat Ioſeph, fortaſſe dicit ſic,* (כדי ש) *quaſi æſtuarent viſcera ejus ſuper ſenem & non eſſet cauſa mortis, quoniam anima ſua alligata erat anima ejus. Ideo rogat eos ſecundo, An pater meus vivit. Et cor eorum non cogitavit ſic, putarunt, quod non intenderet ad quærendum an pater viveret an non, ſed quod iret ad rememorandam eorum iniquitatem. Propterea dicebat, An adhuc pater meus vivit, dicendo* pater meus *& non* pater veſter, *quia non fuiſtis propitii ſuper puerum ejus, quaſi non eſſet pater veſter: propterea perturbati ſunt, nec potuerunt quicquam reſpondere. Porrò ſenſus alius ſuper perturbatione hac eſt, quod dixerit: Ego Ioſeph, non addens, frater veſter. Propterea turbati ſunt trepidarunt & tremor apprehendit eos, quia dicebant (cogitabant) forte quærit, ut ſit hoſtis & ultor & amovet ſe è fraternitate, quemadmodum ipſi fecerant, quia amoverant ſe è fraternitate: uti exponit Raſi ſuper Scripturam [Gen. 37. 17.]* Proficiſcamur hinc. *Ideo dixit ipſis ſecunda vice* (v. 4.) *Ego ſum Ioſeph frater veſter, quem vendidiſtis in Ægyptum. Quamvis voluntas* [ſic reddo vocem detritam] *fuerit vobis vendendi me in populum hunc alium, qui ſunt immerſi vitiis, tantopere tamen ego ſum veſter frater. Et ne grave ſit in oculis veſtris, quod vendideritis me, ecce in Ægyptum; quia ad conſervandum in vita miſit me Deus. Nam video ego, quod circumvolutum fuerit verbum, quando ingreſſus ſum inter immerſos ſceleribus, & evenit mihi caſus in uxore Potifar; quoniam ſubjugavi figmentum meum & per hoc meritus ſum, ut eſſem paſtor Iſrael, alens & ſuſtentans,* Q. D. (Gen. 49. 24.) & ſedit in fortitudine arcus ejus &c. Inde paſtor lapis Iſraël. *Magiſtri noſtri b. m. conſentiunt in hoc, quod dicunt, Omnis qui ingreditur ad uxorem maritatam, tandem quærit tortam panis* &c. *Si non fuiſſem inter immerſos ſceleribus, fortaſſe fuiſſet electus vir alius ad ordinationem annorum famis, ſed poſtquam obvenit mihi, quod venditus ſim populo immerſorum ſceleribus nullo modo dignus fuit aliquis ex illis ad ordinandam famem, ſed ego. Et ſi ita eſt, venditio huc in Ægyptum cauſa mihi eſt, quia ad conſervandum in vita, miſit me Deus ante vos. M. n. b. m. quod iſta conturbatio accipi debeat, in doctrinam de die judicii, uti dicit R. Eleazar:* Væ nobis à die judicii, væ nobis à die increpationis. Et quid? Joſeph quando dicebat fratribus ſuis: Ego Joſeph, non potuerunt ipſi reſpondere: quando Deus benedictus ſtabit ad judicium ſuper unum quodque qualecunque ſit (כמהו וכמהו) Q. D. (Eſ. 10. 3.) Et quid facies in die viſitationis &c. Quia fratres cogitabant, quod Joſeph memoraret eorum iniquitatem; in modo quo declaratum eſt. Et quid faciet homo in die viſitationis, quando viſitabit ejus ſe ſum & elevationem & donationem: & in manu cujuſque hominis obſignabit, dicendo: Vide viam tuam, quid feciſti? *Mens R. Eleazari eſt, quod in id ſcripſeris nobis lex, quod fratres ejus conturbati fuerint, ut intelligens apponeret ad cor trepidationem diei judicii & in documentum* (קל) *è loco comparatorum à fratribus Ioſeph.* Hæc Judaicam ſapiunt ſubtilitatem! Quod dixerit, Pater meus,

eo ſe aſſociat fratribus & genus ſuum fatetur. Quod ſe Joſeph appellet nomine, id dicit, ut ſe patefaceret, quia nomen hoc fratris eorum eſſe nemo Ægyptius aut alienigena ſcire poterat. Quod ſe ab illis venditum eſſe dicit, eo indicium & κριτήριον ſui irrefragibile aperit. Hoc enim ſolis illis notum erat. Non potuit Joſeph dubitare, de eo, quod pater viveret, ſed ſignificat deſiderium & gaudium de ejus vita & ſalute. In ſalutem & incolumitatem ipſorum ſe eſſe præmiſſum ex hoc arguit, quod quinquennium ſterilitatis ſuperſit quo nec aratio nec meſſis futura eſſet. Mercerus: *Hoc hyperbolicè dicitur ob vim futuræ famis annis quinque proximis: quorum tanta terra ſterilitas ſit futura, ut pene nulla aratio aut meſſis fore videatur.* Nec pugnat cum fœdere Dei Gen. 8. 22. Quia aliquid ſarionis & meſſis fuit. Si etiam in iſtis regionibus nulla fuiſſet, cum in aliis partibus orbis fuerit, non cadit Dei illa promiſſio. Quin ſementis & meſſis generaliter dicta ad ſolum frumentum reſtringi poteſt.

v. 8. Patrem Pharaonis ſe eſſe conſtitutum narrat, dominum univerſæ domus ejus & dominatorem totius Ægypti. Nihil dicit ſupra verum, quod habetur cap. XLI. v. 40. 41. 43. 44. Nomen patris non ſignificat, quod Pharaone fuerit ſuperior, ſed quod ex ipſius conſilio Pharao omnia ageret. Non dicit ea ex inani jactantia ſed 1. ut Dei beneficia amplificet, ad quem omnia refert, tanquam autorem. 2. ut animos fratrum erigeret in bonam ſpem, quia illic omnia poſſet.

A verſu 9. ad 15. mandata proponit fratribus deferenda ad patrem quibus eum invitat, ut in Ægyptum veniat eoque utatur Dei beneficio propter quod agnoverat ſe a Deo præmiſſum & huc ſublimitatis evectum. Mandat, ut patrem, quam poſſint, ociſſimè deducant & omni modo conentur perſuadere deſcenſum cum omni familia & poſſeſſionibus in Ægyptum ad ſe. Argumenta ſumit à neceſſitate famis, à danda commoda habitatione in terra Goſen, à promiſſo ſuſtentationis. Hinc, quia ſuo nomine id mandatum ſeu invitationem perferri voluit, ſe inſinuat ipſoſque confirmat. Teſtes advocat oculos ipſorum, qui nunc retecti, & ex ipſo Joſephi indicio excitati, lineamenta fratris agnoſcebant. Amplectitur primò Benjamin inde aliòs omnes ſigillatim. Duas quæſtiones movet & ſolvit Rivetus de vocatione Jacobi in Ægyptum, quam facit Joſeph. *Hic*, inquit, *duo paucis ſunt expendenda. 1. An eum Ioſeph non ignoraverit terram Canaan parenti ſuo fuiſſe à Deo promiſſam, non potius debuerit eum alere in terra peregrinationis ſuæ, quam pertrahere in Ægyptum: maximè cum periculum eſſet poſteros ejus terram incolentes fæcundam & pinguem, promiſſionem illam aut neglecturos, aut etiam abjecturos, reperta commodiori habitatione? Reſp. dubium non eſſe quin Ioſeph meminerit promiſſionis illius, quam tanti fecit, ut etiam moriens, mandatum dederit de corpore ſuo. Sed credidit deſcenſum patris ſui promiſſioni non præjudicaturum; & quamvis probabile ſit eum ſingula non habuiſſe nota, quæ hac ratione Deus facturus erat, ſtatuendum eſt tamen, ſpecialiter à Deo fuiſſe directum, ut familiam paternam ad ſe pertraheret, ibi augendam & propagandam, donec alibi à Deo ipſi præpararetur locus. Itaque hic agnoſcenda etiam Dei diſpenſatio, qui poſteà oraculo ſuo, conſilium Ioſephi approbabit.*

2. Quæri poteſt, An Ioſeph, etſi in ſumma dignitate conſtitutus ſub Rege tamen, cui fidem & obedientiam debuit, jure potuerit exteros homines, in alienum regnum vocare, partem aliquam regionis iis inhabitandam promittere, & alimenta omnia neceſſaria, ex Regis promptuariis; non prius exploratâ voluntate, & petita ejus veniâ? Non enim ſolent fideles diſpenſatores, abuti ſua auctoritate, & dominorum ſuo-

ſuorum favore, ut quibuſvis largiantur ea quorum diſpenſatores ſunt conſtituti. Ex ſequentibus autem patet Ioſephum nondum de eo egiſſe cum Rege, qui tum primum novit fratres Ioſephi veniſſe, poſtquam cum eis ita benignè egiſſet Ioſeph. Reſpond. Fidem Ioſephi non eſſe in dubium revocandam, nec ejus in tota ſua adminiſtratione prudentiam. Talia autem promiſiſſe, etſi nondum expreſſè Regis animo explorato, quià ſciebat Regem propenſum futurum, à quo majora multa acceperat. Sed adderem etiam, tacitam nempe habuiſſe hanc apud ſe conditionem, ſe hæc omnia facturum cum bonâ Regis veniâ, nec prius executioni mandaturum, id quod pollicebatur, quam de voluntate Regis planè ipſi conſtaret, etſi, in anteceſſum de eâ omnia bona ſperans, id confidenter polliceretur. Quæ etiam confirmantur ſequentibus à verſu 16. Cum enim id auditum fuiſſet in domo Pharaonis, veniſſe fratres Ioſephi וייטב vajitab, *ad verbum* fuit bonum, *id eſt*, placuit in oculis Pharao, & in oculis ſervorum ſuorum. *Bonum eſſe in oculis alicujus, phraſi Ebræa, eſt gratum & jucundum eſſe. Vulgata*, & gaviſus eſt Pharao. *An ſincerè id factum fuerit, maximè ab aulicis, vel fictè diſputatum fuit à nonnullis. De Rege dubium non eſt; Inter alios potuerunt eſſe, qui Ioſepho inviderent, & qui tamen ut Regi gratificarentur, & eum virum, quem videbant plurimum poſſe, ſibi conciliarent, induebant vultu lætitiam, quam in animo non habebant.*

In v. 10. dicit Joſeph fratribus, in illa patefactione, antequam indicaſſet aliquid regi de fratribus & patre, illos habitaturos eſſe in terra Goſen. Hoc exiſtimant illic exponi per ὑστερολογίαν: cum ex ſequenti capite appareat, non prius eum aſſignaſſe patris familiæ & poſſeſſionibus terram Goſen, quam id à rege obtinuiſſet. Riuetus: *Non opus eſt ad hyſterologian recurrere. Potuit enim Ioſeph cum ſuis fratribus de eo agere eiſque illud promittere, quod ſciebat regem non denegaturum; ſed tamen ita, ut quemadmodum antea diximus, propoſuerit à rege petere, ut ratum id haberet, quod pollicebatur. Teſtatus igitur erat animum ſuum, nec de eventu dubitabat: ſed ut decenter omnia fierent, regem adiit, ut ejus autoritate & conſenſu munitus ſecure ageret. Hinc eſt, quod omnia tam exactè in regis mandato, de fratribus annona inſtruendis, de patre & univerſa familia adducenda; de optima parte regionis eis offerenda, de curribus Ægypti accipiendis pro ſene patre, pro uxoribus & liberis &c. Quæ omnia videntur ita ſigillatim diſtinctèque petita fuiſſe à Ioſepho & Pharaoni ſuggeſta, ab eoque liberaliter conceſſa non ſine aliquo auctario, quo ſuam benevolentiam ergà fidelem ſervum teſtaretur.* In amica amplexatione, qua fratres inter ſe congratulabantur, dicitur etiam Benjamin fleviſſe, cum quidem in cæterorum amplexu Joſeph non illi fleviſſe memorentur. Ratio videtur eſſe, quod illi obſtupuerint primo aditu: inde autem à Joſephi amplexu & illius illachrimatione animos ſumpſere. Raſi fingit Benjamin ploraſſe ob tabernaculum Silo, quod in parte Joſeph fuit eſtque vaſtatum.

Cum rumor de adventu fratrum Joſeph vulgaretur placuit regi ejuſque miniſtris, uti habetur in v. 16. Lyranus: *Licet diligerent Ioſeph propter bona, quæ eis fecerat, tamen erat eis turpe, quod homo qui fuerat ſervus emptitius & eductus è carcere, haberet tantum dominium in regno: & ideo, quando ſciverunt quod haberet tot fratres & taliter formatos, qui bene videbantur nobiles & de bono loco, fuerunt ſuper hoc conſolati: & ideo præcepit rex ut pater & fratres & alii propinqui venirent in Ægyptum paratus eos ſuſtentare & honorare.* Philo de ſuo addit, omnia feſta lætitia plena fuiſſe, hoſpitaliter exceptos fratres à rege & optimatibus, antequam dimitterentur, adducturi patrem ſuoſque & v. 20. *Oculus veſter non parcat ſupellectili veſtræ, quia optimum univerſæ Ægypti veſtrum erit.* Hic Latina editio habet: *Omnes opes Ægypti veſtræ erunt.* Quamvis curri-

bus inſtructi eſſent, futurum tamen erat, ut quædam non poſſent ſecum devehere. Sive quod copia & multitudine gravarentur, ſive quod ejuſmodi eſſet rerum illarum ratio, ut devehi non poſſent. Lyranus: *Id eſt de omnibus opibus Ægypti habebitis ad ſufficientiam. Hebræi tamen dicunt, quod hoc dixit prophetice quodammodo licet hoc non intelligeret: quia per verbum ejus ſignificabatur, quod futurum erat in filiis Iſrael, qui exeuntes de Ægypto aſportaverunt ſecum opes Ægypti, ut habetur Exod. 12. Sicut & Caiphas loquens de morte Chriſti dixit* Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, Ioh. 11. *& per ejus verbum ſignificabatur, quod mors Chriſti eſſet pro redemptione generis humani: ut exponit Euangeliſta ibidem, dicens:* Hoc autem à ſemetipſo non dixit &c. *Verum tamen neuter ſic loquendo poteſt propheta propriè dici: quia ad hoc requiritur intelligentia, ut ſupra dictum eſt cap. 41. Sicut nec aſina Balaam potuit dici animal rationale licet verba rationalia protulerit: quia illa verba non intellexit: quod tamen requiritur ad rationabilitatem, ſed fuerunt formata illa verba per angelum moventem linguam aſinæ.* Raſi: *Prophetavit ſed neſcivit quid prophetaret: Finis eorum facere eam tanquam profundum in qua non ſunt piſces.* Scilicet ſpoliarunt tandem Ægyptum Exod. 12. 36. R. Ammi dixit eos Ægyptum feciſſe כמצודה שאין בה דגן *ut munitionem, in qua frumentum non eſt*, Res Lacis כמצולה שאין בה דגים: ubi eſt paronomaſia & alluſio ad vocum ſimilitudinem. Joſeph mandata Pharaonis prompte exſecutus, expedit plauſtra & cibaria pro viatico. Unicuique fratrum (qui paulo ante præ mærore veſtes laceraverant) donavit *permutatoria*, Benjamino dedit trecentos argenteos, cum quinque mutatoriis. Mercerus: *Vnde colligo aliorum mutatoria ſimplicia fuiſſe non plura, ut alii volunt.*

Vulgata Latina editio v. 23. (*Patri autem ſuo miſit ſicut hoc*) exponit *Tantundem pecuniæ & veſtium mittens patri ſuo*: quaſi referri oporteret ad antecedentia: ut ea quæ fratribus donaverat ſeu Benjamino dederit etiam patri & inſuper inſequentia. Melius & ſimplicius eſt ut ad ſequentia referatur. Decem aſinos miſit, qui ſubveherent patri de omni bonitate Ægypii, id eſt, optimis quibuſque & pretioſiſſimis & rariſſimis rebus Ægypti. Totidem maribus, totidem fœminas oppoſuit, ad futuram, quæ frumentum (בר) & panes portarent. Raſi id optimum terræ patri miſſum è Thalmud interpretatur de vino veteri quia eo animus ſenum recreatur: at midras eſſe quod fuerint *faba freſa* גריסים של פול Id è Breſith Rabba. Cauſam reddunt, quod mœſtitiam animi pellat. Frumentum & panem Chald. reddit עבור ולחם Raſi Mazon hoc patri pro viaticio miſſum exponit ליפתן *opſonium.* Dimittit fratres Joſeph cum monito: אל תרגזו בדרך. Raſi hic: *Ne litem movete de negotio itineris ne commoveatur terra ob vos. A. S. Ne faciatis ingredi greſſu grandi & faciatis ingredi ſolem in urbem. At ſecundum ſenſum ſimplicem ſcripturæ dicendum: quoniam pudore confuſi erant ſolicitus eſtne forte rixarentur in via de re venditionis, ut diſceptaret hic cum illo, diceretque: Per te venditus eſt; tu narraſti ſermonem malum de illo & nobis cauſa fuiſti odii in illum.* Autor (כלי יקר) vaſis pretioſi notat in Thalmud in tractau Thaanith cap. 1. iſta haberi. Illic explicatur quod nocivum oculis ſit greſſum grandire. *Solem in urbem ingredi facere* ſignificat, ante ſolis occaſum recipere ſe in urbem aliquam pernoctandi cauſa. Cum fratres ad patrem venirent & ipſi exponerent vivere Joſephum in Ægypto & eſſe rerum dominum (coacti verum dicere & explanare de ſua in Joſephum injuria, quam hactenus patrem celaſſent, quamvis & eam coram Benjamin noluerit aperire Joſeph, ſi Judæis fides in כלי יקר) pater credere non potuit ויפג לבו כי לא האמין להם. Raſi: *Immutatum eſt cor*

ejus

ejus & abiit, ut non crederet: non reſpiciebat ad verba. Eam explicationem probat è lingua Miſnæ. Aben-eſdras dicit eſſe ejuſdem rationis cum eo quod habetur Lament. 2. 18. *Non des tibi intermiſſionem.* Ut ſenſus ſit quod ſteterit cor ejus, ſicuti (1. Sam. 25. 37.) Et mortuum eſt cor ejus. Quia non credebat. Cum autem videret currus cæteraque miſſa à Joſepho, *revixit Spiritus ejus*, quod infra dicitur. His ſubjungit Aben-eſdras. *Et ne mireris ſuper dictione* היך: *nam ſic eſt mos prophetarum loqui* [Dan. 10. 17.] *& anima non erat relicta in me.* Joſephus aberrat, qui refert patrem, cum è filiis ſtatum Joſephi cognoviſſet facile credidiſſe, *cogitantem* ſcilicet, tum potentiam Dei, tum erga ſe favorem, tametſi, interjecto tempore defeciſſet. *Ἄπιστον μὲν οὐδὲν ἐδόκει τῶν ἐπηγγελμένων λογιζόμενος τοῦ θεοῦ τὴν μεγαλουργίαν καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν εὔνοιαν, εἰ καὶ τῷ μεταξὺ χρόνῳ διέλειπεν.* Philo textus ſenſui propius & convenientius, Non potuiſſe ſenem adhibere fidem, quia *ἡ τοῦ πράγματος ὑπερβολὴ ῥᾳδίως οὐκ ἐπέτρεπε συναινεῖν.* Fidem fecit apparatus à Joſepho miſſus.

Cap. XLVI.

Tria in eo: Deſcenſus Jacob & profectio in Ægyptum 1--7. Enumeratio univerſæ familiæ & ſtirpis 2--27. Occurſus & exceptio Joſeph 26--34. Jacob admodum lætus cum univerſa familia & quicquid poſſeſſionum & peculii erat, in Ægyptum ſe contulit. Inter viam Berſabe adiit (*ὅρκων φρέαρ* Joſephus dicit) atque ibi ſacra Deo fecit. Cauſam aditi loci rectè reddunt Judæi, quod mos eſſet orare in locis, quos parentes conſecraverant. Sed quod locis inſitam quandam ineſſe ſanctitatem putent, errant. De quo alibi. Somnium ipſi illic loci immiſſum eſt. Ejus cauſam Joſephus facit metum eſſe Jacobi. Primò ne filii poſterique ineſcati Ægypti copia & deliciis redire nollent in Cananæam, eoque exciderent divina repromiſſione. Secundò, Ne forte adverſo ac nolente Deo hac migratione in Ægyptum ſuſcepta genus deleretur. Tertiò, Ne Joſephum mors raperet, antequam in Ægyptum ad eum perveniret. Philo putat metuiſſe ne filius Joſeph lubrico ætatis & commercio gentis idololatricæ ac opum affluentia abreptus laſciviret. Ejus narratio ſuperioribus connexa ita habet: *Ἡ δὲ χαρὰ καὶ φόβον εὐθὺς ἐγέννησε τῇ ψυχῇ περὶ τῆς τῶν πατρίων ἐκδιαιτήσεως. ᾜδει γὰρ νεότητα εὐόλισθον φύσει, καὶ ξενιτείας τὴν εἰς τὸ ἁμαρτάνειν ἐκεχειρίαν καὶ μάλιστα τῆς ἐν Αἰγύπτῳ, χώρας τυφλωττούσης περὶ τὸν ἀληθῆ θεὸν, ἕνεκα τοῦ γενητὰ καὶ τυφλὰ θεοπλαστεῖν· καὶ προσέτι πλούτου καὶ δόξης ἐπιθέσεις, ὀλιγόφροσι διανοίαις ἐπιτίθενται, καὶ διότι ἀπολειφθεὶς μηδενὸς τῶν ἐκ τῆς πατρῴας οἰκίας ἐξεληλυθότος σωφρονιστοῦ, μόνος ὢν καὶ ἔρημος διδασκάλων ἀγαθῶν, ἕτοιμος ἔσται πρὸς τὴν τῶν ἀθνείων μεταβολήν. Οὕτως οὖν διακείμενον ἰδὼν, ὁ μόνῳ δυνατὸν ἀόρατον ψυχὴν ἰδεῖν, ἔλεον λαμβάνει καὶ κοιμωμένῳ νύκτωρ ἐπιφανεὶς, φησὶ, Μηδὲν εὐλαβοῦ περὶ τῆς εἰς Αἴγυπτον ἀφίξεως· αὐτὸς ἡγεμονεύσω τῆς ὁδοῦ, παρέχων τὴν ἀποδημίαν ἀσφαλῆ καὶ εὐάρεστον. Ἀποδώσω μέντοι καὶ τὸν περιπόθητον υἱὸν, ὅς ποτε τεθνάναι νομισθεὶς, ἐκ πολυετίας, οὐ ζῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ χώρας τοσαύτης ἡγεμὼν ἀναφαίνεται.* Obiter nota vocem Græcam *ἀφίξεως* ſumi in ſignificatu diſceſſus & abitus, quod non ita obvium; quomodo tamen ſumitur Act. 20. 29. *Μετὰ τὴν ἄφιξίν μου.* Quamvis Apoſtolus non ſimplicem ſignificet abitum, ſed mortem ipſam, è qua negant redire quenquam. Joſephus plenius, quam Philo hiſtoriam oraculi perſcribit, quia Philo tantum, quæ ad Joſephum pertinent, voluit tractare.

Moſen cum Joſepho & Rabbinis noſtris hic conferamus: v. 1. Deo patris Iſaaci] Raſi: Tenetur homo, in honore patris magis quam in honore

nore avi ſui: ideo ſuſpendit ſe in Iſaac & non in Abraham.

v. 2. JACOB, JACOB] Joſephus, *ὀφθεὶς δὲ θεὸς αὐτῷ καὶ δὶς ὀνομαςὶ καλέσας* Raſi, לשון חבה *ſignificatio dilectionis.* Ecce me] Joſephus: *πυνθανομένῳ τίς ἐςιν:* quaſi Jacob interrogaverit, quis eſſet, qui ipſum inclamaret. Id ſcilicet ſignificatum eſſe putat, eo, quod Deus dicat ſe eſſe Deum patris ſui. Quaſi id ignoranti & penitus ignaro Dei reſponderet.

v. 3. EGO SUM DEUS, PATRIS TUI DEUS] Joſephus: *ἀλλ' οὐ δίκαιον, εἶπεν, Ἰακώβῳ θεὸν ἀγνοεῖσθαι τὸν ἀεὶ παραςάτην καὶ βοηθὸν προγόνοις τε τοῖς σοῖς καὶ μετ' αὐτοὺς σοὶ γενόμενον.* Unde adjicit dicere, quod ipſi in Meſopotamiam ſoli nudoque profecto, felices nuptias fecundas que, & opes magnas procuraverit. Univerſam ſobolem protexerit & hactenus ſalvam conſervaverit, eum qui periiſſe videbatur, Ægypti præſidem ſolo rege minorem fecerit. Nunc venire ut fauſtum iter efficiat & felicia vaticinetur. Non potuit Joſephus aſſurgere animo ad fœdus gratiæ cæleſtis eum Abrahamo & patriarchis à Deo initum.

NE METUAS] Videtur Jacob angore & metu quodam circa hanc migrationem occupatus fuiſſe, ne malè ſuccederet ſibi poſteriſque: & de reditu fuiſſe ſolicitus. Ibat enim ut in præſenti inopia & caritate rerum, Deo monſtrante, ſibi & familiæ conſuleret, nequaquam Cananææ amore depoſito: quam tot Dei promiſſa addixerant. Deus pollicetur illi in hoc ſomnio:

I. Secum feliciter deducturum eſſe.

II. In Ægypto multiplicaturum in numeroſam gentem.

III. Ex Ægypto reducturum in Cananæam.

IV. Joſephum in Ægypto oculos ipſius in morte clauſurum eſſe.

Quod eum educturus eſſet Deus, id intelligunt Raſi & Aben-eſdras, quod ſepultus fuerit in terra Canaan. Recte exponitur de poſteritate educta ſuo tempore. Nam cum familia deſcendit & familiam includit Deus in primo articulo promiſſionis ita etiam promittit familiam educturum ſe eſſe. Ultimus articulus pollicetur morituro officium ultimum præſtandum eſſe à Joſeph. Joſephus: *καὶ βίου σου τελευτὴν ἐν ταῖς Ἰωσήπου χερσὶν γενησομένην.* Textus: *Et Ioſeph ponet manum ſuam ſuper oculis tuis:* Aben-eſdras: *In morte tua, quia ſic eſt mos viventium cum mortuis.* Ejus moris apud gentes etiam recepti multa paſſim inveniuntur teſtimonia. Apud Virgil. Æneid. 9. mater Euryali queritur:

—— nec te tua funera mater
Produxi preſſive oculos & funera lavi.

Apud Ovid. Penelope ad Ulyſſem. *Di precor, hoc jubeant, ut euntibus ordine fatis ille meos oculos comprimat, ille tuos.* Id in ſuperſtitionem vertit, ſed origo eſt, è meliori habitu defunctorum, ut dormientibus ſimiles viderentur.

Dicit textus v. 6. *cum omni ſubſtantia, quam acquiſiverat in terra Canaan*] Raſi quærit quid igitur ſit factum de ſubſtantia illa, quam acquiſiverat in Paddan Aram? Solvit ita, quod eam dederit Eſau pro parte ejus in ſpelunca Machpela. *Dicebat, Opes extra terram non ſufficiunt, & eſt quam fodi mihi: Conſtituit ipſi collectiones auri & argenti per modum cumuli: dicebatque, tolle hæc.* Cum filiis & filiabus dicitur abiiſſe in Ægyptum, atqui unica ipſi filia fuit, Dina. Aben-eſdras: *Hæc ſola eſt Dina & convenit, quod Dina fuerint ancillæ parva, quæ cum ea creverunt: propter filiam ejus vocat eas ſcriptura filias Iacob quia enutritæ erant in domo ipſius ſicut filii Michal.* Neſcio quem locum innuat non lego de filiis Michal. Etiam attribuuntur illi filiæ filiorum. Hoc Aben-eſdras eodem modo exponit. cum tantum unica fuerit: at Raſi duas facit, Sare filiam Aſer & Jochabed filiam Levi. At hanc non refert catalogus: nec

puto

puto eam natam fuiſſe, cum Jacob Ægyptum ingrederetur. Illam enim duxit Amram nepos Levi ex filio Caath. Exod. 2. 1. 6. 19. Et Num. 26. 59. dicitur expreſſe, quod ea in Ægypto nata fuerit. Hic eſt generis recenſio, quod natum ante ingreſſum in Ægyptum.

Scriptura enumerat ſtirpem Iacobi ex illiús lumbis egreſſam & diſtinguit inter eos, qui in Ægypto erant & in Ægyptum cum ipſo immigrarunt. v. 26. 27. Nati ipſo fuerunt 66. quibus adduntur deinde Jacob, Joſeph, duo filii Joſeph. Ita domus Jacob fuit 70. animarum 26. 27. At in illo numero 66. non comprehenduntur Er & Onan, qui ſoli in Canaan obierunt. Vult enim ſcriptura ſignificare, quam exiguum numerum familia Jacob virorum & mulierum comprehenderit, cum in Ægyptum Jacob intraret. Etiam hoc, quod Deus omnes incolumes & ſtirpe beatos in Ægyptum introduxerit, præter duos ſolos qui ſcelere ſuo interierunt. Hæc duo igitur tenenda ſunt in hac genealogia intelligenda:

I. Non ſervorum neque ancillarum, imò nec uxorum Jacobi nec nuruum haberi rationem. Unde malè Auguſtinus filias Jacob de nuribus interpretatur. Solus ſanguis Jacobi, ipſe & egreſſi de femore ejus Exod. 1. 5. Semen ejus Gen. 46. 6. 7.

II. Omnes illos, qui ponuntur natos fuiſſe. Uti diſerte dicitur terminum genealogiæ in illis eſſe, qui in domo Jacob erant, ſive cum ipſo immigraverint, ſive jam fuerint. Exod. 1. 1. 5. Deut. 10. 22. Semen ejus erat, quod non ſunt, qui necdum procreati. Et exprimit Scriptura de femore ejus fuiſſe egreſſos. Non decet ob difficultatem, quam nobis imaginamur, apertis & repetitis teſtimoniis contradicere.

Scriptura à v. 9. ad 27, enumerat capita familiæ Jacob, quæ Joſephus ita expoſuit: Τούτῳ θαρρήσας τῷ ὀνείρατι προθυμότερον εἰς τὴν Αἴγυπτον σὺν τοῖς υἱοῖς καὶ παισὶ τοῖς τούτων ἀπηλλάττετο. Ἦσαν δ' οἱ πάντες ἑβδομήκοντα. Τὰ μὲν οὖν ὀνόματα δηλῶσαι τούτων, οὐκ ἐδοκίμαζον, καὶ μάλιστα διὰ τὴν δυσκολίαν αὐτῶν· ἵνα μέντοι παραστήσω τοῖς οὐχ ὑπολαμβάνουσιν ἡμᾶς ἐκ τῆς Μεσοποταμίας ἀλλ' Αἰγυπτίους εἶναι ἀναγκαῖον ἡγησάμην μνησθῆναι τῶν ὀνομάτων. Ἰακώβου μὲν οὖν παῖδες ἦσαν δώδεκα. Τούτων Ἰώσηπος ἤδη προαφίκετο. Τοὺς οὖν μετ' αὐτὸν καὶ τοὺς ἐκ τούτου γεγονότας δηλώσομεν. Ῥουβήλου μὲν ἦσαν παῖδες τέσσαρες· ἀνώχης (חנוך) Φάλλης (פלוא) ἐσσαρὼν (חצרון) χάρμισος (כרמי) Σεμεῶνος δὲ ἓξ ἰούμηλος (ימואל) (Forte leg. ἰμύηλος) ἰάμεινος, πούθοδος (אהד) ἰαχῆνος σόαρος (צחר) σάουλος [שאול] f. σαοῦλος. τρεῖς δὲ Λευεὶ γεγόνασιν υἱοί· γήλσαμις [גרשון] κάαθος, μαράριος (מררי). Ἰούδα δὲ παῖδες ἦσαν τρεῖς, Βαλαῦς, Φαρὲς, ζάρας· οἱ δὲ δύο γεγονότες ἐκ Φαρέσου. ἔσρων καὶ ἄμουρος (חמול) Ἰσαχάρου (l. ἰσσαχάρου) δὲ τέσσαρες, θουλᾶ (תולע) Φρουρᾶς (פוה) ἰώβος (יוב) σαμάρων. τρεῖς δὲ ζαβουλῶνι ἦσαν υἱοὺς, Σάραδον, ἤλωνα, ἰάνηλον (יחלאל) f. ἰάληλον) Τοῦτο μὲν τὸ ἐκ Λείας γένος, αὐτῇ συνανῄει καὶ θυγάτηρ αὐτῆς Δεῖνα. τρεῖς οὗτοι καὶ τριάκοντα. Ῥαχήλας παῖδες ἦσαν δύο, Τούτων Ἰωσήπῳ μὲν γεγόνεισαν υἱοί, Μανασσῆς καὶ Ἐφράμης. Βενιαμὶν δὲ τῷ ἑτέρῳ δέκα, Βάλαος, Βάκχαρις, ἀσάληλος, γήλας, ναιμάνης, ἴσης, ἀρώς, νομφθὶς, ὀπταῒς, σάροδος. οὗτοι τέσσαρες καὶ δέκα πρὸς τοῖς πρότερον κατειλεγμένοις, εἰς ἑπτὰ καὶ τεσσαράκοντα γίνονται τὸν ἀριθμόν. Καὶ τὸ μὲν γνήσιον Ἰακώβῳ γένος τοῦτο ἦν. Ἐκ Βάλλας δ' αὐτῷ γίνονται τῆς Ῥαχήλας θεραπαινίδος, Δάνος καὶ Νεφθαλὶς, ᾧ τέσσαρες εἵποντο παῖδες, ἰάζηλος, γουνὶς, καὶ σάρησις καὶ ἔλλιμος. Heb. 1. יחצאל/ 2. גוני/ 3. יצר/ 4. שלם. Δάνῳ μὲν μονογενὴς ἦν παιδίον, οὖσις (חשים) Τούτων προσγενομένων τοῖς προειρημένοις πεντήκοντα καὶ τέσσαρες πληροῦσιν ἀριθμόν. Γάδης δὲ καὶ Ἄσηρος ἐκ Ζελφᾶς μὲν ἦσαν· ἦν Λείας δὲ αὕτη θεραπαινίς. παῖδας δ' ἐπήγοντο, Γάδης μὲν ἑπτὰ, ζοφωνίαν (צפיון) οὖγιν (חגי) σουνὶν, ζάβρων (אצבן) f. ἀζαβὼν) ἀηρίνην (ערי) ἐρωίδην (ארודי) ἀριήλον (אראלי) Ἀσήρῳ δὲ θυγάτηρ καὶ ἄρρενες ἀριθμὸν ἕξ· οἷς ὀνόματα, Ἰώμνης ἰσοὺς·

ἰούβης

ἰουδὴς (ישוי) Βάριε (בריעה) ἄβαρόςπ ἐ μελμειήλος, (Hebr. חבר & מלכיאל, qui fuerunt nepotes è Baria) Τούτων ἕνδεκα [l. ἑκκαίδεκα] ὄντων καὶ προστεθειμένων τοῖς προειρημένοις πεντήκοντα καὶ τρισὶν (l. τέσσαρσιν) ὁ προειρημένος ἀριθμὸς πληροῦται, μὴ συγκαταλεγέντος αὐτοῖς Ἰακώβου. Hæc nomina indicant linguam Syram ſive Hebræam, docentque otiginem Iſraelitatum non eſſe ex Ægyptiis. Joſephus dicit Jacobum in Ægyptum profectum eſſe cum filiis & nepotibus, qui ſine Jacob effecerint numerum Lxx. capitum: quod dictum, ut multa in ipſo, interpretatione adjuvandum eſt. Dicit ſe numerationem inſtituere, excepto Joſepho, eorum, qui poſt ipſum & ex ipſo nati ſunt. Senſus eſt ſe numeraturum eos, qui poſt Joſeph venerunt in Ægyptum & ex Iacob nati erant: ut efficiat numerum 70. quos implebat Iacob cum ſuis, cum in Ægyptum migraret. Cum Lea una aſcendiſſe Dinam dicit: quaſi Lea in Ægyptum venerit. Lex genus dicit eſſe 33. non connumeratis Er & Onan, atqui unitas illi nnmero deeſt: niſi Leam ipſam velis connumerare, aut Iacobum. His è Rachel quatuordecim accedunt, ut fiant 47. Inde ſeptem è Bala, faciunt 54. E Zelpha 16. quomodo 70. fiunt non connumerato Iacobo. Sic non obſervat generi Liæ deeſſe unitatem.

Examinemus Singulas Partes: v. 10. Saul Filius Cananææ] Aben-eſdras: *Teſtimonium eſt, quod uxores* (השבטים) *patriarcharum fuerint; Syræ, Ægyptiæ, Idumææ, Madianitides; at hujus ſolius meminit propterea quod fecerit Simeon præter decorum, accipiens Cananaam: ideo etiam meminit, mortis Er & Onan, propterea quod eſſent filii Cananææ,* Raſi: *Filius Dinæ, quæ maritata fuerat homini Cananæo. Cum interficerent Sichem, noluit Dina prodire, donec juraret ipſi Simeon, quod eam eſſet ducturus. In Breſith Rabba.*

v. 15. Hi Sunt Filii Leæ, Quas Iacobo Peperit In Paddan Aram, Cum Dina Filia Ipsius] Raſi: *Filioi refert* [ילדה] *ad Leam, feminam ad Iacob, ut doceat, ſi mulier ſementet prius, parit maſculum, vir ſi ſementet prius, parit feminam.* Triginta tres] Raſi iterum: *In ſuis partibus ſi educas iſtas, triginta duæ exibunt: ſed hæc eſt Iochabed, quæ edita eſt inter muros, in ingreſſu in civitatem, Q. D. (Num 26. 59.) quæ peperit eam Levi in Ægypto: partus ejus fuit in Ægypto, conceptio non fuit in Ægypto.*

v. 19. Filii Rachel Uxoris Jacob] Raſi: *In omnibus iſtis non dictum eſt ſic, ſed quia fuit fundamentum domus.* Lea nempe ita non definitur: Dicitur: *Filii Leæ, quos Iacobo peperit.*

v. 21. Naaman] Aben-eſdras: *Hic eſt filius Benjamin, quia eſt Naaman, qui eſt filius filii ejus.*

v. 23. Filii Dan, Chusim] Aben-eſdras: *Quadrat, quod fuerint duo: at unus mortuus erat, nec meminit ejus ſcriptura; aut eſt modus loquendi. Quidam dicit, quod numerus* 70 (ponatur) *propterea quod eſt complexus computationis; quoniam 69. fuerunt: at hic expoſitor errat, quoniam invenimus: omnes animæ filiorum ejus & filiorum ejus triginta tres, cum ſint triginta duæ: & in Dras, quod Iochabed nata fuerit inter muros: Etiam admirari licet in hoc, cur non recordetur ſcriptura miraculum, quod in illa factum eſt, quia genuit Moſen & erat filia 130. annorum? cur meminerit Saræ, quæ fuit 90. annorum? Et non ſatis fuit nobis dolor iſte, donec poëta fecerunt carmina in die lætitiæ legis: Iochabed mater mea dic conſolationes meas, cum eſſet annorum 250. Profectò, ut vivo, ſic & ſic duo, per modum Aggadæ, aut verba ſingularis alicujus: at placet mihi, quod Iacob in computatione & ab illo incipit: quaſi diceret,* Omnes animæ filiorum & filiarum cum animâ Jacob, triginta & tres. *Cui probando, quod dicat in principio,* Iacob & filii ejus. *Et ſi objiciat adverſarius & dicat, quod ecce ſcriptum:* Et

fue-

fuerunt omnes animæ egreſſorum è femore Iacob ſeptuaginta animæ. *Scito, quod ſcriptura non habeat rationem unum excipere è ſeptuaginta: quemadmodum dixit:* Qui nati ipſi in Paddan Aram, *cum Benjamin non ſit natus illic, Quoniam etiam in hac paraſa duo ſunt teſtimonia: Vnum quod dicit:* Et hæc nomina filiorum Iſrael ingreſſorum in Ægyptum, Iacob & filii ejus: *ecce Iacob facit eſſe è filiis Iſrael.* Quia non abit Scriptura niſi poſt multitudinem. *Alterum teſtimonium;* Omnes animæ domus Iacob, quæ ingreſſæ Ægyptum ſunt, ſeptuaginta animæ: *at Manaſſe & Ephraim non ſunt ingreſſi in Ægyptum, quia illic fuerant & illic nati ſunt. Et ſcriptum eſt ſecundum id* Deut. 10. 22. In ſeptuaginta animabus deſcenderunt in Ægyptum: *at hi duo non deſcenderunt etiam ſic. Hæc ſcriptura teſtimonio eſt, quod Iacob in computationem ingrediatur: quia anima eſt ipſi & eſt præcipuum.* Raſi comparat inter ſe dicta duo: כל נפש חבאה ליעקב & כל נפש לבית יעקוב הבאה. Quorum prius in v. 26. alterum in v. 27. habetur. Sic differit ad prius dictum: *Quando egreſſi ſunt è terra Canaan ut ingrederentur in Ægyptum. Hoc* הבאה *non eſt ſignificativum præteriti ſed præſentis, ut* (Ezech. 2. 14.) בערב היא באה *& ſicut* (Gen. 26. 6.) *Et ecce Rachel filia ejus* באה עם הצאן. *Ideo eſt* ſenſus ejus infra per Aleſ. *Quoniam, quando egrediebantur è terra Canaan, non fuerunt ſexaginta ſex. At ſecundum,* Omnes animæ domus Jacob, quæ ingreſſæ (הבאה) in Ægyptum 70. *eſt ſignificatio præteriti. Ideò ſenſus ejus ſupra eſt per Beth. Quoniam ex quo ingreſſi ſunt illuc fuerunt ſeptuaginta: quia invenerunt illic Ioſeph & duos ejus filios & addita ipſis Iochabed inter muros. Et ſecundum verba illius qui dicit:* Gemini nati ſunt cum patriarchis, *neceſſe nobis eſt dicere, quod mortui ſint ante deſcenſum eorum in Ægyptum. Nam hic non computantur. Inveni in Vaicra Rabba:* Eſau, ſex animæ fuerunt illi & ſcriptura vocat eas animas domus ejus numero multitudinis, quoniam colebant deos multos: Jacob, 70. animæ fuerunt illi, quas ſcriptura vocat, נפש, quoniam coluerunt Deum unum.

De numero perſonarum in familia Jacobi non convenit inter Lxx. & Hebræum textum: & (quod majorem difficultatem injicit) Stephanus in actis ſequutus interpretes illos Græcos, videtur aliam quam nunc textus Hebræus habet, lectionem probare. Hic multi multa dixerunt variaſque formas reconciliationum commenti ſunt. Rivetum audiamus & judicium ejus conſideremus. Sic ille in caput hoc, exercit ſcil. 170. *In enumeratione perſonarum, quæ cum Iacobo in Ægyptum venerunt, quæ recenſentur à v. 8. uſque ad 28. nonnullæ occurrunt difficultates, quarum præcipua eſt in ſummâ quæ colligitur, nempe perſonarum ſexaginta ſex, egreſſarum ex fæmore Iacobi, quarum numero junctus Iacobus parens, una cum Ioſepho & filiis ejus in Ægypto natis conſtituunt numerum 70. perſonarum, qui continetur verſu 27. Hos omnes fuiſſe ingreſſos in Ægyptum, ita intelligendum eſt, ut dicantur ingreſſi cum Iacob, qui vivente adhuc Iacobo in Ægypto ſunt nati, & capita familiarum fuerunt, quod antea notavimus, quia neque filii Pharés & Zara, Eſrom nempe & Hamul, potuerunt naſci in terra Canaan, nec tot, quot enumerantur filii Benjaminis adhuc juvenis, quorum etiam nonnullos fuiſſe nepotes, plerique exiſtimant.*

Quod verò ſpectat differentiam quæ inter Ebræos codices & verſionem Lxx. reperitur, quæ poſtrema quinque animas addit enumerationi codicum Ebræorum, auget difficultatem quod Stephanus in Actis cap. 7. ſequitur eandem ſupputationem quam Lxx. proinde dici non poſſit eſſe σφάλμα μνημονικὸν ſine periculo maximo, quia cum Stephanus plenus fuerit Spiritu ſancto, falli in eo non potuit; irrepſiſſe autem mendum in Scripturam, vel Lucam ex Lxx. id tranſtuliſſe, ne recepta apud Helleniſtas Iudæos verſioni videretur detrahere, dici etiam non debet, quia leviſſimum erra-

tum in Scripturâ admittere, pernicioſiſſimum eſſet. Dicendum eſt itaque, nullam eſſe repugnantiam, etſi Lxx, numerum quinque animarum adjecerint, enumerationi textus Ebraici, verſ. 27. Quod duobus modis conciliant, id ſtatuendo Lxx. Interpretes comprehendiſſe in numero illo 75. quatuor uxores filiorum Iacobi nominatas in praecedentibus, Item Her & Onan, qui mortui fuerunt in terrâ Canaam. Omiſſum autem fuiſſe Iacobum, quia numeratus fuerat tanquam familia Princeps. Ita ut diſcribant, non familiam qualis erat cum in Ægyptum deſcendit, ſed prout à Moſe conſcripta fuerat; & ut loquitur Epiphan. in Panario, τὴν ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε συγγεγραμμένην καὶ συγκειμένην, *familiam conſcriptam & conſtitutam ex animabus 75. Alias autem ipſi Lxx. ubi hac enumeratio repetitur, 70. tantum animas enumerant, ut videre eſt Deuter. cap. 10. verſ. 22. Hanc conciliationem amplexus eſt Iunius, in ſua Analyſi. Pareus id errori librariorum deputat, tam hoc loco, quam apud Stephanum; quod multò tolerabilius judicat, quam quod alii volunt, Stephanum, aut Lucam, mendum verſionis receptæ rudioribus condonaſſe. Sed cum mirus ſit omnium exemplarium, verſionum, & veterum Interpretum in ſuis commentariis cenſenſus, non dubito quin ita ſcripſerit Lucas, quomodo nunc legitur in Actis. Alii igitur volunt, 70. in enumeratione Moſis addidiſſe quinque capita per anticipationem, nepotum nempe Ioſephi, ex Ephraim & Manaſſe. Quo reſpexiſſe Interpretes illos certum videtur, quia addant in enumeratione filiorum Ioſephi, v. 20.* Facti ſunt autem filii Manaſſe, quos peperit ei concubina Syra, Machir. Machir autem genuit Galaad. Filii autem Ephraim fratris Manaſſe Sutalam & Taam. Filii autem Sutalam, Edom. *Vbi numerant Ioſephi nepotes & pronepotes numero quinque. Vnde autem acceperint talia nomina quorum Moſes non meminit, vix conjecturâ quis aſſequi poſſet, niſi quod 1. Chron. 7. ubi deſcribuntur utriuſque poſteri, Maciri mentio ſit, Syra concubinæ, Galaadis, item Schutelach & Tachat, cujus filius fuit Elhada. Variant autem ibi nomina, & plures ibi recenſentur. Auget difficultatem quod iidem Interpretes Lxx. ubi ſummam iterum colligit Moſes filiorum Ioſephi qui nati ſunt in terra Ægypti, duas tantum enumerat animas: Vbi Lxx. habent animas novem, additis etiam quinque ſupra numeratos alios duos, infra verſ. 27. Itaque ut conſtaret ſupputatio, debuiſſent numerare 77. Hac certè vix conciliari poſſunt; præſertim ſi hæc addantur, quod nulla ratio videtur, cur non ſolum nepotes, ſed etiam pronepotes Ioſephi huic numero inſerantur, cum id non fiat in aliorum fratrum Genealogiis. Duo tamen adferunt qui hanc ſententiam admittunt; 1. quod etſi novem enumeraverint filios Ioſephi, verſ. 27. cum ſeptem tantum meminiſſent, verſ. 21. factum fuiſſe, quia illi duo, qui omittuntur, ſine liberis mortui ſunt, vel ita ignobiles ut eorum vita parum contulerit ad propagationem & nobilitatem Ebræorum 2. Quod illi dicantur cum Iacobo in Ægyptum ingreſſi, ideo dictum putant, quia in parentum lumbis intraverant, cum non ſit inuſitatus loquendi modus, ut quod parentes fecerunt imputetur filiis, etiam in omnium penè linguarum uſu; ut ſi quis Romanis diceret; vos olim triumphaſtis de Aſiâ, &c. Afferri præterea poſſe rationem non ineptam cur hos nondum natos enumeraverit Moſes, cum eodem jure videantur potuiſſe numerari, qui etiam in parentum lumbis tum fuerant, nempe quod illuſtres fuerunt præ aliis poſteri Ioſephi, qui cum tantâ eſſet apud Ægyptios autoritate, dubium non eſt, quin ejus familia praeminuerit, in cujus honoris participationem cum veniſſet Benjamin frater uterinus, hinc etiam factum videtur, ut non ſolum filii ejus, ſed & nepotes in Ægypto nati, fuerint Genealogiæ filiorum Iacobi inſerti. Vt ſolus ille numerus fuerit virorum illuſtrium in genere Ebræorum, ſive quia à nobiliſſima ſtirpe uno aut altero gradu remoti, ſive quia ab Ægyptiis propter Ioſephi merita præcipuo inter cæteros honore habiti. Videri autem Lxx. addidiſſe*

plures

plures ex Ioſephi familiâ, quo magis Ptolemæo Ægyptiorum Regi Iudæorum genus commendaret, cujus rogatu, operam dabant ſacris Bibliis vertendis.

Hæc tamen talia non ſunt, quæ difficultates omnes tollant, utpote quæ conjecturis nitantur parum ſolidis, quibus ſi locus detur, creſcet licentia ex quolibet quidlibet eruendi. Certum eſt autores verſionis illius in talibus ſibi magis quam par fuiſſet indulſiſſe, in Chronologia nempe & Genealogiis, quorum placita omnia ſi quis cum Ebræo conciliare voluerit, neque ſibi, neque aliis unquam ſatisfaciet. Agnoſco pleroſque veteres tam Græcos, quam Latinos, eorum ſupputationem fuiſſe ſecutos; quia fere utebantur Bibliis Græcis, vel Latinis ex Græco converſis; ſed ut inde, cum Baronio & aliis, inferamus in numeris verſionem illam eſſe majoris autoritatis, nulla eſt ratio; nec id poſſunt Pontificii ſine vulgatæ ſuæ Latinæ præjudicio, quæ in temporum ſupputatione, & Genealogiarum ſerie ductum codicis Ebræi ſemper eſt ſecuta. Itaque non video cur multum laborandum ſit in ſolvendis omnibus nodis, qui ex verſione Lxx. necti poſſent, quando in ipſo Moſis textu habemus conſentientem ubique enumerationem, quam ipſi Lxx. etiam alibi ſequuntur. Quos ut excuſemus rejecta in librarios culpa, hoc unum prohibet, quod vix credibile ſit, exſcriptores tot fuiſſe auſos addere capita nominatim. Alioqui ſi de numeris tantum ageretur; facilius eſſet judicium.

Nihil ergò nos movere debet, præter autoritatem, vel Stephani, vel Lucæ, qui numerum 75. animarum retinuerunt. Sugillant quidam ex Pontificiis Eugubini temeritatem, quam Bezam ſecutum fuiſſe dicunt, exiſtimantis erraſſe Lxx. Interpretes, aut mendum in eorum codicibus irrepſiſſe: Stephanum autem ſive Lucam, dum Evangelium ſcriberet, conſultò uſum fuiſſe hac enumeratione Græcorum, quia invaluerat apud Iudæos diſperſionis. Quæ ſententia tamen fuit Hieronymi in tradit. Ebraicis in Geneſin, Stephanum orationem accommodaſſe ad opinionem hominum, quibus Lxx. interpretum Scriptura vulgatior. Qui etiam in genere ibidem tradidit, obſervandum eſſe, ubicunque Apoſtoli ad populum loquuntur, his plerumque teſtimoniis abuti, quæ erant gentibus divulgata. Si qua igitur in hac propoſitione temeritas ſit, vident ſe adverſarii per latera Eugubini ſui & Bezæ noſtri Hieronymum confodere. Quod autem reſpondet non nemo modeſtior; hic non poſſe locum habere regulam illam, quia Stephanus non ad populum in concione, ſed in Concilio ad Sacerdotes & ſapientes ſermonem habuit: id certè apud me eſt alicujus momenti; exiſtimo enim Stephanum, & Ebraicè fuiſſe locutum, & Ebraicis Bibliis uſum. Reſponderi tamen poſſet, Lucam Græcè ſcribendo, uſum fuiſſe Bibliis Græcis; Et cum Evangelium in uſum Helleniſtarum ſcriberet, potuiſſe ex Bibliis illis, numerum 75. propter allatam ab Hieronymo rationem exprimere.

Tutius tamen arbitror, vel eam amplecti ſententiam, quam ex Iunio, poſt Epiphanium, expoſuimus, ita ut relictis Lxx. Interpret. dicamus, Stephanum enumeraſſe animas 75. ex Ebræo Moſis codice, ſed additis ſupputationi eorum qui ex fæmore Iacobi nati fuerant ipſo Iacobo, & uxoribus filiorum ejus, à Moſe enumeratis: vel etiam, ut agnoſcamus Stephanum & Lucam eandem habuiſſe cum Moſe ſuputationem, quæ tamen paulo poſt Lucam, à Græcis exſcriptoribus mutata fuerit, quià cum Græcè tantum intelligentes, conferrent concordantias locorum citatorum ex Veteri Teſtamento in Novo, utentes Bibliis Græcis, putarunt aliquem eſſe defectum in numero ſeptuaginta animarum. Nec mirum eſt omnes quos habemus codices conſentire, quia nullos habemus tantæ vetuſtatis, quin potuerit tempore quo ſcripti fuerunt id accidere. Quicquid ſit, non exiſtimamus recedendum eſſe à tam conſtanti Ebraicæ Scripturæ ſupputatione, in omnibus locis in quibus ejus rei ſit mentio. Non malè, contra morem ſuum, aliquam hic ingenuitatem profitentur Pererius & Lorinus quantumvis Ieſuitæ, agnoſcentes, non poſſe ſimiles difficultates ita penitus expediri, ut non

N 2 relin-

relinquatur ſtudioſis adhuc quærendi & excipiendi locus; & eo ſatius eſſe confugere, quam cum aliis nonnullis dicere, Interpretes Lxx. numerum quinarium addidiſſe, prophetica quadam libertate, ob myſticam aliquam conſiderationem. Hæc Rivetus.

In ea diſſertatione non admittimus, quod in catalogo quoſdam ingreſſos eſſe in Ægyptum à Moſe dici putet qui poſt Jacobi adventum in Ægyptum nati ſint. Quaſi phraſi illa, *cum Iacob venire in Ægyptum*, tanta latitudo notetur ut qui ante Jacobi mortem nati fuerint, ea comprehendantur. Non negamus phraſin ſcripturæ aliquando late extendendam eſſe, at in quolibet loco ſcopum obſervandum dicimus. Moſis ſcopus eſt accurate annotare, in quot perſonis numerus familiæ Jacob conſtiterit, cum ipſe è Cananæa in Ægyptum commigraret. Hoc diligenter inculcat Sp.S. & per partes prius expreſſum, ſummatim colligit: *Omnes animæ domus Iacob, quæ in Ægyptum veniebant erant 70.* Colligit partiliter, dicit ſexaginta ſex fuiſſe, quæ tum in Ægyptum veniebant cum Jacob. Attende: Venerunt in Ægyptum animæ domus Jacob ſeptuaginta ſed tantum ſexaginta ſex ingreſſæ ſunt cum Jacob, quia ſeparantur, ipſe Jacob, cum quo venerunt, item Joſeph & duo filii, qui in Ægypto erant. Eſrom & Hamul, item Benjamini filii, ſi tempore illo, quo Jacob in Ægyptum venit nondum erant nati, debuerunt tertiam partem catalogi conſtituere, nempe eorum, qui deinde poſt Jacobi adventum, in Ægypto vivente Jacob, nati ſunt. Si Scriptura voluit diſtinguere natos in Ægypto ante adventum, ab iis, qui in Ægyptum advenerunt nati in Canaan, cur in Ægypto poſt Jacobi adventum natos non diſcriminat à natis in Canaan? Natos in Canaan à natis in Ægypto diſtinguit Scriptura, vel eos qui venerunt ſive ingreſſi ſunt, ab iis, quibus Ægyptus fuit natale ſolum. Vult oſtendere quantulus fuerit numerus hominum è Jacobi femore egreſſorum cum Jacob in Ægyptum veniret, & quanta intrà ducentos & quindecim annos multitudine increverint. Si duo filii Phares & decem filii Benjamin nati fuerint intra illos ſeptendecim annos, quib. Jacob in Ægypto vixit, putabimusne cæterorum Jacobi filiorum nepotumque genituram toto illo tempore ſtetiſſe? Si igitur plures nati, cur hi ſoli numerantur? Quindecim annis ſiluiſſe genituram ſive feturam in tot familiis mihi non ſit veroſimile. Unde etiam puto numerum domus Jacob, cum ipſe moreretur, longe ampliorem fuiſſe numero ſeptuagenario. Credo oculis ſuis uſurpaſſe initium implementi divinæ promiſſionis de multiplicatione ſui ſeminis futura in Ægypto. An adeò omnem ſuperat fidem Juvenem viginti trium annorum decem filios genuiſſe? Fieri hoc potuit ex una uxore, nedum ſi duas aut plures conjunxerit. Phares tantum duos filios genuit, quia minor Benjamino erat: ut conſtet ad terminum eundem utramque familiam definiri. Nemo Judæus ita inſaniit ut in genealogia putet recenſeri, qui nati nondum eſſent. Calvinus: *Infirma Auguſtini ſolutio eſt, quod Stephanus per prolepſin eos annumeret, qui poſteà nati ſunt in Ægypto: longe enim major catalogus texendus eſſet.* Inconvenientius dicere, quod Hebræus textus poſt natos connumeret. Lxx. Interpretes in numero non conſentiunt Hebræo codici. Nam primo Joſepho nepotem & pronepotes addunt. Deinde ſeptuaginta quinque animas fuiſſe dicunt. Nempe ex Joſephi familia aucta augent ſummam. Hos alicujus facere, ut Hebræum codicem oppugnet, hominis eſt parum ſani. Primò enim ſibi ipſis non concordant, quia in Deut. 10. 22. tantum ponunt ſeptuaginta, (ut rectè eſt in Sixtina editione) & computatio ipſorum colligit 77. quia ſeptem in domo Joſeph ſuperaddunt. Deinde Joſephus veritatem He-

Hebræi codicis comprobat. Scimus etiam illos ſæpe *ὑπὲρ τὸ σκάμμα πηδῆσαι fines tranſiliiſſe*, permittentes ſibi ut conſultum videbatur. Ut videas quanti æſtimanda ſit illa editio Græca, notabis ejus audaciſſimam immutationem, quam fecit in ſtirpe Benjamin. Ipſi enim tantum tres filios attribuit, Bala, Becher & Asbel. Inde Balæ attribuit filios quinque Gera, Neeman, Achis, Ros, Mamphim. Tum Geræ dat Arad. Hanc immutationem deprompſit v. 1. Chronic. 8. 1. 2. 3. 4. 5. Deprompſit ex parte, quia plures filii Balæ illic recenſentur & alii dantur Benjamino. De Geræ filii Balæ generatione nullo in loco invenio. In cap. 7. Chronicorum libri primi à v. 6. ad 12. alia ſtirps Benjamini: rurſus alia Num. 26. 38. 39. 40. non enim omnia in omni loco habentur. Sed quæ ad ſcopum pertinent, quolibet in loco ponuntur: Chronicorum liber non voluit omnes filios Benjamin recenſere, ſed eos qui ſtirpem propagarunt, quam voluit exponere aliam in ſeptimo, aliam in octavo capite. Sic aliam genealogiam Moſes texuit in Numeris. Non debemus exiſtimate quod ſolos illos genuerit Benjamin qui in ingreſſu cum Jacob erant: nec quod hi omnes, aut alii non genuerint. Nepotum nomina repræſentarunt in parte patruos id eſt filios Benjamin. Si locus ſit conjecturæ, ego exiſtimo Lxx. peculiarem quandam genealogicam tabulam hic ſecutos eſſe, quam certo judicio elegerunt. Sic in Joſephi ſtirpe addiderunt quoſdam qui habentur in Numerorum cap. 26. quamvis ibi plures ſint è Manaſſe. Conſtat autem hos Joſephi poſteros & Benjamini longo tempore poſt Jacobi adventum in Ægyptum natos eſſe. Illi tamen conjunxerunt cum ingredientibus in Ægyptum, neſcio quo Judicio & quid volentes. Quia ſeptem filii & nepotes Joſeph ab illis enumerantur, numerus erit 75. animarum. Sed cur dicunt *ἑννέα* in v. 27.? R. Aut mendoſe *ἑννέα* pro *ἑπτὰ* ſcriptum eſt: quia videbant ad 66. novem addi debere ut fierent 75. aut ſuprà mendum eſt. Lubet hoc loco Hieronymum diſſerentem introducere è libro quæſtionum in Geneſin: *Omnes ergo animæ* quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob Ægyptum: & quæ exierunt de femoribus ejus abſque mulieribus filiorum Jacob animæ ſexaginta ſex: filii autem Joſeph, qui nati ſunt ei in Ægypto, animæ novem. Omnes ergo animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob Ægyptum ſeptuaginta quinque. *Quod excepto Ioſeph & filiis ejus ſexaginta ſex animæ, quæ egreſſæ ſunt de femoribus Iacob introierunt Ægyptum nulla dubitatio eſt: ita enim & paulatim per ſingulos ſupputatus numerus approbat & in Hebrais voluminibus invenitur. Hoc autem, quod in ſeptuaginta legimus (filii autem Ioſeph, qui nati ſunt ei in Ægypto, animæ novem) ſciamus in Hebræo pro novem eſſe duas. Ephraim quippe & Manaſſe, antequam Iacob intraret Ægyptum & famis tempus ingrueret nati ſunt de Aſeneth filia Potipharis in Ægypto. Sed & illud, quod ſupra legimus.* Facti ſunt autem filii Manaſſe, quos genuit ei concubina Syra, Machir; & Machir genuit Galaad. Filii autem Ephraim fratris Manaſſe, Suthalaam, Ethaam; filii vero Suthalaam, Edom: *additum eſt: ſiquidem id quod poſtea legimus, quaſi per anticipationem factum eſſe deſcribitur. Neque enim illo tempore, quo ingreſſus eſt Iacob Ægyptum, ejus ætatis erant Ephraim & Manaſſe, ut filios generare potuerint. Ex quo manifeſtum eſt omnes animas, quæ ingreſſæ ſunt Ægyptum de femoribus Iacob, fuiſſe ſeptuaginta: dum ſexaginta ſex poſteà ingreſſæ ſunt & reppererunt in Ægypto tres animas, Ioſeph ſcilicet cum duobus filiis ejus; Septuageſimus autem ipſe fuerit Iacob. Hanc rem ne videamur adverſus ſcripturæ autoritatem loqui, etiam Lxx. interpretes in Deuteronomio tranſtulerunt, quod in Lxx. animabus ingreſſus eſt Iacob in Ægyptum. Si quis igitur noſtræ ſententiæ refragatur ſcripturam inter ſe contrariam faciet. Ipſi enim ſeptuaginta interpretes, qui hic*

ſeptuaginta quinque animas per prolepſin cum Ioſeph & poſteris ſuis Ægyptum ingreſſas eſſe dixerunt, in Deuteronomio ſeptuaginta tantum intraſſe memorant. Quod ſi è contrario nobis opponitur: Quomodo in actibus apoſtolorum, in concione Stephani dicatur ad populum ſeptuaginta quinque animas ingreſſas eſſe AEgyptum, facilis excuſatio eſt. Non enim debuit ſanctus Lucas, qui ipſius hiſtoriæ ſcriptor eſt in gentes actuum apoſtolorum volumen emittens contrarium aliquid ſcribere adverſus eam ſcripturam, quæ jam fuerat gentibus divulgata. Et utique majoris opinionis illo duntaxat tempore ſeptuaginta interpretum habebatur authoritas, quam Lucæ, qui ignotus & vilis & non magnæ fidei in nationibus ducebatur. Hoc autem generaliter obſervandum: quod ubicunque ſancti Apoſtoli aut Apoſtolici viri loquuntur ad populos his plerumque teſtimoniis abutuntur, quæ jam fuerant in gentibus divulgata: licet plerique tradant Lucam Evangeliſtam, ut proſelytum Hebræas literas ignoraſſe. Auguſtinus etiam prodeat Qu. ſuper Gen. lib. 1. qu. §. 152. *Quod legitur ſexaginta ſex animas intraße cum Iacob in Ægyptum, exceptis videlicet filiis Ioſeph & deinde illis annumeratis infertur:* ſeptuaginta quinque animæ erant cum quibus Jaçob intravit in Ægyptum: *ſic accipiendum eſt, qui erant in domo Iacob, quando intravit in AEgyptum. Nam utique quos ibi invenit, non cum eis intravit. Sed quoniam diligentius diſcuſſa veritate reperiuntur duo nati jam fuiſſe cum intravit, Efraim & Manaſſes: quod non ſolum hoc loco Hebræi codices habere dicuntur, verum etiam ipſa ſeptuaginta interpretatio in Exodo declarat.* Hodie in Exodo habetur ſeptuaginta quinque (ἑβδομήκοντα πέντε) non ſeptuaginta (ἑβδομήκοντα) (cap. 1. v. 5.) nec aliter videtur legiſſe Hieronymus, qui hujus loci non meminit ſed Deuteronomii. Fortaſſis eſt in Auguſtino mendum aut ἁμάρτημα μνημονικόν. Pergit Auguſtinus: *Nec ſeptuaginta interpretes mihi in hoc videntur erraſſe: qui propter aliquam myſticam ſignificationem quadam velut prophetica libertate hunc numerum complete voluerunt, ſi adhuc vivente Iacob illi ex duobus filiis manaſſe & Effrem propagati ſunt, quos eidem numero domus Iacob aggregandos ſudicaverunt. Sed quia invenitur Iacob decem & ſeptem annos vixiſſe in AEgypto, quomodo potuerunt filii Ioſeph illo vivo etiam nepotes habere, non invenitur. Ingreſſus eſt enim AEgyptum Iacob ſecundo anno famis: nati ſunt autem filii Ioſeph in annis abundantiæ. Quibuſlibet annis ubertatis nati exiſtimentur, à primo anno ubertatis uſque ad ſecundum annum famis, quo ingreßus eſt Iacob in AEgyptum, novem anni ſunt: huc additis decem & ſeptem, quibus ibi vixit Iacob, viginti ſex reperiuntur. Quomodo ergo minus quam viginti & ſex annorum juvenes etiam nepotes habere potuerunt?* S. Hieronymus è Gen. 48. 1. arguit Ioſeph moriente Iacob non habuiſſe nepotes, ſed tantum filios. Verba ejus ſunt: *Ex hoc loco illud, quod ſupra diximus, demonſtratur, quia Ioſeph ad id locorum, duos tantum filios habuerit, Ephraim & Manaſſe. Si enim poſt multos annos moriente Iacob patre ſuo, duos tantummodo filios duxit ad benedictionem: utique illo tempore, cum filii ejus generare non quiverant, parvuli atque lactentes, in ingreſſu patris & fratrum, nepotes ex eis habere non potuit.* Omninò videtur id argumentum procedere. Quia hi duo ſoli à Iacob benedicti ſunt ideò eos ſolos adduxerat. Poſteà rurſum Hieronymus ad v. 5. & 6. *Si quis ambigebat quod ſeptuaginta animæ introiſſent AEgyptum filiorum Iſrael & quod Ioſeph eo tempore, quo ingreſſus eſt Iacob, non novem ſed duos tantum filios habuerit, præſenti capitulo confirmatur. Siquidem ipſe Iacob loquitur duos eum filios habuiße non novem.* Patet evidenter duos filios ſolos Ioſephum genuiſſe ante Iacobi adventum: quum necdum plures haberet filios, jam moriente Iacob: ſicuti nec poſteà alios genuit: at de nepotibus ſilentium eſt, quos etiam non potuit habere, quia recenſerentur, quoniam benedictio eorum expetita fuiſſet. Auguſtinus

per-

pergit prolepſin interpretum ſimili prolepſi Hebræi textus nitens defendere: *Quemadmodum autem impleri potuit, ut toe nepotes ſuſciperet Iacob ante quam intrarat in Ægyptum, etiam de Benjamin, qui illa ætate venit ad fratrem? Non ſolum Scriptura filios eum habuiſſe commemorat ſed & nepotes & pronepotem, qui omnes adnumerantur ſexaginta ſex hominibus, cum quibus Iacob in Ægyptum etiam ſecundum Hebraicam veritatem perhibetur intraſſe. Videndum eſt etiam quid ſibi velit, quod cum Ioſeph & filii ejus non ampliùs quam octo commemorantur: Benjamin vero & filii ejus ſimul undecim reperiantur, non decem & novem omnes ſicut ſunt octo & undecim, ſed decem & octo referantur in ſummam: & poſtea Ioſeph cum filiis ſuis non animæ octò ſed novem fuiſſe dicantur, cum octo inveniantur? Hæc amnia, quæ indiſſolubilia videnter magnam continent ſine dubitatione rationem: ſed neſcio utrum poſſint exacta ad literam convenire, præcipuè in numeris quos in ſcripturis eſſe ſacratiſſimos & myſteriorum pleniſſimos ex quibus, quos inde noſſe potuimus, digniſſimè credimus.* Vides Auguſtinum iſtos interpretes ab omni lapſu nedum vanitate liberare. Hinc literali ſenſu, quem ſe poſſe conciliare deſperat, relicto, ad allegoriam inclinat. Nos Lyranum etiam producamus: Hic ad iſtos v. 26. & 27. in hunc modum: *Circa iſtos numeros ſequentes varii doctores variè dicunt & multipliciter: accipiam autem duos modos dicendi, qui videntur mihi probabiliores. LXVI. iſte numerus eſt perſonarum quæ egreſſæ ſunt de Iacob & cum hoc ingreſſæ ſunt Ægyptum cum eo, ut patet in litera. Et ab hoc numero excluduntur Her & Honan, qui non intraverunt Ægyptum, ſed mortui ſunt in terrâ Chanaan, ut prædictum eſt in iſto cap. & ſupra XXXVIII. cap. Similiter excluduntur Ioſeph & filii ejus, qui erant in Ægypto antequam Iacob egrederetur, & ſic de numero iſto prædicto remanent LXV: cum quibus ſi ponatur Dina, quæ fuit excluſa è numero XXXIII. puerorum Liæ, ut ſupra dictum eſt, & quæ ingreſſa eſt cum Iacob Ægyptum: Sic habemus LXVI perſonas hic numeratas cum quibus ſi addantur Ioſeph, & duo filii ejus & Iocabeth filia Levi, quæ concepta erat ante ingreſſum Iacob in Ægyptum, nondum tamen nata; ut dicunt Hebræi, & ſic intravit Ægyptum licet in utero matris & ſic habemus ultimum numerum, cum dicitur: Omnes animæ domus Iacob, quæ ingreſſæ ſunt Ægyptum, fuerunt LXX. ſed quià Scriptura non exprimit quod Levi aliquam filiam habuerit, quæ vocata ſit Iocabeth, quià illa de quâ fit mentio in Exod. non fuit ejus filia, ut ibi dicetur, ideò hoc dimitti poteſt. & loco ejus poni ipſe Iacob, quia cum prole ſua ingreſſus eſt, & ſic ſunt ſeptuaginta, unde & in hoc numero ultima nan dicitur: Omnes animæ quæ egreſſæ ſunt de femore Iacob, quià ipſe non fuit egraſſus à ſeipſo, ſed dicitur: Omnes animæ domus Iacob, quæ ingreſſæ ſunt Ægyptum, fuere LXX. & hic modus dicendi videtur convenientior. Tamen ingreſſus ipſius Ioſeph fuit ante ingreſſum patris, & ſimiliter ingreſſus filiorum Ioſeph, qui dicuntur hic ingreſſi ratione patris ſui, & ſic in eo quodammodo ingreſſi ſunt; unde & de perſonis hic ultimo nominatis non dicitur: Quæ ingreſſæ ſunt cum Iacob in AEgyptum, ſed quæ ingreſſæ ſunt abſolute. Tranſlatio verò LXX hic habet LXXV, ſed ſecundum Hieronymum hic cum prædicto numeraverunt quinque filios filiorum Ioſeph, qui tamen nondum erant nati, & hoc factum eſt per anticipationem propter honorem Ioſeph propter quem alii fuerunt recepti in AEgypto, & hanc tranſlationem ſecutus eſt Lucas Act. VII. Quod autem aliqui dicunt nullam mulierem hic computari, patet falſum, quià Sara computatur inter filios Zelphæ, aliter non eſſent XVI ſed XV tantum, quod eſt contra textum ubi dicitur: Sedecim animas &c. Conſiderandum etiam, quod cum dicitur hic: Animæ egreſſæ de femore Iacob, non eſt per hoc intelligendum, quod anima intellectiva ſit per generationem, ſed accipitur hic anima pro homine, eo modo quo totum denominatur à parte principaliori, licet autem hoc generetur, anima tamen intellectiva non generatur, ſed creando infunditur.*

Bezæ

Bezæ ſententiam deſcribere & illius judicium hic adjicere oportet. Ille ſic in Act. 7. 14. Septuaginta quinque, ἑβδομήκοντα πέντε] *Sic legitur in omnibus codicibus, quos inſpeximus; & jam pridem ita ſcriptum fuiße apparet ex Syra & Arabica editione, itemque Hieronymo & Auguſtino, qui multum laborarunt ut hunc locum conciliarent cum eo quod ſcriptum eſt Geneſ. 46. c. 27. ubi in Hebraa veritate LXX. capita duntaxat numerantur, conſentiente etiam Ioſepho, libro antiquitatum 2. cap. 4. Hoc quidem certum eſt in ejuſmodi controverſiis ad fontes eſſe recurrendum, id eſt ad Hebraicum contextum. Mendoſa eſt igitur editio Græca, duplici errore, non ab interpretibus primis, quia certum eſt, eos tam negligentes eſſe non potuiße, ut eorum ſaltem nomina non numerarent, qui tam diligenter apud Moſen ſupputantur, ſed ab iis admiſſo, qui ex hoc loco depravato Moſen emendare voluerunt, quum iſtum potius ex illo corrigere oportuerit. Sic enim factum ut quum pro ſeptuaginta ſcribendum cenſerent apud Moſen ſeptuaginta quinque, neque totidem in Hebraeo contextu viderent nominari: alii quidem adjectis quatuor Iacobi, & duabus Iudæ uxoribus (ipſo in illa ſupputatione excluſo Iacobo) numerum ſeptuaginta quinque explendum putarint: alii verò Ioſephi tres quidem nepotes, abnepotes autem duos Hebraeo contextui adjicere ſint auſi. Sed ab utriſque peccatum eſſe exiſtimo, quoniam non modo dicuntur omnes ibi nominati egreſſi fuiſſe ex fæmore Iacobi, (quod uxoribus ipſius non convenit) ſed etiam ineptum fuiſſet prius mortuas inter illos qui in AEgyptum deſcenderant recenſeri. Deinde corrigenda eſſent particulares illæ quatuor familiarum ſummæ. Denique Gen. 46. 26. diſertè ſcribit Moſes non eſſe numerandas filiorum Iacobi uxores. Et quaſo cur Iudæ uxores quarum etiam nomina illo loco non eduntur, potius quam aliorum ipſius Iudæ fratrum in eâ ſummâ comprehenderentur? Neque his obſtat quod duo filii Iudæ, quamvis antea mortui à Moſe nominantur. Nam nominantur quidem ſed in ſubductione ſummæ triginta trium excluduntur. Nepotes autem & abnepotes Ioſeph quomodo iis adjungerentur, qui in AEgyptum deſcenderant cum Iacobo, quum, Iacobo in AEgyptum deſcendente, vix ſeptennes eſſent? Liberatus enim eſt è carcere Ioſephus, annos natus triginta, Gen. 41. 45. Iſtis adde abundantiæ annos ſeptem, ſterilitatis duos, & duxerit uxorem Ioſephus eo ipſo anno quo liberatus fuerit, vix novem annos fuerat maritus, quum Iacobus anno tertio famis in Ægyptum veniret, nedum ut nepotes & abnepotes haberet. Imo ne naſci quidem abnepotes Ioſepho potuere Iacobo ſuperſtite, ut qui annos ſeptendecim duntaxat in Ægypto exegerit. Deinde cur Ioſephi potius nepotes & abnepotes quam ipſius fratrum commemorant? Imò, inquies, etiam Iudæ duos abnepotes recenſet, qui tamen tunc nati non erant quum Iacobus in AEgyptum deſcenderet, ut ex annorum ſupputatione manifeſtè colligitur. Fateor, ſed peculiarem ob cauſam iſtos nominatos fuiſſe apparet, nempe ut locum duorum Iudæ filiorum in terrâ Chanaan mortuorum ſupplerent. Iterum igitur dico locum illum Geneſ. 46. 27. fuiſſe ex hoc Lucæ loco corrupto depravatum, quod ne quis factum demiretur, aio ſimili audacia vel imperitiâ hunc eundem errorem ex Gen. 46. in Deut. 10. 22. dimanaſſe, ubi ſimiliter, in codicibus quidem Græcis noſtra memoria excuſis, mentio fit ſeptuaginta quinque animarum, quum diſerte teſtetur Hieronymus ſuo tempore Græcam interpretationem eo loco ab Hebræa veritate non variaſſe. Quod ſiquis rogat quinam hic locus jam olim fuerit depravatus, perplacet mihi Bertrami Cornelii, mei in hac Eccleſia Genevenſi collegæ conjunctiſſimi, conjectura, qui Lucam putat non πέντε ſed πάντες ſcripſiſſe, quam particulam ut maximè neceſſariam expreſſit etiam Moſes: ut ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πάντες, Latinè vertendum ſit, Qui* omnes (*id eſt ſimul conjuncti*) erant animæ (*id eſt capita*) ſeptuaginta, *Iacobo videlicet quo cum deſcenderunt ſexaginta ſex, ad hunc numerum illis annumerato, unà cum Ioſepho & duobus ipſius filiis, qui tamen non deſcenderunt in AEgyptum cum Iacobo,*

ſed

ſed in AEgypto inventi ſunt, ideoque ſeorſim & in extrema narratione à Moſe recenſentur. Neque verò hujus erroris obſervatio quenquam debet offendere vel in dubium revocare verbi divini auctoritatem, quum & ex Hebraa veritate, ut diximus emendetur, & ſalva nihilominus tum doctrina tum etiam hiſtoria ipſius fides permaneat: & res ipſa clamet non uno loco, temporis injuriâ, perſecutionum acerbitate, adverſariorum veritatis fraude, Hareticorum audacia, paſtorum denique inſcitia & oſcitantia, numerorum notas labefactari, & alia periculoſiora in libros invehi potuiſſè: qua tamen eruditi & ſancti homines tum ex aliorum locorum collatione, tum ex fidei analogiâ, partim animadverterunt & emendarunt, partim etiam poſteris obſervanda & corrigenda reliquerunt, ſic proſpiciente ſua Eccleſia Domino, ut quamvis integri non pauci libri interciderint, & errata de quibus dixi, irrepſerint, tamen ſalutis doctrinam totam his ipſis libris certiſſimè & veriſſimè, comprehenſam habeat Eccleſia, & ad finem uſque ſeculorum ſit habitura. Denique ſiquis ſupputet quot annos quiſque Patriarcha natus cum Iacobo in AEgyptum deſcenderit, facilè viderit, vix ac ne vix quidem fieri potuiſſe, ut tot nepotibus cinctus tunc fuerit Iacobus, quum praſertim decem filii tribuantur Beniamino, minimo natu. Itaque hac deſcenſio Iacobi in AEgyptum ad ejus uſque obitum porrigi debet, & hi ſeptuaginta totidem capita familiarum poſtea fuerunt ſigillatim, videlicet in ſua tribu. Hactenus Beza.

Noſtram ſententiam expenſis omnibus addere conceſſum eſt nobis poſt tot doctorum liberas diſſertationes & diſſenſiones, quam his theſibus comprehendemus:

I. Non eſt corrupta in hoc loco ſeptuaginta interpretum, quæ dicitur, verſio. Conſtat ita ante Hieronymum lectum fuiſſe.

II. Lucæ in actis numerus etiam ſine mendo eſt.

III. Lucas ſive Stephanus ſecutus eſt illam Lxx. interpretum opinionem. An tamen illam ex illis an aliunde hauſerit, neſcio.

IV. Editio illa Græca non eſt ab inſpiratione Sp. S. Quod dicere profanum eſt aut vanum.

V. Non hauſit illum numerum ex Hebræo codice. In multis diſſentit ab Hebræo textu, per nimiam facilitatem, quaſi per modum explicationis.

VI. Lucas ſive Stephanus ſecutus eſt illam ſententiam, tantum recitans, non approbans adverſus Hebræam veritatem.

VII. Recitantur enim talia ad circumſtantias pertinentia juxta communem vulgatamque ſententiam, περίεργως, attenta mente & attentionem requirente ad rei præcipuæ ſcopum. Eſt enim modus conceſſionis quam ſimplex dicendi character & zelus pietatis efficiunt.

Sic ego concilio omnes numeros in N. T. qui diſcordant à V T. locis, ubi hiſtoria primò exponitur & Chronologia traditur. Nimis abſonum eſt è talibus controverſiam movere Hebræo textui. Chronologia enim antiquitatum Eccleſiæ veteris peti debet è libris hiſtoricis V. T. At chronologia rerum Domini Jeſû & Apoſtolicarum habet propriam ſedem in N. T. Objiciunt nobis Stephanum apud Senatum Hieroſolymis locutum eſſe, unde & dixiſſe ea, quæ in Hebræis Bibliis legebantur & nota erant Hebraice loquentibus Synagogis. Nos ſcimus Stephanum Helleniſtam fuiſſe, qui fortaſſis Hebraice non noverat. Nam electus fuit inter ſeptem diaconos, qui miniſtrarent parti Eccleſiæ Hieroſolymitanæ quæ Græcè ſacras literas legebat. Cum enim jam ante diaconi eſſent, qui tantum noſſent Hebraicè, creſcente Eccleſia multiſque additis, qui Græcè loquebantur, opus fuit aliis diaconis, qui eorum uſui mi-

niſtrarent. De eo alias. Stephanus Græce ἀπολογεῖσθαι & ſermonem habere potuit apud ſenatum populumque. Nam potuiſſet id Paulus etiam, quamvis Hebraice ſit locutus eoque attentius auditus ſit Act. 22. 2.

Cum ſemine ſuo Jacob omni familia & peculio advenit in Ægyptum. Cum fines intraret aut potius finibus appropinquaret, præmiſit Judam. Hic dexteritate & peritia rerum ac facundia præpollebat. Illi crediderat filium Benjamin, ille flexibili oratione moverat Joſeph. Dicit Scriptura: Miſit ante ſe ad Joſeph להורות לפניו גשנה. Senſus eſt, *ut indicaret ſe in Goſen ire.* Raſi, *doceret ante ſe, ut diſponeret ei domum doctrinæ quia inde ea doctrina* [הוראה] Philo dicit, σκοπεῖ καὶ φράσειεν τῆς ὁδοῦ πάντ' ἐδήλωσε, ex iis cognoviſſe Joſeph quod Ægypti finibus appropinquaret pater. Joſephus Scripturæ conſonat. Utrumque fieri potuit. LXX. Τὸν δὲ Ἰούδαν ἀπέστειλεν ἔμπροσθεν αὐτοῦ πρὸς Ἰωσὴφ συναντῆσαι αὐτῷ καθ' ἡρώων πόλιν, εἰς γῆν Ῥαμεσσῆ. Senſum liberrimè expreſſerunt ſuo more. Nam voluit Jacob, ut filius ſibi in finibus occurreret. Heroum urbs extrema erat in Ægypti finibus ad ſinum Arabicum. Secundum ipſos terra Rameſſe in ea parte Ægypti iſtam urbem comprehendebat. Philo non tantum ſed & Joſephus circa iſtam urbem conveniſſe inter ſe Joſeph & patrem dicunt. Nam Joſeph curru ſuo conſcenſo celeriter vectus eſt in occurſum. ויאסר יוסף מרכבתו Raſi: *Ipſe per ſe ligavit equos ad currum ut accingeretur ad honorandum patrem.* Phraſis non exigit, ut intelligamus ſuis manibus equos junxiſſe. Ideo etiam Raſi magis quadrare putat ſenſui ſimplici, ut accipiamus per ſuum miniſtrum id feciſſe. Urbs Heroum videtur dici, quæ Hebræis appellatur אִיתָם contracte pro אֵיתָנִים Unde & proximæ ſolitudini nomen fuit. Hæc fuit in terræ Rameſſe ultimis finibus: terra Rameſſe pars fuit terræ Goſen. Hieronymus in tradit. ſeu qu. Hebr. in Geneſin. *Nonnulli Judæorum aſſerunt, Goſen nunc Thebaidem vocari: & id quod poſtea ſequitur:* Dedit eis ut poſſiderent Ægypti optimam terram in Rameſſe, *pagum Arſinoiten ſic olim vocatum autumant.* Cum convenirent dicitur in amplexum patris iviſſe Joſeph & hærentem collo profuſe illachrymaſſe. Quæritur cur pater non amplexus ſit Joſephum? Raſi: *At Jacob non ruit in collum Joſeph nec eſt eum oſculatus: dicunt magiſtri noſtri, quod occupatus fuerit in lectione* שמע At ea lectio nondum nata erat. Ralbag dicit Jacob ſuo gaudio temperaſſe, ne ſenilis ſpiritus opprimeretur. Ideo etiam à ſe repuliſſe Joſephum hoc dicto: *Moriar hac vice, poſtquam vidi te, quod tu adhuc vivas.* Ejus dicti Medras ſecundum Raſi eſt: *Putabam me moriturum duabus mortibus, in hoc ſeculo & ad ſeculum futurum quoniam diſceſſerat à me* (שכינה) *Sp. S. Et dicebam*, requiret à me Deus benedictus mortem tuam; nunc quoniam tu vivis, moriar tantum ſemel. Joſephus dicit (ex hoc ipſo verbo, uti puto) ὁ δ' ὑπὸ τῆς χαρᾶς ἀπροσδοκήτου τε καὶ μεγάλης γενομένης μικροῦ δεῖν ἐξέλιπεν. ἀλλ' ἀνεζωπύρησεν αὐτὸν Ἰώσηπος. οὐδ' αὐτὸς μὲν κρατῆσαι δυνηθεὶς ὡς μὴ ταὐτὸ παθεῖν ὑφ' ἡδονῆς, οὐ μέντοι τὸν αὐτὸν τρόπον τῷ πατρὶ γενόμενος ἥττων τοῦ πάθους. Innuit igitur mutuos ampl.xus fuiſſe, quod exprimit Philo: ἐπιπίπτουσιν ἀλλήλοις, τὰς κεφαλὰς ἐπὶ τῶν αὐχένων ἐρείσαντες καὶ τὰς ἐσθῆτας δάκρυσι φύροντες πολυχρονίων ἀσπασμάτων ἀπλήστως ἐμφορούμενοι. Hebræus textus etiam de utroque intelligi poteſt: *Viſus eſt illi & cecidit ſuper colla ejus & flevit ſuper colla ejus amplius.* Cecidit, flevit (הנופל & הבוכה) vel imperſonaliter; *Invaſum eſt & fletum ſuper colla ejus.* Collum enim intelligitur tam Joſephi quam Jacobi. Hinc ad regiam itum eſt, quæ non adeo erat diſſita. Notat textus: Monuiſſe Joſeph fratres & domum univerſam patris: Se regi indicaturum de aduentu ipſorum quaque ſermonis formula uſurus ſit: Scilicet eſſe paſtores & adeſſe cum gregibus & armentis, omnique ſubſtantia.

tia. Quando igitur à rege rogarentur de vitæ genere, reſpondendum eſſe: *Viri pecudum ſunt ſervi tui à pueritia uſque nunc, nos & patres noſtri.* Id enim dicere ipſos oportere, ut in terra Goſen (quæ & ſeparata flumine & graminoſa eſſet ac pecori bona) manſionem accipiant. Omnem enim opilionem Ægyptiis abominationi eſſe. Quia iſta Joſeph non ad patrem ſed ad fratres & domum patris memoretur dixiſſe, putat Ralbag patrem non adfuiſſe quia nollet coram Joſepho, præſens adeſſe, ne gaudio periret.

Cap. XLVI.

Subſtiterunt in terra Goſen in ulteriori regione, donec vocarentur ad Pharaonem. Primi vocati fratres quinque (Joſephus putat cum Joſeph præiviſſe ad regem) qui ut docti erant, reſpondebant: Se eſſe pecuarios, petere ut in terra Goſen manſionem concedat. Veniſſe ſe ut peregrinentur (Nomadum inſtar) cum pabulum pecori non ſuppeditaret Cananæa, in hac ſiccitate. Hoc audito Pharao mandat Joſepho, uti in optima parte regni eos collocaret: quod univerſum ipſis vellet patere. Collocaret in Goſen, ut petierant: & ſi qui idonei eſſent, eos pecori regio cuſtodiendo præficeret. Inde Joſeph patrem introduxit ad Pharaonem. Benedixit Pharaoni, qui ab eo quærit, quot annos haberet: Jacob reſpondet, Annos ſuos eſſe malos nec venire ad majorum ſuorum ævum. De ærumnis, quas pertulerat, loquitur. Et videtur ſignificare, (ſic Joſephus accepit) quod ſui majores præ aliis ætatis ſuæ hominibus vitam protraxerint. Cum à Pharaone exiiſſent, ſedem ceperunt in terra Rameſſes, aluitque eos Joſeph cum parvulis: patrem, fratreſque univerſam domum patris.

Quædam hic notanda: Dicitur *omnes paſtores ovium abominationi eſſe Ægyptiis.* Raſi: *Quia ipſis dii erant.* Aben-eſdras: *Signo eſt, quod diebus illis, Ægyptii non ederint carnem; ſcilicet non relinquet homo, qui immolet pecudes: Quemadmodum Indi uſque hodie faciunt: & quicunque paſcit pecudes abominatio eſt, quia de lacte vivit, at viri India non comedunt neque bibunt, quicquid egreditur ex vivo ſentiente uſque ad diem hunc.* Joſephus: Ἀηδεῖς γὰρ ἀπειρημένον ἦν περὶ νομὰς ἀναστρέφεσθαι. Habuerunt Ægyptii paſtores ovium & pecudes: at viles ipſis & abjecti erant; quia ſcilicet ad nullam reip. aut ſacrorum partem admittebantur. Hæc mens Merceri: Hebræi erant Nomadici, ideò Ægyptiis contempti. Imo non contemptibiles tantum erant ſed & ejuſdem menſæ communionem cum illis habere non licuit. Quare תועבה plus notat quam contemptum. Quinque fratres ſtitit Joſeph coram Pharaone. Hi fuerunt ut Hebræi volunt, Ruben, Simeon, Levi, Iſachar, Benjamin. Hos fuiſſe imbelles volunt, quia eorum nomina Moſes non duplicavit Deut. 33. Hæc haberi dicit Raſi in Breſith Rabba, quia eſt aggada terræ Iſrael, at in Thalmud Babylonico, quod ipſis eſſet, invenire ſe, quod illi quorum nomina duplicavit Moſes fuerint debiles, eoſque introduxerit ante Pharaonem: at quod Juda, cujus nomen duplicatum eſt, non ſit duplicatus propter debilitatem, ſed rationem eſſe, uti eſt in Baba Cama. Item in Baraitha libri Siphre haberi in paraſam וזאת ברכה Deut. 33. 1.) ſicut in Thalmud ſub Babylonico. In codice Baba Cama cap. 18. fol. 92. pag. 1. Judæ nomen duplicari dicitur למלחמה ob peculiarem rationem. Putant ideò electos eſſe, qui minus præſtarent robore & corporis viribus aliiſque dotibus [Ralbag: מי שלא היו אנשי מדות] Ne eos Pharao ſuo pecori præficeret, atque ita gravaret. Pharao dicit אנשי חיל, quo ſignificantur induſtrii, periti, idonei pecoribus paſcendis. Alios enim præfici noluit.

Benedictio, qua Jacob benedixit Pharaoni, duplex erat, altera qua ingrediebatur; altera qua exibat. Neutram propheticam eſſe Raſi putat, ſed ex more communi hominum. De prima dicit: היא שאילת שלום כדרך כל הנראים לפני המלכים לפרקים de altera: כדרך כל הנפטרים מלפני שרים מברכים אותם ונוטלים רשות:

At addit: *Qua benedictione benedixit ei? ut aſcenderet Nilus ad pedes ejus. Quia non bibit Ægyptus aquas pluvias, ſed Nilus aſcendit & irrigat eam. Inde à benedictione Iacob fuit Pharao egrediens ad Nilum & ipſe aſcendebat in occurſum ejus. Ita eſt apud Thanchum.*

Recte Abeneſdras, Goſen dicit eſſe כלל, terram Rameſſe פרט, Multæ autem cauſæ referuntur, ob quas Joſeph voluerit domum patris habitare in terra Goſen. Joſephus putat proregem voluiſſe fratres in paſtoritia vita conjungi, inque eadem regione, ut una degentes patris rationem haberent. Deinde ne qua æmulatio cum Ægyptiis intercederet, ſi circa eadem cum illis ſtudia verſarentur. Noluit Joſeph fratres domumque patriam honoribus Ægypti involvi, & incolis idololatricis permiſceri, quia præſtabat manere in vitæ genere, cui aſſueverant. Periculoſum habitare inter alienos à cultu Dei. Nec oportuit Ægypto affigi iiſque hominibus inſeri quos ſibi Deus & ſolos adoptaverat, introducendos in terram Canaam, ut ſuum peculium eſſent. Ralbag quatuor cauſas enumerat: I. *Quod eſſet terra paſcua & conveniens ipſis* [נאותה להם] II. *Quod eſſet in optimo terra.* III. *Quod ne diſpergerentur per terram Ægypti propterea collocarit eos illic in parva villa, qua erat in optimo terra Goſen. Hac erat Rameſſes. Ideo inventi illic fuerunt Iſrael collecti cum multitudine ipſorum. Nam fuit terra tractu lato & ædificarunt in ea. Et hac fuit cauſa ne eos dolore afficerent Ægyptii malis moribus: quo modo amplius dolore affeciſſent ſi fuiſſent cum ipſis permiſti & ſparſi inter eos. Et apparet etiam ſic, quod conſuetudo illius terræ non fuerit mala ſecundum conſuetudinem terræ Ægypti. Ecce vides, quod illic non abominarentur omnes paſtores ovium, ſicut abominabantur eos in Ægypto. Quoniam Ægyptii ex ove Deum faciebant.: & jam declaratur tibi, quod non fuerit hic mos in terra Goſen; abominatio Ægyptiorum omnis paſtor ovium; Et ideo elegit Ioſeph, ut habitarent illic. Et erit ſita eſt, hac cauſa quarta. Et forte etiam ſic, quod fuerit conſuetudo ſecundum conſuetudinem terræ Ægypti: at fuit terra Goſen latiſſimè extenſa, & ob hanc latitudinem inhabitata: ſed collocavit eos Ioſeph illic in loco non ædificato: deditque ipſis locum ad ædificandum. Hoc probabilius eſt: ob hanc cauſam inventus eſt Iſrael non permiſtus cum Ægyptiis omnino. Ideo dicitur* [Exod. 1.7.] Et repleta eſt terra ipſis. *Id eſt, terra inhabitata, quæ erat illic, & repleta eſt ipſis.* IV. *Quod ſi fuiſſet Iſrael permiſtus, brevi ab hoc tempore, polluti fuiſſent conſuetudinibus eorum, ejus plebeii. Et ideo elegit Ioſeph ut habitarent in loco uno non permiſti cum Ægyptiis.* Calvinus obſervat Joſeph voluiſſe ſuam gentem paſtoritiæ vitæ adhæreſcere, quamvis poſſent ad alias artes traduci: nec fuiſſe difficile aulicis muneribus eos ornari. Cum ſuo tamen dedecore qui ſumma & pene regia dignitate fulgeret, eos ſubjicere contemptui. *Fuiſſet*, inquit, *hoc initiò plauſibile ſplendide vivere inter Ægyptios: ſed affixi fuiſſent exitiali nido. Nunc ſordida & contemptibilis vivendi ratio interſtitium eſt, quo ſeparantur ab Ægyptiis: imò Ioſeph conſultò videtur dare operam, ut nobilitas, quam ſibi acquiſierat, uno momento excidat: ne poſteros teneat in Ægypto demerſos ſed potius coaleſcant in corpus avitæ familiæ. Quod ſi non venit illis hac ratio in mentem minime tamen dubium eſt, quin eorum linguas gubernaverit dominus ut occurreret noxiæ mixturæ, purumque & diſcretum retineret eccleſia corpus. Hic quoque locus docet, quanto ſatius ſit vel* ex-

extremum angulum tenere in atrio domini, quam extra Eccleſiam occupare media palatia. Deinde: *Nam quod pauci & famelici deſcendunt: deinde infamia notati, ut vix quiſquam eos alloqui dignetur: ex iis tenebris illuſtrior deinde refulſit Dei gloria quum ingentem populum mirabiliter tertio ſeculo eduxit.* Notat etiam id quod ſe ut peregrinos & hoſpites admitti petant, non tam eſſe modeſtiæ quam quod filii Jacob in ipſo limine teſtentur qua lege habitare cuperent in Ægypto. *Ac tanto minus*, inquit, *excuſabilis fuit crudelitas, quum adverſus pactum fuerunt tam duriter oppreſſi nec illis permiſſus exitus, quem diſertè ſtipulati fuerant.* Mirari poſſit aliquis, quomodo dicant fratres Joſeph, ſe in Ægyptum adveniſſe, quia paſcua deficerent in terra Canaan? An Ægyptum ea ſterilitas communis utrique terræ non affligebat? Lyranus: *Dicunt aliqui hic: quod tempore ſiccitatis, ex qua cauſabatur illa ſterilitas, ſunt bona paſcua in Ægypto: quia magna inundatio Nili, ex aqua remanente ſuper terram, plus impedit* (copiam) *naſcentium herbarum, quam ſterilitas. Vel aliter poteſt dici, quod terra Geſſen, quam petebant, erat ſic diſpoſita, quod non erat tanta ſiccitas, quin ſufficienter eſſet paſcualis. Ex quo habebant colorem petendi eam: quia bona eorum conſiſtebant principaliter in animalibus.*

Anno poſt diluvium 1360. eveniſſe ingreſſum in Ægyptum dicit Sulpicius, ut recte emendat Victor Giſelmus. Id ita patet: A diluvio ad natum Abrahamum anni 1070. Abraham vocatus eſt anno 75. Hinc ad deſcenſum in Ægyptum anni 215. Conſiunt anni 1360. His ſi addideris annos ante diluvium juxta ipſum præteritos 2242. habebitur in deſcenſu annus M. 3602.

SULPICII SEVERI
HISTORIÆ SACRÆ
LIBER PRIMUS.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUN.

IGitur Iacob ſeptimo & decimo anno, quam Ægypto advenerat, urgente morbo, Ioſeph filium obteſtatur corpus ſepulchro ſuo redderet. Tum Ioſeph patri benedicendos filios ſuos obtulit: quibus benedictis cum tamen benedictionis merito majori minorem præpoſuiſſet, filios omnes benedictione luſtravit. Deceſsit autem annos natus CXLVII. Funus magnificè curatum. Corpus in ſepulchro majorum Ioſeph condidit. Fratres poſt patris obitum pro conſcientia paventes benignè habuit. Deceſsit autem Ioſeph ipſe ætatis anno decimo & centeſimo.

DRUSIUS.

SEPTIMO ET DECIMO ANNO] *Sigonius emendat*, ſeptimo decimo, *extrita copulante, quam inſertam putat ab iis, qui notas Sulpicianas hoc eſt ea qua Sulpicius per notas numerorum ſcripſerat, explicuerunt.*

Quam Ægypto Advenerat] *Omiſit præpoſitionem* IN. *quod huic ſcriptori familiare. Sic alibi dixit,* Ægyptum deſcenderunt, *proin Ægyptum. Hoc primum: deinde promiſcuè & ſine diſcrimine vel eum accuſandi vel cum auferendi caſu hanc præpoſitionem jungit, contra Grammaticorum canones. Quod cum hic fecit tum ſupra cap. 9.* Qua neceſſitate compulſus Iſahac in Geraris ad regem Abimelech ceſſit, *Vide quæ notavimus ad illum locum.*

Sepulchro Suo] *Sepulchro majorum ſuorum, quod in terra Chanaan in ſpelunca, quæ in agro Ephron Hetthæi, ſive in ſpelunca, quæ in agro Machphelæ è regione Mamre, quam emerat Abraham ab Ephrone Hetthæo, Gen. 49, 29. & 30.*

Tum Joseph] *prius Ioſeph benedicendos filios Manaſſe & Ephraim obtulit patri: poſteà Iacob filium obteſtatus eſt corpus &c.*

Benedictionis Merito &c.] *quia ſic meritus erat Ephraim ut fratri majori in benedictione præponeretur. Accidit hoc aliis multis, ut Habeli, Semo, Iacobo, Ioſepho, Moſi, Davidi: qui prælati Caino, Iapeto, Eſavo, Rubeni, Aharoni. David autem licet minimus eſſet ſeptem fratrum, tamen iis omnibus prælatus fuit.*

Pro Conscientia Paventes] *Aurea eſt hæc dictio, & optimis autoribus uſitata,* pro conſcientia; *ut,* pro re, pro tempore, pro periculo, pro copia rerum. *Vult dicere, prout ſibi male conſcii erant vel pro valet propter, quia, ut dialog. 1.* pro eo tamen quod tibi eſt cariſſimus; non poteſt mihi non eſſe carus. *Terentius Eunucho,* ego pol te pro iſtis dictis ac factis ſcelus ulciſcar.

Schotanus.

De ſincera & fida adminiſtratione Ioſephi, quæ maximè patuit, in reliquo quinquennio ſterilitatis.

A v. 14. uſque ad v. 26. exponitur, quæ fides & induſtria, qui eventus pro rege fuerit adminiſtrationis Joſephi. Jacob & familia ejus alebantur ex aula, procurante Joſepho. Cum enim regia domus abundaret, è qua & ſacerdotes aliique multi habuerunt demenſum ſuum, non erat tanti, ipſius procuratoris genus cibari pro neceſſitate & numero hominum. In quibus tamen non fuit comprehenſum famulitium, uti videtur. Illi enim pecudum reditu ſuſtentari poterant. Primum biennium ſterilitatis tolerabilius fuit, quia ſupererat aliquid, maximè in Ægypto, quoniam à Joſepho præmoniti recondiderant. Inde conſumptis omnibus frumenti inopia arctiſſimè premebat. Ægyptus & Canaan potiſſimum affligebantur, & vicinæ regiones, quæ etiam ex Ægypto frumentum petere ſolebant. Joſephus regio ærario quærebat opulentiam. Nam quicquid pene nummorum in Cananæa & Ægypto erat frumento emendo ad Joſephum allatum eſt. Nummis abſumptis refugium proximum fuit pecora vendere. Boves, oves, aſini, equi (mancipia addit Joſephus) anni alimoniam unius præſtiterunt. Hic annus quartus aut quintus ſterilitatis fuerit. Inde ultimo remedio, ad redimendam vitam, agros & ſemet in proprietatem regis tradiderunt. illud reſtabat, ut ſua ſeque regi traderent, pro colendo agro ſervili demenſo alendi. Quia non erat unde ſemen agris cpmpararent pro meliornm annorum ſpe. Hunc in modum univerſus ager Ægypti Pharaoni ceſſit in proprietatem, præter agros ſacerdotum, qui è regis aula alebantur, eoque non habebant neceſſe cibum comparare.

rare. Hac autem conditione (quod fuit liberalis prudentiæ) agros ſuſcepit, ut ſemen ſerendis agris rex ſuppeditaret, & pro opera ac labore proventum caperent, quinta parte regi cedente è proprietate & ſemine ſuppeditato. Hac lege deinceps coloni in Ægypto agros tenuerunt.

v. 13. Fames Gravis Erat] Raſi: *Redit ad argumentum primum, principium annorum famis.* Putant Hebræi, quod illud quod habetur v. 18. *venerunt anno ſecundo*, intelligendum ſit de anno ſecundo famis. Hic Lyra; *Dicunt Hebræi, quod iſte fuerit annus ſecundus famis: & quod in adventu Iacob, qui venit in principio tertii anni famis, ſtatim Nilus irrigavit terram Ægypti, propter merita ejus & facta eſt fertilitas: quæ ſubtracta fuerat per ſiccitatem; ut prædictum eſt ſecundum unam opinionem. Sed hoc videtur contra textum. Primò, quia Ioſeph per ſpiritum prophetiæ prædixerat famem durare per ſeptem annos. Secundò, quod ſecundum iſtud dictum ſequeretur, quod Ioſeph ſuſtentaſſet Ægyptios prima anno famis præ pecoribus; & per conſequens durante adhuc fertilitate ſuſtentaſſet eos præ pecuniis; quod videtur manifeſtè falſum: quia tunc emebat Ioſeph bladum ab Ægyptiis & non è converſo. Et ideo dicendum eſt, quod ſecundus annus hic intelligitur ab illo tempore, quo defecit eis pecunia ad emendum: & ille fuit circa finem ſterilitatis terræ: maxime quia Ioſeph prædixerat publice: ita quod notum erat per totam terram Ægypti de ſeptem annis famis futuræ poſt ſterilitatem: & ideò veriſimile eſt*, quod multi de terra Ægypti reſervaverunt ſibi bladum, unde poterant ſuſtentari per aliquod tempus: ita quod non fuerunt compulſi vendere pro blado pecora ſua & poſſeſſiones ſuas ita citò, ſed magis in ultimis annis famis.

v. 20. Et Fuit Terra Pharaonis] Vulgata habet: *Subjecitque eam Pharaoni* &c. Tranſlationis populi nullam facit mentionem. Hic Lyra: *In Hebræo dicitur ſic:* Et fuit terra ipſius Pharaonis: & populum tranſtulit ad civitates de fine terræ Ægypti uſque ad finem ejus. *Dicunt enim Hebræi, quod ad oſtendendum, quod terra erat ipſius regis immediatè, Ioſeph fecit transferri populum de una parte Ægypti ad aliam & econverſo, ut per talem tranſlationem quilibet oſtenderet & profiteretur, quod nihil juris haberet in hæreditate ſua priſtina. Cauſa autem hujus diverſitatis inter tranſlationem Hebraicam in hoc loco potuit eſſe ex hoc, quod iſtæ duæ dictiones, ſc.* vajaebir *&* vajaebid (*quarum prima ſignificat* & fecit tranſire; *& ſecunda ſignificat* & ſubjecit ſervituti) *non differunt in Hebræo niſi in ultima litera: quæ in prima dictione eſt litera Res, in ſecunda litera Daleth: iſtæ autem duæ literæ Hebraicæ, licet in ſono habeant magnam diverſitatem, tamen in figura habent convenientiam: & ideò propter ſimilitudinem hanc tranſlator noſter accepit ultimam dictionem pro prima: vel converſo, ſcriptores Hebræorum qui fuerunt poſt tempus tranſlatoris, ſcripſerunt primam pro ſecunda. Tamen utraque litera redit ad eandem intentionem, Hebraica tamen magis exprimit, ut patet ex prædictis.* העביד & העביר non differunt niſi in una litera. Cæterum Latina editio omiſit potius vocem העביר, eoque conjunxit finem verſus vigeſimi cum principio viceſimi primi: at Lxx legerunt העביד, quia reddiderunt κατεδουλώσατο. E verſione τῶν ὁ corrupta eſt magis Latina editio. Ne autem obtrudatur nobis illa lectio Lxx interpretum pro vera & genuina ſciendum Joſephum legiſſe העביר. Scribit enim: ὕτως τῆ τοῦ βασιλέως πάσης αὐτῶν τῆς πλειονάς κυρίου γεγενημένου μετῳκίσθησαν ἄλλος ἀλλαχόσε, ὅπως βεβαία γένηται τῷ βασιλεῖ τῆς χώρας τούτων ἡ κτῆσις. Philo illius tranſlationis non meminit, quia Lxx. interpretum verſionem ſequebatur. Textus tamen Samariticus & ejus verſio cum Græcis conſentiunt: at Chaldæus Judaïco. Hic igitur diverſa lectio fuit, at in codice Judaïco integrior. Nam העביד ad ſignificationem

man-

mancipandi & redigendi ſub jugum non ſatis eleganter traducitur. Significat quidem ſervili operi adhibere & gravi labore premere, Ezech. 26. 18. non invenio pro καταδουλῶσαι. Nec hic locus de redactione Ægyptiorum in ſervitutem loquitur, tantum oſtendit quomodo agrorum emptorum ſibi jus aſſeruerit. Et obſervat Mercerus non habuiſſe eos Joſeph pro ſervis, quamvis id profeſſi eſſent, tantum colonos feciſſe. Ideo fateri coactus eſt Lyranus intentionem in Hebraica litera magis exprimi. Hanc lectionis varietatem non annotavit Capellus.

Sacerdotibus agri manſerunt v. 22. Ratio erat, quod dimenſum haberent è regis aula. Hinc non fuerunt coacti agros ſuos vendere. Non fuerunt agri publici, quos coluerunt: quia publicum nemo privatus vendere poteſt. Illi potuiſſent vendere & vendidiſſent, ut alii, ſi eos fames eodem modo afflixiſſet: id quod ſcriptura docet. Nulla igitur in re ipſis gratificatus eſt Joſeph. Voce כהנים poſſunt principes intelligi; nihil impedit, ut non accipiamus ſacerdotes: qui conſenſus interpretum eſt. Lyranus: *Erant enim deputati ad cultum deorum illius populi: & etiam ad ſtudium ſcientiarum ſpeculativarum: ſecundum quod dicit philoſophus 1. Metaphiſic. quod gens ſacerdotum Ægypti ibi primo ſtudere conceſſa eſt. Et Ioſephus in lib. Antiq. dicit: quod Abraham, quando deſcendit in Ægyptum &c. Et ideo à rege habebant ſtatuta cibaria.* Philo & Joſephus, dicunt poſt finitam ſterilitatem Joſeph applicuiſſe agricolas ad culturam terræ. Joſephus ſcribit animos etiam ad ſervile obſequium demiſſos eſſe. Ἐδ' εἷλκετ' αὐτῶν τὰ σώματα οὐ μόνον τὸ δεινὸν ἀλλὰ καὶ τὰς διανοίας καὶ τὸ λοιπὸν εἰς ἀσχήμονα τῆς τροφῆς εὐπορίαν αὐτοὺς κατηνάγκασε. Vult hoc, animos ita dejectos, ut inſtar mancipiorum ad cultum & opus terræ ali optaverint. Et videtur velle, quod uſque ad finem ſterilitatis ad cultum cibati fuerint tanquam ſervi. Nempe opus terræ eos alere non poterat ob ſterilem proventum. Hinc non potuit quintam partem imponere dandam regi antequam ea ſterilitas finem haberet. In Hebræo v. 3. videtur emptio agri connecti cum pacto iſto colendi quo quintam regi penderent. Concilio, quod 1. in finem iret ſterilitas. 2. Quod ex emptionis jure debitus ipſis cibus fuerit uſque ad finem ſterilitatis: ita ut tenerentur colere & reddere quantum proveniret: Inde à fine calamitatis pactum quintæ iniiſſe. Quo ipſos videbatur in integrum reſtituere, & agros reddere liberali dono: non quidem in totum, ſed ut ipſi & regi obſtricti tenerentur. Joſephus iſtam prudentiam agrorum traditorum colonis tanquam in proprietatem, ita deſcribit: Ἀπαλλαγέντος δὲ τοῦ κακοῦ καὶ τοῦ ποταμοῦ τὴν γῆν ἐπιβάντος καὶ ταύτης τοὺς καρποὺς ἀφθόνως ἐκφερούσης, ὁ Ἰώσηπος εἰς ἑκάστην παραγενόμενος πόλιν, καὶ συλλέγων ἐν αὐταῖς τὸ πλῆθος, τήν τε γῆν αὐτοῖς ἣν ἐκείνων παραχωρούντων βασιλεὺς ἔχειν ἠδύνατο, ἐ καρπῶσθαι μόνον (f. μόνος) εἰς ἅπαν, ἐχαρίζετο κτῆμα ἴδιον ἡγουμένους φυλάττειν παρεκάλει τὴν πέμπτην τῶν καρπῶν τῷ βασιλεῖ τελοῦντας ὑπὲρ τῆς χώρας, ἣς δίδωσιν αὐτοῖς οὔσαν αὐτοῦ. Τοὺς δὲ παρ' ἐλπίδα κυρίους τῆς γῆς καθισταμένους χαρά τε ἐλάμβανε καὶ ὑφίσταντο τὰ πράγματα. καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ τό τε ἀξίωμα τὸ παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις αὐτῷ μεῖζον ὁ Ἰώσηπος ἀπεργάζεται καὶ πλείω τὴν εὔνοιαν τῷ βασιλεῖ παρ' αὐτῶν, ὅτι δὲ τὴν πέμπτην τῶν καρπῶν νόμος ἔμεινε καὶ μέχρι τῶν ὕστερον βασιλέων Philo ſentit labente ad finem ſterilitate, hoc pactum initum eſſe, quia culturam non eſſe factam putat annis ſterilitatis: Ἡνίκα γοῦν ὁ ἕβδομος ἐνιαυτὸς ἐνδείας ἐνίστη, μεταπεμψάμενος τοὺς γεωργοὺς (ἤδη γὰρ τῆς εὐφορίας καὶ εὐθηνίας ἐλπὶς ἦν) ἐδίδου κριθὰς καὶ πυροὺς εἰς σπέρματα φροντίσας τοῦ μηδένα νοσφίζεσθαι καταθεῖναί τι εἰς τὰς ἀρούρας, ἃς ἔλαβεν ἐπλήρωσε καὶ ἐφόρους ἐπιλέξας ἀγρύπνους, ἵνα τὴν σπορὰν παραφυλάξωσι. Mercerus etiam & Calvinus putant non ante annum ſeptimum petiiſſe Ægyptios (non

omnes

omnes ſimpliciter erant: quia pauci opulenti excipiebantur, quos egeſtas non coegit vendere) ut agros à ſe reciperet pro ſatione & alimento: quia jam ſciebant inſtare fertilitatis tempus. Si non potuit ſeri ob ſterilitatem debuit finis ejus ſiccitatis expectari, cum Nili inundatio ſpem aperiret: Semen ad ſationem dedit pro iſto anno, quia deſtituti erant coloni, at ex proventu deinde ſeminari debuit; quintam regi in ſolidum vindicavit. De hac prudentia Joſephi ita Lyranus: *Hic oſtenditur clementia Ioſeph erga populum in hoc, quod terram Ægypti, quam juſto titulo pro rege acquiſierat, reddidit his, qui vendiderant, pro quinta parte fructuum. Ex quo patet, quod fecit eis magnam gratiam: quia alibi, ubi terra non eſt notabiliter fertilis, bene traditur colenda & ſeminanda pro media parte fructuum. Terra autem Ægypti non ſolum eſt benè fertilis, ut referunt illi, qui eam viderunt, ſed etiam cum parvo labore propter irrigationem Nili, qua fecundat terram illam.* Mercerus: *Quartam partem* (imo de quatuor quintis colono relictis unam) *videtur ſementi deſtinaſſe, tres eſui illorum & familiarum &c. Prudenter ita omnia diſpenſavit & diſtribuit Ioſeph ut illi deinceps agrorum ſuorum dominum Pharaonem hac quintatione agnoſcerent &c. Ita Ioſeph utriſque conſuluit nec populum oppreſſit, nec Pharaonem fraudavit. Summa viri ſapientiſſimi aquitas & juſtitia, quam agnoſcunt & ſummi beneficii loco ducunt Ægyptii &c.* Fertilibus annis emerat quintam partem, quæ ipſos Ægyptios onerabat, nunc regi modicum pendi vult è ſuis agris: ut ipſi ditescere poſſent ex regia liberalitate, quæque caritas abſumpſerat, citò recuperare: ut deinceps ſe ſuaſque opes regi deberent: & quotannis novo proventu annorum de ejus munificentia admonerentur. Prorſus quaſi in eum finem quæ ipſorum eſſet rex emiſſet, ut ſua largitione cumulatius omnia redderet. De pecoribus & jumentis quidam interpretes quærunt: quo ea vendiderit Joſeph? Non potuit vendere in proximas regiones, quæ ſterilitate laborabant. Nec eſt credendum, quod Ægyptum evacuare voluerit: quæ pecori alendo præ aliis regionibus ſufficiebat. Quod ex eo apparet, quia Jacob cum numeroſis gregibus eo deſcendit. Si ipſi Ægyptii paſcuorum laboraſſent pecunia, æquum non fuiſſet eos gravari ſuperventu Jacobi. Licet ſterilitas & ſiccitas impedierint ſementem & meſſem, non tamen herbæ pro pecore proventum. Nec ante Ægyptii pecora vendidere, quam frumenti inopia urgerentur, deficiente pecunia: pecora igitur alere potuerunt, ſed deerat, quo ipſi homines alerentur. Omnino igitur id credendum eſt pecora & jumenta retinuiſſe regi Joſephum, ut ſuo proventu ærarium ditarent. Tria hoc loco quærit & diſcutit D. Rivetus. Primum eſt, quomodo populus in tanta rerum anguſtia contineri potuerit, à tumultu, cum viderent ſua omnia ſibi perire, ut victum haberent, cum interim regis horrea abundarent. Verba ejus ſunt: *Hic primò mirari ſubit, qua ratione contineri potuerit tam numeroſus populus in tali anguſtia, ne tumultuaretur, cum videret non ſolum pecuniam ſuam exhauſtam à fiſco regio ſed quacunque poſſidebant, imo ſeipſos eſſe oppignorandos, ut victum à regio præfecto obtinerent. Cum enim non ignorarent in cunctis urbibus horrea fuiſſe repleta, mirum eſt quod vi non irruperint & ſibi de neceſſariis proſpexerint. Credibile eſt Ioſephum his omnibus iviſſe obviam & loca muniviſſe; ſed tamen, quod tam faciles ſe præbuerint & ſemetipſos conjecerint in vincula parata, ſingulari Dei diſpenſationi tribuendum cenſeo, qui eos ita flectere voluit,* ut ſponte ſe ſubmitterent & grato etiam animo ſubjicerent ſe oblatis conditionibus agnoſcerentque Joſephum tanquam liberatorem ſuum: de quo dubitari non poteſt quin ſedulo procuraverit regia negotia & ſtuduerit ejus potentiam & jus in ſubditos augere.

P Alte-

Alterum quæſitum eſt de jure, quo vendidit abundantiam annonæ. Hic primò de eorum argento & pecunia, ſecundo de pecoribus, tertio agris traditis. Diviſim ea diſcutit Calvinus, conjunctim Rivetus. Calvinus tamen quæſtionem de pecunia & pecoribus conjungit. Poteſt hic quæri an licuerit tanti vendere ſecundò an exhaurire egentes? De primo velitantur Lyranus & Burgenſis. Lyranus: *Omnem pecuniam congregavit: non per exactionem, ſed per venditionem bladi juſtam: quia tantum valet res, quanti poteſt vendi: & ideo illud quod Ioſeph emerat pro parvo pretio tempore fertilitatis, poterat revendere eiſdem perſonis, & multò fortius aliis pro majori pretio: maximè quia nullum compulerat od vendendum ſibi bladum nomine regis* &c.

Burgenſis: *Quia in emptione & venditione æqualitas juſtitiæ obſervanda eſt, ut in ſecunda ſecundæ qu. 77. art. 1. in cor. q. Idcirco non videtur dicendum, quod tantum valet res, quanti poſſit vendi. Poteſt enim quandoque res vendi in multo majori pretio, quam valeat ſecundum verum ſuum valorem & hoc propter magnam indigentiam ementis, quam habet de illa re. Et in tali caſu non eſt æſtimandus valor rei ſecundum quantitatem qua ipſa res poteſt vendi: quia ſic ſiquis rem ſuam ſupervendit in notabili quantitate, ultrà juſtum pretium propter magnam neceſſitatem ementis, tunc venditor videtur quaſi vendere, quod non eſt ſuum: quia id quod acceſſit ſuper juſtum pretium non eſt ex conditione rei venditæ ſed ex conditione ementis, ut in prædicta quæſtione. Ad excuſationem autem Ioſeph, qui vendit blada pro majori pretio, quam emerat ſufficit diverſitas temporis, quæ ſicut & diverſitas loci, magnam faciunt differentiam in vero valore rerum, ut in prædicta quæſtione.*

Doring pro Lyrano replicat: *Vbi poſtillator dicit, de contractibus Ioſeph, quomodo fuerint juſti, inſtat Burgenſis auctoritate S. Thomæ, ſecunda ſecundæ qu. 77. art. 1. in cor. q. & reſponſione etiam ad ultimum arg. aſſerens, quod in commutationibus æqualitas juſtitiæ ſervanda ſit. Sed ego cum poſtillatore verius puto, quod in commutativa juſtitia æqualitas ſecundum naturam ſervari non poſſit, quicquid dicat S. Thomas per Burgenſem allegatus: quia totum aurum mundi ſecundum naturam non valet unum equum; cum tamen in ordine ad humanos uſus modicum aurum valeat magnum equum. Æqualitas igitur, in commutativa juſtitia, quæ eſt in contractibus non ſervatur, ſed ratione juſtitiæ menſuratur, ut dicit S. Dionyſius de Divinis nominibus cap. 8. Ratio autem juſtitiæ menſurantis hanc æqualitatem & terminantis inæqualitatem deſcribitur à beato Auguſtino in lib. 83. quæſt. qu. 44. dicente:* Juſtitia eſt habitus animi, communi utilitate ſervata, ſuam cuique tribuens dignitatem. *Nunc autem tempore fertilitatis modicum aurum valet multum bladum: ideò ſecundum menſuram juſtitiæ tempore ſterilitatis modicum bladum valet multum aurum: Ideò videtur dicendum, quod tantum valet res, ſecundum illam æqualitatis menſuram, quanti vendi poteſt; ſervata utilitate non privata; maximè ceſſantibus dolo, metu; & violenta compulſione. Sic & in his factis Ioſephi, prout poſtillator dicit. Fateor quidem quod reſpiciens ad ſolam neceſſitatem ementis, & ſic carius vendens, quia non reſpicit ad commune conferens ſed privatum, juſtitiæ cultor non eſt. Sed hoc non eſt in factis Ioſeph nec apparet ex dictis poſtillatoris.*

De pecoribus ita Calvinus: *Miſerabile fuit illud ſpectaculum, & quod ferreos animos flectere deberet, videre divites agricolas, qui prius aliis quoque repoſitam habebant in ſuis horreis annonam, nunc victum mendicare. Itaque crudelis videri poſſet Ioſeph, quod inopibus & exhauſtis panem gratis non erogat, ſed eos etiam ſpoliat omni pecore, ovibus & aſinis: ſed quia alienum negotium tractat Ioſeph, ejus rigorem crudelitatis damnare non audeo. Si per ſeptem annos fertiles vi extortum eſſet frumentum ab invitis, nunc tyrannicè pecudes & armenta illis eriperet:*

ſed

ſed quià liberum illis fuit in privatis horreis recondere quod regi vendebant, nunc juſtas ſocordiæ ſuæ pœnas luunt. Nec aliud cernebat Ioſeph quam divinitus eos nudari, ut unus rex diteſceret omnium ſpoliis. Adde quod cum illi fas eſſet venale frumentum exponere, mutare cum pecoribus licuit, regis certè erat frumentum: cur ergò pretium ab emptoribus non exigeret? Atqui pauperes erant, ideoque ipſorum inopiæ ſuccurri æquum fuit. Si valeat hæc regula, illicita erit major pars emptionum: nemo enim quod poſſidet libenter vendit. Quare ſi juſta fuerit pecoris æſtimatio, nondum video quid in facto Ioſeph reprehenſione dignum ſit: præſertim quum rem propriam non ageret, ſed creatus eſſet rei frumentariæ præfectus, ea lege ut regi, non ſibi, lucrum acquireret. Si quis excipiat, debuiſſe ſaltem hortari regem ut uberrimo pecuniæ quæſtu contentus foret: reſpondeo, ex multis pauca obiter narrari à Moſe. Cuivis autem conjicere promptum eſt, tanti momenti negotium non fuiſſe tranſactum à Ioſeph inconſulto rege & inſcio. Quid autem ſi conſiliariis hæc viſa ſit æqua moderatio, ut pro ſuis pecoribus alimenta in totum annum ſumerent agricolæ? Denique quum ſtemus & cadamus unius Dei arbitrio, quod lex ejus in medio relinquit, damnare noſtrum non eſt. De agris emptis idem ſic: *Hic vero crudelis & inexplebilis avaritiæ cumulum eſſe quiſpiam putaret, quod miſeris agricolis Ioſeph etiam eripit, ex quorum proventu regnum aluerant. Sed jam prius oſtendi, niſi damnare libeat quodvis emptionum genus, non eſſe cur factum Ioſeph culpetur. Si quis dicat abuſum eſſe ipſorum inopia, hoc unum ad excuſationem ſufficit, quod nullæ eos inſidiæ, nulla circumventio, nulla vis, nullæ minæ ad hanc neceſſitatem compulerunt. Ægyptios curavit bonâ fide parique induſtria regis negotium: imperio functus eſt ſine violentis edictis. Vrgente fame licuit venale exponere triticum tam divitibus quam pauperibus: pecora deinde non minus emere licuit. Nunc ad extremum cur fas non eſſet juſto pretio agros regi acquirere? Huc accedit quod nihil extorquet, ſed ex eorum poſtulato cum ipſis tranſigit. Fateor quidem non promiſcuè ſumendum eſſe quicquid offertur: nam ſi durior premit neceſſitas, qui eam quovis modo cupit effugere, ad iniquas pactiones deſcendet. Ergo quumquis ad ſe fraudandum nos invitat, non ideò protinus ſumus excuſabiles: ſed ego Ioſeph non hoc tantum colore defendo, quod ultro illi ſuos agros detulerint Ægyptii, qui vitam quavis mercede redimere parati fuiſſent: hoc dico, ſimul debere expendi, ſervatam ab eo fuiſſe æquitatem, quamvis nihil illis reſiduum fecerit. Durior fuiſſet conditio ſi fuiſſent addicti in perpetuam ſervitutem: nunc libera corpora illis concedit, ac tantum de agris paciſcitur, quos fortè major pars populi à pauperibus emerat. Si veſtibus nudaret quos frumento paſcit, hoc eſſet obliquè & lente eos jugulare. Quid enim intereſt famene an frigore hominem mori cogam? Ioſeph autem Ægyptiis ita ſuccurrit ut in poſterum liberi ſint, & ſuo labore mediocrem victum comparent. Quamvis enim ſedes permutent, omnes tamen creantur regis villici: neque agros tantum, ſed inſtrumenta quæ emerat, illis remittit Ioſeph. Vnde apparet quam potuit clementiam ipſum adhibuiſſe ad eos levandos. Interim caveant qui nimis ad rem ſunt attenti, ne falsò prætexant exemplum Ioſeph: quià certum eſt, vitioſos eſſe coram Deo contractus omnes qui ad charitatis regulam non formantur: & æquitate illâ, quæ intus nobis arcano naturæ ſenſu dictatur, ſic agendum eſſe cum aliis ut nobiſcum agi volumus.*

Rivetus dè jure hoc emendi in hunc modum diſſerit: *Sed an id factum fuerit ex jure, quod eos non ſolum omni pecunia exhauſit, ſed reliquis etiam bonis tam mobilibus quam immobilibus exuit & eos cum familiis ſuis ſervituti regiæ ſubjecit, dubitari poteſt. Videtur enim id durum & crudele & cum charitate non ſatis conveniens. Nihilominus, ſi omnia benè expendantur nihil eſt in hoc Ioſephi facto, quod virum bonum & prudentem non deceat; nulla eſt injuria, vel tyran-*

P 2 *nis*

nis. Primò enim frumentum collegerat fertilitatis tempore, pecunia regiâ redemptum, non vi extortum. Vnicuique liberum fuit ſibi ſervare quantum eſſet neceſſarium, vel etiam ab aliis emere. At verò, quod poſtea tempore famis illud vendit, accepto juſto pretio, nemo æquus culpare poteſt. Nullâ fraude, nullâ violentiâ adhibitâ pecuniam extorquet; ſed nomine Regis accipit tanquam pretium rei venditæ. Quod ſi, exhauſta pecunia, & venditis pecoribus, ſeipſos tandem cum patrimonio Regi ſubjiciant ſervitutis nomine? Volenti non fit injuria, & quiſque poteſt ſua alienare, & ſeipſum mancipare, ſi ſui juris ſit, ut redimat vitam ſuam. Hæc autem neceſſitas fuit juſta ſocordiæ populi pœna, qui annonam non repoſuit, tempore fertilitatis, ad annos ſterilitatis. Id præterea Ioſephi commendat æquitatem, quod ſervitutem mitigavit, perſonis liberis manentibus, ſubminiſtrato ſemine, & emptis agris gratis reſtitutis, addictâ tantum Regi quinta proventus parte, quæ conditio novis colonis dura videri non debuit; ſatiſque oſtendit Ioſeph, ſe hac ſuâ adminiſtratione non habuiſſe in animo populum perdere, ſed pro ſua ſapientiâ humiliandum eſſe judicavit, ità ut tamen neceſſariis non deſtitueretur. Cujus exemplo abuti non debent, qui ſubditos ſuos contra omne jus & ſine juſto ullo titulo exhauriunt, eoſque rebus ſuis vi ſpoliant. Qui ſi Ioſephi exemplo ſe tueri velint oſtendere debent ſimiles eſſe cauſas & circumſtantias: addo etiam, ſe eodem ſpiritu duci, quo Ioſephus hæc omnia ordinavit. Si enim aliqua nobis occurrerent, quæ ad communes regulas exacta, nobis non quadrare videntur, non tamen temerè judicandum eſſet de tali viro, in quo tot extraordinariæ dotes apparuerunt, præſertim cum hæc deſcribat Moſes, ſine ullâ cenſurâ; imò eo ſtylo, & cum iis circumſtantiis, quæ non obſcurè indicant, quæcunque facta fuerunt, ad laudem Ioſephi pertinere; qui etiam eo nomine magnam inivit ab Ægyptiis gratiam, quem agnoverunt pro vitæ conſervatore*: Hoc enim volunt, cum dicunt* החייתנו hechejithanu, *vivificaſti nos*; Inveniamus grariam in oculis domini mei, & erimus ſervi Pharao; *hoc eſt; magna gratia à te accepta loco ducimus, ſi Regi ſerviamus, hac quam nobis propoſuiſti conditione.*

Tertium quæſitum de ſacerdotum exceptione & alimonia Calvinus ita diſcutit: *Excepti à communi lege fuerunt ſacerdotes, quod rex illis demenſum præberet. Dubium quidem eſt fueritne præſentis neceſſitatis hoc ſubſidium, an ſolitus fuerit eos ſuo ſumptu alere. ſed quia de eorum agris meminit Moſes, in illam conjecturam potius inclino, quod cum prius eſſent locupletes, quia ſterilitas iſtis quoque ſuum reditum abſtulerat, privilegio eos rex ornaverit, hinc factum eſt ut immunes eorum agri manerent. Quanquam de ſtatu illius terræ multa ſine judicio fabulantur veteres hiſtorici: Quod tamen dicunt agricolas exigua mercede contentos regi & ſacerdotibus ſerere & metere neſcio an ex hac lege Ioſeph profectum ſit. Sed illis omiſſis magis ad rem pertinet notare, quod Moſes diſerte teſtatum eſſe voluit; nempe profano regi ſingulare fuiſſe ſtudium divini cultus, dum ſacerdotes gratis aluit, ut eorum agris & facultatibus parceret. Nempe hoc nobis ſpeculum ponitur ante oculos, in quo cernamus infixum eſſe hominibus pietatis ſenſum, quem prorſus delere nequeunt. Quod tales aluit ſacrificos Pharao, qui ſuis impoſturis dementabant populum, non minus prava quam ſtulta ſuperſtitionis fuit: hoc tamen per ſe conſilium laude dignum fuit, quod Dei cultum jacère paſſus non eſt: quod brevi futurum erat, ſi fame deficerent ſacerdotes. Vnde colligimus quam ſedulo cavendum ſit, ne præpoſtero zelo quicquam tentemus: quià nihil proclivius eſt in tantâ naturæ humanæ corruptela quam ut religio in frivolas nugas degeneret. Cæterum, quia ex recto principio manavit inconſiderata hæc devotio, (ut loquuntur) quid noſtris principibus agendum eſt qui Chriſtiani cenſeri volunt? Quum adeò ſolicitus fuerit Pharao de ſuis ſacrificis, ut in ſuum & totius regni exitium aleret: ne ergà fictitios deos eſſet impius:*

quantum

quantum ſacrilegium eſt, ab his negligi legitimos proboſque ſacrorum miniſtros, quorum operam Deo probari, ſibique ſalvificam eſſe norunt? Sed quaritur an jus fuerit ſancto Ioſeph ſuſcipere hanc provinciam, ſic enim fovendis impiis ſuperſtitionibus operam ſuam locabat. Ego verò ſicut facilè concedo in tam ampla, & ardua, & multiplici functione proclivem in varia delicta fuiſſe lapſum, ità factum hoc pracisè damnare non audeo. Neque tamen inficior quin deliquerit vel hoc ipſo, quià non ſatis cordatè ſuperſtitionibus reſtiterit. Sed quoniam nulla illi lege injunctum erat ne fame conficeret ſacerdotes, regii autem frumenti non prorſus ad ſuum arbitrium diſpenſator fuerit, ſi rex gratu cibaria dari ſacerdotibus volebat, nihilo magis liberum fuit illis quam aulicis proceribus negare. Itaque tales alumnos non libenter ſuſcepit, ſed quum rex invito obtruderet, repellere non potuit, etſi indignos ſciebat qui vel fimo boum veſcerentur. Theodoretus hoc exemplo ita increpat Chriſtianos principes: Ταύτης δὲ τῆς τιμῆς οἱ τοῦ θεοῦ τοῦ ὄντος οὐκ ἀπολαύουσιν ἱερεῖς· ποῦ γὰρ οἱ δυσσεβεῖς τοῖς οὐκ οὖσι θεοῖς ἀπένειμαν σέβας.

Rivetus ita diſſerit de hac re: *Nomen* כהנים *ut ſupra vidimus, uſurpatur etiam pro principibus vel civitatum praſidibus & Regis, ut vocant, officialibus. Quam ſignificationem pratulerunt Tremellius & Iunius. Et certe credendum eſt iis, qui in aliquo munere erant apud regem, ex regiis apothecis & promptuariis fuiſſe proſpectum. Alioquin valde invidioſum fuiſſet, non ſolum Ioſephum ſed etiam univerſam Iacobi familiam ſumptibus regiis ſuſtentari, regiis praſectis & eorum familiis, extrema omnia patientibus, ſua & ſeipſos regi vendere coactis. Nihilominus de ſacrorum adminiſtris hic agi potius exiſtimo, quos Chaldaus paraphraſtes* כומריא *id eſt* Hierophantas *appellat: quibus in religionis rebus procurandis utebantur; qui ſapientiſſimi apud Ægyptios habebantur & in magno etiam pretio apud exteras gentes, quia philoſophia & aſtrologia operam dabant. Horum pleroſque, ad veri Dei cognitionem fuiſſe à Ioſepho perductos ex eo colligunt quidam, quod Pſ. 105. v. 22. legatur in vulgata:* ut erudiret principes ejus ſicut ſemetipſum & ſenes ejus prudentiam doceret. *Ad verbum ex Hebrao,* Ad alligandum principes ejus in anima ſua & ut ejus ſenes ſapientes efficeret. *Ubi Hieronymus,* in anima ſua, *interpretatur,* ſecundum voluntatem ſuam. *Sed nihil eſt quod nos impellat ut id intelligamus de eruditione in rebus ad religionem pertinentibus, cum agatur de conſiliariis Pharaonis, quos Ioſeph erudivit in iis, qua ſpectabant adminiſtrationem regni. Fieri potuit ut nonnullos ad veri Dei cognitionem adduxerit, ſed probabile non eſt, publicum cultum fuiſſe mutatum apud Ægyptios, neque illius rei veſtigium habetur in ſacris aut profanis ſcriptis. Quod ſi qui ſacerdotes converſi fuiſſent, penitus debuiſſent ſacerdotio ſuo nuntium remittere. Nec tamen propterea reprehendendus eſt Ioſeph, quod ſacerdotibus idolorum, ex regio demenſo portionem tribuerit & eorum terras liberas reliquerit. Id enim fecit tanquam regius adminiſtrator, non de ſuo; nec potuit aliter facere, cum id à rege eſſet conſtitutum. Qua ratione etiam excuſantur noſtri, qui in regnis aut rebus p. viventes, in quibus qui rerum potiuntur pontificii, ſolvunt Eccleſiaſticis Papatus, decimas & reditus, etiam de ſuo: quia id faciunt, non quod eos ſacerdotes Dei agnoſcant, ſed quia id legibus regni conſtitutum eſt, nec poſſunt alia lege frui patrimonio ſuo. Eadem eſt ratio quaſtorum regiorum, qui veram religionem profitentur & regis ſui juſſu ſolvunt elemoſynariis & ſacellanis àſſignatas portiones aut penſiones. Non potuit Ioſeph propria authoritate mutare vetera inſtituta. Hic notant omnes interpretes profano regi, ſingulare fuiſſe cultus Divini, qualem ille judicabat, ſtudium; dum ſacerdotes gratis aluit & eorum fundis pepercit. Speculumque nobis poni ante oculos, quo cernamus infixum eſſe hominibus pietatis ſenſum, quem prorſus delere nequeunt. Falſam quidem fuiſſe devotionem, ſed tamen*

ex recto principio manaſſe in genere: corrigendam eſſe ſuperſtitionem à piis principibus ſed tolerandos non eſſe, qui Chriſtianiſmum profitentes, legitimi miniſterii fovendi nulla cura ducuntur, aut etiam eccleſiis & ſcholis eripiunt, quæ in ſacros uſus olim deſtinata fuerunt. Inſitus enim eſt hominum animis pietatis ſenſus & ad conſervandum cultum divinum, omnes æquiſſimum eſſe judicant, ut publico ſumptu alantur qui Eccleſiis & ſcholis præficiuntur. Iure enim Divino & naturali ſancitum eſt, ut qui ſerviunt altari etiam de altari vivant [Cor. 9.13.

Quamvis autem non omnis ratiocinatio valeat, à moribus ethnicorum principum, ad officium à principibus piis debitum, in iis tamen quæ à principio bono derivantur, non improbamus argumentationem à minori ad majus: Si principibus ignorantia conſtitutis cura fuit alendi ſumptu ſuo ſacrorum ſuperſtitioſorum miniſtros multo major eſſe debet principum piorum cura, ne deſtituantur ſumptibus neceſſariis, qui veræ religioni inſerviunt. Sed hanc argumentationem nimis extendunt Pontificiorum doctores, ut exemptionem omnimodam in rebus politicis; tum quoad perſonas, tum quoad bona, clericis ſuis deberi probent ex jure Divino, ex quo derivatus eſt hic Ethnicorum ſenſus. Bellarminus enim lib. de clericis cap. 28. contendit quantum poteſt, Non poſſe clericos à Iudice ſeculari judicari, etſi leges civiles non ſervent; quam propoſitionem nemo non videt ex hoc Pharaonis facto probari non poſſe: quia non agitur hic de juriſdictione. Sed aliam propoſitionem habet ibidem Ieſuita, Bona clericorum tam eccleſiaſtica quam ſecularia, libera eſſe, ac merito eſſe debere, à tributis principum ſecularium. *Et Suarez lib. 4. Apolog. cont. Eccl. Anglic. cap. 30.* Non congruam, tantum ſed etiam neceſſariam & immutabilem illam exemptionem eſſe ſtatuit, ita ut invitis etiam Principibus immunitatem ac libertatem illam clerici ſibi vendicare potuerint ac poſſint. *Id tamen Eccleſia primitiva non cenſuit. Nam Bellarminus ipſe fatetur ante Iuſtiniani tempora legibus piorum principum immunes fuiſſe clericos à tributis perſonalibus, non tamen à tributis, quæ pendi ſolebant ratione poſſeſſionum: cum Ambroſius orat. de tradendis baſilicis dicat,* Agros Eccleſiæ ſolvere tributum. *Et Theodoretus hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 7. Valentinianum ſeniorem in epiſt. ad epiſcopos Aſiæ illa verba poſuiſſe,* Boni epiſcopi tributa penſitant regibus. *Id etiamnum fit in Gallia, ubi ſi Eccleſiaſtici bona habeant* patrimonialia, tributum regibus vel etiam cenſum *dominis feudi penſitant, eadem, qua cæteri, ratione. Ex bonis autem Eccleſiæ etiam decimas regi ſolvunt. At inquiunt,* Non decet eccleſiam Dei minus liberam eſſe tempore Chriſtianorum principum, quam fuerit tempore Pharaonis. *Reſpondemus, Primò, Exempla non facere rem eſſe de jure Divino, ſed præcepta Dei, ex ipſo Bellarmino, id excipiente 1. de Clericis cap. 7. Secundò ex certis, determinatis & extraordinariis privilegiis, concludi non poſſe omnimodam exceptionem in realibus & perſonalibus. Tertiò probari non poſſe, demenſum illud à rege ſacerdotibus conceſſum tempore famis, fuiſſe perpetuum, proinde trahi non poſſe in exemplum. Denique hiſtoriam non dicere ſacerdotum agros fuiſſe exemptos ab omni tributo, ſed tantum venditos non fuiſſe, quia aliunde habebant, unde vitam ſuſtentarent, ideò liberos fuiſſe à novo tributo quintæ partis, quia nulla erat cauſa, cur eis imponeretur. Eandem fuiſſe rationem præfectorum & procerum aulæ diximus, qui tamen exempti non fuerunt in perſonalibus & realibus ut loquuntur. Itaque fruſtra hic Pontificii ſacerdotes fimbrias ſuas extendunt.* Hebræi ferè de ſacerdotibus locum capiunt, quamvis Ralbag de principibus poſſe accipi concedat. Raſi כהן ubique pro miniſtro Dei accipi exiſtimat, niſi ubi nomen eſt eminentiæ & ſuperioritatis, ut ſacerdos Madian & ſacerdos On. Videtur hoc velle, quod ſine adjecto notet ſacerdotem. Id tamen verum non eſt, quia filii Davidis ſine adjecto כהנים vocantur 2. Sam. 8. 18. Porrò mirari ſuprà modum

modum licet Joſephi fidem & ſinceritatem in procuratione rei frumentariæ. Calvinus: *Scimus, quam pauci regias pecunias attrectent, qui non ſe coinquinent peculatu. In tantis verò pecuniæ acervis non minor erat prædandi licentia, quam difficilis continentia. Moſes vero dicit, quicquid collegerat pecuniæ Ioſeph, attuliſſe, in domum regis. Rara hæc & incomparabilis fuit integritas, inter tantos acervos puras ſervare manus. Nec vero fieri potuit, ut ſe adeo temperanter gereret niſi frenum illi fuiſſet Dei vocatio. Nam quos ambitio cohibet à furtis & rapacitate, niſi hominum oculos & judicia timerent, ſtatim manus extenderent ad prædam. Ioſeph autem ſine teſte peccare potuit* &c.

De voluntate Iacobi, petentis ſepeliri in terra Canaan.

ANtequam Jacob vita exiret, vidit oculis ſuis impleri abunde promiſſionem Dei de multiplicarione ſeminis ſui in Ægypto. Augebantur enim mirum in modum ut docet Moſes v. 27. In Baal Turim dicitur eum vidiſſe ſexaginta myriadas. Alii tamen triginta ſolas vidiſſe dicunt; quia tantum ſemel habetur מאד. Inhabitaſſe dicitur Iſrael in terra Goſen ויאחזו בה *& poſſeſſores facti ſunt in ea.* Calvinus: *Non intelligit Moſes, Iacob & ejus filios proprietarios fuiſſe ejus agri, quem illis habitandum conceſſit Pharao, ſicut reliquæ partes Ægypti incolis in perpetuam ἐμφύτευσιν data ſunt: ſed commode illic ad tempus egiſſe & ſic precarios fuiſſe poſſeſſores, ut ſimul tranquilli eſſent. Hinc factum eſt ut tantopere creſcerent exiguo temporis ſpatio.*

Corpus Sepulchro Suo Redderet] Jacob ſeptendecim annos in Ægypto exegit. Eorum ultimo quæ facta ſunt exponit Moſes à v. 28. cap. 47. uſque ad 22. cap. 50. Ea enim obitum Jacobi deſcribunt eoque pertinent. Paulo ante morbum emortualem vocavit ad ſe Joſephum, eumque adjuravit de funere majorum monumento inferendo. Sulpicius perperam urgente morbo id feciſſe ſcribit. Nam de morbo ſcribitur in cap. ſeq. initio. Quæritur unde collegerit mortem imminere? Vel è naturali diſpoſitione virium collapſu ſubito aliiſque vel prophetice. Quamvis & ipſa ultima ſenectus monere potuerit, ut ſarcinas colligeret. At cura ſepulchri de rebus eſt in extrema vita & imminente mortis hora procurandis.

Petiit à Joſepho, ut funus in Cananæam deferri curaret. Non poterant id facere alii filiorum, & ſumptus neceſſarios procurare at Joſeph rerum potiebatur: ſed cur jusjurandum ab eo flagitat, quaſi ſimplici promiſſo patrum fideret? Filio promittenti quem cariſſimum habebat, ſuique amantiſſimum & probiſſimum eſſe cognoverat, fidem habuit: ſed cauſæ fuerunt aliæ 1. Quia rem iſtam ut ſeriam valde expetebat, ideo ſuæ cupidini quærit fiduciam à jurato filio. 2. Invidioſum videri poterat Joſepho, quod patrium funus efferret extra Ægypti fines, ubi tanto honore tantiſque beneficiis colebatur. Ut igitur patris voluntatem & religionem jurisjurandi poſſet obtendere Joſeph & à ſe invidiam amoliri. 3. Joſeph in magno illic æſtimio erat, nec erat veroſimile eum in Cananæa vel alia terra eſſe ſepeliendum. Quia memoria ejus beneficiorum, quæ dederat & acceperat, ab utraque parte, Ægypti terræ ejus funus videbatur addicere. Potuit igitur id arbitrari de Joſeph, quod eodem monumento patris corpus illaturus eſſet, quod ſibi deſtinaret: magnifice ſepeliendum pro more gentis & Joſephi dignitate. Ideò conatur eum avocare ab hac cogitatione. 4. Voluit ita filios ſuos monitos eſſe, cogitandam eſſe Cananæam, nec deponendam memoriam promiſſionis Divinæ. Symbolum in juramento idem adhibitum fuit, quod habuimus

cap.

cap. 24. 2. Joſeph manum femori parentis ſuppoſuit. Videamus, quæ cauſa tantopere expetendæ & tam ſeriò, ſepulturæ in terra Canaan. Calvinus: *Sciendum tamen eſt conſultò interpoſitam fuiſſe ſacramenti reverentiam à Iacob, ut doceret ſe non fruſtrà nec temere ſepulchrum appetere in ea terra, ubi parum benignè acceptus, ubi multas ærumnas perpeſſus fuerat & ex qua tandem fame expulſus profugerat.* Ita adverſus omnia tentamina & certamina aſſurgit fides, quæ certiſſimè crederet & certitudinem ſuam teſtaretur, in ipſa morte. Pleniſſimè perſuaſus erat, ſuis poſteris à Deo eam terram donandam eſſe, cujus hactenus nullam habuerat proprietatem: cujuſque continuatam in peregrinatione inhabitationem retinere nequiverat. Corpore premere volebat cæleſtis patriæ figuram & hoc modo (cum aliter non poſſet) Dei veracitatem obſignare. Calvinus iterum: *Quid autem interfuit recondi cum patribus in ſpelunca duplici, niſi ut teſtata fieret eorum ſocietas poſt mortem? Quo autem vinculo ſimul fuerunt conjuncti, niſi quod effectus fidei ipſorum ne morte quidem exſtingui potuit? Quaſi ex eodem ſepulchro ſonaret vox iſta: Nunc quoque nobis eſt communis hæreditas.* Jacob dicit ſe dormiturum cum patribus: *Ne quæſo ſepelias me in Ægypto. Et dormiam cum patribus meis & tolles me ex Ægypto.* Hic videtur dormire cum patribus idem ſignificare quod in eodem cum ipſis monumento ſepeliri. Alias ſignificat, in morte eſſe cum ipſis & reliquiſſe viventium conſortium. Semper ad corpus refertur, quod ſuo tempore evigilabit. Raſi: *Invenimus in omni loco, ſignificatio* שכיבה עם אבותיו eſt הגויעה non הקבורה. Sic inveniri de David, quod dormierit cum patribus ſuis, at eſt ſepultus in urbe David.

Raſi de cauſis, quare in Canaan non in Ægypto voluerit ſepeliri: *Terra Ægypti pulvis mutandus erat in pediculos: Et quod mortui extra terram Iſrael non vivificabuntur niſi dolore* (גלגול מחלות) *volutationis cavernarum: Et ut ne faciant me Ægyptii idolum.* Fuſe Thanchuma: Ne ſepelias me in Ægypto] *Percutietur enim pediculis & movebunt ſe ſub me &c. A. S. Cur noluit Iacob ſepeliri in Ægypto? Ne facerent Ægyptii ipſum idolum. Nam uti ultio ſumetur de colente, ita etiam de numine. Q. S. (Exod. 12. 12.)* Et in omnes deos Ægypti faciam judicia. *Et ſic ſimile invenitur in Daniele. Poſtquam interpretatus eſſet ſomnium Nabuchadneſſaro, quod ſcriptum eſt (Dan. 2. 46.)* Tunc rex Nabuchadneſſar cecidit in faciem ſuam & Danielem adoravit: & mincham & odoramenta ipſi offerri juſſit. *At Daniel non admiſit quia ſicut ultio ſumitur de cultoribus idoli, ita etiam de ipſo. Sic invenitur de Hiram, Poſtquam ſeipſum Deum fecit, quid ſcriptum eſt de ipſo?* (Ezech. 18. 2. 3.) Quia exaltatum eſt cor tuum & dicis, Ego Deus ſum &c. *Dicit ipſi Deus benedictus,* Ecce ſapiens es præ Daniele &c. *Quoniam Nabuchadneſſar voluerat ipſi offerre, at non admiſit, ſed tu facis te ipſum Deum. Quid ſcriptum eſt?* (v. 17.) Projeci te ſuper terram, coram regibus poſui te, ut te intueantur. *A. S. Iacob dicebat, Ne redimantur me Ægyptii. Nam ipſi aſſimilati aſinis, Q. D. (Ezech. 23. 20.)* Quorum caro eſt tanquam caro aſinorum. *At ego aſſimilatus parvæ pecudi Q. D. (Ierem. 50. 17.)* Agnus diſperſus Iſrael. *Et ſcriptum (Exod. 13. 13.)* Et quod aperit aſinam, redimes pecude. *Ne redimantur me Ægyptii, quæſo ne ſepelias me in Ægypto.* At cur patres noſtri deſiderarunt & dilexerunt ſepulturam terræ Iſrael? Dicit R. Elazar [דברים בגו] *Res ſunt in medio* [id eſt hic latent res conſideratione dignæ] *Dicit R. Hanania, Res ſunt in medio. Dicit R. Ioſue, F. L. Res ſunt in medio. Quæ res ſunt in medio? Scriptum eſt: (Pſ. 116. 9.)* Ambulabo coram Domino in terris viventium. *Dixerunt m. n. b. m. Duæ res ſunt. Dixit Rabbi nomine R. Helbo: Cur patres dilexerunt ſepulturam terræ Iſraël? Quia mortui*

mortui terræ Iſrael reviviſcent primò in diebus Meſſiæ & comedent annis Meſſiæ. At R. Haranta dicit, Qui moritur extra terram & ſepelitur illic, duabus mortibus obnoxius eſt. Nam ſic ſcriptum [Jerem. 20. 6.] Tu autem Paſhur & omnes viri domus tuæ ibitis in captivitatem; & venies Babylona & illic morieris & illic ſepelieris. *Heu eſt obnoxius duabus mortibus ideo dixit Iacob, Ne quaſo ſepelias me in Ægypto. Dicit ipſi R. Simon: Si ita eſt perierunt juſti, qui ſepulti ſunt extra terram. Imò Deus benedictus facit ipſis cavernas in terra & facit eas tanquam ſpeluncas. Ecce volutantur & veniunt, donec perveniant in terram Iſraël. Poſtquam pervenerunt in terram Iſraël, Deus bened. dat ipſis ſpiritum vitæ & exſiſtunt* Q. D. (Ezech. 37. 82. 14.) Educam vos è ſepulchris veſtris, ô popule mi, & introducam vos in terram Iſraël. *Et poſtea:* Ponam ſpiritum meum in vobis & reviviſcetis. *Dixit R. Simeon filius Levi* (מקרא מלא הוא) *Expreſſe dicit ſcriptura: Poſtquam attigerint terram Iſraël, Deum benedictum daturum ipſis animam. Q. D. (Eſai. 42. 5.)* Qui dat animam populo, qui eſt ſuper, & ſpiritum ambulantibus in ea. *Hiſtoria de Rabbi & R. Eleazar, qui ambulabant in porta quæ extra verſus Tiberiada: viderunt ſandapilam cujuſdam qui veniebat ab extrinſeco in terram, ut ſepeliretur in terra Iſrael: dicit Rabbi ad Eleazarum: Quid prodeſt hoc, quia egreſſa eſt anima ejus in peregrino ſolo & venit ut ſepeliatur in terra Iſraël? Ego lego de eo* (Jeremiæ 2. 7) Et hæreditatem poſuiſtis in abominationem. *In vita veſtra non aſcendiſtis & venitis, & polluitis terram in morte veſtra. Dicit ipſi R. Eleazar, Poſtquam ſepultus eſt in terra Iſraël, Deus benedictus ipſi expiationem facit. Q. D. [Deut. 32. 43.]* Et expiabit terram ſuam & populum ſuum. *R. Iohanan cum diſcederet è ſeculo, dicebat illis, qui* לאותן שהיו צריכין להטפל בקבורתו *curam funeris habituri erant* (ad verbum, *qui debebant, ei jungi in ſepultura ſua) Sepelite me in inſtrumentis tinctis, non albis neque nigris. Quoniam, ſi tranſiero inter juſtos, non erubeſcam & ſi ſtetero inter impios non lugebo eos. R. Ioſiâ, cum dimitteretur è ſeculo, dicebat illi, qui adſtabat: Vocate mihi diſcipulos meos. Dicebat eis, Sepelite me in inſtrumentis albis: ut ne erubeſcam in operibus meis, ut conſiſtam coram creatore meo.* Hiſtoria de Rabbenu Haccados: *Cum diſcederet è ſeculo, præcepit tria verba. Dicebat eis: Ne moveat ſe vidua mea ex ædibus meis. Ne plangite me in urbibus terræ Iſraël. Ne permittite peregrino, qui accedat ad lectum meum: Sed qui adjungitur mihi in vita, adjungetur mihi. In vita ſua habitaverat in Sepphori annis 17. Et legebat de ſe ipſo [id eſt ſcripturam ſibi applicabat] Et vixit Iacob in Ægypto annis ſeptendecim. Et fuit Iuda in Sepphorin annis ſeptendecim. Rabbenu æger erat dentibus tredecim annis: illiſque tredecim annis non eſt mortua beſtia in terra Iſrael, nec abortiit mulier gravida in terra Iſrael. In fine tredecim annorum iratus eſt Rabbenu adverſus R. Hia magnum: ingreſſus eſt Elia b. m. ad Rabbenu in ſimilitudine R. Hia & poſuit manum ſuper dentem ejus & confeſtim convaluit. Poſtero die ingreſſus eſt ad eum R. Hia & dicit ad Rabbi: Quid eſſet de dente iſto? Reſpondet ipſi: A momento, quo poſuiſti manum tuam ſuper eum heri convaluit eodem momento. Dicebat R. Hia: An vobis beſtia, quæ in terra Iſrael? An vobis prægnantes, quæ in terra Iſrael? Poſtquam ipſi dixiſſet R. Hia, Non fui ego, qui poſui manum meam ſuper dentes tuos cognovit Rabbi, quod Elias b. m. fuiſſet. Ab illo momento cœpit R. Hia deferre honorem.* Hucuſque ille nugator, de præſtantia terræ Iſraël. In cantici cap. 8. v. 5. verſio Chaldaica: *Quando reviviſcent mortui mons olivarum findetur & omnes Iſraelitæ mortui inde prodibunt: juſti quoque* [בגלותא] *in captivitate mortui,* עתידין למיתי אורח כוכיא מלרע לארעא ותפקון מן תחות טור משחא; *venient ſemita cavernarum ſub terra & prodibunt è monte olearum.* In Tractatu Thalmudico chathuboth fol. 111. a. de hoc etiam agitur. Vide Buxtorfium in Lexico,

Thalmudico vocabulo גלגול. Qui notat Davidem Camium (in Ezech. 37. 17.) ſcribere, quod magiſtri duas in ſententias abeant; alios dicere, quod extra terram aſcenſuri ſint è ſepulchris ſuis: alios quod aſcenſuri ſint in terram Iſraël per volutationem cavernarum. Kimchi ſtat pro ſententia illorum qui mortuos Iſraëlitas extra terram ſepultos, illic putant excitandos eſſe è morte & inde inducendos in terram Iſraël. Poſtquam dixerat locum illum vel allegorice vel ſecundum literam exponi poſſe. Secundum literam, ut accipiamus ita, quod quibus ſpes perierat reditus, quemadmodum aridorum oſſium de ἀναβιώσεως, hac oſſium reſuſcitatione in vivos homines ſpes fiat reſtitutionis. Tum addit: *Si argumentum ſit allegoricum,* (אם הענין משל) *terra gentium & captivitas ſunt ſepulchra: at ſi accipiendum ſit* (במשמעו) *juxta ſimplicem ſenſum, expoſitum eſt. Diviſiones ſunt in verbis magiſtrorum b. m. de mortuis extra terram. Quidam ex illis* [מהם] *dicunt, quod extra terram aſcenſuri ſint è ſepulchris ſuis* [ומהם] *quidam ex illis dicunt è ſepulchris ſuis prodibunt per volutationem & via cavernarum. At ſcriptura iſta arguit, quod extra terram revicturi ſint, ſicut mortui terra Iſrael: Ecce enim dicit:* Aperiam ſepulchra veſtra & aſcendere faciam vos è ſepulchris veſtris: *Et poſteà* Introducam vos in terram Iſraël.

Magiſtri noſtri ſubtiliter etiam eruunt è dicto Jacob, *Tolles me ex Ægypto*, in transferendis cadaveribus, aliquid è terra, quam occupant, ſumendum eſſe cum ipſis mortuis inferendum in monumenta. Nam נשאתני exponunt עמי tolles mecum è terra Ægypti. תפוסה vocant id quod ex illo loco ſumitur. Vide in tractatu Nazir, folio 65. a. Lyranus: Condaſque me in ſepulchro majorum. *Silicet in terra promiſſionis: in qua erant ſepulti Abraham & Iſaac: & non ſolum propter illos deſiderabat ibi ſepeliri: ſed principaliter propter redemptionem generis humani ibi fiendam per Chriſtum: quia in illa terra Chriſtus natus & ſepultus eſt; & ibidem reſurrexit & inde ad cælum aſcendit: de quibus Iacob habuit fidem & notitiam: & forſitan videbat in ſpiritu, quod cum Chriſto reſurgente reſurgerent multi ſancti jam defuncti Matth. 27. & ſperabat cum eo reſurgere.* Abulenſis audacius & falſo: *Ab omnibus Catholicis creditur, inter alios, qui cum Chriſto in die Paſcha reſurrexerunt, etiam Iacob fuiſſe.* Non eſt verum, quod Jacob reſurrexerit, quia illi, qui Hieroſolymis ſepulti erant ſoli, quidam non omnes, reſurrexerunt, Reſurrectione temporaria. Lyra dubitat & alii. Jacobus Tyrinus. *Quare adeo horrebant ſepeliri in Ægypto? Reſpondet Rupertus, ut filiorum ſuorum animos ab Ægypti delitiis & vitiis alienos redderent, certamque ipſis poſtliminio in Canaanitin reditus ſpem facerent. Secundò, ut in terra ſancta tot aliis ſanctorum corporibus jungerentur & maximè Chriſto in Chanaan naſcituro & morituro: cum quo ſe quoque reſurrecturos forte prævidebant aut ſperabant. Tertiò ut poſteri parentum ſuorum oſſa ſanctaſque exuvias apud ſe & quaſi in ſinu ſuo haberent tanquam perpetua monimenta & ſtimulos virtutum parentum. Ita S. Auguſtinus, Toſtatus & alii.* Theodoretus qu. 108. in Geneſin dicit Jacob & Joſeph mandaſſe ſepliri corpora ſua in Canaan, Non quod ſepulturæ haberent curam, ut quidam putarunt ſed ut de reditu ſuos conſolarentur. ψυχαγωγῶν (Jacob) τὸ γένος καὶ διδάσκων ὡς ἅπαντας αὐτοὺς ὁ δεσπότης θεὸς μεταστήσει ἐκ τῆς Αἰγύπτου καὶ τὴν ἐπηγγελμένην αὐτοῖς ἀποδώσει γῆν. Idem docuiſſe Joſeph. ὡς εἶναι δῆλον ὅτι κἀκεῖνος καὶ οὗτος τὴν ἐπάνοδον προαγορεύοντες τὰ περὶ τῆς ταφῆς ἐνετείλαντο. Auguſtinus in Geneſ. lib. 1. qu. 161. *Quid ſibi autem velit à tanto viro, tam ſolicita corporis commendatio, ut non in Ægypto ſepeliatur ſed in terra Chanaan juxta patres ſuos, mirum videtur & quaſi abſurdum, nec conveniens tantæ excellentiæ mentis propheticæ, ſi hoc ex hominum conſuetudine metiamur. Si autem in his omnibus ſacramenta quærantur, majoris admirationis gaudium ipſi qui invenerit*

nerit orietur. Cadaveribus quippe mortuorum peccata ſignificari in lege, non dubium eſt, cum jubentur homines poſt eorum contrectationem, ſive qualemcunque contactum tanquam ab immundicia purificari. Et hinc illa ſententia ducta eſt, Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus? *Sic & qui jejunat ſuper peccata ſua, & iterum ambulans hæc eadem facit. Sepultura ergo mortuorum remiſſionem ſignificat peccatorum; eò pertinens quod dictum eſt,* Beati quorum, remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. *Vbi ergò ſepelienda erant hoc ſignificantia cadavera Patriarcharum, niſi in ea terrâ ubi ille crucifixus eſt, cujus ſanguine facta eſt remiſſio peccatorum? Mortibus enim Patriarcharum peccata hominum figurata ſunt. Dicunt autem ab eo loco, quod Abrahemium vocatur, ubi ſunt iſta corpora, abeſſe locum ubi crucifixus eſt dominus, ferè trigintà milibus, ut etiam ipſe numerus ſignificare[eum]intelligatur, qui in baptiſmo apparuit ferè triginta annorum: & ſi quid aliud de re tanta, vel hoc modo vel ſublimius intelligi poteſt: dum tamen non fruſtra arbitremur tales ac tantos homines Dei tantam geſſiſſe curam pro ſepeliendis corporibus ſuis, cum ſit atque eſſe debeat fidelium iſta ſecuritas, ubicunque corpora eorum ſepeliantur, vel inſepulta etiam inimicorum rabie relinquantur, aut pro eorum libidine dilacerata abſumantur, non ideò vel minus integra, vel minus glorioſa in eorum reſurrectione futura.*

Occaſione hujus curæ Jacob de ſuæ ſepulturæ loco diſſeruit Cl. Rivetus de cœmiteriis in hunc modum; *Quamvis autem* inquit, *hoc tempore nulla ſit cauſa talis, qua fidem noſtram ratione divinarum promiſſionum, teſtatam aliis faciamus electione particularis alicujus loci od ſepulturam noſtram; non reprehendimus tamen eorum affectum, qui cum iis, quos pios & fideles norunt, ſepeliri deſiderant, quantum fieri potuerit; nec eorum, qui paternis inferri voluiut ſepulchris. Dummodo ſuperſtitio omnis caveatur, quam hac occaſione invectam fuiſſe res clamat. Finxerunt impoſtores in Papatu, cæmiteria peculiari benedictione conſecrari, ita ut locus deſinat ab immundis ſpiritibus habitari: putant itaque etiam animabus defunctorum ea ratione conſuli: & de reconciliationibus cæmiteriorum multa ſtatuerunt, ſi quid accidat, quo polluta fuerint, vel ſepulto aliquo hæretico, ut vocant, vel excommunicata. Id autem inventum eſt ut ſumptu graventur parochiæ advocatis epiſcopis aut ſuffraganeis ad cæmeteria vel conſecranda vel reconcilianda. Vnde inter gravamina procerum imperii, querelæ repertuntur, de ſumptuum in talibus, ſuperfluitate, & de venditione ſepulturæ in locis conſecratis.*

Eadem tamen ratio qua movit Iacobum, ut peteret ſepeliri extra Ægyptum corpus ſuum in terra Canaon, cum Abrahamo & Iſaaco, nempe ut teſtaretur ſe mori in fide Divinarum promiſſionum &c. dimovere debet fideles reformatos, ne ſibi procurent ſepulturam in iis locis, in quibus idololatria ſingulis diebus exercetur & quæ ipſi viventes fugiunt aut ea ingredi horrent. Memini me in Gallia ſæpe deteſtatum fuiſſe multorum nobilium curam & ſolicitudinem, qui cum ſe inferri cuperent in monumenta à ſuis condita ſub veteri ſuperſtitione, ſuos etiam tam conſanguineos, quam amicos obteſtabantur, ut ſi cum bona æditnorum aut curionum Pontificiorum venia fieri non poſſet etiam vi adhibita eos tumularent in ſacellis occupatis à ſacrificulis, ibidem quotidie miſſam celebrantibus; quod fieri nan poterat ſine offendiculo & turbis, ita ut aliquando acciderit, procurantibus epiſcopis, ut exhumarentur inde cadavera. Præter politica offendicula & pericula; dicebam vel id ſuperſtitionem redolere, vel ſaltem infirmis occaſionem dare cogitandi eos de tali ſepultura judicaſſe perperam ac ſi faceret aliquid ad animæ levamentum. Potuiſſe etiam opinionem alicui ingerere, non ita eos abhorruiſſe vivos à ſuperſtitionibus, qui mortui dormire voluerunt cum idololatris. Obtendebant quidem illi ſe nihil tale habere in animo, ſed hereditaria eſſe ſepulchra, quibuſcum etiam conjunctum eſſet aliquod jus temporale,

ut patronatus vel etiam prælationis in ſedibus aut ingreſſu & ſimilibus, quod nollent amitti, ſi quando veræ religioni templa illa inſervirent. Sed alia ratione huic juri conſervando provideri potuit; præſtaret etiam, id quicquid eſt, amittere quam minimam ſcandali occaſionem vel anſam præbere.

Hoc etiam notandum eſt, quamvis veteres pii ſub veteris Teſtamenti pædagogia rituum & cerimoniarum opus habuerint, nunquam fuiſſe electos ad ſepulturam defunctorum, etiam piorum, locos in quibus cultus Divinus celebraretur. Imo ſemper extra civitates, in locis à viventium habitaculis ſeparatis mortuorum cadavera fuere condita. Imo ſanioribus ethnicorum id probatum fuit, Ne corpora mortuorum in civitate conderentur ne inde contaminarentur, *ut ex legib. 12. tabul. conſtat. Vlpianus ſcriptum reliquit* Adrianum imperatorem pœnam ſtatuiſſe aureorum quadraginta in eos, qui in civitate ſepulchrum feciſſent, quam fiſco inferri juſſit. *Et in ipſum magiſtratum ſtatuit pœnam, qui id pateretur. Pii veteres in libero campo ſepulturæ locum ſibi delegerunt. Sic Abraham in ſpelunca adjacente agro. Debora ſubter quercum fuit ſepulta Gen. 35. 3. Rachel in via v. 19. Ioſeph in parte agri Sichemitici, Ioſue 24. 32. Ieſus ipſe extra urbem. Extra urbes enim tunc fuiſſe ſepulchra ex multis locis Euangeliorum apparet. In Eccleſia primitiva id obtinuiſſe teſtatur Chryſoſtomus Serm. de fide & lege:* Omnis civitas omne caſtellum ante ingreſſum habet ſepulchra. *In Bracharenſi concilio, ſeculo ſeptimo habito, cap. 36. decretum fuit,* Ne corpora defunctorum intra baſilicas ſanctorum tumulentur, ſed ut omnes ſepulturæ fiant extra civitates.

Superſtitione invaleſcente & incenſo purgatorio cæmeteria templis fuerunt adjuncta, ſub eo prætextu; ut qui convenirent in templis, in ſuis orationibus & oblationibus memores eſſent defunctorum, quorum ibi requieſcebant corpora. Tandem etiam ipſa templa in cæmiteria fuerunt converſa: quod tamen paulatim invaluit contra veterem morem, initio paucis in locis & quibuſdam reclamantibus. Stephanus Durantius lib. 1. de ritibus Eccleſ. cap. 13. multas citat conſtitutiones, quibus id prohibebatur, inter quas hæc notanda eſt è capitulari Caroli M. lib. 1. cap. 159. Ut nullus deinceps in Eccleſia mortuum ſepeliat. *Quam conſtitutionem præſes ille Pontificius, valde laudat.* Ea enim erat, *inquit*, veterum Patrum religio, cavere diligenter, ne intrà Eccleſiam defunctorum corpora ſepelirentur. Hæc pia majorum conſtitutio à Carolo M. fuit inſtaurata. *Quam etiam à tempore Optati Milevitani arceſſit, apud quem hæc leguntur lib. 3. contra Parmenianum,* Nec ſepultura in domo Dei exhiberi conceſſa eſt. *Conqueritur tamen* hodie, contra majorum leges & inſtituta, recepta conſuetudine, Chriſtianos, nedum Imperatores & ſacerdotes, quibus id poſteà indultum fuit ſed etiam Laicos paſſim in Eccleſia ſepeliri. *Hunc morem, quem invexit avaritia & ſuperſtitio, valde vellem apud nos, cum aliis ſuperſtitionis reliquiis eſſe abolitum & priſtinam conſuetudinem revocari, ut ſepulturæ publicæ in campo libero & aperto, extra civitatum portas conſtituerentur. Id etiam convenientiſſimum eſſet uſibus civilibus, quia in locis recluſis, non poteſt aër non affici tetro cadaverum odore, ita ut nec mortuis hac ratione conſulatur; nec viventium pericula caveantur; præſertum morborum contagioſorum tempore, quo promiſcue cadavera peſtifera conduntur templis, in quibus quotidie convenitur. Quod ſane horrendum mihi & aliis multis meritò viſum eſt.*

Sed non ſine cauſa mirum videtur, quod cum Papatus totus ferme ſit conſarcinatus, partim ex abrogato jam olim Levitico cultu, partim ex Ethnicorum ſuperſtitionibus, & tamen contra Iudæorum morem, contrà Ethnicorum veteres leges invexerint, ut ex cœmiteriis templa exſtruxerint & ipſa templorum penetralia in cæmeteria converterint. Lex certè Moſaica pollutum judicabat, qui cadaver contigiſſet, nedum ut permiſiſſet ſub aris ipſis & in templis cadavera recondi. Quid Legibus duode-

cim

cim tabularum ſancitum fuerit, vidimus. Paulatim tamen apud Ethnicos id invaluit, quod poſteà Pontificii ſunt imitati, quibus Cyrillus lib. 10. contrà Iulianum hoc objicit, illorum templa celeberrima fuiſſe ſepulchra aut monumenta mortuorum; *quod in Pontificios retorqueri poteſt. Vtinam & nobis idem objici non poſſet? Hac non ideò dicimus, quod non probemus honeſtam fidelium ſepulturam, imò corporum poſt mortem conjunctionem, eorum, quorum anima in fidei unione perſtiterunt, quantum quidem fieri poteſt: ita tamen ut ſi accidat, ut vel plane ſepultura priventur, vel arceantur locis illis, in quibus honorifice alii ſepeliuntur, cum Aug. lib. 1. de civit. Dei cap. 12. ſentiamus*: Multa corpora Chriſtianorum terram non texiſſe, ſed nullum eorum quenquam à cœlo & terra ſeparaſſe, quam totam implet præſentia ſui, qui novit unde reſciſcitet, quod creavit. *Et cum Chryſoſtomo,* Ubicunque ſepeliamur, Domini eſt terra & plenitudo ejus, ſecundum, quod oportet fieri efficiatur, *in Ep. ad Hebraeos hom. 26. in cap. xi.*

In illa diſſertatione Riveti obiter noto, male adduci locum Cyrilli, id eſt plane alia mente, quam ipſe poſuit. Nam Cyrillus non ſignificat mortuos in gentilium fanis ſepultos fuiſſe aut ex more ſolere condi, ſed templis illis homines mortuos honorari: quemadmodum monumentis ſolemus. Veteres Chriſtiani in memoriam martyrum oratoria condebant, ubi convenirent. Sed ut eo inſerrent, defunctorum cadavera, poſteriora tempora receperunt, de qua re ſi Deus voluerit, alio opere.

Cum Joſeph petitioni jurejurando annuiſſet, וישתחו ישראל על ראש המטה *Et adoravit Iſrael ſuper caput lecti.* Chaldæus: וסגיד ישראל על ריש ערסא. Raſi: *Vulpes eſt, in tempore ſuo adora eum.* Vertit *ſe ad partem* שכינה. *Hinc dicunt quod Schina ſit ſupra à capitibus agri.* A. S. *Verſus caput lecti, quoniam lectus ejus erat perfectus & non erat in eo impius, quoniam Ioſeph rex erat & amplius quod captivus abductus fuerat inter gentes & ſteterat in juſtitia ſua.* Aben-eſdras: *Quoniam tribuebat honorem,* למלכות / *regia dignitati, At placet mihi, quod dederit laudem Deo. Non hac talis adoratio qualis Abrahami, quia illic* (מפורש) *expreſſum eſt,* Filiis Heth. Apud Hebræos Adagium eſt; *Vulpes eſt, in tempore ejus adora eum.* Significat honorem eſſe deferendum homini alioqui vili & nequam, dum eſt in dignitate. LXX. verterunt; καὶ προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ. Latina Vulgata: *Adoravit Iſraël Dominum converſus ad lectuli caput.* Græci legerunt מַטֶּה, puncta habent מִטָּה. Parum ſitum eſt, quoad rem, in diverſitate. Hinc tamen non ſequitur nullum eo tempore codicem fuiſſe cum punctis vocalium indicibus. Quamvis autores iſti ſive autor verſionis Græcæ ejuſmodi codicem non conſuluerit, non ſequitur tamen inde communem Judæis non fuiſſe lectionem illam, quæ in punctis eſt. Nam (quod jam diximus) illa interpretatio ſæpe à litera abit. Apoſtolus in Epiſt. ad Hebr. XI. 21. ſecutus eſt illam verſionem Græcam, quia vulgo nota erat & ad rei cardinem parum facit. Lyranus: *Caput enim lectuli erat verſus terram promiſſionis. Et ad illam partem adorabant Iudai devoti, quando erant extra terram illam: ſicut habetur 3. Reg. 8. & Dan. 6.* Videmus quoſdam interpretes ita accipere quaſi Deum adoraverit, ſcilicet illi gratias agens, pro illo filii demiſſo obſequio. Ideò autem ſe inclinaſſe verſus caput lectuli, quia illic erat Sp. S. vel quia verſum erat ad terram promiſſionis. Illa poſterior ratio nulla eſt, quia nondum in terra Iſraël ſanctuarium erat, inde eâ adhuc tempeſtate cælum adorantes reſpiciebant. Prima ratio figmentum Judaicum ſapit. Alios arbitrari, quod Joſepho honorem exhibuerit. Cæterum diverſitas inter Hebræam lectionem & Græcam verſionem (quam Apoſtolus ſequitur) majoris negotii difficultatem habet. Beza (Heb. xi. 21.) diligenter in factum

Jacobi diſcuſſit & inquiſivit in veriorem lectionem Id eſt, Utra præferenda ſit Græcanean Hebrææ punctationis: *Et adoravit baculo innixus*] Καὶ προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ. *Sic etiam Syrus interpres hunc locum vertit. Quem quo plures exercuit, eò magis ſtudebo perſpicuè explicare. Sic igitur vetus interpres convertit*, Et adoravit faſtigium virgæ ejus: *quaſi otioſa ſit præpoſitio* ἐπί. *quem errorem annotavit quidem Eraſmus, ſed neque in contextu mutavit, neque in annotationibus rectè emendavit, ut qui putarit* ἐπὶ τὸ ἄκρον *ſignificare* ad ſummum, *quum* potius oportuerit totum hunc locum ita *ad verbum interpretari*, Et adoravit ſuper extremo baculi ſui. *Ex hoc errore alii poſtea promanarunt, primum quod putarunt Ioſephum à Iacobo fuiſſe adoratum: deinde quod faſtigii nomine exiſtimarunt eminentem Ioſephi dignitatem ſignificari. Quem errorem auxit etiam tertius, quod virgam meminerant pro regio ſceptro interdum uſurpari, & tale etiam quiddam referatur Eſther. 3. 2. In ſumma igitur, cenſuerunt his verbis ſignificari, Ioſephum ut principem fuiſſe à Iacobo adoratum. De quo ut nemo jam poſſet dubitare, auſus etiam eſt Caſtellio nuper ità interpretari*, Et Joſephi virgæ caput veneratus eſt. *Atqui primum omnium ut demus Ioſephum hoc paſſurum fuiſſe (qui tamen è contrario commemoratur in proximè ſequenti capite, id eſt, Gen. 48. 12. patrem humi provolutus adoraſſe) quorſum hoc ad prædicandam Ioſephi fidem? Deinde quo jure debet excludi præpoſitio* ἐπί? *Nam quod ad* ראש *attinet, fateor ambiguum nomen eſſe, ut etiam* τὸ ἄκρον, *quo uſus eſt Græcus interpres. Ergo hæc ſententia conſiſtere non poteſt, quod multo etiam magis ex Hebræis ipſis intelligitur, quæ ſic habent* וישתחו על ראש המטה *id eſt*, Et adoravit ad caput lecti, *ut nunc in libris Hebraicis legitur. Hic verò nulla dignitatis Ioſephi mentio: nec dubium quin Iacob certus ex filii jurejurando, fore ut cum majoribus ſuis ſepeliretur, memor promiſſionum, oculos ad Deum ſuſtuliſſe, & (ut imbecilli erat corpuſculo) geſtu ad fulcrum lecti converſus Deo gratias egiſſe, iſtis verbis ſignificetur. At iſta, inquies, Græcis non reſpondent. Ego verò fateor Græcos unum idemque vocabulum aliis punctis vocalibus expreſſiſſe, ut pote qui* מטה (matteh) *legerint non* mittah, *uti ſcriptum habemus. Sed, quod ad rem attinet, dico nullum eſſe in ipſa ſententia diſcrimen, nec minus quadrare illam lectionem quam ſequuti ſunt Græci. Nam utrobique dicitur Iacob adorare, Deum videlicet, uti poſtulat ſententia: quum neque in Hebræis neque in Græcis quicquam ſubjiciatur unde aliud elici poſſit. Deinde pro* על *verterunt* ἐπί, *pro* ראש τὸ ἄκρον, *in quibus nihil eſt, quod poſſit reprehendi. Sed in eo decepti ſunt veteres plerique Latini, quod* ἐπί *prætermiſerunt. Eraſmus verò, in eo quod* ἐπὶ τὸ ἄκρον *in annotationibus vertit* ad ſummum: *& Hieronymus contrà*, Summitatem: *quum* ἐπί *nihil aliud hic declaret, quam* Super: *ut ſit hic ſenſus, Iacobum adoraſſe ſuper extremo baculo, id eſt, baculo innixum, quod unus ex veteribus Auguſtinus vidit: ut ſi in vernaculo ſermone dicas*, ſurlebout de ſon baſton. *Nam quod ad relativum* αὐτοῦ *attinet, nemo ignorat quam ſæpe ſoleat etiam cum ſpiritu tenui pro reciproco uſurpari.* ῥάβδου *autem pro baculo quo innitamur, id eſt, pro ſcipione, qui verè ſenibus convenit, nihil etiam impedit quominus potius hoc in loco accipiamus quam pro ſceptro. Neque verò minus convenit hæc ſententia quam altera: ac videtur etiam neſcio quomodo melius ità exprimi imbecilli ſenis geſtus. Adhæc diligenter conſideranti mihi totam hiſtoriam non minus probabile videtur Iacobum tum nondum decubuiſſe, ſed aliquanto poſt: quamobrem etiam repentè ad Ioſephum accurrit nuntius, qui patrem illi ægrotare cæpiſſe ſignificaret. Denique ſufficiat oſtendiſſe cauſam non eſſe cur hoc loco Hieronymus Græcos interpretes exagitaret: atque etiam multo minus cur putetur Apoſtolus communi errori aliquid dediſſe, qui certe à ſpiritu ſancto impulſus, & ad Hebræos ſcribens, (ſicut initio hujus*

epiſtolæ

epiſtola diximus) nunquam hoc commiſiſſet. Hactenus Beza. Nos non dubitamus, quin Synagogæ Judaicæ lectio fuerit ut hodie textus Hebræus punctatur. Loquor de ſynagogis, quæ Hebraice ſcripturam legebant. Illæ ſine dubio, inde ab Eſdra ſcriba, ante Ptolemæum Philadelphum conſtanter legerunt, ut habet hodierna punctatio. Nam Chaldæus interpres expreſſit, quod commune erat & vulgatum. LXX. illi ſi ita legiſſent, ut expreſſerunt, inveniſſent מטה, quod nimium diſcedit. Hieronymus, mihi hic probatur: *Et in hoc loco quidam fruſtrà ſimulant adoraſſe Iacob ſummitatem ſceptri Ioſephi quod videlicet honorans filium poteſtatem ejus adoraverit: cum in Hebræo multò aliter legatur.* Et adoravit, *inquit*, Iſraël ad caput lectuli: *quod ſcilicet poſtquam ei juraverat filius ſecurus de petitione, quam rogaverat, adoravit Deum contra caput lectuli ſui. Sanctus quippe & Deo devotus vir, oppreſſus ſenectute, ſic habebat lectulum poſitum, ut ipſe jacentis habitus abſque difficultate ulla ad orationem eſſet paratus.* Non adoravit igitur Joſeph, multò minus virgam illius, ut ſtupidi iconolatræ voluerunt, hinc ſui erroris quærentes patrocinium.

Cap. XLVIII.

JAcob in morbo emortuali viſitatus à Filio Joſeph, ejus duos filios adoptat v. 1- 7. illis benedicit 8-20. Joſepho legat agrum v. 21. 22. Joſephus intellecto patris morbo, cum duobus filiis eum inviſit. Pater erigit ſe in lecto ut filium exciperet. Hic notatur adverſus LXX. interpretum narrationem (in cap. 46.) duos tantum Joſepho filios fuiſſe, cum parens obiret. Hieronymus: *Et ex hoc loco illud, quod ſupra diximus, demonſtratur: quia Ioſeph ad id locorum duos tantum filios habuerit Ephraim & Manaſſen. Si enim poſt multos annos moriente Iacob patre ſuo, duos tantummodo filios duxit ad benedictionem: itaque illo tempore cum filii ejus generare non quiverant parvuli atque lactentes, in ingreſſu patris & fratrum nepotes ex eis habere non potuit.* Poſteà in ſermone Jacobi ad filium, quo eos adoptat: Ecce duo filii tui, qui nati ſunt tibi in terra antequam venirem ad te &c. Hic iterum Hieronymus: *Siquis ambigebat, quod ſeptuaginta animæ introiſſent Ægyptum filiorum Iſrael & quod Ioſeph eo tempore, quo ingreſſus eſt Iacob non novem ſed duos tantum filios habuerit, præſenti capitulo confirmatur. Si quidem ipſe Iacob loquitur duos eum filios habuiſſe non novem.*

Quis nuntiaverit patris morbum Joſeph non exprimitur. Forte fuit (ut Aben-eſdras conjicit) שליח מיעקב / *miſſus à Iacobo.* Raſi: *Sunt qui dicant, Efraim conſueverat eſſe coram Iacob, ut ab ipſo inſtitueretur: cumque æger eſſe inciperet Iacob in terra Goſen, abiit Efraim ad patrem ut ipſi indicaret.* Scriptura breviter loquitur: *Et dixit Ioſeph: Et nuntiavit Iacob.* Illa accipiuntur imperſonaliter, ut loquuntur Grammaticorum filii. Raſi: לא פירש מי והרבה מקראות קצרי לשון Erigit ſe Jacob in ſumma infirmitate. Rivetus: *Potiùs aliquid gaudium, ſed agnoſcendum eſt Speciale aliquod Dei donum, quo ſpiritum fortitudinis corpori morituri & ſpiritum prophetiæ animæ ſuis valedicturi indidit. Quæcunque enim ſequuntur extraordinarios & pluſquam humanos motus indicant, Itaque Deus in debili organo fortiter operatur.* Joſeph filios, quos ipſi Deus conceſſerat, ad extremam avi benedictionem voluit adducere, ſi filios alios aut nepotes habuiſſet, eos nequaquam neglecturus. Rivetus iterum. *Cum ergò veneraretur patrem, tanquam eum, cui futurum ſemen benedictum fuerat promiſſum, verum Eccleſiæ antiſtitem & doctrinæ cæleſtis cuſtodem, adeum venit cum liberis, ut benedictionis ejus participes fierent; quam ratam fore apud ſe ſtatuebat, ac ſi ex ipſo Dei ore immediatè procederet: quia ſciebat patriarchas in hoc ſtatu, fuiſſe Spiritu Dei prophetico impulſos.*

Jacobi

Jacobi ſermo partes habet tres. Prima oſtendit ſibi divinitus ſuoque ſemini promiſſam eſſe hæreditatem terræ Canaan, Altera, ex eo fundamento adoptat in Rubeni & Simeonis locum, Joſephi filios, ac Tertia reddit rationem quare hos potius quam alios adoptaret. Deſcribit primò in prima parte promiſſionis circumſtantias. I. Quis apparuerit. II. Ubi. III. Quo genere orationis enim ſit allocutus. Qui apparuit, erat, *Deus omnipotens*, שדי: quod vocabulum in promiſſionibus fidei ſuſtentandæ Deus ſibi aſſerit. Apparuit autem Luzæ in terra Canaan: innuit illam nobilem ſcalarum viſionem, de qua cap. 35. 11. Genus orationis fuit benedictorium & promiſſorium. Ipſam deinde promiſſionis ſummam recitat: de multiplicatione & donatione terræ Canaan, ſemini ejus in æternam poſſeſſionem.

Altera parte in hujus promiſſionis fide & jure, ut Rubenum & Simeonem, adoptat Ephraim & Manaſſe. Verba enim non videntur id ſonare, quod exhæredatis & ejectis Rubeno & Simeoni ſubſtituat Joſephi filios, ſed eis æquet. Hieronymus: *Quod autem dicit* Efraim, & Manaſſe, ſicut Ruben & Simeon erunt mihi, *illud ſignificat ſicut Ruben & Simeon duæ tribus erunt & ex ſuis* vocabulis appellabuntur: *ſic Ephraim & Manaſſe duæ tribus erunt duoſque populos procreabunt: & ſic hæreditabunt promiſſionis terram ſicut & filii mei.* Rivetus: *Id eſt Non ſecus ac majores natu aut primogeniti mei portionem quiſque ſunt in terra mihi promiſſa habituri.* Imò hæc ulterius ſpectant: Quoniam Ruben & Simeon ſe indignos præſtiterant ut nobili iſto primogenituræ fruerentur privilegio ſe partem duplicem in Joſephum transferre ſignificat, ablatam illis. 1. Chronic. 5. 1. 2. Diſputant Judæi de rationibus, quare tribus voluerit multiplicare deinde quare illam multiplicationem Joſepho attribuerit. Primi cauſam petunt ex ipſa promiſſione. Nam Deus in Luz promiſit ſe multiplicaturum Jacob eſſe לגוי & לקהל עמים. Id dictum poſtquam rediiſſet in Cananæam, poſt quod tempus ſolum Benjamin genuit. Cum igitur illud לגוי ad Benjaminum pertineat poſt quem neminem genuerit ſequens לקהל עמים de adoptione loqui. Proinde divinitus adoptionem ipſi mandatam eſſe. Adoptionem uno plurium ipſi præcipi, quia cum גוי (de Benjamin) ſingularis numeri ſit, עמים eſſe numeri pluralis. Raſi: *Euangelizavit mihi futurum eſſe, ut è me egrediantur adhuc cætus & populi. Quamvis dixit mihi* (גוי וקהל עמים) גוי *dixit mihi* de *Benjanim:* קהל גוים *ecce duo quomodo de ſolo Benjamin? At poſt eum non eſt mihi alius genitus. Unde docet me, quod unam de tribubus debeam dividere.* Hazcuni: *Numero plurali. At poſteà non eſt mihi genitus niſi Benjamin. Ideo neceſſe eſt ut hanc benedictionem dem uni de filiis meis.* Ex eadem promiſſione petunt rationem, cur Joſephi filiis data fuerit illa adoptio. Aben-eſdras ad verba הנני מפרך loquitur in hunc modum: *Senſus eſt juxta opinionem Gaon: Dixit mihi Deus ecce multiplico te & filius non eſt mihi genitus, ſed Rachel mortua eſt: Et nunc ſcio, quod propter filios tuos natos tibi dixit* הנני מפרך. Et hæc expoſitio [אין לו טעם וריח] *ſapore & odore caret. Nam cur diſtinxit inter filios Ioſeph & filios Ruben? & porrò Benjamin ipſi natus eſt poſt hanc prophetiam. Probatur mihi, quod dixerit, Deus dixit mihi, Quod terra Canaan futura ſit mihi poſſeſſio æterna: Et ego dabo tibi in hæreditate terræ primogenituram: & accipient Efraim & Manaſſe portionem ſuam in terra quemadmodum accipient Ruben & Simeon, qui ſunt maximi è filiis meis. At quos gignes poſt Efraim & Manaſſe, vocabuntur nomine fratrum ſuorum dictorum, quia hæreditabunt cum illis in hæreditate eorum. Expoſitor qui dicit* ומולדתך *intelligendum eſſe de filiis Machir qui nati in genibus Ioſeph non placet mihi: nam quid vult,* על שם אחיהם? *Quod ſi opponatur, Non inveniri, quod Ioſeph alios filios habuerit,*

ris, hac objectio nihili etiam eſt, quia quadrat quod fuerint: at quia hæreditarunt cum fratribus ſuis non meminit eorum ſcriptura: multa talia ſunt.

Jacob videtur rationes has reddere, quare Joſephi hos filios aſſumat & Joſepho in illis det פי שנים 1. Quia nati ſint cum adhuc ipſe eſſet in Canaan, unde ipſi videntur accenſeri debere. 2. Quia Rachel poſt Benjaminum (è quo partu obiit) nullum genuerit (Rachel præcipuè dilexit) ideo ex ejus filio natu majore ſe aſſumere ſupplementum. Narrat enim Rachel obiiſſe apud Bethlehem. Primogenitura ſe indignos reddiderant duo illi Ruben & Simeon, illis de omnibus privilegiis primogenituræ hoc unicum manſit, quod in genealogia primo loco ponantur. Erat enim hoc privilegium, & diligentiſſimè in genealogiis obſervatur ubique in ſacra ſcriptura. Jura primogenituræ è patre hæc erant.

I. In genealogia primum habere locum.
II. Duplex portio, פי שנים.
III. Illis erat ſacerdotium.
IV. Et ducatus familiæ.

Ex his primum retinuit Ruben, ſecundum ceſſit Joſepho, tertium (quaſi) Levi, quartum Judæ. Secundum ſolum, quo voluit, transferre videmus. Deinde potius dividenda iſta jura erant, quam in unum congerenda. Cum igitur Levi & Juda primaria illa duo acceperint reſtabat unicum, quod non debuit dare ultimis Leæ filiis multò minus filiis ancillarum, relinquebatur igitur, ut in Joſephum conferretur. Ruben luit inceſtum, ideò abit ab eo triplex jus primogenituræ. Simeon in æde Sichemitarum & venditione Joſephi dux fuit & autor præcipuus, ideo in eum nihil tranſlatum eſt, ſimpliciter præteritur. Levi, ut habeat ſacerdotium, amittere debuit hæreditatem omnem, adeoque Deus ſolus eſſe illi ſors & hæreditas. Exiſtimant Judæi Jacob meminiſſe ſepulturæ Rachel, quam coactus fuerat circa Bethlehem ſepelire, cum in itinere procul ab Hebrone abeſſet, tanquam excuſantem, quod eam non ſepelierit, in iſto monumento. Quod Mercero non probatur, ut pater ſe filio excuſet. Sane non potuit eſſe ignotum Joſepho, quam mater ſua patri dilecta fuerit eamque honorificentiſſime ſepultam eſſe. Ineptius eſt dicere quod duas ſorores ſibi noluerit jungi in monumento, ubi appoſitum ſuum corpus patribus eſſe vellet: ne hoc apud ipſos eſſet dedecori. Dicerem memoriam potius renovari Joſepho, loci ubi mater eſſet ſepulta: quia id filio gratum eſſet. Judæi autem, qui hic excuſationem eſſe volunt, exiſtimant etiam reddi rationem, cur non intulerit eam in Bethlehem. Raſi: *Et non intuli eam etiam in Bethlehem, ut inferrem in terram: Et ſcio quod ſit in corde tuo de me: at ſcito, quod ideo eam illic ſepeliverim, ut ſit in auxilium filiis ejus: quando in captivitatem ducet Nabuzaradan & tranſibunt illae, egredietur* Rachel *ſuper ſepulchrum ſuum & flebit & rogabit ſuper iis miſerationes* Q. D. (Jerem. 31.15.) In Rama vox audita eſt &c. *Deus benedictus reſtituit eam, eſt merces labori ejus.* In illum locum Jeremiæ ſcribit Raſi: *Midras Aggada dicit: Ibant patres & matres ad exorandum Deum quoniam Manaſſe imaginem poſuerat in templo, at exorari ſe non eſt paſſus: ingreſſa eſt Rachel, dixit, coram eo: Domine mundi, Cujus miſerationes majores ſunt, tua miſerationes an miſerationes carnu & ſanguinis? Dicerem tua miſerationes: at ego introduxi æmulam meam in ædes meas. Nam univerſum ſervitinm, quo ſerviit Iacob patri meo non ſerviit niſi propter me: at cum venirem ut ingrederer in thalamum, introduxit (Pater) ſororem meam. Non ſolum* (לא ד) *quod tacui ſed & tradidi ipſi ſigna mea: etiam tu ſi introducant filii*

tui amulam tuam in domum tuam ſile ipſis. Dicebat ipſi, Egregia eſt in parte patrocinandi: eſt merces operi tuo, ob juſtitiam tuam quod tradidiſti ſigna tua ſorori tuæ. Lyranus fuſe: Mortua eſt Rachel &c.] *q. d. neceſſitas me compulit ipſam ſepelire extra ſpeluncam duplicem, quià eram in itinere cum magna familia, quam non poteram deſerere, & adhuc nimis diſtabam à loco ſepulturæ prædicta.* Eratque vernum tempus, *in quo pecora habent fœtus in utero, propter quod non poteram iter accelerare ne morerentur.* Et ſepelivi ibi eam juxta viam, *ubi tranſeunt homines communiter & ædificavi ſepulchrum ita quod tranſeuntes poterant videre ſepulturam ejus, & memoriam ejus ad alios deferre, ac ſi diceret ipſi Ioſeph: debes me excuſatum habere de hoc quod non portavi eam ad ſepulchrum majorum, quià habui legitimum impedimentum, ſed nihilominus conſtruxi ei nobile ſepulchrum. Sic exponunt doctores noſtri, Hebræi autem aliter exponunt, licet ad eundem finem, videlicet ad excuſationem Iacob de hoc, quod Rachel erat ſepulta in Ebron, & ſecundum eos Iacob ſe non excuſat propter difficultatem portandi corpus Rachel ad locum prædictum, imo primo excludit iſtam cauſam dicens: Mortua eſt Rachel in terra Chanaan, in qua terra eſt Ebron, & ideo longitudo itineris non me impedivit, & maximè quià ſecundum deſcriptionem terræ ſanctæ Hebron non diſtat à Bethlehem juxta quam ſepulta eſt Rachel, niſi per ſex leucas vel circiter. Eratque vernum tempus, quod eſt aptum ad itinerandum, & ideò malitia temporis me ſimiliter non impedivit. Quid igitur? Voluntas Dei & ejus ordinatio. Dicunt Hebræi, quod Iacob ſcivit ex divina revelatione quod tempore Nabuchodonoſoris deſtruenda erat Hieruſalem, ut habetur 4. Reg. XXV. cap. & quod Nabuzardan duceret populum ejus captivum in Babylonem, & quod tranſirent juxta ſepulcrum, quod eſt ſupra viam illam, & tunc in tranſitu illorum ipſa Rachel de ſepulchro miraculosè clamaret ad Deum quærens miſericordiam ejus ſuper populum captivatum, ut ſcribitur Hierem. XXXI. Vox in excelſis audita eſt lamentationis & fletus & luctus Rachelis plorantis filios ſuos, ideo ſubditur:* Et ſepelivi eam juxta viam, *ſecundum divinam ordinationem prædictam.*

Cum adoptaſſet parat ſe ad benedictionem. Dicitur vidiſſe filios, Joſeph in v. 8. at in v. 10. oculos ejus graves fuiſſe, ut cernere nequiret; Nempe confuſe videbat eos non diſtincte. Rogat igitur filium, cujus eſſent? Cum reſpondiſſet eos eſſe filios ſuos, quos Deus ipſi in Ægypto dediſſet: juſſit ſibi adduci; ut iis benediceret. Cum eos pater impoſuiſſet ſuis genibus, avus oſculatus eos & amplexatus eſt: adjecta gratiarum actione ad Deum: Non exiſtimaveram fore, ut iterum vultum tuum viderem, at Deus mihi etiam ſemen de te videre conceſſit. Aben-eſdras ita interpretatur Joſephum aſſediſſe parentis lecto, atque ita ſuis genibus filios impoſuiſſe, ut eos amplecti pater poſſet: quod convenit: alii putant patrem in lecto ſediſſe &c. nepotulos inter genua ejus. Raſi in eo, quod dicitur intuitus eſſe eos & rogaſſe qui eſſent, ita nugatur: *Quærebat iis benedicere at Sp. S.* שכינה *ab eo receſſit, quoniam Iaroboam & Achab egreſſuri erant ex Efraim & Iehu filiique ejus è Manaſſe. Et dicebat, Qui ſunt illi? unde egreſſi ſunt, quoniam digni non ſunt benedictione?* Reſpondebat Joſeph *Dedit mihi Deus eos* בזה. Hic iterum Raſi: *Oſtendit ipſi literas* אירוסין *& literas* כתובה *& petebat Ioſeph miſerationes ſuper rem & quievit ſuper eum Spiritus S.* (רוח הקודש) *Et dixit: Affer eos mihi, ut iis benedicam: Hoc eſt quod dicit ſcriptura* (Hoſ. XI. 3.) *Aſſueſcebam Efraimum incedere (ſuper manibus ſuis eos ſuſcipiebat)* &c. תרגלתי *Spiritum meum in Iacob propter Efraim donec eos ſumeret in ulnis ſuis.* Quem non tædeat pigeatque nugarum, quibus enervantur ſacræ literæ. Egregie & eleganter dicit Jacob ראה פניך לא פללתי ubi Raſi: *Non implevit me cor meum ad cogitandum cogitationem, quod amplius viſurus eſſem faciem tuam.* Non fui auſus ſperare. פללתי habet ſignificationem cogitationis,

ſicut

ſicut (Eſai. 16. 3.) *afferte conſilium, facite* (פלילה) *judicium.* Compoſiturus filios ad accipiendam avi benedictionem: depoſuit eos è genubus ſuis aut patris patremque veneratus eſt procumbens in terram ſuper faciem ſuam: ſtatuit igitur Efraim minorem filium circa dextram ſuam ex oppoſito ſiniſtræ patris; Manaſſen circa ſiniſtram ſuam è regione dexteræ Jacobi. Benedicturus enim manum benedicendis ſolebat imponere. Voluit Joſeph ut honoratior dextera imponeretur majori ſeu primogenito, ſiniſtra minori. Antequam filios ita collocaret, patrem (quod diximus) veneratus eſt, non ſolum tanquam patrem ſed & Dei miniſtrum. Quia autem ita venerabatur patrem, non eſt veroſimile, quod paſſurus fuerit ſe adorari à patre: ut in ſuperioribus quidam interpretantur. Prophetia de ſole & Luna, ipſum adorantibus aliter impleta eſſe potuit: quando per filios ſupplex factus fuit, ſicuti & Lea. Dextera ab omni ævo ſiniſtræ prælata eſt & impoſitio manuum, antiquiſſimus ritus in benedictione. Symbolum non erat gratiæ conferendæ aut ſpiritus, ſed ritus in benedicendo obſervatus. Antiquior memoria hujus ritus non occurrit.

At Jacob divinitus inſpiratus decuſſatis brachiis minori impoſuit dexteram, majori ſiniſtram. Alluſio ad hunc locum eſſe poſſit: Quemadmodum decuſſatio manuum Jacobi majorem prætulit minori: ita Chriſtus in cruce gentium populum prætulit Judaico: ſed eam fuiſſe mentem Jacobi, aut Spiritum S. id voluiſſe indicatum, id abſonum eſt dicere. Jacob præpoſuit minorem; ratione benedictionis majoris illi obventuræ. Benedictionem illis precatur à Deo & angelo. Deum deſcribit è duobus, I. quod coram eo patres ſui Abraham & Iſaac ambulaverint: id eſt, quod eum coluerint & mandata ejus diligenter obſervaverint. II. quod ipſum ſe paverit, ab eo tempore quo fuiſſet. Angelum deſcribit, הגואל אתי / qui aſſeruit me ab omni malo. Precatur ipſis benedictionem. Duo precatur, Primum, ut de ſuo & patris ſui Abrahami vocentur nomine; Alterum ut multiplicentur inſtar piſcium. Angelus, qui hic eſt, Dei filius eſt, ipſe Deus. Nempe, qui cum ipſo luctatus erat, ipſumque benedixerat: quemque ipſe agnoverat eſſe Deum. Sic Eccleſ. 5. 5. *Coram angelo.* A quo benedictionem precatur. Benedicere cum effecto ſolius Dei. Æquè liberare à malo omni eſt ſolius Dei. Notandum quod cum Deo jungat ad idem opus ſimiliterque precetur Deum & Angelum. Raſi de Angelo: Angelus, qui redimebat me *Angelus ſolebat mitti ad me in anguſtia mea: ſecundum id* Q. D. Et dixit *ad me Angelus Domini in ſomnio, Iacob &c. Ego Deus Bethel.* Multiplicari inſtar piſcium ita exponit, ut non tantum ipſam propagationem notet, ſed & quod non dominetur oculus malus ואין עין רע שולטת בהם. Cum ita benediceret, dicitùr Joſepho benedixiſſe (v. 15.) Nempe Joſeph alios non habebat filios, ita in perſona filiorum benedictio ad ipſum pertinebat. Cum Joſeph videret manuum patris illam decuſſationem, qua minor honorabatur præ majore, putabat errore fieri; quod oculi parentis caligarent. At pater de eo appellatus & conante Joſepho manus tranſponere, reſpondet ſe ſcientem volentemque ita facere: quoniam minor præ majore multiplicandus eſſet, quamvis uterque in populum numeroſiſſimum erupturus eſſet. Multiplicationis vim proverbio locum daturam eſſe refert: Unde formula precationis de augmento talis in uſu foret inter Iſraëlitas: *Ponat te Deus ut Efraim & Manaſſe.* In qua formula nominandus eſſet Ephraim ante Manaſſe. In ordine nominationis religioſi fuere veteres, ut nunquam minorem aut ſequentem majori antepoſuerint. Quod volumus iterum monere illos, qui putant prius in recenſione aut enumeratione generis poſitos ſæpe poſteriori loco natos eſſe.

 Nun-

Nunquam id factum, niſi ubi nothi legitimis poſtponuntur. Raſi in eo excellere Efraimum dicit, quod Joſue ex eo prodierit. In vexillis & dedicatione נשיאים præponendum eſſe. Benedictione finita, præcinit, ſe obiturum eſſe, at Deum ſuis poſteris afferre eoſque reducturum in Canacæam. Joſepho dicit: *Ego do tibi* שְׁכֶם אַחַד *ultra fratres tuos, quem accepi è manu Amorrhei gladio & arcu meo.* Raſi: *Tu laborus occupatus in ſepultura mea, etiam ego do tibi poſſeſſionem, in qua ſepeliaris. At quæ illa eſt? Et Sichem, Q. D.* (*Ioſ.* 24. 32) Oſſa Joſeph, quæ extulerant ex Ægypto, ſepelierunt in Sichem. *Sichem* (שכם) *omninò erit tibi portio una ſupra fratres tuos.* Gladio meo & arcu meo] *Cum Simeon & Levi occidiſſent viros Sichem, coacta eſt omnis vicinia ut cum ipſis conſererent & Iacob inſtrumenta belli induit coram ipſis.* A. S. שכם אחד / *eſt Primogenitura, quia tulerunt filii ejus duas partes.* שכם *ſignificat portio: talia multa ſunt in Scriptura &c.* Aben eſdras: *Sunt, qui dicant, quod innuerit* (ænigmatice locutus ſit) *de urbe Sichem, quoniam & illa fuit filiorum Ioſeph.* Gladio meo & arcu meo, *de Deo, ut dicit David,* Clypeus meus & cornu ſalutis meæ. *Placet mihi quod expoſitio unius* שכם *ſit una portio. Et eſt ex ſignificatu* (Exod. 12. 34.) ſuper humeris ſuis: Et (Sophon. 3. 9.) ut ipſi ſerviant humero eodem. Supra fratres tuos] *Additum ſupra fratres tuos. Illud autem,* Quem acquiſivi, *ſignificat, Acquirens Iſraelita gladio & arcu ſuo. Meminit autem Amorrhaeorum, quoniam nulla de ſeptem gentibus illi æqualis eſſet fortitudine. Nonne animadvertis tu, quod poſtquam occiſi eſſent duo magni reges Amorrhaeorum, dixerit Ioſue:* ad ponendum nos in manu Amorrhæi [Joſ. 7. 7.] *Et ne mireris de dictione (*Acquiſivi) *quia poſtquam Deus dediſſet eam ore Abrahamo, illi reputarunt, quod ſua eſſet. Et ſic dictum eſt Iacobo,* Tibi dabo eam & ſemini tuo. Aben-eſdræ igitur ſententia eſt, Notari hoc loco beneficium Joſepho datum, quatenus ex primogenituræ jure in ipſum collato, parte una fratres ſuperavit. Id ita eſt, Joſepho data eſt primogenitura ideo duas partes duodecimas illi Jacob aſſignavit. Sed & hoc notandum, quod Manaſſen & Efraim adoptaverit ut inter filios ſuos haberentur. Non debuerunt eſſe plures quam duodecim portiones terræ Canaan, ideo cedit Levi, ut duo filii Joſeph poſſent inſeri. Lyranus nugas Hebræorum ſequitur: *Ac ſi diceret,* inquit, *tu me & fratres tuos tempore famis ſatiaſti: & me deferendum ad ſepulchrum meorum promiſiſti: & ideò terram Sichem ſpeciali munere do tibi.* Quam tuli de manu Amorrhæi, *id eſt ipſum Emor, qui fuit de genere Amorrhaeorum.* In gladio & arcu meo *id eſt jure belli. Dicunt Hebræi, quod depopulata urbe Sichem per filios Iacob, populi, qui erant in circuitu congregaverunt ſe ut irruerent ſuper Iacob & filios ejus: ſed ipſe armavit ſe & familiam ſuam ad reſiſtendum confidens de divino adjutorio: ſicut ſibi promiſſum fuerat à Domino. Vnde & timor Dei id eſt à Deo immiſſus cecidit ſuper illos & non ſunt auſi invadere eum, ut habitum eſt ſupra cap. 35. Et ideo locum iſtum obtinuit jure belli, tum quia Dominus dederat ſibi illam terram, tum quia propter violationem Dinæ digni erant eam perdere Sichemitæ: & ideo quando Iacob fuit in poſſeſſione, videtur, quod licite potuit eam ut ſuam retinere. Vnam etiam partem emerat ut habetur, 34. cap. ſed de illa, quæ modica erat, non facit hic mentionem. Ex tunc autem locus ille fuit ipſius Iacob; propter quod dictum eſt ſupra 37. cap. quod filii Iacob omnes præter Ioſeph & Benjamin paſcebant oves in Sichimis: & quod Iacob miſit ipſum Ioſeph illuc ad ſciendum ſtatum eorum. Ex quo patet quod ibi morabantur ad tempus. Et ideo veriſimile eſt, quod haberent ibi domos ad habitandum & caulas pro pecoribus tanquam in loco, qui erat patris ipſorum.* Hæc ille. Exiſtimat igitur urbem Sichimam & ejus agros notari. Hæc opinio non conſiſtit. I. Non eſt Joſeph data Sichima cum territorio; ceſſit enim tribui

Efraim

Efraim per ſortem ſub Joſue. Quomodo, quod jam datum erat, in ſortem mitti potuit? 2. Si Joſephi ex donatione fuiſſet debuiſſet potius primogenito cedere, quam Efræmo. 3. Sepulturæ Joſephi cauſa in illo agro Sichemitarum, quem Jacob emerat, illa fuit (referente Sp. S. Joſue 24. 32.) quoniam ibi ſors filiorum ceciderat. Quod ſi igitur Sichima non veniſſet in ſortem filiorum Joſeph, alio loco fuiſſet ſepultus. Unde evidens habetur argumentum à Jacob ipſi legatum non fuiſſe agrum iſtum. Sed poſteà ex occaſione evenit ipſum honoris cauſa illic ſepeliri in parte filiorum: quia ager ille à Jacob emptus honoratus habebatur. Qui putant urbem & agrum Sichem legari Joſepho, rationibus ducuntur. I. Quod inveniant nomen שכם / quod urbi literarum ſono convenit: quaſi non ex accidenti res diverſiſſimæ eodem nomine aliquando appellentur. Propria ex appellativis ducta ſunt, appellativa tamen in communi ſignificatione manent. II. Jacob dicit ſe ipſum acquiſiviſſe iſtum agrum. At acquiſitionem jure belli ſignificat. Si notaſſet proprietatem præſentis temporis, honeſtius de emptione, quam armis dixiſſet. Nunquam enim perſidia & crudelitas Simeonis & Levi Jacobo ita approbata fuit, ut gloriaretur per eam ſe acquiſiviſſe. Nullum etiam peccatum erat Sichemitarum, quo digni eſſent ut ita exciderentur à filiis Jacob. Jacob vel memoriam Sichemitici facinoris exſecratus eſt. Judaica fabula de gentium coitione & Jacobi armatione, inepta & ridicula eſt: Nullam etiam proprietatem habuerunt patres in Canaan, niſi ſepulchri unius aut alterius aut agri ad ſepulturam. Cæterum prophericèe loquitur Jacob, ſtylo ſublimiore: Quam ego acquiſivi: id eſt quæ jure belli mea eſt. Video enim in Spiritu, ſtirpis meæ, quæ de me egreſſa eſt, armis acquirendam eſſe. Quorſum attinebat, unicum agellum filio ad ſepulturam dare, cujus poſteri amplæ ditionis hæredes & domini futuri, quo in loco vellent, Joſephum poſſent contumulare? An in eo ſupra fratres excelluit, quod agellum monumenti habiturus eſſet? Nemini enim patriarcharum id defuit. Simplex ſententia hæc eſt, in qua non opus eſt, arma exponere de precibus aut de pretio quæ admittunt, qui bellicam vim non convenire Jacobo vident, homini miti & placido, præterea ante tempus, cum nondum Amorrhæorum iniquitas menſuram ſuam impleviſſet. Fatigant ſe Rivetus, Maſius & Mercerus. Vocem שכם non putant adeò propriè de portione accipi ut poſſit notare funiculum hæreditatis tantum, quantum tota tribus accipit. Deinde in verbis Jacob videtur notari proprium aliquid iſti dono, quod Joſepho donatur. Hoc proprium eſt, quod Jacob illud acquiſiverit ſuo gladio & arcu. Si loqueretur de communi Cananææ acquiſitione, diceret, portionem unam de terra, quam acquiſivi: at dicit, portionem unam, quam acquiſivi. R. Vocem שכם eſſe appellativam, certum eſt. Ita accepit editio Latina, Samaritæ in textu legunt שכם אחת: ubi eſt ת pro ד. In verſione habent שכם חדה. Appellativè vocabulum שכם accipi debet, quia additur epitheton אחד. Si enim de urbe Sichem eſſet intelligendum, otioſum eſſet id vocabulum *Una*. Aben-eſdræ ſententiam probat etiam Ralbag: שכם אחד / *portio una*. Quam acquiſivi] *Quam acquiret ſemen meum: quia ita eſt conſuetudo prophetarum, reputare quod erit, ac ſi factum eſſet: ut ſcribit ſapiens Aben-eſdras.* Gladio meo & arcu meo] *Significat, gladio ſeminis mei: & eorum arcu, quia bellabunt de terra & hæreditabunt gentes in ea. Aut ſignificat hoc: In auxilio Domini excelſi, qui eſt gladius meus & arcus meus, ut exponit ſapiens Aben-eſdras*, Quantum attinet acquiſitionis communitatem, dico τὸ אחד vim partitionis habere. אשר pro מאשר. *Portionem unam ejus, quod acquiſivi*, שכם ſignificat primò humerum: inde

tumulum, *aggerem*, etiam *partem eximiam*, quia humerus eminet in diviſis partibus animalium in ſacrificiis. Raſi adducit loca in quibus portionem notat. In editione LXX. habetur, Σίκιμα ἐξαίρετον: ubi videtur confuſio eſſe duarum lectionum. Fortaſſis LXX. verterant ἐξαίρετον, in margine autem poſitum fuit Σίκιμα. Aut LXX. pro more ſuo παραφράζοντες Σίκιμα adjecerunt interpretationis gratia. Amorrhæos unos de ſeptem gentibus poſuit ſynecdochicῶs ob excellentiam potentiæ & fortitudinis: aut quod (uti conjicit D. Rivetus) Amorrhæi vulgo dicerentur apud exteros iſtæ nationes cognatæ, ut Belgæ fœderati Hollandorum nomine veniunt, & regii Flandrorum. Olim Belgæ omnes, ante hanc ſeceſſionem, apud Gallos, Hiſpanos, Italos, Flandri appellabantur.

Cap. XLIX.

Viginti ſex verſibus (id eſt à v. 3. ad 28.) conſtat Jacobi benedictio, qua filios ſuos omnes ordine *luſtravit*, ut loquitur Sulpicius. Prophetiam hanc non eſſe benedictionem contendit Aben-eſdras: *Verbum propheta de futuro: Errant, qui dicunt, quod ſint benedictiones quoniam in fine inveniunt* (v. 28.) *&* benedixit ipſis. *At ubi benedictio Ruben & Simeon & Levi. At per modum prophetia dicit & hoc quod* (in prima parte verſus 28.) Locutus eſt ipſi pater ipſorum: *poſteà autem*, benedixit ipſis: *Et Scriptura non explicat benedictiones.* Exiſtimat prophetiam fuiſſe de eventibus filiorum, non benedictionem, quia non dicit bona de Ruben Simeon, Levi. Quia Scriptura commemorat Jacobum convocatis filiis dixiſſe; *Coite, ut annuntiem vobis, quod eventurum vobis ſit in poſteriotibus diebus.* Hinc exiſtimat Raſi eum quæſiviſſe Sp. S. qui receſſerat. Quærit revelare finem, at receſſerat ab eo Sp. S. & incipit loquens alia verba. Exiſtimat enim illam præfationem Jacobi quam Moſes ſcribit, v. 1. & 2. eſſe verba hominis recolligentis ſe & quærentis Sp. S. Illud ineptum. Nam plenus numine ita præfatur. Concedit tamen Raſi hanc prophetiam eſſe benedictionem, quia plerique benedicti. Imò verò benedictio eſt, quia à Patre dicitur in filios de eventibus poſterorum. Si à Patre filiis non diceretur nec à ſuperiori in inferiorem prophetia eſſet ſimpliciter.

Ruben.

v. 3. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea & principium doloris mei, prior in donis, prior in imperio.

4. Effuſus es ſicut aqua, non creſcas: quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum ejus.

Raſi: ראשית אוני] *Eſt gutta prima illius, qui non vidit caſum (fluxum) aquarum ſuarum* כחי ואוני] *fortitudo mea.* Sicut [Hoſ. 12. 9.] *invenimus facultates.* Et [Eſ. 40. 26.] *ob magnitudinem virium* [ibid. v. 28.] ולאין אונים *Et illi qui nullas vires habet.* יתר שאת] *Dignus eras* [conveniebat tibi] *ut eſſes* prior ſupra fratres tuos in ſacerdotio: notatione elationis manuum. יתר עז] *In regno Q. D.* [1. Sam. 2. 10.] Et dabit robur regi ſuo. *Et qua* cauſa tibi fuit ut perderes iſta omnia? פחז כמים] *Rapiditas & feſtinatio, qua feſtinaſti ad oſtendendum* [כעסך] *suam irritationem*, ſicut aquæ illæ, quæ *feſtinant in curſus ſuos: ideò* אל תותר *non multiplicabis tollere omnes illas eminentias, qua tibi conveniebant. Et quæ eſt rapiditas, qua effuſus es? Quia aſcendiſti cubilia patris tui, tunc polluiſti illum qui aſcendebat ſuper ſtratum meum, Deum,* שכינה *qui ſolebat aſcendere ſuper ſtratum meum.* פחז] *Nomen præſentis rei eſt: talis eſt ſenſus ejus*

ſupra,

ſupra, & totum punctatur per Phathach: at ſi eſſet ſignificatio præteriti, punctaretur ex parte per Cametz ex parte per Phathe, quomodo poſterioris ſenſus eſt. יצוע *Idem quod* משכב/ quia ſternunt lectum *linteis & ſindonibus. Multa talia ſunt.* Pſ. 132. 3. Si aſcendero ſuper ſpondam ſtrati mei. Pſ. 63. 7. Cum recordor tui ſuper ſtratis meis. Aben-eſdras: Ruben, primogenitus meus, tu robur meum] *In te apparuit primò robur meum: primogenitus vocatur principium* און *& ut hic principium* אונים. יתר שאת] *duplicatum ut ſolent omnes prophetiæ: &* עז *ſignificat* תקיף *fortis.* פחז] *Quoniam effuſus es ut aqua.* אל תותר *Nam erit tibi eminentia at erat conveniens ut eſſet* אל תותר/ *per ſurec in Vau. Alii dicunt: Levis tu effectus es ſicut aqua effuſa. At non quadrat quicquam* (רק) *ſed ſecundum ſententiam meam, quia non invenitur dictio* אל *niſi in loco imperii quamvis inveniatur* (Prov. 12. 28.) & via ſemitæ ejus (אל מות) *quod non eſt imperii. Expoſitio ejus eſt. Ne quæras eminentiam etiam effunderis inſtar aquarum. Et erit forma* תותר [Job 4. 27.] Recordare belli, ne addas [תוסף] *Et Haggaon dicit Etiamſi res levis ſicut aqua, non erit tibi eminentia.* Et פחז *eſt de notione ejus quod* (Judic. 9. 4.) *Et viri* leves & ופחזים (ita citat) *non* פוחזים *quod aliter eſt.* או חללת *A die, quo profanaſti, receſſit lectus meus, quaſi dicat: aſcendit à me. Etiam invenies dictionem* עלה *in ſignificatione* כרת. Sicut [Pſ. 102. 25.] Et dicebam, Deus mi, ne auferas me in medio dierum meorum. *Et hic verſus exponitur in Chronicis* (1. Chronic. v. 1.) Et quia profanaverat lectum patris ſui. *Et dicit de Iuda* (v. 2.) Ipſe dux & primogenitura Joſeph. *Quidam exponunt* (ולא להתיחש לבכורה) *quod fuerit principium numeri à Ruben.*

Chaldæus paraphraſtes: *Ruben, primogenitus meus, tu robur meum & principium fortitudinis meæ, tibi competebat accipere tres portiones, primogenituram, ſacerdotium & regnum. Quoniam effuſus es ante faciem tuam, ecce, ut aqua. Pro fectò non proficies, partem ſuperabundantem, non capies. Nam conſcendiſti domum cubilium patris tui, tunc profanaſti, lectum meum, filimi, conſcendiſti.*

Simeon & Levi.

v. 5. *Simeon & Levi fratres, vaſa iniquitatis bellantia.*

6. *In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea: quia in furore ſuo occiderunt virum & in voluntate ſua ſuffoderunt murum.*

7. *Maledictus furor eorum, quia pertinax & indignatio eorum, quia dura: dividam eos in Iacob & diſpergam eos in Iraël.*

Raſi: Simeon & Levi fratres] *In conſilio uno propter Sichem & propter Ioſeph:* Et dixerunt alter ad alterum: & nunc agite occidamus eum. *Qui illi? Dicas Ruben aut Iuda:* At *non conſenſerunt in ejus occiſione? Si dicas, Filii ancillarum, Ecce non fuit odium eorum perfectum. Q. D.* Et ipſe puer cum filiis Balæ & cum filiis Zelphæ &c. *Iſachar & Zabulon non fuerunt loquentes, in facie fratrum ſuorum ipſis majorum. Quicquid dixeris, fuerunt Simeon & Levi, quos vocavit pater fratres* כלי חמס] *Opificium hoc eſt occiſionis: violentia eſt in manibus eorum: è benedictione Eſau eſt hoc opificium; cujus fuit & vos rapuiſtis id ab eo.* מכרתיהם *ſignificat inſtrumenta armationis:* סיף *in lingua Græca appellatur μάχαιρα, Thanchuma A. S.* מכורתיהם *In terra peregrinationis ſuæ aſſuefecerunt ſe in inſtrumentis violentiæ, Q. D.* [Ezech. 16. 3.] מכרותיך ומולדותיך *Et eſt hæc interpretatio Onkelos.* בסודם אל תבוא נפשי] *Hoc opus Zambri, quando congregata eſt, tota tribus Simeon ut introduceret Madianitin coram Moſe: cum dixerunt ei, Eſtne hæc interdicta an conceſſa? Si dicas, Interdicta, Filiam Iethro quis tibi permiſit? Ne memoretur nomen meum in re: Zambri filius Salu, princeps domus patriæ,*

Simeo-

Simeonitarum [Num. 24. 14.] *Non ſcribitur*, filius Jacob. ובק הלם] *Quando congregavit Core, qui fuit è tribu Levi, totum cœtum adverſus Moſen & Aaronem,* אל תחד כבדי] *illic ne uniatur cum ipſis nomen meum*, Q. D. [Num. 16.1.] *Core filius Iſhar, filii Cahath, filii Levi; nec dicitur* filius Jacob: *at in Chronicis* [1.lib.6.38.] *ubi genealogia eſt filiorum Core propter ſuggeſtum, dictum eſt Filius Core filii Cahath, filii Levi, filii Iſrael.* כבוד אל תחד כבודי כבור *nomen maſculini generis eſt, & ingratiis tuis, debes exponere, tanquam loquentem ad gloriam & dicentem,* Heus gloria mea ne uniaris cum ipſis. *Sicut* [Eſai. 14. 20.] Non unieris cum ipſis in ſepultura. כי באפם הרגו איש *Hi aſinus & viri Sichem: omnes illi reputantur tanquam vir unus: Et ſic dicit de Gedeon* (Judic. 6. 16.) percuties Madian tanquam virum unum. *Et ita de Ægyptiis* [Exod. 15. 31.] Equum & ſeſſorem ejus projecit in mare. *Hoc medras eſt, & ſenſus ſimplex: Viros multos vocat* איש, *unumquemque per ſe. In ira ſua occiderunt omnem virum, quando irati fuerunt* adverſus eum. Sic (Ezech. 19. 3. 6. Et diſcebat rapere rapinam & edebat hominem. וברצונם עקרו שור) *Voluerunt enervare Ioſeph, qui vocatus eſt bos*, Q. D. [Deuteron. 33. 17.] Primogenitus bovis ejus ei gloria eſt. עקר Eſtraitir *ſermone vulgari, quo ſenſu dicitur* (Joſ. x1. 6.) Equos eorum enervabis. ארור אפם *Etiam in tempore increpationis non maledicis niſi ira eorum.* Et hoc eſt quod dicebat Bileam: Quomodo maledicam, cui non maledicit Deus (Num. 23. 8.) Dividam eos in Jacob: *Separabo eos hunc ab illo, quia non erit Levi in numero tribuum & ecce illi diviſi. A. S. Non erunt tibi pauperes, ſcribæ & doctores puellularum niſi è Simeon. Adeò erunt diſperſi. At tribus Levi: fecit eam circumeuntem juxta areas, thrumas & decimas. Et hæc diſperſio fuit ipſi per modum honoris* (רק) *diſperſa inter ſortem Iuda. Sic etiam Levi: cui fuerunt quadraginta octo urbes, diſperſa inter tribus.*

Aben-eſdras: Simeon & Levi fratres ob opus Sichem. מכרותיהם *Quidam dicunt, ab excidio perſonarum] illarum, quod non ſtat è Grammatica. Quidam dicunt, facultates eorum, ſicut* [Deut. 32. 6.] emetis ab ipſis. *At non eſt* תכרו *niſi è ſignificatione foſſionis. Quidam dicunt è ſignificatione venditionis, quia vendiderunt ſeipſos tanquam cum probro animæ ſuæ in mortem: & hoc placet mihi: quia hoc eſt ejuſdem ordinis cum* מכורתיך. *Hoc eſt cum defectu* ב, *ſicuti invenitur de domo Dei*, [1. Sam. 2. 29.] quam præcepi [in] habitatione. *Significat violentiam, quam fecerunt, quia poſtquam aſſumpſiſſent viros Sichem in fœdere, dolo eos interfecerunt.* בסודם אל תבוא נפשי *dicit Rab Aharon, quod expoſitio* (אל תבוא נפשי) *ſit ſicut, & occidebat Sol. Senſus ut ſit, quod nolis eſſe extra conſilium eorum. Sed ejus expoſitio eſt rei contraria. Nam quid volunt vaſa violentiæ? Et, nonne dicebat diebus illis.* Vos me conturbaſtis. *Et in veritate conjectus erat Iacob cum domo ſua in periculum per ipſos: niſi Deus conterruiſſet, cinxiſſent eum ut omnes perderent. Et ſic ſenſus*, Maledicta ira eorum & voluntate ſua enervarunt bovem. Maledicta, quia ira eorum valida. *Tales expoſitiones frigidæ ſunt.* בסודם אל תבוא נפשי *Dicit R. Moſe ſacerdos, b. m. Quod* נבורי *ſit ut* בנפשי] *qualia multa ſunt in libro Pſalmorum & eſt expoſitio egregia, quia ſenſus eſt duplicatus more prophetiarum:* Rogato patrem *tuum, quid opus eſt exprimere?* Et ecce בסודם *ſicut* בקהלם & תבא *ſicut* תחד & נפשי *ſicut* כבודו. *Dicit R. Iuda filius Bileam Hiſpanus, quod erres R. Moſe, quoniam gloria animæ eſt corpus, ſicut ornamentum in collo. Quo ſenſu* (Pſ. 103. 5.) Satians bona ornamentum tuum, *Argumentum eſt* [Pſ. 7. 6.] & gloriam meam habitare faciat in pulvere, Sela. *At ego dico, quod R. Iuda erret. Nam ſcriptura dicit* (Pſ. 30. 13.) Propterea pſallet te gloria. Ideo lætatur cor meum & exultat gloria mea, etiam caro mea, *quæ eſt corpus.* At hoc, gloria mea in pulvere *eſt per modum* (משל) *hyperbolæ;*

bolas quia humiliabat animam uſque ad pulverem ; quod nihil ſit inferius eo. Ecce dabo tibi teſtem fidum, qui eſt (Pſ. 118. 25.) Adhæret anima mea pulveri. תחר *è themate* חרר. *Et ſecundum ſententiam R. Moſe ſacerdotis grammatici b. m. quod quieſcens abſcondita ſit* ... א (in prima perſona) אחר. *Et ſic dicit ſuper eo, quod dicatur* לא תאשמו. *Et ſenſus* בסודם *ſicut* בהוסדם / *cum congregantur ipſi pariter : quoniam inſtrumenta eorum ſunt violentia, ne* veniat anima mea in congregatione eorum. Occiderunt viruni *Nomen ſpeciei* [collectivum] *ſicut bos & aſinus. Innuit autem viros urbis Sichem.* שור *murus : & ſic* (v. 22.) procedit ultra murum. *Olim expoſui in libro bilancis, quod Holem & Surec permutentur inter ſe.* עקר *Sicut* (Joſ. 11. 6.) תעקר eorum equos *Hoc indicium eſt, quod urbs Sichem magna fuerit, quia erat cincta muro.* ארור אפם כי עז *per modum prophetiæ aut per modum precationis, ut deficeret ira ipſorum, quod ipſis bonum : quia* ארור & ברוך *ſunt oppoſita: & quemadmodum benedictio eſt augmentum, ita maledictio eſt imminutio.* ועברתם *Synonymia: & ſic* אחלקם ואפיצם. *Senſus eſt, quod illi digni eſſent, qui ſepararentur & non ſociarentur ſimul. Et ecce invenimus, quod ſors Simeonis ceciderit in medio hæreditatis filiorum Iudæ, unde ipſe in poteſtate alterius. Etiam urbes ejus non fuerunt conjunctæ altera alteri, ſed diſperſa in ſorte Iudæ. Sic etiā Levi, cui fuerunt quadraginta urbes, diſperſæ inter tribus.*

Has expoſitiones excerpſit & pro parte latius explicavit Lyranus : quæ non eſt opus repetere. Hic autem accurata eget inquiſitione: Quomodo diſperſio Levitarum fuerit maledictio, cum Deus eos exaltaverit, quorum ſors eſſet Deus: ob quam rem nullam propriam ſortem in terra promiſſa ex patre ejuſque benedictione hæreditaria habere debuerunt Num. 3. 12. 10. 45. & 8. 14. 18. Hic reſpondemus, Diſperſionem Levitarum per cæteras tribus eſſe è maledictione ob merita patriarchæ : ſed illam aſſumptionem eſſe è peculiari Dei gratia, quam tribui iſti contulit. Aſſumpſit eos in miniſterium tabernaculi. Rurſum dixeris: An igitur adverſus maledictionem Deus voluit ſe opponere, ut illos reſtituat ſacerdotio & miniſterio cultus Divini? Nequaquam. Nemini de filiis ſacerdotium Jacob attribuit, quia jus illud hæreditarium è primogenitura paterna veniens periturum erat. Rivetus de hac re diſſerit in hunc modum: *Alterum hic eſt notandum, quod etſi diſperſio Levitarum & Simeonitarum, quà diſperſio, pœna fuerit ; eam tamen Deus in bonum utriuſque tribus converterit, ut ex eo conſtet etiam in pœnis infligendis Deum miſericordiæ ſuæ meminiſſe. Id Deus noluit tum revelare, duobus iſtis capitibus tribuum, ne ludicram putarent pœnam decretam ; ſed ſibi hoc reſervavit, ut poſſet eam mitigare & convertere in bonum. Sic enim ſæpe Deus ſe gerit, dum ſuos caſtigat, ut quod propter peccata patiuntur, aliò tamen referatur, & dum ferulæ Dei ſe humiliter ſubmittunt, in ipſa ignominioſa alioquin pœna, maximos honores conſequantur, dum apud homines alio prætextu id fit & ob alias plane cauſas, quod multis martyribus accidit, & quotidie fidelibus, quorum afflictiones & pœnæ, quæ à peccatis habent originem, ita à Deo diriguntur, ut patiantur pro juſtitia ab iniquis hominibus, qui nihil minus habent in animo quam ut exſequantur Dei judicia. Hic habemus veram cauſam, cur Levitæ diſperſi fuerint nec partem habuerint in populo ſeparatam, peccatum nempe Levi. Cum tamen ad exſecutionem ventum eſt, Deus hac ratione diſſimulata, aliam aperit, quæ eis eſt honorificentiſſima ; nempe, quod ipſe Deus ſit ſors eorum ; quod eos velit diſſeminare in populo ſuo, ut hac occaſione, ex vocatione ſua, paſſim Dei timorem ſpargerent & foverent & purum Dei cultum docerent. Sic remiſſa ignominiæ nota eos amandat in diverſas partes, honorifica legationis titulo ; lucem ex tenebris hoc modo producens. Nec certe tribus Simeon à*

ſimili bono fuit immunis. Quamvis enim non fuerit pari eum tribu Levi privilegio donatæ honorificum tamen ei fuit parem cum Iuda habere habitationem communibus armis paratam. Item, quod Deus ſuo tempore eam uſque adeò auxit, ut novas ſedes ſibi quæſierit & eas paraverit illuſtri victoria contra gentes infideles; quod ſine Divino favore fieri non potuit. Sed diligenter diſtinguendum eſt, inter id quod peccato debitum fuerat; & eventum aut finem, qui ex ſumma Dei miſericordia & ſapientia eluxit, alius ſane, quam exſpectari potuiſſet, poſtquam utriuſque poſteros Deus expurgaſſet, ut qui pii & timentes Dei in tribubus illis erant, pœnam illam ſtuderent vita puritate & ſanctimonia, ac ſancto ergà Dei gloriam zelo, penſare. Hæc Riveti diſſertatio bona eſt, ſed non ſatisfacit difficultatibus, quæ hic moveri poſſunt. 1. An Deus Jacobi maledictum abolevit, ut eventu alio, imò contrario, mendax redditum fuerit? Ita falſa fuiſſet vaticinatus imprecans malum, quod non evenit. R. Id quod Jacob minatur pleniſſimè factum eſt. Diſperſus enim uterque eſt per Iſraël. 2. Atqui diſperſio illa pœnalis non erat ſed honorifica? R. Deus contemptiſſimam tribum elegit in ſacerdotium. Voluit enim ſolidum honorem exaltationis gratuitæ habere & ſibi vindicare. 3. Jacob benedictionis omni parte excluſit utramque tribum, quomodo igitur ipſi honor datur ſacerdotii, quod inter tres prærogativas τῶν πρωτοτόκων excelluit? R. Jacob ſiluit de collatione ſacerdotii, nec etiam è benedictionis aut hæreditatis paternæ venit origine. Nam primogenituræ maternæ jus dedit Deus Levitis, abrogato jure primogenituræ paternæ in ſacerdotium poſt Exodum. Proinde non debet dici, quod ulla tribus Leviticæ merita maledictionem Jacobi expunxerint. Stetit enim illa in vigore ſuo, ſed qui in maledictionum cœno hærebant demerſi alio & novo genere gratuitæ benedictionis ſunt exaltati. Argumentum in eo eſt & confirmatio depreſſionis Jacobeæ. Non fuit Simeon illius exaltationis conſors, quia Deus exaltat, quos vult, alios pro libitu ſuo relinquens in cœno ſuæ miſeriæ. Cum Jacob primogenituram ſuam potuerit dare cui vellet, duplicem portionem dedit Joſepho, dominium Judæ, de ſacerdotio, quia adimendum erat ſucceſſioni hæreditariæ, nihil dixit.

Juda.

v. 8. *Iuda te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filii patris tui.*

9. *Catulus Leonis Iuda: ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti ut Leo, & quaſi leæna: quis ſuſcitabit eum?*

10. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore ejus, donec veniat Silo, & ipſe erit exſpectatio gentium.*

11. *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem filium aſinæ ſuæ. Lavabit in vino ſtolam ſuam & in ſanguine uvæ pallium ſuum.*

12. *Pulchriores ſunt oculi ejus vino & dentes ejus lacte candidiores.*

Raſi: Juda tu, tè laudabunt fratres tui. *Quia redarguerat priores in reprehenſione* (בקנטורים) *incipit Iudam apprehendere poſt eos & appellat eum Iacob verbis acceptis: Non es tu ſicut illi.* Manus tua in cervice hoſtium tuorum *In diebus David, ſecundum quod habetur* (2. Sam. 22. 41.) Dabas mihi cervicem hoſtium meorum. Filii patris tui *Propterea quod eſſent è multis uxoribus non dicit, ſicut dixerat Iſaac* (Gen. 27. 29. filii matris tuæ) גור אריה *De David prophetat in principio,* גור *(catulus)* (2. Sam. 2. 2.) Cum Saul eſſet rex ſuper nos tu educebas & introducebas Iſraël. *Tandem Leo, cum eum ſuper ſe feciſſent regem.*

Hoc

Hoc eſt, quod reddit Onkelos: Dominator erit in principio &c. מטרף Ex eo quod ſuſpectum habui te de præda (Gen.37.33.) Dilaniatus eſt Joſeph, mala beſtia eum devoravit. *Et iſte eſt Iuda, qui comparatur cum leone.* Fili mi aſcendiſti *Te ipſum amoviſti & dixiſti* (Gen. 37. 26.) Quod lucrum &c. *Et ſic ab occiſione Thamar, quoniam confeſſus erat* (Gen. 38. 26.) Juſtior eſt me. *Ideò procubuit, cubuit* &c. *Temporibus Salomonis quiſque ſub vite ſua* &c. (1. Reg. 4. 25.) Non recedet ſceptrum à Juda *A David & deinceps: hi æchmalotarcha in Babel, qui dominabantur populo ſceptro, præficiebantur autem mandato regio.* Et מחקק è medio pedum ejus *Sapientes* (תלמידים) *Hi principes terræ Iſrael.* Donec veniat Silo *Rex Meſſias, cui eſt regnum. Sic tranſtulit Onkelos: at medras Aggada,* (שי לו) *munus ei. Quia dictum* [Pſ. 76. 12.) Afferte munus terribili. ולו יקהת עמים *Congregatio populorum: quia Iod* radicis eſt in voce abſoluta (ביסור) *ſicut* יפעתך Splendor tuus (Ezech. 28. 7. Aliquando cadit ex ea & multæ miniſteriales literæ in lingua hac: & illæ vocantur radicalis cadens, ſicut Nun in נוגף *percutiens* & נושך *mordens:* Et Alef in (Job. 13. 17.) אחותי indicationem meam in auribus veſtris: & in (Ezech. 21. 15.) אבחת mucrone gladii & in (2. Reg. 4. 2.) Lagena olei. *Etiam hoc* יקהת עמים *ſignificat congregationem populorum*, quia dicitur (Eſai. XI. 10.) Ad ipſum gentes inquirent. *Simile autem ipſi eſt* (Prov. 30. 17.) Oculus ſubſannans patrem & ſpernens congregationem matris. (ליקהת אם) *de collectione rugarum, quæ in facie ejus ob ſenium ejus. Et in Thalmud:* Qui ſedent & congregant congregationes in plateis Nardeæ; *in tractatu* יבמות *(fol. 110. 2.) Et forte dicendum erat* קהית עמים. Ligans ad vineam pullum ſuum *Prophetat de terra Iuda, quod futura eſſet extrahens vinum tanquam è fonte. Vir Iuda ligaturus erat ad vitem pullum unum eumque oneraturus è vite una & è ſurculo uno filium aſinæ unum.* שורקה *ſurculus longus, Corrra vernaculo ſermone.* כבס ביין *Hæc omnia indicant multiplicationem vini.* סותה *Genus veſtis eſt & non habetur alibi in ſcriptura.* אוסרי *Tanquam* אוסר / *ad formam* (Pſ. 113. 7.) מקימי מעפר דל Excitantes è pulvere tenuem: Et (Pſ. 123. 1.) היושבי בשמים Sedentes in cælo: *Et ſic* בני אתונו / *ad modum hunc. Onkelos interpretatur de rege Meſſia.* Vitis *illi ſunt Iſrael*; pullus ſuus, *hæc eſt Ieruſalem*; ſurculus, *Iſraël. Secundum hoc quod habetur* [Jerem. 2. 21.] plantavi te palmitem ſelectum: בני אתונו *Ædificabunt palatia ejus: ſignificationem portæ habet* האיתון *in libro Ezechielis* [Ezech. 40. 15.] *Porro exponunt modis aliis:* Vitis, *hi ſunt juſti:* filii aſinæ, *ſervi legis in doctrina* [באולפן] *qui ideo equitant in aſinis albis* [Judic. 5. 10.] כבס ביין *Erit purpura, cujus color ſimilis vino.* Et צבעונין *colorata ſignificant* סותה [veſtimentum] *quia mulier induit ea & ſeducit illis hominem marem, ut oculos ſuos in eam ponat. Etiam mm.un. exponunt in Thalmud, notione ſeductionis ebrietatis in tractatu Chetubot* [fol. 111. 2.] *Et de vino: Fortaſſe dices non inebriat? Notanter dicitur,* סותה. חכלילי *ſignificatione ruboris, ſecundum Thargum: Et ſic* [Prov. 23. 1. Cui rubedo oculorum: *quod ſic modus bibentium vinum, oculi eorum rubri fiunt.* מחלב *A multitudine lactis, quod erit in terra ejus, bona paſcua gregibus pecudum: Et talis eſt expoſitio Scripturæ: Ruber oculis erit ob multitudinem vini & albus dentibus ob multitudinem lactis. Et ſecundum Thargum, oculi notant montes; quia ex iis longe ſpeculantur. Porro exponunt modis aliis: ſignificatione fontium & fluxus torcularium.* נעוהי *torcularia ejus lingua Syra. In tractatu Aboda Zara,* torcular, fervefaciam illud. *Albuerunt valles ejus in Thargum, ubi* שנים *accepit notione illa qua dicitur, dentes rupium.*

Aben-eſdras: Juda tu] *Secundum nomen tuum: & ſic laudabunt te fratres tui: & quando videbunt, quod manus tua in cervice hoſtium tuorum adorabunt te filii patris tui tanquam regem: Et ſic invenimus.* Catulus leonis. *Aſſimilat eum Catulo*

leonis, parvo, qui eſt in ſpecie & leo, cum crevit. Non eſt hic כ *ſimilitudinis, ſicut* [Job. 11. 12.] & pullus onagri. A præda fili mi, aſcendiſti *Similis es mihi, fili mi, catulo leonis quando aſcendiſti à præda, ſenſus eſt à prædatione. Hic ſimplex literalis ſenſus, ſi exponamus de re Ioſephi, oportebit ut loco* עלית *ſit* העלית / *quia* עלית *eſt intranſitivum & ecce textus vadit poſt eum in teſtem. Nonne vides* [Ezech. 19. 3.] Et educavit unum de pullis ſuis. *Et ſenſus eſt*, Recubuit, cubuit ſicut Leo; *quia conſuetudo leonis eſt, poſtquam prædatus eſt, conſidet in genibus & cubat: Si tranſeat quævis beſtiarum ſpecies non ſurgit propter eas, quando fugit.* Non recedet ſceptrum à Juda *Non recedet ſceptrum majeſtatis à Iuda donec venerit David: qui fuit principium regni Iuda. Et ſic fuit. Nonne vides, quod vexillum Iuda proficiſcebatur primo. Etiam dicebat Deus* [Judic. 10. 19.] Juda aſcendet primo. מחוקק *ſignificat ſcribam, qui exarat in libro.* Et è medio pedum ejus *quod ita ſit modus omnis ſcribæ ut conſideat inter pedes principis.* Silo *Quidam dicunt, juxta paraphraſten Chaldæum, quaſi eſſet* שלו / cujus eſt. *Quidam dicunt, quod ſit è ſignificatu* [Deuteron. 22. 57.] & in ſecundinis ſuis. Eſt *qui deducit è lingua majorum noſtrorum b. m.* שליל embryo. *Nonnemo exponit de urbe Silo. Accipit autem* יבוא *ut* ובא השמש & occidit Sol [Eccleſ. 1. 5.] *Aut donec veniat finis Silo: quia ſic ſcriptum eſt (*Pſ. 7. 8. v. 60.*)* Et deſeruit habitaculum Silo. *Et poſtea* (v. 70.) Et elegit ſervum ſuum David. *Hoc etiam non eſt abſonum. Aut erit Silo ſicut* בנו *& He loco Vau*, ut *(*Gen. 9. 21.*)* In medio tabernaculi ſui: *Significatu (*2. Reg. 4. 28.*)* לא תשלה אותי / *quod ſignificat, Non facias me parere.* Dictio autem יקהת *ut* ליקהת אם (Prov. 30. 17.) *Et Iod miniſtrat futuro. Senſus ejus, quod gentes declinaturæ ſunt ad obſequium ejus, Ita fuerunt populi multi ſub poteſtate Davidis & Salomonis filii ejus. Et ea verba* (עד כי יבוא שילה) *non. notant receſſurum eſſe ſceptrum ab eo in adventu Silo: at ſenſus ejus eſt, ſicut ſi dicas: Non deficiet τῷ δεῖνα panis, donec advenerit tempus quo ipſi erunt agri & vineæ multæ. Cui ſimile eſt (*Gen. 28. 15.*)* Non deſeram te, donec fecero, quæ locutus ſum tibi, *ut cum reſtitueres in terram* אסרי *Iod additivum ut in* (Pſ. 123. 1.) יושבי *& (*Cant. 1. 9.*)* לסוסתי ut [Judic. 10. 4.] ſuper triginta pullis. *Et Iod in* בני אתונו *redundat, aut erit expoſitio ejus, quod* אסרי *miniſtret ſibi & aliud eſt cum eo.* ולשרקה *Duplicatum: quia hoc eſt* ut vitis, *& pullus* ut aſinus. *Ita etiam in ſanguine uvarum veſtimentum ſuum. Quidam dicunt quod hoc* (סותה) *ſit pro* כסותו *deficiente Caf At placet mihi, quod in ſignificatu* מַסְוֶה (velamen) *Senſus autem, multiplicaturus eſt proventum vinearum ſuarums adeo ut liget pullum ſuum ad vitem nec curaturus ſit, an comedat uvas. Et loco aquarum lavabit in vino veſtimentum ſuum. Et ſimilis eſt ſanguini, quia rubet. Et hoc hyperbolicῶς, ut* [Joël. 3. 18.] Et ſtillabunt montes muſto: *adeo ut vocet* rubentem oculis, præ multitudine vini, *quod biberet, quia rubedo appparet in oculo ab inebriatione vini:* & dentes ejus albi, *à multo lacte, quod ederet.* Et albus dentibus *Nomen thoar: vocantur autem dentes* [שנים num. duali] *propter ordines dentium, qui duo ſunt. Dicit Haggaon b. m. Ruber oculis, magis quam vinum & ſic etiam præ lacte: alii dicunt, quod albus dentibus, quia non ederet rem immundam & non inveſtigaret poſt oculos ſuos. Hoc autem eſt per modum Draſ perplexa.*

Ralbag: Laudabunt te fratres tui *Laudabunt & celebrabunt te quia proſperitas veniet tua cauſa: quoniam videbunt quod manus tua ſit in cervice hoſtium tuorum. Vult dicere, quod hoſtes tui fugiant à facie tua & ideo tu eos percutias in cervice eorum.* Adorabunt te filii patris tui *Quoniam tibi erit dominatio.* Catulus leonis Juda *Comparat cum catulo leonis, qui rex eſt beſtiarum ob robur ſuum. Et ecce dicit hoc ut ego opinor, de David, qui fuit* [באופן מהגבורה עד] *tanti roboris*

ut

ut percuſſerit leonem & urſum & eripuerit pecus ex ore eorum. A præda, filimi aſcendiſti *Ecce, quia eum comparaverat catulo leonis comparat occiſionem* [גלירה] *laniationi ſeu prædæ. Senſus in ejus dicto eſt:* Aſcendiſti, *evectus es & aſcendiſti in gradu regni. Et ſenſus eſt in hoc: quod cauſa occiſionis* (גלירה) *elevatus ſit & hoc fuerit inſtrumentum Dei, quo fieret princeps exercitus: quod fuit inſtrumentum ut fieret rex ſuper Iſraël. Et erit Mem* מטרף *ut Mem in* (Lament. 4. 13.) מחטאת à peccatis prophetarum ejus. *Cujus ſenſus eſt quod cauſa fuerit peccatum prophetarum.* Procubuit, cubuit ut Leo *Quod non inveniret, quem terreret & evelleret: Sic evenit in Davide, qui vicit omnes gentes, nec fuit inter eas, à cujus facie fugeret.* שבט *Inſtrumentum eſt, quo pervenit diſciplina à doctore ad recipientem diſciplinam. Et ſenſus in eo, quod non ſit receſſurum à Iuda, ut non ſit ex eo dominans dominatione aliqua.* Et מחוקק è medio pedum ejus *E ſenſu quo* (Eſai. 33. 22.) Dominus eſt legis lator noſter. *Vult dicere quod ipſo fundante nobis ſtatuta & leges, aſſuefaciamus nos in illis. Et quoniam dominator ipſe fundans conſuetudines & ſtatuta vult ut exerceant ſe in illis viri, quibus dominatur, vocat dominatorem legis latorem. Et ſenſus eſt in hoc, quod non ſit receſſurum ut non ſit dominator è ſemine Iuda, dominatione aliqua.* שילה *Filius ejus, quem vocat* שילה*, quia generatio ejus in ſecundinis & inde vocatur: quia vocat à nomine rei, in qua generatus eſt: ſicut dicunt* (Deut. 28. 57.) Ob ſecundas, quæ egreſſæ fuerant è medio pedum ejus. *Ecce hoc dicit de Davide, qui fuit filius Iuda. Significat quod fuerit è ſemine illius.* Et ipſi יקהת populorum *Id eſt, collectio gentium: quia ipſe fuit dominator ſuper populos multos: fuerunt ipſi ſervi afferentes munera. Ecce autem non eſt in eo iſta ſignificatio, quod ſceptrum à Iuda receſſurum ſit, cum veniſſet Silo: tantum innuit quod non ſit receſſura ab eo dominatio aliqua, donec adveniret tempus, quo eventura eſſet ipſi dominatio perfecta, adeo ut eſſet è ſemine illius, qui futurus eſſet dominator ſuper gentes multas. En adduxit Rab, dominus meus, pater meus (requies ejus ſit paradiſus) affine huic: Dicunt,* Non conſiſtet vir coram te donec perdas eos: *quoniam non eſt ſenſus, quod poſteà ſtaturi ſint coram eo: & hoc eſt evidens per ſe.* אסרי לגפן עירה *Id eſt ut* עיר *cum Vau. Senſus autem eſt, quod terra ejus futura eſſet pinguis valde, adeò ut aliquis viti uni eſſet alligaturus pullum ſuum, quia vindemiaturus eſſet ex vite una onus aſini plene* (בשלמות) *Et ſic* לשורקה בני אתנו *Senſus eſt, filius aſinæ ſuæ: Significat, quod filium aſinæ ſuæ eſſet alligaturus* לשורקה*, quæ eſt vitis: quoniam inde vindemiaret onus ſuum plene.* כבס ביין לבושו *Dicit hoc de parte proſperitatis ob multitudinem vini, quam inventurus eſſet.* Et in ſanguine uvarum סותה *Senſus ejus: Et vino rubro inſtar ſanguinis lavabit veſtimentum ſuum.* חכלילי *Iod abundat, ſignificat ruber, quia à multitudine potationis rubent oculi: & ſenſus eſt, in multitudine producit vinum in terra ſua.* Et albus dentibus à lacte *Notat quod dentes ejus erunt albi ob lac multum potum. Id confirmat ex eo, quoniam terra ejus manabit lacte & melle ob bonitatem paſturæ.*

Judam celebrat ob fortitudinem bellicam & victorias. Deinde illi dat dominatum ſeu ſupereminentiam in tribus fratrum. Porrò ſceptrum in illa tribu, id eſt, majeſtatem manſuram, donec Meſſias adveniret. Hoc primum membrum benedictionis, alterum illi addicit terræ fertilitatem & proventum vini ac lactis. Ita diſtinguenda ſunt membra benedictionis. Ideò malè de Chriſto accipiuntur verba verſus undecimi. Quod non eſt majoris momenti, quam aſinam & pullum de Judæis ac gentibus interpretari. Silo de Meſſia acceperunt veteres Judæi in tribus Chaldaicis paraphraſibus & in Breſith Rabba. Hos ſequitur R. Salomo. Secunda opinio inter Judæos Silo interpretatur de Davide: Tertia de urbe Silo, ubi בא pro occidere & interire capiunt.

Hæ celebratiſſimæ ſunt ſententiæ, at Judæi hodie malunt primam relinquere, ne cedere cogantur veritati; quamvis majores ſuos illam amplexos eſſe fateantur. De hac re fuſe diſſeruit clariſſimus vir Jacobus Alting, peculiari tractatu de Silo. Eum vide & Antibarbarum ac Cenſuram præceptoris olim noſtri Sixtini Amama.

Hactenus ſecutus eſt ordinem naturæ in quatuor illis prioribus filiis benedicendis, ſed nunc Zabulonem minorem natu præponit Iſachari. Aben-eſdras: *Memòravit principio patriarchas* (חשבטים) *quemadmodum nati ſunt at Zabulonem anteponit Iſachari, quia illius hæreditas inter Zabulonem & Dan interjecta fuit.* Situs terræ Zabulon ad mare. Habitabit ad littus ſeu tractum marium, לחוף ימים. Aben-eſdras notat patere è verbis illis (Habitabit ad littus marium) quod per modum prophetiæ locutus ſit Jacob. Addit: Expoſitio חוף eſt מחוז portus. *Eſt in ratione ejus quod dicitur* (Deut. 33. 12.) protegit eum toto die: *quia naves non conſiſtunt in loco, qui vento patet.* Notat Raſi quod Zabulon negotiationem exercuerit & commeatum apportaverit tribui Iſacbar, quæ in lege occupabatur: quod inde probat, quia Deut 33. 18. Moſes Zabuloni dat egreſſum, Iſachari autem tabernacula. Zabulonis ſortem Sidoniis conterminam fore vaticinatur Jacob. Situm, quem ſors dedit poſt annos 247. præcinit.

Poſt Zabulonem loquitur de Iſachar: voluit filios Leæ ponere ante filios Zelphæ, ſed & Zabulonem præpoſuit Iſachari adverſus naturæ ordinem, quia (ſi Aben-eſdræ credimus) Iſachar inter eum & Dan collocandus erat. Situm igitur terræ ſecutus eſt. Iſachari tribuit ingenium ſervile, quod terræ fertilis & ejus proventuum amore laboribus & tributis ſubjecerit ſe. Comparatur aſino robuſto, qui portandis oneribus adhibetur & jugiter ſudans ſub onere noctu etiam inter clitellas cubat. Aben-eſdras ſenſum hunc, qui literalis eſt ſequitur, interpretans de ignavia, quia Iſacharitæ dediti otio & terræ colendæ, tributo redemerunt quietem à regibus Iſrael & hoſtibus. Dediſſe tributa ſuis regibus, ne exire tenerentur in bellum, hoſtibus, ut pacem redimerent. Ignavi fuere inſtar aſinorum, non bellicoſi & fortes ut equi. Medras eſt, quod amplectitur Aben-eſdras de jugo legis, quod obedienter tulerint. ויהי למס עובד explicat, *ut ſuppeditet* (fratribus) doctrinas [הוראות] *legis & intercalationum ordines.* Id probat è I. Chron. 12. 32. Ubi ex Iſacharitis dicuntur conveniſſe ad Davidem, יודעי בינה לעתים לדעת מה יעשה ישראל *ſcientes notitiam temporum, ad ſciendum, quid oporteret facere Iſraelem.* In otio vigent literæ: dediti otio, mathematicis diſciplinis & legis ſcrutandæ ſtudio incubuerunt Jſacharitæ. Sed hoc de ſcientia literarum non exprimit Jacob.

Dan.

v. 16. *Dan judicabit* (ידין) *populum ſuum, ut una tribuum Iſrael.*

17. *Erit Dan ſerpens juxta viam,* (שפיפון) *vipera juxta ſemitam, quæ mordet calcaneos equi, ut ejus ſeſſor retrorſum decidat.*

18. *Salutem tuam ſperavi Domine.*

Raſi: דן ידין עמו *ulciſcetur ultionem populi ſui à Palæſtinis,* ut (Deut. 32. 36.) quia judicabit Deus populum ſuum. Ut una tribus vel tribuum Iſrael. *Totus Iſrael erit ut unus populi ejus & omnes judicabit. Vaticinatur autem de Samſone hoc vaticinium. Porrò licet interpretari, Sicut unus tribuum Iſrael, ut ſingularis, qui in tribubus. Hic autem eſt David, qui prodiit è Iuda.* שפיפון *Serpens eſt: dico autem ego, ita dictum eſſe, quod ſufflet* [ſibilet, נושף) Jerem. 15. & tu conteres

ei

el Calcaneum *(ſc. ſufflando)* Qui mordet calcaneos equi *Hic mos eſt ſerpentis: aſſimilat eum ſerpenti mordenti calcaneos equi.* Ut cadat ſeſſor ejus retro *Quamvis plaga non ſit in eo. Ejus indicium in Samſone invenimus* [Jud. 16. 29.] Et apprehendit duas columnas, quæ in medio &c. *quia ſub tecto mortui ſunt. Onkelos reddidit ſicut ſerpens* חרמן. *Nomen ſpeciei ſerpentis, cujus morſui non eſt ſanatio. Hic eſt* עפעור *& vocatur Hurman, quia omnia facit Herem* [excidium] וכפיתנא *id eſt tanquam* פתן *&* יכמן *id eſt* יארב. Ad ſalutem tuam ſperavi Domine *Vaticinatur, quod Palæſtini oculos ejus effoſſuri eſſent & finis ejus, dicendo:* [Jud. 16. 28.] Recordare mei & corrobora me ſaltem hac vice &c. Abenesdras: Dan judicabit populum *Innuit, quod futurus eſſet dominus vexilli ſicut unus heroum: & ecce fuit tanquam dux ſuper omnes filios ancillarum. Ob fortitudinem comparat eum cum ſerpente. Quadrat etiam ut expoſitio* שפיפן *ſit è ſignificatu* [Gen. 3. 16.] Ipſe conteret tibi caput. *Et eſt geminatio.* Et ſenſus [ſalutem tuam exſpectavi Domine] *propterea quod mordeat Calcaneos equi, vectus equo metuit, ne conterat caput ejus, propterea dicit propheta* ſalutem tuam exſpectavi Domine. *Caf* [in affixo] *notat Dan* (לנכח דן) *hoc ſenſu: Exſpectavi Deum, ut ſit ſalus tua. Aut venit hic pro verbo, & ſignificat ut ſerves. Et ſic* [Cantemus in ſalute tua] *ſi Caf notet Davidem aut Meſſiam filium ejus. Dixit princeps, quod deficiat vox* ויאמר: *quomodo convenit ut ſit: Exſpectavi ſalutare tuum, Domine. R Iſaac dicit, Cum videret propheta filium ſuum Dan in ſimilitudine ſerpentis per modum prophetiæ, mox metuit Iacob & dixit:* Salva me Deus:

Ralbag etiam interpretatur de Samſone, cujus calamitoſum exitum prævidens prædixerit quod Samſon exſpectaverit ſalutare Domini. Deinde addit: *Et ecce ob hanc cauſam puto, feciſſe Deum excelſum ut Samſon eſſet Nazir Dei, quoniam miſerat per miniſterium prophetæ ſui Manoë & uxori ejus, ut ne traheretur in deſiderium concubitus, quæ fuerat cauſa ut in hoc malum incideret. Quia elongari à potu vini & ſicera ad hanc rem valde confert ſecundum dictum illorum b. m.* Omnis, qui videt meretricem in accommodatione ſua, ſeparabit ſe à vino. *Præterea cum omni hoc non fuit perfecta liberatio in iſto Samſoni.*

Ingenium potius & naturam univerſæ tribus depingit Jacob quam ut reſpiciat ſolum Samſonem: veteres quidam ad Antichriſtum referunt, quem è Dan oriturum eſſe putant. Hoc etiam argumento moti aut confirmati, quod tribus Dan in Apocalypſeos capite ſeptimo, ubi ſalvandorum numerus ex omnibus tribubus proponitur, altum ſilentium ſit. Mercerus: *Dan ſane in Apocalypſi omittitur, quæ de cauſa ignoratur, niſi forte pro* Manaſſe Dan *legendum: quia jam tribus Ioſeph meminerat: qua ubi nominatur, nihil eſt neceſſe ſpecialiter Ephraim aut Manaſſem commemorare: niſi, ut aliquando invenies, generi ſeu toti partes ſubjungantur, ut initio Pſalmi 60.*

Verba illa Jacobi *Salutem tuam exſpectavi Domine*, vel ad Jacobum ipſum pertinent vel Danitarum tribum. Nam in ipſis illis anguſtiis, quas hoſtes fecêre, cum aperta vi nihil poſſent, ad inſidias verſi Danitæ, Deum invocarunt ut ſuis dolis in hoſtem adeſſet, & felicem largiretur exitum. Aſtutia enim in bello non datur vitio, quum & Deus ipſe ſuggeſſerit Joſue 7. Si ad Jacobum ſpectent ipſum, in contemplatione miſeriarum, quæ iſti tribui eventuræ erant, per intervallum, ad Deum ſuſpiravit. Quidni enim in ipſo vaticinio, correptus à numine, potuit ſuas cogitationes interponere. Non enim prophetia fuit alienatorum & ita furentium ut plane fuerint externata mente. Non opus eſt tamen, ut Antichriſti è Dan orituri horrore eruperit in iſtam exclamationem. Per ſalutem, quam ſe exſpectare à Domino teſtatur, quidam Meſſiam intelligunt. Rivetus: *Qui præcedentia ad Samſonis munus judiciale*

diciale ejuſque expeditiones referunt, poſtquam prædixiſſet fore, ut ex tribu Dan prodiret, qui populum à tyrannide hoſtium liberaturus eſſet, quod in Samſone completum putant, vertere vaticinium ad Chriſtum, cujus ille typus quodammodo fuit. Hujus ſalutem ac redemptionem mundo per illum advehendam, non ſine magna animi conſolatione in ſpiritu prævidere atque prædicere. Favet paraphraſtes Chaldæus Hieroſolymitanus: Salutare tuum exſpecto Domine, dicit pater noſter Jacob. Non exſpecto ſalutare Gedeon filii Joas, quæ eſt ſalus temporalis: neque ſalutare Samſon filii Manue, quæ eſt ſalus tranſitoria, ſed exſpecto redemptionem Chriſti filii David, qui venturus eſt ad accerſendum ſibi filios Iſraël, cujus redemptionem deſiderat anima mea. *Eadem habentur in paraphraſi Chaldaica editionis Complutenſis & Bibliorum regiorum. Quæ ſaltem adverſus pertinaciam Iudæorum valere poſſunt & ſatis probabile eſt ſanctum virum ſpiritu Dei plenum, uſque ad ſalutis autorem de quo anteà egerat, conſcendiſſe.* Hactenus Rivetus. Lyranus: Salutare tuum exſpectabo Domine *Ac ſi dicat, quamvis futurus ſit talis* [Samſon] *ac tantus, non tamen erit Meſſias, ſed erit adhuc exſpectandus.* Hieronimus in qu. in Geneſin: *Samſon judex Iſrael, de tribu Dan fuit. Hoc ergò dicit: Nunc videns in Spiritu comam nutrire Samſonem Naziræum tuum, cæſis hoſtibus triumphare: quod in ſimilitudinem colubri regulique obſidentis vias, nullum per terram Iſrael tranſire permittat: ſed etiam ſi quis temerarius virtute ſua, quaſi equi velocitate confiſus, eam voluerit prædonis more populari effugere non valebit. Totum autem per Metaphoram ſerpentis & equitis loquitur. Videns ergo tam fortem Naziræum tuum, quod & ipſe propter meretricem mortuus eſt: & moriens noſtros occidit inimicos; putavi ô Deus, ipſum eſſe Chriſtum filium tuum. Verum quia mortuus eſt & non reſurrexit & rurſum captivus ductus eſt Iſraël, alius mihi ſalvator mundi & mei generis præſtolandus eſt: ut veniat cui repoſitum eſt & ipſe erit expectatio gentium.* Sequitur Gad. גד גדוד יגודנו והוא יגוד עקב

Raſi יגודנו exponit יגוד הימנו / id eſt turmatim egredietur ex eo. *Quia tranſiit Iordanem cum fratribus ſuis in bellum* totus expeditus, donec terra eſſet ſubjugata. De altero hemiſtichio: *Omnes turmæ ejus revertentur ad extremitatem ſuam, in hæreditatem ſuam, quam acceperant trans Iordanem nec deſideratus eſt ex illis vir unus.* Aliter accepit Aben-eſdras: *Prophetat, quod ingredietur adverſus eam turma & ipſe tandem vincet eam.* Addit ſapiens monitum ואנחנו לא נדע היום כל תתלאות העוברות על אבותנו: *Nos hodie non novimus omnes caſus, qui patribus noſtris evenerunt.* Judæi ſuperba natio, quæ ſapientiam apud ſe fixiſſe manſionem exiſtimat, haud ſane libenter ignorantiam fatentur. Ralbag hic etiam, ut paſſim Aben-eſdram ſequitur. Exiſtimat autem incurſationem turmarum hoſtilium in terram Gad, primo hemiſtichio eam intelligi, quâ ab Aſſyriis in captivitatem ductus eſt. Ex ea igitur deportatione liberationem ſignificari altero hemiſtichio. Quam tamen mentem Aben-eſdræ non puto fuiſſe. Potius enim eſt ut accipiamus de preſſura priorum temporum, è qua eluctatus eſt Gad & hoſtibus repoſuit cladem ac populationem. Cum enim ea tribus in regione Transjordanenſi ſedem haberet ab Arabiæ populis frequentes populationes paſſa, emerſit & ſuperior facta eſt tempore Davidis etiam regum quorundam Iſraël. Ralbag de illa abductione ejuſque ſuperatione interpretatus, ſubjicit? *Et fortaſſis hæc res* [זה ענין] *contigit aut continget. Nam nos non novimus, quicquid patribus noſtris evenit ut ſcriptum eſt in expoſitione ſapientis Aben-eſdra.* התלאות Aben-eſdræ exprimit per מה שקרה:. Hieronymus in qu. in Geneſin: Gad, *Latrunculus latrocinabitur eum & ipſe latrocinabitur plantam. Iuxta Hebræum interpretati ſumus. Sed ubi nos latrunculum poſuimus, ibi ſcriptum eſt* גדוד *ut ad Gad nomen alluderet: qui ſignificantius* λῃστὴς, *id eſt,*

id eſt, accinctus ſive expeditus exprimi poteſt. Totum autem illud eſt, quod ante Ruben & dimidiam tribum Manaſſe, ad filios, quos trans Iordanem in poſſeſſione dimiſerat, poſt quatuordecim annos revertens, prælium adverſus eos gentium vicinarum grande repererit: & victus hoſtibus fortiter dimicarit. Lege librum Ieſu Nave & Paralipomenon. LXX. habent: *Γὰδ, πειρατήριον πειρατεύσει αὐτὸν αὐτὸς δὲ πειρατεύσει αὐτῶν κατὰ πόδας.* Quæ verſio id ſonat ferme, quod habet Hieronymus, niſi quod pro *κατὰ πόδας* id eſt *ad veſtigia*, expreſſerit, *plantam. πειρατήριον* ſignificat turmam latrocinantium aut depopulantium. Ideò ridicula eſt verſio vulgata Latina in Pſ. 18. v. 30. è Græco. Nam Græci habent: *ὅτι ἐν σοὶ ῥυσθήσομαι ἀπὸ πειρατηρίου.* Latina reddidit, *Quoniam in te eripiar à tentatione.* At debuit e Græco & Hebræo convenienter, *à turma.* גדוד accinctus, *μονόζωνος* alias redditum eſt. Hieronymus habet *Latrunculus*, quo reddit *τὸν μονόζωνον* ſeptuaginta interpretum. Sic igitur conſiſtit, quod habet Latina editio: *Accinctus præliabitur contra eum: & ipſe accingetur retrorſum.* Balteo militari, peculiari modo accincti erant, qui ibant latrocinatum.

Aſer proventu olei & deliciis terræ (quæ etiam regibus eſſent apponendæ) beatus fore prædicatur. Raſi: *Cibus* [מאכל annona] *qui venit è parte Aſer erit pinguis: quoniam erunt in illius parte multæ oleæ, haurietque tanquam, fonte. Ita è etiam benedicit illi Moſes* [Deut. 33. 24.] Tinget oleo pedem ſuum, quemadmodum diſcimus in codice Menachoth: *Aliquando opus habebant viri Ludiciæ oleo &c.* Naphthali vocatur cerva emiſſa, aut cum ea comparatur: dicitur dare אִמְרֵי שָׁפֶר *eloquia pulchritudinis.* Raſi Cerva emiſſa *Et campus Genuſar, qui fructus citò maturat ut Cerva eſt, quæ celeriter currit:* Cerva emiſſa, *dimiſſa ad currendum.* Dans eloquia pulchritudinis *ſecundum Thargum. A. S. De bello Siſera prophetat* [Jud. IV. 6.] Tolleſque tecum decem millia virorum de filiis Naphthali &c. *Iverunt feſtinanter, Et ſic habetur illic vocabulum miſſionis* [Judic. v. 15.] In valle miſſus eſt in pedibus ſuis. Dans eloquia pulchritudinis *Per manus eorum cecinerunt Debora & Barac canticum. Magiſtri noſtri ſubtiliter* (homiliaſticè) *interpretantur de die ſepulturæ Iacob, quando litigabat Eſau de ſpelunca: in tractatu Suta.* Chaldæus habet: *In terra bona cadet ſors ejus: & poſſeſſio erit faciens fructus: erunt celebrantes & benedicentes ſuper ipſis.* Aben-eſdras: Erit cerva miſſa *per modum doni: qui accipit, dabit verba pulchritudinis. Quidam dicunt, quod per cervam ſignificetur Debora:* per (Dans verba pulchritudinis) *canticum Barac cum ea & poſt Naphthali ob hæreditatem ejus.* Convenientius eſt de tribus totius terra & natura interpretari, quam de perſonis ſingularibus, quæ ex ea ortæ ſunt. Sequitur de filiis Rachel, ubi de Joſeph prolixius loquitur, quod eum impenſius diligeret.

22. *Ioſeph eſt filius accreſcens* [פורת] *filius accreſcens ſuper fontem: filiarum unaquaque diſcurrit ſuper murum.*

23. *Exaſperaverunt eum & jurgati ſunt inviderùntque illi habentes jacula.*

24. *At arcus ejus in firmitudine manſit, & roborata ſunt brachia manuum ejus, à manibus fortis Iſrael: inde paſtor, lapis Iſrael.*

25. *A Deo patris tui, qui tibi opem feret: & ab omnipotente, qui tibi benedicet benedictione cæli deſuper; benedictionibus abyſſi, jacentis deorſum; benedictionibus uberum & vulvæ.*

26. *Benedictiones patris tui ſuperant benedictiones genitorum meorum, uſque ad deſiderium collium ſeculi: erunt in capite Ioſeph & in vertice Nazaræi inter fratres ſuos.*

Benedictio iſta quatuor membra comprehendit: 1. Fecunditatem. 2. difficultates, è quibus eluctatus eſt. 3. Factum eſſe nutritium familiæ Jacobi.

4. Benedictiones cæli, abyſſi, feturæ humanæ, longe nobiliſſimas. Raſi: בן פרת *Filius gratiæ; eſt autem lingua Syra. Iuxta proverbium, quod habetur in fine Baba Meſia:* Gratiam [אפרין] referemus Rabbi Simeoni. [בן פורת עלי עין] *Gratia ejus inclinata in oculum videntem ipſum.* Filiæ diſcurrebant ſuper murum *Filiæ fuerunt diſcurrentes, ut ejus pulchritudinem contemplarentur: Filiæ multæ: diſcurſabat unaquaque in locum, unde poſſet videre.* עלי שור *Propter ejus contemplationem, ut* [Numer. 24. 17.] contemplabor eum ſed non prope. *Midraſin Aggada multa ſunt, at hoc inclinat ad ſoliditatem* (יישוב) *Scripturæ.* פרת *Thau, quod in eo eſt, figura ſermonis eſt* (תקון הלשון) *ut in illo* (Eccleſ. 2. 18.) על דברת *filiorum hominis.* שור *ut* לשור *ad canendum* (vel *contemplandum*) עלי שור *cauſa canendi* vel *contemplandi. Targum Onkelos* (filiæ diſcurrunt ſuper murum) *duæ tribus* &c. *Scriptum eſt filia propter filias Manaſſe, filias Salophad, quæ portionem acceperunt in utraque regione cis & ultra Iordanem* בשני עברי הירדן. Sequitur in Thargum: ברי דיסני יוסף Hoc ſic interpretatur Raſi: *Accepit* פרת *ſignificatione fœtificationis. Et ſunt Medraſim Aggada, quæ ſe fundant ſuper lingua. Tempore, quo veniebat Eſau in occurſum Iacob: In omnibus illis præoccupabant matres, ut irent ante filios ſuos ad venerandum: At de Rachel ſcriptum eſt,* Acceſſit Joſeph & & Rachel & adoraverunt. *Cogitabat Ioſeph, Impius ille eſt, oculus ejus ſuperbus, fortaſſis conjiciet oculos ſuos in matrem meam: Egreſſus eſt ante eam, & crevit* (ושרבב) *ſtatura ejus ad obtegendum eam: Hoc eſt quod ipſi benedixit pater ejus* (בן פרת) *Grandiviſti te ipſum Ioſeph ob oculum Eſau, ideo meritus es eminentiam.* Filiæ diſcurrunt ſuper murum *ut te contemplarentur, in egreſſu tuo per Ægyptum. Amplius homilsaſticè exponunt, in ſenſum, quod non ſit dominaturus in ſemine ejus oculus malus. Etiam, quando benedixit Manaſſi & Efraim, benedixit eis, ut tanquam piſces multiplicarentur* [Gen. 48. 16.] *quia in illos non dominatur oculus malus.* Et exacerbaverunt eum & contenderunt. *Exacerbaverunt* (וימררו) *eum fratres ſui & exacerbaverunt eum Potifar & uxor ipſius, vinciendo ipſum, quo ſenſu* (Exod. 1. 14.) Vitam eorum acerbam reddebant. ורבו *facti ſunt ei fratres ſui viri litis. at ſenſus iſte non eſt ſenſus* [פועלו] *alioquin enim, punctandum eſſet* רָבּוּ, *ut* (Num. 20. 13.) *Hæ ſunt aquæ contentionis, ob quas contenderunt* (רָבוּ) &c. Si etiam eſſet *ſenſus jaculationis eſſet punctandum ſic: Non eſt niſi ſenſus* פועלו, *ut* (Jerem. 2. 12.) שמו שמים, *quod eſt* הושמו: *Et ſic* (Job. 24. 24.) רמו מעט, *quod eſt ſenſu* הורמו: *niſi quod ſenſus* הורמו & הושמו *per aliorum miniſterium, at ſenſus.* שמו רמו רבו, *ab illis. Nempe deſolantes ſe ipſos: exaltantur à ſe ipſis: facti viri cauſa ſua. Et ſic,* Silete (דמו) habitatores inſulæ, *tanquam* נדמו. *Quomodo reddidit Onkelos* תקמוהי. In hac diſſertatione Raſi conatur docere, quod יָרֹבּוּ ideo per Holem ſcribatur, ut ſignificatio ſit ultionis propriæ. Nam reciprocationem illam ita exprimi. Pergit: בעלי חצים *quod lingua eorum inſtar ſagittæ haberet: at Thargum* (נבלי פלגותיה) *ſenſu* (Num. 31. 36.) Et fuit dimidia (המחצה) *illi qui debebant cum eo dividere hæreditatem.* ותשב באיתן קשתו *Compoſita fuit in fortitudine.* קשתו *fortitudo ejus.* ויפזו זרעי ידיו *Hæc eſt poſitio annuli in manu ejus, ſenſu, auri* מופז (1. Reg. 10. 18.) Hoc factum eſt ipſi à manibus Dei benedicti, qui eſt אביר יעקב potens Jacob: & inde aſcendit ut eſſet paſtor lapis Iſrael: fundamentum Iſraëlis, ſenſu, (Zachar. 4. 7.) Lapis capitis) ſenſu regni: Onkelos etiam ita reddidit. ותשב [ויתבת בהון נבואתיה] Et ſedebit in illis prophetia ejus *ſomnia quæ illis ſomniavit*: על דקים אורייתא, בסתרא propterea quod ſtatuerit legem in occulto. *Additio eſt nec à ſenſu Hebræo, qui eſt in textu* ושוי תוקפא רוחצניה Et poſuit robur illud fiduciam ſuam *eſt, verſio Hebræi* באיתן קשתו. *Unde ſenſus Chaldaicæ interpretationis in Hebræo ita erit:* Et conſedit prophetia ejus, propterea quod robur Dei benedicti fuerit ipſi in arcum & fiduciam: בכן יתרמא דהב, ideo projicietur aurum, *quod*

in

in texta, ויפזו זרעי ידיו. Lapis Iſraël *Senſus Notaricon*, אב & בן. *In Thargum* אבהן ובנין id eſt, *Iacob & filios ejus cibavit.* A Deo patris tui *Fuit tibi hoc qui tibi opem feret.* ואת שדי *Et cum Deo benedicto erat cortuum ut non audieris verba domina tua, ipſe tibi benedicet.* ברכות שדים ורחם *Benedictio patris & matris, quaſi dicat: Benedicentur genitores & parientes, quia erunt ſeminantes ſeminificantes guttam convenientem conceptui & femina non facient abortire uterum ſuum, ut projiciant conceptum.* שדים Exodi 19. 13. *habetur* ירה יירה *quod Chaldaus reddidit* אשתדאה יישתדי / projiciendo projicietur, *etiam* שדים *hic, proptereà quod ſemen projiciatur tanquam ſagitta.* Benedictiones patris tui prævaluerunt &c. *Benedictiones, quibus benedixit mihi Deus benedictus; prævaluerunt ſuprà benedictiones, quibus benedixit genitoribus meis.* עד תאות collium ſeculi quia *benedictiones mea prævaluerunt uſque ad finem terminorum collium ſeculi, quia dedit mihi benedictionem publicatam abſque Ægypto pertingentem ad quatuor cardines mundi,* Q. D, [Gen. 28. 14.] Et erumpes verſus occaſum & ortum &c. *quod non dixerat Abrahamo patri noſtro nec Iſaaco. Abrahamo dixerat* (Gen. 13. 14.) Attolle oculos tuos & vide verſus aquilonem &c. Nam omnem terram, quam vides, tibi dabo. *At non oſtendebat ipſi, niſi terram Iſrael tantum. Iſaaco dixerat* (Gen. 26. 3.) Nam tibi & ſemini tuo dabo omnes has terras & ſtabiliam juramentum &c. *Hoc eſt, quod dixit Eſaias* [cap. 58. 14.] Et faciam vos edere hæreditatem patris tui Jacob, *non dicit hæreditatem Abraham.* תאות Aſmoles, ita Manahem filius Saroc. הורי *Senſu conceptionis: qui me fecerunt, concipi in viſceribus matris mea, ſicut* (Job. 3. 2.) *conceptus eſt vir.* עד תאות uſque fines, ſicut (Num. 34. 10.) Definietis vobis in terminum ad orientem (v. 9.) Definietis qua venitur Hamath. Erunt *Omnia iſta in capite Ioſeph.* Nazaræi fratrum ſuorum Chald. פרישא דאחוהי / qui diviſus eſt à fratribus ſuis, ut [Levitic. 22. 2.] ſeparent ſe à ſanctitatibus filii Iſraël. [Eſai. 1. 4.] receſſerunt retrò. *Magiſtri etiam noſtri* (דרשו) ὁμιλιάζουσι (Et ſedit in fortitudine ſua arcus ejus) *de ſubjugatione* (יצרו) *concupiſcentia in uxore heri ſui: Et vocant eam* [arcum] *quia ſemen jaculatur ut ſagittam.* Et יפזו brachia manuum ejus ut ויפוצו *quia exit ſemen inter digitos manuum ejus.* מידי אביר יעקב *Quia apparuit ei ſimilitudo imaginis patris ſui &c. ut eſt in Suta. Onkelos autem* תאות עלם *interpretatus eſt ſenſu* deſiderii: & colles *ſenſu* מצוקי ארץ / 1. Sam. 2. 8. principes mundi, *quia deſiderium matris & neceſſitas eſt eos ſuſcipere.*

Aben-eſdras: בן פורת Joſeph בן *quemadmodum ramus, eſt in genere fæmineo, ut* [Pſ. 80. 18.] Et ſuper filium אמצת tibi. *Analogia Grammatica habetur* פורת *ut* פועלת. *Quia duobus modis inventur Poël, ut* אויבה & אויבת / *ita* פורה & פורת *ſenſu fructificationis: Quidam exponit hoc ſenſu* (Ezech. 17. 6.) Et emiſit ramos (ותשלח פארות) *Et repetit* בן פורת *bis, juxta morem virorum lingua ſancta, ut* (Pſ. 92. 10.) Nam ecce inimici tui, Domine, Nam ecce inimici tui. *Senſus eſt: vice poſt vicem, jugiter. Et ſecundum expoſitionem ſecundam erit Thau loco He, ut Thau* (Ezech. 46. 17.) ושבת לנשיא. *Et ſenſus verborum:* Filiæ diſcurrunt ſuper murum, quod Joſeph fuerit tanquam filius fecundus, & produxerit filias, quarum quælibet diſcurrebat ſuper murum. *Senſus eſt, quod elata fuerint valde ſuper muros munitos.* בנות צעדה *ad modum,* [Eccl. 10. 1.] muſcæ mortuæ facit ſœtere. Exacerbaverunt.] *Dicit Nagid, quod expoſitio ejus ſit poſuerunt fel tanquam pluviam & poſteà projecerunt jaculatores.* Hæc de fratribus dici. משם pro מאז juxta quoſdam, id autem non inveniri prætereà in ſcriptura. אבן appellari tanquam עצם הדבר *robur rei.* Etiam Lapidem Iſraëlis vocari, quod ejus cor inſtar lapidis mortuum fuerit & redierit ad paſcendum id eſt cibo recreandum. At hunc modum interpretatio-

nis longè petitum eſſe. In cæteris non eſt opus immorari. Michlol Jophi notat etiam תאות ſignificare terminum, nempe non loci ſed temporis notatione: donec colles ſtabunt, quia longa duratio montium & collium comparatione deſcribi ſolet. כי הגבעות וההרים הם הדבר הקיים יותר בעולם השפל

Quia colles & montes ſunt res maxime ſtabilis in mundo inferiori. Vulgatus interpres Hebræum תאות expoſuit *per deſiderium*, ideò Lyranus, poſtquam notavit Rabbi Salomonem & alios Hebræos ſaltem modernos de termino loci & duratione accipere, probat verſionem Latinam: *Aliter*, inquit, *exponi poteſt & melius, ut videtur, ſequendo tranſlatioeem noſtram. Ad cujus intellectum conſiderandum, quod ſicut natura procedit de minus perfecto ad magis perfectum, ita revelationes factæ patribus veteris teſtamenti de myſterio Chriſti & futura beatitudine clariores factæ ſunt poſterioribus quam primis. Unde dicit propheta David:* Super ſenes intellexi. *Et ideò Iacob, qui fuit poſterior Abraam & Iſaac clariorem notitiam habuit de prædictis quam ipſi. Quia ſibi revelatum eſt myſterium Chriſti futurum quantum ad ejus generationem & paſſionem, per quam aperta eſt janua cæleſtis, ut plenius ſupra dictum eſt cap. 28. Et ſecundum hoc exponitur litera, Benedictiones patris tui id eſt Iacob, confortatæ ſunt præ benedictionibus patrum ſuorum: quoniam fortiores & clariores de myſterio Chriſti & futura beatitudine ei factæ ſunt. Ideo ſubditur: Donec veniret deſiderium collium æternorum, q.d. Ad hoc evenit revelatio ſibi facta, quod declaravit ei apertionem januæ cæleſtis fiendam per Chriſtum: ad quod deberet tendere omne deſiderium noſtrum.* Paulus Burgenſis Paſtorem & lapidem Iſrael de Chriſto interpretatur. Cum enim videret in ſpiritu defectionem decem tribuum & filiorum Joſeph, qui à Jaroboamo ad idololatriam abducendi erant, è dolore ſe erexiſſe, quod à Deo exiturus eſſet Paſtor & lapis Iſraël, qui gentiles & Judæos unum faceret atque ita ſuos poſteros ab idololatria avocaturus eſſet.

Idem improbat utramque expoſitionem allatam à R. Salomone de benedictionibus majoribus. Nam quantum ad primam attinet, Non eſſe verum, ut ſupponitur, Jacobo ad Luzam totius mundi imperium promitti. Ad alteram dicit, malè ſupponi Jacobo datam eſſe clariorem & diſtinctiorem notitiam de Chriſto, quam Abrahamo. Ipſe ſic exponit, quod filium ſuum Joſeph amplioribus benedictionibus auxerit, quam ipſe acceperit à ſuis genitoribus. Dare enim ſe ipſi benedictiones temporales tantæ magnitudinis, una cum ſumma benedictione Spirituali, *deſiderata à collibus æternis ſcilicet à ſanctis & juſtis, ut ita omnia fiant in capite Ioſeph.*

Benjamin comparatur cum lupo rapaci & prædatore. Id Hebræi & quidam catholici (teſte Lyrano) exponunt de altari holocauſti, quia templum erat in ſorte Benjamin. In altari enim erat ignis perpetuus, qui lignis quotidie impoſitis alebatur. Hic devorabat hoſtias, quæ imponebantur & incendebantur. Veſpere ſpolia diviſa dici, quia partes hoſtiarum & oblationum remanentes inter ſacerdotes dividebantur. Hanc expoſitionem improbat Lyranus: ideo mavult alia expoſitione interpretari de bellicoſitate & prædandi libidine. Huc pertinere bellum cum undecim tribubus, quas duobus præliis vicêre & ſpoliis exuiiſque ditati ſunt, Judicum 20. Refert etiam Auguſtini expoſitionem de Paulo Apoſtolo, Hunc enim ante converſionem inſtar lupi rapacis Chriſtianos graviter perſecutum eſſe. Veſpere diviſiſſe ſpolia, id eſt, poſt converſionem ſententias legis & prophetarum, quas à Judæis acceperat, cum fidem Chriſti verbo & ſcripto per orbem univerſum publicaret, expoſuiſſe de Chriſto ad inſtructionem fidelium. Hæ allegoriæ caſſa nuce dignæ non ſunt. Generaliter notat tribus iſtius bellicoſum ingenium, ſed

lupino

lupino quam leonino aſſimilius. Lupus crudelitatem & rapacitatem magis exprimit, leo fortitudinem & magnanimitatem. Notant etiam interpretes ſupra lupinam rapacitatem extendi Benjaminæorum prædationes. Nam lupum veſpertino tempore ſolum exire ad rapiendum, Benjaminæos autem mane prædam comedere, veſperi dividere. Onkelos diviſionem ſpoliorum matutinam & veſpertinam accipit de eo quod ſanctuarium in Benjamini parte. De Saul accipiunt alii, qui primus regum fuit & ex hac tribu item de Mordechai & Eſther, qui Hamanis domum rapuerunt. Sed (quod dixi) ad ingenium gentis reſpexit patriarcha non particulares eventus. Hieronymus etiam Judaicam interpretationem de altari & diviſione ſacerdotali ex Hebræo non improbaret niſi in verſione LXX. de Paulo Apoſtolo manifeſtiſſimam eſſe prophetiam putaret.

De Meſſia filio Joſeph.

MAnum de tabula, quod ajunt, tollerem, niſi Ralbag aurem velleret & admoneret de ſuo Meſſia filio Joſephi. Ille enim in verba illa de Joſeph: Ex eo *paſtor*, *lapis Iſraël*, hunc in modum: רמז *Innuit Meſſiam filium Ioſeph, ut quidem ego ſentio:* והרצון בו *Et ſenſus in eo eſt, è Ioſeph egreſſurum eſſe virum, qui ſit futurus* paſtor, lapis Iſrael. *Convenit autem te ſcire, quod Iſraël in vigore captivitatis aſſimilatur lapidi ſecundum proverbium.* לרוב סבלם הפגעים ומעוט התשתם בהם *De hoc teſtatur propheta* (dicens) Amoturus eſt cor lapideum è carne eorum & dabit eis cor carneum. *Ecce dicit in hoc loco, quod è Ioſeph egreſſurus ſit vir, qui ſit futurus paſtor lapis Iſrael: & incipiet ſalus per manum ejus, quia progerminatio ejus erit, quando erit Iſrael in conſummata humilitate, ut habeat modum lapidis. Ob hanc cauſam puto, eſt quod magiſtri b. m. magno conſenſu doceant de Meſſia filio Ioſeph. Et ècce expoſitum eſt, quod Iſraeli in principio liberationis dux eſt qui non erit è domo David:* (תצמח ע׳ גאולה) *Germinabit paulatim redemptio: Ex eo, quia dicit Zacharias de re ſalutis* (Zachar. 12.7.) Dominus tentoria Judæ ſicut in primo ſalvabit, ut ne ſe efferat gloria domus David &c. *Et hoc in ſignum, quod non futura ſit hac ſalus in primo per domum Davidis: Et narrat poſtea, quod erit transfixus iſte ductor, vadens ante faciem ejus. Et dicit de eo, quod ipſe futurus ſit magnus eminentia ſicut David & ſicut domus David: & generaliter ecce dicit de ea domo* [v. 8.] *quod ipſa tanquam Deus & tanquam angelus Dei excelſi ante eum: & ſenſus eſt hic*, ſicut dii, illi ſunt perfecti. vos eſtis &c. in Pſalmo 80. 18. איש ימינך Aben-eſdras exponit de hoc Meſſia: quem vocat filium Efraim. R. Salomo id interpretatur de Eſau. Locum Eſai. 24. 18. *Qui fugiet à voce pavoris, incidet in foveam, qui è fovea aſcenderit laqueo capietur.* Locum illum exponit in hunc modum: *Ereptus gladio Meſſiæ filii Ioſeph, incidet in gladium Meſſiæ filii David, & inde ereptus capietur laqueo belli Gog.* Hunc verò filium Joſeph dicunt transfigendum eſſe, quamvis bellicoſiſſimus ſit futurus, ob peccatum Jaroboami filii Nebat.

Cum patriarcha benedictiones iſtas elocutus eſſet, præcepit omnibus filiis communiter, ut (ſe mortuo) cadaver ſuum in Cananæum delatum inferrent monumento Macpelæ. Aben-eſdras notat hunc ſenſum ineſſe præcepto, ut omnes fratres cum Joſeph ad ſepulturam irent. Joſephum enim oportebat rem adminiſtrare pro poteſtate & imperio. Mortem circumloquitur: *Ego colligor ad populum meum.* Raſi: Propterea quod inferant animas in locum repoſitionis, quia אסיפות [collectio] in lingua Hebræa ſignificat הכנסה. At

cur dicit ad populum ſuum, alii de angelis alii de patribus exponunt: & hoc verius. Non tamen limbus Pontificiorum intelligi debet.

Collegit pedes ſuos ſuper lectum. Aben-eſdras: *Quia prius ſedebat ſuper lecto, pedibus dependentibus, ſecundum morem terræ Edom hodiernum: non ſunt ita lecti Iſmaelitarum:* Ralbag: *Quia in principio conſidebat ſuper lecto, cum ipſis benediceret, ut conſiſteret ejus mens magis in re ſua & ſciret in prophetia, quod futurum eſſet, quod eventurum eſſet ipſis: ideo erant pedes ejus extra lectum: deinde recubuit ſuper lecto: ideo collegit pedes ſuos ad ſe, ut expoſuit ſapiens* Aben-eſdras: *En in illo ſecundo ſtatu conſtitit, donec exſpiraret & moreretur.* Notat Raſi non dictam eſſe mortem de Jacobo: ideo magiſtros dicere, *Iacob pater noſter non eſt mortuus.*

Cap. L.

JOſeph cecidit ſuper faciem patris eumque oſculatus eſt & flevit ſuper eo. Mercerus: *Iam credo quinquies fleviſſe legitur: Initio cum videt fratres culpam ſuam fatentes: ubi veniſſet Benjamin: cum ſeſe illis detexit: item in patre ſuo excipiendo: & nunc in ejus morte. Affectus in fratres & patres propenſus fecit, ut ita ſæpius illachrymaretur. Et ſunt qui ita facile afficiantur & quorum ut Hebræi loquuntur, mox concaleſcant viſcera.* Hom. ἀγαθοὶ δ' ἀριδάκρυες ἄνδρες. Simul oculos clauſit patri, ut Deus Jacobo promiſerat, ingredienti Ægyptum, quamvis hic non exprimatur. Inde ſuis ſervis medicis præcepit de cadavere condiendo, לחנוט את אביו. Raſi ענין מרקחת בשמים הוא. Obſecuti ſunt voluntati ejus ויחנטו את ישראל. Aben-eſdras: *Similitudine pulveris & quadrat ſaltem modo longinquo, ut ſit aliquantulum ei ſimilis. Ita dicitur* [Cantic. 2.] *ficus protulit groſſulos ſuos.* Medici iſti ἐνταφιασταὶ erant. Nam חנט ſignificat ἐνταφιάζειν, *pollincere.* Dies ἐνταφιασμοῦ fuêre, ex more, quadraginta. Scribit textus: *Et fleverunt ipſum Ægyptii ſeptuaginta diebus.* Raſi: *Quadraginta dies ἐνταφιασμοῦ & triginta fletus: quoniam ipſis benedictio evenerat* (לרגלו) *ad pedem ejus: quoniam finita eſt fames & aqua Nili fuerunt benedicta.* Michlol Jophi: *Quadraginta ἐνταφιασμοῦ, triginta fletus, quos faciebant omni homini magno, ſicut invenimus de Aharone & Moſe magiſtro noſtro: at illi fecerunt poſt ſepulturam, cum Iacobo patri noſtro fecerint ante ſepulturam, quia fuit pollinctus.* Poſt ſive ante ſepulturam filii luxere ſeptiduo, ut poſteà memoratur: unde veroſimile eſt, luctus duplex tempus fuiſſe: hic ſeptuaginta dierum, poſtea ſeptidui. Ægyptiis eorumque mori luctus univerſa ratio fuit accommodata. *Si fueris Romæ, Romano vivito more.* Cæterum nulla nos ratio cogit, ut tantum triginta dies luctus fuiſſe putemus: quamvis enim dies illi incluſerunt dies pollincturæ nihil obſtat, ut non ſimul luctus & funeratio medicorum proceſſerint: & potuerunt ſeptuaginta dies funerationem ſequi.

Cum dies luctus abſoluti eſſent Joſeph domui Pharaonis deſiderium patris indicavit, qui ſe adjuraſſet de ſepeliendo funere in Canaan, petiitque uti id Pharaoni exponerent & ab eo ſuo peterent nomine: quo liceret in Cananæam concedere ad inhumandum patrem. In deſiderio patris referendo narrat, eum petiiſſe, ut ſepeliretur in ſepulchro ſuo, quod *ſibi fodiſſet.* אשר כריתי לי. Quomodo autem ſibi fodiſſe dicitur, quod Abraham ab Efrone Hettæo coëmerat? Spelunca enim erat in agro illo coëmpto quam expetebat Abraham, ſibi ſuiſque ſepeliendis. Michlol Jophi: *Senſus eſt coemptionis* (acquiſitionis) *& quamvis Abraham eum coemiſſet, ecce eſt, quaſi eum emiſſet Iacob: aut quod emiſſet partem juſculo lentium: aut erit ſenſus foſſionis, quia convenit quod Iacob pater noſter,*

b. m.

b. m. foderit & excavaveris ſibi ſepulchrum, dum in vivis erat. Raſi: Secundum *ſenſum ſimplicem, ut* [Exod. 21.33.] ubi aperuerit aliquis: *Et medras ejus adhuc ſtat ſuper ſermonis vi, ut ſit, quaſi* אשר קניתי. *Dicit R. Aquiba, cum ad urbes maris profectus eſſem, pro* מכירה *dicebant* כירה*: porrò etiam medras ejus ſignificatione* כרי *cumulus: quia tulit Iacob omne argentum & aurum, quod adduxerat è domo Laban & fecit ea cumulum, dixit Eſavo, tibi pro parte tua in ſpelunca.* Calvinus hoc in loco accuſat Joſephum, quod ſervili timore oppreſſus non fuerit auſus libere fidem ſuam profiteri, ut in mortuum transferat invidiam. Ne videretur eorum terram ſpernere, de cujus ſanctitate illi in primis gloriabantur. Cl. Rivetus recte dicit, Non fuiſſe opus nec profeſſionem ejus requiſiviſſe, ut ethnico regi exponeret rationem, qua ductus Jacob voluiſſet corpus ſuum ex Ægypto transferri: arcanum ſcilicet fidei de terra Canaan poſteris ceſſura. Fidei rationem exponere tenemur debito tempore & loco, ubi id requiritur: hic communis ratio ſufficiebat.

Concedebat Pharao, ut faceret quemadmodum erat adjuratus à Patre. Cum Joſeph una ivere ſervi Pharaonis, ſeniores domus ejus omneſque ſeniores terræ Ægypti. Tota domus Joſeph fratres & familia Jacob ivere, relictis domi, in terra Goſen parvulis, gregibus & bobus. Voce ſeniorum [זקנים] accipio præfectos familiæ Pharaonis, & præfectos urbium & collegiorum ſive ſodalitatum ac familiarum Ægypti. Cum equitibus & curribus profecti ſunt, modo ingentium copiarum. Dicuntur planxiſſe ingenti planctu, cum ad Jordanis trajectum perveniſſent, ſeptem diebus. Non commemorat Scriptura fueritne in abitu an reditu, id eſt, ante an poſt ſepulturam factam. Aben-eſdras dicit, fuiſſe poſt ſepulturam כאשר אמרו קדמונינו ז״ל Atqui poſt illum luctum narrat Moſes filios feciſſe, ut Jacob præceperat: qui nihil præceperat niſi de ſepultura. Narrat etiam progreſſum rerum, qui attulit ſepulturam, quam fuſe exponit. Apud aream האטד. Raſi: *Cincta erat Cynotbatis: magiſtri noſtri commentantur* [דרשו] *ab eventu dictam eſſe: quia omnes reges Canaan & principes Iſmael in bellum iverint; poſtquam viderunt coronam Ioſeph, ſuſpenſam in area Iacob, ſteterunt omnes & ſuſpenderunt in eo coronas ſuas & cinxerunt eam coronis ſicut aream cinctam ſepe ſpinarum.* Nondum igitur arca illa erat monumento. Thanchum latius nugatur è magiſtris: qui ſeptem dies luctus putat in more fuiſſe כנגד שבעת ימי המשתה *in oppoſito ad ſeptem dies convivii.* Hic igitur luctus fuit è priſco more Iſraël, at ſeptuaginta illi, de quibus ſupra, è more Ægyptio. Cananæi cum viderent luctum iſtum ingentem Ægyptiorum, id eſt, habitantium Ægyptum, locum iſtum appellarunt אבל מצרים *Abel Meſtraim.* Hieronymus in locis Hebraicis: *Area atad, locus trans Iordanem, in quo planxerunt quondam Iacob: tertio ab Hiericho lapide, duobus millibus ab Iordane, qui nunc vocatur Betagla: quod interpretatur,* locus gyri: *eo quod ibi more plangentium circumierint in funere Iacob.* Locus iſte fuit בעבר הירדן (ut ſcriptura loquitur) id eſt, in regione Transjordanenſi, in campeſtribus Moab. Mercerus malè in occidentali regione id eſt, ultra Jordanem ab Ægypto ſitum fuiſſe putat. Videntur igitur longiori circuitu iviſſe. Poterat enim in Cananæam perveniri per Palæſtinam breviori via. Quidam putant noluiſſe in Cananæorum hoſtium finibus tam diu immorari ut ſeptiduum luctus implerent: quæ ratio non videtur ſtringere, quoniam Cananæi etiam illa loca ultra Jordanem tenuerunt. Auguſtinum audiamus: *Quid ſibi vult, quod cum pergerent ad ſepeliendum Iacob; ſcriptura dicit, Et advenerunt ad aream Atad, quæ eſt trans Iordanem. Prætergreſſi ſunt enim locum, in quo erat mortuus ſepeliendus, millia, ſicut perhibent qui noverunt, pluſquam quinquaginta:*

tantum

tontum quippe ſpatii eſt plus minus, ab eo loco, ubi ſepulti ſunt patriarcha, in quibus & Iacob, uſque ad huuc locum, quo eos adveniſſe narratur. Nam poſt factum ibi luctum & planctum maguum, redierunt ad locum quem prater ierant rurſus Iordane trajecto. Niſi forte quis dicat, aliquorum hoſtium vitandorum cauſa, per eremum eos veniſſe cum corpore, qua via etiam populus Iſrael ductus eſt per Moſen ab Ægypto liberatus. Illo quippe itinere, ut plurimum circumitur & per Iordanem venitur ad Mambram, ubi ſuut corpora patriarcharum id eſt ad terram Canaan. Sed quomodo factum ſit ut trans illa loca ad orientem verſus tantum iretur & inde ad ea per Iordanem veniretur ſignificationis cauſa factum eſſe credendum eſt, quod per Iordanem venturus erat, ad eas terras poſtea Iſrael in filiis ſuis.

Scriptura dicit feciſſe filios Jacob ſic quemadmodum ipſis præceperat] Raſi: *Quid quod ipſis praceperat? Suſtulerunt eum filii ſui, nou autem filii filiorum: quia ſic praceperat ipſis: Non tolleut feretrum meum neque vir Ægyptius, neque aliquis filiorum veſtrorum, quia nati ſuut è filiabus Canaau ſed vos: & determinavit ipſis locum: tres ad ortum & ſic ad quatuor plagas celi & ſecuudum ordinem profectionis, caſtra vexillorum definita ſunt hic: Levi non feret quia futurum eſt, ut ferat arcam & Ioſeph non feret quia rex eſt: Manaſſes & Efraim eruut loco ipſorum: & ſic quiſque juxta vexillum ſuum in ſignis, qua ipſis tradiderat pater eorum ad ferendum.*

De reditu Scriptura narrans dicit: *Reverſus eſt Ioſeph & fratres ejus & omnes, qui aſcenderaut cum ipſo* &c. At in diſceſſu dixerat: *Aſcendit Ioſeph ad Sepeliendum patrem ſuum & aſcenderunt omnes ſervi Pharao cum eo ſeniores domus ejus & ſeniores omnes terra, Ægypti & tota domus Ioſeph & fratres & domus Patris* &c. Raſi: *In reditu praponit fratres Ægyptiis aſcendentibus cum eo, in diſceſſu prapoſuerat Ægyptios fratribus* &c. *Nempe quia viderant praſitum à regibus Canaan, qui ſuſpenderant coronas ſuas in arca Iacob, dederunt ipſis honorem.* Ita Judæi ſemper minutias ſectantur & λεπτολογῦσι: quaſi ſcriptura in iſtis contingentibus voluerit ad ordinem rerum ſe adſtringere.

Calvinus exiſtimat Joſephum ambitione aut metu communis conſuetudinis inductum fuiſſe qui tantum operæ & ſumptuum ac pomparum in funeris paterni curam contulerit. Exiſtimat ritum ſepeliendi mortuos à ſanctis patribus fluxiſſe, ut ſpeculum eſſet reſurrectionis futuræ: at inanem ac nugatoriam rem fuiſſe in gentilibus, externis ſignis attendere, ubi non vigebat ſincera doctrina, quæ germanam originem legitimumque finem oſtendat. Hinc verba ejus ſunt. *Sepelire mortuos, pietatis exercitium eſt condire aromaticis unguentis cadavera, olim vitioſum non fuit, nempe ut aliquod futura incorruptionis ſymbolum palam exſtaret* &c. *Hodie uobis Chriſti reſurrectio contra hauc tentationem ſatis firma eſt fultura.* Optimè monet Rivetus: Conditionem Joſephi in Ægypto aliquid requiſiviſſe præter communem rationem. Dandum aliquid fuiſſe conſuetudini. Fines condiendorum corporum varii fuêre, de quibus poſtea dicetur. Nam Ægyptii poſteriores ea domi ſervabant, ut viderentur mortui præſentes eſſe & retineri in familia: pii hic fecerunt, ut cadavera in ſepulchris diutius integra retinerentur aut ad ſepulcra longius ita deferri poſſent. Luctus ſeptem dierum uſitatus fuit in populo Dei: ita Jabeſenſes jejunant ſeptem dies in funere Saul & Jonathan 1. Sam. 31. Syracides cap. 22. 12. *Πένθος νεκρῦ ἑπτὰ ἡμέραι.* Totidem dies ſolennibus nuptiarum dati ut patet Geneſ. 29. Rationem hanc fuiſſe puto, quod hebdomadæ dierum & Sabbatum in uſu eſſent inde ab initio rèrum. Non quidem rigore illo quietis, quem Moſes inſtituit, Sabbatum fuit ſed cultui ſacrum ob memoriam creationis. Nulla apud gentes memoria fuit ſeptimanæ, priuſquam à Judæis accepêre. Nam

antiqui

antiqui Græci novem dies apud Homerum celebrant & Romani Nundinas & Novendial habuere. Auguſtinus quæſt. in Geneſin 172. *Et fecit luctum patri ſuo ſeptem dies. Neſcio utrum inveniatur alicui ſanctorum in ſcripturis celebratum eſſe luctum, novem dies, quod apud Latinos Novendial appellant: Vnde mihi videntur ab hac conſuetudine prohibendi, ſi qui Chriſtianorum iſtum in mortuis ſuis numerum ſervant, qui magis eſt in gentilium conſuetudine. Septimus verò dies authoritatem in ſcripturis habet. Vnde alio loco ſcriptum eſt,* Luctus mortui ſeptem dierum, fatui autem omnes dies vitæ ejus. *Septenarius autem numerus propter ſabbati ſacramentum præcipuæ quietis indicium eſt: unde meritò mortuis, tanquam requieſcentibus exhibetur. Quem tamen numerum in luctu Iacob decuplaverunt Ægyptii, qui eum ſeptuaginta diebus luxerunt.* Vera cauſa fuit uſus ſeptimanæ, quæ minima fuit dierum comprehenſio in tempore diſtinguendo. Eam autem ſeptimanam alias leguntur ſepulturæ præmiſiſſe, priuſquam corpora condita erant, alias etiam ſubjeciſſe ut in luctu ob Jonathan & Saul. Aaronem & Moſen luxerunt diebus triginta id eſt integro menſe Num. 20. Deut. 34. Rivetus: *Sed quid intenderit Ioſeph, in illo luctu ſeptem dierum ultra quæritur? Nam poſtquam in genere dictum fuit,* Planxerunt ibi planctu magno & gravi valde, *quod de Ægyptiis intelligi poſſet & de eorum ſolemnibus & naniis, lamentationibus, vociferationibus, queſtibus & aliis cerimoniis celebratis:* de *Ioſepho expreſſe dicitur:* Et fecit patri ſuo luctum ſeptem diebus. *Difficultatem auget, quod videtur in actione, quæ religionis aliquid habet, ſe cum profanis & idololatris hominibus commiſcuiſſe, crederem Ioſephum ſeorſim cum ſuis exſequias illas celebraſſe. Turbam autem Ægyptiorum ſuo more excitaſſe ſtrepitum illum, quem non potuerit Ioſephus ſiſtere, ne videretur eorum humanitatem contemnere. Nec ab illis abeo, qui cenſent talia exempla non proponi ad imitationem & potuiſſe Ioſephum excedere, dum ſe accommodaret Ægyptiorum moribus.* Quærit deinde quid pii egerint in illis ſeptem diebus luctus, qui in uſu erant? Reſpondet: *Alibi comperimus eos jejunaſſe.* (ut de Jabeſenſibus) *& certè conſentaneum eſt ut ſtatuamus, luctum illum non fuiſſe ſimilem Ethnicis ſpectaculis, in quibus pretio conducebantur præficæ, id eſt, mulierculæ, quæ quomodocunque etiam lachrymis ſimulatis luctum ſolicitabant: ſed quemadmodum in Eccleſia fieri decet, in lugubribus actibus, credendum eſt commonefactiones fuiſſe propoſitas de cauſis mortis & miſeriarum humanarum & futura reſurrectione. Hæc quidem & alia tum fuiſſe meditata & etiamnum meditanda eſſe non dubitamus. Alia quidem conjiciunt Pontificii, preces nempe pro defunctis fuiſſe fuſas à piis & in eorum funeribus procuratas, quæ ad ſolatium animarum facerent. Id dicunt, ſed non probant, nec vel leviſſimo argumento probare poſſunt. Nullus enim eſt Scripturæ canonicæ locus qui id ullo modo inſinuet, nedum ut evincat.* Hactenus Cl. Rivetus. Nova nupta è captivis luget triginta dies, id eſt toto menſe, parentes, à quibus ſeparatur Deut. 21. 13. Interim domi deſidebant, nec cum ea rem habere potuit maritus, priuſquam eluxiſſet. Hanc legem narrans Joſephus dicit: *τριάκοντα δ' ἡμερῶν ἐπὶ τῷ πένθει διελθουσῶν (ἀρκέσεις γὰρ ἐπὶ τοῖς δακρύοις αὐτῃ τῶν φιλτάτων τῆς φρονήμοις) τότε χωρεῖν ἐπὶ τὸν γάμον.* Videtur diſcrimen eſſe inter hebdomadam & menſem luctus, ita ut hebdomada data fuerit exſequiis, menſis mærori aliquo ſigno indicando. Nam tantum menſis debuit tranſire ante nuptiarum lætitiam. Exſequiarum tempore mulieres & viri conducebantur, qui mortuum deflerent threnis & lamentis ac queſtibus planctibusque circumeundo per vicos & compita, lachrymas & mœrorem cierent. Ipſæ etiam viduæ threnos componebant, quæ artis hujus peritæ eſſent, eoſque docebant filias ſuas itemque vicinas ac familiares, ut ſibi eſſent adjumento in eo genere lugendi. Eccleſiaſt. 12. 5. Jerem. 10. 17. 18.

17. 18. 20. Prophetæ ſepe alludunt ad formulas næniarum, & lugubrem ejulatum, in cladium & miſeriarum comminatione.

Cum patris præcepto ſatisfeciſſent, redierunt fratres cum Joſeph in Ægyptum. Cur non ſubſtiterint in terrâ patriarchis habitatâ quam fide ſua, ut hæreditandam poſteris intuebantur? Hactenus eos pater ſenex & annonæ caritas aliquo tempore detinuerat. R. 1. Non abeundum erat ex Ægypto, niſi Deo vocante, qui eò deduxerat. Sic enim Deus: *Ego aſcendere faciam te*, ſuprà cap. 46. 4. 2. Meminerant promiſſionis Abrahamo factæ, de peregrinatione annorum quadringentorum, Gen. 15. 13. 3. Ipſorum in Ægypto conditio haud quaquam erat aſpernabilis: quam relinquere non erat conſultum. 4. Joſephus erat alligatus & obligatus Ægypto, qui in eos obtinebat dominatum: cui ſe ſubducere non erat conveniens. Mercerus: *Quidam Hebræi putant Ægyptios data opera eorum parvulos & pecora retinuiſſe, ut hoc velut initium eſſet illos ſibi ſubigendi. Sed nondum eos puto, quicquam ſiniſtri, toto Ioſephi tempore in eos cogitaſſe.* Redierunt igitur in Ægyptum univerſæ copiæ tum Iſraelitarum, tum Ægyptiorum cum omni comitatu tam honoris quam præſidii.

Quæ de ingreſſu Iacobi in Ægyptum, è Demetrio Polyhiſtor apud Euſeb. prep. lib. 9. c. 21.

IN explicatione de Jacobo ejuſque poſteritate, poſt ſuperiore tractatu allegata, hæc ſequuntur è Demetrio apud Polyhiſtorem: εἶναι δὲ τότε Ἰωσὴφ ἐτῶν δεκαεπτὰ. καὶ πραθῆναι αὐτὸν εἰς Αἴγυπτον, καὶ μεῖναι ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ἔτη δεκατρία, ὥστ' εἶναι αὐτὸν ἐτῶν τριάκοντα, Ἰακὼβ δὲ ἐτῶν ἑκατὸν δέκα ἐν ᾧ καὶ τελευτῆσαι τὸν Ἰσαὰκ ἔτει ἑνὶ ἔμπροσθεν, ἐτῶν ὄντα ἑκατὸν ὀγδοήκοντα. Κρίναντα δὲ τῷ βασιλεῖ τὸν Ἰωσὴφ τὰ ἐνύπνια, ἄρξαι Αἰγύπτου ἔτη ἑπτὰ, ἐν οἷς καὶ συνοικῆσαι Ἀσενὲθ, Πεντεφρῆ τοῦ Ἡλιουπόλεως ἱερέως θυγατρὶ, καὶ γεννῆσαι Μανασσῆν καὶ Ἐφραῒμ, καὶ τοῦ λιμοῦ ἐπιγενέσθαι ἔτη β. Τὸν δὲ Ἰωσὴφ ἔτη ἐννέα εὐτυχήσαντα, πρὸς τὸν πατέρα μὴ πέμψαι διὰ τὸ ποιμένα αὐτόν τε καὶ τοὺς ἀδελφοὺς εἶναι· ἐπονείδιστον δὲ Αἰγυπτίοις εἶναι τὸ ποιμαίνειν. ὅτι δὲ διὰ τοῦτο οὐκ ἔπεμψεν, αὐτὸν δεδηλωκέναι. ἐλθόντων γὰρ αὐτοῦ τῶν συγγενῶν, φάναι αὐτοῖς, ἐὰν κληθῶσιν ὑπὸ τοῦ βασιλέως, καὶ ἐρωτῶνται τί διαπράσσονται, λέγειν κτηνοτρόφους αὐτοὺς εἶναι. Διαπορεῖσθαι δὲ, διὰ τί ποτε ὁ Ἰωσὴφ, Βενιαμὶν ἐπὶ τοῦ ἀρίστου πενταπλασίονα μερίδα ἔδωκε, μὴ δυναμένου αὐτοῦ τοσαῦτα καταναλῶσαι κρέα· τοῦτο οὖν αὐτὸν πεποιηκέναι διὰ τὸ ἐκ τῆς Λείας τῷ πατρὶ αὐτοῦ γεγονέναι υἱοὺς ἑπτὰ, ἐκ δὲ Ῥαχὴλ τῆς μητρὸς αὐτοῦ δύο. Διὰ τοῦτο τῷ Βενιαμὶν πέντε μερίδας παρατεθεῖναι καὶ αὐτὸν λαβεῖν μίαν [al. δύο] γενέσθαι οὖν ἑπτὰ, ὅσας καὶ τοὺς ἐκ τῆς Λείας υἱοὺς λαβεῖν. Ὡσαύτως δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ τὰς στολὰς δοῦναι ἑκάστῳ διπλᾶς, τῷ δὲ Βενιαμὶν πέντε καὶ τριακοσίους χρυσοῦς, καὶ τῷ πατρὶ δὲ ἀποστεῖλαι κατὰ ταῦτα, ὥστε τὸν οἶκον τῆς μητρὸς εἶναι ἴσον. Οἰκῆσαι δὲ αὐτοὺς ἐν γῇ χαναὰν, ἀφ' οὗ ἐκλεγῆναι Ἀβραὰμ ἐκ τῶν ἐθνῶν καὶ μετελθεῖν εἰς χαναὰν, Ἀβραὰμ ἐτῶν εἰκοσιπέντε, Ἰσαὰκ ἐτῶν ἑξήκοντα, Ἰακὼβ ἐτῶν ἑκατὸν τριάκοντα γίνεσθαι, καὶ πάντα ἔτη ἐν γῇ χαναὰν, σιέ. Καὶ τῷ τρίτῳ ἔτει λιμοῦ ὄντος ἐν Αἰγύπτῳ, ἐλθεῖν εἰς Αἴγυπτον τὸν Ἰακὼβ, ὄντα ἐτῶν ἑκατὸν τριάκοντα, Ῥουβὶν ἐτῶν μέ, Συμεῶνα ἐτῶν μδ'; Λευὶν ἐτῶν μγ'; Ἰούδαν μβ', μηνῶν τριῶν; Ἀσὴρ ἐτῶν μ', μηνῶν ὀκτώ; Νεφθαλεὶμ ἐτῶν μά, μηνῶν ζ; Γὰδ ἐτῶν μά, μηνῶν τριῶν; Ζαβουλὼν ἐτῶν μ'; Δείναν ἐτῶν λθ'; Βενιαμὶν ἐτῶν κή. Τὸν δὲ Ἰωσὴφ φησὶ γενέσθαι ἐν Αἰγύπτῳ ἔτη λθ'. Εἶναι δὲ ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ ἕως τοῦ εἰσελθεῖν εἰς Αἴγυπτον, τοὺς τοῦ Ἰωσὴφ συγγενεῖς ἔτη γχ κδ'. ἀπὸ δὲ κατακλυσμοῦ, ἕως τῆς τοῦ Ἰακὼβ παρουσίας εἰς Αἴγυπτον ἔτη ατξ'. Ἀφ' οὗ δὲ ἐκλεγῆναι Ἀβραὰμ ἐκ τῶν ἐθνῶν καὶ ἐλθεῖν ἐκ χαῤῥὰν εἰς χαναὰν, ἕως ἂν εἰς Αἴγυπτον τοὺς περὶ Ἰακὼβ ἐλθεῖν ἔτη σιέ. Ἰακὼβ δὲ ἐκ χαῤῥὰν (f. χαναὰν) πρὸς Λάβαν ἐλθεῖν, ἐτῶν ὄντα που π', καὶ γεννῆσαι Λευίν. Λευὶν δὲ ἐν Αἰγύπτῳ, ἐπιγενέσθαι ἔτη ιζ', ἀφ' οὗ ἐκ χαναὰν αὐτοὺ

αὐτὸν ἐλθεῖν εἰς Αἴγυπτον, ὥστε εἶναι αὐτὸν ἐτῶν ξ΄ καὶ γεννῆσαι Ἰακώβ. Αὐτῷ δὲ ἔτει φ΄ γενέσεως Ἰακὼβ, τελευτῆσαι Ἰακὼβ ἐν Αἰγύπτῳ, εὐλογήσαντα τοὺς Ἰωσὴφ υἱοὺς, ὄντα ἐτῶν ρμζ΄, καταλιπόντα Ἰωσὴφ ἐτῶν ϛ΄.

Digeſtam in tabula hanc Chronologiam intuere:

Ab egreſſu
Abrahami
è Charan

A. 193 Joſeph venditur anno ætatis 17. eo ipſo tempore, quo Jacob ad parentem in Mambre advenerat,

205 Iſaac moritur in Canaan.

209 Joſeph exaltatur cum eſſet annorum triginta, pater annorum 110. At in annis patris vitium eſt, cum in ingreſſu in Ægyptum habuerit annos centum triginta: qui fuit poſt novennium. Legatur igitur ἑκατὸν εἴκοσι ἐν@.

213 Anni famis incipiunt.

215 Jacob cum univerſa domo & familia deſcendit in Ægyptum. Abrahám ante Iſaac natum in Canaan vixerat annos 25. Iſaac ante Jacob natum annos 60. Jacob uſque ad diſceſſum in Ægyptum 130. Colliguntur anni 215. Ea tempeſtate Joſeph habuit annos 39. Ruben 45. Simeon 44. Levi. 43. Juda 42. menſes tres: Aſer 40. menſes octo: Nephthali 41. menſes ſeptem: Gad 41, menſes tres. Zabulon annos 40. Dina 39. Benjamin 28. Dan & Iſachar prætereit.

Benjamin natus eſt decennio ad minimum poſt abitum è Charran. Scribit enim Jacob apud Sicima habitaſſe decennio. Hoc decennium ſi demas illis trigintatribus annis, quibus Jacob vixit in Canaan, poſt reditum è Meſopotamia, remanent anni 23. Legendum igitur κγ΄ non κϛ΄. Aut falſum eſt decennium actum eſſe apud Sichem.

Quod tamen decennium conſtanter tenet. Nam Rachel dicit cohabitaſſe Jacobo annis viginti tribus. Hi ineunt ab octavo anno peregrinationis in Meſopotamia; unde relinquuntur anni tredecim qui compoſiti cum iſto decennio efficiunt annos 23. Joſephum venditum eſſe vult anno proximo poſt excidium Sichem: Adde igitur annos XI. cum XIII. & IX. habebis annos, quibus Jacob in Cananæa vixit. Scribit Levi fuiſſe annorum 20, m. 6. Symeona annorum 21. m. 4. Dinam annorum 16. m. 4. cum Sicima everterentur à filiis Jacob.

Examinenus nunc annos patriarcharum ut videamus quomodo numeri inter ſe reſpondeant

In exitu è Charran	Ruben habuit annos 12. m. 2.	adde annos 33. habitationis in Canaan. Fiunt	anni 45.	Cum tot menſibus, qui non reſpondent inter ſe.
	Simeon ann. 11. m. 8.		anni 44.	
	Levi ann. 10. m. 6.		anni 43.	
	Juda ann. 9. m. 8.		anni 42.	
	Nephthalim ann. 8.		anni 41.	
	Iſſachar. ann. 8.		anni 41.	
	Zabulon ann. 7. m. 2.		anni 40.	
	Dina ann. 6. m. 4.		Dina 39.	

Scribit Joſeph in carcere fuiſſe annis tredecim: quod expoſitione molliendum eſt: Nempe in Ægypto expleviſſe annos 13, quorum ultimis duobus in carcere fuit. Scribitur tamen in Seder olam Rabba Joſeph fuiſſe duodecim menſibus in domo Potiphar, annos autem duodecim egiſſe in carcere. Ita etiam

ſcribit, Τὸν δὲ Ἰωσὴφ φησι γενέσθαι ἐν Αἰγύπτῳ ἔτη λθ'. Hoc ita accipiendum eſt, quod habuerit annos 39. & fuerit in Ægypto, cum domus Jacob eo deſcenderet. Annum ingreſſus in Ægyptum conſtituit ab Adam 3624, à diluvio 1360. Unde patet Demetrium cataclyſmum ponere in anno M. 2264, natalem Abrahami removere à diluvio annos 1070. Levi natus eſt anno parentis ferme 90, (accipiendum latè & largè pro anno 87) habuit annos 43. cum ingrederetur in Ægyptum, anno poſt decimo ſeptimo, (quo obijt pater) genuit Caath. Hæc de genealogia & Chronologia Jacobi ejuſque filiorum in archivis deſcripta continebantur: unde ea haurire potuit Demetrius, at ſi Euſebius è Demetrio maluiſſet iſta fragmenta deſcribere, (ſi quidem Demetrium, aut vidit aut videre potuit) accuratius poſſemus judicare de ejus computatione.

De luctu & cura funerum apud Ægyptios ex Herodoto & Diodoro Siculo.

CUm tam ſumptuoſe & tanta pompa curatum fuerit funus Jacob in Ægypto, locus fuerit conſiderare, quis modus illi rei in Ægypto antiquitus fuerit: Herodotus lib. 2. in hunc modum ſcribit: Θρῆνοι δὲ καὶ ταφαὶ σφέων, εἰσὶ αἵδε· Τοῖσι ἂν ἀπογένηται ἐκ τῶν οἰκηίων ἄνθρωπος, τοῦ τις καὶ λόγος ᾖ, τὸ θῆλυ γένος πᾶν, τὸ ἐκ τῶν οἰκηίων τούτων κατ' ὧν ἐπλάσατο τὴν κεφαλὴν πηλῷ καὶ τὸ πρόσωπον. κἄπειτα ἐν τοῖσι οἰκηίοισι λιποῦσαι τὸν νεκρὸν, αὐταὶ ἀνὰ τὴν πόλιν στρεφώμεναι, τύπτονται, ἐπεζωσμέναι καὶ φαίνουσαι τοὺς μαζοὺς, σὺν δέ σφι αἱ προσήκουσαι πᾶσαι. ἑτέρωθεν δὲ οἱ ἄνδρες τύπτονται, ἐπεζωσμένοι καὶ οὗτοι. ἐπεὰν δὲ ταῦτα ποιήσωσιν οὕτω ἐς τὴν ταρίχευσιν κομίζουσι. Εἰσὶ δὲ οἳ ἐπ' αὐτῷ τούτῳ κατέαται καὶ τέχνην ἔχουσι ταύτην. Οὗτοι ἐπεάν σφι κομισθῇ ὁ νεκρὸς, δεικνύουσι τοῖσι κομίσασι παραδείγματα νεκρῶν ξύλινα, τῇ γραφῇ μεμιμημένα. Καὶ τὴν μὲν σπουδαιοτάτην αὐτέων φασὶ εἶναι τοῦ οὐκ ὅσιον ποιεῦμαι τὸ οὔνομα ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι ὀνομάζειν· τὴν δὲ δευτέρην δεικνύουσι ὑποδεεστέρην τε ταύτης καὶ εὐτελεστέρην· τὴν δὲ τρίτην εὐτελεστάτην. Φράσαντες δὲ πυνθάνονται παρ' αὐτέων κατὰ ἥντινα βούλονταί σφι σκευασθῆναι τὸν νεκρόν. Οἱ μὲν δὴ ἐκποδὼν μισθῷ ὁμολογήσαντες, ἀπαλλάσσονται. οἱ δὲ ὑπολειπόμενοι ἐν οἰκήμασι, ὧδε τὰ σπουδαιότατα ταριχεύουσι. Πρῶτα μὲν σκολιῷ σιδήρῳ διὰ τῶν μυξωτήρων ἐξάγουσι τὸν ἐγκέφαλον, τὰ μὲν αὐτοῦ οὕτω ἐξάγοντες, τὰ δὲ φάρμακα ἐγχέοντες. Μετὰ δὲ λίθῳ Αἰθιοπικῷ ὀξέϊ παρασχίσαντες παρὰ τὴν λαπάρην, ἐξ ὧν εἷλον τὴν κοιλίαν πᾶσαν, ἐκκαθήραντες δὲ αὐτὴν, καὶ διηθήσαντες οἴνῳ φοινικηΐῳ, αὖθις διηθέουσι θυμιήμασι τετριμμένοισι. Ἔπειτα τὴν νηδὺν σμύρνης ἀκηράτου τετριμμένης καὶ κασίης καὶ τῶν ἄλλων θυωμάτων, πλὴν λιβανωτοῦ, πλήσαντες, συρράπτουσι ὀπίσω. Ταῦτα δὲ ποιήσαντες, ταριχεύουσι νίτρῳ, κρύψαντες ἡμέρας ἑβδομήκοντα: πλεῦνας δὲ τουτέων οὐκ ἔξεστι ταριχεύειν. Ἐπεὰν δὲ παρέλθωσι αἱ ἑβδομήκοντα, λούσαντες τὸν νεκρὸν, κατειλίσσουσι πᾶν αὐτοῦ τὸ σῶμα σινδόνος βυσσίνης τελαμῶσι κατατετμημένοισι, ὑποχρίοντες τῷ δὴ ἀντὶ κόλλης τὰ πολλὰ χρέωνται Αἰγύπτιοι. Ἐνθεῦτεν δὲ παραδεξάμενοί μιν οἱ προσήκοντες, ποιεῦνται ξύλινον τύπον ἀνθρωποειδέα· ποιησάμενοι δὲ, ἐσεργνῦσι τὸν νεκρόν· Καὶ κατακληΐσαντες οὕτω, θησαυρίζουσι ἐν οἰκήματι θηκαίῳ, ἱστάντες ὀρθὸν πρὸς τοῖχον. Οὕτω μὲν τοὺς τὰ πολυτελέστατα σκευάζουσι νεκρούς. Τοὺς δὲ τὰ μέσα βουλομένους τὴν δὲ πολυτελείην ἐκφεύγοντας, σκευάζουσι ὧδε· Ἐπεὰν κλυστῆρας πλήσωνται τοῦ ἀπὸ τῆς κέδρου ἀλείφατος γινομένου, ἐν ὧν ἔπλησαν τοῦ νεκροῦ τὴν κοιλίην, οὔτε ἀνατεμόντες αὐτὸν, οὔτε ἐξελόντες τὴν νηδύν· κατὰ δὲ τὴν ἕδρην ἐσηθήσαντες καὶ ἐπιλαβόντες τὸ κλύσμα τῆς ὀπίσω ὁδοῦ, ταριχεύουσι τὰς προκειμένας ἡμέρας· τῇ δὲ τελευταίῃ ἐξιεῖσι ἐκ τῆς κοιλίης τὴν κεδρίην τὴν ἐσῆκαν πρότερον. Ἡ δὲ ἔχει τοιαύτην δύναμιν, ὥστε ἅμα ἑωυτῇ τὴν νηδὺν καὶ τὰ σπλάγχνα κατατετηκότα ἐξάγει. Τὰς δὲ σάρκας τὸ νίτρον κατατήκει· Καὶ δὴ λείπεται τοῦ νεκροῦ τὸ δέρμα μοῦνον καὶ τὰ ὀστέα. Ἐπεὰν δὲ ταῦτα ποιήσωσι, ἀπ' ὧν ἔδωκαν οὕτω τὸν νεκρὸν, οὐδὲν ἔτι πρηγματευθέντες. Ἡ δὲ τρίτη ταρίχευσις ἐστὶ ἥδε, ἡ τοὺς χρήμασι

ἀσθε-

ἀδιακρίτως σκευάζει. Συρμαΐῃ διηθήσαντες τὴν κοιλίην, ταριχεύουσι ἑβδομήκοντα ἡμέρας καὶ ἔπειτα ἀπ' ὧν ἔδωκαν ἀποφέρεσθαι. Τὰς δὲ γυναῖκας τῶν ἐπιφανέων ἀνδρῶν, ἐπεὰν τελευτήσωσι, οὐ παραυτίκα διδοῦσι ταριχεύειν, οὐδὲ ὅσαι ἂν ὦσι εὐειδέες κάρτα καὶ λόγου πλεῦνος γυναῖκες· ἀλλ' ἐπεὰν τριταῖαι ἢ τεταρταῖαι γένωνται, οὕτω παραδιδοῦσι τοῖσι ταριχεύουσι. Τοῦτο δὲ ποιεῦσι οὕτω τοῦδε εἵνεκα, ἵνα μή σφι οἱ ταριχευταὶ μίσγωνται τῇσι γυναιξί. λαμφθῆναι γάρ τινα φασὶ μισγόμενον νεκρῷ προσφάτῳ γυναικός· κατειπεῖν δὲ τὸν ὁμότεχνον. *Luctus eorum & ſepultura hujuſmodi ſunt : Quibuſcunque deceſſerit è domeſticis aliquis, qui ſit alicujus momenti, omne genus fœmineum illius domus, caput & faciem luto oblinit. Deinde in ædibus relicto cadavere, ipſæ per urbem diſcurſantes, percutiunt ſe ſuccinctæ & nudæ mammas: cumque iis propinquæ omnes. Altera ex parte viri ſe percutiunt, & ipſi ſuccincti: ubi autem hoc fecere, ad condituram deportant. Sunt vero, qui ad hoc conſtituti ſunt & hanc artem habent. At poſtquam ad ipſos delatum eſt cadaver, adferentibus oſtendunt formas ligneas cadaverum pingendo aſſimilatas. Et unam earum accuratiſſime factam eſſe dicunt, cujuſdam, cujus nomen in hac re enuntiare non fas eſſe arbitror. Alteram oſtendunt inferiorem & viliorem: tertiam viliſſimam. His indicatis rogant, ad quam formam cadaver formari velint. Illi ubi de pretio convenerunt, mox diſcedunt: at hi relicti in ædibus hunc in modum accuratiſſimè condiunt: Ante omnia incurvo ferro cerebrum educunt per nares: qua ad cerebrum pertinent ita educentes, medicamina autem infundentes. Deinde lapide Æthiopico acuto circa ilia diffindunt, qua univerſum ventrem extrahunt, quem expurgant & vino palmarum perfundunt ac porro perfundunt odoribus contuſis. Inde alvum ſincera myrrha contuſa & caſſia aliiſque (excepto thure) odoribus, repletam, iterum conſuunt. Ubi hæc fecere, ſaliunt nitro, condentes diebus ſeptuaginta. Pluribus enim condire non licet. Poſtquam ſeptuaginta illi dies præteriere, ablutum corpus, univerſum ſindonis byſſinæ loris conciſis involvunt, illinentes gummi; quo ut plurimum pro glutine utuntur Ægyptii. Inde receptum propinqui ligneâ formâ, hominis figuram habente, includunt. Ita incluſum reponunt in adicula loculari & rectum ſtatuunt ad parietem. Ita ſumptuoſiſſimè cadavera curant. Eos autem, qui mediocria volunt & ſumptus fugiunt, parant in hunc modum: Clyſteras replent unguine è cedro, quibus cadaveris ventrem complent, neque diſſecantes neque eximentes alvum ſed per ſeceſſum infuſione facta & apprehenſa illuvie poſterioris via, condiunt propoſitis diebus: ultimo autem emittunt ventre cedriam, quam ante immiſerant. Hæc autem eam vim obtinet, ut ſecum alvum & viſcera tabefacta extrahat: carnes autem nitrum tabefacit: quomodo cadaveris ſola cutis & oſſa relinquuntur. Cum hæc fecère, ſic reddunt cadaver, nulla re alia facta. Tertia autem conditura, qua tenuioris fortunæ homines apparat, talis eſt: Surmaa perfuſo ventre, condiunt ſeptuaginta diebus & deinde reddunt propinquis reportandum. Fœminas autem inſignium virorum, ubi defunctæ fuere, non mox deferunt condiendas, neque quæ ſpecie corporis emineant & magnæ ſint dignationis, ſed poſt tertium aut quartum diem: ut ne conditores miſceantur mulieribus. Deprehenſum enim quendam dicunt eſſe, qui miſceretur recenti cadaveri mulieris: id autem enuntiaſſe artificii ſocium.* Hæc Herodotus, cujus interpretem agit Diodorus Siculus: qui de ſepulturæ modo fuſius. Herodotea narratio primò loquitur de luctu. deinde de conditura, tertiò de ſepultura cadaverum conditorum. De luctu ita Diodorus Siculus: Ὅταν γάρ τις ἀποθάνῃ παρ' αὐτοῖς, οἱ συγγενεῖς καὶ φίλοι πάντες καταπασάμενοι πηλῷ τὰς κεφαλὰς, περιέρχονται τὴν πόλιν θρηνοῦντες, ἕως ἂν τύχῃ ταφῆς τὸ σῶμα, οὐ μὴν οὔτε λουτρῶν, οὔτε οἴνου, οὔτε τῆς ἄλλης τροφῆς ἀξιολόγου μεταλαμβάνουσιν, οὔτε ἐσθῆτας λαμπρὰς περιβάλλονται). Lugendi modus igitur hic eſt apud Ægyptios, I. Muliebre & maſculinum genus ex ædibus & familia defuncti, omneſque propinqui hoc officium præſtant.

Hero-

Herodoti verba ſunt, *τὸ ἐκ τῶν οἰκίων, κατ' ὧν, ex ædibus ſeu familia, in qua defunctus eſt. Τὰ οἰκία, τὰ ἴδια domus.* Non eſt veroſimile, ipſum Joſephum nec etiam fratres Joſephi, quique de Jacobo erant, filios nepoteſque ita ſe geſſiſſe. Scriptura dicit Ægyptios luxiſſe Jacobum 70. diebus. Honor & dignitas perſonæ exigebat, ut alienæ domus lugerent. Ab Ægyptiis ea fuerunt facta, quæ hic narrantur apud Herodotum & Diodorum. II. Vultum oblinere luto ſolis fœminis adſcribit Herodotus, Diodorus indefinitè loquitur. III. Obeunt vicos urbis viri fœminæque ſuccincti, percutiunt pectora. De fœminis exprimit Herodotus, ipſas mammas nudas habuiſſe. IV. A balneis & vino omnique lautiore cibo abſtinent: nec veſtes elegantiores induunt. V. Ægyptii in funeribus capillos promittebant, quamvis barbam tonderent. Id contrarium erat gentium aliarum conſuetudini, apud quas proximi defunctorum ſolebant caput tonderi. VI. Luctus durat donec ſepeliatur cadaver. De funeratione Diodorus: *Τῶν δὲ ταφῶν τρεῖς ὑπάρχουσι τάξεις.* Secundum primam impendi *ἀργυρίου τάλαντον* argenti talentum, in ſecundam viginti minas, in ultimam, minimas fieri impenſas *παντελῶς ὀλίγον τι δαπάνημα.* Qui cadavera curant, artem iſtam habere, à parentibus traditam: *τεχνῖται ἐπιστήμην ταύτην ἐκ γένους παρειληφότες.* Hos in ſcripto defunctorum proximis, impenſarum ſumptuumque funerationis totam rationem, oſtendere & quærere ab eis, quem modum eligant. *Ταφὰς* Diodorus habet, quod interpretor de *ἐνταφιασμῷ.* Nam de ſepultura poſtea ſequitur. *ταφὰς* & *θεραπείας* pro eodem ſumit: Ubi cum iſtis artificibus (quos Moſes רופאים appellat) conventum eſt, illi cadaver à proximis acceptum tradunt miniſtris, *τοῖς πραγματευομένοις ἐπὶ τὴν κατεθισμένην ἐπιμέλειαν.* Ejuſmodi miniſtros duos memorat, unum dictum *γραμματέα,* alterum *παρασχίστην.* Poſito humi cadavere, *γραμματεὺς* ad ilia ſiniſtrum latus circumſcribit, quantum ſit ſecandum. Inde, qui *παρασχίστης* appellatur, lapide Æthiopico *διατεμὼν ὅσον ὁ νόμος κελεύει τὴν σάρκα, diſſecta carne, quantum lex jubet,* curſu ſe proripit, perſequentibus, qui adſtant, lapides jactantibus & maledicta & tanquam piaculum in ipſum avertentibus, *καὶ καθαπερεὶ τὸ μύσος εἰς ἐκεῖνον τρεπόντων.* Exiſtimant enim odio dignum eſſe, qui corpori popularis (*ὁμοφύλου σώματος,*) vim intulerit & vulnera, aut omninò aliquid mali: at curatores funerum (*οἱ ταριχευταὶ*) in pretio & honore ſunt. cum ſacerdotibus familiares ſint, & in templum libere ingrediantur, tanquam ipſi ſacri. His ad condiendum cadaver coactis, unus immittit manum per ſecturam in thoracem extrahitque omnia præter renes & cor. Alter autem unumquodque inteſtinorum (*ἐγκοιλίων*) repurgat, diluens vino palmarum & odoribus. Univerſim autem corpus totum, primum cedria & quibuſdam aliis curant ad dies ultrà triginta (al. quadraginta) deinde myrrha & cinnamomo aliiſque quæ non tantum conſervant ad longum tempus ſed & fragrantia reddunt corpora. Hac cura ita adornari corpora ut reddantur propinquis in integritate ſumma, qua non tantum unumquodque membrum ſua diſpoſitione ſit ſed & in palpebris & ſuperciliis pili, totuſque aſpectus ita ſuus immutatuſque ut formæ lineamentorum agnoſcantur. Modum condiendi non eundem Herodotus & Diodorus deſcribunt. Herodotus fuſius, qui & tres modos differentes proponit. In duobus modis cedriam adhiberi, in tertio *συρμαίαν:* quæ eſt herbæ genus, aut compoſitum medicamen, purgationi adhibitum. Nulla mentio eſt in his ſcriptoribus bituminis aut piſſaſphalti ad condituram. Nullum apud Ægyptios funus fuit, quod non condiretur, quamvis tenuiores minori genere curæ contentos eſſe oportuit. Ipſos id feciſſe in ſpem reſurrectionis, ut putat Bellonius, inane eſt, quia potius

tanta

tanta ipſis cura fuit retinendorum de quibus omnem ſpem periiſſe putabant.

Solebant poſteriores Ægyptii cadavera parentum aut proximorum frequenter producere è monumentis, aut ædiculis ſepulchralibus ut eorum præſentia quaſi viventium fruerentur, quemadmodum à multis annotatum eſt. Quamvis carere ſepultura ignominioſum ducebatur tamen ex ſuis ſepulcris ſæpe producebant. Diodorus: τὸ δὲ σῶμα τιθέασιν οἱ μὲν ἰδίους ἔχοντες τάφους ἐν ταῖς ἀποδεδειγμέναις θήκαις, οἷς δ' οὐχ ὑπάρχουσι τάφων κτήσεις, καινὸν οἴκημα ποιοῦσι κατὰ τὴν ἰδίαν οἰκίαν, καὶ πρὸς τὸν ἀσφαλέστατον τῶν τοίχων ὀρθὴν ἱστᾶσι τὴν λάρνακα· καὶ τοὺς κωλυομένους δὲ διὰ τὰς κατηγορίας, ἢ πρὸς δανείων ὑποθήκας, θάπτεσθαι, τιθέασι κατὰ τὴν ἰδίαν οἰκίαν. οὓς ὕστερον ἐνίοτε παίδων παῖδες εὐπορήσαντες καὶ τῶν τε συμβολαίων καὶ τῶν ἐγκλημάτων ἀπολύσαντες, μεγαλοπρεπῶς ταφῆς ἀξιοῦσι. Σεμνότατον δὲ διείληπται παρ' Αἰγυπτίοις τὸ τοὺς γονεῖς ἢ τοὺς προγόνους φανῆναι περιττότερον τετιμηκότας εἰς τὴν αἰώνιον οἴκησιν μεταστάντας. Νόμιμον δ' ἐστὶ παρ' αὐτοῖς καὶ τὸ διδόναι τὰ σώματα τῶν τετελευτηκότων γονέων εἰς ὑποθήκην δανείου. Τοῖς δὲ μὴ λυσαμένοις ὄνειδός τε μέγιστον ἀκολουθεῖ καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν στέρησις ταφῆς. Sepultura carere ignominiæ fuit: contingebat autem duplici cauſa. Ob crimina & quia debitis innexi cadavera parentum in pignus dabant. Qui magnitudine æris alieni premebantur, ſi id feciſſent, omni modo nitebantur ſolvere, quia ſummo probro erat, parentum cadavera non redimere ad ſepulturam: nec ad ſepulturam ipſi admittebantur. Sepeliendi duplex ratio fuit. Sepeliendi ritus hi fuêre: cognati indicant diem ſepulturæ judicibus, cognatis & amicis defuncti dicentes (nomine defuncti enuntiato) trajecturum eſſe lacum. Inde judicibus, haud paucioribus quam quadraginta coactis & conſidentibus in quodam hemicyclio, quod conſtitutum erat trans lacum, navigium prius præparatum propellitur ab illis, quibus ea cura incumbit: præſidet autem gubernator, quem Ægyptii ſua lingua Charonem appellant. Navi in lacum propulſa, priuſquam loculus, in quo cadaver habebatur, in eam poneretur, poteſtatem accuſare volenti lex facit. Si quis acceſſerit criminando & demonſtrando impiè vixiſſe, lata per judices ſententia, cadaver conſueta ſepultura prohibetur. Si criminator viſus fuerit inique criminari, magnæ mulctæ obnoxius eſt. Quod ſi nullus accuſator exſtiterit, aut qui ſe obtulit, viſus fuerit ſycophanta, cognati depoſito luctu, laudes mortui dicunt: & quidem nihil de genere, ut apud Græcos obtinet, exiſtimantes omnes æque nobiles eſſe Ægyptios: at expoſita à puero educatione & diſciplina, viri facti pietate & juſtitia temperantia aliiſque virtutibus precantur deos inferos, ut in contubernium piorum recipiatur. Multitudo acclamat & laudes defuncti gloriamque prædicat, ut qui ſempiternum cum piis ævum in orco ſit acturus. His peractis duplici ſepulturæ modo conduntur defuncti: alii in monumentis, alii in ædiculis, quæ monumentorum loco ſunt. De ædiculis his loquitur Herodotus θησαυρίζουσι δὲ ἐν οἰκήματι θηκαίῳ, *tanquam theſaurum condunt in ædicula loculari.* Οἴκημα θηκαῖον ſignificat ædiculam in qua multi loculi mortuorum. Id non eſt obſervatum interpretibus. Has ſumptuoſe exſtruere ſoliti: Diodorus: Διὸ καὶ πολλοὶ τῶν Αἰγυπτίων ἐν οἰκήμασι πολυτελέσι φυλάττοντες τὰ σώματα τῶν προγόνων, κατ' ὄψιν ὁρῶσι τοὺς γενεαῖς πολλαῖς τῆς ἑαυτῶν γενέσεως προτετελευτηκότας. Ὥστε ἑκάστων τά τε μεγέθη· καὶ τὰς περιοχὰς τῶν σωμάτων, ἔτι δὲ τοὺς τῆς ὄψεως χαρακτῆρας ὁρωμένους, παράδοξον ψυχαγωγίαν παρέχεσθαι, καθάπερ συμβεβιωκότας τοῖς θεωρουμένοις. Cadavera ex iſtis ædiculis ad menſam etiam domi ſuæ ſolebant locare: quod traducit Lucianus περὶ πένθους: Ταριχεύει δὲ ὁ Αἰγύπτιος· οὗτος μέντοι, λέγω δὲ ἰδών, ξηράνας τὸν νεκρὸν, σύνδειπνον καὶ συμπότην ἐποιήσατο. Πολλάκις δὲ καὶ δεομένῳ χρημάτων ἀνδρὶ Αἰγυπτίῳ, ἔλυσε τὴν ἀπορίαν, ἐνέχυρον, ἢ ὁ ἀδελφὸς ἢ ὁ πατὴρ γενόμενος ἐν καιρῷ.

Exiſti-

Exiſtimo temporibus antiquis non potuiſſe in pignus dari cadaver (nec menſæ admoveri, ſitum id uſus habuit) niſi antequam ſepulturæ ſive ædiculæ ſive alterius monumenti traditum eſſet. Maximi enim faciebant τὴν αἰωνίαν οἴκησιν. Hæc nulla erat cadaveribus, ſi potuerint ſede ſua dimoveri. Notabile eſt, quod habetur apud Athanaſium (ſive quicunque alius ſit) ſcriptorem vitæ S. Antonii: Τῶν δὲ ἀδελφῶν βιαζομένων μεῖναι αὐτὸν παρ' αὐτοῖς, κἀκεῖ τελειωθῆναι, οὐκ ἠνέσχετο διὰ πολλὰ μὲν ὡς αὐτὸς καὶ σιωπῶν ἐνέφαινε καὶ διὰ τοῦτο δὲ μάλιστα. οἱ Αἰγύπτιοι τὰ τῶν τελευτώντων σπουδαίων σώματα καὶ μάλιστα τῶν ἁγίων μαρτύρων φιλοῦσι μὲν θάπτειν καὶ περιελίσσειν ὀθονίοις, μὴ κρύπτειν δὲ ὑπὸ γῆν, ἀλλ' ἐπὶ σκιμποδίων τιθέναι, καὶ φυλάττειν ἔνδον παρ' ἑαυτοῖς· νομίζοντες ἐν τούτῳ τιμᾶν τοὺς ἀπελθόντας. Ideò noluiſſe Antonium mortem exſpectare apud monachos τοὺς ἐν τῷ ἔξω ὄρει, metuentem ne idem ſuo corpori facerent, quod in more Ægyptiis erat, corpora defuncta curare quidem & linteis involvere ſed non mandare terræ. Id faciebant maximè circà ſanctos martyres: Cum ita ſe mortuos honorare arbitrarentur. Hoc non didicerant in Chriſtianiſmo, retentum fuerat è paganiſmo. Antonius ſæpe epiſcopos rogaverat, ut de hac re populos erudirent. ὁμοίως δὲ καὶ λαϊκοὺς ἐνέτρεπεν, καὶ γυναιξὶν ἐπέπληττε· λέγων μήτε νόμιμον μήτε ὅλως ὅσιον εἶναι τοῦτο. Argumentabatur: καὶ γὰρ τὰ τῶν πατριαρχῶν καὶ τῶν προφητῶν σώματα μέχρι νῦν σώζεται εἰς μνήματα καὶ αὐτὸ δὲ τὸ τοῦ κυρίου σῶμα εἰς μνημεῖον ἐτέθη· λίθος τε ἐπιτεθεὶς ἔκρυψεν αὐτὸ, ἕως ἀνέστη τριήμερον. Καὶ ταῦτα λέγων, ἐδείκνυε παρανομεῖν τὸν μετὰ θάνατον μὴ κρύπτοντα τὰ σώματα τῶν τελευτώντων, κἂν ἅγια τυγχάνῃ. Τί γὰρ μεῖζον ἢ ἁγιώτερον τοῦ κυριακοῦ σώματος. Multos ipſi obediſſe narrat atque ſic inſtitutos de cætero terræ mandaſſe ſua cadavera. Moriens ſuis iſta mandata inter cætera dedit: Καὶ εἰ μέλει ὑμῖν περὶ ἐμοῦ καὶ μνημονεύετε ὡς περὶ πατρός. Μὴ ἀφῆτέ τινας τὸ σῶμα μου λαβεῖν εἰς Αἴγυπτον, μή πως ἐν τοῖς οἴκοις ἀπόθωνται. Τούτου γὰρ χάριν εἰσῆλθον εἰς τὸ ὄρος, καὶ ἦλθον ὧδε. Οἴδατε δὲ καὶ πῶς ἀεὶ ἐνέτρεπον τοὺς τοῦτο ποιοῦντας, καὶ παρήγγελλον παύσασθαι τῆς τοιαύτης συνηθείας. θάψατε οὖν τὸ ἡμέτερον ὑμεῖς, καὶ ὑπὸ γῆν κρύψατε· καὶ ἔστω τὸ παρ' ἐμοῦ ῥῆμα φυλαττόμενον παρ' ὑμῖν, ὥστε μηδένα γινώσκειν τὸν τόπον πλὴν ὑμῶν μόνων. ἐγὼ γὰρ ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν νεκρῶν ἀπολήψομαι παρὰ τοῦ σωτῆρος ἄφθαρτον αὐτό.

FRATRES POST PATRIS OBITUM] Legatio fratrum deprecantium meritam iram habetur Gen. 50. v. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.

I. Tempus legationis fuit poſt mortem Patris, ut exprimitur in textu. Sed Joſeph putat factum fuiſſe in Cananæa; quia illic cum eſſent, cum Joſepho noluerint redire, priuſquam ipſis veniam & pacem condonationemque male meritorum promitteret. Quod veroſimile non eſt, quia poſſeſſiones & liberos in Ægypto, omnemque familiam reliquerant. In illa potuiſſet Joſeph ſævire, pro quibus ipſi ſe offerre debuiſſent. Alii in Ægypto fuiſſe factum putant: ſive ante patris ſepulturam, ſive poſt: quamvis enim narretur poſt ſepulturam potuit tamen ante eam eveniſſe. Scriptura conſequentiam temporum uſquequaque non obſervat: multa dicuntur ex occaſione. D. Rivetus probabilius putat, quod factum fuerit ſpatio illo temporis, quod interceſſit inter Jacobi obitum & ejus ſepulturam. *Cum omnes*, inquit, *in luctu eſſent & pignus adhuc illud haberent apud ſe. Tunc enim videri potuit commoda occaſio, cum adhuc in luctu commota eſſent viſcera & ſτοργαὶ maxime ſe exererent. Id confirmare videtur, quod ipſi primò non venerint ad fratrem, ſed miſerint nempe nuntium aliquem ex ſuis: quia fortaſſe tum non egrediebantur è ſedibus ſuis: quamvis etiam id fieri potuerit, quia parcere voluerunt pudori ſuo.*

II. Cauſa impulſiva metus & ſuſpicio fuit: Fortaſſis odio habebit nos Joſeph & retribuet &c. Suſpicio iſta debuit proficiſci vel ex occaſione quam dede-

dederat Joſeph, vel animi conſcientia. Rivetus: *Primumut dicamus, non patiuntur, quæ in Ioſeph hactenus vidimus. Mitto ejus pietatem & alias internas virtutes, quæ eum ab omni hypocriſi & malo animo abſolvebant apud Deum, qui corda novit. Sed inter homines nullum dari poteſt affectus veri & charitatis argumentum, quo fratres non eſſet demeritus. Si fuiſſet vindictæ cupidus, potuerat cum ab iis non cognoſceretur gravius cum ipſis agere: quos quidem adduxit ad culpæ agnitionem ſed beneficentiam ſemper cum ſeveritate conjunxit. Tandem ſeipſis patefecit, cum iis affectibus, quibus agnoſcere potuerunt eum fuiſſe intus commotum miſericordia. Conſolatus eſt eos verbis amiciſſimis. Eventum mali, quod perpetraverant docuit à Deo fuiſſe diſpenſatum. Iuſſit eſſe bono animo & beneficia omnia contulit quæ ſuo loco fuſius fuerunt expoſita. Anni ſeptendecim erant exacti, quibus paternam eorum curam ſuſceperat & omnia humanitatis ſigna exhibuerat &c. Certè multa erant confidentiæ de futuro & gratiarum actionis de præterito argumenta.* Sola igitur conſcientia anxietatem & ſolicitudinem fecit, recurrente memoria facti & ſceleris ante annos fere quadraginta in fratrem commiſſi. Hæc imprudentia fecit, qua fratri faciunt injuriam, ſibi ipſis creant periculum. Fratrem enim ſimulate condonaſſe putant & diſtuliſſe vindictam reverentia patris. Potuit irritari animus Ioſephi eorum diffidentia. In Ilammedenu Judæi dicunt hunc metum fuiſſe conceptum à fratribus, cum adhuc eſſent in Cananæa, circa ſepulturam patris. Vidiſſe enim quod Joſeph benediceret Deo ſuper foveam ſeu ciſternam, in quam ipſum fratres conjecerant. Judæus enim tenetur, quando videt locum, in quo Deus ſignum fecit, ipſi ſuper ea benedicere ברוך המקום שעשה לי נס במקום הזה: Id ſapit Judaicam ϖεηγίαν. Nam puteus ille fuit prope Sichem, procul à loco ſepulturæ. Idem habetur in Baal Turim.

III. Non adeunt ipſi per ſe ſed legationem mittunt aut deprecatoribus utuntur. Quidam Benjamin miſſum eſſe putant, fratrem uterinum & & criminis expertem. Hoc ſe libenter conceſſurum eſſe dicit D. Rivetus ſi facta res fuerit poſt ſepulturam: ut domi detenti non fuerint propter luctum. *Sed*, inquit, *ſi Benjaminum miſiſſent, non video cur id tacuiſſet Moſes. Non uſos fuiſſe Ægyptiorum interceſſione credibile eſt. Prudenter enim celari debuit apud infideles illud familiæ dedecus. Sed potuit eſſe in domo Iacobi, ut olim in familia Abrahami ſenex aliquis & fidelis ſervus, cujus opera uſi fuerint, & quem conſcium fecerint totius negotii, quomodo tranſactum fuerat.* Raſi: *Cui præceperunt? Filiis Balæ, qui fuerunt aſſidui* [תילך] *apud eum, ut dicitur* [Gen. 37. 2.] Et puer erat &c. Hoc non quadrat. Nam & ipſi in culpa fuerunt, ac eodem metu, ut opus haberent deprecatore. Lyra tamen ſequitur hanc opinionem. Calvinus: *Nulla magis probabilis conjectura eſt, quam electos fuiſſe domeſticos teſtes ex ſervorum numero: quorum etſi mentio facta non eſt à Moſe, quum narraret Iacob migraſſe in Ægyptum: aliquos tamen abductos fuiſſe certis rationibus colligere promptum eſt.*

IV. Legationis ſumma quæ fuit? Calvinus: *Non diſſimulant ſe graviter pecaſſe, adeoque culpam non extenuant, ut ſe ipſos ultrò gravent multa verborum congerie, Veniam ergò ſibi dari non poſtulant, quaſi leve ſit delictum: ſed atrocitati criminis primum authoritatem patris ſui deinde ſacrum Dei nomen opponunt. Laude digna fuiſſet hæc confeſſio, ſi rectà & ſine ambagibus ac figmentis ad placandum patrem progreſſi eſſent.* Duobus illis argumentis præcipuis addunt tertium, quod fratres eſſent: quamvis & illud ab eorum parte crimen aggravaret. Patrem non mandaſſe hoc ipſis interpretum conſenſus tenet. Hinc Raſi: שנו בדבר השלום כי לא צוה יעקוב כן שלא נחשד יוסף בעיניו. *Fingunt in re*

in re pacis, quia non mandaverat Iacob ita, cum Ioſeph ipſi ſuſpectus non fuerit. Si Jacob ſuſpicionem de Joſeph habuiſſet ipſe per ſe efficacius Joſephum in ultimo vitæ actu compellaſſet. Multi volunt ne quidem ſciviſſe Jacob ipſum facinus. Sciviſſe, quod venditus eſſet, at non cognoviſſe, quod eſſet à fratribus venditus. Apud alios eſt in dubio. Non videntur fratres patri expoſuiſſe, quos ſceleris conſcientia ſemper torquebat: nec Joſephus videtur indicaſſe, qui memoriam voluit eſſe exſtinctam. Mendacium igitur fuiſſe, haud alienum ab eorum moribus. Hic D. Rivetus ita judicat: *Vix tamen mihi perſuadeam, ea, quæ acciderunt ad Iacobi notitiam non perveniſſe: Nam cum nuntiarent Patri, Ioſephum eſſe in Ægypto & eum vocare in participationem bonorum ſuorum, crederem potius eos parenti omnia expoſuiſſe, ſimulque veniam poſtulaſſe, quam à fratre acceperant, qui omnia ad providentiam Divinam retulerat. Alioqui metuere debuerant, ne Benjamin, qui patri erat dilectiſſimus & innocens, id detegeret, quod audierat. Ne poſteà etiam ipſe Ioſephus in Ægypto factum narraret quod non dubitarem ab eo fuiſſe expoſitum, ſed cum eo moderamine, quo uſus eſt apud fratres ſuos, addita etiam apud patrem interceſſione, ne propterea ipſis ſuccenſeret. Nam ſi non credidiſſent id veniſſe ad notitiam patris, neque id ignotum eſſe Ioſepho, non auſi fuiſſent hoc mandatum patris prætexere. Quod autem Iacob, qui aliorum criminum, quorum reierant Ruben, Simeon & Levi, rationem habuit, dum eos in ultima ſua prophetia compellaret, durum nihil pronuntiavit in Ioſephi venditores, accidiſſe puto, tum quia hoc petierat Ioſeph & videbat omnia ceſſiſſe in bonum; tum quia penè omnes erant in culpa & ſolent judices ut plurimum parcere multitudini. Quicquid ſit nulla videtur eſſe ſolida ratio, cur id Iacobum latuiſſe debuerit, cum potius interfuerit, ut agnita totius negotii diſpenſatione, miraretur Dei providentiam, ejuſque in ſuos, tam indignos celebraret miſericordiam.*

V. Hac legatione præmiſſa & ipſi adierunt fratrem in propria perſona. Calvinus: *Non poteſt certò elici ex verbis Moſis, an tunc coram adfuerint fratres Ioſeph, ac locuti ſint, quum flevit. Divinant quidam interpretes actam fuiſſe ex compoſito fabulam, ut tentato per alios animo Ioſeph paulo poſt medio ſermoni intervenerint. Ego in diverſam magis ſententiam inclino, quum ex nuntiis cognoſceret eos cruciari, fruſtraque ſibi ipſis moleſtos eſſe, ſympathia fuiſſe tactum.* Deinde ad ſe accitos omni cura & metu liberaſſe. Fletum ergò expreſſit eorum ſermo, quum jam per ſe deprecarentur.

VI. Ceciderunt fratres coram Joſeph, addito hoc verbo: *Ecce nos tibi in ſervos*, Erat ſummæ abjectionis. Rivetus: *Hi enim videntur geſtus & verba eorum, qui vocati accedunt ad virum principem. Sunt autem omnia compoſita ad humilitatem, & qui olim nullum non lapidem moverant ne fratri ſubjicerentur, adhibitis ad id peſſimis mediis, jam ipſi ultrò deferunt, quæ non petebat, colla ſubmittunt & ſervos ſe agnoſcunt. Videntur alludere ad eam conditionem, in quam Ioſephum conjecerant; quaſi dicerent: Nos vendidimus te ut ſervus eſſes, nunc ecce agnoſcimus nos tibi ſervos eſſe, tu nos pro ſervis habeto. Unde apparet nullum eſſe conſilium contrà Dominum, & qui adverſus nituntur, imprudenter promovere, quod impedire cupiunt. Vides adhuc Ioſeph. ſomniorum ſuorum complementum.*

VII. Excipit Joſeph eadem manſuetudine, qua ſemper, eadem humilitate, eodemque affectu התחת אלהים אני. Id ſimpliciſſimè videtur reddi in verſione Belgica nova: Ben ick inde plaetſe van Godt? Eadem verba Jacob uxori reponebat, cap. 30. v. 2. Senſus eſſe videtur: Tantumne mihi tribuendum eſt, quaſi rerum ſummum judicium & vindictam mihi ſumere debeam? Qui adverſus Deum delinquit, rigorem juſtitiæ exſpectet, ſine ſatisfactione haudquaquam condonabilem: non ita eſt de homine, cujus laus in facili-

cili-

cilitate remittendi, ut Deo vindictam relinquat & ſibi veniam eſſe datam certus ſit. Non excuſat vitia Dei gubernatio, qui juſtitiam ſuam caligine noſtræ iniquitatis illuſtrat, noſtrum tamen eſt meditatione Divinæ ſublimitatis & gubernationis animum inſoleſcentem emollire & comprimere. Deum dicit univerſam rem moderatum eſſe in bonum, cui ſibi fas eſſet ſe ſubjicere: non attendentem adeò, quod ipſi cogitaverant, quam quod Deus effecerat. Ut fratres validius erigeret, promiſit ſe ipſos eorumque liberos aliturum. Id ita non eſt accipiendum, quaſi otioſis vellet proſpicere: *Sed quia externis* (inquit D. Rivetus) *in peregrinis habitationibus multa ſubinde deſint, eis præterea opus eſt protectione. Hoc Ioſeph promittit ſe defectibus omnibus ſuppleturum, quos alioqui vitare non poſſent. Nam etſi paſcua loca eis eſſent aſſignata, non videntur fuiſſe divites arvis: proinde opus eis fuit frumento: ad quod maximè refero promiſſionem Ioſephi: ſe nempe continuaturum illis frumenti demenſum ad alendas familias neceſſarium. Pluribus autem cum iis egiſſe Ioſephum & ſe explicaſſe extra dubium eſt. Moſes ſummam recitaſſe contentus paucis multa comprehendis.* Philo hanc hiſtoriam de ſupplicatione fratrum Joſeph ita explicat: Μετὰ δὲ τὴν λιμὸν, χρόνοις μακροῖς ὕστερον τελευτήσαντος τοῦ πατρὸς, ὑπονοίᾳ πληχθέντες οἱ ἀδελφοὶ, καὶ δείσαντες μή τι χαλεπὸν πάθωσι μνησικακίας προσυπολειφθείσης, ἐδέοντο λιπαρῶς, ἐπαγόμενοι γυναῖκας καὶ γενεάν. Neſcio unde habeat, quod ſecum adduxerint conjuges & generationem? Pergit: Ὁ δ' ἐπιδακρύσας φησὶν, ὁ μὲν καιρὸς ἱκανὸς ὑπόνοιαν κατασκευάσαι τοῖς ἀφόρητα εἰργασμένοις καὶ μὴ δι' ἑτέρων μᾶλλον ἢ τοῦ συνειδότος χάριν ἐλεγχομένοις. Ἡ γὰρ τελευτὴ τοῦ πατρὸς, τὸν ἀρχαῖον φόβον, ὃν πρὸ τῆς καταλλαγῶν εἴχετε, κεκίνωκεν [l. νενίωκεν,] ὡς τοῦ [inſ. μὴ] λυπῆσαι τὸν πατέρα χάριν τὴν ἀμνηστίαν ἐμοῦ προσεχόντος. Ἐγὼ δὲ τὸν τρόπον οὐ χρόνοις μεταβάλλομαι οὐδ' ὁμολογήσας ἔνσπονδος εἶναι δράσω ποτὲ τὰ ἄσπονδα. Οὐ γὰρ ὑποθέσεις ἀμυνῆς ἐκαιροφυλάκουν, ἀλλὰ τὴν εἰς ἅπαν ἀπαλλαγὴν τῆς κολάσεως ἐχαριζόμην, ἀπονέμων τὸ μέν τι τιμῇ τοῦ πατρὸς (δεῖ γὰρ ἀψευδεῖν) τὸ δέ τι εὐνοίᾳ τῇ πρὸς ὑμᾶς ἀναγκαίᾳ. Εἰ δὲ καὶ πατρὸς ἕνεκα πάντ' ἐποίουν τὰ χρηστὰ καὶ φιλάνθρωπα, φυλάξω ταῦτα καὶ πρὸς τετελευτηκότα. Τέθνηκε δ' οὐδεὶς, παρ' ἐμοὶ κριτῇ, τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν, ἀλλὰ καὶ ζήσεται τὸν ἀεὶ χρόνον ἀγήρως ἀθανάτῳ φύσει ψυχῆς μηκέτι ταῖς σώματος ἀνάγκαις ἐνδεδεμένη. Τί δὲ μόνον μέμνησθε τοῦ γεννητοῦ πατρός; Ἔχομεν τὸν ἀγέννητον, τὸν ἄφθαρτον, τὸν ἀΐδιον, ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ πάντων ἐπακούει καὶ τῶν ἡσυχαζόντων, τὸν ἀεὶ βλέποντα καὶ τὰ ἐν μυχοῖς τῆς διανοίας, ὃν μάρτυρα καλῶ τοῦ συνειδότος ἐπ' ἀψευδέσι καταλλαγαῖς. Ἐγὼ γὰρ (καὶ μὴ θαυμάσητέ μου τὸν λόγον) τοῦ θεοῦ εἰμι, τοῦ τὰ πονηρὰ βουλεύματα ὑμῶν εἰς ἀγαθῶν περιουσίαν μεθαρμοσαμένου. Γίνεσθε οὖν ἄφοβοι, καὶ πρὸς τὸ μέλλον χρησιμωτέρων μεθέξοντες, ἢ ζῶντος ἔτι τοῦ πατρὸς ἐκαρποῦσθε. Græcam verſionem LXX. interpretationem expreſſit, τοῦ γὰρ θεοῦ εἰμι ἐγώ, Abeneſdras id exponens dicit: *Dixit Gaon, quod* התחת אלהים אני *ſit: quaſi ego loco Dei eſſem, quod cecidiſtis coram me & dixiſtis, Nos ſervi tui.* Raſi: *Nunquid forte in loco ejus ego, per admirationem? Si eſſem, volens mali aliquid facere poſſem: at nonne vos omnes cogitaſtis adverſus me malum at Deus cogitavit illud in bonum: & quomodo ego ſolus poſſem malum inferre vobis?* Michlol Jophi explicat, *Deus vobis benedixit, quomodo ego vobis malum dare poſſum?*

VIII. Textus dicit, Joſeph *conſolatum eſſe fratres eiſque locutum ad cor:* Raſi: *Verba accepta cordi. Cum nondum deſcendiſſetis huc, canebant de me, quod ego ſervus* opera veſtra. *Vulgatum, quod ego* ingenuus eſſem & occidiſſem vos. Id quod homines dicebant, animadvertit cœtus juvenum, jactavitque ſe in illis, Dixitque, Fratres mei ſunt & tandem occidebat eos: Eſt frater, qui occidit fratres ſuos. A. S. Decem lucernæ non potuerunt exſtinguere unam lucernam &c. Quaſi lepidis logis & Mileſio ſermone animos eorum demulſerit.

Decessit autem Joseph ipse] Joſeph quæ promiſerat fratrib. abunde præſtitit. Joſephus: κτῆσιν πολλὴν ἐχαρίσατο καὶ πίστιν περὶ αὐτοὺς συνεδῆ χρώμενος οὐκ ἀπέλιπε. Philo. τοιούτοις θαρσυνῶν τοὺς ἀδελφοὺς λόγοις ἔργοις τὰς ὑποσχέσεις ἐβεβαίου μᾶλλον, οὐδὲν παραλιπὼν τῶν εἰς ἐπιμέλειαν. Cum vixiſſet annos 110. vitam finiit. Horum 17. egit in Cananæa in paternis ædibus tredecim in ἀβουλήτοις [ut Philo loquitur] δυστυχίαις, ἐπιβουλευόμενος, πιπρασκόμενος, δουλεύων, συκοφαντούμενος, ἐν δεσμωτηρίῳ καταδυόμενος. Reliquos octoginta in principatu ſummaque felicitate, λιμοῦ καὶ εὐθηνίας ἔφορος καὶ βραβευτὴς ἄριστος, τὰ πρὸς ἑκάτερον καιρὸν πρυτανεύειν ἱκανώτατος, ut iterum Philo. Honoratum ab omnibus fuiſſe & in ſummo pretio res clamat: cujus etiam æſtimatio beneficiorum non exſtincta eſt, niſi longo tempore poſt mortem ejus. Longa ejus dominatio & beneficiorum memoria profuit Iſraëlitis, ut interim liceret augeſcere. Nihil in illo magis mirari poſſis quam in proſperis & adverſis animum infractum & ſui ſemper ſimilem: ſine elatione, ſine diffidentia. Cum omnibus major eſſet omnibus obſequioſum ſe præſtitit: quomodo facile invidia vincitur & retinetur favor. Calvinus. *Scimus, quam anxie laborent alii, tum ne ipſi minuantur, tum ut integram fortunam poſteris relinquant: atqui Ioſeph per annos octoginta huc tantum omnia ſtudia impendit, quomodo ſe & ſuos in ordinem cogeret, ne ſua eos magnitudo à tenui grege Domini arceret.* Apparet eum ſolicite ſeparatos tenuiſſe Iſraëlitas à commixtione cum Ægyptiis, quorum reip. & dignitatibus eos noluit inſeri. Hinc ne quidem filiis nepotibuſque honores aulicos aut Ægyptiacas dignitates conciliavit: ut animus ſuus in Goſen erat & Cananæam reſpiciebat, ita ſuam ſobolem huc ſpectare voluit & à ſuo populo non ſegregari.

Videt Joſeph ex Ephraim בני שלשים: alii בני putant dictum eſſe pro בנים / at Abeneſdra filios tertianorum de quarta accipit progenie. Filii Machir Manaſſe nati ילדו על ברכי יוסף. Raſi: *Secundum Thargum, Educavit eos inter genua ſua.* Innuitur Efraimum fecundius procreaſſe & erupiſſe in multitudinem generationum.

Moribundus Joſeph ſive per vaticinium ſive edoctus à Patre, dicit fratribus: Deum educturum eſſe ipſos ex Ægypto & collocaturum in terra Canaan, juxta promiſſionem Abrahamo, Iſaaco, Jacobo factam à Deo & jurejurando confirmatam. Ideo adjurat eos, quod oſſa ſua ſecum deportaturi eſſent. Fratres & filii Jacob in hac ſcriptura appellantur cognati, adeoque & illi qui naſcituri ex ipſis eſſent & exituri ex Ægypto. In eum finem conditum corpus & in arca repoſitum eſt, ut reliquiæ poſt tantum temporis id eſt, poſt annos centum triginta quinque in Cananæam deferri poſſent & quadraginta annis in ſolitudine haberi. Cæterum mandatum hoc Joſephi conſiderat Cl. Rivetus & defendit à praua interpretatione quam faciunt Pontificii: *Ad hoc,* inquit, *Ioſephi mandatum reſpiciens apoſtolus ad Heb. cap. XI. v. 22. ait:* Per fidem Joſephus obiens de egreſſione filiorum Iſraëlis meminit, deque oſſibus ſuis præcepit. *Vbi teſtatur Sp. S. diſpoſitionem hanc Ioſephi à fide fuiſſe profectam, fide, inquam, promiſſionum Divinarum; ideò etiam meminit Ioſeph juramenti facti majoribus ſuis. Dum autem de oſſibus ſuis præcepit, nec voluit ea manere in Ægypto, id fratribus ſuis indicare & apud eos profiteri in animo habuit: ſe quantumvis diu apud Ægyptios vixiſſet in maxima dignitate, in qua ita abunde ei proſpectum fuit, ut aliis etiam potuerit liberaliter neceſſaria largiri, non tamen his rebus appoſuiſſe animum, ſed potius delegiſſe ſpem futuræ hæreditatis, quam agnoſcebat eſſe ſymbolum cæleſtis beatitudinis. Cum de tranſlatione Iacobi egimus rationes fuſius expoſuimus, cur tam ille, quam Ioſephus & eorum exemplo reliqui patriarchæ & capita familiarum Iſraëlis mandata dederint de oſſibus ſuis transferendis. Nam id etiam*

alios

alios patriarchas feciſſe teſtatur in oratione ſua Stephanus Act. cap. 7. Nihil in hac cura fuiſſe ſuperſtitiaſum, nihil unde quærerent animarum, poſt corporis abitum, ſolatium, nihil cogitaſſe de ſacrificiis aut ſuffragiis pro defunctis, ſed tantum fuiße conteſtatos ſe in hac fide fuiſſe mortuos, quod Deus promiſſa ſua ſit exſecuturus. Vt mirum ſit Pontificios hæc ad ſua commenta, quaſi obtorto collo, trahere voluiſſe. Ex hac hiſtoria & mandati Ioſephi exſecutione, de qua plenius agetur Exod cap. 13. conatur prabare Bellarminus lib. 2. de Eccleſ. triumphante, qui eſt de reliquiis ſanctorum cap. 3. neque novum neque ſuperſtitioſum eſſe, transferre reliquias Sanctorum. Quod certè abſolutè in controverſiam non vocatur. Poſſunt enim eſſe legitima, aliquando neceßaria tranſlationis cauſa, non modo Sanctorum ſed & aliorum mortuorum qua vel politica ſunt vel œconomica: quorum hoc etiam tempare multa proferri poßent exempla. Poßunt etiam eſſe cauſa religioſa, qualem eſſe non negamus, qua Patriarchas movit ad id mandandum. Id enim fecit Ioſephus, prævidens, in Spiritu futuram populi Iſraëlitici calamitatem: quem hoc ſuo oraculo & oſſium ſuorum aſſervatione & ſuo tempore tranſlatione, admonere voluit de complemento promiſſionis, videlicet reductione in terram Canaan, velut quodam promiſſa liberationis externo ſigna. Si ergò velint adverſarii id ad cauſam facere, oſtendant Ioſephum voluiße oſſa ſua transferri ad erectionem novi cultus; ut integra ſive per diſperſas particulas, exponerentur. Capſam, in qua jacebant, fuiße in publicis ſupplicationibus geſtatam, & ab oſſibus illis exſpectaße pios vim quandam Divinam. Ad ea confugiße Iſraelitas, variis calamitatibus in Ægypto preſſos. In Palæſtinam delata eadem ad venerationem & cultum propoſuiſſe. Contraria omnia habemus in ſacra hiſtoria. Servarunt quidem oſſa Ioſephi, ſed in capſa recondita, donec tempus liberationis accederet. Tranſtulerunt, ſed ut ea ſepelirent & terra mandarent in Sichem, non ut ea oculis omnium ſubjicerent: quod faciunt Pontificii effodientes oßa mortuorum, ut ea ex loculis eruta oſtentent ad quæſtum ſuum & ad Idololatriam fovendam. Nihil tale à Sanctis inſtitutum fuit, aut à piis nnquam cogitatum. Iudæi quidem commenti ſunt, duas fuiſſe arcas, una incedentes in deſerto, alteram Divinitatis, alteram Ioſephi, illam ſcilicet arcam fœderis, alteram loculos, in quibus Ioſephi oßa ex Ægypto aſportarentur in terram Canaan. Hoc commentum faveret religioſa reliquiarum adarationi: de quo tamen ſatis ingenue Pererius, Cujus *inquit*, dementiæ eſt conditorium mortui corporis & arentium oſſium, cum Dei ſacrario comparare, ut ex æquo incederent? Scilicet id religioſiſſimus Moſes feciſſet, aut etiam facere paſſus eſſet? *Recte id quidem obſervatum. Sed non minus religioſè jurant Pontificii, tangentes reliquias quam tangentes ſacramenta. Et certè non ſalum ex æquo incedunt, ſed in reliquiis portandis aut detegendis, oſtentandis vel tractandis, major reverentia multò adhibetur: quam in ſacramentis adminiſtrandis aut percipiendis.* Hæc Rivetus.

Joſeph igitur diem ſuum obiit, expletis annis 110. Octuaginta annorum felici moderamine in Ægypto ſuis umbra & tutamen fuit, ut poſſent ſoboleſcere & augeri, nec in herba (quod dicunt) opprimerentur. Potuiſſent tamen diuturniore felicitate beari, ſi Joſeph ad id ætatis perveniſſet, quo ſi non omnes, ſaltem plerique fratrum pervenere. Conſtat multos adhuc in vivis fuiſſe, cum Joſeph fatis concederet. At omnia definiuntur Dei voluntate & ſapientiſſimo decreto. Nullius ævum dicere poſſumus, niſi ſolius Levi. Vixit annos centum triginta ſeptem. Habebat annos 43. cum Ægyptum ingrederetur, major quadriennio, quam Joſeph. Annos natus ſexaginta (ſecundum Demetrium) genuit Caath ipſo illo anno, quo deceſſit Jacob. Vide laterculum.

A. M. 2194 Levi naſcitur.
2199 Joſeph naſcitur.

2238 Jacob ingreditur in Ægyptum cum familia:
2255 Jacob moritur, eodem anno natus eſt Caath.
2295 Caath genuit Amram, juxta Demetrium.
2309 Joſeph moritur.
2333 Levi moritur.
2370 Aaron naſcitur.
2373 Moſes naſcitur.
2388 Caath moritur.
2432 Amram moritur.

Hæc ex Exodi VI. 15. 17. 19. & luculento illo fragmento Demetrii è Polyhiſtore apud Euſebium. Hoc ἀποσπασμάτιον in ſuperioribus per partes adductum eſt, reſidua hic locum habent. Λευὶ δὲ, inquit, γενόμενον ἐτῶν ρλζ' τελευτῆσαι, καθ' ὃ ὄντα ἐτῶν μ' γεννῆσαι Ἀβραὰμ (leg. Ἀμρὰμ) ὃν ἐτῶν εἶναι ιδ', ἐν ᾧ τελευτῆσαι Ἰωσὴφ ἐν Αἰγύπτῳ, ὄντα ρί ἐτῶν. καθ' ὃ δὲ γενόμενον ἑκατὸν λγ' τελευτῆσαι. Ἀβραὰμ (iterum leg. Ἀμρὰμ) λαβεῖν τὴν τοῦ θείου θυγατέρα Ἰωχάβετ, καὶ ὄντα ἐνιαυτῶν οέ, γεννῆσαι Ἀαρὼν καὶ Μωσῆν. γεννῆσαι δὲ Μωσῆν τὸν Ἀμρὰμ ἐτῶν οή. καὶ γενόμενον Ἀμρὰμ ἐτῶν ρλϛ' τελευτῆσαι. Hoc fragmentum elidit illorum ſive ſtuporem ſive novandi luxuriam, qui populum in Ægypto annos 400. egiſſe contendunt. Confirmat tamen eorum ſententiam, qui non omnes, quos Moſes emmerat Gen. 46. natos eſſe putant, cum Jacob Ægyptum ingrederetur: ſed dicto Moſis dicentis cum Jacob veniſſe iſtos, comprehendi ſaltem quoſdam qui in Ægypto ante Jacobi mortem nati ſunt. Demetrius igitur tabulas ſive traditionem ſecutus eſt, quæ ita habuerunt. Patriarcharum omnium corpora in Cananæam delata ſunt ut & Stephanus [Act. 7. 16.] memorat & expreſſius ſcribit Joſephus. Hujus verba ſunt: Τελευτῶσι δὲ αὐτοῦ καὶ οἱ ἀδελφοὶ ζήσαντες εὐδαιμόνως ἐπὶ τῆς Αἰγύπτου καὶ τούτων μὲν τὰ σώματα κομίσαντες μετὰ χρόνον αὐτῶν οἱ ἀπόγονοι καὶ οἱ παῖδες ἔθαψαν ἐν Χεβρῶνι· τὰ δὲ Ἰωσήπου ὀστᾶ, ὕστερον ὅτε μετανέστησαν ἐκ τῆς Αἰγύπτου οἱ Ἑβραῖοι εἰς τὴν Χαναναίαν ἐκόμισαν. οὕτως γὰρ αὐτοὺς ὁ Ἰώσηπος ἐξώρκισε. *Obeunt autem illic etiam fratres, cum in Ægypto feliciter vixiſſent. Et horum quidem corpora deportata poſt aliquod tempus eorum nepotes & filii ſepeliverunt Hebrone: Ioſephi vero oſſa poſteà, cum ſe transferrent ex Ægypto Hebræi in Cananæam deportarunt.* Corpora igitut cæterorum patriarcharum, fratrum Joſephi, paulò poſt obitum, filii nepoteſque ſepulchro majorum, quod Abraham emerat, intulere: ſed Joſephi corpus ſive oſſa ſecum in exitu populus deportavit. Cur Joſephus corpus ſuum in Ægypto uſque ad id tempus manere voluerit nec deportari in Canaan mox poſt obitum, ut de Jacobo & aliis patriarchis factum eſt, nos quidem ignoramus. Fortaſſis Ægyptum non voluit gravare ſumptibus, aut voluit in parte terræ ſepeliri, quæ obventura eſſet ſuæ tribui. Philo poëta Judæus in opere de Hieroſolymis libro quarto, ita de Joſeph ſcripſit, laudante Euſebio.

Τοῖσιν ἔδος μακαριστὸν ὅλης μέγας ἔκτισεν ἄκτωρ
ὕψιστος, καὶ πρόσθεν ἀπ' Ἀβραάμοιο καὶ Ἰσὰκ
Ἰακὼβ εὐτέκνοιο τόκος Ἰωσήφ, ὃς ὀνείρων
θεσπιστής, σκηπτοῦχος ἐν Αἰγυπτίοιο θρόνοισι,
Δινεύσας λαθραῖα χρόνου πλημμύρεσι μοίρης &c.

His ſedem feliciſſimam univerſæ [Ægypti niſi legendum ὅλου univerſi] *magnus paravit ductor*
Altiſſimus; & prius ab Abraam & Iſac,
Iacobi filiis felicis genitura Ioſeph, qui ſomniorum

Vates,

Vates ſceptrifer in thronis Ægypti
Iactatus latenter, temporis aſtu fati.
Ita reddi debent, quæ longe aliter vertit Franciſcus Vigerus, editor Euſebii operum de præparatione & demonſtratione Euangelica.

Polyhiſtoris fragmentum ex Artapano, item Iuſtinus ex Trogo de Ioſepho.

POlyhiſtor ex Artabani opere, quod de Judæis compoſuit in hunc modum de Joſepho ſcriptum reliquit: Ἀρτάπανος δέ φησιν ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων, τοῦ Ἀβραὰμ ἀπόγονον γενέσθαι, υἱὸν δὲ Ἰακώβ· συνέσει δὲ καὶ φρονήσει παρὰ τοὺς ἄλλους διενεγκόντα, ὑπὸ ἀδελφῶν ἐπιβουλευθῆναι. Προειδόμενον δὲ τὴν ἐπισύστασιν, δεηθῆναι τῶν ἀστυγειτόνων Ἀράβων, εἰς τὴν Αἴγυπτον αὐτὸν διακομίσαι· τοὺς δὲ τὸ ἐντυγχανόμενον ποιῆσαι. Εἶναι γὰρ τοὺς τῶν Ἀράβων βασιλεῖς ἀπογόνους Ἰσραήλ, υἱοὺς τοῦ Ἀβραάμ, Ἰσαὰκ δὲ ἀδελφούς. Ἐλθόντα δὲ αὐτὸν εἰς τὴν Αἴγυπτον, καὶ συσταθέντα τῷ βασιλεῖ, διοικητὴν τῆς ὅλης γενέσθαι χώρας. Καὶ πρότερον, ἀτάκτως τῶν Αἰγυπτίων γεωμορούντων, διὰ τὸ τὴν χώραν ἀδιαίρετον εἶναι καὶ τῶν ἐλασσόνων ὑπὸ τῶν κρεισσόνων ἀδικουμένων, τοῦτον πρῶτον τήν τε γῆν διελεῖν καὶ ὅροις διασημήνασθαι καὶ τὴν πολλὴν χερσευομένην γεωργήσιμον ἀποτελέσαι καί τινας τῶν ἀρουρῶν τοῖς ἱερεῦσιν ἀποκληρῶσαι. Τοῦτον δὲ καὶ μέτρα εὑρεῖν, καὶ μεγάλως αὐτὸν διὰ τοῦτο ὑπὸ τῶν Αἰγυπτίων διὰ ταῦτα ἀγαπηθῆναι. Γῆμαί τε αὐτὸν Ἡλιουπολίτου ἱερέως Ἀσενὲθ θυγατέρα, ἐξ ἧς γεννῆσαι παῖδας. Μετὰ δὲ ταῦτα παραγενέσθαι πρὸς αὐτὸν τόν τε πατέρα καὶ τοὺς ἀδελφοὺς κομίζοντας πολλὴν ὕπαρξιν, καὶ κατοικισθῆναι ἐν τῇ πόλει Καισὰν καὶ τοὺς Σύρους πλεονάσαι ἐν τῇ Αἰγύπτῳ. Τούτους δέ φησι καὶ τὸ ἐν Ἀθὼς καὶ τὸ ἐν Ἡλιουπόλει ἱερὸν κατασκευάσαι τοὺς Ἑρμιοὺθ ὀνομαζομένους. Μετὰ δὲ ταῦτα τελευτῆσαι τὸν Ἰωσὴφ, καὶ τὸν βασιλέα τῶν Αἰγυπτίων. Τὸν οὖν Ἰωσὴφ κρατοῦντα τῆς Αἰγύπτου, τὸν ἐτῶν ἑπτὰ σῖτον, γενόμενον κατὰ τὴν φορὰν ἄπλετον, παραθέσθαι καὶ τῆς Αἰγύπτου δεσπότην γενέσθαι. Juſtinum his addam in breviario Trogi Pompeii lib. 36. *Namque Iudæis origo Damaſcena, Syriæ nobiliſſima civitas. Vnde & Aſſyriis regibus genus ex regina Semirami fuit. Nomen urbi à Damaſco rege inditum: in cujus honorem Syrii ſepulchrum Arathis* [leg. Atharis] *uxoris ejus pro templo coluere, deamque exinde ſanctiſſimæ religionis habent. Poſt apud Damaſcum Azelus mox Adores & Abraham & Iſraël reges fuere. Sed Iſraëlem felix decem filiorum proventus majoribus ſuis clariorem fecit. Itaque populum in decem regna diviſum filiis tradidit, omneſque ex nomine Iudæ; qui poſt diviſionem deceſſerat, Iudæos appellavit: colique ejus memoriam ab omnibus juſſit. Ejus portio omnibus acceſſerat. Minimus ætate inter fratres Ioſeph fuit: cujus excellens ingenium veriti fratres clam interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Ægyptum, cum magicas ibi artes ſolerti ingenio percepiſſet, brevi ipſi regi percarus fuit. Nam & prodigiorum ſagaciſſimus erat & ſomniorum primus intelligentiam condidit; nihilque divini juris humanique ei incognitum videbatur; adeò, ut etiam ſterilitatem agrorum ante multos annos providerit: periſſetque omnis Ægyptus fame, niſi monitu ejus rex edicto ſervari per multos annos fruges juſſiſſet: tantaque experimenta ejus fuerunt, ut non ab homine ſed à Deo reſponſa dari viderentur.*

Vides, Lector, mala mixta bonis, quædam vera alia falſa aut incruſtata. Demetrii diligentiam commendat Artapani negligentia: Demetrius ab ipſis gentis Judaicæ ſeu Samariticæ hominibus veritatem accepit, Artapanus imperitis & peregrinis credidit: aut accepit ab ſcriptoribus malè informatis ſicuti & Trogus Pompejus. In hoc ſcriptorum genere vanitas ipſa veritatem ſtabilit, cum transpareat & ab ipſo diſſenſu mentientium accipiat teſtimonium. Joſephi ſolers ingenium, prudentiam & ſapientiam in cælum ambo extollunt. Quod autem magicas artes perceperit calumnia aut pagana ſtoliditas jactavit.

Me-

Metuentem fratrum inſidias, ultrò rogaſſe Arabas ut ſe in Ægyptum deportarent, Artapanus fabulatur, Trogus Pompejus rectè ſcribit fratres clam interceptum ipſum peregrinis mercatoribus vendidiſſe. Scribit Artapanus Ægypti terram prius indiviſam, dimenſum eſſe & diſtribuiſſe, quod aliquam ſpeciem veri habet, quia agros regi venditos colonis reddidit impoſita penſione quintæ. Quoſdam agros ἀποκληρῶσαι ſacerdotibus ita defendi poteſt, quod ſacerdotibus ſui agri manſerint, quia non urgebat eos neceſſitas famis, cum regis liberalitate alerentur. Uterque notat ſterilitatem agrorum prævidiſſe. Artapanus Iſraelem videtur facere Abrahami patrem, Trogus Iſraëlem Abrahamo poſteriorem & decem filiorum proventu beatum fuiſſe ſcivit: ſed in Trogo etiam mirabilis eſt temporum & rerum confuſio. Nam Damaſcenos & Iſraëlitas confudit, multis ſeculis poſteriores tempore priores fuiſſe putat. Azelûs & Adores in ſacris literis appellantur Hazael & Hadad Damaſci reges: hos ante Abraham & Iſraëlem collocat. Neſcit Trogus Joſephi patrem cum tota familia in Ægyptum advenilſe, quia in ſequentibus etiam ſcribit Moſen ducem eſſe factum ægrorum Ægyptiorum, qui regione pellebantur, ne peſtis ad plures ſerperet. Artapanus memorat eoſdem illos Judæos ſive Syros templum in Athos & Heliopoli condidiſſe. Templa illa Judæi condidere Ptolemæis regnantibus ut ſuo loco docetur. Regio Goſen dicitur Artapano urbs καινήν.

SULPICII SEVERI

HISTORIÆ SACRÆ

LIBER PRIMUS.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

HEbræi igitur, qui in Ægyptum devenerant, incredibile memoratu eſt, quam citò numero aucti ſint, multiplicataque progenie, Ægyptum repleverint. Sed defuncto rege, qui eos ob meritum Ioſeph benignè fovebat, ſuccedentium regum imperio deprimebantur. Nam & opus durum ædificandarum civitatum eis impoſitum: & quia jam multitudo abundans metuebatur, ne quandoque libertatem armis vindicarent, parvulos recens editos mergere edito regio jubebantur. Nec diſſimulare cruentum imperum licebat. Qua tempeſtate filia Pharaonis infantem in flumine repertum nutriendum pro filio curavit: nomen puero Moyſes dedit. Moyſes hic cum viriles annos ageret, conſpicatus Hebræum ab Ægyptio pulſari, permotus dolore, fratrem ab injuria vindicans Ægyptium calce perculſum interemit. Mox ſupplicium è facto metuens, in terram Madian profugit: & apud Iethro ſacerdotem regionis illius diverſatus, filiam ejus Sephoram in matrimonium accepit exque ea duos filios Gerſom & Eliezer ſuſtulit.

DRU-

Druſius.

Incredibile dictu] Hoc incredibile non eſſe demonſtrat Johannes Temporarius Chronologicarum demonſtrationum lib. 2.

Quam cito numero aucti ſint] Ingreſſa ſunt Ægyptum capita 70. egreſſa vero ſunt armatorum ad millia ſexcenta, præter imbellem turbam & vulgus promiſcuum cap. 23.

Cito] Spatio ducentorum & decem annorum, quem numerum innui putant verbo רדו, *deſcendite*. Res enim in numeris valet 200. Vau ſex, Daleth quatuor. Simul efficiunt eum numerum, quem dixi, hoc eſt 210. Cui firmando, quod in Thargum Jeroſolymitano. Et habitatio filiorum Iſraël qua habitarunt in Ægypto triginta ſemittarum erat, in quibus completi fuerunt anni quadringenti. Semitta (Ebræa vox eſt שמטה) non ſolum ſeptimum annum ſignificat, ſed ὅλην annorum hebdomadam. Sonat autem ut ſi dicas ἄνεσις remiſſio ſive intermiſſio. Nam eo anno omne opus agricolationis intermittebatur. Porrò triginta ſemittæ, id eſt, annorum hebdomades, efficiunt annos 210. Rurſum editio Chaldaica ad locum *Saltitans ſuper montes*, qui ſaltat merito patrum centum nonaginta annos. Quibus ſi addas, quibus fuerunt in Ægypto, emergunt anni 400. quos inchoant à nato Iſahaco. Salmanticenſis. *Traditio eſt in manu noſtra annos captivitatis Ægyptiacæ numerari à die quo natus fuit Iſahac. In qua ſupputatione conſentiunt ſapientes nationum, nec non eorum Chronica.* Vide notas ad cap. 6. Sed & infra ad cap. 24. aliquid hac de re.

Multipicataque progenie] reptilium inſtar, non formicarum aut locuſtarum, ut annotat Galeſinius. Quanquam formicæ inter reptilia, quæ שרצים vocantur. Vide ſis Exod. 1. 7. Theodoretus οὕτως ηὐξήθησαν ὥςε καὶ πλέονας ἐκείνης ἐκχυθῆναι γῆς. Ebræi ſcribunt ſingulas ternos aut quaternos & quandoque ſenos peperiſſe.

Defuncto rege] hic in hiſtoria Mephres nominatur, cujus anno nono Joſeph deceſſit, cum vixiſſet decem ſupra centum. Ex quo liquet ipſum cum imperio præfuiſſe Ægypto annos LXXX. Nam cum ſummam à Rege poteſtatem accepiſſet, annorum erat XXX. Intereà in Ægypto fuerunt, ut proditum à nonnullis, reges quinque. Sed Euſebius quatuor tantum recenſet. Hi ſunt Amoſis, Chebron, Amenophis & Mephres. Vide ſodes Chronicon ipſius.

Succedentium regum] horum nomina leguntur apud Funccium, Amenophis alter, cujus anno 26. natus creditur Moſes, Orus cognomento Magnus, Acencheres, Achorus, Cenchres ſive Canchres, qui in mari rubro periit. Hunc Tacitus Bocchorin appellat.

Series Regum Ægypti in dynaſtia XVIII.

1.	Amoſis ſub quo inſignis illa fames fuiſſe creditur. Quanquam ſunt qui eam ſub Mephrem fuiſſe prodiderunt. Amoſis regnavit annos	25.
2.	Chebron qui in Gloſſa ordinaria Nebronvocatur, ann.	13.
3.	Amenophis annos.	21.
4.	Mephres annos.	12.
	Hujus anno nono; aut, ut alii, undecimo, deceſſit Joſeph natus annos centum decem.	

5. Miſphar Metoſis (alias Metuſis ita Gloſſa ordinaria) ann. 36.
6. Tuthemoſis ann. 9.
Ita Funccius in Gloſ. Ord. vocatur Tithimoſis, & 8 tantum anni regno ipſius attribuuntur.
7. Menophis alter. 31.
Hic ab aliis Memnon vocatur. Primus edictum de necandis Ebræorum pueris propoſuit; ſub hoc natus eſt Moſes.
8. Orus cognomento magnus ann. 38.
9. Acencheres annos. 12.
10. Achorus annos. 9.
11. Cenchres ſive Canchres annos. 16.
Hic in mari rubro periit, ut dictum eſt.

IMPERIO] imo tyrannide. Nam iniquum & durum nimis imperium tyrannis eſt. *deprimebantur* autem in oppoſito habet *extollebantur, adaugebantur.*

ÆDIFICANDARUM CIVITATUM] duas ædificarunt (armaria Pharaonis quidam eas vocant) videlicet *Phithom & Rameſſes.* Exod. 1. 11.

OPUS DURUM] & ſegne admodum, ſi non fallunt nos Ebræi, apud quos in proverbium abiit, *Phitom & Rameſſes*, de opera ſegni ac tardo ſupra modum.

NE QUANDOQUE LIBERTATEM, &c.] ne hoſtibus ſe conjungerent, aut ſibi ex ea terrâ exitum bello quærerent.

PARVULOS] mares. Hoc edictum valdè minuit numerum Ebræorum in Ægypto, qui alioquin in majus potuiſſent excreſcere. Nam ex ſolo Joſeph naſci potuerunt eo ſpatio temporis, & quidem abſque ullo miraculo 25000000. bellatorum ut quidem Temporarius demonſtrat.

FILIA PHARAONIS] Termuth ſine Termuthin Joſephus nominat. Pharao autem illo tempore Amenophis vocabatur, ſi credendum Euſebio, cujus anno 26. natus fuit Moſes. Quod ſic doceo. Quum populares ſuos educeret ex Ægypto, agebat annum LXXX. Tum Ægypto præerat Pharao Cenchres, qui anni regni ſui decimo ſexto in mari rubro periit. Hunc anteceſſit Achorus, qui regnavit annos novem: Amenophis triginta unum. Subduc calculum, deprehendes eum natum fuiſſe anno regni Amenophis, quo dixi.

INFANTEM] filium Amram, quem ex Jochabed uxore genuerat. Hic Amram patrem habuit Caath, Levi filium, Jacobi nepotem. Fuit autem ſeptimus à patriarcha Abrahamo. Quod ſignificat Salmanticenſis in libro Johaſin per hæc verba, *Moſes doctor noſter ſuper eum pax fuit ſeptimus ſanctorum patrum, itidem ut ſabbathum.* Hoc vult dicere, ut ſabbathum ſeptimus dierum eſt, ita Moſes ſeptimus patrum, id eſt, patriarcharum. Idem ibid. *Natus eſt anno 37. poſt obitum Levi, hoc eſt anno mundi conditi 1368. die quarto ſeptimi menſis Adar, tertia horâ diei, ut ſcriptum reliquit R. Abraham filius Hija Hiſpanus.*

IN FLUMINE] in Nilo, qui peculiariter יאור id eſt, rivus appellatur. Forte quià in multos rivos deducitur. Nihil affirmo.

NUTRIENDUM PRO FILIO CURAVIT] matri eum tradidit nutriendum quem per ſororem Mariam, quæ ad flumen ſtabat, ad ſe vocaverat. Eadem nominavit eum Moſen, quod diceret, *Ex aqua extraxi eum*, Exod. 2. 10. Vide ſequentia.

NOMEN PUERO MOYSES DEDIT] Quid vidit Galeſinius theologus cum ſcriberet, *nomen hoc in circumciſione à parentibus impoſitum?* Nam circumciſus fuit die octavo, ita jubente lege, nomen autem hoc inditum à filia Pharaonis, cum ex aquâ, in quam projectus erat, eum eduxiſſet. Res eſt, non conjectura.

MOYSES

Moyses] varians ſcriptura Moſes. Utraque repetitur in codicibus Græcis & Latinis. Hæc Ebræorum propria eſt, Appellatio à משה / extraxit, eduxit: non ex μῶ aqua & ὑσῆς ſervatus, ut vult Joſephus. In circumciſione nominatus fuiſſe traditur Joacim. Habuit præterea nomen aliud, videlicet Melchi. Quod notavit Clemens Alexandrinus. Unde habeat neſcio. Vide Quæſita mea. Melchi ſonat, ſi Latine velis interpretari, rex meus. Id nunc legunt Malchi. Antiquitates Philonis habent Melchil, *vocavit*, inquit (loquitur de filia Pharaonis) *nomen ejus Moſes: mater autem eum vocavit Melchil.* Aliter Clemens qui ſcribit hoc nomen ei datum poſtquam in cœlum receptus eſſet. Ab Ægyptiis teſte Abenezra vocabatur Monios. Omitto Saphenath Phanea, quod exponunt abſconditorum repertor: alii, mundi ſervator. Nam id ſonat, teſte Hieron. in lingua Ægyptiorum. Porro Moyſes ita hodiè pronuntiant, ut ſi eſſet vox triſyllaba Μωϋσῆς, quam pronuntiationem adjuvat Etymon Joſephi, de quo ſupra. ὑσῆς enim, id eſt, ישע verbum eſt diſſyllabum. Suſpicari aliquis poſſet ſcripturam hanc manaſſe ex illo etymo. Quæ ſuſpicio ſi vera, tum rectè ſic pronuntiant. Sed ſi diphthongus eſt ωυ in μωυσῆς, tum diſſyllaba vox eſt pronuntianda διασυλλάβως, ut monet Henricus Stephanus in Apologet. pro vet. ling. Græcæ pronuntiatione. Forte an aliquando lectum fuit משה per Vau ſchurec vocalem, quam interpretes per diphthongum ωυ expreſſerint. Sane ω & ου & αυ in Vau permutantur. Qualis ſonus in ου, talis fere in αυ. conſule Grammaticos.

Cum Viriles Annos Ageret] non ἀνὴρ γενόμενος, ſed μέγας γενόμενος, & in Ebræo, *magnus evaſit*, ut poſſis exponere, *cum è pueris exceſſiſſet.* Sed μέγας etiam de viro dicitur. Quomodo accipiendum putarim. Nam agebat tum annum ætatis quadrageſimum. Liquet ex narratione Stephani protomartyris, Act. 7. 23.

Hebræum] maritum Salomith, filiæ Dabri. R. Salomo. Quod tamen temerè affirmatur. Nam non habet autoritatem de Scriptura. Quocirca quam affirmatur facile, tam facile negari poteſt.

Ab Ægyptio] hunc putant fuiſſe ex præfectis regiis, qui operas Judæorum exigebant, moraſque ceſſantium caſtigabant.

Fratrem] agnatum aut popularem.

Ab Injuria Vindicans] vide Act. 7. 24.

Calce Perculsum Interemit] proſtratum occidit, & arena obruit, ne res innoteſceret. Putabat enim neminem ſcire, cum undique circumſpiciens neminem videret.

Mox] ubi rem cognitam eſſe intellexit, cum etiam Pharao re audita ipſum ad ſupplicium quæreret. Id accidit die altero Exod. 2. 13. Duos autem Ebræos inter ſe contendentes audaces Judæi dicunt fuiſſe Dathan & Abirom. Ita Jonathan. & R. Salomo. Pro die altero ſive ſecundo, Act. 7. 26. Eſt τῇ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ id eſt die ſequenti.

E Facto] id eſt, poſt factum, ut cum dicimus *ex illo tempore* ſignificamus poſt illud tempus: vel certè propter factum. Nam (e) quoque propter ſignificat, ut in Epiſtolà Cæcilii ad Plinium, *balneum etiam ex epiſtolu meis* notavit Linacer.

In Terram Madian Profugit] Exod. 2. 25. *&* *ſedit in terrà Madian.* Terram pro regione poſuit: nam eſt nomen regionis, quanquam Joſephus urbem eſſe ſcribit in littore maris rubri ſitam. Euſebius in locis duas urbes meminit ejus nominis. Prior, inquit, eſt trans Arabiam ad meridiem in deſerto Saracenorum, contra orientem maris rubri: unde vocantur Madianæi

& Madianæa regio. Alia eſt juxta Arnonem & Areopolim, cujus nunc ruinæ tantummodo demonſtrantur. In hac Moſen exulaſſe ſcribit, Hieron. in locis Act. Apoſtol.

Madian] nomen hoc ſcribi debet cum N in ultima. Quod autem in libris Græcorum μαδιὰμ, mendum eſt ab exſcriptoribus: quale in ὠδὶμ & ſimilibus. Hodiè Midian & eſt diſſyllabum.

Apud Jethro Saserdotem] Raguel, non Jethro legitur Exod. 2. 17. quod Græci ſcribunt ῥαγουὴλ Latini variant. Nam in aliis Raguel, & in aliis Jethro. Quæ duo nomina Lyra confudit: etiam Scholion quod in editione Romana, ῥαγουὴλ, ἰοθὸρ. Nam Jothor idem cum Jethro, Critici Ebræorum legunt Jether. Aliis Jethro pater erat, & Raguel avus. Quod autem in loco citato, *ad Raguel patrem ſuum*, id interpretantur ad Raguel avum ſuum. Sic Abenezra, R. Levi. & alii. Nam pater Jethro dicebatur & Hobab. Sic dico Raguel pater Jethronis erat, & Jethro ſocer Moſis, cujus filiam Sephoram in matrimonium acceperat. Ut pater pro avo, ita filius ponitur pro nepote. Sic mater eſt avia quandoque & filia neptis.

Jethro] nihil immuto tamen eo labor ut credam Severum, qui alioqui Græcos libenter ſequitur, ſcripſiſſe Jethor. nam ita vocatur hic ſacerdos Exod. 2. 16. in codicibus Græcis. Rei firmandæ eſt Jethor, quod in duabus editionibus, videlicet Baſilienſi & Pariſienſi.

Sacerdotem] τῷ ἱερέα. LXX. Joſephus. Hieronymus. Quod roborat Abenezra his verbis, *omnis ſacerdos eſt miniſter Dei aut Idolorum. Iſte autem erat Iethro miniſter Dei, quemadmodum adhuc declarabo.* Quidam, *principem regionis illius*, in queis Onkelos Paraphraſtes Chaldæus. Sic Photiphare, qui à veteribus vocatur *ſacerdos Onii*, ab aliis dicitur *princeps Onii*, id eſt, præfectus aut gubernator. Eadem vox in Ebræo.

Sephoram] in libtis quibuſdam ſcriptum Sepphora. Sed Biblia Latina Sephora habent, Græca variant. Nam in aliis σεμφωρὰ, & in aliis σεπφωρά: quam ego ſcripturam judico veriorem eſſe. De hac Sepphora videndi ſunt Euſebius προπαρ. lib. 9. pag. 257. & Theodoretus in Num. quæſt. 22. In libro nomininum Sephoria, *avis ejus vel pulchritudo.* צפרה avis vel potius avicula aut paſſer: שפרה pulchritudo. Nomina hæc diverſa ſunt, quæ tamen in editione Latina confunduntur. Nam obſtetrix Ægyptia Siphra ſive Sephra. Exod. 1. 15. Sephora vocatur. Tu diſtingue ut Sephra ſit obſtetrix, & Sephora uxor Moſis. Id ſonat aviculam aut paſſerem. Origenes hom. 2, in Exod. *Sephora interpretatur paſſer.*

Gerson] ſcribendum Gerſom cum M. in fine. Mendum quale in Phithon & Abſalon & ſimilibus. Contra peccatum in Μαδιὰμ Gerſon cum N in fine alius eſt. Græci codices habent γηρσὰμ, id eſt, גֵּרְשָׁם cum camets. Sic etiam in libro nominum. Critici Ebræorum elegerunt גרשם. Olim cum apices aberant tam hoc quam illo modo legi potuit. Jam verò dialectus Syriaca mutat Holem Ebræorum in camets, hoc eſt in à protenſum ſive longum. Hinc Gehennam, quod in libris punctatis Gehennom, id eſt, vallis Hennom. Appellatio à גרש expello. Nam quia pulſus erat Ægypto, ideo ſic filium nominavit. Dicebat enim ὅτι πάροικός εἰμι ἐν γῇ ἀλλοτρίᾳ: *Quoniam advena ſum in terra aliena.*

Eliezer] Ἐλιέζερ. Nomen hoc Moſes dedit alteri filio, quod Deus patrius ei ſubveniſſet, eumque à Pharaonis gladio liberaſſet. Verba clara ſunt, Exod. 18. 4. *Deus patris mei auxilio mihi fuit & liberavit me, &c.*

C. Scho-

C. SCHOTANUS.

IN ÆGYPTUM] Ægyptus celeberrima antiquitate gentis, legibus & inſtitutis opibus, & ſoli ubertate hoſpitium præbuit naſcenti Iſraëlitarum populo & filio Dei recens edito, cum è Cananæa ipſos fames & perſecutio expelleret. Hebræis & incolis מצרים appellatur: Græci Ægyptum dixerunt ſui ſermonis vocabulo, quo flumen Nili olim nuncuparunt. Nilus mediam regionem permeat, poſt Elephantinen & Syenem. Nam ſuperiora accenſentur Æthiopiæ. Superior Ægyptus uſque ad Delta pertinet, cujus circa principium Nilus ſcinditur in duo fluenta, quæ pluribus oſtiis in mare exonetantur. Baſis Ægypti ad mare mediterraneum oppoſita ferè Ciliciæ montanæ inter Alexandriam & oſtium Peluſiacum ſive ipſam urbem Peluſii patet. Alexandria apud Ptolemæum ponitur 60.30. 31. 0. Peluſium 63, 30. 31. 15. Proinde baſis iſta extenditur gradibus tribus, qui faciunt millia paſſuum Germanica communia quadraginta quinque. Strabo ex Eratoſthene: Τῆς δ' Αἰγύπτου τὸ περὶ τὴν θάλατταν ἐστιν ἀπὸ τοῦ Πηλουσιακοῦ στόματος πρὸς τὸ Κανωβικὸν στάδιοι τρισχίλιοι τριακόσιοι. Legendum eſſe χίλιοι non τρισχίλιοι dicerem, niſi me prohiberet Herodotus: quibus dicit à Plinthinete ſinu uſque ad Serbonidos paludum (παρ' ἣν τὸ Κάσιον ὄρος τείνει) ſtadia eſſe ter mille & ſexcenta. Peluſium & Heroum urbs termini Ægvpti ſunt & Arabiæ vel in terminis. Heroum urbs à Ptolemæo ponitur 63,0. 30,0. Per urbem Heroum & Babylona Ptolemæus dicit fluere Trajanum fluvium. Igitur Heroum urbs & Peluſium inter ſe diſtant uno gradu & quadrante, inter meridiem & ſeptentrionem, ſed Peluſium orientalius eſt dimidio gradu. Heliopolis habet 62, 30: 29.50: Auſtralior igitur Heroum urbe decem ſcrupulis primis. ἡ ἐκτροπὴ τοῦ μεγάλου Δέλτα 62, 0: 30, 0. Taneos (quæ Soan) poſitus, 62, 45: 32, 50. Tanis igitur inferior tribus gradibus hoc eſt millibus Germanicis quadraginta quinque. Arſinoë 63. 30: 29. 20. Arſinoe & Heroum urbs vicinæ fuerunt: ſed videntur numeri corrupti eſſe. Inter Arſioen, Heliopolim & Peluſium fuit terra Goſen. Caſius mons poſitum habet 63, 45: 31. 10. Orientalior igitur Peluſio mons iſte quindecim ſcrupulis primis ſeptentrionalius autem erit Peluſium quinque ſcrupulis. Ad hunc montem terminatur jugum montium ab Heroum urbe porrectum. Inter autem montem & Faran eſt ſolitudo Sur. Tota iſta regio quà montibus & mari accedit arenoſa eſt, qua paludibus & Nilo herbida & paſcua. Oſtium Peluſiacum, cui Peluſium vicinum fuit, non debet confundi, quod vulgò faciunt cum oſtio Tanitico, cui appoſita eſt Damiata. Brocardus monachus & Gulielmus Tyrius qui loca iſta adierunt, diſertè diſtinguunt. *A Tyro ſolvens per litus Palaſtinæ deſcendi uſque ad oſtia Nili. Ibi vide Pharmam civitatem, munitam quidem & egregiè exſtructam, ſed hominibus vacuam. Nam ſerpentibus cedere coacti ſunt. Ab hoc loco viginti numerantur leucæ ad Taphium (hæc eſt Taphnis, de qua in Pſalmo*: Fecit prodigia ſua in campo Taphneos. *Hæc poſita eſt in terra Geſſen, de qua in Geneſi multa ſcribuntur. Fuit olim urbs inſignis, ſed noſtro ævo deſtructa eſt. A Taphni uſque ad Memphin, quam nunc Damiatam eſſe putant, quindecim ſunt leucæ, diſtatque duabus à mari leucis, in ruinis penitus jacens, niſi quod non longè à ſitu ſuo, villa eſt exſtructa propter naves in ea collocandas atque merces colligendas. Abundat is locus, æque ut Taphnis frumento, fructibus & omnibus fere bonis, quibus homo veſci poteſt. Derivatur à Nilo rivus unus verſus Taphnim & hinc verſus Pharmam fluens primum verſus terram ſanctam conſtituens portum. Alterum verò portum efficit alius Nili rivus priore major, tribus leucis à Damiata mare ingrediens. Tertius portus eſt*

in Alexandria, ubi ſcilicet major pars Nili labitur in mare, diſtatque à Pharma, ubi primus Nili rivus mare intrat centum viginti muliaribus: & hæc eſt longitudo Ægypti juxta mare. Vilelmus Tyrius belli ſacri libro 20. cap. 15. deſcribit iter Chriſtianarum copiarum Aſcalone Damiatam: *XVII. Kal. Sept. ab urbe prædicta egredientes, per manſiones competentes, ubi ne aquarum deeſſet commoditas & peditum phalanges ſuprà vires gravarentur, itineribus moderatis, Pharaniam urbem antiquiſſimam, nona demum die perveniunt. Mediam autem hanc viam, maritimam oram ſequi volentibus, fortuitus quidam caſus reddiderat productiorem. Evictis namque verbere aſſueto & penè continuo aſſultu quibuſdam arenarum aggeribus qui medii inter planiora quadam loca & fretum vicinum interponebantur, mare valenter fractis obicibus, viam ſibi fecerat & liberum ſibi introitum ad illam interiorem vendicaverat planitiem. Quo licentia influens liberiore, ſtagnum effecerat, ore quidem anguſto, ſed intus campos obtinens patentiores. Vbi ab illa die marinis influxionibus tanta ſolet piſcium includi multitudo, ut non ſolum finitimis verum etiam remotis urbibus, uberiores & inauditas præſtet commoditates. Occupatis igitur ſalo reſtagnante locis mari vicinioribus, volentibus ſecus æquor tranſire & in Ægyptum deſcendere, objectum eſt diſpendium, quod ſtagnum circumire & milliaribus decem vel eo amplius digredi, antequam ad littus iterum redeatur, compellat. Hoc autem gratia miraculi & de novo facta irruptionis interſeruimus, & quod pars ſolitudinis prius obnoxia ſolis ardoribus, nunc ſubjecta fluctibus, natantum facta familiaris navigiis, patens piſcatorum implet retia & præter ſolitum facta fecundior, fructus reddit incognitos. Pharamia vero unde ſupra fecimus mentionem, civitas deſerta, olim multo frequentata habitatore, juxta primum Nili oſtium, quo marinis excipitur fluctibus, ſita eſt: quod vulgò Carabes dicitur: eremo juncta, inter fluvium, mare & ſolitudinem poſita. Diſtat tamen ab oſtio fluminis miliaribus tribus. Ad quam noſtri pervenientes, claſſem noſtram reperiunt adveniſſe. Vbi aptatis navibus cum remige neceſſario, univerſus in ulteriorem ripam deportatur exercitus. Relinquentes à læva Tapium, eximiam olim metropolim, nunc autem parviſſimi ad inſtar redactam oppidi, inter loca paluſtria & maris littus viam carpentes mediam, quaſi miliaribus viginti, duobus diebus Damiatam perveniunt.* Sequenti capite: *Eſt autem Damiata inter Ægypti metropoles antiqua & nobilis plurimum, ſecus ripam Nili ſita citeriorem, ubi ſecundo oſtio prædictus fluvius mare ingreditur: inter fluminis alveum & mare, ſitu valde commodo poſita, à mari tamen quaſi miliario diſtans.*

Palus illa, quæ irruptione maris aperta eſt, dubio procul eſt Sirbonis, quam alias arenis repletam & molibus aggeſtis intercluſam à mari, fluctus aperuêre. Farma ſive Faramia Peluſium eſt & Taphi Daphnas Peluſiacas videtur denotare. Duo reliqua latera Delta ita deſcribit Brocardus: *Porrò à Farma eundo per Taphnim & Damiatam centum computantur milliaria ad Babyloniam ſive Cairum etiam adverſus fluvium navigando.* Latus occidentale: *Ab Alexandria etiam uſque in Babyloniam numerantur etiam centum viginti milliaria.* Plinius: *Inferiorem ejus partem Nilus, dextra lætaque diviſus, amplexu ſuo determinat, Canopico oſtio ab Africa, ab Aſia Peluſiaco CLXX. millia paſſuum intervallo.* Iterum: *Menſura ab unitate alvei, unde ſe primum fundit in latera ad Canopicum oſtium CLXVI. mill. ad Peluſiacum CCLVI mill. eſt.* In poſtremo numero centenarii nota abundat. Brocardus ſibi ipſi non conſtat, quando ſcribit: *A delta uſque Heliopolin tria numerantur milliaria: ubi & alius rivus à Nilo ſegregatur & defertur ad civitatem Peluſii & inde fluens per deſertum verſus terram ſanctam juxta civitatem Iaris intrat mare: & hinc fere duæ ſunt diætæ uſque ad Ragazam vel Gazaram & Berſabee. Hic rivus vocatur proprie in ſcriptura rivus Ægypti termi-*

terminaturque ad ipſam ſors tribus Iuda: Quidam vocant eum Rinocorulam alii ſyron Ægypti, & non eſt navigabilis. Hæc inepta ſunt nec cohærent. Illa loca non viderat Brocardus. Nam Tyro evectus Farmam navigavit. Rivus Ægypti ſive Sior ad Rinocorura defluebat in mare, è monte Faran oriens: alter autem ille dictus Trajanus è montibus circa Heroum urbem ortus (ſi fides Judaicæ mappæ Amſtelodamenſi) ad Heliopolim in Nilum ſe exonerabat. Foſſam quandam commemorant ſcriptores, per quam è Nilo in rubrum mare navigari poterat. Eam ita deſcribit Strabo: Ἄλλη δ' ἐστὶν ἐκδιδοῦσα εἰς τὴν ἐρυθρὰν καὶ τὸν Ἀράβιον κόλπον καὶ πόλιν Ἀρσινόην, ἣν ἔνιοι Κλεοπατρίδα καλοῦσι. Διαρρεῖ δὲ καὶ διὰ τῶν πικρῶν καλουμένων λιμνῶν, αἳ πρότερον μὲν ἦσαν πικραί, τμηθείσης δὲ τῆς διώρυγος τῆς λεχθείσης μετεβάλλοντο τῇ κράσει τοῦ ποταμοῦ. Καὶ νῦν εἰσιν εὔοψοι μεσταὶ δὲ καὶ τῶν λιμναίων ὀρνέων. Ἐτμήθη δὲ ἡ διῶρυξ κατ' ἀρχὰς μὲν ὑπὸ Σεσώστριος πρὸ τῶν Τρωικῶν· οἱ δὲ ὑπὸ τοῦ Ψαμμιτίχου παιδὸς ἀρξαμένου μόνον εἶτ' ἐκλιπόντος τὸν βίον, ὕστερον δὲ ὑπὸ Δαρείου τοῦ πρώτου διαδεξαμένου τὸ ἑξῆς ἔργον. Καὶ οὗτος δὲ δόξῃ ψευδεῖ πεισθεὶς ἀφῆκε τὸ ἔργον περὶ τὴν συντέλειαν ἤδη. Ἐπείσθη μετεωροτέραν τὴν ἐρυθρὰν θάλατταν τῆς Αἰγύπτου εἶναι καὶ εἰ διακοπείη πᾶς ὁ ἰσθμός, ἐπικλυσθήσεσθαι τῇ θαλάττῃ τὴν Αἴγυπτον. Οἱ μέντοι Πτολεμαϊκοὶ βασιλεῖς διακόψαντες, κλειστὸν ἐποίησαν τὸν εὔριπον, ὥστε ὅτε βούλοιντο ἐκπλεῖν ἀκωλύτως, εἰς τὴν ἔξω θάλατταν καὶ εἰσπλεῖν πάλιν. Deinde: ἡ δὲ ἀρχὴ τῆς διώρυχος τῆς ἐκδιδούσης εἰς τὴν ἐρυθρὰν, ἀπὸ κώμης ἄρχεται Φακούσης, ᾗ συνεχής ἐστι καὶ ἡ Φίλωνος κώμη. πλάτος δὲ ἔχει πηχῶν ἑκατὸν ἡ διῶρυξ, βάθος δ' ὅσον ἀρκεῖ μυριοφόρῳ νηΐ. οὗτοι δὲ οἱ τόποι πλησιάζουσι τῇ κορυφῇ τοῦ Δέλτα. Nilus ſuperans inundat univerſum Delta & Libycæ regionis atque Arabicæ, quantum biduo tranſiri poteſt. Sic Herodotus: Ἐπέρχεται δὲ ὁ Νεῖλος, ἐπεὰν πληθύῃ οὐ μόνον τὸ Δέλτα, ἀλλὰ καὶ τοῦ Λιβυκοῦ τι λεγομένου χώρου εἶναι καὶ τοῦ Ἀραβίου ἐνιαχῇ. καὶ ἐπὶ δύο ἡμερέων ἑκατέρωθι ὁδὸν καὶ πλέω. ἐπὶ τούτου καὶ ἔλασσον. Goſen igitur pro parte Nilo inundata fuit & cætera rivis deductis irrigata. Pluviam enim è cælo non habuit. Cæterum cum Nilus inundat, inſularum modo urbes eminent. Herodotus iterum: Ἐπεὰν δὲ ἐπέλθῃ ὁ Νεῖλος τὴν χώρην, αἱ πόλιες μοῦναι φαίνονται ὑπερέχουσαι μάλιστά κῃ ἐμφερέες τῇσι ἐν τῷ Αἰγαίῳ πόντῳ νήσοισι. Τὰ μὲν γὰρ ἄλλα τῆς Αἰγύπτου πέλαγος γίνεται, αἱ δὲ πόλιες μοῦναι ὑπερέχουσι. Πορθμεύονται ὦν, ἐπεὰν τοῦτο γένηται, οὐκέτι κατὰ τὰ ῥέεθρα τοῦ ποταμοῦ, ἀλλὰ διὰ μέσου τοῦ πεδίου. Ἐς μέν γε Μέμφιν ἐκ Ναυκράτιος ἀναπλέοντι παρ' αὐτὰς τὰς πυραμίδας γίνεται ὁ πλόος· ἔστι δ' οὐδ' οὗτος, ἀλλὰ παρὰ τὸ ὀξὺ τοῦ Δέλτα καὶ παρὰ Κερκάσωρον πόλιν. Ἐς δὲ Ναύκρατιν ἀπὸ θαλάσσης καὶ Κανώβου διὰ πεδίου πλέων ἥξεις κατ' Ἄνθυλλάν τε πόλιν καὶ τὴν Ἀρχάνδρου καλευμένην. Hactenus tamen Ægyptus ἱππασίμη καὶ ἁμαξευομένη πᾶσα, *tota equitabilis & curribus pervia* fuit, ut campeſtris & plana, ſed Seſoſtris foſſis & incilibus interciſam reddidit. Κατέταμε τὴν χώρην ὁ βασιλεύς· ὅσοι τῶν Αἰγυπτίων μὴ ἐπὶ τῷ ποταμῷ ἔκτηντο πόλις, ἀλλ' ἀναμέσους, οὗτοι ὅκως τι ἀπίοι ὁ ποταμός, σπανίζοντες ὑδάτων, πλατυτέροισι ἐχρέωντο τοῖσι πόμασι ἐκ φρεάτων χρεώμενοι. Cum anteà, quæ flumini non accubarent urbes & vici, è puteis effoſſis aquam haberent, nunc largiorem habere poterant è canalibus & incilibus. Hæc nobis de Goſen, parte Ægypti, hoc in loco dicta ſufficiant. De Ægypto falsò putavit Herodotus eam totam Nili donum eſſe: quemadmodum & Strabo exiſtimavit Ammonis templum primò ſitum fuiſſe ad maris littus, cum univerſum Delta & Goſen uſque ad Caſium montem & Sirbonin paludem pars maris eſſent. Strabo id arripuit eò cupidius, ut Homero defenſionem pararet, qui Pharum inſulam diei totius navigatione à continente abeſſe dixerat.

Quam Cito Nomero] Scriptura exodi cap. 1. v. 7. ובני ישראל פרו וישרצו וירבו ויעצמו במאד מאד ותמלא הארץ אותם: Indicat multiplicationem

&

& propagationem longè ſuperaſſe communem modum. Ideò etiam proponitur populo, tanquam res, quæ fidem ſuperaret niſi oculis uſurparetur Deut. 10. 22. Joſepho mortuo & fratribus ac univerſa generatione, quæ circà Ægypti ingreſſum in mundo erat, apparere & vigere cœpit iſta propullulatio. Cœterum ſcripturæ verba adeò extollentia illam propullulationem fuſe interpretatur Aben-eſdra: quia Spiritus S. congerit omnia vocabula & omnia exempla naturæ ad explicandum illam mirabilem fœtificationem Raſi de hac multiplicatione שהיו יולדו׳ ששה בכרס אחר / *Quod pepererint ſex uno partu.* Abeneſdras: *Fortaſſis dictio* וישרצו *indicat, quod pepererint uxores eorum gemellos & amplius. Ego vidi quatuor filios, quos enixa erat una mulier: & medici* [נותנים טעם] *dantes intelligentiam, uſque ſeptem obvenire faciunt in uno ventre.* Vocabulum וירבו putat indicare, quod non fuerint mortui, ut communiter, כדרך עם רב: Vocabulum ויעצמו habere roboris notionem. Cæterum omnia erumpentis in numerum fœtificationis deſcriptionem continent. Multiplex partus frequentior & numeroſior in Ægypto. Plinius lib. 7. cap. 3. *Tergeminos naſci certum eſt, Horatiorum Curiatiorumque exemplo: ſupra inter oſtenta ducitur, præterquam in Ægypto ubi fœtifer potu Nilus. Annis proximis* [legendum *annis proximè*] *ſupremis Divi Auguſti, Fauſta quadam è plebe, Oſtiæ duos mares, totidem feminas enixa, famem, quæ conſecuta eſt, portendit haud dubie. Reperitur & in Poloponneſo quinos quater enixa, majoremque partem ex omni ejus vixiſſe partu. Et in Ægypto ſeptenos uno utero ſimul gigni, autor eſt Trogus.* Lyranus ſcribit Hebræos dicere, quod mulieres pepererint quaternos & ſenos. Reſpicit, quod nos laudavimus. Ralbag rectè: נמצאת בהם הפריה הרביה באופן נפלא מאוד. Certe id innuit Spiritus S. Ideoque non poteſt hoc argumento ſumi, quod Ægypto plus ducentis & quindecim annis peregrinati ſint Iſraelitæ. Nec eſt quod incurrant profani homines in Moſis narrationem. Audiamus Calvinum & Rivetum. Calvinus contendit miraculo factam eſſe multiplicationem & ſupra naturam, ut talia exempla in natura dari nequeant: *Quouſque excreverint*, inquit, *duodecimo capite narrat Moſes: Nempe ad ſexcenta uſque millia exceptis pueris & mulieribus. Incredibile certe augmentum tam exiguo tempore. Nam cum anni inter fœdus cum Abraham percuſſum & populi exitum numerentur, quadringenti triginta, dimidiam verò partem effluxiſſe conſtet. antequam Jacob in Ægyptum deſcenderet: inde conficitur ducentis tantum annis & paulo plus hoc eſt annis decem vel circiter, Iſraëlitas fuiſſe inquilinos illius terræ. Qui ergò fieri potuit, ut tam exiguo tempore excreſceret familia una in tot myriadas. Larga fuiſſet ac inſolita multiplicatio, ſi ex unaquaque tribu prodiiſſent dena millia. Hæc autem quadruplo longè excedit. Itaque Moſis narrationi, quia communem generandi modum tranſgreditur, quaſi fabuloſæ fidem abrogant naſuti homines, qui Dei virtutem non niſi ex ſuo ſenſu & experientia æſtimant. Ea enim eſt hominum malignitas ut vel ſpernendis vel refutandis Dei operibus ſemper occaſionem inveniant: ea etiam improbitas & petulantia, ut acumen ſuum abſque pudore exerceant in obſcuranda ejus gloria. Si ratione comprehendant fieri poſſe, quod pro miraculo narratur, naturæ adſcribunt (ita virtutis ſuæ laude ſpoliatur ac fraudatur Deus) ſi illis incomprehenſibile eſt, quaſi portentum repudiant. Atqui ſi Dei potentiam agnoſcere non ſuſtinent, niſi cujus magnitudine reddantur attoniti, cur ſibi verum eſſe non perſuadent, quicquid reſpuit communis ſenſus? Rogant quomodo id potuerit accidere. Quaſi vero æquum ſit Dei manum ſic reſtringi, ne in ejus arbitrio ſit operari ſupra humani ingenii captum. Quin potius, quia tam malè pro noſtra tarditate in ordinariis ejus operibus proficimus, neceſſe eſt inſolita documenta nobis proponi, quæ in admirationem nos rapiant. Summa ſit, quia non de naturali ſobolis procrea-*

tione

tione hic diſſerit Moſes, ſed miraculum prius inauditum celebrant, quo Deus ſuæ promiſſionis fidem ſancivit, quum reverenter ſuſpicere conveniat, quod ſenſus omnes noſtros immenſo ſpatio tranſcendit, perverſe de eo & malignè ex rationis noſtræ modulo judicium fieri. Quare potius id in memoriam veniat; quod incredulo populo exprobrat Deus apud (Eſ. 51.1.) *Nam, ut probet ſibi non eſſe difficile, ex paucitate, ad quam redacti erant Iudæi, producere ingentem multitudinem, jubet eos attendere ad cavernam, unde exciſi erant, nempe ad Abraham & Saram, à quibus traxerant originem, quos ſolitarios & ſteriles multiplicaverat. Rabbini quidam ſuo more divinant, quaternos fœtus editos fuiſſe. Quoties enim aliqua in re perplexi hærent, libenter confingunt, quicquid placuit, deinde ſomnia ſua pro certis teſtimoniis obtrudunt: ſtultè quoque & importunè diſputant, ſecundum phyſicam rationem id eſſe probabile. Hos quoque nonnulli ex noſtris parum conſiderate imitati ſunt, dum contendunt experientiæ eſſe conſentaneum, quod ſcribit Moſes, quia non multum abſimilis ſit quarundam gentium fecunditas. Inſignibus quidem exemplis confirmari interdum cernimus, quod in pſalmo (107. 37.) traditur, Deum locare famelicos in deſerto, quia illic ædificent urbes, ſerant vites ac ſeminent triticum, ac multiplicentur valde: ſicuti rurſum terras habitabiles in deſerta convertit & incolis nudat: ſed conſilium Moſis eſt docere, nullam fuiſſe unquam fecunditatem, quæ non inferior eſſet incremento populi Iſrael. Atque huc pertinet (1) comparatio inter animas ſeptuaginta & multitudinem, quæ inde profluxit, ut hæc Dei benedictio ab aliis omnibus ſeparetur: deinde (2) verborum congeries, quæ procudubio ad amplificationem valet, quod fructificaverint, multiplicati ſint, creverint & roborati ſint ſupra modum ut replerent terram.* Nam repetitio adverbii Meod Meod, copiam minime uſitatam notat. Hactenus Calvinus, at Rivetus naturalem fuiſſe propagationem ſed ſub ſpeciali benedictione Divina rectè exiſtimat. Differit ille in hunc modum: *Quanta fuerit illa propagatio, etſi definiri non poſſit certò maximam tamen fuiſſe, apparet exeo quod initio lib. numerorum legitur, primo anno quo Iſraëlitæ egreſſi ſunt ex Ægypto, recenſitos ex eis fuiſſe ad bellandum idoneos, à vigeſimo ætatis anno & ultra, & repertos fuiſſe ad ſexcenta millia bellatorum, cum tribus inſuper millibus, quingentis, & quinquaginta. Extra quem numerum fuit tota tribus Levi, quæ recenſita non fuit. Item ſenes ad bellandum invalidi, pueri & infra vigeſimum annum adoleſcentes, mulieres & alia imbellis turba, quæ aliorum numerum haud dubiè haud parum exceſſit; ita ut ſine errore calculi, poſſit triplicari numerus ſexcentorum millium, quam omnem multitudinem fuiſſe propagatam, ex ſeptuaginta Iſraëlitis, ex comparatione ingreſſus cum egreſſu diſcimus. Non enim comprehendi debent ſervi & ſervorum filii quià in enumeratione ſive recenſione populi, expreſſe agitur de poſteris filiorum Iacobi. Quod ſi cum nonnullis, pro ſingulis bellatoribus, quinque alios cujuſvis ſexus & ætatis numeremus, excreſcet numerus uſque ad tricies centena hominum millia, quod incredibile videri poſſet.*

Nec deſunt etiam homines profani, qui veterum quorundam atheorum veſtigia prementes, hinc occaſionem arripiunt detrahendi de ſcripturarum autoritate & veritate, quaſi in ea recitarentur fabuloſa quædam, & quæ nemo credere debeat cui ſanum ſit ſinciput. Quibus ut obviam irent Iudæorum quidam interpretes, ad miracula confugerunt non neceſſaria, quibus non magis acquieſcent irriſores iſti, quam Moſis narrationi, maximè ſi nulla alia autoritate fulciantur, quam eorum qui illa proferunt, ut quod uno partu quatergeminos, aut plures editos fuiſſe ſupponunt. Talia enim quamvis aliquando accidiſſe nolim præfractè negare, ut quod Ariſt. lib. 7. de hiſt. animal. cap. 4. narrat, quandam in Ægypto quatuor partubus viginti edidiſſe, & majorem partem adoleſcere potuiſſe; vel quod ex Trogo recitat Plinius Hiſt. natur. lib. 7. cap. 3. in Ægypto ſeptenos, uno utero ſimul gigni: tamen id ordinarium

Z

rium fuiſſe, nec ipſi dicunt, nec etiam verum eſt. Præterea, ſi hoc fuiſſet in Ægypto commune, nulla fuiſſet ratio, ob quam tanta multiplicatio peculiariter Iſraëlitis tribueretur, quæ toti Ægypto fuiſſet communis, & à conditione & temperamento ſoli & cœli proveniens, etſi utrumque facere ad fœcunditatem non negemus planè.

Sed non dubitamus hic deſcribi benedictionis divinæ Abrahamo factæ impletionem, ut jam notavimus; proinde, id Deo eſſe adſcribendum, quod ex tam paucis non adeò longi temporis ſpatio, tantus creverit numerus, ut ejus ratio vix iniri potuerit; ut memores eſſent Iſraëlitæ, compellationis divinæ Abrahamo factæ, numera ſtellas cœli, *&c. talis erit poſteritas tua. Nihilominus id à Deo fieri potuit, & factum etiam fuiſſe credimus, ſervato naturæ ordine, cui tamen Deum, ſpecialiter benedixiſſe non diffitemur. Id enim maximè neceſſarium fuit; quià non ſola fœcunditas, ad id neceſſaria eſt; ſed etiam geſtatio facilis, partus commodus, & fœtus conſtitutio vitalis. Sunt enim alioqui quæ frequenter pariunt, nec tamen ullos liberos tollunt; quod maximè accidit, ubi in utero geminantur, vel terni quaterni ve eduntur. Sed ad multiplicationem, eamque maximam, ſufficit, ſi in ætate juſta generent viri & pariant mulieres, etiam extra Polygamiam; & ſit partus ordinarius, ſingulis annis, uſque ad annum quadrageſimum quintum, ſi à vigeſimo quinto tantum incipiant. Nam ex uno quoque matrimonio ſpatio annorum viginti, poterunt ordinario modo decem familiæ propagari, quod ſi matrimonia uſque ad mille procedant, quod non ita longo temporis ſpatio ex ſeptuaginta conjugiis fieri poteſt, ſubducto per Arithmeticam numero annorum & conjugiorum, numerus longè excedet eum, quem intra annos ducentos & quindecim impleverunt Iſraëlitæ; quod facilè perſpiciet qui per artem multiplicandi, comparatis viris & annis, & generatione ex natura poſſibili, voluerit ſubducere, quot in lucem edi potuerint, maximè ſi hoc ponamus, Iſraëlitas fuiſſe fœcundos ex benedictione divina, & conſervatos incolumes ne morbis epidemicis perirent; vel in ipſa infantia extinguerentur. Itaque nihil impedit, quo minus naturalis fuerit hæc Iſraëlitarum multiplicatio, in qua tamen ſingularem Dei providentiam, auxilium & concurſum naturam adjuvantem, foventem, & vegetiorem reddentem, qui negaret, Deo injuriam faceret, quo referimus dictum Auguſt. de Civit. Dei lib. 18. cap. 7. Creverunt Hebræi*, divinitus fœcundata eorum multiplicatione: *tantum negamus opus fuiſſe miraculo, vel rem abſque miraculo eſſe incredibilem.*

Certè, ſi non fallat Diodorus Siculus, & is quem citat Cteſias, cum Ninus qui regnare cœpit circa annum 250. à diluvio contra Bactrianos eduxerit peditum decies ſepties centena millia, & equitum ducenta millia, oportuit neceſſariò, ſpatio ducentorum & quinquaginta annorum, ex tribus tantum Nochi filiis, longè plures eſſe propagatos, quam ex Abrahami ſeptuaginta poſteris.

Quod de Nino prodidit Siculus è fabulatore Cteſia, quam vanum ſit ratione rei & temporis, ſupra animadverſum eſt. Quod Trogus Pompejus prodidit de ſeptenis partubus, ita accipi debet, ut in Ægypto (ſi factum aliquando ſit) rariſſimum fuerit. Quod ſi conſuetum & commune fuiſſet nihil hic ſingulare in populo Dei prodidiſſet Sp. S. Quæ fuerit fecunditas in Ægypto, oſtendit philoſophus de hiſtoria animalium lib. 7. cap. 4. Τὰ δ' ὀκτάμηνα, περὶ μὲν Αἴγυπτον καὶ ἐν ἐνίοις τόποις, ὅπου εὐέκφοροι αἱ γυναῖκες, καὶ φέρουσι τὰ πολλὰ ῥᾳδίως καὶ τίκτουσι, καὶ γενόμενα δύναται ζῆν κἂν τερατώδη γένηται. Ἐνταῦθα μὲν οὖν ζῇ τὰ ὀκτάμηνα καὶ ἐκτρέφεται &c. In Ægypto partus octimeſtres ſæpius eſſe vitales oſtendit. Narrat poſteà in Ægypto ſæpius gemellos edi: τὸ μὲν γὰρ πλεῖστον καὶ περὶ τὰς πλείστας, ἓν τίκτουσιν αἱ γυναῖκες, πολλάκις δὲ καὶ πολλαχοῦ δίδυμα, οἷον περὶ Αἴγυπτον. Subjicit: Τίκτουσι δὲ καὶ τρία καὶ τέτταρα περὶ ἐνίους μὲν καὶ σφόδρα τόπους, ὥσπερ εἴρηται πρότερον. πλεῖστα δὲ τίκτεται πέντε τὸν ἀριθμόν. Ἤδη γὰρ ὦπται τοῦτο καὶ

πλεονάκις

πλειόνων συμβεβηκός· μία δέ τις ἐν τέτταρσι τόκοις ἔτεκεν εἴκοσιν. Ἄνα πέντε γὰρ ἔτεκε καὶ τὰ πολλὰ αὐτῶν ἐξετράφη. Exemplum hoc ultimum in Peloponneſo contigit, ut tradit Plinius: Ariſtoteles autem non dicit id peculiare fuiſſe Ægypto, ut quini uno partu ederentur, ſed ſæpe viſum eſſe in aliis etiam locis, Hunc tamen locum ita accepit A. Gellius noctium Atticarum lib. 10. cap. 2. quaſi ad Ægyptum id exemplum pertineat & tantum unius partus fuerit non plurium: *Ariſtoteles* inquit, *philoſophus memoriæ tradidit mulierem in Ægypto quinque enixam pueros: eumque eſſe finem dixit multijugæ hominum portionis* (leg. partionis) *neque plures unquam ſimul genitos compertum. Hunc autem eſſe numerum ait rariſſimum. Sed & Divo Auguſto imperante, qui temporum ejus hiſtoriam ſcripſerunt, ancillam Cæſaris Auguſti in agro Laurente, peperiſſe quinque pueros dicunt, eoſque pauculos dies vixiſſe, matrem quoque eorum, non multo poſtquam peperit mortuam monumentumque ei factum juſſu Auguſti, in via Laurentina; inque eo ſcriptum eſſe numerum puerperii ejus, de quo diximus.* Negligenter Ariſtotelem legit. Paulus Juriſconſultus in Pandectis lib, 5. tit. 4. *Ubi autem eodem gradu ſunt ceteri, quo & venter, tunc quæ portio in ſuſpenſo eſſe debeat, quæſierunt: ideò, quia non poterant ſcire, quot naſci poſſunt: ideo nam multa de hujuſmodi tam varia & incredibilia creduntur* (leg. traduntur) *ut fabulis adnumerentur: Nam traditum eſt & quatuor pariter puellas è matre familias natas eſſe. Alioquin tradidere non leves autores, quinquies quaternos enixam Peloponnenſi: multas Ægypti uno utero ſeptenas. Sed & tergeminos ſenatores cinctos* (leg. Cincios) *vidimus Horatios* (tollendum) *Sed & Lælius ſcribit ſe vidiſſe in palatio mulierem liberam, quæ ab Alexandria perducta eſt, ut Hadriano oſtenderetur, cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa* (inquit) *dicebatur, quintum poſt diem quadrageſimum. Quid eſt ergo? Prudentiſſimè juris auctores medietatem quandam ſecuti ſunt, ut quod fieri non rarum admodum poteſt, intuerentur, id eſt, quia fieri poterat, ut tergemini naſcerentur, quartam partem ſuperſtiti filio aſſignaverint. Τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς (ut ait Theophraſtus) παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται. Ideoque & ſi unum paritura ſit, non ex parte dimidia ſed ex quarta interim hæres erit.* De Alexandrina muliere confirmat Cajus juriſconſultus digeſt. lib. 34. tit. 5. *Et noſtra quidem ætate Serapias Alexandrina mulier ad Divum Hadrianum perducta* eſt cum quinque liberis, *quos uno fœtu nixa eſt, ſed tamen, quod ultra tres naſcitur, ferè portentoſum videtur.* In Ægypto igitur rarum fuit quinos edi, quia talis exempli mulier Romam ad Cæſarem, loco miraculi, adducta fuit. De ſeptenis tamen fides autoribus demenda non videtur. Multi autores prodidere ſub Agamundo Hunnorum rege meretricem in Germania uno partu ſeptenos edidiſſe. Plinius lib. 7. cap. 11. ulterius progreſſus: *Exſtat*, inquit, *in monumentis* etiam medicorum & quibus talia conſectari curæ fuit, uno abortu *duodecim puerperia egeſta.* Ex Avicenna ſcribitur, mulierem 22. abortivos fœtus una partione, aliam 70 emiſiſſe. De Margarita Hollandiæ comite vulgatum eſt, trecentos ſexaginta vivos fœtus edidiſſe. At hæc ſi facta ſint, meritò inter miracula deputentur. Nos concludimus fœtificationem populi Iſraël largæ benedictioni Dei adſcribendam eſſe, qui naturæ ſupra conſuetum modum adſpiravit, non tamen ultra phyſicam rationem. En, quæ hic concurrere potuerunt & divinitus conjungi.

I. Ut nullum aut rarum matrimonium ſterile fuerit.
II. Matura inierint conjugia:
III. Ut ad ſeros annos fecundi fuerunt & fecundæ.
IV. Ut cito & frequenter conceperint.
V. Ut partus fuerint multijugi.

VI. Ut nulli aut rari abortus.
VII. Ut partus omnes aut plerique fuerint vitales.
VIII. Ut antequam conjugia inirent, non obierint.
IX. Ut omnes παιδοποιΐᾳ operam dederint.
X. Ut ævum quidam protraxerint ad ſeculum & ultra & quidem vegeti in ſenecta ad generationem.
XI. Clades aut lues ſtragem frequentem non fecerit.

De mirifica multiplicatione tribus Efraim ejuſque clade in Ægypto.

MUlti demonſtrarunt multiplicationem Iſraëlitarum tantam intrà 215. annos fieri potuiſſe & factam eſſe, quæ huc omnia congeri non poſſunt. Sethus Calviſius conſiderat ſolam tribum Efraim ut ex una de omnibus judicetur. Audiamus ipſum & rem perpendamus: *Porro,* inquit, *multiplicationem filiorum Iſraël in annis ducentis & quindecim factam, non eſſe adeò admirandam demonſtramus unico exemplo (id enim ſufficit) ex cap. 7. primi Paralip. v. 20. &c. Vbi de multiplicatione tribus Efraim ſic ſcribitur:* Filii Efraim: Suthala, Bared filius ejus; Thahath filius ejus, Elada filius ejus; Thahath filius ejus; & hujus filius Sabad & hujus filius Sathala; & hujus filius Ezer & Elad. Occiderunt autem eos viri Geth indigenæ; cum deſcendiſſent ut tollerent pecudes eorum. Luxitque illos pater Efraim multis diebus & venerunt fratres ejus ut conſolarentur eum. Ingreſſus igitur ad uxorem, quæ concepit & peperit filium, quem vocavit Berian, eo quod in malis eſſet domus ejus. Hujus filius Rapha, cujus filius Thela, cujus filius Thahan, cujus Laedan, cujus filius Amihud, cujus filius Eliſama, cujus filius Nun, cujus filius Joſue &c. *In hac recitatione poſterorum Ephraim, ſtupendum planè fecunditatis exemplum proponitur, quod unicuique quidem non ſatis obvium eſt, niſi explicetur. Summa autem hac eſt, quod pater Ephraim, cum vidiſſet filios octava generationis, adhuc filium genuerit, à quo uſque ad Ioſue filium Nun, itidem numerantur octo generationes. Iam cogita paululum benevole lector, quanta hominum multitudo excreſcere poſſit in octo generationibus, in populo fœcunditatis benedictione celebrato. Vt rem paululum evolvamus, ſtatuamus fœcunditatis hypotheſin exiguam. Dabimus enim uni generationi tantum quatuor filios quod ſic intelligendum eſt: Statuimus unumquemque in tribu Ephraim, cum in Ægypto eſſet, per totam vitam, qua tum ut plurimum octuaginta vel etiam centum annos excedebat, tantum genuiſſe quatuor filios, non pauciores neque plures. Videamus jam, quanta hinc ſumma hominum emergat. Ephraim igitur gignit ad hanc noſtram hypotheſin, tantum quatuor filios, inter quos Suthela recenſeatur: & hac ſit prima generatio. Singuli hi quatuor filii Ephraimi in ſecunda generatione, genuerunt quatuor itidem filios, inter quos fuit Bered, fiunt nepotes Ephraimi ſedecim. Nepotes in eadem proportione in tertia generatione procrearunt filios, ſinguli quaternos, fient pronepotes Eframi ſexaginta quatuor; inter hos fuit Thahath. In quarta generatione hoc modo Ephraim accepit abnepotes 256; inter quos fuit Elada. In quintà generatione accipiet trinepotes 1024; inter hos fuit Thahath. In ſexta generatione accipiet Ephraim poſteros primanos 4096; inter hos fuit Zabad. In ſeptima generatione augebitur poſteris ſecundanis, 16384; inter hos fuit Suthala. In octava generatione ſumma poſterorum tertianorum erit 65536; inter hos fuit Ezer & Elad. Videre ergo potuit Ephraim ſecundum hanc exiguam fecunditatis hypotheſin, filios ex lumbis ſuis egreſſos, in unam ſummam collectos 87380. Et quidem in eo ætatis termino conſtitutus, cum adhuc poſſet gignere liberos. Nam poſt haſce octo generationes propagatas genuit adhuc filium Berian, ex quo adhuc octo generationes*

rationes propagatas genuit adhuc filium Berian, ex quo adhuc octo generationes recenſentur, uſque ad Ioſue, qui Iſraelitis terram promiſſam diſtribuit. Tempus commorationis Iſraelitarum in Ægypto tantum fuit annorum 215, ut demonſtravimus, & tamen ad minimum ſedecim generationes in tribu Ephraim facta ſunt: qua etſi in eadem linea non continuantur tamen reliqua octo generationes incipiunt tandem, cum illa priores octo facta eſſent: eadem igitur facilitate continuari potuiſſent. Sed quoniam poſteritas Ephraemi ingenti clade affecta eſt à Gatthais in Canaan, ſummam poſterorum Eframi in octo illis generationibus aliquantum minuamus, & decem millia Ephraitarum in iſta clade periiſse ſtatuamus: & quaſi ſedecim ha generationes ita continuata eſſent, ita eas numerabimus, ut videamus, quam immenſa ſumma ex hac exigua fecunditatis hypotheſi in ſedecim generationibus propagetur. Reſtant igitur tantum quinquaginta millia, quingenti & triginta ſex, in octava generatione: qui propagarunt in nona generatione filios 222144. In decima ſexta & ultima generatione excreſcet procreatorum numerus ad 3084247296. Singulas enim, qua reſtant, generationes, ita computare tadioſum eſſet & aliquid eſt relinquendum induſtria lectoris examinandum. Summa autem omnium filiorum Ephraim eſſet 4122329717. Ex quibus etſi priores duodecim generationes ſubducantur vel etiam tredecim, qua in Ægypto obiiſſent, nunquam tamen hac ſubductio efficiet, quin intra quadragies millies centena millia Efraemitarum in Ægypto, ducentorum & quindecim annorum ſpatio, naſci & egredi ex Ægypto potuerint abſque ullo miraculo. Inſtituatur jam collatio cum reliquis undecim tribubus: imo inſtituatur collatio illa cum ſeptuaginta animabus in Ægyptum deſcendentibus. Ephraim enim inter illas fere minimus fuit: & apparebit, quam immenſa ſumma filiorum Iſraël in paucis annis procreari potuiſſet. Vnde benevolus lector facile intelligit, multitudinem filiorum Iſrael exeuntium ex Ægypto, non eſſe admirandam, nec cauſam prabere, ut de annis peregrinationis filiorum Iſrael, quin ab Abrahamo ſint incipiendi, ſit dubitandum. Hactenus ille.

In illa pericopa libri primi Chronicorum primò notandum, quod non octo ſed ſeptem generationes in Hebræo enumerari videantur, ante cladem à Gethæis. Nam ſic dicitur, ושותלח בנו ועזר ואלער: *Et Suthale filius ejus & Ezer & Elead.* Deficit igitur hic una generatio numero Calviſiano, at novem ſunt poſt eam cladem, incipientes à Beria. Nam 1 Beria, 2 Rhaphe, 3 Thale, 4 Thachan, 5 Laedan, 6 Ammihud. 7 Eliſama, 8 Nun, 9 Joſue.

Secundò, cum Joſeph moreretur, tantum tertiam ex Efraim generationem procreatam fuiſſe, ut annotatur Gen. 50. 23. Nam dicitur Joſeph ex Efraim vidiſſe filios tertianorum. Atqui Joſeph cum decederet, Efraim habuit annos ſupra 71: tot enim ab ingreſſu Jacob in Ægyptum exacti erant, ante quem ingreſſum natus erat Efraim.

Tertiò, Caleb cum Ægypto egrederetur erat annorum 38, ut patet è Joſue 14. 7. Eo autem aut major aut non minor fuit Joſue. Hos igitur 38 annos & 72 ſi detrahas numero 215, remanebunt 105 anni, intra quos tredecim generationes ex Efraim procreatæ fuerint. Id ſane non video, quomodo ſine miraculo fieri potuerit.

His ita conſideratis quæritur, quo tempore iſta clades contigerit? Nam non videtur in Ægypto potuiſſe evenire, (1) quia ſeptem generationes poſt Efraim fuiſſe ante exodum credibile non ſit (2) Gath, Palæſtinæ urbs, procul ab Ægypti finibus diſtabat: in Ægyptum irruere Palaeſtini: at non potuerunt inde Gatthæi in Ægyptum irruere nec hinc in Gatthæos Efraimitæ. (3) In Cananæa ſedem habuit Efraimæa tribus non procul à finibus Gatthæorum, ut è tabulis Geographicis cognoſci poteſt (4) Inhabitationem ejus temporis

in Cananæa videtur indicare, quod filia Beria dicatur condidiſſe Bethoron utramque.

At ab altera parte, quod in Ægypto habitantibus evenerit, ſuadet tot interpretum nobiliſſimorum judicium, qui de eo tempore accipiunt. *(2)* Efraim in vivis fuit, qui ſane non eſt Ægypto egreſſus, ſaltem non introiit in Cananæam, in quam non venere, qui 20. annis majores eſſent, cum egrederentur ex Ægypto, præterquam Joſue & Caleb. *(3)* Contigit illa clades novem generationibus ante Joſue, qui populum in Cananæam induxit. Quidam putarunt hic notari Efræmum alium à filio Joſeph nempe unum ex nepotibus: at hoc inconveniens videtur. Nam inter illos qui per generationes procreati eſſe in iſta genealogia memorantur, nullus eſt Efraim & principium hic tribus Efraim, ut Manaſſe aliarumque proponitur.

Audiamus Kimchi in locum illum Chronicorum: Et filii Suthela] *ſicut memoratus eſt in lege.* Et Bered] *& ille memoratus eſt in lege.* Et Thachath] *Eſt Chathan memoratus in lege. Hinc autem & porrò ſunt filii Becher & fortaſſis omnes memorati præter Suthale ſunt filii filiorum.* Et occiderunt eos viri Gath, nati] *ſunt exponentes, quod ideo dicatur* הנולדים בארץ] *quia noverant egreſſum terræ & ingreſſum ejus, & iſti filii Efraim ingreſſi erant in terram ad rapiendas eorum pecudes & non noverant vias, & ecce filii Gath inſidiati ſunt ipſis & occiderunt eos. Quidam exponunt, quod ideo dixerit, natos in terra, quoniam Gath poſteà facta eſt Iſraëlis: Dicit quod filii Gath nati in terra & illi ſunt Palæſtini, qui occiderunt eos. At ſecundum opinionem meam illud* nati in terra, *reſpicit ad filios Efraim: quoniam recordatus fuerat filiorum Efraim natorum in Ægypto, qui erant filii ejus & filii filiorum ejus, ſecundum quod dicit* (Gen. 50. 23.) Et vidit Joſeph de Efraim filios tertianorum, *dicit, quod filii Efraim nati in terra (quos ipſe genuit in terra) deſcenderint in terram Gath ad rapienda eorum pecora, eoſque occiderunt filii Gath. Hæc autem factum eſt in deſerto, quoniam non potuit in terra Iſrael eveniſſe, quia dicit, quod luxerit Efraim pater eorum diebus multis. Deinde Efraim non ingreſſus eſt in terram, quia non ſunt ingreſſi terram ex egreſſis Ægypto habentibus viginti annos & ultrà, præter Caleb filium Iephune & Ioſue filium Nun. Ideo ego dico, quod hiſtoria hæc evenerit in deſerto aut in terra Galaad. Et vivebat ea tempeſtate Efraim, quoniam hoc potuit eſſe: nam Machir filius Manaſſe fuit ex ſubigentibus terram Galaad: & ecce filii Machir filii Manaſſe nati ſunt ſuper genibus Ioſeph. Et quod probat expoſitionem hanc invenies numerum filiorum Efraim in egreſſu eorum ex Ægypto, quando numerati ſunt in ſolitudine Sinai, anno ſecundo,* [Num. 1. 33.] *quadraginta millia & quingenti at quando numerati ſunt in ingreſſu in terram, in campis Moab, anno quadrageſimo* [Num. 26. 37.] *non fuerunt ultrà triginta duo millia & quingentos. Hæc octo millia, quæ defecerunt in deſerto, ſunt, quos occiderunt filii Gath. Magiſtri noſtri b. m. ὁμιλιάζουσι, quod hoc fuerit ante egreſſum ex Ægypto: quoniam numeraverant tempus & erraverant & egreſſi erant non tempore ſuo & hoc ipſis evenit.* Et venerunt fratres ejus ad eum conſolandum] *propinqui & noti ejus.* ברעה היתה בביתו] *quia à tempore, quo apprehendit, evenit ei iſte caſus, quo occiderunt viri Gath filios ſuos.* Et ædificavit Beth-oron inferiorem & ſuperiorem. *Hæ commemorantur in libro Ioſue in hæreditate filiorum Efraim.* Et uzan Sera] Nomen urbis Uzan & forte fuit Uzan alia: *ideo hanc referunt* (מיחסים) *ad Sara, quia eam ædificavit.* Et Raſe filius ejus & Raſeph] *Redit ad ordinem genealogiæ, quam commemoraverat de filiis Ephraim & deſierat in hiſtoria virorum Gath: redit & perficit generis ſeriem uſque ad Ioſue.* Quod dicit Camius de imminuto numero tribus nihil arguit, quia etiam aliæ tribus defecere aliæ auctæ ſunt, iſto intermedio tempore, ut è comparatione evidens eſſe poteſt.

Ly-

Lyranus fuſe hanc quæſtionem diſcuſſit in commentario ad locum. Occiderunt autem eos viri Geth] *Iſtud autem exponitur ab Hebræis multipliciter: Vno modo, quod iſti deſcendentes de Ephraim filio Ioſeph, patre ejus adhuc vivente, ante exitum Iſrael de Ægypto ſub Moſe, collegerunt multitudinem, ut intrarent terram promiſſionis: tum quia Ioſeph morient dixerat, quod Dominus poſt mortem ſuam educeret filios Iſraël ex Ægypto, & induceret in terram promiſſionis, ut habetur Gen. ult. tum quià Iacob Patriarcha benedicendo filios Ioſeph propoſuerat Ephraim ipſi Manaſſe, ut habetur Gen. XLVIII. propter quod filii ejus erant magis elati & audaces & venerunt verſus terram promiſſionis per viam breviorem, ſcil. per terram Philiſtinorum, quæ vicina ut habetur Exod. XIII. & tunc à Gethæis fuerunt debellati, quia præoccupabant tempus redeundi ad terram promiſſionis, ſecundum quod dicitur Gen. XV. quod CCCC. annis deberent eſſe filii Iſraël peregrini in terra non ſua, ut ibidem fuit declaratum qui nondum adhuc erant completi. Et huic expoſitioni concordat quod poſtea hic dicitur, ſcil. quod Ioſue filius Nun miniſter Moyſi in exitu de Ægypto nepos fuit Eliſama filii Amiud, filii Saadon, filii Thale, filii Beria, ut dicunt Hebræi, filii Ephraim, & ſic in ſexta generatiooe natus eſt Ioſue de Ephraim ſicut & Eleazar de Levi in quinta, ut dictum fuit Gen. XV. Sed huic, expoſitioni obviat quod dicitur in textu:* Filia autem ejus fuit Sara, quæ ædificavit Bethoron inferiorem & ſuperiorem &c. *quià iſtæ civitates ſunt in terra promiſſionis in ſorte Ephraim, ut habetur Ioſue XVI. Vbi non potuit ædificari per mulierem dependentem de Ephraim, niſi poſt ingreſſum filiorum Iſrael in terram promiſſionis, & aſſignationem hæreditatum ſingulis tribubus. A nativitate verò Ephraim uſque ad illud tempus fluxêrunt anni CCLVI. ad minus, & ideo non videtur, quod poſſet eſſe aliqua filia genita ab Ephraim, quæ ædificaſſet civitates illas: Probatio aſſumpta. Quia à nativitate Iſaac uſque ad exitum de Ægypto fluxerunt anni CCCC. ut declaratum fuit Gen. XV. à quibus ſi ſubtrahantur anni qui fluxerunt uſque ad nativitatem Ephraim remanent anni CCX. quià Iſaac ſexagenarius genuit Iacob, ut habetur Gen. XXV. Iacob verò centum triginta annorum erat, quando deſcendit in Ægyptum, ut habetur Gen. XLVII, & ſic de prædictis CCCC. annis uſque ad exitum de Ægypto remanent CCX. ad minus à nativitate Ephraim, quià natus erat quando Iacob deſcendit in Ægyptum, ut habetur Gen. XLVIII. quibus ſi addantur XL. anni quibus filii Iſraël fuerunt in deſerto poſt exitum de Ægypto, & ſex in quibus Ioſue pugnavit contra Reges Chanaan antequam divideret terram, prout oſtenſum fuit Ioſue XI. & XIII. habentur anni CCLXVI. Igitur ſecundum iſtam expoſitionem oportet dicere, quod Sara quæ hic dicitur filia Ephraim, non fuit filia ejus immediata, ſed per multas generationes deſcendit de eo, & fuit in poteſtate ſua poſtquam filii Iſrael in terra promiſſionis habuerunt ſortes aſſignatas, & ſic ædificavit civitates dictas, propter quod hic nominatur inter filios Ephraim patriarchæ, propter magna, quæ fecit in ædificatione civitatum. Alio modo exponitur de illis qui contra voluntatem Moyſi poſt exitum de Ægypto iverunt ad prælium contra adverſarios, & debellati fuerunt, & multi eorum occiſi, ut habetur Num. XIV. in fine. Et ſecundum hoc non poteſt dici, quod iſte Ephraim, qui dicitur hic eos lamentaſſe, fuerit Ephraim filius Ioſeph quia illud bellum fuit anno ſecundo egreſſionis de Ægypto. & ſic iſte Ephraim fuiſſet tunc CCXII. annorum, ut patet ex prædictis, & non eſt veriſimile, quod tantum vixerit. Exod. 1. dicitur quod* mortuus fuit Joſeph, & omnis cognatio illa, antequam filii Iſraël exirent de Ægypto. *Item dato quod vixiſſet, tranſiviſſet in eo tempus generandi. Et tamen de iſto Ephraim, qui dicitur hic lamentaſſe filios ſuos, dicitur quod poſtea genuit Beria, ſic nominans eum, eo quod in malis domus ejus ortus eſſet, id eſt, ob occiſionem filiorum. Beria enim interpretatur in malo. Item aliqui dicunt hic in textu & Num. XIV. quæ videntur obviare*

huic

huic expoſitioni, quia hic dicitur. Occiderunt autem eos viri Geth, qui erat Philiſtæi, *& Num. XIV. dicitur quod* Amorræi & Amalechitæ interfecerunt illos, qui contra voluntatem Moyſi auſi fuerunt ire ad prælium. *Item hic dicitur,* quod iſti fuerunt occiſi à Getthæis, eo quod deſcenderant ad invadendum poſſeſſiones eorum: *Ibi autem dicitur:* At illi contenebrati aſcenderunt in montem ad pugnandum contra Amorrhæum & Amalech: *& ideo propter iſta non videtur poſſe ſtare iſta expoſitio ſecunda. Tertio modo exponit, de viris exiſtentibus de tribu Ephraim, quia poſtquam habuerunt ſortem in terra promiſſionis per Ioſue, multiplicati fuerunt & roborati & confidentes de ſua multitudine & fortitudine, deſcenderunt de monte Ephraim verſus terram Philiſtinorum; quæ eſt ſupra mare mediterraneum.* Sed viri Geth indigenæ occiderunt eos, *& ponitur in textu,* Indigenæ, *ad exprimendum modum occiſionis. Indigenæ enim dicuntur nati de terra illa, unde indigenæ dicuntur, quaſi inde geniti, & propter hoc ſciebant paſſus terræ difficiles ad tranſeundum, & ſic pugnaverunt cum filiis Ephraim, in loco ubi filii Ephraim non poterant ſe bene defendere. Igitur ſecundum iſtam expoſitionem oportet dicere quod ille Ephraim, qui dicitur hic lamentaſſe filios ſuos occiſos, qui fuerunt principales in hoc facto, ſcilicet illo conflictu, fuit alius ab Ephraim filio Ioſeph, & multo tempore poſt ipſum, tamen nominatus eodem nomine, ſicut frequenter contingit, & huic expoſitioni conſonat quod ſubditur.* Filia autem ipſius Sara, quæ ædificavit Bethoron inferiorem & ſuperiorem. *Non enim potuerunt iſtæ civitatis ædificari ab ipſa, donec filii Ephraim fuerunt potentes in ſorte ſua.* Et Ozenzara, *iſtam civitatem nominavit ex nomine ſuo, ſed dictæ expoſitioni videtur obviare quod ſubditur, ſcil. quod Ioſue filius Nun deſcendit de iſtis, & tamen certum eſt, quod ipſe fuit ante ingreſſum terræ promiſſionis, & jam erat ſenex & provectæ ætatis, quando diviſit terram filiis Iſraël, ut habetur Ioſue XIII. & ideo ſecundum iſtam expoſitionem tertiam, quando ſubditur hic:* Porro filius ejus Rapha, *oportet dicere quod iſta littera non refertur ad præcedentia immediatè, ſed ad Ephraim filium Ioſeph, ita quod propter reverentiam Ioſue, qui fuit valde magnus in populo Iſrael, Scriptura incipit deſcribere ejus genealogiam ab Ephraim patriarcha, ut ſit ſenſus: Porrò filius ejus, id eſt, Ephraim Patriarchæ, Rapha & Reſeph & Thale; de quo ſcilicet Thale. Natus eſt Thaan &c. ſequitur.* Qui habuit filium Joſue, *Et ſic Ioſue deſcendit de Ephraim, ſeptima generatione.* Hactenus Lyranus. In cantici canticorum. 2.7. (*Adjuro vos filiæ Ieruſalem, apud capreas aut cervas camporum; ſi ſuſcitetis aut evigilare faciatis dilectam, quoad uſque ipſa velit*) ita Chaldæus interpres: *Poſt hoc dictum eſt Moſi in prophetia & à conſpectu Domini, ut mitteres legatos ad explorandum terram: cumque rediiſſent ab explorando induxerunt famam malam de terra Iſraël: unde hæſerunt quadraginta annos in deſerto.* Aperiebat *Moſes os ſuum & ſic dicebat* Adjuro vos congregatio Iſraël per Dominum *Sabaoth & firmitate terræ Iſrael, ut ne ſuperbo animo conemini aſcendere in terram Canaan, donec ſit beneplacitum à conſpectu Domini & conſumantur omnes generationes virorum bello idoneorum ut moriantur è medio exercitus: quemadmodum elatè egerunt fratres veſtri, filii Efraim, qui exierunt triginta annis ex Ægypto, antequam veniſſet tempus & ceciderunt per Palæſtinos, qui habitant in Gath, qui occiderunt ipſos. Quippe protrahent uſque tempus quadraginta annorum, poſteà aſcendent filii veſtri & occupabunt eam.* In Pſalmo 78. v. 61. & ſeqq. clades Efraimitarum ſed evidenter alia: illa nempe, qua Palæſtini arcam Domini ceperunt. Eodem pertinet verſus 9. illius Pſalmi. Nam ad ſera tempora pertinere ſequentia indicant. Totius enim Pſalmi argumentum eſt celebrare tranſlationem arcæ de Silo in Sionem. Salianus: *Dicendum cum Abulenſi in 1. Paralip. & Nicolao Serario initio commentariorum in Ioſue, unius tantum Efraim hoc loco ſcripturam meminiſſe, idque exigere totius contextus ſeriem: ejuſque recenſeri filios novem, Suthala, Barad, Thahath & reliquos*

liquos &c. Nam eodem omnes patre immediate genitos ex eo conſtat, quod alioquin Efraim vidiſſet octo aut novem generationes ſimul, quod fuit illo tempore inauditum. Atque illi omnes, quaſi juvenes ad bellum proceſſiſſent, abavus ſcilicet & proavus cum pronepote & abnepote. Nec obſtat modus loquendi Scripturæ, qui nonnullos induxit in fraudem. Illa enim repetendo ſæpius, filius ejus, *viſa eſt ſignificare ſeriem generationum: quod tamen Hebraicæ phraſi tribuendum eſt, quæ aliquando illa repetitione gaudet* &c. *Dicendum præterea illa verba textus:* Occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, quia deſcenderant, ut invaderent poſſeſſiones eorum; *in hanc ſententiam accipienda eſſe, ut dicamus Gethæos è Palæſtina, populos aſſuetos ex rapto vivere, deſcendiſſe in Ægyptum prædarum cauſa; & in Efraimitas, qui in terra Geſſen primi occurrerunt, aut primi ſeſe certamini animosè intulerunt, irruiſſe: eoſque omnes, dum frater fert opem fratri, interfeciſſe. Ita meritò ſentit Serarius. Primum, quia Gethæi prædones erant, non Ephraimitæ, ſaltem tempore commorationis in Ægypto & vivente adhuc Efraim, eorum omnium parente. Deinde quia prædones iſti dicuntur deſcendiſſe ut invaderent poſſeſſiones. Atqui ex oppido Gath & reliqua Palæſtina in Ægyptum deſcenditur & vice verſa ex Ægypto aſcenditur in Palæſtinam. Favet etiam quod dicuntur deſcendiſſe ad invadenda pecora eorum, utique Iſraelitarum, quorum poſſeſſiones erant pecora, ut conſtat. Denique non eſt credibile paucos Efraimitas ſeorſim ab aliis Iſraelitis Ægypto abire & bellicoſiſſimam gentem, ſtatura gigantea, invadere voluiſſe & eorum poſſeſſiones occupare, quod ne poſt ſubactam quidem reliquam Chananitin temporibus Ioſue, vel Othonielis auſi ſunt. At ſi Gethæos invaſores dixeris & Ephraimitas, dum incautius ſua tueri conantur, circumventos atque interfectos eſſe, omnia rectè convenient.*

Nos omnibus expenſis hæremus & rem relinquimus in medio. Hic ſubjungere placet ætates duodecim patriarcharum è Seder olam Zuta:

- Jacob fuit, cum naſceretur Juda, octoginta quinque annorum: & anni vitæ centum quadraginta ſeptem anni.
- Juda fuit, cum naſceretur Phares triginta quinque annorum: vixit annos centum & novendecim.
- Phares fuit, cum naſceretur Eſron, novem annorum: Heſron autem & Hamul deſcenderunt in Ægyptum: Ecce 2238 à creatione mundi.
- Jacob fuit, cum naſceretur Ruben, octoginta trium annorum: & anni vitæ Ruben centum & viginti quatuor anni: Et mortuus eſt poſt Joſeph in Ægypto biennio.
- Simeon vixit centum & viginti annos & mortuus eſt poſt mortem Joſephi anno uno.
- Levi vixit centum & triginta ſeptem annos.
- Juda vixit centum & novendecim annos.
- Iſſachar vixit centum & viginti duos annos.
- Zabulon vixit centum & viginti quatuor annos & mortuus eſt poſt Joſeph biennio.
- Dan vixit centum viginti ſeptem annos.
- Aſer vixit centum viginti ſex annos.
- Joſeph vixit centum & decem annos.
- Benjamin vixit centum & undecim annos: & mortuus eſt ante Levi viginti ſex annis.

Salianus iterum: *R. Abraham Levites Davidis filius ait in Ægypto pſeudoprophetas è filiis Efraim & Galaad prodiiſſe & ſeduxiſſe Iſraelitas & interfectos fuiſſe* &c.

&c. *Hoc dicit contigiſſe 110. annis ab obitu Ioſeph, qui eſt annus Moſis 46. cum Iſraelitæ ab Ægyptiis dura ſervitute premebantur* &c. Exiſtimat Salianus hanc cauſam fuiſſe, cur Efraimitis Deus cladem ſuprà memoratam infligi voluerit. Adiicit autem: *Sed rem accipere poſſumus omiſſa Chronologia, cauſam ſcilicet probabilem cladis Efraimitarum. A Beria enim uſque ad Ioſue nativitatem ſunt ſeptem generationes & anni duntaxat 90. Niſi forte aliqua confuſio in tot propriis nominibus contigit. Nam Latina Græcis Hebraicíſque non planè conſentiunt.*

ÆGYPTUM REPLEVERINT] *Imò verò*, inquit cl. Hornius, *terram Goſen. Nam ſemper diſtinctim ab Ægyptiis habitarunt. Et capax illa regio tantæ multitudinis.* Rivetus in Exod. 1.7. *Sed tanta multitudo vix potuit tam anguſto terræ ſpatio contineri: Putarem eos paulatim etiam effuſos fuiſſe inter vicinos, ita ut tamen per univerſam Ægypti terram non fuerint ſparſi, quia videntur fuiſſe in eodem tractu, non multum à ſe invicem remoti: ita tamen ut eos amplius continere non potuerit aſſignata terræ portio.*

SED DEFUNCTO REGE, QUI] Afflictionem populi incipit exponere: in qua notandum primò qui afflixerint. 2) ob quam cauſam. 3) quando illa afflictio cœperit 4) quod afflictionis genus fuerit. Primum Scriptura explicat, dicendo, *regem* fuiſſe *novum*. Id Cajetanus ita accipit, quaſi fuerit ex alia Dynaſtia & quidem Aſſyrium fuiſſe colligit ex Eſai. 52.4. *In Ægyptum deſcendit populus meus: & Aſſur calumniatus eſt eum.* Hoc meritò interpretes rejiciunt, qui vident Aſſyriam & Ægyptiam afflictionem diſtinctè proponi. Abeneſdras illud de novo ita etiam accipit, quod non fuerit è ſemine regio. Rab & Samuel: unus dicit novus omnino, alter, quod nova fuerint ejus decreta. Initium afflictionis ſcriptura videtur ponere poſt ætatem, qua jam tota illa generatio Joſeph fratrumque occubuerat, ita ut interceſſerit multiplicationis accrementum magis conſpicuum, vide Exod. 1. v. 6. 7. 8. Poſt illa dicitur ſurrexiſſe rex, qui affligere cœpit. Notant Hebræi ultimum fratrum obiiſſe Levi. Putant afflictionem cœpiſſe cum nativitate Mariam ſororis Moſis, quæ ab hac amaritudine nomen ſit nacta.

OPUS DURUM ÆDIFICANDARUM CIVITATUM] ipſum genus afflictionis duplex fuit, operis & infanticidii. Opus durum ædificandarum civitatum iis impoſuiſſe dicit Scriptura Exod. 1. 11. *Præpoſuit itaque eis magiſtros operum, ut affligerent eos oneribus: ædificaveruntque urbes tabernaculorum Pharaoni Phithom & Rameſſes.* Ita habuit editio vulgata, cum in Græco ſit וישימו & poſuerunt ſcilicet Ægyptii, cum quibus conſilium inierat. שרי מסים magiſtros tributorum, qui eos oneribus corporalibus affligerent. Ideò autem hoc genus hominum adhibitum eſſe dicit Raſi, quia Pharao condidit civitates theſaurorum. Lyranus exponit, ita munitas; quaſi theſauri in illis eſſent reponendi. His impoſuiſſe præſidia militum ad premendos Iſraëlitas. Abeneſdras: וטעם *ſcopus afflictionis exſiccare ſemen marium.* Premebant eos opere luti & laterum, ובכל עבודה בשדה *Et omni opere in agro.* Cum viderent eos laboribus non tabeſcere neque fecunditatem atteri: Quantò enim affligebantur, tanto propullulabant: ſic palma adverſus onera dicitur aſſurgere. Illi indignati acrius inſtitere. Unde vitam Iſraëlitis acerbam reddidere. Operum ſpecies ita Aben eſdras *Senſus: in luto & lateribus ad ædificandas ædes & ſepimenta: etiam* ad arandum & metendum, putandum & vindemiandum. *Primò quidem* (rurſus Aben-eſdras) *multa mala noviter impoſuit ipſis ut facerent opus ſuum, cumque videret quod non deficeret eorum multitudo, dedit poteſtatem Ægyptiis & principibus eorum, ut facerent eos magis ſervire præ modo ſervorum.* Urbes illæ, quas condebat Pharao iſte, appellantur Rameſſes & Phithom.

Conſtat

Conſtat primam in terra Goſen poſitam fuiſſe, quæ inde etiam denominari cœpit, aut dicendum regionis nomen urbi nomen dediſſe. De altera urbe quæritur: Hugo Grotius Pathomum Herodoto putat dici & hinc nomen eſſe oſtio Pathmetico. Herodotus deſcribens foſſam à Nilo in Arabicum ſinum, dicit eam extendi longitudine in quatuor dierum navigationem: εὖρος δὲ ὠρύχθη ὥστε τριήρεας δύο πλέειν ὁμοῦ ἐλαστρευμένας: *Deducta, eſt aqua è Nilo in ipſam. Ducta eſt paulo ſuprà Bubaſtin urbem*, παρὰ Πάτουμον τὴν Ἀραβίην πόλιν. ἐσέχει δὲ ἐς τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν. *Initium fodiendi ſumptum eſt in campi Ægypti partibus ad Arabiam.* Aſſidet ſuper campum mons, qui juxta Memphin tendit, in quo lapicidinæ ſunt. Montis igitur hujus juxta pedem ducta eſt foſſa ab occaſu longo tractu ad ortum & deinde tatendit ἐς διασφάγας φερούσας ἀπὸ τοῦ ὄρεος πρὸς μεσαμβρίην καὶ νότον ἐς τὸν κόλπον τὸν Ἀράβιον. id eſt, (ut Valla benè reddidit) divortio montis tenus (quod divortium ad meridiem & ventum auſtrum fert) in ſinum Arabicum. Hanc Patumon extra Delta ſitam eſſe Phithom Pharaoni conditam, ab Iſraëlitis vero eſt ſimile: at ab hac dictum eſſe oſtium Pathmeticum, planè abſonum: Ad foſſam Neco Patumus ſita fuit extra Delta: cum Pathmeticum oſtium in medio ſit Delta. Et Patumus & Rameſſes in terra Goſen ſitæ erant. De Iſraelitarum laboribus & oneribus meminit Pſalmus 81. 7. *Removi humerum ejus ab onere, manus ejus à cophino* (מדוד) *abierunt.* דוד redditur à Raſi per קדירה. *Ab opere ſervili ad portandum* קדרות *in morem aliorum ſervorum.* Aben-eſdras: *Ab operando lutum & lateres & portando ea in* דוד *caniſtro.* Caniſtrum ſeu fiſcella erat, in qua ſoliti portare lutum & lateres. Quia poſt mortem Levi incepit durior conditio, ideo adagium eſt apud Hebræos: *unus fratrum cum moritur, affliguntur omnes fratres: unus è ſocietate cum moritur affligitur tota ſocietas.* In memoriam hujus calamitatis Judæos olim geſtaſſe cophinum fœnumque notat doctiſſimus Cunæus lib. 3. de rep. Hebr. Juvenalis enim

— cophino fœnoque relictis
Arcanam Iudæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, magna ſacerdos,
Arboris. —

Et antea:

Nunc ſacri fontis nemus & delubra locantur
Iudæis, quorum cophinus fœnumque ſupellex

Martialis etiam:

Dum te poſſe negas, niſi lato, Gellia, clavo
Nubere; nupſiſti, Gellia, ciſtifero.

Cum Dominus paucis panibus piſcibuſque in deſerto tot millia exſaturaſſet, ut narrat Euangelium, multos cophinos reliquiarum è menſis, collegiſſe diſcipuli memorantur. Unde in promptu cophini, niſi ex hoc more? Philo ſuo more fuſe & facunde hanc ſuæ gentis antiquam depinxit miſeriam lib. de vita Moſis: Ξένους οὖν, οἳ τὴν μὲν οἰκίαν ἀπέλιπον, εἰς δ' Αἴγυπτον ἧκον, ὡς ἐν δευτέρᾳ πατρίδι μετ' ἀσφαλείας ἐνοικήσοντες, ὁ τῆς χώρας ἡγεμὼν ἠνδραποδίζετο, καὶ ὡς ἢ πολέμου νόμῳ λαβὼν αἰχμαλώτους, ἢ πριάμενος παρὰ δεσποτῶν, οἷς ἦσαν οἰκότριβες, ὑπήγετο καὶ δούλους ἀπέφαινε, τοὺς μόνον ἐλευθέρους μόνον ἀλλὰ καὶ ξένους ἱκέτας καὶ μετοίκους, οὔτ' αἰδεσθεὶς οὔτε δείσας τὸν ἐλευθέριον καὶ ξένιον καὶ ἱκέσιον καὶ ἐφέστιον θεόν, ὃς τῶν πάντων ἐστίν. Ita iniquiſſimam & indigniſſimam rem commiſiſſe regem

Ægyptium, paſſos eſſe Iſraëlitas, cum homines liberi, hoſpites, & domeſtici ita affligerentur. Pergit deſcribere afflictionis modum: *εἶτ᾽ ἐπιτάγματα ἐπιτάττει βαρύτερα τῆς δυνάμεως, ἄλλους ἐπ᾽ ἄλλοις πόνους προστιθεὶς, καὶ τοῖς ἀπαγορεύουσιν ὑπ᾽ ἀσθενείας, ὁ σίδηρος εἵπετο, ἐπιστάτας τῶν ἔργων, ἀπηλεεστάτους καὶ ὠμοθύμους, οὐδενὶ συγγνώμης μεταδιδόντας ᾑρεῖτο, οὓς ἐργοδιώκτας ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ὠνόμαζον. Εἰργάζοντο δ᾽ οἱ μὲν πηλὸν, εἰς πλίνθον σχηματίζοντες· οἱ δὲ πανταχόθεν ἄχυρα συγκομίζοντες· πλίνθου γὰρ ἄχυρα δεσμός· οἱ δ᾽ ἦσαν ἀποτεταγμένοι πρὸς οἰκιῶν καὶ τειχῶν καὶ πόλεων κατασκευὰς καὶ διωρύχων ἀνατομὰς, ὑλοφορηκότες αὐτοὶ, μεθ᾽ ἡμέραν καὶ νύκτωρ, ἄνευ διαδοχῆς, οὐδεμίαν ἔχοντες ἀνάπαυλαν, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ὅσον καταδαρθεῖν αὐτὸ μόνον ἐώμενοι, πάντα καὶ τὰ τῶν δημιουργῶν καὶ τὰ τῶν ὑπουργῶν δρᾶν ἀναγκαζόμενοι, ὡς ἐν βραχεῖ τὰ σώματα αὐτοῖς ἀπαγορεύειν, ἅτε καὶ τῆς ψυχῆς προαναπιπτούσης. Ἄλλοι γοῦν ἐπ᾽ ἄλλοις ἐξέθνησκον, ὡς ὑπὸ λοιμώδους φθορᾶς, οὓς ἀτάφους ἔξω τῶν ὁρίων ἀπερρίπτουν, οὐδὲ κόνιν ἐπαμήσασθαι τοῖς σώμασιν ἐῶντες, ἀλλ᾽ οὐδὲ δακρῦσαι συγγενεῖς ἢ φίλους οὕτως οἰκτρῶς διαφθαρέντας, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀδουλώτοις πάθεσι, ἃ μόνα σχεδὸν ἐξ ἁπάντων ἐλεύθερα ἡ φύσις ἀνῆκε, δεσποτείαν ἐπεβούλευον οἱ ἀσεβεῖς, ἀνάγκης ἀνυποίστῳ βάρει δυνατωτέρας πιέζοντες.* Lateribus faciendis, luto & paleis convehendis, ædificiis ſtruendis, ut opifices ſimul eſſent & opificum miniſtri, effodiendis canalibus adhibitos, ſine modo noctu diuque ſine intermiſſione immitiſſimis præfectis oneratos, ut corpora conficerentur & animi, alios ſuper aliis confertim ſuccubuiſſe. Eorum corpora extra fines projecta eſſe ſine ſepultura, & prohibitos neceſſarios amicoſque à luctu, cum etiam affectibus jugum imponere niterentur. Joſephus etiam dicit regnum Ægypti in aliam familiam immigraſſe. Tum autem *δεινῶς ἐνύβριζον τοὺς Ἰσραηλίτας καὶ ταλαιπωρίας αὐτοῖς ποικίλας ἐπενόουν.* Laborum genera fuiſſe *τὸν ποταμὸν εἰς διώρυχας πολλὰς διατεμεῖν, τείχη τε οἰκοδομῆσαι ταῖς πόλεσι, καὶ χώματα, ὅπως ἂν εἴργοι τὸν ποταμὸν μὴ λιμνάζειν, ἕως ἐκεῖνον ἐπεκβάντα.* Fluvium diducere in rivos, muros ædificare, & aggeres, quibus inundatio Nili arceretur. Addit: *πυραμίδας τε ἀνοικοδομοῦντες ἐξέτρυχον ἡμῶν τὸ γένος ὡς τέχνας τε παντοίας ἀναδιδάσκεσθαι καὶ τοῖς πόνοις γενέσθαι συνήθεις.* In his fuiſſe per annos quadringentos, ita ex modo loquendi (qui interpretatione, qua diximus explicari debet) pronuntiat ſui oblitus. Cur enim non attendit ad textum Exodi, qui ex profeſſo de hoc negotio agit? *Ἀντεφιλονείκουν γὰρ, οἱ μὲν Αἰγύπτιοι τοῖς πόνοις ἐξαπολέσαι τοὺς Ἰσραηλίτας ἐθέλοντες, οἱ δ᾽ ἀεὶ κρείττους φαίνεσθαι τῶν ἐπιταγμάτων.* Verum hoc eſt: adverſus labores & onera aſſurgebant Divina ope, magiſque increvere: ut non conveniat, quod Philo dicit, confertim, quaſi peſtilenti contactu alios ſuper aliis occubuiſſe. An in pyramidibus ſtruendis Iſraëlitæ laboraverint, inquiremus poſteà, quando de regibus Ægypti in Moſis vita diſſerendum erit.

MULTITUDO ABUNDANS METUEBATUR] Cauſæ afflictionis à parte Dei fuerunt peccata Iſraëlitarum, verum eſt ſane in Idololatriam communicaſſe Ægyptiis. Sic enim monuit Joſue moribundus (Joſue 24.14.) *Auferte deos, quibus ſervierunt patres veſtri, in Meſopotamia & Ægypto.* Ezechiel cap. 20. v. 7. 8. *Præcipiebam ipſis: Quiſque abjiciat abominationes oculorum, nec contaminamini diis ſtercoreis Ægypti: Ego Dominus Deus veſter. Sed rebelles fuerunt adverſum me, nec mihi auſcultare voluerunt nec reliquerunt deos ſtercoreos Ægypti: ideò dicebam, Me in ipſos iram meam effuſurum eſſe, ut iram meam in media Ægypto implerem: Sed faciebam propter nomen meum* &c. In cap. 23. v. 3. 8. 29. ab Ægyptiis contrectatas eſſe duas illas ſorores Samariam & Jeruſalem exprimitur. Negari igitur non poteſt. Hæc cauſa fuit, quod Aaron, Ægypti imitatione bovem conflaverit in deſerto, ut populi veteri idololatriæ inſerviret. Malè Pererius negat, vivente Joſepho, idolis cultum

tum præſtitiſſe. In Jacobi familia, ipſo vivente, idola fuerunt è Syria allata & circumportata, in moleſta illa profectione, *Non* (inquit recte Cl. Rivetus) *impoßibile haberi debet, in tam numeroſo populo, poſt annorum ſexaginta aut ſepeuaginta converſationem cum Ægyptiis consagium illud in multos ſerpſiſſe.* Addam ſequentia Riveti: *Quamvis autem poſt mortem Ioſephi ſequuta ſit ſervitus, non tamen tanta fuit initio, quæ omnem inter eos communicationem aboleverit & potuerunt eſſe, qui tolerabiliorem ſuam conditionem fore exiſtimaverint, ſi in cultu ſe Ægyptiis accommodarent. Ad id enim nimis proclive eſſe ingenium humanum, ut religionem ſuis commodis ſervire faciat, teſtatur omnium temporum experientia: Quod autem objicit* (Pererius) *Ægyptios non tantopere fuiſſe proſecuturos odio Iſraëlitas, ſi eos idololatriæ ſuæ ſtudioſos & participes vidißent, nec Deum progeniem eorum fuiße tam numeroſe multiplicaturum, id certe non ſequitur: Sunt enim alia multa inter populos diverſos, etſi in religione communicent, quæ animos alienare poßunt utrinque nec omnes Iſraelitas idololatriæ fuiſſe participes ſentimus. Benedictio autem multiplicationis, non probat eos fuiße ab illo crimine alienos, quia ſæpiſſimè Deus ingratos ſuis bonis cumulet: ſed habuit rationem promißionis ſuæ & futuri temporis: intereà eos aliis afflictionibus viſitavit. Itaque non poſſum eorum ſententiam rejicere, qui cenſent propter idololatriæ peccatum, quod apud Deum gravißimum eſt & exoſum maximè, Deum voluiſſe Iſraelitas tam dure ab ipſis Ægyptiis vexari: ut ad ſe redirent & Deum ſuum preßi inclamarent, abjecto ſuperſtitioſo idolorum cultu: neceſſariamque fuiſſe caſtigationem, qua Deus in peccata eorum animadvertit.* De aliis cauſis & finibus Dei ita diſſerit: *Primus hic eße potuit, cum Deus noſſet ex conſortio & nimia familiaritate cum Ægyptiis, ſi præſertim inirentur inter eos amicitiæ & affinitates, auctum iri malum, voluit eos ab Ægyptiis vexari, ut ab eorum moribus & impiis ſuperſtitionibus abhorrerent: & hæc quidem cauſa cum priori aliquid habuit commune, ſed tamen addit præcautionem in futurum. Secundo, quamvis præ ſe ferrent, ut dictum eſt, terræ promiſſæ aliquod deſiderium; ſi tamen benè ſemper habiti fuiſſent apud Ægyptios, potuiſſent iſta paulatim aſſueſcere, præſertim in agro fertili, ut tandem depoſuiſſent eam curam, & præſentibus contenti, de figendo lare inter AEgyptios cogitaßent. Ad id profuit dura ſervitus, ut ardentius libertatem cuperent, & ad promißam terram votis aſpirarent. Tertio Deus voluit juſtam eis cauſam dari jugum AEgyptiorum excutiendi, & locum dare beneficio quo Aegyptiorum opes, tanquam iniquorum poßeſſorum, in eos transferre ſtatuerat. Quartus is fuit, ut Deus arriperet inde occaſionem quam ſibi paravit, plurima & maxima edendi prodigia contra obſtinatos hoſtes Aegyptios divinam ſuam potentiam, & ſeveriſſimam ſuam juſtitiam manifeſtandi: Ex alia autem parte, ut ſuam erga populum miſericordiam & fidem promiſſionum ſuarum illuſtraret, faciens ut quævis mala ipſis benè verterent. Poſtremò voluit Deus hac ratione ingenerare terræ Aegypti horrorem, ne eos inceſſeret illuc revertendi cupido. Quid enim putamus illos fuiſſe facturos, ſi Aegyptios ſemper habuißent amicos & faventes, ſi poſtquam tot indigna perpeſſi eſſent, de redeundo tamen cogitarunt,* & recordati ſunt piſcium, quos comedebant in Ægypto, peponum, alliorum &c. *quamvis tum Deus eos aleret pane cœleſti. Itaque Num. 14.* Dicebant alter ad alterum, conſtituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum. *Non mirum eſt igitur, ſi Deus voluerit eos tam atroci ab Aegyptiis ſervitute premi, ut tanto majori odio, impuros eorum mores, barbaraſque ſuperſtitiones averſarentur, ardentiuſque ad promiſſam à Deo patribus eorum regionem aſpirarent.* De Ægyptiorum veteri idololatria alio loco fuſius agemus: nunc id tantum dicimus, conſtare, quod animalia ſacra ipſis fuerint & quædam habita pro diis eo tempore, quo Joſeph in Ægypto vixit, nedum cum populus Iſraël excederet.

Cauſa premendorum Iſraëlitarum Ægyptiis fuit metus ne multitudine florens & valida natio, bello ingruente hoſtibus ſe conjungeret, ſuperatiſque Ægyptiis, regni finibus excederet. Fieri poſſe dicunt interpretes, in ore Iſraëlitarum fuiſſe oraculum de ſuo exitu & id Ægyptiis innotuiſſe. Ut igitur ſubjectum & in poteſtate haberent populum, conficere laboribus ſcopus fuit. Hæc exprimit Textus Exod. 1. 9. 10. Conſilium iniit cum populo convocato de Iſraëlitis per ſerpentinam aſtutiam opprimendis. Dicitur in textu הבה נתחכמם: Hic Raſi dicit Dras eſſe, quod ſapienter agere voluerint adverſus Dominum, populi Iſraël defenſorem, qui juraverat non amplius, diluvio periturum eſſe ſeculum. Quia enim ipſos ulturus eſſe videretur Deus eo ipſo genere mortis quo perdidiſſent Iſraëlitas, tutius ſe id facturos aquis: quia Deus juraverat ſe non ultra cataclyſmum inducturum eſſe mundo. Hic Rabbini pro Dei ſcil. juſtitia & veritate ſoliciti, & apologiam facturi reſpondent: והן אינן ידעין שעל כל העולם כולו אינו מביא אבל על אומה אחת הוא מביא *En neſciunt quod ſuper totum mundum non adducturus ſit, ſed ſuper populum unum.* Hinc particulari judicio aquarum interiiſſe Ægyptios. Vide in tractatu Suta fol. 11. a. Deinde, quod habetur in textu ועלה מן הארץ. Hic Rabbini, teſte Raſi, commentantur: *Sicut homo, qui maledicit ipſe & refert maledictionem ad ſocium ſuum. Nam hoc eſt quaſi ſcriptum eſſet: Et aſcendemus nos è terra & ipſi eam hæreditabunt.* Id ſentiunt Hypallagen eſſe, qua id quod Ægyptiis conveniat, prædicetur de Iſraëlitis. Aben-eſdras eam expoſitionem tribuit R. Merinos: *Et locutus eſt ſic* (ait) *ne Satan os ejus faceret impingere.* Sed bene Abeneſdras ולפי דעתי אין צורך. Joſephus cauſas alias adjicit, non adductas in textu: Ægyptios fuiſſe *τρυφερὺς καὶ ῥαθύμους πρὸς πόνους, delicatos, & ad laborem ſegnes*, voluptatibus deditos, præcipue avaritiæ. Cum igitur Hebræorum gentem videret florere, opibuſque quas ſuo labore & induſtria acquiſierat, abundare, invidia accenſos eſſe & exiſtimaſſe adverſum ſe ſuoque malo in multitudinem erumpere: ut eorum incrementum ſibi tutum haudquaquam eſſet.

PARVULOS RECENS EDITOS AQUIS] Cum Ægyptii viderent hac via non ſuccedere propoſitum conficiendi & opprimendi Iſraëlitarum propagationem aliam viam inire voluit rex, ut in ipſo partu infantuli enecarentur. Primò, obſtetricibus præcepit, ut fœtus maſculos enecarent, Deinde, cum nec ita quod vellet aſſequeretur, aquis mergi juſſit. Textus aliam cauſam conſilii de infantibus ſuffocandis in ipſo ortu non aſſignat, at Joſephus hic ſomnium ſcribit eveniſſe ſacrorum ſcribæ, quod præcineret ingentem virum oriturum è ſemine Iſraëlitarum, qui Ægyptios magnis cladibus eſſet affecturus. *Τῶν ἱερογραμματέων τις (καὶ γὰρ ἦσαν οἱ περὶ τὴν ἀλήθειαν εἰπεῖν) ἀγγέλλει τῷ βασιλεῖ τεχθήσεσθαί τινα τοῖς Ἰσραηλίταις, κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν, ὃς ταπεινώσει μὲν τὴν Αἰγυπτίων ἡγεμονίαν, αὐξήσει δὲ τοὺς Ἰσραηλίτας τραφεὶς, ἀρετῇ τε πάντας ὑπερβαλεῖ καὶ δόξαν ἀείμνηστον κτήσεται.* Id igitur ſomnium cauſa fuit regi, cur maſculos omnes interimi voluerit, ut unum interciperet: quaſi ſimilis cauſa fuerit, qua Herodes infantulos innocentes jugulavit. At indicat textus in maſculis quæſitum fuiſſe interitum ſtirpis. Raſi tamen conſimiliter nugatur, שאמרו לו איצטגניני שעתיד לילד בן המושיע אותם: Fœmellas voluerunt conſervare aut non quæſiverunt enecare. Lyranus: *Tum quia multiplicatio feminarum non poterat rebellionem contra regem facere: tum quia rex volebat eis uti ad luxuriam Aegyptiorum & ad aliqua opera, quæ mulieres Aegyptiæ facere neſciebant.* Rex igitur primò egit cum obſtetricibus Hebræarum. Præcepit illis, ut in obſtetricationis opere occupatæ, cum animadverterent eſſe maſculum, eum interficerent,

cum

cum feminam, eam in vita ſervarent. Nempe uti occiderent (inquit Abeneſdras) in occulto, nequis factum cognoſceret, quia חמס (*ſcelus*) committeretur. Duas obſtetrices Textus memorat, cum certum ſit in tot millibus mulierum plurimas fuiſſe occupatas. Ideo exiſtimat præfectas fuiſſe univerſis duas illas, quæ regis voluntatem aliis indicarent. שרות היו על כל המילדות כי אין ספק כי יותר מחמש כאות מילדות אלא אלו שתיהן שרות היו עליהן לתת מס למלך משכרו וככה ראיתי היום במקומות רבות: *Præfectæ fuerunt omnibus obſtetricibus: quia abſque dubio, pluresquam quingentæ obſtetrices fuere: ſed hæ duæ illis præfectæ erant ut regiè mercede tributum darent, ſic video hodie in pluribus locis fieri.* Alii volunt nobilium mulierum inter Iſraëlitas obſtetries fuiſſe à quibus ſibi maximè rex metueret, alii fuiſſe celebriores ſive maxime notas, in quibus principium tentaminis rex fecerit, ut ſi hic ſucceſſiſſet conatus longius progrederetur, & promiſcue poſtea omnibus mandaret, quod ſtatim ab initio prohibebat pudor ne faceret. Hoc poſtremum arridet Riveto. Rivetus prolixe diſputat fuerintne iſtæ obſtetrices Hebrææ an Ægyptiæ. Ipſi placet fuiſſe Hebræas. Nam vix probabile eſſe mulieres Hebræas non habuiſſe obſtetrices ex ſua gente: maxime vero cum inter Ægyptios & Iſraëlitas mutua quædam eſſet abominatio. Unde vix credi poſſe mulieres Hebræas non refugiſſe contactum alienigenarum. Nec dici poſſe à rege invitis eſſe impoſitas, quia callide agere voluit. Ægyptias fuiſſe putavit Joſephus: ſed exiſtimavit obſtetrices tantum adhibitas ut Hebræarum partus obſervarent, qua poſſent in profluentem abiici. Hic negligenter Moſi textum conſideravit, qui vel cæco patet. Illius mentem hanc fuiſſe indicant verba: *δείσας δὲ ὁ βασιλεὺς κατὰ γνώμην τὴν ἐκείνου (ἱερογραμματέως) κελεύει πᾶν τὸ γεννηθὲν ἄρσεν ὑπὸ τῶν Ἰσραηλιτῶν εἰς τὸν ποταμὸν ῥιπτοῦντας διαφθείρειν, παραφυλάσσειντε τὰς ὀδύνας* (leg. *ὠδῖνας*) *τῶν Ἑβραίων γυναικῶν καὶ τοὺς τοκετοὺς αὐτῶν παρατηρεῖν τὰς Αἰγυπτίων μαίας. ὑπὸ γὰρ τούτων ἐκέλευσεν (ἐκέλευεν) αὐτὰς μαιοῦσθαι, αἳ διὰ συγγένειαν ἔμελλον μὴ παραβήσεσθαι τὴν τοῦ βασιλέως βούλησιν.* Ita perdendorum infantium unum modum à rege præceptum eſſe arbitratur, nempe abjectionem in flumen.

Ægyptias tamen illas obſtetrices fuiſſe plerique Chriſtiani interpretes volunt, moti his rationibus I. Quod non ſit veroſimile exſpectaſſe regem obſequium crudeliſſimi præcepti ab ipſis Hebræis mulieribus. II. Quia ipſæ obſterices dicunt: Hebrææ non ſunt ſicut Ægyptiæ: priuſquam nos (Ægyptiæ) veniamus ad eas pariunt. Rivetus ita reſpondet: *His non obſtantibus prior ſententia verior mihi videtur; cui etiam hoc accedit confirmandæ, quod dicuntur mulieres iſtæ timuiſſe Deum; & propterea infantes non occidiſſe. Quodſi Ægyptiæ fuiſſent rem ſuis diis gratam ſe facturas exiſtimaſſent. Scio etiam aliquando inter alienigenas repertos fuiſſe, qui aliquo Dei timore & reverentia ducerentur. Quidam enim id referunt non ad ſolidum Dei timorem ex verbo patefacto ſed ad reliquias lègis naturæ, in eis majores quam in aliis, dictante ipſis conſcientia, cædem innocentium infantium eſſe Deo abominabilem. Vel ad id quod apud multos adhuc maneret traditio de homicidii expreſſa prohibitione poſt diluvium: aut etiam quod apud Ægyptios nonnulli fuiſſent in vera pietate inſtituti, è quorum poſteritate eſſe potuerunt. Sed cum per* Deum *intelligatur* Deus verus *&* timor Dei *in ſcriptura, non tribuatur infidelibus, non exiſtimo ad eum ſufficere, κοινὰς illas ἐννοίας, quæ ex lege naturæ reliquæ manent. Ægyptias autem obſtetrices doctrina pietatis, quam Ioſephus profeſſus fuerat & alios docuerat, fuiſſe imbutas facilius dici poteſt, quam probari. Quid quod v. 15. Moſes eas appellat* obſtetrices Hebræorum. *Hebraïcè* העבריות *in fæminino genere: verti poſſet* obſtetrices Hebræas: *ſed ſi* Hebræarum *dicamus perinde eſt: diſtinguuntur enim ab obſtetricibus Ægyptiarum:*

alio

alioquin ſi Ægyptiæ fuiſſent, communes fuiſſent utriſque tam Aegyptiis quam Hebræis mulieribus. Ad argumenta in contrarium adducta non eſt difficilis reſponſio. Ad primum dicimus, potuiſſe regem illum Hebræas obſtetrices ad ſe vocare, eiſque quod fieri vellet præſcribere, ita tamen ut vel minis vel promiſſis, vel etiam utriſque, eas permoviſſe ſe putaverit, ut juſſa facerent. Probabile eſt etiam eas perterritas promiſiſſe ſuam opem: quia poſteà non negant ſe id voluiſſe facere, ſed excuſant; quod non data fuerit eis occaſio. Ad ſecundum reſpondemus non ſequi, non fuiſſe Hebræas, quia dicunt Hebræas mulieres prævenire obſtetricum opem, quod Aegyptiæ non faciebant. Potuerunt enim ſic reſpondere etſi Hebrææ eſſent. Nam quod dicunt regem potuiſſe regerere: Si tales ſint Hebrææ muliere cur ergo in populo veſtro hoc officio obſtetricandi defungimini, ſi veſtræ mulieres obſtetricibus opus non habent? Id non eſt neceſſarium quia reſpondebant de eo, quod fiebat, ut plurimum, etſi non ſemper. Deinde id potuiſſent referre ab laborioſam Iſraëlitarum vitam: quaſi id quidem anteà non ita accidiſſet, ſed tantum poſtquam novis quotidie auctis laboribus, ad omnia incommoda perferenda obduruiſſent. Hactenus Rivetus: Calvinus etiam exiſtimat ex totò contextu liquere quod Hebrææ fuerint. Hebræi adeò non dubitant obſtetrices illas duas fuiſſe ex Hebræa gente, ut etiam auſi ſint definire, quod fuerint Jochabed & illius filia Maria. Abeneſdras: *Fuerunt mater & filia per modum Cabbalæ, quia verum eſt.* E nominibus ipſis id petunt: Sephra enim dicta eſt, quæ erat Jochabed, quia concinnaret [משפרת] infantes. Mirjam dicta eſt Phua. שפועה ומדברת והוגה לולד כדרך הנשים המפייסות תינוק הבוכה: *Quod vociferaretur & loqueretur & ſermonem faceret infanti more mulierum mulcentium infantem vagientem.* In tractatu Thalmudico Suta fol. 11. b. latius illa. Rab & Samuel diſſidebant, quia prior dicebat fuiſſe Jochabed cum ſocru ſua Eliſama, alter Jochabed & Mariam filiam ejus. Vide locum. Hoc Judaicum commentum Lyranus ita refutat: *Dicunt Hebræi quod prima iſtarum fuit Iochabed filia Levi, & ſecunda Maria ſoror Moyſi: & fuerunt binomiæ ut dicunt: & ſecundum hoc exponunt, quod ſequitur infra: Et quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit illis domum, ſcilicet domum ſacerdotalem & regiam, quia prædicta Iochabed fuit mater Aaron, ut dicunt: cui & poſteris ejus datum eſt ſacerdotium: & Maria conjuncta eſt Chaleb in matrimonio (quæ alio nomine dicta eſt Ephratha) & ab ea denominata eſt civitas Bethlehem ut ſupra dictum eſt Gen. 35. cap. & 48. De qua civitate natus eſt David, primus rex de tribu Iuda. Sed iſtud dictum contrariatur textui præcedenti & ſequenti: quia dictum eſt prius, C. iſto, quod jam ante mortuus erat Ioſeph & omnes fratres ejus, & omnis cognatio ejus:* Videlicet quantum ad illos, qui *ingreſſi fuerant Aegyptum cum Iacob; inter quos Iochabed, filia Levi continetur ut dictum eſt Geneſ. 46. Et ſic jam ante erat mortua. Item in ſequentibus capitulo iſto, obſtetrices ad ſui excuſationem dixerunt:* Non ſunt Hebrææ mulieres ſicut Ægyptiæ mulieres. Ipſæ enim habent obſtetricandi ſcientiam: & priuſquam veniamus ad eas: *Quæ excuſatio nulla eſſet, niſi duæ obſtetrices prædictæ eſſent Aegyptiæ. Item non eſt veroſimile, quod rex volens occultè interficere maſculos Hebræorum, hoc exſequeretur per mulieres Hebræas: & ideo dicendum quod non fuerunt illæ duæ prænominatæ, de quibus certum eſt quod fuerunt Hebrææ, ſed fuerunt Aegyptiæ mulieres, quas rex præfecit dicto operi nefario, ut ſuum propoſitum aſſequeretur. Tenendum eſt enim, quod ſub iſtis duabus, quæ non ſufficerent pro tanto populo, fuerunt plures aliæ ad iſtud miniſterium, ſed de duabus principalibus hic fit mentio, in quibus rex idem præceptum dedit aliis ſibi ſubjectis.*

Illæ obſtetrices, cujuſcunque nationis fuerint, Dei timore & facti horrore ab obſequio regis deterritæ, infantulis pepercerunt. Quum rex reſciſceret, infantulos conſervari, obſtetrices ad ſe vocatas acriter redarguit. Illæ autem reſpon-

reſponderunt: Hebræas mulieres vegetiores eſſe Ægyptiis, ut quæ fermè enixæ eſſent, antequam obſtetrix adveniſſet. Hoc reſponſo tyrannus videtur acquieviſſe: non legitur ſaltem obſtetrices puniiſſe ut mandato ſuo immorigeras. Deus remuneratus eſt pietatem obſtetricum, quibus dicitur ædificaſſe domos: quamvis in Hebræo (Exod. 1. 21.) legatur maſculino genere להם. Illud בתים exponit Raſi de ſacerdotio, Levitiſmo & regno. בתי כהונה ולויה ומלכות. Omnia enim illa voce domus notari. Conſimiliter nugatur Hieronymys, qui dicit domos id eſt *virtutes pro quibus in cæleſtibus requieſcerent*. Nihil aliud notat quam eorum familiam auxiſſe & beaſſe prole. Sic Gen. 16. 2. אבנה ממנה. Hic Auguſtinus lib. de mendacio cap. 15. *Quod ſcriptum eſt benè Deum feciſſe, cum Hebræis obſtetricibus & cum Rahab Hierichuntina meretrice, non ideo factum eſt, quia ſunt mentitæ, ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt. Non eſt itaque remunerata in eis fallacia ſed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis.* Merito illæ obſtetrices ſuis celebrantur nominibus.

Cum hoc aſtutiæ molimen clandeſtinum non ſuccederet, jam leonis habitum indutus Ægypti tyrannus, juſſit recens natos maſculos aquis mergi. Quod genus crudelitatis apertæ ſolum Joſephus & ex eo (uti videtur) Sulpicius retulére. Sulpicius ita accepiſſe videtur, quaſi ipſi parentes coacti fuerint filiolos ſuos abjicere & mergere fluvio. Cum tamen textus exprimat quibus illam merſionem rex præceperit, לעמו. Et quidem לכל עמו / *univerſo populo ſuo. Credibile non eſt* (inquit Rivetus) *nec potuiſſet rex ſperare tam atrox mandatum ab ipſis parentibus ſervatum iri: maximè ab Iſraëlitis, quorum mores erant à tali facinore alieniſſimi, cum apud eos in maximis bonis numeraretur liberorum multitudo.* Senſit tamen ita Joſephus: ὡ καθ' ὃ παίδων ἀπεστεροῦντο καὶ γενεᾶς ὄντες αὐτοὶ πρὸς τὴν ἀπώλειαν, ὑπουργεῖν τῶν γεννωμένων &c. Iterum Rivetus: *Videtur impoſuiſſe Ioſepho Moſis nativitas, quæ tamen ad hanc opinionem non cogit. Non enim expoſuerunt parentes, ut obſequerentur regi, qui juſſerat non exponi ſed abjici. Sed id fecerunt, ut eum eriperent exploratoribus, ſub aliqua ſpe ejus quod accidit* &c. *Nemo enim tyrannorum, ne Herodes quidem ille infanticida, juſſit parentes ipſos fieri parricidas, etiam impoſita pœna.* Calvinus: *Nunquam ab hoſte quamtumvis implacabili ita ſævitum fuit contra totam unam gentem, ut in media pace fœtus omnes maſculos exſtingui juſſerit.* Rivetus: *Hinc etiam factum eſt, ut brevi irritum fuerit: probabile enim eſt paulò poſt antiquatum fuiſſe, accedente poſt paucos annos tyranni morte. Quicquid ſit, non viguiſſe ad finem uſque ſervitutis argumento eſt, quod tam multi parvuli infra vigeſimum annum ex Ægypto exierint.* Raſi cum Thanchuma & Thalmudicis exiſtimat ultimum illum verſum primi capitis Exodi (qui ita ſonat: *Tunc præcepit Pharao omni populo ſuo, dicens: Omnem natum maſculum in flumen projicite: omnem vero feminam ſervabitis*) ita accipiendum eſſe, quod Pharao æque Ægyptiis ac Iſraelitis præceperit ut filios ſuos in flumen projicerent: *Etiam*, inquit, *conſtituit diem, quo natus eſt Moſes: Dixerant ipſi aſtrologi, hoc die naſcitur: at nos neſcimus an ex Ægyptiis, an ex Hebræis: videmus nos, quod finis ejus ſit, ut vapulet aquis: ideo conſtituit ipſum illum diem etiam ſuper Ægyptiis: Q. D.* omnem filium natum, *non* natum Hebræis. *At ipſi neſciebant, quod finis ejus, ut vapularet ob aquas Meribæ.* En cor Zenodoti, en jecur Gratetis! Diei igitur unius præceptum fuit? Sciebant naſciturum eſſe Moſen, neſciebant ex Ægyptiis ne an Hebræis. Conſtitutum eſſe ut ejus diei infantuli abjicerentur. At die iſto tranſacto, cum notarent aſtrologi nondum deprehenſum eum eſſe illum quærebant, edictum prolongatum eſt, uſque ad tempus, quo abjectus eſt Moſes. Sic è Thanchuma in gloſſis ad Suta.

Qua Tempestate Filia] Hic ſequitur caput ſecundum Exodi.

Parentes Moſis fuerunt Amram & Jochabed. Hic quæritur, An illa Jochabed fuerit filia Levi immediatè ex ipſo genita, an mediatè. Nam textus dicit fuiſſe filiam Levi. Immediatè genitam ex ipſo eſſe volunt Judæi, qui ſimul contendunt natam eſſe Jochabed in ipſo ingreſſu in Ægyptum, inter muros. Unde fuerit centum & triginta annorum cum Moſen pareret.

Conſtat Miriam Moſe majorem fuiſſe, adeoque Jochabed ductam eſſe in matrimonium ante hoc tempus, quod eſt circa conceptionem & nativitatem Moſis, dicit tamen textus nativitatem Moſis expoſiturus, Et ivit vir è domo Levi & accepit filiam Levi. Hic Raſi: *Separatus fuerat ab ea propter edictum Pharaonis: rediit autem & ſecundò cum ea contraxit* (עשה בה לקוחים שנים) *ipſa etiam mutata eſt, ut eſſet puella: erat autem 130. annorum, quia nata erat in ingreſſu in Ægyptum inter muros: at hîs centum & decem annis illic fuerunt: cum autem egrederentur fuit Moſes octuaginta annorum. Et cum impregnaretur ex eo fuit centum triginta annorum & vocat eam filiam Levi.* Abeneſdras: Filia Levi] *Filii Iſrael, fuitque filia patris ſui: Non eſt verbum verum, quod dicit: Proventus agri ſeminatus in agro alieno, proſperè creſcit ſed in eodem agro ipſe non creſcet proſpere: ex decoro eſt, quoniam nuditas eſt articulus prohibitus, ut Iſrael ſanctus ſit.* Hæc videtur eſſe mens magiſtri, quod conjugia inter prohibitos gradus ſoleant eſſe felicia, ſed ideo vetita, ut Iſrael ſanctus ſit. Concedimus Deum benedixiſſe ſæpe inceſtis conjugiis, ut è malis hominum educeret bonum, è tenebris lucem. Sicuti è Judæ inceſtu cum Thamar egreſſa eſt ſtirps regum & Chriſti, è conjugio Amram cum Jochabed ſtirps ſacerdotum. Item ad verbum ותתצר] *Nullum eſt dubium, ſicuti meminimus, quin Aaron major fuerit Moſe, biennio: & ſic tradiderunt patres noſtri, quod Pua ſit Mariam: ſcriptum eſt, conſidebat ſoror ejus à longe: & ecce ſcimus, quod principium termini 400 annorum, ſit à die quo natus eſt Iſaac, quia ille ſolus vocatur ſemen. Ille autem natus 60. annos genuit Iacob: & Iacob genuit Ruben cum eſſet annorum octuaginta quinque fuitque cum deſcenderet in Ægyptum, annorum centum triginta. Addimus his annos ſexaginta Iſaaci, exſurgunt 190: Et ecce reſidui 210: Deducamus ex illis 70. annos, quibus poſthac vixit Ioſeph, ecce reliqui ſunt centum & quadraginta. At anni Levi cum deſcenderet in Aegyptum quadraginta tres: & ecce vixit viginti duobus annis poſt Ioſeph, & ecce relinquuntur 118. anni: quia ſcriptum eſt, quod Ioſeph mortuus ſit, cum eſſet annorum 110: Et quando rex & rex novus? & quot annis ædificarunt civitates theſaurorum? & ecce prope tempus, quo editus eſt Moſes, edictum fuit de maſculis. Et ben Zeita dicit, Qui narrat verbum hiſtoriæ, non habet in honore honorabilem, ut eum memoret à principio. Scriptum autem eſt* [Num. 26.59.] Et peperit Amramo Aaronem, Moſen & Mirjam ſororem ejus: *Ecce minima erat. At iſte cæcitate percuſſus oblitus eſt,* Sem, Ham & Japheth: *etiam ſcriptum* [Gen. 95.32.] Nati ſunt Noë: *cum Iapheth fuerit maximus. Porro ſcriptum eſt* (Gen.9.31.) Illic ſepelierunt Abram & Saram uxorem ejus: *at ipſa ſepulta fuit in ſpelunca ante Abram triginta octo annis.* Ben Zeita imperite & malè minorem fuiſſe inde argumentabatur, quia poſt eos commemoratur. Sentiebat enim tam fixo certoque more in hiſtoria priorem tempore præponi, ut honor & dignitas ordinem iſtum nunquam immutent. Hoc ridet Aben-eſdras, qui Mariam putat fuiſſe Puam juxta Cabbalam, & refutat exemplo narrationis de tribus filiis Noë. Hoc exemplum diſpar erat huic è Numeris. Nam fratres etiam majoribus ſororibus ſolent præponi.

Maria non eſt Pua. Hoc dicere ineptum eſt. Fuit enim juvencula. Sed illud quæritur an Jochabed illa (mater Moſis) fuerit filia Levi, ex ipſo immediatè genita. Hoc tenent veteres multi etiam è Pontificiis, quamvis Jeſuitarum poſterior ſapientia, odio potiſſimum Calvini, acriter contrarium tueatur. Toſtatus ſentie-

ſentiebat fuiſſe; negabat Lyra: Lyram refutavit Burgenſis. Lyranum autem decepit præconcepta opinio ex Rabbinicis nugis, quod Jachabed filia Levi immediata, fuerit edita in ingreſſu in Ægyptum. Adverſarias diſceptiones Lyrani & Burgenſis Bibliotheca noſtra exhibeat & judicet: Ad verba Latinæ editionis, v. 1. Stirpis Suæ, ita Lyranus: *In Hebræo habetur filiam Levi. Ex hoc dicunt Hebræi, quod iſta fuit Iochabed, quam Levi genuit. Item hoc videtur per quandam gloſſam, quæ dicit*, quod Amram accepit amitam ſuam, id eſt ſororem ſui patris Caath, & per conſequens filiam Levi. Sed hoc videtur falſum, quia dictum eſt cap. præced. quod perſonæ, quæ ingreſſæ ſunt Ægyptum cum Jacob, mortuæ erant ante iſtam afflictionem populi, inter quas computatur Jochabed etiam ſecundum opinionem Hebræorum, ut dictum, fuit ſupra Geneſ. 46. cap. Item dato, quod hæc viveret, oportet dicere *ſecundum dicta Hebræorum, quod in nativitate Moſis eſſet 130. annorum: quod probatur* ſic &c. *Ex quo ſequitur, quod Iochabed filia Levi, quæ computatur inter deſcendentes in Aegyptum, cum Iacob, in nativitate Moſi, ſi vivebat, erat annorum 130. & ſic tranſierat in ea tempus concipiendi: quod & concedunt Hebræi, ſed dicunt, quod miraculoſe factum eſt, quod conciperet Moſen, ſicut & Divina revelatione conceptus eſt. Sed hoc non valet: quia non ſolum de Moyſe oportebat eos dicere miraculum eſſe factum: ſed etiam de conceptu Aaron & Mariæ: quia Aaron tribus annis tantum natus fuit ante Moyſen, ut prædictum eſt: & ſic Iochabed mater ejus erat 127 annorum, quando peperit Aaron. Maria etiam ſoror Moyſi in nativitate ejus erat juvencula, ut dicitur in textu: & ſic ad plus habebat. 15. annos vel circiter. Et ſic Iochabed mater ejus erat centum & quindecim annorum quando eam peperit ſecundum iſtos. Ex quo patet, quod in omnibus iſtis tranſierat tempus concipiendi: maximè, quia Gen. 18. cap. dicitur de Sara: quod cum eſſet nonagenaria, deſierant in ea fieri muliebria, nec poterat per naturam concipere in tali ætate. Et multo fortius idem eſt dicendum de Iochabed filia Levi: quæ fuit per magnum tempus poſteà, & ideo complexio mulierum debilitata erat & ætas breviata. Propter prædicta dicendum eſt, quod ſit alia ejuſdem nominis. Dicitur tamen filia Levi in Hebræo, id eſt, de tribu ejus: ſicut Eliſabeth, mater Iohannis baptiſtæ, dicitur de filiabus Aaron, Luc. 1. 5. De qua tamen certum eſt, quod eam Aaron non genuit. De gloſſa autem quæ inducta eſt ad contrarium, non eſt curandum, quia contrariatur textui manifeſtè. Dicitur enim infrà 6. cap. quod Amram accepit uxorem Iochabed patruelem ſuam. Patruelis autem alicujus dicitur filius vel filia avunculi ſui. Patruelis enim eſt communis generis. Et ſic patet quod non fuit filia Levi, ſed filia unius filiorum ſuorum & cognata ipſius Amram. Item matrimonium cum amita erat illicitum, quod dicitur Levit. 20.* Turpitudinem amitæ tuæ non diſcooperies. *Et, ſi dicatur, quod lex illa adhuc non erat data: dicendum, quod ante legem multa, quæ ad matrimonium pertinent, fuerunt obſervata, ſicut Geneſ. 38. cap. dicitur; quod Iudas conjunxit Onan uxori fratris ſui defuncti, ut ſuſcitaret ei ſemen: & magis veriſimile eſt, quod tempore Amram vitabatur matrimonium cum amita: & per conſequens Amram, qui ſanctus homo erat, tale matrimonium non contraxit.* Hanc ſententiam poſtillatoris impugnat Burgenſis: *Secundum Hebraica litera veritatem oportet dicere, quod Iochabed mater Moyſi fuit filia Levi: tum quia infrà 6. cap. ubi tranſlatio noſtra habet: Amram accepit uxorem Iochabed patruelem ſuam, Hebraica lingua habet:* Accepit Amram Jochabed aviam ſuam (ſine dubio legendum amitam, quamvis & aviam legerit Doring & hinc adverſus Burgenſem argumentetur) in uxorem. *Vnde gloſſa, quam reprobat poſtillator, veriſſima eſt, non obſtantibus objectionibus poſtillatoris. Nam quod primò objicit ex eo, quod Iochabed fuit mortua ante afflictionem populi, nullam habet neceſſitatem ex litera. In vera enim computatione animarum, quæ ingreſſa ſunt cum Iacob in Aegyptum (quam approbat poſtillator*

ſuper Gen. 46.) non computatur Iochabed: licet quidam Hebræi: hoc voluerint dicere ſine fundamento, ut ſupra patet in poſtilla, in dicto cap. Quod autem objicitur ſecundo, dicendo; quod dato adhuc viveret, oporteret dicere, quod ipſa Iochabed eſſet in nativitate Moſ. 130. annorum, prout largè deducitur in poſtilla, non eſt verum, niſi præſuppoſito, quod Iochabed computaretur inter perſonas, quæ ingreſſa ſunt Aegyptum cum Iacob. Quod quidem præſuppoſitum interea nullum habet fundamentum, ut dictum eſt. Vnde ad hanc objectionem poſtillatoris tollendam, poteſt dici, quod Levi genuit Iochabed, per magnum tempus, poſt ſuum ingreſſum in Aegyptum: ut puta per 60. annos fere. Quibus ſubtractis à numero 210. annorum, quibus fuerunt in Aegypto, prout deducitur in poſtilla, remanent 150. anni: à quibus ſi retrahantur 80. anni: quos habebat Moyſes, in exitu de Aegypto, prout infrà 7. cap. remanent 70. anni: in qua ætate erat Iochabed, cum genuiſſet Moyſen: quod non eſt ad miraculum computandum, cum Levi, pater ipſius Iochabed vixerit 137. annis: & totidem fere Caath frater Iochabed; ſimiliter & Amram vir ejus, ut patet infra cap. 6. Cum igitur tunc temporis homines illius cognationis, ſcil. Levi attingebant communiter ætatem 137. annorum, nil mirum, ſi femina illius cognationis concepiſſet, cum eſſet ſeptuagenaria: & multò minus mirandum de conceptione Aaron & Mariæ: qui fuerunt concepti ante Moſen & per conſequens in minori ætate. Sara autem erat nonagenaria & deſierant ei fieri muliebria, ut ſupra Gen. 18. cap. & ideò non eſt accipienda in argumentum contra prædicta. Dicendum eſt igitur, quod uxor Amram fuit Iochabed, prout dicitur in gloſſa prædicta. Et idem dicitur in tranſlatione Chaldaica, cui litera Hebraica, ut dictum eſt, omninò conſonat; licet non idem dicat tranſlatio noſtra. Nec poteſt contra prædicta objici per hoc, quod Levi non eſſet in ætate generandi, in anno 60 poſt ingreſſum Aegypti. Nam Levi in ingreſſu AEgypti erat 45. annorum ferè: quod ſic patet. Nam Iacob ſtetit in domo Laban per ſpatium viginti annorum ut ſupra Geneſ. 31. cap. à quibus ſi ſubtrahantur ſeptem anni: quibus ſervivit Iacob, antequam accepit Liam; & tres anni ferè, quibus nati ſunt Ruben, Simeon & Levi ſucceſſive, ut ſupra Gen. 29. remanent decem anni ferè à nativitate Levi uſque ad finem annorum prædictorum: à quibus ſi ſubtrahantur ſex anni, quibus ſervivit Iacob in domo Laban pro gregibus nato jam Ioſeph, ut in prædicto capite, reſtat, quod à nativitate Levi, uſque ad nativitatem Ioſeph fluxerunt quinque anni ferè. Ioſeph autem cum Iacob & filii ejus ingrederentur AEgyptum erat triginta novem annorum. Nam cum primò ſtetiſſet coram Pharaone erat 30. annorum, & poſteà fluxerunt 7. anni fertilitatis & duo ſterilitatis, ut ſupra Geneſ. 45. cap. Sequitur ergo quod Levi in illo ingreſſu erat 45. annorum ferè, ut dictum eſt. Quibus ſi addantur 60. anni, uſque ad nativitatem Iochabed, ſequitur quod Levi erat 105. annorum, cum eam genuit: quod non eſt contrà curſum naturæ. Levi enim vixit 137. annis, ut infrà 6. cap. Et ſic tempore generationis Iochabed adhuc remanebat quarta pars fere ætatis ſuæ tranſeunda. Conſtat autem, quod in modernis temporibus licet duratio communiter menſuretur in ſeptuaginta annis juxta poſtillam, adhuc homines tamen generant, cum ſunt ſexaginta annorum & ultrà: quamvis non remanet niſi octava vel ſeptima pars ætatis fere. Ad illud autem quod objicit dicens: Quod matrimonium cum avia (leg. amita) *illicitum erat ſecundum legem: & quod multa quæ pertinent ad matrimonium fuerunt obſervata ante legem: quod intendit probare per hoc, quod Iudas conjunxit Onan, filium ſuum, uxori fratris ſui defunctæ Gen. 38. Ad hoc dicendum, quod ante legem ſi aliqua obſervabantur de his, quæ pertinent ad matrimonium, hoc erat caſualiter non autem ex obligatione. Obligatio enim legis non ſe extendit ad præterita: unde manifeſtum eſt, quod Iacob habuit duas ſorores in uxores; quod tamen prohibitum eſt in lege Levitic. 18. Thamar etiam ſecundum legem inceſtum commiſit ſcienter cum ſocero ſuo Iuda; & tamen Iudas eam juſtificavit,*

eavit, dicens: Juſtior me eſt, *ſupra Geneſ.38. Ex quibus patet, quod matrimonia quæ illicita erant tempore legis, non erant illicita ante legem. Si autem contra hoc dicatur quod Iacob illas habuit ex juſſu ſeu inſtinctu Divino; ſimiliter & Thamar propter fructum, qui ex prædictis matrimoniis ſecutus eſt: ſimiliter poteſt de Amram dici. Notabilis enim fructus fuit ſecutus ex illo matrimonio, ſcilicet Moyſes, legiſlator & redemptor populi, & Aaron ſanctus, à quo linea ſacerdotalis in illa lege incepit.* Hactenus Burgenſis, cujus ſententiam veriorem eſſe putamus & conformem dictis ſcripturæ. Nam expreſsè dicitut Num. 26. 59. quod τῷ Levi pepererit eam (uxor ſcilicet ſua) in Ægypto. Obſervat Burgenſis, qupd nata eſſe potuerit anno parentis Levi 105. Ralbag etiam דרש eſſe putat, quod Jochabed nata cum ingreſſu in Ægyptum intra mutos. Ideo exiſtimat extremis Levi annis, natum eſſe Jochabed & peperiſſe Moſen anno ætatis 58. Quid ſi nata anno Levi 120. aut circiter, eò juniorem & intra annos conceptus ſtatuemus Jochabedam, cum Moſen genuit.

Duriſſimo tempore natus eſt Moſes: veroſimile eſt autem circà nativitatem Moſi vel paulo ante edictum id eſſe promulgatum de abjiciendis infantibus. Quod ſi quæras, anne editum fuerit antequam conciperetur Moſes, an potius matre prægnante, ut ſentit Joſephus? Nihil habeo quod dicam. Si objicias, Non debuiſſe uxores à maritis cognoſci, quum fœtus periculo vitæ expoſiti eſſent. Hic reſpondeo. Naturæ neceſſitati parendum fuit & Deo committendus eventus: quamvis & hoc incertum cujus ſexus fœtum Deus daturus eſſet.

Tam duro tempore editus Moſes eſt: de quo Stephanus Act. 7. 19. 20. Οὗτος κατασοφισάμενος τὸ γένος ἡμῶν, ἐκάκωσε τοὺς πατέρας ἡμῶν τοῦ ποιεῖν ἔκθετα τὰ βρέφη εἰς τὸ μὴ ζωογονεῖσθαι. Ἐν ᾧ καιρῷ ἐγεννήθη Μωσῆς. Mirum eſt redemptorem natum eſſe in ipſo ardore ſummo & ferventiſſima flagrantia perſecutionum. Qui autem (vide Dei providentiam) ſolus quæſitus fuiſſet ad necem, ſi quicquam fuiſſet cognitum de futura ejus maguitudine, ſolus aut inter paucos periculum evaſit. Natum puerum ad tres menſes occultavere parentes. Qui id potuerint quæras? Fortaſſis partu facili editus eſt qui celari potuit, fortaſſis negligentiores fuere, crudeli miniſtetio præfecti, aut pecunia muneribuſque leniri potuere. Duas cauſas ſcriptura commemorat iſtius occultationis: venuſtatem nati infantuli & fidem parentum. De venuſtate teſtatur Moſes ipſe, Stephanus Act. 7. 20. Paulus Heb. 11. 23. Summa venuſtas in puero erat quæ στοργὴν fidemque parentum excitavit & adjuvit. Quid autem de fide dicemus, quam oportet fundari in verbo promiſſionis ſive inſtinctus? Promiſſio generalis eſt aut ſpecialis. Promiſſio generalis non ſatisfacit, quia ipſos non magis quam alios parentes potuit excitare: nec facit ad ſpecialem caſum. Si Joſephum admittamus, de ſomnio narrantem, quo revelatum ſit parentibus, quid futurum eſſet, res expedita erit. Expedirent ſe Rabbini, ſi Pauli teſtimonium reciperent. Nam Raſi: כשנולד נתמלא הבית אורה *Cum naſceretur, domus luce impleta eſt.* Hæc ſane tacita fuerit promiſſio. Nos potius inſtinctum aliquem fuiſſe exiſtimamus, quem comitatur fides. Raſi è Maſſecheth Suta fol. 12. a. illud habet. Illic enim, univerſa de Amram & Jochabed conjugio & conceptione ac nativitate Moſis explicantur. Et abiit vir è domo Levi] Unde abiit? *Dicit R. Iuda filius Zebina quod abierit è conſilio filiæ ſuæ. Traditum eſt: Amram maximus generationis, cum videret, quod dixiſſet Pharao malus, omnem filium natum in profluentem abjicietis, dixit: In vanum nos labore fatigamur & expulit uxorem ſuam: eum imitati ſunt omnes, expellendo uxores ſuas. Dicebat ei filia ſua: Decretum tuum gravius eſt decreto*

Pharaonis. Nam Pharao non decrevit niſi de maribus, tu de maribus & feminis: Pharao non decrevit niſi de hoc ſeculo, at tu de ſeculo hoc & de futuro. Pharao malus eſt & incertum eſt an ſit ejus decretum ratum: tu juſtus & certum, quod tuum ratum ſit Q. D. (Job. 22. 28.) Decernes & ſtabit. *Surrexit & reduxit uxorem ſuam ſimiliterque fecerunt omnes.* ויקח *id eſt* ויחזור *iterum accepit. Quærunt ab eo: Dicebat R. Iuda bar Zebina quod fecerit ipſi opus* [לקוחין] *reduxerit eam* באפריון *in thorum nuptialem: Aharon & Maria ſaltarunt coram ea & angeli miniſterii dixerunt, Si introduxit lætitia eſt.* Filiam Levi] *Forte nata 130. annos fuit & vocatur filia, qaod dicit R. Hama bar Hamina: Hæc eſt Iochabed, cujus conceptus fuit in via & nativitas inter muros, Q. D.* (*Num. 26. 59.*) quam peperit Levi in Ægypto. *Partio ejus fuit in Ægypto conceptio ejus non fuit in Ægypto. Dicit R. Iuda: Quod nata fuerint in ea ſigna adoleſcentiæ.* Et concepit mulier & peperit filium. *Ecce fuit eo impragnata tribus menſibus à principio. Dicit R. Iuda, bar Zebina, aſſimilat partionem ejus cum ejus conceptione. Quomodo? Conceptio ejus fuit ſine dolore etiam partio ejus ſine dolore. Hoc inde eſt mulieribus juſtis, quod non ſint in diplomate Heva.* Et vidit eum eſſe טֹב] *Traditio: R. Meir dicit Tob nomen ejus. R. Iuda dicit, Tobia nomen ejus. R. Neemia dicit: conveniens prophetiæ. Alii dicunt, Natus eſt, quaſi circumciſus eſſet. At ſapientes dicunt: Tempore, quo natus eſt Moſes, tota domus repleta fuit luce. Scriptum eſt hic*, Vidit eum, quod bonus eſſet: *& ſcriptum eſt illic* (Gen. 1. 4.) Et vidit Deus lucem, quod bona eſſet. Et abſcondit eum tribus menſibus] *Quia non numerarunt Ægyptii, niſi à die qua eam reduxerat & erat prægnans tribus menſibus à principio.* Et non poterat eam occultare amplius. *Quarto occultavit eum & abiit: ubicunque audiverunt Ægyptii, quod natus eſſet infantulus, adduxerunt infantulum illuc, ut ſi audiret eum, vagiret ſimul Q. D.* (*cantic. 2. 15.*) Capite nobis vulpes, vulpes parvas *&c.* Hic eſt congeries nugarum, quas è verborum cortice, ſubtiliter expreſſerunt. Sciſcunt natam eſſe Jochabed cum ingreſſu in Ægyptum: centum triginta annos habentem concepiſſe Moſen reſtituta adoleſcentia. Expulſam & reductam eſſe conſilio Mariæ ſororis Moſis. In ejus ortu nullum fuiſſe matri partitudinis dolorem. Et domum illuſtratam extraordinario lumine. Tribus menſibus occultari potuiſſe infantulum, quia ante receptionem conceperat, trimeſtri toto, cum obſervatores Ægyptii putarent tempus à receptione. Ideò totis tribus menſibus anticipans, hoc tempore infantulum occultare potuit. Raſi dicit ſeptimi à conceptione menſis primo die natum eſſe Moſen, qualis fœtus è matris utero excíſus vivere poteſt. Ægyptii igitur obſervarunt matrem circa menſem nonum.

In fiſcella juncea, quam pice & bitumine illeverant, clauſere infantulum. Rabbini foris pice intus חמר fuiſſe illitam putant, ne picis gravis odor infantulum quateret. At quomodo non eſt gravis odor bituminis? בסוף (in alga, junco) ad ripam fluenti, fiſcellam depoſuêre.

Infantuli ſororem (puellam ejus ætatis) in ripa, tanquam in ſpecula collocant, obſervaturam, quid de puero eventurum eſſet. Quæritur de hoc facto, an fidei reſpondeat? Nuſquam ſcriptura factum damnar: omnia autem Dei ſingulari providentia gubernata fuere. Non ita regis edictum parentes metuebant, ut omnem ſpem abjicerent, aut aliquid contrà conſcientiam committerent. Proinde non temere puerulum projiciunt: vaſculo picato & bituminato impoſitum, collocant in junceto, ubi aqua tenuis alveum deſtiruerat: qua facilis acceſſus matri, quæ noctu clam præbere mammam poterat. Obſervabat ſoror, quid Deus eſſet daturus. *Valde etiam probabile eſt* (inquit D. Rivetus) *exploraſſe eos locum, in quem ſciebant principem illam Pharaonis filiam,*

cum

cum comitatu ſuo ſapius accedere: & juxta carecta illa fuiſſe ad fluminis ripam, commodum & ad ejus uſum deſignatum lavacrum. Itaque filium collocaſſe in loco, in quo ab egrediente videri poſſet. Hanc enim benignitatem magis potuerunt ſperare à muliebri ſexu, & prætereà cogitare potuerunt, neminem id auſurum, niſi qui authoritate polleret; nec ſi quis alius auſurus id fuiſſet, id exſequi potuiſſe, niſi magna apud regem gratia polleret. Videamus quid magiſtri in Maſſecheth Suta nugentur: Et accepit ipſi fiſcellam ſcirpi, גמא] *Quid docet* גמא*? dicit R. Eleazar: Hinc de juſtis dicitur? Subſtantia eorum ab ipſis diligitur præ corporibus ſuis. Id adeò quare? Quia manus ſuas non extendunt in rapina.* Hæc mens eſt recutiti ſapientis, quod in pretioſorum & firmorum lignorum arca nummos homines probi ſoleant reponere, cum ſe ipſos ſcaphæ & cymbæ ſcirpeæ committant: uti factum à parentibus Moſis, qui infantulum fiſcellæ, nummos arcis ligneis clauſere. Sequitur: *R. Samuel bar Nachmani dicit, Res mollis quæ poteſt conſiſtere ad rem mollem & rem duram.* Et illevit eam bitumine & pice] *Traditum eſt, Bitumen intus & pix extus, ne ille juſtus odoraretur odorem malum. Et poſuit in* ea puerum & poſuit בסוף. *R. Eleazar dicit, Mare Suf. R. Samuel, bar Nachmani dicit* (□אגם) *juncus, ſecundum quod ſcriptum eſt (Eſai. 19.6.)* Arundo & סוף areſcunt. Et deſcendit filia Pharaonis lotum ad fluentum] *Dicit R. Iochanan nomine R. Simeon ben Iochai, docent, quod deſcenderit ut ſe lavaret à ſtercoribus patris ſui. Et ſic dicitur (Eſai. 4.4.)* Ubi Dominus abluerit ſtercus filiarum Sion &c. Et puellæ ejus euntes &c.] *Dicit R. Iochanan, Non eſt hac itio niſi ſenſus mortis: Et ſic dicitur: (Gen. 25.32.)* Ecce ego abeo ut moriar. Et vidit fiſcellam in medio סוף] *Poſtquam viderunt oſtium parvum, quæſiverunt ſeparatim reponere Moſen: Dicunt ipſi, domina noſtra, conſuetudo eſt ſeculi: rex caro & ſanguis, decernit decretum: ſi totus mundus non ſtatuat illud, filii ejus & filii domus ejus ſtatuunt illud; & tu tranſgrederis decretum patris? Venit Gabriel & proſternit eas ſolo.* Et miſit ancillam ſuam [אמתה] & accepit eam] *R. Iuda & R. Nehemia; Vnus dicit* ידה *manum ſuam, alter dicit ancillam ſuam. Qui dicit manum ſuam, quoniam ſcriptum eſt* אמתה*; qui dicit ancillam ſuam, quia non ſcriptum eſt* ידה. *Et quantam ad illum, qui dixit ancillam ſuam, ecce dixeris, Venit Gabriel & eos ſolo ſtravit? Reliquam fecit unam quia non erat hoſpita filia regis, ut conſiſteret ſola. Quantum ad illum, qui dixit,* ידה *ſcribendum fuerat* ידה *Ecce ſignificat quod creſcendo creverit, quod dicit Mar. Et ſic tu educas* באמתה *filiæ Pharaonis. Et ſic educes* in dentibus improborum *quod ſcriptum* [Pſ. 3.8.] dentes improborum confregiſti. *Dixit Res Lakis: Ne legas* שברת *ſed* שריבבתה [non fregiſti ſed auxiſti] *Et* aperuit & vidit puerum (*ילד*) Et vidit] *Quærunt ab eo: Dixit R. Ioſe à R. Hanina, quod viderit* שכינה *majeſtatem Divinam cum eo.* Et ecce puer flebat] *Legitur de eo* ילד *& legitur de eo* נער. *Traditum eſt: Ipſe Puerulus, at vox ejus ut adoleſcentis. Sic ſunt verba R. Iuda: at dicebat ei R. Nehemias: Si ita eſt, feciſti Moſen magiſtrum noſtrum* □בעל מום *| vitioſum. Cæterum docet, quod fecerit ipſi mater calum nuptiale adoleſcentium in arca. Dicebat enim: Fortaſſis, non ero digna thalamo.* Et miſerata eſt ejus & dixit è puerulis Hebræorum eſt] *Vnde hoc ſcivit? Dixit R. Ioſe à R. Hanina, quod viderit ipſum eſſe circumciſum. Dixit R. Iohanan, quod prophetaverit, quia non fuit ex ejus ſenſu.* Fuit נופל *abjectitius:* &c. *non fuit poſteà abjectitius. Et hoc eſt quod dixit R. Eleazar. Quid eſt, quod ſcriptum eſt:* [Eſai. 8. 19.] *Et quando dicent vobis, conſulite Pythonis ſpiritu agitatos, & ariolos, qui ſtrident & muſſitant. Speculantur & ignorant quod ſpeculantur: muſſitant & ignorant, quod muſſitant. Viderunt quod Servator Iſraël, periculum eſſet ſubiturus in aquis. Conſtitere & decrevere: omnem filium natum in fluentum abjicietis. Poſtquam abjectus eſſet Moſes,* dixe-

dixerunt, Amplius nos non videmus; quia illud ſignum ceſſaverat ad decretum ejus. Illi autem non ſciebant, quod ob aquas Meribæ ipſe eſſet vapulaturus. Et hoc eſt quod dixit R. Hama bar Hanina. Quid eſt quod ſcriptum eſt (Num. 20. 13.) Hæ ſunt aquæ Meribæ ob quas.contenderunt. *Ha quas viderunt aſtrologi Pharaonis & erraverunt. Et hoc eſt quod dixit Moſes* (Num. 11. 21.) Sexcentena millia peditum &c. *Dixit Moſes Iſraëli, Propter me liberati eſtis omnes. R. Hanina, bar Papa dixit: Eodem die vigeſimo primo in Niſan fuit, dixerunt angeli miniſteris coram Deo benedicto: Domine mundi: Qui dicet canticum ad mare, in iſto die, vapulabit in iſto die. R. Acha, bar Chanina dixis, Eodem die, ſexto in Sivan, fuit, dixerant angeli miniſterii coram Deo benedicto, Domine mundi, Quis accipiet legem monte Sinai, in ſexto Sivan, oblivio illi eſt trium menſium: quod dixis, In ſeptimo menſis Adar mortuus eſt & in ſeptimo in Adar natus eſt Moſes. Et à ſeptimo in Adar: uſque ad ſextum in Sivan tres menſes ſunt: ſed illi qui dixit in vigeſimo primo Niſan, quomodo oblivio eſt hujus ipſius anni, quod intercalaru fuerit. Magnitudo eſt primi & ultimi, medius perfectus.*

. Et dicebat ſoror illius ad filium Pharaonis: An ibo, ut vocem tibi mulierem lactentem ex Hebræis] *Quid docet, Ex Hebræis? Docet, quod circumduxerint Moſen per omnes Ægyptias, non ſugebat.* Dicebat *Os, quod loquetur cum Divina majeſtate, ſuget rem pollutam? Hoc eſt quod ſcriptum eſt* [*Eſai.* 28. 9.] Quem doceret ſermonem &c. Quem doceret ſcientiam, quem intelligere faceret ſermonem? ablactatos à lacte, abſtractos ab uberibus. *Et dicebat ipſi filia Pharaonis, Vnde &c. Dicit R. Eleazar, docet quod iverit in feſtinatione ut adoleſcentula. R. Samuel bar Nachmani: Alma* (adoleſcentula) *dicitur, quod abſconderit verba ſua.* Et dicebat ei filia Pharaonis, Aufer puerum iſtum. *Dixit R. Hama, bar Hanina. Prophetabat & ipſa neſciebat quod prophetaret.* הילכי *id eſt,* שליכי הא *Ecce tuum.* Et ego dabo mercedem tuam] Dicebat *R: Hama, bar Hanina: Non ſufficit juſtis quod reſtituant rem amiſſam ſed dant ipſis mercedem.* [Exod. 15. 20.] Et accepit Maria Prophetis ſoror Aharon &c. *Soror Aaron & non ſoror Moſis. Dicebat Rab Amram, dixiſſe Rab: Et dicebant ipſi, dixiſſe Rab: Docet quod prophetaverit, quando erat ſoror Aaron* (ſcilicet Moſe nondum nato) *Dicebat, Futurum eſt, mater mea, ut parias filium, qui ſalvabit Iſraelem. Et cum natus eſſet Moſes, impleta eſt tota domus luce. Conſtitit Pater ejus & oſculatus eſt caput ei: Dicebatque illi, Filia mea, Statuatur prophetia tua. Cumque ipſum in fluentum deportaſſent, ſtabat pater ejus & percutiebat ſuper caput ejus; dicebatque ipſi, Filia mea, ubi vaticinia tua? Hoc eſt, quod ſcripſum.* Et conſiſtebat ſoror ejus eminus. ut ſciret, quid futurum eſſet ei, *ut noſſes, quid futurum eſſet in fine prophetia ſua.* In iſtis jam pleniſſimè apparet, quid Judæi ſentiant de Moſe, & ejus nativitate. Omnia iſta nugamenta iu verbis ſcripturæ ipſos inveſtigare & invenire mira ſubtilitate.

Aben-eſdram addemus: Tribus menſibus] *Quidam dicunt, quod in menſe ſeptimo, à principio conceptionis natus ſit. Hoc etiam Dr as eſt, quia non potuerunt ſcire Ægyptii, quando concepiſſet mulier. Et ſecundum ſententiam meam, Scriptura numerat menſes, quibus potuit occultare eum. Quia non eſt facultas homini videre in muliere quando paritura ſit. Nam abſonum ut natus ſit in menſe ſeptimo à principio conceptionis, quia ſic nati ſunt breves ſtatura & magis vitales & honorati ſunt nati menſe undecimo. Quoniam ut plurimum naſcuntur prope nonum menſem: & ſciens tempus partus poteſt ſcire tempus conceptus: quia hoc probatum eſt, ab antiquis & quinquies ego etiam id probavi: quia locus planeta Luna & eminentia ejus in puncto conceptus, eſt eminentia planeta orientis in momento partus etiam eminentia oriens momenti conceptus illic erit Luna momento novilunii: & ecce ſtatio curta*

ſunt

ſunt 259. dies & tertia diei: & media 273. & magna qua eſt longa, 287: & aſtronomi ſic fatentur: Non poteſt objici de patriarchis, quod ſint ſecundum ordinem: nulla probatio eſt, quia talia multa in lege. Propterea convenit, quod Rachel ancillam ſuam Iacobo dederit in nativitate Simeon: Iſachar etiam ante Aſer natus eſt & Dina eodem utero (eodem partu) *nata eſt cum Zabulone. Propterea dictum* [Gen. 30. 21.] ואחר ילדה בת Et poſtea peperit filium, *accipi debet ut* (Gen. 38. 30.) Poſteà exiit frater ejus. *Quoniam non meminit conceptus ad unumquemque etiam ad converſionem anni tres fuere* &c. *Non eſt opus quærere, quare non occultaverint eum amplius. Fortaſſis vicinæ Ægyptiæ audiverant vocem ejus, quia non habitabant ſoli in terra Rameſſes. Scriptum enim eſt* (Exod. 3. 22.) Et petet mulier à vicina ſua. Vocem חמר exponit de luto, quod accipit Ralbag. Et hoc uti videtur convenienter. Nam bitumen non videtur convenire juxta eorum ſententiam, qui grave.. odorem vitatum fuiſſe putant. Abeneſdras: *Et lutum rubrum tenax, quale invenitur in terra Iſrael: & ita* (Gen. 14. 10.) putei putei (חמר) *In lingua Iſmaelitarum vocatur* Elhamr. *Iochabed fecit ita, quia cogitabat: Non videbo mortem pueri. Fortaſſis ſoror ejus prophetaverat, ut ſic faceret. Cogitationes Dei profundæ ſunt & quis poteſt ſtare in arcano ejus? Ipſi ſoli ſtabilia ſunt machinamina. Fortaſſis Deus cauſavit hoc, ut educaretur Moſes in domo regis, ut eſſet anima ipſius in gradu celſiore per viam doctrinæ & aſſuefactionis, neque humilis eſſet & aſſuefacta in domo ſervorum. Vides ne quod occiderit Ægyptium, qui vim inferebat: & liberaverit filias Madian à paſtoribus, propterea quod faciebant vim adæquandis gregibus ex aquis tenuibus. Et adhuc A. S. Quod ſi fuiſſet educatus inter fratres ſuos eumque noviſſent à pueritia ſua, non reveriti fuiſſent eum, quia eum reputaſſent tanquam unum de ſe.* Ad vocem ותתצב annotat Jod in ea abſcondi: hoc à R. Moſe ſacerdote dici factum eſſe, ut indicaretur, quod propter ſignum os apertum eſſet. Arculam dicit poſitam fuiſſe in carecto procul à ripa, ne à tranſeuntibus temerè obſervaretur. Eo uſque cum non progrederetur filia regis, miſſam eſſe ancillam. Ad verba ſequentia (והנה נער בוכה Fuerant membra ejus magna quaſi eſſet adoleſcens & vidit eum circumciſum eſſe: propter pulchritudinem ejus miſerata eſt. v. 10. in textu: ויגדל/ quod repetitur v. ſequente. *Dicebat R. Iuda à R. Eleazar: Primum ad ſtaturam alterum ad eminentiam, quia Pharao eum domui ſuæ præfecit.* Manifeſtum eſt primum de pueri incremento dici, quo materni lactis alimonia non amplius potuit ſuſtentari, ſolidiora poſcente ætate: alterum de eo, quo adolevit in vrium: Ita enim ætatum gradibus anni hominis proficiunt.

Ablactatum igitur infantulum mater ad regis filiam reportat tanquam alienum. Fuerit fermè triennis cum in aulam à matre adduceretur, lactationis tempore finito. *In quam ætatem* (inquit Rivetus) *non videtur quadrare, quod nonnulli dicunt, fuiſſe à matre in vera religione inſtructum & de genere ſuo edoctum: quamvis hoc poſteà potuerit fieri data occaſione. Probabile eſt enim Iochabedam ſæpius inviſiſſe alumnum ſuum, ut fieri ſolet, & ei aliquid ſuggeſſiſſe de vera pietate & de ſuo genere, cum adultior factus eſſet: quamvis non eouſque diſtulerit eum reddere ei, à qua ipſi commiſſus fuerat. Crederem tamen ſanctam matronam diſtuliſſe quandiu potuit, nec adduxiſſe filium in aulam, niſi cum diutius non potuit eum detinere.* Hic moveri poteſt, an piæ matris officio functa ſit quæ filium in aulæ gentilis & profanæ adduxit periculum. Hic differentem audiamus D. Rivetum: *Tandem igitur*, adduxit illum ad filiam Pharaonis. *In quo videtur graviori periculo objectus, quam prius illud fuit, cum in carectis fuit expoſitus, quia tum nihil gravius morte potuerunt metuere: in hoc autem facto; videbant filii animam in periculum adduci, cum à populo Dei alienari, ut in ea aula, educaretur, in qua*

Cc *indies*

indies adverſus populum Dei nova inibantur conſilia. Noverant Principem illam & totam aulam, à verò Dei cultu eſſe alienam; tenellum puerum vix poſſe in tanta corruptorum hominum frequentia, alios mores à teneris imbibere, quam eos quibus aſſueſceret inter aulicos. In ſumma, poſſe accidere, ut qui ex Iſraëlitis natus eſſet, inter populi ſui hoſtes eundem animum, nempè hoſtilem indueret. Talia cum potuerint Moſis parentes cogitare, & metus cauſa eſſent plurimæ, quæri poſſet, an rectè fecerint, adducentes filium ſuum in aulam? Siquis reſpondeat non fuiſſe in eorum poteſtate ut ipſum detinerent; poſſet objici debuiſſe ſaltem reſiſtere, & vim potius pati, quam ſponte aſſentiri, & filium ſuum tradere infidelibus. Addi etiam poſſet, cum lactatio pueri fuerit aliquot annorum, nec ignorarent repetendum eum poſt tempus, ablactationis, debuiſſe aliò migrare, & filium ſubtrahere etiam eum periculo; cum eum haberent in poteſtate ſua. Hæc & ſimilia objici poſſunt, adverſus illud matris factum adducentis alumnum ſuum, imò filium, ad eam, quæ vera mater non erat. Nec dubitandum eſt piorum parentum animum valdè fuiſſe tentatum & ſollicitum de eventu, nec potuiſſe ſine dolore ſibi tantam vim facere, & viſcera ſua, ut ità dicam, ſibi evellere. Quid ergò? An dicemus metum mortis in eis hoc potuiſſe, ut aliquid ſuſciperent adverſante conſcientia, quod anxii quidem & ſolliciti, ſed de eventu incerti, filium ſuum incertæ aleæ commiſerint? Obſtat ne id ſentiamus, fides eorum ab Apoſtolo laudata.

Cenſendum igitur, præcedentibus divinæ providentiæ teſtimoniis fuiſſe confirmatos, ut ſtatuerent apud ſe totum hoc divinum eſſe quod inter homines fiebat; Deumque uſum fuiſſe filia Regis, tanquam liberationis inſtrumento, ut eum in aulica educatione præpararet ad magna. Non igitur eum fortunæ vel caſui commiſiſſe; ſed providentiæ Divinæ, & per eandem fidem, qua eum ſervandum occultaverant & expoſuerant; cum ſucceſſiſſet conſilium, Deo opitulante, paterno etiam & materno juri ceſſerunt, & aſcititiæ matri infantem conceſſerunt, quæ illi ſecundo vitam dediſſet, quamque Deus, ſua circa infantulum providentia adminiſtram eſſe voluiſſet; idque ab iis factum multis precibus credere par eſt. Quin etiam non caret probabilitate, toto illo educationis tempore, Principem illam cum ſubinde alumnum ſuum videre vellet, ut fit, materque perciperet infantem ei eſſe gratiſſimum, rem totam ei patececiſſe, vel eo ipſo tempore quo eum deduxit. Cum enim ſciret filiam Regis ſuſcepiſſe eum tanquam natum ex Hebræis, periculum nullum videbatur creari vel infanti vel parentibus, ſi detegeret ſe veram eſſe matrem; quin potius videtur addi aliquid poſſe ad benevolentiam, ſi ex honeſtis in ſua gente parentibus, ortum eſſe ſciret.

Cum tamen extraordinaria ſit tota hæc diſpenſatio, in qua pii parentes, cum viderent filii ſui vitam aliter conſervari non poſſe, conſenſerunt in eam alienationem; res non trahenda eſt in exemplum: nec poſſunt hoc velo ſe tegere, qui nulla neceſſitate compulſi, nullo divino inſtinctu commoti; nulla providentiæ ſpecialis ratione ducti, liberos ſuos non ſolum concedunt, ſed ſponte offerunt viris principibus aut magnatibus alendos, aliam religionem profitentibus; unde, ut plurimum, accidit ut à vera pietate alienentur, & ipſis parentibus, qui neglectæ neceſſariæ inſtitutionis meritas pœnas luent, immorigeri reddantur. Idem accidit nobilibus puellis, quas cum domi honeſtè poſſent continere parentes, vana ſpe illecti commodi alicujus temporalis, nihil magis in votis habent, quam ut in comitatu fœminarum principum adoleſcant, unde ſæpiſſimè, adverſantibus parentibus, abripiuntur; & à vero Dei cultu deſciſcunt. Idem dicendum de iis qui liberos ſuos tradunt Ieſuitis aut aliis Pontificiis, in humanioribus literis & Philoſophia inſtituendos, quod fieri non poteſt ſine manifeſta Dei tentatione; nec deſunt triſtia & funeſta exempla, quibus, quam infelicia iſta ſint conſilia, & ſenſerunt autores, & viderunt complures. Ex quo factum eſt, ut in Gallicanarum Eccleſiarum Synodis decretum fuerit ſæpe, ne adverſus tales ſegniter ſe gererent Paſtores;

ſed

ſed Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeveritate, eos ad meliorem mentem revocarent. Hactenus Rivetus.

Filia Pharaonis Moſen adoptavit ſibi in filium. Ita educatus eſt cura illa, qua regum filii ſolent & inſtitutus omni Ægyptiorum diſciplina: Deoque benedicente feliciter adolevit: Potentem enim verbis factiſque id eſt lingua & manu promptum evaſiſſe narrat Stephanus Act. 7. 21. 22. Vanum eſt quod dicunt Moſen Ægyptiis literas & artes tradidiſſe, cum eorum diſciplinas percepiſſe narret Scriptura. Primo quæ fuerint illæ Ægyptiorum diſciplinæ. deinde quæ Moſis facta inquiramus. Exiſtimant quidam in Ægyptiis diſciplinis ea tempeſtate multa bona malis admixta eſſe. Superfuiſſe notitiam conditus mundi, Paradiſi, diluvii, turris Babylonicæ: eamque à Joſepho recentatam & inſtauratam eſſe. Quo referunt quod habetur Pſ. 105. 22. Ubi vulgata: ut erudiret principes ejus ſicut ſemetipſum. Conſtat Moſen Ægyptiorum diſciplinis egregiè imbutum fuiſſe. Rivetus: *Cum autem id de Moſe ita dicatur, ut in laude ejus ponatur, ſtatuendum eſt eum ita imbibiſſe artem & ſapientiam illam, ut à Deo donatus fuerit diſcretionis Spiritu, ut ſi qua eſſent, quæ ad malas & curioſas artes, pertinerent, ea ita noverit ut ab uſu & praxi ſibi caveret & aliis etiam præcaveret. Non enim ſolum ſana & utilia doceri debent & diſci: ſed etiam aliquando vana & noxia; poſtquam ſemel ſuos habuerunt adſtipulatores: quomodo enim aliter dedoceri poſſent & everti? Salomon bonam ſuæ ſapientiæ partem duxit noſſe hominum ſtultitiam.* Dedi, *inquit*, cor meum ut ſcirem prudentiam atque doctrinam, erroreſque ac ſtultitiam. Eccleſ. 1.

Juſtinus Quæſt. & reſponſ. ad orthod. 25. Εἰ ἐπαιδεύθη Μωϋσῆς ἐν πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων, καὶ ἦν δυνατὸς ἐν ἔργοις καὶ λόγοις, καθώς φησιν ἡ θεία γραφὴ, πῶς ἀστρονομίαν καὶ γεωμετρίαν καὶ ἀστρολογίαν καὶ τὰ τούτοις ἑπόμενα οὐ μετῆλθεν ὁ αὐτὸς μακάριος προφήτης. Τῶν γὰρ Αἰγυπτίων τότε ἡ σοφία τὰ τῆς πλάνης ὑπῆρχε διδάσκουσα διδάγματα. Διὰ τί οὖν ἐπὶ τοιούτοις λόγοις ἢ ἔργοις ὑπὸ τῆς γραφῆς θαυμάζεται. *Si inſtitutus eſt Moſes in omni ſapientia Ægyptiorum & fuit potens operibus & ſermonibus, quemadmodum inquit Divina ſcriptura oportet ut aſtronomiam & geometriam & aſtrologiam & illis conjuncta didicerit idem beatus propheta. Nam Ægyptiorum ſapientia tunc erroris docebat dogmata. Cur igitur ob tales ſermones, aut opera ejuſmodi celebratur à Scriptura?* Apparet Juſtinum Geometriam & aſtrorum ſcientiam condemnaſſe cum vanitate Chaldaica. Sed reſponſio ſummatim dicit, Scripturam celebrare Moſen ob conjunctionem operum & eruditionis, quia neutrum per ſe dignum fuerit πρὸς τὰ ἐγκώμια τοῦ προφήτου. Conjunxiſſe τήν τε τοῦ λόγου παιδείαν, καὶ τὴν τοῦ βίου κοσμικὴν λαμπρότητα, & εὐσέβειαν εἰς θεόν. Deinde illas diſciplinas Geometriæ, aſtronomiæ & aſtrologiæ fuiſſe minoris æſtimationis apud Ægyptios: τότε χυδαῖα καὶ πεζὰ καὶ ἀγοραῖα μαθήματα λελόγισο. Hæc igitur plebeiis tradita & cognita fuiſſe, at honoratiora fuiſſe τὰ ἱερογλυφικά. Illa enim tradebantur τοῖς ἐγκρίτοις οὐ τοῖς τυχοῦσι, non cuivis, ſed qui dignus judicaretur, idque ἐν τοῖς ἀδύτοις. Horum ſcientiam habuiſſe non uſum, ὧν ὁ προφήτης εἰ τὴν εἴδησιν εἶχεν, ἀλλ' οὐκέτι καὶ τὴν χρῆσιν, ὡς ἀντικειμένην τῇ κατὰ θεὸν πολιτείᾳ τῶν Ἑβραίων. Vides etiam Hieroglyphica damnare. Verum eſt ματαιοτεχνίας & falſitatis notitiam nihil officere animo probo honeſtoque. Sæpe autem Deus rerum vitæ hujus artiumque ad vitam hanc pertinentium excellentiorem donat ſcientiam hominibus aut gentibus profanis. Hæc enim non è ſcripturis ſed naturæ libro haurienda ſunt. Nec debemus nobis invidere bona quæ Deus condidit, quorumque uſum per profanos homines indicavit. Recte facit Filia Pharaonis, quod liberalibus diſciplinis ad humanitatem informari voluerit, quem filii loco diligebat: Deus autem muniit mentem

ejus malis vaniſque ſeduceretur. Videtur autem voluiſſe oſtendere Ægyptiis ingenium & vim ejus, ut admirarentur eum, à quo confundi & atteri debuerunt.

Cum ad annos viriles perveniſſet relicta aula ad ſuos conceſſit, majores divitias ratus probrum Chriſti, quam omnes Ægypti theſauros. Ingratum fuiſſe & recalcitraſſe in eam, quæ filii loco habuerat, nemo dixerit. Si non ante exceſſit è vivis, quam Moſes aulæ valedixit, crediderim omni modo gratum animum oſtendiſſe omnemque reverentiam & amorem, quamvis cohibitationem & υἱοθεσίαν repudiaverit. Renuit vocari filius filiæ Pharaonis, ut teſtatur Apoſtolus. Id eſt: dignitati & privilegiis nepotis regii renuntiavit. Ex aula conceſſit in domum paternam è familia regia in paternam, è ſplendore in obſcuritatem, è deliciis & luxu in res arctas tenueſque & afflictionem, ex honore in contemptum probrumque. Verba Apoſtoli ita habent, Heb. xi. 24. 25. 26. *Πίστει Μωσῆς γενόμενος μέγας ἠρνήσατο λέγεσθαι υἱὸς θυγατρὸς Φαραώ, Μᾶλλον ἑλόμενος συγκακουχεῖσθαι τῷ λαῷ τοῦ θεοῦ, ἢ πρόσκαιρον ἔχειν ἁμαρτίας ἀπόλαυσιν. Μείζονα πλοῦτον ἡγησάμενος τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θησαυρῶν τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ Χριστοῦ.* Diſcimus planè & omnino pro nepote regis & filio filiæ Pharaonis habitum eſſe æſtimatumque: educatum in deliciis & affluentia opum Ægypti. Fortaſſis in ſpe fuit ſucceſſionis in ſolium: quod tamen aſſerere non poſſumus. Nihil eâ tempeſtate contemptibilius & afflictius populo Iſraël, qui in ſummas anguſtias vilitatemque deductus ſervorum loco habebatur. Hæc feciſſe cum fide dicit Apoſtolus. Aut fuit vocatio ſive inſtinctus ſpecialis (quod exiſtimamus) aut mente revolvit terminum promiſſionis Abrahamo factæ præ foribus eſſe. Specialiter niſi vocatus eſſet aut peculiari inſtinctu actus, non debuiſſet locum relinquere, quem divina benignitate tenebat. Scire enim non poterat, quis finis Deo eſſet quidque in illius conſilio. Hinc apparet diverſam rationem fuiſſe Moſis & Joſephi. Joſephus in illa dignitate proſpicere debuit populo, agenti in Ægypto, Moſes educere ex Ægypto.

Textus Moſis v. 11. *In diebus illis, poſtquam creverat Moſes, egreſſus eſt ad fratres ſuos viditq; afflictionem eorum & virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus.* Ita verſio vulgata. Ralbag judicat in aula Pharaonis divulgatum fuiſſe, quod Moſes Hebræus eſſet, aut reſciviſſe id ipſum ex filia Pharaonis. וירא בסבלותם] Raſi: *Appoſuit oculos & cor quod eſſet ipſis anguſtia.* De viro Ægyptio dicit: *Fuit (ἐργοδιώκτης) præfectus ſuper prætores* [שוטרי] *Iſraël & conſtituebat eos* (מקרות הגבר) *è civitatibus cujuſque, ad opus eorum.* Ægyptii percuſſoris iram in illum Hebræum Raſi ita explicat] *Percutiebat & perſequebatur illum; fuit autem maritus Salomith filiæ Dibri: poſuitque oculos ſuos in ea & noctu ſtatuit eum & evocavit eum ex ædibus ſuis: ingreſſuſque eſt ad eam, quæ putabat maritum ſuum eſſe. Reverſus autem vir eſt ad ædes ſuas ſenſitque rem. Ægyptius cum videret eum, quod rem ſenſiſſet, percuſſit & perſecutus eſt eum toto die.* Adeò nihil ignorant Judæi, omnia ſilentio prætĕrita aperit ipſis ſua fingendi licentia, ad quam argutiſſime literam Scripturæ noverunt applicare.

verſ. 12. *Cumque circumſpexiſſet huc atque illuc & nullum adeſſe vidiſſet, percuſſum Ægyptium abſcondit ſabulo.*

ויפן כה וכה] Raſi: *Vidit, quid feciſſet ipſi in ædibus & quid feciſſet ipſi in agro. Et ſecundum literalem ſenſum* (כמשמעו) *ut verba ſonant.* וירא כי אין איש] *Qui egrederetur ex eo, ut fieret proſelytus.* Iterum Draſ, præter ſenſum literalem.

Inquirunt interpretes in hoc factum Moſis. Feceritne vocatione & inſtinctu Dei, an cordis motu proprio pioque ex officio communi Charitatis. Externa vocatio ab hominibus non mandabat ipſi manu violenta fratrem libe-

rare.

rare. Calvinus: *Nam Stephanus* (Act. 7. 25.) *teſtis eſt Moſen non fuiſſe temerario zelo impulſum ut cædem perpetraret: ſed quia noverat ſe Divinitus eſſe genti ſuæ deſtinatum vindicem ac miniſtrum ſalutis. Circumſpicit tamen an quiſpiam adſit ſpectator, nec audet maleficium punire, niſi cæde clandeſtina. Itaque videmus non omni ex parte fuiſſe magnanimum ut decebat ſed cum ſua timiditate luctatum eſſe: &c. Primò igitur tenendum eſt Moſen non temere arripuiſſe gladium ſed armatum fuiſſe cæleſti mandato & conſcium legitimæ vocationis recto judicio has partes ſuſcepiſſe, quarum habebat Deum authorem. Vnde ſequitur perperam facturos homines privatos & illius exemplo minimè juvari ſi vi & manu armata compeſcant injurias.* Hactenus Calvinus. Magni viri arbitrantur è communi officio Charitatis Moſis factum defendi poſſe. Sic Ambroſius lib. 1. de officiis cap. 36. *Quoniam*, inquit, *qui non repellit à ſocio injuriam, ſi poteſt, tam eſt in vitio, quam ille qui facit. Vnde ſanctus Moſes, hinc primus orſus eſt tentamenta bellicoſa fortitudinis.* Thomas (laudantibus aliis) in eadem fuit ſententia, *quod Moſes fratrem defendens, cum moderamine inculpatæ tutelæ occiderit Ægyptium.* Eadem ſententia fuit Pauli Burgenſis. Lyranus enim de hoc facto Moſis ita diſſeruerat: *Sed quæritur hic: Quomodo hoc fecit Moſes, cum non eſſet conſtitutus judex eorum? Item dato, quod eſſet judex, videtur pœnam injuſtam intuliſſe, utpotè pro percuſſione ſimplici mortem. Cum tamen ſola repercuſſio debeatur ſecundum legem talionis, in qua dicitur.* Dentem pro dente vulnus pro vulnere. *Ad primum dicendum, quod Moyſes ex Divina electione ad liberationem habebat autoritatem vindicandi injurias eis factas: & hoc ſciebat per revelationem Divinam. Et hoc eſt, quod dicitur, Act. 7.* Exiſtimabat autem, quod cognoſcerent fratres, quod per manum ipſius Deus daret ſalutem illis. *Ad ſecundum dicendum, quod interfecit Ægyptium non ſolum pro percuſſione Hebræi, ſed etiam pro adulterio commiſſo fraudulenter, ut prædictum eſt. Quod fuit notum Moyſi, per hoc, quod audivit cauſam percuſſionis in contentione pro dicto adulterio.* Hic Burgenſis animadvertit: *Non eſt neceſſarium dicere, quod Moyſes interficiendo Ægyptium, proceſſerit ut judex, ſed potius ut pars. Ex debito enim Charitatis quilibet tenetur repellere injuriam à proximo, ſi poteſt. Hæc Ambroſius.* Item qui non repellit injuriam à ſocio ſi poteſt, tam ipſe in vitio eſt, quam ille qui facit: *ut in ſecunda ſecundæ quæſt. 60. artic. ult. in reſp. ad 2. art. Et quia hoc non poterat facere Moyſes per aliquam percuſſionem, niſi Ægyptius moreretur (imminebat enim ſibi periculum, ſi Ægyptius de hoc, quod Moyſes percuteret eum, reclamaret ad regem) idcirco oportuit ut Moyſes Ægyptium occideret ad liberationem proximi. Vnde non oportet in hoc allegare adulterium Ægyptii, de quo nulla fit mentio in ſacra ſcriptura.* Doring reſpondet: *Sed huic ſententiæ opponitur ex eo, quia idem ſanctus Thomas dicit: Hoc debitum Charitatis intelligi debet cum moderamine inculpatæ tutelæ: ſed occidere pro percuſſione prout in propoſito, non fuit moderamen inculpabile. Igitur &c. Quod excuſare nititur Burgenſis, dicens, quod Moyſes ideo potuit excedere moderamen, quia repercutiendo citra occiſionem, ipſe percuſſus accuſaſſet Moyſen & incurriſſet periculum: Simile perſuaſum eſſet furibus, ut occiderent vim paſſos, ne per eos accuſari valerent, quod horrerent piæ aures.*

Alii putant amore recti & charitate, inconſiderate & ἀπάκτως occidiſſe Ægyptium. Ita videtur ſenſiſſe Baſilius hom. 1. in Hexemeron: ὁ τὴν περὶ τὸ δίκαιον φιλίαν ἐξ αὐτῆς τῆς φύσεως κεκτημένος, ὅπου γε καὶ πρὶν ἐπιτραπῆναι αὐτῷ τοῦ λαοῦ τὴν ἀρχὴν, φαίνεται διὰ τὸ τῆς φύσεως μισοπόνηρον μέχρι θανάτου τοὺς κακοὺς ἀμυνόμενος. *Præditus amore juſtitiæ ex ipſa natura, quoniam, antequam ipſi populi principatus committeretur, apparet ob naturale odium malitiæ uſque ad mortem ultus eſſe malos.* Hilarius lib. 5. de Trinitate: *A Deo diſcendum eſt; quod de*

Deo intelligendum ſit, quia non niſi ſe authore cognoſcitur. Adſit licet ſecularis doctrinæ elaborata inſtitutio, adſit vita innocentia, hæc quidem proficient ad conſcientiæ gratulationem, non tamen cognitionem Dei conſequentur. Moyſes in reginæ filium adoptatus & omnibus Ægyptiorum doctrinis eruditus, cum utique ex natura affectu Hebræi injuriam morte Ægyptii ultus eſſet, Deum tamen paternarum benedictionum neſciebat. Namque ob metum cædis prodita Aegyptum derelinquens, cum in terra Madian paſtor ovium eſſet, ignem in rubo ſine concrematione rubi continens, Deum audivit & nomen interrogavit & naturam cognovit. Auguſtinus adverſus Fauſtum Manichæum lib. 22. cap. 69. 70. *Ex ore omninò ejus Moyſen ſervum ejus & amamus & admiramur & quantum poſſumus, imitamur, cum ſimus longè illius meritis inferiores etiam nullo Aegyptio vel occiſo vel exſpoliato, nullo bello geſto, quorum ille aliud futuri indole defenſoris, alia imperio Dei fecit. Vt interim omittam, quod cum percuſſiſſet AEgyptium, quanquam illi non Deus præciperet in perſona tamen Prophetica ad hoc Divinitus fieri permiſſum eſt, ut futurum aliquod præſignaret. Vnde nunc non ago, ſed omninò tanquam nihil ſignificaverint facta illa, diſcutio, conſultaque illa æterna lege reperio non debuiſſe hominem ab illo, qui nullam ordinatam poteſtatem gerebat, quamvis injurioſum & improbum occidi. Veruntamen animæ virtutis capaces ac fertiles præmittunt ſæpe vitia, quibus hoc ipſum indicent, cui virtuti ſint potiſſimum accommodatæ, ſi fuerint præceptis excultæ. Sic enim & agricolæ, quam terram viderint, quamvis inutiles tamen ingentes herbas progignere, frumentis aptam eſſe pronuntiant: & ubi filicem adſpexerint, licet eradicandam ſciant, validis vitibus habilem intelligunt: & quem montem oleaſtris ſylveſcere adſpexerint, oleis eſſe utilem cultura accedente, non dubitant. Sic ille animi motus, quo Moyſes peregrinus, fratrem à cive improbo injuriam perpetientem, non obſervato ordine poteſtatis, inultum eſſe non pertulit, non virtutum fructibus inutilis erat, ſed adhuc incultus, vitioſa quidem ſed magnæ fertilitatis ſigna fundebat. Ipſe denique per angelum ſuum Divinis Moyſen vocibus evocavit in monte Sina, per quem liberaretur ex Aegypto populus Iſrael: eumque miraculo viſionis, in rubo flammante & non ardente verbiſque Dominicis ad frugem obedientiæ præparavit. Qui etiam Saulum Eccleſiam perſequentem de cælo vocavit, proſtravit, erexit implevit* (al. *implicuit*) *tanquam percuſſit, amputavit, inſeruit, fæcundavit. Illa namque Pauli ſævitia, cum ſecundum æmulationem paternarum traditionum perſequebatur Eccleſiam, putans officium Deo ſe facere, tanquam ſylveſtre erat vitium, ſed magnæ feracitatis indicium. Hinc etiam erat illud Petri, cum evaginato gladio, volens defendere dominum, aurem perſecutoris abſcidit: quod factum dominus ſatis minaciter cohibuit dicens:* Reconde gladium: qui enim gladio uſus fuerit, gladio cadet. *Ille autem utitur gladio, qui nulla ſuperiori ac legitima poteſtate vel jubente vel concedente, in ſanguinem alicujus armatur. Nam utique dominus juſſerat, ut ferrum diſcipuli ejus ferrent, ſed non juſſerat ut ferirent. Quid ergò incongruum, ſi Petrus poſt hoc peccatum factus eſt paſtor Eccleſiæ, ſicut Moyſes poſt percuſſum AEgyptium factus eſt rector illius ſynagogæ? Vterque enim non deteſtabili immanitate, ſed emendabili animoſitate juſtitiæ regulam exceſſit: uterque odio improbitatis alienæ, ſed ille fraterno, iſte dominico, licet adhuc carnali tamen amore peccavit. Reſecandum hoc vitium vel eradicandum: ſed tamen tam magnum cor, tanquam terra frugibus, ita ferendis virtutibus excolendum.* Hactenus Auguſtinus, qui non ut exiſtimavit D. Rivetus ſolo impetu animoſitatis, ſine Dei peculiari inſtinctu, impulſum fuiſſe Moyſen judicat: ſed ſi ita factum eſſet, tamen indicium fuiſſe magnæ indolis, ad magna idoneæ, ſi præpararetur. Riveti diſſertationem & judicium audiamus: *Magnis alioquin viris, in hoc judicio,* inquit, *conſentire non poſſum. Nunquam enim hoc vitio vertitur Moſi in Scriptura. Sed neque ſufficit*

ad

ad juſtificationem Moſis, quod ab iis dicunt de communi officio defendendi oppreſſos, maximè in cauſa inculpatæ tutelæ. *Non poſſunt enim talia huic facto adaptari. Percutiebat Aegyptius Ebræum, ſed non poſſumus ex ſcriptura probare, aliter non potuiſſe injuria eripi; quam percuſſoris nece. Quod ſi ad ordinaria officia id referretur, exemplum eſſet periculo plenum: quiſque enim putaret ad injuriam ſuam vel aliorum repellendam, licere adverſarium interficere. Itaque in praxi communis illius dicti,* vim vi repellere licet, *maxima cautione utendum eſt, præſertim hominibus privatis, quibus difficile eſt laxatis ſemel habenis, modum non excedere. Deinde, Stephanus cap. 7. Actor. verſ. 24. hoc factum vindictæ tribuit,* ἐποίησεν ἐκδίκησιν vindictam fecit. *A privato autem vindicta fieri non poteſt legitimè, nec pro nobis, nec pro aliis. Rom. 12. verſ. 19.* Non voſmet ipſos ulciſcentes dilecti, ſed date locum iræ, ſcriptum eſt enim, mihi vindictam ἐμοὶ ἐκδίκησις, & ego rependam.

Vt ergo Moſes, non ſolum ab omni culpa liberetur, ſed etiam ut actio ejus laudabilis agnoſcatur; dicendum eſt, id ab eo factum fuiſſe ex conſcientia vocationis ſuæ ad liberandum populum, cujus notitiam habuit, à Deo extra ordinem inditam. Et quamvis (ut ex eventu apparet) nondum adveniſſet tempus à Deo deſtinatum publicæ liberationi, nihilominus à Deo permotum fuiſſe, ut hoc velut ſpecimen exhiberet, tam voluntatis divinæ, quam animi ſui & deſiderii pro populo ſuo. Id probatur teſtimonio Stephani, citati capitis verſu 25. Exiſtimabat autem, *inquit,* intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipſius, daret ſalutem, illis: at illi non intellexerunt. *Ex quibus verbis apparet Moyſem non fuiſſe ignarum vocationis ſuæ, imò idem de fratribus ſuis exiſtimaſſe, quibus tamen id nondum Deus revelaverat. Hunc locum poſteà expendens Auguſt. quæſt. 2. in Exod. videtur in eandem incidere ſententiam: nam allegata Stephani ſententia, addit,* ut per hoc teſtimonium videatur Moſes, *inquit,* jam divinitus admonitus; quod ſcriptura eo loco tacet, *nempe in Exodo,* hoc audere potuiſſe. *Vnum hoc obſtare videtur ei confidentiæ, quod circumſpexerit huc illuc, & clam illud patraverit, putaveritque neminem fuiſſe conſcium: Et certè quamvis Calvinus factum tribuat vocationi divinæ, & motui extraordinario, ideoque laudabile cenſeat, putat tamen mixtam fuiſſe infirmitatem, & fidei imbecillitatem, ita ut nondum ad hoc munus exèquendum ſatis aptus fuerit. Vnde documentum elicit ad conſolationem noſtram, quando experimur in vocationum noſtrarum executione, mixtam cum fide diffidentiam, ex carnis infirmitate. Puto tamen non neceſſarium eſſe ut eo recurramus, quia noverat Moſes nondum parata eſſe omnia ad publicam vindictam. Ideo quod licitè facere potuit, cautè voluit, ne qua ſeditio excitaretur, & ipſe capitis diſcrimen ſubiret. Fides cautioni non repugnat, nec ſemper apertè ſunt facienda ea ad quæ fide tenemur. Nec ſemper circumſpectio, & conſciorum vitatio eſt argumentum uſurpatæ poteſtatis. Nam legitimi judices, cum verentur vim majorem, aliquando clam de reis ſupplicium ſumunt.*

Hic autem animadvertendum. Exemplorum quæ in ſacra Scriptura leguntur diverſam eſſe conſiderationem. Sunt enim quædam ἔννομα *communi legi naturæ conſentanea, ut quæ verſantur in iis, quæ omnibus ſunt neceſſaria & ad vocationem communem pertinent: talia ſunt quæ Dei cultum ſpectant, parentum honorem, & proximi dilectionem. Alia ſunt ſingularia in certis hominibus, quos divinus aliquis ad agendum propellit motus; Prima ad imitationem proponuntur, alia ad admirationem, non ad imitationem, niſi eorum ratione qui eodem Spiritu propelluntur. Hujus poſterioris generis eſt hæc actio Moſis, qui armatus fuit ſingulari decreto cœleſti, ut gladium ſtringeret contra oppreſſorem. Sed privatis, quibus eadem non incumbit vocatio, non licet exemplo Moſis, vi injurias illatas vindicare. Id quidem in genere imitandum, ut quis pro modulo, eos, qui injuſtè opprimuntur ſublevet; ſed gladius in*

manu

manu magiſtratus poſitus eſt, ut bonos defendat; quem privatus uſurpare non debet, inſcio magiſtratu, cui publica autoritas data eſt.

Egreſſus altero die, poſt cædem Ægyptii, conſpexit duos Hebræos rixantes. נצים Græci reddunt διαπληκτιζομένους. Raſi מריבים. Atqui Moſes eum increpat: למה תכה. Raſi אעפ׳ שלא הכהו נקרא רשע בהרמת היד *Quamvis non percuſſerit eum vocatur improbus in elatione manus.* Liber Thanchuma: *Et egreſſus eſt die ſecundo: & ecce duo viri Hebræi litigabant: qui fuerunt Dathan & Abiram. Hi fuerunt qui dixerunt, conſtituamus ducem & revertamur in Ægyptum: & hi qui rebellarunt ad mare Suf: & hi, qui reliquerunt de Man. Q. D. Et reliquerunt de Man uſque mane. Et hi, qui egreſſi ſunt ad colligendum & non invenerunt. Et hi, qui fuerunt in ſeceſſione Core. Q. D. ille Dathan & Abiram qui ſteterunt in malitia ſua à principio uſque ad finem. Et dixit improbo cur proximum tuum percutis? Cur percutis improbum ut tu es? Quis poſuit te virum? Nondum es vir, ſed adhuc puer & vis eſſe princeps & judex ſuper nos?* Quia improbus ille Moſi ita loquitur, An occidere me אתה אומר. Non dicit מבקש ſed אומר: Hinc Judæi eliciunt, quod Moſes Ægyptium occiderit nomine Dei בשם המפורש. Sed rectè Abeneſdras exponit אומר בלבך *cogitas, in animo habes.* Nam loqui eſt cordis & linguæ. Cum Moſes intelligeret rem eam emanaſſe, metuere cœpit. Hunc metum dicunt Judæi è cauſa duplici fuiſſe, quod timeret ab Ægyptiis & rege, item ut ſe indignos Hebræi liberatione præſtarent. In textu u. 14. fine: אכן נודע הדבר Midras eſt apud Raſi: *Notum mihi nunc eſt, quod fui admiratus, quod Iſraëlitæ peccaverint præ omnibus ſeptuaginta populis, ut caſtigarentur ſæviſſimo ſervitio, ſed video, quod digni ſint.* Ralbag etiam admodum exaggerat populi illius improbitatem, in quo Dei manus & caſtigatio non potuit reprimere incompoſitos feroceſque animos. Nam in tanta vexatione improbè rixantur. At illum ipſum, quem ipſi rejecere, ut non admittentes pro judice & prætore, Deus gentis ſuæ bono ſuo tempore mittendum oſtendebat. Rivetus: *De iſto, quem Moſes reprehendit, dubium non eſt, quin malo animo ita ſe adverſus Moſen geſſerit &c. Sed quia dicuntur à Stephano* fratres non intellexiſſe, quod per manum ipſius Deus vellet ipſis dare ſalutem: *dubitari poteſt, an in eo peccaverint, vel etiam, ſi qui inter eos non malo animo aut vindictæ cupiditate, cædem Ægyptii à Moſe perpetratam improbarint. Potuit enim Moſes in eo non peccare, imò ſpeciali Dei mandato parere, ita ut tamen iis, qui vocationem ejus ignorabant, viſus ſit peccaſſe, non injuria, quia non poterant aliter judicare ex lege communi. Et certe ſi hoc tempore ſint etiam, qui Moſen non excuſent, poſt tot & talia vocationis ejus teſtimonia, quid mirum, ſi inter Iſraëlitas fuerint, qui ſiniſtrè de eo judicarunt, cum nondum eſſet patefactum, quid Deus de eo decreviſſet. Exiſtimarem ergò non debere ipſis vitio verti, quod id non* intellexerint, *niſi probetur hoc ipſis fuiſſe revelatum.* Exiſtimat igitur, non eſſe reprehendendum, quod non mox ſe ſubjecerint, cum apparuit ſeque primò oſtendit. Sed nec debuiſſe rejicere, antequam argumenta examinaſſent. Si delatio ab Iſraelitis profecta fuerit, malitiæ & ingratitudinis eſſe. Non enim factum eſſe ex amore juſtitiæ. Probabilia erant argumenta, quibus ſpem aliquam de ipſo concipere potuerunt. Virum magnum & illuſtrem, in aula educatum, pro nepote regis, aulam deſerere, ut miſeris ſe adjungeret. Hic affectus ſine vocatione aliam compenſationem merebatur. Quamobrem excuſari non poſſe à temeritate, præcipitato judico & ingrato animo.

v. 15. *Audivitque Pharao ſermonem hunc & quærebat occidere Moſen, qui fugiens de conſpectu ejus, moratus eſt in terra Madian &c.*

Rivetus: *Videbat rex Moſen, aula relicta, ad Hebræos tranſiiſſe. Noverat Hebræum*

braum eſſe origine: expertus erat virum eſſe prudentem & ſtrenuum. Non mirum eſt igitur, ſi ei ſuſpectus fuerit. Sed cum in gratiam viri Hebræi, occidiſſet Ægyptium, non id conſiderabat ſimpliciter, tanquam homicidium legibus puniendum; ſed ſuſpicabatur, quid Moſes moliretur, nempe ut eſſet dux gentis Hebræorum & eos in libertatem aſſereret. Nullum autem eſt efficacius argumentum ad permovendos regum animos, ut ad omne facinus propellantur, quam ſi quis ſuſpectus fieri poſſit novarum rerum & ſtatus reip. turbandi. Hæc argumenta in promptu erant aulicis Moſi invidentibus, aut alias in more habentibus, deferre principibus & inſuſurrare mala cavendaque ut de regis ſalute ipſi ſoliciti eſſe videantur. Homicidium regi enuntiatum eſſe fingunt à Dathan & Abiram.

Quia dicitur quod fugerit à conſpectu regis, commentantur Judæi, quod captus adductuſque ad Pharaonem, Dei ope evaſerit. Audi iterum Thanchuma: ויברח משה מפני פרעה] *Adduxerant Moſes* (לבמה) *in excelſum & quærebat Pharao occidere Moſen: at Deus benedictus Pharaonem mutum fecit,* (ולסנגין) *& principes ſurdos & ſpiculatores cæcos. Et fugit Moſes à conſpectu* Pharaonis. *Unde hoc? Quod dicit R. Iockanan, quod in tempore, quo dicebat Moſes* (Exod. 4. 10.) Ego non ſum vir ſermonum, *Deus benedictus ipſi reſponderit* (v. 11.) Quis dedit homini os? *Quoniam dixerat Pharao, ore ſuo; Adducite Moſen in excelſum ad eum jugulandum.* Aut quis fecit eum mutum aut ſurdum? *Quis fecit principes mutos aut ſpiculatores cæcos, aut quis fecit te prudentem, quod fugeris à facie Pharaonis, Nonne ego Dominus?*

Apoſtolus de Moſe dicit Heb. XI. 27. Πίστει κατέλιπεν Αἴγυπτον, μὴ φοβηθεὶς τὸν θυμὸν τοῦ βασιλέως· τὸν γὰρ ἀόρατον ὡς ὁρῶν ἐκαρτέρησε. Hoc quidam intelligunt de hac prima derelictione Ægypti: & dicunt ipſum ſimulaſſe metum, aut externe demonſtraſſe, cum tamen nullus in ipſo fuerit. Exiſtimaſſe homines, quod timeret, quia fugeret. *Et certe* (inquit Rivetus) *fatendum eſt, fugam non ſemper eſſe teſtimonium metus: quia ſunt, qui non metuunt, qui tamen ſe tyrannis aut violentis ſubducunt alias ob cauſas: quod etiam feciſſe Dominum noſtrum, aliquoties in Evangelio obſervatur.* Expreſſe tamen dicit textus (ut idem obſervat juxta alios) timuiſſe, cum intellexiſſet cædem, quam putabat latere, patefactam eſſe. Metu igitur metuit, non vitioſo, quo fides excutitur aut labefactatur, quique in hominem conſtantem non cadit: ſed ejuſmodi timore, quo maluit ſeceſſum quærere & vitæ ſuæ honeſte conſulere ſeque meliori tempori reſervare, quam redire in aulam & aliqua actione non reſpondente vocationi ſuæ redimere gratiam regis. *Quod faciunt ſæpe qui quamvis ſibi non ſint conſcii alicujus peccati aut juſta offenſionis, fatentur tamen ſe peccaſſe & parum honeſta ſubmiſſione vitæ ſuæ conſulunt.* Melius de ſecundo egreſſu videtur accipi: in quo potiſſimum exeruit ſe fides. Nam inermis multitudo objecta fuit iræ regis, qui armatus perſecutus eſt Iſraëlitas. Hic animo conſtanti Deo credidit Moſes. Non metuit iram regis, cum toties ſeſe regi animoſe obtulit & Dei juſſa denuntiavit. Videbat eum qui eſt inviſibilis, quem in rubo viderat.

Locum exilii elegit terram Madian. Euſebius in locis. Μαδιάμ, πόλις ἀπὸ ἑνὸς τῶν υἱῶν Ἀβραὰμ καὶ Χεθούρας Μαδιὰμ ἐπικληθεῖσα, κεῖται δὲ ἐπέκεινα τῆς Ἀραβίας πρὸς νότον ἐν ἐρήμῳ τῶν Σαρακηνῶν τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης ἐπ' ἀνατολάς. ὅθεν καλοῦνται Μαδιηναῖοι καὶ ἡ νῦν καλουμένη Μαδιηνή. Καλεῖ δὲ καὶ ἡ γραφὴ τὰς θυγατέρας Μωάβ, θυγατέρας Μαδιὰμ ἑτέρας πόλεως, ἥτις νῦν ἔρημος οὖσα δείκνυται. Hæc ita reddita ab Hieronymo: *Madian urbs ab uno filiorum Abraam ex Cetura ſic vocata. Eſt autem trans Arabiam in deſerto Saracenorum contra orientem maris rubri; unde vocantur Madianæi & Madianæa regio. Legimus & filias Obab ſoceri Moyſi, filias Madian: ſed hæc alia civitas eſt* ὁμώνυμος *ejus juxta Arnonem & Areo-*

Areopolim, cujus nunc ruinæ tantummodo demonſtrantur. Hieronymus aliud egit in poſtremis vertendis. Nam θυγατέρας Μωάβ vertit filias Hobab addiditque ſoceri Moſis. Euſebius intelligit filias Moab, de quibus in libro Numerorum cap. 25. Cum filiabus Moabitarum & Madianitarum ſcortati ſunt Iſraëlitæ. In Moabitide conſtituere ſedem ſoceri Moſis ab omni ratione abhorret. Madianitæ permiſti Amalecitis deſerta illa habitabant, quæ à mari rubro id eſt ſinu Arabico extenſa erant uſque poſt terga Moabitarum. In parte illius populi & terræ fuit ſocer Moſis, quæ ad mare rubrum vergebat. Conſtat enim haud procul à monte Sinæo ſedem habuiſſe ex Exodi 3. & 18.

Cum extra Ægypti fines evaſiſſet, conſedit apud puteum. Sic Abrahami ſervus Gen. 25. Jacob Gen. 29. Cum enim ad puteos in ſiticuloſis iſtis regionibus homines irent & pecora ducerent aquatum, oportune illic adirus & alloquia operiebantur. Deus hic & illic rem gubernavit pro ſuo conſilio & ſapientiſſimo decreto, in bonum, quod Moſi ſuoque populo providerat. Oportuit enim illinc uxorem ducere, notitiam illic locorum capere & greges paſcere, qua olim Dei populum ducturus erat. Textus dicit: *Conſedit in terra Madian, conſedit juxta puteum.* Significat cum primo ingreſſu illic conſtitiſſe, ut ſe hominibus aperiret ſociaretque. Abeneſdras: *Terra Madian* [סרים היו] *ſubditi fuerunt obedientia Pharaonis. Ideo neceſſe habuit, ut eſſet paſtor gregis, ne conſiſteret in terra habitabili* (ישוב) *ne fortaſſis eum agnoſcerent: quando dixit ipſi Deus, quod mortuus eſſet Pharao & ſervi ejus, à quorum facie fugerat: natus eſt ipſi in illis diebus filius minor: tunc dicebat:* (Exod. 18.4.) Et eripuit me à gladio Pharaonis: *quia omnibus diebus vitæ ejus, metuerat ab illo. Et poſtquam meminerat* (conſedit in terra Madian) *convertit ſe ad exponendum cur conſederit: quia in principio conſedit juxta puteum notum prout* (Gen. 28. 10.) Et egreſſus eſt Jacob & ivit. *Deinde dicit, quid ipſi in illo loco evenerit.*

verſ. 16. *Erant autem ſacerdoti Madian ſeptem filiæ, quæ venerunt ad hauriendum aquam: & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris ſui.*

Rivetus: *Chaldæus paraphraſtes* Principem Madian *appellat. Vbi notat Fagius, vocem Hebræam aliquando ſignificare* עובר אלהים *miniſtrum Dei, id eſt, ſacerdotem, qui facit ſacra: aliquando vero* ראש העם *caput & magiſtratum populi. Id autem fieri dicit, ut vocis ſignificatio utriſque accommodetur, eo quod utrumque officium tam ſacerdotale, quam politicum penes eoſdem olim fuerit, etiam apud ethnicos. Potuit ergò Iethro utroque munere apud ſuos fungi: quamvis ſi judex & princeps fuit, oportet exiguam fuiſſe judicis aut principis autoritatem apud illos populos: & certè ſi princeps fuiſſet, etſi pecuaria ars apud illas gentes in honore fuerit, non videtur tamen convenire filiabus Principis, qui multos ſervos potuit habere, ut ipſæ oves paſcerent & aquatum ducerent. Quod ſi id in uſu etiam fuerit, tamen ſi Principis filiæ fuiſſent credibile non eſt, alios paſtores auſos fuiſſe, tam procaciter eas repellere.* His argumentis Rivetus ſecundum pleroſque interpretes ſe patitur adduci, ut putet potius ſacerdotem fuiſſe non principem. Illarum gentium mos ita habuit, ut etiam opulentorum filiæ, quamvis filii & ſervi ſuppeterent, gregibus adaquandis adhiberentur. Rachel filia Laban, hominis locupletis, cum ovibus ad puteum accedit, hora adaquationis eo fini, Gen. 29. 6. 9. 20. Quod dicitur de Principatu, ſcire oportet illum fuiſſe unius oppidi aut vici ſive familiæ: quem propterea paſtores aliorum locorum parum curaverint. Socer Joſeph fuit ſacerdos in On. Nomen igitur hoc ſignificat ſacerdotem & præfectum. Si fuit ſacerdos, fuit Dei veri aut idolorum. Aben-eſdras, qui כהן in ſcripturis non aliter ſumi arbitratur quam de miniſtro Dei veri aut ficti Jethro ſacerdotem Dei veri fuiſſe contendit. Rivetus: *Vno utuntur argumento,*

qui

qui putant eum idola coluiſſe anteà, ſed converſum tandem fuiſſe cum occurrens Moſi in deſerto, & audiens miracula, quæ Deus fecerat, Exod. 18. 11. exclamavit, Nunc cognovi, quia magnus eſt Dominus ſupra omnes deos: *quaſi fateretur ſe noſſe tunc primum, quod anteà non noverat. Sed durum eſt ac creditu difficile, Raguelem ipſos quadraginta annos cum Moſe converſantem, ad veritatem unius Dei nunquam convertiſſe mentis oculos; aut Moſen cum homine idololatra voluiſſe affinitatem contrahere & cum eo tamdiu converſari. Ad id autem, quod volunt, comprobandum, illa phraſis vim non habet: qua poteſt uti quilibet veri Dei cultor, ubi extraordinario aliquo facto Deus potentiam ſuam manifeſtat. Sic vidua Sareptana &c.* Nunc, *inquit,* in iſto cognovi, quoniam vir Dei tu es & verbum Domini in ore tuo verum eſt, 1. Reg. 17. 24. *Id certe anteà cognoverat, cum farinam* ipſius & oleum multiplicaret, ut ſufficerent tandiu. *Sic David Pſ. 20. 7.* Nunc cognovi quoniam ſalvum fecit Dominus Chriſtum ſuum, *Quod tamen anteà cognoverat &c. Raguel igitur potuit eſſe ex iis, inter quos veri Dei notitia adhuc perſeverabat, qualis ab Abrahamo fuerat poſteris ſuis explicata, ut inter poſteros Eſau fuerunt Iob & amici ejus: etſi credibile ſit extra familiam Iacobi, non ita purum ſervatum fuiſſe Dei cultum & immixtas fuiſſe ab hominibus ἐθελοθρησκείας. Iubet nihilominus pietas & prudentia Moſis, ut de Raguele ipſius ſocero, omnia in meliorem partem interpretemur. Et certè ſi tum primum converſus fuiſſet, poſtquam audivit in deſerto Dei miracula; noluiſſent Hebræi communicare ſacrificio hominis, qui à cultu idolorum recens veniſſet. Cum autem legamus,* ipſum obtuliſſe Deo holocauſtum & victimas: Aaronem autem & omnes ſeniores Iſraëlis veniſſe ad comedendum cibum cum ſocero Moſis, coram Deo ipſo Exod. 18. 12. *Satis ex eo conſtare videtur, habitum fuiſſe hominem verè pium & veri Dei miniſtrum quales tum erant nonnulli, inter alias gentes: quod maximè credendum eſt de populis, qui Abrahamum patrem agnoſcebant: quamvis poſteà ad idololatriam declinaverint.* Canales implebant iſtæ virgines ut vertit Latinus: Græci δεξαμενάς. Hebræum eſt רהטים: hoc reddit Raſi בריכות מרוצות המים העשויות בארץ *Piſcinas curſuum aquarum factas in terra.*

17. *Supervenere* paſtores & ejecerunt eas: ſurrexitque Moyſes & defenſis puellis adaquavit oves earum.

An Moſes ſolus fuerit nec ne dubitatur. Virum tantum ſine ullo comitatu abiiſſe mirum ſit, niſi ſic intueri oporteat ſtuporem Iſraëlitarum, nihil videntium in Moſe, quod amplectendum eſſet. Comitatu ſervorum ſtipatum non fuiſſe crediderim, qui aulæ omnibus opibus valedixerat, ut ad inopem & miſerabilem vitam ſuorum tranſiret. At quomodo homo exterus ſolus potuit multos paſtores, qui puellis obſiſtebant, abigere? Hic ſane extraordinarium aliquid agnoſcendum eſſet.

Thanchuma: Erant ſacerdoti Madian &c: *Omnes laudant hunc juſtum, quod iverit ad cultores idolorum & ſiderum: Deus benedictus zelat idololatris, quomodo igitur induxit Moſen in locum idololatrarum: niſi quod Iethro ſacerdos quidem fuit idololatricus, ſed ſemper illi idololatria fuit exoſa. Separavit exoſam: in facie cultorum ejus: Quippe Iethro videbat magos* (חרטמים) *& oderat eos & cogitabat facere pœnitentiam cum nondum veniſſet Moſes. Convocabat enim omnes cives dicebatque ipſis: Vſque ad hoc tempus miniſtravi vobis, nunc conſenui, eligite vobis ſacerdotem alium, produxit inſtrumenta miniſterii idololatrici tradiditque ipſis. Ideo expulerunt eum, ne quiſquam ſe illi conjungeret, nec facerent illi opus, nec paſcerent pecus. Petiit à paſtoribus, ut ſuas oves paſcerent, qui non aſſenſi ſunt. Ideo egreſſa ſunt filiæ ejus ad paſcendum. Q. D.* Et ſacerdoti in Madian &c. Et advenerunt paſtores & expulerunt eas] *Attamen ipſe erat ſacerdos*

in Madian, princeps & magnus, qui in Madian. Quomodo expulerunt eas, niſi ut doceatur quod expulerint & ejecerint filias ejus tanquam mulierem expulſam à viro. Et ſecundum ſermonem alium, q. d. ויגרש את הארם. Et ſurrexit Moſes & liberavit eas [ויושען] *Hinc diſces, quod paſtores moliti ſint eas humiliare, Q. D.* [Deut. 22. 27.] Clamavit puella deſponſata, nec erat ei liberator. Ita Judæi omnia expedire poſſunt & quamvis fabularum cudendarum arripiunt occaſionem.

v. 18. *Cum rediiſſent ad patrem ſuum Raguelem, dicebat ipſis: Cur velocius veniſtis ſolito?*

19. *Reſponderunt: Vir Ægyptius liberavit nos de manu paſtorum: inſuper & hauſit aquam nobiſcum, potumque didit ovibus.*

20. *At ille? Ubi eſt: inquit, Cur dimiſiſtis hominem? Vocate eum, ut comedat panem.*

Thanchum: Vir Ægyptius liberavit nos] *Nunquid in ſimilitudine Ægyptii viri fuit Moſes? Sed niſi virum Ægyptium occidiſſet Moſes, non fuiſſet ingreſſus in Madian. Parabola de alio, quem momorderat ſerpens: qui contendit curſu ut pedem in aquis poneret. Ingreſſus flumen vidit parvulum, qui undis mergeretur demiſſaque manu eum extulit. Dicebat parvulus ipſi: Niſi tu fuiſſes, mortuus eſſem. Cui reſpondit, Ego non liberavi te, ſed ſerpens ille, qui me momorderat, à quo fugi, liberavit te. Sic dicebant filia Iethro Moſi, Proba eſt virtus tua, quia liberaſti nos è manu paſtorum. Quibus dicebat Moſes: Ille Ægyptius, quem occidi, eripuit vos. Ideò dicebant patri ſuo, Vir Ægyptius.* q. d. Nonne cauſa fuit iſti, quod venerit ad nos, Vir Ægyptius, quem occidit? &c. Hoc etiam Dras eſt. Raguelem fuiſſe avum iſtarum virginum, parentem Jethro, qui & Hobab fuerit appellatus, exiſtimant Hebræi. Quidam interpretes illa tria nomina unius & ejuſdem viri eſſe putant. Nos verius arbitramur, quod fuerint tres viri quiſque ſuo nomine. Raſi exiſtimat, Agnitum fuiſſe à Jethro, quod Moſes eſſet è ſemine Jacob, quia aquæ in occurſum ejus aſcendere.

21. *Acquievit ergo Moſes, ut habitaret cum eo: accepitque Sepphoram, filiam ejus, uxorem.*

22. *Quæ peperit ei filium, quem vocavit Gerſam dicens, advena fui in terra aliena.*

23. *Poſt dies multos mortuus eſt rex Ægypti &c.*

Moſes vocatus à virginibus domumque paternam aut avitam deductus beneque exceptus, conſenſit in cohabitationem, *ut greges* ejus paſceret. ויואל Chaldæus וצבי. Abeneſdras: *Tale eſt* [Judic. 19. 6.] *Acquieſce* & pernocta & ſit cor tuum lætum. *Et* (Joſ. 7. 7.) utinam acquieviſſemus & conſediſſemus. *Et* (Gen. 19. 27.) Auſus ſui &c. *At Medras ejus ſignificatione* אלה *juramenti: Iuravit ei quod non eſſet diſceſſurus è Madian niſi ejus voluntate.* Probato alicujus temporis cohabitatione & approbato dedit filiam Sepphoram in matrimonium. Duxit eam ob beneficia patris & mores virginis, quodque eſſet è ſtirpe Abraam. De hac quædam in libro Chronicorum Moſis, ut notat Raſi: דברי הימים דמשה. Rectè autem Raſi: *Et quod ſcriptum eſt in Chronico Moſis ne credas. Et univerſim dictum eſto tibi: Omnis liber, quem non ſcripſerunt propheta aut ſapientes ex ore cabbalæ, non eſt dignus, cui attendas. Etiam, quia ſunt in eo verba negantia ſententiam veram. Ita liber Zorobabel & liber Eldad Danita & ſimilia.* Non conſtat, quo anno filii Moſis nati ſint.

Anno-

Annotationes in Ioſephi narrationem de Moſe à nativitate ad vocationem è rubo.

I. SUpra meminimus Joſephum dicere de vaticinio *ἱερογραμματέως*, quo fuit prædictum naſciturum eſſe virum magnum, Hebræorum *σωτῆρα* & ducem. Eam fuiſſe cauſam, cur quæſiti ſint ad necem parvuli recens nati. Hæc fabula non conſonat ſacræ ſcripturæ, quæ ſolam procreationis benedictionem eo edicto ſimulque inſidioſo molimine per obſtetrices ſuffocari regem voluiſſe oſtendit. Philo (lib. de vita Moſis) melius: *ὁ βασιλεὺς εἰς πολυανθρωπίαν ἐπιδιδόντος ἀεὶ τοῦ ἔθνους, δείσας μὴ οἱ ἔποικοι πλείους γενόμενοι, δυνατωτέρᾳ χειρὶ τῆς αὐτόχθονι περὶ κράτους ἀρχῆς ἁμιλλῶνται, τὴν ἰσχὺν αὐτῶν ἀφαιρεῖν ἐπινοίαις ἀνοσιουργοῖς ἐμηχανᾶτο· καὶ κελεύει τῶν γενομένων τὰ μὲν θήλεα τρέφειν· ἐπεὶ γυνὴ διὰ φύσεως ἀσθένειαν, ὀκνηρὸν εἰς πόλεμον· τὰ δ' ἄρρενα διαφθείρειν, ἵνα μὴ αὐξηθῇ κατὰ πόλεις· ἐπεὶ εὐανδροῦσα δύναμις δυσάλωτον καὶ δυσκαθαίρετον ἐπιτείχισμα.*

II. Deinde Joſephus narrat Amramen Moſis patrem, ſolicitum pro gente univerſa & privatim pro uxoris utero, oraſſe Deum, ut huic miſeriæ finem daret. Deum per quietem adſtitiſſe, monentem ut bono animo eſſet *τήν τε εὐσέβειαν αὐτῶν ἔλεγε διὰ μνήμης ἔχειν καὶ τὴν ἀμοιβὴν ἀεὶ παρέξειν.* Quaſi pietati & meritis majorum Dei in illam gentem beneficentia deberetur. Ita ſe auxiſſe Abrahamum, ut amplas liberis regiones reliquerit, *Ἰσμαήλῳ τε τῆς ἐξ αὐτοῦ τὴν Ἀράβων χώραν, τοῖς δ' ἐκ Κατούρας τὴν Τρωγλοδύτιν, Ἰσαάκῳ δὲ τὴν Χαναναίαν.* Bello etiam proſpere geſto, ut felices eſſent, effeciſſe: Jacobo dediſſe celeberrimum nomen, partim ob felicitatem, in qua ævum egerat, partim ob incredibilem multiplicationem. Nunc quoque ſibi cordi eſſe gentis incolumitatem & Amramis privatam gloriam. Puerum enim naſciturum eſſe, qui evaſurus ſit Ægyptiorum manus, gentemque liberaturus à jugo. Unde fama celeberrimum fore ad poſteros: fratrem quoque ejuſmodi habiturum, qui Dei ſacerdotium poſſeſſurus ſit. Ita loqui videtur, quaſi Aaronem Moſe natu minorem fuiſſe exiſtimaret. Solicitum fuiſſe Amaramen pro gente & afflictum iſta miſeria, credi par eſt, tum ob inſignem Dei promiſſionem de incremento generis, tum quia Judæos lex melius inſtituerat, quam gentes, apud quas recens editos exponere in more erat. Philo: *τὸν μὴ φθάσαντα τροφῆς ἡμέρου μεταλαχεῖν, οὐδ' ἄνθρωπον οἱ πολλοὶ νομίζουσι. Cum nondum cibum guſtaſſet manſuetiorem, neque in hominum numero ponebant.* Ea feritas toto orbe invaluerat & apud cultiſſimas nationes. Definiebatur autem, ut cibo guſtato expoſitio illicita eſſet & pro homicidio puniretur. Nihil Philo habet de iſto ſomnio.

III. Moſen natum eſſe. Editum tanta facilitate, ut obſervatores feſellerit. *διὰ τὴν τῆς ὠδῖνος ἐπιείκειαν καὶ τὸ μὴ βιαίας αὐτῇ προσπεσεῖν τὰς ἀλγηδόνας.* Tres menſes puerum occultaſſe: Deinde expoſuiſſe: quia metueret regis iram, ſi res divulgaretur: qua cum puero & ipſe interiturus eſſet: Enimverò præſtare, ut Divinæ providentiæ puerum committerent, quam in perpetuo degerent metu. Philo ita ratiocinantes facit: Non deeſſe (*ὡς φιλεῖ ἐν μοναρχίαις*) qui deferendo gratiam inire vellent. Præſtare ut quam primum periret puer, ſi pereundum eſſet. Tres menſes ſcilicet aluiſſe *ἵν' ἡδονῶν τε ἀλγηδόνων ἐπὶ πλεῖστον ἀντιλαμβάνεσθαι δυνάμενος ἐν αἰσθήσει κακῶν ἀργαλεωτέρων διαφθείρηται.*

IV. Filiam regis Thermuthin nomine ludentem ad ripam fluminis, cum arculam videret, juſſiſſe afferri, (*τὸ πλέγμα τὴν κοιτίδα*) miſſis urinatoribus. Aperta arcula, *ἰδοῦσα τὸ παιδίον ὑπερηγάπησε μεγέθους τε ἕνεκα καὶ κάλλους.* Cum placuiſſet tollere, nutrices Ægyptias adhibuiſſe, quarum mammas puer non

admiſerit. Monitam igitur reginam à ſorore pueruli, matrem vocaſſe, eique nutriendum puerum dediſſe. Hanc fabulam Rabbinicam de experimento Ægyptiarum nutricum non refert Philo, ſed circumſtantias de regina, quarum non meminit Scriptura. In hunc modum narrat: Θυγάτηρ ἦν τῷ βασιλεῖ τῆς χώρας ἀγαπητὴ καὶ μόνη. Ταύτην φασὶν γεγαμημένην ἐκ πολλοῦ χρόνου μὴ κυΐσκειν, τέκνων, ὡς εἰκὸς, ἐπιθυμοῦσαν καὶ μάλιστα γενεᾶς ἄρρενος, ἣ τὸν εὐδαίμονα κλῆρον τῆς πατρῴας εὐδαιμονίας καὶ ἡγεμονίας διαδέξεται, κινδυνεύοντα ἐρημίᾳ θυγατέρων ἀλλοτριωθῆναι: κατηφοῦσαν δὲ ἀεὶ καὶ στένουσαν, ὡς μάλιστα ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ τῷ βάρει τῶν φροντίδων ἀπαγορεῦσαι, καὶ δι᾽ ἔθους ἔχουσαν οἴκοι καταμένειν καὶ μηδὲ τὰς κλισιάδας ὑπερβαίνειν, ἐξορμῆσαι μετὰ τῶν θεραπαινίδων ἐπὶ τὸν ποταμὸν, ἔνθα ὁ παῖς ἐξέκειτο· κἄπειτα λουτροῖς καὶ περιρραντηρίοις χρῆσθαι μέλλουσαν ἐν τῷ δασυτάτῳ τοῦ ἕλους, αὐτὸν θεάσασθαι &c. Moſe nato deſiſſe illam ſævitiam & neceſſitatem abjiciendorum infantium dicunt Rabbini. Ita Cedrenus è Leptogeneſi refert ſolos decem menſes abjectos fuiſſe in amnem pueros Iſraëlitarum, donec Moſes à regina inde exemptus fuit: ideò etiam decem genera calamitatum per decem menſes Ægyptiis inflicta eoſque demum in mari periiſſe, quomodo Ebræorum pueros in fluvio ſuffocaverant: nempe loco unius infantis Iſraëlitici mille validos viros Ægyptios interiiſſe.

V. Ex hoc caſu ſortitus eſt nomen: Joſephus: τὸ γὰρ ὕδωρ Μῶ οἱ Αἰγύπτιοι καλοῦσι, ὑσῆς δὲ τοὺς ἐξ ὕδατος σωθέντας: Philo: Τὸ γὰρ ὕδωρ Μῶς ὀνομάζουσιν Αἰγύπτιοι. Atqui Hebræis dicitur מֹשֶׁה. Textus habet v. 10. כי מן המים משיתהו. Abeneſdras: *Nomen Moſes redditum è ſermone Ægyptio in linguam ſanctam. Nomen autem ejus in lingua Ægyptia fuit Monios: & ſic ſcriptum fuit in libro cultura terræ tranſlato è lingua Ægyptia in linguam Cedarenorum: ſic etiam in libris ſapientum Græciæ. Fortaſſis didicerat filia Pharaonis ſermonem noſtrum aut inquiſiverat. Ne autem mireris, quod non dicatur* משוי: *quia nomina non ſervantur ut verba.* Clemens Alexandrinus ſtromat. lib. 1. Δῆλον οὖν ὡς ἐν τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ περιτμηθέντι τῷ παιδίῳ οἱ γονεῖς ἔθεντο ὀνόματι, ἐκαλεῖτο δὲ Ἰωακείμ· ἔχει δὲ καὶ τρίτον ὄνομα ἐν οὐρανῷ μετὰ τὴν ἀνάληψιν, ὡς φασιν οἱ μύσται, Μελχί. Fuiſſe illi à parentibus, dum in ædibus occultabatur, nomen aliquod cum circumciſione poſitum, dubitari non poteſt. An autem hoc fuerit, ut Clemens dicit, Ἰωακείμ, non affirmavero. In capitulis R. Eliezer, dicit R. Nathanael eum à parentibus ob angelicam pulchritudinem dictum eſſe *Iecutiel*: R. Simeon vero, appellatum eſſe Tob. Nempe quia dicitur Exod. 2. 2. *Vidit eum* Tob *elegantem*. In cælo poſt aſſumptionem Melchi appellari, Rabbinicum commentum eſt. E circumciſione puerum agnitum eſſe, quod Hebræi generis eſſet, exiſtimat Theodoretus & alii. At ſi Ægyptii (quod credi par eſt) ante id tempus ab Hebræis circumciſionem didicerint: quomodò inde agnoſci potuit? Filiam regis puero nomen Hebræum impoſuiſſe non eſt veroſimile: nec potuit à parentibus id nomen habere, antequam iſte caſus eveniſſet. Non impoſuerunt ipſi id nomen parentes, ſed filia Pharaonis, ut diſertè exprimitur. Hinc credo Ægyptium illi nomen fuiſſe, ut Joſephus & Philo ſentiunt, Hebræos autem id immutaſſe ſeu corrupiſſe ad formam ſermonis ſui. Alia tamen eſt ſententia Joſephi Scaligeri in fragmenta ſubjecta operi de emendatione temporum, qui in fragmento Orphaicorum Onomacriti rectè emendavit, ὑλογενὴς in ὑδογενής.

Ὡς λόγος ἀρχαίων, ὡς ὑδογενὴς διέταξεν.

VI. Porrò narrat puerum ingenio & indole & ſpecie omnes æquales ſuperaſſe & in ſtuporem rapuiſſe cunctos, qui intuerentur. Hinc à Thermuthi

thi adoptatum eſſe, annuente Pharaone. Patrem enim affata eſt oſtenſo puerulo: Ἀναθρεψαμένη παῖδα μορφῇ τε θεῖον καὶ φρονήματι γενναῖον, θαυμασίως δ᾽ αὐτὸν καὶ παρ᾽ αὐτῆς τοῦ ποταμοῦ λαβοῦσα χάριτος, ἐμαυτῆς μὲν ἠγησάμην παῖδα ποιήσασθαι, τῆς δὲ σῆς βασιλείας διάδοχον. Ταῦτα λέγουσα ταῖς τοῦ πατρὸς χερσὶν ἐντίθησι τὸ βρέφος· ὁ δὲ λαβὼν καὶ προσστερνισάμενος, κατὰ φιλοφρόνησιν, χάριν τῆς θυγατρὸς ἐπιτίθησιν αὐτῷ τὸ διάδημα. καταφέρει δ᾽ ὁ Μωϋσῆς εἰς τὴν γῆν, περιελόμενος αὐτὸ κατὰ νηπιότητα δῆθεν ἐπέβαινέ τε αὐτῷ τοῖς ποσί. Καὶ τοῦτο ἔδοξεν οἰωνὸν ἐπὶ τῇ βασιλείᾳ φέρειν. θεασάμενος δὲ ὁ ἱερογραμματεὺς, ὁ καὶ τὴν γένεσιν αὐτοῦ προειπὼν ἐπὶ ταπεινώσει τῆς Αἰγυπτίων ἀρχῆς ἐσομένην, ὥρμησεν ἀποκτεῖναι, καὶ δεινὸν ἀνακεκραγὼς (vulgò legitur ἀνακεκραγὼς) εἶπε βασιλεῦ, παῖς ἐκεῖνος, ὃν κτείνασιν ἡμῖν ἐδήλωσεν ὁ θεὸς ἀφόβοις εἶναι, μαρτυρεῖ τῇ προαγορεύσει τοῦ γεγονότος, ἐπιβεβηκὼς ἡγεμονίᾳ τῇ σῇ καὶ πατῶν τὸ διάδημα. Τοῦτον ἀνελὼν Αἰγυπτίοις μὲν τὸ ἀπ᾽ αὐτοῦ δέος ἄνες, Ἑβραίοις δὲ τὴν ἐλπίδα τοῦ δι᾽ αὐτοῦ θάρσους ἀφελοῦ. Φθάνει δ᾽ αὐτὸν ἡ Θερμοῦθις ἐξαρπάσασα· καὶ πρὸς τὸν φόνον ὀκνηρὸς ἦν ὁ βασιλεὺς &c. Hanc fabulam Sabellicus e mythographis Chriſtianis cumulat alia de prunis à Moſe devoratis, unde vitium linguæ contraxerit. Sic enim ſcribit: *Et jam trium annorum Moſes feſtivo hilarique aſpectu omnium in ſe oculos verterat. Quibus naturæ dotibus Themura permota, eum in filium ſibi optat, eundem in complexibus habet, fovet, oſculatur, ad patris conſpectum trahit & ut libero erat ingenio, paternæ indulgentiæ ſecura, En, inquit, pater tibi mihique deorum, ut credere par eſt, munere quæſitus eſt ſucceſſor. Tu nec filiæ votis, nec fortunæ, quæſo, beneficio repugnes. Annuit Pharao filiæ precibus, puerumque gremio receptum in futuræ ſucceſſionis argumentum an ludens potius parum compertum habeo, parvo, quod ſatis conſtat, diademate inſignivit: fatorum, credo, immemor aut certè patriâ charitate victus. Id inſigne puer inter crepundia arreptum humi affligit: afflictum pedibus conculcat. Acceperunt, qui tum circa regem ſtetere non ſine gemitu id omen: nec fatidicus ſacerdos, qui tum forte aderat temperare potuit: quin tum quoque regem fatorum admoneret apertaque prædicatione diceret, hunc videri ſibi puerum, quem magnam aliquando cladem Ægypto allaturum fata portenderent: Eum ut publicam peſtem dirumque exitium cavendum prædicere deorum hominumque fidem teſtari: certiſſimum incendium Pharaoni ejusque regno ante oculos nutriri, dum regia puella nimis à patre indulgeretur. Hac ille vociferatus moverat non ſolum alios ſed & regem ipſum. Subibat ad hæc animum oraculi memoria. Qua territus haud longè aberat, quin puerum è filiæ complexibus arreptum ſuis jugulandum traderet: ſed plus omninò ambientis filiæ gratia, aut (quod magis credo) fatorum neceſſitas valuit. Obvoluta illa genibus patris ætatem excuſare, quæ nihil adhuc ſaperet. Ad omen igitur elevandum carbones jubent puero accenſos offerri: ex ea re exploraturi, an nocitura etiam temerè tractaret. Hic factum memorant, ut non ſine perpetua linguæ clade, ex his aliquot repente hauſerit.* Joſephus regem filiæ caritate pepercisse puero narrat, Ægyptios autem in perpetua ſuſpicione, Hebræos in ſpe fuiſſe. Neminem Ægyptiorum ipſi violentas intuliſſe manus, quia cognatorum affiniumque regis & optimatum nullus eſſet, cujus dexteritas & induſtria ſpem facerent egregii poſt regem illum ſucceſſoris.

VII. Cum adoleviſſet Moſes, brevi virtutis ſuæ ediditſe ſpecimen. Nam Æthiopum aſſiduis depopulationibus, qui fines incurſabant, irritati Ægyptii, magno exercitu ultum ivere: ſed ingenti clade fuſis fugatiſque univerſam Ægyptum hoſtes, animoſiores facti, uſque ad mare, prædabantur. Ægyptii oraculum conſulunt de remedio, reſponſumque eſt, Hebræum ducem præficiendum eſſe exercitui: præficitur Moſes. Eum enim à filia rex ex oraculo depopoſcit nec impetravit, niſi dato jurejurando, nihil ſe in perniciem juvenis machinaturum. Moſes igitur expeditionem ſuſcipit, non navibus per flumen nec

neceo itinere, quod tritum tutumque erat circa Nili ripam, ſed per ſolitudines ſerpentibus infeſtas, qua non exſpectabantur. Ex improviſo igitur Æthiopas adortus, haud levi prælio fuſos retrò in regionem ſuam compulit. Nec contentus Ægyptum liberaſſe, Æthiopiam invadit, regionem populatur, oppida capit: ad ultimum regiam obſidet. Hanc Sabam ea tempeſtate fuiſſe dictam refert Joſephus, poſtea autem à ſorore Cambyſis Meroën eſſe appellatam. Munitam in inſula urbem, natura ſimul & operibus, prodidit Moſi Tharbis, regis Æthiopum filia, amore Moſis capta. Fabulæ iſti occaſionem dedit textus, qui uxorem Moſis appellat כושית Æthiopiſſam Num. 12, 1. Sed Madianitis appellatur כושית: de quo alio loco.

VIII. Affingit Moſi ſtrategema, quo adverſus ſerpentes copias ſuas tutatus eſt. Τῆς γὰρ γῆς χαλεπῆς οὔσης ὁδευθῆναι διὰ πλῆθος ἑρπετῶν (παμφορωτάτη γάρ ἐστιν, ὡς καὶ τὰ παρ' ἄλλοις τούτων οὐχ ὄντα μόνη τρέφειν, δυνάμει τε καὶ κακίᾳ τῷ τῆς ὄψεως ἀσυνήθει διαφέροντα· τινὰ δ' αὐτῶν ἐστι καὶ πτηνά, ὡς λαθόντα μὲν ἀπὸ γῆς κακουργεῖν, καὶ μὴ προειδομένους ἀδικεῖν ὑποπτῆ γινόμενα) νοεῖ πρὸς ἀσφάλειαν καὶ ἀβλαβῆ πορείαν τοῦ στρατεύματος στρατήγημα θαυμαστόν. Πλέγματα γὰρ ἐμφερῆ κιβωτοῖς ἐκ βίβλου κατασκευάσας καὶ πληρώσας ἴβεων, ἐκόμιζε. Πολεμιώτατον δ' ἐστὶν ὄφεσι τοῦτο τὸ ζῷον. Φεύγουσί τε γὰρ ἐπερχομένας καὶ ἀφιστάμενοι καθάπερ ὑπ' ἐλάφων ἀρπαζόμενοι καταπίνονται. Χειροήθεις δ' εἰσὶν αἱ ἴβεις καὶ πρὸς μόνον τὸ τῶν ὄφεων γένος ἄγριοι &c. Ibes igitur immiſit campis, qui ſerpentibus abundabant, eoque modo peſtem illam eſt amolitus. Hæc ornandæ & inſtruendæ fabulæ. Philo ſobrius magis omnia illa præterit: tantum, quantum poteſt, facultates eloquentiæ ſuæ intendens, ut quæ veroſimilia ſunt & ſcripturarum narrationi connexa ſuis coloribus depingeret. Itaque educationem & indolem tanquam in tabula elegantiſſimè exhibet. Ea in Moſe omnia colligens, quæ in puero, adoleſcente, juvene, viro bono & omnia ſummo optari & laudari poſſunt. Sapientia omni Ægyptiorum inſtitutum fuiſſe fama erat certiſſima & confirmat B. Stephanus, Philo ita explicat: Διδάσκαλοι δ' εὐθὺς ἀλλαχόθεν ἄλλοι παρῆσαν· οἱ μὲν ἀπὸ τῶν πλησιοχώρων καὶ τῶν κατ' Αἴγυπτον νομῶν αὐτοκέλευστοι· οἱ δ' ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος ἐπὶ μεγάλαις δωρεαῖς μεταπεμφθέντες· ὧν ἐν οὐ μακρῷ χρόνῳ τὰς δυνάμεις ὑπερέβαλεν, εὐμοιρίᾳ φύσεως φθάνων τὰς ὑφηγήσεις, ὡς ἀνάμνησιν εἶναι δοκεῖν, οὐ μάθησιν, ἔτι καὶ προσεπινοῶν αὐτὸς τὰ δυσθεώρητα. πολλὰ γὰρ αἱ μεγάλαι φύσεις καινοτομοῦσι, τῶν εἰς ἐπιστήμην· Καὶ καθάπερ τὰ εὐεκτικὰ τῶν σωμάτων καὶ πᾶσι τοῖς μέρεσιν εὐκίνητα φροντίδων ἀπαλλάττει τοὺς ἀλείπτας, οὐδὲν ἢ βραχέα παρέχοντας τῶν εἰς ἐπιμέλειαν, ὥσπερ καὶ γεωργοὺς τὰ εὔβλαστα καὶ τὰ εὐγενῆ δένδρα βελτιούμενα δι' ἑαυτῶν, τὸν αὐτὸν τρόπον εὐφυὴς ψυχὴ προαπαντῶσα τοῖς λεγομένοις, ὑφ' αὑτῆς μᾶλλον ἢ τῶν διδασκόντων ὠφελεῖται· καὶ λαβομένη τινὸς ἐπιστημονικῆς ἀρχῆς, κατὰ τὴν παροιμίαν, ἵππος εἰς πεδίον ὁρμᾷ. ἀριθμοὺς μὲν οὖν καὶ γεωμετρίαν τήν τε ῥυθμικὴν καὶ ἁρμονικὴν, καὶ μετρικὴν θεωρίαν καὶ μουσικὴν τὴν σύμπασαν, διά τε χρήσεως ὀργάνων, καὶ λόγων τῶν ἐν ταῖς τέχναις, καὶ διεξόδοις τοπικωτέραις, αἰγυπτίων οἱ λόγιοι παρεδίδοσαν· καὶ προσέτι τὴν διὰ συμβόλων φιλοσοφίαν, ἣν ἐν τοῖς λεγομένοις ἱεροῖς γράμμασιν ἐπιδείκνυνται, καὶ διὰ τῆς τῶν ζῴων ἀποδοχῆς, ἃ καὶ θεῶν τιμαῖς γεραίρουσι· τὴν δ' ἄλλην ἐγκύκλιον παιδείαν Ἕλληνες ἐδίδασκον, οἱ δ' ἐκ τῶν πλησιοχώρων, τά τε ἀσσύρια γράμματα, καὶ τὴν τῶν οὐρανίων χαλδαϊκὴν ἐπιστήμην· ταύτην καὶ παρ' αἰγυπτίων ἐλάμβανε, μαθηματικὴν ἐν τοῖς μάλιστα ἐπιτηδευόντων· καὶ τὰ παρ' ἀμφοτέροις ἀκριβῶς, ἐν οἷς τε συμφωνοῦσι, καὶ διαφέρονται καταμαθὼν, ἀφιλονείκως τὰς ἔριδας ὑπερβὰς, τὴν ἀλήθειαν ἐπιζήτει μηδὲν ψεῦδος τῆς διανοίας αὐτοῦ παραδέξασθαι δυναμένης, ὡς ἔθος τοῖς αἱρεσιομάχοις, οἳ τοῖς προτεθεῖσι δόγμασιν ὁποῖα ἂν τύχῃ βοηθοῦσιν, οὐκ ἐξετάζοντες, εἰ δόκιμα, ταὐτὸ δρῶντες τοῖς ἐπὶ μισθῷ συναγορεύουσι, καὶ μηδὲν τοῦ δικαίου πεφροντικόσιν. Numeros, Geometriam, Rhythmicam, Harmonicam, menſurarum contemplationem & univerſam muſicam, per uſum inſtrumen-

mentorum & ſermonum in artibus & *διεξόδοις ποικιλωτέραις*. Hæc fuit Ægyptiorum encyclopædia, ſubjungit Philoſophiam ſymbolicam, in ſacris literis, *ἱεροῖς γράμμασι* & cultu animalium. Nam philoſophiam id eſt ulteriorem ſapientiam comprehendebant in figuris illis & admiratione animalium, quæ deorum honore colebantur. Gelenius hunc locum non intellexit. *Quid enim hoc eſt: notis animalium, quæ ipſi venerantur pro numinibus?* An utebantur ſolis notis illorum animalium quæ divino honore aſſiciebant? Philo dicit ſymbolicam philoſophiam duabus partibus conſtare, notis illis hieroglyphicis & animalium admiratione. Nam per notas illas ſignificabant res rerumque proprietates, quæ exprimendis ſenſibus adhibebantur. Animalia quædam præ aliis in honore habebant, ut ſignificarent in illis eſſe miras quaſdam proprietates, & per ea admiranda quædam beneficia humano generi & maxime Ægypto afferri. Cultus igitur ejuſmodi animalium admonebat de proprietatibus & natura animalium, ſicuti & notæ illæ ſacræ. Cum autem Ægyptiorum *ἐγκύκλιος παιδεία* ſeu *μουσική*, hoc eſt diſciplina liberalis contineret magnitudinum numerorum ſonorumque dimenſiones modulationeſque cum rhetorica & poëſi, alias artes liberales Græci magiſtri docuerunt. E vicinis regionibus Aſſyrias literas & Chaldæorum ſcientiam quam etiam Ægyptii tradidêre. Moſis fidem ſpernentis aulam, deinde commiſerationem erga populares, quorum ſe ſocietati inſeruit, abdicata aula, non narrat Joſephus: quia putat in aula & ſummis dignitatibus egiſſe, donec invidiæ & perſecutioni cedere cogeretur: Philo autem fusè explicat: *ὁ δ' ἐπ' αὐτὸν φθάσας τὸν ὅρον τῆς ἀνθρωπίνης εὐτυχίας καὶ θυγατριδοῦς μὲν τοσούτου βασιλέως νομισθεὶς, τῆς δὲ πατρῴας ἀρχῆς ὅσον οὐδέπω γεγονὼς ἐλπίσι ταῖς ἁπάντων διάδοχος, καὶ τί γὰρ ἄλλο ἢ ὁ νέος βασιλεὺς προσαγορευόμενος, τὴν συγγενικὴν καὶ προγονικὴν ἐζήλωσε παιδείαν, τὰ μὲν τῶν εἰσποιησαμένων ἀγαθὰ, καὶ εἰ λαμπρότερα καιροῖς, νόθα εἶναι ὑπολαβὼν, τὰ δὲ τῶν φύσει γονέων, εἰ καὶ πρὸς ὀλίγον ἀφανέστερα οἰκεῖα γοῦν καὶ γνήσια· καθάπερ τι κριτὴς ἀδέκαστος τῶν γεννησάντων καὶ τῶν εἰσποιησαμένων, τοὺς μὲν εὐνοίαις τῷ φιλεῖν ἐκθύμως, τοὺς δ' εὐχαριστίαις, ἀνθ' ὧν εὖ ἔπαθεν, ἠμείβετο καὶ μέχρι παντὸς ἠμείψατ' ἂν εἰ μὴ κατεῖδεν ἐν τῇ χώρᾳ μέγα κατεργασθὲν ὑπὸ τοῦ βασιλέως ἀσέβημα* &c. Videtur indicare, quod populo ſe Iſraël ſociaverit & familiæ patris, quamvis obſcurius. Inde explicat commiſerationem: quomodo obſtiterit exactoribus Ægyptiis & patronum defenſoremque Iſraëlitarum egerit. Occidiſſe unum de immaniſſimis præfectis, quem precibus nequiverat emollire, ut mitius ageret. *Αναιρεῖ, δικαίως ἐναγὲς εἶναι τὸ ἔργον. Καὶ ἦν ἐναγὲς* (Philonis judicium eſt) *τὸν ἐπ' ὀλέθρῳ ζῶντα ἀνθρώπων ἀπόλλυσθαι.* Regem accenſum purpuratorum *(τῶν ἐν τέλει)* obtrectationibus & ſermonibus, rem iſtam ſuprà modum exaggerantibus: Deinde, quia rem indignam arbitrabatur, *εἰ ὁ θυγατριδοῦς αὐτῷ μὴ συμφρονεῖ* &c.

IX. Joſephus dicit Moſen elapſum eſſe per ſolitudines, eluſis excubiis, quia illa evaſurum eſſe ſuſpicari non poterant. Perveniſſe in urbem Madienen, in rubri maris litore ſitam, *ἐπώνυμον δὲ ἑνὸς τῶν Ἀβραάμῳ γενομένων ἐκ Χατούρας υἱῶν.* Hactenus benè, ſed exiſtimavit in Troglodytarum regione fuiſſe illam urbem. Philo ſimplicius, *ὑπεξεχώρησεν εἰς τὴν ὅμορον Ἀραβίαν.* Ubi ad Deum ſe per duo vitæ genera, contemplativum & activum contulit. Joſephus cenſuit Troglodytas è Chaturæ filiis propagatos eſſe. Utrumque falſum eſt: Nec Troglodytæ ex Abraham, nec ad Troglodytas ſeceſſit Moſes. Madianitas habitaſſe inter Ægyptum ſeu ſinum Arabicum & Syriam certa & nota res eſt: Troglodytæ in adverſo litore circa Æthiopiam & Ægyptum incoluêre. Non potuit Moſes è Troglodytica pecus agere ad Sinam montem. Quomodo Jethro ſocer Moſes tanquàm è vicinia advolare potuit ad generum, è re-

motiſſima Troglodytarum regione, quam ſinus Arabicus & ſolitudines diſterminabant? Pro Joſepho afferri poteſt, quod habet Plinius lib. 6. c. 29. Troglodyticen olim dictam fuiſſe Michoën, ſive Medoën. Videri poſſet hac vocum ſimilitudine deceptus Strabo, qui lib. 1. conjicit hos Troglodytas Homero appellatos eſſe ἐρέμβους, id eſt Arabas: ἅμα καὶ τῆς ἐτύμου συνηγοροῦντος πρὸς τοῦτο. ἀπὸ γὰρ τοῦ εἰς τὴν ἔραν ἐμβαίνειν τοὺς τρωγλοδύτας (ſcr. ἐρέμβους) ἐτυμολογοῦσιν οὕτως οἱ πολλοί, οὓς μεταβαλόντες οἱ ὕστερον, ἐπὶ τὸ σαφέστερον τρωγλοδύτας ἐκάλεσαν. Οὗτοι δ' εἰσὶν Ἀράβων οἱ ἐπὶ θάτερον μέρος τοῦ Ἀραβίου κόλπου κεκλιμένοι, τὸ πρὸς Αἰγύπτῳ καὶ Αἰθιοπίᾳ. *Cum etiam etymon eo faciat. Nam quia terram ſubeant, ἐρέμβους dici notant plerique quos poſteriores mutata voce in evidentius, Troglodytas appellarunt. Sunt autem illi Arabum, qui ad alteram partem ſinus Arabici pertinent, quæ eſt ad Ægyptum & Æthiopiam.* Strabo etiam (lib. 7.) aliorum Troglodytarum meminit, qui ad Danubium coluerunt. Hi enim Europæi Troglodytæ ſimiliter illis Africanis cavernas habitabant: diverſas ob cauſas. Africanos enim æſtus, hos frigus id facere compulit. Rurſus & Aſiatici Troglodytæ inter Mœotin paludem & Caucaſum montem incoluerunt, etiam frigoris vitandi cauſa. Sed hæc παρέργως.

X. Cum in Madienen adveniſſet, ſeptem virginibus filiabus Jethro opem tulit adverſus vim & proterviam paſtorum. Virgines paſcebant greges. Joſephus: διὰ ταύτην ἐπιτηδευσίαν εἶναι καὶ γυναιξὶν ἐπιχώριον παρὰ τοῖς τρωγλοδύταις. Hæc illius conjectura eſt, quia id Troglodytarum moribus adſcribit. Philo ex ſcientia loquitur: Κτηνοτροφοῦσιν Ἄραβες καὶ νέμουσι τὰ θρέμματα, οὐκ ἄνδρες μόνον ἀλλὰ καὶ γυναῖκες, νέοι τε καὶ παρθένοι παρ' αὐτοῖς, οὐχὶ τῶν ἠμελημένων καὶ ἀδόξων μόνον ἀλλὰ καὶ τῶν ἄγαν ἐπιφανῶν. *Arabes pecuariam exercent & paſcunt pecora, non viri ſolum ſolum ſed & mulieres, juvenes & virgines apud ipſos, non neglectorum & vilium ſed & admodum nobilium.* Paſtorum petulantia laborem virginum intercipiebat, abactis Jethronis ovibus ab aqua, quam virgines hauſerant. Philo ſolis verbis à Moſe injuriam compreſſam eſſe narrat. Orationem acerrimam ei adornat & adaptat: ubi inter alia: ἀλλὰ μὰ τὸν οὐράνιον τῆς δίκης ὀφθαλμόν, οὐκ ἀφελεῖσθε, βλέποντα καὶ τὰ ἐν ταῖς ἐρημοτάταις, ἐμὲ γοῦν ἐχειροτόνησε βοηθὸν &c. In ulteriori narratione ſui oblitus Joſephus dicit Moſen ſoceri pecus paſtum egiſſe ἐπὶ τὸ Σιναῖον καλούμενον ὄρος· Τοῦτο δ' ἐστὶν ὑψηλότατον τῶν ταύτῃ ὀρῶν πρὸς νομὰς ἄριστον ἀγαθῆς φυομένης πόας. O bone, an Sina mons ſitus eſt in Troglodytica?

XI. Moſis ſocerum vocat ῥαγουῆλον & Ἰεθεγλαῖον dictum fuiſſe putat, ita ut prius nomen ſit, alterum cognomen. Παρὰ τοῦ Ἰεθεγλαίου, τοῦτο γὰρ ἦν ἐπίκλημα τῷ ῥαγουήλῳ. Melius edoceri potuit è Demetrio.

XII. Montem Sinam Divinæ inhabitationis opinione venerabilem fuiſſe exiſtimat, antequam Deus eo in loco Moſen eſt allocutus: Καὶ διὰ τὸ δόξαν ἔχειν ἐνδιατρίβειν αὐτῷ τὸν θεὸν οὐ κατανεμηθείσης [πόας] πρότερον, οὐ τολμώντων ἐμβατεύειν εἰς αὐτὸ τῶν ποιμένων. *Et quod exiſtimaretur Deus in illo habitare, non depaſta prius* (herba) *non audentibus calcare paſtoribus.*

Ezecielus, poëta tragicus de Moſe, à nativitate uſque ad cohabitationem cum Sepphora. Euſeb. præp. 9. 28.

Moſes in peregrino agens introducitur, originem ſuam & antecedentia exponens apud Sepphoram ejuſque ſorores, juxta puteum.

Ἀφ' οὗ Ἰακὼβ γῆν λιπὼν χαναναίαν,
Κατῆλθ' ἐς Αἴγυπτον ἔχων ἑβδομήκοντα

ψυχὰς

Ψυχαῖς σὺν αὐτῷ καὶ ἐπεγέννησεν πολὺν
Λαὸν κακῶς πράσσοντα καὶ τεθλιμμένον,
Ἐς ἄχρι τούτου τοῦ χρόνου κακούμενον
Κακῶν ὑπ' ἀνδρῶν καὶ δυναστείας χερός.
Ἰδὼν γὰρ ἡμῶν γένεα ἄλις ηὐξημένην.
Δόλον καθ' ἡμῶν πολὺν ἐμηχανήσατο
Βασιλεὺς Φαραὼ, τοὺς μὲν ἐν πλινθεύμασιν
Οἰκοδομαῖς τε βαρείαις αἰκίζων βροτοὺς,
Πόλεις τε πυργοῦτε· σφῶν ἔκαμε δυσμόρων.
Ἔπειτα κηρύσσει μὲν Ἑβραίων γένει,
Τ' ἀρσενικὰ ῥίπτειν ποταμὸν ἐς βαθύρροον.
Ἐνταῦθα μήτηρ ἡ τεκοῦσ' ἔκρυπτέ με
Τρεῖς μῆνας, ὡς ἔφασκεν. οὐ λαθοῦσα δὲ
Ὑπεξέθηκε, κόσμον ἀμφιθεῖσά μοι,
Παρ' ὄχθαν ποταμοῦ, λάσιον, εἰς ἕλος δασύ.
Μαριὰμ δ' ἀδελφή μου κατώπτευεν πέλας.
Κἄπειτα θυγάτηρ βασιλέως ἅβραις ὁμοῦ
Κατῆλθε λουτροῖς φαιδρῦναι τὸ νέον δέμας.
Νέον δ' ἰδοῦσα καὶ λαβοῦσ' ἀνείλετο.
Ἔγνω δ' Ἑβραῖον ὄντα· καὶ λέγει τάδε
Μαριὰμ ἀδελφὴ προσδραμοῦσα βασιλίδι·
Θέλεις τροφόν σοι τῷ παιδίῳ εὕρω ταχὺ
Ἐκ τῶν Ἑβραίων; Ἡ δ' ἐπένευσεν κόρη.
Μολοῦσα δ' εἶπε μητρί· καὶ παρῆν ταχὺ
Αὐτή γε μήτηρ καὶ ἔλαβέν μ' ἐς ἀγκάλας.
Εἶπεν δὲ θυγάτηρ βασιλέως· τοῦτον, γύναι,
Τρέφε, κἀγὼ μισθὸν ἀποδώσω σέθεν.
Ὄνομα δὲ Μωσῆν ὠνόμαζε, τοῦ χάριν
Ὑγρᾶς ἀνεῖλεν ποταμίας ἀπ' ἠϊόνος.

Poſt pauca ſequebatur:

Ἐπεὶ δὲ καιρὸς νηπίων παρῆλθέ μοι
Ἦγέν με μήτηρ βασιλίδος πρὸς δώματα,
Ἅπαντα μυθεύσασα καὶ λέξασά μοι
Γένος πατρῷον καὶ θεοῦ δωρήματα.
Ἕως μὲν οὖν τὸν παιδὸς εἴχομεν χρόνον,
Τροφαῖσι βασιλικαῖσι καὶ παιδεύμασιν
Ἅπανθ' ὑπισχνεῖθ' ὡς ἀπὸ σπλάγχνων ἑῶν.
Ἐπεὶ δὲ πλήρης κόλπος ἡμερῶν παρῆν
Ἐξῆλθον οἴκων βασιλικῶν (πρὸς ἔργα γὰρ
Θυμός μ' ἄνωγε καὶ τέχνασμα βασιλέως.)
Ὁρῶ δὲ πρῶτον ἄνδρας ἐν χειρῶν νόμῳ·
Τὸν μὲν γένος Ἑβραῖον, τὸν δ' Αἰγύπτιον·
Ἰδὼν δ' ἐρήμους καὶ παρόντα μηδένα,
Ἐρρυσάμην μὲν ἀδελφὸν, τὸν δ' ἔκτειν' ἐγώ.
Ἔκρυψα δ' ἄμμῳ τοῦτον, ὥστε μὴ εἰσιδεῖν
Ἕτερόν τιν' ἡμᾶς κἀπιγυμνῶσαι φόνον.
Τῇ 'πιούσῃ δὲ πάλιν ἰδὼν ἄνδρας δύο,
Μάλιστα δὲ αὐτῶν συγγενεῖς μαχουμένους,
Λέγω, τί τύπτεις ἀσθενέστερον σέθεν;
Ὁ δ' εἶπεν, ἡμῶν τίς σ' ἀπέστειλε κριτὴν

Ἠ πιστάτην ἐνταῦθα, μὴ κλενεῖς σύ με.
Ὥσπερ τὸν ἐχθὲς ἄνδρα; καὶ δείσας ἐγὼ
Ἔλεξα, πῶς ἐγένετο συμφανὲς τόδε;
Τίς πάντα βασιλεῖ ταῦτ' ἀπήγγειλεν ταχύ;
Ζήτει δὲ Φαραὼ τὴν ἐμὴν ψυχὴν λαβεῖν.
Ἐγὼ δ' ἀκούσας ἐκποδὼν μεθίσταμαι,
Καὶ νῦν πλανῶμαι γῆν ἐπ' ἀλλοτέρμονα

Deinde de filiabus Raguel:

Ὁρῶ δὲ ταύτας ἑπτὰ παρθένους τινάς.

Hinc rogati, cujus eſſent illæ virgines, reſpondet Sepphora:

Λιβύη μὲν ἡ γῆ πᾶσα κλήζεται, ξένε.
Οἰκοῦσι δ' αὐτὴν φῦλα παντοίων γενῶν.
Αἰθίοπες ἄνδρες μέλανες· Ἄρχων δ' ἐςὶ γῆς
Εἷς καὶ τύραννος καὶ Στρατηλάτης μόνος.
Ἄρχει δὲ πόλεως τῆσδε καὶ κρίνει βροτοὺς
Ἱερεύς, ὃς ἐς' ἐμοῦ τε καὶ τούτων πατήρ.

Inde de adaquatione pecudum loquutus adjungebat de nuptiis Sepphoræ, δι' ἀμοιβαίων, mutuò colloquentes introducens Chum & Sepphoram:

ὅμως κατειπεῖν χρή σε Σεπφώρα τάδε
Ξένῳ, πατήρ με τῷδ' ἔδωκεν εὐνέτιν.

Hæc ita ſonant Latinè:

A quo Iacob terram deſerens Chananæam
Deſcendit in Ægyptum habens ſepties decem
Animas ſecum & inſuper genuit magnum
Populum, malè agentem & afflictum,
Ad hoc uſque tempus vexatum
Malis à viris & poteſtatis manu.
Videns enim noſtrum genus valdè augeſcere,
Dolum adverſus nos multiplicem machinatus eſt
Rex Pharao: lateritio opere
Et gravibus ædificiis injurioſe premens mortales,
Urbeſque & turres illorum miſerorum opera.

Hic vocula ἴκαλι, videtur ſignificare, ἔργῳ, πόνῳ, opere, labore.

Inde præconio mandat Hebræorum generi
Maſculos abjicere in flumen profundum.
Hic mater, quæ peperit, occulebat me
Tribus menſibus, ut narrabat. Cum autem prodita eſſet,
Expoſuit, ornamentis circumdatum,
Ad ripam fluminis hirtam, in paludem denſam.
At Mariam ſoror, Speculabatur procul.
Hinc filia regis cum famulis

De-

Deſcendit, ut lotionibus corpus ſuum nitidaret.
Mox viſum acceptumque ſuſtulit.
Agnovit autem Hebræum eſſe. Dixitque iſta
Mariam ſoror accurrens reginæ:
Placetne nutricem tibi, ut puero citò advocem
Ex Hebræis? Illa autem annuit virgini.
Adveniens autem dixit Matri: Et celeriter aderit
Ipſa mater, accepitque me in ulnas.
Dixit autem filia regis: Hunc mulier,
Nutri, ego mercedem tuam dabo.
Nomine autem Moſen appellavit, quia
Liquenti tulerat fluuiali à ripa.

* * *

Cum autem ætas infantilis mihi præteriſſet,
Tulit me mater ad reginæ ædes:
Poſtquam elocuta eſſet ac effata mihi
Patrium genus & Dei dona.
Donec igitur pueri haberemus ætatem
Omnia ſuggeſſit, tanquam ſuis viſceribus edito.
At ubi plenus ſinus dierum aderat,
Exii ædibus regiis (ad opera enim
Animus impellebat & fraus regis)
Video autem primum viros in lege manuum (pugna)
Alterum Hebræum genere, alterum Ægyptium.
Videns autem ſolos, neminemque adeſſe
Liberavi fratrem, alterumque ego occidi.
Et hunc ſabulo condidi, ut ne intueretur
Nos alius & enuntiaret cædem
Sequenti autem die iterum videns viros duos
Maxime inter ſe cognatos percutere,
Dico, Quid cædis te infirmiorem?
Ille autem dicebat, Quis te nobis miſit judicem
Aut præſidem hic? Num occides tu me,
Ut virum heſternum: Ego autem timens
Dicebam, Quomodo hoc factum eſt palam?
Quis omnia iſta regi citò annuntiavit?
Quærebat autem Pharao meam animam tollere.
Quo audito ego, confeſtim aliò migro,
Et nunc erro in terra aliena.

* * *

Video autem has ſeptem quaſdam virgines.

* * *

Libya autem terra univerſa appellatur, hoſpes,
Quam incolunt gentes variorum generum,
Æthiopes viri nigri: Princeps autem terræ
Unus & tyrannus & dux ſolus.
Imperat autem urbi huic & judicat homines
Sacerdos, qui eſt meus & harum pater.

* * *

Tamen edicere oportet te, Sepphora, iſta
Hoſpiti: Pater me huic dedit conjugem.

Annotat Moſen expoſitum eſſe cum ornamentis, ut ſolebant gentes vulgo infantulos exponere: quo poſſent agnoſci, ſi ab aliis fortaſſis educarentur. Quæ ſpes parentes Moſis ſuſtentavit. Μωσῆν appellat non Μωϋσῆν, ſignificat tamen ab aquis nomen eſſe. πῆχτασμα βασιλέως] Innuit per inſidias à rege adhibitum fuiſſe rebus gerendis, quamvis non exponat. Λιβύη μὲν ἡ γῆ) Exilii locum putat fuiſſe Libyam Æthiopiæ conterminam: & patrem Sepphoræ appellat Chum. Aberrat magis quam Joſephus, qui Troglodytarum regionem, accubantem ſinui Arabico patriam facit ſoceri Moſis. Nam Libyæ terra eſt occidentalis Nilo. Adeo procul removet Jethronem à monte Sina. Quæ autem ipſi ratio, qua ſocerum Moſis appellavit Chum? Arbitror ex eo id eruiſſe, quod uxor Moſis vocetur כושית χυσιῶα, quaſi diceres filiam Chus. Jacobi domum in ſeptuaginta animis poſitam fuiſſe dicit, in quo ſanè Hebræo textui non LXX. interpretibus accedit. Univerſæ Libyæ unum imperaſſe regem, at urbi iſti præfuiſſe judicem, qui ſacerdos eſſet.

Ex Artabano de Moſe, ab ejus nativitate uſque ad exilium.

Polyhiſtor ex Eupolemo ita de Moſe: Εὐπόλεμος δέ φησι Μωσῆν πρῶτον σοφὸν γενέσθαι καὶ γράμματα παραδοῦναι τοῖς Ἰουδαίοις πρῶτον, παρὰ δὲ Ἰουδαίων Φοίνικας παραλαβεῖν, Ἕλληνας παρὰ Φοινίκων, νόμους τε πρῶτον γράψαι Μωσῆν τοῖς Ἰουδαίοις. Moſen primum ſapientem fuiſſe, reperiſſe literas, quas à Judæis Phœnices acceperint, falſum eſt. Artapanus ſive Artabanus librum etiam conſcripſit de Judæis, in quo ita de Moſe habetur apud Euſebium præp. 9. 27. Ἀρτάπανος δέ φησιν ἐν τῇ περὶ Ἰουδαίων, Ἀβραὰμ τελευτήσαντος καὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Μεμψασθενώθ, ὁμοίως δὲ καὶ τοῦ βασιλέως τῶν Αἰγυπτίων, τὴν δυναστείαν παραλαβεῖν τὸν υἱὸν αὐτοῦ Παλμανώθην. Τοῦτον δὲ τοῖς Ἰουδαίοις φαύλως προσφέρεσθαι· καὶ πρῶτον, μὲν τὴν Κεσσὰν οἰκοδομῆσαι, τό τε ἐπ' αὐτῇ ἱερὸν καθιδρύσασθαι, εἶτα τὸν ἐν Ἡλιουπόλει ναὸν κατασκευάσαι· Τοῦτον δὲ γεννῆσαι θυγατέρα Μέῤῥιν, ἣν Χενεφρῇ τινι κατεγγυῆσαι, τῶν ὑπὲρ Μέμφιν τόπων βασιλεύοντι· πολλοὺς γὰρ τότε τῆς Αἰγύπτου βασιλεύειν· ταύτην δὲ στεῖραν ὑπάρχουσαν ὑποβαλέσθαι τινὸς τῶν Ἰουδαίων, τοῦτον δὲ Μωϋσον ὀνομάσαι· ὑπὸ δὲ τῶν Ἑλλήνων αὐτὸν ἀνδρωθέντα Μουσαῖον προσαγορευθῆναι. γενέσθαι δὲ τὸν Μωϋσον τοῦτον Ὀρφέως διδάσκαλον· ἀνδρωθέντα δ' αὐτὸν πολλὰ τοῖς ἀνθρώποις εὔχρηστα παραδοῦναι. Καὶ γὰρ πλοῖα, καὶ μηχανὰς πρὸς τὰς λιθοθεσίας, καὶ τὰ Αἰγύπτια ὅπλα καὶ τὰ ὄργανα ὑδρευτικὰ καὶ πολεμικά, καὶ τὴν φιλοσοφίαν ἐξευρεῖν· ἔτι δὲ τὴν πόλιν εἰς λϛʹ νομοὺς διελεῖν, καὶ ἑκάστῳ τῶν νομῶν ἀποτάξαι τὸν θεὸν σεφθήσεσθαι, τά τε ἱερὰ γράμματα τοῖς ἱερεῦσιν· εἶναι δὲ καὶ αἰλούρους, καὶ κύνας, καὶ ἴβεις· ἀπονεῖμαι δὲ καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ἐξαίρετον χώραν. ταῦτα δὲ πάντα ποιῆσαι χάριν τοῦ τὴν μοναρχίαν βεβαίαν τῷ Χενεφρῇ διαφυλάξαι. πρότερον

γὰρ

γὰρ ἀδιατάκτους ὄντας τοὺς ὄχλους, ποτὲ μὲν ἐκβάλλειν, ποτὲ δὲ καθιστάνειν βασιλεῖς, καὶ πολλάκις τοὺς μὲν αὐτούς, ἐνίοτε δὲ ἄλλους. διὰ ταῦτα οὖν τὸν Μώϋσον ὑπὸ τῶν ὄχλων ἀγαπηθῆναι, καὶ ὑπὸ τῶν ἱερέων ἰσοθέου τιμῆς καταξιωθέντα, προσαγορευθῆναι Ἑρμῆν, διὰ τὴν τῶν ἱερῶν γραμμάτων ἑρμηνείαν· τὸν δὲ χενεφρῆν ὁρῶντα τὴν ἀρετὴν τοῦ Μωΰσου, φθονῆσαι αὐτῷ, καὶ ζητεῖν αὐτὸν ἐπ' εὐλόγῳ αἰτίᾳ τινὶ ἀνελεῖν. Καὶ δή ποτε τῶν Αἰθιόπων ἐπιστρατευσαμένων τῇ Αἰγύπτῳ, τὸν χενεφρῆν ὑπολαβόντα εὑρηκέναι καιρὸν εὔθετον, πέμψαι τὸν Μώϋσον ἐπ' αὐτοὺς στρατηγὸν μετὰ δυνάμεως. Τὸ δὲ τῶν συγγενῶν αὐτῷ συστῆσαι πλῆθος, ὑπολαβόντα ῥᾳδίως αὐτὸν διὰ τὴν τῶν στρατιωτῶν ἀσθένειαν ὑπὸ τῶν πολεμίων ἀναιρεθήσεσθαι. Τὸν δὲ Μώϋσον ἐλθόντα ἐπὶ τὸν Ἑρμοπολίτην ὀνομαζόμενον νομόν, ἔχοντα περὶ δέκα μυριάδας γεωργῶν, αὐτοῦ καταστρατεῦσαι. πέμψαι δὲ στρατηγοὺς τοὺς προκαθεδουμένους τῆς χώρας, οὓς δὴ πλεονεκτεῖν ἐπιφανῶς κατὰ τὰς μάχας· λέγειν δέ φησιν Ἡλιουπολίτας γενέσθαι τὸν πόλεμον τοῦτον ἔτη δέκα. Τοὺς οὖν περὶ τὸν Μώϋσον, διὰ τὸ μέγεθος τῆς στρατιᾶς, πόλιν ἐν τούτῳ κτίσαι τῷ τόπῳ, καὶ τὴν ἶβιν ἐν αὐτῇ καθιερῶσαι, διὰ τὸ ταύτην τὰ βλάπτοντα ζῷα τοὺς ἀνθρώπους ἀναιρεῖν. προσαγορεῦσαι δὲ αὐτὴν Ἑρμοῦ πόλιν. οὕτω δὲ τοὺς Αἰθίοπας, καίπερ ὄντας πολεμίους, στέρξαι τὸν Μώϋσον, ὥστε καὶ τὴν περιτομὴν τῶν αἰδοίων παρ' ἐκείνου μαθεῖν· οὐ μόνον δὲ τούτους, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἱερεῖς ἅπαντας. Τὸν δὲ χενεφρῆν λυθέντος τοῦ πολέμου, λόγῳ μὲν αὐτὸν ἀποδέξασθαι, ἔργῳ δὲ ἐπιβουλεύειν. παρελόμενον γοῦν αὐτοῦ τοὺς ὄχλους, τοὺς μὲν ἐπὶ τὰ ὅρια τῆς Αἰθιοπίας πέμψαι προφυλακῆς χάριν· τοῖς δὲ προστάξαι τὸν ἐν Διὸς πόλει ναὸν ἐξ ὀπτῆς πλίνθου κατεσκευασμένον καθαιρεῖν. ἕτερον δὲ λίθινον κατασκευάσαι, τὸ πλησίον ὄρος λατομήσαντα. τάξαι δὲ ἐπὶ τῆς οἰκοδομίας ἐπιστάτην Ναχέρωτα. τὸν δὲ ἐλθόντα μετὰ Μωΰσου εἰς Μέμφιν, πυθέσθαι παρ' αὐτοῦ, εἴ τι ἄλλο ἐστὶν εὔχρηστον τοῖς ἀνθρώποις. τὸν δὲ φάναι γένος τῶν βοῶν, διὰ τὸ τὴν γῆν ὑπὸ τούτων ἀροῦσθαι. Τὸν δὲ χενεφρῆν, προσαγορεύσαντα Ταῦρον Ἆπιν, κελεῦσαι ἱερὸν αὐτοῦ τοὺς ὄχλους καθιδρύσασθαι, καὶ τὰ ζῷα τὰ καθιερωθέντα ὑπὸ τοῦ Μωΰσου κελεύειν ἐκεῖ φέροντας θάπτειν, κατακρύπτειν θέλοντα τὰ τοῦ Μωΰσου ἐπινοήματα. ἀποξενωσάντων δὲ αὐτὸν τῶν Αἰγυπτίων, ὁρκωμοτῆσαι τοὺς φίλους μὴ ἐξαγγεῖλαι τῷ Μωΰσῳ τὴν ἐπισυνισταμένην αὐτῷ ἐπιβουλήν, καὶ προβάλλεσθαι τοὺς ἀναιρήσοντας αὐτόν· μηδενὸς δ' ὑπακούοντος, ὀνειδίσαι τὸν χενεφρῆν Χανεθώθην τὸν μάλιστα προσαγορευόμενον ὑπ' αὐτοῦ. τὸν δὲ ὀνειδισθέντα, ὑποσχέσθαι τὴν ἐπίθεσιν λαβόντα καιρόν. ὑπὸ δὲ τοῦτον τὸν καιρόν, τῆς Μέρριδος τελευτησάσης, ὑποσχέσθαι τὸν χενεφρῆν τῷ τε Μωΰσῳ καὶ τῷ Χανεθώθῃ τὸ σῶμα, ὥστε διακομίσαντας εἰς τοὺς ὑπὲρ Αἴγυπτον τόπους θάψαι, ὑπολαβόντα τὸν Μώϋσον ὑπὸ τοῦ Χανεθὼθ ἀναιρεθήσεσθαι. πορευομένων δὲ αὐτῶν τὴν ἐπιβουλὴν τῷ Μωΰσῳ τῶν συνειδότων ἐξαγγεῖλαί τινα. τὸν δὲ φυλάσσοντα αὐτόν, τὴν μὲν Μέρριν θάψαι, τὸν δὲ ποταμόν, καὶ τὴν ἐν ἐκείνῳ πόλιν Μερόην προσαγορεῦσαι (τιμᾶσθαι δὲ τὴν Μέρριν ταύτην ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων οὐκ ἔλαττον, ἢ τὴν Ἶσιν.) Ἀάρωνα δὲ τὸν τοῦ Μωΰσου ἀδελφόν, τὰ περὶ τὴν ἐπιβουλὴν ἐπιγνόντα, συμβουλεῦσαι τῷ ἀδελφῷ φυγεῖν εἰς τὴν Ἀραβίαν. τὸν δὲ πεισθέντα, ἀπὸ Μέμφεως τὸν Νεῖλον διαπλεύσαντα, ἀπαλλάσσεσθαι εἰς τὴν Ἀραβίαν. Τὸν δὲ Χανεθώθην πυθόμενον τοῦ Μωΰσου τὴν φυγήν, ἐνεδρεύειν ὡς ἀναιρήσοντα. ἰδόντα δὲ ἐρχόμενον, σπάσασθαι τὴν μάχαιραν ἐπ' αὐτόν. τὸν δὲ Μώϋσον προκαταταχήσαντα, τήν τε χεῖρα κατασχεῖν αὐτοῦ καὶ σπασάμενον τὸ ξίφος, φονεῦσαι τὸν Χανεθώθην. διαδρᾶναι δὲ εἰς τὴν Ἀραβίαν, καὶ Ραγουήλῳ τῷ τῶν τόπων ἄρχοντι συμβιοῦν, λαβόντα τὴν ἐκείνου θυγατέρα. Τὸν Ραγουῆλον βούλεσθαι στρατεύειν ἐπὶ τοὺς Αἰγυπτίους, κατάγειν βουλόμενον τὸν Μώϋσον, καὶ τὴν δυναστείαν τῇ τε θυγατρὶ καὶ τῷ γαμβρῷ κατασκευάσαι. τὸν δὲ Μώϋσον ἀποκωλῦσαι, στοχαζόμενον τῶν ὁμοφύλων. Τὸν δὲ Ραγουῆλον διακωλύοντα στρατεύειν τοῖς Ἄραψι, προστάξαι λῃστεύειν τὴν Αἴγυπτον. ὑπὸ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον καὶ χενεφρῆν πρῶτον ἁπάντων ἀνθρώπων ἐλεφαντιάσαντα μεταλλάξαι. Τοῦτο δὲ τῷ πάθει περιπεσεῖν διὰ τὸ τοὺς Ἰουδαίους προστάξαι σινδόνας ἀμφιέννυσθαι, ἐρεᾶν δ' ἐσθῆτα μὴ ἀμπίσχεσθαι, ὅπως ὄντες ἐπίσημοι κολάζωνται ὑπ' αὐτοῦ. Id eſt interprete Franciſco Vigero Rothomagenſe: *Artabanus autem in ſuo de Iudaïs opere ſcribit, Abraamo cum Memphaſthenethe filio ipſoque Ægyptiorum Rege, vita functo, Palmanothem alterum ejuſdem*

filium

filium Ægypti Imperium capeſſiſſe, Iudæumque populum durius habuiße. Ab hoc primum Ceſſam conditam, in eaque Delubrum, mox Templum apud Heliopolin excitatum eße. Ab eodem Merrhin filiam ſuſceptam, ac Chenephræ cuidam Regioni ſupra Memphin ſitæ imperanti deſponſam fuiſſe: Tum enim plures Ægyptum Regulos habuiſſe. Hanc porro ſterilis cum eſſet, Iudææ mulieris infantem ſuppoſuiſſe, quem Moyſum ipſa primum, deinde verò Græci, cum ad virilem ætatem perveniſſet, Muſæum nominarint. Atque hunc Orphei Magiſtrum fuiſſe memorant, ac permulta humano generi utiliſſima tradidiſſe. Illi enim, & Navigiorum, & Machinarum quibus adducti ſurſum lapides inter ſe ſe poſteà coagmententur, & armorum Ægyptiacorum, & inſtrumentorum partim hauriendæ vel ducendæ aquæ, partim bello neceßariorum, ipſiuſque adeò Philoſophiæ inventionem acceptam ferunt. Ad hæc Civitatem ab eo in ſex & triginta Præfecturas diviſam, ſuoſque ſingulis Numini colendo ritus aßignatos, literaſque ſacras, putà Felium, Canum, Ibium figuras Sacerdotibus cum ſingulari ac propria Regione attributas fuiße. Quæ omnia eo conſilio perfecerit, ut ſummum Chenephræ Imperium ſtabiliret; cum nullo diſtincta ordine multitudo Reges anteà modò ejiceret, modo crearet, ac ſæpè quidem eoſdem, interdum etiam alios. Quibus ipſe rebus non modo Populorum ſibi amorem conciliarit, verum etiam parem Superis honorem à Sacerdotibus, qui ἑρμῆν illum, hoc eſt, Mercurium ſive Interpretem, ob ſacrarum literarum ἑρμηνείαν, interpretationem appellarunt, facile impetrarit. At verò Chenephren Moyſi virtutibus invidentem, perimendi hominis colorem aliquem, honeſtamque ſpeciem quæſiviſſe. Itaque cum in Ægyptum armati Æthiopes invaſiſſent, commodam ſibi facinoris oblatam occaſionem eſſe ratum, Moyſum Imperatorem adverſus eos cum exercitu, ex gentilibus & propinquis ejus maximam partem conflato miſiſſe, quod eum propter militum imbecillitatem ab hoſte nullo negotio conficiendum putaret. Moyſum ad Præfecturam quandam, cui Hermopolita nomen, quæque Colonorum ad centum millia numerabat, profectum, Caſtra ibi poſuiſſe, Legatorum ſuorum fortißimis ac ſtrenuißimis quibuſque præmißis, qui locum ac ſedem occuparent. Quod bellum toto decennio geſtum eſſe, ab Heliopolitanis ſe ſe accepiſſe teſtatur. Porrò Moyſum copiarum magnitudine inſtructum, eodem in loco Vrbem condidiſſe, Hermopolim nomine, in qua primum Ibim, quod noxias hominibus animantes perimat, conſecrarit. Æthiopes autem ipſos, tametſi hoſtes, tam propenſo tamen in Moyſum animo fuiſſe, ut ipſius quoque Circunciſionis ritum ab eo reciperent. Id quod à Sacerdotibus etiam omnibus præſtitum fuerit. Cæterum Chenephren, confecto bello, tametſi benevolentiam ore ſimularet, clam ei tamen inſidiari re ipſa perrexiſſe. Itaque Moyſi copias ita diſtraxiſſe; ut partim ad Æthiopiæ confinia per cauſam præſidii ablegaret, partim Dioſpoleos Templum operis lateritii diruere; aliudque lapidibus ex vicino Monte cæſis, lapideum ædificare juberet. Huic operi Nacherotem quendam ab eo præfectum eſſe, qui Memphim una cum Moyſo, profectus, quæſierit ex eo, num quid præterea humano generi commodum utileque noſſet: Cui Moyſus, ſe verò noße, Boves nimirum quibus in aranda terrâ uti liceret. At Chenephren ubi Tauro Apis nomen indidiſſet, ei continuo Templum à multitudine poni, eodemque tranſlatas animantes à Moyſo prius conſecratas ſepeliri voluiße, uti rerum ab eo inſtitutarum memoriam una ſepeliret. Verum abalienatos à ſe propterea eum Ægyptiorum animos intelligeret, clam jurejurando amicorum ſuorum fidem obſtrinxiße, uti nequis Moyſo paratas inſidias aperiret, ſimulque futuros cædis Auctores deſignaße. Reclamantibus omnibus, Chanetothen, quem ex omnibus præcipuè nominant, acerbius increpaße, qui Regis tandem offenſione permotus, commodo ſe tempore facinus obiturum receperit. Ergo cum in eos fortè dies Merrhis obitus incidiſſet, Chenephren transferendi ultra Ægypti fines corporis, ibidemque ſepeliendi, Moyſo & Chanethothæ poteſtatem feciſſe,

feciſſe, cum interfectum iri ab iſto Moyſum putaret. Verum inſidiis à conſcio quodam in itinere ſibi patefactis, Moyſum ſaluti ſuæ diligentius caviſſe: cui, poſt ſepultam Merrhin, Meroeſque nomen Fluvio atque Urbi ad fluvium ædificatæ impoſitum, (quam quidem Merrhin indigenæ haud minori quam Iſin ipſam religione venerentur,) Aaron Frater, qui & ipſe conjurationem reſciverat, auctor fuerit, uti fugam in Arabiam capeſſeret. Illum ergò conſilium Fratris ſequutum, Memphi ſolviſſe, Niloque trajecto in Arabiam appuliſſe. Chanethotem verò fuga intellecta, inſidias ei tetendiſſe quibus exceptum opprimeret; adeoque venienti ſtricto gladio occurriſſe: At Moyſum hominem occupaſſe, nec ejus tantum inhibuiſſe manum, ſed etiam illum educto enſe confodiſſe. E veſtigio elapſum in Arabiam, ad Raguelum ejus tum Regionis Principem adhæſiſſe, ab eoque filiam in uxorem accepiſſe. Porrò cum in Ægyptios movere Raguelus vehementer optaret, ut Moyſum eò deduceret, Filiæque ſimul ac Genero Imperium aſſereret: Moyſum quod Gentilibus ſuis metueret, ab ea ipſum mente dimovere conatum eſſe quidem, ſed tamen & Arabibus abſtinere, & ex Ægypto prædas agere à Raguelo juſſum fuiſſe. Intereà Chenephren elephantiæ morbo mortalium omnium principem obiiſſe: cum in eum incidiſſet, quod Iudæos, laneæ veſtis uſu prohibito, Sindonas juſſiſſet induere, quo facilius in eos hoc à cæteris cultu diſtinctos ſævire poſſet.

Prima verba hujus ſragmenti mendo inſideri patet. Nam Abraam filium faciunt Joſephum eſſe, quod pugnat cum ſuperiori fragmento. Deinde nihil ad Abraamum pertinet Ægypti inhabitatio. Emendo igitur Ἀβραὰμ in Ἰσραὴλ (facili commutatione) Porrò regis Ægyptii nomen ſuo loco emotum eſt. Scribo: Ἰσραὴλ πλουτήσαντος καὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ὁμοίως δὲ καὶ Μεμψασθενὼθ τοῦ βασιλέως τῶν Αἰγυπτίων, τὴν δυναστείαν παραλ. τ. ή. ά. Π. Παλμανώθης ille Thermutidis ſine Merrhios pater fuit, filius & ſucceſſor Memphaſthenothis. Cedrenus ex alio autore infanticidam illum appellat Petiſonium: Joſephus nomen non exprimit. Cæterum quam falſa & diſſona inter ſe commemorant Joſephus & Artapanus? Joſephus perſecutorem Moſis dicit fuiſſe patrem Thermutidis, Artapanus Chenephren, ejuſdem maritum. Artâpanus Moſen dicit eſſe Muſæum Orphei magiſtrum, Mercurium eundem à ſacerdotibus appellatum, qui primus cultum bovis Apis & ritus colendi numinis per animalia inſtituerit, quæ admodum abſona ſunt. Verba habent: *ἔτι δὲ τὴν πόλιν εἰς λϛ´ νομοὺς* [ſic legemdum non *νόμους*] *καὶ ἑκάστῳ τῶν νομῶν ἀποτάξαι τὸν Θεὸν σεφθήσεσθαι, τά τε ἱερὰ γράμματα* (leg. *ζῶα*) *τοῖς ἱερεῦσιν. εἶναι δὲ αἰλούρους καὶ κύνας καὶ ἴβεις.* Porro civitatem in triginta ſex nomos & unicuique nomiorum conſtituiſſe Deum coli. & ſacra animalia tradidiſſe ſacerdotibus, quæ ſunt feles, canes, ibes. Narrat etiam à Chenephre Apis templum in urbe Memphi conditum eſſe, *καὶ τὰ ζῶα τὰ καθιερωθέντα ὑπὸ τοῦ Μωύσου κελεύειν ἐκεῖ φέροντας θάπτειν, κατακρύπτειν θέλων τὰ τοῦ Μωύσου ἐπινοήματα* Id eſt: *Et animalia à Moſe conſecrata, juſſiſſe illuc allata ſepeliri, volentem tollere, quæ Moſes invenerat.* Chenephres igitur animalia illa ſacra, quæ per nomos alia & alia in fanis alebantur, ſimul deuecta in templum Apis illic ſepeliſſe, ut inſtitutum illud Moſis aboleret: quod ægre Ægyptii tulerint. Confundit Moſen cum Mercurio illo, qui apud Ægyptios colendi numinis illum modum id eſt putidam idololatriam invenit. Mercurius ille fuit Moſe antiquior, Muſæus recentior. Nam Orpheus Muſæi diſcipulus navigavit cum argonautis. Epiphanius in hæreſi Antidicomarianitarum Thermutin illam, quæ Moſen educavit, filiam Amenoph fuiſſe tradit & divinis honoribus cultam ob Moyſis famam, *διὰ τὸ περίφημον τέκν τοῦ παιδός.* Non eſt prætereundum, quod ſcribit Conſtantinus Manaſſes in annalibus.

τῶν Αἰγυπτίων τοῖς ὑπηκόοις ἡ καταδυναστεία,
Καὶ κράτος τὸ βασίλειον καὶ τὰ τῆς ἐξουσίας,
Μέχρις ἐτῶν διήρκεσε χιλίων πληρεστάτων,
Καὶ πρὸς τρισὶν ἑξήκοντα πρὸς τοῖς ἑξακοσίοις

Et Ægyptiorum quidem in ſubjectos poteſtas
Ac regia potentia, quæque poteſtatis illius
Uſque annos valuit mille pleniſsimos
Et cum tribus ſexaginta ad ſexcentos.

Cambyſes Ægyptum ſubegit, è calculo Sethi Calviſii, anno M. 3426. A quibus ſi ſubtrahantur 1663, remanebit annus M. 1763 id eſt annus 107 poſt diluvium: nempe ſeptennio poſt natum Phaleg. At refert initium regni Ægyptiaci fuiſſe cum ſeptem poſt diluvium generationes præteriiſſent.

Καὶ βασιλεὺς μετὰ μικρὸν γέγονεν Αἰγυπτίοις,
Καὶ πρῶτοι βασιλεύειν τῶν ἐπὶ γῆς ἀνθρώπων
Αἰγύπτιοι κατήρξαντο καὶ τοῦ φορολογεῖσθαι.
Τὸ βασιλεύειν δ᾽ αὐτοὺς ἔσχεν ἀρχὴν, ὡς λόγος,
Ἑπτὰ καὶ μόνων γενεῶν παρελθουσῶν ἀνθρώποις
Μετὰ τὴν ὑδατόῤῥοιαν, ὑφ᾽ ἧς τὸ πᾶν ἐφθάρη.

Et rex paulo poſt factus eſt Ægyptiis,
Et primi regnari in terra hominum
Ægyptii cœperunt & tributa pendere.
Regnari ipſis principium habuit ut ſermo eſt,
Septem cum tantum generationes preteriſſent hominibus,
Poſt aquarum fluxum, quo univerſum interiit.

Septima generatione exacta ſi Ægyptii regem habere cœperunt quis fuit ille ſeptimus poſt diluvium, cujus ævo regnari cæpit Ægyptus. Ille fuit (ut exprimit ipſe) Ragau. Nam ſic dicit. Σερὺχ δὲ πρῶτος ἤρξατο χρῆσθαι γλυπτοῖς καὶ στήλαις, ὄγδοος ὢν ἀπόγονος τοῦ Νῶε τοῦ δικαίου. Diſerte autem Meſtræmum à primo rege diſcriminat: Eum enim fuiſſe, qui Ægyptum reddiderit habitabilem & in illis locis homines proſeminaverit: quod ſane prius multò factum eſt. Quo nomine fuerit ille primus Ægypti regum, non docet. Pharaonis nomen fuit illis regibus jam ſub Abrahamo. Gen. XII. 15. 17. 18. A tempore Ragau inceperunt dii regnare, poſt eos homines, idque poſt Joſephum, Conſtantinus Manaſſes deorum hominumque regnum complectitur annis 1663. Id vero proximum eſt. Manethonis dynaſtiæ, excludentes deorum tempora, longe arctioris ſunt comprehenſionis. Facilis comparatio eſt Herodoti & Diodori cum Manethone: unde verus eſt ille index regum, ſed ficti ſunt annorum numeri. Temporum veritatem novimus inde à Myri ſeu Mœri. Herodotus enim ab ipſis ſacerdotibus ita acceperat: Καὶ Μύρις οὔκω ἦν ἔτεα εἰνακόσια τετελευτηκὼς ὅτε τῶν ἱρέων ταῦτα ἐγὼ ἤκουον. *Et Myris nondum annis nongentis mortuus erat, cum ego iſta à ſacerdotibus audirem.* Herodotus Panathenæis hiſtoriam ſuam publice prælegebat anno M. 3504. Si ante decennium in Ægypto cum ſacerdotibus fuerit, detractis decem annis, erit annus M. 3494. Hinc ablatis annis 900, relinquitur annus M. 2594. poſt quem obiit Mœris, qui fuit ante Seſoſtrin. Mœris rex fuit in dynaſtia Manethonis undecima,

quæ

quæ fuit Dioſpolitarum: nam Seſoſtris fuit in ſequenti. Herodotus numerat trecentos triginta reges à Mene ad Mærin: à quo numero non adeò diſcedit Manetho: ſed ſeptuaginta ſeptem memorat, qui ſingulis diebus regnavere.

Demetrius de fuga & ſocero Moſis. Euſebius præp. 9. 29.

Δημήτριος δὲ περὶ τῆς ἀναιρέσεως τοῦ Αἰγυπτίου καὶ τῆς διαφορᾶς τῆς πρὸς τὸν μηνύσαντα τὸν τελευτήσαντα, ὁμοίως τῷ τὴν ἱερὰν βίβλον γράψαντι ἱστόρησε· φυγεῖν μέντοι γε τὸν Μωσῆν εἰς Μαδιὰν, καὶ συνοικῆσαι ἐκεῖ τῇ Ἰοθὸρ θυγατρὶ, Σεπφώρᾳ, ἣν εἶναι, ὅσα στοχάζεσθαι ἀπὸ τῶν ὀνομάτων, τῶν γενομένων ἐκ Χεττούρας, τοῦ Ἀβραὰμ γένους, ἐκ τοῦ Ἰεξὰν τοῦ γενομένου Ἀβραὰμ ἐκ Χεττούρας· ἐκ δὲ τοῦ Ἰεξὰν γενέσθαι Δαδάν· ἐκ δὲ Δαδὰν Ῥαγουήλ, ἐκ δὲ Ῥαγουὴλ Ἰοθὸρ καὶ Ἀβάβ· ἐκ δὲ τοῦ Ἰοθὸρ Σεπφώραν, ἣν γῆμαι Μωσῆν. Καὶ τὰς γενεὰς δὲ συμφωνεῖν. Τὸν γὰρ Μωσῆν εἶναι ἀπὸ Ἀβραὰμ ἕβδομον, τὴν δὲ Σεπφώραν ἕκτην. Συνοικοῦντος γὰρ ἤδη τοῦ Ἰσαὰκ, ἀφ᾽ οὗ Μωσῆν εἶναι, γῆμαι Ἀβραὰμ τὴν Χεττούραν, ὄντα ἐτῶν ρμʹ, καὶ γεννῆσαι Ἰσαὰρ [Ἰεξὰν] ἐξ αὐτῆς δεύτερον· Τὸν δὲ Ἰσαὰκ ὄντα ἐτῶν ἑκατὸν, γεννῆσαι. ὥστε μβʹ ἐτῶν ὕστερον γεγονέναι τὸν Ἰσαὰρ (Ἰεξὰν) ἀφ᾽ οὗ τὴν Σεπφώραν γεγενεαλογῆσθαι. Οὐδὲν οὖν ἀντιπίπτει, τὸν Μωσῆν καὶ τὴν Σεπφώραν κατὰ τοὺς αὐτοὺς γεγονέναι χρόνους. κατοικεῖν δὲ αὐτοὺς Μαδιὰν πόλιν, ἣν ἀπὸ ἑνὸς τῶν Ἀβραὰμ παίδων ὀνομασθῆναι. Φησὶ γὰρ τὸν Ἀβραὰμ τοὺς παῖδας πρὸς ἀνατολὰς ἐπὶ κατοικίαν πέμψαι· διὰ τοῦτο δὲ καὶ Ἀαρὼν καὶ Μαριὰμ εἰπεῖν ἐν Ἀσηρὼθ, Μωσῆν Αἰθιοπίδα γῆμαι γυναῖκα. *Demetrius autem de eade Ægyptii & lite adverſus eum, qui caſum indicaverat, ſimiliter ſacræ hiſtoriæ compoſitori, narrat: Quippe fugiſſe Moſen in Madian & illic habuiſſe in matrimonio Iethor filiam Sepphoram, quæ ſit, ut datur conjicere è nominibus, de poſteris Chetturæ & Abrahami genere, è Iexan, qui natus Abraamo eſt è Chettura. E Iexan natum eſſe Dadan; è Dadan Raguel; è Raguel Iothor & Abab; è Iothor Sepphoram, quam duxerit Moſes. Et generationes convenire. Moſen enim eſſe ab Abraham ſeptimum, Sepphoram ſextam. Cum enim jam in matrimonio degeret Iſaac, è quo Moſes, duxiſſe Abraam Chetturam, cum ipſe eſſet annorum 140. & ex ea ſecundum genuiſſe Iexan, Iſaacum autem, centenarius cum eſſet, genuiſſe. Adeò ut poſt eum annis 42. natus ſit Iexan, è quo Sepphora genus deducitur. Adeo ut nihil opponi poſſit, quo minus, Moſes & Sepphora iiſdem temporibus vixerint. Habitaſſe autem ipſos urbem Madian, quæ ab uno filiorum Abraam appellata ſit (dicit enim Abraam filios ad ortum, ut incolerent, ablegaſſe) Hinc Aaron & Mariam dixiſſe in Aſeroth, quod Moſes mulierem Æthiopida duxiſſet.* Nobiliſſimum hoc fragmentum eſt, quod genus ſoceri Moſis edit, ex ipſis archivis ſeu genuinis monumentis genealogiarum & ſcripturam interpretatur. Jexan fuit filius Abrahami ſecundus è Chettura Gen. 25. 2. Jexan genuit Dedan v. 3. At quod Dedan genuerit Raguelem non prodit Moſes. Dicit enim Moſes Dedan genuiſſe Aſſurim, Letuſim & Leummim: nihil de filio ejus Raguele. Videtur Moſes potius dicere, qui populi, quam qui filii fuerint Dedanis. Docet nos Raguelem patrem fuiſſe Jethro & Hobab: adeoque tria nomina tres diſtinctos notare viros. Joſephus & cum eo multi Raguel & Jethro confundunt. Nam Exod. 3. Raguel pater Sepphoræ & in cap. 4. Jethro ſocer Moſi appellatur. Eodem argumento tres unus ſunt: nam & Hobab ſocer Moſi appellatur. Raguel appellatur pater Sepphoræ, id eſt avus, at annotant Abeneſdras & Michlol Jophi, quod non eſt inſuetum, ut patris nomine dicatur avus & filiæ dicantur, quæ neptes è filio & filia. Nuſquam Raguel vocatur ſocer Moſi: Conſtat Moſen longiſſimo tempore in Madian degiſſe. Hinc cum adventu ejus Raguel ſacerdos fuit in iſta urbe, ſub diſceſſum Jethro: quemadmodum diſtinctè ſcribit Moſes. Hobab alius

fuit à Jethro: nam Jethro domi manſit, reverſus retrò cum genero filiam & nepotes adduxiſſet, Exod. 18. 1. 2. &c. 27. Non poterat abeſſe urbe patria, in qua ſacerdotium gerebat: ideo nullo eum verbulo Moſes rogavit, ut ſe conjungeret ducem populo Iſrael. Sed Hobabum rogat obnixe & amicè, ut ſocium & ducem ſe præbeat Num. 10. 29. 30. 31. 32. Poſtquam abiiſſet Jethro, præſens adhuc erat Hobab. Qui etiam ſe exorari eſt paſſus. Profectus enim cum Iſraël habuit partem hæreditatis in Canaan Judic. 1. 16. & IV. 11. Sed obſtat, quod appelletur eodem vocabulo affinitatis, quo Jethro, חֹתֵן מֹשֶׁה. R. Hoc vocis omnes exponunt *ſocer*, ſed apparet ſignificare latius: unde etiam frater ſoceri, חֹתֵן dicitur. Hobab diſertè à Raguele diſtinguitur, cujus filius erat Num. 10. 29. diſtinguitur etiam à Jethro, quia nuſquam vocatur ſacerdos in Madian, quod illi perpetuum epitheton eſt. Non fuit etiam Jethronis filius, quia ita non fuiſſet חתן משה / *ſocer* Moſis, ſed Sepphoræ frater.

SULPICII SEVERI

HISTORIÆ SACRÆ

LIBER PRIMUS.

CAPUT DECIMUM NONUM.

HOc tractu temporum Iob fuit, legem naturæ & agnitionem Dei & omnem juſtitiam complexus: prædives opibus atque eo illuſtrior, quod his neque integris corruptus neque amiſſis depravatus eſt. Nam cum per Diabolum exutus bonis, filiis etiam eſſet orbatus; ad extremum diris ulceribus affectus, non potuit vinci, ut præ doloris impatientia aliqua in parte peccaret. Mercedem denique Divini teſtimonii conſecutus, ſanitati redditus, omnia, quæ amiſerat, in duplum recepit.

DRUSIUS.

HOC TRACTU TEMPORUM] Hac tempeſtate, ſive his temporibus (ſic tractum corporis pro ipſo corpore poſuit Lucretius) vel magis hoc temporis intervallo ac ſpatio. Sic idem Lucretius, *ævi labentis tractu.* Nam trahere & extrahere tempus veteres dicebant: atque cum tractus fere ſit longa rerum extenſio, etiam ad tempus id retulit, novitate quadam inſigni ait Giſanius.

JOB FUIT] Quo tempore Job vixerit incertum. Communis opinio tenet librum ipſius ſcriptum fuiſſe à Moſe domino prophetarum. Quæ ſi vera, neceſſe eſt ut vixerit patrum ævo ante Moſen, vel certè tempore Moſis. Quod autem alii aſſerunt eum fuiſſe in diebus Davidis, aut in deportatione Babylonica, id ita interpretatur Nominibonus, qui Ebraïce Sem tob, ac ſi dixiſſent, quovis tempore fuiſſe aliquem Jobum hoc eſt virum bonum, cui malè

malè fuerit. Ætatem produxit uſque ad annum vigeſimum ſupra ducenteſimum, quanto tempore Iſraëlitæ fuerunt in Ægypto. Unde in literas relatum, natum fuiſſe, cum intrarent Ægyptum & deceſſiſſe è vivis, cum inde exirent. Vixit in terra Us, quam ſenes Auſitin appellaut, quæ putatur eſſe non in Armenia, ut habet autor Targum libri Job, ſed in Arabia vel Idumæa. Sunt qui ſepulchrum ejus oſtendi dicant Conſtantinopoli. Quod accipiendum non de Job, qui exemplum fuit patientiæ, ſed de alio, qui vocatur Job Alotſari, qui Conſtantinopolin venit anno primo poſt mortem Aſin ben Eli &c. cum 50 millibus virorum & quingentis triremibus: etiam occubuit in porta, quæ vocatur Igre capi. Venit autem anno quinquageſimo ſecundo ab adventu Mahometi. Notavit hoc Samuel Solem medicus ad librum Johaſin.

Prædives Opibus] Habebat enim balantum ſive ovium ſeptem millia, camelorum tria millia: juga boum quingenta & aſinas totidem, copioſiſſimumque ſervitium. Denique orientalium omnium maximus erat, hoc eſt clariſſimns ac locupletiſſimus.

Integris] ſalvis, nondum amiſſis.

Diabolum] Satanam. Hoc Ebraicum eſt, illud Græcum. Nam Satan ἐνδιαβάλλω vetuſta declaratione.

Diris] id eſt ſævis, quaſi Deorum ira immiſſis.

Vinci] id eſt adverſis ſuperari. Hoc vult dicere, Non potuit adduci ut præ doloris impatientia &c.

In Duplum Recepit] tam dives evaſit, ut habuerit quatuordecim balantum ſive ovium millia, camelorum ſex millia: mille boum juga ac totidem aſinas. Job. 42.

C. Schotanus.

De ſtirpe Eſau & Idumea antiquitate.

Quia haud dubitari video de Jobi genere, quod ſit ex Edom, de ſobole & propagatione Eſau, ut in Geneſi cap. 36. habetur, prius quam ipſam Jobi hiſtoriam aggrediar, agere alienum non fuerit. v. 2. Adam filiam Elonis Hettæi] Tres conjuges habuit Eſau, duas Cananæas, tertiam filiam Iſmael. Sed nomina mulierum iſtarum & parentum, quibus editæ ſunt, alia in hoc conſpectu, alia in ſuperioribus.

Gen. 36. 2. 3.
Ada } filia { Elonis Hettæi
Oholibama } filia { Anæ, Sibeonis Hevæi
Baſmath filia Iſmaël.
Gen. 26. 34.
Judith, filia Beri Hettæi
Baſmath filia Elonis Hettæi
Gen. 28. 9.
Mahalath filia Iſmaëlis.

Hic mulierum & parentum nomina diſcrepant. Diverſitatem illam nominum interpretes excuſant à πολυωνυμία. Conſtat duo aliquando aut plura nomina uni homini evenire: ſed evenit varia ratione. Primò caſus aut eventus immutat aut addit nomen quomodo Eſau dictus Edom à rubro pulmento; Seir, quia

Thamna] (תמנע) Raſi : *ut oſtendat eminentiam Abrahami: multi fuerunt deſiderantes coaleſcere cum ſemine ejus. Thamna iſta fuit filia ducum. Q. D.* (v. 22.) Et ſoror Lotan Thamna : *at Lotan fuit è ducibus incolentibus Seir, è Choræis, qui illic prius habitarunt. Dicebat* (Thamna) *Non ſum digna, ut connubio jungar tecum, utinam etiam eſſem concubina. Et in Chronicis* [1. Paralip. 1. 36.] *numeratur illa inter natos Elifaz, quo docetur, quod ille ingreſſus ſit ad uxorem Seir, & prodiit Thamna inter duos illos: cumque adoleviſſet facta eſt ejus concubina. Et hoc eſt* (v. 22.) Et ſoror Lotan Thamna : *Et non numerat eam cum filiis Seir, quia fuit ſoror ejus è matre, at non è patre.*

Elifaz genuit Thamnam: at illa Thamna videtur ejus filia dici 1. Chron. 1. 36. Et filii Elifaz; Theman, Omar, Sephi, Gatham, Cenez, & Thamna & Amalec. Ubi videtur dici quod ex Elifaz nata ſit Thamna, quæ tamen eſt mater Amalec è coitu & contubernio Elifaz. Hic Judæi fabulantur, Seir & Elifaz ſimul iniiſſe matrem Thamnæ eoque dubiæ conceptionis eam fuiſſe & patris quaſi gemini. Quidam putant in hoc verſu alium Thamnam eſſe, ſcilicet filium non concubinam Elifazi: quod non facile admiſerim. Nam in Geneſi talis filius nullus eſt, nec talis familia aut ducatus ullibi recenſetur. Puto igitur verba interpretatione adjuvanda: *Et Thamna & Amalec*, id eſt: *Fuit etiam illi pellex Thamna è qua Amalec.* Fuit igitur filia Seir non Elifazi, cui concubina facta eſt. Judæi inceſta conjugia & adulteria ſine modo Eſavi poſteris impingunt, partim odio gentis, partim ut ſcripturarum loca difficilia concilient.

Ex Baſmath Rahuel: cui filii fuerunt: Nahath, Zare, Samma, Meza. Hi etiam 1. Chronic. 1. 37.

Ex Oholibama: Jehuz, Jahlam, Core.

Inde duces אלופים ex Eſau recenſetur. אלופים id eſt, interprete Raſi, ראשי משפחות capita familiarum, φύλαρχοι. Abeneſdras explicat נשיא & גדול.

Familiæ & phylarchi poſterorum Eſau:

Ex Elifaz	Theman Omar Sepho Cenez Core Gatham Amalec	E Raüel	Nachath Zare Samma Meza Ex Oholibama Jehus, Jahlam, Core.

Core filiorum Elifaz alius eſt à Core filiorum Oholibamæ. In ſuperiori genealogia inter filios Elifaz non recenſetur Core. Nam potuit eſſe è nepotibus in tantum multitudinem excreſcentibus, ut φυλὴν conſtituerit ſeparatam. Horæos, qui montem Seir obtinuerunt, antequam eò ſe conferret Eſau, voluit Spiritus S. γενεαλογεῖν, quia non tantum Idumæis cohabitarunt ſed & permiſti ſunt.

Seir Horæus (incertæ originis quamvis è Cananæis eſſe haud dubitandum ſit) monti & loco à ſe occupato nomen dedit. Horæi in illis locis habitarunt tempore Abrahami Gen. 14. 6. Huic filii fuêre: *Lotan, Sobal, Sebeon, Ana, Diſon, Eſer, Diſan.* Septem illi phylarchi & totidem φυλαί. E Lotan nati *Hori & Hemam.* Eadem cum Lothan matre filit nata Thamna, concubina Elifaz.

E *Sobal* nati *Alvan, Manahath, Ebal, Sepho, Onam.*

E *Se-*

E *Sebeon* nati *Aja & Ana.* Ana iſte invenit mulorum genituram, cum aſinos parentis ſui in ſolitudine paſceret. Raſi: *Fecit aſinum inire equam feminam, unde natus eſt mulus, & introduxit profanos in mundum.* Ana genuit *Diſon & Oholibamam.* Hæc fuit filia Anæ, neptis Sebeonis. Sic enim בת poſterius diſtinguendum à priori. Hic Ana non eſt idem cum illo filio Seir, qui φυλὴν conſtituit. Scriptura (v. 25.) *Hi ſunt filii Ana: Diſon: & Oholibama fuit filia Anæ*: Ad quæ Aben eſdras: *Non eſt iſte Ana, commemoratus in principio verſus* (הפסוק) *Nam ſi ille eſſet, quid opus eſſet eum iterum ponere: ſed eſt Ana commemoratus in verſu primo.* Hæc obſervatio diſplicet. Nam ideo hoc repetitur, quia filia à filio diſtinguitur & propter conjunctionem cum Eſau potiſſimum recenſetur Seir & Horæorum genus. Repetitio nominis in hoc ſermone creberrima eſt.

E *Diſon* nati, *Hemdam, Eſban, Ithran, Cheran.*

Ex *Eſer*, nati, *Bathan, Zaavan & Acan.*

E *Diſan* nati, *Vs* & *Aran.* Us ille nomen videtur dediſſe terræ עוץ / in qua Job egit Job. 1. 1.

Cum autem Idumæi in phylas & nomos diſtributi regerentur primò à phylarchis, inde regem in commune habere ceperunt. Regem jam tum habuerunt, cum in ſolitudine errarent Iſraëlitæ Num. 20. 14. ſuntque gubernati octo regibus uſque ad Davidis tempora. Eorum hæc fuerunt nomina:

1. Bela filius Beor, ex urbe Denhaba.
2. Jobab filius Zare, ex urbe Boſtra.
3. Huſam Themanita.
4. Hadad filius Bedad, ex urbe Avith. Hic Madianitas magna clade affecit in campo Moab.
5. Samla ex urbe Maſreca.
6. Saul è Rehoboth ad flumen.
7. Baal Hanan, filius Achbor.
8. Hadar ex urbe Paü. Cui uxor fuit, nomine Mehetabeel, filia Matred, filia (neptis) Mezahab.

Horum regum ſucceſſionem non potuit Moſes ſcribere, niſi è Spiritu prophetico. Raſi dehis: *Octo fuerunt & ex oppoſito ſtatuit Iacob & ceſſavit regnum Eſau in diebus eorum. Hi ſunt Saul, Iſboſeth, David, Salomo, Rahoboam, Abia, Aſa, Ioſaphat. Et in diebus Ioram filii ejus, rebellavit Edom Iudæis & conſtituerunt ſuper ſe regem. In diebus Saul, non erat rex in Edom, conſtitutus eſt rex.* Jobab filius Zare Boſtra) *Boſtra fuit è civitatibus Moab Q. D.* (Jerem. 48. 24.) Super Cerioth, & ſuper Boſtra &c. *Et quoniam conſtituit regem Idumææ, futurum eſt ut vapulet cum ipſis, Q. D.* (Eſ. 34. 6.) Quoniam ſacrificium Domino in Boſtra &c. Qui percuſſit Madian in campo Moab] *Quia venerant Madianitæ adverſus Moabitas in bellum & profectus eſt rex Edom, ut opem ferret Moabitis: Vnde diſcimus quod contenderint inter ſe Madian & Moab, at in diebus Balaam fecerunt pacem, ut conjungerentur adverſus Iſrael.* [בת מי זהב] *Quid zahab,* [aurum] *Dives erat & aurum vile erat in oculis ipſius.*

Abeneſdras: Et hi reges] *Quidam dicunt, quod per modum prophetiæ hæc paraſa ſcripta ſit: at Iſhaki dicit in libro ſuo quod in diebus Ioſaphat ſcripta ſit hæc paraſa & exponit generationes pro libitu ſuo. Sic vocatur nomen ejus, omnis qui audit, ridet ob illum. Nam dicit quod Hadad ſit Hadar Edomæus & quod Mehitabeel ſoror ſit Thachphanhes. At abſit, abſit, quod res ſit ſicut res in diebus Ioſaphat: liberque ejus dignus eſt, quid comburatur. Et qui miraris de octo regibus, qui regnarunt, quia*

multi

*multi ſunt? Ecce reges Iſrael duplo plures & duo illorum regum propinqui duobus regibus Iſrael: etiam reges Iuda plures regibus Edom uſque ad dies Moſe. Et vere expoſitio verborum (*Ante regnare regem) *eſt De Moſe rege Iſrael: & ſic ſcriptum* (Deut. 33. 3.) In Jeſurun rex erat. Bale ſilius Beor] *Hic non eſt Balaam, Balaam etiam non eſt filius Labanis Syri. Id quadrat per modum Dras, quod fuerit magus ſicut ille: Quia nihil de verbis magiſtrorum cadit in terram. Porro Balaam Aramaus fuit, iſte autem Bale Edomaus. Etiam Iobab filius Zare non eſt Iob, ut dicit Iſhabi nugator* [הכזביל] Mehiſtabeel filia Matred] *ſecundum ſenſum. Filia Ana, filia Sebeon: aut exprimit Scriptura nomen patris & matris ejus.* Mezehab] *ita nomen ejus. Haggaon dicit, Conſlabat aurum; alii dicunt, indicium facientibus aurum ex are: at iſta ſunt commenta* (דברי רוח) In Baal Turim: *Regnarunt octo reges ante Iſrael & ſecundum eum octo reges uſque ad Ioram: In diebus Ioram defecit Edom.* Octo reges fuere antequam Iſraëlitæ regnarentur, nempe ut ultimus fuerit tempore Davidis, qui Idumæos ſubegit. 1. Chronic. 18. 12. 13. Defecerunt à Joram rege conſtituto 2. Reg. 8. 20. 2. Chronic. 21. 8. Atqui habuerunt regem tempore Joſaphat patris Joram 2. Reg. 3. 9. Dici poteſt eum regem ſibi creaviſſe imperante adhuc Ioſaphat, ejuſque permiſſu, quem vectigalem haberet, ſub filio excuſſiſſe jugum.

Sed ſubacti à Davide duces habere cœperunt. Duces fuerunt undecim:

1. Dux Thamna,
2. Dux Alva,
3. Dux Ietheth.
4. Dux Oholibama.
5. Dux Ela.
6. Dux Phunon.
7. Dux Cenez,
8. Dux Theman,
9. Dux Mebſar,
10. Dux Magdiel,
11. Dux Iram.

Dicit Moſes hos duces eſſe למשבתם *juxta habitationes ſuas, prius dixerat ſe*cundum familias & loca ſua. Raſi: *Qui vocabantur ſecundum nomen civitatum, poſtquam mortuus eſt Hadad & defecit ex illis regnum: & primi memorati ſuprà ſunt nomina generationum: & ſic expoſitum eſt in Chronicis: Mortuus eſt Hadar & fuerunt duces Edom &c.* Abeneſdras: *Et ſenſus eſt: & hac nomina Ducum Eſau ſecundum loca ſua: quoniam ſunt ipſis hodie nomina nota: & hac ſunt verba Moſis: & hi memorati ſunt filii ducum ſupra ſcriptorum nec exprimit niſi locum, qui eſt ipſi.* Thamna] *Hic eſt nomen maſculum. Nam ſunt nobis nomina multa viro & femina aque convenientia & ſic Oholibama; aut erit expoſitio, ut ſit dux adjectitius eritque dux Thamna, quoniam fuit pellex Elifaz. Hi ſunt duces ejus Alva etiam Ietheth: Et ecce eſt* [נשיא] *Amalec: at* (אלופי) *Oholibama fuerunt ſeptem in diebus Moſis, viri locorum: ideo declarationis cauſa addidit* במשבותם.

Aben-eſdras conjicit duces è Thamna ſive Amalecitis duos fuiſſe, ex Oholibama ſeptem: dictos autem à nominibus ſamiliarum ſuorum locorum, quæ inhabitabant. Id certum eſt ſupra phylarchas juxta familias non ſecundum ſucceſſionem temporum numerari, ita ut in tot partes gens tota diſtributa fuerit; ſed hic totius gentis moderatores ſine regio nomine, temporum lapſu à Davide uſque ad Ioram ſuccedentes. Loca igitur & familiæ per illa loca

diſperſæ & diſtributæ ſucceſſivè τῷ Ἰδυμαίκῷ principem dederunt. Caput igitur hoc eſt index antiquitatum Idumææ.

Jobi Cap. I.

Προσωπογραφία v. 1--5. Erat vir] Quidam nullum in terris fuiſſe putant, ſed parabolicum eſſe totum librum, quales ſunt libri appocryphi Tobiæ & Judith. Nomina enim ipſa ficta ſunt & ſcriptionis argumentum oſtendunt, veritatem negant. Vere exſtitiſſe his probatur rationibus: 1) Ipſa verba initialia, *Vir erat* aſſerunt ἐν τῷ κόσμῳ exſtitiſſe. Si ens rationis eſt, non poteſt dici fuiſſe. 2. Omnes circumſtantiæ & totius hiſtoriæ contextus arguunt fuiſſe. 3. Cum Daniele conjungitur & Noë, pari certitudine exiſtentiæ Ez. 14. 20. 4. Jacobus celebrat patientiam Jobi, id eſt iſtius individui non ſimilitudinem patientiæ in ideà propoſitam Jacob. 5. 11. 5. Non eſt mos Canonicæ ſcripturæ parabolicam ſcribere hiſtoriam. Si id factum eſſet in uno libro, in dubium vocari poſſet hiſtorica omnium veritas: quoniam in hoc libro non magis quam in ullo alio indicium ſit diſcriminis.

His aliiſque argumentis inducti interpretes communi conſenſu veritatem hiſtoriæ credunt & tuentur. Abeneſdras: *Non quadrat dicere, quod non fuerit in mundo, quoniam dixit Ezechiel,* Et Noë, Daniel & Job. *Si objiciatur, fortaſſis fuit Iob alius, cujus meminit propheta, dicetur illi, ſi ſic, dic ſic de Daniele & Noë: nam ecce ſcriptum in verſu alio:* Si ſteterit Moſes, & Samuel coram me: *Sic etiam invenimus* Samuelem filium Ammihud: *ecce autem non invenimus alium Iob ſcriptum in libris ſacris.* Mercerus: *R. quoque* Moſes *filius Maimon inter Hebræos celebratiſſimus, in libro cui titulum fecit More Nebuchim, partis 3. ſect. 22. quæ tota cum ſequenti eſt de Iob, Iob tantum parabolam fuiſſe putat ad exponendum opiniones hominum de providentia. Sententiam ſuam ex eo firmat, quod etiam qui eum fuiſſe credunt & quæ in hoc libro narrantur, rem geſtam eſſe, neque ejus tempus neque locum norunt, aliis eum ad tempus patrum aliis ad Moſis aliis ad Davidis tempora referentibus, quibuſdam etiam conſentibus eum fuiſſe de numero eorum, qui Babylona exules abducti ſunt. Sed ſive fuerit, ſive non fuerit tale quippiam, quale hic narratur, omnibus temporibus accidit, ut inveniatur juſtus, cui malè ſit & impius cui benè quod R. Sem Iob expoſitor ejus libri, occulte ſignificatum putat, per id, quod tam diverſis temporibus Sapientes Iobum aſſignarint: quia talis quæſtio omnibus temporibus eos exercuerit & torſerit, qui de Dei providentia cogitant &c. Sic ergò parabolam eſſe putant, quicquid initio libri narretur de Satana: ſed parabolam à cæteris diverſam, in qua pendeant admiranda, quæ mundum ſubjiciant & ubi magna dubia aperiantur & unde revelentur abdita ſuprema.* Accuratæ illæ diſſertationes Jobi & amicorum, quibus univerſa argumenti illius comprehenſio tam accurate explicatur, videtur occaſionem dediſſe ſentiendi, quod fabula ſit illi argumento quæſita: cum non videantur fortuito non præmeditato colloquio ea referri potuiſſe. Sed id potius illorum virorum ſapientiam & facundiam doceat, quam hiſtoriam de veritate deturbet.

Sed ſi fuit Job in rerum natura, quis fuit? Alii Cananæum fuiſſe volunt, alii Iſraëlitam à Nachor, fratre Abrahami, alii Idumæum ex Eſau. Priores duæ ſententiæ *obſcuros* (ut Salianus loquitur) *habent auctores, propugnatorem neminem, probabilitatem ferę nullam.* Mercerus: *Omnes doctores Iſraëlitam putant fuiſſe Iob, qui ſcilicet eum ante Moſen* [non] *ponunt. Nam poſt mortem Moſis ſuper nullum ex gentilibus reſedit Divinitas.* Aben-eſdras: *Iob fuit è filis filiorum Nachor fratris Abraham: at mihi probatur, quod fuerit è filiis Eſau & textus arguit,*

In

In terra Us: *ſicut* [Thren. 4. 21.] Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Us &c. *Qui dicit quod fuerit Iobab filius Zare, fortaſſis in ſomnio vidit hoc, quia non poteſt inniti neque verbis prophetarum neque traditionibus ſapientum.* Qui igitur Idumæum fuiſſe putant, alii non definiunt, quo patre, alii definiunt ad Jobab, qui fuit filius Zare, ſecundus regum.

E Nachor oriundum fuiſſe tenet Hieronymus in tradit. Hebr. in cap. 22. Geneſ. *Primogenitus Nachor fratris Abraham de Melcha uxore ejus, filia Haran, natus eſt Hus, de cujus ſtirpe Iob deſcendit, ſicut ſcriptum eſt in exordio voluminis ejus.* Vir fuit in terra Hus, nomine Job. *Malè igitur quidam exiſtimant, Iob de genere eſſe Eſau. Siquidem illud, quod in fine libri ipſius habetur eo quod de ſermone Syro tranſlatus eſt & quartus ſit ab Eſau, & reliqua, quæ ibi continentur, in Hebrais voluminibus non habentur.* Hoc argumentum Salianus refutat his rationibus I. Terram illam Hus non neceſſariò à filio Nachor appellatam ſic eſſe, ſi non ſit nomen nacta à nepote Seir: quum fuerit etiam ſilius Semi hoc nomine, conditor Damaſci & Trachonitidos juxta ipſum Hieronymum. II. Nachor nunquam emigraſſe è Meſopotamia, ibi mortuum eſſe & ſedem poſteris reliquiſſe. III. Si concedamus terram illam Hus ita à filio Nachor nominatam eſſe, inde tamen non effici, quod Job incola illius terræ ab eo deſcenderit. Terræ enim migrationibus ſolent aliæ & aliæ inhabitari: quia poſteri majorum ſedes ſæpe relinquentes, alio eunt habitatum. Tres fuerunt hoc nomine [עוץ *Vs*] vocati: primus Semi nepos ex Aram Gen. 10. 23. Alter filius Nachor Gen. 21. 21. Tertius nepos Seir Horæi è Diſan, Gen. 36. 28. Non omnes terris nomina reliquere. Terra Us ſeu Auſitis (ut flectunt Septuaginta) extra omne dubium fuit in Edom Thren. 4. 21. Hanc tamen Hieronymi ſententiam tenent Lyranus & (ut quidem videtur) Fr. Junius. Lyranus ita diſſerit: Vir erat in terra Hus] *Gen. 22. habetur, quod Melcha peperit ipſi Nachor Hus primogenitum & Bus ſecundum, ubi dicit Rabb. Salomon, quod ab iſto Hus denominata eſt terra iſta, de quâ fuit Iob, & ex hoc conſequenter dicunt alii Hebrai, quod Iob deſcendit de Nachor fratre Abraam: & hoc idem dicit Hieronymus in libro de Hebraicis quaſt. ſuper Gen. De quo libro certum eſt, quod ſit Hieronymi, ut ipſemet dicit in lib: illuſtrium quaſt. licet de Hebraicis quaſt. ſuper alios libros dubium ſit à quo ſint facta, ſicut alias dixi. Huic etiam dicto concordat, quod habetur C. XXXII. quod Heliu Buzites venit cum amicis Iob ad ipſum conſolandum: qui dictus eſt Buzites, eo quod deſcendit de Buz ſecundo filio Nachor, ut dicit Hieronymus lib. de Hebr. quaſt. & ſic cum Heliu & Iob fuerint de eadem cognatione, ſequitur, quod Iob deſcendit de Nachor.*

NOMINE JOB] *dicit autem Auguſt. & Ambroſ. ſuper Epiſtolam ad Roman, quod iſte vocatur Iobab Gen. XXXVI. & per conſequens deſcendit de Abraam per Eſau, fuerunt autem moti ad hoc dicendum ex ſimilitudine nominum, ſcil. Iob & Iobab. Et huic dicto concordat quod in aliquibus Biblis: in fine lib. Iob, & in aliquibus poſt primum prologum Hieronymi ſuper librum iſtum additur: Fertur autem Iob habitaſſe in Auſitide in finibus Idumaa & Arabia & erat ei ante nomen Iobab, erat autem ipſe quidem Zare de Eſau filiis filius &c. Sed in hoc videtur melius credendum Hieronymo & Hebrais dicentibus eum deſcendiſſe de Nachor, ut dictum eſt, quià fuerunt magis triti in talibus hiſtoriis & genealogiis. Nec motivum aliorum valet, quià frequenter contingit, quod duo homines valdè de diſpari patria, & genere non ſolum ſimili nomine nominantur, ſed etiam eodem penitus nomine. Supponitur etiam falſum, ſcilicet quod pradicta nomina ſint valdè ſimilia cum tamen ſecundum veritatem ſint multum diſſimilia, in fine & in princ. quià hoc nomen Iob in Hebrao incipit per Aleph Iobab verò per Ioth. Similiter additio qua allegata eſt non valet, ſicut dicit*

Hieronymus lib. de Hebr. quæſt. Non eſt in Hebræo, & ideo non eſt adhærendum ei ſecundum ipſum: Dato quod inveniatur aliquando in fine lib. Iob: Et ex hoc patet quod ſi ponatur in fine prologi Hieronymi, non eſt hoc de intentione ſua. Sed hæc additio & conſimiles ab aliquibus minus expertis in hiſtoriis & genealogiis Hebræorum appoſitæ ſunt propter quod de ipſis non eſt curandum. Ex prædictis patet in parte in quo tempore fuerit Iob: quia ſecundum Hieronymum, lib. de Hebr. quæſt. Heliu, Buzites de quo dictum eſt quod fuit contemporaneus ipſi Iob; licet junior ipſo fuit Balaam: de quo habetur Num. XXIII. & XXIV. quod fuit circa finem vitæ Moyſi, & ſic Iob & Moyſes fuerunt contemporanei.

Fr. Junius vocabulum Us deducit à Semi nepote, putatque Auſitin LXX. interpretum eſſe in Batanæa aut Trachonitide. Jobi amicorum unum eſſe è poſteris Abrahami, alterum è poſteris Nachor, cæteros ex progenie Eſau.

Veterum communis ſententia fuit ex autoritate LXX. interpretum, Jobum eſſe è poſteris Eſau & quidem regem illum, qui in genealogia Eſau vocatur Jobab. Hanc tenent Africanus, Euſebius, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus. Hanc ſequuntur & propugnant doctiſſimi Jeſuitarum. LXX. interpretes ad finem libri Job iſta adjecerunt: Γέγραπται δὲ αὐτὸν πάλιν ἀναστήσεσθαι μεθ' ὧν ὁ κύριος ἀνίστησιν. Οὗτος ἑρμηνεύεται ἐκ τῆς Συριακῆς βίβλου, ἐν μὲν γῇ κατοικῶν τῇ Αὐσίτιδι, ἐπὶ τοῖς ὁρίοις τῆς Ἰδουμαίας καὶ Ἀραβίας· προϋπῆρχε δὲ αὐτῷ ὄνομα Ἰωβάβ. Λαβὼν δὲ γυναῖκα Ἀράβισσαν γεννᾷ υἱὸν ᾧ ὄνομα Ἐννών. Ἦν δὲ πατρὸς μὲν Ζαρὲ ἐκ τῶν Ἡσαῦ υἱῶν υἱός, μητρὸς δὲ Βοσόρρας, ὥστε εἶναι αὐτὸν πέμπτον ἀπὸ Ἀβραάμ &c. In Geneſ. 36. 33. Secundus rex dicitur fuiſſe filius Zare, è Boſtra מבצרה. Hanc poſtremam vocem accipiunt pro nomine conjugis. Interpretes alii convenientius pro urbe capiunt, ut in aliis regibus loci nomen ita exprimitur. Deinde nulla re indicat ſcriptor libri Jobum fuiſſe regem: quod ſane non præteriiſſet in tam accurata proſopographia. Ex iiſdem fontibus, quibus LXX. aut è LXX. ipſis hauſit hanc fabulam Ariſtæas, è quo ita Polyhiſtor apud Euſebium: Ἀριστέας δέ φησιν ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων, τὸν Ἡσαῦ γήμαντα Βαστάρας υἱὸν ἐν Ἐδὼμ, γεννῆσαι υἱόν. κατοικεῖν δὲ τοῦτον ἐν τῇ Αὐσίτιδι χώρᾳ, ἐπὶ τοῖς ὅροις τῆς Ἰδουμαίας καὶ Ἀραβίας. γενέσθαι δ' αὐτὸν καὶ δίκαιον καὶ πολύκτηνον. κτήσασθαι γὰρ αὐτὸν πρόβατα μὲν ἑπτακισχίλια, καμήλους δὲ τρισχιλίας, ζεύγη βοῶν πεντακόσια, ὄνους θηλείας νομάδας πεντακοσίας. εἶχε δὲ καὶ γεωργίας ἱκανάς. Τοῦτον δὲ τὸν Ἰὼβ πρότερον Ἰωβὰβ ὀνομάζεσθαι. Πειράζοντα δ' αὐτὸν τὸν θεὸν ἐμμεῖναι μεγάλαις δὲ περιβαλεῖν αὐτὸν ἀτυχίαις. Πρῶτον μὲν γὰρ αὐτοῦ τούς τε ὄνους καὶ βοῦς ἀπὸ λῃστῶν ἀπελαθῆναι, εἶτα τὰ πρόβατα ὑπὸ τοῦ πυρὸς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεσόντος κατακαῆναι σὺν τοῖς ποιμέσι· μετ' οὐ πολὺ δὲ καὶ τὰς καμήλους ὑπὸ λῃστῶν ἀπελαθῆναι· εἶτα τὰ τέκνα ἀποθανεῖν, πεσούσης τῆς οἰκίας· αὐθημερὸν δὲ αὐτοῦ καὶ τὸ σῶμα ἑλκῶσαι. Φαύλως δὲ αὐτοῦ διακειμένου ἐλθεῖν εἰς ἐπίσκεψιν Ἐλίφαν τὸν Θαιμανιτῶν βασιλέα, καὶ Βαλδὰδ τὸν Σαυχαίων τύραννον καὶ Σωφὰρ τὸν Μανναίων βασιλέα, ἐλθεῖν δὲ καὶ Ἐλιοῦ τὸν Βαραχιὴλ τὸν Ζωβίτην (leg. Βουζίτην) παρακαλουμένων δὲ φάναι καὶ χωρὶς παρακλήσεως ἐμμενεῖν αὐτὸν ἔν τε τῇ εὐσεβείᾳ καὶ τοῖς δεινοῖς. Τὸν δὲ θεὸν ἀγασθέντα τὴν εὐψυχίαν αὐτοῦ τῆς τε νόσου αὐτὸν ἀπολῦσαι καὶ πολλῶν κύριον ὑπάρξεων ποιῆσαι. Hæc ex Ariſtæa Polyhiſtor. Nos tamen verius arbitramur regem non fuiſſe ſed ſive Raguele ortum ſive ex alio Eſavi filio in Us egiſſe, quæ terra nomen habuit ab illo Horæo, filio Diſan. Ariſtæas ortum putat è Raguele, ejus verba ita emendari & ſuppleri poſſunt: Τὸν Ἡσαῦ γήμαντα ἐκ Βασμὰθ γεννῆσαι υἱὸν, τοῦδε ἐν Ἐδὼμ γεννῆσαι Ζαρὲ, καὶ Ζαρὲ ἐκ Βαστάρας γεννῆσαι Ἰώβ. Unde Job fuerit quintus ob Abraham.

Tempus, quo vixit, definiri arctiori limite non poteſt, certum tamen eſt vixiſſe ante erectum à Moſe tabernaculum. Nam primo, pie & licite non licuit

alibi

alibi ſacrificia facere & ſacerdotium reſtrictum erat ad filios Aaron. Secundo שכינה non dedit ſe hominibus extra tabernaculum. Tertiò, Ævi illa longitudo, quam tranſegit Job, ſequentibus ſeculis vix eveniſſe cuiquam videtur. Quartò, Communiter Dei notitiam puram apud amicos Job reſediſſe videmus, quod ſane vix admitti poteſt niſi de temporibus Exodum Hebræorum antecedentibus. Quintò, Nomen Dei שדי in colloquio Job & amicorum eſt in uſu frequentiſſimo, ſemel atque iterum occurrit יהוה. Hoc autem ſcimus poſt Exodum Hebræorum frequentari cœpiſſe in communi piorum ſermone vocem יהוה Proinde ſi hæc poſt Exodum illam eveniſſent, ſæpius uſi fuiſſent vocabulo tetragrammato. Quod autem voce שדי tam frequenter utantur, id ſignificat tenuiſſe eos Abrahamo factas à Deo apparitiones & promiſſiones. Nam nomen שדי Deus Abrahamo inculcat (Gen. 17. 1.) ut ſui ſuarumque promiſſionum monumentum & firmamentum. Antequam Deus Abrahamum ita inſtituiſſet, vocabulum עליון frequentabatur, quod in gentium memoriam exiit: unde in Phœnicum monumentis ἐλιοῦν eſt pater cæli, è quo Saturnus. Judæi in Baba bathra cap. 1. variè de ætate Jobi differunt opinionum ſuarum, uti ſolent, fundamenta ſtatuentes, in levibus & nugacibus verborum ſcripturæ captationibus. In eo loco ita: *Moſes ſcripſit librum ſuum & Paraſam Balaam & Iob: auxiliabantur ei ſecundum R. Levi, Bar Lachima; quia dicit R. Levi bar Lachma: Iob fuit in diebus Moſis: ſcriptum hic (Iob 19.23.)* Quis dabit איפוא ut ſcribantur ſermones Dei; *& ſcriptum illic,* [*Exod. 13. 16.*] Unde cognoſcatur איפוא. *Et dixere in diebus Iſaac, quia ſcriptum* [*Gen. 27. 33.*] Quis eſt, איפוא, qui venatus eſt venationem. *Et dixero in diebus Iacob, quia ſcriptum* [*Gen. 37. 16*] ubi, איפה, paſcant. *Non veniat tibi id in mentem, quia ſcriptum eſt (Iobi 12. 23.)* (loco ſuperius producto in probationem) *utinam in libro, ut exarentur* [ויחקו] *At Moſes appellatur* מחוקק/ *quia ſcriptum* [*Deut. 33. 21.*] Et providit ſibi principio, quia illic [in parte] doctoris, מחוקק/ tectus erat. *Raba dicit in diebus exploratorum fuit Iob: ſcriptum hic,* Vir erat in terra Us, Job nomine, *& ſcriptum illic* [Num. 13. 20.] An ſint in ea arbores? *Quid ſimile? Hic* עץ, *illic* עץ. *Sic Moſes dicit Iſraëli* [ישו] *de illo homine quod anni prolongati ſint ſicut arboris & numerus ſuper generationem ejus tanquam arboris: Sedebat ille de Rabbinis coram Rabbi Samuel filio Nachmani, ſedebat & dicebat: Iob non fuit neque creatus eſt ſed parabola fuit. Dicunt ipſi Contra te loquitur ſcriptura:* Vir fuit in terra Us Job nomine. *Sed inde* (2. Sam. 12. 3.) Sed pauperi non erat niſi ovis unica parva, quam emerat & fovebat &c. *num fuit niſi parabola omnino? hic etiam parabola omnino. Si ſic, cur nomen ejus & nomen urbis ejus? R. Iohanan & R. Aquiba dicunt ambo, Iob fuit ex aſcendentibus exilii & ſchola ejus fuit Tiberiade. Oppono: Dies annorum Iob à tempore, quo Iſrael ingreſſus eſt in Ægyptum, uſque dum egreſſi ſunt. Dicam ſecundum à tempore, quo ingreſſi ſunt Iſraëlitæ in Ægyptum, donec egreſſi ſunt. Oppono: Septem prophetæ prophetarunt gentibus mundi: qui ſunt Balaam & pater ejus, Iob, Elifaz Themanita, Bildad Sochæus, Sophar Naamathæus & Elihu, filius Barachel Buzæus. Dicit ipſi, at ut tibi dem notitiam, Elihu, filius Barachel, nonne fuit ex Iſrael? at ecce ſcriptum eſt,* è familia Ram? *ſed prophetando prophetavit populis mundi: hic etiam Iob prophetando prophetavit. Propterea omnes prophetæ ubi non prophetarunt populis mundi illic fundamentum prophetiarum Iſraelis, hic fundamentum prophetiarum populis mundi. Oppono: Sanctus fuit in populis mundi, cui nomen Iob nec venit in mundum, niſi ut acciperet mercedem ſuam: introduxit Deus benedictus ſuper eum afflictiones, incepit probro afficiens & blaſphemans, duplicavit ipſi mercedem in hoc ſeculo, ut eum excluderet à ſeculo futuro. Doctorum eſt traditio: Rabbi Eleazar*

dicit: Iob fuit in temporibus Iudicum, *Q. D.* (*Iob.* 27. 12.) Ecce vos omnes vidiſtis & quare vanitate vani facti eſtis? *Quæ eſt iſta generatio qua tota fuit vana? Dicit generationem, qua judicabant judices. R. Ioſue, filius Corcha dicit, Fuit Iob tempore Aſſueri*, *Q. D.* (*Iob.* 14. 15.) Nec inveniebantur mulieres pulchræ, ut filiæ Job, in tota terra: *Quæ fuit generatio, qua quærebantur mulieres pulchra? Notat generationem Aſſueri. At dicam, in diebus Davidis, quia S.* (1. Reg. 1. 3. Et quæſiverunt puellam pulchram. *Illic in omni termino Iſrael, hic in tota terra. R. Nathan dicit, Iob fuit in tempore regni Saba Q. S.* (*Iob.* 1. 15.) Et irruit Saba & rapuit eos. *At ſapientes dicunt, Iob fuit tempore regni Chaldæorum Q. S.* (Job. 1. 17.) Chaldæi poſuerunt tria capita. *Quidam dicunt, quod Iob fuerit diebus Iacob & Dinam filiam Iacob duxerit. Scriptum hic eſt* (Job. 2. 10.) ſecundum verbum unius ſtultarum; *illic autem* [Gen. 34. 7.] quia ſtultitiam ſecerat in Iſraël. *Omnes hi Doctores* (*Thannaim*) *exiſtimarunt, quod Iob eſſet ex Iſraele, præter dicentes, Ne cogites quod fuerit è populis mundi. Poſtquam occubuit Moſes, ubi Divina præſentia requievit ſuper populis mundi? Et ecce dicit Mar, Petiit Moſes, ne requieſceret Schina ſuper populu mundi & conceſſit ipſi*, Q. D. [Exod. 33. 16.] Et ſeparabimur ego & populus tuus. *Dicit R. Iohanan, Generatio Iobi fuit immerſa nequitia ſecundum q. d.* Ecce vos omnes vidiſtis & cur hac vanitate vani facti eſtis? *Et ſcriptum* [Cantic. 6. 13.] Revertere, revertere Sulamith, revertere, revertere, ut videamus te. *Dicam, in prophetia, Sicut S.* (Eſai. 1. 1.) Viſio Eſaiæ filii Amos. *Si ita*, Cur vanitate facti eſtis vani, *quid facit?* Et dicit R. Johanan: Quid quod ſcriptum eſt, Et fuit in diebus judicare judices &c. *Ætas, qua judicabat judices ſuos* &c.

Quærunt interpretes à quo & qua lingua ſcriptus iſte liber fuerit? Quidam exiſtimant ſcriptum eſſe ab ipſo Jobo, pars à Salomone, alii ab aliquo propheta, nonnulli à viro ſancto pioque extra Sp. propheticum, plerique à Moſe. Non eſt ulla ratione opinandum, quod extra Spiritus S. inſpirationem fuerit ſcriptus. Qui Moſi attribuunt, quærunt, fueritne compoſitus ab eo per Spiritum è qualicunque notitia ſeu monumentorum annotatione, an tranſlatus verſuſque ſimpliciter ex alio ſermone? Si ſit ſcriptura Moſis, ejus compoſitio eſt: interpretem fuiſſe nego, ſcriptorem fuiſſe dico, ſi ad ipſum liber hic pertineat. At ſi librum iſtum compoſuit, ſcripſitne in Ægypto, in deſerto, an in Madian. Poſtremum Bolducius ſex rationibus conatur ſtabilire. I. Ante exilium Ægyptiorum ſapientiæ incubuiſſe, quam cùm diligenter & penitus percepiſſet, per otium in terra Madian, diſciplinas ſcholæ Eber, in qua Jethro principatum tenebat, didiciſſe: in ea autem celeberrimam fuiſſe Jobi hiſtoriam. Jethræos philoſophos in hoc doctrinæ genere eruit ex 1. Paralip. 2. 53. ubi familiæ Cariathiarim enumerantur. Schola Eber, putidum & longè vaniſſimum commentum eſt. II. Deum ſe patefeciſſe Moſi, ubi altera Abrahami familia, ab Eſau propagata, diſciplinis & ſcientiis florebat. Voluiſſe illic Moſen in divinarum rerum notitia erudiri, qui humanas in Ægypto didicerat. Ea ipſa tempeſtate, qua Job Idumææ regnum tenebat. III. *Quia opportunum tunc valde tempus & locus texendi hanc hiſtoriam, ubi & quando Iob utramque proſperitatis & calamitatis aleam expertus, in illius tranquillitate vivebat. Ita ut de hujus admirabilis hiſtoria veritate facilius potuerit à Moſe ibidem inquiſitio fieri &c.* IV. Cum nunc graviſſima ſervitute tenerentur in Ægypto Iſraëlitæ voluiſſe illis Deum à Moſe exemplum proponi, quod digeſtum & compoſitum ſcripto, mitteret fratribus, ut ſimili patientia ad ſpem liberationis eniterentur. V. In paſtorali vita abundaſſe otio quo caruit, poſtquam vocatus à Deo miſſuſque in Ægyptum eſſet. VI. Jethronem virum ſpectabilem & ſapientem, potuiſſe

potuiſſe generum informare de rebus ad hanc hiſtoriam pertinentibus. Omnes leviſſimæ conjecturæ, quibus chartæ complentur potius quam avidæ ſciendi & compoſitæ mentes. De Job ita Origenes (ſive quicunque alius autor) in Jobum lib. I. *Item vero alius conſtantia atque tolerantia vehementium dolorum ſicut admirabilis Iob, de quo plurimus ſermo, de quo vehemens diſputatio; cujus ſancta virtutis inſignia, cujus admirabilem conſtantiam; cujus inenarrabilem tolerantiam, cujus miſerabiles dolores quis edicere vel juxta meritum proferre, vel admirari valeat, quæ ſcripta ſunt Syrorum lingua, ſive ab ipſo Iob, ſive ab amicis ejus? Ob hoc enim dicit ipſe beatiſſimus Iob:* Quis dabit, *ut ſcribantur ſermones mei & ponantur in libro* in perpetuum? *Interpretata autem ſunt à magno illo viro Moſe, in Hebraicam linguam atque filiis Iſrael tradita, quod oſtendit ipſa ſcriptura Iob, dicens: Hic interpretatus eſt ex Syrorum libro? A quo interpretatus? Manifeſtum eſt, quod à Moſe in Hebræum. Item verò à LXX. ex Hebræo in Græcum tranſlatus eſt. In Ægypto ſcilicet olim Moſes illum ex Syro in Hebræum tranſtulit. Item in Ægypto etiam LXX. ſub Ptolemæo ex Hebræo in Græcum illum tranſtulerunt & inde ex Ægypto per univerſas gentes beati Iob ſcriptura divulgata eſt: primum quidem in Arabia Syriacè ſcripta ubi & Iob habitabat: poſt hoc & in Hebræis & in Græcis atque in omnibus gentibus, juxta hæc quæ intimata atque oſtenſa ſunt, immutata atque interpretata eſt. Erat nimirum pridem Syriacè ex parte ſcripta, non ita diligenter neque ita vigilanter, quemadmodum poſteà à Moſe. Sola enim reſponſiones atque replicationes à primordio ſcripta ſunt. Nam quis illorum poterat noſſe, quomodo venerint angeli, ut ſtarent ante Deum, vel quomodo Diabolus venerit, vel quid dixerit, vel quid reſponderit? Nullus illorum poterat hoc noſſe, vel hoc quod Deus ad Diabolum locutus fuerit niſi ſolus Moſes Spiritus S. revelatione. Sicut enim de factura cæli & terræ nemo alius ita diligenter poterat noſſe, vel loqui vel ſcribere ſicut Moſes ita* &c. *Quod autem Moſes hæc ſcripſerit in Ægypto, etiam juxta ipſum tempus, cum ejuſdem ſit numeri, maximè comprobatur. Nam ſicut quintus erat Iob ab Abraham, ita quinta progenie miſſus eſt Moſes educere filios Iſraël de terra Ægypti. Super hæc autem omnia, ô amici, invenimus in antiquorum dictis, quod cum magnus ille Moſes in Ægypto à Deo fuiſſet miſſus & vehementem afflictionem filiorum Iſrael videret & conſolari eos ab anxietate lamentabilis eorum afflictionis qua illos Ægyptii affligebant, minimè valeret, vehementes illos atque terribiles Iob dolores pro conſolatione illis enarraverit, nec non & in Scriptura eos ponens, adhuc cum eſſent recentiores, illi populo dederit: ut per cognationes & tribus ſuas hæc legentes & vehementes atque terribiles illius viri dolores audientes, invicem ſe conſolarentur & cum patientia atque gratiarum actionibus, mala, quæ eos circumdederant, ſufferrent & ut bonam remunerationem Domini, quam Iob poſt tolerantiam largitus eſt, audientes, etiam ipſi liberationem ſperarent & beneficia beata mercedis laborum ſuorum exſpectarant. Hujus namque rei evidens atque irrefutabile indicium eſt hoc, quod etiam adhuc uſque in hodiernum diem beati Iob tolerantia, ante eos, qui ſunt in dolore & luctu atque planctu, legitur pro conſolatione atque exhortatione dolorum illorum & pro ablatione anguſtiæ cordis illorum. Similiter autem & in conventu eccleſiæ, in diebus ſanctis legitur paſſio Iob, in diebus jejunii, in diebus abſtinentiæ, in diebus, in quibus tanquam compatiuntur ii, qui jejunant & abſtinent, admirabili illi Iob: in diebus, in quibus in jejunio & abſtinentia ſanctam Domini noſtri Ieſu Chriſti paſſionem ſectamur* &c. *Diximus quod magnus ille Moſes, ſcribens paſſionem Iob & dolorem & laborem atque conſtantiam, pro conſolatione dederit filiis Iſrael, blande & benigne & placidè loquens ad eos ac dicens: conſtantes eſtote filii Iſrael, animæquiores eſtote poſteritas Abrahæ, ſuſtinete dolores, ſufferte hæc mala, quia & olim erat quidam homo in regione Auſitide, cui nomen erat Iob: qui cum eſſet juſtus & verax & ſine que-*

querela ingentes ſuſtinuit dolores, amara ſupportavit tormenta &c. Bellarminus lib. de ſcriptor. Eccleſ. *Quod liber Iob, qui nunc exſtat* (quaſi alius exſtiterit) *ſit Moyſis potius quam Iob, ideò mihi perſuadeo, quia & Hebræi doctores ita ſentiunt & rationes non contemnendæ pro hac ſententia poſſunt afferri. Prima, ſi Iob eſſet autor libri, qui nunc exſtat, primus ſcriptor ſacer eſſet non Moyſes: jam enim ex ætate oſtendimus Iobum fuiſſe antiquiorem Moſe. At communi conſenſu Moyſes eſt primus ſcriptor Eccleſiaſticus. Deinde ſi Iob eſſet autor libri hujus, non eſſet hic liber in canonem ſcripturarum ab Hebræis admiſſus: Iob enim non fuit ex filiis Iſrael ſed Idumæus vel Arabs: Idumæi autem & Arabes pro hoſtibus habebantur ab Hebræis. Præterea liber Iob Hebraice ſcriptus eſt non Syriacè vel Arabicè, quamvis aliqua vocabula Arabica in eo legantur, præſertim quando introducuntur loquentes amici Iob: at Iob non Hebraice ſcripſit, ſi quid ſcripſit, ſed lingua ſua. Igitur &c. Quod ſi non eſt Iob autor libri hujus, nulli melius tribui poteſt quàm Moyſi, qui fuit temporibus Iobi.* Gregorius Magnus: *Inter multos ſæpe quæri ſolet, quis libri Iob ſcriptor habeatur. Et alii quidem Moyſen, alii unum quemlibet ex prophetis ſcriptorem hujus operis fuiſſe ſuſpicantur. Quia enim in libro Geneſeos Iobab de ſtirpe Eſau deſcendiſſe & Bale filio Beor in regnum ſucceſſiſſe deſcribitur, hunc beatum Iob longe ante Moyſi tempora exſtitiſſe crediderunt morem profectò ſacri eloquii neſcientes: quia in ſuperioribus ſuis partibus ſolet breviter longè poſt ſecutura perſtringere cum ſtudet ad alia ſublimius enuntianda properare. Vnde & illic Iobab, priuſquam reges in Iſrael exiſterent, fuiſſe memoratur. Nequaquam ergo exſtitiſſe ante legem cognoſcitur, qui Iſraelitiorum judicum tempore fuiſſe ſignatur. Quod dum minus caute conſiderant, Moyſen geſtorum illius quaſi longe ante poſiti ſcriptorem putant: ut videlicet is, qui potuit ad eruditionem noſtram legis præcepta edere, ipſe credatur etiam ex gentilis viri hiſtoria virtutis ad nos exempla mandaſſe. Nonnulli verò ut dictum eſt ſcriptorem hujus operis unum quemlibet ex prophetis arbitrantur: aſſerentes, quod nullus tam myſtica Dei verba cognoſcere potuit, niſi cujus mentem prophetiæ ſpiritus ad ſuperna ſublevavit. Sed quis hæc ſcripſerit valde ſupervacuè quæritur: cum tamen autor libri Sp. S. fideliter credatur. Ipſe igitur hæc ſcripſit, qui hæc ſcribenda dictavit. Ipſe ſcripſit, qui & illius operis inſpirator exſtitit: & per ſcribentis vocem imitanda ad nos ejus facta tranſmiſit. Si magni cujuſdam viri ſuſceptis epiſtolis legeremus verba, eaque quo calamo fuiſſent ſcripta quæreremus, ridiculum profectò eſſet, ſi non epiſtolarum auctorem ſcire ſenſumque cognoſcere, ſed quali calamo earum verba impreſſa fuerint, indagare ſtuderemus. Cum ergò rem cognoſcimus ejusque rei Spiritum Sanctum auctorem tenemus, quia ſcriptorem quærimus, quid aliud agimus, niſi legentes literas de calamo perſcrutamur? Arbitrari tamen verius poſſumus, quod idem beatus Iob, qui certamina ſpiritualis pugnæ ſuſtinuit, etiam conſummatæ ſuæ victoriæ geſta narravit. Nec movere debet quod in eodem libro dicitur, dixit Iob: vel hæc atque illa pertulit Iob. Moris enim ſcripturæ ſacræ eſt, ut ipſi, qui ſcribunt, ſic de ſe in illa, quaſi de aliis loquantur.* Quod autem de lingua Syra ex LXX. Origenes dicit, interpretatur lib. 3. ejuſdem commentarii: *Nunc ſane periit Idumæorum & nomen & lingua & omnes Arabi nominantur, atque omnes Syriacè loquuntur.* Origenis tempore Edomæorum nomen perierat & ſermo. Interierunt cum excidio Hieroſolymorum ſub Veſpaſiano. Reſidui mixti vicinis gentibus in Arabum nomen & linguam tranſiêre. Sermonem Arabicum ſub Syriaco comprehendit, quia è Syriſmo & puro Hebraiſmo participat. Sermo Hebræus potuit eo tempore familiaris fuiſſe Eſavi poſteris, ut è Cananæa oriundis & in vicinia habitantibus. Deinde Jobi & amicorum ſermones videntur ita eſſe repræſentati eoque ſermone, quo habiti ſunt. Si Jobus ſcripſiſſet per Spiritum Dei iſtum librum, non minus receptus fuiſſet aut recipi debuiſſet, quam ſi à Moyſe ſcriptus eſſet. Hic nihil facit origo ex hoſtico. Deus autor attenditur potius, quam ſcriba.

TERRA US] Jobum habitaſſe in oriente reſpectu Ægypti & Judææ docet finis verſus tertii. Et ejus patriam mediam fuiſſe inter Chaldæos & Sabæos diſcimus ex verſu decimo quinto & decimo ſeptimo, שְׁבָא & Dedan fuerunt filii רעמה / Gen. 10. 7. Dedan vicina fuit Idumæis Jerem. 49. 8. 10. Hi igitur Sabæi in interioribus Arabiæ, quam Arabiam felicem vocant, incoluêre. Unde Auſitis, ſive Us, orientalis Idumæa fuit, haud procul à Sinu Perſico & mari Rubro. Ideò Leviathanis id eſt belluæ marinæ deſcriptionem intulit Deus tanquam notiſſimi animalis. Mercerus: *Ac ſane in Arabia Petraa videtur fuiße regio Vs, quum dicantur Sabai ex Arabia felice vicina veniſſe ablatum oves Iobi, infrà. Et quanquam Idumaa ad meridiem terra Iſrael ſit, infra autem dicatur Iob fuiſſe maximus omnium filiorum orientis, ſciendum Arabiam latè patere & terram Vs in Arabia magis ad ortum terra Iſrael fuiſſe: niſi malimus dicere orientalem etiam partem illam totius mundi eſſe, non habita ratione terra, Iſrael, in quam fortaſſis nondum venerant Iſraelita, quo tempore hac ſunt ſcripta. Nam terram Vs Conſtantinam eſſe in Armenia ſitam, ut Chaldaus paraphraſtes threnorum vult, ſomnium eſt. Impura ſunt ſape paraphraſes Chaldaica Hagiographorum & ſomniis plena. Odio Conſtantinopolis ille paraphraſtes id dixit, nomine Edom imperium Turcarum* (Imo imperium Romanum, cujus alterum caput erat Conſtantinopolis) *deſignans, cujus ſedes eſt Conſtantinopoli. Sic ſomnium eſſe puto, quod Abraham filius Peritſol putat terram Vs Armeniam eſſe ultra mare ad orientem ex adverſo Conſtantina in tractu Troja veteris. Sape Hebrai recentiores externa Geographia & aliarum literarum ſe produnt ignaros.* Paraphraſtes à Buxtorſio editus ita non habet.

Inſigni pietate & probitate morum non minus quam opibus eminuit. Proventu ſeptem filiorum, & trium filiarum cum felix eſſet, abundabat etiam pecore. Unde in illis orientis partibus neminem habuit parem.

v. 4. Ibant filii ejus & faciebant convivia] Septem filii mutua inter ſe convivia faciebant, quibus ſorores ſuas adhibere ſolebant. Hic ſeptem dierum orbis erat. Quilibet fratrum ſuo die convivium agitabat in orbem redeunte officio. Finis erat ut fomentum & vinculum eſſet concordiæ & neceſſitudinis: quæ ut major arctiorque eſſet, ſorores fecere participes. Mercerus notat vocem הלכו non eſſe otioſam, quia alacritatem indicet, qua alter alterius domum, ut propriam, adiere. Dicuntur miſiſſe vocatum ſorores ושלחו וקראו: miſſis nuntiis accerſivere ſorores. Ubi duo notat Mercerus, ſororum modeſtiam fratrum humanitatem: Quo autem honeſtius venirent, nuntios mittebant, quibus comitatæ honorificentius deducerentur. Bene idem notat, univerſum annum non exegiſſe fratres celebrandis conviviis (quod non convenit) ſed certis temporibus anni orbem illum obiiſſe. Cum enim convivia omnia viderentur exorbitationem adverſus Deum per luxum laſciviamque aliquam, ſecum trahere, abſonum fuiſſet purificationem frequentata pollutione abolere. Videtur igitur conviviorum quaſi neceſſitatem attuliſſe ratio temporis.

v. 5. ET ERAT] Mercerus: *Bonus hic pater eorum quidem epulas non damnabat, imò facilè concedebat illis hoc pacto mutuam retinere concordiam. Et convivia alioqui honeſta ſunt, nec à Scriptura damnantur ſi ſine luxu, honeſta hilaritate & cum gratiarum actione fiant. Sed cum alioqui pro prudentia ſua vir verè religioſus & Dei timens, ſciret vix fieri poſſe, quin inter epulas aliquid excideret, etiam ſapientiſſimis quibusque, vel facto vel dicto, vel animo ſaltem, in quo Deo ſuus honor ſervatus non eſſet: quia multa interdum in convivio leviter per jocum dicuntur & otioſa pleraque etiam imprudentibus animos titillant aut à Dei timore abducunt:*

eo ergò nomine filiis timens Iob, peractis in orbem conviviorum, quæ ſinguli agitarant, diebus, diligens erat in illis enundandis & expiandis per ſacrificia, quæ pro illorum numero faciebat: non quod alioquin in victimis vim eſſe putaret expiandi peccata, ſed ut hac ratione gratum ſuum animum Deo oſtenderet. Hoc enim erat religionis exercitium veteribus etiam ante datam legem (ante quam videtur Iob vixiſſe) ut in Habel videmus. Neque enim pro arbitrio ſacrificia offerebant ſed ex voluntate Domini. Porro ante ſacrificia luſtrare ſe & emundare ſolebant, ab uxoribus abſtinentes, veſtes ſuas abluentes, & aliis utentes luſtrationibus, ne quid vel minimum offendiculi eſſet ad immolandum Domino accedentibus; quibus externis emundationibus multò magis & internam adeſſe volebant, cujus illa externæ ſigna erant: ne hic externas tantum cerimonias ſomnies quibus ubi defuncti eſſent, plenè officio ſuo eſſent perfuncti, etſi animum alioqui non emundaſſent. Quod ſi externa tanto ſtudio emundabant, ſignum erat & multo magis eos interna emundaſſe.

De ſacrificiis iſtis notatur 1. expiatoria fuiſſe & ἱλαστικὰ peccati. 2. peccati incerti: ſi enim ſciviſſet eos ore & opere patraſſe, non quadraret ſermo: *Forſitan peccaverunt filii mei & maledixerunt Deo in cordibus ſuis.* Forſitan, in cordibus. Cordium occulta, homini non patent. Pro peccatis, quæ ignorabant, cum ſcirent omnem noſtram hilaritatem & dolorem inquinari labe inſita & vitioſo naturæ habitu omnem actum corrumpente. Pro eo peccati genere, quod ſolo animo commiſſum eſt, nullum præſcribitur diſtinctum ſacrificii genus in lege Moſis, ſed continebatur jugi ſacrificio mane & veſperi faciendo, vel voluntario. 3. ſanctificabantur ut ſacrificio intereſſent, quod pro ſe fieret. 4. Pater hic ſacerdos erat familiæ, quam expiabat. 5. Numerus victimarum pro numero capitum. Quid igitur dicendum de filiabus, putamus ne eas nihil peccaſſe, aut ſic à Jobo exiſtimatum eſſe? Singulorum ἑταίρων ſacrificia pro univerſo convivio & convivarum nmuero expiabant. Quanquam Hebræi denas victimas oblatas eſſe putent, filiabus etiam incluſis. 6. Holocauſta fuerunt, de quibus nihil participabant offerentes. ברך benedicere, ſignificat oppoſitum in hoc loco & comprehendit omnem aduerſus Deum elationem aut à Deo deflexionem animi, qua illi debitus honor denegatur aut aliò avertitur: eoque ipſe dehoneſtatur.

Sic infrà v. 11. & 1. Reg. 21. 13. Sacrificia Jobi non fuerunt ex naturæ lege nec lex naturæ aut ſcientia humanæ induſtriæ cum in cultu Dei & pietate dirigebat, altiore opus fuit inſtitutione, quam hauſit è Dei alloquiis & πατροπαραδότοις inde ab Abrahamo, dogmatis, quæ diligenter didicit & obſervavit. Aliunde illa, quam ex Abrahami ejuſque poſterorum in Iſaci poſteris ſchola haberi non poterant. Quæras, Cur non potius interdixit conviviis, quæ abire non poterant ſine Dei contumelia, ita ut ſacrificio & expiatione opus eſſet? Bonum ſanctæ hilaritatis & concordiæ firmandæ, propter conjunctum ex infirmitate abuſum, omitti & negligi non debuit. Sancta erant illa convivia, vincula animorum ſine luxu & laſcivia honeſta & moderata, at inquinabantur vitio, quod ſe ubique inſerit. Luxum & laſciviam operis oriſque Job compeſcuiſſet, ſi ſeſe ullo modo prodere cœpiſſet, Tanta erat viri pietas, tanta fuga offenſæ in Deum!

Hinc ſanctus ſcriptor calamitates & πειρασμὸν Jobi incipit narrare. Earum duo fuerunt & genera & tempora, Prius ad bona alterum ad corpus pertinuit. Prius in ſequentibus hujus capitis, alterum in ſequenti capite. Utrumque genus à Satana illatum eſſe narrat Sp. S. Domino concedente. Quæ conceſſio permiſſioque quamvis fiat quotidie, ignoramus tamen nos quomodo fiat. Explicat eam Sp. S. ex humano more regum orientis.

v. 6.

v. 6. Quadam autem die, venerunt filii Dei] Mercerus: *Hic proponitur merum documentum & exemplum Divinæ providentiæ: unde ſciamus omnia ejus decreto fieri; quæcunque tandem hominibus accidunt, nihil omninò evenire, quod prius ab eo decretum non ſit; ut videmus hic in iis, quæ Iobo ſupervenerunt, ſic ante à Domino fuiſſe ordinatum. Verum hoc decretum Domini humanorum more regum deſcribitur, quod venerint angeli, ut ſe coram eo ſiſterent, colloquium Domini cum Satana: non quod alioqui ita craſſe hæc ad literam facta fuerint, ſed Scriptura ſeſe noſtro captui & ruditati accommodare voluit. Tale colloquium Domini exponitur in fine 3. aliàs 1. Reg. à Michæa propheta, quum ex omnibus malignis ſpiritibus, qui Domino adſtabant, roganti, quis iret deceptum Achab, unus ſeſe obtulit, qui id ſe facturum reciperet* &c. Exiſtimat Mercerus cum Hebræis Satanam veniſſe quaſi non vocatum, ut Jobum alioſque calumniaretur, id innui, *Venit etiam Satan, in medio eorum.* Calvinus potius vocatum ſe ſiſtere & ſubditum Deo eſſe, uti limites & terminos vexationis à Deo ſibi audiat præſcribi. Salianus: *Quadam ergo die ſancti angeli, illius regni hominum & filiorum Iobi cuſtodes, in eum ipſum locum convenerunt in quo duo illi verſabantur Iobi tutelares & privatæ & publicæ perſonæ regis curam habentes. Quem Satan quoque circuibat. Concilium videbatur aut judicium, cui præſidebat ſuperior quidam angelus Dei vice ac nomine. Ibi cum de Iobi, totiuſque familiæ ipſius ſanctitate, tanquam ab ejus amicis ac patronis ageretur, affuit & Satan in angelum lucis ſe transformare ſtudens. Quem facilè agnitum iis, qui Dei gerebat vices, interrogat, unde veniat & an conſiderarit Iobum virum ſanctiſſimum, qui mortales omnes vitæ innocentia longè poſt ſe reliquerit, cujus ille virtute urebatur infelix. Quæ cum adverſarius negare non poſſet, eò confugit, ut quæ à Iobo rectè fierent in deteriorem partem interpretaretur, quaſi Iob non vera erga Deum pietate ac charitate impulſus ei ſerviret, ſed quaſi mercede ac pretio conductus.* Nunquid, *ait*, Job fruſtra timet Deum. *Tu ipſum & quæ ad ipſum pertinent univerſa, tueris, conſervas, amplificas; quid ille tanto allectus lucro non faciat? Verum ſi vel leviter hominem pulſaveris & patiaris eis privari bonis, quæ illi contuliſti, diſpeream miſer, niſi palam & impudenter nihil reveritus faciem tuam, divinam providentiam bonitatemque criminetur. Quibus verbis improbiſſimus hoſtis haud obſcure Iobum expoſcebat ad ſingulare certamen. Quem Deus aut angelus Dei vices gerens & illius voluntatis planè conſcius, quod Iobi fortitudinem exploratam haberet, nihil cunctatus conceſſit adverſario, ſua ipſius manu probandum atque excutiendum: tanta tamque ampla poteſtate, ut omnia, quæ ad ipſum pertinent, ipſo uno excepto, ſibi permiſſa intelligeret.* In hoc diſcurſu non placet, quod Angelum huic concilio præſediſſe dicat, qui Dei vices & nomen gereret. Nullus enim unquam Angelus Dei nomen geſſit, nullus vice Dei præſidet angelis. Et quis angelus novit intima voluntatis humanæ? Quis Satanæ poteſtatem in Jobum dare potuit? Archangelus, qui angelis præſideat non habet in Satanam imperium, ut ille apud eum comparere eique ſe ſiſtere cogatur, accepturus mandata. Angelorum miniſteria oppoſita ſunt Diaboli regno & molitionibus Dan. 10. 13. Apoc. 12. 7. Anne hoc concilium Angelorum illius loci regioniſque particulare fuerit, quod hic repræſentatur, an univerſale omnium, non pugnaverim. Conciliis particularibus etiam non præſidere Dei nomine aliquem archangelum ſed ipſum Deum qui ubique eſt, aſſero. Deus dat mandata, ordine ſuo quiſque ſubeſt Deo immediate. In ſubjectis immediate ordo eſſe poteſt, quamvis nulla ſit dominatio in inferiores. Imperare etiam poſſunt & præeſſe inferioribus per modum poteſtatis miniſterii: ſed de eo alibi. Pſeudoorigenes lib. 1. In Jobum: Venerunt Angeli Dei ut ſtarent ante Deum. *Humana uſus conſuetudine ac proverbio atque locutione, dicit, Venerunt ante Deum,*

Hh 2 qui

qui omnia replet, qui ubique præſens eſt &c. Exiſtimat Diabolum tantum cogitatione, conſilio, deſiderio ad Deum veniſſe non acceſſu neque introitu. Atqui Deus ubique eſt, cui ſe Satam ſiſtere debet, ut mandata accipiat. Abeneſdras: *Gaon magnus Saadias dicit, quod Satan ille homo fuerit, invidens Iobo* &c. *Dicit enim angelis nullam eſſe invidiam: at ecce oblitus eſt.* (Num. 22. 22.) Et ſtetit angelus Domini via in Satan: *Et in libro Daniel manifeſtum*: (Dan. 10. 21.) Nec quiſquam qui fortem ſe præſtet mecum, adverſus hos, niſi Michael princeps veſter. *Et porrò*: (Dan. 11. 1.) At ego in anno primo Darii Medi ſtabam ad confortandum & corroborandum eum: quia iſte firmitudinem præſtabat Michaeli eumque adjuvabat. *Et ad declarandum arcanum, hæc verba non mettitur ſcriba aut qui intelligat arcanum diſpoſitionum exercituum & alterationem operum ſecundum alterationem motionum* (vocalium) *novit radicem Satan & omnia quia eſt angelus. Et ſenſus: Fuit dies, dies principium anni, quia omnes filii ſeculi tranſeunt ante* שכינה *| ſicut filii Maron.* Aut dies judicii *Iob ſolius. Et non poßum exponere, aut erit ſignificatio ejus: Et fuit dies, in quo evenit ſic & ſic: ut,* Fuit dies & tranſiit Eliſa. Ralbag: *Meminit poſtea ſimilitudine, quaſi Deus locutus fuerit cum illis, qui egrediebantur ab eo. Hæc ſunt mala ſilentia, quorum principium deforis eſt. Et hic eſt Satan per modum parabolæ &c. Et venit etiam Satan inter illos, ut qui non intenderit venire, quia obitio & obambulatio ejus eſt tantum in terra. Nam illic inveniuntur hæc mala non in entibus ſuperioribus. Et profectò filii Dei ſunt poteſtates gubernatrices exiſtentiæ angelorum Dei benedicti. Et teſtatur quod Deus prohibuerit ne Iobum mala attingerent quia eſſet vir integer & rectus: & quod Satan cauſa fuerit, quod omnia Iobi in poteſtatem ejus tradiderit, tantummodo ne mitteret manum ſuam in Iobum. Hæc autem omnia ut doceat, quod Satan abſolutum dominium hoc non habeat: quoniam ſi homo adhæreat Deo benedicto, non dominabitur illi Satan, quemadmodum declaratur in hoc libro. Scribit etiam, quod malefecerit ei à parte malorum evenientium ab hominibus aliis ad alios, ut ſunt bella: & à parte alterationum cadentium ab elementis, ſicut innovatio ignis & venti & euri: dicendo malum cadens à parte belli eſſe gravius, quoniam illius principium eſt electio tendens ad conſummationem. Et profectò mala evenientia, quæ accidunt à parte alterationum innovatarum in elementis, cognata ſunt caſui & fortunæ.* Origenes contra Celſum lib. 6. Σαφῶς δὲ πρὸ ταῦτα πάντα, ἐν τῷ ἀρχαιοτέρῳ καὶ Μωσέως αὐτοῦ Ἰὼβ ὁ διάβολος ἀναγέγραπται παρίστασθαι τῷ θεῷ καὶ αἰτεῖν τὴν κατὰ τοῦ Ἰὼβ ἐξουσίαν, ἵν' αὐτὸν περιβάλῃ περιστάσεσι βαρυτάταις· πρώτῃ μὲν τῇ κατὰ πάντων τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ καὶ τῶν τέκνων, ἀπωλείᾳ, δευτέρᾳ δὲ κατὰ τὸ περιβαλεῖν αὐτὸν ἀγρίῳ ἐλέφαντι, τῷ οὕτω καλουμένῳ νοσήματι, πᾶν τὸ σῶμα τοῦ Ἰώβ. Calamitates, quæ Jobo accidunt, per gradus videntur aſcendiſſe. Primò ex incurſibus hoſtium paſſus eſt cladem. Nam Sabæi boves arantes, aſinasque juxtà paſcentes, percuſſis famulis, rapuêre. Deinde ignis è cælo lapſus oves cum famulis abſorpſit. Tertiò Chaldæi, tribus agminibus, camelos, occiſis famulis, prædati ſunt. Quartò (quod graviſſimum eſt) epulantibus filiis filiabuſque Jobi, in ædibus primogeniti, turbo venti à ſolitudine domum concuſſam evertit, qua ruina omnes filii filiæque Jobi oppreſſi occubuere. Hæc omnia uno eodemque die evenere, quo orbis convivandi à primogenito initium capiebat. Nuntius cladis premebat nuntium, quolibet addente ſe ſolum evaſiſſe, ut mali notitiam ad Jobum enuntiaret.

Arrianus ille in Jobum ſub nomine Origenis: *Manducantibus inquit, ac bibentibus, meridiano tempore, hora prandii ſubitò Spiritus venit ab eremo. Hæc ſcientes ſancti atque horum memores quod ipſo meridiano tempore hora prandii, ruina occupati ſunt filii Iob atque mortui, oraverunt ad Deum conſervari ſicut à negotio in*

tene-

tenebris ambulante ita & ruina & à dæmonio meridiano. Sic ut enim in noctis tenebris, ſic ſimiliter in medio meridie pluriores dæmonum tentationes ſe demonſtrant, quam cæteris temporibus. Apparet in textu, quem Græculus ille legit, addita fuiſſe quædam, quæ in nullo hodie codice inveniuntur: *de tempore meridiano, de hora prandii.*

v. 10. SURREXIT] Poteſt ſitum corporis notare ſive ſeſſionis ſive diſcubitus, quem reliquerit: etiam ita ſumi poteſt, quod aggreſſus ſit hanc rem, occupatione priore deſita.

ויקרע את מעיל]. Scidit, laceravit veſtem ſuperiorem, ſicuti iu luctu ſolebant: imò in omni ſignificatione animi ægre affecti & abominantis. Gen. 37. 34. 2. Sam. 1. 2. 11. & 3. 31. Lucianus περὶ πένθους: *Καίτοι καὶ ἐσθὴς καταῤῥήγνυται καὶ κόνις ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πάσσεται.* Dionyſius Halicarnaſſenſis de Coriolano: *ἔτι δὲ μᾶλλον ἐδήλωσε τὴν γενναιότητα καὶ καρτερίαν τῆς γνώμης, ἐπειδὰν οἴκαδε ἀφικόμενος γυναικά τε εἶδε καὶ μητέρα καταῤῥηγνυμένας τοὺς πέπλους καὶ τὰ στέρνα τυπτούσας, καὶ οἷα εἰκός ἐστιν ἐπὶ τοιαύταις συμφοραῖς λέγειν τὰς ἀποζευγνυμένας ἀπὸ τῶν ἀναγκαιοτάτων σφίσι, θανάτοις ἢ φυγαῖς, ἀναβοώσας, οὐδὲν πρὸς τὰ δάκρυα καὶ τοὺς θρήνους τῶν γυναικῶν ἔπαθεν.*

ET TOTONDIT CAPUT SUUM] Aben-eſdras: *Senſus eſt, capillitium capitis ſui & ſic deponebant capita ſua in terram.* Sparſiſſe pulverem in caput, adjiciunt nonnulli Græci codices. In luctu capitis cæſariem & barbam deponere, mos fuit apud quaſdam gentes, apud alias demittere. Judæi brevem cæſariem vulgò geſtabant, ut coma non cohibita aut attonſa erat Naziræorum. Raſi tamen non erant niſi tempore mæroris & luctus. Hinc Epiphanius in Maſſalianorum hæreſi monachos crinitos redarguit: *Ἀλλὰ καὶ ἄλλο τοῦτο προσελήφθησαν οἱ αὐτοὶ τίμιοι ἡμῶν ἀδελφοί, οἱ κατὰ Μεσοποταμίαν ἐν μοναστηρίοις ὑπάρχοντες εἴτ' οὖν μάνδραις καλλυνόμενοι κόμαις γυναικικῶς περιβαλλόμενοι καὶ σάκκον προφανῆ ὑπερενδόμενοι. ἔδει δὲ τὰ τῆς ἁγίας παρθένου μητρὸς ἡμῶν τῆς ἐκκλησίας ὑπάρχοντα τέκνα σεμνά, ἐχυρά, Θεῷ λατρεύοντα κρυφίως τῷ εἰδότι τὰ κρύφια, καὶ ἀποδιδόντι ἐν τοῖς φανεροῖς, κατὰ τὸ γεγραμμένον, καὶ εὐσχημόνως διὰ τοὺς ἔξω, καὶ μὴ βούλεσθαι λαβεῖν ἀπὸ τῶν ὁρώντων τὸν μισθὸν καὶ τὴν χάριν. Ἀλλότριον γάρ ἐστι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας σάκκος προφανὴς καὶ κόμη μὴ ἐκτεμνομένη* (ita recte Salmaſius emendavit) *ἀπὸ τοῦ κηρύγματος τῶν ἀποστόλων. ἀνὴρ γάρ, φησι, οὐκ ὀφείλει κομᾶν, εἰκὼν καὶ δόξα Θεοῦ ὑπάρχων. Τί (ὃ) δὲ χεῖρον καὶ ἐναντίον, οἱ μὲν τὸ γένειον, τὴν μορφὴν τοῦ ἀνδρὸς ἀποτέμνουσι, τρίχας δὲ τῆς κεφαλῆς πολλάκις κομῶσι.* Monachi iſti in Meſopotamia, orthodoxi Maſſalianis in vivendi modo aſſimiles erant. Degebant enim vitam otioſam contra morem monachorum Eccleſiæ catholicæ & ſordes ac auſterum habitum à communi conſuetudine abhorrentem affectabant. Ideo comam muliebriter alebant, cilicio palam amicti, barba raſa: Epiphanius ab Eccleſiæ more alienum eſſe dicit cilicia palam & oſtentabundum geſtare: adverſus autem Apoſtolicum præceptum capillos promittere: ſic etiam cum apoſtolicis conſtitutionibus pugnare, quod barbam abraderent. Hæc duo apud ipſos inter ſe contraria committi, novaculam abſtinere à capite, immergere barbæ. Utroque modo virilem habitum deformari. Apoſtolicum illud præceptum abſque omni dubio manavit ex communi & recepta apud Judæos conſuetudine. Radebantur uſque ad calvitiem, in luctu, ut patet Amos 8. 10. Eſai. 3. 24. Quamvis id videatur à vicinis gentibus acceptum eſſe & inoleviſſe adverſus legem. Lex enim expreſſe ſacerdoti interdicit: Levit. 21. 15. *Non facient in capite ſuo calvitiem neque angelum barbæ attondebunt.* v. 10. *Non nudabit caput ſuum.* Quamuis hoc videatur aliud eſſe. Communiter omnibus interdicitur Deut. 14. 1. *Non facies calvitiem inter oculos tuos.*

Hic Raſi: *Apud frontem & in loco alio: Id dicit: Neque decalvabunt calvitium in capite ſuo, ut reddant totum caput, ſicut eſt inter oculos.* Aben-eſdras: *juxta conſuetudinem gentium uſque ad diem hodiernum.* In locum alium Levit. 21. 5. Raſi: *Annon etiam omnes Iſraëlitæ moniti inter oculos, fortaſſis non ſunt debitores de toto capite. Doctrinæ mens eſt, In capite ſuo: ut diſcant Iſraëlitæ à ſacerdotibus (בגזרה שוה) argumentatione à pari, dictum hic קרחה & de Iſraele קרחה. Quod hic totum caput etiam illic totum caput, videlicet omnis locus, qui in capite decalvatur.* Decalvare, non eſt idem cum tondere & radere. Fortaſſis licuit, aut vetitum non fuit radere, multò minus laxius tondere, quamvis vetitum eſſet decaluare & deglabrare. Jerem. 41. 5. Viri quidam è Sichem, Silo & Samaria adveniebant, raſi barbam, ſciſſis veſtibus & cum inciſuris ob mortem Godoliæ: hi non videntur pſilothro radices pilorum evulſiſſe. Levitic. 14. 8. Leproſus totus raditur, non decalvatur. Ita (Deut. 21. 12.) femina captiva raditur ſive tondetur non decalvata redditur. Tonſo capite (nihil de barba exprimit) venerabundus toto corpore ſe humi proſternit, ſupplici voce Dei dominationem agnoſcit cum ſumma modeſtia & demiſſione: Trimembre ejus dictum eſt.

I. Nudus egreſſus ſum ex matris utero, nudus eò revertar.
II. Dominus dedit, Dominus abſtulit
III. Sit nomen Domini benedictum.

Revertar Illuc] Aben-eſdras: *Innuit ſepulchrum notum & ſic quia tempus omni negotio eſt juxta omne opus rei. Quidam dicunt, quod ex utero matris meæ ſit terra: & notatur Adam primus, aut quod oſſa, quæ fundamenta corporis ſunt, è terra ſint aut analoga terræ.*

Primo membro fatetur, nihil ſibi proprium eſſe earum rerum, quia ad eas venerit nudus & nudus ſit abiturus. Generale eſt ad omnes homines, quamvis de ſe, quid eſſet futurum, non potuerit ſcire. Nulla certa Dei promiſſione erigi poterat in ſpem recuperandæ felicitatis & ſtatus priſtini. Nec etiam omnem ſpem abjicere, cum Dei voluntas ſit in abdito. Certum hoc erat ſe inſtar omnis carnis abiturum de ſeculo nudum & omnia deſerentem. Etiam illa, quæ adhuc in ejus poſſeſſione remanſerant. Altero membro adſcribit Deo ſolidam dandi & adimendi poteſtatem; à Chaldæis Sabæiſque averſa mente elevataque ad cælum.

Tertio fatetur, injuriam ſibi nullam fieri, nec eſſe conquerendi materiam: Laudem deberi Dei ſublimitati & ſapientiæ & benignitati. Sublimis eſt, qui omnibus præeſt in omnia: Sapiens, cujus gubernatio ratioque agendi non patet humanæ indagationi: Benignus, qui tanta bonitate immerenti indebitam præbuit copiam. Teſtatur Sp. S. Jobum in his omnibus nihil deliquiſſe, ſcilicet quod toto genere vitioſum eſſet: neque Deo attribuiſſe תפלה. Abeneſdras: *Non eſt ex ore ejus egreſſus ſermo, qui illi non conveniret.* Sic etiam Chaldæus. Nempe hactenus ſapienter & rectè locutus eſt de Deo.

Cap. II.

Simile concilium angelorum apud Deum, ſimilis Dei ſermo cum Satana: in quo tamen conſtantiæ ab ipſo Deo teſtimonium obtinuit Job. Urget Satanas & lædendi corporis obtinet poteſtatem, non ad mortem. Deus igitur ipſe Jobi victoriam adverſus primos Satanæ inſultus celebrat. De hac & ſequenti ita Tertullianus libro de patientia: *O feliciſſimum illum quoque qui omnem patientiæ ſpeciem adverſus omnem Diaboli vim expunxit. Quem non abacti*

greges

greges, non illæ in pecore divitiæ, non filii uno ruinæ impetu adempti, non ipſius denique corporis in vulnere cruciatus, à patientia (fide Domino dedita) excluſit, quem Diabolus totis viribus fruſtra cecidit. Neque enim à reſpectu Dei tot doloribus avocatus ille eſt, ſed conſtitit nobis in exemplum & teſtimonium, tam ſpiritu, quam carne; tam animo, quam corpore, patientiæ perpetrandæ; ut neque damnis ſecularium, nec amiſſionibus chariſſimorum nec corporis quidem conflictationibus ſuccidamus. Quale in illo viro feretrum Deus de Diabolo exſtruxit? Quale vexillum de inimico gloriæ ſuæ extulit, quum ille homo ad omnem acerbum nuntium, nihil ex ore promeret, niſi Deo gratias, quum uxorem jam malis delaſſatam & ad prava remedia ſuadentem exſecraretur? Quid? Ridebat Deus. Quid? Diſſecabatur malus, quum Iob immundam ulceris ſui redundautiam magna æquanimitate deſtringeret, quum erumpentes beſtiolas inde, in eoſdem ſpecus & paſtus foraminoſæ carnis ludendo revocaret. Itaque operarius ille victoriæ Dei, retuſis omnibus jaculis tentationum, lorica clypeoque patientiæ & integritatem mox corporis à Deo recuperavit & quæ amiſerat reduplicata poſſedit. Et ſi filios quoque reſtitui voluiſſet, pater iterum vocaretur: ſed maluit in illo die reddi ſibi tantum gaudii: ſecurus ſic de domino diſtulit. Suſtinuit tam voluntariam orbitatem, ne ſine aliqua patientia viveret. Adeo ſatis idoneus patientiæ ſequeſter Deus &c.

In colloquio Satan ita victoriam primam elevat, ut de corpore nondum certatum eſſe jactet. Pellem pro pelle] Græci δέρμα ὑπὲρ δέρματος. עור בעד עור in Hebræo. Mercerus: Q. D. *Dat, darè ſolet vir cutem pro cute & omnia ſua pro anima ſua, id eſt ut vitam ſervet. Sunt ex Hebræis,* (ita Abeneſdras) *qui exponant, quod homo membrum membro ſoleat obtendere, ut ſi plaga capiti vel oculo inferatur, obtendit brachium: ut quod pretioſius eſt ſervet. Sed ad mortem filiorum, de qua ſupra dictum eſt puto reſpici, quaſi dicat Satanas, Cutem alienam pro cute ſua & quicquid habet etiam proprios liberos exponet homo, ut vita ſua pareat, ut ipſe evadat, q. d. Amiſit quidem facultates & liberos Iob ſed præclarè actum adhuc ſecum putat, quod ipſe ſalvus evaſerit: & quia ipſe adhuc ſuperſtes eſt non curat aut certè levius & æquiore animo fert jacturam facultatum & liberorum.* Si igitur Deus in ejus corpus mala immittat, illicò blaſphematurum.

v. 6, Dominus Satanæ: *En ipſe in manu tua: verum animam ejus ſerva,* Anima pro vita: Ne elidat animam ejus. Ut morte afficias tibi non licebit.

v. 7. *Percuſſit Iob ulcere malo à planta pedis uſque ad verticem ejus*] Satan accepta poteſtate protinus Job affligit immiſſo peſſimo genere ulcerum, quod graviſſimis eum cruciatibus torſit. Mercerus. *Quod fuerit morbi genus incertum eſt. Sunt qui putent Elephantiaſin aut lepram fuiſſe. Sed veri ſimile eſt longè gravius fuiſſe malum, & quali forſan nunquam quiſquam hominum laborarit, cujus gravitate eò impatientiæ redactus fuerit Iob, ut Dominum injuſtitiæ accuſarit, ſibi injuriam fieri putans, cum eſſet innocens &c.* Lyranus: *Non ſolum percuſſit eum enormiter ſed & generaliter.* Tertullianus (ſecutus verſionem Græcam è v. 9.) ſupra vermes ebulliiſſe putat, quod genus morbi appellatur Φθειρίασις. Σκωληκόβρωτος γενόμενος dicit de Agrippa Sp. S. Act. 12. 23. Non aliter ſenſere Cyprianus & Chryſoſtomus &c.

v. 8. TESTA SE SCALPSIT, CONSEDIT IN CINERE] Teſtam forte ſumpſit, quia ungues corroſi erant. Lyranus: *Solent ulcera liniri per unguenta & hujuſmodi: ſed hic è converſo fuit appoſitio duri.* q. hoc fuerit conſtantiæ aut pœnitentiæ ſive humilitatis. Non eſt credendum, Job ſibi ipſi voluiſſe afflictionem addere, teſtam adhibendo: nec tanta erat inopia, ut vilia linteamina & panniculos non potuerit ſibi comparare. Fortaſſis id fecit, ut prurigini ſatis faceret. In cinere dicitur conſediſſe, בתוך האפר *in me-*

in medio cineris. Aben-eſdras: *Per modum luctus, erat indutus cilicio & conſidebat in cinere. Eſt qui dicat quod ſeſſio in cinere fuerit ut ulcera infrigidaret. Neceſſe erat hanc medelam afferre, quia ulcus erat calidum & humidum.* Lyranus hoc etiam ad humiliationem & pœnitentiam refert: *Solet enim dolor mitigari per amoenitatem & ſuavitatem loci: ſed hic fuit contrarium videlicet ſterquilinium. Hujus autem potuit eſſe duplex cauſa: Una, quia Iob erat ita depauperatus, quod non poterat habere talia fomenta: quia data fuerat poteſtas ipſi Satan in omnibus bonis Iob; & ideo non eſt veriſimile, quod ei reliquerit aliquid, quod eſſet ei ad conſolationem. Alia cauſa, quia Iob ultrà afflictionem ſibi datam etiam addebat, teſta radendo ſaniem & ſedendo in loco fœtido: ut ſic citius imploraret Dei miſericordiam.* Videntur etiam Græci ſenſiſſe ita, quum addant Job extra urbem ſediſſe in ſterquilinio ἐκάθητο ἐπὶ τῆς κοπρίας ἔξω τῆς πόλεως. Non fuit ita pauper redditus, amiſſione bonorum externorum, quæ habebat in pecore & liberis, ut nihil ei ſuperfuerit. Nam retinuit agrorum, retinuit domorum, adeoque ædium, quas inhabitavit, proprietatem, habuitque quæ ad ſuſtentationem liberalem abunde ſufficerent. Sed amiſſio tantorum bonorum & miſerrima afflictio corporis patientiam fatigabant, quia etiam uſus adimebatur eorum quæ domi poſſidebat. Lugentes etiam, ut obſervat Druſius, non ſedebant in ſterquilinio ſed cinere.

v. 9. Uxor maritum ita affectum videns, ad eum dixit: *Adhuc tu retines perfectionem tuam? Maledic Deo & morere.*] Hic Græca verſio mirè luxuriat, paraphraſin moliens textui Hebræo, more ſuo: *Cum tempus multum proceſſiſſet, dixit ipſi uxor ejus: Quandiu perdurabis, dicens, Ecce tempus adhuc exiguum perſto operiens Spem ſalutis meæ: Ecce enim memoria tua è terra deleta eſt: Filii & filiæ, ventris mei partitudo & dolores, de quibus in vanum cum miſeriis laboravi. Tuque ipſe in putredine vermium ſub dio conſides, egoque errans & mercenaria locum è loco, & domum è domo operiens ſolem occubiturum, ut requieſcam à laboribus & doloribus meis, quæ me nunc premunt. Sed dic aliquod verbum adverſus Dominum & morere.* Quantum temporis interceſſerit inter primum ſecundumque inſultum, non aperit Scriptura: nec dicit longum tempus interveniſſe inter initium plagæ ulcerum & alloquium ſeu redargutionem uxoris. Salianus notat tres ſententias eſſe de diuturnitate afflictionis. Primam ſtatuere, quod aliquot menſium fuerit: alteram annis eam tribus cum dimidio definire: tertiam ad ſeptimum annum extendere. Primam eſſe Chryſoſtomi in hom. 5. ad pop. Antiochenum, *Ipſaque peſte* inquit *erat fœtor ille moleſtior: idque non duodecim non viginti, non centum dies, ſed multos menſes.* Idem Origenes ille falſus aut interpolatus probat ex illis Jobi verbis, quibus ſe menſes ſupervacuos habuiſſe queritur. Refutatque eos, qui ſtant pro ſecunda opinione, jactantes id tempus fuiſſe in figuram diuturnitatis prædicationis Chriſti. *Hoc nimirum*, inquit, *non diuturno annorum ſpatio, ſed breviſſimo menſium tempore irrefutabiliter conſummatum eſt. Hujus namque rei teſtis comprobatur etiam ipſe Iob dicens, Suſtinui menſes ſupervacuos, non annos ſed menſes.* Vide multa alia argumenta congerentem. Judæi in Seder olam, plagas Jobi & Ægypti duodecim menſium putant fuiſſe. Septem annos ponit Cyrillus Alexandrinus, in comment. in Job, apud Anaſtaſium epiſcopum Nicenum in quæſt. in Scripturam: Olympiodorus in Catena & Suidas. Hanc arripiunt eruditi Jeſuitæ. Hanc ſibi placere dicit Salianus, cum hoc temperamento, *ut non ſeptennium ſub dio in ſterquilinio nudum hyemes atque æſtates jacuiſſe* credat, *ſed is fuerit hujus quaſi tragœdiæ ſeptimus calamitatis actus.* Hinc ita diſſerit: *Primum enim internis, ut videtur, doloribus correptus affigitur lecto: advocantur illico medici, adhibentur curationes ſucceſſu pene nullo, una ægritudine nonnihil remittente aliæ intenduntur, novæ etiam ſuccreſcunt, &*

interna

interna foras erumpunt: res familiaris in remedia conſumitur. Neque enim credibile eſt hunc ſapientem virum ab iis abhorruiſſe, quantumvis exploratum haberet hac ſibi divinitus contigiſſe: cumque dudum greges & armenta periiſſent & plurima domi uxor, cognati, famuli, ut in re deplorata compilarent, fundi denique domuſque diſtrahuntur. Septimo tandem anno, cum horrenda lues totum corpus occupaſſet neque ſpectaculum oculis, neque naribus fœtor ulli eſſet ultra tolerabilis: ſed tetram undique exhalaret mephitin, qua tecta omnia perfuſa inficerentur: ex urbe quaſi mortui cadaver, certè animam agentis effertur & in ſterquilinio deponitur. Id verò cum omnium conſpectibus eſſet objectum, omnium ſermonibus, tanquam res admodum inſolens, ubique vulgatur. Quo tempore amici tam inaudito rumore icti, qui domi agrotantem per nuntios de more viſitarant, eodem per ſeſe ipſos tum venere. Itaque Olympiodorus longo denique intervallo ad Iobum veniſſe dicit, ſed cauſas nectit hujusce tarditatis minus meo judicio, veriſimiles. Et LXX. ad idem reſpexere tempus, cum de uxore Iobi, quam certiſſimum Diaboli telum vocat Chryſoſtomus, ita loquuntur: Cum autem multum tempus proceſſiſſet, dixit ei uxor ſua, Quouſque &c. Sic fabulis dedit occaſionem verſio τῶν ό, quia de ſterquilinio & longo tempore & vermibus loquitur.

Sermonem uxoris illi ipſi LXX. & ex eis interpretes Græci, communisque conſenſus accipiunt ita in malam partem, quaſi maritum jurgio impellere conata ſit, ut blaſphema adverſus Deum loqueretur, indignantem de tot malis, quibus premebatur. Quidam putant voluiſſe, ut irritaret Deum, quo percuſſus cum vita finiret dolorum intolerabilem acerbitatem. Placet illorum ſententia, qui exiſtimant eandem illius fuiſſe ſententiam, quæ fuit amicorum trium, ut fateretur ſe impium eſſe hypocritam qui juſtam vindictam numinis experiretur. Proinde daret Deo laudem juſtitiæ ſeque morti imminenti componeret. Increpat eam Job, quod malè de Deo ſentiret, quaſi nulli niſi impio juſte inferre mala poſſet: Immerentibus dari bona à Deo, & æquum eſſe, ut mala æqua mentè acciperent, qui bona acceperant.

Spiritus S. attribuit Jobo ſecundam victoriam: Eum hactenus non peccaſſe labiis. Cyprianus in libro de bono patientiæ Jobi iſtam virtutem ita celebrat: *Sic Iob examinatus eſt & probatus eſt, ad humanum faſtigium patientia laudis virtute provectus. Quanta adverſus eum jacula Zabuli emiſſa? quanta admota tormenta? jactura rei famuliaris infligitur, numeroſa ſobolis orbitas irrogatur, dives in cenſu dominus & in liberis pater ditior, nec dominus repente nec pater eſt, accedit vulnerum vaſtitas, & tabeſcentes ac defluentes artus, vermium quoque edax pœna conſumit. Ac ne quid omnino remaneret, quod non Iob in ſuis tentationibus experiretur armat Zabulus & uxorem illo antiquo nequitia ſua uſus ingenio, quaſi omnes per mulierem decipere poſſet & fallere, quod fecit in origine: nec tamen Iob gravibus ac denſis conflictationibus frangitur, quo minus inter illas anguſtias & preſſuras ſuas Dei benedictio, victrice patientia prædicetur.*

Fama calamitatum Jobi, præcipuè graviſſimæ plagæ ulcerum excivit tres amicos, qui ſapientiæ laude inſignes erant, eumque puriſſimo affectu dilexiſſe videntur. LXX. eos reges fuiſſe arbitrantur, & ejuſdem cum Jobo ordinis. Quod nullo indicio patet, nec convenit hiſtoriæ & narrationi. Eliphaz Themanita fuit è Theman Eſavi nepote ex Eliphaz, unde tribus Themanitarum & phylarcha. Hic igitur notæ originis. Abeneſdras de tribus iſtis ita commentatur: Primò de Elifaz Themanita: משפח' תימן בן אליפז בן עשו והקרוב שהיה קרוב מימי משה כי לא יתיחש לתימן כי אם אחר דורותן וחכ' ז"ל אמרו כי משה כתב ספר איוב והקרוב אלי כי הוא ספר מתורגם על כן הוא קשה בפירוש כדרך כל ספר מתורגם:

Familiæ Theman filii Elifaz, filii Eſau. Conſentaneum vero eſt, quod fuerit vicinus temporibus Moſis, quia generis recenſio non poteſt deduci ad Theman niſi poſt aliquas generationes. At ſapientes b. m. dicunt, quod Moſes ſcripſerit librum Iob: eſt que mihi probabile, quod hic liber tranſlatus ſit ex alio ſermone: propterea difficilis eſt expoſitio ut omnis liber tranſlatus. השוחי] LXX. Sauchæorum tyrannus: Σαυχίων τύραννος. Abeneſdras: *E filiis Cetura, uxoris Abraham* (Gen. 25. 2.) Iſbac & Sue. הנעמתי] LXX. Σωφὰρ Μιναίων βασιλεύς. Id fortaſſis corruptum, uti & Mercerus exiſtimat pro Νομαίων aut Νομαδαίων. Quamvis etiam apud Dionyſium Afrum inveniatur Minæorum populus:

Minneique maris prope Rubri littora vivunt.
Atque Saba poſt hos, nec non habitant Cletabeni
Arabiæ populi celebres hi nomine claro.

Jobi interpres ſub nomine Origenis appellat Nomadas.

Ex locis diverſis tres amici convenere, cumque eum procul conſpexiſſent &c. Origenes ille exaggerat miſerias uxoris Jobi è Græco textu: dicit amicos inveniſſe Jobum ſuper acervum ſtercoris, ſuper muranam in via publica. Ipſum eos deduxiſſe in urbem & domum ſuam. De laceratione veſtium, conſperſione pulveris & ſeptiduana ſeſſione per ſilentiam ita: *Conſuetudo erat omnibus antiquis ubique, ut cum grave aliquid atque lamentabile vel periculoſum audiſſent vel ſuſtinuiſſent, continuò veſtimenta ſua ſcinderent & cinerem atque terram capiti ſuo ſpargerent, cilicio nihilominus continuo ſe inducentes. Sic ſcidit olim Iacob veſtimenta ſua & cilicium impoſuit corpori ſuo, quando nuntiata eſt ei Ioſeph interitio: & ut de quam plurimis ſileam, ſic ſcidit David cum Sichelech ab Amalechitis captam invenit, & iterum quando Sauli & Ionatha mortem audivit. Sic ſcidit Ezechias quando minas ac blaſphemias Senacherib & Rhapſacis audivit. Sic ſcidit rex Ninivitarum veſtimenta ſua, & cilicio ſe induens in cinere ſedit, quando à Iona propheta de Ninives ſubverſione audivit. Sic ſcidit ultimus in lege Iudaorum princeps ſacerdotum cum adverſus dominum blaſphemiam quæreret, ex quo Iudaorum ſacerdotum, & omnis Iudaorum legis ritus conſciſſus atque diſtractus penitus interiit. Iuxta hanc ergo antiquorum conſuetudinem etiam viri illi Iob amici cum terribiles Iob conſpexiſſent dolores, ſcindentes veſtimenta ſua, & ſpargentes terram ſuper capita ſua, aſſederunt illi ſeptem diebus & ſeptem noctibus. Aſſederunt illi ſicut medici ad infirmum, ſed ſanitatis medicamina invenire non potuerunt ægroto. Aſſederunt illi tanquam conſolatores dolentis, ſed conſolationem invenire non potuerunt miſerabili. Aſſederunt illi. Et ubi aſſedorunt? Foris in murana atque in acervo ſtercoris & in ſtrata? Non, abſit. Non enim tanta multitudo dolorum inundaverat Iob, ut ille honorem ad ſe venientium non intelligeret, ut dignitatem præſentium non conſideraret. Quandiu ergo venirent illi viri, ille uſque foris in murana, in ſtrata omnibus evidenter oſtendens paſſionem ſuam, & quia cum eſſet juſtus vehementes ſuſtinuerit dolores. Poſtquam verò memorati viri venerunt, deferens honorem ſinceritati eorum, & honorificans perſonas eorum introivit in civitatem, & ſedit in domo: & ita venerabiles iſti viri ſederunt apud eum ſeptem diebus & noctibus. Hebdomada dierum ei aſſederunt, ex qua hebdomada totum hoc conſummatur ſeculum. Aſſederunt ei ſeptem diebus & ſeptem noctibus, indivulſi, inſeparati atque indiſſociati. Aſſederunt illi ſeptem diebus & ſeptem noctibus, nuſquam diſcedentes, nuſquam recedentes, neque ad eſcam, neque ad potum, neque ad lectum, neque ad aliud refrigerium. Sed forſitan dicet aliquis: Et quomodo ſuſtinuerunt non manducare, neque bibere ſeptem diebus? Primum quidem divina erant virtute confortati, tam pro Iob, quam pro ſua ſynceritate. Nam juſti erant viri iſti atque religioſi, merito & Dei colloquio poſt*

hoc

hoc digni habiti ſunt. Dei itaque virtute atque providentia confortati ſuſtinuerunt. Item adhuc iſti viri aliter venerunt, & videntes obſtupuerunt, & immenſo dolore atque triſtitia atque gemitu repleti ſunt. Aſſederunt ei ſeptem diebus & ſeptem noctibus ipſa triſtitia atque ipſis doloribus ſaturati, ipſis vocibus ſatiati, ipſis lachrymis inebriati. Sic Origenes ille.

Non crediderim impaſtos totis diebus noctibusque ſediſſe, ſed ſumpſiſſe neceſſaria, ſuis horis & temporibus. Iterum idem: *Propterea aſſederunt illi ſeptem diebus & ſeptem noctibus, inclinatis deorſum ad terram faciebus. Aliquando autem intendentes in illum & viſionem plagæ illius ſtupentes, continuò identidem dejiciebant facies. Aliquando ſe genibus imponentes, aliquando autem ſuper manum incumbentes, non in lectulis neque in grabatis, neque in ſtraminibus requieſcentes, ſed procul dubio in cinere & cilicio, in terra ſedentes atque in Iob intendentes, quando ſedebat, ſedebant, ſi tamen omnino præ doloribus aliquando jacere poterat. Sic namque in gemitibus ac ſuſpiriis iſtos ſeptem dies peragentes, aſſederunt illi, os non aperientes neque verbum loquentes, niſi tantum graviter ſuſpirantes atque ingemiſcentes.* Illud etiam notat hos amicos Jobi aſſediſſe *tanquam religioſos Dei cultores, non quærentes neque maleficia neque auguria, neque divinationes, neque phylacteria neque lamellas neque incantationes damnabiles.*

Dehinc (cap. 3.) Job victus dolore & tædio diei natali ſuo maledixit, mortem optavit, ſtatum ſuum deploravit ita miſerandum, ut optet ſe ab utero matris fuiſſe exſtinctum. In quo quidem defendi à lapſu non poteſt, ut facit ille Origenes, ut alii patrum, quia vident tantopere ejus patientiam prædicari à Sp. S. non tamen impietatis damnari debet, ut faciunt Judæi. Lapſus eſt non ſuccubuit. Hinc prolixa & erudita & acris diſceptatio inter Job & tres ejus amicos habita eſt. Eliphaz Themanita, qui ætate aut dignitate præcedebat, primus ſermonem orſus eſt, poſt eum loquitur Baldad Suhita, ultimo loco Sophar Naamathita: quibus ſingulis copioſe à Jobo reſponſum eſt. Argumentum amicorum fuit: Neminem niſi impium à juſtiſſimo Deo affligi: unde ſequi, quod Job in tantam miſeriam è florentiſſimo ſtatu dejectus, ſceleribus ſe polluerit & tantam Dei provocaverit iram. Job autem id negat: Deum autem pios affligere & impios ſine diſcrimine, ut pii ſæpe gravius premantur. Hactenus benè, at adeò effertur in agenda cauſa, dolens ſuam vicem, invidens felicitati impiorum, exacerbatus contentione graviora improperantium, ut penè Deo injuſtitiam aut inconvenientiam in ſe affligendo attribuat. Hæc autem quæ intemperantius locutus eſt nullo modò certa apud ſe, tanquam certa & rata non conſtituit, ſed æſtu quodam abreptus effudit: quia valde difficile eſt, ut ſe contineat homo, quin multæ illi perturbationes excidant. Diſputant de ſublimitate Dei & ſanctitate, quo multa afferunt acute & facunde. In ſumma rei de Deo verius locutus eſt Job, ut ipſe Deus tandem atteſtatur quam amici quamvis æſtu perturbationum abreptus adverſus Deum ſe intemperantius extulerit. Inter diſputandnm oſtendit, quo in ſtatu quantoque ſplendore eminuerit, in quem nunc ſit præcipitatus contemptum, quo ſtudio bona opera coluerit, inſignis omni humanitate, comitate, munificentia, hoſpitalitate, averſus à fraudibus, adulterio, idololatria, injuriæ omni genere. Hæc in capp. 17.29.30.31. Cum autem referat ſe in præſenti contemptum eſſe & vilem, rideri à pueris & abjectiſſimis in plebe, in concione & publice ſubſannari, olim, cum juvenis eſſet, floruiſſe ſumma felicitate, videtur hinc patere quod illa paupertas Jobi & abjecta conditio longo tempore duraverit: quod diſceptatio iſta cum amicis habita fuerit, poſtquam ex ulceribus illis (ſaltem pro parte) convaluiſſet & quidem in poſtremo tempore abjectiſſimi ſta-

 tus,

tus, jam jam in melius commutandi. Elihu filius Barachel Buzita è familia Ram, cum conticuiſſent tres illi, ſuſcipit ſermonem, medius inter Jobi & amicoum contentionem. Dei juſtitiam defendit, cujus viæ ſint imperveſtigabiles.

Tandem (cap. 38. 39. 40. 41.) Deus Jobum è turbine affatur ſuamque magnitudinem & ſublimitatem è quibuſdam in natura operibus declarat. Cum enim non ſatis domitus eſſet Job ſermonibus & rationibus, quas Elihu attulerat majeſtatis ſuæ ſenſum illi ex turbine exhibuit & ipſe immediate cum eo loqui voluit. In cap. 42. hæc ſcripta ſunt: Job humillimè fatetur peccatum idque deprecatur. Fatetur ſe de Deo locutum eſſe per ignorantiam & temere garriſſe. Nimis enim alte ſe immiſerat in conſilia Dei. Calvinus: *Hic verò nobis notandum eſt, cur Iobus dicat ſe ignarum & imperitum fuiſſe: nempe, propter arcanorum, de quibus verba facere volebat, ſublimitatem. Dei manum ſentiebat, ſed non comprehendebat, cur ita deberet affligi, exinde in altas & profundas tentationes ingreditur. Quidnam hoc ſibi vult, quod ad ſummum uſque premor? An non Deo ſatis eſt quod pereo? Vellem me præcipitem in abyſſum egiſſet, hic me languere cogit. Cognoſcit nihil eſſe in me præter fragilitatem, me eſſe tam miſeram creaturam, cur igitur patitur me tandem in tanta extremitate verſari? Etiamſi omnium nequiſſimus & ſceleratiſſimus eſſem, non poſſet me durius & aſperius tractare: & tamen ſcit me ipſum in integritate coluiſſe, nec talem eſſe ut debeam ab hominibus reprobari. En igitur diſceptationes, in quas Iob ingreſſus eſt* &c.

v. 5. Auditu auris audiveram te, nunc autem oculus meus videt te] Calvinus: *Q. D. Domine, verum eſt me anteà audiviſſe, quum verba ferent de tua majeſtate, ſed nunc ipſam alia ratione cognoſco: & quidem ut me tibi penitus ſubjiciam. Iobus hic comparationem inſtituit inter cognitionem, quam prius habuerat & revelationem, in qua Deus ſe ipſi patefecerat, ut confuſus eſſet & afficeretur eo timore Dei, ut nihil aliud ipſi ſupereſſet, quam Deo gloriam tribuere, quod illum facere videmus.* Abeneſdras *μάλα ἰουδαϊκῶς* id eſt dilutè interpretatur de eo, quod nunc Spiritum propheticum acceperit, antea tantum auditu & fama intellexerit de prophetico ſpiritu, qui in Abraham, Iſaac, Jacob fuiſſet. *In ſacco & cinere pænitentiam* ſe narrat agere, quod de externo facto commode accipi poteſt.

v. 7. Deus Elifaz Themanitam deinde allocutus eſt, dicens ſe iratum illi & duobus ſociis eſſe, quod non eſſent locuti apud ipſum rectum; ut ſervus ſuus Jobus. Elifaz iſte major & dignior reliquis, compellatur à Deo, ut quod commune eſſet, ſociis duobus enunciaret.

v. 8. Jubet eos ſacrificio & interpellatione Jobi reconciliationem quærere, ne ignominia afficiantur, ob crimina ſermonis. Lapſi erant ſermone primò, quia malè judicaverant de afflictione Jobi, condemnantes Jobum, eò quod manu Dei percutiebatur: Deinde, quod Deum ſolos impios non pios affligere diſputaſſent. Septem vitulos & ſeptem arietes in holocauſtum jubentur immolare, ut expientur. Abſurdum eſt quod Judæi, Aben eſdras & Ralbag putant, Jobum recta locutum eſſe tantum, cum ab alloquio Dei ſapere didiciſſet. 'אחר ששב אל האמת והורה לדברי השם ית / ita Ralbag. Abeneſdras: שהורה ואמר ונחמתי. Jobum malè diſputaſſe adverſus Dei providentiam rebus humanis particulariter præſidentem, cæterum bonis rationibus; unde ſententiæ veræ affinis magis fuerit, quam tres ſocii, qui malis rationibus verum propugnabant. Ralbag: *Et profectò Eliphaz, Baldad & Sophar, liberarunt Deum bened.* (מהעול) *ab iniquitate malis rationibus* בטענות כוזבות. Cum Jobus Dei iram à ſociis deprecatus eſſet, Deus Jobum è ſua miſeria liberavit. Deus faciem Jobi accepit. Hic Abeneſdras: *Deus faciem juſtorum accipit in hoc ſeculo ſed non*

ita

ita in ſeculo futuro: Abſit autem quod Deus fecerit ſtultitiam, at propterea quod erant ſocii Iobi, qui juſtificaverant Deum, ſi Deus induceret ſuper illos malum, dixiſſent errantes ſpiritu: Ecce iſte locutus eſt ſtultitiam: at verba Iob & ſociorum amplius exponam & in quo erraverint. Et dicebat Deus, quod *eſſent ituri ad Iob, propterea quod eum condemnaverant ſine cauſa: Et ecce declaratum eſt, quod Iob perfecte juſtus fuerit.* Id notabile, quod Job dicatur reſtitutus eſſe, cum pro amicis oraret Deo ita coronante dilectionem proximi, quæ injuriam promptè condonat. Miſeria Jobi appellatur Captivitas שבית / quia captivus erat in poteſtate Satanæ, eduxit eum ex illius poteſtate. Malè.

Cum Job è ſua miſeria convaluiſſet: cum facultates redirent, cumque non ſine numine, novo incremento, attolli eum viderent, fratres ſororeſque & familiares congratulatum & conſolatum venere, epulatique apud eum, quiſque largiebatur קשיטה & נזם auream. At Dei benedictione ſupra modum augente hominem, quæ amiſerat, in duplum recepit; Quatuotdecim millia ovium, ſex millia camelorum, mille boum juga, & mille aſinas. Septem filii & tres filiæ ipſi nati ſunt. Filiarum nomina Sp. S. exprimit: Jemimam, Caſiam, Ceren-happuch. Eas forma ſuæ ætatis feminas anteiiſſe: patremque eis hæreditatem inter fratres aſſignaſſe: quod fuit contra communem earum gentium morem.

Poſt reſtitutionem vixit annos centum & quadraginta: viditque ſobolem quartæ generationis. Græca editio habet in v. 16. ἔζησε δὲ Ἰὼβ μετὰ τὴν πληγὴν ἔτη ἑκατὸν ἑβδομήκοντα, τὰ δὲ πάντα ἔτη ἔζησε διακόσια τεσσαράκοντα. Hic Græcos rejiciendos eſſe & ſtandum Latinæ editioni ac Hebraicæ veritati Pineda & Pererius exiſtimant. Hebræus textus tacet quot anni fluxerint ante finem calamitatum: Patres & Jeſuitæ ſeptuaginta fluxiſſe volunt è verſione Græca. Chryſoſtomus, Olympiodorus & alii tenent ſeptem fuiſſe in calamitate, unde ſequitur 63. habuiſſe, cum affligi inciperet. Pineda judicat hoc modo nullam eſſe proportionem inter annos ante calamitatem & poſt eam. Sane, anni ſeptuaginta duplicati faciunt annos centum quadraginta, & videtur convenire, (ut ſentiunt Hebræi) quod reſtitutus præteritum vitæ tempus duplicaverit, non autem quod plus duplo vixerit, quam ante tranſegerat. Hinc Bolducius putat illos 140. annos Hebræi & Latini codicis non deſumi à fine ſeptuaginta annorum, à quibus calamitas finem habuit, ſed ab ultimis illis, quæ poſt calamitatem finitam evenerunt & verſibus 13. 14. 15. continentur. Hæc hariolatio eſt, quæ non facile admittetur. Nam 140. anni habuerunt omnia, quæ à primo initio reſurrectionis facta ſunt, ut ipſa συνάφεια videtur indicare. Ita in v. 16. dicitur, in quibus vitæ annis illa trium verſuum contigerint, & omninò omnia uſque ad finem ævi quo Job vixit.* Si ſeptuaginta annos vixerit, ante finitam calamitatem & poſt eam annorum iſtum numerum duplicaverit, habentur 210. anni, quot Iſraelitæ (juxta Hebræos) egerunt in Ægypto. Unde conjiciunt ſub ingreſſu Jacobi in Ægyptum natum eſſe, cum egreſſu Iſraël ex Ægypto obiiſſe. Illud de duplicatione inane commentum eſt quia non ſequitur, ſi bona in duplum receperit, quod & annos. Secundum ſeptuaginta interpretes diſſonantia eſt triginta annorum à veritate Hebræa, niſi textus Græcus jam olim corruptus fuerit. Suidas ſcribit vitæ tempus conduplicatum fuiſſe, χρόνον ζωῆς διπλασιαζόμενον. Puto legiſſe ita ut poſt calamitatem attributi ipſi fuerint anni 140, quemadmodum eſt in Hebræo. Additum eſt aſſumentum aliud: γέγραπται δὲ αὐτὸν πάλιν ἀναστήσεσθαι μεθ' ὧν ὁ κύριος ἀνίστησιν. *Scriptum autem eſt ipſum iterum reſurrecturum eſſe cum illis, quos Dominus ſuſcitabit.* Si hoc ſit à Judæis Helleniſtis, nihil aliud, quam ultimam

reſurrectionem notat: ſi à Chriſtianis, ſignificat, quod multi veterum volunt, cum Domino Jeſu è mortuis eum reſurrexiſſe. Ego prius malim. Suidas: ὁ τῶν κερδάνας τῶν ἑαυτοῦ τὸ πλάτος πλοῦτον καὶ ἔχειν, τὸ μετὰ χριστοῦ συναναστῆναι καὶ τὸν τῆδε κόσμον διάπεραν πάλιν μετὰ τοῦ σώματος &c. Reſurrexiſſe cum Domino & in cælum evectum eſſe?

Filiarum Jobi nomina non filiorum expreſſa ſunt: quia ſpecie ſupra feminas ſui temporis eminuerunt: unde conditiones videntur obtinuiſſe, quibus excelſere ſortem fratrum. Nomina illis impoſuit pater, pro eventu & caſu, vel pro formæ & morum amœnitate non ex cognatione. Nomina etiam in textu Græco ſunt poſita pro arbitrio interpretum, ימימה / ἡμέρα; קרן הפוך / κέρας ἀμαλθείας &c. Amaltheæ cornu de affluentia & copia rerum omnium. Suidas, ἐπὶ τῶν ἀφθόνως ζώντων καὶ εὐημερούντων καὶ εὐπραγούντων.

Ἔνθ' ἵνα μοι βίος ἐστὶν Ἀμαλθείας κέρας αἰγός. Origo proverbii è fabulis eſt.

Ovid. Faſt. lib. 3.

Naïs Amalthea, Cretæa nobilis Ida,
Dicitur in ſylvis occuluiſſe Iovem.
Huic fuit hædorum mater formoſa duorum,
Inter Dictæas conſpicienda greges,
Cornibus aëreis atque in ſua terga recurvis,
Ubere, quod nutrix poſſet habere Iovis.
Lac dabat illa Deo: ſed fregit in arbore cornu,
Truncaque dimidia parte decoris erat.
Suſtulit hoc Nymphe cinxitque recentibus herbis,
Et plenum pomis ad Iovis ora tulit.
Ille ubi res cœli tenuit, ſolioque paterno
Sedit & invicto nil Iove majus erat,
Sidera nutricem, nutricis fertile cornu
Fecit, quod dominæ nunc quoque nomen habet.

Alii volunt Acheloi ab Hercule defractum cornu, factum eſſe cornu copiæ Sic enim apud Ovid. Metamorph. lib. 9. ipſe refert Achelous:

Cornua figit humo, meque alta ſternit arena.
Nec ſatis hoc fuerat, rigidum fera dextera cornu
Dum tenet, infregit, truncaque à fronte revellit.
Naïades hoc pomis & odoro flore repletum
Sacrarunt diveſque meo bona copia cornu eſt.

Suidas tertiam filiam Jobi non dicit appellatam eſſe κέρας Ἀμαλθείας ſed Ἀμαλθείας κερατωνυμίας: forte decurtata locutione. Significare voluerunt LXX. beatum & opimum ſtatum, in quem nunc à Deo Jobus reſtitutus eſſet, aſſumpto vocabulo proverbialiter id notante. Abeneſdras: ימימה] Senſu (Levit. 25. 29.) Anno erit reſtitutio ejus. קציעה] Senſu (Pſ. 45. 9.) Myrrha & aloë, caſia. קרן/ הפוך] Ex (3. Reg. 9. 30.) Et poſuit in ſtibio oculos ſuos. פוך ſignificat pigmentum oculorum & genus lapidis. In poſteriori notione habe-

habetur 1. Chronic. 29. 2. & Eſai. 54. 11. Vulgatus vertit *Cornu ſtibii*. Ita formæ pulchritudo notata eſt.

Finem huic commentario de Jobo imponet Auguſtini locus è libro decimo octavo de civitate Dei cap.47. *Quapropter quiſquis aliengena, id eſt, non ex Iſraël progenitus, nec ab illo populo in canonem ſacrarum literarum receptus, legitur aliquid propheta ſſe de Chriſto, ſi in noſtram notitiam venit aut venerit, ad cumulum à nobis commemorari poteſt: non quod neceſſarius ſit etiam ſi deſit, ſed quia non incongruè creditur fuiſſe & in aliis gentibus homines, quibus hoc myſterium revelatum eſt, & qui hoc etiam prædicere impulſi ſunt, ſive participes ejuſdam gratiæ fuerint, ſive expertes, ſive per malos angelos docti ſunt, quos præſentem Chriſtum, quem Iudæi non agnoſcebant, ſcimus fuiſſe confeſſos. Nec ipſos Iudæos exiſtimo audere contendere, neminem pertinuiſſe ad Deum præter Iſraelitas, ex quo propagatio Iſrael cæpit eſſe reprobato ejus fratre majore. Populus enim revera, qui propriè Dei populus diceretur, nullus alius fuit. Homines autem quoſdam non terrena ſed cæleſti ſocietate ad veros Iſraelitas, ſuperna cives patria pertinentes, etiam in aliis gentibus fuiſſe negare non poſſunt quia ſi negant, facillimè convincuntur de ſancto & mirabili viro Iob, qui nec indigena nec proſelytus id eſt advena populi Iſraël fuit: ſed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus eſt: qui Divino ſic laudatur eloquio, ut quod ad juſtitiam pietatemque attinet, nullus ei homo ſuorum temporum coæquetur. Quæ tempora ejus, quamvis non inveniamus in Chronicis, colligimus tamen ex libro ejus, quem pro ſui meritò Iſraëlitæ in authoritatem canonicam receperunt, tertia generatione poſteriorem fuiſſe quam Iſraël. Divinitus autem proviſum fuiſſe non dubito, ut ex hoc uno ſciremus etiam per alias gentes eſſe potuiſſe, qui ſecundum Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad Spiritalem Ieruſalem. Quod nemini conceſſum fuiſſe credendum eſt, niſi cui Divinitus revelatus eſt unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus: qui venturus in carne, ſic antiquis ſanctis prænuntiabatur, quemadmodum nobis veniſſe nuntiatus eſt, ut una eademque fides per ipſum omnes in Dei civitatem, in domum Dei, in Dei templum, prædeſtinatos perducat ad Deum. Sed quæcunque aliorum prophetiæ de Dei per Chriſtum gratia proferuntur, poſſunt putari à Chriſtianis eſſe conficta. Ideò nihil eſt firmius ad convicendos quoslibet alienos, ſi de hac re contenderint, noſtroſque fulciendos ſi rectè ſapuerint, quam ut Divina prædicta de Chriſto ea proferantur, quæ in Iudæorum ſcripta ſunt codicibus. Quibus avulſis de ſedibus propriis & propter hoc teſtimonium toto orbe diſperſis, Chriſti uſquequaque crevit Eccleſia.* Hactenus Auguſtinus. Ejus axiomata iſta ſunt:

I. Fieri poſſe, ut inter gentes aliquis alienigena prophetaverit de Chriſto.

II. Hunc neceſſarium non eſſe, ſed ad cumulum poſſe cononemorari.

III. Poſſe talia putari à Chriſtianis conficta eſſe.

IV. Ideo firmius alienos convinci & noſtros fulciri, ex illis, quæ habentur in Judæorum codicibus.

Jobum commemorat inter illos, qui è gentibus ad ſupernam Hieruſalem pertinuerunt. Et inde argumentatur ita inter alias gentes potuiſſe eſſe imò fuiſſe, qui in Chriſtum crediderint. Jobi exemplum non facit ut ex eo Sibyllas aut alios prophetas Dei fuiſſe putemus, aut ut inter gentes omni tempore fuerint, qui Deum agnovere. Nam primò, Job fuit è poſteris Abraham, ſecundo vicinus populo Dei. Id igitur credimus illis gentibus, qui ſitu & lingua patriarcharum è Semo familiis affines aut conjuncti fuere, diu ſediſſe Dei notitiam, quum inſtitutionis & ſcientiæ de vicino ſocii eſſent aut eſſe poſſent: at illi è turri Bibel, qui aliam linguam accepere & Hebræum ſermonem penitus per-

perdidere, non retinuerunt in ſuis familiis notitiam Dei: Deinde cum jam Abrahami tempore poſteritas Semi inquinata fuerit, non eſt credibile, ullos poſtea extra Abrahami genus fuiſſe, niſi ſpecialiter vocatos, qui in Deum crediderint. Eſavi genus in multis ſui partibus integram Dei retinuit cognitionem longo tempore. Idem de Ammonis & Moabi poſteritate poteſt credi. Nam ex Abrahami inſtitutione pius Loth fuit & ſuos de Deo inſtituit. In Ægypto & Canaan omnibuſque aliis gentibus patriarcharum notitia imbutis, quas Abrahami melior inſtitutio non formaverat, Deus cum idolis colebatur, uſque ad illa tempora quæ Exodo Hebræorum accedebant. In aliis citius in aliis ſerius Deus agnoſci deſiit. Cæterum inter Japeti poſteros & Chami, qui ſermone & habitatione remotiores fuêre, cito Deus agnoſci deſiit, cedens idolis, ad quæ univerſus orbis jam Abrahami tempore deſciverat. In illis igitur gentibus nullum fuit Dei verbum nec *ἄγραφον* nec *ἔγγραφον*, nulla Dei apparitio, nullum alloquium aut oraculum. Quid igitur de Sibyllis dicendum eſt, quarum carmina veteres Chriſtiani ſemper in manibus & ore habuerunt? Exiſtimavit Auguſtinus non incongruè credi quod in aliis etiam gentibus homines fuerint, quibus hoc *myſterium fuerit revelatum* & *qui hoc etiam dicere impulſi ſint, ſive participes ejusdem gratia fuerint ſive expertes, ſive per malos angelos edocti.* Hæc ab Auguſtino dicta non abludunt à vero aut veritatis ſpecie, ſed planè errat Ludovicus Vires, qui ita in hoc caput Auguſtini: *Potuerunt enim qui ex gentibus naturam ſequebantur ducem, illam non pravis judiciis opinionibuſque inquinatam & corruptam, tam grati eſſe Deo, quam qui Moſaicam legem ſervaverunt. Quod enim hi conſecuti ſunt per legem, illi conſecuti eſſent ſine lege: & qui tales fuere ſine lege, eodem, quo Iudæi pervenerunt, quum eodem contenderent: nec inter eos aliud diſcrimen fuit, quam eſt, ceu quis viator mandatam gerat charta itineris rationem ac veluti formam, alter memoria fidat aut judicio. Idem etiam noſtro tempore continget ei, qui quum nihil de Chriſto audierit in remotiſſimis Oceani terris natus, duo illa maxima ſervarit mandata, in quîs veritas ipſa legem totam, prophetaſque conſtitutos affirmavit de Deo & proximo diligendis: huic ſua conſcientia eſt lex: Et, juxta Pſalmiſtam,* memor eſt in nocte nominis Divini, & cuſtodit legem ejus. *Hæc fit ei, quia juſtificationes Domini exquirit. Tanti eſt, videlicet, voluiſſe bonum eſſe, etiamſi non habeas, à quo virtutem edoceare. Et in hoc hominum genere quid deeſt præter aquam? Quum Sp. S. non ſecus quam Apoſtoli meruerint & acceperint. Teſtante Petro repleri etiam nonnullos Divino illo afflatu, quos myſtica nondum attigit aqua.* Ita gentes, quæ legem non habent & naturaliter ea quæ legis ſunt, *faciunt, ipſamet ſibi ſunt lex. Et ea lex ita vivendi donum Dei eſt & à filio proficiſcitur: De quo ſcriptum eſt, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Hæc prorſus ſunt *ἀθεολόγα* & menti Auguſtini contradicunt. Nam Auguſtinus neminem ſalvatum eſſe putat, qui Chriſti Divinitus revelatam notitiam non acceperit. Naturæ lex neminem perducit ad Deum, nec eſt ſine Chriſti notitia ſalus. Prophetaſſe aliquem gentibus de Chriſto, eatenus concedi poteſt, quatenus Diaboli mancipia inter alia (Deo ſic diſponente ad *ἀνταπολογησίαν*) aliquid de Chriſto ſonuerint. Cæterum non prophetica revelatione ſed naturæ ductu gentes voluit ambulare Deus, ut diſerte Apoſtolus teſtatur: Si forte eum palpando invenirent. Non dat Apoſtolus illis alia principia Theologiæ ſuæ i.e. naturalis, quam Dei opificium & opus legis cordibus inſcriptum. Chriſtiani primi Sibyllæ, Hyſtaſpis, Mercurii ſcripta ſuppoſuerunt & interpolarunt, ut viri docti oſtendêre: nos autem oſtendamus Phœnicum & Græcorum antiquitates quæ fuerint circà & ante Exodum Hebræorum ex Ægypto: quæque ſit origo idololatriæ circà Deos ex hominibus, quam tranſmiſere ad poſteriores.

Phœni-

Phœnicum antiquitates poſt Eſavum Iſaci filium, & origo Deorum, quos coluere ad poſteros.

CONſequenter ad illa, quæ ad cap. 14. è Sanchuniathone ſeu Philone Byblio allegato fuerunt, χρόνοις δὲ ὕστερον πολλοῖς ἀπὸ τῆς ὑψουρανίου γενεᾶς, γενέσθαι Ἀγρέα καὶ Ἁλιέα, τοὺς ἁλιείας καὶ ἄγρας εὑρετάς, ἐξ ὧν κληθῆναι ἀγρευτὰς καὶ ἁλιεῖς. ἐξ ὧν γενέσθαι δύο ἀδελφοὺς σιδήρου εὑρετὰς καὶ τούτου ἐργασίας· ὧν θάτερον τὸν Χρυσὼρ λόγους ἀσκῆσαι καὶ ἐπωδὰς καὶ μαντείας· εἶναι δὲ τοῦτον τὸν Ἥφαιστον· εὑρεῖν δὲ καὶ ἄγκιστρον καὶ δέλεαρ καὶ ὁρμιὰν καὶ σχεδίαν· πρῶτόν τε πάντων ἀνθρώπων πλεῦσαι· διὸ καὶ ὡς θεὸν αὐτὸν μετὰ θάνατον ἐσεβάσθησαν· καλεῖσθαι δ' αὐτὸν καὶ Διαμίχιον. οἱ δὲ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ τοίχους φασὶν ἐπινοῆσαι ἐκ πλίνθων. Μετὰ ταῦτα ἐκ τοῦ γένους τούτου γενέσθαι νεανίδας δύο, καλεῖσθαι δὲ αὐτῶν τὸν μὲν Τεχνίτην, τὸν δὲ Γήϊνον Αὐτόχθονα· οὗτοι ἐπενόησαν τῷ πηλῷ τῆς πλίνθου συμμιγνύειν φορυτὸν καὶ τῷ ἡλίῳ αὐτὰς τερσαίνειν, ἀλλὰ καὶ στέγας ἐξεῦρον. En multo poſt Uſoum tempore ex Hypſuranii genere ortos eſſe Agrea & Haliea. Agreus, venator convenit cum voce ציד. Abſque omni dubio Sidonis & Tyri primos habitatores intelligit: eos enim venationi & piſcationi operam dediſſe veroſimile eſt.. Tyrus igitur & Sidon poſt Eſavi tempora conditæ fuerint, circà ingreſſum Iſrael in Ægyptum. Secunda ætas habuit duos fratres ferri & ferrariæ inventores: quorum unus Chryſor nomine ſit ille, quem Græci Ἥφαιστον, Latini vulcanum appellant. Hunc carmina & incantationes & vaticinia exercuiſſe. Inveniſſe hamum, eſcam, lineam piſcatoriam & ratem: primumque omnium hominum navigaſſe. Dixit tamen ſupra Eſavum primum mare conſcendiſſe. Forte iſte Phœnicibus primus navigii rationem tradidit. Ob tanta inventa cultum eſſe pro Deo. Fratres ejus, ut quidam traderent, parietes lateritios excogitaſſe. Tertia ætate ex iis natos fuiſſe Artificem & Autochtona, qui laterum faciendorum certum modum invenerint & tecta fabricari. Invenerunt enim luto lateris miſcere φορυτὸν id eſt ſtramen & ſole ſiccare.

1. Agreus & Halieus:
2. Chryſor ejúſque fratres:
3. Artifex & Autochthon.

Diodorus Siculus etiam teſtatur quoſdam ſacerdotum apud Ægyptios dixiſſe, quod Vulcanus primus deorum apud Ægyptios regnaverit. Quia ignem inveniſſet, διὰ τὴν εὐχρηστίαν ταύτην τυχεῖν τῆς ἡγεμονίας, eo beneficio regnum obtinuiſſe. Pergit:

Ἀπὸ τούτων ἐγένοντο ἕτεροι, ὧν ὁ μὲν Ἀγρὸς ἐκαλεῖτο, ὁ δὲ Ἀγρούηρος ἢ Ἀγρότης, οὗ καὶ ξόανον εἶναι μάλα σεβάσμιον καὶ ναὸν ζυγοφορούμενον ἐν Φοινίκῃ· παρὰ δὲ Βιβλίοις ἐξαιρέτως θεῶν ὁ μέγιστος ὀνομάζεται. ἐπενόησαν δὲ οὗτοι αὐλὰς προστιθέναι τοῖς οἴκοις καὶ περιβόλαια καὶ σπήλαια. ἐκ τούτων ἀγρέται καὶ κυνηγοί. οὗτοι δὲ καὶ Ἀλῆται καὶ Τιτᾶνες καλοῦνται.

4. Ager & Agruerus. Exiſtimo hæc vocabula reſpondere nomini Dei שדי. Nam Dei nomina & elementorum (ut ſuprà paruit) traducta ſunt ad homines, ut ſub iis colerentur, Cum id nomen *Saddai* frequentari cœpiſſet poſt tempora Abrahami, id ipſi hujus ætatis hominibus inventione rerum celebribus attribuere. Alludit ad nomen agri שדה *Sade*, ideò ipſis convenire putabant, qui invenere atria ædibus addere & ſepta & ſpelæa: quique venatores & agreſtes propagarunt.

5. Ἀγρόται καὶ κυνηγοί. Qui appellati ſint Titanes.

Ἀπὸ τούτων γενέσθαι Ἄμυνον καὶ Μάγον, οἳ κατέδειξαν κώμας καὶ ποίμνας. Ἀπὸ τούτων γενέσθαι Μίσωρ καὶ Συδὺκ, τουτέστιν εὔλυτον καὶ δίκαιον. οὗτοι τὴν τοῦ ἁλὸς χρῆσιν εὗρον. Ἀπὸ Μίσωρ Τάαυτος, ὃς εὗρε τὴν τῶν πρώτων στοιχείων γραφήν· ὃν Αἰγύπτιοι μὲν Θωὼρ, Ἀλεξανδρεῖς δὲ Θωὺθ, Ἕλληνες δὲ Ἑρμῆν ἐκάλεσαν· ἐκ δὲ τοῦ Συδὺκ Διόσκουροι ἢ Κάβειροι ἢ Κορύβαντες ἢ Σαμοθρᾷκες. οὗτοι φησὶ πρῶτοι πλοῖον εὗρον. ἐκ τούτων γεγόνασιν ἕτεροι οἳ καὶ βοτάνας εὗρον, καὶ τὴν τῶν δακετῶν ἴασιν καὶ ἐπῳδάς. Memorat hic quatuor ætates:

6. Amynus & Magus:
7. Miſor & Sydyc:
8. E Miſore Taautus; E Sydyc Dioſcuri:
9. E Dioſcurris inventores herbarum & carminum.

Non eſt adeò mirandum ab Artabano confundi cum Mercurio Moſen, quia eodem ferè tempore inveniuntur vixiſſe. Circa hæc tempora cæpit dominatio eorum, qui apud poſteros maximorum deorum honore culti ſunt. Hæc conſequenter narrat Philo Byblius: κατὰ τούτους γίνεταί τις Ἐλιοῦν, καλούμενος Ὕψιστος, καὶ θήλεια λεγομένη Βηρούθ, οἳ καὶ κατῴκουν περὶ Βύβλον· ἐξ ὧν γεννᾶται Ἐπίγειος ἢ Αὐτόχθων, ὃν ὕστερον ἐκάλεσαν Οὐρανόν· ὡς ἀπ᾽ αὐτοῦ καὶ τὸ ὑπὲρ ἡμᾶς στοιχεῖον, δι᾽ ὑπερβολὴν τοῦ κάλλους ὀνομάζειν οὐρανόν. Γεννᾶται τούτῳ ἀδελφὴ ἐκ τῶν προειρημένων, ἣ καὶ ἐκλήθη Γῆ, καὶ διὰ τὸ κάλλος ἀπ᾽ αὐτῆς, φησιν, ἐκάλεσαν τὴν ὁμώνυμον γῆν. Ὁ δὲ τούτων πατὴρ ὁ Ὕψιστος ἐκ συμβολῆς θηρίων τελευτήσας ἀφιερώθη, ᾧ καὶ χοὰς καὶ θυσίας οἱ παῖδες ἐτέλεσαν. Παραλαβὼν δὲ ὁ Οὐρανὸς τὴν τοῦ πατρὸς ἀρχὴν, ἄγεται πρὸς γάμον τὴν ἀδελφὴν Γῆν, καὶ ποιεῖται ἐξ αὐτῆς παῖδας δ´ Ἶλον τὸν καὶ Κρόνον καὶ Βέτυλον καὶ Δαγὼν, ὅς ἐστι Σίτων, καὶ Ἄτλαντα. Καὶ ἐξ ἄλλων δὲ γαμετῶν ὁ Οὐρανὸς πολλὴν ἔσχε γενεάν. Διὸ καὶ χαλεπαίνουσα ἡ Γῆ τὸν Οὐρανὸν ζηλοτυποῦσα ἐκάκιζεν, ὡς καὶ διαστῆναι ἀλλήλων. Ὁ δὲ Οὐρανὸς ἀποχωρήσας αὐτῆς, μετὰ βίας, ὅτε καὶ ἐβούλετο, ἐπιὼν καὶ πλησιάζων αὐτῇ πάλιν ἀπηλλάττετο. Ἐπιχειρεῖ δὲ καὶ τοὺς ἐξ αὐτῆς παῖδας διαφθείρειν· τὴν δὲ Γῆν ἀμύνασθαι πολλάκις, συμμαχίαν αὐτῇ συλλεξαμένην. Εἰς ἄνδρας δὲ προελθὼν ὁ Κρόνος Ἑρμῇ τῷ Τρισμεγίστῳ συμβούλῳ καὶ βοηθῷ χρώμενος· οὗτος γὰρ ἦν αὐτῷ γραμματεύς· τὸν πατέρα Οὐρανὸν ἀμύνεται, τιμωρῶν τῇ μητρί. Κρόνου δὲ γίνονται παῖδες, Περσεφόνη καὶ Ἀθηνᾶ. ἡ μὲν πρώτη παρθένος ἐτελεύτα· τῆς δὲ Ἀθηνᾶς γνώμῃ καὶ Ἑρμοῦ, κατασκευάσε Κρόνος ἐκ σιδήρου, ἅρπην καὶ δόρυ. Εἶτα ὁ Ἑρμῆς τοῖς τοῦ Κρόνου συμμάχοις λόγους μαγείας διαλεχθεὶς, πόθον ἐνεποίησε τῆς κατ᾽ Οὐρανοῦ μάχης ὑπὲρ τῆς Γῆς. Καὶ οὕτω Κρόνος τὸν Οὐρανὸν πολέμῳ συμβαλὼν, τῆς ἀρχῆς ἤλασε καὶ τὴν βασιλείαν διεδέξατο. Ἑάλω δὲ ἐν τῇ μάχῃ καὶ ἡ ἐπέραστος τοῦ Οὐρανοῦ σύγκοιτος, ἐγκύμων οὖσα, ἣν ἐκδίδωσιν ὁ Κρόνος πρὸς γάμον τῷ Δαγῶνι. Τίκτει δὲ παρὰ τούτῳ, ὃ κατὰ γαστρὸς ἐξ Οὐρανοῦ ἔφερεν. ὃ καὶ ἐκάλεσε Δημαροῦν. Ἐπὶ τούτοις ὁ Κρόνος τεῖχος περιβάλλει τῇ ἑαυτοῦ οἰκήσει, καὶ πρώτην πόλιν κτίζει τὴν ἐπὶ Φοινίκης Βύβλον. Μετὰ ταῦτα τὸν ἀδελφὸν τὸν ἴδιον Ἄτλαντα ὑπονοήσας ὁ Κρόνος, μετὰ γνώμης τοῦ Ἑρμοῦ εἰς βάθος γῆς ἐμβαλὼν κατέχωσε. Κατὰ τοῦτον χρόνον οἱ ἀπὸ τῶν Διοσκούρων σχεδίας καὶ πλοῖα συνθέντες, ἔπλευσαν· καὶ ἐκριφέντες κατὰ τὸ Κάσιον ὄρος, ναὸν αὐτόθι ἀφιέρωσαν. Οἱ δὲ σύμμαχοι Ἴλου Κρόνου, Ἐλωεὶμ ἐπεκλήθησαν, ὡς ἂν Κρόνιοι, οὗτοι ἦσαν οἱ λεγόμενοι ἐπὶ Κρόνου. Κρόνος δὲ υἱὸν ἔχων Σάδιδον, ἰδίῳ αὐτὸν σιδήρῳ διεχρήσατο, δι᾽ ὑπονοίας αὐτὸν ἐσχηκὼς, καὶ τῆς ψυχῆς, αὐτόχειρ τοῦ παιδὸς γενόμενος, ἐστέρησεν. Ὡσαύτως καὶ θυγατρὸς ἰδίας τὴν κεφαλὴν ἀπέτεμεν· ὡς πάντας ἐκπεπλῆχθαι θεοὺς τὴν Κρόνου γνώμην. Χρόνου δὲ προϊόντος Οὐρανὸς ἐν φυγῇ τυγχάνων, θυγατέρα αὐτοῦ παρθένον Ἀστάρτην μεθ᾽ ἑτέρων αὐτῆς ἀδελφῶν δύο, Ῥέας καὶ Διώνης, δόλῳ τὸν Κρόνον ἀνελεῖν ὑποπέμπει· ἃς καὶ ἑλὼν ὁ Κρόνος, κουριδίας γαμετὰς, ἀδελφὰς οὔσας ἐποιήσατο. γνοὺς δὲ ὁ Οὐρανὸς ἐπιστρατεύει κατὰ τοῦ Κρόνου Εἱμαρμένην καὶ Ὥραν μεθ᾽ ἑτέρων συμμάχων, καὶ ταύτας ἐξοικειωσάμενος ὁ Κρόνος, παρ᾽ ἑαυτῷ κατέσχεν. Ἔτι δέ φησιν, ἐπενόησε θεὸς Οὐρανὸς

Βαιτύ-

βαιτύλια, λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος. Κρόνῳ δὲ ἐγένοντο ἀπὸ Ἀστάρτης θυγατέρες ἑπτὰ Τιτανίδες ἢ Ἀρτέμιδες. Καὶ πάλιν τῷ αὐτῷ γίνονται ἀπὸ Ῥέας παῖδες ἑπτά· ὧν ὁ νεώτατος ἅμα τῇ γενέσει ἀφιερώθη· Καὶ ἀπὸ Διώνης θήλειαι· καὶ ἀπὸ Ἀστάρτης πάλιν ἄρρενες δύο Πόθος καὶ Ἔρως. ὁ δὲ Δαγὼν, ἐπειδὴ εὗρε σῖτον καὶ ἄροτρον, ἐκλήθη Ζεὺς Ἀρότριος. Συδύκῳ δὲ τῷ λεγομένῳ δικαίῳ, μία τῶν Τιτανίδων συνελθοῦσα, γεννᾷ τὸν Ἀσκληπιόν. Ἐγεννήθησαν δὲ καὶ ἐν Παρσίᾳ (al. Περσίᾳ) Κρόνῳ τρεῖς παῖδες, Κρόνος ὁμώνυμος τῷ πατρὶ, καὶ Ζεὺς Βῆλος καὶ Ἀπόλλων. Κατὰ τούτους γίνονται Πόντος καὶ Τυφῶν καὶ Νηρεὺς, πατὴρ Πόντου. Ἀπὸ δὲ τοῦ Πόντου γίνεται Σιδών· ἣ καθ' ὑπερβολὴν εὐφωνίας πρώτη ὕμνον ᾠδῆς εὗρε· καὶ Ποσειδῶν. Τῷ δὲ Δημαροῦντι Μελίκαρθος, ὁ καὶ Ἡρακλῆς. Εἶτα πάλιν Οὐρανὸς πολεμεῖ Πόντῳ καὶ ἀποστὰς Δημαροῦντι προστίθεται. ἐπεισί τε Πόντῳ ὁ Δημαροῦς, τροποῦταί τε αὐτὸν ὁ Πόντος. ὁ δὲ Δημαροῦς φυγῆς θυσίαν ηὔξατο. Ἔτει δὲ τριακοστῷ δευτέρῳ τῆς ἑαυτοῦ κρατήσεως καὶ βασιλείας, ὁ Ἶλος τουτέστιν ὁ Κρόνος, Οὐρανὸν τὸν πατέρα λοχήσας, ἐν τόπῳ τινὶ μεσογείῳ, καὶ λαβὼν ὑποχείριον, ἐκτέμνει αὐτοῦ τὰ αἰδοῖα, σύνεγγυς πηγῶν καὶ ποταμῶν. Ἔνθα ἀφιερώθη Οὐρανὸς, καὶ ἀπηρτίσθη αὐτοῦ τὸ πνεῦμα, καὶ ἀπέσταξεν αὐτοῦ τὸ αἷμα τῶν αἰδοίων, εἰς τὰς πηγὰς καὶ τῶν ποταμῶν τὰ ὕδατα, καὶ μέχρι τούτου δείκνυται τὸ χωρίον. Interjectis quibuſdam. Ἀστάρτη δὲ ἡ μεγίστη καὶ Ζεὺς Δημαροῦς καὶ Ἄδωδος βασιλεὺς θεῶν, ἐβασίλευον τῆς χώρας, Κρόνου γνώμῃ. Ἡ δὲ Ἀστάρτη ἐπέθηκε τῇ ἰδίᾳ κεφαλῇ βασιλείας παράσημον, κεφαλὴν ταύρου· περινοστοῦσα δὲ τὴν οἰκουμένην, εὗρεν ἀεροπετῆ ἀστέρα, ὃν καὶ ἀνελομένη, ἐν Τύρῳ τῇ ἁγίᾳ νήσῳ ἀφιέρωσε. Τὴν δὲ Ἀστάρτην Φοίνικες, τὴν Ἀφροδίτην εἶναι λέγουσι. Καὶ ὁ Κρόνος δὲ περιιὼν τὴν οἰκουμένην, Ἀθηνᾷ τῇ ἑαυτοῦ θυγατρὶ δίδωσι τῆς Ἀττικῆς τὴν βασιλείαν. Λοιμοῦ δὲ γενομένου καὶ φθορᾶς, τὸν ἑαυτοῦ μονογενῆ υἱὸν Κρόνος Οὐρανῷ πατρὶ ὁλοκαρποῖ, καὶ τὰ αἰδοῖα περιτέμνεται, ταὐτὸ ποιῆσαι καὶ τοὺς ἅμ' αὐτῷ συμμάχους καταναγκάσας. Καὶ μετ' οὐ πολὺ, ἕτερον αὐτοῦ παῖδα, ἀπὸ Ῥέας, ὀνομαζόμενον Μοὺθ, ἀποθανόντα ἀφιεροῖ, θάνατον δὲ τοῦτον καὶ Πλούτωνα Φοίνικες ὀνομάζουσι. Καὶ ἐπὶ τούτοις ὁ Κρόνος Βύβλον μὲν τὴν πόλιν θεᾷ Βααλτίδι, τῇ καὶ Διώνῃ, δίδωσι, Βηρυτὸν δὲ Ποσειδῶνι καὶ Καβείροις, Ἀγρόταις τε καὶ Ἁλιεῦσι, οἳ καὶ Πόντου λείψανα εἰς τὴν Βηρυτὸν ἀφιέρωσαν. Πρὸ δὲ τούτων θεὸς Τάαυτος μιμησάμενος τὸν Οὐρανὸν, τῶν θεῶν ὄψεις Κρόνου τε καὶ Δαγῶνος καὶ τῶν λοιπῶν διετύπωσεν τοὺς ἱεροὺς τῶν στοιχείων χαρακτῆρας. Ἐπενόησε καὶ τῷ Κρόνῳ παράσημα βασιλείας, ὄμματα τέσσαρα ἐκ τῶν ἐμπροσθίων καὶ τῶν ὀπισθίων μερῶν. δύο δὲ ἡσυχῇ μύοντα. καὶ ἐπὶ τῶν ὤμων πτερὰ τέσσαρα· δύο μὲν ὡς ἱπτάμενα, δύο δὲ ὡς ὑφειμένα. Τὸ δὲ σύμβολον ἦν, ἐπειδὰν Κρόνος κοιμώμενος ἔβλεπε καὶ ἐγρηγορὼς ἐκοιμᾶτο· καὶ ἐπὶ τῶν πτερῶν ὁμοίως, ὅτι ἀναπαυόμενος ἵπτατο καὶ ἱπτάμενος ἀνεπαύετο. τοῖς δὲ λοιποῖς θεοῖς, δύο ἑκάστῳ πτερώματα, ὡς ὅτι δὴ συνίπταντο τῷ Κρόνῳ. Καὶ αὐτῷ δὲ πάλιν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς πτερὰ δύο· ἓν ἐπὶ τοῦ ἡγεμονικωτάτου νοῦ, καὶ ἓν ἐπὶ τῆς αἰσθήσεως. Ἐλθὼν δὲ ὁ Κρόνος εἰς Νότου χώραν, ἅπασαν τὴν Αἴγυπτον ἔδωκε θεῷ Τααύτῳ, ὅπως βασίλειον αὐτοῦ γένηται. Hæc Latine ita ſonant: *Horum ætate natus eſt quidam Eliun (qui vocatur* interpretatur) *Altiſſimus: & fæmina dicta Beruth: qui etiam incoluerunt circa Byblum. E quibus procreatur Terreſtris ſive indigena, quem poſtea appellaverunt Vranum* (Cælum) *ut etiam ab ipſo, quod ſupra nos elementum eſt, propter eximiam pulchritudinem cælum appellaverunt. Huic nata eſt ſoror, ex illis quos diximus, quæ etiam vocata eſt Ge* (Terra) *& ob formam ab illa (inquit) terram eodem nomine vocarunt. Horum parens Altiſſimus, cum è congreſſu cum feris interiiſſet, conſecratus eſt: cui etiam filii ſacrificia & libamina fecerunt. Cælus autem patris imperium adeptus, Terram ſororem matrimonio ſecum junxit, procreavitque ex illa filios quatuor, Ilum (qui & Saturnus dicitur) & Betylum & Dagona (qui eſt* Σῖτων *frumenti præſes) & Atlanta. Ex aliis etiam uxoribus Cælus multam ſobolem habuit. Ideò indignata Terra, per Zelotypiam male excepit: unde & divortium ſecutum eſt. Cælus autem cum ab illo diſceſſiſſet, per vim, quoties libitum eſſet, irruens comprimensque eam retrocedebat. Conabatur autem etiam liberos ex ea perdere. Terram*

 vero

vero ſapius probibuiſſe, collectis auxiliis. Intereà Saturnus, cum virilem ætatem attigiſſet, conſiliario & adjutore uſus Mercurio termaximo (hic enim illius ſcriba erat) Calo patri ſe objicit, ulturus matrem. Saturno autem filia nata ſunt, Proſerpina & Minerva. Prima obiit virgo: Conſilio autem Minerva & Mercurii Saturnus è ferro conflavit falcem & haſtam. Deinde Mercurius magicas incantationes dixit Saturni auxiliaribus, eiuque injecit deſiderium pugna pro Terra adverſus Calum. Eo modo Saturnus, pralio commiſſo, Calum imperio exuit, quod ipſe ſuſcepit. In hoc certamine capta etiam eſt dilecta Cæli concubina, pragnans, quam Saturnus in matrimoniam collocat Degoni: apud quem ſuſceptum è calo fætum enixa Demaroonta appellavit. Poſt hac Saturnus murum circumdedit habitationi ſua, & primam in Phœnice urbem condidit Byblum. Mox Atlantem fratrem, quod eum ſuſpectum haberet è conſilio Mercurii alta terra defoſſum obruit. Per idem fere tempus Dioſcurorum nepotes, cum ſtructis ratibus navigiiſque navigarent, ad Caſſium montem ejecti, templum eo loco conſecrarunt. Auxiliares Ili, qui Saturnus dicitur, cognominati ſunt Eloim, tanquam Saturnios diceres: hi erant qui ita dicebantur ſub Saturno. Saturnus autem cum filium haberet Sadidum, ipſum gladio ſuo confecit, quod ſuſpectum haberet, & anima privavit, propria manu parricida filii. Similiter etiam filia propria caput amputavit, ut omnes dii hunc Saturni animum ſtuperent. Poſt tempus aliquod cum Cælus in fuga eſſet, filiam virginem Aſtarten cum duabus aliis ejus ſororibus Rhea & Dione ſubmittit, qua dolo Saturnum interficerent: quas etiam Saturnus cum cepiſſet, uxores virginales, cum ſorores eſſent, fecit. Quod ubi Cælus cognoviſſet, mittit prætereà in expeditionem adverſus Saturnum Fatum & Horam cum reliquis auxiliaribus, quas etiam conciliatas ſibi apud ſe Saturnus retinuit. Porro autem inquit, excogitavit batulia, animatos lapides inſolenti arte melitus. Saturno autem nati ſunt ex Aſtarte ſeptem filia Titanides ſive Dianæ. Rurſum naſcuntur illi è Rhea filii ſeptem, quorum minimus natu in ipſo ortu conſecratus eſt: ex Dione fæmina, iterumque ex Aſtarte mares duo, Deſiderium & Amor. Dagon autem, quod frumentum & aratrum inveniſſet, vocatus eſt Iupiter Aratorius. Sydyco, autem qui dicitur juſtus, una Titanidum nupta, parit Æſculapium. Saturno etiam in Peraa tres filii nati ſunt, Saturnus patri cognominis, Iupiter Belus & Apollo. His temporibus naſcuntur Pontus & Typhon & Nereus pater Ponti, & Ponto orta eſt Sidon (cui ea ſuavitas & elegantia vocis erat, ut prima hymnum cantus repererit) & Neptunus. Demaroonte procreatur Melicarthus. qui & Hercules. Rurſum Calus bellum gerit cum Ponto & deficiens ſe adjungit Demaroonti. Incurrit in Pontum Demaroon vertiturque in fugam Pontus. Demaroon autem fuga ſacrificium voverat. Anno autem triceſimo ſecundo ſua dominationis & regni, Ilus, id eſt, Saturnus Cælum exceptum inſidiis, capit in loco quodam mediterraneo, captumque evirat prope fontes & flumina. Illic conſecratus eſt Calus & conſummatus ejus ſpiritus: deſtillavit autem ſanguis virilium in fontes & fluminum aquas: & uſque hodie oſtenditur locus. Poſt pauca : *Aſtarte verò maxima & Iupiter Demaroon & Adodus rex Deorum, imperabant regioni voluntate Saturni. Aſtarte impoſuit capiti ſuo, regni inſigne, caput Tauri: cumque orbem terrarum peragraret, lapſam de cælo ſtellam reperit, quam ſublatam in Tyro ſacra inſula conſecravit. Caterum Aſtarten Phœnices Venerem eſſe dicunt. At verò Saturnus, dum orbem luſtrat univerſum, Minerva, filia ſua, Attica imperium dedit. Peſte autem & mortalitate coorta filium ſuum unigenitum Saturnus calo patri in holocauſtum immolat & verenda circumciditur, id facere etiam cogens ſocios. Nec multò poſt alterum filium è Rhea, qui nomen habebat Muthi mortuum conſecrat. Hunc Mortem Phœnices & Plutonem vocant. Poſt illa Saturnus Byblum urbem Dea Baaltidi, qua & Dione, largitur, Berytum autem Neptuno & Cabiris, Agricolis item & Piſcatoribus,*

qui

qui etiam Ponti reliquias Beryti conſecrarunt. Ante hæc Deus Taautus, imitatus Cælum, deorum vultus, Saturni & Dagonis effigiavit, ſacras ſcilicet elementorum notas. Excogitavit etiam Saturno inſigne regni, quatuor oculos ex anterioribus & poſterioribus partibus, duos quidem apertos, duos autem placidè nictantes: & in humeris quatuor alas, duas explicatas, duas demiſſas. Symbolum autem erat, quod oculos, quod Saturnus dormiens videret & vigilans dormiret: de alis ſimiliter, quod quieſcens volares & volans quieſceret. Reliquis autem diis, cuilibet duas alas in humeris, quippe quod unà volarent cum Saturno. Ipſi rurſum in capite alas geminas, quarum altera mentis principatum, altera ſenſus indicaret. Cum autem Saturnus in auſtri regionem veniſſet, univerſam Ægyptum deo Taauto dedit in imperium.

Inſigne hoc ὑπαναστημάτων deorum Punicorum ſeu Phœniciæ & Græcorum indicat ortus & res geſtas. Hæc Græci fabulis involvere & parte ſui magna corrupere in aliam faciem. Mirum, quod principes illi deorum iidem ferme ſint Græcis, Ægyptiis & Phœnicibus. Nempe potentiſſimi reges & ſimul immitiſſimi tyranni in deorum numerum relati & conſecrati à poſteris fuere, autore potiſſimum Mercurio, homine vano & ſummi ingenii. Horum regum gloria memoriam & nomen antiquiorum obſcuravit, & quia violentius ac potentius dominati ſunt, in deorum grege ducatum primumque locum obtinuêre. Mercurius ille regem ſuum, qui majus imperium habuit in terris validiuſque diis omnibus voluit præeſſe: at ſuccedentia tempora, quæ poſt Mercurium fuere Jovi principatum dedêre, quem in poſterorum cultu retinuit, quia imperio dejectus non eſt, ut Saturnum ipſe everterat. Succeſſio fuit regum Eliun, Cœli, Saturni. Eliun eſt ex Hebræo עליון/ שָׁמַיִם nomen eſt ſupremi elementi, Ilus eſt ipſiſſimum אֵל. Quem Græci Δία, Phœnices בעל appellant. Ζεὺς Βῆλος, duo nomina ſunt quæ idem notant. Δεὺς, *Deus*: Ζεὺς, IOVIS, ne quis hic ſomniet יהוה. Nomina Dei & elementorum adſcripſerunt diis ſuis, qui in Phœnicia multis ætatibus ſucceſſive fuerunt ante Eliun & Cælum: Græci memoriam deorum Cœlo antiquiorem non habent in ſuis fabulis, niſi quod Japetum è priſca memoria rebus & generi Cæli inſeruerint.

1. Eliun & Beruth. Eliun in venatione interiit, conſecratus eſt à ſuis.

2. Nati illis ſunt, Cælus & Terra. Frater & Soror matrimonio juncti. Patre mortuo imperium adeptus genuit Ilum, Betylum, Dagonem & Atlanta, è ſorore Terra. E pellicibus multam ſobolem procreavit. Unde inimicitiæ & divortium cum Terra conjuge. At Cælus per vim, quoties vellet, conjugem comprimebat, tandemque & filios ex ea natos conatus eſt opprimere: quod illa prohibuit, auxilio & ope ſociorum.

3. Saturnus terræ filiorum natu maximus cum adoleviſſet, bellum pro matre adverſus patrem ſuſcipit, conſilio & adjumento Mercurii (hic filius Miſoris erat) quo utebatur ſcriba à ſecretis. Genuit Proſerpinam & Minervam. Minervæ & Mercurii arte è ferro falcem haſtamque conſtat: Mercurius magicis carminibus animos auxiliis Saturni addidit, quæ Cælum cum ſuis copiis vincunt & regno ejiciunt. In iſto prælio capta eſt cæli cariſſima concubina, quæ data in uxorem Dagoni apud eum Demaroonta peperit. Ita regno potitus Byblum condit: fratrem Atlantem (quod ſuſpectus eſſet) injecta terra obruit; filium Sadidum & filiam interimit. Cœlus cum ægre ferret exilium & regni amiſſionem, filium deturbare omni vi conatus ſubmittit primò Aſtarten Rheam & Dionen filias, quas ſorores ſuas cum in poteſtatem redegiſſet Saturnus, in thorum induxit. Secundum molimen non ceſſit melius: nec tertium quamvis lapides animatos (Βαιτύλια vocant) machinatus ſit.

Liberi Saturni: ex Aſtarte ſeptem Titanides; è Rhea (quam Latini Opem vocant) ſeptem filii: è Dione femellæ: Rurſum ex Aſtarte Pothus & Eros. Una Titanidum Saturni filiarum Sydyco genuit Æſculapium. In Paræa ſive Peræa liberos mares tres Saturno natos eſſe dicit, Saturnum Juniorem, Jovem Belum & Apollinem. His etiam temporibus Nereo natum eſſe Pontum: Ponto Sidonem & Neptunum. Demaroonte Cæli filio Melicarthum (qui & Hercules) ortum, Poſt id tempus Cælum per inſidias captum, exſectumque à Saturno interiiſſe.

Hæc longe ſunt pleniora & hiſtoriæ conſummatioris, quam Græcorum Theogonia & poëtarum fabulæ. Græcorum notitia non aſcendit ſupra Cælum, cujus parentes hiſtoria Phœnicum annotat. Gentes Titanum & Cabirorum & Saturniorum norunt diſtinguere, ignorant originem, quam Phœnices deſcribunt. Titanibus annumerant Græci Japetum, ſed malè, quemadmodum Cælo eoſdem ortos eſſe fabulantur. Apollodori Bibliotheca dicit Uranum primum τοῦ παντὸς δυναστεῦσαι, univerſi orbis imperio præfuiſſe. Eum ex uxore Tellure primò genuiſſe Ἑκατόγχειρας, Briareon, Gyen, Cæum. Secundò Cyclopas, Harpen, Steropen, Bronten. Tertio Titanas, Oceanum, Cœum, Hyperiona, Crium, Japetum & noviſſimum omnium Saturnum: filiasque Titanidas, Tethyn, Rheam, Themin, Mnemoſynen, Phœben, Dionen. Thiam. Saturnus Rheam conjugem habuit, Latine Ops appellatur. Illo geniti Veſta, Ceres, Juno, Pluto, Neptunus, Jupiter. Affingunt Græci Titanibus elementorum & temporis partium generationem, quia hæc divinis honoribus coluerunt. Heſiodi Theogonia Chaos primum facit deorum, ex eo primò prodiiſſe Tellurem, Tartarum & Amorem: ſecundo Erebos & Noctem. Ex Erebo & nocte Æthera & diem ortos eſſe. Terram edidiſſe primò Cælum, dein montes; Pelagus, Pontumque, ἄτερ φιλότητος ἐφιμέρου. At Cœlo mixtam edidiſſe Titanas, Cyclopas, Hecatonchiras. Titanas in hunc modum enumerat:

Οὐρανῷ εὐνηθεῖσα τέκ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην,
Κοῖόν τε κρεῖόν θ' Ὑπερίονά τ' Ἰαπετόν τε,
Θείαν τε, Ῥείαν τε, Θέμιν τε, Μνημοσύνην τε,
Φοίβην τε χρυσοστέφανον Τηθύν τ' ἐρατεινήν.
Τοὺς δὲ μεθ' ὁπλότατος γένετο Κρόνος ἀγκυλομήτης.

Incipit Heſiodus à cæli, terræ, elementorum, temporis origine. Homines è cælo & Terra ortos eſſe, quorum antiquiſſima eſt memoria, aut quos diis annumerarunt. Principatum illis inter deos attribuerunt, qui inter homines regnum obtinuerunt. Lactantius de origine erroris lib. 2. *Sed neque patrem ipſius* [Promethei] *Iapetum patruumque Titana quiſquam deos nuncupavit: quia regni ſublimitas penes Saturnum filium fuerit: per quam Divinos honores cum omnibus ſuis poſteris conſecutus eſt.* Poëtæ & naturalem hiſtoriam & hominum originem de hominibus involucris fabularum tegere & incruſtare voluerunt. Idem lib. 1. *Vera* ſunt ergò, quæ loquuntur poëtæ ſed obtentu aliquo ſpecieque velata. Superioribus commentariis obiter de Saturni ætate indicavimus è Lactantio, hic eam diligentius & curatius inveſtigemus, ut pateat quam recens ſit Deorum Græciæ, Syriæ, Ægypti origo. Quibus antiquiores multas ætates hominum Phœnices & Ægyptii, ipſique Græci noverant. Theophilus ad Autolycum lib. 3. *καὶ γὰρ Βήλου τοῦ Ἀσσυρίων βασιλεύσαντος καὶ Κρόνου τοῦ Τιτᾶνος Θαλλὸς μέμνηται, φάσκων τὸν Βῆλον πεπολεμηκέναι σὺν τοῖς Τιτᾶσι πρὸς τὸν Δία, καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ θεοὺς λεγομένους. Ἔνθα φησὶν, καὶ ὁ Γύγος ἡττηθεὶς ἔφυγεν εἰς Ταρτησσόν.*

Τόπ

τότε μὲν τῆς χώρας ἐκείνης Ἀκτῆς κληθείσης, νυνὶ δὲ Ἀττικῆς προσαγορευομένης. Ἧς ὁ Γόγος τότε ἦρξε. Quod ſcribitur, ὁ Γύγες corrigendum in Ὠγύγης. Ogygen igitur & bellum Jovis cum Saturno in idem tempus confert. Deinde, κατὰ γὰρ τὴν Θάλλου ἱστορίαν ὁ Βῆλος προγενέστερος εὑρίσκεται τοῦ ἰλιακοῦ πολέμου ἔτεσι τκβ΄. Paulò poſt: τοῦ δὲ κρόνου καὶ τοῦ βήλου συνακμασάντων ὁμόσε. οἱ πλείους οὐκ ἐπίστανται τίς ἐστιν ὁ κρόνος ἢ τίς ὁ βῆλος· ἔνιοι μὲν σέβονται τὸν κρόνον καὶ τοῦτον αὐτὸν ὀνομάζουσι Βὴλ καὶ Βάλ, μάλιστα οἱ οἰκοῦντες τὰ ἀνατολικὰ κλίματα, μὴ γινώσκοντες, μήτε τίς ἐστιν ὁ Κρόνος, μήτε τίς ἐστιν ὁ βῆλος: παρὰ δὲ ῥωμαίοις Σατοῦρνος ὀνομάζεται· οὐδὲ γὰρ αὐτοὶ γινώσκουσι τίς ἐστιν αὐτῶν πρότερος ὁ κρόνος ἢ ὁ βήλ. Ita Saturnus & Belus antiquiores fuerint bello Trojano annis 322. Arnobius lib. 2, adv. gentes: *Ante quadringentos annos religio* (inquit) *veſtra non fuit. Et dii veſtri non fuerunt ante millia annorum duo. Quibus iſtud rationibus colligi aut quibus ſupputationibus poteſt? Non difficilibus non obſcuris, ſed quas poſſit videre, qui volet & contrectare (quemadmodum dicitur) manibus. Quis Iovem cum fratribus genuit? Genitalibus Opis adjunctus Saturnus (ut vos fertis) Cælo atque Hecata procreatus. Quis Picum Fauni patrem atque avum Latini? Saturnus, ut iidem vos veſtris ſcriptis atque autoribus traditis. Ergò ſi hac ita ſunt, ſequitur, ut Picus & Iupiter germanitatis ſibi ſociati ſint jure: ut pote uno ex ſanguine, unoque ex ſemine procreati. Conſentaneum eſt ita eſſe, quod dicitur. Ab Iove & Pico quot ſunt generis uſque ad Latinum gradus? Trini ut indicat ſeries. Vultis Faunus, Latinus & Picus annis vixerint vicenis atque centenis? Vltrà enim negatur poſſe hominis vita produci. Æſtimatio juſta & liquida eſt. Trecenti ergo ſunt pleni & ſexaginta poſt hos anni. Res ita eſt ut indicat ſupputatio. Cujus ſocer Latinus fuit? Æneæ. genitoris Latini. Cujus? Albani oppidi conditoris. Quot apud Albam regnatum eſt annis? Quadringenis & prope bis ſenis. Ætatis urbs Roma cujus eſſe in annalibus indicatur? Annos ducit quinquaginta & mille, aut non multum ab his minus. Ergò ab Iove qui frater eſt Pici, quique pater eſt minorum & reliquorum deorum, anni ad hæc tempora, prope millia duo ſunt, haud pleni, ut largiamur ætati.* Haud plenos eſſe, dicit Arnobius, annos prope millia duo. Colliguntur enim ex illis partibus, quas poſuit, mille octingenti triginta. Deinde tribus ætatibus Pici, Fauni, Latini nimium dat. Si enim centum & viginti annos iſtorum quemlibet vixiſſe largiamur, non tamen in extremo vitæ anno genuiſſe largiemur. Autor libelli de origine gentis Romanæ, Janum primum in Italiam veniſſe ab eoque exceptum eſſe Saturnum refert pro certo conſtare. *Quod cum ita exiſtimetur*, inquit, *certum tamen eſt priorem Ianum in Italiam deveniſſe; ab eoque poſtea venientem exceptum eſſe Saturnum.* Poſt Janum & Saturnum regnavit Picus, poſt Picum Faunus: quo regnante, ante annos circiter ſexaginta, quam, Æneas in Italiam deferretur, Euander Arcas ſimul cum matre eodem venit. Hinc colligeremus non plus quam centum & quinquaginta annis ante bellum Illiacum, Saturnum veniſſe in Italiam, fugientem arma Jovis & regnis ademptis exulem. At videntur Phænicum hiſtoriæ Saturnum multò antiquiorem facere. Quod è Thallo allegat Theophilus Belum Saturno opem tuliſſe adverſus Jovem, refero ad Saturnum juniorem, qui videtur nomen Beli obtinuiſſe: quod tamen Sanchuniatho Jovi tribuit. At quia in ætatem Ogygis id refert eam inveſtigemus è Græciæ antiquitatibus.

Antiquitates Græciæ ante & circa Exodum Hebræorum.

Varrò tria diſcrimina temporum eſſe tradebat: Primum ab hominum principio ad cataclyſmum priorem, quod propter ignorantiam vocetur

ἄδηλον,

ἄδηλον, Id non poſſe ſciri, quot annorum ſit. Diluvii Noë nulla illi notitia, Ogygium noverat tantum. Secundum à cataclyſmo priore ad olympiadem primam; quod, quia in eo fabuloſa multa referuntur, μυθικὸν nominetur. Id non plane quidem ſciri ſed tamen ad mille circiter & DC. annos eſſe credi. Hoc per partes ex noſtra emendatione ita digerit: *A priore ſcilicet Cataclyſmo quem Ogygium dicunt ad Inachi regnum anni circiter quadringenti. Ab Inachi regno ad Caſum Ilii anni circiter ſeptingenti. Hinc ad Olympiadem primam paulo plus quadringenti.* Quod deinde à prima olympiade ſequebatur, ἱστορικὸν appellat. Idem Varro notat Ogygen vixiſſe mille quadringentis annis ante Romam conditam. Ogygen igitur antiquiſſimum facit. Africanus diluvium Ogygis ab initio Olympiadum removet ſolis annis mille & viginti, quæ eſt immanis diſcrepantia. Rejicit enim id diluvium infrà Inachum. Africanus apud Euſebium Chronicorum lib. 1. Φαμὲν τοίνυν ἐκ γε τοῦδε τοῦ συντάγματος, Ὤγυγον, ὃς τοῦ πρώτου κατακλυσμοῦ γέγονεν ἐπώνυμος, πολλῶν διαφθαρέντων διασωθεὶς, μετὰ τὴν ἀπ' Αἰγύπτου τοῦ λαοῦ μετὰ Μωσέως ἔξοδον γεγενῆσθαι. Et paucis interjectis: Μετὰ δὲ Ὤγυγον διὰ τὴν ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ πολλὴν φθορὰν ἀβασίλευτος ἔμεινεν ἡ Ἀττικὴ, μέχρι Κέκροπος, ἔτη ρπθ. Τὸν μὲν γὰρ Ὤγυγον Ἀκταῖον, ἢ τὰ πλαστὰ ὀνόματα τῶν ὀνομάτων οὐδὲ γενέσθαι φησὶν ὁ Φιλόχορος. Rurſum: Ἀπὸ Ὠγύγου τοίνυν ἐπὶ Κῦρον, ὅπως ἀπὸ Μωσέως ἐπὶ τὸν αὐτοῦ χρόνον ἔτη ασλε. Ἀλλὰ καὶ Ἑλλήνων δὲ τινες ἱστοροῦσι κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους γενέσθαι Μωσέα, Πολέμων μὲν ἐν πρώτῃ τῶν ἑλληνικῶν ἱστοριῶν λέγων· Ἐπὶ Ἄπιδος τοῦ Φορωνέως μοῖρα τοῦ Αἰγυπτίων στρατοῦ ἐξέπεσεν Αἰγύπτου, οἳ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ καλουμένῃ Συρίᾳ οὐ πόῤῥω Ἀραβίας ᾤκησαν. Ἀπίων δὲ Ποσειδωνίου περιεργότατος γραμματικῶν ἐν τῇ κατὰ Ἰουδαίων βίβλῳ, καὶ ἐν τετάρτῃ τῶν ἱστοριῶν φησι κατὰ Ἴναχον Ἄργους βασιλέα, Ἀμώσιος Αἰγύπτου βασιλεύοντος, ἀποστῆναι Ἰουδαίους, ὧν ἡγεῖσθαι Μωσέα. Theophilum lapſum eſſe dicas memoria, qui Ogygen cum ætate Jovis conjungit, trecentis tantum annis Iliaco bello vetuſtiore. Cum Moſen faciat octingentis annis præcedere. Non convenit illi cum Africano, multo minus cum Varrone. Pauſanias in Atticis: Ἀκταῖον λέγουσιν ἐν τῇ νῦν Ἀττικῇ βασιλεῦσαι πρῶτον· ἀποθανόντος δὲ Ἀκταίου Κέκροψ ἐκδέχεται τὴν ἀρχὴν, θυγατρὶ συνοικῶν Ἀκταίου. Dicemus ne, quod Actæum iſtum cum Ogyge confundat? Scaliger Argivorum reges ab Inacho ita digeſſit:

Inachus	ann. 50.	P. l. 2857.	M. C. 2092.
Phoroneus	ann. 60.	P. l. 2907.	M. C. 2142.
Apis	ann. 35.	P. l. 2967.	M. C. 2202.
Argus	ann. 70.	P. l. 3002.	M. C. 2237.
Criaſus	ann. 54.	P. l. 3072.	M. C. 2307.
Phorbas	ann. 35.	P. l. 3126.	M. C. 2361.

Hujus anno duodecimo naſcitur Moſes.

Triopas	ann. 46.	P. l. 3161.	M. C. 2396.
Crotopus	ann. 21.	P. l. 3207.	M. C. 2442.

Hujus anno 11. Moſes eduxit populum ex Ægypto.

Sthenelas	ann. 11.	P. l. 3228.	M. C. 2463.
Danaus	ann. 55.	P. l. 3239.	M. C. 2474. &c.

Apud Pauſaniam ita legimus: Ἴναχον δὲ βασιλεύοντα τὸν ποταμὸν ἀφ' ἑαυτοῦ λέγουσιν ὀνομάσαι καὶ θῦσαι τῇ Ἥρᾳ. λέγεται δὲ καὶ ὧδε λόγος· Φορωνέα ἐν τῇ γῇ ταύτῃ γενέσθαι πρῶτον· Ἴναχον δὲ οὐκ ἄνδρα ἀλλὰ τὸν ποταμὸν πατέρα εἶναι Φορωνεῖ. Et: Φορωνεὺς δὲ ὁ Ἰνάχου τοὺς ἀνθρώπους συνήγαγε πρῶτον ἐς κοινὸν, σποράδας τέως καὶ ἐφ' ἑαυτῶν

ἑαυτῶν ἑκάστῳ οἰκοῦντας· καὶ τὸ χωρίον ἐς ὃ πρῶτον ἠθροίσθησαν, Ἄστυ ὠνομάσθη Φορωνικόν. Ob antiquitatem dubitatur Inachusne homo fuerit an fluvii nomen. Si ex eo editus Phoroneus, homo fuit. Superat ea vetuſtas hominum memorum. Phoroneus primus homines diſperſos in unum collegit & civitatem appellavit Phoronicon. Varro Thebas putat conditas eſſe ab Ogygo, cum ſint conditæ à Cadmo, multò ſerius. Phoronicon Thebis antiquius eſt. Phoroneo ſucceſſorem dat Pauſanias non Apin ſed Argum ipſius ex filio nepotem. Argo Piraſum & Phorbantem natos eſſe Phorbante Triopan, Triopa Jaſum & Agenorem. Jaſum regnaſſe ante Crotopum Agenoris filium, patrem Sthenelæ. Jaſus iſte filiam habuit Jo. Eam rapuiſſe Phœnices tradit Herodotus & in Ægyptum deportaſſe, antequam Cretenſes Tyriorum regis filiam, quæ Europa appellabatur, raperent. Apud Herodotum legitur Ἰοῦν τὴν Ἰνάχου, quæ multorum ſententia fuit. Cæterum primos illos reges Argivorum minus recte in Euſebianis Scaligeri poſitos eſſe res dicit. Quid facit illic Apis? Quis credat Argum ſeptuaginta annis imperaſſe. Quis Inachum & Phoronea impleviſſe annos centum & decem in imperio? E Caſtore annos digeſſit Euſebius. Apollodorus in libro ſecundo Bibliothecæ, Inachum, inquit, Oceani & Tethyos filium, è Meliſſa Oceani genuiſſe Phoronea & Ægialea. Phoronea è Laodice nympha Apin & Nioben procreaſſe. Apin Peloponneſo nomen dediſſe Apiæ, interiiſſe inſidiis Thelxionis & Telchinis, ſine liberis, vivente patre Phoroneo. E Niobe & Jove natum Argum, ſucceſſiſſe Phoroneo & Argos Peloponneſo dediſſe nomen. Καὶ γήμας Εὐάδνην τὴν Στρυμόνος καὶ Νεαίρας, ἐτέκνωσεν Ἴασον, Πείρανθον, Ἐπίδαυρον, Κρίασον· ὃς καὶ τὴν βασιλείαν παρέλαβεν. ἐξ Ἰάσου δὲ Ἀγήνωρ γίνεται· τούτου δὲ Ἄργος ὁ πανόπτης. Hic Argus Apidis interitum ultus eſt. Ejus & Iſmenes Aſopi filiæ Jaſus filius fuit, quo editam eſſe dicunt Jonem. Κάστωρ δὲ ὁ συγγράψας τὰ χρονικὰ ἀγνοήματα καὶ πολλοὶ τῶν τραγικῶν, Ἰνάχου τὴν Ἰὼ λέγουσιν. Ἡσίοδος δὲ καὶ Ἀκουσίλαος Πειρῆνος αὐτήν φασιν εἶναι. Sic etiam de Argo πανόπτῃ lis eſt: ὃν Ἀσκληπιάδης μὲν Ἀρέστορος λέγει υἱόν· Φερεκύδης δὲ Ἰνάχου· Κέρκωψ δὲ Ἄργου καὶ Ἰσμήνης τῆς Ἀσωποῦ θυγατρός· Ἀκουσίλαος δὲ ἐκ γῆς γεγενῆσθαι αὐτὸν λέγει. Reges Argivorum Apollodorus & Pauſanias eodem ordine collocant: Inachus, Phoroneus, Argus, præterito Api. Tantò igitur recentior Inachus eſt, quam Euſebius & Scaliger volunt. Raptus ille Jonis contigit circà Exodum Hebræorum: deſcribit eam Herodotus ex Perſarum traditione: Περσέων μέν νυν οἱ λόγιοι Φοίνικάς φασι γενέσθαι τῆς διαφορῆς αἰτίους. Τούτους γὰρ ἀπὸ τῆς ἐρυθρῆς καλεομένης θαλάσσης ἀπικομένους ἐπὶ τήνδε τὴν θάλασσαν, καὶ οἰκήσαντας τοῦτον τὸν χῶρον, τὸν καὶ νῦν οἰκέουσι, αὐτίκα ναυτιλίῃσι μακρῇσι ἐπιθέσθαι, ἀπαγινέοντας δὲ φορτία Αἰγύπτιά τε καὶ Ἀσσύρια, τῇ τε ἄλλῃ χώρῃ ἐσαπικνέεσθαι καὶ δὴ καὶ ἐς Ἄργος. Τὸ δὲ Ἄργος τοῦτον τὸν χρόνον προεῖχε ἅπασι τῶν ἐν τῇ νῦν Ἑλλάδι καλεομένῃ χώρῃ. Ἀπικομένους δὲ τοὺς Φοίνικας ἐς δὴ τὸ Ἄργος τοῦτο, διατίθεσθαι τὸν φόρτον. Πέμπτῃ δὲ ἢ ἕκτῃ ἡμέρῃ ἀπ' ἧς ἀπίκοντο, ἐξεμπολημένων σφι σχεδὸν πάντων, ἐλθεῖν ἐπὶ τὴν θάλασσαν, γυναῖκας ἄλλας δὲ πολλὰς καὶ δὴ καὶ τοῦ βασιλέος θυγατέρα, τὸ δέ οἱ οὔνομα εἶναι κατὰ τὠυτὸ τὸ καὶ Ἕλληνες λέγουσι, Ἰοῦν τὴν Ἰνάχου. ταύτας, στάσας κατὰ πρύμνην τῆς νεός, ὠνέεσθαι τῶν φορτίων, τῶν σφι ἦν θυμὸς μάλιστα· καὶ τοὺς Φοίνικας διακελευσαμένους ὁρμῆσαι ἐπ' αὐτάς. Τὰς μὲν δὴ πλεῦνας τῶν γυναικῶν ἀποφυγέειν, τὴν δὲ Ἰοῦν σὺν ἄλλῃσι ἁρπασθῆναι. ἐσβαλομένους δὲ ἐς τὴν νέα οἴχεσθαι ἀποπλέοντας ἐπ' Αἰγύπτου. Οὕτω μὲν Ἰοῦν ἐς Αἴγυπτον ἀπικέσθαι λέγουσι Πέρσαι, οὐκ ὡς Ἕλληνες. *Perſarum quidem hiſtorici referunt Phœnicas fuiſſe dividiarum autores. Hos enim, cum adveniſſent à mari, quod Rubrum appellatur, ad hoc mare, & inſediſſent locum, quem & nunc inſident, mox longis navigationibus incubuiſſe: vehenteſque Ægyptias & Aſſyrias merces, cum alio, tum & Argos perveniſſe. Argos autem*

eâ tempeſtate omnibus locis, in regione quæ nunc Græcia dicitur, eminebat. Cum huc adveniſſent, mercimonia expoſuiſſe. Quinto vero aut ſexto die ab adventu, cunctis ferè divenditis, ad mare veniſſe feminas, alias multas & regis filiam. Dicunt autem ei fuiſſe nomen idem quod Græci, Ionem Inachi. Has ſtetiſſe in navis puppi, ementes quæ placita eſſent: At Phœnicas, hortamine edito, in eas irruiſſe. Pleraſque mulierum fuga evaſiſſe, Ionem autem cum aliis raptam: quibus in navim conjectis abiſſe navigantes in Ægyptum. Hunc in modum Io in Ægyptum perveniſſe memorant Perſæ non quemadmodum Græci. Regnante igitur Inacho naptus iſte factus ſit. Expediunt ſe Euſebius & Scaliger, qui duas nomine Jo fuiſſe volunt: filiam Inachi & Jaſi. At conſtat unam tantum raptam eſſe, quæ non procul abfuit ab exodo Hebræorum. Nec id dicere ulli veterum ante Euſebium in mentem venit. Conſtat Salomonis mortem duobus ſeculis Trojæ caſu fuiſſe poſteriorem. Si igitur ab Inacho ad Salomonem ſint anni ſeptingentis pauciores, erunt ad caſum Ilii pauciores quingentis. Si omnino ſeptingenti anni ſint ab Inacho ad Troica, quadringentis annis Inachus Exodo antiquior erit, quod ego non credo. Phœnices adveniſſe à mari Rubro & ſedem cepiſſe ad mare internum haud longo tempore ante populi Iſraël ex Ægypto abitum videtur docere. Gen. x. 14. inter Meſtræmi filios ponuntur Pathruſim & Caſluhim & Caphthorim: dicuntur antem Philiſtiim (Palæſtini) è Caſluhim egreſſi eſſe. Enimvero nulla mentio eſt Palæſtinæ inter populos, qui à torrente Ægypti ad Eufratem poſiti, recenſentur Geneſeos xv. quorum terram Deus Abrahami poſteris ſe eſſe daturum promittit. Atqui in ea terra poſteà incoluiſſe Palæſtinos res certa eſt. Capite tamen xxi. Abimelechi regnum vocatur terra Palæſtinorum, v. 32. 34. Ita Abimelech appellatur rex Palæſtinorum & ſubditi Palæſtini cap. 26. Qui ſcilicet in cap. xx. 2. appellatus erat rex in Gerat. Ita non occurrit nomen Palæſtinorum ante cap. xxi. in terra promiſſionis. Dicemusne Palæſtinos ab iſto Abimelech in hanc regionem vocatos eſſe, è quibus & ipſe oriundus fuerit? Conſtat Palæſtinos eſſe Ægyptii generis non Cananæi: quia orti è Meſtræmo non Canaan. Hi Palæſtini artis navigandi peritiſſimi fuiſſe videntur, ſicut & Idumæi, qui mari Rubro dedere nomen. Ex his gentibus pars miſta Sidoniis Tyrum condidit (uti videtur) mercaturæ nobiliſſimam ſedem. Id, niſi fallor, innuit Herodotus, qui fortaſſis etiam inaudiverat de Hebræorum exitu ex Ægypto ſeu terra Goſen, eumque confudit cum Phœnicum ſeu Palæſtinorum immigratione. Res veterum Græcorum id eſt ipſæ origines mixtæ fuerunt rebus Phœniciæ & Ægypti.

Clemens Alexandrinus è Tatiano: Παλαίτερα δὲ τῶν ἑλληνικῶν τὰ Ἀργολικά, τὰ Ἰνάχου λέγω, ὡς Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασσεὺς ἐν τοῖς χρόνοις διδάσκει. Τούτων δὲ τεσσαράκοντα μὲν γενεαῖς νεώτερα τὰ Ἀττικά, τὰ ἀπὸ Κέκροπος τοῦ διφυοῦς δὴ καὶ αὐτόχθονος, ὥς φησι κατὰ λέξιν ὁ Τατιανός. Ἐννέα δὲ τὰ Ἀρκαδικά, τὰ ἀπὸ Πελασγοῦ. λέγεται δὲ καὶ οὗτος αὐτόχθων. Τούτων δὲ ἄλλα πεντήκοντα δυοῖν νεώτερα, τὰ Φθιωτικά, τὰ ἀπὸ Δευκαλίωνος. Εἰς δὲ τὸν χρόνον τῶν τρωικῶν, ἀπὸ Ἰνάχου γενεαὶ μὲν εἴκοσι ἢ πλείονες ἀριθμοῦνται, ἔτη δὲ, ὡς ἔπος εἰπεῖν, τετρακόσια καὶ πρόσω. Inachum autem quinquaginta duabus generationibus Cecrope antiquiorem eſſe narrat: quum fuerit viginti generationibus ante bellum Trojanum. Hæc non conſtant. Deinde viginti generationibus removet Inachum à Troïcis, quas quadringentos annos facere ſcribit. Si quadringenti anni ſunt ab Inacho ad caſum Ilii, Inachus minus centum annis ab Hebræorum Exodo (ſecundum verum calculum) diſtat. Nam Exodus anno O. C. 2453. excidium Ilii anno O. C. 2767. differentia eſt annorum 314. Scaliger τετρακόσια emendat in ἑπτακόσια, quia anni ſeptingenti implentur viginti & una generationibus. Idem Clemens infer-

inferius ita tempora computat: Ἀπὸ δὲ τῆς Μωυσέως στρατηγίας καὶ Ἰνάχου ἐπὶ τὸν Δευκαλίωνος κατακλυσμόν· τὴν δευτέραν λέγω ἐπομβρίαν· καὶ ἐπὶ τὸν Φαέθοντος ἐμπρησμόν· ἃ δὴ συμβαίνει κατὰ Κρότωπον· γενεαὶ τεσσαράκοντα ἀριθμοῦνται· εἰς μέντοι τὰ ἑκατὸν ἔτη τρεῖς ἐγκαταλέγονται γενεαί. *A Moſis ducatu & Inacho uſque diluvium Deucalionis (ſecundam dico inundationem) & Phaethontis incendium (quæ evenere ſub Crotopo) generationes quadraginta numerantur. In centum autem annos tres recenſentur generationes.* Non ſunt ab Inacho ad Crotopum quadraginta generationes id eſt, anni ſupra mille & trecentos. Clemens ipſe Triopam bis ſeptima generatione ſtatuit, Crotopus igitur in octava fuir, Expreſſè Cecropem collocat ſub Triopa: Κατὰ δὲ Τριόπαν Προμηθεὺς καὶ Ἄτλας καὶ Ἐπιμηθεὺς καὶ ὁ Διφυὴς Κέκροψ: Er revera Argolicæ res quatuor tantum generationibus Cicropem anteceſſere. Dicit tamen ab Inacho ad Cecropem ſeu Atticorum initium item ad Crotopum eſſe quadraginra generationes. Atqui ab Inacho ad Troica tantum ſunt viginti aut paulo plures generationes. Clemens ab Inacho ad Troïca per partes ita compatat:

Ad diluvium Deucalionis	
Ad Idæ incendium	73.
Ad Raptum Ganymedis	65.
Ad Perſei expeditionem	15.
Ad Trojam conditam	34.
Ad Expeditionem Argonautarum	64.
Ad Theſea & Minotaurum	32.
Ad ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας	10.
Ad Olympiam agona Herculis	3.
Ad Helenæ raptum à Theſeo	9.
Ad Herculis ἀποθέωσιν	11.
Ad Raptum Helenæ ab Alexandro	4.

Hæc collecta in ſummam edunt annos 320: deſiderata prima parte ab Inacho ad Crotopum, quæ eſt ſeptem generationum. Cum ipſe totam ſummam faciat quadringentorum annorum & ultra, centum anni ferme ad primum articulum pertinebunt. Si credendum ſit tabulæ regum Scaligeranæ, in iſto primo articulo anni erunt 300. Ita nondum impletur numerus 700. A Moſis ortu ad mortem Salomonis colligit annos ſexcentos octoginta tres. Atqui Salomone vivente Menelaus capta Troja in Phœniciam venit. Sed quid hæremus? Tatianus etiam (è quò hauſit Clemens) quadringentos annos ponit inter Inachum & bellum Trojanum. Unde certum eſt Clementis locum non eſſe vitiatum. Argolicas res antiquiſſimas fuiſſe totius Græciæ Clemens aſſerit, ab Inacho habentes principium: Unde ſequitur Sicyonias non eſſe repetendas ab altiori Principio.

Reges Sicyoniorum apud Euſebium è Caſtore Chronographo: quos digeſſit Scaliger.

Ægialeus	ann. 52.	Periodi Jul. 2625.	M. C. 1860.
Europs	ann. 45.	Per. Jul. 2677.	M. C. 1912.
Telchin	ann. 20.	Per. Jul. 2722.	M. C. 1957.
Apis	ann. 25.	Period. Jul. 2742.	M. C. 1977.
Thelxion	ann. 52.	Period. Jul. 2767.	M. C. 2002.
Ægyrus	ann. 34.	Period. Jul. 2819.	M. C. 2054.

Thurimachus	ann. 45.	Per.	Jul. 2853.	M. C. 2088.
Leucippus	ann. 53.	Period.	Jul. 2898.	M. C. 2133.
Meſapus	ann. 47.	Period.	Jul. 2951.	M. C. 2186.
Peratus	ann. 46.	Period.	Jul. 2998.	M. C. 2233,
Plemnæus	ann. 48.	Period.	Jul. 3044.	M. C. 2279.
Orthopolis	ann. 63.	Period.	Jul. 3092.	M. C. 2327.
Marathon	ann. 30.	Period.	Jul. 3155.	M. C. 2390.
Marathus	ann. 20.	Period.	Jul. 3185.	M. C. 2420.
Echyreus	ann. 55.	Period.	Jul. 3205.	M. C. 2440.

Hujus anno decimo tertio Moſes eduxit populum ex Ægypto.

Corax	ann. 30.	Period.	Jul. 3260.	M. C. 2495.

Pro Apide Euſebius Pelopem, quarto loco, eiſdem annis regni ponit. Et dicit ſub Thurimacho Inachum, primum Argivorum regem fuiſſe, ſub Marathonio Cecropem διφυῆ primum Atticæ regem: ſub Maraſo (ſic vocat) exitum populi ex Ægypto: ſub Echyreo Danaum. Apollodorus Inacho natum eſſe Phoronea & Ægialea dicit, adeoque ſignificat duos fratres, vicina regna tenuiſſe, partes Peloponneſi, Ægialea ἄπαιδα obiiſſe, dictam ab eo Peloponneſum eſſe Αἰγιάλειαν. Ab ejus obitu totius Peloponneſi potitus Phoroneus. Eo vivente Apis (à quo Peloponneſus Apia vocata eſt) per inſidias interiit: Argus Argis regnum obtinuit, nepos Phoronei è Niobe. Nam Thelxion & Telchin Peloponnoſi partem in qua Apis regnaverat, occuparunt. Secundum Acuſilaum Argi è Niobe frater fuit Pelaſgus à quo Peloponneſus Pelaſgiæ nomen adepta eſt. Pauſanias refert Sicyonios de regione ſua ita dicere: Ægialea Αὐτόχθονα primum illic natum eſſe. Καὶ πελοποννήσου δὲ ὅσον ἔτι καὶ νῦν καλεῖται Αἰγιαλὸς, ἀπ᾽ ἐκείνου βασιλεύοντος ὀνομασθῆναι, καὶ Αἰγιάλειαν αὐτὸν οἰκίσαι πρῶτον ἐν τῷ πεδίῳ πόλιν· οὗ δέ ἐστι νῦν σφισι τὸ ἱερὸν τῆς Ἀθηνᾶς, ἀκρόπολιν ταύτην εἶναι. Ægialea igitur urbs, opus Ægialei, fuit arx Sicyonis. Hoc ordine deinde recenſet reges ſubſequentes, Europa, Telchinem, Apin, Thelxiona, Ægyrum, Thurimachum, Leucippum. Leucippum ſine maſcula prole fuiſſe, duas autem habuiſſe filias; quarum Calchima, compreſſa à Neptuno, peperit Peratum qui avo ſucceſſit. Nullam enim Meſapi mentionem facit. Peratum excepit Plemnæus, Plemnæum Orthopolis, Orthopolin Coronus, Coronum Corax, Coracem Epopeus Theſſalus: qua tempeſtate Nyćteus Thebis regnabat. Sicyoniorum primordia ſua extollentium eſt hoc, quod Ægialea primum regem è terra ortum ſua fuiſſe putent. Ita etiam Arcades Pelaſgum volunt αὐτόχθονα fuiſſe apud Pauſaniam in Arcadicis. Argus nepos Phoronei & Pelaſgus eodem vixerunt tempore, quia erant fratres juxta Acuſilaum. Una generatione Api poſterior uterque fuit. Apis Telchinis non fuit filius, ut eſt apud Pauſaniam è narratione Sicyonia, ſed fuit filius Phoronei germanus Niobes per inſidias interemptus à Thelxione & Telchine In tabella regum Pauſaniana Apis inter Thelxionem & Telchinem medius regnat. Fortaſſis Europem Ægialei filium Thelxion regno exuit Sicyonio, è quo euerſus ipſe locum fecit Telchini. Apollodorus: Ἄπις μὲν ὢν εἰς τυραννίδα τὴν ἑαυτοῦ μεταστήσας δύναμιν, καὶ βίαιος ὢν τύραννος, ὀνομάσας ἀφ᾽ ἑαυτοῦ τὴν Πελοπόννησον Ἀπίαν, ὑπὸ Θελξίονος καὶ Τελχῖνος ἐπιβουλευθεὶς ἄπαις ἀπέθανε. Pelaſgi filius Lycaon & Cecrops judice Pauſania, eadem vixerunt tempeſtate: Δοκῶ δὲ ἔγωγε Κέκροπι ἡλικίαν τῷ βασιλεύσαντι Ἀθηναίων καὶ Λυκάονι εἶναι τὴν αὐτήν. Lycaon iſte poëtis dicitur cauſam dediſſe diluvio Deucalioneo. Omnia conſpirant in id ut doceant Inachum non fuiſſe Ægialeo recentiorem: ideò Cle-

mens

nens: Ἡ γὰρ κατὰ τὴν Ἑλλάδα, κατὰ μὲν Φορωνέα, τὸν μετὰ Ἴναχον, ὁ ἐπὶ Ὠγύγου κατακλυσμὸς καὶ ἐν Σικυῶνι βασιλεία, πρώτου μὲν Αἰγιαλέως, εἶτα Εὔρωπος, εἶτα Τελχῖνος καὶ ἡ κρητὶς ἐν κρήτῃ. Ἀκουσίλαος γὰρ Φορωνέα πρῶτον ἄνθρωπον γενέσθαι λέγει· ὅθεν καὶ ὁ τῆς Φορωνίδος ποιητὴς εἶναι αὐτὸν ἔφη πατέρα θνητῶν ἀνθρώπων. Ἐντεῦθεν ὁ Πλάτων ἐν Τιμαίῳ κατακολουθήσας Ἀκουσιλάῳ γράφει· Καί ποτε προαγαγεῖν βουληθεὶς αὐτοὺς περὶ τῶν ἀρχαίων εἰς λόγους τῶν τῇδε, τῇ πόλει τὰ ἀρχαιότατα λέγειν, ἐπιχειρεῖ περὶ Φορωνέως τοῦ πρώτου λεχθέντος, καὶ Νιόβης, καὶ τὰ μετὰ τὸν κατακλυσμόν. Patet ſatis id Patres urgere & aſſumere Inachum Ogyge priorem eſſe: quod probant ex Acuſilao aliiſque, quemadmodum etiam quæ antiquiſſima ſunt Phoroneo, Inacho. Ogyge antiquiora eſſe dici ſolet quaſi proverbiali forma apud ſcriptores. Unde non videtur tantum Ogyges ſuperior Inacho eſſe, quemadmodum Varro ex aliis prodidit. Cum etiam Phoroneus hominum primus fuiſſe dicatur, non poteſt ea antiquius eſſe diluvium Ogygi. Hoc primum αἴτημα adverſus gentiles defendebant: alterum erat Inachum & Moſen ætate æquales fuiſſe, quod prodiderat Appion Grammaticus cum aliis inter Græcos ſcriptores; exceperant Joſephus & Juſtus Judæi. Hinc unanimi conſenſu Tatianus, Africanus, Clemens & omnes ante Euſebium, ita ſtatuerunt. Indignatur Georgius Syncellus inque Cæſarienſem illum acerrimè inſurgit, quod ab Inachi ætate ad Cecropis τὴν πρώτην τοῦ λαοῦ ἐξ Αἰγύπτου tranſtulerit. Propoſitum & ſcopus veterum fuit oſtendere quod non tantum diis & ſacris deorum ſed & antiquiſſimæ Græcorum memoriæ ſuppar fuerit Moſes. Non eſt contendendum ut hypotheſi noſtræ fulcimentum paremus, ſed ſimplici & puro oculo quærere decet veritatem. Varro voluit Ogygen quadringentis annis Inachum præcedere, id eſt, mille & centum annis Trojæ haloſin. Sic enim in diſtinctione temporum prodidit. Quamvis hoc ipſum non videatur quadrare cum eo, quod dixit ante ſeptingenteſimum urbis annum effluxiſſe ab Ogyge ſeu Thebis annos bis mille & centum. Apud Solinum inter Ogygum & Deucalionem differentia eſt annorum 600. *Meminiſſe*, inquit, *hoc loco par eſt poſt primum diluvium Ogygi temporibus notatum, cum novem & amplius menſibus diem continua nox inumbraſſet, Delon ante omnes terras radiis ſolis illuminatam, ſortitamque ex eo nomen, quod prima reddita foret viſibilis. Inter Ogygum ſane & Deucalionem medium avum ſexcentis annis datur.* Cum Deucalionis diluvium fuerit ſub Crotopo id eſt poſt annum M. C. 2440. Ogygus retrocedet ut ſit poſt annum 1840. His ſi addas annos 400. ad Inachum & 700. ad Troica tempora, pervenies ad annum M. C. 2940. Puto ſecundum intervallum temporum, quod Varro vocat Μυθικὸν, annorum conſtitui à Varrone CIↃ CC. Eoque articulum inter Inachum & caſum Ilii eſſe annorum CCCC. Quia omnes articuli æquales erant & CCCC. annos habebant, facile excidere unus numerus & præteriri potuit. Exiſtimo me illi loco Varronis ſanitatem reſtituiſſe. Si à Diluvio Deucalionis Ogyges abfuit ſexcentis annis, qui Inachum quatuor ſeculis anteivit, relinquitur Inachum & Deucalionem duobus diſcriminari. Pro ſexcentis legamus quingentos aut intelligamus rotundo numero dictum quod magno defectu plenum non erat. Non poteſt Deucalion quatuor ſeculis junior eſſe Inacho, cum utriuſque genus ex adverſo ſtatuatur apud Mythologos, tanquam diverſis Græciæ partibus circa conjuncta tempora imperantium. Apollodorus Deucalionis genus ante Inachium perſequitur. Clemens expreſſe dicit illis generationibus, quæ inter Inachum & Deucalionis diluvium interjectæ fuere, non multò plus ſigillatim, quam triginta annos deberi. Septem igitur iſtæ faciunt tantum ſupra annos ducentos. Proinde Scaligeranis annis, quos ſingulis regibus attribuit, fides dari non debet. Joſephus cum Inacho connectit Moſen, facit tamen inter exitum po-

puli ex Ægypto ſexcentorum ferè annorum medium ævum. Sic recentior Inachus aut ſibi non conſtat.

Græcia illa prima populos habuit Æolici, Dorici & Jonici generis. Jonici fuere Athenienſes, Dorici Peloponnenſes; Æolici, qui in Phthiotide & Theſſalia. His ſe miſcuere Phœnices & Ægyptii: Ægyptii Atticis & Dorienſibus, Phœnices Æolenſibus. Apin Argivorum regem dicunt eſſe Sarapin. Clemens Stromat lib. 1. Κάδμος μὲν ὁ Σεμέλης πατὴρ, ἐπὶ Λυγκέως εἰς Θήβας ἔρχεται καὶ τῶν ἑλληνικῶν γραμμάτων εὑρετὴς γίνεται. Τριόπας δὲ συγχρονεῖ Ἴσιδι, ἑβδόμῃ γενεᾷ Ἰνάχου. Ἴσιν δὲ τὴν καὶ Ἰὼ φασὶν διὰ τὸ ἰέναι αὐτὴν διὰ πάσης τῆς γῆς τὴν αὐτὴν ταύτην δὲ Ἴστρος ἐν τῷ περὶ τῆς Αἰγυπτίων ἀποικίας Προμηθέως θυγατέρα φησί. Προμηθεὺς δὲ κατὰ Τριόπαν, ἑβδόμῃ γενεᾷ μετὰ Μωϋσέα· ὥστε καὶ πρὸ τῆς καθ' Ἕλληνας ἀνθρωπογονίας, ὁ Μωϋσῆς ἠκμακέναι φαίνεται. Λέων δὲ ὁ τὰ περὶ τῶν κατ' Αἴγυπτον θεῶν πραγματευσάμενος, τὴν Ἴσιν ὑπὸ Ἑλλήνων Δήμητρα καλεῖσθαί φησιν, ἣ κατὰ Λυγκέα γίνεται ἑνδεκάτῃ ὕστερον Μωϋσέως γενεᾷ. Ἆπις τε ὁ Ἄργους βασιλεὺς, Μέμφιν οἰκίζει ὥς φησιν Ἀρίστιππος ἐν πρώτῃ Ἀρκαδικῶν. Τοῦτον δὲ Ἀριστέας ὁ Ἀργεῖος ἐπονομασθῆναι φησὶν Σάραπιν· καὶ τοῦτον εἶναι ὃν Αἰγύπτιοι σέβουσιν. Νυμφόδωρος δὲ ὁ Ἀμφιπολίτης, ἐν τρίτῳ νομίμων Ἀσίας, τὸν Ἆπιν τὸν ταῦρον τελευτήσαντα καὶ ταριχευθέντα εἰς σορὸν ἀποτίθεσθαι τῷ ναῷ τοῦ τιμωμένου δαίμονος. κἀντεῦθεν σορόαπιν κληθῆναι καὶ Σάραπιν, συνηθείᾳ τινὶ τῶν ἐγχωρίων, ὕστερον. Ἆπις δὲ τρίτος ἐστὶν ἀπὸ Ἰνάχου. *Cadmus quidem Semeles pater ſub Lynceo Thebas venit, factuſque eſt Græcarum literarum inventor. Triopas autem coævus eſt Iſidi ſeptima generatione poſt Inachum. Iſin quam & Io vocatam eſſe dicunt, quod iverit errabunda peo orbem univerſum. Hanc Iſter in libro de Ægyptiorum colonia, Promethei filiam facit. Prometheus autem, tempore Triopæ fuit ſeptima generatione poſt Moſen. Vt appareat Moſen floruiſſe ante hominum ortum ſecundum Græcos. Leo autem qui compoſuit de diis Ægyptiis Iſin à Græcis Demetra (Cererem) vocari dicit, quæ fuit ſub Lynceo, undecima generatione poſt Moſen. Et Apis Argivorum rex, Memphin condit, ut dicit Ariſtippus in primo Arcadicorum. Hunc autem Ariſteas Argivus cognominari dicit Sarapin & hunc Ægyptii colunt. Nymphodorus verò Amphipolita, in tertio legum Aſiæ, Apin, taurum mortuum & ſallitum, condi loculo, in templo dei, qui colitur: atque inde, Soroapin appellatum & Sarapin poſteà, conſuetudine quadam incolarum. Apis autem tertius eſt ab Inacho.* Julius Firmicus de errore profan. relig. *Huic* (Joſeph) *poſt mortem Ægyptii patrio gentis ſuæ inſtituto templa fecerunt: & ut juſtam diſpenſationis gratiam poſteritas diſceret, quo modo* (legend. modio) *eſurientibus & ementibus frumenta diviſerat, capiti is ſuperpoſitus eſt. Nomen etiam ut ſanctius coleretur, ex primo autore generis accepit* (Gen. 21.) *Nam quia Sara pronepos fuerat, ex qua nonagenaria Abraham indulgentia Dei ſuſceperat filium, Serapis dictus eſt Græco ſermone, hoc eſt* Σαῤῥᾶς ἀπὸ. Rufinus hiſt. 2. 23. *De Serapidis origine diverſa fertur opinio, alii Iovem putant, cujus capiti modius ſuperpoſitus, vel quia cum menſura modoque cuncta indicet moderari, vel vitam mortalibus frugum largitate præberi. Quidam in honorem noſtri Ioſeph formatum perhibent ſimulachrum ob dimenſionem frumenti, qua famis tempore ſubvenit Ægyptiis.* Videatur Suidas in voce Sarapis. Autor de mirabilibus ſacræ ſcripturæ lib. 1. cap. 15. *Ioſeph ergò ut vir propheticus, prævidit quod Ægyptiorum gens idololatriæ dedita, ipſum qui terrena munificentia illis author fuiſſet & ipſos famis periculo liberaſſet, aliquando adorare vellent, quod & fecerunt: Nam bovis ſimulachrum juxta ſepulchrum Ioſeph ſtatuerunt: eo quod bos viro in agricultura cooperetur. Qua etiam cauſa filii Iſraël, cum in deſerto idolum adorare vellent, non aliam aliquam ſtatuam, quam vitulum, id eſt, Iovum fecerunt: hac vel maximè cauſa, quod ipſe in Ægypto juxta ſepulchrum Ioſeph adoraretur. Ne ergo Ioſeph Ægyptiorum idololatriæ ſuc-*

cum-

cumberet &c. Plutarchus in libello de Iſide & Oſiride, narrat Ægyptios Plutonem appellare vocabulo Sarapidis. Carpit Phylarchum, qui ſcriberet primum ex Judia Bacchum adduxiſſe boves duos, quorum Apis alter, alter Oſiris ſit dictus. Cæterum Sarapin eſſe ejus nomen, qui univerſum ordinat atque ornat, quod voce σαίρειν quidam exprimant. Hæc dicit eſſe Phylarchi abſurda: abſurdius eos ſentire qui Sarapin velint non eſſe Deum ſed ſepulchralem ciſtam, σορὸν Apidis. Sarapis, Apis, Oſiris diſtincta fuerunt hominum vocabula, quamvis bos etiam alter Apis nomen habuerit. Plutarchus aliique (ut ſolent philoſophi ejus ævi) omnia ἀλληγοροῦσι & in unum compingunt. Plutarchus: *Alia etiam apud Ægyptios fertur fabula, Apopin Solis fratrem bellum moviſſe adverſus Iovem, & Oſirin à Iove, cui in hoſte debellando auxilium tuliſſet adoptatum filii loco; Dionyſumque id eſt Bacchum fuiſſe appellatum.* Hæc eſt fabula à Græcis conficta, non ex Ægyptiorum prompta antiquitate. Refert Plutarchus apud Ægyptios ferri Bacchum filium Iſidis eſſe non Oſiridis ſed cujuſdam Arſaphis nomine. Mnaſeas Epapho apponit Liberum, Oſirim & Sarapin: Anticleidas Iſin Promethei filiam Liberi uxorem eſſe ſcripſit. In ſucceſſione regum ſcribi narrat idem Plutarchus Nephthyn Typhoni nuptam primò ſterilem fuiſſe. Ferri etiam quod Iſis Orum juſto partu ex Oſiride ediderit, Nephthys Anubin furtivo. Oſirin alii vixiſſe 29. annis, alii regnaſſe. Apollodorus lib. 1. narrat Jo ab Jove compreſſam, mutatam eſſe in vaccam: quam cum Juno ab ipſo impetraſſet, dediſſetque cuſtodiendam Argo Panopti, Argum à Mercurio interfectum eſſe. Ἥρα δὲ τῇ βοῒ οἶστρον ἐμβάλλει, Juno huic vaccæ œſtrum immitrit, qua concita, Jonium mare (cui ex eo nomen) trajicit, inde per Illyrin progreſſa Hæmum montem tranſcendit, Boſporum tranat. Huic etiam ex eo nomen manſit. Scythia inde, Cimmeriorum terra, item plериſque regionibus Aſiæ percurſis per mare in Ægyptum pervenit. Illic ſibi reſtituta Epaphum peperit. Puerum Curetes, precibus Junonis moti, occulunt. Jupiter Curetes morte plectit: at Jo inveſtigans filium, totam pervagata Syriam (ubi Bybliorum regina eum nutriebat) reperto filio, revertitur in Ægyptum: nubitque Telegono Ægyptiorum regi. Statuit autem ſimulachrum Cereri, quam Ægyptii appellaverint Iſin: qui etiam ipſam Jo eodem nomine affecère. Epaphus adeptus Ægypti regnum, ductaque Memphi Nili filia, urbem ex ejus nomine condidit. E Memphi genuit Libyam, Neptunus è Libya Agenora & Belum. Agenor in Phœnicen profectus, illic regnum obtinuit. Belus Ægypti imperio potitus ex Anchiale Nili filia Ægyptum & Danaum procreat: ſimiliter Cephea & Phinea. Hactenus ex illo. Jo igitur non eſt Iſis quia Iſide poſterior ipſi ſimulachrum ſtruxit. Jo terram erroribus ſuis obiiſſe fertur, unde celebrati proverbio Ἰοῦς δρόμοι: & Σωθιακὴ περίοδος apud Clementem τῇ στρωματίᾳ, interprete Scaligero, nihil aliud ſignificat quam errores illos Jonis. Hæc ſuffecerit allegaſſe hoc loco: nam plura & jam notiora rerum Græciæ, Phœniciæ & Ægypti ad ſequentem tractatum pertinebunt. Hic obſcuriſſima initia. Moſes noſter ſacris Græcorum & diis ipſorum antiquior, ita & literis fuit. Scripſit cum in Græcia prima barbaries & inculti mores omnia tenerent, nec ſatis culta loca eſſent, quæ florente Græcia florebant multitudine populi, opibus omnique cultu & ſapientia. Non eſt derivata ad Græcos ulla à patriarchis notitia, primi à turri Babylonica, conditores harum gentium, ad vias ſuas dejecti, pecudum & ferarum ritu in agreſti inconditoque vitæ genere, ſe ſobolemque habuerunt. Exſtant apud Cedrenum & in Chronico Alexandrino, Mythologumena Chriſtianorum aut aſſumpta à Chriſtianis de regno veteri Aſſyriæ & Italiæ, Saturno, Pico, Perſeo &c.

putida fabularum farrago, in qua mirifica & audaciſſima mentiendi libidine, orientis & occidentis hiſtoria pervertitur. Chus filium Noë facit, è quo Nemroth fuit. E Semo etiam prodiiſſe Saturnum, qui in Aſſyria multis annis regnavit. Habuiſſe in conjugio Semiramin, quæ eadem Rhea ſit, ex illa genuiſſe Picum cognomento Jovem. Alium etiam filium habuiſſe Ninum & filiam Junonem. E Junone Jovem genuiſſe filium, cui nomen fuerit Belus. Saturnum permiſſa Jovi Aſſyria, expeditione ſuſcepta occidentem ſubjeciſſe. Ex Pheaura genuiſſe Afraum, cui Libyam regendam commiſit. Ex Afrao Venerem natam, quæ nupſit Adonidi Cinyræ filio. Picus Jupiter, cum regnum Aſſyriorum triginta annis adminiſtraſſet, tradita filio Belo adminiſtratione Aſſyriæ ad parentem in Italiam properat. Belus poſt biennium defungitur, Aſſyriæ regnum ſuſcepit Ninus alter Saturni filius, qui matrem in matrimonium aſſumpſerit & Ninum urbem condiderit. Saturnus ſenio invalidus Jovi Pico regnum occidentis tradit. Sub Nino fuit Zoroaſtres; ſucceſſit Nino Thuras Zames. Hunc Martem bellatorem maximum fuiſſe, Baal lingua Perſica appellari: mentionem ejus eſſe in Danielis & trium puerorum hiſtoria. Poſt Martem regnaſſe Lamen, huic Sardanapalum magnum ſucceſſiſſe: cui vitam & regnum ademit Perſeus condito nomine & regno Perſarum. Hæc ſcripſiſſe Semeronium Babylonium Perſen.

Picus Jupiter vixit annis 120. Huic filius fuit Faunus, cui pater cognomen Mercurius fecit. Fuit etiam Hercules & Perſeus è Danae filia Acriſii. De qua Danae ſcripſit Brutius hiſtoricus ſapientiſſimus, in cubiculo, quod mare ſpectabat, concluſam, multoque auro perſuaſam, ut ſe præcipitem daret in mare, exceptam fuiſſe à Pico & compreſſam. Perſea pedum celeritate præſtantem, imbutum à Patre eſſe arte magica: πλὴν τὴν μαγείαν τοῦ μυστηρίου σκύφου. Eum Meduſæ caput amputaſſe, quo incantato hoſtes ſuperaverit. In Æthiopiam eum adveniſſe, ſolviſſe Andromedam: Lycaones Aſſyriæ ſuperaſſe, in Cilicia victis incolis Tarſum condidiſſe, hinc Sardanapalum occidiſſe. Perſas docuiſſe ignis cultum. Hæc tradi à Pauſania Chronographo. Inde bello cum Cepheo interiiſſe.

Pico regnante è Japeti poſteris fuiſſe Inachum in Argolide. Eum condidiſſe Jopolin: è Melia genuiſſe Jaſonem, Belum & filiam Jo. Hanc à Pico per emiſſarios raptam, peperiſſe Libyam. Dedignatam illius contubernium, fugiſſe in Ægyptum. At audito inibi Mercurium Pici filium regnum tenere in Sipilum Syriæ montem evaſiſſe. In Syria eam obiiſſe, ut ſapientiſſimus Theophilus tradidit. Inachus ad inquirendam filiam miſit fratres ejus & Triptolemum. At in Syria, cognito Jo obiiſſe, condidere Jopolin. Cujus incolæ Jonitæ appellentur & Antiochenſes memoriam adventus quotannis celebrare. Libya Pici filia Neptuno cuidam nupta peperit Agenora, Belum, Mavortem. Belus in Ægypto ex uxore Sida procreavit Ægyptum & Danaum. Agenor in Phœnice duxit Tyro, è cujus nomine urbem condidit. Procreavit ex ea Cadmum, Phœnicem, Syrum & Cilicem, filiamque Europam. Earum partium regnum tenuiſſe annis 63. Europam autem poëtas conſentientibus Chronographis Phœnicis Agenore nati filiam facere. Taurus autem Cretæ rex, commiſſo prælio Tyrum occupat, & in præda abduxit Europam. Ex ea Minoa genuit. Agenor, qui domo aberat, cum Taurus Tyrum occuparet, mittit Cadmum in Europam. Moribundus filiis tribus diviſit regiones, quas è ſuis nominibus appellavere. Phœnice regnante fuit Hercules Tyrius, philoſophus, qui purpuram invenit, monſtratu canis. Pici defuncti corpus in Creta ſepultum eſſe, ut tradiderit Diodorus Chronographus. Hactenus

farrago

farrago illa à Saturno ad mortem Pici ſeu Jovis, reliqua quæ ad Faunum pertinent, & ejus tempora, ſequenti tomo. Fuſius habentur apud Cedrenum, quam autorem Chronici, quod Alexandrinum appellatur: Inſulſa & inficeta illa latè credita fuerunt & arrepta, minus tamen quam Aſſyriaca & Indica Cteſiæ, apud ſeculi ſcriptores veteres, quos turba antiqua colligentium ſequitur. Comparent apud Suidam in Lexico. Abſurdiora ſunt nugamenta, quæ ſub nomine revelationum Methodii Martyris & Epiſcopi circumferuntur: è quibus Latini ſeculorum barbariæ ſuas compilationes impleverunt & ſuffarcinarunt.

Hactenus prima Pentas exercitationum hiſtoriæ ſacræ, ab Adam ad vocationem Moſis, de iis quæ Geneſeos lib. toto, libro Jobi & primis duobus capitibus Exodi deſcripta continentur. Anni ſunt 2452, ſecundum Hebræam veritatem. Ab ea deviant ſeptuaginta interpretum verſio Samariticus Hebræus textus ut ſupra diximus. Eutychius Alexandrinus ſequitur LXX. interpretum verſionem & tertiam ſententiam iſtius ſectæ facit. Nam quidam Græcorum (ſic appello qui calculum iſtum ſequuntur) annos 2242. alii 2262, media ſeu tertia ab ipſo principe, 2256. Ejus etiam hiſtoria ad fabulas Arabicas ſæpe deflectit. Vide Chronologiam Eutychii & mirare audentiam aclicentiam aſſerendi:

Ante Cataclyſmum.

I. Adam conditus. Lapſum expulit Deus è paradiſo, nona hora diei Veneris, in quendam è montibus Indiæ.
Eva parit Cain & puellam Azrun.
Eadem parit Abel & puellam Ovain.
230 Seth naſcitur.
930 Adam moritur feria ſexta, Luna 14. hora nona, ſexta Niſan qui eſt Barmuda.
435 Enos è Seth, habente annos 205.
625 Ex Enos (habente annos 190) naſcitur Caïnan.
735 Cum Enos annum ageret 300, Cain interit.
795 Cainani habenti annos 170 naſcitur Malaleel.
960 Jared, anno Malaleel 165.
1122 Enoch, anno Jared 162.
1140 Seth moritur viceſimo ſeptimo Ab qui eſt Meſri.
1287 Mathuſale anno Enoch 165.
1340 Obiit Enos, die Sabbati, ſole occidente, tertio Tiſrin prioris, qui idem eſt ac Baba.
1474 Lamech naſcitur, anno Mathuſale 187.
1487 Enoch à Deo in cælum tollitur.
1535 Obiit Cainan. Ita hic, ſuperius aliter: ſed hoc rectum eſt. Obiit feria quarta, circa meridiem, decimo tertio Haziran, qui eſt Baba.
1656 Noë naſcitur, anno Lamech 182.
1690 Malaleel obiit die ſolis, hora diei tertia, ſecundo Niſan, qui eſt Barmuda.
1861 Jared obiit, feria ſexta, ſub occaſum Solis, tertio Adar, qui eſt Bormahat.

2115 Lamech obiit, die Dominico, ſub occaſum Solis, Adar (Bormahat) decimo nono.
2256 Mathuſale obiit, die Veneris circa meridiem viceſimo primo Ilul, qui eſt Thut. Hoc anno ex ejus ratiociniis colligitur Diluvium factum eſſe, ſcribit tamen bis mille ducentos ſexaginta quinque.
2606 Noë moritur poſt diluvium die Mercurii, hora ſecunda, ſecundo menſis Ajar, qui eſt Baſnis.

Poſt Cataclyſmum.

2258 Arphaxat naſcitur.
2393 Cainan naſcitur, anno Arphaxad. 135 In verbione eruditiſſimi Pococci male expreſſum eſt centum quinquaginta tres. Nam habetur in Arabico ماية وخمسة وثلاثون.
2523 Naſcitur Sale, anno Cainan 130.
2653 Naſcitur Eber anno Sale 130.
2322 Arphaxad moritur menſe Niſan (Barmuda)
2756 Sem moritur menſe Ilul (Thut)
2787 Naſcitur Phaleg anno Eber 134. Ita habentur anni à diluvio ad natalem Phaleg 531. Colligit autem ab Adam annos 2787. ut manifeſtum ſit ab Adam ad diluvium computare 2256. Exiſtimo igitur mendum eſſe ſuperius in Arabica lectione الفان ومايتان وخمسة وستون corrigendum وخمسون وستة.
2823 Cainan moritur menſe Ab (Meſri)
2834 Turris Babel ædificatur annis quadraginta. Dicit ab Cataclyſmo ad ejus ſtructuram eſſe annos 587. Exprimit tamen ab Adam annos 2834. Alteruter igitur numerus cubat in mendo. Poſteriorem verum eſſe probat hoc quod anno Phaleg 46. dicat ſtructam eſſe turrim. Hos annos adde anno diluvii ſuperius poſito 531. invenientur 577. Igitur denario peccat prior numerus. Vitium evidens in lectione. Scribitur enim وثمانية وسبعين. Hic & ſuperius codices alii, quos Cl. vir adducit, melius habent.
2917 Naſcitur Ragu, anno Phaleg 130.
2983 Sale moritur menſe Adar, (Bormahut)
3049 Naſcitur Sarug, anno Ragu 132. Idololatria cœpit.
3126 Phaleg moritur menſe Ilul.
3135 Eber obiit menſe Canun ſecundo (Tuba)
3179 Naſcitur Nachor anno Sarug 130.
3256 Ragu moritur menſe Niſan.
3258 Thare naſcitur anno Nachor 79.

Ab Abraham.

3328 Abraham naſcitur anno Thare 70. A diluvio ad Abraham anni 1072: ab Adam 3328. à Phaleg. 541.
3379 Sarug moritur, menſe Adar.
3380 Nachor moritur, menſe Thamuz, (Abib)
3403 Abraham vocatur è Syria in Canaan, quam dicit vocari ارض الشام.
3414 Iſmael naſcitur.
3427 Abraham accipit ſacramentum circumciſionis.
3463 Thare moritur, menſe Ilul.

3465

3465 Abraam parat immolare filium, qua re audita contabuit Sara.
3468 Iſaac quadragenarius ducit Rebeccam.
3488 Rebecca parit Eſau & Jacob.
3503 Abraham moritur menſe Niſan (al. Adar)
3511 Iſmael moritur menſe Niſan.
3528 Eſau quadragenarius ducit filiam Iſmaelis, duxit etiam Cananæas & è filiabus Græcorum.
3575 Levi naſcitur, menſe Niſan.
3579 Joſeph naſcitur.
3608 Iſaac moritur, anno Jacobi 120.
3615 Caath naſcitur triennio ante ingreſſum in Ægyptum.
3617 Eſau moritur.
3618 Jacob cum univerſa domo deſcendit in Ægyptum. Ea tempeſtate floruit Job, quem dicit fuiſſe filium عاموص Amuſi, filii Zare, filii Raguelis filii Eſau.
3635 Jacob obiit, anno ſexageſimo vitæ Levi.
3675 Amram naſcitur.
3689 Joſeph obiit, anno Amram 15. Sic legi debet non anno 15. Cahath. Deinde Joſepho attribui debent anni 110, non 120.
3712 Levi moritur.
4742 Caath moritur.
3748 Mariam ſoror Moſis & Aaronis naſcitur. Anno Amram (non Caath, ut rurſus vitioſe legitur) 73.
3751 Aaron naſcitur.
3754 Moſes naſcitur. Filiam regis, quæ Moſes adoptavit, vocat سيعون Siun. Regionem, in quam Moſes confugiebat appellat ارض الحجاز *Hejaz*. Illic in urbe Madian duxiſſe uxorem Sepporam filiam Jethro, quem ab Arabibus vocari شعيب *Seeih*, natum eſſe Iſmaële, fuiſſe ſacerdotem in templo urbis illius.
3808 Moritur Amram. In Ægyprodum habitavit populus, dicit ipſis prophetaſſe Zare è filiis Judæ Zamri, Abjathar, Haiman, Halcuc, Darda & ſeptimum Moſen.

Numerat ab Abrahamo ad exodum annos quingentos & ſeptem, à Phaleg 1048. à diluvio 1579. ab Adam 3835. Si annis nati Moſis addas 80. habebis ann. 3835. quo fuit exodus. A diluvio ad Abraham 1072. quibus adde 507. ſumma eſt 1579. Phaleg Abrahamo antiquior annis 541, Ergò à Phaleg ad Exodum 1048.

Ab initio M: ad diluvium	2256.
ad Abraham	2072.
ad exitum	507.
	3835.

F I N I S.

I N D E X.

Rerum in hoc tractatu.

Gen. XXXIX. *Ioſephus in favore Domini. pag. 5.*
——appellatur ab hera pag. 6.
Qua repulſa excanduit pag. 7.
Ioſephus in carcerem conjicitur pag. 10.

Cap. XL. *Aulicorum, piſtoris & pincernæ ſomnia pag. 18.*
Mos relinquendi cadavera in ligno. pag. 24.
De ſomniis eorumque interpretatione. pag. 25.

Cap. IV. *Ioſephus interpretatur Pharaonis ſomnium. pag. 38.*
Conſtituitur Ægypti prorex. pag. 39.
Inaugurationi adhibita ſymbola quatuor. pag. 40.
Ioſephi conjugium. pag. 44.
Ioſephi cura in adminiſtranda dignitate. pag. 54.

Cap. XLII. *Fratres Ioſephi in Ægyptum primò veniunt. p. 48.*
Ioſeph duriter cum ipſis agit. pag. 51.
An juraverit juramentum illicitum? pag. 53.

Cap. XXXIII. *Fratres Ioſephi in Ægyptum ſecundo mittuntur. p. 65.*
Convivio excepti. pag. 69.

Cap. XLIV. *Fratres doloſe dimiſſi & retracti. pag. 80.*
Ubi de augurio poculi ibid.
Iudæ oratio pro Benjamin pag. 85.

Cap. XLV. *Ioſephus agnoſcendum ſe fratribus exhibet pag. 88.*
Expedit omnia adducendo patri in Ægyptum p. 92.

Cap. XLVI. *Iacob deſcendit in Ægyptum pag. 93.*
Familia Iacob, cum qua deſcendit in Ægyptum. pag. 95.
Iacob excipitur a filio Ioſeph. pag. 106.

Cap. XLVII. *Iacob Pharaoni benedicit. pag. 108.*
Ioſephi adminiſtratio in reliquo quinquennio ſterilitatis. pag. 112.
Iacob petit ſepeliri in Canaan. pag. 119.
Iudæorum nugæ de præſtantia terræ Iſrael. pag. 121.
De cœmiteriis. pag. 123.
Iacobi adoratio in lectulo pag. 125.

Cap. XLVIII. *Iacob adoptat Manaſſe & Efraim pag. 127.*
Eidem benedicit pag. 130.

Cap. XLIX. *Benedicit filiis pag. 134.*
Benedicit Ruben pag. 134.
—— Simeon & Levi. pag. 135.
—— Iuda pag. 138.
—— Zabulon & Iſachar pag. 142.
—— Dan pag. 142.
—— Gad pag. 144.
—— Aſer & Nephthali. pag. 145.
—— Ioſeph pag. 145.
De Meſſia filio Ioſeph pag. 149.
Iacob moritur pag. 150.

Cap. L. *Luctus ſuper eo pag. 150.*
Sepultura ejus. pag. 151.
De diebus luctus pag. 152.
Polyhiſtor è Demetrio de ingreſſu Iacobi in Ægyptum. pag. 154.
De luctu & cura funeris apud Ægyptios ex Herodoto & Diodoro Siculo, pag. 156.
Deprecatio fratrum apud Ioſephum pag. 160.
Ioſephi moribundi præcipit de tranſlatione oſſium ſuorum. pag. 164.
Ioſeph moritur. pag. 165.

Fratres

INDEX.

Fratres omnes mortui. pag. 166.
Polybiſtor ex Artabano, item Iuſtinus è Trogo de Ioſepho. pag. 167.
Exodi. Cap. I. Ægypti & maxime terra Goſen Chorographia. pag. 173.
Hebræorum mira multiplicatio in Ægypto. pag. 176.
De mirifica multiplicatione tribus Efraim ejusque clade in Ægypto. pag. 180.
Afflictio Iſraelitarum in Ægypto. pag. 186.
Cauſa afflictionis. pag. 190.
Parvuli in partu jubentur enecari. pag. 190.
Infantuli jubentur mergi. pag. 193.
Cap. II. Parentes Moſis. pag. 194.
Moſes natus. pag. 197.
In fiſcella juncea exponitur. pag. 198.
A filia Pharaonis tollitur daturque matri nutriendus. p. 299.
A matre in aulam ducitur. pag. 201.
Adoptatus à filia Pharaonis. pag. 203.
Educatur in aula. ibid.
Ex aula ad ſuos egreſſus Ægyptium percutit. p. 204.
Increpat Hebræum. pag. 208.
Abit in exilium. pag. 209.
Jethro ſacerdos in Madian. pag. 210.
Filias ejus adjuvat Moſes. pag. 211.
Sepphoram ducit. pag. 212.
Ioſephi narratio de Moſe. pag. 213.
Ezechiel poëta tragicus de Moſe. pag. 218.
Ex Artabano de Moſe. pag. 222.
Demetrius de fuga & ſocero Moſis. pag. 227.
Gen. XXXVI. De ſtirpe Eſau & Idumæa antiquitate, pag. 229.
Liber Jobi Cap. I. An fuerit Iob in rerum natura & an ſit hiſtoria. pag. 234.
E quo genere & ſtirpe fuerit. pag. 234.
Quo tempore vixerit. pag. 236.
A quo ſcriptus ſit iſte liber. pag. 238.
Ubi loci vixerit Iob. pag. 241.
Epula filiorum & ſacrificia Iobi. pag. 241.
Angelorum congregatio apud Deum. pag. 243.
Dei cum Satana colloquium. pag. 243.
Calamitates Jobi. pag. 244.
Jobi luctus. pag. 245.
Cap. I. Alterum concilium Angelorum & Dei cum Satana colloquium. pag. 246.
Iob ulceribus percuſſus. pag. 247.
Diuturnitas afflictionis. pag. 248.
Sermo uxoris cum Iobo. pag. 249.
Amici Jobi. Ibid.
Conſident in cinere ſeptiduo. pag. 250.
Argumentum prolixæ diſſertationis inter Iobum & amicos. pag. 251.
Cap. XLII. Job humillime fatetur peccatum ſuum apud Deum eumque deprecatur pag. 252.
Tres ſoſci à Deo increpiti placantur interpellatione Jobi. pag. 252.
Iobus reſtitutus donatur plurimis muneribus. pag. 253.
Naſcuntur ipſi tres filiæ & ſeptem filii. pag. 253.
Quot annis vixerit. ibid.
Filiarum Iobi nomina. pag. 254.
Auguſtini diſſertatio de Iobo. pag. 255.
Phœnicum antiquitates ab Eſau & ante Exodum: Origo deorum pag. 857.
Antiquitates Græciæ ante & circà Exodum Hebræorum. pag. 263.
Fragmentum Mythologumenorum veterum è Cedreno & Chronico Alexandrino. p. 272.
Eutychii Alexandrini calculus pag. 273.

 Chro-

Chronologia rerum in hoc tracta- tu de Peregrinatione Iſraëlitarum.

A. M. C.

2226 Joſeph calumniis heræ oppreſſus in carcerem compingitur.
2227 In carcere aulicis ſomnia interpretatur.
2228 Iſaac moritur, quem ſepelierunt filii ſui Jacob & Eſau.
2229 Joſeph eductus è carcere habenis regni admovetur.

Agreus & Halieus in Phœnicia.

2238 Jacob cum univerſa familia concedit in Ægyptum.

Chryſor (Vulcanus) ejuſque fratres in Phœnicia. Forte circa hoc tempus in Ægypto regnavit Vulcanus primus Deorum.

2255. Jacobus Patriarcha moritur anno ætatis 147. Sepelitur in Canaan.

Artifex & Autochthon in Phœnicia.

2280 Ager & Agruerus in Phœnicia.
2300 Ἀγρόται καὶ κυνηγοὶ in Phœnicia. Videtur alludi ad nomen שדי.
2309 Joſephus moritur, columen ſuæ gentis, Ægypti firmamentum, anno ſuæ ætatis 110.
2320 Amynus & Magus in Phœnicia.
2332 Levi filius Jacobi moritur in Ægypto.

Miſor & Sydyc in Phœnicia.

2360 Taautus & Dioſcuri in Phœnicia.

Inachus in Græcia regnat.

2369 Aaron filius Amram naſcitur. Pauld poſt edictum de necandis maſculis Hebræorum propoſitum eſt.
2372 Moſes naſcitur.

Eliun (עליון) in Phœnicia regnat.

In Græcia regnat Phoroneus. Ogygi diluvium.

2400 Cælus regnat in Phœnicia.

Cecrops in Attica regnat.

2429 Joſue filius Nun naſcitur.
2413 Moſes fugit in Madian.
2432 Diluvium Deucalionis in Græcia.

Saturnus expellit Cælum in Phœnicia.

2538 Cranaus in Attica regnat.
2450 Amphyction Deucalionis f. regnat.

Joſe-

Joſephus Scaliger initio Animadverſionum in Euſebium.

Quum igitur hoſtes Chriſtiani nominis inter ea, quibus argumenta ſua ad oppugnandam religionem inſtruebant, non mediocre telum eſſe putarent, vetuſtatem Deorum ſuorum, Chriſtianiſmum χθὲς & πρώην prodiiſſe, eoque argumento inſolentius vectarentur, exorti ſunt ſcriptores, pietate & doctrinâ præſtantiſſimi, qui non ſolum vetuſtatem legis Moſaicæ ex ipſorum Græcorum commentariis aſſeruerunt, ſed etiam antiquiſſimos Gentium Deos infra ætatem Moſis fuiſſe oſtenderunt eoque rem deduxerunt, ut hoſtes Chriſtianiſmi adigerent ad alterutrum fatendum, aut vetuſtiorem quibuſvis Gentilium Diis Moſem fuiſſe, aut falſa eſſe Græcorum inſtrumenta. Itaque hoc modo eos gladio ſuo jugulârunt: qua in re luculentam operam navârunt Iuſtinus Martyr Chriſti, Tatianus, Clemens Alexandrinus, Athenagoras, Theophilus, & alii, quorum Scripta ad nos pervenerunt. Ii omnes Inacho parem ætate fuiſſe Moſem oſtendunt ex Apione Grammatico, & aliis, ut ipſos Deos Gentilium, ipſa templa & oracula, ut ais Tertullianus, & ſacra eorum unius Moſis ſcrinium ſæculis vincat, in quo theſaurus collocatus eſt totius Iudaici ſacramenti, & inde etiam Chriſtiani. Impius quoque Porphyrius Moſem poſt Semiramin fuiſſe dicit: alii etiam quingentis annis, ſeptem minus, ante Danaum: Danaum verò aliquot ſæculis Inacho poſteriorem, cujus æqualis fuerit Moſes. Quià primam Inſtrumentis auctoritatem ſumma antiquitas vindicat, inſtrumenta autem ipſa non à Chriſtianis, ſed à Gentibus ipſis petita ſunt, neque quid ad hæc opponerent, Pagani haberent, nihil prætereà ſupereſſe videbatur, niſi aut ut ingenua confeſſio ab ipſis exprimeretur, aut ſilentium pertinaciæ finem faceret. Quod certè feliciter ceſſit, ut & hac in parte Porphyrius manus daret. Sed Euſebius non ſatis putavit Gentiles premi domeſticis teſtimoniis, niſi etiam noſtris convincerentur. Noſtra autem, hoc eſt ſacræ paginæ argumenta, accuratè perputata, magnam quidem vetuſtatem Moſi aſſerunt, ac ſupra omnes etiam vetuſtiſſimos Gentium Deos, ſed tamen non tantam, quæ æqualis ſit Inachi temporibus. Quarè primus omnium Euſebius conatus eſt oſtendere Exodum Hebræorum pluſquam CCCXL. annis initio Inachi poſteriorem eſſe; quæ fuit unica ac præcipua cauſſa, quæ Euſebium ad hoc opus inſtituendum impulit. Qui enim ante eum de hac re ſcripſerant, contenti Gentilium vernaculis teſtimoniis, Moſis vetuſtatem probare, atque ita Gentium pertinaciæ os obtundere, nihil aliud prætereà ſategerunt. Euſebius non ſatis eſſe putavit, niſi ex ipſius Moſis teſtimoniis fides temporum adſtrueretur. Atqui ex rationibus Moſis inferior Inachi temporibus reperietur. Hoc igitur primum in Chronologia emendandum putavit: quam primam cauſſam fuiſſe Euſebio hujus ſcripsionis & nos jam diximus, & ipſe in proœmio Canonis apertè profitetur.

A01 1469710

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

G32.

Digitized by Google